COMMENTARIUM
LITERALE
IN BIBLIA.

JOSUE, JUDICES, RUTH ET REGES.

COMMENTARIUM
LITERALE
IN OMNES AC SINGULOS
TUM VETERIS CUM NOVI
TESTAMENTI
LIBROS

AUTHORE R. P. D.

AUGUSTINO CALMET

Ordinis S. Benedicti, Congregationis SS. Vitoni & Hidulphi.

E Gallico in Latinum sermonem translatum.

TOMUS SECUNDUS.




VENETIIS, MDCCXXX.

Apud Sebastianum Coleti.

SUPERIORUM PERMISSU AC PRIVILEGIO.





IN
LIBRUM JOSUE
PRÆFATIO.



OSUE, de cujus nomine Liber appellatus est, *Osee* primùm, nempè Servator, deinde *Jehosua*, seu *Jehoshuah* i. e. qui salutem afferet, vel Servator à Deo datus, nuncupabatur. Immutati nominis sive tempus sivè occasio prorsus incerta; vel enim in causa fuerit belli cum Amalecitis strenuè ac prudenter confecti gloria (1), sivè reditus ab exploranda Chanaanitide, ambigitur (2). Solus enim tunc, unà cum Caleb, Dei partes sequutus est, cæteris omnibus seditiosis & murmuris authoribus populo, vano ab illis metu consternato, sese præbentibus (3). Quare Moyses fidei ipsius in Deum præmium, veteri Osee nomini alterum forsan adjecit, nempè Josue, ut deinceps binominis esset vir; quemadmodum & de Jacob memoriæ proditum est, cui alterum Israelis nomen inerat. Patrem habuit Nun è Tribu Ephraim. A' Græcis æquè appellatur *Aure*, vel *Ausem*, ac *Jesus filius Nave*.

Totum se in clientelam Moysis jam indè ab egressu ex Ægypto addixerat, honorificum sibi ducens, si tanti viri obsequiis se totum impenderet, pro laudabili felicium eorum temporum more, quo voluntaria & gratuita officia amicitia, non pecunia comparabantur. Quantum autem in viro posuisset fiduciæ & existimationis, non obscuris rarisque Moyses ostendit, exemplis; hoic enim expeditionem in Amalecitas commisit; hunc socium adhibuit, cum mons Sinai, recipiendæ Legis Divinæ gratia, sibi fuit ascendendus; hunc tandem inter cæteros ad inspiciendam Chanaanitidem selectum voluit. Tandem Josue post exhibitam fidelem Moysi servitutem, dignus est habitus, qui Moysi successor in gubernando populo à Deo daretur.

Fato igitur functo Moyse, Josue rerum potitus, per Jordanis vada incolumem exercitum trajecit, eo vel simili prodigio, quo Moyses Erythræum transfretaverat. Nube autem, cujus ductum ad id usque Israelitæ sequuti fuerant, jam evanescente, Josue pro insita sibi à Deo prudentia, acceptaque à Deo norma reliqui itineris ordinem dispoluit. Quare post celebratum primum Pascha in Galgalis, indè iter Jericho versus susceptum est. Eò cum pervenissent, septem succedentibus diebus Urbi exercitus circumactus est, semel per singulos dies; septima verò die, Sacerdotalibus buccinis clangentibus mœnia spontè corruerunt. Succedentes igitur in Urbem Israelitæ flammis omnia compleverunt, & stragibus, ut sola inclytæ Urbis rudera superessent. Rahab una ex cæteris omnibus Civibus, ejusque familia universa jussu Ducis servata est; reliqua omnia anathemati devota; dirisque etiam devotus à Josue qui reædificandæ Urbis consilium suscepisset; quæ deinde post plura sæcula maledicta Hiel filium Bethel corripuerunt. Post captam Jericho, urbs Hai parum ab illa distans, angusta illa oppidò & parva, 3000. militum armis tentata est; sed frustrà, nam erumpentes ex Urbe cives, hostes non sine cæde repulerunt. Inopinato eventu territus populus animis despondebat, cùm Josue enram Domino prostratus, infausti eventus in causa fuisse didicit servatam à quopiam prædæ Jerichuntinæ anathemati devotæ portionem. Quare jactis sortibus, Achan criminis reus inventus est, quod lapidatione explare ipsum, cum cæteris rebus omnibus ad illum spectantibus, coegerunt.

Tunc prona omnia; namque Hai nullo negotio in potestatem venit. Ea recepta, juxta præceptum Domini olim per Moysem traditum, ventum est ad verticem duorum montium, Garizin, & Hebal, ubi & monumentum erectum, & innovatum cum Domino fœdus. Cum castra ad Galgala secundùm hæc populus haberet, Gabaonitæ supervenientes, legatione se à populo remotissimo fuogi incautis persuaserunt; petere autem se, ut fœdus secum iniretur, quod inconsultu ab Israelitis Domino impetrarunt. Sed brevì fraude deprehensa Josue intellexit iniviffe se cum populo fœdus anathemati jam devoto; quare servitiis Tabernaculi Domini & totius populi gentem illam obligavit.

Hoc Gabaonitarum cum Israelitis fœdus graviùs habentes finitimi Reges, juncto simul quinqua eorum fœdere, exercitum in Gabaon duxerunt. Josue fœderatis sibi populis succurrendum ratus, opportunos eum advenisset, hostes prœlio fusos magna cæde prostravit. Hujus prælii occasione datis de Cœlo prodigiis Deus pro Israele pugnavit; nam & lapidibus in Chananæos Cœlum pluit, & Sol ac Luna cursum sistentes suum, diem cædendis hostibus opportu-

oum

(1) Vide Orig. hom. 11. in Exod. Theodoret. q. 34. in Exod. Lact. lib. 4. cap. 17. de vera Sap.
(2) Vide Orig. hom. 2. in Josu. Epist. Barnab. pag. 13. Tertull. l. 3. cont. Jud. Justin. Dial. cum Typh. Aug. l. 16. 19. cont. Faust. (3) Num. 13. 17.

num Hebræis prorogarunt. Ejus victoriæ fructus tota Chanaanitidis meridionalis regio in Hebræorum potestate relicta est.

Felici armorum Israelitarum successu, tum & prodigiorum fama sollicitati Reges Septemtrionales Chanaanitidis imminenti malo occurrendum sibi, junctis viribus, duxerunt. Commisso prælio victoria stetit Hebræis. Tunc Jabin Rex Asor, reliquos populos Regesque simul collectos in unum exercitum ingentem sanè ac validum armavit. Castra locaverat ad Merom, ubi commisso cum Josue prælio, fusi fugatique Chananæi terga vertere coacti sunt. Omnia victoribus cedebant; neque coacti à Deo tot Reges ac populi alia de causa videbantur, quàm ut majoris victoriæ fama Duci ac populo compararetur. Porrò quanta fuerint bella, quàm magni momenti expeditiones, ex numero devictorum Regum facilè colligimus; namque ad 31. recensentur, atque juxta Scripturæ phrasim, nullus in iis locis Princeps relictus est, qui victrices Israelitarum manus graves in se non experiretur. Josue 11. 19.

Post receptam in fidem Regionem, Ducis curæ omnes intentæ fuere assignandæ singulis Tribubus portioni, ut nulla præberetur querelis & invidiæ in perpetuum ansa. Primus omnium Caleb præmio donatus est, quod illi Deus peculiare fuerat pollicitus, spectata viri fide delectatus. Jactis deinde sortibus, singulæ portiones singulis Tribubus Juda, Ephraim, & dimidiæ Manasse (alteri enim dimidiæ suæ jam erant sedes) assignatæ sunt.

Ne res perficeretur, intercessit ignota nobis causa; nondum enim sunt assignatæ portiones Tribubus Benjamin, Simeon, Zabulon, Issachar, Aser, Nephtali, Dan, sicut & Josue. Regionis dimensores per totam provinciam missi; ut æquas portiones dividerent, quæ deinde singulæ jactu sortium distributæ sunt. His peractis, 48. Urbes in sedem Levitarum assignatæ, è quibus segregatæ sex in asylum iis, qui imprudentes hominem peremissent. Accidit inter hæc, quod penè Israelitas omnes inter se commiserat; namque Tribus Ruben, Gad, & dimidia Manasse reduces in assignatam sibi Regionem trans Jordanem, in ripa ejusdem fluminis Altare erexerunt, perpetuum sui cum cæteris Israelitis consensus monumentum. Rem pessimè acceperunt Israelitarum reliqui, constitutam Aram irreligionis, & apostasiæ spiritu rati; quare missis ad fratres legatis, ecquid rei esset quæsiverunt? Respondentibus illis, nihil se contra avitam Religionem, & Israelitarum concordiam attentare voluisse, murmur quievit.

Inclinans jam ad exitum Josue, collecto in Sichem populo, beneficia priùs omnia à Domino præstita exposuit; tum & fœdus innovari sancivit, quo scilicet in electum Domini populum accepti jam fuerant, ejusque innovati publicum extare voluit documentum. Diem clausit, ac deinde sepulturæ mandatus est in Thamnath-Sare, quam urbem in sedem elegerat. Hæc summa historiæ Libri Josue.

Operis hujus Author sine controversia idem creditur, cujus nomen Liber præsefert; præsefert autem Josue nomen in omnibus æquè Exemplaribus Hebræis, Græcis, Latinis, cæterisque. Author Ecclesiastici tradit cap. 46. 1. *Josue successor Moysi in Prophetis*, seu ut Græcus habet, *in Prophetiis* i. e. juxta plures, in historia populi Dei, sacrisque Libris scribendis. In extremo ejusdem Operis capite 23. 26. hæc leguntur: *Scripsit Josue omnia verba hæc*, nempe ad minùs omnia, quæ in eodem capite continentur. Si verò postremi hujus capitis author credatur Josue, cur non & reliqui libri, cum in ipsum reliqua omnia quadrent? Quis illo magis norat singillatim omnia in eodem libro relata, aut in quem alium unquam omnes ejusdem Operis characteres conveniant? quis præ illo debuisset res ab eo gestas memoriæ mandare? Per injuriam prorsus ambigeremus, an Opus illud Authorem haberet coævum; vel saltem si ab altero recentiori Authore digestum reputaretur, ex monumentis tamen alterius Authoris Josue coævi judicandum esset. Eæ sunt enim temporum, locorum, & personarum circumstantiæ; ea sunt singularium virorum, rerumque nomina expressa, atque singulares rerum eventus designati, ut Authorem omninò prodant ætate æqualem, qui explorata à se omnia posteritatis memoriæ commendaverit.

Inficias tamen non iverim, additamenta quædam in Libro notari, ab altera, quàm Josue, manu apposita, quare facilè concedimus Scriptum hoc, quale habemus, alterum, post Josue, Authorem recensuisse. Hujus opera locorum nomina, tum & notulæ quædam adjectæ sunt, raræ tamen, & minoris momenti, sicut & facilè à reliquo prisci Authoris contextu distinguendæ. Par igitur de illis judicium feramus oportet, ac de sententiis in Libris Mosaicis adjectis; Prophetas scilicet, Moyse & Josue recentiores, adjiciendum sibi aliquid censuisse, quod nihil immutata historiæ fide, atque narrationis serie, obscure dictis lucem afferret. Profectò si ex additamentis istis invidiam in reliqua omnia antiquitatis monumenta creare voluerimus, quod unquam Opus à censura erit immune? Producatur, quæso, Liber, cui ab Amanuensium Lectorumque inscitia, sive longioris temporis oblivione impositum aliquid non fuerit? Hæc sanè in Libris Prophanorum Authorum maculas appellamus, veneramur in Divinis Scripturis, persuasum habentes nihil in illis nisi Divinum fide, & veneratione dignum contineri, Additamenta illa veluti reliquum Textus accepta ab eodem Spiritus fonte, per sanctissimorum Virorum canale derivantur. Excipimus tandem

errata

errata quædam Amanuensium, quæ in Libris Sacris facile poterant irrepsisse; neque anim Religionis authoritata ad ea recipienda adigimur, quin & jubemur rejicera, si fortè in apertum prodierint.

Certam recensiti bajus Libri ætatem vix possemos definire; quin & accidisse facile potuit, ut varii variorum temporum Prophetæ ad id opus manum admoverint. Urbs Hai Authoris ætate eversa adhuc jacebat (1); quam tamen restitutam sub Regibua inde constat, quòd post reditum e captivitate subsistiteret (2). Urbem Jerusalem tenebant Jebusæi simul ac viri Tribus Jada & Benjamin (3); undè facilis conjectura ducitur, vixisse Scriptorem illum ante Davidis ætatem, qui Urbem, pulsis Jebusæis, totam vindicavit. Nondum etiam Ephraimiræ Gazer possederant (4); sed pristinis permissam civibua Urbem tributariam habebant. Idem animadvertere licet in Libro Judicum (5); ex quo infertur non immeritò Authorem recensiti primùm bujus Operis Josue supparem, vel ferè supparem sub Judicibus fortè vixisse. Quis enim sibi facilè persuaserit, sub Davide & Salomone Chananæos quiatos in ea Urbe mansisse? Facilius sanè relinqui poterant sub Josue, & sub Judicibus; non enim pristinos omnes incolas ab avitis sedibus Josue expulit. Quæ autem in Libris Judicum de Gazer legimus, eorum, quæ apud Josue extant, velut repetitio quædam habenda sunt.

Sed alia suppetunt in eodem Libro loca, quæ Authorem sub Regibus vixisse insinuare videntur. Ita scriptam legimus bistoriam conjugii ab Axa cum Othoniele initi; quod sanè nonnisi post obitum Moysis, ineuntibus Judicibus, contigisse reputatur Josue 15. 16. &c. & Judic. 1. 12. 13.. Expeditio etiam Danitarum in *Lezem*, quamvis in Libro Josue relata, ad Judices pertinet Josue 19. 37. Judic. 18.. His omnibus addi possunt nomina Chabul Josue 19. 27., Tyri ibid. vers. 29., Galilææ Josue 13. 2. & 20. 7., Luzæ Josue 16. 2. & 18. 13. collatum cum Judic. 1. 23. 26., Joctal 4. Reg. 14. 7., post Judices, uti ferunt, cognita. Sunt qui credant Librum Justorum, sæpiùs in eodem Opere laudatum, sub Regibus tantùm exaratum fuisse Josue 10. 13. collatum cum 2. Reg. 1. 18.. Tandem historia obitus Josue, quæ librum claudit, ab altero sanè quàm ab ipso Josua scripta rectissimè creditur.

Quamquam post ingenuam, quam præmittimus, confessionem de locorum quorumdam addatamentis, nihil tamen Fidei & moribua officientibus, nullo sanè negotio iis, quæ in hunc Librum objiciuntur, facilis pateret responsio; non est tamen cur futiles alioqui objectiones istas sina peculiari discussione negligamus. Terra *Chabul*, da qua sub Salomone mentio 3. Reg. 9. 13., altera quidem creditur ab ea, cujus est nomen apud Josue; illa enim regio erat 20. vicos complexa; altera verò vicus tantummodo Josephi ætate non incognitus (6). Quod ad Tyrum spectat, fusiùs de ætate ejus Urbis conditæ in Commentario disseruimua. Nomen Galilææ in hoc Libro pro finitima aliqua regione usurpatur; quare argumentum ex hoc nomina deductum, quasi scilicet Scriptorem prodat longè viro illo recentiorem, spontè corruit. An fortè Urbes *Luza*, & *Joctal*, de quibus in hoc Libro, eædem sunt, ac aliæ cognomines, de quibus in Libris Judicum & Regum? Peritissimi Intarpretes distinguendas censent. Quamquam testimonium ex Libro Justorum ab aliena manu adjectum videtur; frustra enim ab Authore laudaretur Liber, qui nihilo majorem, quàm Author qui Opus scriberet, exigeret fidem, ac frustra tastimonia congererentur in re tum temporis exploratissima; non ægrè tamen crediderim bunc Librum parum ætate Josue fuisse recentiorem. Facilè Commentarii erant publici & vetusti in Tabernaculo asservati, opus Sacerdotum, & Scribarum, quibus id muneris committi solebat.

Notus est apud Samaritanos Liber Josue, sed alter planè à Libro Josue, de quo nobis in præsentiarum. Samaritanorum ille Chronicon exhibet, vel historiam, malè congestam rerum seriem à Moysis obitu usque ad Imperium Adriani referentem. Porrò Liber iste sub nomine Chronici Samaritani tandiu votis Eruditorum frustrà expectatus, in manus Josephi Scaligeri incidit, cujus supremis tabulis, publicæ Lugduni Batavorum Bibliothecæ legatus est. Vernaculo Arabum sermone Samaritanisque characteribus digeritur. Nunquam Latinè prodiit, cùm Hottingerus, qui versionem meditabatur, fatis antea functus fuisset, quàm consilium suum executioni mandaret.

Hæc Scripti, sivè bistoriæ, quam Josue imputant, summa. In ipso Operis vestibulo status Hebræorum sub Moyse primùm in deserto, dein in Chanaanitide sub Josue; ac tandem sub Judicibus brevi contextu exhibetur; nec illud omittitur de Josue ac de Eleazaro, quorum illum Legislator populi Ducem, alterum verò Sacrorum Principem constituit. Succedit in Madianitas expeditio, atque tota Balaami historia, cujus perniciosis consiliis factum est, ut Israe-

(1) Josue 8. 28. *Succendit Urbem, & fecit eam tumulum sempiternum.*
(2) 1. Esd. 2. 28. & 2. Esdr. 8. 32. *Viri Hai, & Bethel, centum viginti tres* &c. 2. Esdr. 11. 31.
(3) Josue 15. ult. *Jebusæum autem habitatorem Jerusalem non potuerunt filii Juda delere; habitavitque Jebusæus cum filiis Juda in Jerusalem usque in præsentem diem.*
(4) Josue 16. 10. *Habitavitque Chananæus in medio Ephraim usque in hanc diem tributarius.*
(5) Judic. 1. 29 *Ephraim non interfecit Chananæum, qui habitabat in Gazer, sed habitavit cum eo.*
(6) In lib. de Vita sua.

Israelitæ cum Madianitarum puellis commiscereotur, quod eorum crimen & ultionem in illos Moysis & necem in Balaamum provocavit. Plura interim admiscentur, de quibus altum est in sacris Hebræorum Libris sileotium.

Excipit hæc omnia obitus Moysis, cui Josue ooo funebri tantùm pompa, sed & panegyrica etiam oratione, ac tandem luctu 30. dierum populus universus parentavit. Josue rerum potitus exploratores ad Jericho mittit, quibus ad exercitum restitutis, ipse unà cum copiis Jordanem, non sine prodigiis illis, de quibus in Libro Josue, aliisque ab Authore adjectis, transvadavit. Jericho post hæc expugoatur; Achan commissi criminis reus punitur; Gabaonitæ Israelem circumveniunt; quinque fœderati Reges Gabaon oppugnanres funduotur. Prosperum hunc armorum suorum successum Josue per literas columbæ tanquam veredario commissas Eleazaro Summo Sacerdoti nunciavit; addens insuper, oon priùs se reversurum, quàm Chanaaoitidem universam subjugasset. Redux jam in monrem sanctum Garizim ascendit, ubi & populum recensuit, lustravit, sacra obtulit Deo, totamque regionem in duodecim Tribus divisit.

Data insuper remeandi ad Transjordana facultas Tribubus Gad, & Ruben, quæ suppetias laturæ fratribus suis Chanaanitidem subigentibus venerant. Non antea tamen remissæ sunt, quàm illis Rex Nabichur, cui universus pareret Transjordanus populos, præficeretur. Excitavit autem Josue Templum in monte sancto Garizim, atque interim toto spatio 20. annorum quieta omnia in Israele manserunt. Secundùm hæc Sauber Rex Persarum, filius Regis Hemau, illius oempè quem Josue neci tradiderat, bellum indixit in Hebræos, accito sibi io societatem ingenti Regum numero, ut junctis cum illis armis, patris sui necem ulcisceretur. Sauberi literæ 10. die secundi mensis ad Josue relatæ sunt, à quo juri dicundo in populo ioterim occupato, noo antea quàm proximo festo Paschali ab Israele celebrato, in publica optimatum concione expositæ sunt. Tum scripto ad hostes responso, tumultuarium exercitum 300000. virorum collegit, iterumque coram militibus Sauberi literas recitavit, suasque ioterim referendas literas Legato fœderatorum Regum, à quibus priores receperat, commisit. Redux ad suos Legatus ille, vires & potentiam Hebræorum adeò exaggeravit, ut oominis Hebraici terrore omnium pectora repleret.

Sed mater Sauberi, adhibito sibi in socium seniori quodam Mago, despondentes animis confirmavit, adnisurum se Mago illo pollicente, ut omni artis suæ ope victoriam illis afferet. Nec defuit promissis; nam productæ Hebræorum copiæ adeò se viri callidi præstigiis fascinari expertæ sunt, ut septem veluti ferro constructis parietibus includi opinarentur. Sed vix iosonante Summi Sacerdotis Eleazari buccina, & præstigia omnia evanescere, & hostes subito terrore corripi; atque in fugam cooverti visi fuere. Ante Sacerdotalis buccinæ prodigium, Josue clausum se tot ferreis parietibus seotiens, angustias suas Nabichur filio patris sui, & Regi Tribuum Transjordanarum per literas renunciavit, rogans ut subsidiarias copias quantociùs mitteret. Nec ille ferendo auxilio seguior, valido statim cum exercitu accurrens, sua ipse manu Regem Sauberum transfodit, atque insignem cum exercitu Josoe victoriam de hostibus reportavit.

Aliqoanto post Josue diem clausurus, successorem reliquit Babelem è Tribo Juda, & Calebi nepotem. Babelem excepit Tersius Ephraimita. Altum est apud Authorem de aliis Judicibus Israel silentium, excepto Samsone. Additur post hæc historia obitus Eleazari Summi Sacerdotis, tom & altercatio ioter filios Phinees, & Heli Summum Sacerdotem pro munere sacrorum offerendorum; oec omittitur Samuel, sicut & historia captæ à Philisthæis Arcæ, ac tandem Bachteuazis (ita Nabuchodonosorem appellat) Regis Persarum, Jaddi & Alexandri Magni, ac tandem obsidio Jerusalem sub Adriano Imperatore. Sequitur genealogica series Principum Samaritanorum, quorum hæc sunt nomina, AKbao, Natbanael, Barabba, qoi nepotem suum Levi addiscendarum literarum gratia Constantinopolim misit. Rediit inde ad montem sanctum Garizim. Ex his omnibus facilè intelligimus, 1. Librum & historiam Josue Samaritaoos non latuisse; quam tamen veritatem pluribus fabellis inferserunt. 2. Librum, quem illi Josue appellant, alterum planè esse opus, ac illud à Josue duce Israelitarum scriptum. 3. Tandem Librum hunc recentissimum esse, si exordium Operis & finem ad unum eundemque Aothorem pertinere constituamos.

TABULA CHRONOLOGICA
HISTORIÆ JOSUE.

An. M.	
2553. I. Dies. primi Mensis.	OBitus Moysis prima die sexti mensis anni civilis, qui erat duodecimus anni sacri. Ejus luctus duravit 30. diebus, idest, integro mense duodecimo. Josue Jericho exploratores mittit. *Josue* 2. 1. Ji in montes fugiunt. ℣. 15. 16.
II. die.	Latent in montibus.
III. die.	Redeunt in castra Sethim ad Josue. ℣. 23. 24.
IV. & V. die.	Deus Josue præcipit, ut populum ad trajiciendum Jordanem post triduum paret. *Josue*
VIII. die.	Discessus Sethim: castra locantur ad Jordanem. *Josue* 3. 1.
IX. die.	Trajectio fluminis adornatur. ℣. 2. 5.
X. die.	Transitus Jordanis die Veneris 30. Aprilis 10. Nisan.
XI. die.	Josue circumcisionem præcipit. *Josue* 5. 2.
XIV. die.	Primum Pascha celèbratum in Chanaanitide die Martis 4. Maii, 14. Nisan.
XVI. die.	Manna non amplius delabitur. *Josue* 5. 12.
	Capitur Jericho, ultimo fortasse die festi Paschalis. *Josue* 6.
	Capitur Hai. *Josue* 7. 8.
	Erigitur ara in monte Hebal. *Josue* 8. 30. 35.
	Foedus cum Gabaonitis. *Josue* 9.
	Bellum quinque Regum in Gabaonitas tres dies post initum cum Israele fœdus. Josue de eorum periculo certior redditus ad opem eis ferendam proficiscitur.
	Sequenti mane hostes aggreditur & insequitur: die sequenti urbibus partis meridionalis terræ Chanaan potitur. Id omne peragi potuit sex primis mensibus, quibus in hac regione Josue bellum gessit.
2554.	Anno sequenti bellum fœderatorum regum incepit. *Josue* 11. Eos Josue ad aquas Meron profligavit; verum in hoc bello, & in subigendis regionis urbibus & populis integrum sexennium impendit.
2559.	Josue devictæ regionis divisionem exorditur. *Josue* XIII.
	Promissam a Domino Hebron Calebus petit, quam suppetias ferente Tribu Juda occupat. *Josue* XV. & *Judic.* 1.
2560.	Primus annus Sabbaticus post ingressum Israelitarum in Terram promissam.
	Arca in Silo statuitur. *Josue* 18.
	Completur regionis partitio, & singulis Tribubus sua sors assignatur. *Josue* 18. 19.
	Urbes Tribui Levi assignatæ.
	Tribus Ruben, Gad, & dimidia Manasse regionem transjordanicam repetunt, & ad Jordanis ripas monumentum erigunt. *Josue* 22.
2561.	Josue condit Thamnath-Sara, ibique sedem figit.
2570.	Mors Josue 110. annos agentis.

DISSERTATIO
DE MANDATO JOSUE,
QUO SOLEM, ET LUNAM REMORATUS EST.

Ex quo opinionum singularitatem affectare A Eruditis incurrit, tum & prodigia omnia ad naturales leges moliti sunt revocare, nullo sanè Scripturæ Textu abutuntur magis, nullumque magis detorquent, quàm eum, qui mirabilem Solis & Lunæ stationem sub Josue narrat. Ea est quidem prodigii illius fides, adeò perspicua & aperta in Libris Sacris veritas, ut alterum planè sensum verbis dari, quo prodigium eludatur, quàm laborantis phantasiæ errore, atque verbis ejusdem Textus planè detortis haud aliter possit. Non desunt tamen Scriptores, qui hoc sibi negotium assumant, ut mira prorsus judicii præversione, nihil supra naturæ ordinem B in ea re nosse se profiteantur, tum & verborum ambagibus vim prodigii totam eludant. Ex quibus alii parùm sanè cauti, ut prodigium omne depellant, alia sanè majora inferunt miracula, atque iis se difficultatibus obvolvunt, à quibus nunquam expediantur.

Non defuerunt etiam alii, qui Solem & Lunam nunquam sanè stetisse autumarunt, sed tantùm cursum suum retardasse (1). Observant enim illi non id Josue præcepisse, *siste cursum Sol*; sed tantùm (2) *Sol sile*; id est juxta Paraphrastem Chaldæum (3): *Sol cursum tuum remorare*. Ac si aurigam cursum festinantem quis C juberet, equos compescere, atque remorari. De Sole autem, addunt, scriptum est, non stetisse quidem illum à cursu, sed (4) *Stetit Sol in medio Cæli; & non festinavit occumbere spatio unius diei*. Ita testimonium Libri Justorum in Libro Josue laudatum.

Sed quis nesciat Hebræum *silere* idem esse ac stare, quiescere, cursum sistere? *Fiant immobiles* (Hebr. ad literam *sileant*) *quasi lapis* (5). Et Psalm. 106. 29. *Statuit procellam ejus in auream*; nempe suspendit in medio aere. Et Jerem. Thren. 2. 18. & 3. 49. *Non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui*; i. e. non cesset à lacrymis. Habacuc 2. 19. *Væ qui dicit ligno: Expergiscere; surge, lapidi tacenti*. Paribus utuntur phrasibus Prophani Scriptores: *Statua taciturnior*, ait Horatius; & *Luna silens* apud Plinium l. 16. c. 39. & alibi, est Luna cum scilicet cursum absolvens lucem nullam demittit. Habacuc Propheta 3. 11. prodigium illud Solis respiciens, ita de ipso apertissime: *Sol, & Luna steterunt in habitaculo suo, in luce sagittarum tuarum ibunt*: neque obscuriùs Author Ecclesiastici 46. 5. *An non*, ait, *in iracundia sua* (Josue) *impeditus est Sol, & una dies facta est quasi duo?* His sanè apertissimis verbis Spiritus S. prævenisse obtrectatorum cavillos, tum & præjudicato judicio omnes eorum ambages deprehensas damnare visus est. Quando verò illud concederemus, Solem non penitùs quidem à cursu stetisse, sed aliquanto tantùm fuisse remoratum, quid hæc pro adversariis? An non proclivius est ruentem Solem compescere, quàm penitus sistere?

R. Maimonides in More Neboc. par. 2. c. 35. non imminuisse tantum prodigii gloriam contentus, omnem sustulit. Cum versus in preces Josue Deum rogat, ut Solis & Lunæ cursum tandiu sistat, quandiu sibi opportuna exigendæ de A hostibus ultionis occasio faveret, nihil juxta illum Authorem postulat, quàm rem planè simplicem, & communem. Rogat enim concedi sibi, ut ante subeuntem noctem hostes penitus fundat, ac si per modum optantis votum suum prodens diceret: Opto Solem non quiescere, donec ego plenè de inimicis meis ulciscar. Deus roganti acquievit, non quidem cursu Solis, & Lunæ retardato, prorogata ultra naturæ legem die, sed breviato victoriæ cursu, ut reliquo naturalis diei spatio talem victoriam obtineret, qualem si longiùs producta die pugnasset: namque ante subeuntem noctem quinque Reges fusi, magna ac- B cepta strage terga vertere coacti sunt. Huic opinioni Vatablus suffragatus, ita Josue orationem paraphrasticè vertit: Ne, rogo, committas Deus, ut Solis ac Lunæ lumen deficiat, donec plenam de hostibus victoriam reportemus.

In eandem ferè sententiam Grotius descendit, qui in suas partes adducere Authorem Epistolæ ad Hebræos conatur, quippè qui altum habuerit de hoc prodigio silentium. Porrò in longo miraculorum catalogo, ac inter præclara fidei Veterum Patriarcharum monumenta, de hoc Josue prodigio ne verbum quidem habet Apostolus; quanquam minora sanè prodigia non sileat, uti C lapsum mœnium Jericho, ac præmium, quo fides Rahab donata est (6). Addit etiam Grotius, verba illa Josue 10. 14 *Obediente Deo voci hominis & pugnante pro Israel*, non ita esse accipienda, quasi Deus ultrò se hominis præcepto submiserit, eoque jubente, Solem, & Lunam continuerit; sed tantùm Deum in opem Israelitarum venisse, indito illis robore, quo in cædem hostium promptaio animarentur. Hæc omnia, pergit Grotius, probabilissimè quidem asserimus, quamquam fieri etiam potuit, sivè ut contineret Deus in medio Cœli properantem Solem, sivè etiam post occasum ejus imaginem refractis in D objectam nubem radiis super horizontem exhiberet.

Plus aliquid, præ Grotio, audet Spinosa in tract. Theol Polit. c. 2. pag 22. &c., qui totum prodigium ita extenuat, ut ne intelligi quidem ultra possit. Comminiscitur ille Ducem, ejusque exercitum parum mysteriis Physices, & Astronomiæ fuisse initiatos; quare stetisse Solem autumasse, cum scilicet nonnisi grandinis tunc ruentis refractio solito major contingeret. Simili errore Isaias, addit, Solem asseruit in horologio E Achaz septem lineis recessisse; ignotum enim illi fuerat, quid parelia in hac re possent.

Author Præadamitarum l. 4 cap. 6. insignis planè systemarum inventor prodigiis in Scriptura relatis eludendis, docet moram illam Solis sub Josue aliud quidem fuisse, quàm quod vulgo homines opinamur. Erat enim simplex quidam meruique fulgor, qui post Solis occasum diem aliquanto prorogat in Palæstina, sivè tantùm in Gabaon, vallibusque circumfusis, quas palantes hostes petere coacti sunt; sed lucis beneficio fugientes insecutus Josue, ampla cæde victoriam insignem reportavit. Censet igitur ille, Solem propè fuisse ad occasum, cùm Ducis præcepto sistere cursum jussus fuit. Sol autem, inquit, nihil jubentem mora-

(1) R. Levi Ben. Gerson.
(2) שמש בגבעון דום
(3) שמשא בגבעון שוריך
(4) v. 13. ויעמד השמש בחצי השמים ולא אץ לבוא כיום תמים השכר
(5) Exod. 15. 16. ידמו כאבן
(6) Hebr. 11. 30. 31. 32.

motatus est, sed vicariam sibi lucem reliquit, reflexione radiorum ex objectu montium Gabaon inductam. Lucem hanc excepit fulgor alius minùs quidem viridus, sed fulgenti Lunæ simillimus, qui maximè super convallem Ajalon emicuit. Ita sua fides constat hisce Scripturæ verbis: *Non fuit antea, nec postea tam longa dies.* Josue 10. 14.

Omnes hasce opiniones in suum Commentarium in Josue D. Clericus collegit, adoptavitque; quin & plus aliquid adjiciendum illi visum est. Asserit igitur rotundis verbis, Solem nonnisi in speciem tantummodò stetisse, re tamen cursum peregisse suum; quod à se dictum his potissimum rationum monumentis adstruere conatur. 1. Quòd juxta optimos quosque Astronomos non Sol ter-
B ram, sed terra Solem circumit: quare non Solis, sed terræ cursus retardandus fuisset. 2. Ut proprio verborum sensu loquamur, non erat cur Sol supra Gabaon sisti potuisset; quippe quòd Urbis illius situs eclypticæ non subjaceat, sed ad Septentrionem vergens ad tropicum Cancri spectet. 3. Res erat minimi momenti, de qua tunc agebatur; commodius enim ad crastinam diem differenda fuerat, quàm ut opus fuisset prodigio, quo tota intra diei spatium absolveretur. Deus plane non ita miracula profundit, ut pro re minima naturæ leges omnes invertat. 4. Historia illa ex Libro Poetico, nempè *ex Libro Justorum*, derivata est; solemne est autem Poetis elato, emphatico, & hyperbolico stylo loqui. 5. Quare ejus carmi-
C nis Author turgenti hac phrasi designare voluit, utrumque astrum segniùs in occasum ruere ea die visum esse, sivè quòd radii utriusque Syderis insueta quadam refractione diutiùs super horizonte emicuerint, etiam post Solis occasum, uti apud Lapones contingit, ubi perpetua dies in solstitio æstivo, quamquam alioquin Sol in occidentem demergitur; sivè quòd Divina virtute, seu Angelorum ministerio factum esset, ut micanti aliquo phænomeno Solis & Lunæ defectus suppleretur. Porrò hi omnes Authores, si nec de veritate Libri Josue, nec de Sacrorum Librorum authoritate pertinasi sunt, supervacanea sanè opera ingenium suum detorserunt. Quod enim suspiciosum, sive fictum reputamus, illud nec refutare lætiò, nec sedulò explicare studemus. Si verò de authoritate, ac veritate Scripturæ recta illi sen-
D tiunt, non feliciori conatu operam suam locarunt; quandoquidem sin minùs fateri voluerint Authores Sacros in unum conspirasse, ut credulis nobis in ea historia referenda imponerent; consentire saltem oportet, illos de veritate prodigii persuasos, eandem nobis ingerere ideam voluisse. Quare præpostero quidem conatu laborant Scriptores isti, ut contra fidem Authorum Sacrorum omne ab ea re abfuisse prodigium demonstrare nitantur. Id tamen sibi demonstrandum assumpserunt Peireira, & Spinola; contendunt enim Josue & reliquos Judæos omnes, Physices & Astronomiæ mysteriis parùm initiatos, tanquam verum prodigium habuisse, quod Solarium radiorum refractioni, sive parelio alicui accepto referendum erat. Se verò omnibus priscis illis Scriptoribus planè sapientiores, errorem pro-
E bè nosse, vel invito originali Textu, qui veri prodigii ideam ingerit, omne abesse prodigium jubentes. Reformandum igitur illi assumunt scriptum coævi Authoris, visa à se & ab omni simul exercitu, quin & ab ejus Regionis incolis omnibus, referentis. Patet illis veritas rei, olim Josue oculato testi ignotæ. Tandem ut hypothesim suam sustineant, ad eas angustias reducuntur, ut asserant Spiritum S. qui Ducem populi Dei illapsu suo regebat, non tantùm in errore nec parvi illius momenti virum reliquisse, sed & inspira-
A tione sua id commisisse, ut posteritati transmitteret commentum imperitiæ illius & phænomeno non benè explorato unicè tribuendum.

Consulatur modò Textus Libri Josue, tum & laudatum è Libro Justorum Testimonium; conferantur loca Habacuc, & Authoris Ecclesiastici; requirantur Judæi omnes, & Christiani, qui ad id usque scriptam ejus rei historiam legerunt (1): solæ inspectæ phrases, quibus totus rei eventus exprimitur, pronam adeò & vividam prodigii ideam ingerunt, ut bonæ fidei nemo inveniri unquam potuerit, qui non statim ingens aliquod prodigium, nulli, de quibus in Scriptura, secundum conceperit. Illud autem obtendere, rei nempè gestæ historiam è Libro Justo-
B rum derivatam esse, Libro, uti quidem ferunt, poetico, gemino id asseritur errore, quorum ille merum putidumque commentum est, alter verò rei incertissimæ per summam impudentiam adstruit certitudinem. Incertissimum est enim, Librum Justorum poetico stilo exaratum fuisse, cum potiùs Commentarius videatur rerum memorabilium à summis Judaicæ Reipublicæ viris gestarum. Mirari autem subit, quanta confidentia nunquam inspectus, neque inspiciendus Liber ex parvi fragmenti conjectura poetico stilo, turgido & figurato scriptus asseratur; quando etiamsi aperta extarent carminum in eo fragmento indicia, non tamen continuò poeticum esse opus sine temeritate affirmaretur; cum & Moysis
C Opera, versibus licèt respersa, prosa oratione scripta esse noverimus. Quid autem si poeticum esse opus figurato stilo scriptum dicatur? An proinde ita ejus phrases accipiendæ essent, quasi contrarium quid exprimerent, ac illud cujus facilem pronamque ideam ingerunt? Tandem merum est commentum, omnem ejus historiæ fidem ex Libro Justorum pendere; non enim ex Libro illo rei gestæ narratio repetitur, sed in testimonium laudatur rei ab ipso Josue descriptæ. Quare si Liber Josue stetisse Solem non in speciem tantùm, sed reapse prodit; tantumdem & Liber Justorum retulisse credendus est. Si Liber Justorum miraculum narrat, narrat & Liber Josue; quorsum enim alterius ab altero testimonium alioqui peteretur? Porrò sola textuum inspectione opus est, ut de consonantia utriusque
D judicium feratur.

Facilis ego quidem concesserim, quædam esse apud Sacros Authores loca, ubi figuræ, exaggerationes, & poeticæ phrases occurrunt; sed contextus, ac tota rei gestæ narratio sacrorum Authorum sinceritatem, ac genuinam loci interpretationem in tuto ponunt. Post allegorias enim, & figuras ad planam & simplicem orationem regrediuntur, alteri sententiæ ab altera luce affulgente. Solent plerumque Scriptores viam parare figuris præcedenti aliqua oratione; nec nisi rarò contingit, ut figurata locutio diutiùs retineatur. Sunt etiam in figura voces, quæ cum ad literam reddi non possint, Lectorem cogunt aptum rebus sensum exquirere. Nihil simile in præsentiarum. Josue inclinare jam hostes cernens, Deum rogat, ut plenam sibi de illis victoriam permit-
E tat; tum ad Solem & Lunam conversus stare jubet, donec de hostibus suis exigat ultionem. Stetisse ad imperium Solem Sacer Historicus prodit: quò autem omnem ea de re dubitationem excutiat, Testimonium laudat ex libro Justorum. Demum rei gestæ narrationem ita claudit: *Non fuit antea, nec postea tam longa dies, obediente Deo voci hominis.* Quid requiratur ultra ad orationem simplicem, literalem rei gestæ historiam planè & sine figuris narrantem? Nihil fuisset magis præposterum, quàm ut eo in loco exaggeratio, & hyperbole reponerentur; quis enim Lector, quantumvis in-

(1) Vide si placet Dissert. Natal. Alexand. de admirabili statione solis imperante Josue.

genii acumine præstans, ab errore immunis abiisset? Si enim figuræ & metaphoræ plana hae simplici & æquabili oratione exprimantur, actum est de veritate.

Sola esset natura rei sivè supra fidem, sivè factu impossibilis, sive impiæ, sivè repugnantis, quæ nos posset ad allegoriam cogere: hæc enim regula à Patribus, & Interpretibus in expositione Scripturæ unicè proposita est. Sed in relatione Josue nihil est impium, nihil repugnans, nihil factu impossibile. Prodigium narratum, quod agentium quidem naturalium vires, non autem Dei virtutem excedit. Si verò semper ac prodigiosum aliquid naturæ leges transcendens occurrit, ad allegorias, detortasque interpretationes confugiendum esset, tum & miracula omnia in dubium essent revocanda, vel saltem excogitato ad arbitrium systemate, ad naturæ leges redigenda, quid esset io tota Scriptura salvum? Ita nec Moyses sicco pede Erythræum transfretasset, siccoque item pede Jordanem non transvadassent Israelitæ, oec mœnia Jericho spontè corruissent, neque tandem Christus Lazarum revocasset à mortuis, & sie de singulis.

Si Author Epistolæ ad Hebræos fidem suam obligasset referendis omnibus, ne uno quidem omisso, veteris Testamenti prodigiis, vel saltem si omnia retulisset, eo uno prætermisso, ejus quidem silentium magni esset ponderis ad prodigium removendum. Verùm scitum est in ea Epistola breviori quidem tractu obiterque prodigia quædam Patriarcharum deliberari, ut paucis relatis plurima omittantur. Ex rebus à Moyse insigniter gestis raræ referuntur; nihil enim de plagis Ægypti, ac de prodigiis in Deserto paratis. Josue ne nomine quidem Epistola illa memorat. Præterit Jordanis transitum, atque expeditionem in Terram Sanctam. Uno verbo, sicut immeritò prorsus revocarentur in dubium veterum Patriarcharum gesta, quòd scilicet ab eo Authore silentio premantur; ita nihil est cur ex eodem silentio invidia huic prodigio creetur; ac mirari subit Grotium hisce conjecturis credidisse.

Tota Scriptorum illorum hypothesis in luce quadam versatur, quæ Solis jam in occidente demersi vicibus fungens, ementira Solis specie Israelitas fefellit. Non satis autem inter eos de causa hujus luminis constat. Spinosæ visum est, radiorum reflexioni ejus rei causam tribuere, reflexioni, inquam, quam grandinis procella efficiebat. Grotius nubem statuit in horizonte, cujus objectu radii in montes propinquos reflecterentur; Peireirus, & Clericus quacumque tandem ex causa factum autumant, ut lux illa in viciniis Gabaon post solis occasum appareret.

Hypothesim hanc nihil moror, cum parelis, reflexiones radiorum Solis in certas Terræ partes, Sole etiam in Occidente demerso, numquam sine prodigio non pareant. Quid etiam est aliud Lunæ fulgor, quàm Solis radii objecto ejus Astri disco reflexi? Potuit autem, quod in Luna quotidie aspicimus, idem plane & objecto crassioris nubis contingere. Re tamen vera id factum negari, vel saltem nullam afferri posse tam firmam conjecturam defendo, quæ huic causæ accepto referat diem prorogatam in favorem Hebræorum. Quare nonnisi per summam audaciam hæc toiri ratio dubia prorsus, & incerta potuit, ut res certa & apertissimis expressa verbis destrueretur. Planè si res esset cum historia obscura, incognita, verbis ambiguis & variam interpretationem patientibus expressa, victas illis manus libenter darem; sed rem ancipitem, & hypothesim tantùm possibilem opponere, quando de re agitur notissima & evidenti, id sanè legibus bonæ fidei omnibus repugnare contendo. Docet Scriptura Solem A stetisse, Deum vero morigerum se præbuisse hominis imperio, diem illam præ cæteris omnibus, quæ ad id usque paruerint, longiorem fuisse, ut duplicis diei spatium æquaret. En factum omnibus characteribus expressum, cui Israel universus testis adfuit, & Josue, cæterique post illum ratum assertumque prodigium habuerunt. His ego monumentis tutus adversariorum conatus opperior. Populus, inquiunt illi, universus falsa ductus credulitate demersum jam in occidente Solem super horizontem vidisse sibi visus est; fieri enim potuit, ut Solis radii rei alicujus objectu refracti proximis Gabaonitarum montibus affulserint. Repono ego, nihil moratus propositam hypothesim, vix ac ne vix quidem fieri potuisse, B ut Solem sibi videre populus universus videretur, quem reapse non cerneret; quantumvis enim astronomiæ fuerit imperitus, non est tamen cur multùm Libri terantur, ut Sol in horizonte spectari possit, neque planè vigilantibus appareat, diem singularem duos vulgares dies æquasse.

Quin & falsa sibi persuadent Authores illi, qui Josue declinantem in occasum Solem continuisse asseruerunt. Namque Scriptura insinuare potiùs videtur stetisse Solem in ipso Cœli meditullio, cum scilicet cursum media sui parte tantùm confecisset. Summo enim mane Josue ad mœnia Gabaonis succedens, (noctem enim in itinere à Galgalis ad eam usque Urbem confecerat (r)), prælium in hostes inivit, eosque in fugam versos non C ad ascensum Bethoron tantum insequutus est, sed indè etiam procedens excurrit usque ad Azecam & Macedam. Cum hostes ad ascensum Bethoron pervenissent, immissa lapidum pluvia cælitùs oppressi sunt. In eo rerum articulo Josue ad preces conversus stationem Soli denunciavit, jubens simul ne Luna contra convallem Ajalon ascenderet. Locus igitur patrati à Josue prodigii inter Bethoron, & Gabaon constituendus est, Bethoron habens ad occidentem, Gabaon ad orientem. Definienda modò horum locorum distantia: quod enim Azecam & Macedam usque excurrisse Josue legitur, id sanè post Solis stationem, & pluviam lapidum contigit; ambæ enim Urbes remotiores sunt quam Ajaloo, & Bethoron.

D Gabaon urbs erat 40. vel 50. stadiis ab Jerusalem septentrionem versùs; Josephus enim Antiq. l. 7. c. 10. stadiis 40. ab ea urbe removet; sed de Bello l. 3. cap. 38. stadiis 50. idem spatium dimetitur. Solet autem 5. stadia pro singulis milliariis assignare, quare stadia 50. milliaria 10. vel leucas 3. efficiunt.

Bethoron inferior, (altera erat enim Bethoron superior, de qua nihil ad nos) in vicinis Gabaon & Ajalon sita, in via inter Jerusalem, & Cæsaream, 10. stadiis à Jerusalem distabat. Potuit igitur 5. leucis à Gabaon removeri septentrionem, & occidentem versùs. In edito loco constituta, teste Josepho, ascensui Bethoron item & descensui nomen fecit apud Josue 10. 10. &c. E Hostes igitur fugientes per ascensum Bethoron Josue insecutus est, eosque descendentes ex urbe lapidum pluvia Dominus corripuit, confecitque. Veritus autem Josue, ne prompta fuga sese ab ultione subducerent, sistere cursum Soli præcepit. Non igitur ultra quinque circiter horæ excurrerant, ex quo hostes in fugam ineunte mane versos Judæi insequebantur, oec Sol nisi mediam cursus sui partem confecisse poterat. Jussit proinde Josue ne Gabaoo propriùs accederet Sol, qui ex oriente ad eandem Urbem ascendebat, quæ pariter Urbs copias Israeliticas habebat occidentales.

Ajalon, de qua in eodem loco, *Luna contra vallem Ajalon*, ex Daniticis erat (2), sita ad occi-

(r) *Josue 10. 9. Irruit Josue super eos repente tota nocte ascendens de Galgalis.* (s) Josue 19. 42. & Judic. 1. 43.

occidentem Gabaon. Variant tamen Authores in assignando ejusdem Urbis situ, seu potiùs varias Urbes cognomines innuunt. S. Hieronymus Urbem hanc sitam perhibet non longè à Gabaon (1); & alibi illam collocat 2. milliar. ab Emmaus, qua parte Jerusalem spectat (2). Sunt ergo Gabaon & Ajalon à Jerosolyma æqua distantia remotæ, altera ad orientem, alia ad meridiem, seu inter meridiem & occidentem Josue. Quare ascendens Sol ex oriente ad Gabaon, stationem agere jussus est; sicut & morari cursum Luna convalli Ajalon imminens. Tunc autem ad occasum Luna jam vergebat; alioqui etenim manè & ante meridiem nunquam provectior quàm Sol apparuisset.

Ex his omnibus fusiùs deductis illud consequitur, nec diem adeò processisse, nec Solem in occasum inclinasse, cùm præcepto Josue stationem agere jussus est. Potest etiam non incongruè ad literam accipi testimonium Libri Justorum: *Stetit Sol in medio Cœli*. Apparet etiam, si Historiæ contextum sequamur, emensaque locorum distantia, quæ Israelitæ excurrerunt, tum & confecto ab illis post hæc gesta itinere, plurium adhuc horarum viam superfuisse. A Bethoron, Azecam & Macedam usque conficiendum illis erat iter ultra quatuor vel quinque leucarum, si fides sit Hieronymo Azecam 9. milliar. Macedam 8. milliar. septentrionem versùs ab Eleutheropoli removenti. Nam certior factus Josue (3), quinque Reges in antro Macedæ delituisse, obtrudi ingentibus saxis speluncæ aditum præcepit, ne quis ab urgendis hostibus detinerentur. Post hæc diutius adhuc exercitus Chananæorum fugientium vestigia premens cum palantes omnes cecidisset, Macedam reversus est. Ibi educti è spelunca Reges coram omnibus transfossi in patibulum aguntur, ubi ad vesperum usque suspensi, depositi demum in eadem spelunca conduntur. Istaec omnia brevissimo temporis spatio, quanto concedunt adversarii, præstari potuissent? An fortè parelium, sivè lumen ex refractis Solis radiis 7. vel 8. horis post occasum Solis diem prorogasset? Nonne qui hoc affirmaret, in eamdem incidisset Physices & Astronomiæ imperitiam, quam illi per summam audaciam Josue cæterisque Israelitis imputant? An fortè dicturi sunt, Sole jam in occidente demerso, favore luminis parelio, vel refractione radiorum inductos id præstitisse, ut à Bethoron Macedam usque; & longiùs ultra Israelitæ fugientes hostes insequerentur; ac deinde diù ante Solis occasum Macedam regredi potuissent? Sed quis, rogo, Sol ille Israelitis Macedam jam regressis occiduus? Tandem qualecumque communicantur illi reflexiones, & refractiones radiorum, Sol Antipodum hemisphærium illuminans, nonnisi pluribus succedentibus reflexionibus radios ad nos usque obliquare posset; quod sanè lumen plus nimio dilutum fuisset, quàm ut objecta Solis specie fallere posset aspicientes. Porrò hujus opinionis assertores causam ipsi suam produnt, Solem invehentes occiduum; quantò enim brevius conficiendum erat spatium Soli, tantò diei portio brevior restabat, tot agendis rebus prorsùs impar.

Sed reponet fortè aliquis: quid adeò urgebat Ducem, ut diem prorogari miraculo postularet, cum alioquin ejusdem diei tanta adhuc portio remaneret? Ut quid Sole nonnisi in meridie posito, cum defuturus dies rebus agendis nulla conjectura suaderetur, augeri diem postulat? Nonne tentari Deus ejusque clementiæ minùs fidere hæc rogans videretur? Cur miracula sine necessitate postulat? An vota & preces temerè exhibitas exau-

A ditum se Deus judicavit unquàm; cum maximè de re agatur mira prorsùs & inaudita, totamque naturæ œconomiam turbante?

Hanc Josue sollicitudinem, ut dies prorogaretur, cum nulla appareret hujus prodigii necessitas, non eam quidem sivè diffidentiæ ipsius, sive inani concepto timori tribui necesse est, sed studii potiùs ipsius in delendis Dei hostibus argumentum est apertissimum. Juvenili animi ardore, tum & virilis pectoris actus virtute, ingentis relatæ victoriæ fructum ne amitteret, sollicitatus est ut diem prorogari postularet, ne priùs adesset, quam ipse Divino operi finem imponeret.
B Deus qui pronis auribus vota ejus excepit, antea sanè vota illa in imo viri pectore formaverat. Spiritu enim Sancto, ut postularet, excitabatur. Certos autem fines virtuti, & Sapientiæ Divinæ præscribere, atque de singulis rerum articulis judicare, quibus cum brachii sui vim Deus exerere, vel continere debeat, audaciæ est nequaquam ferendæ. Quid opus fuit viam in mari aperire, ut sicco pede fretum populus trajiceret? Nonne planior fuisset via, si panico injecto terrore in exercitum Pharaonis totus dissiparetur, vel saltem si paulò contractiores aquæ redderentur, quàm solerent in Maris æstu, quo populus facilis transfretaret? Quid insuper opus fuit per medium Jordanis alveum arentem stratamque viam
C patefacere, vel mœnia Jericho dejicere? Nonne transvadari amnis posset, ubi aptius esset vadum, vel aquæ minores, & Jericho vi expugnari? O homo, quis est tu, qui velis rationem ponere cum Deo? Quis consiliarius ejus fuit, cui Providentiæ Divinæ abdita revelata sint? Nonne pronius esset & tutius, si nobiscum ita reputaremus: Docet Scriptura Hebræum Josue cursum Solis retinuisse: conducebat igitur ad Dei gloriam, ut prodigium illud patraretur. Si enim aliter res haberet sese, nunquam commissum fuisset ut fieret.

Quo id tempore anni contigerit, Scriptura licet silente docent tamen Judæi, Solstitio nempè æstivo (4), quarta die mensis Thammus, quarti anni Sancti, & Junio respondentis. Malunt tamen alii diem Dominicam mensis tertii destinare
D (5). Usserius, die & mense prætermisso, autumnum habet, autumnum nempe prioris anni introitus Israelitarum in Chanaanitidem (6), quinque vel ses mensibus post transvadatum Jordanem. Qua semel stabilita hypotesi, de longitudine ejus diei judicium ferre licet, si quod plerumque Scriptoribus (7) visum est, neque à Scripturæ Textu abludit, prodigium in meridie contigit: *Stetit itaque Sol in medio Cœli*. Quare si emensum diei spatium sol duplo auxit, dies illa 18. 20. sive 24. horarum periodo terminata est.

Judæus Author, *Schem-tob* i. e. Pulchrum, sive Bonum nomen, creasse Deum ea occasione autumat novum lucis corpus, cui Solis jam in occidente demersi vicarium munus committeretur in
E favorem Israelitarum, plenam de hostibus victoriam reportantium. David Kimchi, ejusque pater Joseph Kimchi lucidum illud corpus ipsam fuisse Lunam defendunt vicibus Solis ea occasione fungentem. Sed novi atque lucidi corporis prompta creatio, prodigium est nihilò minus operosum, quàm si Solis & Lunæ cursus sistatur. Si ergo minuendo prodigiorum numero ratio illa à Judæis initur, cur ad miraculum adhuc confugiunt? An fortè Scriptura imponere hominibus studeat, tot apertissimis phrasibus inculcans, stetisse solem, nec occumbere festinasse; occubuisse denique post depositos è patibulo quinque Reges, atque sepulturæ mandatos? De lucido hoc corpo-

(1) In Epitaph. Paulæ. *Ascendit ad Bethoron inferiorem. ... ad dexteram aspiciens Ajalon, & Gabaon.*
(2) In Locis. (3) Josue 10. 16. &c.
(4) Vide Rabb. in Seder Olam cap. 11. Genebr. Arias, Lyran.
(5) Serar. in Josue 10. quæst. 21. Bonfr. in Josue 10. (6) Usser. ad fin. anni M. 2553.
(7) Sedul. l. 1. Theodoret. qu. 13. Author de mirabil. sac. Script. l. 2. c. 4. Vide Serar. 21. in Josue x.

re ubinam, cedo mihi, in Scriptura sermo? Quid insuper eo opus fuisset, cum nulli hostes cædendi superessent, regrediente jam à cæde exercitu? Josue 10. 20. 21.

Huic nostræ sententiæ opponunt, 1. Prophanorum Authorum silentium, quos memorandum hoc prodigium penitùs latuit. 2 Rem esse Astronomiæ regulis repugnantem. 3. Si imperio Ducis Sol paruisset, ipsum imperii sui Ducem pœnituisset, cujus exercitus æstui longioris solis expositus adeò laborasset, ut nedum insequi hostes, sed neque resistere illis ultra potuisset. 4. si Josue eo inclaruisset prodigio, ipsi Moysi majori prodigiorum gloria præstaret; nec enim par à Moyse gestum est unquam: asserit autem Scriptura Deut. 34. 10.: *Non surrexit ultra Propheta in Israel sicut Moyses, quem nosset Dominus facie ad faciem, in omnibus signis, atque portentis, quæ misit per eum ut faceret in terra Ægypti Pharaoni &c.*

Sed hisce omnibus facile patet responsum. Quod ad Prophanorum silentium spectat, non est cur vehementer miremur; qui enim nostra ætate supersunt Authores, recentiores sunt, quàm ut vetustissimum hoc prodigium nosrere potuerint: excedit enim Josue antiquitate omnes Græcorum Authores, & tempus quod ipsi appellant historicum. Prodigium quidem adeò insigne, totique, qua latè patet, Orbi expositum nemo sanè ignoraverit; sed nunquid propterea posteritatis memoriæ in publicis monumentis transmittendum fuerat? Quota rerum maximarum pars nostra ætate intercidit? Fortè veteris historiæ monumenta hujus quidem prodigii memoriam servaverant; sed illis pereuntibus eam quoque interiisse necesse fuit; vel saltem sub ementitis fabularum velamentis tam altè occulitur, ut deprehendi veritas nunquam possit. Ita in fabulis proditum est de nocte duplo prolixiore, ut delitiæ Jovis cum Alcmena prorogarentur; & apud S. Augustinum de Civit. l. 21. c. 8. ex Varrone legimus de Veneris planetæ cursu, colore, & figura sub Regis Ogygis ætatem transmutatis. Unde vis illa Magis tributa apud Poetas, sistendi scilicet astra, nisi ex inducta persuasione id olim reapse executioni fuisse mandatum, nec Dei virtutem factum illud excedere? Lucanus Pharsal. l. 6.

Cessavere vices rerum, dilataque longa
Hæsit nocte dies: legi non paruit Æther,
Torpuit & præceps audito carmine Mundus.

Noctem illam, qua Ulysses (1) procos insequutus trucidavit, seque ipsum agnoscendum Penelopi præbuit, plus justo prorogasse Minervam Homerus fabulatur: apud quem pariter (2) Sol, cui nex suorum boum ab Ulyssis sociis indocta, gravius acciderat, minitatur denegaturum se deinceps Terræ lumen, Regno tantùm Plutonis illustrato.

Denique argumentum ex Authorum silentio deductum, omnium maximè imbecille habendum est; nisi fortè de Historico agatur, cui res fuerit explorata, qui innuere de illa aliquid ex instituto teneretur, ejusque scripta omnia supersint, ac tandem in ejus scriptis quædam legantur rebus silentio pressis planè repugnantia. Absunt verò hæc simul omnia à prodigio Josue. Authoribus enim prophanis neque de illo quidquam debuit innotuisse; neque si nollent, memoriæ tradere cogebantur; nec tandem omnia eorum scripta ad nos pervenerunt: si quæ autem servata sunt, hæc sanè nihil habent veritati ejusdem prodigii repugnans. Non est igitur cur eorum silentium alicujus esse momenti credatur.

Ad hæc, si naturalis æquitatis rectæque rationis, tum & cujusdam juris gentium ratio postulat, ut in historiis singularum gentium atque regionum iis potissimùm fides habeatur Historicis, qui ad eam gentem & regionem spectantes, avitarum rerum cognitione præ cæteris omnibus instructi censentur; cur Hebræis sua narrantibus refragemur, cum maximè in eorum scriptis tot appareant sinceritatis & sapientiæ characteres, etiam inspiratione Divina posthabita, quæ superiorem cæteris omnibus authoritatem illis conciliat?

At enim prodigium illud facto est impossibile, omnibusque Astronomiæ regulis repugnat. Quod etiam si contigisset, nihil Judæis commodi, plurimùm attulisset incommodi; insueto enim æstu lassati nedum hostibus insistere, sed neque resistere valuissent. Sed esto omnia, addunt, è re Judæi succederent, quæ prodigii fuit necessitas? Ita planè Adversarii, quorum si argumenta constarent, utique prodigium omne negare non inviti cogeremur. Scitum est enim Deum sibi planè repugnare, ac constitutas à se leges infringere nec velle unquam nec posse; sicut nec prodigia multiplicanda unquam, cum & sinè prodigio æquè obtineri finis possit, Divina semper Sapientia id præferente, quod planius est & simplicius. His tamen ratis manentibus principiis, salva tamen manere simul ea, quæ ad prodigium pertinent, defendimus. Nihil in illo repugnans, nihil Deo factu impossibile. Qui enim Astris omnibus è nihilo prodire jussis, motum singulis peculiarem impressit; eorum ille continere cursum ad arbitrium non poterit? Cum Dei voluntas ipsissima sit rerum omnium natura; potest utique Deus, cum è re sua esse intellexerit, & ad motum singula impellere, atque dum maximè volvuntur, retinere. Nobis fateor res videtur difficilis, sed numquid proinde quando difficultatibus obvolveretur, non in speciem tantum, sed reipsa validis, ut aciem ipsam humani intellectus retunderent, fidei authoritatem sivè excutere nos, sivè conquisitis ratiunculis eludere par esset? Deo prona sunt, quæ etiam cogitantibus nobis impervia Vide Augustinum de Civ. Dei l. 21. c. 5. n. 3. & c. 7. n. 1.

Prodigia divinitùs facta alterius naturæ sunt à rebus communibus & naturalibus; hisce enim postremis intelligendis per constitutas Physicæ regulas, ac cæterarum rerum, quas habemus exploratas, analogiam nitimur. In prodigiis autem id præstandum, ut quantum illa à præscriptis naturæ regulis exorbitent, intelligamus, simul etiam demonstrantes, ex spectata ad regulas extraordinarias cohærentia factu esse possibilia, quæ Deo tantùm authore gesta sunt. In eo planè hypotheses omnes prodigiis explicandis excogitatæ versantur. Ita e. g. concipimus Deum valido quodam vento immisso continens freti æquor diffidisse, tum & diffisas ondas naturali fluiditate exspoliasse, ut veluti in glaciem concretæ ad utrumque latus immotæ persisterent. Moysis virgam in anguem transmutatam conjectamur ex resoluta priùs ligni materia, ac deindè in anguem coagmentata. Res sanè nec factu impossibilis est, ut aeris validiori impressione cedentes undæ in glaciem concrescant, quemadmodum hyemali tempestate accidere videmus; sicut neque lignum in alterius rei naturam transmutari: sed hæc promptè fieri & nullo agentis naturalis ministerio interposito, id planè regulas naturæ omnes excedens, prodigium constituit. Ita in rem nostram philosophari oportet: corpus motu aliquo agitatum, immotum tandem manere, id nequaquam mirum videbitur; quod autem nemine obstante à cursu retineatur, id sanè Divino prodigio deputandum est. Modo id superest demonstrandum, Solis stationem nihil habere naturæ legibus repugnans, quamvis longè illas excedat.

Systemati, quod circa terram in centro Mundi constitutam Solem & Lunam torquet, illud commodi accedit, quod & Scripturæ verbis præ cæteris cohæreat, & planius atque ad populi captum magis accomodatum sit. Illud sibi Scriptores Sacri præstituunt, cuilibque alteri Judæi jam inde ab exordio assueverunt. In ea igitur persuasione tum & Josue loquutus est, cum & Judæi Solis stationem spectarunt. Porrò in ea rerum constitutione prona sunt & plana omnia; Sol & Luna simul eodem tempore steterunt, quic-

(1) Odyss. 235. 242. 243. (2) Odyss. 12. 5. 382.

quieſcentibus interim cæteris Mundi partibus, veluti in harmonia optimè conſtituta. Quies illa, & ſilentium aſtrorum in Mundi harmonia nihil planè turbavit; intermiſſum enim curſum omnibus deinde ſimul reſumentibus, ad veteres functiones redierunt.

Verùm Paganorum Philoſophi ſimplex illud ac populare ſyſtema de terræ quiete atque Solis motu, adeò extraneis ſyſtematibus, variis aſtrorum motibus explicandis, inferſerunt, ut & phænomenon illud, de quo in præſentiarum eſt ſermo, multis difficultatibus implicarint. Nec erat ſanè, cur illi Divinarum Scripturarum authoritatem nihil morati, multùm laborarent ut opinionum ſuarum placita cum ipſis Scripturis conciliare ſatagerent. Statuerunt igitur Solem, Lu- B nam, ſtellaſque fixas omnes impreſſo ſibi à firmamento motu ex occidente in orientem torqueri; cui geminum alterum in ſtellis fixis junxerunt motum à primo mobili communicatum, quo ſcilicet ex oriente in occidentem rapiebantur. Singulis hiſce ſtellis, ſicut & Soli, Lunæ, ac Planetis ſingulos Cœlos attribuunt; illud etiam addentes inſitum adeò eſſe ſingulis motum, ut motu intereunte interiiſſe etiam ipſa Cœli corpora neceſſe ſit: ea namque ſimul omnia adeo colligantur, ut alterum ſine altero ſtare non poſſit. Denique in ea ſunt ſententia, ut ſi fortè accidiſſet unquam Cœleſtia corpora ſemel quieſcere, tunc rigor & ſtupor ſublunaria omnia inceſſeret, eaque rerum turbatio ſequeretur, quæ primi- C genium chaos reduceret.

His ſemel perperam an ſecus conſtitutis, ſexcentis cavillis noſtri prodigii fidem in dubium revocare nituntur. Quibus depellendis tenebris, perperam ſanè offuſis, pluribus fuit laborandum, quò ſcilicet difficultates ſolverentur, ex conficto ad arbitrium ſyſtemate deductæ. In hanc rem aſſignatæ ſunt ſingulis aſtrorum motibus Intelligentiæ quædam, Solis & Lunæ motum repreſſuræ, conatibus aliorum Cœlorum mira quadam, & Cœleſti vi reſiſtentes. Tandem ſeriò allaboratum eſt conciliandæ hiſtoriæ Sacræ cum ſyſtemate, quod merè ad arbitrium invectum nulla niſi Philoſophorum, à quibus inductum eſt, authoritate fulcitur.

Non defuerunt, qui conquiſitis ratiunculis de- D monſtrarent, Solem, ſi fortè ſtationem agere coactus fuiſſet, diem nedum non prorogaturum, ſed & multò breviorem redditurum. Nullo negotio ex Ptolemæi ſyſtemate rem demonſtrant. Sol, inquiunt illi, ſuum habet inſitum motum ex Occidente in Orientem, ſolidi anni periodo terminandum; rapitur autem ſimul 24. horarum ſpatio ex Oriente in Occidentem, primo mobili contra inſitam à natura inclinationem parere coactus. Quare ſi fortè aſtri motus ex occidente in orientem ſuſpendatur, in contrarium à primo mobili raperetur, ſimulque citiùs ſingulis diebus occideret, ea itineris portione, quam ſingulis diebus inſito motu percurreret, nempè trecenteſima ſexageſima quinta portione ſui curſus. Ita dies Joſue non tantùm cæteris diebus prolixior non fuiſſet, ſed & à cæteris vinceretur. Huic occur- E rendo incommodo motum continuiſſe omnium ſimul corporum Cœleſtium opus fuit; quod ſanè prodigium plus nimio, quàm Scripturæ verbis cogamur, exaggeravit.

Philoſophi recentiores novò fabricato ſyſtemate novis etiam explicationibus phænomenon illud expoſuerunt. Rati itaque terram circa immotum Solem torqueri, ſtetiſſe terram, non Solem, imperio Joſue autumarunt. Cum verò, inquiunt, Scriptura vulgarium captui accommodare ſe conſueverit, ac rerum naturalium ſpeciem, non rem ipſam ſectetur; factum inde, ut ſtetiſſe potius Solem, quam terram perhibeat. Eadem cautione ſolet quandoque ſenſum aſtris, intelligentiam

A brutis, Deo paſſiones, ſpiritibus corpora tribuere. Addunt inſuper, literalem ejus hiſtoriæ interpretationem magis futuram abſurdis, & incommodis obnoxiam, ac denique perinde eſſe ſive Sol, ſive terra ſtare dicatur, eodem ſemper effectu contingente. Porrò ſyſtema iſtud noſtra quidem ætate vulgò apud Doctos tanquam hypotheſis admittitur, eoque ſimul omnia noſtri phænomeni ſalvantur. Sed duplici incommodo adversùs illam deducto occurendum eſt; 1. ſnatans in turbine Solis terra, ejuſque motu verſata, vix eſt, quòd ſubitò perſiſtat immota; nec modico id temporis ſpatio fieri poteſt, ut terra illa velut aggerem ſeſe opponat materiæ Solaris torrenti, qui toto impetu in illam rapitur. Præſtaret igi- B tur, Solem unà cum terra, quin & omnia inſuper corpora Cœleſtia, quæ eodem cum Sole turbine feruntur, ſiſtere. Sed in immenſum tunc multiplicari prodigia nulla neceſſitate cogeremur, quod ſanè alteri ſyſtemati invidiam creare ſupra animadvertimus.

2. Si terra in vortice Solis immota inſitum ſibi motum circa proprium centrum ita continuiſſet, ut communi motu intra materiam ſolarem ageretur, ſolemque ſemper ex eodem latere ſpectaſſet, illud conſequutum fuiſſet incommodi, ut longioris diei æſtui expoſitus Judæorum exercitus, vix, ac ne vix quidem ferre ardorem potuiſſet. Adeò enim incaleſcere terræ portionem illam ſub torrida Cœli plaga poſitam contigiſſet, C ut calore ambuſti homines & bruta deceſſiſſent, abſumerentur plantæ, omnia in vaporem abirent. Ecquid eſt aliud incendium Phaetontæum in Mundum invehere?

Hoc quidem poſtremum incommodum adverſus omnes æque ſententias valeret, cui tamen duplici ratione occurrimus. Solem ſtare potuiſſe credimus, cum ſuper horizontem modicè adhuc elevatus vim omnem ſuam non adeo explicaverat, ac plena meridie; quantum enim à meridie ſol abfuiſſet, tantum ea occaſione æſtus remitteretur. Quantum autem ex contextu Scripturæ intelligimus, aberat adhuc à meridie Sol, cum ſtationem agere juſſus eſt. 2. Immodicus licèt & minimè ferendus calor nobis habeatur, non idem tamen judicium ferendum eſt de populis in ardenti climate enutritis, ſummi æſtus aſſuetudinem D patientibus. Experimentum in nobis ipſis capere ea de re licet. Si fortè diem aliquam æſtivam duplo prorogari, & meridianum Solis ardorem aliquibus horis perſeverare contingeret, iis affligeremur incommodis, quę inducenda olim ſub Joſue jactantur? Elapſis nuper annis gravioris ſolis inclementiam, quantam alia nulla in Orbe loca, majorem experti ſumus; nec tamen ea toleravimus incommoda, quæ fortè aliquis timuiſſet.

Ad ſecundum illud incommodum quod ſpectat, fieri nempè vix potuiſſe, ut ruentis materiæ impetum terra immobilis ſuſtineret, reponendum, 1. Id quidem cæteris omnibus, non Deo factu impoſſibile: poteſt enim Deus ad arbitrium effectus naturales corporum ſuſpendere, quæ ſcilicet ipſiſſima eſt prodigii natura. 2. Ut terra immobilis in vortice Solis ſiſtatur, ſuo etiam Soli E cæteriſque aſtris motu relicto, ita materiæ Solaris motus contemperandus eſt, ut æquo ſimul impetu ſupra & infra terram feratur; ita enim fiet, ut fluxuum inæqualitate ceſſante (per quos altero rapiente, altero aliquantò remorante terra torquebatur) æquabili motu circa Solem acta immota ſimul in ſuo centro conſiſtat. Nihil hìc legibus naturalibus repugnans, quanquam inſuetus iſte materiæ ſolaris fluxus conſuetam naturæ rationem non ſequitur; quare prodigium eſt apertiſſimum.

Id unum tantummodò ſupereſt, quòd nullum ex huc uſque adductis Syſtematibus ſatis convincit, qui ſcilicet fieri potuerit, ut exercitus totius noctis itinere feſſus, & cædere

tota

tota die hostes, usque fugientibus insistere 18. A sivè 24. vel etiam juxta aliquos 36. horarum spatio sufficeret? Si verò Israelitæ curando corpori, reficiendis viribus, ciboque capiendo (1) desistere ab armis coacti sunt, quid protogare prolui? Si verò nunquam ab armis cessatum est, quomodo insuetum laborem tulerunt? Non defuerunt inter Patres, qui crederent Hebræos tota illa die inediam prorogasse (2): quod non sinè novo miraculo factum esset, Deo scilicet lassi B atque laboribus confecti populi vires reparante, vacui stomachi molestia temperata. Malumus tamen, prodigio indulgentes, exercitum de more illorum temporum commeatu suo oneratum fugientes hostes insequutum credere. Quare simul & persequi hostes, & cibo curare corpora poterant; singulis opportunum ad eam rem pro data occasione tempus captantibus. Ne cibo reficeretetur exercitus, nunquam caverat Imperator, at- C que singularium militum mora per data intervalla nihil totius exercitus iter retardabat. Scitum est, Philisthæos insequentem Saulem (3) inediam sub capitis interminatione edixisse, quæ Regis jussa tanquam intempestivè lata Jonathas reprehendit, quòd refectis cibo viribus meliori successu fugientes hostes insequi exercitus valuisset.

Quæ postremo loco in nostram sententiam objecta sunt de Moysis supra Josue præstantia, vix cum veritate tanti prodigii, quale nos agnoscimus, cohærente, hæc quidem alicujus essent momenti, si ut in prodigii gloria, ita & in cæteris præstare Josue contenderemus. Quid est autem incommodi, si in singulari tantùm prodigio majorem, in reliquis verò omnibus inferiorem habeamus? Nonne Elisæus prodigiorum gloria Eliam vicit? Apostolorum signa majora habita sunt quàm Jesu Christi quædam. Quæ Deus hominum ministerio operatur, prodigia minora sunt, quàm ut ex illis certum aliquod de hominum præstantia deducatur judicium. Quando igitur Moyses minori quadam prodigiorum gloria præ Josue claruisset, semper tamen illum & merito suo & dignitate præcedit. Quid est tandem, rogo, quod prodigium auget, minuitque? an ejus patrandi quoad nos difficultas major? Hæc sanè in omnibus æquè prodigiis valet; æquè enim omnia vires nostras superant: quod autem vires excedit, varium licèt & diversum, pro eodem tamen habetur; quemadmodum & de infinito atque æterno constat. An verò Dei virtute magis præstat Josue prodigium, quàm Mosaica? Hæc sane nonnisi per summam impudentiam, nec sine errore prorsus dicerentur; Deo enim æquè omnia prona sunt.

DISSERTATIO

DE PLUVIA LAPIDUM IN CHANANÆOS.

Ad Josue 10. 11.

POst initum à Josue prælium cum quinque D Regibus Chananæis Gabaonem obsidione prementibus, actos in fugam hostes Bethoron versùs insequutus est. Cùm ad Urbis descensum pervenissent, *Deus*, inquit Textus sacer, *misit super eos* (nempè Chananæos) *lapides magnos de Cælo usque ad Azeca: & mortui sunt multò plures lapidibus grandinis; quam quos gladio percusserant filii Israel*. Hæc Scripturæ verba negotium sacris Interpretibus fecerunt adeò, ut in varias abeuntes sententias, alii quidem de procella grandinis alii, de procella lapidum dictum exposuerint Hoc Dissertationis hujus nostræ argumentum est.

Receptior inter Expositores sententia tenet, Deum (4) fugientes Chananæos oppressisse ingenti grandinis procella, quæ valido delata vento in miserorum capita devoluta est. Favet in- E terpretationi Textus, in quo post narratam lapidum pluviam, *Misit super eos lapides magnos*, tum additur, quasi luculentioris expositionis gratia: *Mortui sunt multò plures lapidibus grandinis, quàm quos percusserant filii Israel*. Septuaginta geminum hunc Textum reddunt, *Lapides grandinis* (5). Suffragatur Author Eccl. 46. 6. *In saxis grandinis virtus valdè fortis*. Et alibi cap. 43 16. tanquam Divinæ virtutis argumentum affert illud: *In magnitudine sua posuit nubes, & confracti sunt lapides grandinis*. Ex quo animadvertere juvat, solemni Hebræorum phrasi grandinem lapidum nomine, vel *lapidum grandinis* exprimi, quemadmodum & pro glebis (6) *lapides luteos*, & pro plumbo erigendis ad libellam muris *lapidem stanneum* (7) usurpant. Iis, qui malè compactum murum ædificant, eumque terra sine paleis oblinunt, Ezechiel 13 11. 13. denunciat, cùm valido ventorum turbine pluvia corruerit, & ingentium lapidum procella ingruente ædificium lapsurum. Luculentior Isaias 30 30. immissurum in Assyrios Deum minitatur *turbinem & lapidem grandinis*, quibus allidantur. Ezechiel Domini judicium in Gog prænuncians c. 38. 22., animadversurum in illum ait lue, sanguine, pluvia vehementi & *lapidibus immensis*; sulphure insuper & igne è Cœlo demissis. Aptè proinde historia Judicum de procella grandinis in cædem Chananæorum sæviente exponitur. Præter grandinem addunt Prophetæ Abacuc 3 & Josepus Antiq. l. 5. c. 1 tonitrua, fulgura, & imbrem, quæ in Textu Josue desiderantur.

Opposita huic sententia, quæ de pluvia lapidum ad literam Textum interpretatur, neque suis deficit conjecturis, neque eruditissimorum Authorum suffragio. Masius, Grotius, Bonfrerius, Gerardus Joannes Vossius de Idololat. l. 1. c. 26., aliique nonnulli in eam rem conveniunt, tanquam unum ex prodigiis Dei Israelis historiam illam reputantes. Eam statim ideam verba Textus ingerunt; quod autem subditur de grandine lapidum ad superiora illa referendum videtur, nimirum ad lapides, quibus Chananæi confecti oppressique sunt. Neque de nomine *grandinis* adjecto lapidibus solicitos nos esse oportet, cum usurpari illud commodè potuerit de furiosa lapidum procella, quæ tanquam grandinis turbo in caput miserorum insonuit. Ita pariter reddi possunt verba Ecclesiastici, Isaiæ,

(1) Justin. in Dialog. cum Tryph.
(2) Tertull. l. de Jejunio c. 10. *Jesum Nave debellantem Amorrhæos, prandisse illa die existimamus, qui ipsis elementis stationem imperavit?* Hieron. lib. 2. contra Jovinian. *Jesu Filius Nave stationem imperavit Soli & Lunæ & inedia plusquam unius diei victoris exercitus protelavit*. (3) 1. Reg. 14. 24. 25.
(4) Vide Joseph. Antiq. l. 5. c. 5. Iur. Menoch. Tir. Dionys. Carth. Tost. in Josue 10. q. 9. Salian. Vatabl. Cleric. Alii. (5) 70. λίθοι χαλάζης Hebr. אבני ברד
(6) Eccl. c. 22. 1. *In lapide luteo lapidatus est piger*. (7) Zach. 4. 10. *Videbunt lapidem stanneum in manu Zorobabel*.

Isaiæ, & Ezechielis, ficut & familiari fermone paffim ufurpare folemus: Deturbata eft in miferum lapidum, ictuum, fagittarum grando. Porrò fi grandinem tantummodò vulgarem fignificare voluiffent Prophetæ, quid opus fuiffet hac verborum granditate rem familiarem exprimere? Negotium hic tantùm facit genus, & natura lapidum, qua illi ratione concreverint &c. quod in præfentiarum nobis difcutiendum fupereft.

Lapidum imbres non ita naturæ vires fuperant, ut continuò ad prodigium referendi fint. Moyfes Deut. 28. 24. pluviam quandam pulveris, & arenæ à Domino immittendam in populum refractarium denunciat: *Det Dominus imbrem terræ tuæ pulverem, & de Cælo defcendat fuper te cinis, donec conteraris*. Exempla rem produnt. Accidit non raró, ut in infuetis terræ concuffionibus, ventis intima terræ quatientibus, pulveris, & arenæ nimbus in Cœlum efferatur, inde verò in fubjecta arva recidens fpiritum animalibus intercludat, agris fterilitatem inducat. Id contigiffe ferunt juxta vicum *Tripergola* in Italia anno 1538. ubi validis fuccuffionibus agitato folo, fubito nimbo obductum Cœlum lapidibus & pulvere pluit; poft biduum novus creviffe mons in medio lacus *Lucrini* fpectatus eft (1). Majora ejus generis prodigia anno 1707. narrantur; nova enim Infula ex imo maris emergens in Archipelago, ftupente ad prodigium Europa, apparuit. In Relationibus ejus phænomeni legimus ante plures dies velut ingentes pilæ bombardæ ftrepitus exaudiros fuiffe, tum plures ignitos lapides in aerem ad immenfam altitudinem ejaculatos, proprio deinde pondere recidentes, in fubjectum veluti accenfos pulveris radios pelagum, & in omnem latè agrum fpatio ultra quinque millia cirtum recidiffe. Ad hæc ater nigerque fumus, cinereo quodam furfure teter attollebatur, ita craffus, ut vix à recurrenti aere diffolveretur; qui tandem validis ejufdem aeris concuffionibus paulatim diffectus, in pulverem tenuem abibat, indeque veluti niger efformatus imber in fubjectas terras ita exonerabatur, ut totum folum obduceret. Interdum cum fumo juftæ magnitudinis lapides igniti intorquebantur, adeò ingenti copia, ut non femel tota brevis Infulæ facies tegeretur.

Romani, quibus monftri loco habebatur, fi quando Cœlum lapidibus pluiffet, ejus rei exempla plurima in fuis hiftoriis fervarunt. Sub Tullo Hoftilio (2) renunciatum eft, in Urbe lapidibus fuper montem Albæ pluiffe; res fabellæ loco primùm accepta eft; nunquam enim memoria hominum fuerat auditum, de Cœlo lapides demiffos; dein certi homines legati funt, ut rei veritatem explorarent; renunciarunt illi: *haud aliter, quàm cum grandinem venti glomeratam in terram agunt, crebri cecidere de Cælo lapides*. Temporis fucceffu prodigium illud familiare redditum eft, ut veluti in re frequenti minùs ad illam horrerent (3). Similis pluviæ exemplum extat apud Authorem belli Africani cap. 47. *Nimbus cum faxea grandine fubito exortus eft ingens.*

Aliquanto poft prælium Cannenfe, bidui fpatio in eodem Albæ monte, fimile imbris prodigium innovatum eft. Paria alibi leguntur veluti Ariciæ (4), Capuæ, Romæ, Lavinii, Amiterni, in Marchia Anconitana, & alibi. Interdum ignei lapides Cœlo cadebant, interdum glebæ, interdum vulgares lapides. Hæc autem adeò explorata funt, publica, & fingularibus rerum eventibus confirmata, ficut & præftantiffimorum Scriptorum fide, & copia afferta, ut non fine temeritate negarentur.

Quod autem fupra fidem videretur illud eft, nimirum non imbrem tantùm lapidum, terræ, atque arenæ è Cœlo decidiffe, fed etiam ingentium lapidum moles varias diutiùs per aerem jactatas, tandem fuiffe præcipites.

Plutarchus in vita Lyfandri fufiùs narrat hiftoriam lapidis fulminei, olim in fluvium Ægos in Thracia dilapfi. Anaxagoras Philofophus, qui in ea erat fententia, Solem ingentem effe lapidem igne cadentem, futurum prædixit, ut lapis ifte e reliquo faxo avulfus corrueret (5); Damacus animadvertit (6), folidis illis 75. diebus, quot à reddito Anaxagoræ oraculo, ufque ad lapidis lapfum intercefserunt, aeris faciem flammeum quemdam nimbum occupaffe, in varias hinc inde partes variè agitatum; ex eo verò fubinde lapidea quædam fruftula veluti favillas avulfa, tamquam ftellas erraticas ex uno in alterum locum actas; corruentem tandem lapidem deferbuiſfe ab igne, imminuta quin etiam plurimùm faxi mole. Ariftoteles Meteorolog. l. 1. cap. 7. fufpicabatur lapidem illum è faxo aliquo, vel monte vi ventorum avulfum, atque in aera fublatum, poft varias hinc indè tum infiti motus tum & aeris agitationes corruiffe tandem juxta Anaxagoræ Oraculum; quam ejus opinionem vix probari fibi Plutarchus fignificat, cum juxta Damacum [illegible] lapis 75. dierum [illegible] fuftentaretur. Plinius æquaffe illum ait mole vehiculum, colore autem fuiffe atro, & adufto (7); illum verò narrat ad fuam ufque ætatem tanquam infigne aliquod Religionis monumentum fervari.

Malchus in vita Pythagoræ refert, Philofophum illum in Creta expiatum fuiffe, lapide fulmineo in eam rem adhibito. Deus Elagabalus nihil erat aliud, quàm lapis fubniger è Cœlo dilapfus. Comes Marcellinus anno Chrifti 452. tres ingentes lapides è Cœlo in Thraciam deturbatos narrat. Anno 1492. die 7. Novembris mixtus cum grandine ingens lapis, quem nos oculati teftes in Ecclefia Paruchiali Enfishem in Alfatia fpectavimus, decidit; fluviatilem lapidem nec exiguum refert, fubnigrum, & veluti igne aduftum, inæquali, & afpera fuperficie, qua veluti fruftula fuiffent avulfa; pondere effe narrant circiter 300. librarum. Vide Gefnerum, & Anfel. de Boot hift. lapid. & gemm.

D. Gaffendus in Lib. 10. Diog. Laert. de Meteor. Epicur. &c. narrat, die 29. Novembris anni 1637. circa horam decimam matutinam læto & fereno aere, cum fortè duo viri in agro effent fuper imminentem Varfonis montem fitum inter Urbes Guillelmum, & Sedunum, ingentem ignitumque vidiffe lapidem in medio aere fufpenfum; tum auditi ingentes veluti è tormento bellico ftrepitus, duo potiffimum, quorum alter altero horribilior. Vifus deinde circa petram circulus multicolor, diametro circiter quatuor pedum. Volitavit autem lapis 100. circiter paffibus à Viris diftans, fupra terram circiter 5. perticis elevatus. Sibilus comitabatur volitantem, ei fimilis, quem ignitus accenfus pulvis refert, tum & odorem fpargebat veluti adufti fulphuris. Tandem in terram decidit 300. circiter paffibus ab iis viris, qui rei eventum fpectabant, non finè aliquo veluti è bombarda ftrepitu, atque fumo lætam Cœli faciem obfcurante. Concurrentes ad ftrepitum ex adiacentibus regionibus incolæ fpatium viderunt diametro circiter 5. pedum liqua-

(1) Montfauc. Diar. Ital. cap. 21. pag. 318.
(2) Liv. L. 1. decad. 1. pag. 12.
(3) Vide Liv. l. 25. pag. 264. Idem l. 30. pag. 395. & lib. 34. pag. 416.
(4) Liv. l. 22. pag. 220. & l. 31. pag. 428. & alibi paffim. Vide & Appian l. 4. belli Civ. & Aug. l. 3. de Civit. cap. 31
(5) Diogen. in Anaxag. Vide Not. Menag. in Laertium.
(6) In lib. de Relig. apud Plut. dicto loco.
(7) Plin. l. 2. cap. 68. Qui lapis etiam nunc oftenditur magnitudine vehis, colore adufto.

liquatis nivibus distinctum, in quo fossa pede lata, atque tribus pedibus profunda aperiebatur. Jacentes circum lapides vi caloris in calcem redacti spectabantur, atque in imo fossæ delapsus lapis inventus est paulò vitulino capite minor, & humano non absimilis, pondere 54. librarum, colore verò fusco, extrema duritie. Servatur adhuc Aquis Sextiis in Provincia. Fusiùs singula describere visum est, ut tutiùs infra tum de hoc phœnomeno, cum de pluvia lapidum disseramus.

Anno 1510. (1) in agro non longe ab Abdua grando lapidum 1200. numero, odore sulphureo, & duritie extrema cecidit. E' nimbo flammeo ante duas horas in Cœlo versante dilapsi sunt, quorum unus in statera pondus reddidit 120. librarum, alter 60.

Ex *Ceraumis* seu lapidibus fulmineis, de quibus agit Anselmus de Boot in hist Lapid. & Gemm. cap. 261., aliqui inter Curiosorum Cimelia servati asciæ formam, alii vomeris, mallei, maleoli, cunei referunt. Quod ad rem spectat, genus creduntur focarii lapidis; colore variant. Forulis autem instructi quibusdam plerumque non casu sed de industria, uti quidem suspicari licet, factis, & manubria quondam habuisse sua, & in varios agrestium usus adhibiti videntur.

E nubibus cum fulgure displosi lapides illi vulgò creduntur; sed multò ad rem propius in usus veterum Barbarorum tum bellicos tum domesticos agrestesque addictos autumant Eruditi. Scitum est enim consuevisse olim Veteres, solido quodam lapide & ferè impenetrabili tum cultros, cum arma conficere. Æthiopes apud Herodotum l. 7. c. 69. præduro quodam lapide & sagittas armabant, & sigilla insculpebant. Foramina lapidum in loco, ubi manubria erant inserenda, variis olim usibus servisse argumento sunt apertissimo.

In vico quodam Normandiæ, cui nomen *Conquerelle*, tumulus veterum Barbarorum anno 1685. (2) detectus est, in quo positæ super capita defunctorum asciæ ex præduro lapide, ac colore variæ, inventæ sunt; nihil autem illæ à Ceraunis erant absimiles.

Assueta sub fabularum velamentis vera celare vetustas refert, Herculem suscepta in filios Neptuni expeditione, lapideam grandinem à Jove impetrasse, qua in hostes deturbata omnes oppressi sunt (3). Hujus fabellæ non aliam facile historiam quæras, quàm quæ de Josue in Scriptura narratur; filii enim Neptuni aptissimè Chananæos sivè Phœnices commercio & navigationi deditos designant. Solemni Scripturæ phrasi filii maris, terræ, arcus non alios designant, quàm navigationibus, cultui terræ, jaculationibus addictos viros. Herculis nomen multis insignibus viris commune est; vel saltem res à multis præclarissimis viris insigniter gestæ, quidquid insuper memorabile habebat vetustas, hæc in Herculem collecta sunt. Factum indè, ut in unum eum virum ea simul convenisse deprehendantur, quæ de Moyse, Josue, Samsone &c. memoriæ mandata sunt.

Nuclei fulminei genus esse lapidis creduntur, facilè a nostro argumento non alieni. Nucleus enim iste materia quadam constat sulphurea, & nitrosa ex terræ halitu in nube rorida constipato varièque subacto & agitato. Ejusdem naturæ partes coeuntes in corpus solidissimum constringuntur, quod agitatione & compressione nubis ignescens, in liberiorem aerem disjecto nubis sinu, qua facilior via est, evadit. Accidit autem brevi (quandoquidem ex sulphurea & nitrosa materia totus constat, paucis terræ & crassioris materiæ, ignis vim retundentis, partibus admixtus) ut totus abeat in flammas, atque postquam erravit in libera aeris regione diutiùs, veluti accensi pulveris radius nihil post se relinquat, nisi odorem, fumum, & colorem quemdam adustum in locis à fulmine tactis. Huc spectare facilè potuit Ezechiel in loco supra laudato, ubi de *lapidibus Gabisch* (4) vel pyropi, quæ gemma est colore & fulgore igneo.

Aliud est genus lapideæ pluviæ naturale, rarissimum tamen; cum nempè lapides è petra aliqua in editis montium jugis divulsi, in aera, ventorum vi sublati tolluntur, ac deinde vento residente innato in terram pondere deturbantur. Id in nostris quidem regionibus inusitatum, frequenter spectari narrant Itineraria in quibusdam Africæ tractibus, ubi procellæ familiares. Cum Persæ ad Templum Delphicum diripiendum venissent, furens subitò imbrium procella, & fulmina simul & lapides è petris avulsos intorquens, in sacra impiorum capita ingruens, tanta in illos cæde sæviit, ut exercitum dissiparet atque deleret. Ità Diodorus (5). Paria accidisse Persis violentas manus in direptionem ejusdem Fani injicere volentibus, Pausanias est author l. 1.; lapides, inquit ille, montis Parnassi, vi procellæ avulsi, in Gallorum capita recidentes miserè attonitos opprimebant. Hanc lapidum avulsionem non procellæ furenti, sed terræ succussioni violentæ tribuit Justinus Lib. 24. ad *finem*. *Præsentiam Dei & ipsi statim sensere; nam & terræ motu portio montis abrupta Gallorum stravit exercitum.*

Hæc lapidei imbris exempla succurrunt; restat modò ut genus determinetur, quod potissimum retulisse lapidea grando sub Josue, nostra quidem sententia, visa est. Porrò ex iis, quæ de lapidibus fulmineis supra digessimus, facilè Lectores intellexerint, omnia ad fabulas potiùs, quàm ad historiam amandati. Nucleum in præsentiarum abs re prorsus esse ex eo constat, quòd lapis est quidem, sed alterius cæteroqui à lapidibus in Chananæos naturæ. Illi enim grandineo imbre ruentes Chananeos à descensu Bethoron usque Azecam longissimo temporis & locorum spatio prosequuti sunt: quid hæc ad nucleum, sivè ad fulgur? Tandem alieni à nostro argumento habentur ignoti illi lapides in aere aliquanto suspensi, dein in varia terræ loca ruentes; hæc enim mira quædam & insueta phænomena vix ac ne vix quidem grando lapidum appellari aptè potuissent.

Verùm si pondera illa immania adeò & compacta valido ventorum robore in aere sustineri, atque huc illuc volvi potuerunt; si petere sublimia ignis sivè subterraneæ exhalationis vi coacta sunt, vel saltem si in aeris regione terreis, aqueis, & sulphureis particulis simul constipatis compingi potuerunt; quidni contigerit, ut lapides, mole quidem minores, sed copia majores, quales in Scriptura insinuantur, sivè in ipso aere formarentur, sivè saltem in aera sublati lapideam grandinem gravem Chananæis reddiderint?

Desitum est jam diu inter Doctos opinari cum Anaxagora, lapides è Cœlo interdum dilapsos, frustula esse ex lapidea Solis sivè astrorum massa divulsa; neque enim pronius est ut credamus, potuisse è Sole vel astris lapides divelli in terram provolvendos, quàm quod lapides ipsi è massa montium in æthera protrudi potuerint, quò se cum aliis solidis corporibus in vasto materiæ ætherea æquore natantibus conjungerent.

Cum

(1) Cardan. de Variet. l. 14. c. 72.

(2) Montefauc. Diar. Ital. cap. 28. pag. 440.

(3) Vide Melam l. 2. Gall. Narbon. Plin. l. 3. Strab. l. 4. Æschylus à Strabone laudatus contigisse illa restatur in bello Herculis Ligustico. Solin. cap. 2. *In Liguria quoque lapidarios, campos, quòd ibi eo* [Hercule] *dimicante, creduntur pluisse saxa.*

(4) Ezech. 13. 11. אבני אלגביש

(5) Diodor. Sicul. Bibl. l. 11. Vide & Herodot. l. 8. c. 37.

Cum vero exploratum habeatur, accidisse quandoque, ut immanes lapides in medio aere flammas conciperent, ac deinde proprio pondere in terram ruerent, sicut & visas interdum lapideas procellas, non est planè cur de veritate prodigii Josue ambigamus. Res est enim nihilo majorem extorquens fidem, quàm cætera rata sine dubio, & omnium assensu certissima. Hisce autem formandis lapidibus neque prodigium, neque Angelorum ministerium comminisci cogimur, quod à Masio, & Bonfrerio factum est; cùm Physicæ regulis uti salva adhuc prodigii veritate possimus. Neque enim imbre lapideo pluisse Cœlum mirandum est, sed id potiùs monstri loco habendum, ut procella ea data opportunitate hostes corripuerit, ut ad eam rem pararentur lapides, ut tandem causæ secundæ ad illum rei eventum disponerentur, atque dato temporis articulo nimbus excuteretur in Chananæorum perniciem. Solet plerumque Deus res & causas naturales in prodigia ordinare, cùm scilicet nova indita dispositione suis implendis consiliis determinat. Non creaturas ille novas educit, sed novam creaturis dispositionem indit. Cum in Hebræorum castra induceret coturnices, cum in Ægyptios muscas immitteret, num ille novas in Orbem creaturas invexit, & non potiùs dispersas per universam Orbis faciem prodigio congregavit?

Concipimus non inviti valido furente venti turbine avelli è petra potuisse lapides, atque longissimè transferri. Ignis etiam seu venti intra terræ viscera compressi, vel clausus in specu aer lapsu quodam sive humi, sivè petræ alicujus in arctum redactus, si quà fortè aditum in patentem aerem perrumpant, obvia quæque omnia abripiunt, veluti inflammatus in bombarda pulvis, vel compressus in eadem bombarda aer globum secum rapit. Contigit id non rarò in monte Vesuvio, & Ætna, undè ejaculati longissimè lapides, arenæ & cineres in ipso voraginis orificio jacentes, longè lateque terrorem intulerunt. Id igitur fortè & in imbre lapidum accidit: lapides in aere sive turbine rapti, sivè erumpentis è terra aeris vel ignis vi protrusi, proprio deinde pondere in terram reciderunt. Divinæ autem Providentiæ virtute factum est, ut in eo effectu producendo certum temporis articulum & opportunitatem causæ secundæ servarent. Nihil hac hypothesi aptius, ut prodigii veritas cum naturæ operationibus constaret.

Res est minùs quidem cogitantibus prona, non tamen factu impossibilis, ut lapides in ipsis nubibus coaluisse concipiantur. Potuit enim pulvis, arena, terra turbine quodam commota in aera protrudi, quod iteratis exemplis quotidie contingere quis ignoret? Rore autem nubis pulvis ille madescens constipari primùm, deinde admixtione partium sulphurearum, bituminosarum, oleosarum durescere; tum proprio adnitente pondere, vel cadentis nubis allisu in terram ruens, adjecto vento & procellæ impetu, adeò gravis in capita Chananæorum impingi, ut passim miseros occideret. Hucusque prona sunt omnia, nihilque naturæ leges transcendens. Prodigii autem vis in eo potissimum spectatur, quòd adeò disposita Dei jussu, & Angelorum directione singula hæc contigerint, ut in ipso descensu Bethoron hostes corriperent.

Nec ego facilis in animum induxerim, lapideas pluvias in veteri Romanorum historia non infrequentes, in supernaturalium causarum cen- A sum referendas esse; ut nimia pietate laborare videantur Scriptores illi, qui Cacodæmonis astu factum id arbitrantur; quasi scilicet Dei æmulatione quadam, & continendis in superstitione populis prodigii specie fallere incautos voluisset (1); quò nempè solemne esset Gentilibus lapideæ pluviæ prodigium sacro Novendiali averruncare (2).

Quò verò ex duobus hisce systematibus unum aliquod præferamus, sive illud quod in textu Josue vulgarem grandinem, vel quod lapideam pluviam agnoscit, credimus postremum ad literam magis, & ad mentem Sacri Scriptoris accedere. Neque enim Scriptura grandinem tantummodo significatura illis uteretur phrasibus: *Do-* B *minus misit super eos lapides magnos de Cœlo*. Nimis enim ardua esset interpretatio, si lapidum nomine grandinem intelligere cogeremur, cum maximè sola literæ inspectio lapidum, non grandinis ideam lectoribus ingerat. Ad hæc: *Cum pluit terra, cum pluit creta, cum pluit lapidibus, non ut grando appellari solet hoc nomine, sed omninò lapidibus. Hæc profectò etiam graviter lædere potuerunt*. Ita S. Augustinus de Civit. l. 3. cap. 31. Si ergo de grandine tantùm ageretur, nunquam planè usurpatum fuisset nomen lapidum, & magnorum lapidum, neque lapidibus pluisse scriberetur. Addit post hæc omnia Scriptura, lapideæ grandinis procellam multò plures absumpsisse ex Chananæis, quàm quos Israelitarum gladius abstu- C lerat; quæ quidem de lapidibus, quàm de grandine multò proniùs intelliguntur.

Nec me fugit, contigisse aliquando, ut vi procellæ immanis quædam grando excuteretur, qua valida etiam animalia sternerentur; quemadmodum memoriæ proditum est de grandine à Deo in Ægyptum excusa, quæ homines, & pecudes sub dio deprehensos occidit Exod. 9. 22. Sed quæ exercitum perculserit grando, majori in illum facta cæde, quàm quæ victorum hostium gladio integrâ die omnium, quotquot unquam fuerunt, longissima induceretur, nulla unquam occurrit. Nonnè pronius est ut credamus eam cædem ad lapideam grandinem, quæ miseros 6. vel 7. horarum itinere, quantùm descensus Bethoron distat ab Azeca, persecuta sit? D Voces illæ apud Hebræos *lapides grandinis*, non grandinem tantummodò significant duritie & magnitudine lapides referentem, quemadmodum contrariæ sententiæ Authores insinuare videntur; sed prono sensu exprimunt grandinem lapidum, sive lapides instar grandinis, eodem nempe impetu & copia ruentes. Plura suppetunt similium expressionum, & transpositionum exempla; ita pro lampade incensa *lampas ignis*, pro zelo ardenti *ignis zeli*, pro igne Urbi subjecto *Urbem in ignem convertere* usurpatur.

Tandem ea generalis regula revocanda est, nunquam scilicet figurato, & improprio sensu utendum esse, cùm litera satis pronum & naturalem alterum exhibet. Est autem, quam nos E producimus, interpretatio literæ magis consona; quippe quæ Textum legentibus prima occurrit, nihilque habet in contrarium, quod non facilè dissolvatur. Lapideam pluviam ad Physicæ regulas ita revocare conati sumus, ut habeamus persuasum, nihil contra illam opponi, quod etiam contra grandinem non possit. In hoc autem hypothesim de grandine superat, quod Scripturæ literam pro se habeat. Quid igitur nos ab illa retraxerit?

DISSER-

(1) Masius in Josue 10. 11. (2) Alex. ab Alex. Gen. Dier. l. 5. c. 27.

DISSERTATIO
DE REGIONE IN QUAM CHANANÆI
PULSI A JOSUE SESE RECEPERUNT.

BELLUM à Josue cum Chananæis gestum, vicesque, quibus mox ab Israelitarum ingressu universa illorum regio agitata fuit, majoris momenti res est, quæ ipsa granditate sua ac singularitate in lectione hujus historiæ occupatos animos maximè teneat. Integra gens florentissima & potentissima jam inde à pluribus sæculis ad excidium sententia damnata, perire se inopinatò sentit ab exercitu 600000. virorum, quos Imperator agebat à Deo constitutus, ejusque authoritate munitus, jussionibus directus, ac tandem favore pollens. Quem insuper astra, & elementa revererentur; qui vel ipsa prodigia militare pro se in hostes Domini sui coegit. Accedebat Deus ipse summè potens exerta manu in Chananæos pugnans, terrorem in eorum exercitum incutiens: tum autem corda eorum obdurans, oculos ad saniora discernenda consilia obcæcans, ac tandem in tantis rerum angustiis arma sumere cogens, quò scilicet in manus populi sui illos traderet. Captos autem jubet Deus anathemati devoveri, cavens, ne quis unquam ex illis excidio totius gentis superstes esse permittatur, quin & omnia ferro & igni expiati, ne quid reliqui maneret de gente, cujus crimina ad summum malorum deducta Cœlum ipsum sollicitaverant.

In ea Chananæarum rerum turbatione, partim ad arma pro defensione rerum suarum confugerunt, atque æstu belli absumpti sunt, partim præsentissimum periculum declinaturi spontaneo exilio solum verterunt. Postquam igitur in nostro Commentario bellorum Domini, atque armorum Josue eventus omnes prosecuti sumus, rectus rerum ordo postulat, ut de illis sermonem faciamus, qui prompta in alias regiones secessione saluti suæ consuluerunt. Cum autem nuspiam in Libris sacris certa appareant loca, quò populus ille transmigrarit, nos varias orbis regiones percurrentes illorum vestigia, si quæ poterimus, detegere conabimur.

Qui de hoc argumento egerunt, non satis conveniunt inter se; alii enim in Ægyptum recessisse Chananæos autumant, alii in regiones Africæ lateralés, qua parte Occidentem, & Septentrionem respicit. Sunt qui Europam tenuisse, sunt qui Americam maluerint. Suspicantur tandem alii per varias Mediterranei Insulas, & continentis loca varia sparsos illos sedes fixisse suas, quibus favere Scriptura 2. Esd. 9. 22. videtur, ubi dispersos dicit Chananæos per varia Mundi clymata (1). Sed aliis unum omnibus locum assignare visum est. Sunt qui ex septem populis Chanaanitidem tenentibus ex singulis portionem aliquam fugisse Israelitas teneant; sunt vicissim qui solos Jebusæos, & Gergesæos id cepisse consilium statuant. Hæc omnia modò in examen revocanda sunt.

Authores Judæi narrant (2), sub ipsum Chanaanitidis ingressum tria hæc populorum optioni à Josue proposita. Primum, ut libera esset singulis, qui maximè voluissent, recedendi facultas. Secundum, se recepturum eos, qui pacem postulassent, fœdusque se cum illis initurum. Tertium tandem, quicumque propositis conditionibus non annuisset, illis indicere se bellum scirent. Unus super triginta Chananæorum Reges, bellum paci præferentes exterminati sunt. Gabaonitæ pacem elegerunt, & fœdus. Gergesæi fugam in Africam. Paria ferme Maimonides prodit (3). Josue, inquit ille, missis ad Principes Chananæorum caduceatoribus, hæc variis epistolis scripta denunciari mandavit. Ex illis aliæ habebant: *Fuga capiat si quis maluerit*: aliæ: *Dedat se quicumque voluerit*; postremæ tandem: *Bellum eligat quicumque bello delectatur*. Addit autem solos Gergesæos, Domini verbis fidem habentes, in Africam secessisse. Inter Hevæos, reliquis omnibus pacis conditiones propositas statim recusantibus, uni Gabaonitæ fœdus per dolum à Josue subduxerunt. Cæteri omnes in bellum conversi sunt.

Sed quem potissimùm Africæ locum selegerunt Gergesæi? Silent id quidem Rabbini, illud tantummodò prodentes, sub Alexandro Magno (4) venisse illos postulatum à Rege, ut in propriam regionem, ab Hebræis olim usurpatam, restituerentur. Vocati ad dicendum causam Judæi responderunt, nihil se quidem Gergesæis debere; quin potiùs sibi restituendos esse Gergesæos tanquam mancipia fugitiva Dominis; reficienda insuper damna, quæ fraudata tot annorum servitute populo intulissent. Probant eam quidem Gergesæorum servitutem ex maledicto Noemi in Chanaan, ex quo Gergesæi descendissent: *Maledictus Chanaam: servus servorum erit*, Gen. 9. 24. Significarunt autem nihil esse exploratum magis, quàm quòd fuga se subduxissent. Stabat jam Hebræis sententia, cum Gergesæi de causa sua desperantes damnationem prompta secessione eluserunt. Hæc quidem Rabbini, nec sanè aliam merentur fidem, quam quæ præclaris tot fabularum fabricatoribus debetur. Josue ipse de se testatur Gergesæos vicisse, Josue 24. 11., quorum reliquiæ adhuc Jesu Christi ætate restabant, Matth. 8. 28. Sed hæc saltem, quamquam non vera, veterem demonstrant traditionem, Gergesæos scilicet in Africam transmigrasse.

Narrant ex Rabbinis quidam (5), sparso de adventu Hebræorum in suam provinciam rumore, atque eas illi destinari sedes intelligentes, in fugam versos, arva reliquisse cæsis arboribus, & obstructis fontibus deserta, evertisse Urbes, ut novis incolis nihil præter solum maneret. Harum facilè gentium (6) pars in Ægyptum, pars in Africam, Germaniam, & Illyricum secessit. Hanc de Germania opinionem propugnat Genebrardus, contendens, vastam illam regionem, non secus ac occidentalem omnem tractum, deserta fuisse loca, quo tempore Chananæi dispersi per Orbem errabundi vagabantur. Chananæos autem in ea transmigrasse deserta probat ex rudi illa extremaque barbarie veterum Germanorum, quos inter Scythas Plinius l. 4. cap. 12. accenset. Genebrardi

(1) החלדות לפאתי
(2) Gemarr. Jerosol. tit. Schebiit c. 6.
(3) Halac. Melc. c. 6.
(4) Talmudici Perek Chelech apud Schikard. de Jure Regni pag. 111.
(5) Targ. in cap. 3. 5. Cantic.
(6) Vide in Seder Olam & Genebr. Chron. ad an. 2709.

hebrardi judicium minùs probasse Serrarius in Josue c. 12. q. 6. videtur, in eo maximè quòd ille in veteres Germanos iniquior fuisset, quanquam alioqui idem Serrarius ultro fatetur Rabbinum Abenezram, aliosque antè illum, constituisse in Germania Chananæos; sicuti & vernaculam Germanorum linguam aliquid habere cum Hebræa & cum Chaldaica potissimum affinitatis animadvertit. Sed quam illi viam in Germaniam contendentes tenuerint? Casune an data opera eò se contulerunt? Quam illi Germaniæ regionem frequentarunt? Qua tandem conjectura de illorum in eam regionem adventu instruimur? An Rabbinis solo verbo asserentibus credendum?

Non desunt, (1) qui Chananæorum incommodo in longiori via percurrenda parcentes, non aliò migrasse illos credant, sed agris cultis atque commodis locis relictis in ardua contendisse, ibique excisis in saxo ædibus ab Hebræorum armis in tutum se recepisse. Ex his cavernis, quæ veteri traditione effugium Chananæis præbuerant, nonnullas extasse ad Jericho sua etiam ætate prodit Historiæ Lausiacæ Scriptor Palladius. Sed hanc opinionem licèt probabilissimam censeam, facilè enim Chananæi in montibus sese continentes diutiùs sedes suas defenderunt, quàm cæteri inferiora incolentes loca: vix tamen in animum induxerim, nihil ultra deferendum esse vetustissimæ de fuga Chananæorum traditioni, quàm ut diffugisse illos ex inferioribus ad superiora credamus. Quare gentis colonias in locis ab Hebræorum cognitione dissitis quærendas nobis proponimus.

Recepta magis, quæque majorem veri speciem præseferat sententia tenet, Chananæos fuga dilapsos in Africam migrasse. Consentiunt in hanc rem vetustissima Hebræorum scripta, quibus eruditissimi Interpretes suffragantur. Convenit & Gemarra Jerosolymitana, cujus in superioribus sententiam produximus. Diffugisse primùm in Ægyptum tradit Procopius de Bello Vandal. l. 2. c. 10., ubi plus nimio aucti, cum sibi in ea regione permissas sedes angustiores pro numero hominum experirentur, in imas Africæ regiones migrarunt; ubi excitatis Urbibus quamplurimis, atque per adjacentes regiones omnes dilatati totum latè tractum ab Ægypto usque ad Columnas Herculis occuparunt, veteri semper retento sermone, aliquanto tamen corrupto, sed non ità prorsus, ut Phœniciam originem non referat apertissime. Ejus gentis perpetuum monumentum, addit idem Procopius, extant in vetustissima urbe Tingitana ab ipsis condita, marmoreæ candidæ columnæ duæ juxta majorem fontem erectæ hanc præferentes Phœniciis characteribus inscriptionem: *Nos gens sumus, qui prædonem Jesu filium Nave fugientes in tutum recepti sumus.* Porrò hos Tingitanæ urbis incolas regionem illam & sedem & matrem habuisse, ut ex ea nati non eò translati fuissent, recepta erat Africanorum traditio, inde facile ducens originem, quòd nulli hominum illis vetustiores agnoscerentur. Ferebant autem Antæum primum eorum Regem è terra prognatum singulari prælio cum Hercule certasse.

Si vera prodat Procopius, fateamur oportet, ejus saltem ætate opinionem, quæ Tingitanos ex Chananæis fuga dilapsis sub Josue accersit, obtinuisse; quin & ea traditio jam inde à tempore erectæ geminæ columnæ (quas sanè multò vetustiores Procopio credere par est) repetenda videtur. Scitum est Africæ laterales plagas coloniis Phænicum frequentatas fuisse, cum & linguæ, & moris, & Religionis, uno verbo originis Phœnicæ & Chananææ non obscura extent in iis locis vestigia, quin & de coloniis earum gentium varia maneant in historiis monumenta. Negocium facit tantummodò, quod tempora non semper concordant; vel ductæ coloniæ illæ multò quàm Josue serius leguntur, vel saltem omnia sunt illarum incerta, & fabulis obvoluta.

Sed hisce reponimus, 1. Chananæos singillatim non simul omnes transmigrasse. Fuga dilapsos plures ante Hebræorum in Chanaanitidem ingressum verbis illis Dei facilè insinuatur Exod. 23. 2. 29.: *Terrorem meum immittam in præcursum tuum, & occidam omnem populum ad quem ingredieris, cunctorumque inimicorum tuorum coram te terga vertam. Emittens crabrones prius, qui fugabunt Hevæum, & Chananæum, & Hethæum antequàm introeas. Non ejiciam eos a facie tua anno uno, ne terra in solitudinem redigatur. Paulatim expellam eos de conspectu tuo, donec augearis, & possideas terram.* Alibi verò Deus præcessurum se populo suo pollicetur; ignisque depopulantis more Chananæos correpturum Deut. 9. 3. Vide & Deut. 33. 27.. Et Author libri Sapientiæ 12. 8.: *Misisti antecessores exercitus tui vespas ut illos paulatim exterminarent; non quia impotens eras in bella subjicere impios justis, aut bestiis sævis, aut bello duro simul exterminare; sed partibus judicans dabas locum pœnitentiæ.* Facilè igitur vix ex Ægypto egressis Judæis terror Chananæos incessit, ut fugà partim dilapsi saluti suæ consulentes in alias Provincias migrarint.

2. Non ingruente tantùm bello per Josue gesto, sed & post ejus obitum, variis datis occasionibus, Chananæi solum vertere facilè potuerunt. Pari enim gradu Israelitarum res florentes, ac prostratæ Chananæorum procedebant; illis enim paulatim crescentibus, hi arctius semper conclusi metu imminentis mortis vel servitutis, ad alias sedes facilè diverterunt; cùm maximè tutum haberent mari effugium, cujus penes ipsos semper, quà Phœniciam alluit, dominium, tum ante cum post Josue obitum, mansisset.

Deductæ inde coloniæ Phœnicum in Africam, Asiam minorem, Hispanias, Græciam, omnesque Mediterranei Insulas. Quis enim in animum induxerit unquam unas Tyri, & Sidonis Urbes, quarum etiam prior Josue fortasse posterior est (2), tot tantisque coloniis sufficiendis valuisse? Phœnicia, juxtà indicatos in Scriptura fines, intra montes Libanum & Carmelum tota claudebatur, angustisque oppidò limitibus continebatur in extrema sui ora, quà ad Jordanem inclinabat; quare vix est ut tot regiones missis coloniis frequentare potuerit. Exercebantur etiam Phœnices in navigationibus, quarum tunc temporis peritia minor, & discrimen erat majus, cùm & scientia imperitiores essent, & navigiorum fabricandorum rudior adhuc esset ars; quod quidem ejus gentis propagationi obstitisse plurimùm debuit. Cum autem alioqui exploratum habeatur, Phœnices circa ætatem Josue infinitas penè colonias variis regionibus frequentandis misisse; ductas illas ex Chananæis vix ambigimus; ex Chananæis, inquam qui gravissimo ab Hebræis incommodo affecti, Sidonias conscendentes naves aliò migrare coacti sunt.

3. Esto, incertum sit tempus coloniarum Phœnicum: illa tamen omnes vetustissimas fuisse, & pleraque bello Trojano antiquiores indè intelligimus, quòd Græci è bello reduces ad quæcumque appellerent loca (3), coli jam indè à veteri ætate à Phœnicibus audiebant. Ita planè nobiscum Græcorum Historici conveniunt. Porrò bellum Trojanum post 240. annos ab obitu Josue consignatur; quare si ea temporis intercapedine inter Josue & Salomonem, constitutas omnes illas colonias, & ex Chananæis fuga præsentissimo ob He-

(1) Pallad Hist. Laus. cap. 106.
(2) Vide Commentar. in Josue 19. 29.
(3) Vide Bochar. Chanaan & Horn. de Orig. Gen. Americ. l. 2. c. 3. & 4.

bræos in dies magis sese per Chanaanitidem diffundentes, periculo subductis, constanter diximus, nemo falsi in nos crimen dixerit.

Sallustius ex vetustis Commentariis Regum Numidiæ, Punicè scriptis, refert veterem Africanorum traditionem de adventu in Africam Herculis Tyrii vel Libys, cum exercitu Medorum, Persarum, & Armenorum; deferendæ autem regionis suæ in causa fuisse tradit bellà civilia sive domestica: addit insuper, quos secum Hercules ducebat milites, mixtu cum fœminis Libycis connubio, ab avitè sermonis puritate sensim degenerantes, eò redactos fuisse ut neque priora retinerent numina, Medi & Armeni mira prorsus, & insueta nominis corruptione *Mauri* appellarentur (1).

Hornius Loc. cit l. 2. c. 3. pag. 75., ad eum Sallustii locum meditamenta adjungens sua, animadvertit, genuinum Herculis Africani nomen fuisse *Macerin*, teste Pausania in Phocicis. Porrò nomen illud derivari potuit ex Hebræo, sivè Phœnicio *Mechoker*, sapiens, perscrutatur. Armeni illi, de quibus Sallustius, facilè pro Aramæis vel Syris, seu potius Amorrhæis sub Hercule duce in Africam deductis usurpandi sunt; cum autem Sallustius gentem illam ne audisset quidem unquam, quippè quòd nomen ipsum vel in propria illarum Regione jam obsolevisset, facilè cum Armenis confudit; minùs animadvertens nomen *Mauri*, quo appellabantur, satis ad Amorrhæos accessisse. Quæ cum Sallustium, utì jam diximus, fugerent, ejus nominis originem deductà longè etymologia petivit, cum in promptu haberet originem, si rerum Chananæarum historiam nosset. Quid Medi, nisi *Madianitæ*? Quid, Persæ, nisi *Pherezæi*? Persarum enim & Medorum nomen Herculis Africani ætate nondum increbuerat.

Gumeros, populi nostra etiam ætate in Mauritania noti (2), ex quibus regio Gomeritis in Libia, & Gomera Insula inter Canarias; Gomeres, inquam, ex Amorrheis nomen suum derivasse Hornius autumat; quemadmodum & Canariæ Insulæ, alio nomine Fortunatæ, ex Chananæis eidem Scriptori probantur. Vide Hornium l. 2. cap. 9..

Ad bella civilia & domestica Herculem in alienam regionem propellentia quod spectat, non abs re prorsus ipsissima esse creduntur ab Israelitis identidem in reliquias Chananæorum post obitum Josue gesta. Memoriæ proditum est bellum Juda, & Simeonis in Jebusæos, Hethæos & Pherezæos, qui assignatam iisdem Tribubus sortem occupabant Judic. 1. 34. &c.. Nec fortè ab aliis Tribubus in sua singulis sorte à bello cessatum est. Nota sunt prælia Deboræ, & Barac in Jabin Regem Asor Judic 4. & 5.; Gedeonis in Madianitas Judic. 6. & 7., tum & alia plura. His afflicti bellis Chananæi, ut libertati suæ consulerent, solum vertere coacti sunt. Potuit etiam Deus, ut sua in impias gentes decreta executioni mandaret, eos inter se populos committere, ex quo fieret, ut etiam ante Hebræorum adventum alius alium ab avitis sedibus pelleret.

Porrò sententia Chananæos in Africam invehens, nec nova est, nec incerta. Vetera Urbium hujus regionis nomina fermè omnia Phœnicia sunt. Ardanis, Hippona, Leptis, Utica, Tingis, aliæquè plures coloniæ sunt Phœnicum, nemine refragante. Carthaginem omitto, Urbem nonnisi post Salomonis ætatem ædificatam. S. Augustini ætate Africani de origine sua requisiti, Chananæos se (*Canani*) prodebant (3). Arabes hodiedum tenent, Barbarus Africæ ex vetustis Palæstinæ populis, qui in eas confugerint Regiones, repetendos esse. S. Hieronymus (4), S. Augustinus (5) & recentiores Critici agnoscunt veteris linguæ Punicæ, & Chananææ consensum; ut plura in eam rem congerere frustraneus prorsùs sit & inutilis labor. Quare non sine firmis conjecturis concludimus, Chananæus ferè omnes Israelitarum arma fuga declinantes in Africæ regiones sese recepisse.

Quæ tamen à nobis dicta non ita accipienda esse contendimus, ut alia petiisse loca Chananæorum nulli credantur; quamquam enim vastissimus ejus terræ tractus, omnibus in sedem suffecisset, alia tamen ab aliis selecta loca credi par est. Ita Cappadoces, Colchos, Georgianos sive Gurgestanos ex Caphtoritis, & Gergesæis derivant (6). Cilicum Author fuisse creditur Cilix, frater Cadmi, dux Cadmonæorum. Nec desunt qui veteres Gigantes Sueviæ, & Nurvegiæ ex stirpe Gigantum Chananæorum satos credant (7). Sinæi in Scriptura noti, facilè patres fuerunt Sinensium. Insulæ Siciliæ, Sardiniæ, Melitæ, Cypri, Corcyræ, Balearides, Gaditanæ, aliæque plures, incolas habuerunt Phœnices. Sardiniæ nomen derivatur à Sardo filio Herculis Africani (8). Author anonymus sub Alexandro Severo scribens, primus Balearidum, & Gadium incolas ex Chananęis, & Jebusęis à Josue pulsis accersit. Ex his postremis nomen inditum est Ebusæ Insulę non longè ab Hispania (9). Cadmus Thebarum conditor, patrem habuit, juxta Svidam, Agenorem sive Ogygem qui ipsissimus est Og Rex Basan. Inachides, seu filii Inachi in tota Græcia celebratissimi non alii creduntur ab *Enacim*, seu filiis Enach, robore virium, & strenuitate in Scriptura notissimis (10). Phœnicium, sivè *Penicim*, nomen olim toto orbe clarum, ex Hebræo *Beneanak* aliqui accersunt. Nec tamen fidem meam obligaverim, ut hæc omnia, quæ de origine earum gentium retulimus, quasi scilicet ex Chananæis ab Hebræis pulsis deriventur, rata sint & firma; verùm liquido constat, eas conjecturas plerumque veritati historicæ in nihilo prorsus repugnare; & si minùs quidem in promptu sit demonstrare omnes eas colonias ætate Josue fuisse deductas, negaverit tamen nemo saniorem illarum partem ex Chananæis esse accersendas, non diu post summi illius Ducis obitum constitutas.

In historia, vel si mavis fabella Cadmi tot deprehenduntur originis Chananææ vestigia, ut scrupulos ea de re omnes evellant. Tempus deductæ coloniæ cum ingressu Josue in Chanaanitidem ferè congruit; narrat enim jacta à Cadmo unà cum fratre Phœnice Regni Tyrii & Sidonii fundamenta A. M. 2549 ante Christum 1455. qui nempe annus congruit cum anno 37. itineris Hebræorum per desertum sub Moyse duce; ac triennio ante ingressum Josue in Chanaanitidem Cadmus ipse in Græciam sese recepit. Consignatur idem ejus adventus in Græciam, & conditæ Thebarum Urbis epocha in marmore Arundelliano ad ann. 64. æræ Atticæ, nempe ann. 3195. Periodi Julianæ, & ante Christum 1519. Sub hęc tempora Moyses apud socerum suum Jethro in Madianitide versabatur. Qua semel admissa supputatione, immeritò prorsùs reputaremus Cadmum Hebræorum metu è Chanaanitide sese subduxisse, cum nulla adhuc expeditionis Hebræorum in eam regionem consilia prodiissent. Prior est ergo epocha retinenda, vel delerenda opinio, quæ inter transfugas Chanaanitidis virum accenset. Facile se ab hac expediunt difficultate illi Hebræo-

(1) Sallust. de Bel. Jugurth. (2) Vide Anton. Nebriss. Decad. 2. Rer. Hispan.
(3) Exposit. inchoat. Ep. ad Rom. *Interrogati rustici nostri, quid sint, Punicè respondent Canani.*
(4) Tradit. Hebr. in Gen. Idem in Jerem. cap. 25. &c. (5) In Judic. q. 16. & serm. 35. de verb. Domini. (6) Vide Horn. de orig. gent. Americ. lib. 2. c. 3. pag. 73. 74.
(7) Arngrimus Jonas apud eundem. (8) Vide Pausan. in Phoc. (9) Boch. Chanaan. l. 4. c. 36.
(10) Vide Grot. in Num. 14. 23.

Hebræorum in Ægypto moram ad 430. solidos annos prorogant; sed nullo nostro periculo defendere nos cogimur Ducis hujus in Græciam itineris in causa fuisse illata à Josue in Chananitidem arma.

Extat inscriptio quædam Herculis Magusant legenda VVescappel, qui portus est Zeelandiæ, in Insula VValcheren; hunc autem Herculem D. Gallæus coævum Moysi facit, ductoremque eorum, qui Palæstinam ad ingressum Josue filium Num deseruerunt. Ab illo verò positas ferunt columnas illas Herculis Gaditanas. Referebat pictus imaginem veteris cujusdam navis gubernatoris, semicalva fronte, facie veluti sole adusta. Ritu Phœnicio veluti Numen colebatur in Templo, in eadem urbe VVescappel ædificato. Porrò nomen Magusanus ex Chaldæo *Gonz* derivatum sonat *abscindere*, & per metaphoram est *transire*, seu *pertransire*: ita naves & vadum fluminis Chaldæi appellant *megiza*. Legitur etiam 2. Reg. 19. 17. & 1. Esdr. 16. 2. vox *megisau* pro *transvadare*. Nullus est profectò ambigendi locus, Herculem Gaditanum, sive è posteris ejus aliquem, vel saltem quempiam ex Phœnicibus, cui par esset cognomen, ultra Gaditanum fretum excurrisse; narrant enim de Hercule, totum ab illo orbis ambitum maritimo itinere decursum, cui etiam Diodorus Alectam Septimaniæ urbem conditam tribuit.

De origine gentium Americanarum hucusque disceptatum est apud Doctos, & omnes licet eruditionis suæ nervos in eam rem contulerint, nihil vel parum adhuc profecerunt. Obscura sunt omnia, & incerta. Cùm tamen ex Chananæis è Palæstina egressis deriventur à pluribus, eorum nos sententiam modò discutiendam proponimus.

In ipso autem limine operæ pretium ducimus adnotare inter eos etiam, qui sententiam illam propugnant, de ratione Chananæos in Americam transvehendi non satis convenire. Sunt qui autumant populos illos conscensis Sidoniis navibus fortuito casu tempestate aliqua jactatos ex Mediterraneo in Oceanum, inde verò in Americam depulsos (1). Iste maris trajectus, quòd longior plus nimio, atque difficilis videatur, ita à nonnullis contrahitur; namque appulisse illos primò in Africam credunt, deinde ad insulas Canarias, è quibus recta in Americam. Vide Grot. in Deut. 18. 10. & Notas Joan. de Laet. in dissert. Hugon. Grot. & aliorum de orig. gent. Americ. & Horn. de orig. gent. Americ. l. 2. c. 5.

Conjecturæ pro asserenda Americanorum ex Phœnicibus origine, plerumque ex morum, linguæ, & Religionis inter utrasque gentes affinitate petuntur. Mexicanorum Numina Saturno Phœnicum, Moloch Ammonitarum ex æquo respondent. Vide nostram dissert. de Moloch. Æreum est simulacrum monstrosum subjecto igne candescens, cui humanis victimis litatur. Familiare est etiam apud Americanos, quod etiam obtinuisse apud Phœnices ex Scriptura compertum est, ut per ignem transiliant, quod ipsissimum est *lustrari per ignem*, recurrens sæpe in Scriptura Deut. 18. 10. & 2. Paralip. 28. 3. Ipsa etiam Chananæorum crimina in novum Mundum transvecta sunt; impudicæ, & incestæ commixtiones, sodomia, polygamia, divortia; neque ignotus ipsis, quemadmodum olim Phœnicibus, Solis, & Lunæ cultus. Gigantes apud Americanos spectantur. Stigmata sibi inducunt, tum & acervos lapidum in honorem Numinum erigunt. Qui tandem Americanæ linguæ studio delectantur, plurium vocum cum Hebræa, & Phœnicia consonantiam animadvertunt. Vide Horn. l. 2. c. 10. 11. Omnia simul hæc non exigui sunt in hanc sententiam momenti; sed illud operosum est maximè, qui nempe fieri potuerit ut tam vastum interjecti maris spatium trajicerent.

D. Huetius Episcopus Abrincensis Demonstr. Evang. propos. 4. ar. 6. pag. 83., casu id factum censet; cum enim, inquit, fretum Gaditanum populi illi sæpiùs trajicere consuevissent, quò in Oceanum ad Africæ, sive Europæ litora transirent, factum semel, ut prorogata navigatione sub ipsam usque lineam pervaderent; cum autem ventorum arbitrio nunquam quiescentium & ex oriente in occidentem flantium ducerentur, ad Americam usque, ne cogitantes quidem, evecti sunt. Ut Regionem tenuerunt, loci amœnitate illecti, atque infaustæ navigationis timore à regressu deterriti, cum maximè venti ferè semper flarent adversi, moram ibi suam constituerunt. Ex quo factum, ut novis incolis propagaretur regio, quorum ne nuncius quidem ad nos venisset.

Hornius lib. cit c. 9. in ea est sententia, navigationem ex Africa, & Hispaniis in Americam sæpius à Phœnicibus iteratam; adductoque Strabonis testimonio demonstrat, longas navigationes ejus gentis in Oceano Atlantico tota antiquitate celebratas fuisse. Addit insuper ex eodem Strabone, Eudoxio ex sinu Arabico ad Indias, & Æthiopiam naviganti, visam proram Phœniciam miserum naufragæ navis indicium. Porrò Phœniciam fuisse navim ex insculpto equino capite agnovit, & Gaditæ Negotiatores unum esse affirmarunt ex navigiis piscatoriis. Veteres Scriptores Phœnicias classes omnia latè maria percurrisse testantur. Quam autem Hanno Charthaginiensis obivit circum Africam navigationem, hanc magis arduam fuisse defendit Hornius, quàm quæ ex Africa in Americam instituitur. Namque ex Insulis Fortunatis in Americam 15. dierum navigatione secundiori vento flante trajici posse Acosta testatur. Porrò Phœnices Insulas Fortunatas frequentasse ignorat nemo; potuerunt autem inde solventes sive industria, sive casu in Americam adnavigare. Paria fermè Laetius Observ. 1. pag. 136. in Brerevodi sententiam animadvertit. Phœnices ex Africa ad Canarias ferri, inde ad Insulas Fortunatas, unde in Americam. Ipsum Canarium nomen ex Chananæis derivasse Horoium supra notavimus.

Neque possibilem tantummodò Phœnicum in Americam trajectum ipse Hornius demonstrare conatur; quin & accidisse ut tres ad illam navigationes reipsa instituerent, ita planè ostendit. Prima ad ea loca navigatio sub Atlantibus, posteris nempè clarissimi Atlantis, consignanda est; cum enim, inquit, populi illi Oceanum emetirentur, nomen pelago suum reliquerunt; (Oceanum Atlanticum) huc autem illucque per vastum pelagi tractum discurrentes, accidit tandem, ut Insulas novi Orbis tenerent, quas Atlantidas de suo nomine appellarunt. Porrò idem Insularum nomen didicisse constat Platonem ex Sacerdotibus Ægyptiis, qui totius antiquitatis depositum sanctè custodiebant (2). Diodorus Siculus non satis eas Insulas à Canariis distinxit. Diluvium autem illud, cujus apud Americanos traditio servatur, ipsum esse Hornius suspicatur, quod in Insula Atlantica contigisse iidem Sacerdotes affirmarunt; addentes integro unius diei & noctis spatio totam eam Insulam aquis demersam latuisse.

Altera Phenicum in Americam navigatio (3) apud Diodorum Siculum l. 5. c. 16. ita fermè describitur. In remotissima hominum ætate Phænices Herculis columnas navigatione transgressi, cùm furenti ventorum rabie subitò abrepti sustinere adhuc navigia non possent, tempestatis arbitrio sese permittentes in ulteriora Oceani raptati,

(1) Vide l' Escarbot histoir. Nov. Franc. l. 5. c. 3.
(2) Plato in Timæo & in Critia.
(3) Hor. l. 6. cit. 7.

post varias huc illuc agitationes tandem in Insulam Oceani Atlantici plurium dierum navigatione à Lybia distantem, occidentem versùs, jactati sunt; ubi ferax nacti solum, amnes navigia patientes, ac magnificas ædes. Ex his novæ inventæ Insulæ fama & cognitio ad Carthaginienses, & Tyrrhenos; inter quos populos, Carthaginienses cùm frequentibus Tyrrhenorum aliorumque populorum Mauritaniæ irruptionibus quotidiano premerentur incommodo, instructa classe, & Gaditanum transgressi fretum, coloniam ad novam illam Insulam deduxerunt, re interim omnes celata, eo scilicet consilio, ut ab impetu hostili si quando adigerentur, tutum illic haberent effugium. Narrant alii inventam casu Insulam Carthaginienses plures injussu Magistratuum frequentasse; re autem intellecta Magistratus, metu ne sensim tota Urbs in novas sedes migraret, ne quis ultra eò adnavigaret, capitali pœna prohibuisse.

Tertiò tandem Phœnicias Salomonis classes in Americam adnavigasse tenet; sivè illæ è Mediterraneo solverint, uti maluerunt nonnulli (1), sivè ex Erythræo, uti communis habet opinio. Utrinque enim triennali navigatione in Americam commode trajicitur. Virum autem rerum cognitione expertissimum Salomonem hujus non infimæ, atque tot naturæ portentis illustris terrarum orbis portionis situm ignorasse vix credimus. Scitum est, plures eruditione præstantes Interpretes ad eas usque regiones Salomonis classem deduxisse (2). Columbus fodinas se, & profundissimos specus vidisse testatur, unde erutum credit aurum onerandis classibus ejusdem Principis. Hæ potissimæ sunt conjecturæ, quibus probant Chananæos è Palæstina ab Hebræis pulsos, in Africam primùm, deinde in Americam divertisse; quibus ita constitutis, ita nos philosophamur.

1. Vix contigisse credimus, ut Chananæi è portubus Sidoniis solventes, unà cum uxoribus, & filiis vi tempestatis in Americam usque jactarentur; longo enim & arduo maris tractui percurrendo in summa furentis & pelagi, & venti agitatione nunquam paria fuissent navigia rudi pro ætate arte fabricata; neque etiam commeatus tam longæ navigationi sufficientes comparasse illos credimus, cum maximè navigia haberent impedimentis vehendis minùs apta. Hæc citra prodigium contingere debuerant; neque enim de prodigio ulla probabili conjectura suademur; atque ii omnes, qui de transmigratione Chananæorum systemata excogitarunt, nunquam sibi ad prodigium confugiendum duxerunt.


2. Ultrò quidem fatemur, ex Africa in Americam transitum re quidem fuisse possibilem; sed nulla satis firma conjectura probatur Phœnices, vel Africanos in eas regiones penetrasse. Esto non omnia, quæ à Platòne produntur, sint fabulosa; sed vera à falsis secernere quis possit? Insula, de qua Diodorus, una erat ex Canariis, quò sane Phœnices penetrasse nullus dubito; sed quid Canariæ ad Americam? Tandem certum aliquid vix deduceretur è re incertissima, qualis certè habendus est locus classibus Salomonis frequentatus; quæ etiamsi vera esse statuantur, quid inde? An Phœnices sive ante, sive post navigationem illam Americam frequentarunt, quòd illuc quandoque ventitarent? Maneat igitur incertum, primos Americæ cultores Phœnices reputandos; incertissimum Chananæos, sive arma Israelitarum fugientes eò usque penetrasse.

Non desunt etiam, qui suspicentur, Chananæos, gentem anathemati devotam, nunquam regionem suam deseruisse, quò scilicet Divini gladii, & armorum Hebræorum ultioni subjicerentur. Ea la-
A nè res Scripturæ verbis in ambiguo relinquitur Josue 11. 18. 19. 20.: *Multo tempore pugnavit Josue contra Reges istos; non fuit Civitas, quæ se non traderet filiis Israel, præter Hevæum, qui habitabat in Gabaon; omnes enim bellando cepit. Domini enim sententia fuerat, ut indurarentur corda eorum, & pugnarent contra Israel, & caderent, & non mererentur ullam clementiam, ac perirent, sicut præceperat Dominus Moysi.* Hæc sanè expressa videntur in eos, qui partem Chananæorum fuga dilapsos abiisse tuentur. Congruit huic opinioni & fides historiæ. Ex omnibus Chananææ populis ne unus quidem legitur, qui manus vel cum Moyse, vel cum Josue non conseruerit. Amorrhæos domuit Moyses in prælio Transjordanico; vide Num. 21.
B 21. &c.; Hevæos, Chananæos, Pherezæos, Jebusæos, Hethæos, & Amorrhæorum partem qui sub Jabin, aliisque fœderatis Regibus pugnabant, secundis præliis Josue prostravit Josue 11. 3.. Enacim, montium Hebron & adjacentis regionis incolæ deleti sunt Ibid. ver. 21.. Adonibezech Rex Jerusalem sive Jebusæorum, fœderati quinque Regum exercitus Imperator unà cum sociis Regibus, & reliquo exercitu in obsidione Gabaon commisso prælio interiit Josue 10. 23.. Tandem Josue ducto censu devictorum Regum 31. enumerat, quotum regio inter Israelitas divisa est Josue 13. 9. &c.. Hisce Regibus, uti ex eadem Scriptura constat, parebant Hethæi, Amorrhæi, Chananæi, Pherezæi, Hevæi, & Jebusæi. Tan-
C dem idem Josue victorias Hebræorum pro concione ad populum exponens, Gergesæos hisce omnibus devictis populis accenset Josue 24. 12.. Indigitet mihi quicunque voluerit, regionem aliquam, sive Urbem, quæ ab incolis, vel civibus deserta, à victoribus Israelitis occuparetur; faciliùs planè continget, ut veteres cives occurrant, qui vel ipsis invitis Hebræis sedes suas retinuerint. Videbatur etiam divinæ Providentiæ consilio conduxisse magis, ut populus in regione pervicaciùs manens, omnes criminum suorum pœnas pro merito exsolveret, quòd sanè à Domino prædictum antea, Hebræis executioni mandandum committebatur.

Sed hisce adhuc reponi potest, non omnes quidem simul Chananæos, prioribus relictis sedibus
D aliò migrasse; quare contingere potuit, ut ex singulis portio in sua regione maneret. Supra jam animadvertimus Chanaanitarum partem ante ipsum Josue adventum solum facile vertisse: verterunt & alii, cùm bellum Josue Chananæos urgeret, quorum etiam exemplum fortasse alii secuti sunt post Ducis illius obitum. Certum ejus transmigrationis tempus nonnisi temerè definitetur, silente Scriptura; sed transmigrasse reipsa vix est, cur in apertissimo Scripturæ testimonio negemus Exod. 23. 28.: *Emittens crabrones prius, qui fugabunt Hevæum &c.*; quæ verba etiam inculcantur Deut. 7. 20.; atque executioni mandata fuisse Dei promissa Josue 24. 12. & Author Sapientiæ 12. 8. testantur: *Transistis Jordanem, &
E venistis ad Jericho. Pugnaverunt contra vos viri civitatis ejus Amorrhæus, Pherezæus, Chananæus, Hethæus, Gergesæus, Hevæus, & Jebusæus, & tradidi illos in manus vestras, misique ante vos crabrones, & ejeci eos de locis suis, duos Reges Amorrhæorum, non in gladio, nec in arcu tuo.*

Nullus dubito, Deum promissiones suas Israelitis factas ita planè executioni mandasse, quomodo fidem suam obligaverat; depulisse nempe hostes *paulatim, atque per partes*, quod sanè ab illo præstitum est non tantùm cum Regibus Sehòn, & Og, quemadmodum textus Josue insinuare videtur, sed etiam cum Chananæis cæteris, quemadmodum Moyses pro concione ad populum locu-

(1) Horn. Ibid. c. 8.
(2) Vatab. Arias Montanus &c.





locutus paulò ante obitum suum, & aliquanto post devictos duos Reges Amorrhæorum demonstrat Deut. 7. 20. 25. 22. In ea oratione Legislator Divinas promissiones, quibus Deus fidem suam Israelitis castra habentibus ad Sinai, ante quadraginta annos obligaverat, in memoriam revocat. Non est igitur cur miremur, si nullæ Urbes, & regiones continuò occurrant dilapso habitatore desertæ; hæc enim sensim facta sunt, nulla interim regione ita derelicta ut in desertum trasmutaretur.

Nec dissimili ratione factum est, ut Josue tot devictos Chananæos Reges recensere potuerit, nullusque relinqueretur in ea gente populus Hebræorum armis intactus. Quemadmodum enim Gabaonitæ è reliquis Hevæis divisi fœdus cum Israelitis sanxerunt; ita etiam contingere poterat, ut pars Gergesæorum, & Jebusæorum, à reliquis secedens, saluti suæ fuga consuleret; cum inte-

A rim cæteri conserendis cum populo Dei manibus occuparentur. In vacuas eorum sedes alii Chananæorum succedebant, quorum corda Deus obfirmaverat, ne data sibi resipiscendi opportunitate uterentur. Providentia autem Dei, quæ miro occultoque consilio publicas plerumque calamitates magnis servire vicibus populorum, gentium, nationum & regionum jubet, ingressum Israelitarum in Chanaanitidem servire voluit dispergendis in varia loca, ac potissimùm in Insulas Mediterranei, & in Africam Chananæis; iisque conditoribus clarissimorum Imperiorum, simulque infrequentium antea regionum frequentatoribus usa est. Hæc ad nostram Dissertationem, tum & argumentum quod tractamus, maximè conducere visa sunt. Quæ de origine Americanorum à Judæis derivata feruntur, in alteram Dissertationem B rejicimus. Vide Dissertationem in Regionem, quò decem Tribus sese receperunt.

IN TABULAM
GEOGRAPHICAM TERRÆ PROMISSIONIS
ANIMADVERSIONES.

QUanti sit ad rectam Sacræ Scripturæ intelligentiam scientia Geographiæ sacræ, certum situm determinantis locorum, de quibus in eadem Scriptura, persuasum omnibus satis scio. De ejus necessitate persuasi Eusebius & S. Hieronymus, peculiarem ad eam scientiam operam contulerunt. Post sacra Crucigerorum bella plures ex nostris laudabili huic studio addicti, ad Sacra illa loca oculis suis lustranda se contulerunt, atque uberem ejus rei cognitionum messem retulerunt sibi, & nobis communicarunt. Tandem hisce Veterum & Recentiorum documentis adjuti doctissimi quidam ex nostris Geographis, tabulas & methodos Geographicas direxerunt, quibus in Sacrorum Librorum lectione magis magisque juvaremur. Adricomius inter cæteros excellit maximè, tum amplioris Operis volumine, tum & methodo & diligentia, facem præferens cæteris omnibus, qui eandem post illum viam ita triverunt, ut præcedentis tanquam vestigia relegere viderentur.

Quaresmius, Santonius, Du Val, de la Rue, Cellarius, Hortelias, Bonfrerius, P. Lubinus, P. Lamy Oratorii, Ligfootus, ut cæteros sileam, argumentum hoc maximè illustrarunt; sed adnitentibus illis plurimùm, adhuc superest emendandum in tabulis. Quantæ adhuc in Geographia Sacra tenebræ!

Quod maximè necessitatem errandi fecit Geographis, illud reputandum est, nimirum certam locis omnibus, de quibus in Sacra Scriptura, & Josepho, sedem determinandam illos suscepisse. Factum inde, ut casu multa signarentur in tabulis locorum nomina, quorum incertissimus situs, & nihil de illis habetur explorati, quàm quòd ad hanc vel illam Tribum aut regionem pertinerent. Lectores interim, qui in ambiguo versantur, commodum sibi arripiunt, quæcumque oculis subjecta vident, omnia indiscriminatim admittendi, rati certum illum esse naturalem locorum situm. Post priores illos, succedentes Geographi alter alterum exscribens, ut moris est, perpetuam faciunt errorum tum successionem, tum etiam penè ad infinitum propagationem.

Alteram errandi occasionem præbet Hebraici C idiomatis & etymologiarum ignoratio. Plures inde Urbes in unam confusæ; ex una plures factæ; quòd scilicet genuina vocum significatio lateret. Sunt e. g. una & eadem Urbs *Bethsemes*, & *Hirsemes*; sicut & Gazer, Gazera, Gezer, Gezera, Gezeroth, Gezerothaim, Gizerot, Gideroth, Gadarath, Gaderoth; una & eadem Asor, & Esrom, Hazerim &c. cùm interim varia hæc nomina totidem Urbium credita sint. Confusa sunt vicissim hæc duo discretarum Urbium nomina, *Thamar*, *Hazazon-thamar*. Thamar in Hebræo palmam, arborem in regione frequentissimam, exprimit, cujus nomine plura in Palæstina loca censentur. Urbes Palæstinæ pleræque in collibus eminebant; hinc toties recurrunt nomina Gabaa, Gabbathon, D Gabbatha, Gabaon, sicut & Ramath, Ramoth, Ramathaim, Remmon, quibus vocibus collis, vel editus aliquis locus designatur. Idem fermè spectes in nominibus Urbium Beer, Beroth, Bera, Berothaim, Ain, Enna, Ennon, Enam, quorum etymon è puteis sive fontibus ibi frequentibus. Non ita verò reputandum est, quasi *Beer*, Bera, Beroth, Berothaim loca semper inter se diversa significent; sunt enim interdum unius ejusdemque synonyma. Simili exemplo voces Beth, Hir, Cariat, vel Hazer, Asor, Hazerim, alteri cuique nomini adjectæ nihil aliud significant, quàm *Urbs*, *mansio*, vel *atrium*; quare indiscriminatim usurpatur *Arbee*, vel *Cariat-Arbee*; *Lebem*, sive *Beth-Lebem*; *Ennon* & *Hazer Ennon*. His ambagibus implicantur quicumque Hebraicum idioma E vel non satis callent, vel ignorant. Huc pariter referenda vitia illa orthographiæ in propriorum nominum adscriptionibus, quibus adeò fœdantur Tabulæ, ut vix ultra agnoscantur. *Cariat jarim*, *Cariat baal*, Baal, Baala, Balim Juda, Sedei-jarim plura sunt ejusdem Urbis nomina: & *Gabaa* 1. Reg. 7. 1. nihil est aliud quàm collis *Cariat-jarim*. Ramatha Prophetæ Samuelis sedes, alia planè fuit ab Urbe cognomine inter Liddam & Jerusalem in via ex Joppe Jerusalem; Ramatha enim Samuelis, cui agnomen Ramatha Sophim, sita erat in montibus Ephraim 1. Reg. 1. 1., multò planè Septentrionalior. Boara, Bostra, Besor. & Bozot unius sunt Urbis nomina in Transjordanis & in Tribu Ruben, 25. milliaribus ab Edrai.

Nec parum offundendis veritati tenebris contulit nimia Itinerantium credulitas. Quo tempore Crucesignatorum armis Terræ Sanctæ loca cesserunt, discurrentes regionem Christiani, ea semel inducti persuasione, quæ Josue & Josephi ætate nota essent, sibi etiam occursura omnia, ad minimam nominum vel situs affinitatem, vel similem aliquam conjecturam, statim, veluti sibi exploratum, pronunciabant hanc Bethuliam esse, hinc quercum Mambre, vel speluncam Loth, illic Terebinthum Jacob, Sepulchrum Adami, domum Cleophæ, juniperum Eliæ, fontem Agar, vel *castellum, quod contra vos est*, & alia hujus generis sexcenta.

Postquam Saracenis & Turcis loca paruerunt, rara illa monumenta, unde Geographiæ aliquid subsidii pareretur, vel gentis vel temporis injuria omnia destructa sunt. Regionem discurrentes prædones & Arabes desertam fermè reddiderunt; ut nostra pariter ætate tutum non sit euntibus per ea loca iter, nisi cum illis, quas vocant, *Caravanis*, constantem semper viam tenentibus, neque divertere audentibus quidquam, neque sustinentibus tandiu in uno loco, ut illius Urbis vel agri faciem delineent: gravius sibi aliquid è populis illis barbaris, rudibus, suspiciosis metuentes. Factum inde, ut parum adjumenti contulerint nobis itinera doctissimorum virorum illius ætatis, quorum unicè labores aliquid tantùm contulerunt, at certas locorum quorumdam distantias, sicut & flumina, & montes, disceremus. Accedunt his omnibus ducum itineris infertę fabellis & parum assertis traditionibus relationes. Quare illud nobis jure est asserendum, nihil habere nos minùs esploratì quàm Terræ Sanctæ Regionem.

Id unice nobis esset in votis, ut viri aliqui in Geographia periti novam dare tabulam susciperent. Horum scientia & eruditione proficere, è re nostra esset maximè, quibus etiam animadversiones nostras libentissimè communicaremus. Sed difficultate operis territi viri quique doctissimi, & alio occupati, provinciam illam reliquerunt intactam. Quare necessitate coacti novam Terræ Sanctæ tabulam dirigendi, recusatam ab aliis provinciam inivimus. Nec blandimur tamen nobis, melius cessisse nostris conatibus, quàm aliis cæteris; errata tamen nonnulla correximus, quibus præcedentes tabulæ ferè omnes vitiantur.

Quò autem pro viribus errandi nobis occasionem præcidamus, id nobis constitutum est, ne loca alia consignemus in tabulis, quàm quorum nomina nota sunt in Scriptura & Josepho, & ea quorum certum situm indicarunt Eusebius & Hieronymus aliique fide digni Scriptores. Ita factum est, ut Tabula minus inserta nominibus distinctior sit, nihilque determinet, quin prius ejus determinationis rationes in Commentario exhibeantur. Quicunque catalogum optant Urbium singularum Tribuum, facilè nanciscentur apud Josephum; quibus id commodi accedet, ut negotium iis præcidatur distinguendi in Tabula loca, quorum est certus situs, ab aliis, quorum casu tantummodò locus assignatus est. Nemo sibi facilè persuaderet, quantum erroris inducat locorum ignoratio, & falsa situs determinatio. Experimento id probavimus interdum in nostrò Commentario: qua de re reddenda nobis hic est ratio, ne fortè contingat, ut repugnantia scripsisse accusemur, quòd alia scripturis mandaverimus, alia in tabulis intuentium oculis subjecerimus.

Falsa quædam de vetustis Terræ Sanctæ limitibus idea rectam Geographiæ œconomiam primùm turbavit. Ita e. g. quicumque ea persuasione tenebantur, meridianos regionis limites definiri linea quadam ducta ab extrema maris Mortui ora adusque Gazam sive torrentem Rinocoruræ, quem cum flumine Sichor vel rivo Ægypti confundunt; quicumque, inquam, ea persuasione tenentur, intra Septemtrionalem ejus lineæ portionem clauserunt regionem Juda & Simeon, quamquam dimensiones apud Eusebium & S. Hieronymum, viros in ejus studii genere principes, plus multò ad meridiem protenduntur. Ut autem geminis illis Scriptoribus aliquid deferre viderentur, plusquam par est, ad septemtrionem revocare coacti sunt Jerusalem, Eleutheropolim, & Hebron; ex quo magna in positione tum earum, cùm aliorum etiam locorum, quorum adsignatæ ad illas distantiæ, turbatio. Id nobis incommodi sustulit limen terræ promissionis ad Pelusium usque & Nilum revocatum (1); certumque habemus & ratum, regiones illas, nullo hodie habitatore desertas, inter mare Mortuum & Ægyptum cultura olim & incolis floruisse, quemadmodum non obscurè docet Scriptura (2). Hoc loci spatium assignamus terræ Gessen vel Gosen, duplici olim titulo ab Israelitis possessæ, dono scilicet Regis Ægypti Josepho ejusque fratribus (3), ac tandem assignatione Josue, à quo Tribui Juda addicta est (4), ut promissionum divinarum fides liberaretur. Ibi pariter Gerara, Bersabee, Arad, Horma, Asemona, Siceleg, Luza, Geth, Maon, & aliæ in Scriptura notissimæ; quæ omnes ultra Gazam constitutæ sunt, quemadmodum satis probat authoritas Eusebii & S. Hieronymi, Scripturæ pariter & prophanorum Geographorum, apud quos de Urbium illarum nonnullis mentio, uti Bersabeæ, Luzæ, Geraræ, Meonis, vel Maonis, ut infra demonstrabimus.

Regionis limites meridionales satis apertè, si attendatur, Moyses describit. Ducit enim lineam meridionalem à mari Mortuo, & à deserto Zin, regioni Edom proximo, ac ad ascensum Scorpionis deflexam protendit usque ad Senna, & Cadesbarne; inde vero adusque Adar & Esemonam, ex quo gyrantem flectit usque ad torrentem Ægypti, & ad litus magni maris, nempe Mediterranei. Frustra hic demonstraremus, Ægypti torrentem ipsum esse Nilum: quod in Commentario Josu. 13. 3. satis evicisse confidimus. Loca illa à Moyse expressa non recta sanè linea à mari mortuo ad Mediterraneum ducunt: quare appositè quidem Sacer Historicus bis utitur verbo *gyrat*; reipsa enim ducta meridionalis linea gyrat ad meridiem occidentem versùs à latere Ægypti.

In censo mansionum Hebræorum in deserto Num. 33. plura leguntur nomina Urbium ad meridiem Juda, uti Azor vel Etron; Azerim, quæ cum Mozerah, Mozeroth, & Hazeroth confunditur; Lebna notissima est urbs; Ceilata alia non est à Ceilath. Ressa apud Josephum & alibi nota est. Mons Sepher ipse est Cariat-Sepher; Adar, Adara, Arada, Ared, Herad, Barad, varia sunt facilè ejusdem Urbis synonyma. *Macalor* ipsam credo Malatim, aut Malatam Eusebii, & Moladam Josue; sicut *Metca* eamdem facilè ac Metag in 2. Reg. 8. *Alus* est Lysa, Elysa, Allus in Arabia petræa. *Jetabata*, an eadem ac sepulchra concupiscentiæ (5)?

Ad Idumæam quod attinet, non satis distincta variorum temporum discrepantia in errorem Geographos induxit. Quò igitur Scriptura secum ipsa cohæreat, duas admittamus Idumæas, vel regiones Seir, necesse est; alteram scilicet ad orientem

(1) Vide Comment. in Josue 13. 3.
(2) 1. Reg. 28. 8. *Hi enim pagi habitabantur in terra antiquitus euntibus Sur, usque ad terram Ægypti.*
(3) Gen. 47. 6. (4) Josue 10. 41. & 11. 16. & 15. 51.
(5) קִבְרוֹת הַתַּאֲוָה *Tumuli concupiscentiæ.*

tem Palæstinæ in montibus Galaad, Edrai versùs, quo in loco inclyta urbs Bozra (1); aliam verò ad meridiem Juda in Arabia Petræa, à finibus Juda usque ad mare Rubrum & Sinum Elaniticum protensam. Postrema Reipublicæ Judaicæ ætate, nempè post captivitatem Babylonicam, ditionem suam propagantes Idumæi, Urbes meridionales Juda plurimas usque ad Hebron vel circùm sibi usurparunt.

De regione Edom, vel Sehir ad orientem Terræ Sanctæ, vide Gen. 32. 3. ubi legas Jacob è Mesopotamia reducem, cùm adhuc trans Jordanum esset, adventus sui nuncios ad Esau fratrem suum misisse; quod ut rescivit Esau ipsa eadem die (non longè enim morabatur) in occursum fratris venit 1 & 2. Reg. 8. 13. 14. Davidem è Syria reducem Idumæam sibi jure armorum subegisse. Constat autem Idumæam meridionalem regredienti è Syria & Emath Jerusalem, in via occurrere nequaquam potuisse. Alibi verò [2] Adad filius Regis Idumææ è cæde servatus, subductus fuit ex Idumæa in Madian, inde Pharan, tandem in Ægyptum. Porrò de Madian hic agitur, tanquam ad Orientem maris Mortui. Regionem Edom ad Orientem Chanaanitidis & in montibus Galaad Josue pariter constituit, Josue 11. 17. & 12. 7. Non semel exhibentur Idumæi montis Sehir fœdere juncti cum Ammonitis & Moabitis, tamquam cum limitrophis gentibus, arma in Hebræos ferre [3]. Ad eam regionem pertinebat Job è posteris Esau. Vide Commentarium in Job 1. & Jerem. Thren. 4. 21.

De regione Edom vel Sehir ad meridiem Juda, quòd nulla sit controversia, videsis nostrum Commentar. in Genes. 14. 6.

Quæ Juda obtigerat, regio protendebatur à mari Rubro usque ad Ægyptum. Sub Salomone, & deinceps etiam sub Josaphat (4), Asiongaber & Elat ad Sinum Elaniticum Regibus Juda patebant. Post defectionem Jeroboami, cùm Tribus Simeon jugum excussisset domus David, ejusdem familiæ Reges per data temporum intervalla plures urbes ex eadem Tribu (5) occuparunt: & jure illi quidem; suam enim veterem partem repetebant (6), in quam volentes Simeonitas admiserant.

Alii sunt igitur limites constituendi Regno Juda, quam qui plerumque ponuntur; duplo enim major patebat illi regio quam in Tabulis Geographicis obtineat. Excurrebant enim plus multò ad meridiem, ut quidquid Græcis & Romanis sub Idumææ nomine postea innotuit, totum sibi Juda olim vindicaret. Non est igitur, cur vehementer miremur instructissimos illos Regum Juda exercitus, nec portentosos planè hominum ejus ditionis census, tum alibi sæpè, cùm maximè sub Josaphat (7), cujus nutu armabantur 1160000. virorum, exceptis Urbium custodibus, militibus & copiis item quæ stabant in armis. Regio erat enim optime disposita, culta maximè & feracissima; cui ad commodum accedebat cum finitimis commercium, quibus omnibus abundè numerus ille hominum & major etiam sufficiebatur. Quæ ad meridiem Juda squalidæ nunc jacent regiones, florentissimæ tunc erant maximè, & Urbibus ac vicis, tum postremis Reipublicæ Judaicæ annis, cùm etiam post eam ætatem; nec ad extremam hanc desolationem redactæ sunt, nisi immisso à Deo rerum omnium exterminio per Turcas. Ipsum Ter-

A ræ Sanctæ centrum irrigabant lacte & melle manantes fluvii; quod fidem superat de regione nihilo fermè hodie Arabia Petræa feciliori. Si quis è rebus præsentibus de præteritis argumentum caperet, potuisset ne in animum inducere, tanto incolarum numero, quantum insinuat Scriptura, deserta hæc loca floruisse. Non est ergo è præsentibus ad præteritum regionis alicujus statum semper certa consequutio: *Nunc seges est, ubi Troja fuit*. Ovid. Epist. Heroid. 1.

Regio Gazam inter & Ægyptum squallet hodie; totam enim occupant fluxæ semper arenæ, steriles, & salitum quoddam sabulum, fructibus ferendis ineptum. Hæc loci pictura, quam non recentiores tantùm, sed Veteres etiam exhibue-

B runt; narrant enim Cambysem nunquam id commissurum fuisse, ut exercitum suum per eas regiones in Ægyptum duceret, nisi unus ex Arabiæ Regibus camelos ingenti planè numero, ferendis potabilibus aquis, & commeatibus cæteris sufficeisset (8). Vera sunt hæc: sed non minùs constat, suos fuisse olim in eo regionis tractu incolas. Uno enim Geographorum consensu patet, litoris Mediterranei totum tractum inter Gazam & Pelusium habuisse Urbes Raphiæ, Anthedonis, Rinocoruræ, Bethaphu, Ostracinæ, & nostra etiam ætate plura adhuc manere columnarum & ædificiorum rudera, veteris magnificentiæ vestigia, testantur Itineraria (9). Spectantur etiam vici pagique Arabiam versùs, &

C ad mare; quin & infra Gazam septemtrionem versus procedendo, & à Gaza ad meridiem retrocedendo, spatium est terræ sanè longum, incultum reipsa, sed culturæ non impatiens. Leucas non supra 15. vel 20. nec latiùs à mari protensæ teneut arenæ.

Laterum septentrionalium situs & dimensio præ meridionalibus plus etiam latuit Interpretes: quibus errandi occasionem ipsa quodammodo Scriptura suppeditavit, terminos modò Libanum constituens, modò loca alia magis remota & minùs cognita. Has in speciem antilogias conciliaturi Interpretes, in antilogiam reipsa prolapsi sunt, quærentes cis & ad meridiem Libani Urbes *Hethalon, Sedada, Emath, Sabarim, Sephama &c.* quæ omnes ad tractum pertinent ultra Libanum,

D & in Syriæ centro. Qua tandem tenebantur de figura & tractu Libani, ignoratione factum est, ut erronea traderent de introitu Emath, de Urbibus Rohob, Aphec, Emath &c. Nec meliora nos interdum dedimus de introitu Emath, & in Libani descriptione. Sed majori sedulitate & studio argumentum illud versantes, aliorum tandem & nostrum errorem intelleximus: persuasi Libanum & Antilibanum duos esse parallelos montes, quos inter longa vallis distinguit, patens ad Septemtrionem vel Septemtrionem Occidentalem, qua parte Syriam spectat; perpetua verò montium catena duos illos montes jungente ad meridiem, clausa, qua parte Judæam respicit. Quare perpetuus est montium ductus in equini

E ferri similitudinem gyrans, cujus longitudo à meridie ad septemtrionem; Libanus scilicet post Sidonem usque ad ulteriora Urbis Tripolitanæ porrigitur; Antilibanus verò à fontibus Jordanis usque ad tres leucas Balbec infra, Laodiceam Cabiosam vel Scabiosam versùs.

Congruit hæc locorum descriptio non Plinio tantùm, Eusebio, & S. Hieronymo (10), sed recentiorum Itinerantium exactissimis. Plinius Libanum

(1) Josue 20. 8. & 21. 27. 36. Isai. 34. 6. & 63. 1. Jerem. 47. 24. & 49. 13. 22.
(2) 3. Reg. 11. 18. (3) 2. Par. 20. 2. 10. Ezech. 25. 8. & 35. 2. 5. (4) 3. Reg. 12. 49.
(5) Vide 1. Par. 4. 41. 42. 43. (6) Vide Josue 19. collatum cum Josue 15. (7) 2 Par. 17. 25. 26. &c.
(8) Herodot. l. 3. c. 5. 6. &c. 88. (9) Thevenot. Itiner. Oriental. p. 2. c. 35. & Petr. della Valle Epist. 17.
(10) Vide Eusebium & S. Hieronymum ad vocem Antilibanus; constituunt enim eum montem ad Orientem Libani, Damascum versùs; & S. Hieronymus in Ezechielem 20. censet, Terram Promissionis à Septentrione adusque montem Taurum protendi, complecti verò in suo ambitu Phœniciam, Cœlesyriam, & Ciliciam. Vide etiam eundem S. Hieronymum Epist. ad Dardan. & in Ezechiel. 7. & RR. in Gemar. Jerosol. Scherith. pag. 36. Vide Lightfoot c. 11. Chorograph.

banum ducit post Sidonem ; protendi verò asserit secundùm Mediterraneum usque Symiram, 1500. stadiorum tractu ; Antilibanum verò è regione illius ponit, mediam inter duos constituens vallem Cœlesyriæ, olim in extremà sui ora ducto muro ad utrumque montem clausam (1). Strabo l. 16. locum aliter describit : namque paulò supra Tripolim ad mare Libanum reperit, Antilibanum verò Sidonem versùs mire testatur ; finem autem utriusque montis constituit circa montes Arabiæ. Vallis intermediæ latitudinem ad ostium quidem versùs mare 200. stadiis, in medio verò tractus duplo majori stadiorum mensura dimetitur. Hunc sibi ducem in Libano & Antilibano describendo plerique constituentes, duos parallelos montes ex Oriente ad Occidentem exhibent. Verùm Maundrellus (2) narrat, movisse è Sidone, atque transgresso inde Libano, in subjectam demum vallem descendisse, quo loco duas leucas latitudinis dimetiebatur; longitudine verò plurium dierum itineri par fuisset. Ejus situs ad Septemtrionem Orientem, & ad Meridiem Occidentem sepit ejus latera duplex montium parallelorum, & ejusdem planè figuræ ductus. Prima montium catena ea est, quæ vallem & Urbem Sidonis interjacet ; altera è regione Damascum respicit : illa Libanus est, hæc Antilibanus.

Septemtrionales limites Terræ promissionis describens Moyses Num. 34. 7. 8. 9., illos ducit *à Mari magno usque ad montem altissimum*, [ad literam ad montem montium] *à quo venient*, ait, *in Emath usque ad terminos Sedada ; ibuntque confinia usque ad Zephrona, & Villam Enan seu Hazer-Enan. Hi erunt termini in parte aquilonis. Inde metabuntur fines contra Orientalem plagam, de Villa Enan usque Sephama ; & de Sephama descendent termini in Reblatn*. Animadvertendum hic sedulò Enath in medio lineæ septentrionalis ex Oriente in Occidentem constitui ; ita pariter Enam in medio jacuisse lineæ Orientalis ex Septentrione in meridiem ; ut post eam Urbem linea ad Septentrionem tenderet in Sepham & Reblam ; inde *perveniet*, ait Moyses, *contra Orientem ad mare Ceneretb*. Porrò Sepham, & Rebla Urbes erant Syriæ ; Enan constituimus ad meridiem Damasci. Hanc Moyses ideam ingerit de septentrionalibus Palæstinæ limitibus. Luculentiora Ezechiel 47. 15. &c. A *mari magno* (Mediterraneo) *via Hetalon venientibus Sedad Emath, Beroth, Sabarim, quæ est inter terminum Damasci confinium Emath, domus Thicon* (Hebr. *Chazer Ticbon*) *quæ est juxta terminum Auran*. Quibus ita constitutis, septemtrionales limites definire oportet linea *à mari magno ad Chazer-Ennon terminum Damasci*; protendebatur autem ex occidente in orientem, paulò licet è septemtrione ad meridiem vergens; in medio autem suæ longitudinis *ad septemtrionem* impositam habebat *urbem Emath*.

Id loci spatium tenebant Amathæi, Samaræi, Aradii, Aracæi, Sinæi veteres incolæ Emath, Symiræ, Aradi, Arces, Sin vel Sina, quem populum Moyses recenset inter posteros Chanaan (3), anathemati devotos : quamquam si vulgarem hypothesim, limites Terræ promissionis ad Libanum restringentes sequeremur, regiones illæ omnes ab anathemate immunes pronunciandæ essent.

A Urbs Emath ipsa est Emesa ad Orontem : quadrant enim omnia, nec nomen ipsum absludit, Ematha & Emesa ; indiscriminatim namque usurpatur T & S in linguis orientalibus. Emath florentissima erat olim in Syria Urbs (4) ; quæ è Palæstina per vallem Libanum & Antilibanum interjacentem petebatur. Dabat in vallem illam ingressum introitus Emath, sæpiùs in Scriptura memoratus (5). Reblata in regione Emath sita erat (6) : illam David subjecit : sed Jeroboamus II. à Regibus Juda divulsam sibi jure armorum vindicavit 4. Reg. 14. 28.. Jungit non semel Scriptura veluti tres limitrophas provincias B Emath, Arphad vel Arad, Damascum (7) ; semper tamen postrema notatur Emath velut omnium remotissima in Terra promissionis, & ultra Libanum (8). In partem tribus Nephtalis assignat Josue 19. 35. Nulla profectò in Palæstina neque trans amnem Urbs luculentiùs characteres illos, quàm Emesa, præfert ; erat enim Urbs non procul à Libano posita. In Phœnicia Libania constituit Stephanus, & veterem splendorem longa ætate servavit. De Thou uno ex ejus Regibus legas 2. Reg. 8. 9. Nota est hodie sub nomine Ems, & veteris magnificentiæ argumentum exhibent ingentia illa molium rudera, C quæ adhuc spectantur. Eusebius & S. Hieronymus in locis autumarunt, Emath cum Epiphania, urbe non longe ab Emesa, confundendam ; sed Theodoretus quæst. 22. in 2. Reg. & Jerem. 4. & 46. cum Emesa maluit ; quamquam ultrò fatetur, Epiphaniam pariter Emath appellari ; & Aquilam *Emath* vertisse Epiphaniam. Tandem Josephus Antiquit. l. 1. c. 7. testatur, Syros sua etiam ætate nomine Emath appellasse Urbem, quam Græci Epiphaniam. S. Cyrillus Alexandrinus in Amos scribit, magnam Emath Antiochiam esse ; minorem verò Emath Epiphaniam, Urbem non longè ab Antiochia. Hæc doctissimorum sententia.

Hethalon vel Chetalon, prima ad Mediterra- D neum Urbs, & exordium lineæ Septentrionalis, Terram promissionis apud Exechielem definientis, ipsissima est Cathera (10) Urbes Syriæ 25. mille passibus à Platana, & 16. à Laodicæa ; nec alia est fortasse *Bacatailis* apud Ptolemæum, & in Tabulis Peutingeri.

Mons Casius Orientalior est quidem, sed in eadem ferè linea : designatur autem facilè à Moyse nomine *montis montium*, sive montis altissimi (11). Porrò celsitudinem hujus montis praphant Authores veluti monstrum aliquod admirantur : *Orontes imos pedes Casii illius celsi prætermeans*. Ammian. l. 14. c. 26. Ex ejus vertice creditur spectari in oriente sol ab ipsa quarta noctis vigilia, juxta Plinium (12), vel à secun- E do gallicinio juxta Ammianum (13), ut eodem ferè tempore sol ex uno latere occidens, ex altero oriens appareat. Ambitum ejus in ipsis montis radicibus 19. millibus passuum Plinius dimetitur, & perpendicularem altitudinem ad 4. mille passus prorogat. Ejus cacumen ascenderunt Imperatores Adrianus (14), & Julianus (15), unde novum illud phænomenon orientis in antecessum solis spectarent. Jure ergo apud Moysem nomen obtinet montis montium ; celsitudine enim sua quà cæteros vincebat, quà pariter fama erat notissimus.

(1) Plin. l. 5. c. 20. *A tergo Sidonis Libanus orsus mille quingentis stadiis Symiram usque porrigitur, qua Cœlesyria cognominatur : huic par, interjacente valle, mons adversus Antilibanus obtenditur, quondam muro conjunctus.*
(2) Maundrel. Itiner. Aleppo Jerus. pag. 201. &c. (3) Gen. 10. 16. 17. 18.
(4) Amos 6. 2. Ite in Emath magnam. (5) Num. 13. 22. Josue 13. 5. Judic. 3. 3. & 3. Reg. 8. 65. & 4. Reg. 14. 25.
(6) 4. Reg. 23. 33. & 25. 22. (7) 4. Reg. 14. 28.
(8) 4. Reg. 18. 34. & 39. 13. Isai. 10. 9. & 36. 19. Jerem. 49. 23. (9) Ezech. 47. 16 17. & 48. 1. Zachariæ 9. 1. 2.
(10) Itineraria Antonini & Burdigal. (11) Num. 34. 7. *Ad montem altissimum.*
(12) Plin. l. 5. c. 12. *Mons Casius, cujus excelsa latitudo quarta vigilia orientem per tenebras solem aspicit, brevi circumactu corporis diem noctemque pariter ostendens.*
(13) Ammian. l. 22. c. 33. *Casium montem ascendit nemorosum, & tereti ambitu in sublime porrectum : unde secundis gallicinius videtur pr[illegible] solis exortus.* (14) Spartian. in Adrian. (15) Ammian. loc. cit.

Apamæa, si Rabbinis fides, confundenda est cum Urbe *Sepham*, vel *Sephama*, de qua Num. 34. 10. 11. Congruit sanè utriusque nomen; congruit & situs Apameæ ad Orontem, & ad Orientem Casii. Verùm ea statim conjectura delenda, si vera sint, quæ de Urbis appellatione ab Apama uxore Regis Seleuci (1) feruntur: quibus constitutis fateamur oportet, nomina *Sephama*, *Sedada*, *Sebarim* & *Reblata*, vel intercidisse penitùs, vel in alia transmutata fuisse à Regibus Syriæ post Alexandrum Magnum. Cùm enim Reges illi vernaculum Græcorum sermonem in regionem invexissent, veterum nominum barbariem oblivioni tradere facilè affectarunt, substitutis eorum loco aliis, vel è Macedonia, Græcia, vel peculiaribus singulorum nominibus repetitis. Hinc tot Urbes Antiochiæ, Seleuciæ, Apameæ, Laodiceæ, Epiphaniæ nomine appellatæ, ex quo crux Geographis, & errandi occasio.

Post Emath in Ezechiele sequitur *Berot*, nomen indicans facile Urbem Berœæ ad Orientem Antiochiæ (2), quam Plinius recenset inter Arethulam & Epiphaniam Urbes ad Orontem (3). Non aliam facilè designat urbs Beroth à Davide subacta 2. Reg. 8. 8., sicut & Thebat vel Thebes in Syria 1. Par. 18. 8., & Chun vel *Conna* in Itinerario Antonini.

Damascus neminem latet; nunquam enim nominis sui fama non celebratur, ac potissimùm amœnissimarum aquarum privilegio (4). De amnibus *Abama* & *Pharphar* Urbem & agrum Damascenum perluentibus, sermo est 4. Reg. 5. 12. Non nisi unicus quidem amnis nobis hodie innotescit; sed in tres ramos veluti totidem fluvios distinguitur. Porrò amnis iste apud Græcos nomen obtinet Chrysorrhoas (5), id est amnis aurum trahens; apud incolas regionis olim quidem ætate Stephani Geographi, *Bardine*, hodie verò *Barrady* (6); fluit autem à montibus Antilibani, & post collatas liberali munere aquas Urbi, hortis, & agro, sub terram influens, 4. vel 5. leucis ad meridiem Urbis Orientem versùs evanescit.

Ennon sive *Hazer-enna* apud Ezechielem & Moysem notatur, veluti prima Urbs, unde linea Septemtrionalis à septentrione in meridiem ducitur. Designari illam credimus apud Ptolemæum nomine *Inna*, & in Tabulis Peutingeri nomine *Ænnos*, 30. mille passibus circiter à Damasco. En igitur in linea Septemtrionali sex certa puncta, alia planè ab illis, quæ hucusque assignata sunt; scilicet Chethalon vel Cathela, mons altissimus Casius, Emesa, Beroth, Damascus, Ennon vel Enna.

Ad hæc, nullus est dubitandi locus, assignatas à Josue Israelitis Syriæ quasdam urbes, multùm ultra limites in vulgaribus Tabulis Geographicis præscriptos. E. g. (7) *Maara Sidoniorum* ipsa est *Marathe*, vetus urbs Phœnicum, juxta Strabonem l. 16. *Apher*, Urbs celebris sub postremis Regibus Juda & Israel (8), sita erat in Cœlesyria. Ad hæc *Ama* sive *Bor-amma*, arx sive excelsus locus in Libano, de quo Strabo l. 16. pag. 520. *Rohob* sive *Beth rohob* in valle ultra Libanum (9). Ita verò de Regibus Syriæ, Zobæ & Rohob agit Scriptura, tanquam de Principibus ditionem habentibus ultra Hebræorum terras sub Davide (10); interim verò alibi docet, urbem *Dan* vel *Lesem* constitutam fuisse in valle *Beth-rohob*; quod in causa est, cur eandem urbem ponamus in ima & extrema ora meridionali vallis Bucca, è regione Lesem sive Dan, quæ Urbs erat à meridie Antilibani, unde via ducebatur è Palæstina in Syriam. Tandem Josue labentibus ætatis suæ annis (11), multum adhuc regionis subigendæ ab Israelitis restare his verbis designat: *Hevæi, omnis terra*, (Chanaan) *& Maara Sidoniorum, usque Aobeca, & terminos Amorrhæi, ejusque confinia; Libani quoque regio contra orientem, a Baalgad sub monte Hermon, donec ingrediaris Emath. Omnium* (terra) *qui habitant in monte, a Libano usque ad aquas Maserephot.*

Recentiora nomina amnis *Lethane*, & vallis *Bacca*, ac urbis *Baalbec* in Cœlesyria, suam adhuc retinent in lingua Hebraica significationem; *Bekah* enim sonat vallis; & Amos 1. 5. exitium minitatur incolis *Bekath-Aven*, vallis iniquitatis, quæ facilè cum nostra hac confundenda. Meminit non semel Scriptura amnium *Ethan*, aquarum rapiditate, & gloria insignium: *Tu siccasti fluvios Ethan* Ps. 73. 15.: *Et replebitur justitia, quasi torrens fortis*, Amos 5. 24., (quasi fluvius Ethan). *Baal-bec*, *Baal-bekah* est Deus vallis, Deus regionis, Sol, unde apud Græcos nomen inditum Urbi illi *Heliopolis*, Civitas Solis.

Abel, vel *Abel-maacan*, aut *Abyla* in faucibus Libani. Abel inter Paneam & Damascum consignat S. Hieronymus cum Eusebio; inter Heliopolim & Damascum exteri Geographi.

Abylam conjungimus cum *Hoba*, seu *Hobal*, quousque procurrisse legimus Gen 14. 15. Abrahamum, ut ex adversariorum Regum manu Loth nepotem suum reduceret. Locus ejus ad sinistram Damasci ultra Dan, urbem in ostio faucium ad Rohob & Emath deducentium. Quare *Hobal* urbem fuisse oportet Cœlesyriæ in valle Bucca. Porrò in ejus Urbis loco assignando secuti sumus Itinerarium Antonini, quantùm ad ejus distantiam è Damasco & Heliopoli pertinet.

Cedri Libani, apud Sacros Libros, & Itineraria celebratissimi, spectantur supra & ad orientem Biblos & Tripolis; hodie tamen supersunt tantùm in crepidine quadam Libani, & rari etiam ibi spectatæ proceritatis (12). Olim major erat numerus, quanquam non in toto Libano unquam natas arbores illas credo. Insinuat etiam Scriptura hunc, quem designant Itineraria, locum, nempe Biblos versùs, ipsum fuisse olim cedros suppeditantem; namque Hiram missis lectoribus suis cæduam illam materiam in secta divisam, atque inter se commissam, maritimo itinere deducebat Joppe; inde vero terrestri Jerusalem 3. Reg. 5. 18.. Hæc satis pro asserendis septentrionalibus Terræ promissionis constitutis à nobis limitibus. Nunc ad Orientales.

Unum Euphratem Orientalem Terræ promissionis limitem assignat Moyses Gen. 15. 18. Deut. 17. Numer. verò 34. 10. 15. exactiùs rem prosecutus, protendi illos ab *Enan*, & per orientalem plagam maris Cinereth sive lacus Genesaret, adusque extremam oram maris Mortui deduci. Recenset insuper Ezechiel Damascum, Ennon, Hazeticon, Auram, mediam Galaaditidem, & Jordanem, cujus est ostium in mare Mortuum vel orientale. De Ennon & Damasco satis egimus. *Bethaconorum* in Ituræa nomine satis designat Plinius (13) populos *Chazer ticbon*, nempe *domus Thiconis*, quæ pariter est significatio *Beth Thicon*; nec S. Hieronymus aliter sibi duxit redden-

(1) Strab. l. 16. pag. 516. (2) Strab. l. 16. pag. 517. (3) Plin. l. 5. c. 23. (4) Julian. Imp. ep. 24.
(5) Strab. l. 16. Plin. l. 5. 18. (6) Maundrellus Iter Aleppo Jerusalem. (7) Josue 19. 30.
(8) Vide 3. Reg. 20. 26. & nostrum Commentarium ibid. (9) Vide Judic. 18. 28. & Josue 19. 30.
(10) 2. Reg. 10. 6. 8. (11) Josue 13. 4. 5.
(12) Maundrellus pag. 239. primæ magnitudinis 16. numeravit; inferiorum verò planè multos. Thevenot 13. tantum indiscriminatim omnes, quà majores quà minores, recenset cap. 60. Alius apud Dezallier an. 1688. omnes simul 30. inter quos 20. majores habet. Vide pag. 25.
(13) Plin. l. 5. c. 23. *Ituræorum gentem, & qui ex iis Bethaceni vocantur.*

reddendum illud *Chazer-Thicon*, quàm domus Thiconis. *Auranam* metropolim Auranitidis facilè credimus. In Arabia deserta constituit Ptolemæus l. 5. c. 19. Auran Urbs est S. Hieronymo in Ezech. 47. 17. in deserto Damasceno. De Auranitide sæpè Josephus Antiq. l. 15. c. 13. & l. 17. c. 13. & de Bello l. 2. c. 9.; & sub Romanis in Ituræa regio illa facilè censebatur. Vide Cellar. Ligfoot. *Medium Galaad* est Maspha in Galaaditide. Jordanis & mare Mortuum notiores sunt, quàm ut describantur. Nec plura nos de finibus Terræ promissionis.

In assignandis singularum Tribuum limitibus hoc servatum est potissimùm, ut intra privatos uniuscujusque veluti cancellos omnes concluderentur Urbes, juxta assignatam à Josue per familias rationem; sed invitis licèt ea quandoque imposita necessitas, ut extra lineam locorum quædam nomina adscriberentur, in digerendis maximè Tribubus Dan & Simeon, quarum sortem Tribus Juda complectebatur, & Urbes possidebant interdum in ipso Tribuum finitimarum sinu. Insuper scitum est, occurrere non semel apud Josue, ut Urbes in prima regionis distributione certa Tribui assignatas, alteri in posteriori divisione adscriberet. Constat insuper loca plurima jure acquisitionis ex una Tribu, cui ab initio cesserant, ad aliam, quæ pulsis è loco Chananæis sibi adsciverat, transisse. Exempla ejus rei plurima legas in Commentario.

Alia videbitur intuentibus Tabula nostra à cæteris ferè omnibus, quæ hucusque paruerunt, sed nihil à nobis immutatum, cujus non optimæ suppetant rationes. Solent plerumque Jordanis fontes designari veluti duo rivuli, hujus nomen *Jor*, alterius *Dan*, qui junctis Paneade vel Cæsareæ Philippi aquis in amnem fluunt. Porrò rivum è Dan fluentem, quòd apud Eusebium & S. Hieronymum tanquam genuinus Jordanis fons assignetur (1), nos pariter servavimus; alterum verò tanquam fabulosum prorsùs rejecimus. Asserit S. Hieronymus, rivum à Dan fluentem *Jor* appellari, unde nomen amni *Jordan*. Sed primos Jordanis fontes constituimus in *Phiala*, qui lacus est ad Orientem Cæsareæ, cæcis & subterraneis canalibus 20. stadiorum tractu aquas suas suppeditans rivo juxta Dan, de quo modò. Hæc omnia ex Josephi de bello l. 3. c. 35. fide; asserit enim Philippum Trachonitidis Tetrarcham fontem ipsum rivi emergentis è radicibus montis Panei, juxta Cæsaræam, & exinde in amnem, cui nomen Jordanis, fluentis, exploraturum, comminutæ paleæ ingentem vim in lacum Phiala injecisse; eas verò cæcis & subterraneis canalibus delatas aliquandiu post emersisse in fonte juxta Cæsaræam. Porrò lacus iste Phiala, nempe lanx, inde nomen obtinuit, quod rotundus sit ad circinum. Jacet ad dexteram viæ ducentis in Trachonitidem, ad radices Libani sive montis Panei.

Persuasum habuerunt hucusque, lacum *Semechon*, cujus frequens apud Josephum Antiquit. l. 5. c. 6. de bello c. 35. l. 3. & l. 4. c. 1. mentio, ipsissimas esse aquas *Mera* sive *Meron*, satis ex libro Judicum 5. 18. & Josue 11. 5. notas. Quæ apud omnes opinio invaluit, ea est, ut communi plerumque nomine lacus ille appelletur *Meron* vel *Mera*; sed satis congruentibus rationibus demonstrasse nos confidimus in Commentario, aquas & Urbem Meron locum tenuisse ad meridiem Carmeli, ad Legionem & Samariam medium. Profectò Judæi, Josephi ætate, eam opinionem non adhuc induerant, aquas *Semechon* cum aquis Meron confundi; neque enim altero nomine lacum illum appellabant, quàm genuino *Semechon*, nempe amœnum, jucundum; quam illi appellationem facilè conciliavit fons amœnissimus Dan, & arborum, quibus protegebatur, umbra gratissima (2). Porrò lacus iste arescit æstate, nec ejus mentio ulla, quantùm sciam, in Scriptura. Imminebat illi Urbs Azor, juxta Josephum. Nihil de lacu illo pariter Eusebius & S. Hieronymus in Libro de locis.

Urbs Bethsaida, in Evangelio notissima, jacebat ad lacum Genesareth in Galilæa Joan. 12. 21. Auxit Philippus Tetrarcha, & locum dedit inter Urbes, veteri nomine in Juliadem, ex nomine Juliæ filiæ Augusti, transmutato (3). In inferiori Gaulanitide collocat idem Josephus de Bello l. 2. c. 13. & ad Orientem lacus Genesareth Plinius l. 5. c. 15. Legimus in Evangelio Joan. 6. 1. 17. & Luc. 9. 10. Jesum Christum transvadato mari Tiberiadis, contulisse se Bethsaidam, & ejus nominis desertum; quod in causa fuit, cur Ligfootus in Chorograph. in Matt. & hor. Talmud. in Matt. 14. 13., & post illum Cellarius Asia l. 3. c. 13. pag. 387., subdubitantes licèt, Bethsaidam & Juliadem ultra Jordanem constituerent. Quæ autem scrupulum ea in re facerent, illa videntur, nimirum S. Marcum, post relatum de multiplicatis panibus in regione ultra lacum Genesareth prodigium, scripsisse, Jesum Discipulis suis mandasse, ut trangressi lacum, irent Bethsaidam & in regionem Genesareth Marc. 6. 45. 53.; regressos illos Capharnaum narrat Joannes 6. 17. 24. Ex his insinuari videtur, Bethsaidam, non secùs ac Capharnaum, & regionem Genesareth, Jordanem habuisse ad Orientem.

Sed hisce tria reponenda: 1. Urbs Bethsaidæ sive Juliadis facilè geminata, erat altera nempè ad Occidentem, altera ad Orientem Jordanis; nihil enim facilius quàm Urbes ad ripas fluminis constitutas in duas intermedio amne secari, quarum una pars alteram è regione respicit. 2. Jesus Christus ejusque Discipuli facilè è Deserto, ubi prodigium illud à Magistro patratum fuerat, Bethsaidam se contulerunt, litus veluti radentes, compendiarii itineris gratia, vel ut fortè montes & scopulos viam in ripa lacùs prohibentes evitarent. Hæc quotidiana experientia, cùm iter secundùm mare & ampliores quosdam lacus instituitur, nota sunt; aquas enim radentem cymbam iter illud habituri conscendunt, etiam si ex uno loco ad alterum in eodem ripæ latere, sed distantem aliquantò, se conferant. 3. Josephus ipse non obscurè insonat, Capharnaum ad eandem lacus ripam jacuisse, ubi & Bethsaida; narrat enim se vulnere propè Juliadem accepto, translatum fuisse *Capernomam*, ubi noctem egerit (4); quare transitus è deserto in Capharnaum sive Bethsaidam, intentum planè pro utraque Urbe non convincit, quasi scilicet ad ripam occidentalem lacus Genesareth pertinerent. Nec tamen iverim inficias, notam fuisse Urbem quandam Capharnaum ad Occidentem lacus: satis, quantùm arbitror, apertè ea de re Evangelium Joan. 6. 17. 24. Vide & Joan. 4. 49. 47. Matth. 4. 13.; & Josephus de Bello lib. 3 c. 18. meminit amœni cujusdam fontis *Capernaum*, cujus aquis alluerentur latera occidentalia maris Tiberiadis. Ex eo fonte inditum facilè nomen Urbi Capharnao trans lacum. Tandem Jesus Christus e Deserto, ubi panes multiplicaverat, ad regionem Genesareth se contulit. Petiit ille quidem adversam lacus ripam, non quidem lacum transgressus; sed pedestri itinere Juliadem priùs, deinde secundùm ripam lacus Tiberiadem & Capharnaum se contulit.

Autumavit Ligfootus Chorograph. in Mar. sect. 2. Gali-

(1) Euseb. & Hieronym. in Laisa.
(2) Joseph. l. 4. de bello c. 4.
(3) Antiquit. l. 18. c. 3.
(4) De vita sua pag. 1029.

Galilæam Gentium regionem esse trans amnem: sicut & inferiorem Galilæam cis & ad Occidentem fluminis. Laudat in eam rem illud Matth. 4. 15. *Terra Zabulon, & terra Nephtali, via maris trans Jordanem: Galilæa gentium, populus qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam*. Observat insuper, Bethsaidam sive Juliadem Urbes Transjordanas ad Galilæam pertinuisse, ejusque rei gratia Apostolos Bethsaidæ cives Galilæos appellari. Est ergo, ait Ligfootus, Galilæa gentium in Transjordanis. Eusebius in Isai. 9. luculenter asserit, Galilæam Trasjordanam fuisse regionem; Septuaginta ad Isai. 33. 9. reddunt Basan Galilæam; quis autem neget, Basan regionem esse trans amnem? S. Hieronymus in eundem locum observat, Interpretes illos nomen totius Provinciæ posuisse pro singulari ejusdem portione: neque enim Basan Galilæam totam continebat. Verùm ne longam discussionem trahamus in istum Scripturæ locum, quod alibi à nobis fiet commodiùs, persuasum habemus, Galilæam Gentilium plus multò, quàm pro consueto more, prorogari oportere. Nos enim regionem illam ducimus à superioribus Tyri & Sidonis trans amnem usque ad orientem, secundùm Provincias olim à Gentilibus occupatas, nempè Phœniciam, regionem Damascenam, Ituræam, Trachonitidem, & Gaulanitidem. Nomen Galileæ Gentium peculiari significatione exprimit tantummodò Provincias Gentilium in fronte, seu limitibus positas. Inferior Galilæa est nobis regio Ptolemaidis finibus juncta, & adusque lacum Genesareth ad orientem protensa, in sinu suo complectens Tribum Zabulon, & Issachar, ac Nephtali portionem. Torrentem Cison ita describit Adrichomius, tanquam amnem post mare Tiberiadis ad usque Mediterraneum; ejus verò fluminis partem à monte Thabor usque ad Mediterraneum fluentem, appellat *Torrentem Cison*: alteram verò influentem in lacum Tiberiadis, *Torrentem Cadumin*. DD. Sanson, Duval, de la Rue, aliique ferè omnes in suis Tabulis servarunt eundem Torrentem inter duo maria; negligendum id tamen nos duximus, quòd nullo documento sive apud Veteres, sive apud Recentiores fulcitur. Asserunt Itineraria (1), fontes Cison vergere aliquantò ad orientem montis Thabor; fluere verò torrentem illum ad Occidentem, ac devolvi in Mediterraneum ad radices & Septentrionem Carmeli. Falli illos in ostio torrentis, unde in mare devolvitur, assignando, autumavit Cellarius l. 3. c. 13. tenet enim, sed nullo satis firmo argumento, constituendam illud non ad Septentrionem, sed ad meridiem montis. Observat igitur Prophetam Eliam, post demonstratam superstitiosi cultus fallaciam, deducto cælitùs igne super paratum sacrificium, authorem fuisse populis, ut abreptos Pseudo Prophetas omnes in aquis Cison, fluentibus ad radices montis Carmeli, ubi sacrificium oblatum est, demergerent 3. Reg. 18. 40. Quid inde? an ergo Cison rivus erat ad meridiem Carmeli? Est torrens Septentrionalis vallis magni campi, è regione montis Gelboe & montium Hermon.

Geminæ Urbes *Bethoron*, superior nempè, & inferior, ita notæ sunt, quàm quid aliud. Inferior in eminenti quodam loco inter Lyddam & Jerusalem spectabatur, 100. stadiis circiter ab eadem Jerusalem (2), vel duodecim millibus passuum juxta Itinerarium Burdegalense, à quo Bethar appellatur. Superior Bethoron remotior quidem erat à Jerusalem, sed in eadem directionis linea, si quis è Jerusalem vel Diospoli Cæsaream peteret. Narrat S. Hieronymus in A Epitaph. Paulæ, S. Paulam ex Emmaus iter Jerosolymam versus dirigentem, venisse Bethoron inferiorem, & Bethoron superiorem, urbes olim à Salomone constructas, deinde temporum senio collapsas. Sed hæc nunquam cum veritate cohærent, ut S. Viri ætate ipsam de situ Urbis memoriam penitùs excidisse oporteat. Erant enim magis Septemtrionales Jerusalem, quàm Emmaus & Nicopolis. Itinerarium Antonini Urbem *Betaron* vel *Bethar* collocat 18. milliar. à Cæsarea Palæstinæ, & 22. Millar. à Diospoli; Itinerarium Burdegalense 20. milliar. à Diospoli, & 16. à Cæsarea. Porrò alia erat hæc à Bethoron inferiori inter Jerusalem & Diospolim media; quare confundamus oportet cum Bethoron superiori. B Itaque inter geminas illas spatium erat 24. milliar. circiter; inferior meridiana erat; superior septentrionalis Diospoli. In Commentario ad Josue 16. 5. scripsimus, Bethoron superiorem in Orientali portione Tribus Ephraim satis proximè ad Jordanem sitam esse, quem locum apertissimè designare Textum Josue reputavimus (3). Legimus enim in illo, limites orientales Ephraim duci ab Atharot-addar ausque Bethoron superiorem. Verùm si ea, quæ huc usque disputavimus, vera sint, ita Josue locus explicandus est: Sortis Ephraim limites orientales ponebant Atharot Addar & Jordanis; septentrionales verò definiebat linea à Bethoron superiori usque ad Mediterraneum.

C Nomen *Saron* sæpiùs quidem recurrit in Scriptura; sed loci ne, an regionis? Tria eodem nomine diffita loca distinguit S. Hieronymus: 1. Pars Bataneæ in Transjordanis eodem censebatur; 2. Ager inter Cæsaream Palæstinæ & Joppe; 3. Locus in magno campo Jezrael vel Esdrelon; 4. Tandem recentioribus Itinerantibus Saron est ager post Ecdippe adusque Ptolemaidam. Sed operosior esset sanè demonstratio, si quis niteretur adductis Scripturæ locis probare, vetera hæc fuisse regionum illarum nomina.

De mari Mortuo plura animadversione digna occurrunt. Exhibetur plerumque in Tabulis, veluti in rectam lineam protensum à septentrione ad meridiem longitudine 20. vel 24. leucarum, D latitudine verò, ut majus, 6. vel 7. sed figuram potiùs exhibuisse constat lunæ decrescentis, cùm ex agro Jericho, nonnisi unius leucæ tractu à mari illo distante, portio tantùm maris illius spectetur longitudinis 4. leucarum circiter, latitudinis duo; reliquis verò ejusdem, quòd retro post montes ad orientem & occidentem ejusdem maris gyrent, objectu eorumdem montium prohibitis (4). Memorant Veteres (5) Sodomæ & circumjacentis ad 60. stadia regionis eversionem, cujus supersunt ad litus ejusdem maris documenta. Eusebius, & S. Hieronymus in locis in Sodoma & in Adama, ita de Sodoma & Seboim agunt, quasi de locis sua adhuc ætate in E ripa occidentali ejusdem subsistentibus. Sermo etiam de Seboim, tanquam de manente Urbe habetur 1. Reg. 13. 18. sicut & de Adama apud Septuaginta in Isai. 15. 9. De sua ætate restatur Josephus de bello l. 4. c. 24. in Græc. pag 892. spectari adhuc vestigia quinque Urbium in litore lacus Asphaltitis. Apud Stephanum in Engadda, & in Notitiis legitur Sodoma, quæ Urbs erat Episcopalis in Provincia Ecclesiastica Petreæ. Sita erat inter Engaddi & Thamar, ac proindè satis proximè ad extremam oram meridionalem maris Mortui. Nec sanè alibi Sodoma collocanda; fieri enim vix potest, ut multum distaret à Segor, quò Loth è Sodoma pedem retrahens, post aliquot viæ horas sub ortum solis pervenit.

Infe-

(1) Vide Doubdam Iter terræ S. c. 51. 58. & Maundrell. Iter Aleppo Jerusalem pag. 190. &c.
(2) Antiquit. l. 20. c. 4. collatum cum l. 2. de bello c. 20.
(3) Josue 16. 5. *Possessio eorum contra Orientem Atharotaddar usque Bethoron superiorem.*
(4) Doubdau. c. 39. (5) Strab. l. 15.

Inferior loco erat Seboim, & ad septentrionem. Unius ex Urbibus rudera, multùm intra maris alveum excurrentia, spectari contigit ad ripam orientalem post ann. 1650. (1); sua exhibuit litus occidentale in ipsum pariter alveum excurrentia, qua parte litus illud planitiem Jericho habet aversam (2). Quibus ita se habentibus, constitutas tenemus quatuor Urbes, Sodomam, Seboim, Gomorrham, & Adamam in eodem fermè quo olim, situ, longè planè ab illo, quem in Tabulis obtinent. Est enim Sodoma in Tabulis 10. vel 12. leucas à Segor distans, cùm reipsa 4 vel 5. tantùm recedat. Maris mortui humiliores esse aquas nonnullis in locis oportet, quippè quòd ab Arabibus camelos inequitantibus transvadentur.

Thamar vel Thamara præposterè cum Engaddi, sivè cum Asason-Thamar, urbe nempè longè à Thamar remota, confunditur. Urbs erat ad meridiem maris Mortui, diei itinere à Malatha, quam Eusebii ætate præsidiarii Romanorum milites tenebant (3). Apud Ezechielem 47. 19. Thamar omnium prima meridionales Terræ sanctæ limites, ducta linea à Mari mortuo adusque Mediterraneum, definit. Congruunt cum Ezechiele Tabulæ Peutingeri, & Ptolemæi, quorum postremus *Engadda* in loco inferiori ejusdem maris Septentrionem versùs consignat. Engaddam ipsam eandem esse cum *Asason-Thamar* apertè demonstrat Textus 2. Par. 20. 2. Porrò Engaddi non longè à Jericho collocata, media erat inter mare & eandem Urbem, teste Plinio & S. Hieronymo.

Neque pariter in definiendo Jerosolymæ situ cum vulgaribus Tabulis convenimus; est enim meridionalior quàm plerumque constituatur; uti ex dimensionibus ductis è Jamnia, Samaria, Ptolemaide, & Jericho intelligimus. Ad hæc narrant Itinerantes, venientes se e Jerico & Jordane Jerusalem viam ita tenuisse, ut trium horarum spatio secundùm mare Mortuum, aliquanto tamen ab illo distantes, iter haberent (4). Adde pariter è Jericho in Bethlehem venientes, Jerusalem vel ejus urbis vicinas repetere (5). Non est ergo Urbs adeò Septentrionalis, ut plerumque constituitur, si cum mari Mortuo conferatur.

Meridionaliores etiam constituendæ sunt Geth, Bersabee, Gerara, Maon, Arad, & aliæ nonnullæ. Legimus 1. Par. 7. 21. antequam ex Ægypto digrederentur Israelitæ, Ephraimitas in ulteriora regionis Gethææ penetrantes, pellere inde veteres incolas tentasse, sed frustra; referre enim pedem non sine suorum cæde coacti sunt. Non ergo multùm aberat regio Geth ab altera regione Gessen, loco Israelitis in sedem destinato. Ad hæc, Siceleg Urbs erat Regi Achis subjecta 1. Reg. 27. 6; hæc autem in plaga maximè Meridionali Juda constituta erat: Geth & Accaron duæ habebantur Urbes in extremis finibus regionis Philisthææ, hæc ad septentrionem, Geth verò ad meridiem. Jacebat ergo Geth ultra Gazam, quam scilicet Urbem Geographi nostrates constituerunt, veluti ditionis Philistinæ ad Ægyptum postremam. Tandem S. Hieronymo Geth Urbs est finitima ditioni Juda in via Eleutheropoli Gazam (6). Sed meridionalem planè demonstrat Textus 1. Par. 1. 7. 21. ubi de bello Ephraimitarum in Ægypto adhuc versantium adversùs Gethæos. Non longè abfuisse oportet à *Meteg*, de qua 2. Reg. 8. 10. sive à Melca vel Metec statione Israelitarum in deserto in viciniis Geth & Asmonæ, uti legimus Num. 33. 28. Porrò *Metca* confundenda est facilè cum Meteg; quo modo conciliantur Textus Regum & Paralipomenon; in uno enim legimus David cœpisse *Geth & Filias ejus*; in altero verò *Meteg & matrem*; nempè Meteg & Geth.

Extremam oram meridionalem Palæstinæ tenebat Bersabee, quemadmodum Dan Septentrionalem. Viginti millibus passuum ab Hebron meridiem versùs constituunt Eusebius & S. Hieronymus, quos sanè loci præsidio Romanorum insignis situm ignorasse vix credimus. Æquà intervalli ab Hebron distantia, & ad eandem plagam spectabatur Arad, non longè proinde à Bersabee posita.

Nota erat Abrahami ætate Gerara Gen. 20. 1. Urbs in Arabia Petræa 2. Par. 14. 14., inter Cadea & Sur, limites Chananææ Ægyptum versùs unà cum Gaza designans Gen. 10. 19.. Viginti quinque millibus passuum ab Eleuteropoli ad meridiem constituunt Eusebius & S. Hieronymus. Ne dubitans quidem autumo, eandem esse Urbem cum *Gera* Strabonis l. 16., juxta montem Casium, & Urbem sive campum Chabriæ; sed multo quàm par est proximiorem Pelusio ab illo collocari censeo.

Locus & desertum *Maon* frequenter in Scriptura recurrit; nec aliud eo nomine designari censeo, quàm Urbem *Manis* sive Meonis in viciniis Gazæ, de qua Eusebius. Campum Mænæum, juxta *Versabinum* sive Bersabee, legas in Codice Theodosiano, lege 30. Desertum Maon, sive Nabal, ubi sedes habebat suas Nabal vir Abigail, non longè abfuisse credendum est à Phara, cùm David & Abigail, altera è monte Carmelo in Arabia, alter è Pharam moventes, post confectam aliquam viæ portionem infra Carmelum sibi invicem occurrerint 1. Reg. 25. 20.. Maon ad meridiem situm erat Jesimon, vel Esemonæ (7), ac proinde multùm intra Arabiam Petræam. Hanc ipsam Urbem Maon sive Meon Metropolim Mæoniorum constituo. Arad juxta Eusebium spectabatur 20. mille passibus ab Hebron, meridiem versùs, & *Horma* sive Harma seu *Ereminon*, apud eundem Authorem, 16. milliar. ab Eleuteropoli ad meridiem. Porrò locus erat non modicus, à Judæis frequentatus ejusdem Scriptoris ætate. De Carmelo major est disquisitio: Urbs Carmeli 10. milliar. ad Orientem Hebron, quàm Romanorum præsidium tenebat, legitur apud Eusebium. Eo loci greges habuisse suos credit Eusebius Nabal Carmelum; sed vix hæc mihi persuadentur; maluerim enim tres montes Carmelos distinguere, alterum juxta Pharan & *Maonim*, ubi Nabalis greges, & Saul triumphalem arcum, perpetuum victoriæ suæ in Amalec monumentum, erexit; alium juxta Ptolemaidam ad Mediterraneum; tertium ad Occidentem maris Mortui 10. mille passibus ab Hebron; de quo facilè postremo loco sermo est Josue 15. 25. ubi Maon & Ziph jungitur. Porrò alterius Urbis Ziph mentio occurrit in eodem capite ver. 24. jungiturque Alor, Cades, & Jethnam. Est etiam interdum Carmelus appellativum nomen.

Urbs Eleuteropolis, cujus frequenter nos in hac Lucubratione, & unde pariter Eusebius ac S. Hieronymus mensuras ferè omnium meridionalium Urbium Judææ deduxerunt, sita erat ad me-

(1) Tabul. D. du Fer. (2) Vide Maundrel. pag. 142.
(3) Euseb. in Asason Thamar. Vide nov. edit. S. Hier. Urbem hanc Eusebius mediam collocat inter Hebron & Jerusalem, quod Ezechielis loco plane repugnat.
(4) Vide Petrum della Valle Epist. 12. pag. 340. & 336. Italic. Iter Orientale jussu Regis ann. 1628. per D. D.C. pag. 485. & Doubdan. cap. 32. pag. 272. 273. (5) Maundrell. pag. 140.
(6) Hieron. in Mich. 1. 10. Eusebius in libro de locis constituit 5. Mill. passibus ab Eleutheropoli Diospolim versùs.
(7) 1. Reg. 23. 24. *David & viri ejus erant in deserto Maon in Campestribus ad dexteram Jesimon.*

ad meridiem Masphæ, ad Occidentem Morasthi & Odollam, ad Septentrionem Ceilæ atque Hebron. In Itinerario Antonini est 20. millibus passuum à Jerusalem, & 24. ab Ascalone (1). Quantum ab Eleutheropoli distet Hebron, nihil expresse Eusebius; sed ego 10. millia passuum circiter constituerim; posuit ille Ceilam 8. milliar. ab Eleutheropoli Hebron versùs. Itinerarium Burdegalense spatium constituit 30. milliar. inter Jerusalem & Hebron; sicut & 9. milliar. inter Betsur, Urbem Eleutheropoli proximam, & Hebron. Non longè aberat amœnissimus ager Sephar, secundùm viam è Gaza Jerusalem, & vicissim. Per hanc vallem iter dirigere Jerosolymam constituerat Holophernes; per hanc Rex Antiochus Eupator exer- A citum suum in eam Urbem deduxerat; & cùm inter eundum Urbem Betsuram offendisset, obsidione illam vallavit (2). Appellabatur via illa Idumææ. Idem pariter ager insignis est cæde exercitus Zaræ Regis Arabiæ (3), & diu post Gorgiæ copiarum Syriæ Imperatoris (4). Urbs Maresa non longè ab Eleutheropoli spectabatur. Per eandem viam & per agrum Sephalæ è Gaza Jerusalem proficiscuntur nostra ætate Itinerantes.

B Nec ultra nos de locis, quorum situs aliter in in nostris, aliter in vulgaribus Tabulis constitutus est. Cætera in Commentario supplebimus, expectantes interim ut doctus aliquis Geographus meliora tradat & exactiora, quàm quæ nos vidimus in hoc argumento.

DISSERTATIO

QUA HEBRÆORUM HISTORIA

Cæterarum Nationum Historiis præstare ostenditur.

DE totius orbis historicis monumentis modò nobis quàm aliàs unquam pronius est judicare, cùm eorum nulla, quantùm credere par est, hodie nos lateant, & quidquid ad eorum originem & historias attinet, vulgata sint omnia. Quamvis enim gentes quædam in remotissimo vel Africæ v. g. vel Americæ, vel Australium regionum sinu nobis abderentur incognitæ, nil sane producere possent, quod præ celeberrimis Ægyptiorum v. g. Chaldæorum, Indorum, Persarum, & Americanorum historiis, majorem præfert authoritatem. Nos igitur nationum nullam de sua origine, & vetustate, quin ad sacros Hebræorum Libros confugiat, certi nil posse exhibere, hac Dissertatione D demonstrandum aggredimur. Hi fontes sunt, unde omnibus illud hauriendum est, quo singula omnia, quæ de suis historiis à Vetustis Scriptoribus referuntur, certa esse probentur. Nationes omnes, quæ originem suam ad Noe, ejusque filios, seu posteros non referunt, suamque ultrà Diluvium, & epochas ab Judæorum historiis agnitas, vetustatem protendunt, hoc ipso in falsitatis suspicionem adducuntur.

Primùm illud occurrit, quo Judæorum historiæ historiis cæterarum nationum potissimùm præstant, quòd nempè per Sacros Scriptores & Prophetas Divino lumine, ne fallerentur, perfusos, easdem Deus ipse conscripserit. Cùm igitur in historia præ cæteris facienda sit veritas, compertum pro- E fectò, Judæorum historias veritate eminere inter cæteras, quas sæpissimè homines vel imperiti, vel veritatis personandæ studio detenti, edidere; qui prætereà errori quotidie obnoxii & falli poterant, & alios fallere, vel id consultò, vel id præter animum necessario lumine destituti præstiterint.

Verùm etsi Inspirationem Divinam, per quam cæteras omnes antecellunt historias, aliquandiu prætereamus; easdem nihilominus, vel nulla supernaturalis hujus authoritatis habita ratione, tum veritate cùm authoritate cæteris omnibus præstare perspicuè exhibemus.

C Id ut plurimum in Historico exigitur, ut coævus sit, ingenuus, peritus, partium studio minimè detentus, prudens, exactus, præjudiciorum immunis, odii, amoris, spei, timoris affectibus liber, indigena tandem non advena, aut nulla vel generis, vel nominis, vel muneris nobilitate conspicuus. Quorum omnium vel singula vel pleraque in Judæorum Scriptoribus adeò congesta intelligimus, ut vel quòd decepti fuerint, vel quòd nos voluerint in errorem adducere, omnis ab iisdem suspicio sit penitus removenda. Eorum præterea narrationes ita inter se mutuò nectuntur; ita cum gravitate, prudentia, & consilio cohærent; exteris aliis & authenticis historiis adeò congruunt; quoddam ingenuitatis, & veritatis ita sibi similes characteres præferunt; Hebræorum denique natio ea semper ingenuitatis laude apud omnes claruit, ut eorum narrationes nemo unquam impugnaverit. Hæc omnia simul congesta eam sanè Hebræis Scriptoribus fidem vindicant, ut parem authoritatis gradum prophani Historici nunquam potuerint obtinere.

Moyses primus & præcipuus Historiæ Hebræorum Author, eximii ingenii, & præstantis animi & ingenui vir spectatissimus, visitatis nescius, rerum peritissimus, sapientia, pietate, Religione, integritate, & consilio eò usque cumulatus, ut his animi sui dotibus undique ejus Scripta redundent. Liberorum loco à Regis Ægypti filia assumptus, quò non pervenisset, si faventi terga sponte vertens fortunæ spes Aulæ non rejecisset, ut de suorum fratrum calamitatibus partem consequeretur? Quibus profectò fratribus juvandis adeò institit, ut Regis ira in se concitata sibi demùm fuga fuerit consulendum. Postquam verò diu abfuerat, à Deo excitatus, ut Israelitas Ægypti captivitate solutos in libertatem assereret, iisdemque ad mores componendos Leges impertiret, muneri suo solerter incubuit, idemque felicissimo implevit eventu. His peractis, earumdem historiam contexere aggressus est, iis coram testibus, qui rebus omnibus adfuerant, coram nempè hominum sexcentis millibus in locum unum coactis, qui ejus non modò verba om-

(1) Vide Cellar. l. 3. cap. 13. pag. 353. 354.
(2) 1. Macchab. 6. 31. &c.
(3) 2. Par. 14. 9.
(4) 2. Macchab. 11. 31. &c.

nia, sed & animi motus attendentes, eidem utique reclamassent, si, quemadmodum plura eorum honori, nomini, & propensioni adversa recensuit, quid fortè veritati non consonum protulisset.

Ut longinquiùs historiam exorsus perfectiorem exhibeat, à mundi crepundiis ad suam usque ætatem protrahit; Hebræorum. Progenitores refert, eorumque genealogiam recenset, & præcipua Patriarcharum, Josephi potissimùm, tanti apud Ægyptios habiti, gesta commemorat. Quæ omnia Moysis consiliis quammaximè conducebant; Hebræis enim & suam, & unà nationum, cum quibus brevì vel fœdus ineundum ipsis erat, vel dimicandum, originem aperiebat; eas regiones, quarum in expeditionem progrediebantur, quòd eorum Progenitoribus à Deo promissæ fuissent, ad ipsos pertinere ostendebat; Abrahæ, aliorumque Patriarcharum plurima virtutum proferebat exempla; & eorum Patres, eorumque progeniem, ut sibi in eis Sacerdotium & Religionem constitueret, à Deo potissimùm electos commendabat. Iis præterea memorandis satis institit, quæ cæremonias, & pios quosdam ritus, quos ipse secùm constituebat, seu restaurabat, Sabbatum v. g. & Circumcisionem, olim jam constitutos ostenderet. His itaque argumentis Moysem adductum putamus, ut suas Historias à Genesi exordiretur.

Quæ in Exodo creditu difficiliora feruntur, Israelitæ omnes aspexerant, quare Moyses nec Hebræos decipere, nec Ægyptiis hostibus detrahere poterat. Præterea de Hebræis, & de semetipso ingenuè loquitur, nec illis assentatur, nec sibi blanditur, eorumque & bona & mala, ut occasio postulat, syncera fide commemorat; quam quidem fidem ejus historiæ undique præferunt, & summam produnt integritatem. In Moysem itaque ea omnia confluunt, quæ omnem ab eo falsitatis, aut mendacii suspicionem removent, & ejus historiam, cui certa fides adhibeatur, dignam constituunt.

Priores tantummodò Genesis historiæ, quas utique per seipsum scire non poterat, aliquam fortè inducant difficultatem; quam statim evertimus, si meminerimus, 1. Moysem duodequinquaginta annis post Levi obitum natum esse, Levi autem unà cum Isaac annos vixerat quadraginta; & Isaac cum Abrahamo quinque & octoginta, & cum Sem, Noe filio, annos quinquaginta. Sem annis octo & nonaginta ante Diluvium jam in vivis agebat; quare Lamech viderat, & Mathusalem, qui primum hominem noverant. Hinc fuit, ut eorum, quæ vel ante, vel post diluvium gesta fuerant, traditio, priorum hominum diu viventium ratione habita, recens adhuc conferetur.

2. Rerum ante gestarum Scripturas, & monumenta jam tum non extitisse non constat; quorum si quidquam vel apud Ægyptios, vel apud Judæos servabatur, Moyses profectò præ cæteris noverat: optimè enim ab Ægyptiis eruditus fuerat, & eorum, quæ ad Hebræorum historiam attinerent, nil penitus ignoravit.

3. Quæ à Moyse referuntur, ea sunt, ut facilè in hominum memoria reservarentur, v. g. Mundi creatio, Adæ lapsus, Diluvium, Turris Babel, conditum Nemrodi Imperium. Huc enim fermè omnia pertinent, quæ de ea ætate à Moyse referuntur.

De Josue Libro, quem ipsi Josue Israelitarum Duci vulgò adscribunt, idem judicium, quod de Libris Moysis, utique pronunciandum. Ejus enim Author iis, quæ scripsit, coævus, sapiens, diligens, doctus, prudens, & Hebræi populi Dux, ea recensuit, quæ vel ipse gesserat, vel testis oculatus aspexerat.

Libri Judicum Scriptorem Samuelem putamus, cujus quidem gravitatem, sapientiam, doctrinam, consilium, & qualitates cæteras scimus. Ex eorum, quæ sub Judicibus gesta fuerant, monumentis Judicum Librum contexuit, quare vel his historiis coævus, vel fermè coævus censendus est. Si is etiam, ut vulgò credimus, primi Regum majorem partem scripsit, quæ viderat & gesserat scriptis redegit. Davidis gesta à *Samuele Vidente, & à Prophetis Nathan & Gad*, quorum uterque Davide & Salomone imperantibus vixerant, scripta fuisse Scriptura commemorat 1. Par. 29. 29.

Cæteros Judæorum Historicos Libros scripserunt Prophetæ, iis coævi Principibus, quorum gesta edidere. Addo, & Ahias Regni Salomonis 1. Par. 9. 29., Semeias & Addo Regni Roboam historiam exhibuerunt 2. Par. 12. 15.. Addo præterea dedit gesta Abiæ 2. Par. 15. 22.; Hanani sub Asa 2. Par. 16. 7., & Jehu Hanani filius sub Josaphat Annales congessere 2. Par. 20. 34.. Eodem postremo Rege imperante, Eliezer 2. Par. 20. 37. & Jahaziel 2. Par. 20. 14. Prophetæ scripserunt. Quæ sub Ozia 2. Par. 26. 22., & Ezechia 2. Par. 32. 32. evenerant, Isaias recensuit, qui & plurima quæ ad Achaz attinent, exhibuit. Regni Manassis historiam intexuit Hosai 2. Par. 33. 19.; Regni Josiæ, & ejus Successorum Judæ Regum Commentarios edidit Jeremias, cujus Prophetiæ habendæ sunt veluti eorum narratio, quæ postremis Regni Judæ temporibus contigerunt. Regum & Paralipomenon Libri Judæ, & Israelis Regum Annales sæpissimè allegant, nosque ad eos veluti ad publica, certa, & authentica monumenta remittunt; quæ quidem non modò captivitatis ætate, sed & post captivitatem extabant, si, ut verosimiliùs præfertur, Regum, & Paralipomenon Libros, à quibus iidem Annales sæpissimè producuntur, Esdras verè scripsit, seu veriùs in compendium digessit.

Judæis captivitate detentis, Ezechiel, & Daniel eventus plurimos protulere Ninive Tobias, Susis Mardochæus & Esther Nationis Judaicæ historiam continuarunt; quorum quidem authoritati perpendendæ non immoramur, cùm certam apud omnes eorum testimonium fidem obtineat. Post Captivitatem ab Esdræ, Nehemiæ & Macchabæorum Libris Judæorum gesta admodum protracta exhibentur (1).

Spatium, quod Nehemiam & Macchabæos interjacet, breve est (2); tum præterea Judæi parvi ita habebantur, ut ad magna gerenda vel vix, vel nunquam adhibitos, & Sacri, & Prophani Authores eos præterierint. Permagna Judæorum captivitas neminem latet; quo etiam pietatis studio Esdras claruerit, nemo est, qui non noverit. Is à præclara progenie ortum duxerat, & ab Artaxerse Longimano vel captivus maximi ducebatur. Ejus nomine inscriptum Librum primum per se ipsum contexuit; secundum addidit Nehemias, qui è clarissima Tribu Judæ familia ortus, ejusdem Artaxersis, à quo & in Pincernam assumptus fuerat, amorem sibi maximum conciliavit. Singulari nomine de se per totum ferme Librum semper loquitur; *Nehemiæ* etiam *Commentaria* in 2. Macchab. 2. 13. allegantur, quorum fortè compendium tantummodò ejus Librum credimus, cum locus apud Macchabæos productus ibi minimè occurrat.

Minima quædam aliena manu adjecta in Esdræ & Nehemiæ Libros irrepsisse fatemur. Verùm inter Scripturarum Libros vix aliquis inveniatur ubi addita quædam non occurrant. Hebræi veteres phrases quasdam ad ea explicanda, quæ temporum diuturnitate obscura evasissent, suis texti-

(1) Nehemias post ann. 3563. occubuit. Antiochus Epiphanes imperare cepit ann. 3829. Inter utrumque anni 266. intercedunt, cujus etiam intervalli habemus historiam de Judæis Ægypti, quos Eupator ann. 3787. persecutione confecit.

(2) 2. Macch. 2. 15.

textibus interserere non ducebant alienum; quo quidem priorum ætatum fides potiùs, non decipiendi malus animus inducitur. Neque subdolè id, neque callidè præstitere. Ita nos vel proprias, vel alicujus periti Viri notas nostrorum Librorum margini interdum adscribimus; qui sanè Libri animadversionibus ejusmodi inserti, non modò non amittunt authoritatem, verum etiam studiosius inquiruntur. Notæ Libris Sanctis ab Judæis adscriptæ, hæc v.g. præferunt: vel genealogiam longinquiùs, quàm à primo Authore, deductam; vel geographicum quid; hanc Urbem aliàs hoc nomine appellatam; hanc regionem quondam ad hunc populum pertinuisse; hunc locum vel cis vel trans Jordanem situm esse; aliquid & in alio Vetusto Codice legi. Huc omnia & singula referuntur, quæ Sacris Authoribus addita. Fortè & quis Amanuensium error irrepsit: cujusmodi vitiis quis omninò Liber immunis?

Macchabæorum primus Hebraicè vel Syriacè primò descriptus; hoc enim idiomate Macchabæorum ætate Palæstina utebatur. In fine hujus Libri c. 16. ad Commentaria Joannis Hircani Lector remittitur; quo illud ostenditur, Authorem ex Commentariis seu Annalibus historias deprompsisse; Macchabæos etiam curasse, ut quæ contingebant, majoris momenti memoriæ consignarentur. Secundi Macchabæorum Scriptor c. 12. 14. Judæorum historias bellorum turbis dispersas, Judæ studio congestas fuisse testatur. Author tertii Macchabæorum, quo persecutio à Ptolemæo Philopatore Rege Ægypti in Judæos mota continetur, prorsùs latet; vetustissimum nihilominus scimus, & eorum, quę refert, instructissimum.

Post Macchabæorum Libros Judaicam Historiam apud Josephum, & in Vetustissimis monumentis Arabicis, quæ in suis Polyglottis à D. de Jay asseruntur, habemus. Josephi Historici criticam, sapientiam, atque peritiam omnes commendant; de quo hæc Scaliger in Prolegom. in Libros de emendat. temporum: *Diligentissimus, veracissimus omnium Scriptorum Josephus, de quo nos hoc audacter dicimus, non solum in Judaicis, sed etiam in externis tutius illi credi, quam omnibus Græcis & Latinis.* Eusebius, S. Hironymus, & Photius amplissimis laudibus eundem meritò cumulant; quem nihilominus in quosdam errores delapsum, & sæpè à Scripturarum veritate recessisse fatemur.

Hæc de Historiæ Hebræorum authoritate, qui innumeris seditionibus, infortuniis, bellis, & calamitatibus invitis, sæpè etiam vitæ, bonorum, & libertatis discrimine sua servarunt monumenta, quæ originali adhuc idiomate conscripta ad nos pervenere. Istud verò idioma, quamvis duodeviginti ab hinc sæculis desierit, à Sapientibus plurimis adhuc ita tenetur: ut optimè eas Scripturas percipiant, quarum quasdam Versiones habemus duodeviginti sæculis vetustiores. Judæorum populus in omnes fermè orbis regiones diffusus, adhuc superest, qui Religionis suæ quammaximè studiosus, suæque historiæ peritissimus, sacris monumentis servandis plurimùm incumbit. Quare ad hujus historiæ veritatem, & authoritatem comprobandam nil præterea desideratur.

An Nationes cæteræ eadem fidei argumenta præferant, nunc discutiamus. Orientales generatim propriis scribendis historiis præ Occidentalibus incubuisse videntur; quo factum est, ut & vetustiores habeantur, & artes apud ipsos ab exordio diligentiùs excolerentur. Assyrii, Chaldæi, Athenienses, Persæ, Ægyptii, quemamodum Hebræi, quidquid in eorum regionibus memorabile contingeret, Annalibus mandabant. De vetustis Ægyptiorum Annalibus apud Herodotum l. 2. c. 3. & Diodotum Siculum l. 2. mentio. Plato in Timæo Sacerdotem Ægyptium loquentem inducit, qui Ægyptios ea, quæ vel in Ægypto vel alibi singularia gererentur, scriptis consignare solitos testatur. Manethon apud Josephum contr. Appion. l. 1. p. 1042. quidquid refert, ex Sacris Ægyptiorum Libris se hausisse asserit. Teste verò eodem Josepho ibid. p. 1402., Tyrii sua Tabularia sanctè custodita servabant, in quibus conditæ tabulæ de præcipuis Regionis eventibus erant.

Berosus in Chaldæorum historia vetustissimis monumentis adhæsit (1). Menander quidquid (2) ad varias Nationes spectans in veterum historiis invenit, fusiori Commentario prosequutus est. De Persarum Annalibus sub Cyro, Dario (3), & sub Assuero (4) Scriptura meminit. Romani plerisque ex recensitis nationibus recentiores præclariora tabulis, Ephemeridibus verò leviora consignabant (5). Plutarchus in Alexandr. diarium allegat, in quod Alexandri singulorum dierum gesta referebantur.

Verùm si rem propiùs attingamus, nonnisi imperfectas earum Nationum historias ad nos pervenisse ultro fatebimur; earumdem enim vetustis primisque Scriptis, Ephemeridibus, & monumentis oblivione deletis, fragmenta tantummodò mutila nimis atque informia obtinuimus, versa præterea ab Authoribus Græcis, quibus, ut exactam versionem darent, plena cognitio defuit, atque solertia.

Berosus natu Chaldæus, Tatiano teste pag. 171. sub Alexandro Magno, teste verò Vossio, sub Antiocho I. Rege Syriæ, cognomento Sotere, floruit; sed contra Vossium pro Tatiano stat Perizonius. Græcè vero scripsit, & pro Græcis de vetustissimis Chaldæorum gestis perpauca commemorat. Verùm ea, quæ Josephus & Eusebius ab eodem hausta allegant, Hebræorum historiam plurimùm illustrant.

Chaldæi, juxtà Diodorum Sic. l. 2. p. 83. D., observationes astronomicas annorum 472000. apud se habere comminiscebantur. Cicero l. 1. & l. 2. de Divinatione, ad 470000. & Berosus & Critodemus apud Plinium ad 424000. Epigenes verò apud eundem l. 7. c. 56. ad 720000. extendit. Verùm Cicero portentosam hanc vetustatem stultitiæ, vanitatis, & imprudentiæ condemnat. Quæ quidem remotissimæ observationes, si quandoque extitissent, oblivione profectò penitùs intercidisse quis credat?

Aristoteles, indagandæ veritatis gratia, ad Callisthenem tunc temporis Babylone cum Alexandro versantem literas dedit, ut si quid certioris de ea re deprehendere posset, rescriberet. Callisthenes observationes annorum 1903. ab exordio Monarchiæ Chaldæorum usque ad Alexandrum remisit (6). Si quis igitur ab anno mundi 3676. scilicet post victum Darium annis 1903. ascendat, ad annum 1771. (7), quo tempore per Nemrodum Turris Babel ædificari cœpta est, perveniet.

Nabonassaris Epocha apud Chronologos celeberrima, annum Periodi Julianæ 3966. mundi 3257. ante Christum 1743. ante Æram 1747. non prætergreditur. Nabonassar idem ac Baladam, qui Legatos ad Ezechiam misit, ut de recepta ab illo divinitùs sanitate gratularentur, & de solis retroversi portento inquirerent. De eo Rege apud Isaiam 39. 1., & in Regum quarto mentio 20. 12.

Berosi, quem citat Josephus l. 1. contr. Appion. 1034. 1045., fragmentum de diluvio, & hominum in eo corruptione, sicuti Moyses, ita meminit, simul & de Arca in montium Armeniorum fastigio subsidente. Deinde eos, qui è Noe progeniti sunt, ad Nabopolassarem Nabuchodonosoris Patrem perducit. Tum agit de Monarchiæ Chaldæorum origine;

(1) Joseph. contra Appion. p. 1043. G. 1044. A. (2) Idem ibid. p. 1042. G. (3) 1. Esdr. 4. 15. & 6. 1. 2.
(4) Est. 10. 2. (5) Tacit. Annal. l. 13. (6) Porphyrius apud Simplic. l. de Cælo. (7) ante Christ. 2234.

origine; sed cum mutilum sit Josephi fragmentum, de hac Berosi historia scimus nihil. Quod attinet ad Nabuchodonosoris successores ab Evilmerodacho usque ad Cyrum, cum Daniele, cæterisque ea de re Authoribus Berosus ægrè conciliaretur.

Sub Abrahami tempora, cujusdam Senaar, seu Babyloniæ Regis cum Codorlamor fœdere juncti fit mentio Genes. 14. 1.. Chaldæorum manus in Jobi Libro 1. c. 7. occurrunt. Julius Africanus (1) scribit, Evechoum 224. annis ante Arabes in Chaldæa regnasse, anno nempe Periodi Julianæ 2952. eo circiter tempore, quo Jacob in Mesopotamiam perrexit; anno M. 2242. Arabum adversùs Chaldæos bellum contigit anno M. 2466. nempè anno propè trigesimo Moysis. Arabes 126. annis ante Belum Assyrium, Nini patrem, in Babylonia imperarunt.

Belesus, seu Baladan, seu Nabonassar Babyloniæ Præfectus, & Arbaces Præfectus Mediæ à Sardanapalo Assyriæ Rege descisccentes, 400000. hominum, Medorum nempè Persarum, Babyloniensium, & Arabum, comparato exercitu (a), cum eodem Sardanapalo signa pluries contulerunt; à quo ter victi, Bactrianis à Rege ad se deficientibus, noctu hostes invaserunt, & eorum castris potiti sunt. Tunc Sardanapalus militibus suis præfecto Salemæne conjugis suæ fratre, Ninivem se recepit; ubi bis à Baladan & Arbace Salemæne profligato, ab eisdem undique circumsessus, tribus annis obsidionem sustinuit; donec tumentis Tygridis alluvione stadiis viginti, seu 2500. murorum passibus eversis, perque ruinas aditu hostibus patefacto, ne in eorum manus incideret, extructa pyra, rebusque omnibus pretiosissimis eo congestis, se ipsum unà cum Concubinis, Eunuchis & tota Regia combussit.

Arbaces Medorum & Baladan Babyloniæ Reges renunciati fuere. Ninus verò junior Ninive post Sardanapalum imperavit, & ab eo secunda Assyriæ Regum cœpta est progenies. Hunc Scriptura Theglatphalassarum appellat 4. Reg. 15. 29. & 16. 7. 10. Belesus igitur, seu Baladan primus est Chaldæorum Rex, cujus epocham certò sciamus; etenim de Amraphele Sennaar Rege, cujus mentio in Genesi, & de Chaldæis, apud Jobum, & de iis denique, quos ab Arabibus victos Eusebius refert, apud nos certi nihil, quorum præterea & Imperii sedem, & Monarchiæ durationem, & quomodo, & quando in Assyriorum ditionem venerint, penitus ignoramus. Quare Chaldæorum historiæ historia Hebræorum longè est præferenda; sive utriusque vetustas, continuatio, & certa authoritas una simul conferantur; sive undè utraque exhauritur, fontes, & monumenta perpendantur.

Qui da Medorum gestis ex professo scripserit, nemo occurrit. Herodotus l. 1. post primum eorumdem Regem Dejocem ad annos tantummodò 150. eorum Monarchiam protrahit; quam si ab Arbace, de quo mox ante, exordiamur, & in Cyro, qui Medorum & Persarum Imperium in unum iterum coegit, ad 193. annos extendenda erit; alii ad 350. annos prorogant (3). Verum ejusdem originem, progressum, & eversionem nonnisi subobscure sciri, inter omnes convenit. Arphaxad Medorum Regis, qui Ecbatana condidit, quemque Nabuchodonosor Assyriæ Rex profligavit, Scriptura meminit Judith. 1. 1.. Hunc verò nos in nostris ad Judith Commentariis eundem esse ac Phraortem Medorum Regem; Dejocis primi eorumdem Regis successorem, luculenter ostendimus. Si Judithæ historia sub Manasse Judæ Rege contigit, nullam sanè Medorum Monarchia vetustatem protrahit; tunc enim à Dejoce inceptam in Cyro desiisse constaret.

Assyrium Imperium à Nemrodo paulò post turris Babelicæ constructionem conditum Anno M. circiter 1757. Period. Julian. 2467., inter cætera Orientis Imperia vetustissimum censetur. Nemrodus verò, ejusque Successores usque ad Ninum Beli Assyrii filium, qui annis 980. post Nemrodum, Aod & Baruc Israelem judicantibus, floruit, quamdiu imperaverint, ignoramus. Tempore Nemrodum inter & Ninum interjecto, Chodorlahomor Elamitarum Rex, Arioc Rex Ellasar, & Amraphel Rex Sennaar, qui Abrahami ætate (4) Pentapolis Regibus bellum intulerunt, à Scriptura memorantur. Cùm verò Rex Sennaar, Chaldææ, non Assyriæ Rex nuncupetur, Assyriæ Regnum minimum tum fuisse putamus. Judicum ætate Chusan Rasathaim, annos 146. antequam Ninus Assyrium Imperium conderet, in Mesopotamia imperabat Judic. 3. 8.. A Nino usque ad Imperii Assyrii eversionem, quæ (5) Arbace, & Belesio Sardanapalum, à quo defecerant, oppugnantibus primò contigit, Herodotus, l. 1. c. 95. & Appion annos 520. recensent.

Post primos Assyriæ Reges Nini successores, secundum Assyriæ Imperium scimus, quod ex primi ruinis Junior Ninus condidit (6). Hic Teglatphalasar à Scriptura appellatur. Annis 19. Ninive imperavit; Salmanassarem, Sennacherib, & Assaradonem successores habuit. Assaradon, Manasse Judæ Rege imperante (7), Babylonis Imperio, quòd hæredes defecissent, potitus, utramque Assyriæ & Chaldææ Monarchiam iterum conjunxit. Huic successit Saosduchin, fortè idem cum Nabuchodonosore, qui in Judithæ Libro de Arphaxad, aliter Phraorte, Medorum Rege victoriam retulit.

Post Saosduchin Chinaladan, aliter Sarac, imperavit; quem Nabopolassar Chaldæus, seu Babylonius, & Astyages Medus oppugnarunt (8); ejusque Imperium inter se partiti, Chaldæorum & Medorum Regna ab Assyriæ Imperio iterum sejunxere. Assyriæ Monarchiæ nunquam imposterum restitutæ excidium possumus hic consignare; Nabopolassar enim, Nabuchodonosor, Evilmerodach, & Balthassar, Babylonis Reges, ad Chaldæorum Monarchiæ continuationem pertinent.

De Assyriæ Imperio, annorum 1620. spatio pluris everso, & pluries restituto, hæc, quæ occurrant, certiora. Verùm hujus Monarchiæ historia cadaveris, ita dixerim, speciem præfert. Ejus enim distinctè nomina, regni durationem, plerorumque Regum gesta, & Imperii fines ignoramus; & certum quoddam, quo instruamur, monumentum nullibi extat. Authores, qui de hac historia disserunt, eamdem nunquam perspicuè novere, quare neque inter ipsos convenit; quomodo enim e. g. Ctesias cum Herodoto, cæterisque Assyriæ Imperii Historicis conciliatur?

Persarum Monarchiam sub Cyro tantummodò cœptam omnes vulgò testantur. Quosdam quidem Authores scimus, qui Cambysem Cyri Patrem Persarum Regem constituant; cujus tamen rei, quam Herodotus & Trogus improbant, validum argumentum nullatenus proferunt. Quamvis Persarum Monarchæ ante Cyrum extitissent, adhuc de iis certi nihil statui posset, quòd eosdem penitùs ignoremus. Persæ Cyri initio valdè quidem humiles; qui verò eorum Monarchiæ vetustatem longinquiùs protrahunt, Achemenem Cambysis patrem & Cyri avum ooo prætergrediuntur. Post Cyrum, & in Scripturis & apud prophanos Authores celeberrimum, Persarum Monarchia potentissima evasit: verùm temporaneum fuit Imperium; à Cyro enim, qui anno 3456. Babylone Regnum suscepit, usque ad Condomani Darii, Regum Persarum postremi, cladem (9) anni 218. tantummodò numerantur.

Pers,

(1) Vid. Euseb. Chronic. Jul. Afric. & Usser. ad ann. M. 2465. & 2460. (2) Diodor. Sicul. l. 2.
(3) Justin. l. 1. c. 7. p. 50. (4) Genes. 14. 1. &c. (5) Ann. M. 3255.
(6) Ann. M. 3257. (7) Ann. M. 3323. (8) Ann. M. circiter 3378. (9) Ann. M. 3674.

Persæ veteres gentilibus Historicis omninò caruere. De iis quidquid certioris habemus, à Græcis accepimus; qui eorum rebus scribendis idcircò incubuerunt, quòd à Persis pluries cum Græcis collatis signis, Græci iis in præliis maximum sibi nomen vindicarint. Quare, ut suorum virtus clariùs eluceret, de Persarum Natione tum per Orbem celeberrima diligentiùs indagarunt. Cùm prætereà plurimi tunc apud Græcos literis, & eruditione florentes & se & posterorum memoria dignia secensendis incumbere appeterent, nil eis præstantius tum occurrebat, quàm de Græca Republica, & Persarum Monarchia, & de mutuis utriusque Nationis bellis historiam contexere.

Verùm si Hebræorum Libros consulamus, de Persarum antiquitate, & Origine certius quid & vetustius hauriemus. Elam filii Sem, qui Elymaidem Persidi conterminam populis auxit, & à quo Elamitæ, qui cum Persis ut plurimùm confunduntur, Moyses meminit. *Persarum* nomen nonnisi serò apud Scripturas. Inter copias Holophernis (1) Medi & Persæ recensebantur Judith. 16. 12. Exechiel inter Legiones Tyri auxiliarias à Nabuchodonosor Babylonis Rege profligatas, & *Persas* Parascim nomine enumerat cap. 27. 10. Excidium Monarchiæ Chaldæorum à Regibus Persidis imminere Daniel prædicit c. 5. 18. Persas ex equitandi consuetudine, nunc enim perpetuò fermè in equis sunt, *Paraschim* appellari constat; *Paras* enim Hebraicè equitem significat. Quare *Paras*, seu *Persa* non hujus Nationis genuinum nomen, sed ex equitandi consuetudine adscriptum vocabulum.

Si verò genuinum Persarum nomen *Elam* velimus, Codorlahomor Elam Regem vel Abrahami ætate florentem inveniemus Genes. 14. 1. 9. Isaias 22. 2. propheticè de Babylonis obsidione diu ante loquens, inter aggressores Medos & Elamitas enumerat. Jeremias 25. 25. & 49. 34. gravissimas adversùs Elamitarum Reges minas pronunciat. Hæc itaque Natio potentior, & quàm à Græcis Authoribus præferatur, longè vetustior. Isaias centum annis antequam Cyrus nasceretur, ejus ortum & nomen protulit c. 44. 28 & 45. 1. Hinc fit, ut Sacri Hebrçorum Libri iis suppleant, quæ à prophanis historiis nunquam possemus attingere. Hinc etiam novum deducimus argumentum, quo ad veram populorum originem indagandam, ad Scripturas confugiendum esse ostendamus.

Veterum Persarum reliqui nunc in Oriente sub Sophi, & in Indiis degentes, & ignis cultui, pluribusve aliis priorum Persarum superstitionibus addicti, suam utique ipsorum historiam & vetustam originem prorsùs ignorant. Librum, qui suæ Religionis ritus, & fidei articulos continet, & quem *Zandavastavv* (2) appellant, diligentissimè servant. Fermè ut Hebræi Mundi originem narrant; Adam & Evam generis humani progenitores noscunt; homines jam in terras effusos & vitiis addictos diluvio interiisse ferunt, præter Noe, quem secundum Adam vocant, & præter nonnullos, qui orbem populis iterùm frequentarunt.

Universi creatorem Deum tenent, à quo in sex divisum partes opus suum arbitrantur; 1. Cælum & spheras in amœnum quemdam & deliciosissimum locum, sole, luna, stellis ornatum fabricavit; sedes destinatas Angelis, & cæteris omnibus, qui præceptis Divinis sedulò obtemperassent. Post absolutum opus, quinque diebus cessavit.

Post hæc conditus Infernus in infima orbis regione, locus tenebris horrendus, & impiis, qui Creatorem offenderent, destinatus.

Cùm his occuparetur Deus, Lucifer secessione

A ab illo facta, in inferni deteriorem locum actus est præceps, ubi ad exitum usque mundi detineatur. Post hæc condita, iterum quinque dierum quies.

Aqua & terra, quibus inferior mundus constat, tertium Dei conditoris opus fuerunt; quibus stata quinque dierum requies successit.

Quartum opus, arbores & plantæ in cibum hominum & animantium; tum stata iterum quies.

Quintum opus, omnis generis animantia; quies iterum.

Sextum, Adam & Eva humani generis parentes creati sunt. Ex Eva singulis diebus gemellifœtus nati; unde tanta hominum multitudo, quæ mille annorum spatio mortem nullam vidit.

Cùm Deus malum Luciferi in se animum in-

B tueretur, quippe qui non in suam tantùm majestatem injurius, sed in homines etiam noxia moliretur, malis ejus consiliis occurrendum ratus, Inspectores in Creaturas suas instituit. Principes dati sunt in Cælos *Hamull*; in Angelos *Acrob*; in solem lunam & astra *Jodo*; in terram *Soreb*; in aquas *Josa*; in belluas *Sumbole*; in pisces *Daloos*; in arbores *Raran*; in virum & mulierem *Cons*. Inspectores verò, nequid Lucifer ejusque Clientes in Creaturas molirentur, dati sunt *Sertan*, & *Afud*.

Cùm hominum crimina plus nimio crevissent, immisso in terram diluvio Deus homines demersit omnes, uno excepto Noemo, (secundum Adam appellant) aliisque rarissimis, à quibus terra iterum incolis frequentata est.

C Gujomarum prætereà filium Aram filii Sem, primum Persarum Regem constituunt; eamque Monarchiam à Regibus 45. gestam, annis mille perstitisse ostentant: quorum Regum postremum Yesdegerdem vocant, quem Arabes Mahometani Regno expulsum (3), ut Karasonium se reciperet, adegerunt. Vix hæc ex historiis, quæ apud nostræ ætatis Persas servantur. Quibus sanè ostenditur, quam plurima illos lateant; & quid nobiscum fieret, si ad monumenta, quæ apud Orientales populos extant, confugiendum esset, ut veteres eorum historias perciperemus, nisi præstò nobis essent primùm Sacri Hebræorum Libri, deinde Græci & Latini Historici, qui, desinentibus Hebræis, nobis opitulantur.

Veterum Persarum vetustissima, idiomate &

D characteribus incognitis inscripta, adhuc extant monumenta, quibus in Oriente augustius nihil, nihilque præstantius. Magnificarum Urbis Persepolis, uti creditur, Ædium, quarum conditores ignoti, Itinerantibus rudera inspiciuntur, in quibus quædam Græcæ inscriptiones (4), cæteris recentiores. Verùm sepulchrorum potius, quàm veterum Persidis Regum ædium, reliquias arbitramur.

De Religione Banianorum sive Baneanorum, regionem Camabiæ in Indiis Orientalibus tenentium, hæc damus ex *Shaster*. (Liber est Legum ejus gentis Gallicè versus ex Angelico Henrici Lord) Paris. apud Robertum Nivell. in 8. 1667.

Creavit Deus cum Universo simul & quatuor

E Elementa, Terram, Aerem, Ignem, Aquam, quæ priùs in massam indigestam confusa, separavit demum. Namque super Aquas in sufflante intumuerunt statim velut in ampliorem quandam ovalem ampullam, easque sensim augescens Firmamentum constituit, nitidum illum & pellucidum globum, qui Universo circumfunditur.

Terra liquido quodam elemento innatans, imo tandem fundo subsidit; factaque à Deo Terram inter & Aquas secretione, utrasque simul in globum constriuxit, cujus solidiores partes Terra, liquentes Mare dictæ sunt. Porrò globus iste, ut in medium Firmamenti depelleretur, ingens qui-

(1) Holophernes Dux exercitus Nabuchodonosoris, aliter Saosducin Assyriæ Regis.
(2) Vid. lib. inscript. Historia Relig. veter. Pers. ex libro inscripto Zandavastavv. Paris. in offic. Nivell. 1657.
(3) Anno Ægiræ 31. Christi 651.
(4) Vide Itinerar. Pers. D. Chardin.

dam strepitus seu concussio fecit. Tum Sol, & Luna creati, simulque discernendis anni temporibus in Cælo constituti.

Ita è quatuor Elementis compactus mundus, in quatuor partes distributus est, Orientem, Occidentem, Septentrionem, & Meridiem. Ejus duratio ad quatuor ætates definita; quatuor hominum generibus frequentatus, quibus singulis sua conjux producta est. Ex hisce parentibus genus referimus omnes, quotquot Mundum incolimus.

Terræ à se jam constitutæ præcepit Deus, emitteret ex alvo suo hominem, unde velut ovo creaturæ omnes excluderentur. Patuit illicò caput; tum cæteræ corporis partes; Deus vitæ spiraculo fœtum animavit; fœminam sociavit; ambo autem illi terræ fructibus pascebantur, ab animantibus omnibus prorsùs abstinentes. Primi hujus hominis nomen *Porus*; fœminæ *Parcoutea*, e quibus nati quatuor liberi, *Brammon*, *Cutteri*, *Schuddery*, *Urisus*. Ne fratribus sorores adderet, abstinendum censuit Deus, metù ne incestu fœdarentur; sed conjugii gratia singulis singulas fœminas creavit; quas in quatuor Orbis angulis constitutas singuli illi fratres in diversa abeuntes offenderent, junctoque cum illis connubio in suo quisque angulo sedes constituerent.

Cùm quatuor hi fratres ad virilem ætatem pervenissent, à Deo jussi, facta à se invicem secessione, quatuor Orbis partes frequentandas singuli singulas petierunt. Assignatus *Brammoni* Oriens, quò iter suscepturus unà secum retulit librum Legum, quas à Domino acceperat. Offendit inter eundam fœminam nigricante coma, & vultus colore subnigro, cui post mutua colloquia maritali lege conjunctus est. Nata inde florens posteritas, è qua universus Oriens frequentatus. Fœminæ hujus nomine *Savatrea*.

Cutteri, alter filius *Porsi*, Occidentem versùs iter suscepit, ferens in manu traditum sibi à Deo ensem, strenuum se Virum gerere ambiens. Post aliquot dierum iter, in fœminam instrumento quodam (*Chucberry* appellant) rotundo, cujus acuta superficies, armatam incidit. Porrò armorum illud genus longiùs ejaculatur, forulum habet in ventre, cui insertum funiculum tenens jaculator, vibratum spiculum deinde reducit. Fœmina igitur *Toddicastres* dicta, singulare inivit certamen cum viro, cujus post tres vel quatuor dies producti exitus fuit pax inter adversarios, & conjugium. Nati inde populi Occidentales, gens strenua, bellicosa, & semper in arma parata.

Schuddery, tertius filius *Porsi*, negotiationi exercendæ destinatus ad Septemtrionalem plagam missus est. Habebat ille apud se pondera & stateram; & cùm non longe esset à monte *Starbaltes*, concharum rivum nactus est; nec longiùs excurrens in altero monte adamantes invenit. Adamantibus igitur & unionibus onustus, iter prosequens, destinatam sibi à Deo uxorem prospexit. Propior illi factus, inter mutua colloquia optare se cum illa conjugium significavit. Annuit fœmina, & una simul opera ambo conjuges se totos mercaturæ, gignendisque per totum deinde Septemtrionem divisis filiis addixerunt. Nomen mulieris *Visagondah*.

Urisus, junior inter fratres, meridianum iter suscepit, instrumenta ferens ad usum vitæ accommodata. Septem maria viam intersecantia in lyntribus ad hoc fabricatis transfretavit. Secundùm hæc in litore septimi maris oblectationis gratia instructissimas ædes excitavit. Accidit ut fœmina à Deo illi in conjugem destinata, cui nomen *Jesunaguada*, inde fortè pertransiens, ædium magnificentiam aliquandiu subsistens spectaret. Vidit illam *Urisus*, allocutus est, rogavit ut sibi dextram conjugii daret. Recusans illa secessit; sed aliquandiu post regressa, votis plenissimè annuit. Nati inde populi Meridionales.

Diu post quatuor illi fratres insita quadam à natura propensione avitas sedes ut repeterent adducti sunt. Hic igitur omnes uno simul consensu juncti aliquandiu substiterunt; sed nato tandem inter amicos dissidio, sejuncti sunt, unàque pariter singulorum crimina in immensum aucta; quorum merito immissum à Deo diluvium aquarum omnes oppressit. His extinctis, novæ à Deo creaturæ, & novus mundus. Creati igitur tres homines multò quàm extincti illi, perfectiores: prior omnium *Bremawv* maribus & fœminis gignendis destinatus. Ex utroque ejus latere mas & fœmina nati, à quibus deinde novis incolis totus mundus repletus est. Secundus homo *VVysthney* servandorum hominum curæ destinatus; tertius *Ruddery*; qui destruendis hominibus operam daret. Cùm hominum scelera ultionem in se Dei provocassent, turbinum procella excussa omnes fermè oppressit, rarissimis nonnullis exceptis, à quibus novi incolæ mundo redditi. Sed iterùm ad scelera; iterumque valida terræ succussione exterminium. Quartæ ætatis; quæ nunc agitur, ultio igne destinata. Hæc Baniarorum dogmata.

Quis inter tot fabellas reliquæ ferè ubique obtinentis traditionis vestigia non videat, de creatione nempe mundi & origine omnium hominum è duorum conjugio? Cætera ad fabellas non inviti amandamus; sicut & ea, quæ de mundi quatuor ætatibus statuunt, vaga sunt nimis, & incerta, ut certum aliquid ad historiam inde deducatur.

Vetustatem Ægyptii præ cæteris perpetuò ostentarunt, cum quibus Scythæ de antiquitate quidem decertarunt (1); sed frustrà; quòd enim illi historias nunquam scripserint, certa suæ originis, suæque Monarchiæ Regum monumenta producere non valebant. Ægyptii è contra (2) & Libros & Historias vetustissimas, monumentaque & Ægyptiorum Regum Catalogos proferentes, Ægypti Imperium à Diis primò, à Semideis deinde seu Heroibus, ab hominibus seu Regibus postremò gestum tuebantur. Deos & Semideos annis 34000 Reges verò a Mene usque ad Nectanebum annis 2324. imperasse addebant. Undeviginti annis ante Alexandri Magni Monarchiam; ab Artaxerse Ocho Persidis Rege Nectanebus regno expulsus est. Inter Nectanebum & Christi adventum anni circiter 350. interfuere; quare ab Ægyptiæ Monarchiæ initio usque ad Christum anni 36875. numerarentur; quæ quidem supputatio ab omnibus, ab iis etiam, qui Septuaginta adhærent, vulgò rejicitur; qui enim Hebræos sequuntur, à mundo condito ad Christi adventum annos circiter 4000. enumerant.

Georgius Syncellus (3) peculiaria hæc ex tribus vetustis monumentis se hausisse asserit, ex veteribus nempè Ægypti Chronicis, Manethone, Eratosthene, unde Julius Africanus, & Eusebius quidquid protulere, deduxerant. Chronicon Ægyptium, quod Syncellus allegat, quindecim ante annis quàm Magnus Alexander in Persas irrueret, ad Nectanebi cladem desinit; continet verò Dynastias 30 & Generationes 113. quibus 36525. annorum spatium absolvitur.

Manetho fuit Ægyptius Sacerdos, qui se Ægypti Templorum Scribam, seu à secretis appellat, & Regi Ptolemæo Philadelpho, cujus obitus anno M. 3758. & 242. ante Christum contigit, Opus dedicat. De 30. Dynastiis, de Generationibus 113. & de Ægypti Monarchia à Diis, Semideis, & Hominibus gesta, cum Chronicis convenit; dissidet verò de annis, qui à Chronicis Diis tribuuntur: quòd discrimen in Manethonis textus Interpolatores Marshamus refert.

Quod

(1) Justin. l. 2. c. 1.
(2) Vet. Chronicon Ægypt. & Manetho apud Syncell. Vide Marsham. Canon Chronol. Ægyp.
(3) Sæculo octavo floruit.

A Quod ad Eratosthenem attinet, is Athenis à Ptolemæo Evergete Philadelphi filio Alexandriam accersitus, Thebarum, seu Diospolis Regibus recensendis incubuit; quorum 38. 1077. spatio annorum imperasse exhibuit. Deficientem Manethonis historiam Erathostenes fortè supplevit, eosque Thebarum Reges, quos enumerat, alios putamus ab iis, quos vetustum Ægypti Chronicon, & Manetho recensuerunt.

Illud sanè hic arduum statuere, quanti hæ Ægyptiorum antiquitates faciendæ sint; & an prorsus improbari debeant, an verò cum sacris Hebræorum monimentis conciliari valeant. Earum utique authoritas plurimùm inde infirmatur, quòd Ægyptia monumenta inter se non cohæreant; quòd adversentur Herodoto l. 2. c. 3. &c., qui nil à se B referri testatur, nisi quod ab Ægyptiis Sacerdotibus accepit, quòd denique Manetho Herodotum oppugnet (1), eumque falsum & mendacem Authorem appellet. Veritas una est, sibi cohæret, seipsam fulcit, & omnes à se contradictiones avertit.

Ægyptum, quæ in Psalmis *Terra Cham* (2) appellatur, à Cham Noe filio populis primùm frequentatam per Sacros Judæorum Libros edíscimus (3). Mezraim filium Cham Ægypti Regem scimus; Ægyptus etiam a Scriptura assiduè *Mezraim* nomine designatur. Quæ omissa à veteribus Ægypti nominibus apud integræ authoritatis Scriptores recensitis facilè defenduntur. Plutarchus de Iside, & Osiride Ægyptum *Chemiam* olim vocatam perhibet; cujus etiam Regionis vici nonnulli nominis Cham vestigia præferebant: e. g. *Chemnis*, *Tschemmis*, *Psittachemmis*; Deus *Hammon*, regio *Ammo-* C *nia*, Urbs *Noammon*; quibus omnibus Cham primi Ægyptiorum Authoris nomen satis invehitur.

Quantum ad *Mezraim*, Veteres Ægyptii primum mensem *Mezari* nomine appellabant: Arabes & in præsentia magnam Cairum *Mezer* nuncupant. Georgius Syncellus ab Hebræis, Syris, & Arabibus Ægyptum sua adhuc ætate *Mezzream* vocari solitam testatur. Quæ vetera Ægypti nomina, eaque omnia, quæ de eadem regione Sacri Libri proferunt, eorundem Librorum veritatem mirificè probant, & Ægyptiorum chimæras omninò refellunt. Certò enim utique scimus, inter Cham & Magnum Alexandrum tot non potuisse annos interesse, quot ab Ægyptio Chronico & Manethone statuuntur.

Licèt verò annorum & Dynastiarum numerum à Chronico Ægyptio exhibitam excipere cogeremur, D adhuc vetustatem, quam nimio majorem Ægyptii ostentant, nullo negotio possumus evertere. Sunt, qui veteres Ægyptiorum annos nostris breviores fuisse defendant. Imperii initio Ægyptios Regum suorum Regnum per dies metiri solitos Palephatus testatur in fragment. in Chronic. Alex. E. g. post Vulcani obitum, ejus filius Helios 4477. diebus, annis nempè 12. mensibus 3. & diebus 4. imperavit. Nonne idem fortè præstitum ab ætatis posterioris Ægyptiis Authoribus, qui, ut suorum Principum annos augerent, & antiquitatem, quam jactitabant, comprobarent, pro diebus annos enumeraverint?

Diodorus Siculus (4) inane Ægyptiorum commentum vocat, quòd vetustissimorum Deorum singuli annis 1200. Dii verò juniores annis saltem 300. in Ægypto imperaverint; quòdque propterea ab Helii, seu Solis Regno usque ad Alexandri Magni E in Asiam adventum, anni 22000. intercesserint. Quidam mendacio purgaturi Ægyptios, illud tuentur, quòd ii, antequam juxta Solis cursum duodecim menses anno adscriberent, Lunæ orbibus annos metientes, mensem quemlibet annum vocarent, ita ut anni 1200. quos cujuslibet Dei Regno adscribunt, mensibus 1200., seu ann. 100. respondeant. Successu temporis, addunt, ex mensibus quatuor anno quolibet constituto, annis 300. suos deinde Reges imperasse asseruerunt. Hæc quidem ratio Ægyptiarum Dynastiarum antiquitatem incredibilem ad æquiora reducit. Veteres Ægyptiorum anni, teste Censorino de die natali c. 19., mensibus duobus constabant; deindè à Rege Pisone ex quatuor mensibus constituti, tandem ex mensibus duodecim coaluerunt.

Quod ad eorum Dynastias spectat, alteram alteri non successisse certò constat; plures enim collaterales fuere; plures etiam Reges, quorum alter alteri in catalogis apponitur, sæpe sæpiùs coævi eadem ætate, in sua singuli regione imperarunt. Quare iidem Catalogi septem varia exhibent nomina, juxta septem Dynastiarum Regiones, Thim nempè, Memphim, Diospolim, Thanim, Sethronem, aliter Heracleopolim, Elephantinam, & Saim. Quæ quidem Dynastiæ si sibi successisse dicantur, earum duratio nimio plus quàm ab Ægyptiis exaggeretur, necessariò protrahenda. Ægyptiæ igitur Monarchiæ antiquitatem omninò non evertimus, eam verò multò minorem dicimus, quàm ab Ægyptiis Authoribus ostentetur.

His sanè Scriptoribus illud contigit, quod plerumque mendacibus, quibus nempè, etiam vera affirmantibus, nulla fides. Quare Ægyptii suæ Monarchiæ antiquitatem non modò infirmarunt, verùm etiam nos eò perduxere, ut vel eorum historiam noscere, vel eorum Regum successionem componere nobis fermè impossibile evaserit. Quis Ægypti Rex Saram sustulerit Genes. 12. 15.; quis Josephum evexerit Genes. 41. 1.; quis denique Israelitas insecutus in Maris Rubri aquis interierit Exod. 1. 8. proprio eorum nomine non cognoscimus. Eorum quemlibet Scriptura *Pharaonem*, nempè *Regem*, tantummodò vocat: Sesac verò inter Ægypti Reges primum scimus, quem suo nomine appellet 3. Reg. 11. 40. Nechao deinde 4. Reg. 23. 29. 35. Jer. 46. 2. & Sua 4. Reg. 17. 4. seu Sue vel So, Ephræus demum Jerem. 44. 30., seu Vaphres occurrunt. Sesac Roboami ætate, Nechao Josiæ Regis Juda; Sua Oleæ Regis Israel; Ephræus Prophetæ Jeremiæ, & Sedeciæ Regis Juda, in vivis agebant. Sesac idem fortè ac Sesonchis; Nechao idem ac Nechos, seu Nechus, de quo Herodotus l. 2. c. 158. 159. 161. Sua alius fortè non est à Sabacone, seu Sethone; Ephræus denique Apriem scimus, quem Herodotus l. 2. c. 161. filium Psammis, & Nechi nepotem appellat.

Post Apriem, Amasim etiam & Psammetichum legimus; quo postremo regnante, Cambyses Ægypto potitus est anno M. 3479. Imperarunt deinde Inarus, Achoris, Tachos, & Nectanebus, quem Artaxerxes regno expulit. Ochus præterea Rex Persidis anno M. 3654. undeviginti annis antequam Alexander Magnus totam Ægyptum in sui ditionem redigeret ann. 3673. Ptolemæi denique Alexandro succedentes, annis 293. in Ægypto imperarunt usque ad 3974. quo Cleopatra femina celebratissima interiit.

Herodotus l. 2. c. 161. Sesostridem laudat, ejusque virtute plurimas Orientis Regiones subactas refert. Verùm doctissimi Chronologistæ, quo tempore floruerit, prorsùs ignorant. Inter Africanum, Eusebium, Syncellum, Scaligerum, Usserium, P. Pearonium, cæterosque Chronologistas minimè convenit. Alii Ægyptiorum Dynastias contrahunt; alii præcidunt; alii omninò rejiciunt. Quare incerta omnia: si verò certi quidquam constet, illud hauriendum à Sacris Veteris Testamenti Scripturis, quæ Ægyptos à Cham Noe filio, & à Mezraim filio Cham egressos constituunt.

Sinæ etiam antiquitatem ostentant: ut verò ad Fohi, qui annis 2352. ante Christi adventum imperabat, pervenerimus, nil nisi incertum & ambiguum, de ipsorum Sinarum sententia, occurrit. Eorum itaque Monarchiæ exordium anno M. 2048. ante Abrahæ vocationem 34. Quæ quidem antiquitas licèt Hebræorum vetustate & historiis longè minor, præstantissima esset habenda, si de ea omni-

(1) Joseph. contr. Appion. l. 1. p. 1039. E.
(2) Psal. 77. 51. & 104. 23. 27. 101. 12. (3) Genes. 10. 6. collat. cum Psal. 78. 50.
(4) Diodur. Sicul. l. 1. p. 15. Vide & Plin. l. 7. c. 48. & Solin. c. 1.

ca omninò constaret. Plurima quidem Sinæ ostentant monumenta (1); eorum enim Historici, quidquid cujusque ætate contingeret, maudabant literis, quin eis facultas ulla fieret, ut historias à majoribus conscriptas vel censuræ subjicerent, vel in dubium revocarent (2). *Neque enim Scriptori sequentium temporum licet historiam priorem corrigere, vel in dubium vocare; sed id muneris habet, ut ex fide temporum suorum annales prioribus subtexat.*

Quin verò de iis judicemus, à quibus hucusque Sinarum historias accepimus; satius fortè esset, in idioma Europæis cognitum Annales Sinicos convertere; eorum historias, & historicos expendere; nosque institui certiores de eorum ætate, moribus, characteribus, & locis; unde eorum historiarum exemplaria fuere deprompta; qua via post tot sæcula ad nos pervenerint; qua denique cautione servata fuerint; quæ quidem omnia maximam hisce historiis fidem vindicarent. Operæ quoque pretium esset, eorum stilum, methodum, & genium doceri, & eorum monumenta cum Hebræorum, Græcorum, Romanorum, & nostris historiis conferre. Fieri utique potest, ut Sinæ Scriptores suos, suamque antiquitatem elaturi, eos, qui suas res sedulò indagabant, fortè deciperent. Sinæ verò recentiores præ senioribus fortè nobis imponunt.

Esto tamen, à Fohi imperio Sinicæ historiæ genuinæ fuerint; quid ad nos nostramque utilitatem? Sinarum regio & Religio prorsùs exteræ, homines seipsis contenti, à societate alieni; vetustatem, inventa, scientias, & bona cætera, nisi quæ à suis regionibus, nihili faciunt; cæterorum commercium negligunt, & quod propriis non congruit moribus, contemnunt. Quis itaque populi & moribus, & loco, & religione à nobis longissimè dissiti rebus indagandis seriò, & enixè incubuerit? Sinarum igitur monumenta Hebræorum historiis valdè sunt postbabenda; etenim hæ & vetustate, & veritate, & utilitate illis præstant.

Præ Sinis nos afficiunt Phœnices, quòd ad Hebræorum, & Græcorum etiam & Latinorum historias propiùs referantur. Chananæorum nomine in Testamento Veteri eorum mentio. Chanaan, à quo Chananæi, patrem habuit Cham filium Noe; natus verò est sive ante, sive paulò infra diluvium; satis enim jam tum adoleverat, cum Noe, postquam vineam plantaverat, nudum dormientem aspexit. Illud utique credi potest, quod Chanaan unà cum suis undecim filiis Palæstinam enixissimè frequentaverit, eòque se statim post Turris Babelicæ constructionem contulerit. Cum Abraham in eas regiones perreait, Chananæi jamdiu easdem incolebant, ante quos neminem ibidem moratum scimus.

Postquam Josue Palæstina potitus, Chananæos plerosque inde exturbaverat; qui superfuere, apud prophanos Phœnices appellati, in hujus regionis angulum secus Mediterraneum compulsi, agros colendos, & pascendos greges Hebræis relinquentes, navigationi & commerciis se totos dedere. Hinc in omnibus fermè Mediterranei Insulis, & in Africæ & Hispaniarum oris plurimæ Phœnicum Coloniæ. Hinc etiam maximè eorum opulentia, & nomen apud Authores omnes Græcos æquè ac Latinos celeberrimum.

De Phœnicibus Homerus obiter cecinit, eos ingeniosos vocat Iliad. 23. v. 743., Sidonem verò *ære prædivitem* appellat Odyss. 15. v. 424.. Herodotus l. 1. c. 1. Græcos inter & Barbaros primam dissidiorum causam Phœnices perhibet Filia Regis Argorum à Phœnicibus rapta, injuriam ulturi Græci Europam Filiam Regis Tyri surripuere. Ab aliis deinde Græcis Medea filia Regis Colchidis erepta, Paris tandem Priami filius Helenam Menelai Lacedæmonum Regis uxorem abstulit. Hinc Trojæ bellum in Historiis celeberrimum, quod quidem plurimas invexit calamitates, & illud dissidiorum semen Persas inter & Græcos injecit, quod plurimo utriusque populi sanguine diu viguit.

Meminit præterea Herodotus l. 2. c. 44. cujusdam Templi, quod Tharsi quinque ante generationibus quàm Hercules Jovis & Alcmenæ filius nasceretur, Phœnices construxerant; seque Tyri vidisse subdit vetustissimum Herculis Fanum, quod 2300. ante annis una cum Tyro conditum Templi ejusdem Sacerdotes ostentabant. Annis circiter 480. ante Christum Herodotus florebat; quare Tyrus 2780. ante Christum annis constructa fuisset, anno nempè ab orbe condito 1220. ante diluvium annis 400. Quo verò tempore ea Urbs condita fuerit (3), in nostris Commentatiis in Josue perpendentes, multo recentiorem ostendimus. Josephus 240. annis antequam Salomonis Templum extrueretur, conditam refert Antiquit. l. 8. c. 2. p. 259., circa nempè annum M. 2760. circa tempus constructæ Turris Babelicæ. Quæ omnia accipienda sunt de Tyro veteri in continenti sita diù ante constructa, quàm nova Tyrus è regione veteris in maris rupe construeretur.

Annales quosdam olim Phœnices asservabant, quorum fragmenta apud Josephum contr. Appion. l. 1. pag. 1042. & lib 8. Antiq c. 2.. Dius apud Joseph. cont. Appion. l. 1. pag. 1042. 1043., Diodorus, Menander, aliique Phœnicum historiam subtexuere. Hanc à Mundi exordio usque ad suam ætatem Sanchoniatho à Porphyrio laudatus Phœnicum lingua edidit, & *Abibalo* Berythi Regi inscripsit. Floruit is Author Semiramidis ætate, juxta Porphyrium apud Euseb. Præparat. l. 1. & l. 10., suamque historiam ex monumentis & hieroglyphicis Phœniciæ & Ægypti Templorum inscriptionibus hausit. Jerombal etiam Sacerdotem Dei Jao consuluerat, non alium fortè ab Jerobaal, aliter Gedeone, Israelis Judice, qui Israelis Deo, quem *Jao*, seu *Jeovah* appellabant, immolaverat. Philo deinde Biblius Adriani ætate eamdem historiam Græcè reddidit. Hæc de Sanchoniatone Porphyrius.

Quod ad Dium & Menandrum spectat, de his paucissima scimus; eorumque Opera, præter fragmenta quædam apud Authores, omninò periere. Menander Pergami ortum duxerat. Ejus de Phœnicibus historiam Josephus fortè nescivit, quam tamen Tatianus, & S. Clemens Alexandrinus allegarunt. Dium verò Josephus satis commendat, ejusque prolixius fragmentum, in quo de Salomone & de Hiramo quædam recitat. Producit etiam (4) Menandrum Ephesium, qui ab Hiramo usque ad Carthaginem à Diodone conditam Tyri Reges enumerat (5), Tatianus denique Theodoti meminit, Hypsicratis, & Mochi, quorum de Phœnicibus historias Chœtus Græcè reddidit. Hæc verò singula, quòd prorsùs perierint, ac si nunquam extiterint, reputamus; neque valida nobis desunt argumenta, ut neque Sanchoniathonem, neque ejus scripta, quorum fragmenta è Porphyrio profert Eusebius, unquam extitisse, & Porphyrium, apud quem Sanchoniathonis primùm mentio, nobis imposuisse credamus.

Inter populos igitur, quorum quidem antiquitas generatim certò constat, historia verò monumentis destituta per oblivionem interiit, Phœnices statuimus recensendos. Et reverà nisi Judæorum, & Christianorum Authorum Libri Religioni conducentia quædam de Phœnicum historiis fragmenta servassent, vix eorum originem, & veterum Historicorum nomina novissemus. Ea

(1) Herodor. l. 1. c. 104. &c.
(2) Martini Martinii Sinicæ historiæ præfatio ad Lectorem.
(3) Comment. in Josue c. 19. 29.
(4) Meaandrum Pergameum, quem Tatianus pag. 171. & S. Clem. Alexandr. citant, eundem esse suspicor ac Menandrum Ephesium à Josepho laudatum.
(5) Contr. Appion. l. 1. p. 1042. 1043.

A

Ea est Græcorum Scriptorum frequentia, ut hujus Nationis antiquitates & historias difficultatum omnium immunes, atque certæ præ cæteris authoritatis habendas esse sibi quisque suadeat. Propiùs verò rem expendentes, subobscura plurima, & manca deprehendimus; quòd enim Græci Poesim nimiùm & fabulas amarint, vix ulla iisdem fides adhibetur. Vetustiores eorum Scriptores Poetæ (1), ea omnia quæ tradidere, ad quandam fabularum speciem efformarunt: Extraordinaria & mirifica, veri & naturalis prætermissa ratione, libentiùs Græci excipiebant; quo pravo genio cùm sæculis plurimis laboraverint, id præstitere, ut eorum vetus historia fabellis undique intexeretur; cùm verò naturali methodo res gestas referre statuerunt, ante primam Olympiadem, omnia coacti sunt præterire, ut historias, quæ eamdem consecuta sunt, recenserent.

B

Varro apud Censorin. de die Natali c. 21. Romanorum doctissimus tempora omnia in tres classes distribuit: primam à mundi initio usque ad Diluvium; secundam à Diluvio usque ad primam Olympiadem; ultimam ab Olympiadibus usque ad eam, qua ipse floruit, ætatem. Primam omninò nulli notam putabat; nec sanè Græci & Latini quidquam norant; secundam appellabat *fabulosam*, quòd quæcumque Græci dixerant, commentis & fabellis infererint. Ab Olympiadibus igitur historias tantummodò excipiebant, à qua sanè ætate Græcorum historiæ constanti, certiorique methodo cœptæ sunt institui.

Diodorus Siculus Bibliot. l. 1. p. 4. fabellas & eventus, quæ Trojano bello præivisse ferebantur, sex Libris complexus, nonnisi à Trojæ expugnatione historiam suam reapse exorditur. Ephorus Cumæus ab

C

Heraclidis in Peloponnesum regressu scriptis suis initium instituit. Julius Africanus ab Ogygis diluvio annis 1020. ante primam Olympiadem Chronologiam suam inchoavit. Annis etiam 780. ante primam Olympiadem Cecrops Ægyptius Athenarum Regnum condidit, ut per vetus Chronographum Parium, à Seldeno in Arundelianis marmoribus editum, constat.

Verùm hæ paucissimæ Epochæ, quæ ante Olympiades statuuntur, nil utique præstant, ut cæteris Græcorum historiis per fabulas & commenta vitiatis authoritatem adjungant. Ingentem e. g. Deucalione imperante, alluvionem, quam Græci Diluvium appellarunt, contigisse scimus; ejus verò circumstantias quis nobis exhibeat? quis ea perspicuè solvat, quæ de Phaetontis incendio, de Ericthonii ortu, de

D

Europæ, & Proserpinæ raptu, de Cerere, Apolline, Baccho, Minoe, Perseo, Cadmo, Castore, Polluce, Æsculapio, & Hercule referuntur? Neque Olympiadum initium satis constat. Eorum, qui in ludis Olympicis vicerint, nomina diu silentio pressa, & omnium primum Choræbum accepimus, qui Olympiade 27. victoriam retulit, nempe anno circiter 108. postquam eos ludos Iphitus instituerat; quos etiam Atreus in patris sui Pelopis funere celebraverat, annis, juxtà Vellejum, 346. antequam eosdem Iphitus institueret.

Quamvis Græcorum historiam ab Olympiadibus, seu etiam ab Ogygis diluvio, aut à Trojano bello hucusque certam fateremur, quò idcircò nos perventuros putamus? Trojæ expugnatio contigit, juxtà nostram Chronologiam, circà annum M. 2820 ea

E

circiter ætate, qua Jephte Israelitas judicabat. Ogygis diluvium statuunt circà annum M. 2208. diu post Abrahami interitum. Prima demum Olympias incidit in ann. M. 2208. Periodi Julianæ 3938. annis octo post Jeroboami II. obitum, Zacharia Israelis Rege, & Ozia Rege Judæ imperantibus. A quibus etiam ætatibus inter Græcorum historiam quot implicata, quot incerta occurrunt? A sacris solummodò Judæorum Libris certam populorum, qui primò Græciam & Joniam frequentarunt, originem accipimus. Moyse enim teste, ab Jovan Jonios, Macedones à Cethim, Thraces à Thira, a Tharsi Cilices, Eleos ab Elila, à Madai Emathios; hos denique populos omnes ab Japhet egressos scimus.

Latinorum etiam historiæ ante Romam conditam incertæ, difficultatibus obnoxiæ, & fabulis, quæ profanam omnem antiquitatem vitiarunt, refertæ. Caci, Latini & Turni historias, Æneæ in Italiam adventum, Remi & Romuli ortum atque educationem inter ea recensemus, in quibus parum veritatis, fuci plurimum elucescit. Certum Romæ conditæ tempus, quo maximi ponderis epocha instituitur, ignoramus; primi enim hujus Urbis incolæ vel colendis agris, vel bellis gerendis omnino addicti, nil de Chronologicis, de literis, aut historiis cogitarunt. Nos Romam conditam statuimus anno Periodi Julianæ 3966. M. 3256. imperante Ezechia Rege Juda, cùm Sardanapalus Assyriæ Rex Ninive ab Arbace & Beleso obsidione premeretur. Hæc verò singula prorsùs recentia, si cum Orientalium, Hebræorum præsertim, antiquitatibus conferantur.

Gallorum, Germanorum, & populorum Septentrionalium antiquitates hic non expendimus, quòd hi minime scripserint, neque ullum nobis de suis historiis monumentum unquam suffecerint. Quidquid de iisdem scimus, à Græcis, & à Romanis acceptum, utrosque verò earum historiarum minus peritos, nimiùmque recentes ducimus, ut ea nobis impertiant, quæ in Galliis, vel in Germania ab initio, cùm Regna, seu Respublicæ conderentur, evenere. Scriptores, apud quos eorum mentio, velut de populis diu antè constitutis meminerunt.

Americanorum origini investigandæ, postquam America detecta est, satis incubuere Eruditi, quorum nonnulli eos vetustissimos autumarunt. De iis regionibus usurpatum est, quod perhibuit Aristoteles (2) de quadam deserta Insula, ultra columnas Herculis, amplitudine eximia, ingentibusquarumlibet arborum sylvis frequenti, singulis fructuum generibus affluenti, magnis irrigata fluminibus, & à Gadibus plurium dierum itinere disjuncta. Primores Carthaginis Magistratus, cùm Carthaginienses plurimos eo se conferre nonnullosque inde minime regredi comperissent, ne quis imposterum illuc pergeret, utque extemplo illic degentes reverterentur, capitali pœna sanxerunt; illud veriti ne alii populi, re percepta, in eadem Insula sibi sedem constituerent, & Carthaginis pacem, atque commercium everterent.

Apud Diodorum l. 5. p. 207. 208. exactius aliquid. Phœnices nonnulli in eam Insulam, de qua is Author veluti amplissima, & terrestri quodam Paradiso loquitur, procellarum impetu adacti, cùm deinde rediissent, ejus pulchritudinem & opulentiam quammaximè prædicarunt; quare Tyrrhenos (3) ejus desiderio captos eadem potiri, eòque Coloniam ducere conantes, prohibuerunt Carthaginienses, veriti, ne Carthaginiensium plerique regionis ubertate illecti Patria decederent, sibique in eadem Insula domicilium constituerent. Eamdem prætereà veluti tutum perfugium respiciebant, ubi ipsos vel improvisa obrueret calamitas, vel eorum in Africa Respublica corrueret. Etenim cùm mari potirentur, quò magis Regio cæteros lateret, eò facilius futurum putabant, ut illuc se suasque familias reciperent.

Hæc apud Veteres. Sunt, qui singula fabellam reputent; sunt etiam, qui Insulas Fortunatas, ultrà Herculis Columnas in Oceano constitutas, hic descriptas defendant. Verùm amplitudo, opulentia, navigiorum amnes patientes, montes, vasta nemora, locupletes ædes, amplæ Urbes, quæ, ut ajunt, in Insula, de qua Diodorus, & Aristoteles, occurrunt, illud satis ostendunt, vel quòd regionem ab Insulis Fortunatis alium descripserint, vel quòd eas Insulas nonnisi subobscurè noscentes, rem nimiùm amplificaverint. Ut ut fuerit; America sanè nobis omninò non patuit, nisi postquam sæculo decimoquinto ab Americo Vespucio, & Christophoro Columbo detecta est.

Quomodo homines eò pervenerint, ignoramus. Ipsos incolas, seu quomodo, seù quo tempore illuc se contulerint, prorsùs latet. In eas oras vel à maris procella, vel inopinato aliquo eventu fortè adacti fuere.

(1) Strabo l. 1. (2) Aristot. de mirabilibus auditu.
(3) Incolæ Insularum Lemni & Imbri in Mari Ægæo, vel populi Etruriæ, nunc Tusciæ.

fuere. Qui Americam Septemtrionalem incolunt, à Norvegia; qui Jucatan, ab Æthiopia; qui Peruvium, à Sinis, & ab India; qui verò regiones ad meridiem usque ad Magellanicam, ab Oriente per terras Australes se forte illuc contulere. Magnæ Tartariæ fines ad Septemtrionalem Americam proximè accedunt, forte etiam cum illa continuantur.

Mexici historiam (1), satis rudibus figuris expressam habemus, quæ 63. tabulis Mexicanorum gesta, politiam, mores, cæremonias, religionem, & proventus exhibet. Hispanus Mexici Præfectus hanc à Mexicanis unà cum tabularum interpretatione vernaculo eorum sermone scripta accepit: quæ deinde Gallicè reddita, Mexicanorum historiam annum Christi 1324. non prætergredi; eo anno Mexici urbem fuisse conditam; & Montezunam eorum Regum postremum imperantem ostendit anno 1518. quo Cortesius Americam appulit. Quibus hieroglyphicis, seu rudibus picturis Mexicani ad scribendum utebantur. In Tabulis, quarum modò meminimus, per informes homunculos quibusdam distinctos notulis eorum Principes designantur, quorum Imperii anni per quemdam quadratulorum numerum, tabularum margini commendantur. Eorum denique victoriæ aliis exhibentur characteribus, quos, nisi Interprete indicante, difficillimum sit divinare.

Cæteris Americæ populis nil præ Mexicanis compertum. Peruani de prima suorum Regum, quos à Sole progenitos statuunt, origine plures fabellas venditant. Verumtamen primum eorum Regem imperare cœpisse constat circiter anno Christi 1125. quatuor antè sæculis, quàm Hispani Peruvium occuparent, anno nempè 1525. Ante hæc tempora apud hos populos nullus scripturæ usus, pro qua rudem aliquam, quemadmodum Mexicani, picturam adhibebant; quibusdam etiam utebantur funiculis, quorum colores & nodi id fermè præstabant, quod apud nos alphabeti literæ variè distributæ.

Postquam eos populos omnes, quorum historiæ veteres certioresque reputari potuissent, satis percurrimus, iterum ad Israelitas, veluti ad veteris rerum originis & priorum hominum historiæ depositum custodientes, revertimur. Hebræorum antiquitas neque exaggerata est nimiùm, neque fabulis innectitur, neque futilibus innititur argumentis. Monomenta annos ter mille & ducentos excedunt. Moyses primus Hebræorum Historiæ Scriptor primos, propè dixerim, Patriarchas agnovit. Ejus sanè ætate recens adhuc Turris Babelicæ, atque diluvii recordatio; nulloque negotio ea scire poterant, quæ diluvio præiverant. Moyses prætereà, Scriptura teste Act. 7. 22., omni Ægyptiorum pollebat sapientia; veram ea propter eorum originem, & historiam callebat. Protulit itaque, quæ certa in eorum libris nactus est; quæ verò falsa & commentitia, vera narrando improbavit.

Moysis Progenitores à Chaldæa & Mesopotamia egressi, earum regionum historias utique noverant, à quibus Moyses easdem accepit. Berosi de primis annis historia cum Hebræorum Scripturis, Josepho teste l. 1. contr. Appion. p. 1044., apprimè cohærebat; qui profectò consensus Berosi historiæ veritatem quammaximè probat. Herodotus historiarum Pater meritò appellatus (2), de iis, quæ per se ipsum nosse poterat, cùm Scriptura prorsus convenit. Tum verò tantummodò deceptus est, cùm fabulosis aliorum sermonibus fidem adhibuit: e g. cùm ea profert, quæ didicerat à Sacerdotibus Ægyptiis, qui ejus credulitate abutentes, in rem suam & gloriam plurima convertebant.

Cum Græci vel suam vel aliorum antiquitatem elaturi, se terræ (3), vel ejusdem, quam incolunt, regionis filios ostentant, atque eò aliundè non commigrasse defendunt, dum propriæ originis novitatem occultant, suam perspicuè inscitiam produnt. Ab uno homine cæteri egressi sunt (4): qui verò ab eodem se non progenitos putant, unde orti fuerint, se ignorare demonstrant. Populi certò veteres, & loco, quem primi homines incoluerunt, proximi minimè studuerunt, ut se, quemadmodum Athenienses, à patria tellure genitos ostentarent. Hi profectò nunquam visi sunt barbaram vitam traducere, aut post diuturna tantùm tempora urbibus construendis, historiis scribendis, sanciendis legibus, colendis moribus, & instituendæ Religioni incumbere. In Chaldæa, Assyria, & Ægypto architectura, Religio, & Leges conditæ in Græciam deinde, & in regiones cæteras commigrarunt. Celeberrimarum nationum origo, & traditionum fons in Oriente investiganda. Si veteres nonnulli, quemadmodum Scythæ, & quidam Africæ populi, barbaram & incultam vitam traduxerunt, vel referendum in eorum regiones, quæ sterilitate squallentes eos prohibuere, quominùs diù alicubi degentes, artes ingenuas excolerent, & politiam instituerent; vel vagæ eorum vitæ adscribendum, a qua, quod initio amplexi essent, discedere detrectarint.

Cæteri verò minoris antiquitatis populi, & à primis hominibus remotiores, cùm primùm ad regionem aliquam incultam pervenerant, curabant illicò, ut tellurem colerent, atque à frigore, ab æstu, ab aeris inclementia, & à feris sylvestribus sibi consulerent. Si in iis regionibus homines alii jam versarentur, bellis protius addicti, quomodò hostes invaderent, vel eorum improvisos impetus repellerent, unicè studebant; quare terroribus undique, curis, atque calamitatibus circumfessi, otio caruerunt, ut describendis historiis sedulò cogitarent. Quò magis absons Provinciæ ab iis regionibus, quas veluti centrom ducimus, undè cæteri egressi sunt homines, populi eò rudiores occurrunt atque hebetiores. Septemtrionales regiones, Germaniam, Gallias, ipsam quoque Italiam cultu, regimine, atque politia, scribendique consuetudine, & ingenuis artibus diu destitutam novimus, quorum & religio barbara atque informis, mores asperi, & stupidi, excolendi animi negligentia summa. Hi sanè populi historiis & origine propria neglectis, in earum protius oblivionem tandem venere; cùm verò easdem investigandi, & scriptis commendandi studio teneri cœperunt, in crassos errores prolapsi sunt, & levibus quibusdam confusæ incertæque, quam servaverant, traditionis vestigiis ducti & nobis inanes tabulas transmisere.

Galli, Germani, aliique populi suorum Deorum, Semideorum, Heroum, & Regum genealogias, & Religionis ritus memoriæ mandantes, Annalium & Scripturarom defectum suppletum iri putarunt; verùm oblivionis periculo, memoriæ variationibus, vicibus ex hominum morte, bellis, cæterisque eventibus, quibus humana necessariò sunt obnoxia, consequentibus, nonnisi imperfectè occurrunt. Illud itaque experientia compertum, ea omnia, quæ Druidæ & Bardi vel suæ vel alumnorum memoriæ commiserunt, oblivione tandem ita deleta esse, ut eorum nihil ad nos usque pervenerit.

Perpauca monumenta, quæ sæculorum vetustati, & Barbarorum, ac Romanorum armis superfuere, quædam nempè simulacrorum fragmenta, & nonnulli Gallorum nummi ad eas historias nobis nil prorsùs conferunt. Quo etiam loquerentur idiomate, omninò ignoramus, quòd literarum & scriptionum (5), per quas id, & hujusmodi cætera ad posteros tutò transvehuntur, consuetudinem neglexerint. Quædam Gallici idiomatis reliquiæ in Britannia inse-

(1) Historia Imperii Mexicani figuris expressa Paris, apud Andream Cramoisi, 17[illegible]. Gallice.
(2) Tullius l. 1. de Legibus.
(3) Euripid. Strabo l. 8. ex Thucydid. Isocrat. Panegyr. alii.
(4) Act. 17. 26. *Fecit ex uno omne genus hominum inhabitare universam faciem terræ.*
(5) Patet ex Cæsare, Helvetios Græcis characteribus usos, cùm in eorum castris exercitus Helvetici censum Græcis literis scriptum, sed fortasse Gallico sermone invenerit. l. 1. c. 29. *in castris Helvetiorum tabulæ repertæ sunt, literis Græcis confectæ &c.* Alibi tamen Cæsar Q. Ciceroni Græcè se scripsisse narrat, ne intercepta Epistola Romanorum consilia ab hostibus cognoscerentur. l. 5. Quæ duo loca conciliari nequeunt, nisi dicamus, Gallos Massiliæ, ac Mediterraneo proximos Græcis characteribus usos, non item remotiores. l. 6. narrat, Druidas in rebus publicis, privatisque rationibus Græcis literis usos. *Cùm in reliquis rebus publicis privatisque rationibus Græcis literis utantur.*

inferiori, & in Vallia adhuc superstites creduntur; A quæ cùm veteribus scriptis monumentis non innitantur, neque eorum dignoscendæ historiæ conducunt. Quæ de iisdem à Græcis & à Romanis percepimus, & perpauca sunt, & imperfecta.

Ægyptii & Æthiopes, qui hieroglyphicis suorum Principum gesta designabant, nihil contra oblivionem valuerunt, quamvis eorum memoriam ære & marmore commendarent; hoc enim loquendi genus mysteriis plus nimio obvolvitur. Alia quidem etiam faciliori, certiorique scribendi methodo utebantur; verùm hæ scriptiones, quemadmodum & vetus Ægyptum idioma, omnino periere; rarissima autem ejusdem idiomatis monumenta, quę vel invitis barbaricis igenlis inoffensa supersunt, à nemine legi valent, aut explicari. B Græcum idioma in Ægyptum à Ptolemæis invectum, linguam & veteres ejus regionis characteres sensim delevit. Vetustas Palmyræ, & Persepolis inscriptiones omnino ignoramus; & nisi Samaritani Pentateuchum veteribus Hebraicis characteribus exaratum servassent, Phœniciæ, & Israelitis usque post Babylonicam captivitatem familiares, literæ nos omninò laterent. Nemo est qui Punicos characteres, & earum regionum nummos explicare valeat. Quamobrem, quòd Sacri Hebræorum Libri exiliis, bellis cæterisque, quibus infelix hæc natio assiduè pressa est, calamitatibus invitis, ad nos usque inoffensi C pervenerint, ad Divinæ Providentiæ miraculum referendum arbitramur.

Græci & literas & scribendi artem à Phœnicibus accepere (1), de qua se à Cadmo eruditos ferunt; eos verò scribendi consuetudine nonnisi serò usos scimus. Homerum Poema suum minimè scripsisse, sed tantùm memoria suggerente per partes cecinisse, quod deinde Rapsodi, seu Cantores memoriæ commissum referrent, postremò scriptis fuisse commendatum, Josephus testatur l. 1. contr. Appion. p. 1034. d. Vetustiores Græciæ Historicos Persarum adversùs Græcos bellum parùm prætergredi constat. S. Clemens Alexandrinus primum Græcorum Scriptorem Anaxagoram tuetur l. 1. Strom.; Themistius Orat. 20. Anaximenem statuit, antequem, subdit, Libros scribere D probro ducebatur. Plinius l. 7 c. 56. Cadmum Milesium Græcorum historias primò scribere aggressum defendit. Fabulis & Poesi diù ante quàm Historiæ & Philosophiæ, juxta Strabonem l. 1. cultus adhibitus. Priores Historici, ut populo commentis assueto pergratas historias redderent, eas fabulis interseruere. Quare & Homerus bellum Trojanum fabulis instruxit, & Poeseos voluptate cumulavit.

Inter fabulas, quibus vetus historia obducitur, veritatis quidem vestigia à nobis detegi ultrò fatemur. Quot verò prçclarè gesta Poetarum commentes omnino obruuntur? E Ipsas quoque historicas veritatis, quas per fabularum velamina prospicimus, quonam lumine distingueremus, nisi Divinæ nobis præsto essent Scripturæ, à quibus ingenuè & sine fuco res exhibentur? Earumdem utique auxilio in Saturno Noe, Sem in Plutone, Smi, & Typhone, & in Neptuno Japhetum dignoscimus. Moyses cùm Noe à Cham ejus filio natu tertio nudum inventum narrat, Saturni ab Jove mutilati fabulæ originem profert. Neptunus Oceani Deus Japhet populorum, qui Gentium Insulas incoluerunt (2), patrem designat. Per Saturnum & Rheam, Adam & Eva, seu veriùs Noe cum conjuge inducuntur. Gigantes, qui Jovi bellum intulerunt, & Cælum aggressuri montes montibus imposuere, eos exhibent, qui Babelicę turri construendæ incubuerunt.

Isidem & Osiridem in Ægypto, Venerem & Adonidem in Phœnicia, Cyniram Adonidis patrem ab Apolline victum, Europam raptam, & Andromedam expositam, & ab interitu vindicatam, fabulas quidem singulas scimus, quæ veris historiis alludunt. Aurea, argentea, & ferrea ætas, & veterum Græcorum Chaos ab iis repetuntur historiis, quas à Moyse accepimus. Hiriæus, qui Jovi & Mercurio itinerantium specie vagantibus bubulum tergus obtulit, Abrahamum refert, qui Angelos excepit, & Deo favente ab uxore Sara filium suscepit. A Baccho Moyses, à Mercurio Aaron, Samson ab Hercule exhibentur. Ingenio plus nimiò valere se Veteres affectantur: ænigmatis & subtilitatis studiosi nil se protulisse ducebant, nisi prolata quid mirificum redolerent. A quo quidem pravo & inani studio Hebræorum historia evasit incolumis. Nil hac gravius, nilque maturius. Dixerim meliùs: nil verius, nil sapientius, nil venerabilius Divino Spiritu, quem primum ejusdem Authorem scimus, cujus sane virtute suavitas, lumen, & vis per totam undique historiam effluunt, atque redundant. Dulciori, atque prçstantiori præ Sacris Authoribibus methodo nemo quidquam recensuit; neque ulla monumenta præ Hebræorum historiis veritatis characteres unquam prætulerunt.

Illud ad nostri Operis scopum spectabat, ut solos Hebræos veræ priorum sæculorum historiæ depositarios, nullumque de iis certæ authoritatis monumentum ab Ægyptiis, Chaldæis, Phœnicibus, Sinis, Græcis, & Romanis produci posse ostenderemus. Operæ etiam pretium duximus, Ægyptias, Phœnicias, Assyrias, Sinicas, Græcas, & Romanas antiquitates perambiguas, & maximis implicatas difficultatibus exhibere, ut Hebræis parùm, his verò Nationibus nimiùm affectos ab errore deduceremus. Inde enim pariter nobis apologiam instituimus, quòd de iis populis, quorum vetustas in dubium revocari nequit, nonnisi perrarò in nostris Lucubrationibus meminerimus. Satis de iisdem in hac Dissertatione produximus, ut quantum posset necessitas postulare, Lectorem erudiremus, quin narrationes nostras intercidere, & molestas eisdem, arduasque discussiones intexere cogeremur. Hæc verò omnia in Dissertatione in Genesim, & de magnis Orientis Imperiis jam adumbravimus.

Qui Mundum initii immunem putant, & ante Adam homines substitisse, & alias, præter eas, quas ex historiis novimus, ætatum, Imperiorum, & Religionum vices præteriisse opinantur, de suis sibi cogitationibus plaudant. Nos validas ad ea deliramenta probanda rationes ab ipsis exposcimus. Systemata, hypotheses, & æras, inanesque Methodos instituere quis profectò non valeat? Hoc opus, hic labor est, ut nova systemata per solida argumenta defendantur. In novis inventis, in regionibus recens detectis, uno verbo, suæ novitatis characteres mundus undique præfert. Firmiora cæteris monumenta, marmora, nummi, ædificia, inscriptiones, singula omnia mundum non diu anteà conditum ostendunt. Artium omnium, quæ humanæ opus sunt vitæ, originem novimus, eas saltem non nisi diù post completas scimus. Mundi & materiæ æternitas in utroque systemate, quo Deus primum omnium Principium vel statuitur, vel negatur, neque percipi potest, neque defendi.

TABULA CHRONOLOGICA

REGUM ASSYRIÆ.

A.M. 1770 a.c. 2230 a.æt. vulg. 2234 NEMROD filius Chus, & Chami ex filio nepos Assyriam Monarchiam fundavit circa tempora constructæ Babelicæ turris, idest 114 annis post diluvium, circa A. M. 1770. Successores post illum plures in variis Catalogis recensentur, sed incerti omnes; sicut & gestorum ab illis rescitur nihil.

2682 BELUS Assyrius regnum init an. 2682. regnat 55. annis.

2737 NINUS ejus filius, quem Persæ Imperii hujus authorem constituunt, regnum auspicatur ab anno M. 2737. & ante Christum 1263. ante Æram vulg. 1215.

2831 SEMIRAMIS uxor Nini regnat 42. annis, obit circa A. M. 2831. ante Chr. 1169.

2870 NINIAS annis circiter 39. Rex, obit A. M. 2870. ante Chr. 1130. ante Ær. 1134.

Post hunc longo ordine deducti Assyriæ Reges incerti sunt omnes usque ad Phul in Scriptura notum, qui facilè alius non est à Patre Sardanapali. Phul Israeliticam ditionem infestavit A. M. 3233. obiit anno 3237. ante Chr. 763 ante Ær. 767.

SAR-

(1) Ita Tacit. Lucan. Q. Curt. Plutar. Plin. Mela, al.

(2) Gen. 10. 5.

2870 SARDANAPALUS ejus filius rerum potitur 20. annis, ab anno 3237. usque ad 3257.
ARBACES Satrapa Medus, & Belesus, alio nomine Nabopolassar, in Sacris Libris Hebræorum Baladan, Satrapa Babyloniæ, defectione à Sardanapalo facta, Regem illum coegerunt in Regiis Ædibus ultro se igne perimere A. M. 3257. ante Chr. 743. ante Aer. 747.
3257 NINUS junior, Sardanapali in Ninive successor, ipsissimus est Teglat-Phalasar, de quo 1. Par.5.
6.26. & 2. Par.28. 20. & 4. Reg.15. 29. & 16. 7. 10. Regnat 19. annis; obit A. M 3278. ante Cht.724.
3278 SALMANASAR post 14. Regni annos obit A. M. 3290. ante Cht. 710.
3290 SENNACHERIB regnat 4. annis; obit an. 3294. ante Chr. 706.
3294 ASSARADON rerum potitur in Assyrios & Chaldæos 13. annis, obit A. M. 3336. ante Chr. 664.
ante Ær. 668.
3336 SAOSDUCHIN, alio nomine Nabuchodonosor in Judith, regnat 20. annis; obit A. 3356. ante
3356 Chr. 644. ante Ær. 648.
3378 CHINALADAN vel SARACUS 22. annis Rex; obit A. M. 3378. ante Chr. 622. ante Ær. 626.
NABOPOLASSAR & Astyages arcta obsidione coactum Chinaladan in Ninive, Rego expoliarunt. Astyages deinde in Media, & Nabopolassar in Ninive regnant ab A. M. 3378. usque ad 3399. Nabopolassar filium habuit Nabuchodonosorem Regem Chaldææ, vel Babyloniæ.
3399 Nabuchodonosor, Rex Chaldææ & Assyriæ, Regnum init Anno 3399. in maniam incidit A. 3435. tum ferino more agit inter bestias septennio, ad mentem redit A. 3442. obit post 43. Regni annus A. M. 3442. ante Cht. 558. ante Ær. 561.
3442 EVILMERODACH biennio Rex ab A. 3442. usque ad 3444.
3444 BALTASAR quatuor annis regnat; obiit A M. 3449.
3449 DARIUS Medus succedit, & regnat Bylone 16. vel 17. annis, obit A. M. 3466. relicta Cyro Im-
3466 perii hæreditate, qui Imperij Persici Author est.

TABULA CHRONOLOGICA
IMPERII PERSICI

3466 CYRUS regnat Babylone 19. annis ab A. 3466 usque ad 3475. ante Chr. 525. ante Ær. 529.
3475 CAMBYSES regnat 7. annis & 5. mensibus, obit A. 3482.
3482 OROPASTES, personam assumens Smerdis filii Cyri & fratris Cambysis, Regnum usurpat mensibus 5.
3483 DARIUS filius Hystaspis regnat. Ipse est Assuerus Scripturæ, ducta in conjugem Esther notus.
3519 Imperium tenet 36. annis, obit A. M. 3519. ante Chr. 481. ante Ær. 485.
3531 XERXES, 12. annis Rex; obit A. 3531 ante Chr. 469. ante Ær. 473.
3579 ARTAXERXES cognomento *Longimanus*, regnat 48. annis; obit A. 3579. ante Chr. 421. ante Ær. 425.
3580 XERXES II. regnat annis 1. obit A. 3580. ante Chr. 420. ante Ær. 424.
SECUNDIANUS, vel Sogdianus ejus frater regnat septem mensibus.
3600 OCHUS tertius filius Artaxerxis, alio nomine Darius Nothus, Rex 19. annis; obit A. 3600. ante Chr. 400. ante Ær. 404.
3643 ARTAXERXES Mnemon regnat 43. annis; obit A. 3643. ante Cht. 357. bellum sustinuit à Cyro juniore fratre suo illatum.
3666 ARTAXERXES Ochus regnat 23. annis, obit A. 3666 ante Chr. 334.
3668 ARSEN triennio Rex, occisus est à Bagoo A 3668. ante Chr. 332.
3674 DARIUS Condomanus, victus ab Alexandro Magno A. 3674. ante Chr. 326. ante Ær. 330. post decem Regni annos. *Persarum Imperium duravit annis* 208.

MONARCHIA CHALDÆORUM.

SCriptorum plerique tenent, Nembrodum authorem esse Imperii Chaldæorum, cujus Sedem Babylone constituerit. Vide Gen. 10. 10 & Mich 5. 6. Systemate isto posito, vide quæ supra notavimus de Monarchia Assyriorum, quæ non rarò cum Chaldæa confunditur.
Qui tenent à Nembrodo Imperium Assyrium constitutum, nullum habent quem primum Chaldaicæ Monarchiæ authorem assignent; sed notus est sub Abrahamo Amraphel Rex Sennaar, Gen. 16. 1. A. M. 2092. ante Chr. 1908. ante Ær. 1912.
2092 Evechous Rex Chaldæorum inivisse Regnum A. 224. ante occupatum Regnum illud ab Arabibus;
2952 dicitur à Julio Africano & Eusebio. Incidit annus iste cum A. M. 2952
2466 Arabes armis in Chaldæos illatis, illos subegerunt A. M. 2466. Rerum potiti sunt in Chaldæa 216. annis, usque ad Belum Assyrium.
Ex Arabibus primus regnavit Mardocentes, facilè Merodach, quem Numinis loco gentes illæ co-
2511 luerunt. Res habuit 45. annis, obiit A 2511. ante Chr. 1489.
2682 BELUS Assyrius Regnum Babylone inivit A. M. 2682. Periodi Julianæ 3392. ante Cht. 1318. Regnavit 55 annis, obiit A. 3737. ante Chr 1263. Successores habuit Ninum, Semiramidem, Niniam, cæterosque, de quibus actum est sub Imperio Assyriorum.
BELESUS, alio nomine Baladan, vel Nabopolassar; defectione facta in Sardanapalum postremum Assyriæ Regem ex successoribus Beli A. M. 3257. Periodi Julianæ 3966. ante Chr. 743. no-
3257 vum Chaldaicum Imperium constituit; quod exinde usque ad A. M. 3323. substitit, donec scilicet Assaradon Rex Assyriæ ditioni suæ illud adjiceret. Successores habuit Saosduchin, Chinaladan,
3323 Nabopolassarem, Nabuchodonosorem, Evilmerodachum, & Balthassarem, ut supra jam in laterculo Regum Assyriæ exhibuimus.

MONARCHIA MEDORUM.

A.M. ARBACES, vel Orbaces, aut Pharnaces, Satrapa vel Præfectus Mediæ, avulsos à Sardana-
3257 palo Medos A. M. 3257. in libertatem asseruit. Regnavit seu præfuit in Media ad obitum
a. c. usque, cujus incertus annus 3270. Ejus obitum excipit interregnum usque ad A. M. 3270. ante
743. Chr. 730.
3222 DEJOCES Rex constituitur A. 3278. regnat 52. annis; obit A. M. 3222. ante Chr. 678.
3222 PHRAORTES ejus filius post subactos Persas ipse vicissim ab Assyriis subjugatus est. Ipsissimum cre-
3347 dimus Arphaxad, de quo Judith 1. 1. victum à Nabuchodonosore, alio nomine Saosduchin, Assyriæ Rege, A. M. 3347. post 22. Regni annos ante Chr. 653. ante Ær. 657.
3387 CYAXARES regnat 40. annis, obit A. M. 3387. ante Chr. 613.
3422 ASTYAGES Rex Medorum regnat 35. annis; obit A. M. 3422. ante Cht. 578.
3449 CYAXARES II. vel Darius Medus filius Astyagis, succedit Balthasari in Regno Babyloniæ A. M.
3466 3449. obit A. M. 3466. Post illum regnat Cyrus.

COMMEN-



COMMENTARIUM LITTERALE IN LIBRUM JOSUE.

CAPUT PRIMUM.

Josue confirmatus promissis Domini edicit populo, ut ad transitum Jordanis se præparet. Præcipit vero Tribubus Ruben, & Gad, ac dimidiæ tribui Manasse, ut fratres suos armati præcedant, qui se imperata facturos pollicentur.

1. ET factum est post mortem Moysi servi Domini, ut loqueretur Dominus ad Jo-
sue filium Nun, ministrum Moysi, & diceret ei : 2 Moyses servus meus mor-
tuus est : surge, & transi Jordanem istum tu, & omnis populus tecum, in
terram, quam ego dabo filiis Israel. 3 Omnem locum, quem calcaverit vestigium pe-
dis vestri, vobis tradam, sicut locutus sum Moysi. 4 A deserto, & Libano usque ad
fluvium magnum Euphratem, omnis terra Hethæorum usque ad mare magnum contra
solis occasum erit terminus vester. 5 Nullus poterit vobis resistere cunctis diebus vitæ
tuæ : sicut fui cum Moyse, ita ero tecum : non dimittam, nec derelinquam te. 6
Confortare, & esto robustus ; tu enim sorte divides populo huic terram, pro qua ju-
ravi patribus tuis, ut traderem eam illis. 7 Confortare igitur, & esto robustus val-
de : ut custodias, & facias omnem legem, quam præcepit tibi Moyses servus meus: ne
declines ab ea ad dexteram, vel ad sinistram, ut intelligas cuncta, quæ agis. 8 Non
recedat volumen legis hujus ab ore tuo : sed meditaberis in eo diebus, ac noctibus,
ut custodias, & facias omnia, quæ scripta sunt in eo : tunc diriges viam tuam, & in-
telliges eam. 9 Ecce præcipio tibi, confortare, & esto robustus. Noli metuere, &
noli timere : quoniam tecum est Dominus Deus tuus in omnibus, ad quæcumque per-
rexeris. 10 Præcepitque Josue principibus populi, dicens : Transite per medium ca-
strorum, & imperate populo, ac dicite : 11 Præparate vobis cibaria : quoniam post
diem tertium transibitis Jordanem, & intrabitis ad possidendam terram, quam Dominus
Deus vester daturus est vobis. 12 Rubenitis quoque, & Gaditis, & dimidiæ tribu
Manasse ait : 13 Mementote sermonis, quem præcepit vobis Moyses famulus Domini,
dicens : Dominus Deus vester dedit vobis requiem, & omnem terram. 14 Uxores
vestræ, & filii, ac jumenta manebunt in terra, quam tradidit vobis Moyses trans Jor-
danem : vos autem transite armati ante fratres vestros, omnes fortes manu, & pugna-
te pro eis, 15 Donec det Dominus requiem fratribus vestris, sicut & vobis dedit, &
possideant ipsi quoque terram, quam Dominus Deus vester daturus est eis : & sic re-
vertimini in terram possessionis vestræ, & habitabitis in ea, quam vobis dedit Moyses
famulus Domini trans Jordanem contra solis ortum. 16 Responderuntque ad Josue,

atque dixerunt : Omnia, quæ præcepisti nobis, faciemus : & quocumque miseris, ibimus.
17 Sicut obedivimus in cunctis Moysi, ita obediemus & tibi : tantum sit Dominus Deus tuus tecum, sicut fuit cum Moyse.
18 Qui contradixerit ori tuo, & non obedierit cunctis sermonibus, quos præceperis ei, moriatur ; tu tantum confortare, & viriliter age.

℣. 1. ET FACTUM EST POST MORTEM MOYSI.] A Conjunctio & præsentis libri cum præcedenti denotat connexionem. Creditur [1] Josue, Moysis mortem, in extrema Deuteronomii parte enarratam, scripsisse, cui ut hanc historiam adnecteret, quam post Legislatoris obitum ipse exaraverat, continentem veluti sermonem instituit ; & absque eo quod elaboratum adferat proœmium, illudque operis sui fronti appingat, ab iis, quæ sub Moyse gesta fuerant, ad ea, quæ ipso imperante contigerant, cum terra Chanaan Israelitæ potiti sunt, naturaliter descendit. Hæc scribendi ratio æqui authoris est propria, diligentis, atque supra quamcumque vanitatem positi, qui ostendere negligit, quid ipse fuerit elucubratus. Per gestarum rerum argumenta lectores deducit, & quin admoneat, consequentia a novo scriptore fuisse exarata : eos satis illa callere putat, quæ est narraturus, atque solum iis, quæ relata prius fuerant, ea, quæ ipse scribit, adnectit. Vetus ratio sanctos exscribendi libros, eorumdem scriptorum studium imitabatur ; ideoque opera nequaquam in capita dissecabantur, ac sæpius libris, ne titulus quidem præfigebatur ; verum priora subsequentibus adjiciebantur per conjunctionem, quemadmodum licet hic intueri.

Deus Josue locutus est post Moysis obitus luctum, cum exploratores in terram Chanaan dimissi rediissent [2]. Moyses sub duodecimi mensis initium anno sancto obiit, cujus obitum triginta dierum lucta Israel prosecutus est. Post hoc tempus Josue in terram Chanaan exploratores dimiserat, qui die quarta reversi sunt, cum Deus allocutus est Josue, edixitque, ut populo præciperet, ut annonam sibi compararent, futurum enim, ut tertia die Jordanem traducerent [3]. Tres adhuc dies in Sethim commorati sunt, ut ad discessum se præpararent ; octavo die castra mota sunt ; nonum autem in Jordanis ripa castris positis transegere, ac decima die Nisan Jordanem sunt prætervecti.

Si ad litteram explicare velis, quæ versiculis 10. & 11. capitis hujus afferuntur, dicendum erit, Josue promissis suis defecisse dicentem, se trium dierum intervallo Jordanem esse copias traducturum, cum sexta demum post id tempus die fluvium transmiserit. Verum plures huic loco sensus afferri possunt, quibus oppositioni huic consulatur ; exempli gratia, ipsos Jordanem transiisse tertia die, ex qua de Sethim castra mota sunt ; præparate vobis cibaria pro tribus itineris diebus, nam die a discessu tertia transibitis Jordanem ; vel præparate cibaria, quia post tres dies ad Jordanem accedetis, ut transeatis [4] ; vel denique imperium hoc, ut quisque sibi cibaria compararet, in vulgus editum fuit dumtaxat, cum in Jordanis ripa constitissent ; atque tunc versiculi 10. & 11. capitis hujus constituendi essent post versiculum primum capitis tertii. Harum sententiarum quælibet patronos suos jactat : mihi vero prior potius arridet. Ceteroquin minime mirum est, atque insolens, leves quasdam offendere in sacrorum authorum narrationibus transpositiones. Quemadmodum ipsi temporibus suis vulgatissima quæque scribebant, non eadem prorsus diligentia satagebant, ut minutas quaslibet circumstantias afferrent, qua seniores, recentioresque authores usi fuissent.

JOSUE FILIUM NUM MINISTRUM MOYSI.] De Josue, ac virtutibus illius prolixius locutus sum in præfatione in librum hunc, & Exodi 17. 10. ostendi, ministri, vel famuli Moysis officium haud abjecisse hunc virum, neque ideo minori in pretio esse habendum. Prophetarum ministri dominos suos prophetiæ munere subsequebantur. Eliæ successit Elisæus, hic vero famulum habuit Jezi, qui propter avaritiam honoris hujus se indignum probavit. Jeremiæ Baruc famulatus est. Antiquitatis etiam Heroes servos habebant, qui & ipsi Heroes erant, atque studii ergo, & amicitiæ dumtaxat illis adhærebant.

B ℣. 2. TRANSI JORDANEM.] Flumen hoc in Scripturis satis est cognitum ; illius origo in monte Libano erat, vel potius in Antilibano. „ Jordanis quidem fons (inquit Josephus de bello l. 3. c. 33.) „ Panium esse videtur : sub terram vero huc occulto defertur ex Phiala, ut appellatur. Hæc autem „ est, qua in Trachonitidem ascenditur ad 120. stadium a Cæsarea, ad dexteram non longe a via ; „ & quidem propter rotunditatem vero nomine Phiala dictus est lacus, rotæ in morem rotundus ; „ semper autem intra labra ejus continetur aqua, „ numquam subsidens, numquam exundans. Cumque olim hoc esse Jordanis principium nesciretur, „ a Tetrarcha quondam Trachonitidis Philippo de„ prehensum est. Immissis enim ejus jussu in Phia- C „ lam paleis inventæ sunt delatæ in Panium, unde „ antiquitus fluvium nasci crediderunt. Ab hoc autem antro incipiens manifesto fluere Jordanes medius quidem secat Semochonitidis paludes cœnosas [5]. Lacui huic latitudo est stadiorum triginta, „ longitudo vero [6] sexaginta, paludesque suas extendit usque ad locum Daphnem dictum, cetera „ deliciis abundantem, fontesque habentem, qui „ minorem, ut vocatur, Jordanem augentes, sub „ fano Bovis aureæ, eum immittunt in majorem.

Creditur volgo, sed temere, lacum Semechonitidem eumdem esse ac *aquas Merom*, de quibus inferius est sermo cap. 11. 5. De Semechonitide lacu Jordanes fluere perseverat a borea in austrum, centum, & viginti stadiorum intervallo usque ad lacum D Genezaret, aliter mare Tiberiadis, cujus longitudo stadiis centum patet, latitudo vero quadraginta. Hunc Jordanes intersecat, & cum satis amplam regionem alluerit, in mare mortuum, aliter Asphaltitem, vel Sodomorum lacum disperditur.

℣. 3. OMNEM LOCUM, QUEM CALCAVERIT VESTIGIUM PEDIS VESTRI, VOBIS TRADAM.] Hoc porro jus est, quo Hebræi Chananæis bellum intulerunt, eorumque regione potiti sunt. Deus quippe qui absolutus bonorum, ac vitæ populorum omnium est Dominus, præcipit, ut bello gentes ex lacessitæ deleantur, ac Israelitæ illorum regionis possessionem indipiscantur. Terra Chanaan habita est, veluti regio deserta, dominis vacua, ac primo tradenda occupanti ; populi enim, quos Dei judicium supremis E addixit suppliciis, veluti nulli amplius essent, habentur. Ita Grotius.

Verum ne putes, vi hujus seu facultatis, seu impe-

1 Rabb. apud Munster. Vatabl. &c. 2 Joseph. Antiqu. lib. 5. cap. 1. Bonfrer. alii.
3 כי בעוד שלשת ימים אתם עברים את הירדן. *Quia adhuc tres dies, & vos transibitis Jordanem.*
4 August. qu. 2. in Josue. 5 Idem l. 3. c. 35. & l. 4. c. 1. 6 Ex cap. 9. l. 13. de bello Judaic. videtur lacus Semechon æque distasse a fonte Jordanis, ac a mare Tiberiadis, videlicet 120. stadiis.

imperii, Israelitis, quocumque vellent, arma ferre licuisse, neque iis omnibus potiri terris, quas veteres incolas delendo, subigere potuissent, in earomque dominium transire. Facultas, seu promissio, quam hæc Textus verba comprehendunt, Chananæos tantum populos respicit; populi idem, qui citra Euphratem morabantur, quos tamen veteres fines a Deo Judæis promissi complectebantur, neque a David, neque a Salomone veluti Chananæi fuerunt habiti, nec deleti fuere, sed servatis illis pecuniam quotannis solvendam satis fuit imperasse. Vide locutionem eamdem Deut. 11. 24.

℣. 4. A DESERTO, ET LIBANO, USQUE AD FLUVIUM MAGNUM EUPHRATEM.] Desertum, de quo hic sermo, est in Arabia Petræa ad meridiem terræ Chanaan. Mons Libanus satis est notus, qui in boreali plaga terræ Chanaan limites claudebat. Mons hic ab Oriente in Occidentem protendebatur a Mediterraneo Damascum versus; & a Meridie ad Septentrionem a Dan, vel ab Iordanis origine, Laodicæam usque, Cunnam, Aradiam, vel Autaram. Græci duplicem Libanum montem distinxere, Occiduum, quem simpliciter dixere Libanum, & Eoum, quem Antilibanum nuncuparunt [1]. Inter duo hæc montium juga, quæ olim muro jungebantur, teste Plinio lib. 5. cap. 20. vasta cubabat vallis Cœle-Syria, seu Cava Syria vocata, quam Phœnices incolebant. Non liquet, Iosue imperante, Hebræos populis his bellum indixisse; sed eos David devicit [2], illisque tributum imposuit. Ædificavit Salomon urbes quasdam, & arces in Libano, ut populos illos fidei suæ obnoxios haberet [3], qui jugum excusserunt post decem Tribuum a regno Iuda secessionem. Septuaginta [4] in versionibus suis sæpius Antilibanum pro Libano usurpant; atque *Antilibani* nomine eos intelligunt montes, qui ab Oriente in Occidentem, a Sidone Damascum versus protenduntur, atque in septentrionali plaga Palæstinam concludunt. Libani nomen, vel a nivium albedine, quæ semper montis hujus cacumen obducunt, vel a thure fluit, quod e resinosis, quæ ibi plurimæ adsunt, arboribus eruitur. *Laban*, seu *Lebana* hebraice, vel thus significat, vel albedinem.

Euphrates, quem Scriptura plerumque *fluvium magnum* appellat, ad Orientem erat regionis illius, quam Deus Israelitis spoponderat. Illorum ditio ad hoc usque flumen patere potuisset, si in fide perstitissent, atque firmiter adhæsissent conditionibus fœderis, quod cum Domino percusserant, & in cujus virtutem hæc illis promiserat Deus; sed cum a fœderis fide defecissent, ipsis per Deum diutius frui regionibus illis non licuit. David iis potitus fuit; Salomon, donec regnavit, in ditione cohibuit; verum qui secuti sunt, Reges illis nequaquam dominati sunt: quin immo David ipse, & Salomon vectigales tantum eas habuere provincias; & Israelitæ numquam absolute iis terris, atque urbibus imperitarunt, quæ extra regionem eam, quam Moyses, ac Iosue distribuerat, erant positæ.

Scriptura non eosdem semper promissæ terræ limites assignat; & sæpius aliquod discrimen occurrit inter locos, ubi meminit illorum; aliquando enim obiter præcipua horum limitum puncta memorat; quandoque illos prolixius exponit; alibi eos tantum fines constituit, intra quos re ipsa Israelitæ dominati sunt; alibi vero ea universa loca comprehendit, quæ ipsis fuerant promissa; quæ omnia nullam contradictionem involvunt; sed eadem semper regio sub

A vario aspectu describitur, diligenter magis, vel minus definita.

OMNIS TERRA HETHÆORUM.] Populi hi montanam præsertim regionem incolebant, quæ est ad meridiem terræ Chanaan [5]; erantque præ ceteris Chananæis robustissimi, ac illorum arces munitissimæ. Harum situs, incolarum virtuti additus, videbatur terras illas inexpugnabiles redditurus: attamen Deus, ut Iosue animum confirmet ad opus illud, cujus provinciam illi demandat, pollicetur futurum, ut regione illa nominatim potiatur. Non pauci Interpretes pro Hethæis universos Chananæos hic intelligendos esse autumant, non secus ac alibi Amorrhæorum nomine intelliguntur.

USQUE AD MARE MAGNUM CONTRA SOLIS OCB CASUM.] De mediterraneo hic sermo, quod Palæstinæ litus alluit occiduum. Vocatur autem mare magnum habita parvorum aliorum terræ Chanaan marium, vel lacuum: veluti maris Genezaret, maris mortui. Hebræi maria vocant magnas aquarum, seu dulcium, seu salsarum colluviem: & sæpius nomine *maris* simpliciter occiduum, ac mediterraneum intellexere.

℣. 5. NULLUS POTERIT VOBIS RESISTERE.] Si vosmet dignos probaveritis, quos ego tuear, nemo inimicorum vestrorum vobis præstare poterit, nemo resistere; vel si restiterit, hoc illi in maximum infortunium, vobis vero in maximam cedet utilitatem. Ex omnibus autem Chananæis populis Gabaonitæ dumtaxat se se dedidere, alii omnes armorum C vi capti sunt [6]; atque Deus permiserat, ut corda illorum obdurarentur, ne fœdus ullum cum ipsis inire possent Israelitæ. Itaque cum dixit Deus ad Iosue, futurum ut nemo illi resistat, id innuit, fore ut nemo usque in finem illi resistere possit, nec aliquis adeo viribus polleat, qui valeat Israelitis obsistere, quin armorum vi deleatur.

NON DIMITTAM.] Hebraice ad litteram [7]: *non patiar vos animis despondere*: Vel, non sinam vires vestras a quopiam profligari, vel infirmari.

℣. 6. SORTE DIVIDES.] Textus simpliciter habet [8]: *Possidere facies*; populum in regionis illius possessione constitues, tu eadem potieris.

℣. 7. NE DECLINES AB EA AD DEXTERAM, VEL AD SINISTRAM.] Nonnulli [9] volunt, his verbis inD nui, nihil legi vel subrogandum esse, vel derogandum, neque quidpiam magis, vel minus, quam illa præcipit, esse faciendum. Verum ad legalem hanc locutionem in hoc præstat sensu intelligere: Ne cesses, sed perquam diligens insta, veluti viator, qui susceptum iter persequitur, quin ne minimum quidem hæreat cunctabundus. Hebraicus textus legit [10]: *Ne declines ab eo, nec ad dexteram, nec ad sinistram*. Ne declines a Moyse, vel a libro legis, neque ad dexteram, neque ad sinistram. Judæi volunt in Textu legi, uti Vulgata transtulit [11]: *Ne declines ab ea*, scilicet lege, nec ad dexteram, nec ad sinistram.

UT INTELLIGAS CUNCTA, QUÆ AGIS.] Septuaginta [12], & plures eruditi Interpretes [13] hunc senE sum sequuntur: ut in omnibus rebus prudenter agas. Sed alii vertunt [14]: *Ut omnia, quæ aggredieris, tibi cedant ex voto*; vel, ut eo pervadas, quocumque iter institueris. Id liquido constat, eamdem authographi vocem nonnumquam explicari, pro *succedere*, & sæpius pro *prudentem esse*. Locutio eadem vers. 8. occurrit.

℣. 8. NON RECEDAT VOLUMEN LEGIS AB ORE TUO.

1 Strabo lib. 16. 2 2. Reg. 8. 3. 3 3. Reg. 9. 19. & 2. Par. 8. 3. & 6.
4 Vide Deut. 1. 7. & 3. 25. & 11. 24. & Josue 1. 4. & 9. 1. 5 Masius, Bonfrerius.
6 Josue 11. 20. *Non fuit civitas, quæ se traderet filiis Israel, præter Hevæum, qui habitabat in Gabaon: omnes enim bellando cepit. Domini enim sententia fuerat, ut indurarentur corda eorum, & pugnarent contra Israel, &c.*
7 לא ארפך. 8 תנחיל. 9 Rab. Levi Ben-Gerson. apud Mas. & Magalim. apud Bonf.
10 אל תסור ממנו. 11 ממנה. 12 Ἵνα συνῇς ἐν πᾶσιν ὅσα ἐὰν πράξῃς.
13 Munsterus, Masius, Cornelius &c. 14 למען תשכיל בכל אשר תלך. Ita Chald. Rab. Drus. Vatab. Syr. Arab.

TUO.] Ne cesses umquam de hoc sermonem habere, & colloqui; verba ipsius rumina; ea meditare: velut ii, qui alicui rei peragendæ penitus addicti sunt, eamque memoriæ mandare studentes, iterum, iterumque pronunciant, ac repetunt continenter: ita lex mea non recedat ab ore tuo.

TUNC DIRIGES VIAM TUAM, ET INTELLIGES EAM.] Tunc omnia tibi prospere evenient; vel vias tuas rectas facies, *atque in illis cum intelligentia ambulabis*. Verti quoque potest. *Tunc eris felix, atque omnia e voto tibi contingent*.

℣. 10. PRINCIPIBUS POPULI.] Hebraice, *Soterim populi*. Septuaginta, *Scribis*. Aquila, *Exactoribus*. Symmachus, *imperatoribus*. Vocis hujus vim in Deuteronomio c. 15. perpeodimus. Aliquando enim pro judicis officio desumitur, aliquando vero internuntium, vel janitorem significat. Reor autem his internuntiis haud multum *præcones* illos abfuisse, de quibus Homerus loquitur, & qui Nuntii appellantur, vel hominum Deorumque Internuntii; quibus sceptra tribuuntur, tum ad denotandam illorum authoritatem, cum ad innuendum, ipsos apud omnes populos sanctos esse, nec ulla injuria lacessendos. Hi vero non pacis tantum erant ministri, nec ipsorum authoritas urbium limite præfiniebatur; sed belli quoque, & in castra sequebantur exercitum. Scripturæ quoque *Soterim* idem peragebant.

℣. 11. PRÆPARATE VOBIS CIBARIA.] Manna tunc quoque decidebat, illisque præbebat escam quotidie, quin ullum opus esset, ut aliunde sibi compararent cibaria, vel mannam supra diei unius usum colligerent: illud enim frustra peregissent, quoniam manna vermibus replebatur, si ultra diem servaretur. Quæ igitur jubet hic Josue præparari cibaria? Rabbini credunt statim post Moysis mortem mannam cessasse; sed Josue cap. 5. 12. palam ait, ipsam ad Jordanis usque transitum fuisse dilapsam, eamque tum demum defecisse, cum populus regionis panibus vesci cœpit. Alii contendunt, Josue pro cibariis, arma, & bellica instrumenta intelligere [1]; sed insolens nimium hæc est explicatio, atque nimis a vulgata vocum significatione recedit. Alii demum [2] potiori jure arbitrantur, Hebræos, cum multa cibaria invenissent in ea regione, quam de Amorrhæis ceperant, cumque commercium cum finitimis populis iniissent, jam farinam habuisse, & animantia, quibus vesci possent, si melius factu ducerent; cum nihilominus manna decideret; quæ plerumque pro pauperibus, infirmisque depluebat, qui alias escas sibi minime possent comparare. Josue igitur edicit, ut quisque ad Iordanis transitum se disponat, ac ad illud iter viaticum præparet. Non desunt, qui opinantur [3] in ea occasione mannam, quam collegerunt, nequaquam fuisse corruptam peculiari miraculo, & Israelitis nullam præter hanc escam fuisse; credi quoque potest, Iosue, vel arbitrantem, in ulteriori Iordanis plaga mannam haud esse dilapsuram, vel veritum, futurum ut per hostes minime liceret Israelitis extra castra ad illam colligendam egredi, etiam si decidisset, præcavisse, ut omne effugeret periculum, in quo populus fuisset versatus in hostico sine cibariis, & procul a quacumque spe ea sibi comparandi.

POST DIEM TERTIUM TRANSIBITIS IORDANEM.] Si hoc edictum fuit in agris Moab, post reditum exploratorum, & antequam castra moverentur de Sethim, ut ad Iordanis ripam accederent, ex ipsa Iosue narratione patet, populum nequaquam post tertiam ab edicto diem flumen illud traduxisse; sed post diem sextam tantummodo, uti versiculo primo explicuimus. Itaque reor, tres hos dies enumerandos esse a prima die, qua ad Iordanem castrametati sunt, ac a die tertia post reditum exploratorum, atque ut verbo me expediam, octava die mensis primi, quoniam die decima ejusdem mensis dumtaxat flumen illud prætervecti fuere.

℣. 13. DEDIT VOBIS REQUIEM, ET OMNEM TERRAM.] Hebraice [4] habetur simpliciter: *Ille dedit vobis domicilium* (requiei locum) *& hanc terram*; accepistis partem hæreditatis vestræ, & requiem obtinuistis in ea regione, quam de regibus Sehon, & Og estis adepti.

℣. 14. OMNES FORTES MANU.] Ex tribus tribubus quadraginta armatorum millia tantum delecta fuerunt; quamquam eorum, qui armis ferendis essent idonei, numerus erat quingentorum, & octoginta supra myriadem, qui Moysi receperant, se armatos in terram Chanaan esse profecturos, ut suppetias fratribus ferrent regione ea potituris [5]. Sed Iosue universa hac multitudine nullum opus adesse ratus est, ut quod instituerat, exequeretur; neque e re futurum censuit, si absque præsidiis relinqueret terras recens in ditionem redactas, medias inter finitimos, quos timor dumtaxat coercebat, ne odium suum, atque invidiam adversus Israelitas expromerent. Ea igitur vox *omnes* istic aliqua cum restrictione est intelligenda, non secus ac vers. 2. hujus capitis.

TRANSITE ARMATI ANTE FRATRES VESTROS.] Hebraicus textus [6] verti potest: *In aciem dispositi transite coram fratribus vestris*. Occurrit istic vox *Chamuschim*, cujus significationem ostendere in Exodo cap. 13. 18. conati sumus. Quoad vero in textu dicitur, trium tribuum bellatores transivisse ante fratres suos, vel coram fratribus suis, Septuaginta, & Vulgata, quibus plurimi melioris notæ adhærent Interpretes, inter quos Serarius, Bonfrerius, Cornelius, contendunt, quadraginta armatorum millia Ruben, Gad, & Manasse semper exercitus primos ordines occupasse. Sed alii, Iunius nempe, Drusius, Masius asserunt, ipsos fuisse simpliciter in ordinibus tribuum suarum, quemadmodum in deserto incedere consueverant. Prior sententia Textui magis conformis videtur, qui ubique eodem pacto loquitur de eorum incessu.

PUGNATE PRO EIS.] Hebraice, *illis opem ferte*, illis opitulamini, ut hostes suos deleant: æquum enim erat, ut hæ auxiliares copiæ tantumdem pro fratribus suis peragerent, quantum hi pro ipsis patrarant, cum regionibus trans Iordanem positis potiti sunt.

℣. 15. TRANS IORDANEM CONTRA SOLIS ORTUM.] Iosue profecto librum hunc exaravit post bella adversus Chananæos, cum jam Palæstinam obtinuisset; hinc autem oritur, quod hoc in opere de regionibus ultra Iordanem loquitur, perinde ac citra fluvium illum incoleret. Adiri possunt ea, quæ diximus in versiculum primum capitis primi Deuteronomii.

℣. 17. TANTUM SIT DOMINUS TECUM.] Nonnulli hoc in sensu intelligunt [7]: Nos semper tua imperata facturos pollicemur, dummodo tu Domino fidelis esse perseveres, atque juxta leges illius nobis præcipias. Sed explicatio hæc longius accersita videtur; ita vero intelligere malim [8]: Nos in omnibus tibi, quemadmodum cum Moyse fecimus, obtemperabimus; Deumque obtestamur, ut tibi faveat, ut te suis benedictionibus cumulet, suamque potentiam impertiat, qua nobis, sicuti Moyses egit, valeas præesse.

℣. 18. QUI CONTRADIXERIT ORI TUO .... MORIATUR.] Qui pervicaces Regi, vel principi, vel illi, cui suprema erat authoritas in Israel, parere detrectabant, morti addicebantur a Iudicibus [9], illud-

---

1 Rab. Salom. & Joseph. lib. 5. cap. 1.
2 Kimchi, Tostatus, Masius.
3 Serarius, Procopius.
4 מניח לכם ונתן לכם את הארץ הזאת.
5 Vide Numeror. 32. 17, 20. 21.
6 ואתם תעברו חמשים לפני אחיכם
7 Ita Talmudici, Kimchi &c.
8 Masius, Menochius, Grotius.
9 Vatablus.

illudque perduellionis crimen habebatur, sive ut Hebræi authoris loquuntur, condemnatio *propter Regnum*[1]. Noxii bona publicabantur, Regique cedebant; ideoque factum dicitur fuisse, quod David bona Saul, & Jonathæ, veluti Dominus pleno jure, Miphiboseth tribuit Ionathæ filio 2. Reg. 9. 7. eaque eidem ademit deinceps, ut Sibæ conferret 2. A Reg. 16. 4. Cum Iezabel Naboth, velut perduellionis reum damnandum curasset 3. Regum 21. 15. Achab statim illius bonorum adiit possessionem. Reges aliquando ex semet in id genus criminum judicia ferebant, atque super his Iudicum sententias poterant occupare. Tanta eorum probitatis antiquitus erat confidentia.

1 Vide Grotium hic.

CAPUT II.

Exploratores a Josue dimissi excipiuntur, & domi Rahab celantur: inde vero per fenestram elapsi, se se in montes recipiunt, unde in Israelitarum castra revertuntur.

1. MIsit igitur Josue filius Nun de Setim duos viros exploratores in abscondito:
& dixit eis: Ite, & considerate terram, urbemque Jericho. Qui pergentes
ingressi sunt domum mulieris meretricis, nomine Rahab, & quieverunt apud
eam. 2 Nuntiatumque est regi Jericho, & dictum: Ecce viri ingressi sunt huc per
noctem de filiis Israel, ut explorarent terram. 3 Misitque rex Jericho ad Rahab dicens:
Educ viros, qui venerunt ad te, & ingressi sunt domum tuam: exploratores quippe sunt,
& omnem terram considerare venerunt. 4 Tollensque mulier viros, abscondit, & ait:
Fateor, venerunt ad me, sed nesciebam, unde essent: 5 Cumque porta clauderetur in
tenebris, & illi pariter exierunt, nescio, quo abierunt: persequimini cito, & comprehendetis
eos. 6 Ipsa autem fecit ascendere viros in solarium domus suæ, operuitque
eos stipula lini, quæ ibi erat. 7 Hi autem, qui missi fuerant, secuti sunt eos per viam,
quæ ducit ad vadum Jordanis: illisque egressis statim porta clausa est. 8 Needum obdormierant,
qui latebant, & ecce mulier ascendit ad eos, & ait: 9 Novi, quod Dominus
tradiderit vobis terram; etenim irruit in nos terror vester, & elanguerunt omnes
habitatores terræ. 10 Audivimus, quod siccaverit Dominus aquas maris rubri ad vestrum
introitum, quando egressi estis ex Ægypto: & quæ feceritis duobus Amorrhæorum
regibus, qui erant trans Jordanem, Sehon, & Og, quos interfecistis. 11 Et hæc
audientes pertimuimus, & elanguit cor nostrum, nec remansit in nobis spiritus ad introitum
vestrum: Dominus enim Deus vester, ipse est Deus in cœlo sursum, & in terra
deorsum. 12 Nunc ergo jurate mihi per Dominum, ut quomodo ego misericordiam
feci vobiscum, ita & vos faciatis cum domo patris mei: detisque mihi verum signum,
13 Ut salvetis patrem meum, & matrem, fratres, ac sorores meas, & omnia, quæ illorum
sunt, & eruatis animas nostras a morte: 14 Qui responderunt ei: Anima nostra
sit pro vobis in mortem, si tamen non prodideris nos: cumque tradiderit nobis Dominus
terram, faciemus in te misericordiam, & veritatem. 15 Dimisit ergo eos per funem
de fenestra: domus enim ejus hærebat muro: 16 Dixitque ad eos: Ad montana
conscendite, ne forte occurrant vobis revertentes, ibique latitate tribus diebus, donec
redeant, & sic ibitis per viam vestram. 17 Qui dixerunt ad eam: Innoxii erimus a
juramento hoc, quo adjurasti nos: 18 Si ingredientibus nobis terram, signum fuerit
funiculus iste coccineus, & ligaveris eum in fenestra, per quam demisisti nos: & patrem
tuum, ac matrem, fratresque, & omnem cognationem tuam congregaveris in domum
tuam. 19 Qui ostium domus tuæ egressus fuerit, sanguis ipsius erit in caput ejus,
& nos erimus alieni. Cunctorum autem sanguis, qui tecum domo fuerint, redundabit
in caput nostrum, si eos aliquis tetigerit: 20 Quod si nos prodere volueris,
& sermonem istum proferre in medium, erimus mundi ab hoc juramento, quo adjurasti
nos. 21 Et illa respondit: Sicut locuti estis, ita fiat, dimittensque eos, ut pergerent,
appendit funiculum coccineum in fenestra, 22 Illi vero ambulantes pervenerunt
ad montana, & manserunt ibi tres dies, donec reverterentur, qui fuerant persecuti;
quærentes enim per omnem viam, non repererunt eos. 23 Quibus urbem in-

gressis, reversi sunt, & descenderunt exploratores de monte: & transmisso Jordane, venerunt ad Josue filium Nun, narraveruntque ei omnia, quæ acciderant sibi, 24 Atque dixerunt: Tradidit Dominus omnem terram hanc in manus nostras, & timore prostrati sunt cuncti habitatores ejus.

V. 1. MISIT IGITUR JOSUE.] Plures Interpretes [1] vertunt: *At miserat Josue exploratores*; supponunt quippe hoc contigisse ante ea, quæ sub initium capit 18 præcedentis narrantur. Statim igitur post Moysis luctum Imperator hic primum exploratores dimisit, ut urbem Jericho agnoscerent.

DE SETIM.] Populus Israel tempus omne, quod in Moysis luctu insumptum est, in agris Setim transegit, qui aliter agri Moab nuncupantur; ubi aderat urbs Abila, vel *Abel-Satim*, quemadmodum eam Moyses appellat Num. 33. 49. Urbs hæc sexaginta aberat e Jordane stadiis, ut Josephus Antiq. l. 5. c. 1. ait, & castra Israel ad radices Montis Phogor erant posita, uti Eusebio placet, ac Divo Hieronymo in locis ad Setim. Josephus Antiqu. l. 4. c. 7. inquit, agrum Setim palmis fuisse frequentem, & S. Hieronymus in Mich. c. 6. innuere videtur, illi ab arboribus Setim nomen inditum fuisse, quorum crebro meminit Scriptura; in Ioel. vero cap. ult. Setim ad sex millia passuum statuit ab urbe Liviadis trans mare Mortuum.

DUOS VIROS.] Septuaginta Romanæ editionis, ut Basileensis legunt, *duos adolescentes* [2]. Rabbini inquiunt duos hosce viros fuisse Caleb, & Phinees; quorum prior satis notus est, spectatæ constantiæ, ac fidei, quam simul cum Josue ostendit, cum e primo itinere reversus est, cum eamdem regionem exploraturus adierat; alter vero suo zelo insignis, & dignitate, quippe qui Eleazari summi Sacerdotis erat filius. Sed cum Scriptura nomina, & qualitates horum duorum exploratorum prætereat, ea sunt rejicienda, quæ Rabbinis placuit hac de re venditare.

IN ABSCONDITO.] Qui clam erant profecturi, ut regionem explorarent [3]; vel qui clam è castris elapsi sunt, quin populus [4], vel Primores certiores facti fuissent. Judæi Doctores, quibus nihil est antiquius, quam in vocum significatione exquirendu mentem acuere, asserunt, a Josue dimissos fuisse viros, qui se mutos, & surdos esse simularent, quia Hebraica vox *Charasch* [5] nonnunquam, surdum esse, significat; alii vero putant, hos exploratores, manu præ se tulisse instrumenta fabri, vel lignarii, vel cæmentarii, vel figuli, ut artibus suis lucrum quærere dumtaxat existimarentur. Verum vana hæc commenta flocci pendimus.

TERRAM URBEMQUE JERICHO.] Hi porro non ideo legati sunt, ut universam terram Chanaan cognoscerent. Josue, qui aliàs illam lustrarat, illius qualitates satis erant compertæ: verum poterat non satis callere urbis Jericho vires, incolarum numerum, robur, & consilium; igitur antequam illuc aciem admoveat, noscere vult hæc omnia, quoad certius, tutiusque poterat fieri. Urbs autem Jericho sita erat in pulcherrimo agro, uberrimoque, montibus circumsepto, qui sensim ex agri parte declives dilabuntur, atque circum undique quamdam veluti scænam efficiunt. Ager autem centum prope stadiis patebat, quod omne spatium & excultum erat, & irrigatum. Terra illa palmis erat consita, aliisque arboribus referta, ut testatur Strabo lib. 16. sed novissimis Judæorum reipublicæ temporibus spectabilior adhuc evaserat inde, quod illic opobalsami viridarium excolebatur, unde balsamum illud pretiosum, ut rarum adeo, cujus Authores memine- A runt, educebatur. Urbs centum & quinquaginta stadiis ab Jerusalem aberat, a Iordane vero sexaginta, ut docet Iosephus de bello Iud. l. 4. c. 27. Porro sexaginta stadia tres circiter leucæ Gallicæ sunt, vel ferme milliaria Italica octo.

INGRESSI SUNT DOMUM MULIERIS MERETRICIS NOMINE RAHAB.] Septuaginta [6] & Author Epistolæ ad Hebræos c. 11. 31. quos Patres omnes, & plerique Interpretes sequuntur [7], Hebraicam vocem *zonah* זונה de meretrice explicant; nec eruditi quidam interpretes desunt, qui authographi vocabulum nuspiam aliud aliquid significare contendant: animadvertunt, in hac Rahab historia universe ne verbum quidem fieri de viro illius, neque de filiis, cum illa pro consanguineis suis deprecatur. Manebat il- B la extra patris sui domum, & plane neque vidua erat, nec virgo. Turpem igitur corporis sui quæstum faciebat, & forte ex illis meretricibus erat, quæ falso cuipiam numini se se dicabant; quemadmodum in Oriente passim fieri consueverat. Serarius quæst. 5. sententiam hanc probat, primum quod ille ex urbe Iericho fuisset, quam Lunæ dicatam fuisse autumat, in cujus honorem plerumque impuræ hæ fiebant consecrationes. Alterum vero argumentum deducit ex observantia, atque honore, quem illi cives detulere qui a Magistratibus ad illam missi fuerunt. Domum illius ingredi non audent, sed solum eam rogant, ut ipsis eos deducat viros, quos domi celaverat. Verum rationes hæ minimum dimovebunt defensores Rahab, immo illis nec author ipse satis C videtur acquiescere.

Interpretum plerique Rabbinis adhærentes [8] contendunt, Rahab simpliciter hospitio excipere consuevisse advenas: fatentur quidem, hebraicam vocem *zonah* sæpius pro muliere usurpari, quæ in lustris versetur; sed hic significare volunt mulierem quæ esculenta venumdat, atque domi suæ hospites excipit, illisque commodat domicilium. Nomen hoc a *Zun* זון proficisci putant, quod significat, in aliquem locum ad commorandum divertere, vel comestibilia parare. Ad hæc, Salmon Princeps Tribus Iuda nequaquam duxisset uxorem Rahab, si ea fuisset, quam ii describunt, quorum superius sententiam attulimus; & quinam exploratores Iosue in meretricis domum voluissent secedere, cujus flagitia, & luxuries D eos debuisset horrore percellere! & quomodonam tuto persistere potuissent in loco, qui omnibus pateret, & ubi nulla esset verecundia, nullus pudor, nulla fides? Sapientia Iosue, qui eos elegit, non patitur, ut credas, eos leves adeo fuisse, ut scortis, lustrisque se dederent; qui si voluptatum illecebris obsistere decreverant, quidnam patraturi meretricis domum adierant? nullus aderat præterea in urbe locus, quo possent confugere?

Observatur, apud Ægyptios, Græcos, & plane etiam apud Chananæos mulierum fuisse, & cauponas agere, & mercaturas exercere. Herodotus l. 2. c. 35. & Sophocles in Oedipo id palam de Ægyptiis asserunt: homines, inquiunt illi, domi sedent domesticis occupati negotiis, telæ texendæ, aliisque E operibus dediti, quæ sunt mulierum propria; fœminæ vero e contra externa peragunt negotia, cauponantur, mercantur. Aristophanes Pluti Act. 2. scen. 4. & Ran. act. 2. scen. 4. & Apulejus idem quoad Græcos probant: *Quod primum stabulum conspicatus sum, accessi*, inquit Apulejus, lib. 1. Metamor.

1 Vatablus, Masius, Bonfrerius, Grotius. 2 δύο νεανίσκοι. 3 Tostatus, Pagninus, Vatablus, Munsterus.
4 Apud Masium, & alios. 5 אנשים מרגלים חרש 6 אשה זונה. 70. εἰς οἰκίαν γυναικὸς πόρνης.
7 Ita Syr. Arab. Munst. Drus. Mas. Grot. Bonfrer. Serar. Cornel. & antiqui PP. passim. Vide Serar. hic qu. 5.
8 Syr. Vat. Pagn. Montan. Titelman, & Rabb. Chald. vertit פונדקיתא, quod a Græcis πανδοκεύτρια.

nost. & de quadam eam caupona illico percontor.

In sancta historia aliqua similis consuetudinis apud Philistæos vestigia intuemur. Samson mulieris domum ingreditur, cujus eadem erat ars, ac Rahab, in urbe Gaza, atque inde sub noctis dimidium egreditur urbis portas bajulans in montem Judic. 16. 2. Mulier fortis, de qua loquitur Salomon, mercaturam agebat de operibus suis, ancillarumque suarum. Proverb. 31. 13. 14. 24.

Sanctius in Commentariis in 3. lib. Regum c. 3. v. 16. ubi agit de duabus fœminis, quæ vicissim accusabantur, quod altera alterius filium suffocasset; contendit Hebraicum *zonah*, significare tantum mulierem, quæ mercaturam exercet, vel quæ sibi victum comparat honesta quapiam arte, vel nendo, vel lineas vestes dealbando, vel merces vendendo, vel aliud quidam efficiendo. Nomen hoc, inquit ille, tribui potuisset mulieri forti, quæ cingula vendebat, ac sindones Prov. 31. 24. Duæ Mulieres, quæ se obtulerunt Salomoni, non secus ab ea turpi aberant arte, quam nec nominare fas est; satis enim valide illi igni & aqua interdictum erat e legibus regionis illius: Deuter. 23. 18. *Non erit meretrix de filiabus Israel*; neque adeo inverecundæ pudorem omnem exuere potuissent, ut coram hoc Rege apparerent: & præterea filios gignere nequaquam potuissent; quandoquidem liquet publicas meretrices nequaquam esse fœcundas. Isaias Propheta 23. 15. Tyro nomen *Zona* tribuit, illique prædicit futurum, ut post septuaginta annos tandem resumat citharam, urbem circumeat, & iterum mercaturas agere instituat. Denique Sanctius minime ambigit, quin Rahab honestissima fuerit mulier, quæ domi suæ advenas hospitio exciperet.

Neque difficile esset fortasse, sententias has conciliare, dicendo Rahab cauponam egisse, & nomen illius nequaquam turpitudinis nota caruisse non secus, ac illarum, quæ idem munus exercent, neque sunt nuptæ. Grotius authographi vocem in communi accipit significatione, pro muliere impudica; sed addit tunc temporis inter eos populos non adeo turpem habitam fuisse mulierum quæ corporis quæstum facerent, luxuriem, & abominandam, uti nostris temporibus existimatur, atque apud Chananæos humilem potius & contemptibilem creditam fuisse, quam noxiam, & legibus vetitam. Quoad cauponas ex veteribus liquet, quænam de ipsis fieret existimatio. Porphyrius de Abstin. lib. 4. ait, re quidem vera nequaquam lege cautum esse, ne quis ea adeat loca, sed honestum hominem nunquam illuc pervadere pudore incolumi; atque illi turpitudini verti posse, illuc pervasisse. Isocrates ab Athenæo lib. 13. Dipnosoph. citatus, aliquid ulterius addit; ait enim, non honestum hominem solum, sed neque servum frugi ausurum esse mandecare, vel bibere in popinis, & ganeis. Theophrastus hominis caracterem describens, cui nulla amplius est sui nominis cura, cum verecundiæ jacturam fecerit, ait, ipsum præsto esse, ut caupo fiat: quæ omnia satis ostendunt, Græcos summopere abhorruisse ab illis, qui seu viri, seu mulieres hanc vitæ rationem ingrederentur; & quorsum iis in locis nequitia pervaserit.

Ast inde dignoscere licet quantum discrimen inter illorum, & nostra diversoria intersit; quandoquidem nemini vitio vertitur diversorium ingredi, atque toto cœlo distat lustra, ganeasque adire, & in cauponas divertere. Fatendum est etiam, nec ubique, nec semper loca ea adeo invisa fuisse; Ægyptii præsertim & Chananæi quam maxime a Græcorum aberrant verecundia. Josephus Antiq. l. 5. c. 1. de Rahab loquitur, non secus ac de simplici caupona; & quamquam Sanctus Paulus eam post Septuaginta Meretricem appellet Hebr. 11. 31. *Fide Rahab meretrix non periit cum incredulis, excipiens exploratores cum pace*; ait tamen, eam fidei lumine illustratam erga exploratores commendabili hospitalitatis munere functam fuisse. Sanctus quoque Iacobus c. 2. 25. bona illius opera commendat, atque hospitalitatis officia: *Rahab meretrix nonne ex operibus justificata est, suscipiens nuncios, & alia via ejiciens?* Nonnulli apud Lyranum & Abulensem qu. 14. asseruere mulierem hanc diutius antea a nequitia sua discessisse, atque ad Deum verum fuisse conversam, cum ea mirabilia intellexisset, quæ ille in Ægypto patrarat, ac in rubri maris transitu. Sed hæc futilia sunt, non secus ac quæ de illius ætate referuntur, de qua nihil loquitur Scriptura. Quandoquidem ea nupsit Salmon, quemadmodum S. Matthæus 1. 5. docet; quamquam nonnulli Patres [1], & recentiores quidam Interpretes dubitasse videntur, non provectiori adeo eam fuisse decet ætate.

ET QUIEVERUNT APUD EAM.] Quoad tempus, quo exploratores in urbe Iericho sunt commorati, in diversas scriptores abeunt sententias. Nonnulli, veluti Cajetanus, & Bonfrerius autumant eos sub diei exitum pervenisse, tota nocte apud Rahab mansisse, die crastina urbem circumivisse, sub cujus vesperam cum deprehensi fuissent, Rex certior factus, misit quæsitum eos domum Rahab, quemadmodum hoc capite legitur. Hæc vero sententia præsertim ex eo probatur quod hic dicitur, *illos cubasse*, vel *quievisse* apud Rahab [2]; quod explicari nequit de nocte exitus illorum, quoniam jussu regis quæsiti fuere antequam obdormirent; & ex historiæ decursu liquet ipsos noctis hujus partem duntaxat domi Rahab transegisse. Alii veluti Iosephus, & Serarius arbitrantur ipsos pervenisse Iericho aliquot horis ante noctem, atque urbe satis explorata Domum Rahab se se recepisse, ut ibi comederent, cubarentque. Sed hæc explicatio adversari videtur iis, quæ inferius Regi Iericho dicuntur, hos homines eadem illa nocte accessisse [3], ut urbem considerarent.

Denique communior sententia est, exploratores urbem ingressos fuisse cum nox adventaret, ne agnoscerentur; sed cum a quibusdam essent deprehensi, Regem illico admonitum satellites dimisisse, ut illos perquirerent. Rahab simulat, exploratores, cum aliquamdiu domi suæ perstitissent, urbe egressos fuisse momento eodem, quo januæ claudebantur. Verisimile est, mulierem hanc, cum circa domum suam murmur, & tumultum percepisset, id veritam, quod erat, statim abduxisse in domus suæ partem superiorem exploratores, antequam januam aperiret, ut illis responderet, qui eos nomine Regis quærebant. Iuxta hanc sententiam, nequaquam tempus exploratoribus fuit urbem considerandi; itaque cum jam reverterunt in castra, nuspiam liquet, ipsos edixisse Josue, quænam essent urbis vires, & dispositio; sed de populi timore tantum loquuntur, quod ipsum a Rahab didicerant. Quod autem hic dicitur, ipsos domi Rahab cubasse, vel quievisse, intelligi potest, eos domum illam ingressos fuisse consilio ibi noctem transigendi, sed ibi diu manere non potuisse. Sæpius de actione tamquam in actum redacta differitur, quamquam incepta fuerit duntaxat, vel cujus faciendæ initium fuerit simpliciter consilium. Exempli gratia, legimus in Genesi [4], Ruben eripuisse de aliorum fratrum suorum manibus Joseph fratrem suum; scilicet ipsum pro virili conatum esse, ut id consequeretur, quamquam res e voto non cesserit.

℣. 3. EDUC VIROS, QUI VENERUNT AD TE.] Rahab januam suam non aperuit; sed de fenestra locuta est; vel qui a Rege missi fuerant, noluerunt ingre-

1 Auth. oper. imperf. in Matth. & Theophyl. in Matth. 1. Vide Serar. & Bonfrerium.
2 וישכבו שמה. ϗοικατέλυσαι ἐκεῖ. Al. κατέπαυσαν ἐκεῖ.
3 ℣. 2. *Ingressi sunt huc per noctem*. Hebr. באו הנה הלילה
4 Gen. 37. 21. *Volens eripere eum* &c. Hebr. *eripuit eum*.

ingredi, ut per se in hujus mulieris domo Israelitas perquirerent; sed fidem iis præbuere, quæ illa retulit. A

℣. 4. VIROS ABSCONDIT, & AIT.] Simulac tumultum ad fores audivit, hos viros domi suæ tectum jussit ascendere, & cum deinde se illis obruisset, qui a Rege missi fuerant, ea respondit, quæ hic referuntur. Vel etiam cum prævideret, futurum ut domus tota posset inquiri, primam operam dedit, ut exploratores supra tectum absconderet. Hebraicus textus habet in singulari ותצפנו *absconditeum*; videlicet juxta quosdam Interpretes singulos seorsim abscondit; vel juxta quosdam Rabbinos, illa abscondit tantum *Caleb*; cum Phinees, qui Angelus erat, tunc se invisibilem præbuisset. Fabulæ. Vide Serarium qu. 10. Singularis numerus pro plurali hic, ut alibi passim, usurpatur. B

℣. 5. CUMQUE PORTA CLAUDERETUR IN TENEBRIS, & ILLI PARITER EXIERUNT.] Textus in hunc sensum verti potest [1]: Et sub illud tempus, quo urbis porta claudi consuevit, tenebrarum ope, hi viri exierunt. Neque enim incauta adeo Rahab est credenda, ut dicat, eos homines eo ipso momento egressos fuisse, quo portæ claudebantur; quamprimum enim id falsum compertum fuisset, illinsque deprehensum mendacium. Qui enim ad urbis januam vigiles assedissent, neminem egressum fuisse affirmassent, & mulier se, atque exploratores in certum, apertumque discrimen adduxisset.

Quæritur hic quodnam judicium ferri liceat, de mendacio, quod Rahab commenta est, ut servaret C exploratores; atque an excusari possit crimine proditionis eo quod domi exceperit illos, hoc supposito, quod eos nosset; atque deinceps dimiserit, cum exploratores, atque patriæ suæ hostes esse cognoverit? Quoad primum nimis constat ipsam mentitam fuisse, quam ne quis id negare contendat, uti nonnulli ausi sunt [2]; dicentes, ipsam mentali quadam restrictione intellexisse de aliis quibusdam advenis, qui revera domo illius egressi fuerant sub tempus illud, quo urbis portæ claudebantur. Verum fatendum est, Rahab aliud a veritate perspecta asseruisse, atque fuisse mentitam. Sed ea in occasione actio hæc fuit ne peccatum? hac de re authores parum conveniunt.

Veteres quidem Patres credidisse videntur men- D dacium pluribus in casibus esse permissum. Cum Celsus asseruisset, mentiri fas esse, cum quis mendacio uteretur, ut amicorum ægritudini cuipiam seu corporis, sive spiritus medelam adferret, vel ut periculum aliquod ab hoste evitaret: Origenes contra Celsum lib. 4. nihil adfert in hanc sententiam, eamque approbare videtur. S. Hilarius in Psal. 14. ℣. 3. cum dixisset justum a veritate numquam recedere debere, fatetur, præceptum hoc factu esse difficile, atque angustam nimis esse viam inter hominum malitiam, ac iniquitatem, & mendacium sæpe necessarium esse, atque falsitatem prodesse: exempli gratia cum homini alicui quærenti, ut perimat, dicimus, ibi non esse, ubi quæritur; vel cum veritatem veluti larva apposita obtegimus, E ut hominem in periculo constitutum eruamus; vel denique cum graviter ægrotanti cuipiam dicimus morbum non adeo esse gravem, ne animis despondeat, Sanctus hic doctor addit his in casibus, sermonem nostrum discretionis sale conditi oportere, & Spiritum Sanctum interdicto non mentiendi eddere voluisse exceptionem, dicendo: *Qui non accepit in vano animam suam, nec juravit in dolo proximo suo*; perinde ac innuere vellet, mendacii crimen ex damno, quod aliis infertur, æstimari; *ut crimen mendacii in incommodo haberetur alieno*. S. Clemens Alexandrinus lib. 7. Strom. ait, Christianum verbis suis semper prolaturum, quod habet in corde coram illis, qui illud audire merentur; ni propter proximi utilitatem aliquid cogatur efficere, quod alioquin non faceret, quemadmodum cum aliquando mentitur medicus, vel potius cum falsum affirmat, ut salutem afferat ægro. Ita quoque Sanctum Paulum egisse dicit, cum Timotheum circumcidi voluit, quamquam crederet, doceretque ritus illius inutilitatem. Sanctus quidam Abbas, cujus sententiam Cassianus Collat. 16. c. 8. retulit, ajebat, mendacium veluti elleborum haberi posse; nam quemadmodum in extremo tantum discrimine hoc utimur pharmaco, ita quoque mendacium, cum summa tantum necessitas urget, est adhibendum; alioquin mendacium æque animæ noxium est, ac elleborum corpori, cum aliquis illud firma valetudine usurpat. S. Chrysostomus homil. 53. in Genes. alicubi innuere videtur, Deum probare, atque authoritatem addere mendacio, cum necessarium est, ut ipsius adimpleantur consilia, vel cum profertur, ut legibus ipsius pareatur: exempli gratia cum Jacob fallit patrem suum Isaac mendacio, vel cum Israelitæ simularunt, se mutua accipere ab Ægyptiis vasa, quæ numquam erat reddituri.

Veteres plerique Philosophi [3] docuerunt, quamquam, generatim differendo, mendacium, ac dolus mala sint, quasdam esse tamen occasiones, in quibus mentiri liceat, & inter Sapientis officia illud quoque adscribunt, quod mentiri sciat, cum necessitas postulet; *Nam & mendacium dicere etiam sapienti aliquando concessum est*, ait Quintilianus; atque arbitrantur, mendacium nequaquam esse malum, si in proximi cedat utilitatem, neque tunc etiam, cum nemini potest obesse; omnesque fatentur, quædam adesse, quæ mendacia videntur, cum revera nequaquam sint. Exempli gratia, hyperboles, ironiæ, aliæque similes orationis figuræ, quibus consuetudo alium sensum indidit ab eo, quem exprimunt: verbi causa, cum Jesus Christus de Lazaro loquens Jo. 11. 11. dicit, ipsum dormire, *Lazarus amicus noster dormit*, illum diem supremum obiisse significans; & de corpore suo disserens Jo. 2. 20. 21. inquit, se diruturum templum hoc, ac post tres dies reædificaturum. Quamquam sermones hi obscuri atque ænigmatici ab omnibus hominibus minime intelligebantur, & quidam in sensu accipiebant iis opposito quæ significabantur, quemadmodum non dicebat hæc, ut falleret, ita quoque dici nequit, fuisse mentitum, neque dolo usum, dum ea loqueretur. Nam cum ea quæ ab eo dicebantur, duplicem haberent sensum, inferri nequaquam poterat ipsum innuere velle id, quod intelligebat eorum pars, qui illum audiebant; quod necessarium est, ut mendacium fiat; cum juxta S. Augustinum de Mendac. c. 4. & contra Mendac. c. 12. mendacii sit essentialis conditio velle decipere. Quare mentiri nequaquam putamus, cum fatuis, & infantibus falsa enarramus; nam cum illi, quos alloquimur, careant rationis usu, & judicio, falli nequeunt; neque eas conditiones infringimus, quas jus naturale constituit inter homines, ne mutuo fallerentur signorum abusu, quæ constituta fuerunt, ut sensus nostros promeremur, atque inter nos vicissim unio, & commercium vigeret.

Credi quoque potest, mendacium non esse malum, cum justæ suppetunt rationes existimandi, illum, qui fallitur, haud ægre laturum, neque hunc habiturum esse veluti injuriam suæ illatam libertati, sed e contra pro munere, & benefacti loco habiturum: exempli gratia, si æger decipitur, ut salutare ebibat pharmacum, vel si fictum rumorem in vulgus Imperator edit, ut confirmet, vel si quo utitur stratagemate, ut acceptum damnum milites celet. Denique minime dubium est, quin liceat aliquando simulare aliquid velle, quod nolis, vel nolle, quod velis, cum huic simulationi pro objecto est quidpiam

1 ויהי השער לסגור בחשך והאנשים יצאו 2 Junius & Tremellius. 3 Plato lib. 1. 2. & 5. de Republ. Xenoph. l. 4. Vide Plut. de Stoic. contrad. & Quintil. lib. 3. c. 1. Vide Grot. de jure belli & pacis l. 3. c. 1. art. 9. 10. 11.

piam indifferens, vel licitum; & cum nemini obest, nisi forte hostibus, adversus quos communia belli jura permittunt astu, artibus, ac dolis uti, donec nullum cum ipsis initum commercium est, quo bonæ fidei, ac justitiæ communis juris reviviscat obligatio, quæ veluti suspensa erat mutuo consensu, dum bellum arderet. Iosephus simulat, se fratres suos non agnoscere, eosque veluti exploratores habere, & fures, Genes. 42. 7. Salomon ait, se velle bifariam secari e duobus filiis superstitem in duarum mulierum judicio, quæ mutuo filium suum suffocasse accusabantur 3. Reg. 3. 25. Elisæus Syriæ Regis militibus ait, se illis ostendere velle viam Dothan, eosque Samariam deducit, illos Regi Israel traditurus, 4. Regum 6. 19. Ieremias cap. 38. 26. 27. Principibus Israel occuluit, quod ipsi cum Rege contigerat. Iesus Christus simulat se velle præterire discipulos suos super lacum Genezaret; fingit se ire velle ultra Emaus post suam Resurrectionem Luc. 24. 28. *Finxit se longius ire*. Sanctus Paulus 1. ad Corinth. 9. 20. 21. fit omnibus omnia, Iudæus cum Iudæis, Ethnicus cum Ethnicis, ut eos Christo lucrifaciat. Quis hæc omnia mendacii, vel doli audeat incusare?

Ut autem ea omnia, quæ hactenus dicta sunt, ad factum referamus, de quo hic agitur; asseri potest, Rahab, cum persuasum illi esset, hanc Dei esse voluntatem, qui Chananæos Israelitis tradere decreverat, illius consiliis obsistere minime debuisse; ideoque mendacio exploratorum vitam servasse, cum aliter eos tueri non posset. Credidit illa hospitalitatis jura violare, enormius esse crimen, quam officiosum mendacium; illi animus fortasse fuit impediendi crimen, quod concives ipsius patrassent, exploratores hos enecando, quod majorem in interitum civitatem impulisset. Rahab quodammodo mortis hujus facta fuisset particeps, longeque majus facinus admisisset, quam mendacium, quod protulit; periculum sibi, atque hospitibus suis, nec majus esse poterat, nec præsentius. Hujus mendacii utilitas satis patet. Necessitas erat summa; Dei ipsius gloriæ videbatur esse, exploratores hos tueri; denique Masius non putat mendacii nomen proprie tradi posse huic actioni, quandoquidem non magna satis occurrit oppositio virtuti contrariæ, ut inviso mendacii nomine nuncupetur. Neque enim Rahab erat mens fallendi, vel veritatis prodendæ; immo e contra quantum in ipsa erat, justitiam quærebat, & veritatem; sed cum illam recta via consequi nequiret, ut eo perveniret, obliqua fuit insistendum; ferme non secus ac qui arborem corrigere vult, ut erecta extollatur, in contrariam partem magis detorquet, ut ad illam rectitudinis lineam, quo contendit, perducat. Author hic putat particulari quodam afflatu Dei, aliquando Sanctos Patriarchas veritatem obduxisse; atque ideo ea, quæ dixerunt neque rectitudini, neque veritati esse posse contraria; cum fieri nequeat, ut Deus alius sit a seipso, atque id probet, quod legi adversatur; neque vero omnino esset impossibile, hac in occasione Rahab eodem percitam fuisse spiritu, ac Patriarchas.

Verum universa hac in quæstione adhærere malim Sancto Augustino in lib. contra Mendac. cap. 15. & 17. & cum eodem mendacii Rahab incusare, simul tamen fidem illius, fidelitatem, hospitalitatem ac zelum laudibus extollere, quibus eos servavit, quos veluti Supremi Numinis consilii existimabat executores. Deus in Rahab non mendacium, quod protulit, sed misericordiam, quam exercuit, remuneratur; illique temporalem largitus est remunerationem pro actione humanitatis plena, ac justitiæ. Rectum illius consilium, & veræ morum doctrinæ ignorantia, in qua versabatur, in materia præsertim A difficili adeo, & ardua, ac in regione adeo sceleribus obruta, ipsius facinus imminuere potuerunt; illique a Deo facilius criminis veniam impetrare; sed actio hæc nequaquam in exemplum est proponenda, quod imiteris; procul dubio quidem rectius fuisset operata, nisi mentita fuisset, absque eo quod tamen consilium negligeret eos servandi, quos tanta liberalitate exceperat domi. Hanc Sancti Augustini sententiam communiter amplectuntur Interpretes, qui docent, mendacium Rahab veniale peccatum fuisse, æque ac officiosa mendacia.

Quoad alteram vero quæstionem, scilicet, utrum Rahab domi suæ potuerit excipere, ac incolumes dimittere Hebræorum exploratores, eos populi sui, patriæque hostes esse cognoscens, generatim respon- B deri potest; quemadmodum exploratores magis noxii sunt, quam hostes iidem; ita illos, qui exploratoribus favent, qui eos excipiunt, qui illis opem ferunt, magis esse noxios, quam si hostibus ipsis faverent; ideoque Rahab haberi debuisse a civibus suis, veluti infandæ proditionis fontem, si eos esse exploratores agnoscens, celaverit, illisque ad fugam aditum aperuerit; & quamvis etiam re adhuc integra eos ignoraverit, non fuisse amplius deinde excusandam, cum eos Regio nomine perquiri intellexerit. Nullo autem pacto mulier hæc defendi posse videtur in iis, quæ erga illos est operata, atque illam adversus patriam suam perduellionis crimine esse arguendam.

Aliud vero ferretur judicium, si animum advertas, Rahab Divini consilii fuisse participem, qui C Chananæos delere volebat, eorumque regionem Hebræis tradere; nec poterat illa Dei obsistere voluntati, quin in idem perduellionis crimen adversus Deum prolaberetur, quod erga patriam voluisset effugere. Præterea noverat illa Hebræorum causæ justitiam, injustitiam vero Chananæorum; illorum æquitatem in armis, horum iniquitatem in resistentia; ideoque nec æquius inire poterat consilium, nec sapientiæ legibus magis consentaneum; præcipue vero cum palam intelligeret, se, etiam si hos prodidisset viros, non posse tamen patriam suam liberare, nec civium suorum conditionem meliorem efficere, quandoquidem illorum interitus certus erat, atque inevitabilis, atque hi majora tantum meriti fuissent mala, si exploratoribus necem intulissent: dum e con- D tra Israelitas viros servans, sibi, ac universæ familiæ suæ bonorum omnium maximum comparabat, libertatem scilicet, & vitam, & quod præ his omnibus maxime in pretio esse decet, donum fidei, ac veræ Religionis agnitionem.

℣. 6. ASCENDERE FECIT EOS IN SOLARIUM.] Hebraice simpliciter [1]: *Ascendere eos fecit in tectum.* Liquet iis in regionibus tecta plana esse, & sæpius ibi hospites ad cubandum collocari consuevisse sub dio, veste tantummodo super solarium strata, aliaque superposita, qua cooperirentur. Samuel Saulem, ac servum illius in solario domus suæ ad dormiendum collocavit 1. Regum 9. 25. Absalon tentoria extruxit, atque cubilia super tectum ædium David 2. Reg. 16. 22.

E OPERUIT EOS STIPULA LINI.] Vel lino integro cum calamo suo, quod ibi extensum erat, sicuti assolet linum ad solem, & ros extendi, antequam in opus redigatur, frangaturque. Hebraice ad litteram [2]: *Sub lino ligni*, vel sub lino cum ligno suo, cum calamo suo. Masius arbitratur hic intelligi posse de gossipio, quod *xilinum* appellatur, scilicet *lignum lini*. Sententiam hanc eruditi quidam Critici sequuntur [3].

℣. 7. ILLISQUE EGRESSIS, STATIM PORTA CLAUSA EST.] Rab. Kimchi apud Drusium id explicat de janua domus Rahab, quam clausit illa, simul ac qui quærebant exploratores, exierant. Sed non liquet

1 העלתם הגגה. 2 בפשתי העץ. 70. ἐν τῇ λινοκαλάμῃ. Aliis. ἐν τοῖς ξύλοις τῆς λινοκαλάμης.
3 Forster. & Boot. animadv. l. 2. c. 5. 5. 8. & Arabs.

liquet illos domum ingressos fuisse; & pleriqoe autumant, urbis portam clausam fuisse, statim ac satellites Jericho egressi fuerunt Israelitas viros insecuturi. Id enim fecere præcaventes, ne, si exploratores Josue abditi essent in urbe, noctu possent effugere. Verum industria Rahab omnem hanc diligentiam inanem effecit.

ỹ. 8. NEC DUM OBDORMIERANT.] Ex his verbis hi viri ascendisse viderentur dumtaxat, ut dormirent, opin scirent, quid propter ipsos tumultus fieret; sed ea, quæ superius dicta sunt, hunc sensum minime patiuntur: tantum enim domus solarium adierant, ut celarentur. Rahab eos a primo servatos periculo, deceptis, qui missi fuerant a Rege, tueri etiam voluit adversus ea, quæ poterant in urbe contingere; & absque eo quod illis tempus dormiendi permitteret, ad eos celeriter profecta est, eosqueadhortata, ut nocturnis tenebris uterentur, quò sese in tutum reciperent.

ỹ. 9. ELANGUERUNT OMNES HABITATORES TERRÆ.] Hebraicus textus verti potest [1]: *Omnes habitatores terræ liquefacti sunt*, sine viribus, sine vigore, sine aoimo; nimius timor illis corporis, animique vires ademit.

ỹ. 11. DEUS VESTER IPSE EST DEUS IN COELO SURSUM.] Deus est infinitæ potentiæ, cujus imperium limite nullo, nulla regione coercetur, sed & cœlo dominatur, & terris. En Proselytæ hujus confessio, qua pulchrior, & perfectior numquam fieri valeat, qua designat infinite Deum Israel præ aliis Nationum Diis excellere, qui, eorum ipsorum, a quibus adorantur, sententia, potestatem habent dumtaxat in eas regiones, & populos, ubi coluntur.

ỹ. 12. DETISQUE MIHI SIGNUM VERUM.] Arrham veluti certam, atque pignus, vos mihi esse, meisque vitam servaturos. Ostendit non acquieturam esse promissis verbalibus, sed aliquid fixum exigit, atque signum permanens, quod sit veluti vas eorum, quæ poleit.

ỹ. 14. ANIMA NOSTRA SIT PRO NOBIS IN MORTEM, SI TAMEN NON PRODIDERIS NOS.] Antequam se interposita jurisjurandi religione adstringant cum Rahab, ab illa arcani fidem exigunt; eam ipsos numquam esse prodituram, nec ante, nec post fugam ipsorum, & nemini revelaturam conditiones, & signum, de quo paciscentur; ne alii cives Jericho, eo cognito, eodem uti vellent; atque tunc Hebræi, cum non possent amplius ea dignoscere, quæ ad Rahab pertinerent, ab iis, quæ aliorum essent oppidanorum, innocuum simul cum noxio involverent, illum, cui vita promissa fuerat, cum illo, quem enecandum Deus præcepisset. Videtur hic, ut alibi passim in Scriptura, quam caute veteres se se adigerent sacramento, atque arcana detegerent.

FACIEMUS IN TE MISERICORDIAM, ET VERITATEM.] Utemur erga te misericordia, & fidem cum veritate præstabimus, Locutiones hæ frequentiores sunt apud Hebræos, tum ad significandam misericordiam, quam Deus erga homines exercet, & fidelitatem, qua promissi fidem solvit, cum ad denotanda hominum inter se ipsos fidem bonam, & benefacta. Misericordia, & Veritas significare etiam possunt beneficium solidum, gratiam irrevocabilem, velut quid oppositum benefactis, promissionibus, favoribus, qui deinceps constantibus effectis minime comprobantur.

ỹ. 15. DEMISIT EOS PER FUNEM.] Hoc autem contigit solum post ea, quæ sequentibus versiculis usque ad vigesimum primum, enarrantur.

ỹ. 16. AD MONTANA CONSCENDITE.] Montes, qui sunt ad Meridiem Jericho. Hic autem locus maxime aptus erat, ut oppidanorum inquisitiones elabi possent; illac ad maris mortui littus poterant proficisci, ut deinde Jordanem traducerent, atque in castra revertereotur. Triduo permanserunt in montibus, videlicet tertia, post quam discessere, die in castra redierunt, cum diem, duasque noctes in montibus transegissent.

ỹ. 18. FUNICULUS ISTE COCCINEUS [2].] Vel hæc vitta, hoc filum, hæc fimbria coccinea. Non desunt, qui credant, ipsam adhibuisse vittam coccineam pro fune, ut illis descendentibus ferret opem, atque ipsos hanc vittam eamdem in signum accepisse. Quæ sequuntur, satis naturaliter in hunc sensum verti possunt: *In fenestra, per quam demisisti nos.* Hebraice [3]: *pone funiculum coccineum* in fenestra, *quo* funiculo, vel *qua* fenestra *demisisti nos*. Verum quæ necessitas ad id coccineum funiculum adhibendi?

ỹ. 21. APPENDIT FUNICULUM COCCINEUM IN FENESTRA.] Illum tunc statim appendit, illumque semper ibi reliquit usque ad diem, qua Jericho capta fuit [4]. Sed simpliciter ita quoque potest intelligi; appendit funiculum coccineum, cum id faciendi tempus esse cognovit: scilicet, cum Hebræi urbem obsidere occœperunt. Dependebat autem extra urbem, ac illum exercitus omnis facile potuit intueri, cum circum muros incessit. Hebraicus textus verti quoque potest: *Appendit textum e purpura in fenestra* [5], scilicet frustum vestis purpureæ.

ỹ. 22. TRES DIES.] Videlicet reliquum hujus noctis spatium, totum diem, qui consecutus est, ac noctem sequentem. Verisimile admodum est, ipsos noctu dumtaxat iter fecisse, ne interdiu deprehenderentur.

---

1 נמגו כל ישבי הארץ. Aqu. Sym. ἐτάκησαν, *liquefacti sunt*. Th. κατέπτηξαν, *consternati sunt*.
2 תקות חוט השני. 70. τὸ σπαρτίον τὸ κόκκινον τοῦτο. 3 הקשרי בחלון אשר הורדתנו בו.
4 Ita Lyran. Menoch. Mas. Bonfr. 5 Mas. Cleric. תקות חוט. Antiqui Interp. ἔδησαν τὸ σημεῖον τὸ κόκκινον. *Alligarunt fenestræ signum purpureum, & abierunt*.

CAPUT III.

Mirabilis Transitus Jordanis.

1. IGitur Josue de nocte consurgens movit castra: egredientesque de Setim, vene-
runt ad Jordanem ipse, & omnes filii Israel, & morati sunt ibi tres dies. 2 Qui-
bus evolutis, transierunt præeones per castrorum medium, 3 Et clamare cœ-
perunt: Quando videritis arcam fœderis Domini Dei vestri, & sacerdotes stirpis Levi-
tæ portantes eam, vos quoque consurgite, & sequimini præcedentes: 4 Sitque inter
vos,

vos, & arcam ſpatium cubitorum duum millium: ut procul videre poſſitis, & noſſe
per quam viam ingrediamini: quia prius non ambulaſtis per eam: & cavete, ne appro-
pinquetis ad arcam. 5 Dixitque Joſue ad populum: Sanctificamini: cras enim faciet
Dominus inter vos mirabilia. 6 Et ait ad ſacerdotes: Tollite arcam fœderis, & præ-
cedite populum. Qui juſſa complentes, tulerunt, & ambulaverunt ante eos. 7 Dixit-
que Dominus ad Joſue: Hodie incipiam exaltare te coram omni Iſrael ut ſciant, quod
ſicut cum Moyſe fui, ita & tecum ſim. 8 Tu autem præcipe ſacerdotibus, qui por-
tant arcam fœderis, & dic eis: Cum ingreſſi fueritis partem aquæ Jordanis, ſtate in
ea. 9 Dixitque Joſue ad filios Iſrael: Accedite huc, & audite verbum Domini Dei
veſtri. 10 Et rurſum: In hoc, inquit, ſcietis, quod Dominus Deus vivens in medio
veſtri eſt, & diſperdet in conſpectu veſtro Chananæum, & Hethæum, Hevæum, &
Pherezæum, Gergeſæum quoque, & Jebuſæum, & Amorrhæum. 11 Ecce arca fœ-
deris Domini omnis terræ antecedet vos per Jordanem. 12 Parate duodecim viros de
tribubus Iſrael, ſingulos per ſingulas tribus: 13 Et cum poſuerint veſtigia pedum ſuo-
rum ſacerdotes, qui portant arcam Domini Dei univerſæ terræ in aquis Iordanis, aquæ,
quæ inferiores ſunt, decurrent, atque deficient: quæ autem deſuper veniunt, in una
mole conſiſtent. 14 Igitur egreſſus eſt populus de tabernaculis ſuis, ut tranſiret Ior-
danem: & ſacerdotes, qui portabant arcam fœderis, pergebant ante eum. 15 In-
greſſiſque eis Iordanem, & pedibus eorum in parte aquæ tinctis (Iordanis autem ripas
alvei ſui tempore meſſis impleverat) 16 Steterunt aquæ deſcendentes in loco uno, &
ad inſtar montis intumeſcentes apparebant procul, ab urbe, quæ vocatur Adom, uſ-
que ad locum Sarrhan: quæ autem inferiores erant, in mare ſolitudinis (quod nunc vo-
catur mortuum) deſcenderunt, uſquequo omnino deficerent. 17 Populus autem ince-
debat contra Iericho: & ſacerdotes, qui portabant arcam fœderis Domini, ſtabant ſu-
per ſiccam humum in medio Iordanis accincti, omniſque populus per arentem alveum
tranſibat.

℣. 1. JOSUE DE NOCTE CONSURGENS.] Hebraice [1]: *Joſue, ſummo mane conſurgens*. Reor autem de Setim moviſſe caſtra octava die menſis primi, feria quarta, vigeſima octava die Aprilis [2]. At Setim ad Iordanem ſexaginta interſunt ſtadia, juxta Ioſephum Antiq. l. 5. c. 1. ſcilicet octo paſſuum millia, vel tres ferme leucæ. De ſitu Setim locuti ſumus ad Ioſue 2. 1.

MORATI SUNT IBI TRES DIES.] Hebraice habetur ſimpliciter [3]: *ibi dormierunt, antequam Jordanem traducerent*; vel etiam ibi morati ſunt, antequam hunc fluvium tranſirent. Contendunt aliqui, ibi una tantum nocte manſiſſe, alii vero ibi diem integrum cum duabus noctibus tranſegiſſe, cui ſententiæ ſubſcribimus: hoc enim tempore illis opus erat, ut ſe purificarent, atque ad tranſitum præpararent. Auſthor Vulgatæ credidit, populum tribus diebus in Iordanis ripa fuiſſe immoratum; quod juxta noſtram ſententiam explicari poteſt, dicendo, tres hos dies nequaquam integros fuiſſe, ſed tantum inceptos, pars enim fuit diei primæ, qua illuc pervenerunt; integra dies ſecunda, tertiæ vero pars; haud ſecus ac dicitur I. C. triduo in ſepulchro fuiſſe, quamquam ibi una tantum die integra fuit, aliarum autem dierum quadam parte dumtaxat. Hebraicus textus verſiculi ſecundi noſtræ favet explicationi.

℣. 2. QUIBUS EVOLUTIS TRANSIERUNT PRÆCONES.] Videlicet, mane diei decimæ, quæ dies tranſitus eſſe debebat, & quæ tertia erat ab eorum adventu de Setim, Ioſue per præcones edixit, quid ab omnibus obſervari vellet in exercitus itinere. Hebraice habemus [4]; *Et ad finem diei tertiæ, præcones tranſierunt*. Aliqui tres hos dies enumerant a die, quo Ioſue præcepit Hebræis ut ſibi cibaria compararent ad fluminis tranſitum, Ioſue 1. 1. ſed decurſus naturalius poſtulare videtur, ut cum Vulgatæ Authore intelligatur de tertia die ab eorum adventu ad Iordanem. Præcones, ſeu Clamatores, de quibus hic ſermo, iidem ſunt, ac illi, qui ſuperius cap. 1. ℣. 10. *Principes populi* appellantur, Hebraice *ſoterim*.

℣. 3. SACERDOTES STIRPIS LEVITICÆ.] Chaldaica verſio, ac Septuaginta legunt: *Quando videritis Sacerdotes, & Levitas*; perinde ac utrique alternis arcam tuliſſent. Sigonius de Republ. Hebr. lib. 5. cap. 4. arbitratur, arcam latam fuiſſe a Levitis e familia Caath dumtaxat; cujus regulariter is honos erat [5]; ſed Hebraicus textus [6], & Vulgata palam docent Sacerdotes eam hoc tempore bajulaſſe, ob id fortaſſe, quod denudatam tulere, cum Levitis e familia Caath non liceret arcam, niſi integumentis obvolutam attingere. Tria præterea, vel quatuor notantur tempora, quibus honos hic Sacerdotibus delatus eſt; exempli gratia, cum circum muros Iericho deambularunt Ioſue 6. 6. cum filii Summi Sacerdotis Heli eam tulerunt in caſtra Iſrael 1. Reg. 15. 25. cum David tempore fugæ ſuæ eam miſit Ieruſalem; creditur quoque, a Sacerdotibus aſportata fuiſſe, cum Salomon eam eduxit e Tabernaculo, quod conſtruxerat David, ut deferret in Templum 3. Reg. 8. 1.

Sacerdotum numerus tunc temporis non adeo magnus erat, aderantque ſolum Eleazar, & Ithamar filii Aaron, quibus aliqui eſſe poterant filii, qui idonei eſſent ut patribus ſuis in hac celebritate opem ferrent. Quaterni ferebant Arcam, ut Hebræis placet, ac noſtrorum Interpretum nonnullis; ſinguli e quatuor Sacerdotibus humero geſtabant unum e vectibus, qui per annulos Arcæ erant traducti; aſſerunt præterea facie ad faciem oppoſitos fuiſſe, quin umquam terga verterent Arcæ; ita ut oblique incederent. Aſt de Rabbinicis his adnotatis eam ferre

licet

1 וישכם בבקר
2 Uſſer. ad an. Mund. 2551.
3 וילנו שם טרם יעברו
4 ויהי מקצה שלשת ימים
5 Numer. 4. 15.
6 כהנים הלוים. *Sacerdotes Levitæ*.

ficet æstimationem, quam quisque velit: nec Scriptura, nec vetus author quispiam aliquid innuunt de commentitio hoc quatuor Sacerdotum Arcam deferentium numero, neque de hoc situ ad eam ferendam incommodo, neque de obliqui incessus necessitate. Nos vectes Arcæ statuimus secundum longitudinem in lateribus illius, duosque tantum Sacerdotes, qui eam deferrent, fuisse dicimus, alterum quidem ante, ac retro alterum.

SEQUIMINI PRÆCEDENTES.] Hebraice; *sequimini præcedentem*, videlicet Arcam, vel sequimini Sacerdotes Arcam ferentes. In communibus per desertum itineribus Arca medium fere occupabat agmen; sed hic universum Israel præcedit, atque bis mille cubitis ante populum defertur. Usque ad mortem Moysis columna nubis semper Israelitarum agmen præcesserat; sed vulgo creditur [1], cum hic Legislator interiit, evanuisse; Arca Domini locum illius obtinuit, atque dux fuit Hebræorum.

℣. 4. SPATIUM CUBITORUM DUUM MILLIUM.] Hebraice [2]: *spatium mensura ferme duum millium cubitorum*. In itinere impossibile erat statum spatium adamussim servare. Deus non vult, populum ad Arcam propius accedere; summa enim observantia, qua illam coli volebat propter suæ majestatis præsentiam, non sinebat populum, eam propius, & curiosius intueri. Patet, quanti steterit Bethsamitis eam denudatam adspexisse 1. Reg. 6. 19. & Ozæ eam tetigisse 2. Reg. 6. 6. 7. In deserto ritus hic minime servatus fuerat, nam deferebatur Arca suis involuta integumentis, atque in castris in penitiori Tabernaculi parte recondebatur. Israelitæ, quibus persuasum erat, neminem accedere ad Deum posse, quin se se certissimo periculo mortis objiceret, neque Deum ab ullo videri posse, quin moreretur, haud ægre proculdubio præcepto huic paruerunt. Tostatus credit, præcipuam rationem, propter quam eo interposito spatio Arca præcedebat agmen, fuisse, ut omnes eam possent facilius intueri; nam si in acie media, vel in primis collocata fuisset ordinibus, a proximis tantum conspici potuisset. Vulgatæ lectio huic favet explicationi, quandoquidem ita ait; *ut procul videre possitis, & nosse, quam viam ingrediamini*. At Hebraicus textus minimum illi suffragatur, uti mox ostendemus.

Admodum probabile est, castra Israel saltem ad bis cubitorum millia a Iordanis ripa abfuisse [3]; alioquin præceptum, quod hic Deus imponit, fieri nequaquam potuisset. Cum igitur Arca usque ad Iordanis oram venit, & Sacerdotibus pedibus fluvium ingressis, aquæ ex una parte in aggerem excrescere inceperunt, ex altera vero inferius deferri; Israelitarum agmen iter suscepit, ita tamen ut nihilominus ad Arcam minime propius accesserit, quam servata duum millium cubitorum distantia; atque sexcentos passus pertransierit subter locum, ubi Sacerdotes in Iordanis ripa constiterant. Fluvius hic, qui ab hoc loco usque ad Asphaltitem lacum exaruerat, Israelitis amplissimum præbebat aditum, qua transirent; quin in eam partem confluentes, ubi erat Arca, præpedirentur. Sex ferme leucarum spatium aquis carebat.

UT PROCUL MAGIS VIDERE POSSITIS, ET NOSSE PER QUAM VIAM INGREDIAMINI &c.] Hebraicus Textus ad litteram hoc habet: *Ne accedatis ad arcam, ut videatis viam, quam sequi debetis, quia non transistis per eam ab heri, & nudius tertius*; Quod simpliciter hoc pacto potest intelligi: Ne accedatis ad Arcam, sed eminus sequimini eam, quin recedatis a via, quam vobis ostendet; nam via nova est, qua nondum ambulastis, ideoque vobis cavendum est, ne vos fallat. Sed videtur potius obscuriori modo innuere velle mirabilem Iordanis transitum, quem erant traducturi. Hæc via est recens, atque extraordinaria, quam Deus vobis aperiet, & quam nunquam estis ingressi. Rem visuri estis, cujus nullum umquam extitit exemplum post transitum maris rubri. Non liquet, Iosue adhuc illis modum prodidisse, quo fluvium essent transituri; nondum fortasse hoc illi revelaverat Deus.

CAVETE NE APPROPINQUETIS AD ARCAM.] Verba hæc in Textu Hebraico istic non extant.

℣. 5. SANCTIFICAMINI.] Vel purificamini. Creditur, hic exigi eadem puritas, quam Deus poposcit, cum populo apparere voluit cum majestate sua in monte Sinai: *Sanctificamini*, tunc Moyses Exod. 19. 10. 15. populo dixit; lavate vestimenta vestra, & ne appropinquetis uxoribus vestris. Iosue hæc in vulgus edidit die illa, quæ subsecuta est adventum populi ad castra Iordanis; videlicet die mensis nona. Exterior hæc sanctificatio, & hæc corporis, ac vestium puritas, erat non modo interioris puritatis symbolum, quam Deas a populo suo exigebat, ut eum disponeret ad videndos effectus potentiæ suæ, atque præsentiæ; sed erat etiam ratio ad præparandum cor illorum, ac mentem ad reverentiam, fiduciam, & expectationem magnarum rerum, quas coram ipsis Dominus erat operaturus. Admiratio quæ oritur naturaliter ex rerum mirabilium, quarum testes sumus, adspectu, major est, animum altius pervadit, ibique diutius insculpta persistit, cum eam præcesserunt religiosæ dispositiones, ac umiles sensus, quos numinis præsentia inspirat: alioquin maximorum miraculorum adspectus levem tantum, & fluxam sæpius impressionem efficit, & cum sine ulla reverentia, internoque metu adspiciuntur, videntur etiam sine utilitate, ac profectu. Quidam Interpretes [4] hæc textus verba ita vertunt, *præparamini*, estote parati ad transitum; omnia vestra disponite, ne quis retro immoretur. Verbum *sanctificare* nonnumquam simplicem tantum præparationem significat ad actiones communes: sed ratio, propter quam Iosue hanc sanctificationem exposcit, elatiorem sensum exquirit.

℣. 6. AIT AD SACERDOTES: TOLLITE ARCAM FOEDERIS.] Non de authoritate sua Sacerdotibus imperat; in rebus iis, quæ ad religionem spectant, Princeps, & caput populi ipse etiam Sacerdotes audire debet, iisque obtemperare: sed Josue sacros ministros allocutus, illis Domini præcepta simpliciter significat, illiusque voluntatis est veluti Organum dumtaxat, quemadmodum ex sequentibus versiculis patet. Hoc editum fuit die ipsa discessus, decima mensis Nisan, paullisper antequam Jordanes traduceretur.

℣. 7. HODIE INCIPIAM EXALTARE TE.] Incipiam hodie prodigia patrare, ex quibus universus Israel intelliget, te nomine meo agere, ac te meæ voluntatis esse ministrum: omnis denique populus cognoscet, quod ego sum tecum, quemadmodum fui cum Moyse, atque in te uno tantumdem spei collocabunt, quantum in Moyse posuerant. Grotius observat usque ad tempora Saul, Deum miraculorum fulgore ostendisse, quem sibi ad populi sui regimen cooptasset. Ro quidem vera a Moyse ad illud usque tempus neminem ferme reperies, cujus missio, atque authoritas prodigiis non fuerit comprobata.

℣. 8. CUM INGRESSI FUERITIS PARTEM AQUÆ JORDANIS STATE IN EA.] Hebraice ad litteram [5]: *Cum ingressi fueritis extremitatem aquæ Jordanis, manebitis in Jordane*.

Textus hic varie explicatur; alii quidem [6] contendunt, Sacerdotes in Orientali Jordanis extremitate constitisse, donec populus omnis pertransiit; alii vero [7] asserunt, illico fluvium traduxisse, atque solum in occidentali ripa fuisse immoratos, ex parte telluris Chanaan. Alii [8] denique putant, Sacerdotes statim

---

1 August. qu. 3. in Iosue, Abul. qu. 5. 6. 7. Mas. Serar. Bonfrer. alii. 2 באלפים אמה במדה 3 Duo cubitorum millia 600. circiter passus efficiunt. 4 התקדשו. Chald. Kimchi. 5 כבאכם עד קצה מי הירדן בירדן תעמדו 6 Ita Talmudici, Serarius. 7 Masius, Vatablus, Drusius. 8 Bonfr. Cornel. a Lapide.

statim pedibus suis Jordanis aquas ingressos, ibi aliqoantisper mansisle, donec eum aquatum pars in mase mortuum desluxisset, & quæ descendebant aquæ otiginem versus recessissent, in fluminis alveo libes adirus patuit: tunc Sacerdotes processere usque ad alvei medium, neque inde egressi suns nisi universum agmen pettsansierit. Posterior hæc sententia consona magis videtur, quoniam Josue cum seipso conciliat. Imperut ille Sacerdotibus, ut consistant, simulac ingressi fuerint extremitatem aquæ Jordanis. Hæc esse neqnit ripa fluminis hujus Occidua, quoniam dicieut ℣. 17. quod *Sacerdotes stabant super siccam humum in medio Jordanis accincti*, donec populus præteriret. Hoc idem clarius, atque distinctius repetitur ℣. 9. 10. 11. Capitis quarti. Igitus in orienrali hujus fluminis ripa aliqoamdiu constiterunt, donec aquæ re- B cederent, illisque patens spatiom relinquerent, ut ulterius progrederentus; quod innuitus ℣. 15. ubi sesiptum est: *Ingressisque eis Jordanem, & pedibus eorum in parte aquæ tinctis steterunt aquæ &c.*

. Qui [1] Hebraicum Textum hoe pacto vertunt; *Cum ingressi fueritis divisionem aquarum Jordanis, state illic*; tutius adhue conciliare valeot sententiarum omnium varieracem, atque omnes evolvere difficultates; quandoquidem universæ ab ea voce *extremitatem* proficiscuntur: vel enim Sacerdotes immorati fuerint in medio flumine, vel in alterutro litore, verum est, ipsos in divisione aquarum Jordanis stetisse; sed hoc naturaliter magis explicatur de medio hujns fluminis alveo, quemadmodum dicitur in aliis locis, quos attolimus.

℣. 9. ACCEDITE HUC [2].] Creditur Josue convocare populum ad locum, ubi conciones habere consueverat ad ostium Tabernaculi.

℣. 10 IN HOC SCITIS, QUOD DOMINUS DEUS VIVENS IN MEDIO VESTRI EST.] Non licebit amplius ambigere, un in medio vestri sit Dominus post prodigia, quorum eritis sestes. Josue populo animos facit, sibique uuthoritatem conciliat ostendens, Dominum esse cum ipso, sicuri fuerat eum Moyse. Duo illi srudie illustria eorum, quæ dixit, argumensa; alrerum seilicee, ab ipsis populos Chananęos superatum iri; alterum vero ipsos sicco pede Jordanem esse transituros. Vel simplicius: Hoc erit argumento, Dominum vestri eutam genere, ac vos necem Chananæis esse illaturos, quod nempe Iordanes ho- D die exarescet, ur vobis transitum præbeat. Nequit ille tribuere signum, vel certius, vel celurius, vel universi exercitus capeni magis uccommodum, vel Hebræis utilius, vel quod majorem infesat terrorem hostibus. Neque enim hoc signum est arcanum, obscurum, & fluxum, eui vel malitia, vel invidia obtrectare possit, illudque in dubium vocare; sed plena dia fir, pluribus horis perseverat, eo tempore accidit, quo Iordanes ulvei ripas implevusat: populi omnes intueri potuerunt, alii quidem aquas suspensas, utquo in tumulos elatus retro ad origines ferri; alii vero alvei Iordanis partem bis mille passuum, atque ultra, aruisse non mediocri temporis intervallo ad Arcæ Domini adspectom. Iosue Deum Israel appellat *Deum viventem* per oppositionem ad Idola, E quæ numina sont sine vita, sine viribus, sine motu; æqun uliis, a quibus coluntur, proregendis imparia, utque semet defendendo udversus Omnipotentem Deum, Dominum Hebræorum, qui ea est deletutus. Denique Deus vivens significare potest Deum præsenrem, Deum, qui vitam tribuit, vim, ac victorism; qui præsto est, ut opitulerus, ac populum suum tueatur, omnino a Nationum Diis differens, qui mortales homines erant, ac deinde in album Deorum relati fuerant.

DISPERDET IN CONSPECTU VESTRO CHANANÆUM.] Hebraice; *de possessione ejiciet in conspectu vestro Chananæos*; illos bonis omnibus expoliabit, ex eoram

A regionu expellet. Hic septem tantummodo Chananæi populi leguntur pro decem, quorum agros Deus promiserat Abrahæ, Genes. 15. 19. Sed jam non semel observavimus, vix umquam in Scriptura inveniri exactam horum omnium populorum recensionem; neque enim ita inter se distincti erant, ut minime confunderentur, & illorum aliquis alius cujuspiam nomine eomprehenderetur. Amorrhæi, & Chananæi nonnumquam pro his omnibus populis simul usurpantur.

Quoad illorum cujusque situm in regione Chanaam, superius jam in Genesi 10. 15. jam adnoravimus, Chananæos præcipue incoluisse Phœniciam, prope Tyrum, ac Sidonem: Hethæi erant in montibus, qui sunt ad meridiem terræ promissæ: Hevæi eircum montes Hebal, & Garizim, Sichem, & Ga- B baon, ac versus *montes* Hermon. Pherezæi plane minime erant populus distinctus; hi quippe oppidani erant in regione dispersi. Gergesæi erant trans Iordanem positi versus lacum Genezareth. Iebusæi possidebant Ierusalem, & Amorrhæi erant in montibus prope lacum Asphaltitem ad illius occasum, atque in ea parte terrarum Moab, quam de Sehon, & Og Moyses victor retulerat.

℣. 12. PARATE DUODECIM VIROS.] Videbimus sequenti capite in quod ministerium viros hos Iosue destinaverit. Vulgata uit eos delectos fuisse; quod alirer nequit inrelligi, quamquam Hebraica lectio simpliciter referat, eos *de medio populi* sumptos fuisse, singulos ex singulis tribubus. Sermo tantum est de duodecim viris, quorum quisque humero gestavit C lapidem ad ripam fluminis; sed plane alii quoque aderant cum Iosue, ut in medio Iordanis alveo tumulum exstruerent ex duodecim uliis magnis lapidibus; ni id etiam peractum fuisse, dixeris a duodecim Israelitis iisdem, qui duodecim lapides tulere.

℣. 13. AQUÆ, QUÆ INFERIORES SUNT, DECURRENT.] Non possumus ad unguem assignare distantiam, quæ interfuit inter eum locum, ubi Iordanis aquæ divisæ fuerunt, ac mare mortuum, quo fluvius hic defluit; quoniam Iosue non referr distincte locum, qua Israelitæ Iordanem transmiserunt. Verum si velis supponere, eos transiisse e segione Iericho, quod quidem omnino est probabile, aquæ in Asphaltitem defluentes duobus vel tribus passuum millibus saltem arentem alveum reliquere.

D QUÆ AUTEM DESUPER VENIUNT, IN UNA MOLE CONSISTENT.] Iordanis aquæ, quæ magno impetu ferebantur deorsum, in cumulum excrevere, atque consurrexerunt in tumulos, veluti aquarum montes vel glaciei, quos potens, atque invisibilis manus sustinebat. Hoc autem pacto Hebraicæ lectionis verba ad litteram transferuntur [3]. *Aquæ Jordanis divisæ fuerunt, & quæ e superiori parte fluebant, constiterunt*, velut, *in cumulo*. Author Vulgatæ priori membro addidit: Aquæ, quæ defluebant in mare mortuum, ut eas ab aquis, quæ e superiori parte decurrebant, distingueres, quæ quidem in cumulum constitere super eum locum, in quo erat Arca. Lucan. Pharsal. lib. 2.

Interruptus aquis fluxit prior amnis in æquor;
E *Ad molem stetit unda sinens.*

℣. 15. PEDIBUS EORUM IN PARTE AQUÆ TINCTIS.] Hebraice [4]: *Pedes Sacerdotum immersi fuerunt in extremitate aquarum*; Videlicet in ipso ingressu fluminis, vel alvei Iordanis; Sacerdotes hac in re fidei suæ magnitudinem probavere, nam absque eo quod ulla spes uppareret, futurum esse ut momento fluvius hic exaresceret, audacter in aquas ingressi sunt, utquo tunc constiterunt, cum Divinæ manus opera aquas dividi incipere conspexerunt.

JORDANIS AUTEM RIPAS ALVEI SUI TEMPORE MESSIS IMPLEVERAT.] Ostendimus jam Hebræos pertransiisse Iordanem decimu die Nisan, quæ congruere potast diei 30. Apsilis, hoc messis tempus erat ibi

1 Serarios, Cornel. a Lapide. 2 נשר הנה 3 מי הירדן יכרתון המים הירדים מלמעלה ויעמדו נד אחד. Symmach. ἄσκωμα ἕν, *utrum unum*, quasi legisset. נאד. Aq. Theod. εἷς σωρός. *Cumulum unum*.
4 נטבלו בקצה המים

ibi terrarum; scilicet messis hordeaceæ, nam triticea serius fieri oportebat. Quædam Septuaginta Exemplaria hic tritici messem ponunt [1]; sed hic bipalmatis est error: Hebraicus [2] Textus, Chaldaica Versio, ac Vulgata, ac maiores Editiones Septuaginta legunt simpliciter, *tempus messis*; atque alibi probavimus in Paschatis solemnitate hordeaceæ messis primitias offerri consuevisse. Vide, quæ diximus in Levit. 23. 10. 15. Iosephum Antiqu. lib. 3. c. 10. & Bonfrerium hic.

Quoad hanc Iordanis exundationem messis tempore, ea in aliis quibusdam Scripturæ locis adnutatur. Exempli gratia ad commendandam virtutem illorum e Tribu Gad, qui inviserunt David in recessu ipsius, dicuntur traduxisse Iordanem tempore, quo intumescit mense primo [3]: scilicet Mense *Nisan*, qui primus est mensis anni Sancti; & Author Ecclesiastici [4] Iordanem cum Euphrata ponit, veluti duo flumina, quæ extra ripas exundant messis tempore, seu vere. *Quasi Jordanis in tempore messis*. Aristæus, qui Septuaginta Interpretum conscripsit historiam, ait quoque fluvium hunc, instar Nili, in agros exundantem elabi, messis tempore. Creditur etiam Jeremias 49. 19. loqui de Iordanis exundationibus, nomine *superbiæ*, vel *elevationis Jordanis*. *Ecce quasi leo ascendet de superbia Jordanis ad pulchritudinem robustam.*

Viatores, qui de hoc flumine verba faciunt, hoc ipsum enarrant. Doubdanus, qui adfuit prope Iericho ad Iordanem, eadem anni tempestate, qua ab Israelitis traductus fuit, ait in Itiner. c. 34. fluvium hunc tunc temporis in latitudinem patuisse, quantum est jactus lapidis, & aquas illius flavas fuisse, ac turbidas, non secus ac Sequanæ fluctus per hyemem; ipsum vero admodum altitudine præstitisse, ac mira pernicitate, atque jamjam fuisse exundaturum, propter nivium in monte Libano dissolutionem. Antonius Reinaulteius qui anno 1573. scripsit, ait pag. 107. 108. 112. Iordanem melius comparari minime posse, quam Tiberi Romam præterfluenti, cujus aqua limosa est, ac turbida, flumen vero altissimum æque, ac pernicissimum. Princeps Radzvilius Epist. 2. testatur eum plerumque triginta cubitorum latitudine solum præstare, scilicet pedum quinque, & quadraginta, nisi forte prope ipsius ad mare mortuum ostia, ubi est latior. Crediderunt nonnulli [5], cum flumen illud Hebræi traduxerunt, duorum millium cubitorum in latitudinem patuisse; sed nihil adest in Scriptura, quo hanc sententiam cogamur amplecti; neque miracula multiplicanda sunt absque necessitate. Iordanes nondum ultra ripas evaserat, sed ad aggerum apicem intumuerat: & quamquam eam fluvio tribuamus latitudinem, quantum est lapidis jactus, hoc nihilominus satis, superque est, ut miraculi, quod tum evenit, magnitudo intelligatur. Viator quidam [6] qui anno 1531. scribebat, ait, mense Augusto, quo hujus fluminis aquæ humiliores esse consueverunt, ripas decem pedibus altiores fuisse, quam superficiem aquarum.

Naturales causæ, propter quas ea tempestate Iordanes exundat, sunt Libani montis liquefactæ nives (inde enim originem ducit,) & pluviæ, quæ ea in regione sub veris initium dilabuntur. Veris pluviæ passim in Scriptura *imbris temporanei* nomine denotantur [7]; pluviæ veris, nives Libani satis celebres sunt in Bibliis, atque in veteribus recentioribusque Geographis. Ieremias 18. 14. *Numquid deficiet de petra agri nix Libani?* & Tacitus lib. 5. de monte eodem locutus ait: *Mirum dictu, tantos inter ardores opacum, fidumque nivibus*. Non pauci [8] credunt etiam Nomen Libani ab ipsius albedine proficisci; *Laban* Hebraice album significat. Calores, qui maximi sunt in Palæstina, liquefaciendo nives sub veris initium, & messis, in causa existunt, ut non Iordanes tantum, sed alii quoque fluvii, qui originem hauriunt in Libano, veluti Adonis, & Orontes, ea tempestate intumescant.

℣. 16. STETERUNT AQUÆ DESCENDENTES IN LOCO UNO, ET AD INSTAR MONTIS INTUMESCENTES APPAREBANT.] Hebraicus textus paullulum differt [9]: *& aquæ, quæ a superiori parte descendebant, steterunt, atque surrexerunt in tumulum*. Textus nequaquam ait, eas in montis speciem ascendisse; & ex iis, quæ sequuntur, patet, aquas originem versus retro ascendisse ultra decem leucas a loco transitus Israelitarum: itaque hæ omnes aquæ minime animo concipiendæ sunt ad instar montis supra caput Hebræorum, sed veluti aliæ super alias inversæ in tumulos a loco, qua Israelitæ transierunt, usque ad urbes Adom, & Sarthan.

APPAREBANT PROCUL AB URBE, QUÆ VOCATUR EDOM, USQUE AD LATUS SARTHAN.] En Hebraicum textum ad litteram redditum: *Aquæ elatæ sunt in cumulos* [10] *non parum ab Adam recedendo, quæ est urbs ad latus Sarthan*. Nos fugit verus situs urbis Adam, vel Edom; sed situs urbis Sarthan notior est; quippe juxta Scripturam 3. Regum 4. 12. erat prope *Bethsan*, vel Scythopolim, e regione Socoth, quæ posita erat trans Jordanem 3. Regum 7. 40. Denique ad extremitatem vallis Iezrael 3. Regum 4. 12. ad Jordanem in citeriori hujus fluminis ripa. At vallis Iezrael, & Scythopolis non procul aberant a lacu Genezareth. Urbs igitur Sarthan non poterat abesse longius: & si civitas Edom erat e conspectu, atque ad latus Sarthan, patet eam fuisse in altero Iordanis latere, procul admodum ab eo loco, qua Hebræi fluvium hunc traduxerunt: quod longe abest ab eo situ, quem ipsi vulgo Geographi tribuunt. Aquarum igitur super aquas inversarum colluviem animo concipere oportet in eo spatio, quod est a *Bethabara*, ubi Israelitarum statuimus transitum, usque ad Sarthan, & Adam, videlicet in spatio Gallicarum leucarum ferme supra viginti. Exemplaria Septuaginta istic inter se maxime discrepant. Romana editio omittit *Adam*, & legit *Cariatiarim* pro Sarthan. Editio Francofurtensis legit, ab urbe Adam usque *Cariatiarim* versus. Editio vero Aldi Manutii *ab Adam usque ad Cariatiarim*. Nescio autem, cur hic posuerint urbem Cariatiarim, quæ cum media in ea regione sit posita, atque sex, vel septem leucis a Iordane remota, nequaquam apta videtur ad denotandas fluminis hujus mensuras.

IN MARE SOLITUDINIS, QUOD NUNC VOCATUR MORTUUM.] Hebraice habetur [11]: *In mare Araba, in mare salis*. Nomen *Araba* sæpius occurrit in Scriptura ad designandos agros Moab, ubi Israelitæ diutius positis castris commorati sunt. Dicitur nomen *Araba* significare locum incultum, sed non prorsus sterilem, qui fert pascua pro armentis. Lacus Sodomorum vocatur *mare Araba*, quod situm est prope agros, vel deserta Moab; atque regio huic lacui finitima inculta est, & quædam solum pascua gignit. Lacus hic vocatur etiam *mare salis*, vel lacus Asphaltites propter salis nitri, atque bituminis copiam, quibus scatet. In Scripturis salis nomen tribuitur non solum sali ex aqua maris conflato, ac sali fossili, sed etiam rebus quibusdam acris saporis, atque salicti, veluti nitro, asphalto, bitumini, &c. Qualitates, ac situs maris mortui satis patent; neque est, cur diutius in his immoremur. Iordanes in

---

1 εἰσὶ ἡμέραι θερισμοῦ πυρῶν. Ita Serar. & Menoch. 2 כל ימי קציר 3 1. Paral. 12. 15. 4 Eccli. 24. 36. & quoad Euphratem. Vide Strabonem l. 16. & Plin. l. 5. c. 26. 5 Kimchi, & Masius. 6 Nicolaus Louvan. Monachus S. Michaelis in Lotharingia, in Itin. MS. an. 1531. 7 Vide, quæ adnotav. in Deuter. 11. 14. 8 Hieronymus Ribera in Habac. 2. &c. 9 ויעמדו המים הירדים מלמעלה קמו נד אחד. Sym. ἄσκωμα εἰς, In utrem. Chald. רוקבה חד. Septuaginta pariter reddiderunt כנד utrem. Psal. 32. 7. 10 הרחק מאד מאדם העיר אשר מצד צרתן 11 על ים הערבה ים המלח

in hunc defluit lacum, quo invitus deferri videtur, & ultra leucam in mare progreditur, antequam aquas suas cum fluctibus illius immisceat: *Velut invitus*, inquit Plinius lib. 5. cap. 15. *asphaltitem lacum, dirum natura, petit, a quo postremo ebibitur, aquasque laudatas perdit, pestilentibus mixtus*. Iosephus de bello lib. 4. cap. 27. lacui Sodomorum tribuit 580. stadia ab Iordanis ostio ad Zoaram, vel Segor, latitudinis vero stadia 150. Sed Plinius l. 5. cap. 16. ait, illum centum passuum millibus in longitudinem patere, in latum vero quinque, & viginti in iis locis, ubi latior est, & sex ubi arctior. A Bethabara, ubi Sacerdotes Jordanem ingressi sunt, ad mare mortuum quinque, vel sex leucæ intersunt; quod omne spatium pro populi transitu exaruit.

℣. 17. POPULUS AUTEM NON INCEDEBAT CONTRA JERICHO.] Hebraice [1]: *Populus transibat e conspectu Jericho*. Septuaginta [2]: *Populus consistebat e conspectu Jericho*. Sed Hebraici textus sensum sequamur, oportet. Populus Iordanem traduxit e regione hujus urbis; hoc est punctum fixum, unde sumendæ sunt omnes distantiæ locorum, quæ in hoc capite memorantur. Ierico sexaginta aberat a Iordane stadiis, vel circiter passuum millibus octo, hoc est leucis tribus.

SACERDOTES . . . STABANT SUPER SICCAM HUMUM IN MEDIO IORDANIS ACCINCTI.] Ita verti potest ex Hebraico: *Steterunt in medio Jordanis in arido [3] manentes immobiles*, vel populo transitum præparantes. Septuaginta in sensu eodem, ac Vulgata, *manentes expediti*, usque in medium fluminis alveum processerunt, donec populus omnis pertransiit. Qui asserunt, Sacerdotes constitisse in alterutro Iordanis litore vocem hanc *in medio* explicant, perinde ac simpliciter innueret, in alveo stetisse, quin essent in centro, vel in medio strictim sumpto: verum ea, quæ sequuntur, nos cogunt, ut locutionem hanc ad litteram explicemus. Vide ℣. 3. 5. 8. 9. 10. capitis sequentis.

OMNISQUE POPULUS PER ARENTEM ALVEUM PERTRANSIBAT.] Hebraice. *Et universus Israel pertransiit Jordanem super siccum, usque dum omnis populus fluvium desiit pertransire*.

1 והעם עברו נגד יריחו 2 Λαὸς ἔστησαν ἀπέναντι Ἱεριχώ. 3 הכן 70. ἑτοίμως.

CAPUT IV.

Monumentum e duodecim lapidibus in medio Jordanis alveo extructum. Duodecim alii lapides sumpti de hujus fluminis medio, ut erigantur in Galgalis. Populus transmisso Iordane, castra ponit in Galgalis in agris Iericho.

1. Quibus transgressis, dixit Dominus ad Josue: 2 Elige duodecim viros singulos per singulas tribus: 3 Et præcipe eis, ut tollant de medio Jordanis alveo, ubi steterunt pedes sacerdotum, duodecim durissimos lapides, quos ponetis in loco castrorum, ubi fixeritis hac nocte tentoria: 4 Vocavitque Josue duodecim viros, quos elegerat de filiis Israel, singulos de singulis tribubus, 5 Et ait ad
eos: Ite ante arcam Domini Dei vestri ad Jordanis medium, & portate inde singuli singulos lapides in humeris vestris, juxta numerum filiorum Israel, 6 Ut sit signum
inter vos: & quando interrogaverint vos filii vestri cras, dicentes: Quid sibi volunt
isti lapides? 7 Respondebitis eis: Defecerunt aquæ Jordanis ante arcam fœderis Domini, cum transiret eum, idcirco positi sunt lapides isti in monumentum filiorum Israel
usque in æternum. 8 Fecerunt ergo filii Israel, sicut præcepit eis Josue, portantes de
medio Jordanis alveo duodecim lapides, ut Dominus ei imperarat, juxta numerum filiorum Israel, usque ad locum, in quo castrametati sunt, ibique posuerunt eos. 9 Alios quoque duodecim lapides posuit Josue in medio Jordanis alveo, ubi steterunt sacerdotes, qui portabant arcam fœderis: & sunt ibi usque in præsentem diem. 10
Sacerdotes autem, qui portabant arcam, stabant in Jordanis medio, donec omnia complerentur, quæ Josue, ut loqueretur ad populum, præceperat Dominus, & dixerat ei
Moyses: Festinavitque populus, & transiit. 11 Cumque transissent omnes, transivit
& arca Domini, sacerdotesque pergebant ante populum. 12 Filii quoque Ruben, &
Gad, & dimidia tribus Manasse, armati præcedebant filios Israel, sicut ei præceperat
Moyses. 13 Et quadraginta pugnatorum millia per turmas, & cuneos, incedebant
per plana, atque campestria urbis Jericho. 14 In die illo magnificavit Dominus Josue
coram omni Israel, ut timerent eum, sicut timuerant Moysen, dum adhuc viveret. 15
Dixitque ad eum: 16 Præcipe sacerdotibus, qui portant arcam fœderis, ut ascendant de Jordane. 17 Qui præcepit eis, dicens: Ascendite de Jordane. 18 Cumque
ascendissent portantes arcam fœderis Domini, & siccam humum calcare cœpissent, reversæ sunt aquæ in alveum suum, & fluebant, sicut ante consueverant. 19 Populus
autem ascendit de Jordane, decimo die mensis primi, & castrametati sunt in Galgalis

contra Orientalem plagam urbis Jericho. 20 Duodecim quoque lapides, quos de Jordanis alveo sumpserunt, posuit Josue in Galgalis. 21 Et dixit ad filios Israel: Quando interrogaverint filii vestri cras patres suos, & dixerint eis: Quid sibi volunt lapides isti? 22 Docebitis eos, atque dicetis: Per arentem alveum transivit Israel Jordanem istum, 23 Siccante Domino Deo vestro aquas ejus in conspectu vestro, donec transiretis. 24 Sicut fecerat prius in mari rubro, quod siccavit, donec transiremus. 25 Ut discant omnes terrarum populi fortissimam Domini manum, ut & vos timeatis Dominum Deum vestrum omni tempore.

℣. 1. DIXIT DOMINVS AD IOSVE: ELIGE.] Præceptum hoc superius vidimus c. 3. versic. 12. Cum plerisque Interpretum verti potest: *At Dominus dixerat ad Josue: Sume duodecim viros*. Hebraicus textus [1] non refert delectos fuisse, sed tantum desumptos &c.

℣. 3. UBI STETERANT PEDES SACERDOTUM.] Hebraice [2]: *de statione pedum Sacerdotum*. Hoc autem non significat, lapides hos vere desumptos fuisse e loco, ubi steterunt Sacerdotes; sed in proximo, atque in alveo eodem, ubi illi erant, & in eadem a ripis distantia. Vers. 5. dicitur: *Ite ante Arcam Domini Dei vestri, ad Jordanis medium, & portate inde singuli singulos lapides in humeris vestris, juxta numerum filiorum Israel*.

DUODECIM DURISSIMOS LAPIDES.] Adest in hebraico textu vox, quam alii [3] ad sacerdotes referunt hoc pacto [4]: *tollant de statione Sacerdotum expeditorum*, vel stabilium, & immobilium; alii [5] vero ad duodecim lapides referunt: *Tollant duodecim lapides præparatos*, vel *duodecim lapides firmos*, duros, solidos; vel in alio sensu: Tollant, ac præparent duodecim lapides; vel denique, tollant justum duodecim lapidum numerum [6], neque plures, neque pauciores.

℣. 6. UT SIT SIGNUM INTER VOS.] Atque monumentum. Ut hujus prodigii memoria servetur, præcipit Deus, ut duo construantur monumenta, alterum in medio Iordanis alveo, alterum in castris, ubi primum post fluminis transitum Israelitæ com- C commorarentur. Populus rudis, atque parum credula posteritas his monumentis indigebant. Deus, qui lege caverat, ne hujusmodi monumenta ponerentur, ut superstitioni, & idololatriæ materia adimeretur, hic poni jubet, ut servetur Religio, ac miraculorum suorum memoria. Non semel [7] locuti sumus de veteri extruendorum monumentorum consuetudine, tum pro usibus sacris, cum pro communibus, & volgatis. Ostendebantur adhuc Eusebii ævo [8] duodecim lapides, quos Iosue poni curaverat in Galgalis; & Sanctus Hieronymus ait, Sanctum Paulam eos fuisse intuitam in Galgalis, cum illac transiret.

FILII VESTRI, CRAS.] Cras, sive imposterum. Hæc vox *Cras* passim usurpatur, ut tempus simpliciter futurum significetur. Exempli gratia: Sapiens D ait Proverb. 27. 1. *Ne glorieris in crastinum*, videlicet, nequaquam te jactes de rebus futuris; & Christus Jesus ait Matth. 6. 34. *Nolite solliciti esse in crastinum*, pro tempore futuro, pro iis, quæ ventura sunt.

℣. 8. IUXTA NUMERUM FILIORUM ISRAEL.] Septuaginta aliter ex Hebraico textu legisse videntur; quandoquidem vertunt [9]: *sub finem transitus filiorum Israel*.

AD LOCUM, IN QUO CASTRAMETATI SUNT.] Usque ad Galgala, qui locus duas circiter leucas a A Jordane distat. Credibile est, viros hos ab aliis opem petiisse, ad magnos hos lapides in hunc usque locum deferendos. Eusebius in locis, & Sanctus Hieronymus suis temporibus lapides, quos erexerat Josue in Galgalis, adhuc extitisse testantur.

℣. 9. SUNT IBI, USQUE IN PRÆSENTEM DIEM.] Josue hæc forsitan sub vitæ suæ finem scripsit; vel alius quidam hæc textui post illius obitum addidit. Lapides hi alius super alium positi fuere in medio Jordanis alveo prope locum, ubi Sacerdotes constiterant, scilicet in medio penitus alveo. Hi plane conspici poterant, cum Jordanis aquæ subsedissent; & populorum traditio diu memoriam servavit loci, ubi fuerant constituti. Sed diutinæ Babylonicæ captivitatis tempore oblivione obrutæ sunt pleræque hæ B traditiones, & locorum nomina interiere. In vitis Patrum legimus, Abbatem Agiodulum a Deo impetrasse, ut videret hos duodecim lapides in Iordane [10]. Non pauci [11] crediderunt, S. Ioannem Baptistam digito lapides hos ostendisse, cum Judæis dicebat Matth. 3. 9. *Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ*; ajunt enim tunc videri potuisse, ac deinceps per plura sæcula fuisse conspectos. Sed hac opinione nihil incertius. S. Ioannes tunc minime baptizabat prope Bethabaram, qua Hebræi Iordanem transiere; eo enim nonnisi aliquandiu post accessit Ioan. 1. 19. 28.

℣. 10. DONEC OMNIA COMPLERENTUR, QUÆ JOSUE, UT LOQUERETUR AD POPULUM, PRÆCEPERAT DOMINUS, ET DIXERAT EI MOYSES.] Sacerdotes C non egressi sunt de medio Iordanis, nisi postquam Iosue trans hoc flumen Israelitas demisit, atque curavit, ut tollerentur lapides ad extruendum monumentum in Galgalis, alterumque in ejusdem Iordanis alveo erigeretur. Hæc omnia illi præceperat Deus; at non liquet, quænam fuerit Moysis pars in his, quandoquidem quadraginta diebus ante occubuerat. Conjici tamen potest, Legislatorem hunc, antequam decederet, edocuisse Iosue de iis, quæ facturus esset in re tanti momenti, scilicet Iordanis transitu; seu quod per revelationem, quæ mox eventura erant, intellexisset; seu quod generatim solum præcepisset Iosue, ne ullam prætermitteret occasionem, quin Hebræis in mentem vocaret, quanta deberent Deo, atque eorum memoriam æternum du- D raturis, sensibilibusque monumentis perennem faceret; hoc autem operatus est Iosue per eos lapides, quos in alveo Iordanis, & in Galgalis collocavit.

FESTINAVITQUE POPULUS, ET TRANSIIT.] Seu quod aquarum, quæ constiterant, & veluti eos jam jam demersuræ imminebant, adspectus terrorem incuteret, quamquam ipsorum fides, & securitas obsisteret; quemadmodum etiam audacioribus accidit, cum aliquid ipsis terribile occurrit; exempli gratia, cum S. Petrus super undas obambulans ad majoris fluctus adspectum expalluit Matth. cap. 14. 30. seu quod ipsorum diffidentia, ac labans fides hoc illorum

1 קחו לכם מן העם 2 ממצב רגלי הכהנים 3 Vatablus, Masius, Pagninus, Junius, & Tremellius. 4 הכין שתים עשרה אבנים 5 Ita Vulg. 70. Aqu. Symmachus, Bonfrerius.
6 Ludov. de Dieu. 7 Vide ad Genes. 28. 18. & 31. 46. 47. & 52. & Levit. 26. 1.
8 Eusebius in locis, Voce Βουνὸς, & Galgala. 9 ἐν τῇ συντελείᾳ τῆς διαβάσεως &c.
10 Joann. Mosch. vit. PP. l. 2. c. 11. 11 Vide Anselm. Remig. Abbat. Lyr. Tostat. Auctor. Histor. Ecclesiast. c. 30.

lorum animo exhibuit tamquam reale periculum, & malum, quod fuga, & celeritate possent effugere.

℣. 18. SACERDOTES QUOQ; PERGEBANT ANTE POPULUM.] Supponimus populum transisse duo circiter cubitorum millia inferius, quam Arcam Domini; itaut Sacerdotibus e Iordane egressis, ae Iericho versus pergentibus, aut versus Galgala, populus, qui in fluminis litore constiterat ad eam, quam diximus distantiam, processerit versus Galgala post Arcam, prout Sacerdotes præcedebant.

℣. 12. ARMATI PRÆCEDEBANT FRATRES SUOS.] Vide cap. 1. vers. 14.

℣. 13. PER TURMAS, ET CUNEOS INCEDEBANT.] Hebraice [1]: *Armati viri transierunt coram Domino ad bellum*. Hæc quadraginta hominum millia constituebant primam veluti aciem Dominici exercitus, quæ in suos divisa manipulos, atque ordines coram ipso incedebant.

PER PLANA, ATQUE CAMPESTRIA URBIS IERICHO.] Hebraice [2]: *Per arabot Jericho*. Araba vel *arabot* inculta loca significat, quæ pastiones tantum gignunt. Loca hæc sæpius etiam deserta vocantur tum in veteri, cum in novo Testamento. Et Vulgata in Ieremia 52. 8. eum particulariter locum, de quo sermo est, desertum Iericho appellat: *In deserto, quod est juxta Jericho*. Symmachus aliquando vocem *Araba* vertit *agros*, aliquando vero *loca inhospita*. Ad Orientem urbis Iericho longior patebat campus, qui ad Iordanem usque protendebatur.

℣. 14. MAGNIFICAVIT DOMINUS JOSUE.] Eorumque illi fidem præstitit, quæ ipsi fuerat antea pollicitus, Iosue 3. 17. Ut eam provinciam regeret, cui illum præfecerat Deus, ea pollere debebat authoritate, atque dignitate, quam humanitus, & naturaliter numquam assequi potuisset, nisi plurium annorum decursu, plurimisque triumphis; at Deus prodigiorum vi, quibus prima Iosue gesta prosecutus est, eam ipsi & authoritatem, & gloriam conciliavit, qua opus erat, ut populo præesset, atque hostibus suis terrorem injiceret.

℣. 15. DIXITQUE AD EUM.] Sed hoc illi dixerat antea. Versiculus hic cum tribus, qui subsequuntur, collocandi sunt ante undecimum, ut suo naturali ordini restituantur.

℣. 19. DECIMO DIE MENSIS PRIMI.] Anni scilicet sancti, qui septimus erat anni civilis. Hic fuit ab exitu de Ægypto annus quadragesimus completus, si quinque dies fuissent additi; nam ex Ægypto egressi sunt decima quinta primi mensis die; atque in Terra Chanaan ingressi sunt post annos quadraginta die decima mensis ejusdem.

IN GALGALIS.] Galgalis hoc nomen inditum fuit post populi circumcisionem in eodem loco, quemadmodum adnotatur inferius cap. 5. versic. 9. Galgal decem aberat stadiis a Iericho [3], & quinquaginta a Iordane [4], habebatque Iericho ad Occidentem, ad Orientem vero Iordanem. Iosue castra sua in Galgalis habuit, ferme donec cum Chananæis fuit debellatum. Hic autem arca fuit constituta, ibique Hebræi uxores suas, filios, ac bona reliquerunt: istic circumcisi sunt filii, qui quadraginta annorum spatio in deserto nati fuerant, ibique primum Pascha celebratum est. Ibidem universus Israel Saulem Regem suum salutavit [5]. Nulla fortasse domus erat in Galgalis, antequam illuc pervenirent Israelitæ; sed deinde oppidum constructum est, de quo alicubi Scripturæ meminerunt, veluti 1. Reg. 7. 16. & Amos vers. 5. Vide Bonfrerium hic.

CONTRA ORIENTALEM PLAGAM URBIS IERICHO.] Hebraicus textus ad litteram [6]: *Ad extremitatem Orientalis plagæ urbis Jericho*. Nonnulli [7] ex locutione hac intulerunt, Galgala non fuisse recte ad Orientem, sed parumper inclinasse ab boream Iericho; sed Textus authographi innuere simpliciter vult, locum hunc fuisse in orientali parte agri Ierichuntini; atque aliunde patet, Galgal in directum positum fuisse inter Iordanem, & Iericho, atque ideo ad verum urbis hujus Orientem. Iosephus lib. 5. cap. 4. de Bello ait Ierichuntem sexaginta stadiis a Iordane distare, & Antiqu. lib. 5. cap. 1. refert, Galgala a Iordane quinquaginta stadiis abesse, & a Iericho decem. Galgal igitur in directum Iordanem, inter & Jericho interjacet.

℣. 20. DUODECIM QUOQUE LAPIDES ... POSUIT IN GALGALIS.] Summa cum celebritate duodecim lapides positi sunt in editiori loco, ut miraculi, quod in Iordanis transitu evenerat, existerent monumentum.

Josephus ait, ex ipsis altare fuisse conditum [8]. Tertullianus l. 4. contra Marcion. præter quamcumque verisimilitudinis speciem asseruit, duodecim lapides *in arcam testamenti conditos* fuisse; atque hanc ipsius vere fuisse opinionem inde eruitur, quod inferius paullo duodecim Apostolos duodecim his lapidibus conferens, ait, Iesum Christum eos eduxisse de Iordanis flumine, ut in Testamenti sui sacrarium collocaret; *in sacrarium Testamenti sui recepit*. Drusius arbitratur, ipsum hanc potuisse haurire sententiam e libro, qui Philoni tribuitur, cui titulus de *Antiquitatibus*, vel potius falsus Author de Antiquitatibus Philonis rem hanc a Tertulliano didicit, ubi dicitur *Cenez lapides hos in Arcam posuisse, atque ad hanc usque diem esse*. Sententiam hanc, licet adeo inauditam, irridendamque, *Iorichine Adamarius* tuetur, ut Serarius narrat. Rabbinus Levi filius Gerson, credit lapides hos prope Arcam fuisse positos, atque deinceps illi proximos semper servatos fuisse, ut Israelitæ ter in anno accedentes, ut Deum venerarentur, eosdem conspicerent. Verum hæc omnia futilibus commentis sunt adscribenda.

℣. 24. UT DISCANT OMNES TERRARUM POPULI FORTISSIMAM DEI MANUM.] Hebraicus textus ita verti posset [9]: *ut omnes regionis illius populi*, &c. Deus una, & hostibus terrorem incutere, & in populo suo spem vult parere: Extollit ille famulum suum Iosue; ac Israelitarum fidem, ac Religionem confirmat, tot prodigiis, quæ horum causa patravit. Nihil aptius erat, ut timor in omnium Chananæorum corda injiceretur, quod prodigium, illi simile, quod in Iordanis transitu patratum est. Eorum vero pervicacia idcirco redditur excusatione indignior, eorumque justius excidium, quod fecit Deus mirabile hoc, cujus omnium populorum oculi testes fuere; & cujus veritatem nemo umquam ausus est inficiari.

---

1 בצבא עברו לפני יהוה למלחמה
2 על ערבות יריחו
3 Stadium 125. passibus Geometricis constabat. Stadia 50. 6000. circiter passus conficiunt, seu tres parvas leucas.
4 Joseph. Antiq. l. 5. c. 1.
5 1. Reg. 11. 14. 15.
6 בקצה מזרח יריחו
7 Adrichomius, & Ludovicus de Dieu.
8 Joseph. Antiquit. l. 5. c. 1. Ita & Moses l. 2. c. 4. de vitulo aureo.
9 למען דעת כל עמי הארץ

CAPUT V.

Terror Chananæorum, Israelitæ circumcisionem recipiunt, & celebrant Paschatis festivitatem; Manna depluere cessat. Angelus apparet Josue.

1. POstquam ergo audierunt omnes reges Amorrhæorum, qui habitabant trans Jor-
danem ad occidentalem plagam, & cuncti reges Chanaan, qui propinqua pos-
sidebant magni maris loca, quod siccasset Dominus fluenta Jordanis coram filiis
Israel, donec transirent, dissolutum est cor eorum, & non remansit in eis spiritus, ti-
mentium introitum filiorum Israel. 2 Eo tempore ait Dominus ad Josue: Fac tibi cul-
tros lapideos, & circumcide secundo filios Israel. 3 Fecit, quod jusserat Dominus,
& circumcidit filios Israel in colle præputiorum. 4 Hæc autem causa est secundæ cir-
cumcisionis: Omnis populus, qui egressus est de Ægypto generis masculini, universi
bellatores viri, mortui sunt in deserto per longissimos viæ circuitus, 5 Qui omnes
circumcisi erant. Populus autem, qui natus erat in deserto, 6 Per quadraginta an-
nos itineris latissimæ solitudinis, incircumcisus fuit: donec consumerentur, qui non
audierant vocem Domini, & quibus ante juraverat, ut non ostenderet eis Terram lacte,
& melle manantem. 7 Horum filii in locum successerunt patrum, & circumcisi sunt a
Josue: quia sicut nati fuerant, in præputio erant, nec eos in via aliquis circumciderat.
8 Postquam autem omnes circumcisi sunt, manserunt in eodem castrorum loco, donec
sanarentur. 9 Dixitque Dominus ad Josue: Hodie abstuli opprobrium Ægypti a vo-
bis. Vocatumque est nomen loci illius Galgala, usque in præsentem diem. 10 Manse-
runtque Phase, quartadecima die mensis ad vesperum in campestribus Jericho. 11 Et
comederunt de frugibus terræ die altero, azymos panes, & polentam ejusdem anni,
12 Defecitque manna, postquam comederunt de frugibus terræ, nec usi sunt ultra ci-
bo illo filii Israel, sed comederunt de frugibus præsentis anni terræ Chanaan. 13 Cum
autem esset Josue in agro urbis Jericho, levavit oculos, & vidit virum stantem contra se,
evaginatum renentem gladium, perrexitque ad eum, & ait: Noster es, an adversario-
rum? 14 Qui respondit: Nequaquam: sed sum princeps exercitus Domini, & nunc
venio. 15 Cecidit Josue pronus in terram. Et adorans ait: Quid Dominus meus lo-
quitur ad servum suum? 16 Solve, inquit, calceamentum tuum de pedibus tuis; lo-
cus enim, in quo stas, sanctus est. Fecitque Josue, ut sibi fuerat imperatum.

℣.1. REGES AMORRHÆORUM.] Ammorrhæorum nomen usurpatur aliquando ad significandum generatim omnes Chananæos populos; aliquando vero peculiariter pro filiis Emor filii Chanaan. Liquet Amorrhæorum quosdam citra, quosdam autem ultra Jordanem incoluisse; ulteriores quidem a Moyse deleti sunt; citeriores supererant, qui hic designantur, *quia habitabant trans Jordanem ad occidentalem plagam*. Vel juxta Hebraicum textum [1], *ad Jordanis transitum e maris latere*; vel potius, *e latere Jordanis quod respicit mare*. Diutius immorati sumus in Deuteronomio 1.1. ut ostenderemus, præpositionem *heber*, proprie nec citra, nec ultra significare, sed tantum *e latere*: atque indiscriminatim pro citra, atque ultra usurpari, prout sermonis decursus ostendit. Itaque ex hoc loco minime licet inferre, utrum Author librum hunc citra, an ultra Jordanem conscripserit.

A

CUNCTI REGES CHANAAN.] Quamquam Amorrhæorum nomine populos omnes Chananæos comprehenderit, qui subigendi supererant, designat nihilominus peculiariter Reges Chanaan, videlicet Reges Phœnicum, veluti præ aliis in ea regione maxime formidandos, atque potentes. Ait autem eos possedisse propinqua magni maris loca, scilicet Phœniciam universam, quæ a monte Libano usque ad montem Carmelum protenditur, atque ad Philistæorum regiones, & quæ apud tum Sacros, cum Prophanos Authores in Ægyptum usque fines dimittit [2]; quo in postremo sensu Josue videtur hic accipere. Certum quippe est, populos omnes, qui regionem Chanaan incolebant, Israelitis traditos fuisse; & Philistiim cum ex origine nequaquam essent Chananæi, neque inter decem populos, quorum regiones Deus Abrahæ [3] pollicitus fuerat, nominatim expressi, ab Hebræis subigi nequaquam potuisse, nisi eo quia regiones Phœnicum, vel Chananæorum possiderent.

B

Haud abs re erit hic animadvertere Septuaginta vulgo Phœnicum nomen pro Chananæis usurpare; atque in novo testamento mulier eadem, quæ a D. Matthæo 15. 22. Chananæa dicitur, Syrophænix a S. Marco 7. 26. appellatur. Phœnices navigationibus suis, negotiis, calliditate, atque dolis (quos characteres Chananæis quoque Scriptura [4] tribuit) sunt celeberrimi. In universa hac historia in singulis urbibus singuli Reges occurrunt. Hæc fuit ratio populos

1 מעבר הירדן ימה 2 Vide Masium hic. 3 Genes. 15. 18. 19. 20. 21.
4 Vide Prov. 31. 24. Isai. 23. 8. Osee. 12. 7.

populos regendi in toto oriente antiquissima [1]; *intra suam cuique patriam regna finiebantur*. Strabo refert, urbes Phœniciæ præcipue omnes fere suos Reges habuisse.

DISSOLUTUM EST COR EORUM, ET NON REMANSIT IN EIS SPIRITUS.] Hebraice ad litteram [2]: *Cor eorum liquefactum est, neque amplius habuerunt spiritum*, vel respirandi vim, & vitam: rapti fuerunt veluti extra se propter admirationem, eomet defectum, tumultum, atque terrorem, quem illis hoc prodigium incusserat. Scriptura innuere volens reginæ Saba stuporem ad Salomonicæ aulæ conspectum, hac eadem utitur locutione 3. Reg. 10. 5. *non habebat ultra spiritum*: atque ut ostenderet felicem immutationem, quæ in Iacob animo evenit, cum Ioseph adhuc vivere intellexit, Moyses Gen. 45. 27. ait: *revixit spiritus ejus*. Septuaginta [3] loco huic alium tribuunt sensum: *Eorum spiritus fuerunt velut liquefacti, atque stupore capti*; vel extra se ipsos, veluti sensu carentes: *neque ulla ipsis vis intelligendi remansit coram Israelitis*. Facti sunt veluti homines consilii expertes, & sine spiritu, ad aliquid consilii capiendum inepti, & quo se se vertant, ignari.

℣. 2. EO TEMPORE.] Ut de terrore, atque consternatione Chananæorum proficerent, Deus præcipit Iosue, ut universum populum circumcidi curet, antequam ipsorum hostes se se recipiant, ne hi arma inferantes aggrederentur, dum circumcisionis dolor eos armis se se tueri minime pateretur. Creditur autem Josue præceptum hoc edidisse, undecima die mensis Nisan, quatuor diebus ante Paschatis solemnitatem; omnesque eadem die paruisse: alioquin festivitatem hanc celebrare minime potuissent, cum circumcisionis dolor tertia die maxime desæviat, quemadmodum eadem docet Scriptura, Genes. 34. 25.

FAC TIBI CULTROS LAPIDEOS.] Paraphrastes Chaldæi [4], Rabbini, ac plures Interpretes recentiores ita Hebraicum textum [5] vertunt: *Fac tibi cultros acutos*. Sed alii eruditi Interpretes [6] contendunt, hebraicam vocem *zur* numquam significare aciem gladii, vel culteri, sed simpliciter *lapidem*, silicem; atque adhærendum esse priscis Interpretibus Græcis, & Vulgatæ, qui istic de lapideis cultris intellexerunt. Sephora nullo alio utitur instrumento, quam acuta silice, ut Eliezerum filium suum circumcidat, Exod. 4. 25. Asseruot autem, lapideos culteros circumcisioni magis aptos esse, quam æreos, ferreosque, quoniam in carne parere nequeunt inflammationem. Ex antiquitate patet, in opus id vulgo culteros lapideos adhiberi consuevisse, non solum apud Hebræos, verum etiam apud alios populos, eamque valuisse sententiam aliter absque periculo fieri non posse. Plinius lib. 35. 12. *Samia testa .... virilitatem amputabant; nec aliter citra perniciem*. Addi possunt Ovidius Fastor. 4. Iuvenalis [7], Catullus carm. de Berecynth. & Athy. Plutarchus in Nicia, Herodotus, quorum postremus lib. 2. c. 86. ait, eos, qui in Ægypto cadavera opobalsamo illiniebant, acuto lapide corporum latera aperire consuevisse, ut inde exta eruerent.

Neque tantum in hominum corpora ad cædendum lapis adhibebatur, sed ex illis ad scribarum calamos [8] præparandos culteri fiebant, vel spicula, quibus militum sagittæ præfigebantur [9], atque iisdem incidebantur arbores, balsamum ferentes, ut inde pretiosus liquor hauriretur [10]. Scaliger se vidisse testatur

A Lugduni duos ex his culteris lapideis; Africæ populi, qui regnum Marocense incolunt, & Americani [11] nonnulli ad hanc usque diem vulgo e lapidibus cultros, phlebotoma, ac novaculas parant. Certum est in Calecutii regnu, neque ferrum, nec æs, nec aliud metallum quodpiam inveniri, sed acutas tantum silices adhiberi etiam ad ligna secanda [12]; ii fere omnes, qui de America scripserunt, de lapideis horum populorum culteris loquuntur [13]. In veteri quodam tumulo in diœcesi Ebroicensi lapideæ bipennes fuerunt inventæ, quarum antiquitus usus erat in bellis [14].

Non desunt Ecclesiæ Patres, qui edoceant Iesum Christum lapideo cultro fuisse circumcisum, proinde ac illud commune fuisset circumcisionis instrumen-

B tum; verum constat, id lege numquam cautum fuisse, atque usum numquam sibi hac in re constitisse. Hebræi quidam contendunt [15] usque ad David lapidem ad circumcisionem adhibitum fuisse, sed postquam lapis, quod jecit David funda, perfregit ferrum, vel æs cassidis Goliat, in lapidis vices ferrum venisse: quæ omnia nullam fidem merentur. Scimus, Hebræos, qui hodie extant, ab immemorabili novacula uti, vel simili alio quopiam instrumento, quod ad circumcidendum aptius existimant [16], atque Iosephi ævo ad id Chirurgorum opera uti consueverant. Historicus hic Antiq. l. 20. c. 2. refert Izatem Adiabenorum Regem, cum Iudaica Religione initiari vellet, servos dimisisse, ut Chirurgum sibi quærerent, atque circumcisionem accepisse.

C CIRCUMCIDE SECUNDO FILIOS ISRAEL.] Ne cogites circumcisionem fuisse iteratam, vel Iosue olim jam Hebræos coegisse, ut circumciderentur; nihil esset hac sententia magis irridendum. Deus solum præcipit, ut circumcidendi consuetudo instauretur, quæ in deserto fuerat intermissa, atque eos, qui nondum hanc notam, qua Israelitæ ab aliis populis secernuntur, susceperant, eam acciperent, antequam ejus regionis possessionem, quæ sub notæ hujus signum promissa fuerat [17], ingrederentur. Ast cur hac utitur ratione loquendi, *Circumcide secundo?* Cuinam primæ vici hæc secunda refertur? Nonnulli [18] referri volunt ad Abrahæ, totiusque familiæ ipsius circumcisionem. Tunc Deus primum iniit fœdus cum hoc Patriarcha, atque posteritate illius; fœdus hoc sub Moyse fuit instauratum, cum illi legem tribuit: sed cum circumcisio in deserto fuisset omissa, atque Iosue consuetudinem hanc revocasset, hic publico, ac solemni ritu primum fœdus cum populo Dei percussum restaurat; atque nunc secundo post Iudaicæ nationis originem, circumcisio generatim omni, vel omni fere populo defertur.

Alii asseruot Moysen, cum in Ægyptum pervenisset, invenissetque Israelitas incircumcisos, eos impulisse, ut denuo circumcisio apud eos admitteretur. Iosue, idem fecisse in ingressu terræ Chanaan. Circumcisio igitur Moysis, eorum sententia, prima fuit, Iosue vero secunda. Verum intermissam fuisse in Ægypto circumcisionem, minime probant, quod requiritur. Tertullianus [19], æque ac Rabbini quidam

E hanc sententiam tuentur; sed nihil, quod illis faveat, e Scripturis valent mutuari.

S. Augustinus quæst. 60. in Iosue, & Rupertus autumat secundam hanc circumcisionem ad nullam præcedentem referri; sed simpliciter ad illum Israelitarum numerum, qui jam fuerant circumcisi, etque hac nota insigniti ex Ægypto fuerant egressi, habi-

1 Justin. l. 1. Vide & Strabon. l. 16. 2 וימס לבבם ולא היה עוד רוח 3 Καὶ κατετάκησαν αἱ διανοίαι αὐτῶν, καὶ κατεπλάγησαν, καὶ οὐκ ἦν ἐν αὐτοῖς φρόνησις οὐδεμία. 4 Ita Jonathan, & Onkelos, Rabbini, Var. Munst. Pag. Jun. Piscat. 5 חרבות צרים 70. μαχαίρας πετρίνας. 6 Vide Mas. Drus. Bonfrer. Cornel. &c. 7 Juvenal. Sat. 6. *Mollia qui rupta secuit genitalia testa*. 8 Vide Julian. lib. 6. Epigr. apud Boulter. 9 Herodot. l. 7. 10 Vide Joseph. l. 14. Antiq. c. 7. Plin. l. 25. c. 22. Tacit. l. 5. 11 D. Joan. Palafox. p. 12 12 Aloys. Cadam. navigat. c. 66. 13 Vide Joann. Lor. navig. Brasil. c. 15. p. 189. &c. passim. 14 Diar. Italic. c. 28 15 Hebræi apud Author. Hist. Scholast. 16 Vide Leonem Mutinensem in ceremoniis Judaicis, & Buxtorf. Synag. Judaic. c. 2. 17 Genes. 17. 8. 10. 18 Lyranus. Vide & Masium hic. 19 Tertul. contra Judæos. Ita Rab. Levi, Ben-Gersoe. &c.

habita eorum ratione, qui in deserto nati nondum circumcisionem receperant. Hæc explicatio videbitur fortasse subtilior, & mallet quispiam simplicius credere, quod circumcidere secundo, nihil aliud innuat, quam circumcisionis consuetudinem, quæ pœne obsoleta erat, revocare; & morem hunc, quemadmodum antea, instaurare, & persequi [1].

Verum cur circumcisionis usus in deserto fuit interruptus? poteratne omitti, vel negligi ceremonia, quam Deus constanter adeo præceperat, & sine qua nullum esse poterat cuiquam jus ad prærogativas populi Dei, neque ad æternam felicitatem, hoc supposito, quod originale peccatum, uti plures Doctores docent, circumcisione remitteretur? S. Augustinus [2] credere videtur, Hebræos ex negligentia ritum hunc intermisisse, eosque hac in re sontes fuisse, quod legi Dei minime obtemperarint. Sed cum in Scriptura nuspiam de hac omissione arguantur, & ibi nemo filiorum, qui in deserto nati fuerant, circumcisus fuisse dicatur, quin aliquam exceptionem addat, vel distinctionem piorum hominum, vel impiorum; aliæ intermissionis hujus causæ sunt inquirendæ. Theodoretus, & alii quidam [3] contendunt, circumcisionem ob id tantum constitutam fuisse, ut Hebræi ab Ethnicis secernerentur; ideoque nullum fuisse opus, ut hæc adhiberetur nota eo tempore, quo Israelitæ ab aliis populis penitus erant semoti, neque ullum aderat periculum, ut cum illis confunderentur.

Masius [4] divino quodam supplicio factum existimat, ut Israelitæ filiis suis in deserto circumcisionem præbere minime auderent. Morem hunc diligentissime observarant, & in Ægypto, & omni eo tempore, quo in Sinai commorati sunt, usque post Pascha quod ibidem celebrarunt. Sed postquam in Dominum insurrexerunt, cum exploratores in Cadesbarne reversi sunt [5], deinceps circumcisionem nequaquam accepere. Deus illis ademit hanc fœderis sui notam, qua se indignos præbuerant, & cui per murmur suum quodammodo abrenunciaverant. Ut sententiæ huic robur accedat, additur, quamquam populus hic diutius in Cadesbarne [6], ac in agris Moab, fuit commoratus, atque omnes obmurmuratores interierunt, aliquot mensibus ante obitum Moysis [7]; nihilominus minime ausos esse filios circumcidere, nisi post præceptum, explicitamque Dei permissionem. Scriptura quoque sententiæ huic suffragari videtur, cum ait Num. 14. 33. *Filii vestri erunt vagi in deserto annis quadraginta, & portabunt fornicationem vestram, donec consumantur cadavera in deserto*. Iosephus etiam huic favet explicationi, cum refert murmuratores se indignos præbuisse, qui terram Chanaan ingrederentur; *filii eorum subierunt locum patrum suorum, atque a Josue circumcisi fuerunt*: perinde ac fœdus inter Deum, ac Israel fuisset hactenus veluti abrogatum, illiusque effectus intermissi.

Verum sententia, quæ simplicior videtur, & æquior, & quam plerumque sequuntur Interpretes, ea est, quod cum Hebræi in deserto in motu fere continenti essent, atque in dies veluti mansionem immutaturi, Deus piissimæ misericordiæ suæ indulgentia dispensare voluit filios ab actione quæ summum dolorem afferebat, per annos duodequadraginta, qui ab eorum discessu e Sinai effluxerunt, ne eos mortis periculo ferme inevitabili objiceret.

℣. 3. CIRCUMCIDIT.] Eos circumcidi jussit ab iis, qui in Ægypto Circumcisionem acceperant. Quamvis sexcenta hominum millia fuissent circumcidenda, hoc una die commodius peragi poterat. Quivis enim circumcidere poterat; ac fœminæ nonnumquam matres parvulos circumcidunt.

IN COLLE PRÆPUTIORUM.] In loco castrorum Galgalis, cui ab hoc facto nomen est inditum.

℣. 4. HÆC AUTEM CAUSA EST SECUNDÆ CIRCUMCISIONIS.] Septuaginta: [8] *Et hic est populus quem Josue circumcidit*: Hebraice ad litteram [9]: *hoc est verbum*, vel *res*, quod *Josue circumcidit*. Vulgata perfecte vim Textus expressit.

UNIVERSI BELLATORES VIRI MORTUI SUNT.] Dei punitio in eos tantum Israelitas cecidit, qui armis erant ferendis ob ætatem idonei: videlicet, qui viginti, & ultra annos erant nati. Numer. 1. 3. & 14. 29.

℣. 5. QUI OMNES CIRCUMCISI ERANT.] Hebraicus Textus, & Septuaginta sunt prolixiores: *Omnis populus, qui egressus erat de Ægypto, fuerat circumcisus*. At arbitror, eos quoque, qui in castris Sinai nati sunt, fuisse circumcisos; quod ut credam adducor, quoniam in ea statione secundum Pascha celebratum est. Sed id agere minime ausi fuissent, si annus, atque amplius præteriisset, quin ulli circumcisio traderetur.

℣. 6. PER QUADRAGINTA ANNOS &c.] Textus Hebraicus, & Septuaginta effusiores sunt, verum quoad sensum nullum interest inter ipsos, Vulgatamque discrimen. Septuaginta pro annis quadraginta legunt duos, & quadraginta, uti quoque S. Augustinus, ac Theodoretus. Crediderunt autem initium annorum quadraginta, de quibus frequenter adeo Scriptura loquitur, quorum decursu Hebræi per desertum iter erant acturi in defectionis suæ pœnam, desumi a castris Cadesbarne, quæ in secundum ab exitu de Ægypto annum referuntur. Sed Chronologi quadraginta solum enumerant annos a populi exitu de Ægypto usque ad ingressum in Terram promissam; & cum Scriptura ponit quadraginta itineris annos per desertum, ut murmuratores punirentur, simul comprehendit duos annos, qui jam fuerant elapsi. Textus Hebraicus, æque ac Vulgata versio, & Chaldaica, atque Septuaginta quædam editiones, quadraginta annorum numerum non excedunt. Iidem Græci Interpretes in Romana editione desertum, per quod iter fecerunt Hebræi, [10] vocant *Mabdaritis*, vel *Magdaris*, vel etiam *Madmaritis*. Hæc Hebraica vox est *Madbar* vel *Midbar* מדבר, quæ desertum significat, quod illi exprimere voluerunt.

℣. 7. HORUM FILII IN LOCUM SUCCESSERUNT PATRUM.] Hebraicus textus, & Septuaginta [11]: *Deus substituit eorum filios in locum illorum*; filii eorum potiti sunt iis, quæ patribus suis fuerant promissa: Deus in filiorum gratiam eorum fidem præstitit, quæ patribus propter illorum indocilitatem denegaverat. Hi filii promissionum hæredes, quibus Patribus frui non licuit, evidens figura sunt Christifidelium, qui Judæis subrogati fuere, atque adiere hæreditatem, qua vetus ille populus se indignum probaverat; quod ipsum, juxta Patres [12], hæc secunda significat circumcisio, de qua hoc capite est sermo, & cujus verus Josue author extitit, videlicet, spiritualis circumcisio, circumcisio cordis, quam nobis J. C. præcepit [13].

℣. 8. MANSERUNT IN EODEM CASTRORUM LOCO.] Usque ad perfectam valetudinem: ibi quarta die ab circumcisione Pascha celebrarunt, cujus Festivitas octo diebus perstitit; post quam solemnitatem,

1 Ita Bonfrerius, Serarius, Menochius, Tirinus &c. 2 Aug. qu. 6. in Josue: *Contempserunt filios circumcidere, quod inobedientes erant legi Dei*. 3 Theodoret. qu. 2. in Josue, Hieronymus in Epist. ad Galat. l. 1. ad finem, Damascenus de fide Orthod. l. 4. c. 16. 4 Masius hic, Vasquez, Pererius, & alii apud Bonfrerium. 5 Num. 14. 1. 6 Deuter. 1. 46. *Sedistis in Cadesbarne multo tempore*.
7 Deuter. 2. 14. 8 Καὶ οὗτος ὁ λαὸς ὃν περιέτεμεν ὁ Ἰησοῦς. 9 וזה הדבר אשר מל יהושע
10 Ἐν τῇ ἐρήμῳ μαβδαρίτιδι. 11 ואת בניהם הקים תחתם. 70. Τοὺς υἱοὺς αὐτῶν ἀντικατέστησεν ἀντὶ τούτων,
12 Vide Tertull. contra Judæos, Lactant. l. 4. c. 17. August. de verbis Apost. serm. olim 15. nunc 169. Orig. hom. 4. 13 Rom. 2. 28. 29. & 1. Cor. 7. 19. & Galat. 5. 6. Coloss. 2. 11.

rem, processerunt contra Jericho, quin tamen penitus castra in Galgalis posita delererentur; ibi uxores, filios, ac impedimenta reliquerunt, atque ex decursu [1] patebit ipsos diu in hac statione fuisse immoratos.

℣. 9. HODIE ABSTULI OPPROBRIUM ÆGYPTI A VOBIS.] Minime ambigitur, an opprobrium Ægypti hac fuerit circumcisione deletum; verum quæritur, quomodo ille Religionis actus id potuerit afficere? Qui asserunt, veteres Ægyptios, æque ac Hebræos circumcisos fuisse, intelligere nequaquam possunt, circumcisionem auferre opprobrium Ægypti ab Hebræis; quoniam, hoc supposito, Ægyptii non secus ac Hebræi debebant incircumcisos horrere; atque nota hæc Hebreos Ægyptiis similes efficiebat, non ita vero ab iis distinguebat. Dicendum igitur esset, Deum a Judæis notam abstulisse, quæ apud Ægyptios turpis habebatur, in eodem ferme sensu, ac Moyses Exod. 8. 26. ait, Israelitas debere Deo suo Ægyptiorum abominationes sacrificare, videlicet animalia, quorum mors ab iis populis scelus habebatur, atque abominatio.

Ast reor in Dissertatione de antiquitate Circumcisionis ostendisse, circumcisionem recentem esse inter Ægyptios; neque turpe fuisse umquam illis minime circumcidi; itaque non dubito, quin locus ille in hunc sensum sit intelligendus: *Abstuli a vobis opprobrium Ægypti*, scilicet id, quod vos Ægyptiis similes efficiebat, id quod vos cum immundo populo, ac Dei inimico confundebat. Filii Jacob dicebant ad Sichem [2]; *Non possumus dare sororem nostram incircumciso, quod nobis opprobrium est*. Erat igitur opprobrium, & contumelia in Chananæis, juxta Hebræorum mentem incircumcisos esse: idem quoque dici debet de Ægyptiis incircumcisis. Ast cur inquit Deus, se abstulisse a populo suo Ægyptiorum opprobrium, non ita vero Chananæorum? ob hoc plane, quod cum de Ægypto Israelitæ accessissent, si incircumcisi permansissent, videri poterant labem hanc ex ea regione adduxisse, atque esse veluti Ægyptiorum colluvies, & quibus nullum magis, quam Ægypti populis jus esset, ut regionibus Chanaan potirentur; sed eorum circumcisio erat veluti signum promissionum Dei, atque juris, quo eam terram sibi deberi probarent. Ex pluribus scripturæ locis apparet, quam sibi propter circumcisionem complacerent Hebræi: & qua jactantia aliis populis vitio verterent, quod essent incircumcisi [3], perinde ac magna ea esset nota impuritatis.

Theodoretus qu. 4. in Josue, cui plurimi favent Interpretes, asserit, Hebræorum circumcisionem in Galgalis symbolum fuisse eorum ex Ægyptia servitute manumissionis. Ait autem, ex Historiis percipi plures Israelitas in Ægypto circumcisionem minime recepisse, cum parentes eorum timerent, ne vita filiis adimeretur, si in ea regione fuissent circumcisi. Sed post circumcisionem in Galgalis, Deum illis dixisse, se ab illis abstulisse opprobrium Ægypti; videlicet, se eos penitus ab Ægypti servitute liberare, atque in Terræ patribus illorum promissæ possessionem constituere. Me tamen fugit ex quanam Historia Theodoretus didicerit Hebræos in Ægypto filiis circumcisionem tradere neglexisse: verum satis verisimile est, ea, quæ refert de Hebræorum liberatione, a falsa vocis *Galgala* interpretatione proficisci, quam Josephus Antiqu. l. 5. c. 1. vertit *libertatem*; nam alioquin quænam adesset ratio naturalis inter circumcisionem, atque liberationem de servitute?

GALGALA, USQUE IN PRÆSENTEM DIEM.] Mo- A do vidimus, Josephum, ac Theodoretum vocem hanc *Galgala* vertere *libertatem*; at Hebræi Grammatici melius vim, ac veram verborum significationem edocti, ajunt Galgala proprie significare *revolutionem*; quare ex Hebraica lectione ita versiculus iste transfertur: *Ego revolvi* (heb. Galloti) *a vobis opprobrium Ægypti; quapropter locus hic appellatus est revolutio usque ad hanc diem*.

℣. 10. FECERUNT PHASE.] Hoc tertium est Pascha, quod Israelitæ celebrarint. Primum quidem peractum est die, qua de Ægypto exierunt: Alterum in castris Sinai, post Tabernaculi erectionem [4]: hoc vero tertium est; incœpitque, uti alia, die quarta decima mensis primi inter duas vesperas; aut vespere, quo dies decimaquinta inchoabat. Que- B madmodum solemnitas hæc instituta erat dumtaxat pro tempore, quo pacatam Terræ promissæ possessionem essent adepti [5]; neque celebrari poterat nisi a circumcisis; haud mirum est, intermissam fuisse, vel suspensam, dum adhuc in deserto vagarentur [6]. Eas vero Tribus, quæ trans Jordanem permanserant, festivitatem hanc minime celebrasse putamus, quoniam plures plane erant incircumcisi; neque Pascha fieri poterat, ubi non esset Tabernaculum, & Arca fœderis, cum non liceret, alibi Domino offerre sacrificia.

℣. 11. COMEDERUNT DE FRUGIBUS TERRÆ DIE ALTERO.] Secundum plures Interpretes, Hebraicus [7] textus significat frumentum anni præteriti [8], triticum vetus, per oppositionem ad illud messis C præsentis, vel recens peractæ. Asserunt autem altera tantum Paschatis die, Israelitis licuisse ea recenti messe comedere, quoniam antea haud facta fuisset oblatio in Tabernaculo. Sed Interpretes alii [9], Textus vocem id pressius adeo significare dubitant; atque animadvertunt, neque Septuaginta, neque Vulgatam versionem, neque Chaldaicam, neque Syriacam, neque Josephum discrimen hoc advertisse, eosque simpliciter locum hunc de regionis fructibus intellexisse, tum veteribus, cum novis. Dubitandi quoque locus est, an primo hoc paschate facta fuerit oblatio manipuli, aut *gomer* tritici secundum legem Levit. 23. 10. nam Israelitæ nequaquam segetes, quas invenere, excoluerant, ne- D que adhuc perfectam terræ possessionem obtinuerant: verum etiamsi cæremonia hæc pro hac vice haud omissa fuisset, minime inferri posset, vetus dumtaxat triticum ad id usque tempus eos comedisse.

Israelitæ paschalem agnum mactarunt, eumque quartadecima die mensis primi vespere comederunt, postero die decimoquinto, qui verus erat dies Festivitatis, manducare occœperunt panes azymos, & spicas assas e nova regionis illius messe: hactenus ne minimum quidem attigerant cibaria, quas de Setim advexerant, & manna quæ labebatur, illis victum tribuerat. Hebraicus textus ita ad litteram vertitur [10]: *Comederunt fructus terræ illius altera die Paschatis, & azymos panes, & spicas assas in corpore diei illius*. Hæc postrema verba a Septuaginta se- E quenti versiculo adduntur, hoc pacto [11]: *Die sequenti comederunt fructus terræ, azymos panes, & fructus novos. Ea die defecit manna, neque amplius delapsum est*.

Hebraica vox *Kalui*, quam Vulgata reddidit *polentam*, ac Septuaginta *fructus novos*, significat spicas tostas igni, quemadmodum ostendimus Levit. 2. 14. Lex tempore Paschatis hanc escam permittebat, in qua nihil subactum erat, nihil fermentatum. Novæ spicæ assæ, ac tostæ igni exquisitum quiddam sapiunt agrestibus, & exquisitius longe Hebræis sapere

1 Josue 14. 6. 2 Genes. 34. 14. כי חרפה הוא לנו ὅτι γὰρ ὄνειδος ἡμῖν. 3 1. Reg. 14. 6. *Veni transeamus ad stationem incircumcisorum horum*. Vide & 17. 26. 4 Num. 9. 2. 5 Exod. 12. 25. *Cum introieritis Terram, quam Dominus daturus est vobis ... observabitis cæremonias vestras*. 6 Vide Origen. homil. 27. in Numer. & Masium, & Serarium hic. 7 מעבור הארץ 8 Munsterus, Vatablus, Kimchi, Bonfrerius. 9 Serarius, Cornelius, Drusius, Masius.

10 ויאכלו מעבור הארץ ממחרת הפסח מצות וקלוי בעצם היום הזה

11 Καὶ ἔφαγον ἀπὸ τοῦ σίτου τῆς γῆς τῇ ἐπαύριον τοῦ πάσχα, ἄζυμα καὶ νέα. *Alius* φρυκτά. *Tostum. Is est Aquila ex excerpt. D. Bern. de Montfaucon in Exaplis*.

re debebant, ut pote qui quadraginta annis sine messe fuerant, neque in communes mensas panem adhibuerant.

℣. 12. DEFECIT MANNA.] Hoc plane ea contigit die, qua comedere incœperunt triticum, videlicet die decima quinta mensis primi. Alii [1] credunt hanc decimam sextam fuisse diem, quæ scilicet manipulorum oblationem est subsecuta. Hebraicus textus postremæ huic favet sententiæ [2]: *& manna defecit post crastinum diem, quo fructus terræ comederunt*. Septuaginta vero priori explicationi suffragantur, quemadmodum nuper in præcedenti versiculo observatum est; at Serarius prudenti sane consilio animadvertit, quod cum manna noctu, vel mane summo deplueret, dici non potest, eam die eadem defecisse, qua Israelitæ regionis illius fructus comederunt, nam comedere incœperunt solum post manipulorum oblationem in Tabernaculum, quæ factis sero, ac plena die fieri consueverat: Hoc tamen supposito, quod eo anno hæc facta fuerit oblatio; quod difficultate non caret; de quo vide ℣. 11.

DE FRUGIBUS PRÆSENTIS ANNI TERRÆ CHANAAN.] Septuaginta [3]: *Comederunt de frugibus terræ Phœnicum eo anno*. Origenis Interpres: *De Frugibus terræ palmarum*. Liquet, quod vox hæc *Phœnix* Græce significat & hominem e Phœnicia, & palmam, & volucrem, qui Phœnix vocatur, quod non semel in scripturis peperit æquivoca, cum Interpretes aliquando de Phœnice explicarint, quod Septuaginta dixerant de palma. Vide Job. 29. 18.

℣. 13. IN AGRO JERICHO.] Hebraicus textus, ac Septuaginta simpliciter legunt, *in Jericho*. Sed Vulgata opportune supplevit *in agro*. Alii vertunt Hebraicam vocem בירירו *prope Jericho*. Creditur autem Josue, egressus esse, vel ut oraret, vel ut locorum urbi finitimorum situm exploraret.

VIDIT VIRUM STANTEM CONTRA SE.] Judæi quidam apud Varablum Josue tunc vigilasse negant, sed asserunt hanc illi in somnis visionem oblatam fuisse; quippe cui animus curis occupatus esset propter Jerichuntis obsidionem. Sed ipsum tunc vigilem fuisse, universus narrationis hujus decursus maximo probat.

℣. 14. QUI RESPONDIT: NEQUAQUAM, SED SUM PRINCEPS EXERCITUS DOMINI.] Deus permittit, hanc Josue, jam jam signa in Chananæos illaturo, visionem fieri, ut illi ad magnum hoc opus animos addat; eodem ferme pacto, quo Moyses visionem habuit in Sinai, ut ad liberandum populum suum de Ægypto impelleretur. Duæ hæ visiones maximam inter se habent similitudinem. Angelus Domini apparuit Moysi in rubo ardenti, quodammodo ut innueret oppressionem Israelitarum, & legem ignis, quam Deus Moysi erat traditurus: Angelus hic apparet Iosue bellatoris viri speciem referens, qui prusto sit Iudæorum exercitui laturus opem ad Chananæos subigendos. Josue nullo terrore perterritus ad virum hunc pergit, ut ab illo, quinam sit, cognoscat. Angelus se nequaquam esse hostem ait, vel se neque Judæum esse, neque Chananæum; nam illius responsio in utrumque sensum detorqueri potest; cæteroquin se Principem esse exercitus Domini, ac venisse illuc suppetias laturum. Septuaginta hic legunt [4]: *Qui respondit: Ego sum &c.* pro: *Qui respondit: Nequaquam, sed sum &c.*

Veteres Patres [5] communiter docent Dei filium, secundam Sanctissimæ Trinitatis personam apparuisse Iosue: Masius etiam ostendit veteres Iudæos quoque veritatem hanc cognovisse, atque adfert nonnullos ipsorum locos, ubi fatentur, eum, qui apparuit Iosue, esse eumdem illum, quem Deus pro-

A miserat Moysi dicens, *faciem suam*, scilicet se ipsum præcessurum esse populo suo; hunc esse Redemptorem, de quo scriptum est, *Nomen meum est in illo*; qui dixit ad Iacob Gen. 23. 13. *Ego sum Deus Bethel*; qui eduxit populum Israel de Ægypto; *Angelus faciei Domini, qui nos ervit*; illum denique, de quo dicitur Malach. 3. 1. *Veniet ad templum Sanctum suum Dominator, quem vos quæritis, & Angelus Testamenti, quem vos vultis*. Iosue procidit coram ipso, & postulat, quid ab eo quærat; atque ℣. 2. capitis sequentis Angelus hic *Jehovah* nomine appellatur, quod Deo tantum convenit.

Cum simplices Angeli hominibus apparuerunt, numquam se ab illis adorari passi sunt; neque eos ante se pronos in terram prosterni. Iste vero hunc
B sibi honorem a Iosue præstari non refugit, atque illi præterea præcepit, ut de pedibus suis calceamenta solveret coram ipso, quoniam locus, in quo illi apparuerat, sacer erat, & sanctus. Verum minimum omnibus his argumentis obstantibus, communior apud Interpretes opinio asserit, Angelum huic Hebræorum Imperatori apparuisse. Angelus hic Deum referebat, nomine ipsius loquebatur, illius authoritatem præseferebat; ideoque mirum nequaquam esse debet, si illi Dei nomen tribuatur, illique is præstetur honos, qui Deo creditur præstari: neque enim Angelus adorationis erat objectum, sed Deus; hoc etiam supposito, quod Iosue illi latriæ cultum detulerit, quod minime certum est. Ex scriptura didicimus [6] legem Angelorum ministerio
C latam fuisse; illum, qui Moysi in ardenti rubo apparuit, illos qui Abrahæ, Isaac nativitatem pollициti fuerunt, Angelos tantum fuisse. Attamen quoties nomen *Jehovah*, nomen Domini proprium, illis tribuitur! Iam diu sententiam hanc, de qua loquimur, S. Augustinus [7] probavit, illique adhæserunt eorum plerique, qui sunt subsecuti. Chaldaica lectio similiter explicat: *Ego sum Angelus a Deo missus*.

℣. 15. ET ADORANS AIT: QUID DOMINUS MEUS LOQUITUR.] Quamquam verbum *adorare* apud Latinos fere semper latriæ cultum significet, qui Deo soli debetur; aliquando tamen significat reverentiam, atque extrinsecam observantiæ notam, qua Angelos colimus, Sanctos, & homines. Inde vero
D licet arguere, Iosue non detulisse latriæ adorationem illi, qui apparuerat, quod eum non *Jehovah* nomine appellat, sed *Adonai*, quod hominibus æque, ac Deo tribuitur.

℣. 16. SOLVE CALCEAMENTUM TUUM DE PEDIBUS TUIS.] Hæc est observantiæ nota, quæ olim in plurium nationum more erat posita, nudis pedibus ante Deum accedere. Hoc humilitatis habitu in publicis calamitatibus etiam Ethnici Deorum opem efflagitaturi templa adire consueverant. Romanorum Matronæ nudis pedibus Deæ *Vestæ* ædem ingrediebantur. Ovidius 6. Fastorum.

Hic pede Matronam nudo descendere vidi.

Populo indicebatur, ut nudis pedibus incederet, cum ad pluviam impetrandam sacris operaretur.
E Tertullianus. *Cum stupet cœlum, & aret annus, nudipedalia denunciantur*.

Apud Christianos infinita propemodum consuetudinis hujus extant exempla, in sanctioribus cæremoniis Religionis. Turcæ numquam attingunt denudatum Meschitarum suarum pavimentum; magna subinde aulæa insternunt, ubi pedes figant; calceamenta vero in janua relinquunt. Alibi adnotavimus in quorumdam veterum Templorum aditu inscriptiones adfixas fuisse, quibus aliquid inferri cavebatur, quod ex demortuo animali fuisset detractum. Porphyrius

1 Rabbini, Serarius, Vatablus, Bonfrerius. 2 וישבת המן ממחרת באכלם מעבור הארץ

3 Ἐκαρπίσαντο δὲ τὴν χώραν τῶν φοινίκων ἐν τῷ ἐνιαυτῷ ἐκείνῳ. 4 ὁ δὲ εἶπεν αὐτῷ ὅτι ἐγὼ ἀρχιστράτηγος δυνάμεως κυρίου. Legerunt in Hebr. ויאמר לו כי אני שר צבא יהוה pro ויאמר לא

5 *Clem. Rom. l. 5. Constit. c. 21. Origen. homil. 6. in Josue. Procop. hic. Philast. Hæres. 84. parte 3. Iren. l. 5. c. 15. Tertull. l. 2. contra Marcion. cap. 27. contra Praxeam c. 16. &c. Euseb. Hist. Eccles. l. 1. c. 2. & alii passim. Vide Serar.* qu. 40. 6 Act. 7. 30. 38. 53. & Galat. 3. 29. 7 August. contra Maxim. & lib. 11. de Civit. c. 13. & lib. 15. c. 7. & lib. 2. de Trinit. c. 33. Fulgent. lib. 2. ad Monim. c. 3. Hycron. in cap. 3. Epist. ad Galat. 3, 5.

phyrius lib. 2. de Abstin. Animal. ait, si in sacrificiis ab hominibus in Deorum honorem institutis, maxima adhibetur cura, ut quæ deferuntur calceamenta pura sint, atque ab omni sorde, vel macula mundata; multo magis nobis mundum corpus servandum esse ab omni immunditia, & corruptione; quandoquidem illud est veluti animæ nostræ indu-

A mentum. Arianus refert in falsis Deorum delubris olim fuisse nefas, vel conspuere, vel nares emungere.

Locus in quo stas, Sanctus est:] Non ex se, neque per consecrationem, quæ illi sit propria, sed propter illius præsentiam, qui illic apparuit.

CAPUT VI.

Jerichuntis Obsidio: Muri illius ad tubarum clangorem, populique clamorem corruunt. Rahab tantum cum familia sua servatur incolumis. Imprecationes in illum, qui rursus ædificaverit Jericho,

1. JEricho autem clausa erat, atque munita, timore filiorum Israel, & nullus egredi
audebat, aut ingredi. 2 Dixitque Dominus ad Josue: Ecce dedi in manu tua
Jericho, & regem ejus, omnesque fortes viros. 3 Circuite urbem cuncti bel-
latores semel per diem: sic facietis sex diebus. 4 Septimo autem die sacerdotes tol-
lant septem buccinas, quarum usus est in jubilæo, & præcedant arcam fœderis: septies-
que circuibitis civitatem, & sacerdotes clangent buccinis. 5 Cumque insonuerit vox
tubæ longior, atque concisior, & in auribus vestris increpuerit, conclamabit omnis
populus vociferatione maxima, & muri funditus corruent civitatis, ingredienturque
singuli per locum, contra quem steterint. 6 Vocavit ergo Josue filius Nun sacerdo-
tes, & dixit ad eos: Tollite arcam fœderis: & septem alii sacerdotes tollant septem
jubilæorum buccinas, & incedant ante arcam Domini. 7 Ad populum quoque ait:
Ite, & circuite civitatem, armati præcedentes arcam Domini. 8 Cumque Josue verba
finissent, & septem sacerdotes septem buccinis clangerent ante arcam fœderis Domini,
9 Omnisque præcederet armatus exercitus, reliquum vulgus arcam sequebatur, ac buc-
cinis omnia concrepabant. 10 Præceperat autem Josue populo, dicens: Non clamabi-
tis, nec audietur vox vestra, neque ullus sermo ex ore vestro egredietur, donec veniat
dies in quo dicam vobis: Clamate, & vociferamini. 11 Circuivit ergo arca Domini
civitatem semel per diem, & reversa in castra mansit ibi. 12 Igitur Josue de nocte
consurgente, tulerunt sacerdotes arcam Domini, 13 Et septem ex eis septem bucci-
nas, quarum in jubilæo usus est: præcedebantque arcam Domini ambulantes, atque
clangentes: & armatus populus ibat ante eos, vulgus autem reliquum sequebatur ar-
cam, & buccinis personabat. 14 Circuieruntque civitatem secundo die semel, & re-
versi sunt in castra. Sic fecerunt sex diebus. 15 Die autem septimo, diluculo consur-
gentes, circuierunt urbem, sicut dispositum erat, septies. 16 Cumque septimo cir-
cuitu clangerent buccinis sacerdotes, dixit Josue ad omnem Israel: Vociferamini: tra-
didit enim vobis Dominus civitatem: 17 Sitque civitas hæc anathema: & omnia,
quæ in ea sunt, Domino: sola Rahab meretrix vivat, cum universis, qui cum ea in
domo sunt: abscondit enim nuntios, quos direximus. 18 Vos autem cavete, ne de
his, quæ præcepta sunt, quippiam contingatis, & sitis prævaricationis rei, & omnia
castra Israel sub peccato sint, atque turbentur. 19 Quidquid autem auri, & argenti
fuerit, & vasorum æneorum, ac ferri, Domino consecretur, repositum in thesauris ejus.
20 Igitur omni populo vociferante, & clangentibus tubis, postquam in aures multi-
tudinis vox, sonitusque increpuit, muri illico corruerunt: & ascendit unusquisque per
locum, qui contra se erat: ceperuntque civitatem, 21 Et interfecerunt omnia, quæ
erant in ea a viro usque ad mulierem, ab infante usque ad senem. Boves quoque, &
oves, & asinos in ore gladii percusserunt. 22 Duobus autem viris, qui exploratores
missi fuerant, dixit Josue: Ingredimini domum mulieris meretricis, & producite eam,
& omnia, quæ illius sunt, sicut juramento firmastis. 23 Ingressique juvenes, eduxe-
runt Rahab, & parentes ejus, fratres quoque, & cunctam supellectilem, ac cognatio-
nem illius, & extra castra Israel manere fecerunt. 24 Urbem autem, & omnia, quæ
erant in ea, succenderunt: absque auro, & argento, & vasis æneis, ac ferro, quæ in
ærarium

ærarium Domini consecrarunt. 25 Rahab vero meretricem, & domum patris ejus, & omnia, quæ habebat, fecit Josue vivere, & habitaverunt in medio Israel usque in præsentem diem; eo quod absconderit nuntios, quos miserat, ut explorarent Jericho. In tempore illo imprecatus est Josue, dicens: 26 Maledictus vir coram Domino, qui suscitaverit, & ædificaverit civitatem Jericho. In primogenito suo fundamenta illius jaciat, & in novissimo liberorum ponat portas ejus. 27 Fuit ergo Dominus cum Josue, & nomen ejus vulgatum est in omni terra.

℣. 1. JERICHO AUTEM CLAUSA ERAT, ATQUE MUNITA.] Hebraicus textus [1]: *Jericho claudebat, & erat clausa*. Claudebat quidem incolas, quin permitteret illis libertatem se se dedendi Hebræis, nec ullum qualibet de causa ingredi patiebatur: Clausa etiam erat, atque propugnaculis diligentissime circumsepta. Chaldaice: Ferreis clausa erat januis, æreasque seras habebat, nemo egrediebatur, neque ut præliaretur, neque ut pacis sermones mitteret. Quod illis acciderat de exploratoribus, qui ex ipsorum aufugerant urbe; ac hostium præsentia, eorum attentionem augebant, & vigilantiam.

℣. 2. DIXIT DOMINUS.] Hebraice; *Jehovah dixit ad Josue*. Creditur [2] hic esse ille idem Angelus, de quo locuti sumus Cap. præcedenti ℣. 13. 14. Nomen Dei sumit, quemadmodum legatus nomen Principis, cujus verbis loquitur.

IERICHO, & REGEM EJUS, OMNESQUE VIROS FORTES.] Hebraice: *Jericho, & Regem ejus, viros fortes*. Videlicet Regem, & incolas Iericho, qui sunt strenui bellatores. In Iericho aderat ex omnibus diversis populis Chanaan, ex Amorrhæis, Pherezæis, Chananæis, Hethæis, Gergesæis, Hevæis, & Iebusæis [3], seu quod veteres essent coloni, seu quod illuc nuper accessissent urbi subsidium laturi.

℣. 3. CIRCUITE URBEM CUNCTI BELLATORES.] Nequaquam putandum est, milites solum circumivisse urbem Iericho; universus populus generatim cæremoniam hanc peregit septem diebus subinde. Bellatores quidem præcedebant, plane extra hostilis teli jactum; Sacerdotes deinde subsequebantur, qui tuba clangebant, post quos deferebatur arca; & denique populus cunctus incedebat. Masius asserit populum hunc in agmine in eumdem ordinem fuisse dispositum, quo in deserto processerat: primas quidem tribus Iuda, Issachar, & Zabulon præcessisse, deinde vero Gersonitas, & Meraritas e stirpe Levi cum universo Tabernaculi apparatu, quos sequebantur tribus Ruben, Gad, & Simeon: post quas filii Caath arcam detulisse: deinde Ephraim, Manasse, & Beniamin: tribus denique Dan, Aser, & Nephtali agmen clausisse. At de hoc ordine plura videri possunt in Numerorum lib. 10. 14. Textus Iosue magis conformis videtur, primæ descriptioni, quam de agmine hoc dedimus: ac inferius paulo ℣. 9. videbimus, id in alium quoque modum a Doctoribus Hebræis explicari. Sex diebus semel tantum in die circum Iericho itum est: at die septima septies circumiere; atque septimo urbis mœnia ex se corruerunt. Prima Dies Dominica erat, septima vero Sabbathum, inquiunt Rabbini.

℣. 4. SEPTIMO AUTEM DIE SACERDOTES.] Hebraice [4]: *Et Septem Sacerdotes tollent septem buccinas*.

TOLLANT SEPTEM BUCCINAS, QUARUM USUS EST IN IUBILÆO.] Hebraicus textus [5] ad litteram: *Et septem Sacerdotes tollent septem buccinas Jobelim*. Symmachus, *buccinas e cornu*; Aquila, *buccinas remissionis*, vel Iubilæi. Chaldaica versio, Rabbini, ac non pauci Interpretum Recentiorum Rabbinicis explicationibus adhærentes, vertunt: *Septem buccinas e cornu arietis*. Sed alibi jam animadvertimus arietis cornu plenum esse, ac solidum, ideoque eo uti minime potuisse, ut inde buccina fieret [6]: quod alios eruditos Interpretes impulit, ut crederent, buccinas Iobel argenteas fuisse, quas Moyses conflatat, ut illis discessus, & concionum signum ederetur [7]: atque ut initium anni Iubilæi renunciaretur. Alii [8] vera fuisse cornua putant, quemadmodum ℣. 5. appellantur, vel saltem lituos in cornuum formam [9]; & nomen Iobel significare sonitum horum lituorum, qualis tamen esse poterat priscis illis temporibus, quibus musicis instrumentis ea, quam deinde adepta sunt, perfectio minime accesserat. Nihil tamen est, quod nos ab Vulgatæ explicatione dimoveat, quæ de iis buccinis intelligit, quarum usus est in Iubilæo.

SEPTIES CIRCUMIBITIS CIVITATEM.] Hebraice [10]: *Et septimo die septies circumibitis civitatem*. Numerus septenarius frequenter adeo hic repetitur, ut ægre quis sibi persuadere possit, sine consilio, & sine mysterio toties esse iteratum; septem Sacerdotes, septem buccinas, septem dies, septem circuitus. Numerus idem alibi centies in Scripturis occurrit. Qui mysticas explicationes in delitiis habent, consulere possunt in hunc locum Masium, Drusium, & Serarium. Quartus versiculus in editionibus Romana, ac Basileensi Septuaginta non extat.

℣. 5. CUMQUE INSONUERIT VOX TUBÆ LONGIOR, ATQUE CONCISIOR.] Si huic simplici narrationi hærere velis, buccinæ solum personuisse viderentur sub finem circuitus septimi, qui die septima peractus est; sed textus Hebraicus palam satis vers. 4. ostendit, eas singulis diebus cecinisse, & quotiescumque urbis circuitus initus est: vers. 3. *Sexies urbem circumibitis, semel in die*: vers. 4. *Et septem Sacerdotes tollent buccinas septem Iubilæi ante Arcam, & septima die illi septies circuibunt civitatem, & buccinis clangent*.

Quoad modum, quo buccinis personuere, quamdam contradictionis speciem Vulgata videtur involvere, cum ab illa tubæ sonus, *longior, atque concisior* appellatur. Si sonus longior est, quomodo concisior? Hebraice [11] habetur: *Et cum traheret in cornu Iobel*; cum longis tractibus personuerit. Septuaginta in sensu penitus simplici sumpserunt: *Et cum buccina Iobel personuerit* [12]; quibus nonnulli Interpretes [13] favent, qui credunt, nullum fuisse discrimen in ea ratione, qua Sacerdotes tuba cecinere; sed Iosue illis signum dedisse, vocem extollendi, cum clamandi tempus adesset; vers. 16. *Cumque septimo circuitu clangerent buccinis Sacerdotes, dixit Iosue ad omnem Israel: Vociferamini*. Omnis populus tacuit, ac siluit, donec Sacerdotes, veluti Dominum testantes, tuba clangerent: *Beatus populus, qui scit jubilationem (Heb. clangorem), Domine in vultus tui lumine ambulabunt*, inquit Psalmista Ps. 88. 16. Tubæ sonitus erat veluti signum præsentiæ Domini, ac symbolum vocis illius [14]. Balaam ad hoc animum advertebat, cum

1 יריחו סגרת ומסגרת 2 Bonfrerius, Cornel. Grotius, Drusius. 3 Josue 24. 11.
4 ושבעה כהנים 5 שבעה שופרות היובלים. *Aq.* σαλπίγγας ἀφέσεως. *Sym.* σαλπίγγας κερατίνας.
6 Vide quæ diximus in Levit. 25. 10. 7 Numer. 10. 2 8 Levit. 25. 8. 9 Vide Masium, & Drusium hic. 10 וביום השביעי תסבו את העיר שבע פעמים 11 והיה במשך בקרן היובל
12 Καὶ ἔσται ὡς ἂν σαλπίσωσι τῇ σάλπιγγι τῇ Ἰωβήλ. 13 Vide Masium.
14 Theodoret. in Josue.

cum de exercitu Israel loeutus diceret Num. 23. 21. *Et clangor victoriæ regis in illo.*

Muri funditus corruent.] Hebraice ad litteram [1] : *Urbis murus corruet sub se ipso*. Septuaginta [2] ; *Muri ex se cadent*. Chaldaica versio : *Murus corruet, ac sub se ipso deglutietur*. Hebræi credunt, muros Iericho in imum terræ fundum absorptos fuisse, quin illorum ullum extrinsecus vestigium extaret, ita ut Israelitæ tuto sine ulla propter ruinas, ac rudera difficultate urbem invaserint : verum hæc omnia penitus fabulis videntur adnumeranda. Authographi verba simpliciter innuunt muros cecidisse in eum locum, ubi erant ; vel subsedisse, non secus ne turrim, quæ fundamentorum vitio labans in se ruit ; in terram cecidern a summo usque ad imum, quin aliqua pars staret.

Interpretes [3] quidam hoc accidisse autumant solum e regione loci illius, ubi erant Israelitæ : non item vero in omni urbis circuitu ; ita ut concipi debeat magnus quidam hiatus, qua omnis ea multitudo ingredi posset. Præcipua hujus sententiæ ratio ea est, quod domus Rahab, quæ profecto muro erat contigua, stetit ; quod minime contigisset, si muri omnes corruissent. Verum Grotius, & alii putant, murum omnem lapsum fuisse, ac Israelitarum exercitum, qui plane circumquaque totam urbem circumdabat, illac ullo sine obice ingressum esse, ubi aderat ; Domus autem Rahab potuit non corruere cum muris, quibus ex una tantum parte adhærebat, vel non permisit Deus, ut partis illius murus cum reliquo collaberetur.

℣. 7. Circuite civitatem armati præcedentes Arcam.] Hebraici textus alius est sensus [4] : *Et Sacerdotes dicant populo : Ite, & circumite civitatem, & qui armati sunt, præcedant arcam Domini*. Superius jam observatum est, milites armatos Arcam præcessisse, atque inermem populum, mulieres, ac pueros postremam agminis partem obtinuisse ; vide versiculos 3. & 8. Interpretes nonnulli [5] credunt, armatos hos homines, de quibus hic sermo, eos fuisse e tribubus Ruben, & Gad, atque dimidia tribu Manasse, qui, ut ante dictum est Iosue c. 1. 14. & 4. 13. 14. armati reliquos Israelitas præcedebant. Sed plerique explicant de omnibus Hebræis, qui arma gestabant. Masius vero eos fuisse ait e tribubus Juda, Issachar, & Zabulon, qui primos exercitus ordines obtinebant, quem locum per desertum incedentes servare consueverant.

℣. 9. Reliquum vulgus Arcam sequebatur.] Hebraicus textus ad litteram redditur [6] : *Et qui colligebat, gradiebatur post Arcam*. Dicitur vulgo [7] hac locutione tribus Dan designari, quæ postrema erat, quæ lentiores accelerabat, quæ illos colligebat, qui sequi non poterant, & quæ in ordinem suum cogebat reverti, si quis abscederet, & longius ab exercitu vellet secedere. Nomen idem huic tribui in Numerorum libro [8] tribuitur, & Scriptura quibusdam aliis in locis [9] hac utitur loquendi ratione, in unum cogere, congregare copias, ut significet, eas sequi, vel illius postremos ordines obtinere. Sed Interpretes alii sequuntur Septuaginta, & Vulgatam, qui omnem populum intelligunt, ac inerme vulgus. Hebraicus textus verti potest [10] : *Et omnis multitudo congregata sequebatur Arcam*.

Ac buccinis omnia concrepabant.] Ex Hebraico textu [11], atque ex Septuaginta non Sacerdotes solum, sed omnis populus etiam, qui sequebatur Arcam tubis personuisse patet. Sed credimus Sacerdotibus tantum id juris fuisse, hisce in solemnitatibus buccina clangere ; ut vertitur indefinito modo : *multitudo collecta sequebatur Arcam, atque in toto agmine buccinæ personabant*. Vide in Hebraica lectione eamdem loquendi rationem ad finem versiculi 13.

℣. 11. Reversa in castra mansit ibi.] Hebraice [12] : *Et reversi sunt in castra, ac transegerunt noctem*. Singulis diebus in Galgala rediere, postquam urbem circumierant, eo ordine, quo erant egressi. Motus hic adeo singularis, simul & populi obedientiam exercebat, & eos adversus inimicos suos confirmabat, sensimque disponebat, ut illos contemnerent, quoniam nemo Chananæorum coram ipsis prodire audebat ; quamquam Israelitæ se se objiciebant plerumque inermes, ac sine præsidio.

℣. 15. Die autem septimo.] Hebræi contendunt, diem hunc Sabbathum fuisse ; & negari nequit ex his diebus septem unum Sabbathum fuisse ; verum nulla particularis adest probabilitas, novissimam diem, qua circum Iericho itum est, Sabbathum extitisse. Marcion inconstantiæ Hebræorum Deum incusabat, quod eadem die requiem, laboremque præciperet, imperans, ut Sabbatho urbem circumirent, quo capitis supplicio proposito caverat, ne quis se laboribus exerceret. Sed [13] Tertullianus optime animadvertit, humana tantum, ac servilia opera a Deo prohiberi, divina vero non item : jus ille sibi reservavit dispensandi super legibus, quas constituerat, potuitque immutare, derogare, vel subrogare leges omnes positivas, & ceremoniales ; non autem naturales, ac divinas ; quas postremas si mutasset, ipse quoque mutationi obnoxius fuisset, quod fieri nequaquam potest. En autem versiculum hunc ex hebraico textu ad litteram redditum : *Et septimo die mane consurrexerunt, cum aurora lucescere inciperet, & septies urbem circumiverunt eodem modo, quo prius ; circum urbem eadem die septies iverunt*.

℣. 16. Dixit Josue ad omnem Israel : Vociferamini.] In Iosue narratione aliqua est difficultas. Superius vidimus vers. 5. signum vociferandi populo dedisse, cum sonitum quemdam buccinarum audirent. Versiculo vero 10. atque hic illis ait, ut cum præceperit, clament. Edicit deinde quædam, pro Ierichuntina præda, ac depopulatione ; quæ non ita facile profecto percepisset populus inter tumultum, ac totius exercitus clamores : quibus argumentis adducor, ut credam, Imperatorem hunc ea in castris præcepisse, antequam circum orbem iter institueretur.

℣. 17. Sitque civitas hæc Anathema, et omnia, quæ in ea sunt Domino.] Non semel hactenus locuti sumus de anathematibus, rebusque Domino devotis [14]. Non uno modo devovebantur. Aliquando urbes evertebantur, quidquid aderat igne absumebatur, homines, & animalia internecione interficiebantur. Aliquando mulieribus, puerisque parcebatur ; sæpius mobilia, ac devictorum populorum servabantur exuviæ. Anathematis ratio, atque extensio ab illius voluntate pendebant, cui jus erat devovendi.

Chananæi populi, hostes Domini, omnes anathemati devoventur, Deuteron. 7. 1. 2. Deus illos extermi-

1 נפלה חומת העיר תחתיה 2 πεσεῖται αὐτόματα τὰ τείχη [illegible] 3 Munsterus, Clarius, Drusius, Masius. 4 ויאמרו אל העם עברו וסבו את העיר והחלוץ יעבר לפני ארון 5 Ita Chald. & alii apud Masium hic. 6 והמאסף הלך אחרי הארון 7 Jonath. Munsterus, Vatablus. Masius, Junius in Numer. 10. 25. &c. 8 Num. 10. 25. *Novissimi Castrorum profecti sunt filii Dan.* Heb. *Colligens in omnibus castris, filii Dan.* מאסף לכל המחנות 9 Isai. 1. 51. 12. *Non in tumultu exibitis .... præcedet enim vos Dominus, & congregabit vos Deus Israel.* Vide & psalm. 26. 10. 10 ὁ λοιπὸς ὄχλος ἅπας ὄπισθεν. Vide Syr. & Arab. & alios. 11 הלך ותקוע בשופרות πορευόμενοι καὶ σαλπίζοντες ταῖς κερατίναις. 12 ויבאו המחנה וילינו במחנה 13 Tertull. contra Marcion. lib. 4. c. 12. & S. Epiphan. l. 2. t. 2. contra Hæres. n. 42. 14 Levit. 27. 21. 28. & alibi.

terminari, interfici, nullumqoe cum illis jubet fœdus iniri; non ubique tamen in eosdem ea animadversum est severitate, ac istic adversum Jericho; eorum urbes nequaquam deletæ sunt, atque ex ipsorum spoliis aliquam Israelitæ percepere utilitatem. Quamquam Moyses Deuter. 2. 34. Anathematis pœnam indixerit civitatibus Sehon; nihilominus animalia, & prædæ in victorum fructum cessere. Ast hic omnia viventia ferro perimuntur, urbs igne vastatur, quidquid obvium deletur, metallis exceptis, quæ Domino reservantur.

SOLA RAHAB . . . . VIVAT CUM UNIVERSIS, QUI CUM EA IN DOMO SUNT.] Latina quædam exemplaria legunt: *Cum universis, quæ cum ea in domo sunt*. Cui lectioni Hebraicus [1] textus, ac Septuagiota favent; atque naturaliter intelligi potest de omnibus, quæ ad Rahab pertinerent. Rahab vita servetur, eaque omnia, quæ ad illam spectant, excipiuntur. Liquet autem ex vers. 23. non solum ipsam, familiamque ejus fuisse servatam, verum etiam bona ipsius universa.

℣. 18. VOS AUTEM CAVETE.] Universus hic locus ex hebraica lectione [2] ita vertitur: *Vos autem cavete ab anathemate, ut anathemati subjiciamini, atque anathema subeatis, atque omnia castra Israel in anathemate constituatis, illud nequaquam observando*. Anathematis nomen hic in vario accipitur sensu; hoc nomen civitati devotæ tribuitur; iis, quæ continentur in illa; illi, qui aliquid in propriam utilitatem convertit; supplicio, cui se se offert prævaricator cum toto exercitu. Hoc etiam pacto peccati nomen in Scriptura tribuitur, & sceleri, & scelesto viro, & cupiditati, quæ in scelus agit, & peccati objecto, atque hostiæ, qua illud expiatur. Qui aliquid ex his sibi sumit, quæ Domino devota sunt, anathemati obnoxius fit, & quodammodo ipsu anathema evadit; atque maledictionem, & Dei iram adversum se ipsum, cunctumque exercitum provocat. Hoc autem inferius videtur in persona Achan, eidem obnoxii crimini, de quo loquimur.

℣. 19. DOMINO CONSECRETUR REPOSITUM IN THESAURIS EJUS.] Deus exigit spolia Iericho, veluti eorum omnium, quæ in hoc bello capi debent, primitias [3]; ostendit, se Dominum esse, atque authorem victoriæ, & bonorum, quæ suo populo impeterit; vult absolutum ipsius dominium agnosci; velut Rex Israel primam prædæ partem sibi postulat dari. Creditur autem quidquid auri, argenti, æris, & ferri in hujus urbis depopulatione captum est, in Tabernaculum illatum fuisse, veluti actionis hujus monumentum. Ita quoque in prœlio adversus Madianitas Numer. 31. 48. 54. Principes populi obtulerunt Domino, quidquid pretiosius captum fuerat, atque congestum fuit *in Tabernaculum Testimonii in monimentum filiorum Israel coram Domino*.

VASORUM ÆNEORUM, AC FERRI.] Septuaginta legerunt [4]: *omne æs, & ferrum*; qui melior sensus videtur. Parvula tantum littera in Textu causa extitit hujus varietatis.

℣. 23. INGRESSI JUVENES.] Hebraice [5]; *duo pueri*. Juvenum, vel puerorum nomen iis omnibus tribuitur, qui famulantur, cujuscumque sint ætatis. Defertur quoque viris, qui provectiori ætate sunt, cum senioribus conferuntur; Salomon viginti annos natus, Joseph triginta, Josue quinque & quinquaginta, ac Roboam unum, & quadraginta pueri appellantur.

EXTRA CASTRA MANERE FECERUNT.] Donec legem Domini edocerentur, ac idolorum cultum abjurassent. Inter Judæos sunt adnumerati, postquam homines circumcisione, mulieres baptismate initiati fuere. Maxima reverentia, quam in castra Israel domini præsentia injecerat, vetuit, ne infideles, & incircumcisi admitterentur.

℣. 25. RAHAB . . . . FECIT JOSUE VIVERE.] Ille vitam huic mulieri servavit [6]. Nonnulli ajunt, Iosue tribuisse illi, ac familiæ ipsius victum; alii vero eamdem in uxorem duxisse contendunt; verum hæc omnia ne minimam quidem fidem merentur. Hæc autem verba: *Fecit vivere*, istic nihil significant aliud, quam servare vitam, ac prohibere, ne quis in ipsam vim inferat.

HABITAVERUNT IN MEDIO ISRAEL USQUE IN PRÆSENTEM DIEM.] Verba hæc in hunc librum relata fuisse ducuntur a Scriptore quodam magis, quam Iosue, recenti. Rahab nupsit Salmon de tribu Juda, ex quibus regale David genus extitit; quod deinceps maximo in pretio fuit in Israel, tum propter ipsius nobilitatem, ac bona, tum quod ex ea progenie mundi Redemptor erat nasciturus. Patres nonnulli [7] in Rahab quamdam christianæ Ecclesiæ figuram agnovere, quæ in partem hæreditatis Israel ingressa, usque ad hanc diem mansit, & usque ad sæculorum finem manebit. Ipsa erat, inquit Theodoretus qu. 8. in Iosue, figura oleastri, qui insertus est in bonam olivam, de quo S. Paulus loquitur ad Rom. 11. 17. 24.

℣. 26. MALEDICTUS VIR CORAM DOMINO, QUI SUSCITAVERIT JERICHO.] Hebraice [8]: *Maledictus vir coram Domino, qui elevabitur, atque iterum ædificabit Jericho*. In veteri historia similes occurrunt imprecationes, ac interdicta, ne rursus hostium dirutæ urbes suscitarentur; vel quod timeretur, ut nimium earum iterum extolleretur potentia; vel quod earum detestabilis esset perfidia, ac violentia; vel quod de contumeliis illatis, ac insolentia pœna esset sumenda. Romani teste Zonara l. 2. Senatusconsulto execrationibus affluenti caverunt, ne quis Carthaginem e ruderibus suscitaret, quæ quondam illorum imperii æmula fuerat, & cujus situs maxime accommodus locum omnia timendi illis præbere poterat, si e cinere consurrexisset. Similes quoque evomit imprecationes Agamemnon in eos, qui iterum Trojam condiderint, & Crœsus in illos, qui Sidenem, atque id *juxta veterem consuetudinem*, inquit Strabo lib. 13. Ionii omnibus diris devoverant eos, qui reædificasent Templa, quæ diruta fuerant a Persis, ut perenne barbarorum illorum impietatis monimentum posteris relinqueretur; atque ne quis in populis fiduciam poneret, qui deos ipsos prœlio lacessere minime veriti fuerant [9]. Græci quoque [10] eodem pacto caverunt, ne rursus conderentur fana a Persis incensa; ac imperarunt, ut in ruderibus suis relinquerentur, publicum veluti duorum populorum odii monumentum.

IN PRIMOGENITO SUO FUNDAMENTA ILLIUS JACIAT.] Hæ imprecationes Josue nequaquam inanes fuerunt. Temporibus Achab, vir quidam nomine Hiel, qui habitabat in Bethel, rursus hujus urbis ædificium aggressus est [11]; sed tunc amisit primogenitum suum nomine *Abiram*, cum jecit fundamenta, ac natu minimum *Segub*, cum portas urbi poneret. Septuaginta in quibusdam exemplaribus huc retulere hanc historiam Hiel; sed nomine immutato [12]: *quod cum fecisset Ozan* (vel Aaosan) *e Bethel, amisit Abirom primogenitum suum, cum jecit fundamenta, ac mini-*

---

1 רק רחב הזונה היא וכל אשר אתה בבית. 70. καὶ Ῥαὰβ τὴν πόρνην περιποιήσασθε αὐτήν, καὶ πάντα ὅσα ἐστὶν αὐτῇ.
2 ורק אתם שמרו מן החרם פן תחרימו ולקחתם מן החרם ושמתם את מחנה ישראל לחרם ועכרתם אותו.
3 Joseph. Antiq. l. 5. c. 1. Theodoret. qu. 7. in Josue. 4 Πᾶς χαλκὸς καὶ σίδηρος. Legerunt וכל pro וכלי נחשת נחשת. 5 הנערים Vide Mas. Drus. &c. 6 Vatablus, Masius, Drusius, Cornelius &c. 7 Origen. homil. 7. in Josue. 8 ארור האיש לפני יהוה אשר יקום ובנה S. Hieronymus legit יקים pro יקום. 9 Vide Isocratem in Panegyr. 10 Diodor. l. 11. & Lycurg. orat. contra Locrat. Pausan. in Phocicis. 11 3. Reg. 16. 34. 12 Καὶ ἐποίησεν οὕτως, Ὀζὰν (al. Ἀζὰν) ὁ ἐν Βαιθὴλ ἐν τῷ Ἀβειρὼν τῷ πρωτοτόκῳ αὐτοῦ ἐθεμελίωσεν αὐτήν, καὶ ἐν τῷ ἐλαχίστῳ διασωθέντι ἐπέστησε τὰς πύλας αὐτῆς.

minimum natu ; qui reliquus erat , cum pameres portas: quæ mala est interpretatio loci e tertio Regum libro decerpti , ubi hoc enarratur .

Cereroquin minime credendum est , usque ad tempora Hiel urbem Jericho penitus desertam fuisse , etenim ex pluribus Scripturæ locis pater , ante ipsum ibi incolas fuisse . Qui asserunt , urbem Palmarum eamdem esse ac Iericho , fateri coguntur , ipsam paullo post Iosue substitisse , quandoquidem filii Ietro ex urbe Palmarum discesserunt , ut meliores sibi terras quærerent , quod sub Iudicum initium evenit [1]. Rex Eglon eamdem Palmarum urbem Israelitis eripuit [2] . Legati David , qui injuriis affecti fuerant ab Ammonitarum Rege , qui illis barbæ dimidium abradi , vostesque post tergum scindi jusserat , in Iericho morati sunt , donec barba iterum creverit [3] , Eo igitur tempore urbs Iericho aderat : sed illa plane erat prope ruinas veteris Iericho [4] : quod ipsum ex Iosepbo confirmatur , qui de bello l. 5. cap. 4. refert suis quoque temporibus prope veterem Iericho , olim a Iosue deletam , originem fontis fuisse ,

A qui ea aquarum erat copia , ut agro Ierichontino irrigando sufficeret . Ita vero veterem Iericho designans , prope quam fontis hujus erat origo , eam plane a recenti distinguit , quæ in medio agri erat posita .

Verus autem civitas , post Hiel e Bethel dumtaxat fuit reædificata : & quamquam ultio Dei in eum desæviit , qui opus illud fuerat aggressus , nemo sibi religioni vertit illam incolere , cum semel instaurata fuerit . In ea Prophetas Eliam , ac Elisæum intuemur ; ac Iesus Christus illam sua præsentia dignatus est , ac novissimis Reipublicæ Hebræorum temporibus maximo in pretio habebatur . Hodie Iericho fere derelicta est ; ibique triginta , vel quadraginta sunt parva tuguria , quo sese recipiunt pauperes quidam

B Mauri , & Arabes , qui ad instar ferarum ibi vivunt . Ager Iericho olim pulcher adeo , atque apud veteres ubertatis fama celeberrimus , incultus est , & sylvestres quasdam fert arbores solum , & quosdam pessimos fructus , quos tellus sponte nullo exercente gignit .

1 Judic. 1, 16. 2 Judic. 3. 13. 3 2. Reg. 10. 4. 5. 4 Doubdan. Itin. Terræ Sanctæ cap. 37.

CAPUT VII.

Josue mittit exploratores in Hai ; Tribus hominum millibus urbem adoritur ; Qui accepto damno repelluntur . Populi Consternatio . Josue preces . Crimen Achan detectum , ac punitum .

1. FIlii autem Israel prævaricati sunt mandatum , & usurpaverunt de anathemate :
Nam Achan filius Charmi , filii Zabdi , filii Zare de tribu Juda , tulit aliquid de
anathemate : iratusque est Dominus contra filios Israel . 2 Cumque mitteret
Josue de Jericho viros contra Hai , quæ est juxta Bethaven , ad orientalem plagam oppidi Bethel , dixit eis : Ascendite , & explorate terram . Qui præcepta complentes exploraverunt Hai .
3 Et reversi dixerunt ei : Non ascendat omnis populus , sed duo ,
vel tria millia virorum pergant , & deleant civitatem : quare omnis populus frustra vexabitur contra hostes paucissimos ?
4 Ascenderunt ergo tria millia pugnatorum . Qui
statim terga vertentes ,
5 Percussi sunt a viris urbis Hai , & corruerunt ex eis triginta
sex homines : persecutique sunt eos adversarii de porta usque ad Sabarim , & ceciderunt per prona fugientes : pertimuitque cor populi , & instar aquæ liquefactum est.
6
Josue vero scidit vestimenta sua , & pronus cecidit in terram coram arca Domini usque
ad vesperam , tam ipse , quam omnes senes Israel : miseruntque pulverem super capita
sua .
7 Et dixit Josue : Heu , Domine Deus , quid voluisti traducere populum istum
Jordanem fluvium , ut traderes nos in manus Amorrhæi , & perderes ? utinam , ut cœpimus , mansissemus trans Jordanem .
8 Mi Domine Deus , quid dicam , videns Israelem hostibus suis terga vertentem ?
9 Audient Chananæi , & omnes habitatores Terræ , & pariter conglobati circumdabunt nos , atque delebunt nomen nostrum de terra :
& quid facies magno nomini tuo ?
10 Dixitque Dominus ad Josue : Surge , cur jaces
pronus in terra ?
11 Peccavit Israel , & prævaricatus est pactum meum : tuleruntque
de anathemate , & furati sunt , atque mentiti , & absconderunt inter vasa sua.
12 Nec
poterit Israel stare ante hostes suos , eosque fugiet : quia pollutus est anathemate , non
ero ultra vobiscum , donec conteratis eum , qui hujus sceleris reus est .
13 Surge ,
sanctifica populum , & dic eis : Sanctificamini in crastinum : hæc enim dicit Dominus
Deus Israel : Anathema in medio tui est Israel : non poteris stare coram hostibus tuis ,
donec deleatur ex te , qui hoc contaminatus est scelere .
14 Accedetisque mane singuli per tribus vestras : & quamcumque tribum sors invenerit , accedet per cognationes
suas , & cognatio per domos , domusque per viros .
15 Et quicumque ille in hoc faci-

nore fuerit deprehensus, comburetur igni cum omni substantia sua : quoniam prævari-
catus est pactum Domini, & fecit nefas in Israel. 16 Surgens itaque Josue mane, ap-
plicuit Israel per tribus suas, & inventa est tribus Juda. 17 Quæ cum juxta familias
suas esset oblata, inventa est familia Zare. Illam quoque per domos offerens, reperit
Zabdi : 18 Cujus domum in singulos dividens viros, invenit Achan filium Charmi,
filii Zabdi, filii Zare de tribu Juda. 19 Et ait Josue ad Achan : Fili mi, da gloriam
Domino Deo Israel, & confitere, atque indica mihi, quod feceris, ne abscondas. 20
Responditque Achan Josue, & dixit ei : Vere ego peccavi Domino Deo Israel, & sic,
& sic feci. 21 Vidi enim inter spolia pallium coccineum valde bonum, & ducentos
siclos argenti, regulamque auream quinquaginta siclorum : & concupiscens abstuli, &
abscondi in terra contra medium tabernaculi mei, argentumque fossa humo operui. 22
Misit ergo Josue ministros : qui currentes ad tabernaculum illius, repererunt cuncta ab-
scondita in eodem loco, & argentum simul. 23 Auferentesque de tentorio, tulerunt
ea ad Josue, & ad omnes filios Israel, projeceruntque ante Dominum. 24 Tollens ita-
que Josue Achan filium Zare, argentumque, & pallium, & auream regulam, filios quo-
que, & filias ejus, boves, & asinos, & oves, ipsumque tabernaculum, & cunctam su-
pellectilem (& omnis Israel cum eo) duxeruntque eos ad vallem Achor : 25 Ubi di-
xit Josue : Quia turbasti nos, exturbet te Dominus in die hac. Lapidavitque eum om-
nis Israel : & cuncta, quæ illius erant, igne consumpta sunt. 26 Congregaveruntque
super eum acervum magnum lapidum, qui permanet usque in præsentem diem. Et a-
versus est furor Domini ab eis. Vocatumque est nomen loci illius, Vallis Achor, us-
que hodie.

℣. 1. FILII AUTEM ISRAEL PRÆVARICATI SUNT .... IRATUSQUE EST DOMINUS CONTRA FILIOS ISRAEL.] Quinam asseri potest, Israelitas fuisse prævaricatos ; quoniam solus Achan crimen admiserat ? & quinam Deus adversus universum Israel succenset, quoniam ab uno tantum fuerat lacessitus ? Primùm autem respondetur, ratione quadam loquendi in Scripturis admodum vulgata, ac in familiari sermone, tribui sæpius omni populo, vel genti id, quod ad unum tantum spectat, vel paucos : exempli gratia, S. Joannes in Evangelio [1] ait Apostolos obmurmurasse, cum unguentum Magdalena profudit, quamquam id uni Judæ molestum fuisset. Profanis Authoribus, iisque diligentissimis hoc ipsum in more fuit positum ; ut filios alere, filios alicui committere dicerent &c. quamquam sermo erat de uno filio, vel filia. Donatus in Terentii Hecyram act. 2. scen. 1. *Qui illum decreverunt dignum, cui suos liberos committerent. Multum sonanter, & accusatorio strepitu, nec masculinum genus, nec femininum posuit, nec unam, sed liberos. Sic Cicero : en cui tos liberos committas, cum de uno ageret, & habemus enim liberos omnes de puella.*

Secundo ; crimen Achan habebatur veluti publicum scelus, at toti Israel commune, donec populi nomine de illo justa ultio sumpta nequaquam fuisset. Verum quidem est, neque Magistratus, nec populum, cum tunc temporis id ignoraret, redargui minime potuisse, perinde ac noxio inferre supplicium neglexissent. Deus illis ostendere voluit, quam ipse edictorum suorum prævaricatores abominetur, ex supplicii magnitudine, quo in eos animadvertit, in universam nationem effundens pœnam, quæ uni Achan debebatur ; qua in re nihil injustum egit : cum exteriores pœnæ, quibus ille mulctat, sint potius divinæ effectus misericordiæ, quam ultricis justitiæ ; per eas enim, ut patientiæ virtutem exercendo mereamur, efficit ; zelum nostrum ob ipsos honorem inflammat, nostram suscitat attentionem, ut vias no-

A stras intueamur, teporem nostrum, ac indifferentiam occupat, quæ sensim in crimina nos possent inducere, ac in præceptorum ipsius oblivionem. Optimi effectus, quos in Josue, in Senioribus, ac universo Israel peperit ea calamitas, quæ aliquibus e populo contigit, ea, quæ diximus, confirmant ; ac ostendunt utilitatem, ac fructus, quos justi, ac innocentes ex malis, & calamitatibus publicis percipiunt. Adiri possunt Masius, & Serarius in hunc locum.

PRÆVARICATI SUNT MANDATUM, ET USURPAVERUNT DE ANATHEMATE.] Hebraicus textus est brevior [2] : *Prævaricati sunt in anathemate*, vel adversus anathema, contra edictum, ne res anathemati devotæ attingerentur. Septuaginta [3] : *Filii Israel scelus admiserunt, ac seorsim posuerunt aliquid de ana-*
B *themate.*

IRATUSQUE EST DOMINUS CONTRA FILIOS ISRAEL.] In eos animadvertit, perinde ac vere in eos fuisset ira succensus ; omnes punivit, veluti pater, qui, ut magis filios a via prava compescat, vel ne majora incommoda evitet in familia, filios omnes plectit pro unius crimine, quem solum noxium esse cognoscit. Supplicia sunt signa quidem, non semper tamen certa, iræ Dei ; castigat etiam bonus, ac misericors, quemadmodum punit iratus.

ACHAN FILIUS CHARMI, FILII ZABDI, FILII ZARE.] Judas de Thamar duos filios habuit *Phares*, & *Zare*. Zare pater fuit Zabdi, Zabdi vero pater Charmi, qui genuit Achan ; en quinque viros pro spatio annorum 265. itaque illos genuisse tantum post
C annos 50. vel 55. credendum est. Achan idem in 1. Paralipomenon 2. 5. 6. appellatur *Achar filius Zamri*, vel *Zambri*.

℣. 2. CUMQUE MITTERET VIROS CONTRA HAI.] Vel potius [4] : *Cumque mitteret homines in Hai*, aut versus Hai, *ut urbem explorarent*. Hai, vel quemadmodum Septuaginta pronuntiant *Gai* [5], vel etiam Hagai, tribus, vel quatuor leucis aberat a Jericho ; sed alii [6] in occidentali, alii vero [7] in hujus Urbis boreali plaga constituunt ; ego autem postremis his adhæ-

1 Joan. 12. 4. collat. cum Matth. 26. 8. & Marc. 14. 5. 2 וימעלו בני ישראל מעל בחרם
3 Καὶ ἐπλημμέλησαν οἱ υἱοὶ Ἰσραὴλ πλημμέλειαν, καὶ ἐνοσφίσαντο ἀπὸ τοῦ ἀναθέματος.
4 וישלח אנשים העי 5 Genes. 12. 8. & 13. 3. ἀγγαί, sed hic, ου γαί. Ita & Euseb. & Hieron. in locis. Joseph legit αινα. 6 Eusebius, & Hieron. in locis de Genesi. Adrichom. 7 Masius, Bonfrer. Cellarius.

adhærere malim, qui conformes sunt Textui Genesis cap. 12. 3. & huic Iosue loco, quorum uterque palam afferunt, fuisse Hai ad orientem Bethel, ideoque ad Boream Iericho; quandoquidem procul dubio Bethel erat ad postremæ hujus urbis Septentrionem; atque magna verisimilitudo adest, errorem obrepsisse in Textus Eusebii, ac D. Hieronymi, qui legunt ad occasum Bethel. Urbs Hai, postquam a Iosue ferro, ac igne vastata fuit, deinceps est instaurata, quemadmodum ex Scriptura liquet 1. Esdr. 2. 28. & 2. Esdr. 7. 32.

Quoad Bethaven, & Bethel, communiter una tantum urbs fuisse dicitur duobus appellata nominibus. Vidimus in Genesi, quare *nomen* Bethel, seu *domus Dei* inditum fuerit Luzæ, ubi visionem habuit Iacob, cum in Mesopotamiam migraret. Israelitæ illi deinceps tribuere nomen *Bethaven*[1], seu *domus iniquitatis*[2], postquam Ieroboam ibi aureum vitulum constituit a subditis suis adorandum. Urbs hæc in monte sita est duodecim passuum millibus, vel leucis quatuor procul ab Ierusalem, Sichem versus, vel Neapolim Palæstinæ in Samaria. Vide Eusebium, & Hieronymum in locis ad Bethel.

Alii[3] contendunt, Bethaven, vel quemadmodum a Septuaginta appellatur, Bethan, vel Bethon, aliam esse a Bethel, quamquam non admodum absit. Iosue hic aperte distinguere videtur duas urbes Bethaven, & Bethel, & capite 18. 12. earum meminit, veluti duarum urbium, vel saltem duorum locorum sepositorum[4]; nam aliqui credunt, Bethaven haud esse urbem. Denique in primo libro Reg. 13. 2. 5. uno, eodemque capite sermo est de Bethel, & Bethaven, unde colligitur, duos fuisse locos diversos.

Sed minimum obstantibus his argumentis, impelli nequeo, ut credam Bethaven, & Bethel duas esse urbes sejunctas. Hæc omnia allata loca naturaliter, ut mihi videtur, explicari possunt, dicendo nomina Bethel, & Bethaven alterum pro altero fuisse usurpata, veluti utrumque unam, eamdemque civitatem significans; nihil de uno asseritur, quod de altero dici nequeat; neque probatur uspiam, diversos illarum situs fuisse. Mirumne est adeo, Authorem de urbe, quæ duobus nominibus appellatur, differentem, indiscriminatim uti utroque in capite eodem, vel in eadem periodo? Adversarii ipsi fatentur, Bethel vocari quandoque Bethaven in Scripturis: quod nonne maximum est præjudicium, ut quandocumque nomen Bethaven occurrit, semper de urbe Bethel sit intelligendum; præsertim cum nulla ratio adsit certa, ac invicta, qua probetur existentia, & situs urbis Bethel a Bethaven distinctæ? Denique nonnisi infirmissimum adversus hanc sententiam erui potest argumentum ex eo, quod in Scriptura legitur nomen Bethaven ante regnum Ieroboam: neminem fugit nihil in Scriptura esse frequentius, quam has prolepses in nominibus propriis. In librum Iosue procul dubio manum illi ipsi admovere, qui Regum libros scripserunt. Itaque donec aliæ nullæ præterea huic sententiæ rationes adversabuntur, cum Hebræis, & S. Hieronymo[5] credam, Bethaven, & Bethel unam esse, eamdemque civitatem.

℣. 3. NON ASCENDAT OMNIS POPULUS, SED DUO, VEL TRIA MILLIA VIRORUM. QUARE OMNIS POPULUS FRUSTRA VEXABITUR.] Hebraicus textus ad litteram: *Non ascendat omnis populus; ascendant vero duo circiter, vel tria millia virorum, & diruent Hai. Quare omnis populus frustra vexabitur* &c. Necesse est explotatores hos nequaquam satis urbis vires agnovisse, vel nimis audacter viribus suis, vel ope Divina fretos fuisse; quandoquidem liquet capite sequenti vers. 25. in Hai duodecim millia fuisse incolarum. Etiam si quatuor tantum, vel quinque millia fuissent armis ferendis, temeritatis erat, tribus bellatorum millibus urbem aggredi, cui tuendæ militum numerus adesset obsidentium numero par.

℣. 5. DE PORTA USQUE AD SABARIM.] Hebraice[6]: *de loco ante portam*, vel *de loco e regione portæ usque ad Sabarim*. Nonnulli volunt *Sabarim* locum esse, cui ab Israelitarum clade nomen accesserit; nam hebraice *Schabarim* significat milites victos, interfectos, fugatos; verum cum Scriptura alibi nuspiam de hoc loco Schabarim loquatur, alii[7] malunt cum Septuaginta[8] in appellativo sensu intelligere; *Et persecuti sunt a porta, donec illos internecione delerent*. Non ita vero magna eorum multitudo necata est; Josue sex & triginta solum deesse cognovit, sed victi fuerunt, in fugam acti, dissipati.

℣. 6. JOSUE VERO SCIDIT VESTIMENTA SUA.] Iosue, ac Seniores Israel summa affecti mæstitia ob hæc infortunia, vestimenta sua scindunt, caput pulvere aspergunt, ante Arcam Domini procidunt, suum dolorem fluentibus testantur fletibus, ac Deum ipsum, proposita nominis ipsius gloria, flectere conantur; ut populi Israel curam suscipiat. Externæ mæstitiæ notæ, quas hic intuemur, populis omnibus communes sunt, Plurima extant in Scripturis exempla; Iacob vestes suas scidit, ut audivit, quod falso referebatur, Ioseph filium suum obiisse Gen. 37. 34. Fratres Ioseph scindunt vestimenta sua, simul ac in sacco Beniamin aureum proregis craterem inveniunt Genes. 44. 13. Deus prohibet, ne Sacerdotes vestimenta sua in dolore scindant Levit. 21. 10. Achilles apud Homerum Iliad. Σ audita morte Patrocli amici sui caput cinere aspergit, scindit vestes, faciem unguibus laniat, in pulvere dormit. Rex quoque Latinus eadem doloris signa præsefert apud Virgilium Æneid. 12.

. . . . It scissa veste Latinus,
Canitiem immundo perfusam pulvere turpans.

CORAM ARCA DOMINI.] Non autem in Sanctuario, quo ingredi soli Summo Sacerdoti erat fas; sed coram Sancto, ante Vestibulum, inter Templum, & Altare holocaustomatum, quemadmodum illi Sacerdotes, ac Ministri Domini, de quibus loquitur Joel 2. 17. *Inter vestibulum, & Altare plorabunt Sacerdotes ministri Domini &c.*

℣. 7. UTINAM, UT COEPIMUS, MANSISSEMUS TRANS JORDANEM.] Hebraice[9]: *Utinam vota nostra acquievissent, manendi trans Jordanem*, quin nos libido caperet fluvium hunc transmittendi, ut in hanc regionem interituri veniremus. Rabbini apud Masium hic, & nonnulli Christiani Interpretes Josue questus, velut nimis acres, ferventesque redarguunt. Illius etenim verba strictim explicantibus videtur, ipsum pœnitere, quod Iordanem traduxerit; ac imputare Deo, quod velit populum suum perdere, ac in manus hostium tradere. Verum cum Scriptura nusquam ipsum infirmitatis, incredulitatis, vel inconstantiæ accuset, illius sermonem intelligere debemus, perinde ac diceret Deo: Quandoquidem tuus populus, Domine, se tuæ protectionis præbuit indignum, ac meritus est, ut traderes illum in manus inimicorum ejus; nonne satius fuisset, illum trans Iordanem manere, quam huc proficisci, ut hostibus suis traderetur? tuus saltem honor nequaquam fuisset in discrimen adductus; neque nomen tuum Chananæorum blasphemiis expositum. Quid enim hi infideles po-

1 Vide Osee 4. 5. & 10. 5. Amos 5. 5. Josue 8. 12. 2 Aqu. Sym. οἶκος ἀνωφελής. Domus injustitiæ. Theodot. οἶκος ἀδικίας. Injustitiæ domus. 3 Eufeb. in locis, Serar. Bonfrer. Cellar. 4 Josue 18. 12. . . . . pervenientes ad solitudinem Bethaven, ℣. 13. atque pertranseuntes juxta Luzam ad meridiem, ipsa est Bethel. 5 Hieron. in locis, & Hebræi apud eumd. & Lyran. & Grot. ad c. 8. ℣. 12. 6 לפני השער עד השברים 7 Jonath. Syr. Arab. &c. 8 ἀνεδίωξαν αὐτοὺς ἀπὸ τῆς πύλης, ἕως συνέτριψαν αὐτούς. Forte legerunt עד השבירום 9 ולו הואלנו ונשב בעבר הירדן

puli dicent, cum nos penitus deleverint? quomodo nam nominis sui gloriæ consoles? *Quid facies magno nomini tuo?* Si animum adverteris, in universo hoc sermone, in id unum occupatus tibi Iosue videbitur, ut Dei sui tantum gloriam quærat, ac timere, ne aliquid dedecoris Deo cedat ex clade Israelitarum.

℣. 9. DELEBUNT NOMEN NOSTRUM.] Ipsi nos delebunt, quin de nobis posteri loquantur, nemo ipsorum furorem effugiet. Locutio hæc maxime familiaris est apud Hebræos; perdere nomen, vel memoriam populi alicujus, vel illud exterminare, ita ut de ipso nemo amplius loquatur. Vide Deuteronom. 7. 24. & 9. 14. & 12. 3. & 25. 19. & 29. 20. Ps. 9. 6. & 82. 5. Isai. 14. 22. & passim.

QUID FACIES NOMINI MAGNO TUO?] Quænam uris tui magni nominis gloria? quomodo gloriam tuam sueberis, eamque ab impiorum contumeliis vindicabis?

℣. 11. PECCAVIT ISRAEL.] Vide, quod dixerim ℣. 1.

FURATI SUNT, ATQUE MENTITI.] Promissis suis non steterunt, cum polliciti fuissent, se metalla omnia, quæ in urbe invenissent, servaturos. Infideles fuerunt, ac inobedientes præceptis meis, ac legi, qua mihi res anathemati devotas reservo, Levit. 27. 28. Verisimile est post urbis direptionem, singulos in medium contulisse, quidquid inter spolia invenissent aurum, quod in Domini thesauros inferretur, atque singulos jurare adactos fuisse, se nihil aliud habere. Achan, uti ceteri, ipse quoque fecit; sed totum non contulit: mentitus est Domino, eumque fallere posse est arbitratus. Scio quidem *mentiendi* verbum non accipi semper in Scripturis pro verbali, vel reali mendacio, ac sæpius infidelitatem significare, defectionem, pravam fidem; ast nihil obesse video, quin istic in suo naturali sensu accipiatur.

℣. 12. POLLUTUS EST ANATHEMATE.] Hebraice [1]: *facti sunt anathema*. Ipsi anathematis rei sunt, anathemati devotam rem sibi assumentes fœdati sunt. Videbimus inferius in punitione Achan, quodnam sit crimen, sibi sumere, ac injuste res, quæ Deo debentur, retinere.

℣. 13. SANCTIFICA POPULUM.] Præcipe toti populo, ut se purificet, ac præparet, ut ante Domini tribunal prodeat, illius Judicia percepturus; quisque se ipsum expendat, atque ad expiandum crimen disponat, quo se Dominus lacessitum esse indignatur. Credimus autem purificationem hanc in eo positam fuisse, quod quilibet continentiam servaret, vestes lavaret, a legalibus immunditiis sibi caveret, quæ a rebus sanctis, ac cœtibus arcent. Chaldaica versio [2] apud Masium: Admone populum, ut ad cœtum conveniat, cœtum judic. Similiter quoque intelligit Syriaca. Pagninus, & Montanus simpliciter hebraicum textum vertunt [3]: *Præpara populum*. Septuaginta [4]: *Purifica populum*.

℣. 14. QUAMCUMQUE TRIBUM SORS INVENERIT.] Hebraicus textus [5]: *Et tribus, quam Dominus sumpserit*. In hoc loco nulla fit explicite sortis mentio: eam vero adhibitam fuisse plurima veritatis adest species. Rabbini ajunt, singulas Tribus coram Arca traductas fuisse, eamque e tribubus, quæ obnoxia erat crimini, immotam stetisse, quin ultra progredi posset. Alii [6] volunt quamcumque Tribum seorsim coram Summo Sacerdote Rationali induto fuisse deductam, atque ex eo agnitum fuisse, in tribu Juda noxium reperiri, quod lapilli Judæ nomen præferentis fulgor illico elanguit. Inanes Fabulæ pro Rabbinorum voluptate adinventæ. Istic id factum fuit, quod similibus in casibus fieri consuevit: sors adhibita est, ut agnosceretur primum quidem tribus, deinde ut præcipue familiæ distinguerentur, mox domus, denique viri singillatim secernerentur. Hoc ipsum usuvenit, cum Saul in Regem cooptatus est 1. Reg. 10. 20. 21. cum Ionathas filius Saul 1. Reg. 14. 41. est deprehensus, qui inconsulto contra Regis Patris sui legem parum mellis comederat. Instituta quoque fuit sorte terræ Chanaan [7] distributio, ac tempus, & ordo Ministrorum templi eodem ferme pacto fuit constitutum [8].

Sortis usus satis vulgatus est in Scripturis: illique authoritas videtur accessisse, eo quod in ipsam Religionem irrepit; atque illum non semel Deus videtur probasse. In Expiationis solemnitate sortiebantur, uter e duobus hircis esset sacrificandus, uter vero emissarius ad gregem dimittendus [9]. Deus sortes direxit, ut in hoc facto Achan veritatem ostenderet; uti quoque in Jonathæ facto, de quo nuper locuti sumus. Hac usi sunt arte, nec frustra, nautæ illi, qui in summo vitæ periculo versabantur, eo quod in navim admisissent Jonam; atque ad sortem confugerunt, ut, quinam tempestatis esset causa, cognoscerent, Jon. 1. 7. & Apostoli quoque cum in locum Judæ alium sibi cooptare Apostolum vellent, sortes adhibuere Act. 1. 26. Denique Salomon ait, Deum sortium effectus moderari Proverb. 16. 33. *Sortes mittuntur in sinum, sed a Domino temperantur*. Et Proverb. 18. 18. *Contradictiones comprimit sors, & inter potentes quoque dijudicat*.

Ast neque hæc exempla, neque hæ authoritates sortium usum absolute approbare valent; & solum Dei mandatum, ac authoritas legibus communibus superior legitimum efficere potuerunt hoc Iosue consilium ad detegendum furtum Achan, vel factum Saul, ut quinam edictum violasset quo caverat, ne quis usque ad vesperam comederet, agnosceretur. Cum Deus numquam absolute promiserit, se per sortes arcana crimina detecturum; nequaquam licet etiam, (quin Deus tentetur,) sortibus uti in Judiciis, ut occulta inquirantur, ni Deus ipse hoc fieri præceperit. Sortibus uti minus adhuc licet, in iis eligendis, qui vel urbium regimini, vel sacrorum ministerio debent præesse. Si sorti permittitur electio primi Regis Israel, vel Apostoli, qui Judæ successit; hæc non nisi speciatim Dei cognita voluntate, atque de explicito Dei mandato effectum est; Propheta quidem priorem electionem instituit: Apostoli vero posteriorem; & Apostoli etiam tunc demum sortes miserunt, cum pro virili adlaborassent, & diligentiori prudentiæ consilio duos eligere studuissent, qui morum sanctitate essent insignes; atque Deum precibus exorassent, ut utrum mallet, eligeret [10]. Ecclesiæ legibus [11] cautum est, ne in Antistitum electione sortes adhiberentur. *Sortis usum in electionibus perpetua damnatione prohibemus*, inquit Honorius Pontifex. Quæ enim confusionum est origo, si sortis periculo quidpiam committeretur magni adeo momenti, ac Præsidum, & Ecclesiæ Capitum electio, cum præsertim tot alias rationes docuerit Deus, quibus eorum merita possimus cognoscere, qui ad dignitates sunt evehendi? Si Deus passus est, sortem, quam in navi, ubi Jonas erat, jecere, prodere hunc Prophetam; non inde licet inferre, Deum illud nautarum probasse consilium; quod haberi tantum debet veluti actio superstitione plena, ac veræ sapientiæ regulis opposita: cum externus ac sensibilis alicujus actionis eventus

1 כי היו לחרם. 70. ἐγενήθησαν ἀνάθεμα. 2 זמין ית עמא *Cita populum*. 3 קדש את העם.
4 ἅγνισον τὸν λαόν. 5 והיה השבט אשר ילכדנו יהוה. 70. καὶ ἔσται ἡ φυλὴ ἣν ἂν δείξῃ κύριος.
6 Joseph. Antiqu. l. 5. c. 1. Vatabl. Masius, Drus. Bonfrer. Serar. &c. 7 Num. 34. 55. & 33. 54. Deuter. 1. 38. &c. 8 1. Par. 24. 5. 7. 8. 9. & sequ. 9 Levit. 16. 8.
10 Origen. hom. 23. in Josue. *Nobis ab Apostolis sors ducta designat, quia ubi ex fide integra, & oratione præmissa sors dicitur ea, quæ Dei voluntas continet in occulto, sors hominibus declarat in manifesto.*
11 Vide cap. *Ecclesia vestra* tit. *de sortilegiis*. Item c. *non statim*, & c. *non exempli*.

tus, numquam habitus fuerit moralis probitatis argumentum. Denique cum terræ promissæ divisio per sortes de mandato Dei fuerit instituta, minime licet nobis illius justitiam, & æquitatem in dubium vocare; & Theologi haud inviti fatentur, in hoc casu, & similibus sortes posse adhiberi. Minimum hic loquor de sortilegiis, ac superstitiosis rationibus sortes adhibendi dæmonis interventu; ab hominibus hæ quippe damnantur sine exceptione: & Scriptura, non dicam, ipsis neququam favet, verum etiam eas horret, insectatur, abominatur.

℣. 15. COMBURETUR IGNI CUM OMNI SUBSTANTIA SUA.] Inferius ℣. 24. 25. 26. patet, non Achan solum, sed etiam omnem familiam ipsius, armenta, tabernaculum, & bona igni tradita fuisse; ac præterea ipsum lapidibus fuisse obrutum in ipsius criminis odium; atque eo in loco ubi combustus fuit, atque ubi ipsius cineres erant, acervum lapidum fuisse congestum, veluti perenne criminis, ignominiæ, ac supplicii ipsius monumentum. Scriptura non refert, utrum primum lapidatus fuerit, deinde vero crematus; an lapidibus fuerit petitus eodem tempore, quo inter flammas conflagraret; an denique pro reali lapidatione intelligatur lapidum ille cumulus, qui cineribus illius est superpositus [1]. Neque illud satis aperte docet, an filii ipsius idem, ac Pater subierint supplicium; & adsunt nonnulli, qui arbitrantur, illos parentis morti dumtaxat adfuisse [2]. Sed ea nobis melior, ac probabilior sententia videtur quæ asserit, Achan cum universa familia ipsius primum lapidibus obrutum fuisse, deinde vero crematum; atque in criminis detestationem ipsorum cineres lapidibus congestis tumulatos fuisse, ut tumulus ille monumentum esset posteritati.

℣. 19. FILI MI, DA GLORIAM DOMINO ...., ET CONFITERE.] Hic admirari licet Josue clementiam, ac mansuetudinem, qui dignus profecto illius extitit discipulus, qui hominum omnium mitissimus erat [3], ac illius excellens figura, qui venit, ut doceret se mitem esse, ac humilem corde [4]. Cum Achan, veluti cum filio, loquitur, quamquam eum tumultus & perturbationis universi exercitus fuisse causam agnoscit. Magnorum virorum virtus est clementia, nihilque iis, qui imperant, turpius est, quam ira abripi.

Hæc verba; *Da gloriam Domino*, significant [5]: Fatere veritatem, confitere coram Deo, qui cordium ima scrutatur, cujus judicia vera sunt, & cujus oculos nihil fugere potest. Ut verbo me expediam; Da gloriam Deo sincera criminis tui confessione; criminis hujus hominum oculis ignoti confessio sacrificium est laudis, & gloriæ, quod Domino offertur. Hæc locutio non semel in Biblia invenitur; & illi ubique idem ferme sensus tribui potest. Exempli gratia, cum Judæi cæcum a nativitate interrogarunt, dixeruntque illi Joan. 9. 24. *Da gloriam Deo, nos scimus, quia hic homo peccator est*; perinde ac dicerent: Ne abscondas veritatem, finge tibi, coram Deo loqui, qui cordium ima intuetur: dic itaque serio: quis te sanum fecit? quandoquidem Jesum agnoscimus: nimis peccator est, quam ut miraculum hoc patrare potuerit.

℣. 21. PALLIUM COCCINEUM.] Hebraice [6]: *vestem Sennaar*. Aquila [7], *vestem babylonicam*. Liquet Babylonem conditam fuisse in terra Sennaar [8]; ac vestes Babylooicæ apud veteres maxime celebrantur; Scriptura quandoque designat pallia, quæ vocantur *aderet*, per epithetum villosa; ex quo conjici licet, aliqua saltem elaborata fuisse in modum Aulnorum, quæ e Turcarum regionibus advehuntur; quorum ratio antiquissima est, ac ex Oriente accersita. Moyses comparat Esau, *aderet*, seu *pallio villoso* [9]; Et Zacharias [10] ait, Prophetæ non *operientur amplius pallio saccino, ut mentiantur*. Ex aliis locis intueri licet, vestes has aliquando satis fuisse magnificas, illisque Principes viros indui consuevisse. Rex Ninive pallium (*aderet*) dimisit, & sacco indutus est ad Jonæ conciones [11]. Josephus Antiqu. lib. 5. c. 1. ait pallium, quod furatus est Achan, Regium fuisse, auroque intertextum.

Quoad Babylonicas vestes, eas non unius coloris fuisse veteres conveniunt [12]; verum alii discoloribus liciis intextas fuisse inquiunt; alii hos colores acu additos fuisse testantur; alii vero eas pictas fuisse videntur innuere. Silius Italicus l. 14. discolori textura fuisse ait:

Vestis spirantes referens sub tegmine vultus,
Quæ radio cælat Babylon.

Martialis iis favet, qui acu textas fuisse dicunt [13].

Non ego prætulerim Babylonica picta superbe
Texta, Semiramia quæ variantur acu.

Plinius lib. 8. c. 48. & Apulejus Florid. l. 1. pro pictura stare videntur. *Colores diversos picturæ intexere Babylon maxime celebravit, & nomen imposuit*. Septuaginta vertunt [14] *vestem mollem polymitam*. Aquila, [15] *oblongam vestem Babylonicam*. Vulgatæ author, qui scripsit pallium hoc Babylonicum fuisse coccineum, palam innuere voluit purpuream vestem variam, ac discolori textura locupletatam; nam Babylonica purpura apud Veteres nullo fuit habita in pretio.

DUCENTOS SICLOS.] Argentum ducentorum siclorum pondo, Romanæ scilicet monetæ scutata octoginta.

REGULAM AUREAM.] Hebraice [16], *linguam auream*, massam, laminam, virgam in linguæ formam. Temporibus Josue nec aurum aderat, nec argentum formis cusum. Sed in laminas, virgulasque conflatum asservabatur. Piscator contendit linguam hanc auream fuisse veterem quemdam pallii uncinulum, cui linguæ nomen propter formam tribuitur. Verum audacior hæc videtur conjectura.

ARGENTUMQUE FOSSA HUMO OPERUI.] Duplex sensus Hebraico textui potest adferri [17]; *Et posui argentum sub ea* [18], sub veste hac Babylonica; vel sub terra; vel denique omnibus his rebus argentum operui [19].

℣. 23. AD OMNES FILIOS ISRAEL.] Septuaginta [20]: *ad omnes seniores Israel*. Detulerunt hæc omnia ad Josue, & ad seniores, qui cum populo coram Domino rei hujus eventum expectabant.

℣. 24. FILIOS, ET FILIAS EJUS.] Non desunt [21] qui asserant filios Achan criminis fuisse participes: cum nequaquam credibile sit, ipsum in medio tabernaculi sui ea celare potuisse, quin filii hoc scirent. Verum quamvis etiam cum Sancto Augustino [22], & quibusdam eruditis Interpretibus dixeris, filios Achan innocentes fuisse criminis patris sui; non ideo injustitiæ Deus esset insimulandus, quandoquidem supremus creaturarum omnium judex, qui omnia cum veritate, & justitia operatur, semper jus habet vitam a nobis repetendi, quam mutuam dedit, veluti fænerator, qui debitoribus suis pecuniam dat mutuam, nullo

1 Serar. Bonfrer. 2 Rabb. apud Masium; nec repugnat Grotius. 3 Numer. 12. 3. 4 Matth. 11. 28. 5 Masius, Cajetanus, Tostatus, Vatablus, Rabb. 6 אדרת שנער, forte אדרת שער *pallium sericum villosum*. 7 Aq. στολὴν βαβυλωνικήν. Sym. ἔνδυμα σεννάρ. *Vestis sennar*. 70. Ψιλὴν ποικίλην. *Vestis discolor*. 8 Genes. 11. 2. 4. 5. 9 Genes. 25. 25. כאדרת שער 10 Zach. 13. 4. *nec operientur pallio saccino* (אדרת שער) *ut mentiantur*. 11 Jonas 3. 6. 12 Vide Bonfrerium in hunc locum. 13 Martial. l. 8. Epig. 28. Vide eumdem in apophoretis, & Petron. *Plumato amictus aureo Babylonico*. 14 ψιλὴν ποικίλην μίαν καλήν. Gloss. Cyrill. ψιλὴν τραπεζοφόρον. Lucifer: stolam variam optimam. Interp. Origen. dexteralia pura. 15 στολὴν βαβυλωνικήν. 16 לשון זהב אחד 17 והכסף תחתיה 18 Pagninus, Montanus, Vatablus, Drusius, Masius. 19 70. Jonathan, Arab. &c. 20 πρὸς πάντας πρεσβυτέρους Ἰσραήλ. 21 Talmudici apud Masium. 22 August. qu. 8. in Josue, Masius, Cornelius, Junius, Menochius, Bonfrerius.

nullo temporis limite posito, & constituto [1]: *dedit usuram vitæ tamquam pecuniæ nulla præstita die*. Hujus severitas supplicii necessario in iis primordiis exquirebatur, ut populo injiceret terrorem, eumque in officio contineret, ac perfecta Dei præceptis obedientia.

DUXERUNT EOS AD VALLEM ACHOR.] Septuaginta: *Duxit eum* &c. Vallis Achor in Agro Jerichuntino posita est, inquit Eusebius in locis, ac hujus ævo veteri adhuc nomine appellabatur. Alibi etiam ait, Achor pagum fuisse desertum, cujus ara vocabatur Maedomniei, vel, ut legit S. Hieronymus, *Maledommim*, ubi aderant plerumque satellites in via, quæ ab Jericho Jerusalem ducit. S. Hieronymus in locis sub voce Achor secundo loco statuit vallem Achor ad Boream Jericho, & pagum Achor in tribu Juda; *Maledommim* vero ad fines tribuum Juda, & Beniamin; ac observat, loci hujus Salvatorem meminisse in Evangelio Lucæ 10. 30. cum loquitur de homine quodam vulneribus affecto, ac a latronibus pro mortuo relicto, cum de Jerusalem in Jericho proficisceretur. Ut viatorum incolumitati consuleretur in periculosis itineribus illis parvula hæc arx fuerat constituta. Verum si vallis Achor in Tribu Juda posita erat, vel etiam ad fines Tribuum Juda, & Benjamin; atque pagus Achor in via qua ab Jerusalem in Jericho pergitur; patet profecto hunc potius ad occasum, & meridiem fuisse positum, quam ad Borealem partem Jerichuntis, quemadmodum egregie Bonfretius animadvertit, ac probat ex Josue, qui lineam describens, quæ ex Meridionali parte Benjamin extenditur, ait cap. 15. 7. *De valle Achor contra Aquilonem respiciens Galgala, quæ est ex adverso Ascensionis Adommim*.

℣. 25. QUIA TURBASTI NOS, EXTURBET TE DOMINUS IN DIE HAC.] Adludit ad nomen Achor, vel Achar, quod Hebraice turbare significat. *Mah acheretanu, jeakarecca Johova*. Credidere quidam, vallem Achor ita nuncupatam fuisse de nomine *Achan*, qui semper a Græcis Achar appellatur. Verum nullum opus est, ut ad hanc etymologiam confugiamus. Hebraicus textus ad litteram ita potest transferri [2]: *O quantum turbasti nos! Dominus hac die turbabit te*; vel Dominus hodie te ipsum in turbationem injiciat. Septuaginta [3]: *Cur eu nobis infelicitatis causa fuisti?* Dominus exterminet te, quemadmodum hodie tecum facit. Interpretes nonnulli [4] ex iis vocibus, *die hac*, intulere, infelicem Achan in altera vita nequaquam æternis addictum fuisse suppliciis propter furtum; pœna quippe, quam in hac subiit, crimen ipsius satis fuit expiatum: sed enim, quamquam magna probabilitas adsit, supplicium ipsius, ac ingenuam confessionem mereri potuisse pro futuro sæculo Dei misericordiam; confitendum est tamen, argumentum, quod

A ex hoc loco erui potest, omnium esse infirmissimum.

LAPIDAVIT EUM OMNIS ISRAEL, ET CUNCTA, QUÆ ILLIUS ERANT IGNE CONSUMPTA SUNT.] Huic loco eorum sententia innititur, qui asserunt, Achan unum mortem subiisse; cum Scriptura filiorum ipsius nequaquam meminerit, vel lapidibus obrutorum, vel igni absumptorum: verum sententiæ huic Hebraicus Textus non favet; immo oppositum explicite videtur asserere [5]: *Et omnis Israel eum lapidibus obruit, eosque igne combussit, ac lapidum ictu eos lapidavit*. Septuaginta, & Chaldæus Paraphrastes eodem pacto legerunt; ac novissimus hic ait, illos jam lapidibus obrutos deinde fuisse flammis absumptos. Judæi apud Munsterum dicunt, Achan velut sacrilegum igne crematum fuisse, lapidatum vero, velut Sabbathi violatorem, eo quod furtum hunc fecerit, illumque die B ista celaverit. Liquet ex Numer. 15. 32. 35. Sabbathi violationem alias lapidatione in deserto fuisse mulctatam, & anathematis, ac sacrilegii pœnam, cui se obnoxium præbuerat, ignem fuisse. Res anathemati devotæ igne absumebantur, ut patet ex Deuter. 13. 15. 16. eodemque supplicio superbi, ac insolentes præceptorum divinorum violatores plectebantur. Numer. 16. 30. Sed quid hæc prosunt acumina? Factum hoc singulare fuit, & plane Deus Iosue particulare supplicium præcepit, quo scelus illud expiari vellet, quin ulla communium, vulgatarumque legum ratio haberetur.

℣. 26. CONGREGAVERUNT SUPER EUM ACERVUM MAGNUM LAPIDUM.] Attigimus jam quorumdam C Interpretum sententiam [6], qui volunt lapidationem, de qua superius fuit sermo, nihil aliud fuisse, quam hunc acervum lapidum, qui supra cineres Achan, filiorumque ejus, congesti sunt; sed probabilius est ipsos primum quidem lapidibus fuisse petitos, deinde vero crematos, ac denique super cineribus eorum extructum fuisse hunc lapidum tumulum, de quo loquimur, veluti horroris monumentum, quo scelus illud Israelitæ fuerant abominati. Idem quoque paullo post usuvenit adversus Regem Hai, Iosue 8. 29. diutius vero post adversus Absalom 2. Reg. 18. 17. qui in eo bello occubuit, quod David parenti suo intulerat. Fieri etiam potest, Achan ad palum adligatum, ut combureretur, lapidibus obrutum fuisse in loco eodem, ita ut simul & lapidibus peteretur, D & flammis ureretur. Ea viget hodierna die apud Turcas consuetudo [7]; cum aliquis ad ignem damnatur, flammæ prope palum succenduntur, qua ventus flat, ita ut flamma, & fumus in reum deferantur, eumque sensim adurant. Interim populus omnis, qui adest, in eum lapides mittit, ingeritque convitia: atque hoc pacto ille simul, & lapidatur, & comburitur.

---

1 Cic. Tuscul. qu. l. 1. 2 מה עכרתנו יעכרך יהוה 3 τί ὠλόθρευσας ἡμᾶς, ἐξολοθρεύσαι σε κύριος, καθὰ καὶ σήμερον. 4 Vide Masium, & Drusium. 5 וירגמו אתו כל ישראל אבן וישרפו אתם באש ויסקלו אתם באבנים 6 Serarius, Bonfrerius. 7 Vide Roger, Terram Sanctam l. 2. c. 17.

CAPUT VIII.

Capitur urbs Hai; Rex quoque illius capitur, & suspenditur. Altare in monte Hebal erigitur. In hoc altari Deuteronomium scribitur. Benedictiones, & Maledictiones a populo prolatæ in Montibus Hebal, & Garizim.

1. DIxit autem Dominus ad Josue: Ne timeas, neque formides: tolle tecum omnem
multitudinem pugnatorum, & consurgens ascende in oppidum Hai, ecce tra-
didi in manu tua regem ejus, & populum, urbemque, & terram.
2 Facies-
que urbi Hai, & regi ejus, sicut fecisti Jericho, & regi illius: prædam vero, & omnia

animan-

animantia diripietis vobis: pone insidias urbi post eam. 3 Surrexitque Josue, & omnis
exercitus bellatorum cum eo, ut ascenderet in Hai: & electa triginta millia virornm for-
tium misit nocte. 4 Præcepitque eis, dicens: Ponite insidias post civitatem: nec lon-
gius recedatis, & eritis omnes parati. 5 Ego autem, & reliqua multitudo, quæ me-
cum est, accedemus ex adverso contra urbem. Cumque exierint contra nos sicut an-
te fecimus, fugiemus, & terga vertemus: 6 Donec persequentes ab urbe longius pro-
trahamur: putabunt enim nos fugere sicut prius. 7 Nobis ergo fugientibus, & illis
persequentibus, consurgetis de insidiis, & vastabitis civitatem: tradetque eam Domi-
nus Deus vester in manus vestras. 8 Cumque ceperitis, succendite eam, & sic omnia
facietis, ut jussi. 9 Dimisitque eos, & perrexerunt ad locum insidiarum, sederuntque
inter Bethel, & Hai, ad occidentalem plagam urbis Hai. Josue autem nocte illa in me-
dio mansit populi, 10 Surgensque diluculo recensuit socios, & ascendit cum seniori-
bus in fronte exercitus, vallatus auxilio pugnatorum. 11 Cumque venissent, & ascen-
dissent ex adverso civitatis, steterunt ad septentrionalem urbis plagam, inter quam, &
eos erat vallis media. 12 Quinque autem millia viros elegerat, & posuerat in insidiis
inter Bethel, & Hai, ex occidentali parte ejusdem civitatis. 13 Omnis vero reliquus
exercitus ad aquilonem aciem dirigebat, ita ut novissimi illius multitudinis occidentalem
plagam urbis attingerent. Abiit ergo Josue nocte illa, & stetit in vallis medio. 14
Quod cum vidisset rex Hai, festinavit mane, & egressus est cum omni exercitu civita-
tis, direxitque aciem contra desertum, ignorans, qnod post tergum laterent insidiæ.
15 Josue vero, & omnis Israel cesserunt loco, simulantes metum, & fugientes per so-
litudinis viam. 16 At illi vociferantes pariter, & se mutuo cohortantes, persecuti
sunt eos. Cumque recessissent a civitate, 17 Et ne unus quidem in urbe Hai, & Be-
thel remansisset, qni non persequeretur Israel (sicut eruperant aperta oppida relinquen-
tes,) 18 Dixit Dominus ad Josue: Leva clypeum, qui in manu tua est, contra ur-
bem Hai, quoniam tibi tradam eam. 19 Cumque elevasset clypeum ex adverso civi-
tatis, insidiæ, quæ latebant, surrexerunt confestim: & pergentes ad civitatem, cepe-
runt, & succenderunt eam. 20 Viri autem civitatis, qui persequebantur Josue, respi-
cientes, & videntes fumum urbis ad cœlum usque conscendere, non potuerunt ultra
huc, illucque diffugere: præsertim cum hi, qui simulaverant fugam, & tendebant ad
solitudinem, contra persequentes fortissime restitissent. 21 Vidensque Josue, & omnis
Israel, quod capta esset civitas, & fumus urbis ascenderet, reversus percussit viros
Hai. 22 Siquidem & illi, qui ceperant, & succenderant civitatem, egressi ex urbe
contra suos, medios hostium ferire cœperunt. Cum ergo ex utraque parte adversarii
cæderentur, ita ut nullus de tanta mnltitudine salvaretur, 23 Regem quoque urbis
Hai apprehenderunt viventem, & obtulerunt Josue. 24 Igitur omnibus interfectis,
qni Israelem ad deserta tendentem fuerant persecuti, & in eodem loco gladio corruenti-
bus, reversi filii Israel percusserunt civitatem. 25 Erant autem, qui in eodem die con-
ciderant, a viro usque ad mulierem, duodecim millia hominum, omnes urbis Hai. 26
Josue vero non contraxit manum, quam in sublime porrexerat, tenens clypeum, donec
interficerentur omnes habitatores Hai. 27 Jumenta autem, & prædam civitatis divise-
runt sibi filii Israel, sicut præceperat Dominus Josue. 28 Qui succendit urbem, & fe-
cit eam tumulum sempiternum. 29 Regem quoque ejus suspendit in patibulo usque ad
vesperam, & solis occasum. Præcepitque Josue, & deposuerunt cadaver ejus de cruce:
projeceruntque in ipso introitu civitatis, congesto super eum magno acervo lapidum,
qui permanet usque in præsentem diem. 30 Tunc ædificavit Josue altare Domino Deo
Israel in monte Hebal: 31 Sicut præceperat Moyses famulus Domini filiis Israel, &
scriptum est in volumine legis Moysi: Altare vero de lapidibus impolitis, quos ferrum
non tetigit: & obtulit super eo holocausta Domino, immolavitque pacificas victimas.
32 Et scripsit super lapides Deuteronomium legis Moysi, quod ille digesserat coram
filiis Israel. 33 Omnis autem populus, & majores natu, ducesque ac judices stabant
ex utraque parte arcæ in conspectu sacerdotum, qui portabant arcam fœderis Domi-
ni, ut advena, ita & indigena. Media pars eorum juxta montem Garizim, & media
juxta montem Hebal, sicut præceperat Moyses famulus Domini. Et primum quidem
benedixit populo Israel. 34 Post hæc legit omnia verba benedictionis, & maledictio-
nis, & cuncta, quæ scripta erant in legis volumine. 35 Nihil ex his, quæ Moyses
jusse-

jusserat, reliquit intactum, sed universa replicavit coram omni multitudine Israel, mulieribus, ac parvulis, & advenis, qui inter eos morabantur.

℣. 1. TOLLE TECUM OMNEM MULTITUDINEM PUGNATORUM.] Masius arbitratur, Josue triginta solum hominum millia de universo exercitu sumpsisse, quorum quinque millibus in insidiarum loco positis cum reliquis quinque, & viginti millibus adversus Hai processit. Sed Textus nimis est evidens, quam ut hanc violentam explicationem patiatur. Josue eos omnes, qui ferebant arma, secum deduxit, & in castris Galgalæ inermem, inutilemque multitudinem reliquit: ex omnibus vero copiis triginta bellatorum millia pro insidiis delegit, aliosque quinque mille alibi constituit, & cum reliquo exercitu Israel adversus Hai profectus est. Hic est generalis conceptus qui colligi potest ex Scriptura, quoad copiarum Josue distributionem. Ex decursu magis particulariter ordo, ac prælii hujus executio innotescet.

℣. 2. FACIES URBI HAI, ET REGI EJUS, SICUT FECISTI JERICHO, ET REGI ILLIUS.] Capies Hai, & Regem illius, hunc interficies, urbem vero delebis, quomodo fecisti eum Iericho: verum cum hoc discrimine, quod inferius paullo notatur; suspensus fuit Rex Hai, quod de Jerichuntino Rege factum non legitur; atque populo præda urbis Hai fuit permissa, quod de Jerichuntina præda nequaquam licuit.

PONE INSIDIAS URBI POST EAM.] Hæ insidiæ positæ fuisse creduntur in occidentali plaga Hai, nam plerumque vox hæc *post* occidentem significat: itaque insidiæ collocatæ erant inter Hai, & Bethel [1]; sed paullo versus meridiem, ita ut nec cives Bethel, nec Hai cognoverint [2]. Mirum autem videtur, Deum, qui infinita potentia sua poterat facile adeo opprimere Hai, & incolas illius, artem adhiberi voluisse, atque strategema, ut Hebræis victoriam tribueret; quæ vincendi ratio Omnipotentis magnitudine videtur indignior, quamque populi nonnulli, atque Imperatores, veluti generoso indignam viro, ac magis accommodam ad nominis gloriam obscurandam, quam augendam, repulere. Alexander Macedo ajebat se victoriam furari nolle [3]; Græci veteres, ac Tibareni hostes admonebant, quo tempore, quo loco essent arma illaturi, Romani veteres, quæ essent fraudes, ac bellica strategemata, ignorabant; *Non fraude, neque occulte, sed palam, & armatum populum Romanum, hostes suos ulcisci*. Victoriam aperta vi, justoque prœlio sibi comparabant; volebant quippe, quod ipsorum virtutem hostes agnoscerent, ac se se illis, veluti fortioribus haud ægre submitterent.

Ast Deus teneturne quotidie patrare miracula? Civium Hai superbia strategemate falli merebatur; Israelitæ priori clade perterriti prompta, facilique victoria erant confirmandi: denique exempla, de quibus locuti sumus, laude quidem digna sunt, ac animi præseferunt magnitudinem, ac generositatem minime vulgatas, verum minime probant, haud licere belli dolis uti, insidiis, ac strategematis. Fortiores, sapientiores, æquioresque, tum populi Dei, cum aliorum populorum Duces ea nequaquam interdicta esse crediderunt: Deus ea sua authoritate confirmat, immo ea istic, & in quibusdam aliis locis præcipit. S. Augustinus qu. 10. in Josue palam ait, in justo bello indiscriminatim, vel calliditatem posse adhiberi, vel vim; *Cum justum bellum suscipitur, utrum aperta pugna, utrum ex insidiis vincat, nihil ad justitiam interest*. Re quidem vera in facto hoc, nulla fraus est, nullum mendacium. Neque enim est agere contra bonam fidem, neque contra charitatem, hostem sua consilia, artes, & actiones celare; saepius veritatem dissimulare fas est, inquit S. Augustinus contra Mendac. c. 10. *Veritatem occultare prudenter sub aliqua dissimulatione*. Neque agitur contra Justitiam adversus proximum suum ea utendo libertate, cujus usus illi quoque permittitur: inter eos, qui præliantur, tacita hæc intercest conventio, quod quisque vicissim ea sibi, quæ sunt profutura, provideat; hostibus vero vel virtute obsit, vel dolo. *Dolus, an virtus quis in hoste requirat?*

Si strategemata, atque insidiæ malum formale essent, & actio ex numero earum, quas numquam fieri licet, nulla umquam conventio, nulla exceptio, nulla circumstantia eam licitam efficere posset, neque Deus umquam illam præciperet. Cum Iosue collocavit insidias ante Hai, ac fugam simulavit, agnoscebat quidem esse futurum, ut incolæ fallerentur, atque simulatum recessum veram esse fugam arbitrarentur; sed non tenebatur ille obsistere, ne fallerentur; ipse illorum errorem minime produxit; illius causam præbuit, illumque permisit. Licet quidem aliquid per se indifferens peragere, quamquam prævideas, hostes tuos erroris occasionem inde esse percepturos. Denique Deus tamquam absolutus vitæ, mortisque Chananæorum Dominus juste populo suo præcipere potuit, ut ultionem ipsius exercerent adversus illos, ac ei rationes illas præscribere, quas maxime in rem fore est arbitratus; & Hebræi illius dicto non parere nequivissent, quin maximo crimini fierent obnoxii.

℣. 3. TRIGINTA MILLIA VIRORUM MISIT NOCTE.] Illisque præcepit, ut in insidiis collocarentur post Hai. Ast quinam hoc potest conciliari cum vers. 12. ubi quinque tantum hominum millia in insidiis posita inter Bethel, atque Hai intuemur? Superius adnotavimus, Masium asserere quinque tantum hominum millia insidiis locum cepisse, & quinque, ac viginti millia bellatorum in acie fuisse, existimantem sexcentorum mille virorum exercitum in ea expeditione impedimento esse potuisse, sine ulla necessitate, atque utilitate. At plerique Interpretum fatentur binas militum catervas in insidiis fuisse dispositas, utramque inter Bethel, & Hai; alteram quidem viginti quinque mille virorum; alteram vero quinquies mille. Quod ita plane dispositum fuit per eos, quibus rei hujus provinciam dederat Iosue juxta eam locorum distributionem, & circumstantias, de quibus tuto nihil afferri potest, cum Iosue textus nihil enarret.

℣. 4. PONITE INSIDIAS POST CIVITATEM, NEC LONGIUS RECEDATIS &c.] Hebraicus textus hoc pacto ad litteram vertitur [4]: *Vos, qui post urbem insidias occupaturi proficiscimini, cavete, ut admodum ab urbe recedatis, ut omnes præsto sitis &c.* Duo illis commendat Iosue, primum ut quam propius urbi abdantur, quin se deprehendi sinant: alterum, ut attente hostium motus scrutentur, ut cum tempestivum fuerit, se se in urbem injiciant, & aditus omnes occupent, qua hostes possent effugere. Itaque quoque explicari potest: *Vos autem, qui insidias structuri abitis, cavete, ut a posteriori urbis parte deprehendamini*; vel, ne e posteriori parte in urbem auxilia inferantur. Vide Drusium.

℣. 5. SICUT ANTE FECIMUS, FUGIEMUS.] Hebraice simpliciter habetur [5]: *fugiemus ante illos*. Nec Iosue, nec magnus eorum numerus, qui eum comitabantur, ante fugerant, quoniam priori expeditioni adversus Hai minime interfuerant.

℣. 7. VA-

---

1 Vide vers. 2. capitis 7. 2 Vide vers. 17. ubi cives Bethel incolis Hai suppetias tulisse dicuntur.
3 Vide Grot. l. 3. de jure belli, & pacis c. 1. art. 20. & Serar. in Josue c. 8. qu. 2.
4 ראו אתם ארבים לעיר מאחרי העיר אל תרחקו מן העיר מאד והייתם כלכם נכנים
5 כי יצאו לקראתנו כאשר בראשנה ונסנו

℣. 7. VASTABITIS CIVITATEM.] Hebraice [1]: *civitate potiemini*, vel incolas ejicietis, vel denique expoliabitis, diripietis, delebitis civitatem.

℣. 8. SUCCENDITE EAM.] Paucis tantum domibus ignem admovere illico debebant, et signum darent, se jam eo pervenisse; si enim undique ignis fuisset accensus, Israel nullam inde prædam capere potuisset.

℣. 9. MANSIT JOSUE NOCTE ILLA IN MEDIO POPULI.] Ne hostibus injicerent suspicionem, Iosue in Galgalis cum omni exercitu ea nocte permansit. Crastina tantum die summo mane est iter ingressus; Hai a castris tribus tantum leucis aberat. Iis autem, qui in insidias abiere, Iosue minime præfuit.

℣. 10. RECENSUIT SOCIOS, ET ASCENDIT CUM SENIORIBUS.] Hic habes Hebraicum Textum ad litteram: Ille *visitavit*, vel populum recensuit, *& ipse cum senioribus præfuit Israel adversus Hai proficiscenti.* Nequaquam credendum est in itinere hoc adeo expedito, in quo tanta opus erat diligentia, ipsum cunctatum fuisse, ut exactam iniret recensionem exercitus, sexcentorum mille virorum, & ultra. Satis illi plane fuit, ex copiarum præfectis numerum, & virtutem agnoscere, & an parata essent omnia, ut in hostes signa inferrentur. Seniores Israel, de quibus hic sermo, sunt capite, & præfecti, qui singulis tribubus erant præpositi; vel tribuum primores præ authoritate, ac ætate spectabiles, qui consiliis, ac præsentia Iosue præsto erant.

℣. 11. CUMQUE .... ASCENDISSENT EX ADVERSO CIVITATIS, STETERUNT AD SEPTEMTRIONALEM URBIS PLAGAM, INTER QUAM ET EOS ERAT VALLIS MEDIA.] Castra in Galgalis posita, unde Iosue cum exercitu discesserat, posita erant ad meridiem Hai. Exercitus circumivit ad hujus urbis orientalem plagam [2], ut in Septentrionali latere eam adoriretur, nam plane e parte meridionali erat inaccessa, quam alioquin naturaliter magis adoriri debuisset. Iosue igitur cum copiis suis super collem e conspectu urbis apparuit in boreali plaga, atque inter ipsum, ac urbem vallis interjacebat. In colle hoc, exercitum suum in aciem disposuit, ita ut dexterum cornu longius occidentem versus progrederetur, quemadmodum vers. 13. refertur: *Ita ut novissimi multitudinis occidentalem urbis plagam attingerent.* Descendit deinde in vallem veluti aggressurus Hai, *stetit in vallis medio*; at urbis illius Rex, ut illum accedere conspexit, præcipiti cursu ex urbe egressus est, ut cum hoste manus consereret: copiæ Josue quibus imperatum fuerat, ut bellantes recederet in eundem collem, a quo discesserant, revertuntur; quas ut insequeretur, cum Rex Hai procederet, aditum præbuit iis, qui a Iosue in insidiis positi fuerant, ut e proxima valle in urbem se se conjicerent.

℣. 12. QUINQUE MILLIA VIROS ELEGERAT.] Hactenus de quinque millibus hominum sumus locuti, veluti excerptis ex illis triginta millibus, quos nocte præcedenti Iosue dimiserat, ut in valle, quæ ad occasum Hai posita erat, occulerentur. At istic Textus videtur innuere Imperatorem ipsum hos quinque mille viros elegisse, eosque misisse, ut quodam loco potirentur, quem consilio suo maxime accommodum existimavit. Nollem attamen a priori sententia recedere. Scriptura potest tribuere Iosue, quod de illius imperio factum fuerat, ac per ipsius præfectos impletum.

℣. 13. ITA UT NOVISSIMI ILLIUS MULTITUDINIS OCCIDENTALEM PLAGAM URBIS ATTINGERENT.] Alius sensus Hebraico textui tribui potest [3]: *Et posuit insidias in occidentali plaga urbis* [4], quemadmodum non semel observatum est. Verum eruditi adsunt Interpretes [5], qui contendunt, hoc in loco Vulgatæ esse adhærendum: aliqui etiam [6] negant Hebraicum *akeb* significare insidias; equidem ad litteram significat *calcaneum*.

ABIIT JOSUE NOCTE ILLA.] Superius vers. 9. dictum est, Iosue noctem illam transegisse in medio populi sui, & vers. 10. ipsum summo mane cum copiis discessisse; denique hic dicitur nocte adversum Hai fuisse profectum; quibus noctes duæ, ac dies unus innui viderentur. Verum levi negotio hæc simul omnia queunt conciliari, dicendo Iosue sub vesperam dimisisse copias, quæ insidiis locum erant capturæ. Ipse vero in castris cum exercitu est commoratus ad meliorem noctis partem: summo autem mane, antequam recesceret, iter ingressus pervenit coram Hai, quæ civitas tribus tantum leucis a Galgalis abest, ante ortum solis; ibi aciem instruit, & mane Rex Hai illum adoritur. Vide Cornelium a Lapide, Bonfrerium &c.

℣. 14. EGRESSUS EST CUM OMNI EXERCITU CIVITATIS.] Hebraice [7]: *Venit obviam Israel, ut prælium committeret, cum universo populo suo stato tempore*; vel, *ad locum constitutum*. Quæ verba plures admittere possunt explicationes: Simul ac viderunt Israelitas, egressi sunt: vel præsto fuerunt, simulac Rex imperavit: vel ex urbe egressi sunt eodem tempore, eadem hora, ac in eumdem locum, ubi antea fuerat dimicatum. Vel denique: venerunt, quemadmodum expectabantur.

DIREXIT ACIEM CONTRA DESERTUM.] Creditur duxisse milites e latere deserti Bethel, vel Bethaven, de quo sermo est in quibusdam scripturæ locis [8]; desertum hoc erat solum inter Bethel, & Hai excolendo non satis aptum, ac armentis pascua ferendo dumtaxat idoneum, cum gramina tantum, & sylvestres arboras gigneret. Nam hoc passim desertum in scripturis appellatur juxta morem Hebræorum.

IGNORANS QUOD POST TERGUM LATERENT INSIDIÆ.] Hebraice; *post urbem*, vel ad urbis occidentem. Vide superius ℣. 2. Rex hic per septentrionalem plagam contra Josue proficiscebatur, qui fugam simulabat per deserti viam, de qua sermo fuit.

℣. 15. CESSERUNT LOCO SIMULANTES METUM, & FUGIENTES.] Hebraicus textus ad litteram [9]: *Victi fuerunt, ac fugerunt*. Sed omnes conveniunt Interpretes, Hebraici textus voces significare tantum e parte Israel simulatum recessum, non ita vero e parte civium Hai veram de Israelitis victoriam: verti potest; *se victos fecerunt*, fugam arripuerunt, perinde ac vere victi fuissent. Quemadmodum in Scriptura dicitur, se divitem facere, magnum, pauperem de illis, qui absque eo quod rerum habeant substantiam, induunt species ipsarum. Exercitus Josue *per solitudinis viam* recessit, profectu planitiem Iericho versus, ubi erant ipsorum castra.

℣. 17. NE UNUS QUIDEM IN URBE HAI, & BETHEL REMANSISSET.] Quid tunc agebant cives Bethel, quandoquidem in illos arma nequaquam inferebantur? dicuntur autem, ob locorum propinquitatem, nam urbes illæ duæ una vix leuca inter se distabant, ac ob periculi evidentiam, simul cum incolis Hai se se conjunxisse adversus Israelitas, atque tunc in Hai clausi fuisse, ut finitimis suis opem ferrent. Vulgata quidem innuere videtur, cives tum Hai, cum Bethel e duabus illis urbibus seorsim egressos fuisse, et in Hebræos impetum facerent; at Hebraica lectio [10], Chaldaica, & Septuaginta, de una tantum urbis porta loquuntur, quæ procul dubio est urbis Hai, quamquam naturaliter satis explicari possit de porta urbis utriusque seorsim.

Cæterum, cum dicitur, *ne unus quidem in urbe Hai, & Bethel remansisse*, cum hac restrictione est intel-

1 והורשתם את העיר 2 וישו ויבאו נגד העיר. 70. εἰς ἀντίον τῆς πόλεως ἀπὸ ἀνατολῶν. 3 ואת עקבו מים לעיר
4 Ita Chald. Munster. Vatabl. Drus. Mas. 5 Junius, & Tremellius, Piscator, & Bonfrerius.
6 Ludovicus de Dieu. 7 ויצאו לקראת ישראל למלחמה הוא וכל עמו למועד 8 Josue 18. 12.
9 וינגעו ... וינסו 10 ויעזבו את העיר פתוחה. 70. κατέλιπον τὴν πόλιν ἀνεῳγμένην.

intelligendum: Illorum neminem, qui armis ferendis, hostibusque insectandis aptus esset, in urbe remansisse. Ii quoque, qui in urbe relicti fuerant, (si quid inopinatum accideret) periculum præteriisse rati, egressi sunt. Sed hac in re aliqua adhuc superest difficultas; hic dicitur, simulac Josue fugam simulavit, incolas Hai ipsum longius esse persecutos, ac ne unum quidem in urbibus Hai, vel Bethel remansisse. Tunc igitur dumtaxar cives Bethel ex urbe sua cœperunt egredi, ut Israelitas insequerentur. Quod istic libri hujus author observat, intempestivum penitus esset, si antea cives Bethel in Hai migrassent. Præterea ℣. 25. dicuntur, die una duodecim hominum millia cæsa fuisse, omnium ea urbe Hai: ergo cives Bethel illis nondum adhæserant; nam quomodo ex illis adeo multi cecidissent, quin e civibus Bethel ne unus quidem desideraretur? Denique urbs Bethel munitissima erat, quemadmodum e libro Judicum c. 1. 24. liquet; non igitur fidei consonum est, incolas eam reliquisse, & concessisse in Hai, præsertim cum proximus adeo hostis urgeret.

Rationibus his impellor, ut credam, cives Bethel in prælii eventum valde intentos fuisse, cumque ex urbe sua fugientes vidissent Israelitas, illico se se accinxisse, ut illos persequerentur, & catervatim veluti ad certam victoriam cucurrisse: verum antequam assequi possent Israelitas, hi conversa facie in persequentes cives Hai impetum fecerunt, eosque deleverunt. Interim civibus Bethel in urbem suam revertendi tempus datum est, quin Israelitæ eos insectarentur.

℣. 18. LEVA CLYPEUM.] Creditur [1] Josue, antea cum militibus suis convenisse, se clypeum elaturum, ut copiis, quæ in insidiis erant, insurgendi signum præberet, atque ad urbem pergendi; iis vero, qui fugam simulabant, faciem convertendi, ac in hostes impetum faciendi. Re quidem vera, simulac Josue clypeum extulit, qui in insidiis erant prodiere, iterque ingressi sunt, atque prælium fieri cœpit adversus oppidanos Hai. Josue veluti vexillum hasta clypeum suum erexit, ut longius cerneretur, quemadmodum simili in re aliquando fieri consueverat. Vide Polyænum Strateg. lib. 1. cap. 45. & Clericum hic.

Nec desunt [2], qui afferant, hanc actionem Josue aliquam habere similitudinem cum eo, quod fecit Moyses, cum super montem ad cœlum manus tollebat cum virga miraculosa, donec Israel adversus Amalec præliaretur [3]. Deus præcipit Iosue ut clypeum suum extollat contra urbem, pollicitus se illam in manus ipsius traditurum; perinde ac huic mutur Iosue, ac precibus, quibus motum ille prosequutus fuerit, tradere voluisset victoriam de hostibus, ac urbis excidium. Imperator hic nequaquam demittit clypeum, nisi oppidanis deletis; quomodo ergo milites ab ipso procul in insidiis positi, & in loco, ubi videri non poterant, hanc potuissent clypei Iosue elationem prospicere? Hæc Iosue actio antea non videtur excogitata fuisse, nec motus, de quo prius cum militibus suis convenerit; Scriptura hoc præterit, immo e contra innuit, Deum illi præcepisse, ut, cum id minus attenderet, illico clypeum elevaret.

In dubium quoque accersitur significatio Hebraicæ vocis [4] *cidon*, quam Vulgata ac plures haud spernendi Interpretes clypeum transtulere; Septuaginta, & Aquila istic explicant de telo, omnino e ferro elaborato, qui *gæsus* appellabatur. Vide adnotationes P. Montfauconi in Hexapla Origenis. Ea descriptione armorum Goliat 1. Reg. 17. 6. intelligimus ipsum *cidon* æreum humeris gestasse, quem in locum aliquando clypeus rejiciebatur. Ibidem ℣. 45. *cidon* a lancea & gladio distinguitur, *Tu venis ad me in gladio, & hasta, & clypeo*: ut quoque in Iob. 39. 23. *Super ipsum sonabit pharetra, vibrabit hasta & clypeus*; ex quo licet conjicere, Hebraicam vocem hanc vere clypeum significare, non autem telum ad vulnera inferenda. Nihilominus Septuaginta [5] istic de specie quadam missilis, qui *gæsus* nuncupatus, intelligunt; & Author Ecclesiastici 46. 3. loquens de facto Iosue ait, ipsum gladium extulisse: *jactando contra civitates Rompheas*. Chaldaica versio lanceam intelligit; & Rabbini credunt, hastam vexilli a Iosue elatam fuisse, ut copiis suis signum præberet. Versiones hæ quibusdam Scripturæ locis probari possunt, ubi *sidon* pro telo quodam usurpatur: exempli gratia Iob [6] loquens de Behemot, ait ipsum deridere illos, qui jaciunt *cidon*, agitant, concutiunt; & Ieremias 6. 23. de Chaldæis differens qui adversus Ierusalem venturi erant, ait, ipsos arrepturos esse arcum, & *sidon*: *Sagittam & scutum arripiet*; quod magis telo convenit, quam clypeo; nam plerumque Sagittarii clypeis minime utuntur. Bonfrerius ait Gallicam vocem *guidon* proficisci ab Hebraica *cidon*, vel *Kidon*. Verum omnia hæc argumenta evincere non valent, ut a Vulgata recedamus, quæ clypeum transtulit.

℣. 19. SUCCENDERUNT EAM.] Alicubi igne admoto eam accenderunt; neque enim nisi post direptionem in cinerem est redacta. Vide superius ℣. 8.

℣. 20. NON POTUERUNT ULTRA HUC ILLUCQUE DIFFUGERE.] Hebraice [7]: *Non fuit illis amplius manus ad fugiendum*. Illis nec animus, nec vires [8], nec via ad fugam superfuerunt. Vel potius, illis spatium defuit ad fugam. Manus sæpius ad extensionem significandam adhibetur: Exempli gratia Psal. 103. 25. *Hoc mare spatiosum manibus*; & alibi: *Qui præteribant, & castra figebant ad utrum manus* [9], post illos, prope illos.

℣. 22. EGRESSI EX URBE CONTRA SUOS.] Latinus Textus accipi posset, perinde ac innueret, illos egressos, ut fratribus suis arma inferrent; sed *contra* hic significat *obviam*, in occursum. Copiæ Iosue urbe potitæ erant, & alicubi igne succenso, exiere, ut exciperent milites Hai, qui in urbem redire volebant: Hebr. [10] *Egressi sunt in occursum eorum*.

ITA UT NULLUS DE TANTA MULTITUDINE SALVARETUR.] Hebraicus textus hoc pacto verti potest [11]: *donec nullus superfuit, qui superesset*, vel effugeret; videlicet ne unus quidem effugere potuit; nec ulli ex iis, qui ab Israelitis capti fuerunt, vita servata fuit.

℣. 23. REGEM APPREHENDERUNT VIVENTEM, & OBTULERUNT IOSUE.] Illi æque ac aliis vitam in prælio noluerunt eripere; sed ad majora servavere supplicia. Vetus populorum erat consuetudo coram Imperatore Duces, aut Reges hostium captos deducere; hoc jus Regium erat, & Imperator eos digne remunerabatur, qui illos deferrent. Vide Grotium hic.

℣. 28. FECIT EAM TUMULUM SEMPITERNUM.] Hebraice [12]: *Fecit eam tumulum sempiternum, ruinam in hodiernum diem*. Urbs hæc adhuc ruinis suis erat sepulta, nondum instaurata erat, cum Author hunc librum exararet; at ex Scriptura liquet, Hai temporibus Esdræ substitisse [13], & plane multo prius, nam tempus captivitatis veteribus urbibus instaurandis non satis erat idoneum.

℣. 29. RE-

---

1 Joseph. Antiquit. 5. 1. Rabb. Lyran. Abulen. Vatabl. Junius &c. 2 Masius, Serarius, Bonfrerius. 3 Exod. 17. 11. 4 נטה בכידון. 70. τῷ γαισῷ. Joseph. Symm. apud Theodoret. & Aquila. ἀσπίδα. Ita & 70. 1. Reg. 17. 6. & 45. Grot. Mas. 5 ἔκτεινον τὴν χεῖρά σου τῷ γαισῷ. Suidas. γαῖσος, ὁ κοντός. Pollux. δόρυ ἰδιοτρόπον. Livio, Gellio, Virgil. Gæsus est teli genus. 6 Job 41. 20. deridebit vibrantem hastam. Heb. לרעש כידון concutientem Cidon. 7 לא היה להם ידים לנוס 8 Jonath. Rab. Salomon. 9 Num. 2. 17. Job. 8. 14. 10 יצאו מן העיר לקראתם 11 עד אלתי השאיר להם שריד ופליט. 70. ἕως τοῦ μὴ καταλειφθῆναι αὐτῶν σεσωσμένον καὶ διαπεφευγότα. 12 וישימה תל עולם שממה עד היום הזה 13 1. Esdr. 2. 28. 2. Esdr. 7. 32. & 11. 31.

℣. 29. Regem suspendit in patibulo.] Hebraice [1]: *Illum suspendit de ligno*, vel de arbore. Crux a Romanis infelix arbor dicebatur [2]. Septuaginta hic vertunt, *lignum duplex*, furcas e duobus lignis compactas, vel crucem. Hebræi, quibus plures adhærent Interpretes, afferunt [3], Regem Hai enecatum fuisse, antequam suspenderetur; nam apud Israelitas numquam viventes homines suspendebantur. Sed hanc reor sententiam satis rejecisse in Dissertatione de suppliciis apud Hebræos. Principis hujus cadaver in vesperam usque pependit, ut Moysis legi obtemperaretur, quæ imperabat, ut ante noctem noxiorum corpora de cruce tollerentur: rationes vero videri possunt in Deuter. 21. 22.

℣. 30. Tunc ædificavit Iosue Altare Domino.] In Deuteronomio 27. 4. potuit animadverti, Deum præcipere, ut post Iordanis transitum era sibi extrueretur. *Quando transieritis Jordanem, erigite lapides . . . . in monte Hebal &c.* Quapropter Authores nonnulli crediderunt [4], aram hanc die ipsa transitus Iordanis erectam fuisse, & antequam populus circumcideretur. Alii putarunt mandato huic satis fuisse factum post circumcisionem, & paschatis celebrationem, sed antequam bellum iniretur. Iosephus Antiqu. l. 5. c. 4. actionem hanc in quintum annum a Iordanis transitu refert; & Rabbinus Ismael in annum ante transitum Iordanis decimumquartum transfert. Sed communior, atque probabilior opinio sequitur ordinem temporum, qui a Iosue refertur. Captis Iericho, & Hai Israelitæ versus montes Garizim, & Hebal processerunt, eoque uxores suas, & filios ac advenas, qui proselytorum loco habebantur, deduxere, ut omnes simul cum Domino fœdus instaurarent. De Hai ad montes Hebal, & Garizim decem circiter leucæ intersunt. Supponimus autem duos hos montes esse prope Sichem, quemadmodum ostendimus in Deuteronomio. Moyses Deuter. 27. 4. præcipit, ut monumentum in Hebal extruatur, quemadmodum hic peragit Iosue: at Samaritani in monte Garizim erectum fuisse ajunt, ac semper deinceps substitisse. Eorum Legis exemplaria habent Garizim pro Hebal, & equidem videretur æquius aram super Garizim statuere ubi benedictiones enuntiatæ fuerunt, quam super Hebal, ubi tantum maledictiones prolatæ, ni Moysi, ac Iosue Textus contrarium affirmarent.

℣. 31. Altare de lapidibus impolitis.] Qui ajunt, altare hoc in monte Hebal constitutum fuisse immediate post Iordanis transitum, affirmant illuc delatos fuisse lapides, qui de medio fluminis sumpti fuerant, atque ex illis aram, de qua sermo est, extructam fuisse. Eusebius [5], ac S. Hieronymus, qui in agro Hierichuntis Hebal, & Garizim constituunt, sententiæ huic favere videntur; sed illa probari nequaquam potest hoc supposito, quod montes ii prope Sichem attollantur, novem, aut decem leucis a Iericho. Ad Exod. 20. 25. fumus locuti prolixius de mandato, quod hic, & alibi dedit Deus, quo cavetur, ne ex politis, verum e rudibus lapidibus altare ædificaretur.

Obtulit super eo holocausta Domino.] Communiter sacrificia hæc oblata fuisse dicuntur per Sacerdotes, cum Deus simplicibus laicis, quicumque illi essent sacrificiorum oblationem interdixerit. Verum adsunt nonnulli, qui asserunt, interdicto huic ea tantum obnoxia fuisse sacrificia, quibus in Tabernaculo operabatur, vel Templo, ubi Sacerdotibus tantum sacra facere licebat: Extra quæ, & in casibus extraordinariis Principes, Iudices, ac Prophetæ Domino sacrificarunt, præsertim antequam Arca in stata, immotaque sede constitueretur. Multa hujusce rei extant exempla. Iosue velut populi caput hic in fœderis Deum inter, & Israel instauratione sacrificat. Bethsamitæ Domino hostias immolarunt coram ipsius Arca a Philistæis remissa, 1 Reg. 6. 15. Populus, ut Saulis electionem ratam faceret, sacris operatur in Galgalis, 1. Reg. 11. 15. Saul ipse in castris Galgalæ holocausta, atque hostias pacificas offert, videns Samuelem præsto minime adesse, ac exercitum suum dilabi, 1. Reg. 13. 9. Samuel autem non illum de hoc facto coarguit, sed de eo tantum, quod ipsum minime expectasset: alioquin Prophetæ huic, cum Levita esset duntaxat, nullum magis erat sacrificandi jus, quam Sauli: videmus itaque aliquandiu post in Bethleem proficiscentem, ibique pacificas victimas offerentem, 1. Reg. 16. 25. eas quoque in Ramatha patria sua, 1. Reg. 9. 12. 13. & in Masphat obtulit 1. Reg. 7. 9. Scriptura loquitur de victimis, quas David immolavit eo tempore, quo Arca de domo Obed Edom translata fuit in civitatem David 2. Reg. 6. 13. ac de aliis, quas obtulit in area Ornan Iebusæi super altare, quod ipse ædificarat 2. Reg. 24. 24. 25. & 1. Par. 21. 26. Absalon 3. Reg. 1. 9. Adonias 3. Reg. 3. 2 4. Salomon 2. Par. 26. 19. & populi, dum novissimus hic imperitaret super aris extra Tabernaculum immolabant. Videtur autem in Sancto, thuris tantum oblatio fieri consuevisse, quæ omnino Regibus fuit interdicta. Deus Oziam Regem lepra percussit 2. Reg. 15 12. qui cæremoniæ huic manum admovere cupiebat. Legimus apud Iosephum de Bello l. 1. c. 14. Herodem sacrificasse, cum jam jam trans Iordanem copias suas esset traducturus. Prophetis quoque religioni minime fuit sacris operari in extraordinariis eventibus, atque extra Templum, quamquam nullus ipsis peculiaris character esset, quo id ipsis liceret: nemo nescit Prophetæ Eliæ in Carmelo monte Sacrificia, coram Rege Israel, ac Sacerdotibus Baal, 3. Reg. 18. 32. 33. 34.

Hebræi Doctores [6], quos nonnulli sequuntur Interpretes docent, donec populus in deserto permansit, non licuisse extra Tabernaculum sacrificare; sed hoc interdictum cessasse cum in Galgala pervenere; quia nondum statutus pro Arca aderat locus. Quare fit, Iosue nequaquam simulasse in Monte Hebal sacrificare. Hæc sacrificandi libertas, ubi accommodum videretur magis, viguit, donec in Silo Arca fuit constituta. Ibi mœnia ædificata sunt pro tabulis, quæ Sanctum, & Sanctuarium claudebant, verum adhuc pellibus, ac velaminibus, ut antea obtecta fuere; & illuc se se conferendi ad sacrificia offerenda pro populo rursus cœpit obligatio. Sed simul ac de Silo ablata fuit Arca, & modo in Nobe, modo in Maspha, vel Gabaon posita fuit, eadem, quæ antea, populo fuit permissa facultas, ubi mallet, sacrificandi, usque ad Salomonici Templi ædificationem. Inde autem factum est, Samuelem, Saulem, ipsumque David aliis in locis sacrificasse.

Vetus consuetudo, qua Principibus, Regibusque sacrificandi jus deferebatur, ubi extra ordinem res postularet, nequaquam penitus antiquata fuit apud Hebreos, postquam Sacerdotium Aaronis familiæ cessit, quemadmodum ex allatis exemplis licet inferre. Demosthenes Orat. contra Neeram refert, antiquitus Athenis Regem victimas quascumque sacrificasse; & Reginam conjugem illius omnium Religionis mysteriorum custodem. Cum autem populi multiplicati fuerint, mos hic a Theseo fuit immutatus; verum ut veteris illius consuetudinis memoria minime interiret, Sacrificulus Rex creari occepit, qui sacris semper præesset.

℣. 32. Scripsit super lapides Deuteronomium Legis Moysi.] Ex hoc versiculo duæ prodeunt difficultates, altera quidem de lapidibus; de iis, quæ inscripta fuerunt, altera. Alii afferunt [7] in eodem altari inscriptum fuisse, ac super lapidibus iisdem, super quibus Josue victimas sacrificavit; credunt autem aram hanc lapidibus impolitis

1 תלה על העץ. 2 *Lignum infelix*, seu *arbor infelix*; *arbori infelici suspendito*. Liv. lib. 14. Senec. ep. 101. 3 ἐπὶ ξύλου διδύμου. 4 Talmudistæ apud Masium. 5 Euseb. & Hyeron. in locis, voce *Hebal* & *Garizim*. 6 Rabb. apud Outramum de sacrific. l. 1. c. 2. Vide & Grot. & alios Crit. ad cap. 12. vers. 8, Deuter. 7 Joseph. Antiqu. l. 5. c. 2. Origen. hom. 9. Tostat. hic.

poliris, ut Scriptura ait, ædificatam fuisse, A sed deinde luto fuisse oblitam, ut quæ vellent, possent inscribi. Alii [1] ajunt eltare seorsim ad id ædificatum fuisse, ut quæ Moyses præceperat, scriberentur: sed fateri necesse est, postremam hanc sententiam, nullis suffultam esse argumentis, neque ulla apparere elterius hujus monumenti necessitatem.

Quoad sensum vocis illius *Deuteronomium*, aliquam sententiarum varietatem de hac re in Deuteronomio 27. 3. adnotavimus. Alii de integro Deuteronomio explicant, alii de Decalogo, alii de Legis compendio, quemadmodum sunt benedictiones, ac maledictiones utrimque prolatæ: verum hac in re nihil certi est. Rabbini omnes putant Pentateuchum universum scriptum fuisse, illudque duabus, & Septuaginta Linguis [2], ut nulla natio ignorantiæ excusationem posset prætexere. Ego vero ægre crediderim, Deuteronomium integrum inscribi potuisse, atque multitudini totum lectum fuisse, & explicatum: ad id enim pluribus diebus opus fuisset.

℣. 33. MEDIA PARS EORUM JUXTA MONTEM GARIZIM, & MEDIA JUXTA MONTEM HEBAL.] Media pars exercitus in uno monte constiterat, altera in altero, quemadmodum in Deuteronomio præceptum est. Sacerdotes, quibus Levitæ quidam famulebantur, cum Arca medii positi erant inter utrumque montem, ubi illi benedictiones, & maledictiones enunciabant, se se subinde ad utrumque montem convertentes; ac illi, qui eorum montium juga obtinebant, respondebant *amen* ad quamcumque maledictionem, quam Sacerdotes ex eorum parte proferrent. Hæc omnia prolixius jam in Commentariis in Deuteronomium 27. 12. sumus persecuti.

℣. 34. POST HÆC LEGIT OMNIA VERBA BENEDICTIONIS, & MALEDICTIONIS.] Simulac Populo be- B nedixit, legit, vel a Sacerdote quoppiam; aut Levita jussit legi, benedictiones, & maledictiones expresses in Moyse. Josue plane inter montes Hebal, & Garizim permansit, ut huic ceremoniæ præesset; atque ita renovatum est fœdus, quod in Sinai fuerat percussum. Eorum plerique, qui primo fœderi adfuerant, e vivis excesserant, filii ipsorum memoriam ejusdem instaurant, ac se ipsius conditionibus observandis obstringunt.

1 Drusius, Masius, Serarius, Cajetanus. 2 Vide apud Masium & Serar.

CAPUT IX.

Gabaonitæ Mendacio fallunt Josue, & Seniores Israelitarum. Cum ipsis fœdus percutitur; sed deinde ipsorum fraude cognita aquæ & lignis in Domum Domini deferendis addicuntur.

1. QUibus auditis, cuncti reges trans Jordanem, qui versabantur in montanis, &
campestribus, in maritimis, ac littore magni maris, hi quoque, qui habitabant juxta Libanum, Hethæus, & Amorrhæus, Chananæus, Pherezæus, &
Hevæus, & Jebusæus, 2 Congregati sunt pariter, ut pugnarent contra Josue, & Is-
rael uno animo, eademque sententia. 3 At hi, qui habitabant in Gabaon, audientes
cuncta, quæ fecerat Josue Jericho, & Hai, 4 Et callide cogitantes, tulerunt sibi ci-
baria, saccos veteres asinis imponentes, & utres vinarios scissos, atque consutos,
5 Calceamentaque perantiqua, quæ ad indicium vetustatis pittaciis consuta erant, in-
duti veteribus vestimentis: panes quoque, quos portabant ob viaticum, duri erant, &
in frustra comminuti: 6 Perrexeruntque ad Josue, qui tunc morabatur in castris Gal-
galæ, & dixerunt ei atque simul omni Israeli: De terra longinqua venimus, pacem vo-
biscum facere cupientes. Responderuntque viri Israel ad eos, atque dixerunt: 7 Ne
forte in terra, quæ nobis sorte debetur, habitetis, & non possimus fœdus inire vobis-
cum. 8 At illi ad Josue, Servi, inquiunt, tui sumus. Quibus Josue, ait: Quinam
estis vos? & unde venistis? 9 Responderunt: De terra longinqua valde venerunt ser-
vi tui in nomine Domini Dei tui. Audivimus enim famam potentiæ ejus, cuncta, quæ
fecit in Ægypto, 10 Et duobus regibus Amorrhæorum, qui fuerunt trans Jordanem,
Sehon regi Hesebon, & Og regi Basan, qui erant in Astaroth. 11 Dixeruntque no-
bis seniores, & omnes habitatores terræ nostræ: Tollite in manibus cibaria ob longissi-
mam viam, & occurrite eis, & dicite: servi vestri sumus, fœdus inite nobiscum.
12 En panes, quando egressi sumus de domibus nostris, ut veniremus ad vos, calidos
sumpsimus; nunc sicci facti sunt, & vetustate nimia comminuti. 13 Utres vini novos
implevimus, nunc rupti sunt, & soluti, vestes, & calceamenta, quibus induimur, &
quæ habemus in pedibus, ob longitudinem longioris viæ trita sunt, & pene consum-
pta. 14 Susceperunt igitur de cibariis eorum, & os Domini non interrogaverunt.
15 Fecitque Josue cum eis pacem, & inito fœdere pollicitus est, quod non occideren-
tur: principes quoque multitudinis juraverunt eis. 16 Post dies autem tres initi fœ-
deris, audierunt, quod in vicino habitarent, & inter eos futuri essent. 17 Moverunt-
que castra filii Israel, & venerunt in civitates eorum die tertio, quarum hæc vocabula
sunt: Gabaon, & Caphira, & Beroth, & Cariathiarim. Et non percusserunt eos:
eo quod

eo quod jurassent eis principes multitudinis in nomine Domini Dei Israel. Murmuravit
itaque omne vulgus contra principes Israel. 19 Qui responderunt eis: Juravimus illis
in nomine Domini Dei Israel, & idcirco non possumus eos contingere. 20 Sed hoc
faciemus eis: Reserventur quidem, ut vivant, ne contra nos ira Domini concitetur, si
pejeravimus: 21 Sed sic vivant, ut in usus universæ multitudinis ligna cædant, aquas-
que comportent. Quibus hæc loquentibus, 22 Vocavit Gabaonitas Josue, & dixit
eis: Cur nos decipere fraude voluistis, ut diceretis: Procul valde habitamus a vobis,
cum in medio nostri sitis? 23 Itaque sub maledictione eritis, & non deficiet de stirpe
vestra ligna cædens, aquasque comportans in domum Dei mei. 24 Qui responderunt:
Nuntiatum est nobis servis tuis, quod permisisset Dominus Deus tuus Moysi servo suo,
ut traderet vobis omnem Terram, & disperderet cunctos habitatores ejus. Timuimus
igitur valde, & providimus animabus nostris, vestro terrore compulsi, & hoc consilium
inivimus. 25 Nunc autem in manu tua sumus: quod tibi bonum, & rectum videtur,
fac nobis. 26 Fecit ergo Josue, ut dixerat, & liberavit eos de manu filiorum Israel,
ut non occiderentur. 27 Decrevitque in illo die eos esse in ministerio cuncti populi,
& altaris Domini, cædentes ligna, & aquas comportantes, usque in præsens tempus,
in loco, quem Dominus elegisset.

℣. 1. QUIBUS AUDITIS.] Videlicet, excidio Jericho, & Hai, ac fœderis instauratione solemni in montibus Hebal, & Garizim; Reges Chananæorum sibi præcavendum esse sunt arbitrati, ut Iosue armis obsisterent. Imperator hic in Galgala recesserat, ubi castra, ac generale concilium totius exercitus fuerant pluribus annis; eo igitur illum adierunt Gabaonitæ. A

CUNCTI REGES TRANS JORDANEM, QUI VERSABANTUR IN MONTANIS.] Naturaliter magis verti posset: *Cuncti Reges citra Jordanem*; supposito, quod libri hujus Author in terra Chanaan immoraretur. Alibi ostendimus authographi [1] verba æque significare posse, & *citra*, & *ultra*. Reges, qui montium regionem incolebant, ii præcipue sunt, qui ad Terræ Sanctæ Meridiem erant positi. Amorrhæi magnam regionis illius partem occupabant [2], cum Hethæis, & Jebusæis. B

IN MARITIMIS, AC LITTORE MARIS MAGNI.] Mare magnum est mediterraneum; populi, qui maritimas oras incolebant, Phœnices sunt, Tyrii, Sidonii, & Philistæi; qui postremi quamquam origine Chananæi minime essent, nihilominus sententiæ illi erant obnoxii, qua omnes regionis Chanaan populi terris, bonis, libertate, ac vita spoliabantur, nisi se se dedidissent Israelitis, & nisi superstitiones suas reliquissent. Et quamquam regionibus illis Josue nequaquam fuerit potitus, eas tamen complexus est, cum terras tribubus Israel divisit, ratus Hebræorum virtutis, ac fidei fore, eisdem subinde potiri. C

HI QUOQUE, QUI HABITABANT JUXTA LIBANUM.] Qui habitant ad Meridiem, ac Boream Libani, vel qui sunt Libanum inter, & Antilibanum, & qui ad radices sunt montis hujus in plaga meridionali. Hebraica lectio his adjungit ea, quæ præcesserunt hoc pacto [3]: *Postea omnes magni maris e regione Libani*; perinde ac rem coarctare vellet ad Phœniciæ portus.

℣. 2. CONGREGATI SUNT PARITER ... UNO ANIMO, EADEMQ; SENTENTIA.] Omnes Principes hi concilium inierunt, ut inferendo, repellendoque bello fœdus percuterent adversus Israelitas. Omnes Chananæi populi in illius partem venere, Gabaonitis exceptis. Neque passus est Deus, ut alii ad Iosue elementiam confugerent. *Uno animo, eademque sententia*. Hebraice [4]: *Uno ore*.

℣. 4. CALLIDE COGITANTES TULERUNT SIBI CIBARIA.] Hi populi sapientiores, cautioresque fuerunt præ reliquis Chananæis: etenim arbitrati sunt, cum Deus ipsorum terras perdere decrevisset, frustra ipsius voluntati conaturos obsistere. Antiqua miracula in Ægypto, in rubro mari, in deserto; ac ea, quæ recens in Iordanis transitu, in Ierichuntis, atque Hai excidio contigerant, illis Dei omnipotentiam satis probaverant.

Hebraice habetur [5]: *Illi se se callide gesserunt, illes adierunt, ac se legatos fecere*; vel simularunt se Legatos e longinquis regionibus missos. Hæc verba: *Illi se se callide gesserunt*, referri videntur ad memoratum cæterorum Chananæorum consilium, qui, ut facilius Hebræis possent obsistere, inter se firmam societatem inierant. Gabaonitæ se se aliter gerunt; callide Josue, seniorumque Israel Religionem decipiunt. Chronica Samaritana aliam detegunt viam loci hujus explicandi. Inquiunt enim, exploratores a Josue in terram Chanaan dimissos, astu usos fuisse, ut regionis illius populorum consilia detegerent. Nota hæc loci istius adimit difficultatem; namque illos imitati Gabaonitæ dolo utuntur ad Josue, senioresque Israel fallendos. Vulgatæ Author, Chaldaica versio, Syriaca, & Septuaginta in hebraico textu legerunt vocem, quæ parum ab ea differt, quæ hodie extat ibidem [6]: quandoquidem vertunt; *Tulerunt sibi cibaria*; pro, *se legatos fecerunt*. Superius autem Josue 8. 15. similem offendimus locutionem: *Illi se victos fecerunt*; scilicet se victos simularunt.

SACCOS VETERES ASINIS IMPONENTES.] Editiones quædam Septuaginta legunt [7]: *asinis*, alia vero *humeris*. S. Augustinus quæst. 12. in Josue utramque legendi rationem agnoscit: verum etiam censet præferendam, quæ in Vulgata invenitur.

UTRES VINARIOS SCISSOS, ATQUE CONSUTOS.] Hebraica [8]: *utres*, vel saccos e corio, ubi liquores servantur, *veteres*, *scissos*, *& obligatos*. Ad hanc quoque diem ea viget in Oriente consuetudo in otribus, vel saccis ex hircorum pellibus confectis, in-

1 כל המלכים אשר בעבר הירדן 2 Vide Deuter. 1. 24. 44. Josue 10. 6. Num. 13. 30.
3 ובכל חוף הים הגדול אל מול הלבנון 4 פה אחד. 70. ὁμοθυμαδόν. Vide Reg. 3. ultim. 13. & 2. Paral.
18. 12. Daniel. 3. 51. Judic. 7. 12. 5 ויעשו גם המה בערמה וילכו ויצטירו
6 Legerunt ויצטידו pro ויצטירו. Septuaginta in editione Complutensi habent ἐπεσιτίσαντο; at legendum puto cum editione Romana, ἐπισιτίσαντο. Masius, Drusius, alii. 7 לחמוריהם. 70. ἐπὶ τῶν ὤμων αὐτῶν. Alii; ἐπὶ τῶν ὄνων αὐτῶν. 8 ונאדות יין בלים ומבקעים ומצררים

tus vellus habentibus ; ac bene pice oblitis, vinum ponendi, cum aliò est transferendum.

℣. 5. CALCEAMENTA . . . . PITTACIIS CONSUTA.] Voces hebraicæ proprie significant calceos minutis[1], variisque coloribus aspersos, veluti arietum vellera maculosa[2]. Ipsorum calceamenta variis erant infecta coloribus, veluti viatorum ocreæ pulvere, lutoque conspersæ. Septuaginta: calceamenta, quibus recens soleæ consutæ fuerint.

PANES QUOQUE, QUOS PORTABANT OB VIATICUM, DURI ERANT, ET IN FRUSTA COMMINUTI.] Septuaginta[3]: *Eorum panis siccus erat, varie consectus, corrosusque*: vel juxta Masium, siccus, corruptus, vel mucidus. Aquila; *aridus, & exsiccatus*. Symmachus: *siccus, & ambustus*. Theodotion; *siccus, & cariosus*. Interpretum plerique hebraicum textum vertunt[4]: *panes siccos, & mucidos*, vel panes ambustos, exsiccatos, ac in minuta frusta redactos. Chaldæus Jonathan: Panis, qui erat in cibariis eorum, siccus erat, veluti offulæ[5], vel quemadmodum placentulæ quædam mirum in modum minutæ, & siccæ. Novissima hæc versio melior mihi videtur, & rationibus quibusdam eamdem probare conabor.

Nulla ratio adest, qua probes, hebraicam vocem *Nikkudim* mucidum panem significare, & patet, ipsam procul dubio significare panis genus, vel placentæ delicatum, minutum, & siccum. In hoc sensu adhibitam esse intuemur tertio Regum libro 14. 3. ex omnium Interpretum consensu, sive Hebræi sint, seu Græci, & Latini[6]. Cum Abias filius Jeroboam gravi laboraret morbo, Rex Reginæ conjugi suæ imperavit, ut immutata veste, ne agnosceretur, adiret consultura Prophetam Ahiam de filii sui valetudine: *Tolle*, inquit, *in manu tua decem panes, & crustulam* (Nikkudim), *& vas mellis*. Septuaginta: *Tolle decem panes, & collyras, & vas mellis*. Hæ collyræ species quædam sunt placentæ delicatæ, ac subcinericiæ. In quibusdam Septuaginta exemplaribus legitur; *Tolle uvam, & collyras pro pueris*. Vatablus, aliique Interpretes credunt, has fuisse offellas quasdam, quæ punctis, vel quibusdam figuris perforabantur, ut pulchriores essent; atque ideo fortasse illis *Nikkudim* nomen tribuitur, quod perforatum, & maculosum significat. In Genesi[7] Pharaonis pincerna somnium suum ennarrans Joseph, illi ait, quod capite gestare sibi videbatur *tria canistra perforatorum*. Hoc est profecto placentarum harum, de quibus sermo est. Buxtorfius Syneg. Iudaic. c. 12. loquens de panibus azymis, quibus vescuntur Iudæi in Paschatis festivitate, ait minutos esse, rotundos, ac diversis foraminibus confossos, quæ ferro ad hoc elaborato fiunt. Rabbini[8] *chaavaim* appellant placentas subcinericeas, & offulas, propter earum foramina.

Verum ut ad Iosue locum, quem explicamus, tandem revertamur, ita quidem verti posset: *Panis omnis, quem pro viatico sumpserant, siccus erat, veluti placentæ*. Et ℣. 12. *En panes, quando egressi sumus de domibus nostris, ut veniremus ad vos, calidos sumpsimus, nunc sicci facti sunt velut placentæ*. Hebraici textus constructio illum plane postulat sensum, quem illi modo tribuimus. Nomen *Nikkudim* plurale est, & verbum *erat*, est singulare, æque ac *lechem*, panis. Nequaquam dici naturaliter potest: *Panis est siccus, & illi sunt mucidi*: verum hebraice probe dici posset: Panis est siccus, & offellæ; vel siccus, veluti ofellæ. Præterea legitur vers. 14. hujus capitis, Israelitas Gabaonitarum sumpsisse panes. Cur hanc ex hoc pane sumpserunt, nisi ut cum ipsis una vescerentur in pacis, ac societatis signum? Quodnam hoc fuisset munus, comedendum præbere siccum panem, ac situ, & carie confectum? Verum & siccus panis, alioqnin bonus comedi potest, præsertim cum id officii ergo fit, utque ut dici queat, quod simul comederint, ac de eodem pane manducarint.

℣. 6. ATQUE SIMUL OMNIS ISRAEL.] Hebraice[9]: *Et cuicumque homini Israel*, vel *primoribus Israel*. Gabaonitæ statim profecti sunt ad Israelitas, qui primi occurrerunt; illisque testati sunt cupiditatem, qua flagrabant, ineundi societatem cum ipsis, antequam coram Iosue deducerentur. Israelitæ illis respondent, quæ vers. 7. leguntur, antequam eos Iosue alloqueretur.

℣. 7. NE FORTE IN TERRA, QUÆ NOBIS SORTE DEBETUR, HABITETIS, ET NON POSSIMUS FOEDUS INIRE VOBISCUM.] Gabaonitæ noverant Deum Israelitis præcepisse, ut omnes Chananæorum[10] nationes delerent; illisque interdixisse, ne fœdus ullum cum ipsis inirent: hac de causa se e longinquis accessisse regionibus simulant. Hebræi Domini præcepta violare veriti, ex illis quærunt, an regionis illius incolæ sint: quo in casu eos veluti amicos nequaquam possent excipere, neque ullam cum ipsis societatem inire[11]; nam Chananæi in amicitiam sumi minime poterant, nisi onerosis propositis conditionibus, scilicet, ut Religionem immutarent, ac Israelitis servirent.

℣. 8. SERVI TUI SUMUS.] Hoc simplex urbanitatis officium est; Nullum Gabaonitis consilium erat, se se Hebræis subjiciendi: id si voluissent, nullum opus erat, ut dolo, ac astu ad Iosue fallendum uterentur.

℣. 9. VENERUNT SERVI TUI IN NOMINE DOMINI.] Audita fama miraculorum, quæ Deus vester operatus est: ita quoque Regina Saba Salomonem adiit, *in nomine Domini*[12], ut earum rerum testis esset, quas de ipso fama diffuderat. Ita quoque explicari potest; Venerunt Gabaonitæ, ut verum Deum agnoscerent, veram Religionem amplecterentur, & cum populo illius fœdua inirent[13].

CUNCTA, QUÆ FECIT IN ÆGYPTO.] Non meminerunt eorum, quæ in excidio Ierichuntis, & Hai contigerant, ne ea, quæ dixerant, diruerent; se enim e longinquis regionibus accessisse simulabant, ubi recentia hæc gesta nondum esse poterant vulgata.

℣. 14. SUSCEPERUNT IGITUR DE CIBARIIS EORUM.] Ut cum ipsis in amicitiæ, & pacis signum gustarent, juxta veterem consuetudinem, quæ apud omnes fere populos vigebat. Unum e dogmatibus Pythagoreis illud erat; *non dotes prætergredi sal, & mensam*; videlicet amicitiæ leges infringendæ non sunt, cujus symbola sunt sal, & mensa. Macedones cum sanctius aliquod fœdus percuterent, panem bifariam secabant, atque illum Diis offerebant, ut tradit Q. Curtius lib. 8. Fœdera, quæ in Genesi legimus inter Patriarchas sancita, semper cum epulis conjuncta sunt. Iacob, & Laban cum arctissimum iniissent amicitiæ fœdus, simul epulantur super lapidum cumulum, quos in societatis hujus monumentum erexerant, Genes. 31. 54. Isaac, & Abimelec in reconciliationis signum una vescuntur, Genes. 26. 30. David Psalm. 54. 15. inimicorum suorum crimina exaggerans, ait, se laturum quidem esse illorum contumelias, ac injurias; sed

1 נעלות מטלאות. 70. κατασεσκιασμένα. Alius; ἐπιβαίματα ἔχοντα. 2 Vide Genes. 30. 32. 33. 35.
3 ξηρὸς καὶ εὐρωτιῶν καὶ βεβρωμένος. A. ξηρὸς καὶ ἐψυχρωμένος. S. ξηρὸς κεκαυμένος. T. ξηρὸς καὶ βεβρωμένος.
4 כל לחם צידם יבש היה נקדים 5 יבש היות כסנים 6 Vide Interpretes ad locum citatum, & Masium hic. 7 Genes. 40. 16. שלשה סלי חרי 8 Levit. Munster. in voce חררים
9 ואל איש ישראל 10 Exod. 23. 32. & 34. 15. & Deuter. 7. 2. *Percuties eas usque ad internecionem, non inibis cum eis fœdus, nec misereberis earum*. 11 *Non possumus fœdus inire sociale, quo terra, & plena libertas relinquerentur*, Grotius hic. 12 3. Reg. 10. *Sed & Regina Saba audita fama Salomonis, in nomine Domini venit &c.* 13 Lyran. Serar.

sed hoc maxime exagitari, quod ipsum ille prodiderat, qui simul cum eo dulces capiebat cibos. Apud veteres insignis perfidiæ crimen habebatur, *hospitalitatis mensam* violare, ac veluti inimicum habere illum, quem convivam habuerant. Vide Euripidis Hecubam.

Nonnulli hoc pacto Hebraicum textum vertunt [1]: *ceciderunt in insidias eorum*; in laqueos eorum lapsi sunt, sermonibus eorum decepti sunt. Ex eorum pane acceperunt, ut viderent, an talis esset revera, qualem dixerant, non autem, inquiunt illi, ut vescerentur. Hi autem Interpretes eo innituntur principio, quod panis hic siccus esset, & mucidus. Qua de re adiri ea possunt, quæ superius animadvertimus.

OS DOMINI NON INTERROGAVERUNT.] Non consuluerunt Summum Sacerdotem Rationali indutum cum Urim, & Thummim [2], quibus Deus voluntatem suam prodere consueverat. Potuisset quoque Iosue Dominum in Tabernaculo immediete consulere. Permisit Deus, ut præcautio hæc negligeretur propter eas rationes, quas ipse solus agnovit. Iosue, ac Seniores nequeunt excusari, quod muneri suo hac in circumstantia defuerint.

℣. 15. FECIT JOSUE CUM EIS PACEM.] Iosue illos in spiritu pacis velut amicos excepit; cum illis fœdus iniit. At illos propositis pacis conditionibus excipere potuisset, si Chananæos esse agnovisset? Lex, qua cavetur, ne fœdus ullum, societas, vel hospitium cum Chananæis possit iniri, nonne in omni rigore est intelligenda? & post hæc interdicta, standumne erat iis, quæ Gabaonitis fuerant promissa? Plures adsunt Interpretes [3], qui pro affirmativa parte pugnant, & arbitrantur, Gabaonitis per fraudem Hebræorum amicitiam petentibus, & se advenas, ac peregre profectos simulantibus datam fidem Hebræos obligare minime potuisse, simulac, quinam essent hi simulatores, intellectum est.

At alii [4] volunt, interdictum fœdus cum Chananæis sub ulla pacis conditione ineundi, haud generale fuisse, atque absolutum, sed limitibus definitum, & conditionatum; & quamvis legis verba omnem præcludere videantur fœderis aditum, implicitam subesse tamen quibusdam conditionibus propositis fœderis ineundi facultatem: exempli gratia, si veterem
D Religionem deseruissent, ut hebraicam amplecterentur; si imperata se facturos promitterent, antequam illis bellum inferretur; si se æternum vectigales, subditosque futuros pollicerentur. In iis casibus, non fas tantum, verum etiam æquum erat, petentibus pacem largiri: neque desunt, qui putent, illam etiam offerendam fuisse, antequam bello lacesserentur juxte illud, quod capite 20. 10. Deuteronomii refertur. *Si quando accesseris ad expugnandam civitatem, offeres ei primum pacem: Si receperit, & aperuerit tibi portas, cunctus populus, qui in ea est, salvabitur, & serviet tibi sub tributo.* Hanc Iosue quoque sententiam confirmat, cum ait se omnes Reges Chanaan interfecisse, de quibus est sermo cap. 11. 19. 20.
E *Non fuit civitas, quæ se traderet filiis Israel præter Hevæum, qui habitabat in Gabaon: omnes enim bellando cepit: Domini enim sententia fuerat, ut indurarentur corda eorum, & pugnarent contra Israel, & caderent, & non mererentur ullam clementiam, & perirent.* Quibus innuit, si populi hi dedi maluissent, ac sub tributo servire, ipsos maximam illam, qua interiere universi, calamitatem fuisse evasuros. Præterea eo usque pervadunt nonnulli, ut putent, nullum ipsis imponendum fuisse vectigal, si superstitionibus suis æternum vale dixissent, ac sponte se ipsorum imperata facturos fuissent polliciti. Re quidem ve-
A ra cum eis deesset pro ipsis causa, qua anathemati, ac omnimodo excidio devoverentur neque effectus, pœnasque anathematis iisdem erat subeundum. Denique Rahab exemplum, ac plurimorum Chananæorum, quibus vita, ac bona servata fuerunt, & quibuscum Regm sanctiores fœdus iniere, initumque fideliter servarunt, satis probat, non eam Dei mentem fuisse, ut nulla proposita conditione, ac sine limite ullo Chananæi omnes obtruncarentur. Theologi unanimi consensu docent, fœdus sanciri posse cum infidelibus populis, cum nullum patitur detrimentum Religio; potiori igitur id licet jure, cum pars infidelis cogitur, ut infidelitatem, ac Idolorum cultum relinquat.

Quoad fraudem, qua usi sunt Chananæi, ut He-
B bræorum fallerent Religionem, dicendum videtur, initum fœdus nullum fuisse; & Iosue, ac Israelitas ad fidem præstandam nequaquam potuisse teneri, nam errori incumbebat, qui respiciebat personam. Cum Gabaonitæ se ex illis esse dissimulassent, cum quibus sancire fœdus minime Israelitis fas erat; cumque hi se eisdem vitam servare, illosque amicorum loco habere polliciti fuerint, id saltem implicite supponentes, quod ipsi re vera ii essent, quos se præseferebant; simulac ea corruit suppositio, contractus quoque nullus factus est, neque ulla amplius obligatio permansit. Gabaonitæ ipsi agnovere, posito etiam fœdere, ab Israelitis, ut mallent, affligi posse [5]: *Servi tui sumus*, responderunt illi Josue improbam ipsorum fidem exprobranti; *Nunc autem in manu tua*
C *sumus; quod tibi bonum, ac rectum videtur, fac nobis.* Et Iosue, ut eorum astum puniret, dixit vers. 23. ipsos sub maledictione fore, nec defuturum de stirpe illorum, qui aquam, & ligna in Domini domum inferret.

Verum adversus hæc omnia argumenta, reor, Josoe minime potuisse absolute Gabaonitarum fœdus infringere, neque in eos velut hostes animadvertere, atque illis vitam eripere, quin injustitiam admitteret, ac fidem suam solveret [6]. Gabaonitarum mendacio, ac errori Iosue illud erat tantummodo objectum, nempe horum populorum qualitas, qui se advenas simulabant; si qualitas hæc illicitum minime efficiebat Iosue promissum, & si Gabaonitæ se advenas simulantes nihil adipiscebantur, quod assequi ne-
D quivissent aperte, quinam essent se declarando: patet, errorem hunc haberi non posse essentialem, & qui personam respiciat. Si cum homine quodam nomen, ac patriam mentiente contractum ineo, contractus nihilominus tenet, quamquam fallor, ac falso supposito innitor. Atqui ostendimus, Hebræos æque potuisse fœdus inire cum Chananæis, ac cum exteris quibuscumque populis, quamvis cum differentia quadam quoad conditiones; dicendum est igitur, Gabaonitas veluti hostes haberi non posse, si iis paruerint conditionibus, quæ illis ingeruntur; & Josoe, cum illos maledictioni, ac servituti subjecit, in eos animadvertisse dumtaxat propter ipsorum improbam fidem, ea pœna, quam sinceritate, ac rectitudine potuissent effugere.

Alioquin, Sacramenti religio, ac nominis Divini sanctitas, quod in fœderis testem fuerat vocatum, minime patiebantur, Josue suis promissionibus deesse. S. Ambrosius Officior. l. 3. cap. 10. *Josue tamen pacem, quam dederat, revocandam non censuit, quia firmata erat Sacramenti religione, ne dum alienam perfidiam arguit, suam fidem solveret.* Quod autem æquius fieri poterat, illud erat, novas scilicet Gabaonitis conditiones proponere, fœdus instaorare eo modo, quem jus postulare videretur. Deus ostendit deinceps, qua fide observari vellet id, quod Gabaonitis promissum fuerat. Saul haud æquo zelo corre-

1 ויקחו מצידם. Vide Ionathan. Jun. &c.
2 Drusius, Cornelius, Bonfrerius, Masius, Junius, Piscator.
3 Tostatus, Serarius, Magallian. apud Bonfrer. Vide & August. qu. 13. in Josue.
4 Ita Hebræi, & Masius, Bonfrerius, Serarius, Cornel.us.
5 Josue 9. 25.
6 Vide Grotium de jure belli, & pacis c. 13. art. 3.

prus eorum plures morti addicit ; Deus ob id universum Israel peste percutit, quæ post septem filiorum Regis mortem, quos Gabaonitæ cruci affixerunt, tunc demum [1] desiit. Denique necesse quodammodo erat, Chananæos quosdam superesse in ea regione, ut Patriarchæ Noe prophetia adimpleretur, qua dicitur Chanaan servus futurus esse filiorum Sem, Gen. 9. 26.

INITO FOEDERE.] Credi potest, fœdus hoc fuisse confirmatum victimarum sanguine, atque rite, ac recte, uti rei magnitudo poscebat, sancitum fuisse. Hoc in casu plerumque bifariam victimæ cædebantur, atque inter utramque partem rite contrahentes pertransibant. Vide Genesim c. 15. 10. 17. & Ierem. 34. 18.

℣. 16. POST DIES TRES.] Cum Reges quinque ad obsidendum Gabaon accessissent, Gabaonitæ opem rogatum venere, atque Iosue prodiderunt quinam, & cujates essent.

AUDIERUNT, QUOD IN VICINO HABITARENT.] Inter Galgala, & Gabaon octo circiter aderant leucæ : nam Josephus statuit Gabaon [2] quadraginta, vel quinquaginta ab Ierusalem stadiis, Ierichuntem vero stadiis ab eadem urbe centum, & quinquaginta [3] : itaque Ierichuntis, prope quam Galgal erat, ab Ierusalem distantia sex leucarum esse poterat : ea vero a Ierusalem ad Gabaon leucarum duarum ; urbs Gabaon Sacerdotibus cessit in divisione, qua fecit Iosue c. 21. 17. & Domini Tabernaculum satis diu ibi David imperante, ac Salomone permansit.

℣. 17. DIE TERTIO.] Postquam fœdus ictum est, ac die eadem, qua de periculo Gabaon Iosue factus est certior, Imperator hic discessit ; ac tota nocte progressus quarta die mane coram Gabaon apparuit. Capite 10. 9.

CAPHIRA, BEROTH, CARIATHIARIM.] Urbes *Caphira*, & *Beroth* tribui Beniamin cessere, *Cariathiarim* autem tribui Iuda.

℣. 18. NON PERCUSSERUNT EOS, EO QUOD JURASSENT EIS . . . . IN NOMINE DOMINI.] Observatum superius est, Hebræos minime potuisse interficere Gabaonitas, neque in eos uti jure belli, etiamsi quinam essent, declarassent, nisi Idololatriam deserere abnuissent, ac Israelitis parere : itaque istic Scriptura unam tantum ex iis rationibus memorat, quapropter Hebræi Gabaonitis inferre necem nequiverint, scilicet Sacramenti religionem : neque inde inferri licet, Gabaonitas deleri potuisse, nisi jurejurando vita ipsis promissa fuisset, hoc supposito, quod illi Religionem desererent, ac se se iis submitterent ; quæ jure ab ipsis exigi poterant. Maxime quidem probabile videtur, Hebræos, ut de Gabaonitarum astu pœnas sumerent, illis vitam fuisse ademturos, nisi in officio eos numinis observantia detinuisset, quod fœderi interpositum fuerat. Hic autem, contra plurimorum Interpretum authoritatem, supponimus, Hebræorum jusjurandum æquum fuisse, atque eorum obligasse conscientiam. Qui aliis innituntur initiis, credunt, vi juris nullam sacramenti haberi potuisse rationem, neque obligatorium fuisse, non secus ac solvere minime teneris, quod per errorem pollicitus es pro re non empta [4].

Adnotandum hic reor, quænam esset veterum Hebræorum, quoad jusjurandum, Religio. Summe Divini nominis reverentia capti, nonnisi caute, ac maxima cum difficultate jurabant ; verum promissorum religiosi adeo observatores erant, ut quamvis speciosum aliquid prætexere potuissent, quo se exsolverent religione, fidem minime præstare summum ducerent nefas. Hunc Israelitarum morem noverant Gabaonitæ, atque se operæ pretium utique facturos putarunt, si vel per dolum jurejurando eos devinxissent.

Nondum hæc, quæ nunc tenet sæculum, negligentia Dei venerat, nec interpretando sibi quisque jusjurandum, & leges aptas faciebat, sed suos potius mores ad eas accommodabat. Livius lib. 3. Vide Grotium hic.

MURMURAVIT OMNE VULGUS.] Adversus Principes propter fœdus, quod cum Gabaonitis percusserant. Quin ad fœderis æquitatem, ac rationes enimum adversat, populus turpi tantummodo ducitur utilitate ; atque detrimentum putat, quidquid ipsi non cedit ex Gabaonitarum urbibus, & solo, quæ illi tradiderat Deus.

℣. 21. SED SIC VIVANT, UT IN USUS UNIVERSÆ MULTITUDINIS LIGNA CÆDANT, AQUASQUE COMPORTENT.] Hebraice ad litteram : *Principes dixerunt illis : vivent : sed vivant calones, & lixæ in universæ multitudinis usum*. Gabaonitæ supplicium hoc potuissent effugere, cujates essent minime inficiantes, ac fidem suam probantes : in eos animadvertitur non secus ac in illos, qui belli capiuntur, quibusque vita servatur, ut ex eorum famulatu aliquid percipiatur utilitatis. Ipsis id oneris imponitur, scilicet ut castris, ac Tabernaculo ligna suggerant & aquam ; castris quidem donec ibi immorabitur Israel, ac in exercitus itineribus ; Tabernaculo vero simulac alicubi constiturum esset, ac in divisionis partes Israelitæ adiissent. Credibile autem est, Gabaonitas non usquequaque gratis Israelitis famulatos fuisse [5] ; pro eorum servitute pretium solvebatur : verum serviendi onus excutere minime poterant, atque ea conditione, & loco habebantur, qui humillimus est, atque maxime contemptibilis. Lixæ, & calones, inter eos, qui operam locant, calamitosiores sunt, ac abjectiores, uti ex Athenæo lib. 10. cap. 22. liquet, & ex Deuteronomio 29. 11. In Orientis Regum exercitibus captivi, iique turpiores aquam in itineribus deferre coguntur [6]. Verum non satis liquet, utrum sententia hæc in Galgalis enuntiata fuerit, an prope Gabaon dumtaxat, cum Gabaonitarum regionem adspexere. Veritati nihilominus magis videtur consonum hoc in Galgalis fuisse transactum, simulac populus intellexit, Gabaonitas hos Chananæos esse, atque propter illos sibi cum quinque fœderatis Regibus esse dimicandum.

℣. 23. SUB MALEDICTIONE ERITIS.] Hebraice [7] : *Et modo vos maledicti estis* ; estis e numero populorum illorum, qui anathemati devoti sunt : vel, quodvis maledictionum genus meremini, eo quod nos jurejurando in fœdus adegistis, quod servare non possumus, quin Domini jura infringamus, nisi Religionem immutare, nobisque subjici malitis. Vel, subditi eritis maledictioni servitutis ; ac donec spiritum duxeritis, humillimis servorum operibus exercebimini.

NON DEFICIET DE STIRPE VESTRA LIGNA CÆDENS, AQUASQUE COMPORTANS IN DOMUM DEI MEI.] Iosue tradit Gabaonitas, ac posteros illius domui Domini, illius Tabernaculo, ac Templo, qui inservire deberent Levitis, ac in exteriori parte Templi gravissimis, & abjectissimis operibus exerceri. Hoc igitur pacto servituti supplebant, quam omnis Israel Deo præstare tenebatur, aquam deferendo, ligna cædendo, quæ domui Dei sui suggerere debebat populus ; atque id forte significat, quod dicitur vers. 21. eos universæ multitudini subditos fuisse, videlicet, ut Tabernaculo eam servirent servitutem, quam alioquin universi erant servituri. Vide Bonfrerium ℣. 20. 21.

Quamquam inter Gabaonitarum munia, ea tantum exprimantur, aquam deferendi, ac ligna cædendi, nullus dubio locus est, quin in alia quoque opera adhiberentur, prout res, ac circumstantiæ ferrent. Exempli gratia, cum Templum ædificare occœpit Salomon,

1 3. Reg. 21. 1. 2. & seq. 2 Josephus Antiq. l. 7. c. 10. statuit 40. stad. & lib. 2. de bello Judaic. c. 37. statuit 50. 3 Joseph. lib. 4. de Bello c. 27. 4 Masius hic, Serarius, Tostatus.
5 Vide Sciar. qu. 17. Neheman. in Mas.. 6 Bernerius, *lettres de l'etat d'Indostan*. p. 207. 107.
7 ועתה ארורים אתם

lomon, Gabaonitæ ex eorum proselytorum nomero fuisse perhibentur, qui ad centom & qoinquaginta tria millia operam locarunt, cædendis, levigandisque marmoribus, atque in ædificii hujus constructionem oneribus deferendis 1. Par. 2. 17. 18. & 2. Par. 22. 2.

Cum Gabaonitarum urbes, & agri Israelitis cessissent, eo quod in horum ditionem ii populi accessere; Gabaon Sacerdotibus tradita est, ceteraque loca, quæ ad eam urbem spectabant tribubus Juda, & Beniamio divisa sunt; Gabaonitæ vero in Israel dispersi fuerunt, ac præsertim in Sacerdotum, Levitarumqoe civitatibus, quorum veluti famuli erant, ac ministri. Probabile est, ipsos per turnum Templo inservisse, vel in senos menses, non secus ac Sacerdotes, & Levitæ. Scriptura nihil singulare adfert de Gabaonitis, post David imperium. Multa ipsi passi fuerant, & valde imminori erant propter Saul adversus ipsos persecutionem. Quapropter adactos fuisse reor David, ac Principes Israel, ut traderent servos, qoi Nathinæi vocabantur, qui domui Domini famularentur. Post reditum de captivitate non solum de Gabaonitis nulla fit mentio, verum etiam eorum munere populus functus fuisse videtur. Iudæi ligna in Templum deferebant, atque ne aqua deficeret, provisum fuerat per aquæ ductus. Iosephus lib. 2. de Bello cap. 17. loquitur de festivitate quadam, quam *Xylophoriam* vocabant, qua longo ordine pro altari, ac Templi culinis ligna deferebantur. Plures authores [1] loquuntur de fonte quodam, qui illic erat; quare Gabaonitæ ut aquam, & ligna deferrent, quemadmodum ante captivitatem fecerant, dispensabantur. Legitur apud Esdram lib. 2. cap. 10. 34. *missas fuisse sortes super oblationem lignorum inter Sacerdotes, & Levitas, & populum, ut inferrentur in domum Dei per domos patrumfamilias.* Ex quibus conjicere licet Gabaonitas, si adhuc ulli superesant, parte muoerom suorum fuisse exsoluros, atque aliquid fuisse immutatum de veteri more, quem pro Templi servitio David, & Salomon instituerant.

℣. 25. NUNC IN MANU TUA SUMUS.] Fatentur Iosue non solum potentiorem esse, atque ipsi summam esse authoritatem: verum etiam modum, quo ipsi se cum Israel gesserunt, dolosum fuisse, & supplicium aliquod mereri: illius se justitiæ submittunt, & æquitati. Neque ullam habere vim poscunt fœdus, ac jusjurandum; atque ei utilitati renuntiant, quam potuissent percipere, quippe qui illud dolo, & mendacio extorserant.

℣. 27. USQUE IN PRÆSENS TEMPUS, IN LOCO, QUEM DOMINUS ELEGISSET.] Nihil ex hoc loco licet inferri, ut libri hujus author agnoscatur; preterquamquod dum ille degeret, Gabaonitæ serviebant in eo loco, quem Dominus elegerat, quicumque ille esset. Verba hæc æque conveniunt temporibus Iosue, & Iudicum, & David, & Salomon.

1 Tacit. l. 5. Hist. Eupolem. apud Euseb. l. 9. Præpar. Aristeas de 7. Interpr.

CAPUT X.

Gabaon a quinque Regibus Chananæis obsidetur. Josue suppetias illi fert. Solem detinet; de quinque Regibus refertissimam victoriam reportat, eos interfici jubet, ac de stipite suspendi. Capit deinde urbes Maceda, Lebna, Lachis, Eglon, Hebron, Dabir, aliasque nonnullas.

1. QUæ cum audisset Adonisedec rex Jerusalem, quod scilicet cœpisset Josue Hai,
& subvertisset eam (sicut enim fecerat Jericho, & regi ejus, sic fecit Hai, &
regi illius) & qood transfugissent Gabaonitæ ad Israel, & essent fœderati eo-
rum, 2 Timuit valde. Urbs enim magna erat Gabaon, & una civitatum regalium, &
major oppido Hai, omnesque bellatores ejus fortissimi. 3 Misit ergo Adonisedec rex
Jerusalem ad Oham regem Hebroo, & ad Pharan regem Jerimoth, ad Japhia quoque re-
gem Lachis, & ad Dabir regem Eglon, dicens: 4 Ad me ascendite, & ferte præsi-
dium, ut expugnemus Gabaon, quare transfugerit ad Josue, & ad filios Israel. 5
Congregati igitur ascenderuot quinque reges Amorrhæorum, rex Jerusalem, rex He-
bron, rex Jerimoth, rex Lachis, rex Eglon, simul cum exercitibus suis, & castrameta-
ti sunt circa Gabaon, oppugnantes eam. 6 Habitatores autem Gabaon urbis obsessæ
miserunt ad Josue, qui tunc morabatur in castris apud Galgalam, & dixerunt ei: Ne
retrahas manus tuas ab auxilio servorum tuorum: ascende cito, & libera nos, ferque
præsidium: convenerunt enim adversum nos omnes reges Amorrhæorum, qui habitant
in montanis. 7 Ascenditque Josue de Galgalis, & omnis exercitus bellatorum cum eo,
viri fortissimi. 8 Dixitque Dominus ad Josue: Ne timeas eos: io manus enim tuas
tradidi illos: nullus ex eis tibi resistere poterit. 9 Irruit itaque Josue super eos re-
pente, tota nocte ascendens de Galgalis, 10 Et conturbavit eos Dominus a facie Is-
rael: contrivitqoe plaga magna in Gabaon, ac persecutus est eos per viam ascensus Beth-
horon, & percussit usque Azeca, & Maceda: 11 Cumque fugerent filios Israel, & es-
sent io descensu Beth-horon, Dominus misit super eos lapides magnos de cœlo usque
ad Aze-

ad Azeca : & mortui sunt multo plures lapidibus grandinis, quam quos gladio percusserant filii Israel. 12 Tunc locutus est Josue Domino, in die, qua tradidit Amorrhæum in conspectu filiorum Israel, dixitque coram eis : Sol contra Gabaon ne movearis, & Luna contra vallem Ajalon. 13 Steteruntque Sol, & Luna, donec ulcisceretur se gens de inimicis suis. Nonne scriptum est hoc in libro justorum ? Stetit itaque Sol in medio cœli, & non festinavit occumbere spatio unius diei. 14 Non fuit antea, nec postea tam longa dies, obediente Domino voci hominis, & pugnante pro Israel. 15 Reversusque est Josue cum omni Israel in castra Galgalæ. 16 Fugerant enim quinque reges, & se absconderant in spelunca urbis Maceda. 17 Nuntiatumque est Josue, quod inventi essent quinque reges latentes in spelunca urbis Maceda. 18 Qui præcipit sociis, & ait : Volvite saxa ingentia ad os speluncæ, & ponite viros industrios, qui clausos custodiant : 19 Vos autem nolite stare, sed persequimini hostes, & extremos quosque fugientium cædite : nec dimittatis eos urbium suarum intrare præsidia, quos tradidit Dominus Deus in manus vestras. 20 Cæsis ergo adversariis plaga magna, & usque ad internecionem pene consumptis, hi, qui Israel effugere potuerunt, ingressi sunt civitates munitas, 21 Reversusque est omnis exercitus ad Josue in Maceda, ubi tunc erant castra, sani, & integro numero: nullusque contra filios Israel mutire ausus est. 22 Præcepitque Josue, dicens ; Aperite os speluncæ, & producite ad me quinque reges, qui in ea latitant. 23 Feceruntque ministri, ut sibi fuerat imperatum : & eduxerunt ad eum quinque reges de spelunca, regem Jerusalem, regem Hebron, regem Jerimoth, regem Lachis, regem Eglon. 24 Cumque educti essent ad eum, vocavit omnes viros Israel, & ait ad principes exercitus, qui secum erant : Ire, & ponite pedes super colla regum istorum. Qui cum perrexissent, & subjectorum colla pedibus calcarent, 25 Rursum ait ad eos : Nolite timere, nec paveatis, confortamini, & estote robusti : sic enim faciet Dominus cunctis hostibus vestris, adversus quos dimicatis. 26 Percussitque Josue, & interfecit eos, atque suspendit super quinque stipites : fueruntque suspensi super ad vesperum. 27 Cumque occumberet sol, præcepit sociis, ut deponerent eos de patibulis. Qui depositos projecerunt in speluncam, in qua latuerant, & posuerunt super os ejus saxa ingentia, quæ permanent usque in præsens. 28 Eodem quoque die Macedam cepit Josue, & percussit eam in ore gladii, regemque illius interfecit, & omnes habitatores ejus : non dimisit in ea saltem parvas reliquias. Fecitque regi Maceda, sicut fecerat regi Jericho. 29 Transivit autem cum omni Israel de Maceda in Lebna, & pugnabat contra eam : 30 Quam tradidit Dominus cum rege suo in manus Israel : percusseruntque urbem in ore gladii, & omnes habitatores ejus. Non dimiserunt in ea ullas reliquias. Feceruntque regi Lebna, sicut fecerant regi Jericho. 31 De Lebna transivit in Lachis cum omni Israel ; & exercitu per gyrum disposito oppugnabat eam. 32 Tradiditque Dominus Lachis in manus Israel, & cepit eam die altero, atque percussit in ore gladii, omnemque animam, quæ fuerat in ea, sicut fecerat Lebna. 33 Eo tempore ascendit Horam rex Gazer, ut auxiliaretur Lachis : quem percussit Josue cum omni populo ejus usque ad internecionem. 34 Transivitque de Lachis in Eglon, & circumdedit, 35 Atque expugnavit eam eadem die : percussitque in ore gladii omnes animas, quæ erant in ea, juxta omnia, quæ fecerat Lachis. 36 Ascendit quoque cum omni Israel de Eglon in Hebron, & pugnavit contra eam. 37 Cepit eam, & percussit in ore gladii, regem quoque ejus, & omnia oppida regionis illius, universasque animas, quæ in ea fuerant commoratæ : non reliquit in ea ullas reliquias, sicut fecerat Eglon, sic fecit & Hebron, cuncta, quæ in ea reperit, consumens gladio. 38 Inde reversus in Dabir, 39 Cepit eam, atque vastavit ; regem quoque ejus, atque omnia per circuitum oppida percussit in ore gladii ; non dimisit in ea ullas reliquias, sicut fecerat Hebron, & Lebna, & regibus earum, sic fecit Dabir, & regi illius. 40 Percussit itaque Josue omnem Terram montanam, & meridianam, atque campestrem, & Asedoth cum regibus suis ; non dimisit in ea ullas reliquias, sed omne, quod spirare poterat, interfecit, sicut præceperat ei Dominus Deus Israel, 41 A Cadesbarne usque Gazan. Omnem terram Gosen usque Gabaon, 42 Universosque reges, & regiones eorum, uno impetu cepit, atque vastavit ; Dominus enim Deus Israel pugnavit pro eo. 43 Reversusque est cum omni Israel ad locum castrorum in Galgala.

ỳ. 1. ADONISEDEC REX JERUSALEM.] Septuaginta pro *Adonisedec* legunt *Adonibesec*, quo nomine nuncupabatur quidam Rex Chananæorum Bezec, cujus meminit liber Iudicum 1. 4. 5. Ille, de quo loquimur, Rex erat Ierusalem: nomen illius, quod *Justitia Dominum* significat, eamdem ferme significationem habet, ac *Melchisedec*, qui unus fuit ex prædecessoribus illius, quo *Rex Justitiæ* significatur: addebatur vero nomen *Zedec* nomini Regis Ierusalems & Masius non injuria putat urbem hanc antiquitus Zedec appellatam fuisse, atque ac Salem. Bellum quinque fœderatorum Regum adversus Gabaonitas statui potest tertia die [1], postquam hi populi cum Iosue fœdus inierunt. Quinque fœderati Reges finitimi erant, credebantque celeritate opus esse, ut Gabaon expugnaretur, antequam Israelitæ iis ferrent opem. Cum ipsis terrorem Israel incussisset, ipsam directe bello minime ausi sunt lacessere; sed Gabaonitis fœderatis illius bellum inferunt, ut eorum defectionis pœnas exposcant, atque caveant, ne alii Chananæi Gabaonitarum sequantur exemplum. Rex Ierusalem, qui propinquior erat Hai, & Gabaon, debuit adversus Israelitas opem sibi comparare, nam illum cominus urgebat periculum, ut quamprimum ab hostibus peteretur.

QUOD TRANSFUGISSENT GABAONITÆ AD ISRAEL, ET ESSENT FOEDERATI EORUM.] Hebraicus textus ad litteram redditur [2]. *Quod Gabaonitæ fecissent pacem cum Israel, ac futuri essent in medio eorum*. Quod fœdus inierant cum Israelitis, quibus tradere debebant urbes suas; vel quod Gabaonitæ commorari debebant cum Israel, veluti populus fœderatus, socius, amicus, vel etiam veluti populus, qui eamdem legem, ac Religionem fuerat amplexus; qui quodammodo unum corpus cum Israel evaserat. Hæc verba: *futuri essent in medio eorum*, significare possunt, vel Israelitas permansuros fuisse medios in urbibus Gabaonitarum, vel e contra Gabaonitas in medio Hebræorum.

ỳ. 2. UNA CIVITATUM REGALIUM.] Nuspiam tamen legitur, Regem urbi huic fuisse dominatum. Gabaonitæ, qui convenerunt Josue, ut cum eo fœdus sancirent, se a Rege missos nequaquam asserunt; sed tantum a senioribus terræ Iosue 9. 11. *Seniores, & habitatores terræ nostræ*. Ita quoque Textus Hebraicus, Chaldaicus, & Septuaginta simpliciter [3] legunt: *Erat veluti una ex civitatibus Regalibus*; scilicet, quæ civitatibus Regalibus minimum decedebat.

OMNESQUE BELLATORES EJUS FORTISSIMI.] Hebraice [4]: *Et omnes urbis hujus viri fortes erant*, vel potentes; ideo nec inertia, nec timore adacti fuerant, ut Hebræorum societatem inquirerent, verum callida prudentia ducti, ac politica sapientia præverterunt periculum, ac ea adhibuere consilia, quibus illud effugerent. Vide c. 9. ỳ. 4.

ỳ. 3. AD OHAM REGEM HEBRON.] Septuaginta: *ad Elam Regem Hebron*. Hebron erat in montibus ad meridiem terræ Chanaan. Contigit autem tribui Iuda, & aberat octo, vel decem circiter leucis [5] ab Ierusalem.

JERIMOTH.] Duo erant hujus nominis urbes; altera quidem in tribu Iuda, altera vero in tribu Issachar, Iosue 21. 29. Prior quatuor passuum millibus ab Eleutheropoli aberat [6], ac ab Ierusalem leucas circiter sex.

LACHI.] Ad septem passuum millia, vel leucas tres ab Eleutheropoli meridiem versus distabat [7].

A Urbs hæc percelebris est in Scriptura; ibi Amasias Rex Iuda a rebellibus quibusdam est interfectus 4. Regum 14. Hanc Sennacherib obsidione vallavit 4. Reg. 18. 14. 17. ac exercitus Nabuchodonosor diu adlaboravit, ut ea potiretur, Ierem. 34. 7.

DABIR REGEM EGLON.] Septuaginta: *Dabir Regem Odollam*. Eusebius ait, Hebron vocatum etiam fuisse *Odollam*, illumque ævo suo magnum fuisse locum duodecim passuum millibus ab Eleutheropoli ad Orientem. At urbs Eleutheropolis, de qua sæpius sermo erit, cum Eusebius, ac S. Hieronymus velut centrum eam constituerint, unde plerasque geographicas dimensiones desumunt, juxta Antonini itinerarium viginti millibus passuum ab Ierusalem aberat, meridiem versus. Quoad Eglon urbem, quæ Odollam quoque vocata fuisse dicitur, fides non adeo fa- B cile est adhibenda, nam duæ hæ urbes palam distinctæ fuisse videntur c. 15. 35. 39.

ỳ. 4. QUARE TRASFUGERIT.] Hebraice [8]: *Pacem inierit cum Josue*. Vide vers. 1. capitis hujus.

ỳ. 5. QUINQUE REGES AMORRHÆORUM.] *Amorrhæorum* nomen sæpius pro nomine *Chananæorum* usurpatur. Liquet, Amorrhæos montes incoluisse ad terræ promissæ meridiem positos: verum liquet etiam incolas Jerusalem fuisse Jebusæos [9], incolas vero Hebron, Hethæos [10]; Gabaonitæ, qui Hevæi erant, Amorrhæi aliquando vocantur [11]. Qui legati ad Josue missi sunt, dixerunt illi, se ab omnibus Amorrhæorum Regibus obsideri, seu quod re vera Reges omnes meridionalis regionis Chanaan fœderatos esse C arbitrarentur, seu quod periculum exaggerare vellent, ut acceleraretur auxilium. Sub hujus capitis finem videbimus, in montibus quoque fuisse Reges, qui adversus Gabaonitas fœdus minime inierant.

ỳ. 9. TOTA NOCTE ASCENDENS DE GALGALIS.] Octo circiter leucæ, uti alibi docuimus, a Galgalis ad Gabaon intererant. Josue hac mira, & inexpectata agminis celeritate ex improviso hostes invadit, fugatque, quin illis tempus se se recipiendi permittat.

ỳ. 10. CONTURBAVIT EOS DOMINUS A FACIE ISRAEL.] Hebraicus textus [12] per hæc verba verti potest. Fugavit eos, vel delevit, vel denique terrorem illis incussit. Septuaginta [13]: *in consternationem misit eos*, sive in formidinem. Promiserat Deus, se metus, terrorisque spiritum in Chananæorum corda D immissurum. Exod. 23. 27. *Terrorem meum mittam in præcursum tuum*.

PER VIAM ASCENSUS BETHORON.] Duas cognomines urbes agnoscimus, in tribu Ephraim utramque [14]. Altera superior Bethoron vocatur, inferior altera. Mulier quædam e tribu Ephraim [15] *Sara* nomine condidit, vel saltem duas has urbes instauravit. De earumdem situ non satis constat. Videtur autem altera ad meridiem, altera ad boream fuisse terrarum, quæ cesserunt Ephraim, utraque vero tota soli tribus illius latitudine inter se distabant. Bethoron inferior duodecim passuum millibus, vel stadiis centum ab Jerusalem aberat, testibus Josepho Antiq. l. 10. c. 4. collat. cum l. 2. de Bello c. 20. & Eusebio, qui non satis distinguunt superiorE ne, an inferior duodecim millibus passuum, vel quatuor leucis ab Jerusalem abesset. Reor autem, inferiorem fuisse; nam hæc erat ad Boream Ephraim in finibus Beniamin. *Josue* 18. 3. Septuaginta, ac vetus quidam Interpres Bethoron vocant *Oronim*.

PERCUSSIT USQUE AZECA, ET MACEDA.] Quinque Reges fugam corripuere versus regiones suas, atque de Gabaon profecti sunt versus Azeca, & Maceda, quæ duæ urbes deinceps tribui Juda traditæ fue-

1 Vide superius cap. 9. 16. 17. 2 כי השלימו ישבי גבעון את ישראל ויהיו בקרבם 3 כאחת ערי הממלכה 70. ὡσεὶ καὶ μία τῶν μητροπόλεων τῶν βασιλειῶν. 4 כל אנשיה גברים 5 D. Hieron. & Eusebius eam locant 12. mill. a Jerusalem; Sozomenus 30. mill. Itinerarium Burdigalense 32. mill. Vide Cellar. l. 3. c. 17. p. 347. & Bonfrer. Onomast. 6 Hieron. in locis. 7 Euseb. & Hieron. ibidem. 8 השלימה את יהושע 9 Josue 15. 63. 10 Genes. 23. 2. 3. & 25. 9. 10. 11 2. Reg. 21. 2. 12 ויהמם יהוה לפני ישראל 13 ἐξέστησεν αὐτούς. 14 Josue 15. 39. 15 1. Par. 7. 24. *Filia ejus, (Beria) fuit Sara, quæ ædificavit Bethoron inferiorem, & superiorem*.

fuerunt. Eusebius ait, Maceda ab Eleutheropoli octo passuum millibus abfuisse, orientem versus; at de situ Azeca nihil ait. Ex primo Regum libro 17. 1. civitas hæc prope Soco fuisse videtur; nam exercitus Philisthæorum castra metatus erat inter Soco, & Azeca. At Soco novem passuum millibus aberat ab Eleutheropoli in boreali plaga; Azeca vero plane magis adhuc septentrionem versus erat posita.

℣. 11. DOMINUS MISIT SUPER EOS LAPIDES MAGNOS DE COELO.] Interpretum plerique de grandine intelligunt, magnitudine, ac durisie mira, Alii ad litteram explicant: vide nostram de facto hoc Dissertationem. Hæc lapidum grando ingruit super Chananæos e descensu Bethoron usque Azeca, scilicet ad quatuor circiter itineris leucas. Propheta Habacuc 3. 2. & Josephus Antiq. l. 5. c. 1. ajunt, fulgura, & fulmina tunc de cœlo delapsa, quæ Chananæos perterruerunt; & Scriptura nihil de hac re istic refert.

℣. 12. TUNC LOCUTUS EST JOSUE DOMINO.] Josue hostes suos fugientes intuitus, ac arbitratus sibi eripi voluptatem eos persequendi, penitusque delendi; ad Deum se convertit, ac spe plenus ait coram Israel universo; *Sol contra Gabaon ne movearis &c.* [1] Chaldaica versio, cui Judæorum plerique adhærent, hæc verba *locutus est*, vertit, *laudavit*, composuit, vel cecinit canticum, *Sol contra Gabaon* &c. Hoc erat veluti victoriæ canticum, quod enixam precem complectebatur, qua voti damnatus est.

SOL CONTRA GABAON NE MOVEARIS, ET LUNA CONTRA VALLEM AIALON.] Hebraice ad litteram [2]: *Sol in Gabaon tace, & Luna in valle Aialon*, Josue cum irruisset mane in quinque federatos Reges, eos in fugam egit, ac aliquot horarum spatio est insecutus usque ad descensum Bethoron, valde procul ab urbe Gabaon. Cum Sol tunc medium iter suum peregisset, vel ut Scriptura loquitur, *in medio coeli* esset, Josue dixit illi, ne contra Gabaon moveretur. Cum hostes ab orientali plaga in Occidentalem capessent fugam, Imperator hic in plaga Occidentali Gabaon erat, atque versus urbem hanc se se vertit, ut id syderibus imperaret, quod istic affertur. Creditur tempore eodem Luna apparuisse super vallem Aialon; sed nihil certi est de hac re. Ambigi quoque potest, an tunc illa apparuerit, & an Josue in prece sua, vel cantico locutione utatur sacris scriptoribus satis familiari, in altera versiculi parte repetens, quod dixerat in priori: *Sol contra Gabaon ne movearis, & Luna contra vallem Aialon*; videlicet syderum cursus aliquantisper quiescat. Gabaon, & vallis Aialon idem fortasse locus est, vel duo valde propinqui. Gabaon ad quamdam altitudinem situs erat, quod ipsius nomen innuit; *vallis Aialon* significare potest generatim vallem nemoris [3]. Celeberrimam hanc historiam prolixius in particulari dissertatione ad examen vocavimus.

℣. 13. DONEC ULCISCERETUR SE GENS DE INIMICIS SUIS.] Septuaginta textum ita transferunt [4]: *Donec Deus ultus est* (populum suum) *de inimicis illius*; verbo *ulciscendi* nominativum tribuentes Deum; qui in sensu facile potest Hebraicus textus intelligi: Donec ulcisceretur, ac puniret gentem hanc, quæ populo ipsius erat infesta.

NONNE SCRIPTUM EST HOC IN LIBRO JUSTORUM.] Liber hic justorum citatur etiam secundo Regum c. 1. 18. quod palam ostendit, librum hunc non nisi diu post Josue perfectum fuisse. S. Hieronymus in Ezech. 18. ac Authores quidam Judæi asserunt librum hunc esse Genesim, quod ibi justorum, ac Patriarcharum vita describitur; alii ajunt, hunc quinque Moysis libros complecti, vel librum Legis

A esse, qui vere liber justorum est; verum hæc omnia nullo argumento innituntur. Opinio autem, quæ probabilior videtur [5] ea est, quod Hebræi veteres in ipsis reipublicæ suæ primordiis summa cura in annales referebant, quidquid eorum nationi memoria dignum contingeret; hæc autem monumenta in Tabernaculo servabantur, vel in Templo, atque hæc exarandi provincia, perfectæ ætate, & singulari authoritate viris demandabatur. Hic vero liber justorum liber appellabatur, vel *liber Regum*, vel etiam liber populi Israel, qui *populus rectus* vocatur, vel justus, & *Jaschar*, vel *Jeschurun*, quod nomen est diminutivum ab Israel [6]. Josephus de facto hoc disserens, ait Antiq. l. 5. c. 2. fastis adscriptum fuisse, qui servabantur in Templo.

B Nonnulli putant *librum bellorum Domini*, qui in Numerorum libro 21. 4. citatur, eumdem esse, ac librum justorum, vel saltem ejusdem esse generis, quod satis est probabile, quamquam perspicue satis nequeat demonstrari. Creditur hic justorum liber versibus fuisse conscriptus, quod ea, quæ istic afferuntur, poeticum stylum sapiant; verum non video, cur hoc debeat inferri; aliqua ligata oratione adesse poterant, & aliqua vetera Cantica; sed non ita facile credam, librum universum stylo eodem fuisse exaratum. Vide Bonfrerium hic.

Quæritur utrum locus hic ab Josue eodem scriptus fuerit, an ab alio quodam fuerit deinceps insertus? Inutile fuisset publicorum Annalium testimonium proferre, ut res probaretur, universo populo commu-C nis, & cujus tot testes erant, quot tunc temporis vel Israelitæ degebant, vel Chananæi; verum post Josue obitum, & cum edita in vulgus sunt illius monumenta, ac opus istud, quædam adjici potuerunt verba majoris perspicuitatis ergo, atque citari potuit liber, cujus publica esset authoritas ad miræ adeo rei narrationem confirmandam. Ea est hominum corruptio, ut satis numquam cavere possis, ne locus illis dubitandi supersit de miraculis, quæ in Scripturis referuntur. Cæterum liber justorum, ac liber bellorum Domini penitus interierunt, ac ea tantum reliquiæ superunt, quæ in Canonicis Scripturæ libris citantur.

STETIT ITAQUE SOL IN MEDIO COELI.] Hæc vox D *in medio* istic intelligenda nequaquam est, prout simpliciter aliquam cœli partem significare; Hebraicè textus [7] verba significant medium rei bifariam divisæ; itaque meridiem significat, vel quid omnino simile. Qui putant hoc vespere contigisse, validum quidem afferunt argumentum, videlicet, Josue hoc non petiturum fuisse a Deo, donec plena adhuc esset dies; verum hæc ratio textui minime innititur; atque hoc supposito Josue nequaquam Soli dicere potuisset, *ne movearis contra Gabaon*, nam longius ab eo occasum versus discessisset [8]; Ac dixisset illi revertere contra Gabaon, quæ urbs tunc illi Orientalis fuisset.

NON FESTINAVIT OCCUMBERE SPATIO UNIUS DIEI.] Hebraicus textus verti potest [9]. Non processit Occidentem versus diei unius circiter spatio. E Vel, *non festinavit occumbere post finem diei*. Non pauci existimant diem integram hic significare viginti quatuor horarum intervallum, ac solem super Orizontem triginta sex horis stetisse. Sex jam horis orbem illustrarat, cum detentus fuit; stetit autem immotus horas vigintiquatuor, ac deinde sex horis suum orbem complevit. Hæc est Judæorum sententia; atque apud S. Justinum Martyrem in Dial. cum Tryphone invenitur. Author Ecclesiastici 46. 5. ait: *una dies facta est quasi duo*; videlicet vigintiquatuor horis constitit, duodecim horis in singulos dies recensendo, juxta eorum temporum consuetudinem, quibus singuli

1 Vide Masium hic. 2 שמש בגבעון דום וירח בעמק אילון. 70. στήτω, A. σιώπα. S. σιωπα. Vide nov. edit Hexaplorum. 3 Vide Masium, & nostram dissertationem in hunc locum. 4 עד יקם גוי איביו. ἕως ἠμύνατο ὁ Θεὸς τοὺς ἐχθροὺς αὐτῶν. Symmach. & Arab. 5 Masius hic, & Joseph. l. 1. contra Appion. 6 Deut. 33. 5. *Erit apud rectissimum Rex*, Heb. *Erit in Jeschurun Rex*, vide & Isai. 44. 2. 7 בחצי השמים 8 Vide Masium, Serarium, Bonfrerium, Cornelium. 9 ולא אץ לבוא כיום תמים

singuli dies duodecim inæqualibus horis constabant.

℣. 14. NON FUIT ANTEA, NEC POSTEA TAM LONGA DIES.] Dies illa triginta sex horis perstitisse dicitur; ea vero, quæ Ezechiæ Regis tempore longior facta est [1], duabus tantum, ac triginta horis stetisse. Nam Sol, inquiunt, jam decem percurrerat lineas vel horas in quadrante Ezechiæ; cum Isajas illi præcepit, ut retro reverteretur; retrogradus decem alias lineas relegit, ac deinde ubi fuerat rediit, ut ordinarium duodecim horarum cursum perficeret; juxta hos calculos duabus, & triginta horis dies illa permansit. Verum juxta eorum hypothesim, qui ajunt, solem in ictu oculi in quadrante Ezechiæ retrocessisse, dies hæc duabus, & viginti horis tantum perstitit. Hebraicus textus simpliciter ait [2]: *non fuisse diem illi similem, nec antea, nec postea*. Mahometani credunt, hoc die Veneris contigisse, & solem in cursu suo sesqui hora fuisse immoratum.

Historiæ aliquando solem retardatum fuisse ajunt, exempli gratia Sanctorum Mutii, ac Bessarionis, qui in solitudine vitam agebant, imperio [3]; sed volumina, in quibus gesta hæc referuntur, adeo Sacrorum librorum authoritati decedunt, ut ne conferre quidem hæc miracula velimus, quoad certitudinem, cum iis, de quibus hic sermo. Minus adhuc nos movent Rabbinorum commenta, qui aiunt, ex ipsis quemdam, Gamaliel nomine, Solem detinuisse; nostra non interest facti hujus veritatem probare adversus eos, qui illud in dubium vocarint.

OBEDIENTE DOMINO VOCI HOMINIS.] Locutio hæc adamussim virtutem explicat precum justorum, ut a Deo, quod petunt, obtineant. Si justitiam exercueris: *Tunc invocabis, & Dominus exaudiet, clamabis, & dicet, Ecce ad sum*. Isai. 58. 9. *Desiderium pauperum exaudivit Dominus; præparationem cordis eorum audivit auris tua*. Psal. 10. 17. Hoc itaque pacto Dominus voci hominis appellari potest obediens. Majus aliquid observatur adhuc in facultate Sacerdotibus tradita consecrandi corpus, & Sanguinem J.C. in Eucharistiæ Sacramento. Hebraicus textus simplicius verti posset [4]: *Audiente Domino vocem Hominis*, cum admittere voluerit Deus preces Josue, ac præbere illi illustre adeo signum infinitæ potentiæ suæ, ac protectionis omnipotentis. Chaldaice: *Ita ut Oratio Hominis accepta fuerit coram Deo*.

℣. 15. REVERSUSQUE EST JOSUE CUM OMNI ISRAEL IN CASTRA GALGALÆ.] Versiculus iste extra locum suum hic videtur appositus. Josue tunc demum in Galgala reversus est, cum ea perfecisset, quæ sequentibus versiculis 19. 20. enarrantur. Quædam exemplaria Septuaginta [5] verba hæc minime istic legerat; verum ad capitis calcem rejecere. Masius arbitratur totum versiculum hunc, ac præcedentem, cum decimi tertii dimidio, e libro justorum erutos fuisse, neque esse in Textu Josue. Serarius, & Drusius hæc verba *reversus est*, explicant, perinde ac legeretur, *reverti voluit*, reditum jam meditabatur, cum audiit, quinque Reges in specu latitasse: quare immutato consilio, illos capturus profectus est, ac deinde victoriæ suæ cursum est prosecutus in reliqua meridionali regionis illius plaga, ut infra videbimus. Aliquid nonnumquam factum esse dicimus, quod fieri dumtaxat voluit; exempli gratia, Moyses ait, Genes. 37. 21. Ruben *liberasse Joseph* de manibus fratrum suorum, videlicet ipsum pro virili adnisum fuisse, ut eum liberaret; & Num. 24. 25. inquit Balaam *rediisse*, videlicet iter ingressum fuisse, ut in regionem suam reverteretur. Jonas 1. 16. refert, nautas qui cum ipso in navi aderant, *sacrificia fecisse*, scilicet se sacrificia oblaturos vovisse.

℣. 16. IN SPELUNCA URBIS MACEDA.] Vel potius A in spelunca prope urbem Maceda, vel in agro Maceda. Specus in rupibus excavati passim in iis regionibus inveniuntur. Hi loci ad recessum apprime sunt apti, ac veluti propugnacula, quo se conferunt homines, cum hostes invadunt, & ingruunt bella. Viatores testantur ad hanc quoque diem eam ostendi speluncam, quo hi Reges se se receperant. Hanc hodie murus claudit. Vide Masium hic.

℣. 18. VIROS INDUSTRIOS.] Expertos, solertes. Hebraicus textus simpliciter habet [6]: *Homines, qui custodiant*.

℣. 21. IN MACEDA UBI TUNC ERANT CASTRA.] Josue exercitum suum prope Maceda collegit; illuc enim omnes coituros indixerat.

SANI, ET INTEGRO NUMERO; NULLUSQUE CONTRA B FILIOS ISRAEL MUTIRE AUSUS EST.] Hebraicus textus ad litteram [7]: *in pace reversi sunt, neque linguam quisquam acuit contra unum e filiis Israel*. A pluribus locutioni huic additur *canis* [8]. Ne canis quidem adversus illos latrare ausus est: locutio quidem adagialis, de qua locuti sumus in Exodo 11. 7. cum de iis loqueremur, quæ in Israelitarum exitu de Ægypto contigere. Dum Ægyptiorum domus ploratibus, & clamoribus replerentur, ne canis quidem contra Israelitas latravit. Septuaginta [9] hic vertunt nullus fuit Israelita, qui linguam moveret.

℣. 24. AIT AD PRINCIPES EXERCITUS.] Nisi nobis persuasum esset, Josue tantum agere de mandato Dei, illius numine afflatum, sævitia, qua in miseros devictos Reges animadvertit, haud esset excusanda; C sed ille divinæ tantum executor erat justitiæ adversus Principes impios. Imperavit autem præfectis exercitus sui, ut ponerent pedes super illorum colla, enecarentque, ac deinde illorum cadavera de stipitibus suspenderent: id autem, ut animos adderet populo, ac exercitus sui Principibus adversus hostes eorum, atque ut Chananæis terrorem injiceret, severe adeo, ac fœde desæviens. Moyses futura hæc, quæ hic videmus, in Deuteronomio 33. 29. prædixerat: *Negabunt te inimici tui, & in eorum colla calcabis*.

27. CUMQUE OCCUMBERET SOL.] Josue, ut legi obtemperaret [10], Regum corpora de stipitibus, quibus pependerant, demitti jussit; alibi ad examen rationes vocatæ fuerunt, propter quas hoc Lex præ- D cipiebat. Hæc omnia die eadem transacta sunt, quo Gabaon obsessa est. Extraordinaria diei longitudo ad ea omnia sufficere poterat; ac quinque Regum mors mirabilis adeo victoriæ præclarum extitit veluti tropæum. Itaque dicendum est populum in castra rediisse satis diu ante solis occasum; fieri enim minime potuisset, ut copiæ, quæ tota nocte iter peregerant, a mane usque vesperam diei illius, quæ duarum dierum longitudini fuerat par, hostem persequerentur.

℣. 28. EODEM QUOQUE DIE MACEDAM CEPIT.] Facillimum erat victori huic exercitui eam urbem capere, nam, cum quocumque terror pervasisset, ab hostium clade redeuntibus capi potuit. Sed plerique Interpretum [11] postero die tantum captam fuisse ajunt, at- E que in hanc diem quinque Regum necem differunt, quod nullatenus necessarium videtur.

NON DIMISIT IN EA SALTEM PARVAS RELIQUIAS.] Hebraice [12]: *Ne unus quidem effugere potuit*; urbs servata est, ac hostium manubiæ, sed omnes homines nemine excepto enecati sunt.

℣. 29. TRANSIVIT DE MACEDA IN LEBNA.] Die postero, vel etiam diebus aliquot post cladem hanc castra de Maceda mota sunt, venitque Josue, ut obsideret *Lebnam*; quæ posita erat ad meridiem Maceda prope Eleutheropolim [13]. Cessit illa tribui Juda, Josue

---

1 4. Reg. 20. Isai. 38. 2 לא היה כיום ההוא לפניו ואחריו 3 Vide apud Bonfrerium hic, & Vitas Patrum l. 2. & l. 6. 4 לשמע יהוה בקול איש. καὶ ἐπήκουσε Θεὸς φωνῆς ἀνθρώπου. 5 Edit. Rom. & Codex Alexandr. 6 אנשים לשמרים 7 וישבו . . . בשלום לא חרץ לבני ישראל לאיש את לשנו 8 Masius, Drusius, Cornel. &c. 9 καὶ οὐκ ἔγρυξεν τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ οὐδὲ εἷς τῇ γλώσσῃ αὐτοῦ. 10 Deuteronom. 21. ult. 11 Masius, Serarius, at contra Bonfrerius. 12 לא השאיר שריד 13 Eusеb. & Hieron. in locis.

fue 15. 42. ac deinceps Sacerdotibus tradita, Josue 21. 13. Eam Sennacherib obsidebat [1], cum per nuntios minas intentavit Ezechiæ Regi, ut hic cum omnibus civitatibus suis illi se dederet.

℣. 31. DE LEBNA TRANSIVIT IN LACHIS.] Quotidie magis meridiem versus progrediebatur. Lachis septem passuum millibus, vel leucis tribus cum dimidia abest ab Eleutheropoli in meridionali plaga. Vide superius ℣. 3. Josue urbe hac potitus est *die altero* ℣. 32. videlicet postero die, quam Lebnam ceperat; vel potius obsidionis die secunda; nam Textus hoc velle videtur innuere.

℣. 33. EO TEMPORE ASCENDIT HORAM REX GAZER.] Hic plane cum exercitu profectus est, simulac audivit, urbem hanc a Josue obsidione esse vallatam. Gazer, aliter Gezer, & Gazara, erat prope Azotum, quemadmodum primo Macchabæorum libro. 15. 34. refertur: *in finibus Azoti*. Josephus Antiq. l. 8. c. 11. quoque eam in Palæstina constituit, & secundo Regum 10. 35. dicitur, David a Gabaa usque ad Gezer Philistæos esse persecutum [2]; denique Scriptura Josue 21. 21. docet, Pharaonem Ægypti Regem, cum Chananæis ademisset Gazer, eam dedisse Salomoni genero suo, qui eam instauravit, atque communivit. His omnibus rationibus impellor, ut constituam Gazer ad occasum, & Boream Lachis in regione Philistiim. Urbs hæc tribui Ephraim tradita fuit [3], verum gens hæc non celeriter adeo illius possessionem obtinuit. Josue eam cepisse ex hoc loco non liquet; & aliunde patet, temporibus Salomonis Chananæos ibi imperitasse. Eusebius, & S. Hieronymus eam ponunt ad Boream Nicopolis, vel in Emaus, ad leucam circiter ab urbe hac; atque ideo tres circiter leucas ab Jerusalem Septentrionem versus; quod omni verisimilitudine carere videtur; reor autem eam propius Azotum, ac Philistiim esse statuendam.

℣. 37. REGEM QUOQUE EJUS &c.] Scilicet Regem Hebron, qui illi successerat, quem in caverna Maceda deprehensum antea necaverant, quemadmodum vidimus ℣. ℣. 24. 26. Cum iterum civitate Hebron Chananæi potiti fuissent, Caleb eam iterum illis ademit. Credibile est, Josue, cum urbes has maxima celeritate fuisset adeptus, illisque ignem apposuisset, deinde eas reliquisse, ut ad alias victorias proficisceretur, utendum esse ratus terrore, atque tumultu, qui Chananæos invaserat; sed cum illi, qui periculum evaserant, subinde in desertas urbes revertebantur, eas iterum propugnaculis extructis communiebant; & dum Iosue terras illas peragrabat, ferrum, ignemque ferens, quin captis urbibus præsidia relinqueret, ne ipsius exercitus infirmior evaderet, Chananæi omnem movebant lapidem, ut in iis locis Sedem suam confirmarent, quam primum coacti reliquerant. Peracta igitur soli divisione, tum denique solùm penitus ejecti fuere de civitatibus, quæ cuicumque tribui cesserunt. Scientiæ militaris ratio poscebat, ut Iosue primum hostium capita deleret, ac populi vires adimeret, ne ipsi resistere possent; nam deinde facile erat oppidis potiri, quibus commune aliarum urbium cum minime præsto esset auxilium, quamprimum Israelitarum viribus cessura erant, si illi, aut vi, aut fame eadem sibi subjicere conarentur. At permisit Deus, ut multos in ea regione relinquerent, quin sub ditionem redigerent, quæ ipsis fuit calamitatis causa, & excidii.

℣. 38. INDE REVERSUS EST IN DABIR.] Urbs hæc erat prope Hebron; nam Iosue dicitur inde exercitum reduxisse, ut hoc oppidum obsideret. Eam plane ad latus reliquerat, cum de Lachis, & Eglon in Hebron proficisceretur. Geographi non tesetant verum situm Dabir, neque illius ab aliis cognitis civitatibus distantiam; liquet solum, vetus nomen illius fuisse, *urbem libri*, *Cariat Sepher*, Iosue 15. 15. vel urbem montis Sepher, de qua sermo est in Numer. 33. 23. 24. Vocatur quoque *urbs Senna*, Iosue 15. 49. Othoniel rursus urbem hanc Chananæis eripuit, Iosue 15. 16. & Iudic. 1. 11.

℣. 40. OMNEM TERRAM MONTANAM, ET MERIDIANAM, ATQUE CAMPESTREM, ET ASEDOTH.] Observatum est jam, nec semel, Meridionalem partem terræ Chanaan montibus fuisse asperam, quæ hic Montana, ac Meridiana terra appellatur; Scriptura montibus ad meridiem positis addere consuevit planitiem, quæ *schephala* dicitur [4]. Planities hæc, uti arbitror, erat in occidentali parte terræ montium, de qua loquimur. Abdias 1. 19. illius situm innuit, cum eam Philistæis adjungit; & S. Hieronymus in hunc Prophetam cap. 1. v. 19. ait *sephela* vocari campestria circum Eleutheropolim. Eusebius in locis ad sephela idem confirmat dicens, planitiem universam, quæ est prope Eleutheropolim, in Septentrionali plaga, & occidentali *sephela* nuncupari. Denique in 2. Paralipomenon 28. 18. legimus Achaz regnante, Philistæos invasisse urbes *sephela*, seu planitiei, ibique sedem sibi constituisse; quod probat has urbes ipsorum terris fuisse finitimas; quod ipsum urbes, quæ ponuntur in *sephela*, confirmant; hæ enim sunt Bersabe, Aialon, Gaderot, Soco, Thamna &c. Simon Macchabæus condidit urbem *Adiada* in *sephela*, vel in planitie Iuda 1. Macchab. 12. 38.

ASEDOTH.] Significat agros, & loca humida, & aquosa, vel origines, & colluvies aquarum. Septuaginta in quibusdam exemplaribus legunt *Aseroth* pro Asedoth; *Aseroth* erat quidem in ea regione, sed aliter scribitur.

℣. 41. A CADESBARNE USQUE GAZAM.] Urbs Cadesbarne, de qua prolixius locuti sumus in præcedentibus libris, erat inter australem extremitatem maris mortui, & urbem Gazam; sed propior mari mortuo; Gaza vero erat maxime meridionalis urbium Philistiim, in ora maris mediterranei.

OMNEM TERRAM GOSEN.] Vel *Gessen*, vel *Jesse*, quemadmodum appellatur in Iudith. 1. 9. Reor autem, hanc esse regionem eamdem, ubi habitabant Hebræi, antequam de Ægypto egrederentur. Sententia hæc Paradoxum fortasse videbitur; at si animo concipias, terras Israelitis divisas ad Nilum usque late patuisse [5], & terram Gessen fuisse positam inter hunc fluvium, Arabiam, ac Palæstinam; hoc haud ita mirum fortasse videri poterit. Terra Gessen prope Nilum erat, & in finibus regionis Cusch, vel Arabiæ. Primum quidem ex Genesi 40. 10. & Exod. 2. 3. patet; alterum vero ex Iudith 1. 9. ubi scriptum est, Nabuchodonosor nuntios misisse ad omnem terram Gesse, vel Gessen, usque ad terminos Æthiopiæ, hoc est Arabiæ, vel terræ Cusch: *Misit ad omnem terram Jesse, usque ad terminos Æthiopiæ*. Terra Gessen, ac ejusdem nominis civitas, erat e maxime meridionalibus partis ejus, quæ cessit Iuda, & quæ ad Nilum usque protendebatur [6]. Denique nulla extat in Scripturis ratio, propter quam regio Gosen distingui debeat ab ea, quam olim Israelitæ in Ægypto incoluerant. Alibi demonstratum est, olim regionem hanc neque inhospitam fuisse, neque incultam, uti est hodie. Vide caput Iosue 13. ℣. 3. & Dissertationem in Geographiam huic libro præpositam.

℣. 42. UNO IMPETU CEPIT.] Una tantum expeditione, prælio uno, tempore eodem. Hebraice [7] *semel*. Non desunt, qui autument, Hebron, & Dabir a Iosue aliquot annis post captas fuisse, cum urbes has Caleb in hæreditatem assignasset. At nonne potuit Caleb iterum capere, quod semel ceperat Iosue, quodque hostes receperant?

1 4. Reg. 19. 8. Isai. 28. 8. 2 3. Reg. 9. 15. 16. 17. 3 Iosue 15. 14. & Judic. 1. 10.
4 אל הארץ ההר והנגב והשפלה והאשדות. Vide & Deut. 1. 7. Josue 9. 1. 11. 16. 12. 8. Judic. 1. 9. 2. Par. 28. 18. Jerem. 32. 44. Zach. 7. 7. 5 Vide supra Josue 13. 3. 6 Josue 15. 4. 47. 51. 7 פעם אחת. 70, ...

CAPUT XI.

Victoria Josue de Rege Asor, ac de pluribus aliis Regibus fœderatis adversus Israel. Capit ille omnes eorum civitates, ac delet Gigantes, iis exceptis qui morabantur in Gaza, Geth, & Ascalone,

1. Quæ cum audisset Jabin rex Asor, misit ad Jobab regem Madon, & ad regem Semeron, atque ad regem Achsaph: 2 Ad reges quoque Aquilonis, qui habitabant in montanis, & in planitie contra meridiem Ceneroth, in campestribus quoque, & in regionibus Dor juxta mare: 3 Chananæum quoque ab Oriente, & Occidente, & Amorrhæum, atque Hethæum, ac Pherezæum, & Jebusæum in montanis: Hevæum quoque, qui habitabat ad radices Hermon in terra Maspha. 4 Egressique sunt omnes cum turmis suis, populus multus nimis sicut arena, quæ est in littore maris, equi quoque, & currus immensæ multitudinis. 5 Conveneruntque omnes reges isti in unum ad aquas Merom, ut pugnarent contra Israel. 6 Dixitque Dominus ad Josue: Ne timeas eos: eras enim hac eadem hora ego tradam omnes istos vulnerandos in conspectu Israel; equos eorum subnervabis, & currus igne combures. 7 Venitque Josue, & omnis exercitus cum eo adversus illos ad Aquas Merom subito, & irruerunt super eos, 8 Tradiditque illos Dominus in manus Israel. Qui percusserunt eos, & persecuti sunt usque ad Sidonem magnam, & Aquas Maserephod, campumque Masphe, qui est ad Orientalem illius partem. Ita percussit omnes, ut nullas dimitteret ex eis reliquias. 9 Fecitque sicut præceperat ei Dominus, equos eorum subnervavit, currusque combussit igni. 10 Reversusque statim cepit Asor: & regem ejus percussit gladio. Asor enim antiquitus inter omnia regna hæc principatum tenebat. 11 Percussitque omnes animas, quæ ibidem morabantur: non dimisit in ea ullas reliquias, sed usque ad internecionem universa vastavit, ipsamque urbem peremit incendio. 12 Et omnes per circuitum civitates, regesque earum cepit, percussit, atque delevit, sicut præceperat ei Moyses famulus Domini. 13 Absque urbibus, quæ erant in collibus & in tumulis sitæ, cæteras succendit Israel: unam tantum Asor munitissimam flamma consumpsit. 14 Omnemque prædam istarum urbium, ac jumenta diviserunt sibi filii Israel, cunctis hominibus interfectis. 15 Sicut præceperat Dominus Moysi servo suo, ita præcepit Moyses Josue, & ille universa complevit: non præteriit de universis mandatis nec unum quidem verbum, quod jusserat Dominus Moysi. 16 Cepit itaque Josue omnem Terram montanam, & meridianam, terramque Gosen, & planitiem, & Occidentalem plagam, montemque Israel, & campestria ejus: 17 Et partem montis, quæ ascendit Seir usque Baalgad per planitiem Libani subter montem Hermon: omnes reges eorum cepit, percussit, & occidit. 18 Multo tempore pugnavit Josue contra reges istos. 19 Non fuit civitas, quæ se traderet filiis Israel, præter Hevæum, qui habitabat in Gabaon: omnes enim bellando cepit. 20 Domini enim sententia fuerat, ut indurarentur corda eorum, & pugnarent contra Israel, & caderent: & non mererentur ullam clementiam, ac perirent, sicut præceperat Dominus Moysi. 21 In illo tempore venit Josue, & interfecit Enacim de montanis Hebron, & Dabir, & Anab, & de omni monte Juda, & Israel, urbesque eorum delevit. 22 Non reliquit ullum de stirpe Enacim, in Terra filiorum Israel: absque civitatibus Gaza, & Geth, & Azoto, in quibus solis relicti sunt. 23 Cepit ergo Josue omnem terram, sicut locutus est Dominus ad Moysen, & tradidit eam in possessionem filiis Israel secundum partes, & tribus suas; quievitque terra a prœliis.

ỷ.1. JABIN REX ASOR.] Regibus Asor plerumque hoc idem fuisse videtur nomen *Jabin*; Ille etiam, qui dum Iudices imperarent in Israel, viginti annorum spatio Israelitas in servitutem asseruit Judic. 4. 2. 3. & qui a Barac, & Debora victus fuit Judic. 4. 23. *Jabin* vocabatur.

A Nomen hoc significare potest, *intelligentem*, sapientem, prudentem.

Urbs Asor sita erat ultra lacum *Semechonitidem* in inferiori Galilæa teste Josepho Antiqu. l. 5. cap. 6. Urbs hæc cessit tribui Nephtali Iosue 19. 36. quam non possedit diu, nam cum eam Iosue combussisset,

quod verſ. 13. liquet, Chananæi eam inſtaurarunt, ac rurſus imperium ſuum confirmarunt; atque ibi potentiſſimus Rex imperitabat a Joſue obitu anno præterpropter trigeſimo ſuper centeſimum Iudic. 4. 1. Aſor capta fuit a Teglatphalaſſar 4. Reg. 15. 29. una cum Cades, quæ illi eſt proxima. Ex ipſius nomine vallis Aſor nuncupabatur inter illam, & Cades poſita, ubi præclarum virtutis ſuæ ſpecimen toties præbuit Jonathas Macchabæus adverſus Duces Demetrii [1]. Ioſue hic verſ. 10. ait, urbem Aſor antiquitus diu primum obtinuiſſe locum inter cæteras illius civitates. In iis regionibus, quibus plures Reguli dominabantur, ex his unus eligebatur, cui in communibus bellis, uti Grotius animadvertit, imperii ſummam deferebant. Iabin potentiſſimus erat inter Reges, qui in ſeptemtrionali terræ promiſſæ parte præeſſet. Cum univerſam meridionalem partem Joſue viciſſet, Jabin ratus, futurum ut quamprimum ipſe quoque peteretur, omnes regionis illius Reges collegit adverſus hoſtem communem.

Madon.] Urbis Madon iſtic ſolum meminit Scriptura, & cap. 12. 19. quod mirum admodum eſt, cum hæc eſſet urbs Regalis in regione Chanaan; nec Geographorum ullus ipſius ſitum præfixit. Si cum Septuaginta Romanæ editionis legeretur Maron, inveniri poſſet urbs Maronia, vel Marath in Phœnicia in ſeptemtrionali plaga montis Libani [2]. Nomen *Maron* in textu Hebræo reperitur cap. 12. 20. ubi extra locum ſuum legitur, prope *Semeron*. Neſcio vero, an regio Meros, de qua ſermo eſt in Judicum libro 5. 23. eadem ſit, ac Maron. Litteræ *daleth*, & *reſch* ſæpius confunduntur, & *nun* finalis maximam habet cum *Sain* ſimilitudinem.

Ad Regem Semeron.] Credunt nonnulli, hic ſermonem eſſe de Samaria, quæ deinde regni Iſrael caput extitit. Volunt autem eam per anachroniſmum uſurpari; æque ac verſ. 16. & 21. *Montes Iſrael*, quibus ævo Ioſue nomen hoc nondum acceſſerat. Verum ſententia hæc probari nequit; non ſolum enim *Semeron* hoc nomine haud vocabatur; ſed nec aderat quoque temporibus Joſue. Namque in 3. Reg. l. 15. 23. 24. legimus, Amri Regem Iſrael emiſſe locum montis *Samer*, ubi Samariam a fundamentis extruxit, atque novæ huic urbi *Sameriæ* nomen dediſſe, quo *Domini Samer* ſignificatur. Itaque aſſerere præſtat *Semeron* iſtic eſſe urbem *Symiram* in Celeſyria, quam *Maron*, vel *Marath* proximam eſſe auctores ſunt Plinius l. 5. c. 26. & Mela l. 1. c. 12. Strabo l. 16. eam vocat *Taximyram*. Porro ibi locorum Samaræi, qui e Chanaan originem duxerant, incolebant. Vide Gen. 10. 18.

Ad Regem Achsaph.] Minimum ambigo, quin hæc urbs ea ſit, quam Ecdippam Plinius l. 5. c. 19. Ptolomæus, Joſephus Antiqu. l. 1. cap. 21. & Euſebius in locis appellant; quorum poſtremus eam ad novem paſſuum millia a Ptolemaide, Tyrum verſus conſtituit; ea vero tribui Aſer ceſſit.

℣. 2. Ad Reges quoque Aquilonis, qui habitabant in montanis.] In montibus ſcilicet Libano, Antilibano, & Hermon, qui ab boream terræ promiſſæ conſurgunt. Alibi notatum eſt, populos Celeſyriæ Phœnices fuiſſe, vel Chananæos; itaque ipſorum quoque, non ſecus ac aliorum intererat, Hebræorum vim propulſare. Septuaginta legunt [3]: *Et ad Reges, qui incolebant Sidonem magnam, & in montanis.*

Et in planitie contra Meridiem Ceneroth.] In planiſie, quæ montium radicibus, de quibus modo ſumus locuti, adjacet; & ad quorum meridiem mare Ceneroth ſubſidebat. Nam habita ratione maris Ceneroth, vel Genezareth planities hæc Septentrionem ſpectabat. Septuaginta vertunt [4]: *Miſit in A-*

A *raba e regione Ceneroth*. Servaverunt autem Hebraicum nomen *Araba*, quo nonnumquam occidentem intelligunt; ſed illud Vulgata *planitiem* transfert. Quoad Cineroth, vel Cinereth erat urbs, ex cujus nomine lacus, in cujus litore poſita erat, appellabatur; at de ſitu ipſius non ſatis conſtat. S. Hieronymus in locis in Cenereth arbitratur hanc eſſe Tiberiadem. Bonfrerius vero Capharnaum. Cellarius l. 3. c. 13. Divi Hieronymi ſententiam probat, putatque vocem *chamat*, quæ adhæret Cinereth [5], ſignificare aquas calidas Tiberiadis: itaque urbs Cinereth conſtituenda erit in ora lacus Genezareth Meridionali; Ideoque illuc uſque pars ſoli, quæ contigit Nephtali, cui Cinereth a Joſue tradita fuit [6], eſt protendenda, vel dicendum in libri hujus capite undevigeſimo

B verſ. 35. Cinereth ſignificare lacum, non autem cognominem civitatem.

In campestribus quoque, et in regionibus Dor juxta mare.] In campeſtribus ſuperioris, inferiorisque Galilææ uſque mare mediterraneum, ac urbem Dor. Videtur reliquum regionis illius ſpatium verſus Palæſtinæ meridiem jam devictum fuiſſe; ſeptentrionales tantum partes ſupererant a Dor uſque ad Phœniciæ, montiſque Libani extremitatem. Non liquet, Philiſtæos ullam iniiſſe ſocietatem cum populis Chananæis, plane quod hi populi antiquitus ſibi ſemper fuerant infeſti. Cum enim ab his ſejuncti penitus degerent; Rex Aſor eos minime invitavit, ut cum ipſo fœdus inirent, quamquam aliquot ex eorum urbibus ſupereſſent adhuc, quas He-

C bræi minime devicerant, quemadmodum infra patebit verſ. 22. Dor poſtrema erat civitas Phœniciæ.

Dor ad mediterraneum eſt ſita, ad tres circiter leucas a Cæſarea Palæſtinæ, & ſeptem a Ptolemaide. Septuaginta pro *regionibus Dor* legunt *Nephed Dor* [7], idemque apud Euſebium legitur, atque D. Hieronymum. *Nephet*, vel *Naphet* Hebraice ſignificat proximos, finitimoſque locos. *Nephet Dor*, tractum *Dor*,

℣. 3. Chananæum quoque ab Oriente, et Occidente.] Chananæi Orientales incolebant prope Iordanis litus ad meridiem maris Tiberiadis. Occidui vero ſunt Phœnices, qui in mediterranei maris ora a Dor in Septentrionem Libanum verſus immorabantur.

D Hevæum, qui habitabat ad radices Hermon in terra Maspha.] Mons Hermon erat ad Orientem, & Libani, & originum Jordanis. Variis illum nominibus Scriptura appellat; exempli gratia *Sanir*, *Syrion*, *Baal-Hermon*. Hevæi, de quibus hic ſermo, erant ad montis hujus radices trans Iordanem. Terræ *Maſpha* nomen inditum fuerat ab urbe, vel potius monte, qui *Maſpha-Galaad* [8] nuncupabatur, ubi, ut videtur, Iephte Iudex Iſrael morabatur. Cap. 13. 26. loquitur Joſue de locis editis, vel *Ramath-Maſphe*, vel *Maſpha*: qui locus ceſſerat tribui Gad. Locum hunc nomen deſumpſiſſe reor a fœdere Laban, & Jacob ibidem percuſſo, Geneſ. 31. 48. primum *Mizpha* nomen occurrit, quod ſignificat turrim, vel ſtationem, ubi excubant vigiliæ.

E ℣. 4. Egressi sunt omnes cum turmis suis, populus multus nimis, sicut arena &c.] Septuaginta legunt; *Egreſſi ſunt cum Regibus ſuis, populus adeo frequens, ac arena maris*. Utitur Scriptura ſæpius hac ſimilitudine; populus adeo frequens, ac arena maris; hæc quidem hyperbole eſt; huic figuræ Scriptura aſſuevit, uti quoque aliis orationis ſchematibus, inquit S. Auguſtinus l. 16. de Civit. Dei: *Græci dicunt hyperbolen, quæ utique tropica eſt, non propria, quo tamen modo ceteris tropis uti ſolere Scripturam nullus, qui eam didicit, ambigit*. Ioſephus Antiqu. l. 5. c. 1. retulit, Regum fœderatorum

1 1. Macchab. 11. 67. 72. & Joſeph. Antiqu. l. 13. c. 8.
2 Vide Ptolom. Geograph. & Hieronym. in vita Malchi.
3 Videntur legiſſe מצירון pro מצפון.
4 εἰς τὴν ἄραβα ἀπέναντι Χενέρεθ. בערבה נגב כנרות.
5 Joſue 19. 35.
6 Joſue ibid.
7 εἰς Ναφεδδώρ, בנפות דור.
8 Judic. 11. 29.

rum copias trecenta fuisse peditum millia, equitum decem, curruum vero bellicorum viginti.

EQUI QUOQUE, ET CURRUS.] In Dissertatione de Hebræorum militia videbimus, quænam esset forma, ac usus bellicorum curruum falcatorum. Iosue hos falcatos fuisse non refert, sed plerique Interpretum falcatos fuisse arbitrantur. Verum nihilominus est, heroicis temporibus simplices currus passim adhiberi consuevisse. Præstantissimus quisque de curru prœliabatur, ut ex Trojæ obsidione innotescit, ac ipsi Reges Israel in prœliis ascenderunt currus. Reg. 22. 35. *Rex Israel stabat in curru suo.*

℣. 5. AD AQUAS MERON.] Interpretes non pauci [1] autumant aquas Meron esse lacum Semechonitidem, quem descripsit Iosephus, & qui Iordanis inter originem, lacumque Genezareth interjacet; id
B
autem potissimum hoc argumento probatur, quod in Galilæa nulla præterea magna extat aquarum colluvies. Ast sententia hæc difficultate non vacat: nam primo credibile est, fœderatos Reges ad fines usque regionum suarum processisse, neque passos esse, ut Israelitarum exercitus quindecim, aut viginti leucas in ipsorum terras pervaderet, ut cum ipsis consereret manus prope Asor, ac usque ad lacum Semechonitidem. Secundo Debora in cantico suo laudibus extollit viros Zabulon, & Nephtali, eo quod subiissent discrimen, arma Chananæis inferendo in regione *Meron* [2], vel *Merome*. *Obtulerunt animas suas morti in regione Merome* Iudic. 5. 18. At prœlium hoc dubio procul initum est ad torrentem Cisson in Thanac, & prope aquas Mageddo. Probabile igitur est, fœ-
C
deratos Reges locum hunc occupasse ad torrentem Cisson, ac in terra Meron, ut Israelitis in regiones suas aditum præcluderent.

Sermonis hujus decursus huic favet hypothesi. Eusebius statuit Meron, vel *Merrum*, ad duodecim passuum millia a Sebaste, vel Samaria prope Dothaim, quod cum iis, quæ dicta sunt, maxime congruit. Locus hic maximi momenti erat, ac celebritatis; hic, vel non procul admodum Chananæi Reges a Iosue, ac deinde vero a Barac, & diutius post a Iosia Iudæorum Rege devicti sunt; neque longe urbs Legio posita erat, de qua Eusebius, ac Sanctus Hieronymus loquuntur, cui nomen a Romanis legionibus factum est, quæ in provinciæ præsidium ibi detinebantur. Vide infra cap. 13. vers. 21.
D

℣. 6. CRAS ENIM HAC EADEM HORA EGO TRADAM OMNES ISTOS.] Iosue audiens Chananæos adversus se maximas collegisse copias, a Galgalis versus torrentem Cisson proficiscitur. Ad illum Deus loquitur ea die, qua prœlium præcessit, illique victoriam pollicetur; illique etiam prœlii designat horam in majus suæ promissionis argumentum.

TRADAM VULNERANDOS.] Hebraice [3]: *Tradam vulneratos*, victos, cæsos.

℣. 7. VENIT IOSUE AD AQUAS MEROM SUBITO.] Josephus Antiqu. l. 5. c. 1. ait, Iosue post quinque itineris dies coram hoste adfuisse. A Galgalis ad Merom, authore Eusebio, viginti circiter leucæ intersunt. Sin autem dixeris, Iosue ad lacum usque Semechonitidem processisse, dicendum quoque erit ultra quadraginta itineris leucas perrexisse.

℣. 8. USQUE AD SIDONEM MAGNAM, ET AQUAS MASEREPHOT, CAMPUMQUE MASPHE.] Hebraice ad litteram [4]: *usque ad Sidonem magnam*, (vel potentem) *& Masrephot aquarum* (vel Maserephot aquis affluentem), *& usque ad vallem Mizpha ad Orientem*. Sidonis situs satis patet. Maspha erat trans Iordanem; Maserephot ignota est; reor autem esse Sareptam urbem Phœniciæ, ac Sidoni proximam, &

Tom. II.

A vini celebritate conspicuam. Sidonius Apollinaris carm. 17.

Vina mihi non sunt Gazetica, chia, Falerna;
Quæque Sareptano palmite missa bibas.

Nomen Sarepta fluit ab origine eadem, ac Maserephot. Nonnulli putant, Sareptam nomen hausisse a fornacibus, ubi vitrum, ac metalla conflabantur; sed rei hujus nullum validum satis adfertur argumentum. Rabbini asserunt ibi euripos quosdam in maris littore adfuisse, ubi maris aquæ excipiebantur, ut sal fieret, quemadmodum in oris maritimis assolet. Alii conjiciunt, aquas Maserephot calidas fuisse. Vide Clericum hic. Ex capitis 13. versic. 6. liquet Maserephot fuisse ultra Libanum montem, ac Sidoni proximam. Iuxta Iosue narrationem Impera-
B torem hunc bifariam copias divisisse oportet, vel tetrifariam, ut fugientes persequeretur, atque partem trans Iordanem misisse, partem vero Sidonem versus, & Maserephot: atque ex duorum locorum situ suspicari licet, ipsum pluribus diebus eos fuisse insecutum, ubicumque arma fuerint conserta.

Sidon magna appellatur, vel potens, non eo quod altera minor adfuerit, sed solum propter ipsius magnitudinem, vetustatem, ac opulentiam. Dicitur Sidon filius Chanaan eam ædificasse [5]; sed veritati propius videtur, Sidoni nomen inditum, vel a piscatu, vel a venatu, ut ait Origenes hom. 14. in Iosue. Homerus Odyss. O. loquitur de Sidone urbe jampridem opulentissima, ac celeberrima; multo ante Trojæ obsidionem extiterat, atque Thebarum in
C Bœotia conditores genuerat; eam vero Tyro antiquiorem fuisse nemo inficiatur. Sidone vitri ars fuit adinventa [6]; at maxime floruit, divitiisque affluxit propter commercium, quod cum totius mediterranei populis inierat: illi Arithmeticæ, Astronomiæ, ac Litterarum adinventa accepta referuntur, quæ tamen a nonnullis ipsi denegantur.

℣. 9. EQUOS EORUM SUBNERVAVIT.] Ut eos omnibus operibus, ac bello præsertim inutiles redderet. Deus noluit, populum suum hæc sibi animantia servare, ne illis fretus, ac animi elatus sibi ipsi armorum eventus gloriæ verteret. Deut Hebræis interdicit frequentem equorum numerum [7]; neque illorum usus apud Iudæos usque ad Salomonis regnum conspicitur. Asinis ad equitandum utebantur. David
D quoque subnervavit equos, quos ceperat in bello adversus Regem *Adadezer* 2. Reg. 8. 4.

℣. 10. REVERSUSQUE STATIM CEPIT AZOR.] Hebraice non extat vox illa *statim*, legitur autem simpliciter [8]: *Et Josue eo tempore reversus est, & cepit Asor*. Si Iosue hostem persecutus est Sidonem usque & Maspha, quemadmodum supra dictum est; non adeo *statim* reverti potuit in Asor; aliquot diebus opus erat ad hoc iter.

REGEM EJUS PERCUSSIT GLADIO.] Seu Iabin urbem ingressus fuerit post exercitus sui cladem, seu alius, dum ille abesset, Rex fuerit constitutus. Hæc fuisse dicitur consuetudo proregem cum Regis authoritate eligendi in urbibus, cum Reges in bellum proficiscerentur. Hinc intuemur Reges Israel valde ju-
E venes, cum adhuc patres eorum degerent. Mos hic passim in Perside invaluit.

ASOR ENIM ANTIQUITUS.] Vide, quæ dixerim vers. 1. capitis hujus.

℣. 12. ET OMNES PER CIRCUITUM CIVITATUM.] Hebraice [9]: *Omnes Regum istorum civitates*. Septuaginta: *Omnes Regnorum istorum civitates*; regnorum nempe, quorum Reges, ac exercitus deleti fuerant.

SICUT PRÆCEPERAT EI MOYSES.] Moyses edixerat, ut Chananæi omnes delerentur, qui armata

E 2 manu

---

1 Serar. Bonfrer. 2 Judic. 4. 10. *Qui accitis Zabulon, & Nephtali ascendit cum decem millibus pugnatorum.* 3 אנכי נתן את כלם חללים 4 וירדפום עד צידון רבה ועד משרפות מים ועד בקעת מצפה 5 Vide Genes. 10. 15. & Justin. l. 18. c. 3. *Condita ibi urbe, quam a piscium ubertate Sidona appellaverunt, nam pisces Phœnices Sidon vocant.* 6 Plin. l. 5. c. 19. *Sidon artifex vitri, Thebarumque Bœotiarum parens.* 7 Deut. 17. 16. 8 וישב יהושע בעת ההיא וילכד את חצור 9 ואת כל ערי המלכים האלה.

manu caperentur, præsertim vero Reges eorum, quos Dominus traditurus erat Josue, ac populo suo Deut. 7. 22. 23 & alibi sæpius.

℣. 13. ABSQUE URBIBUS, QUÆ ERANT IN COLLIBUS, ET IN TUMULIS SITÆ, CETERAS SUCCENDIT ISRAEL.] Igne absumpsit urbes omnes, quæ in agris sitæ erant; verum illas servavit, quæ in excelso essent ædificatæ, ac loci natura munitæ; hæ tantum eas, quæ in agris erant, in officio poterant continere. Namque erant veluti arces in regionis præsidium. Hebraicus textus aliter explicari potest [1]: *Sed non combussit civitates, quæ consisterant cum propugnaculis suis*. Ita quoque Septuaginta [2], Chaldaica versio, ac Interpretes quidam intellexere. Deditas servavit urbes, vel eas, quibus nulla armorum vi potitus fuerat, & quin muros, ac propugnacula dirueret, ut aditum sibi aperiret, cogeretur. Ad versionem hanc probandam Jeremiæ locus adfertur [3]: *Ædificabitur civitas super tumulo suo*; videlicet, instaurabitur, illius mœnia rursus condentur, atque extruentur propugnacula. At qui contrariam opinionem tuentur [4], pro se locum ipsum detorquent: *Ædificabitur civitas super tumulo suo*, super collibus, ubi erat ædificata. *Fundamenta ejus in montibus sita*. Harum explicationum utraque optimum affert sensum.

℣. 14. OMNEM PRÆDAM ISTARUM URBIUM.] Septuaginta [5]: *Omnem prædam urbis istius* Asor. Verum Vulgatæ, Hebraicæque lectioni est inhærendum, quæ intelligunt prædam omnium urbium in hoc bello captarum. Ea manubiarum cumulo erant excipiendæ, quæ de mandato Dei anathemati erant devotæ, veluti idola, ac metallum omne illis sacrum; hæc enim omnia flammis erant addicenda, Deuter. 7. 25. *Sculptilia eorum igne combures: non concupisces argentum, & aurum, de quibus facta sunt*.

℣. 15. SICUT PRÆCEPERAT DOMINUS MOYSI . . . . ITA PRÆCEPIT MOYSES JOSUE.] Minime dubium esse debet, quin Moyses plurima suggesserit consilia præsertim Josue, ac illi multa dixerit, quæ in libris ipsius minime extant. Satis erat nihilominus, ut illi committens eas leges, quas a Domino acceperat, generatim illi diceret, ut sibi ea omnia dicta putaret, quæ ipsi dixerat Moyses veluti caput populi Dei.

℣. 16. CEPIT JOSUE OMNEM TERRAM MONTANAM, ET MERIDIANAM.] Vers. hic, & subsequens sunt, veluti anacephalæosis eorum, quæ hactenus dicta sunt de bellis Josue. Dua hic potitus est regione montium, videlicet meridionali plaga terræ Chanaan, quæ a mari mortuo Gazam usque versus extenditur.

TERRAM GOSEN.] Vide supra cap. 10. vers. 41.

ET PLANITIEM.] Quæ est ad radices montium Juda, versus regionem Philistiim. Hebraicus textus duabus utitur vocibus [6], quarum utraque planitiem significat; verum creditur prior excultam potius regionem significare; altera vero terras pastionibus tantum inservientes.

MONTEMQUE ISRAEL, ET CAMPESTRIA EJUS.] Versiculum hunc cum vigesimo primo conferentibus patet, hæc Israel campestria hic poni per oppositionem ad campestria Juda; atque ideo esse intelligendum de montibus, qui erant in parte, quæ contigit Ephraim. Crebro Scriptura loquitur de montibus Ephraim, quæ tribus princeps erat in regno Israel. Hinc innotescit, libro huic manum admotam fuisse post factam decem tribuum a familia David secessionem, & post regnorum Juda, ac Israel divisionem.

℣. 17. PARTEM MONTIS, QUÆ ASCENDIT SEIR, USQ; BAALGAD.] Montes, qui a meridie terræ Chanaan protenduntur Seir versus, usque Baalgad, qui locus hic trans Jordanem statuitur ad radices Libani, vel montis Hermon [7]. Hebraicus textus hoc pacto transfertur [8]: *A monte calvo*, seu arboribus carenti, *ascendendo in Seir, & usque Baalgad*. At fugit, quinam sit mons calvus, & abrasus; liquet solum plurimos terræ Chanaan montes pascuis abundasse; ac inter montes, ii *calvi* appellantur, quorum cacumen arboribus vacat, sed gramine, & pascuis obtegitur; species quædam antithesis adest, inter calvum hunc montem, ac montem *Seir*, quæ vox villosum significat.

PER PLANITIEM LIBANI SUBTER MONTEM HERMON.] Per planitiem, quæ est ad Meridiem, an fortasse ad Libani Boream. Nescio vero, an hæc sit Cœlesyria; ea quippe Libanum inter ac Hermon interjacebat. Vide Tabulam Geographicam. Adnotavimus jam *Maron*, & *Semeron* in Antilibani septentrionali plaga fuisse. Vide vers. 1.

℣. 18. MULTO TEMPORE PUGNAVIT JOSUE.] Harum omnium victoriarum decursum legentes credere potuissent, a Josue unius tantum anni curriculo fuisse relatas. At hujus libri Author nos admonet plurium tantummodo annorum decursu civitates has captas fuisse. Josephus asserit, illum quinque annos insumpsisse; alii vero [9] septem, vel sex cum mensibus aliquot enumerant; quæ posterior sententia hoc pacto probatur. Caleb quadraginta natus erat annos, cum illum a Cadesbarne dimiserat Moyses regiones exploraturum; at sub finem belli octoginta quinque numerabat annos, quemadmodum ille de se ipso refert, Josue 14. 7. *Quadraginta annorum eram, quando misit me Moyses . . . . Hodie octoginta quinque annorum sum, sic valens, ut eo valebam tempore*. Si ab hac octoginta quinque annorum summa quadraginta annos subducis, qui ipsi tunc erant, cum exploratum profectus est, & duodequadraginta, quos in deserto transegit post reditum suum; reliqua erit annorum septem summa, qui Chananæis delendis insumpti fuere. Non semel declaravit Deus rationem [10], propter quam noluerat, Chananæos uno ictu exterminari; illis enim pœnitentiæ tempus præbere voluit, populi sui fidem exercere, ac obsistere, ne sylvestres feræ nimium ea in regione multiplicarentur.

℣. 19. OMNES BELLANDO CEPIT.] Id quadam cum exceptione est intelligendum. Non enim omnes Chananæorum urbes cepit, sed quascumque cepit, bellando cepit [11], præter Gabaon, quæ ultro se dedidit.

℣. 20. DOMINI SENTENTIA FUERAT, UT INDURARENTUR CORDA EORUM.] Deus formidabili justitiæ suæ effectu permisit, ut hi populi, quin se se reciperent, suaque agnoscerent crimina, quibus tot mala meriti fuerant, eorumdem augerent numerum, illisque summa animi pervicacia cumulum adderent. Hoc autem Spiritus Sanctus ostendit iis verbis Sap. 12. 10. *Partibus judicans dabas locum pœnitentiæ non ignorans, quoniam nequam est natio eorum, & naturalis malitia ipsorum, & quoniam non poterat mutari cogitatio illorum in perpetuum in illo tempore*. Potuisset equidem Deus majorem adhuc illis terrorem incutere, eosque impellere, ut ad victoris clementiam confugerent; potuisset etiam omnipotentis gratiæ suæ effectu illorum corda convertere, & nequam illorum voluntatis flectere pertinaciam; sed quemadmodum se divina gratia indignos probaverant, eo quod illius voci restiterant, eum neglexerant, atque obdurati fuerant, Deus incorrigibili eorum nequitia adactus in eos maximo iræ suæ supplicio succenset; parcere nempe

1 רק כל הערים העמדות על תלם לא שרפם. 2 Τὰς πόλεις τὰς κεχωματισμένας.
3 Jerem. 30. 18. *Ædificabitur civitas in excelso suo*. Hebr. על תלה *super tumulo suo*.
4 Ludovic. de Dieu, Boch. Vide Mas. Bonfrer. Cornel. a Lapide. 5 Καὶ ταῦτα τὰ σκῦλα αὐτῆς.
6 את השפלה ואת הערבה. 7 Vide Josue 12. 7. 8 מן ההר החלק העולה שעיר ועד בעל גד. Sym. ἀπὸ ὄρους λεία. 70. ἀπὸ ὄρους χελκά.
9 Rabb. Lyranus, Masius, Serarius, Bonfrerius &c.
10 Exod. 23. 29. Sap. 12. 10. 11. 18. 11 August. qu. 17. in Josue.

nempe abire peccatores juxta vias suas, ac vitiis se se ingurgitare, quæ cæcitatem pariunt, & finalem impœnitentiam.

℣. 21. IN ILLO TEMPORE VENIT IOSUE, ET INTERFECIT ENACIM DE MONTANIS HEBRON.] Reor hanc esse repetitionem eorum, quæ superius 10. 37. dicta sunt de bello Iosue adversus Gigantes e genere Enach, qui morabantur in Hebron, & Dabir. Gigantes hi, cum rursus in eas urbes se se recepissent, a Caleb, cui Hebron cesserat, iterum ejecti fuere, quemadmodum refertur cap. 15. vers. 14. hujus libri, ac in libro Iudicum cap. 1. vers. 10. Itaque verba ea *in illo tempore* nihil aliud significant, quam Gigantes e stirpe Enach a Josue devictos fuisse tempore eodem, quo alias victorias retulit, de quibus cap. 10. est sermo.

ANAB.] Urbs hæc quatnor passuum millibus, authore Eusebio, sive, ut mavult D. Hieronymus in locis heb. Anab, seu Anam, octo aberat a Diospoli in plaga Orientali. Nihil præterea liquet. Masius conjicit hanc eandem esse ac Nob, vel *Betanobe*, quam viatores Lyddæ, vel Diospoli proximam ajunt ad dexteram pergentibus a Ioppe ad Jerusalem.

URBES EORUM DELEVIT.] Hebraice [1]: *Eas submisit anathemati cum urbibus eorum*. Hoc arctandum est ad Gigantum urbes e genere Enach; nam superius vidimus, quod Iosue eas omnes urbes servavit, quæ in altitudine quadam sitæ erant [2], Asor excepto. Nonnulli putant *urbes* hic, ut passim alibi, pro urbium incolis usurpari, qui universi juxta anathematis legem gladio perierant.

℣. 22. NON RELIQUIT ULLUM DE STIRPE ENACIM.] Unde vero extiterunt illi, quos aliquandiu post Caleb de Hebron ejecit? Ii plane se receperant in urbes Geth, Gazam, & Asot, ac deinde in patrias civitates rediere, ut cognoverunt, Iosue, ac Israelitas terræ dividendæ operam dare. Ceterum Gigantes e stirpe Enach Scriptura describit, veluti Gigantes mira corporis proceritate, ac iis viribus, ut quodammodo in proverbium abierint. Israelitæ quoque fatentur, se hominibus illis, vel potius hominum monstris collatos, locustas videri. Creditur insignis ille Goliath, qui tamdiu omnem illudit exercitum Israel, fuisse e progenie Enach; nam erat e Geth, non secus ac alii Gigantes, quos Davidis ævo fuisse cognovimus. De illorum statura e statura Goliath licet judicium ferre: Sex ille cubitorum cum palmo proceritate præstabat [3], videlicet, regiorum pedum decem cum dimidio. Iosephus Antiqu. l. 5. cap. 2. narrat temporibus suis, in Hebron veterum Gigantum ossa ostentari consuevisse, ea magnitudine, ut ægre adducerentur homines, ut hæc esse hominum ossa existimarent.

Nomen Enach agnoscitur in græca voce Anax, quæ tribuitur Regibus, Heroibus, atque illis, qui

A præ ceteris aliquo honore pollent, atque authoritate. Agnoscitur quoque ex Bocharti sententia in nomine *Phœnicum*, quod fluit a *Bene-Anak*, unde *Phænak* extitit, inde vero *Phœnix*. Phœnices Carthaginis conditores hanc urbem vocavere *Chadre-anak*, seu domicilium Anak, ut liquet ex *Pœnulo* Planti. Quamquam ab Enacim nequaquam originem duxerint, hoc nomine gloriam sibi apud exteras gentes comparare voluerunt, quo nomen Enak sua celebritate pervaserat. Sicuti *Anak* hebraice *torquem* significat, non defuere, qui assererent *Anakim* antiquitus torques deferre consuevisse, ut ab aliis secernerentur. E Scriptura patet, Madianitas Reges, qui a Gedeone devicti fuerunt, torquibus omnes ornatos fuisse. *Torquati* veteris Romæ cives torque donati sunt in

B eximiæ virtutis argumentum. At hæc ethymologia parum constat; non est, cur nominis hujus longius originem inquiramus, quam in *Anak* filio Arbæi a Hic autem posteris suis tradidit.

GAZA.] Vel *Haza*, quemadmodum Hebraice scribitur עזה, & ea in regione appellabatur, authore Stephano, erat postrema urbs Philistiim Ægyptum versus. A Gaza in Ægyptum proficiscentibus solitudines dumtaxat occurrebant, ac terræ incultæ, atque arenosæ. Arrianus lib. 3. de Exped. Alex. eam viginti stadiis procul a mari constituit, Strabo vero lib. 16. septem dumtaxat. Dum novissimus hic degeret, jam corruerat; verum Macchabæorum [4] tempore, & cum postremi Judæorum Reges, vel etiam Romæ Titus, Adrianus, Antoninus, & Verus im-

C peritarent, adhuc extabat. Josue quidem minime cepit urbem Gazam, sicuti hic narratur; sed post illius decessum eadem potita est Tribus Iuda [5], cui cesserat in hæreditatem [6]; verum admodum verisimile est urbem illam nondiu illius imperio paruisse. Scriptura ubique fere eam nobis exhibet, veluti Philisthæorum civitatem; eaque semper Iovem coluit, cui nomen *Marnas*, vel Dominus.

GETH.] Quinque passuum millibus, vel leuca, & dimidia ab Eleutheropoli aberat *Diospolim* versus juxta Eusebium, quod nequaquam probari potest. Hæc civitas satis insignis est in Scriptura. Ibi Rex imperabat temporibus David [7], apud quem iste confugit, ut Saul iram effugeret. Goliath ille adeo celebris erat e Geth. Hanc urbem David cepisse cre-

D ditur [8], vectigalemque effecisse; at verisimile est, eam post Salomonis obitum jugum excussisse.

AZOTH.] Vel *Asdod*, quemadmodum Hebræi scribunt, inter Ascalonem, & Iamniam erat posita ad eamdem ferme ab utraque distantiam in ora mediterranei. Dagonis fanum in Azoto in 1. Regum 5. 1. 2. celebre est propter Arcam Domini, quæ illuc a Philistiim translata est. Ionathas Asmonæus Azoto capta falseis hujus numinis delubrum evertit. Vide Iosephum Antiq. l. 22. c. 8.

---

1 עים עריהם החרימם. 2 Vers. 13. 3 1. Reg. 17. 4. 4 1. Macc. 11. 61. 13. 43. 44. Joseph. Antiq. l. 13. cap. 21. vide Cellar. l. 3. c. 13. pag. 369. 5 Judic. 1. 18. 6 Josue 15. 47. 7 1. Reg. 21. 10. *Venit David ad Achis Regem Geth.* 8 2. Reg. 8. 1.

CAPUT XII.

Urbes captæ, ac devicti Reges a Moyse, & Iosue enumerantur.

1. HI sunt Reges, quos percusserunt filii Israel, & possederunt terram eorum trans Jordanem ad solis ortum, a torrente Arnon usque ad montem Hermon, & omnem orientalem plagam, quæ respicit solitudinem. 2 Sehon rex Amorrhæorum, qui habitavit in Hesebon, dominatus est ab Aroer, quæ sita est super ripam tor-

rentis Arnon, & mediæ partis in valle, dimidiæque Galaad, usque ad torrentem Jacob, qui est terminus filiorum Ammon. 3 Et a solitudine usque ad mare Ceneroth contra Orientem, & usque ad mare deserti, quod est mare salsissimum, ad orientalem plagam per viam, quæ ducit Bethsimoth: & ab australi parte, quæ subjacet Asedoth, usque Phasga. 4 Terminus Og regis Basan, de reliquiis Raphaim, qui habitavit in Astaroth, & in Edrai, & dominatus est in monte Hermon, & in Salecha, atque in universa Basan, usque ad terminos 5 Gessuri, & Machati, & dimidiæ partis Galaad, terminos Sehon regis Hesebon. 6 Moyses famulus Domini, & filii Israel percusserunt eos, tradiditque terram eorum Moyses in possessionem Rubenitis, & Gaditis, & dimidiæ tribui Manasse. 7 Hi sunt reges terræ, quos percussit Josue, & filii Israel trans Jordanem ad occidentalem plagam, a Baalgad in campo Libani, usque ad montem, cujus pars ascendit in Seir: tradiditque eam Josue in possessionem tribubus Israel, singulis partes suas, 8 Tam in montanis, quam in planis, atque campestribus. In Asedoth, & in solitudine, ac in meridie Hethæus fuit, & Amorrhæus, Chananæus, & Pherezæus, Hevæus, & Jebusæus. 9 Rex Jericho unus: rex Hai, quæ est ex latere Bethel, unus: 10 Rex Jerusalem unus, rex Hebron unus, 11 Rex Jerimoth unus, rex Lachis unus, 12 Rex Eglon unus, rex Gazer unus, 13 Rex Dabir unus, rex Gader unus, 14 Rex Herma unus, rex Hered unus, 15 Rex Rebna unus, rex Odullam unus, 16 Rex Maceda unus, rex Bethel unus, 17 Rex Taphna unus, rex Opher unus, 18 Rex Aphec unus, rex Saron unus, 19 Rex Madon unus, rex Asor unus, 20 Rex Semeron unus, rex Achsaph unus, 21 Rex Thenac unus, rex Mageddo unus, 22 Rex Cades unus, rex Jachanan Carmeli unus, 23 Rex Dor, & provinciæ Dor unus, rex Gentium Galgal unus, 24 Rex Thersa unus: omnes reges triginta unus.

℣. 1. A TORRENTE ARNON USQUE AD MONTEM HERMUM.] Torrens Arnon in Meridionali plaga regiones omnes claudebat, quibus potiti erant Israelitæ trans Jordanem; Montes vero Hermon easdem in Septentrionali latere complectebatur. Arnon origines ducebat e montibus Galaad, atque cum diu e Septentrione fluxisset in Austrum, in Asphaltitem lacum defluebat illac, qua Iordanes in hoc mare se exonerat. Torrens hic a Josepho Antiqu. l. 4. cap. 4. appellatur fluvius, & equidem numquam arescit. Septuaginta vertunt [1] *a valle Arnon* pro fluvio, seu torrente Arnon. Authographi vox [2] pro torrente, fluvio, ac valle usurpatur; ast hic procul dubio fluvium significat, quod ex sequenti versiculo patet, ubi de ripis Arnon est sermo. Veteres quidam Interpretes Græci legunt *Aroer* pro *Arnon*. Vide novam Hexaplorum editionem hic.

OMNEM ORIENTALEM PLAGAM, QUÆ RESPICIT SOLITUDINEM.] Israelitæ universæ regioni dominabantur, quæ ad Jordanis orientem erat posita a deserto, vel planitie Moab, de qua sæpius locuti sumus, usque ad montem Hermon. Hebraice ad litteram [3]: *possidebant totum Araba* (omnem planitiem) *quod est in Orientali plaga*. Neque S. Hieronymus, neque Septuaginta satis sibi constant, cum vocem *Araba* vertunt; transferunt enim, modo *desertum*, modo *occasum*, modo *planitiem*. Ast liquet hic planitiem [4] significari, & sæpius *Araba* a deserto distingui, & a montibus; *araboth* autem significabant loca plana pastionibus apta, quamvis inculta.

℣. 2. AB AROER, QUÆ SITA EST SUPER RIPAM TORRENTIS ARNON, ET MEDIÆ PARTIS IN VALLE.] Urbs Aroer sita erat ad occiduam ripam torrentis Arnon, ac in media ea valle, quam torrens hic præterfluebat; & regnum Sehon a torrente Arnon, ac urbe Aroer ad meridiem usque ad torrentem Jaboc ad Septentrionem protendebatur.

A DIMIDIÆQUE GALAAD USQUE AD TORRENTEM IABOC.] Montes Galaad a Septentrione in meridiem patebant, a monte Hermon, usque ad origines Arnon, quæ ad mediam longitudinem regionis Sehon erant positæ. Itaque Rex hic *dimidium Galaad* possidebat, videlicet dimidium montium, ac regionum, quæ Galaad nomine appellabantur ad imperii sui Orientem; vel potius medium Galaad possidebat; imperium ipsius ad mediam horum montium longitudinem patebat.

USQUE AD TORRENTEM IABOC, QUI EST TERMINUS FILIORUM AMON.] Torrentis hujus origo est in montibus Galaad, ac ab Oriente in Occasum pergens cum Iordane aquas commiscet [5]. Claudebat hic regionem Sehon ad Boream, Ammonitarum vero ad meridiem. B

℣. 3. ET A SOLITUDINE USQUE AD MARE CENEROTH CONTRA ORIENTEM, ET USQUE AD MARE DESERTI.] Repetit hic, quod dixerat vers. 1. sed latiorem hic aggreditur explicationem. Regnum Sehon ad Iordanis Orientem erat positum, ac secus hoc flumen extendebatur a mare Ceneroth, vel Genesareth in Septentrionali plaga usque ad mare deserti, vel mare salis, vel mare mortuum, vel lacum Sodomorum; quia mare hoc iis omnibus, atque aliis etiam nominibus appellatur. Mare solitudinis hebraice [6] vocatur *mare Araba*, quia extenditur in plana, vel *araboth* Moab trans Iordanem. Ita locus hic verti posset: *A planitie usque ad mare Ceneroth, quod est ad Orientis latus, & usque ad planitiem, ubi est mare salis, ipsum quoque ad latus Orientis*. C

PER VIAM, QUÆ DUCIT BETSIMOTH.] Hæc urbs, authore Eusebio, decem millibus passuum aberat a Iericho; nos vero statuimus eam prope mare mortuum in planis Moab [7]: Occurrebat autem lineæ, quam Iosue a mare Tiberiadis usque ad mare mortuum descripsit. Betsimoth aliter vocatur Betiesimoth, vel Betsimath.

Ab

1 ἀπὸ φάραγγος Ἀρνῶν. 2 מנחל ארנון. Vide Drus. hic. 3 וכל הערבה מזרחה. 4 Vide Masium, & confer hunc locum cum Deuter. 3. 8. 5 Euseb. & Hieron. in locis, Joseph. Antiqu. l. 4. c. 5. 6 ים הערבה. 7 Vide, quæ diximus in Numeror. cap. 33. 49.

AB AUSTRALI PARTE, QUÆ SUBJACET ASEDOTH, USQUE PHASGA.] Hæc est partis meridionalis Regni Sehon descriptio; patebat autem ab *Asedoth usque Phasga*. Vel potius ab *Asedoth-Phasga*, usque ad mare mortuum, uam separari non debet Aseduth u Phasga. Hæc fuisse creditur civitas sita ad radices montis Phasga [1]; vel *Asedoth* significat horum montium declivitatem [2], plana, quæ substernebantur, vel etiam aquarum fontes, qui inde manabant [3]. Sacer Author unum tantum refert meridionalis hujus extensionis terminum, uam immediate supra locutus fuerat de mari mortuo, quod est alterum hujus extensionis punctum.

℣. 4. TERMINUS OG.] De Regno, ac Regis hujus persona prolixius locuti sumus in Commentariis in Numerorum librum cap. 21. vers. 33. & Deuteron. 3. 11.

DE RELIQUIIS RAPHAIM.] Raphaim e regionu Chanaan originem duxerant, atque citra Iordanem immorabantur. Cum quidam ex ipsis Iordanem traduxissent, atque trans hunc fluvium ditionem suam statuissent in regione Basan, ipsorum terris Moyses potitus est Og devicto, quem novissimum fuisse Raphaim ostendimus io Deut. 3. 11.

QUI HABITAVIT IN ASTAROTH, ET IN EDRAI.] Vide Deut. c. 1. vers. 4.

IN SALECHA.] De urbis hujus situ non liquet; constat solum eam in regione Basan fuisse.

UNIVERSA BASAN, USQ; AD TERMINOS (5) GESSURI, ET MACHATI.] Regio Basan, cum Moyses, & Iosue degerent, a torrentu Iaboc in Meridionali plaga patebat usquu ad fines Gessuri, & Machati in boreali ad radices montium Hermon. Septuagintu *Gergesi* pro *Gessuri*,

℣. 5. DIMIDIÆ PARTIS GALAAD TERMINOS SEHON.] Regis hujus imperium, qua occasum spectabat, torrente Iaboc terminabatur, qui originem ducit e media montium Galaad longitudine. Vide vers. 2.

℣. 7. A BAALGAD IN CAMPO LIBANI, USQUE AD MONTEM, CUJUS PARS ASCENDIT IN SEIR.] Hoc ipsum superius cap. 11. vers. 17. relatum est. Iosuu iis omnibus regionibus potitus, quæ inter *Baalgad*, & Libanum in Septentrionali plaga, & montes Seir in Meridionali interjacent, eas filiis Israel partitus est. Eu Hebraicum textum ad litteram redditum [4]; *a Baalgad*, quæ est *in valle Libani usque ad montem Chalac, qui ascendit in Seir*. Quemadmodum authoribus negotium facessat mons hic *Chalac*, quem vertunt montem calvum, seu uudatum, superius observatum est. Reor autem apte hunc sensum utrique hebraicæ lectionis loco, ubi hæc vox occurrit, tribui posse. Iosue potitus est *omni regione, quæ est trans Jordanem in Septentrionali plaga a Baalgad ad radices Libani, & montis Hermon* versus eum locum, ubi hi montes conjunguntur, *usque ad montes separationis*, qui regionem Chanaan a Seir regione discriminant, ac Idumæam versus attolluntur. Montibus, qui ad Iudææ Meridiem sunt positi, nullum melius nomen convenit, quam montium separationis. Tabulam satis est inspicere, ut veritas hæc innotescat. Aliæ explicationes longius accersitæ videntur, atque obscuræ.

℣. 8. IN ASEDOTH.] Ex narrationis decursu conjicere licet, vocem hanc in generali sensu essu accipiendam pro irrigatis locis, & excultis, ac pro vallibus. Vide vers. 3.

℣. 9. HAI, QUÆ EST EX LATERE BETHEL.] Urbem Hai, de qua sermo fuit cap 7. ab alia cognomine distinguit, quæ erat Ammonitarum [5]. In Versiculis, qui consequuntur, de iis tantum civitatibus loquemur, de quibus nihil hactenus dictum est.

℣. 13. GADER.] In tribu Iuda, quæ eadem est, ac *Gador*, cujus meminit liber 1. Paralipomenon 4. 39. & quæ Gedor in Iosue 15. 58. vocatur, ac in libris Macchabæorum [6]. Tribus Simeon urbem hanc Chananæis ademit, qua Antiochus Demetrii filius Simeonis Macchabæi ævo potitus a Cendebæo propugnaculis muniendam curavit. Videtur quidem non procul a Iamnia absuisse, at illius situs statui non potest. A Strabone l. 16. Godaru appellatur, atque propius Ioppe, & Iamniam statuitur.

℣. 14. HERMA.] Vel Horma, & Harma. Nomen hoc significat *anathema*. Credunt nonnulli hunc esse locum, ubi Israelitæ in fugam acti fuere a Chananæis, quos illi contra Domini edictum adoriri voluerant Numer. 14. 45. Sed aliquot annis post cum Rex Arad Israelitis bellum intulisset, hi regionem illius Domino devoverunt, ac locum, ubi devotio peracta fuit, *Horma* appellarunt Numer. 21. 3. qui antea Sephaat nuncupabatur. Vide Judic. 1. 17. Hinc autem argumentum, quo suam sententiam probent, ii valent depromere, qui ajunt *Herma*, de qua hic sermo est, eamdem esse, ac illa, de qua mentio fit in libris Numerorum, scilicet primum, quod Herma cum Arad, vel Arud memoratur; secundo, quod tribui Ioda tribuitur Iosue 19. 2. 4. turtio, quod ponitur cum Siceleg capite 19. vurs. 4. 5. hujus libri. Horma parum aberat ab Arad, vel Ered, & Siceleg. *Arad*, vel *Ered*, vel *Adar*, vel *Arada* [7] viginti passuum millibus ab Hebron distabat, a Malathi vero quatuor, authore Eusebio, inter Cadesbarne, & Almonam.

℣. 15. ODULLAM.] Vel *Odollam*, vel *Odolla* civitas tribus Iuda [8], qua orientem spectabat, decem passuum millibus ab Eleutheropoli dissita [9], satis insignia est propter recessum David, qui calamitatibus actus, in speluncas Odollam se se recepit 1. Regum 22. 2.

℣. 17. TAPHUA.] In tribu Iuda. De urbis hujua situ non coustat; altera ejusdem nominis civitas erat in finibus Ephraim, & Manasse.

OPHER.] Reor hanc eamdem esse, ac Opheram in tribu Beniamin, du qua Iosue 18. 1. Altura quoque aderat in tribu Zabulon, quæ Prophetæ Ionæ patria fuisse perhibetur. Bonfrerius, ac Cellarius innuere videntur de hac Iosue istic habere sermonem. Vide Bonfrerium Onomast. & Cellarium l. 3. c. 13. in Epher.

℣. 18. APHEC.] Vel *Apheca*. Plures fuerunt urbes cognomiues. Una quidem in tribu Aser, Josue 19. 30. Altera in tribu Iuda 1. Reg. 4. 1. & 29. 1. ac tertia in Syria 3. Reg. 20. & 4. Regum 13. Minime vero dubium est, quin du duarum priorum alterutra loquatur hic Josue; verum nulla extant argumenta, quibus hanc, vel illam esse credamus. Quarta etiam hujus nominis civitas extat in tribu Issachar, si fides sit penes S. Hieronymum: at Bonfrerius minime credit hoc ex Scripturis probari posse. Ego veru urbem *Aphec* in tribu Aser minimum differre arbitror ab Aphec Syriæ.

SARON.] Vel *Lasaron* [10], uti habet hebraica lectio, Chaldaica, & Septuaginta. Vulgata credidit litteram L in hujus vocis initio servilem esse, ac significare tantum ipsam referri ad Regem, qui eamdem præcedit. Alii putarunt *Lasaron* urbis esse nomen diversæ ab urbe *Saron*, quæ est io regione Basan trans Iordanem [11], ac agrorum ubertate celeberrima [12], *Decor Carmeli, & Saron*. Urbs autem, de qua hic sermo, prope Lyddam urat posita, & credunt hanc eam esse *Saronam*, de qua in Actis Aposto-

1 Vide Josue 13. 20. 2 Ita Masius. 3 Pagninus, Munsterus.
4 מבעל גד בבקעת הל בנון ועד ההר החלק העולה שעירה. 5 Jerem. 49. 3. 6 Macchab. 15. 39.
40 In Græco, ut & in Josepho appellatur Gazara. 7 Vide, quæ diximus Numer. 33. 24.
8 Josue 15. 35. 9 Euseb. & Hieronym. in locis Hebr. 10 מלך השרון. 11 1. Par. 5. 16.
12 Isai. 33. 9. & 35. 2.

postolorum 9. 35. est sermo. Esse quoque potest Saron nomen agri, vel tractus terræ, non autem urbis; cui explicationi id, quod versiculis 22. 23. legimus, suffragetur. Loquitur ibi Scriptura de Saron potius, perinde ac esset regio quædam, non autem urbs singularis. Eusebius ait, agrum, qui a Cæsarea Palæstinæ ad Ioppen usque patet, Saron appellari.

℣. 19. MADON.] De hac civitate locuti sumus cap. 11. 1.

℣. 21. THENAC.] Vel Thanac, in dimidia tribu Manasse citre Iordenem est posita ad tria passuum millia a Legione: quæ urbs satis celebris est in Locorum libro ab Eusebio descripto, ac a S. Hieronymo latine reddito. Sita erat inter montem Thabor, ac mare mediterraneum quindecim millia passuum a Nazareth Occasum versus [1]. In Thanac Sisara victus fuit e Barac Iudic. 7. 9. quæ urbs Levitis assignata fuit, Iosue 21. 25. sed Chananæi, qui eadem plane post mortem Iosue potiti sunt, expelli minime potuerunt Iudic 1. 27.

MAGEDDO.] Urbs hæc erat prope torrentem Cisson, ubi Sisera victus fuit; cessit autem Tribui Manasse Iosue 17. 11. Agrum Mageddo insignem fecit clades Iosiæ Regis, qui Nechao Regis Ægyptiorum transitum conatus est præpedire 2. Paralip. 35. 22. Debora loquitur de aquis Mageddo Iudic. 5. 19.

℣. 22. CADES.] Vel Cedes in tribu Nephtali in Galilæa fuit urbs Levitarum, & refugii Iosue 20. 7. Viginti passuum millibus aberat a Tyro Paneadem versus. Hæc autem urbs *Cades* haud eadem est, atque *Cadytis*, quam Herodotus lib. 2. cap. 159. fuisse ab Ægypti Rege captam tradit. Nec procul abest a Mageddo, ubi Iosias victus est.

REX JACHANAN CARMELI.] Vidimus jam in versic. 18. Iosue nonnumquam designare patriam Regis, de quo loquitur per regionem illam, ubi regnat; hoc autem versiculo, & sequenti urbis nomen regionis nomini adjungit: sed vers. 18. locutus de Rege Saron, & vers. 23. de Rege gentium; de uno duntaxat ait, ipsum regnasse in terra Saron, de altero vero in terra Galgalæ, quin urbium nomina referat.

Jachanan Carmeli erat prope montem Carmelum. Appellatur quoque Iecnam, vel Ieconam; ea vero Levitis tradita fuit [2] in tribu Zabulon.

℣. 23. REX DOR, ET PROVINCIÆ DOR.] Hebraice [3]; *Rex Dor terræ Dor*. De terra, seu regione Dor ad mediterraneum in dimidia tribu Manasse locuti sumus. Septuaginta servarunt hebraica vocabula [4], *Rex Dor*, *Naphat Dor*.

REX GENTIUM GALGAL.] Nomine Galgal nequaquam naturaliter intelligi potest locus, ubi post Iordanis transitum Israelitæ castra metati fuerunt. Ibi enim nec Rex aderat, nec urbs. Singularis loci hujus constructio impellit, ut credas, Galgal significare regionem aliquam terræ Chanaan; ac locorum recensio, de quibus supra, atque infra sermo est, persuadet, regionem hanc citra Iordanem fuisse, ac in terræ promissæ boreali plaga. Hinc Interpretes non pauci arbitrati sunt, hunc Regem in superiori Galilæa imperitasse, quæ Galilæa Gentilium appellabatur. Nomen Galgal apertam habet cum Galilæa similitudinem; & Regna, de quibus sermo fuit, non procul absunt.

At enim, Galilææ nomen recens est; atque regioni illi tum demum inditum fuit, cum tribus Zabulon, Aser, & Nephtali in Assyriorum regnum a rege Teglarphalassar translatæ sunt. Cum enim tractus hic Gentilibus, populisque idolorum cultoribus repletus esset, illi impositum est nomen Galilææ Gentilium. Ast non satis umquam probaveris nomen Galilææ recens esse; immo omnis veri species adest, ipsum multo antiquius fuisse, quam credideris, quandoquidem in Isaia occurrit, ac in Regum libris in Salomonis historia. Ibi enim Rex hic dicitur dedisse Hiram urbes viginti [5] *in terra Galilæa*, quas Hiram recusavit; atque locum, ubi sitæ erant, terram *Chabul* vocavit. Et Isaias prænuncians futuram Salvatoris in Galilæa prædicationem, ait [6]: *Terram Zabulon, & Nephtali . . . . & Galilæam Gentium vidisse lucem magnam*. Hæc regio in iis locis, quos attulimus, Hebraice *Gelil* appellatur; sed plerique fatentur hoc idem esse ac *Galgal* [7], de quo hic sermo: traditur illi nomen *Galilæa Gentium*, quod ibi frequentes aderant Ethnici Iudæis immixti; vel quod incolæ populorum veluti colluvies erant, incerta, obscuraque eis origine, ac patria toto cœlo diversa. Strabo lib. 16. ait plures in Palæstina terræ tractus esse, qui simili hominum colluvie erant referti, veluti Arabum, Phœnicum, Ægyptiorum; cujus rei exemplum Galilæam profert, quæ hac hominum fæce erat repleta; neque asseri potest, quamdiu antehac ita perstiterit. Ceterum Galilæa Gentium complectebatur Galilæam superiorem, atque a Tyro, & Sidone trans Iordanem usque patebat, ac montes Trachonitides secus hunc fluvium in tribubus Aser, & Nephtali. Regis, de quo hic loquitur Iosue, non adeo late, dubio procul patebat imperium; neque illud affirmare ausim, omnibus iis terris, quæ deinde Galilæa Gentilium dicta fuit, imperitasse. Vide adnotata in Tabulam Geographicam.

℣. 24. THERSA.] Urbs hæc satis diu caput extitit regni Israel, ubi Reges immorabantur [8]. Ieroboam, ac successores illius usque ad Amri, qui condidit Samariam, ibi plerumque incoluerunt. Nec Scriptura, neque Josephus, neque Eusebius situm Thersa constituunt, quamquam passim de illa loquentur. Creditur nihilominus fuisse in tribu Ephraim, ubi Reges Israel imperii sui sedem statuerant. Brochardus super montem fuisse ait tribus leucis a Samaria versus Meridiem: cum meliora interierint monumenta, huic situi adhærere cogimur.

1 Vide Bonfrer. & Cellar. l. 3. c. 13.
2 Josue 21. 34. & 19. 15.
3 מלך דור לנפת דור.
4 Βασιλέα Δὼρ, τῆς Ναφεδδώρ.
5 3. Reg. 9. 12. 13. בארץ גליל.
6 Isai. 9. 1. Vide Matth. 4. 15.
7 גוים לגלגל. Edit. Rom. βασιλεὺς τῆς Γαλιλαίας.
8 Vide Bonfrer. in Thersa.

CAPUT XIII.

Deus præcipit, ut Josue filiis Israel dividat terras captas. Recensetur divisio agrorum trans Jordanem, quos tradidit Moyses ante obitum suum Tribubus Ruben, & Gad, atque dimidiæ Tribui Manasse.

1. JOsue senex, provectæque ætatis erat, & dixit Dominus ad eum: Senuisti, &
longævus es, terraque latissima derelicta est, quæ necdum sorte divisa est; 2
Omnis videlicet Galilæa, Philistiim, & universa Gessuri. 3 A fluvio turbido,
qui irrigat Ægyptum, usque ad terminos Accaron, contra Aquilonem. Terra Chanaan,
quæ

quæ in quinque regulos Philisthiim dividitur, Gazæos, & Azotios, Ascalonitas, Ge-
thæos, & Accaronitas. 4 Ad meridiem vero sunt Hevæi, omnis terra Chanaan, &
Maara Sidoniorum, usque Apheca, & terminos Amorrhæi, 5 Ejusque confinia. Li-
bani quoque regio contra orientem, & Baalgad sub monte Hermon, donec ingrediaris
Emath. 6 Omnium, qui habitant in monte, a Libano usque ad aquas Maserophoth,
universique Sidonii. Ego sum qui delebo eos a facie filiorum Israel: Veniat ergo in par-
tem hæreditatis Israel, sicut præcepi tibi. 7 Et nunc divide terram in possessionem no-
vem tribubus, & dimidiæ tribui Manasse, 8 Cum qua Ruben, & Gad possederunt
terram, quam tradidit eis Moyses famulus Domini trans fluenta Jordanis ad orientalem
plagam. 9 Ab Aroer, quæ sita est in ripa torrentis Arnon, & in vallis medio, uni-
versaque campestria Medaba, usque Dibon: 10 Et cuncta civitates Sehon regis Amor-
rhæi, qui regnavit in Hesebon, usque ad terminos filiorum Ammom. 11 Et Galaad,
ac terminum Gessuri, & Machati, & omnem montem Hermon, & universam Basan, us-
que ad Salecha. 12 Omne regnum Og in Basan, qui regnavit in Astaroth, & Edrai,
ipse fuit de reliquiis Raphaim: percussitque eos Moyses, atque delevit. 13 Nolue-
runtque disperdere filii Israel Hessuri, & Machati: & habitaverunt in medio Israel us-
que in præsentem diem. 14 Tribui autem Levi non dedit possessionem, sed sacrificia,
& victimæ Domini Dei Israel, ipsa est ejus hereditas, sicut locutus est illi. 15 Dedit
ergo Moyses possessionem tribui filiorum Ruben juxta cognationes suas. 16 Fuitque
terminus eorum ab Aroer, quæ sita est in ripa torrentis Arnon, & in valle ejusdem tor-
rentis media: universam planitiem, quæ ducit Medaba, 17 Et Hesebon, cunctosque
viculos earum, qui sunt in campestribus: Dibon quoque, & Bamothbaal, & oppidum
Baalmaon, 18 Et Jassa, & Cedimoth, & Mephaath, 19 Et Chariathaim, & Sabama,
& Sarathasar in monte convallis. 20 Bethphogor, & Asedoth, Phasga, & Bethiesi-
moth, 21 Et omnes urbes campestres, universaque regna Sehon regis Amorrhæi, qui
regnavit in Hesebon, quem percussit Moyses cum principibus Madiam: Hevæum, & Re-
cem, & Sur, & Hur, & Rebe duces Sehon habitatores terræ. 22 Et Balaam filium
Beor ariolum occiderunt filii Israel gladio cum cæteris interfectis. 23 Factusque est ter-
minus filiorum Ruben Jordanis fluvius. Hæc est possessio Rubenitarum per cognationes
suas urbium, & viculorum. 24 Deditque Moyses tribui Gad, & filiis ejus per co-
gnationes suas possessionem, cujus hæc divisio est. 25 Terminus Jaser, & omnes ci-
vitates Galaad, & dimidiam partem terræ filiorum Ammon, usque ad Aroer, quæ est
contra Rabba. 26 Et ab Hesebon usque Ramoth, Masphe, & Betonim, & a Manaim
usque ad terminos Dabir. 27 In valle quoque Betharam, & Bethnemra, & Socoth,
& Saphon reliquam partem regni Sehon regis Hesebon: hujus quoque finis, Iordanis
est, usque ad extremam partem maris Cenereth trans Jordanem ad orientalem plagam.
28 Hæc est possessio filiorum Gad per familias suas, civitates, & villæ earum. 29 De-
dit & dimidiæ tribui Manasse, filiisque ejus juxta cognationes suas possessionem, 30
Cujus hoc principium est: a Manaim universam Basan, & cuncta regna Og regis Ba-
sen, omnesque vicos Jair, qui sunt in Basan, sexaginta oppida. 31 Et dimidiam
partem Galaad, & Astaroth, & Edrai, urbes regni Og in Basan: filiis Machir, filii
Manasse, dimidiæ parti filiorum Machir juxta cognationes suas. 32 Hanc possessionem
divisit Moyses in campestribus Moab trans Jordanem contra Jericho ad orientalem pla-
gam. 33 Tribui autem Levi non dedit possessionem: quoniam Dominus Deus Israel
ipse est possessio ejus, ut locutus est illi.

℣. 1. Iosue senex, provectæque ætatis erat.] Centum circiter annos natos erat; septem annorum spatio terra illa potitus fuerat, atque unum ferme annum insumpserat divisioni huic peragendæ; Iosue decimo posthac anno mortuus est, cum decimum supra centesimum annum ageret. Huic Imperatori mens plane erat in ditionem suam regionem omnem redigendi, antequam eam Israelitis partiretur; neque dubium est, quin septem annorum intervallo ea peregerit, quæ a Summo Imperatore postulanda videntur, ut res e voto cede- A ret, & Chananæos omnes deleret. Sed Deus, cui aliud erat consilium, & qui horum populorum partem servare cupiebat, ut Israelitas in officio contineret, eosque ob infidelitatem mulctaret, si legis obliti munere suo minime fungerentur, præcepit Iosue, ut statim divisionem peragerct, quamquam plures adhuc subjiciendæ civitates superessent. Anno M. 2559.

Terra latissima derelicta est, quæ necdum sorte divisa est.] Hebraice [1] *& plurimum, adhuc terrarum superest ad possidendum.* Magna superanda restat regionis pars; sed hæc minimum obsit, quo-

1 ארץ נשארה הרבה מאד לרשתה

queminus divisionem facere institua. Cuicumque tribui exterminandi, delendique erunt Chananæi, quos in ipsarum parte repeterint. Cum dicitur, plurimum terræ superesse adhuc dividendum; illi terræ conferrut, quæ jampridem ultra Iordanem fuerat divisa.

℣. 2. OMNIS GALILÆA, PHILISTIIM, ET UNIVERSA GESSURI.] Difficile est, quod credamus, Galilæam omnem nondum subactam fuisse post tot bella, quæ ea in regione fecerat Iosue [1]: quare impellor, ut existimem authographi verba in alium sensum esse intelligenda, atque vertendum esse [2]: *Omnes limites Philistiim, & omnis terra Gessuri*, Vox *Galiloth* bis in hoc sensu capitibus sequentibus occurrit. Iosue 18. 18. *Et pertransivit usque ad tumulos, qui sunt e regione ascensus Adommim*. Hebr. *Usque ad Galiloth &c.* Et Iosue 22. 10. 11. *Ad tumulos Jordanis*. Hebr. *Ad Geliloth Jarden*. Terræ Gessuri, de qua hic sermo, alia est ab ea, quæ ad radices montis Hermon trans Iordanem est sita; hæc erat ad meridiem terræ Chanaan, ac satis Arabiæ proxima, vel Ægyptum versus, uti liquet ex iis, quæ David loquebatur ad Achis, se prædam abegisse e latere Ierameel in tribu Iuda, quamquam Gessuriis, & Gersitis dumtaxat prœlium intulisset [3]. Cellarius ambigit, an ulla unquam fuerit urbs Gessuri [4]: sed opinatur hoc nomine populum Amalecitis finitimum nuncupatum fuisse.

℣. 3. A FLUVIO TURBIDO, QUI IRRIGAT ÆGYPTUM.] Hebraice [5]: *A Sichor, qui est super faciem Ægypti*, vel, qui est ante Ægyptum, *usque ad fines Accaron*. Interpretum plerique fatentur [6] *Sichor* esse Nilum; Ieremias quoque c. 18. fluvium hunc Sichor appellat. *Et nunc quid tibi vis in via Ægypti, ut bibas aquam Sichor?* Viatores equidem ajunt, Nili aquas plerumque turbidas esse, quod minimum obest, quin easdem vulgo bibant ea in regione, ubi unus tantum adesse fons perhibetur; aliquot enim amygdalis, vel colocasiis tusis in situlam hoc aqua repletam injectis, brevi liquor, veluti crystallus, pellucidus fit [7].

Vanslebius p. 54. eos, qui aquam deferunt, simul ac hydrias implerunt, eas intus fricare ait pila ex tusis amygdalis, ac in massam redactis; atque ita ocyus aquam fieri perspicuam. In pagis autem armeniacorum malorum ossibus utuntur in morem eumdem compactis; & farinam fabularum hoc ipsum inquiunt præstare. Prosper Alpinus de med. Ægypt. l. 1. c. 10. prolixius agit de aquæ Nili præstantia; eamque super ceteras ferme commendat. Ægyptii quoque eam alere, ac sanguinem conficere arbitrantur: ex quo, Pharaone imperante Moyses illam in sanguinem immutavit, cruentam, ac succulentam qualitatem obtinuit.

Veteres Nilo plura dedere nomina, quæ cum Sichor quamdam similitudinem habent: exempligratia, *Siris* e Dionysio Afro appellatus fuit: & sydus caniculæ, sub quo flumen hoc intumescit, *Syrium* dixere; quæ denominatio non longe abscedit e *Sihor*, vel *Sichor*. Æthiopes illum *Schihri* nuncupant. *Melas* quoque (quod Græce nigrum, vel turbidum significat,) & *Melo* [8] nonnumquam dictus fuit; sed *Melo* fluere potest ex Hebraica voce *Melo*, quæ plenum significat. Ab Homero Odyss. Δ vocatur *Ægyptus de cælo dilapsus*; & Hesychius asserit, Ægyptum idem significere, ac nigrum. Denique Theophylactus Simocrates refertur, e populis Meroe *Astapum* vocari, quæ vox apud illos aquam significat de obscuritate fluentem. Vetustissimum hujus fluminis nomen, teste Diodoro Siculo Bibl. l. 1. c. 2. & l. 2. c. 1. est Oceanus; atque illi Aquilæ nomen tribuitur, cum defluit lenius. Porro Ægyptus vocatur a Rege quodam Ægypti: & locus, quo in mare se exonerat, Theonis appellatur; atque demum Rex *Nileus Nili* nomen imposuit, quod fluere videtur ex Hebraica voce *Nahal*, quæ torrentem, vel fluvium significat. Mela l. 3. c. 9. de fonte quodam loquens, qui Nili fons putabatur, ait, appellatum fuisse *Nuchul*; quod, addit ille, videtur esse nomen idem, ac *Nilus*, barbararum gentium pronunciatione corruptum. *In horum finibus fons est, quem Nili esse aliqua probabilitas est. Nuchul ab incolis dicitur. Et videri potest non alio nomine appellari, sed a barbaro ore corruptus.* Liquet Ægyptios summa veneratione Nilum esse prosecutos, illumque Numinum suorum albo adscripsisse. Tibullus Eleg. l. 1. Eleg. 8. v. 25. 26.

Te propter nullos tua tellus postulat imbres,
Arida nec pluvio supplicat herba Jovi.

Septuaginta pro fluvio Sichor [9] transtulere: *regionem inhospitam, quæ est e regione Ægypti*; ac in Isaja 27. 12. transtulerunt torrentem Ægypti per *Rhinocoruram*: *a fovea fluvii usque ad Rhinocoruram*; unde liquet, Interpretes hos credidisse, torrentem *Rhinocoruræ* esse torrentem Ægypti, atque limitem fuisse terræ promissæ in ea plaga. Patet Gazam inter, & Pelusium trium circiter dierum iter adesse, quod ferme penitus incultum est, ubi steriles tantum arenæ occurrunt, ac solum illaboratum; urbes Anthedon, & Rhinocoruræ solæ propemodum sunt, quas Geographi latissima ea in regione constituant: idcirco haud operæ pretium fuisse videtur eniti, ut servaretur, vel compararetur Hebræis solum adeo ingratum, ac improbum: atque parvi interfuisse, utrum regioni illi dominarentur, nec ne. Sed veritatis amor non patitur, ut deseramus terram hanc, quam Deus adeo palam sæpius in Scripturis suo populo assignat. Credimus autem illud tantum Nili brachium, quod prope Damiatam præterfluit, nomine fluvii, ac *torrentis Ægypti*, & nomine *Sichor* intelligi posse; quod est demonstrandum.

I. Fateberis haud ægre procul dubio, fluvium, vel torrentem Ægypti, quicumque ille sit, in Ægypto esse debuisse, vel in regione proxima, & quæ ad Ægyptum pertineret adeo, ut Ægypti nomine nuncuparetur. Ast torrens Rhinocoruræ neque in Ægypto aderat, neque prope Ægyptum, adeo ut nomine hoc agnosceretur; nequit igitur esse Rhinocoruræ torrens ille, quem Scripturæ torrentem Ægypti appellavit. Ostendi nequit, hanc urbem umquam comprehensam fuisse sub Ægypto proprie dicta; quemquam regionis istius Regi parere potuerit, quo in sensu Ptolomæus, ac Stephanus Ægyptiis urbibus adscripsere. Rhinocorura Phœniciæ tribuitur a Strabone, qui l. 16. p. 529. Phœniciæ limitem Damiatam constituit. Herodotus l. 3. c. 5. Plinius l. 5. c. 13. & Diodorus Siculus l. 1. Palæstinæ terminum faciunt lacum Sirbon. S. Hieronymus quoque [10] & ii, qui volunt torrentem Rhinocoruræ eumdem esse, ac torrentem Ægypti fatentur, Palæstinam eousque fines dimittere: quomodo igitur cum Rhinocorura urbs sit Palæstinæ, torrens, qui illam præterfluit, torrens Ægypti potest appellari? S. Hieronymus, quin eorum coargues sententiam, qui asserunt, torrentem Ægypti esse Nili brachium, eam e contra probat, & de torrente, qui e deserto Rhinocoruræ defluit, in secundo tantum loco loquitur.

II. Ægypti torrens quem toties Scripturæ memorat veluti Promissæ terræ limitem in meridionali plaga,

1 Josue 11. 10. 12. & Bonfrer. hic. 2 כל גלילות הפלשתים וכל הגשורי 3 Reg. 27. 10. & 30. 29. 4 Cellar. l. 3. c. 13. p. 358. 5 מן השיחור אשר על פני מצרים ועל גבול עקרון 6 Hebræi, Lyran. Tost. Montan. Pagnin. Munst. Vatabl. Bonfrer. Est. Clericus. 7 Joinvil. *Hist. S. Louis* p. 8. Morizon. *voyage* l. 1. c. 20. 8 Servius in illud Georg. 4. *Et viridem Ægyptum nigra fecundat arena*; sic notat: *nam antea Nilus Melo dicebatur*. Vide si placet Joh. Clericum hic. 9 ἀπὸ γῆς οἰκήτου τῆς κατὰ πρόσωπον αἰγύπτου. 10 Hieron. in Amos 6. *Ab Hemat usque ad Rhinocoruram, inter quam, & Pelusium rivus Nili, sive torrens ex Eremo veniens mare ingreditur.*

plaga, idem profecto est, ac Sichur loci hujus; quod ex Paralipomenon [1] loco probatur, ubi dicitur David congregavisse, *cunctum Israel a Sichor Ægypti usque dum ingrediaris Emath*; quod aliis æquivalet locutionibus, ubi dicitur, populus congregatus fuisse [2] *ab ingressu Emath, usque ad rivum Ægypti*. At Sichor Ægypti Nilus est, quemadmodum superius paullo ostendimus ex quodam Jeremiæ loco; fatendum est igitur, rivum, aut torrentem Ægypti nihil aliud esse, quam hoc Nili brachium, quod magis Palæstinam versus recedit. Denique Antiochus Epiphanes reliquit, ut ait Scriptura Macch. 3. 32. Lysaniam, qui præesset provinciis omnibus, quæ Euphratem inter, ac Ægypti fluvium interjacent: Sed Rex hic non Phœniciæ solum, & Palæstinæ, sed urbibus quoque Ægypti, quæ usque ad Nilum, vel Damiatam usque erant positæ, dominabatur; quibusque aliquot annis ante fuerat potitus.

III. At adversus nos nequaquam uti vales hoc argumento: Israelitæ numquam victores ad Nilum usque pervasere; numquam universam regionem illam, quæ est inter hunc fluvium, & Palæstinam, possederunt; ergo Deus nequaquam se illis eam traditurum pollicitus est. Argumentum enim levi negotio retorqueri posset: Israelitæ numquam universam Chananæorum regionem possedere; illam ergo nequaquam spopondit Deus. Argumenti hujus per se patet infirmitas. Verum quinam probares, Hebræos numquam regionem hanc possedisse? Nonne ex capitibus 10. 11. & 15. libri hujus innotescit eos universa terra *Gosen* esse potitos, quæ plane eadem est ac terra Gessen, quam in Ægypto possidebant, antequam illinc egrederentur? Cum Ægypti fines regio satis esset infœcunda, ac etiam hostium incursionibus maxime patens, eadem filii Juda potiti non sunt diu, vel satius illis visum est, in uberiora pascua pecus suum cogere, velnti in terram Gessen, quæ Nilo flumini propinquior erat.

Æque ostendi potest torrentis nomen magno adeo flumini, ac Nilus erat, convenire. Invicta afferri possunt argumenta: Hebraicam vocem *Nachal* נחל, tribui fluvio numquam arescenti. Latini quoque torrentis nomen tribuunt nonnumquam fluminibus maximis. Lucanus l. 9. Nilum torrentem vocat:

Non mihi pyramidum tumulis evulsus Amasis,
Atque alii Reges Nilo torrente natabunt?

Et Claudianus Epigr. 8. de Rhodano locutus ait,

Aspice merigeras Rhodani torrentis alumnas.

Denique si regio, quæ inter Garam, & Damiatam est, inter Ægyptum, ac terras Philisthiim, penitus ferme deserta fuit, ac inculta, cum postremi Ægypti Reges imperitarent, ac novissimis Hebræorum Reipublicæ temporibus; non ideo ita quoque temporibus Moysis, & Iosue est arguendum. Author, qui primum Regum librum [4] castigavit, docet, terras inter *Sur*, & Ægyptum, atque Palæstinam inter, & eam regionem, occupatas antiquitus fuisse a Gessuris, Gerzæis, & Amalecitis, qui anathemati obnoxii erant, & qui dubio procul subsecutis temporibus deleti fuere; atque videbimus adhuc, dum Asa Rex Iuda imperaret, eam regionem excultam fuisse, & incolis, & urbibus frequentem prope Geraram inter *Cades*, & *Sur*. 2. Par. 14. 14. *Percusserunt civitates omnes per circuitum Geraræ.*

USQUE AD TERMINOS ACCARON CONTRA AQUILONEM.] Urbs Accaron una erat ex illis quinque provinciis, ubi Philisthinorum Satrapes dominabantur, atque una e magis borealibus civitatibus eorum populorum Jamniam inter, & Azotum. Videtur primum

A tribui Juda tradita fuisse [5], sed in ea divisione, quam legimus cap. 19. ℣. 43. inter urbes tribus Dan invenitur: neutra vero illarum tribuum eam possedit, quamquam fortasse a viris Juda capta fuerit, post Josue decessum [6]; priorem enim illico adepta est libertatem. Accaron apud profanos Scriptores nullius est nominis; in Scriptura vero satis celebratur; inter cujus numina Beelsebub principem locum obtinebat. 4. Reg. 1. 2.

TERRA CHANAAN, QUÆ IN QUINQUE REGULOS PHILISTINORUM DIVIDITUR.] Philisthiim quidem e regione Chanaan ortum nequaquam hauserant, sed aliunde illuc [7] appulerant; & illinc Evæos ejecerant, ut sibi domicilium compararent. Regio, quæ illis patebat, in quinque Satraparum præfecturas erat di-
B visa, vel in quinque principatus species, quorum capita erant Gaza, Azotum, Ascalono, Geth, & Accaron. Qui his principatibus, vel parvulis regnis præerant, *Surenæ* appellabantur [8]; quod nomen idem fuisse arbitror, ac *Surena*, quo dignitas quædam in Persis appellabatur. His autem *Surenis* jus erat Regis Persarum caput diademate, vel regali vitta præcingere [9]; atque secunda ab Rege dignitas erat. *Surena post Regem apud Persas proxime dignitatis*, inquit Ammianus Marcellinus l. 24. Vide Brissonium de Reg. Pers. l. 1. Apud Philisthiim Surenæ nemini patebant, neque ulli dignitate erant secundi. Septuaginta, ac post ipsos Vulgata communiter *Satrapas* vertunt, quod hic S. Hieronymus *Regulos* transfert. Saulis tempore, *Achis* in textu Rex Geth ap-
C pellatur 1. Reg. 27. 2. quamquam aliis Satrapis *Seranim* tantum nomen tribuitur 1. Reg. 29. 1.

℣. 4. AD MERIDIEM VERO SUNT EVÆI.] Interpretes quidam [10] Philisthiim Satrapis adjiciunt Evæos; verum eos secernere præstat, non solum quod iidem origine nequaquam sunt, verum etiam quod si Evæos Philisthiim adjeceris, sexta Satrapia existet adversus Textus loci hujus authoritatem. Cæterum Evæi nequaquam idem sunt, ac Hevæi [11]: aliter ipsorum nomen scribitur, aliasque ii possident regiones. Evæi e regionibus suis ejecti fuerant a Caphtorim, atque ii tantum, de quibus hic sermo, reliqui fuerant, qui aliquem Palæstinæ angulum incolebant: At Hevæi immorabantur in montibus, qui ad meridiem terræ Chanaan consurgunt, atque ultra Iordanem in mon-
D tibus Hermon.

OMNIS TERRA CHANAAN, ET MAARA SIDONIORUM.] Hæc profecto Marathos est ad Mediterraneum. Hæc autem verba, & sequentia nequaquam referenda sunt ad verbum præcedens, *ad Meridiem sunt*; sed ad ea quæ ad initium capitis sunt posita: *Terra latissima derelicta est, quæ necdum sorte divisa est*. Talis erat terra Chanaan proprie dicta, videlicet omnis Phœnicia a finibus Philisthinorum usque ad Sidonem. *Maara Sidoniorum* [12] juxta quosdam specum, juxta alios prata significat; sed præstat id cum Junio intelligere de fluvio *Magora*, qui in mare Mediterraneum dilabitur inter Sidonem, & Berythum [13]. Hain sæpius velut g. enuntiatur; exempligratia in Gomorrha, & Gaza. Septuaginta pro Magora lego-
E runt *Megaza*. *Terra Chanaan, a Gaza, & Sidoniis usque ad Apheca*. Verum omnino inane est post Gazam repetere terram Chanaan, cum superius immediate sermo fuerit de Satrapiis Philisthiim; hoc enim est idem aliis verbis efferre.

USQUE APHECA, ET TERMINOS AMORRHÆI.] Plures fuisse liquet civitates, quæ hoc nomine Aphec appellarentur, quemadmodum capite præcedenti v. 18. observatum est. Creditur autem illa, quæ istic memo-

1 1. Par. 13. 5. *Congregavit ergo David cunctum Israel a Sichor Ægypti, usque dum ingrediaris Emath.*
2 3. Reg. 8. 65. & 2. Par. 7. 8. 3 Vide Eccle. 1. 7. *Omnia flumina intrant in mare.* כל הנחלים
4 1. Reg. 27. 8. *Hi pagi* (Gessuri & Gerzi,) *& Amalecitarum habitabantur in terra antiquitus venientibus Sur, usque ad terram Ægypti.* 5 Josue 15. 12. 6 Judic. 1. 18. 7 Vide quæ diximus in Genes. c. 9.
8 חמשת סרני פלשתים 9 Vide Plut. in Artax. Appian. Parthic. Tacit. l. 6. Annal. 10 Ita 70. Syr. Arab. Jonathan, & Hebr. 11 Vide Bochart. Phaleg. l. 4. c. 36. 12 מערה אשר לצידנים
13 Plin. l. 5. c. 20.

memoratur, fuisse in Tribu Aser. Josue Chananæis A recensitis, qui in ora maritima supererant subjiciendi, redit in Aphec, nosque ad Amorrhæos usque deducit. At quos Amorrhæos, nam in ea regione nullos fuisse liquet? Pro *Amorrhæis* legendi fortasse erunt *Aramæi*, seu Syri. Syria, Hebraice *Aram*, limes erat terræ Chanaan in ora Septentrionali, Textus authographi lectioni huic favet, habet enim: *usque ad Aphec, & terminos Amorrhæi*, (℣. 5.) *ac terram Gibli, ac omnem Libanum*. Legentibus Aramæum pro Amorrhæo omnia congruunt. Josue Sidone in Aphecam proficiscitur orbem Syriæ Heliopolim inter & Biblon, ubi templum erat Veneris Aphecinæ [1]. De hac eadem urbe Apheca Regum libri meminere [2], perinde ac caput esset Regnum Syriæ: unde ad fines Syriæ progreditur versus Gebal, vel Gabala, quæ erat in Phœnicia, ut Ptolomæus testatur.

℣. 5. LIBANI QUOQUE REGIO CONTRA ORIENTEM, A BAALGAD .... DONEC INGREDIARIS EMATH.] Libani plaga omnis Orientalis a Baalgad ad locum usque, ubi per medios montes aditus patet in Emath, vel Emessam, nondum parebat Hebræis. Observavimus jam, Baalgad prope Jordanis origines sitam fuisse, atque sub initium montium Hermon, infra locum, vel aditum Emath, ut ex hoc loco innotescit. Locus hic Emath, vel Emessa in montibus Hermon esse debebat prope Damascum. Consulere potes in Numerorum capite 34. 8. ea quæ dicta sunt de Emath. Ex his omnibus luce clarius patet, Emath nequaquam fuisse magnam Antiochiam, nam longius erat infra Baalgad; & aditus Emath longe magis ad Orientem spectabat, quam Baalgad. Vide adnotata in Tabulam Geographicam.

℣. 6. A LIBANO USQUE AD AQUAS MASEREPHOT.] Videri superius potest Caput 11. 8. Deus hos populos se deleturum pollicetur, hoc supposito tamen, quod Hebræi illos adoriantur, neque se Divino præbeant indignos auxilio. Si res, quemadmodum fuerat pollicitus, minime cessit, imputandom est Israel, qui ea, quæ Domino debebat, non præstitit.

℣. 9. AB AROER.] Vide cap. 12. 2. Hebraice: *ab Aroer ad torrentem sita*, (vel in vallis medio) *a Medaba usque Dibon*.

℣. 14. SACRIFICIA, ET VICTIMÆ.] Hebraice [3]: *Quod igni absumitur*, vel quod super ignem Domino offertur, *ignita Domini*, erit ipsius retributio.

℣. 16. AB AROER, QUÆ SITA EST IN RIPA TORRENTIS ARNON, ET IN VALLE EJUSDEM TORRENTIS MEDIA.] Hebraicus textus ita reddi posset: *Ab Aroer, quæ sita est in ripa torrentis Arnon*, & *ab urbe, quæ est in medio torrentis*: perinde ac duæ essent civitates, altera quidem in ripa, altera in insula in medio torrentis Arnon. Sed Vulgata versio magis est perspicua, & facilis.

℣. 17. DIBON.] Hæc civitas tribui Gad tribuitur in libro Numerorum cap. 32. 34. quare fit, ut plerumque *Dibon Gad* nuncupetur. Hic vero tribui Ruben traditur; eam forte duæ tribus Ruben, & Gad simul possidebant, non secus ac Juda, & Beniamin Jerusalem.

BAMOT-BAAL.] Hæc fortasse eadem est ac *Bamot-Arnon* ad fluvium cognominem posita, vel Baale-Bamot-Arnon Num. 21. 28. vel simpliciter *Bamoth*, Num. 21. 19.

BAAL-MAON.] Vel *Beel-meon* novem passuum millibus ab Hesebon aberat, ut placet Eusebio: ibi vero plures calidarum aquarum aderant fontes.

℣. 18. JASSA.] vel *Jessa*, vel *Jasa* sita erat inter Medaba, & Debus, vel Dibon; Levitis tradita fuit 1. Par. 6. 78.

CEDIMOTH.] Vel *Cademoth*. Hæc plane trans Arnon erat posita, ac ex illius nomine Desertum appellabatur, de quo sermo est Deut. 2. 26.

MEPHAAT.] Vel *Mephes* in finibus erat regionis Moab desertum versus in orientali plaga. Eusebius ait, a Romanis præsidium illic haberi consuevisse [4] propter deserti propinquitatem. Hæc civitas erat Levitarum, Josue 21. 37. Et ex Jeremia 48. 21. liquet, Moabitas eadem potitos fuisse, postquam domus David cœpit collabefieri.

℣. 19. CARIATHAIM.] Novem millibus passuum a Medaba in occasum eam distare, Eusebius ait. Hujus urbis imperium ab Emæis ad Moabitas, a Moabitis ad Amorrhæos, ab Amorrhæis transiit ad Israelitas [5]. Eam procul dubio tribus Rubeo usque ad transmi-
B grationem in regionem Assyriorum possedit; tunc Moabitæ iterum eam ceperunt, quemadmodum ex Prophetiis Jeremiæ 48. & Ezechielis 25. adversus illam conjicere licet.

SABAMA.] Vel *Sebama* civitas tribus Ruben vitibus suis celeberrima: ipsa quoque non procul a Jazer Jaser aberat [6]. S. Hieronymus illam quingentos passus dumtaxat ab Hesebon statuit.

SARATHASAR IN MONTE CONVALLIS.] Videlicet Sarathasar sita in monte, qui medius in agris attollitur [7], vel quæ prope collem est, ubi Moyses occubuit; vel denique juxta Septuaginta, *Sarat, & Asar ad montem Emack*, vel *Sior in monte Enach*, vel *Enak*. De loci hujus situ nihil certum afferri potest.

C ℣. 20. BETHPHOGOR.] Scilicet domum, ubi templum Phogor, numinis Moabitarum. Hæc autem sita erat ad radices montis Phogor, sex passuum millibus infra Leviadem, ut mavult Eusebius.

℣. 21. SEHON .... QUEM PERCUSSIT MOYSES CUM PRINCIPIBUS MADIAN, HEVÆUM, ET REGEM, ET SUR, ET UR, ET REBE DUCES SEHON, HABITATORES TERRÆ.] In Numerorum libro 31. c. 1. legimus cladem quinque horum Ducum Madian, qui hic memorantur; verum ibi Reges Madian appellantur; ac solum post Sehon mortem ab Israelitis deleti fuisse videntur. Josue vero ait ipsos nequaquam Reges absolutos fuisse, sed tantum exercitus duces,
D Provinciarumque præfectos, qui Sehon Regi parebant. *Nisekei* [8] a Scriptura istic vocantur, quæ vox Provinciarum prætores significat, Proreges, vel Reges potentiori obtemperantes [9], quemadmodum in magnis assolet imperiis Orientis. Sehon quinque his regulis imperabat; quare fit, ut Scriptura non semel asserat [10], *omnia Regna Sehon* devicta fuisse; non ita vero *Regnum Sehon*, vel Og. Post mortem Sehon, Duces hi Madianitæ supremum regionis suæ dominium obtinuerunt, vel saltem se liberos esse crediderunt, nec Israelitis victoribus Sehon paruere prius, quam armorum vi cogerentur. Vocantur autem *habitatores terræ*, quoniam nequaquam erant Amorrhæi, neque aliunde illuc, quemadmodum isti, devenerant; sed regionis illius indigenæ, cui, obtem-
E perantes Sehon, imperitabant.

℣. 22. BALAAM FILIUM BEOR, ARIOLUM OCCIDERUNT.] Videri possunt, quæ de Balaam, illiusque morte dicta sunt Num. 22. 5. & 31. 8. Septuaginta [11] istic ipsum fugientem occisum fuisse ajunt.

℣. 23. URBIUM, ET VICULORUM.] Hebraice voces [12] significant urbes, & parvulos pagos; vel urbes, ac campestres mansiones, vel sub tabernaculis, vel in ædibus. Symmachus, *Urbium, & agrorum*.

℣. 25. TERMINUS JASER, ET OMNES CIVITATES GALAAD.] Urbs Jaser ad lacum cognominem sita erat, unde fluvius dilabebatur, qui defluebat in Jordanem,

1 Vide Sozomen. l. 1. c. 58. & Euseb. l. 3. de vita Constantini c. 4. & Cellar. l. 3. c. 12. p. 268.
2 3. Reg. 20. 26. & 4. Reg. 13. 18. 3 4 Euseb. in locis. 5 Vide Genes. 14. 5. Deut. 2. 20.
6 Vide Isai. 16. 8. 9. & Jerem. 48. 32. 7 Vatabl. Munster. 8 נסכי סיחון ישבי הארץ
9 Vide Ezech. 32. 30. Mich. 5. 4. Psal. 82. 12. 10 כל ממלכות. Josue 13. 12. 21. 27. 30. 31.
11 ἐτραυμάτισαν ἐν ῥοπῇ ἐν τῇ τροπῇ. Alius ἐν τῇ ῥοπῇ. In impetu. 12 הערים וחצריהן. Τὰς αἱ πόλεις καὶ αἱ ἐπαύλεις, Symmach. πόλεις καὶ ἀγροὶ αὐτῶν.

danem, quemadmodum explicite asserunt Eusebius, & S. Hieronymus in locis Hebr. Aberat autem duodecim passuum millibus e Philadelphia in meridiem, quindecim vero ab Hesebon in boream. Tribus Gad omnes urbes Galaad possedit, tum quæ fuerant Regni Og, tum quæ Regni Sehon, usque Aroer ad Arnon. Superius cap. 12. 2. potuit animadverti, Sehon *dominatum fuisse mediæ*, vel *dimidiæ Galaad*; possidebat autem ad meridiem Jaboc magnam partem regionis Galaad. Montes hi cesserunt tribui Gad cum omnibus terris, quæ ad boream Iaboc erant positæ.

DIMIDIAM PARTEM TERRÆ FILIORUM AMMON, USQUE AD AROER, QUÆ EST CONTRA RABBA.] Possederunt Israelitæ e regione Ammonitarum eam partem, cui dominabatur Sehon; crediderunt enim, se victoriæ jure illa frui posse, neque eam interdicto esse obnoxiam, quo caveret Deus, ne Ammonitarum regiones attingerent, Deuter. 2. 37. Consulere ea potes in libro Iudicum, quæ ad Israelitarum possessionem probandam afferuntur, Iudic. 11. 13.

USQUE AD AROER, QUÆ EST CONTRA RABBA.] Rabba eadem est, ac *Ar* Maobitarum, sita in ripa meridionali Arnon e conspectu, vel ferme e conspectu Aroer, urbs tribus Ruben. Hæc autem *Rabba* alia est a Rabba Ammonitarum prope torrentem Iaboc. Urbibus hic inditum nomen est *Rabba*, quod magnam significat, potentem, frequentem, quod ipsæ velut Capita erant, ac regionis Dominæ.

℣. 26. RAMOTH.] Vel *Ramoth Galaad* quindecim millibus passuum e Philadelphia orientem versus aberat, authore S. Hieronymo, qui coarguit Eusebium, e quo in occidentali plaga statuitur. Hæc erat urbs refugii, Deuter. 4. 47. Iosue 20. 8.

MASPHE.] Hic locus idem est, vel urbs eadem, ac *Maspha Galaad*, de qua superius c. 11. 3. 8. locuti sumus; & quam prope origines Iaboc constituimus. Quidam adjiciunt Ramot Masphe, & unam tantum urbem efficiunt.

BETHONIM.] Urbs hujus situs vere nequit assignari; neque Eusebius, neque D. Hieronymus id docuere, quamquam temporibus suis *Bothnim* adhuc appellatam fuisse dicunt.

A MANAIM USQUE AD TERMINOS DABIR.] Urbs Manaim in Scriptura celebris est propter transitum Iacob, qui ibi castra metatus est, cum de Mesopotamia reverteretur, & qui dedit illi nomen *Manaim* scilicet duo castra, propter exercitum Angelorum, quem ibi conspexit [1]; *Castra Dei sunt hæc*. Ea porro sita est in septentrionali ripa Iaboc.

DABIR.] De qua hic sermo alia est ab urbe cognomine in tribu Iuda ad tribus illius meridiem. Hæc autem esse debuit in finibus terræ Gad; verum illius situs nos fugit. Bonfrerius eam ad Iordanem constituit illic, qua propius fluvius Iazer in Iordanem influit.

℣. 27. IN VALLE QUOQUE BETHARAN.] Urbs Betharan celebritatem adepta est tempore Herodis Iudæorum Regis, cum eam hic ædificasset, illique *Liviadis*, vel *Libiadis* nomen imposuisset a *Livia* conjuge Augusti. Iulias a Iosepho appellatur, quoniam Græci Liviam *Juliæ* nomine appellare solebant. Betharan sita erat propius Iordanem ad sex passuum millia ab urbe Setim, quemadmodum Cellarius l. 3. c. 13 p. 308. ostendit post Eusebium, ac S. Hieronymum, qui crebro de hac urbe loquuntur.

BETHNEMRA.] Civitas erat e tribu Gad ad Iordanem sita. Locus quidam *Memrim* vocatus, & *aquæ Nemrim* [2] occurrunt in Ieremia, atque Isaia. Eusebius eam statuit in terra Moab ad boream Segor. Nescio vero, utrum *Nemrim* a *Nemra* distinguendum sit. Prophetarum, quos attuli, ævo Moabitæ potiti fuerunt omnibus ferme urbibus tribuum Ruben, & Gad. Prisci Interpretes Græci legerunt *Bethanabra*, vel *Bethnebra*, vel *Thanabara*.

SOCOTH.] Hujus nominis urbs inter Iaboc, & Iordanem est sita, ubi Iacob sua tabernacula erexit Genes. 33. 17. quapropter illi nomen *Socoth* inditum fuit, seu *tabernacula*.

ET SAPHON, RELIQUAM PARTEM REGNI SEHON.] Saphon plane est Zephona [3]. Non desunt, qui hanc urbem esse dicant, eamque ad Iordanem constituant; at litterali nominis hujus significationi adhærere mallim [4], ac de *septentrione* explicare, vel *pro parte septentrionali reliquæ partis regni Sehon*. Portio Gad erat ferme in Boreali plaga Regni Sehon; neque melius describi poterat, cum jam relatum fuisset, quidquid tribus hæc ad orientem, & occasum portionis Ruben possidebat, quam asserendo ipsam possedisse reliquam partem, quæ est ad boream tribus ejusdem secus Iordanem usque ad extremam partem meridionalem maris Cinereth ad Orientem utriusque, quemadmodum in reliqua versiculi parte habetur.

℣. 30. A MANAIM UNIVERSAM BASAN.] Hæc pars est dimidiæ tribus Manasse. Possidebat autem omnem regionem Basan, quæ secus mare Tiberiadis, ac Iordanem de borea in austrum patebat. Manaim inter utramque tribum Gad, & Manasse erat posita. Verum ne credas divisionem semper rectis lineis designari. Manaim in portione Gad interiori sane erat posita; sed nihilominus erat veluti limes tribus Manasse.

OMNES VICOS IAIR.] Hebraice [5]: *Havot Jair*. Iair erat filius Segub, nepos Esron, & abnepos Machir per aviam, quæ nupserat Esron e tribu Iuda. Iair secutus est tribum Manasse, unde per aviam originem hauserat; atque in tribus illius divisione non mediocrem partem possedit, vel habita virtutis, meritique ratione, vel de explicito Dei mandato; vel denique acquisitionis jure; nam forte ea potitus fuisse minime videtur. Sexaginta loca, quæ ipsius erant in regione Basan, *Avoth-Jair* appellata sunt, videlicet vici, vel tabernacula, vel Mapalia Iair. *Avot* Arabice ædes significat, vel tentoria in orbem collecta juxta regionis illius consuetudinem. Vide, quæ diximus in Num. c. 32. 41.

1 Genes. 32. 2.
2 Isai. 15. 6. Jerem. 48. 34.
3 Vide Commentarium nostrum in Judic. 12. 1.
4 וצפון יותר מכלבות סירין.
5 וכל חות יאיר.

CAPUT XIV.

Divisio Regionis Chanaan per sortes. Caleb filius Jephone petit a Josue urbem Hebron, quæ illi juxta Domini promissa permittitur. Ille vero hujus adit possessionem.

1. HOc est, quod possederunt filii Israel in terra Chanaan, quam dederunt eis E-
leazar sacerdos, & Josue filius Nun, & principes familiarum per tribus Israel:
2 Sorte omnia dividentes, sicut præceperat Dominus in manu Moysi, novem
tribubus, & dimidiæ tribui. 3 Duabus enim tribubus, & dimidiæ dederat Moyses
trans Jordanem possessionem : absque Levitis, qui nihil terræ acceperunt inter fratres
suos : 4 Sed in eorum successerunt locum filii Joseph in duas divisi tribus, Manasse,
& Ephraim : nec acceperunt Levitæ aliam in terra partem, nisi urbes ad habitandum,
& suburbana earum ad alenda jumenta, & pecora sua. 5 Sicut præceperat Dominus
Moysi, ita fecerunt filii Israel, & diviserunt terram. 6 Accesserunt itaque filii Juda ad
Josue in Galgala, locutusque est ad eum Caleb, filius Jephone Cenezæus : Nosti, quid
locutus sit Dominus ad Moysen hominem Dei de me, & te in Cadesbarne? 7 Quadra-
ginta annorum eram, quando misit me Moyses famulus Domini de Cadesbarne, ut con-
siderarem terram, nuntiavique ei, quod mihi verum videbatur. 8 Fratres autem mei,
qui ascenderant mecum, dissolverunt cor populi : & nihilominus ego secutus sum Do-
minum Deum meum. 9 Juravitque Moyses in die illo, dicens : Terra, quam calcavit
pes tuus, erit possessio tua, & filiorum tuorum in æternum : quia secutus es Dominum
Deum meum. 10 Concessit ergo Dominus vitam mihi, sicut pollicitus est usque in præ-
sentem diem. Quadraginta, & quinque anni sunt, ex quo locutus est Dominus verbum
istud ad Moysen, quando ambulabat Israel per solitudinem : hodie octoginta quinque
annorum sum, 11 Sic valens, ut eo valebam tempore, quando ad explorandum mis-
sus sum : illius in me temporis fortitudo usque hodie perseverat, tam ad bellandum,
quam ad gradiendum. 12 Da ergo mihi montem istum, quem pollicitus est Dominus,
te quoque audiente, in quo Enacim sunt, & urbes magnæ, atque munitæ : si forte sic
Dominus mecum, & potuero delere eos, sicut promisit mihi. 13 Benedixitque ei Jo-
sue : & tradidit ei Hebron in possessionem. 14 Atque ex eo fuit Hebron Caleb filio
Jephone Cenezæo usque in præsentem diem : quia secutus est Dominum Deum Israel.
15 Nomen Hebron ante vocabatur Cariath Arbe : Adam maximus ibi inter Enacim si-
tus est, & terra cessavit a prœliis.

℣. 1. PRINCIPES FAMILIARUM.] Hebraice [1] : *Capita patrum cujuscumque tribus*. Nomina capitum tribuum videri possunt in Numerorum libro 34. 17. & seq. Erant autem duodecim numero collectis simul Josue, & Eleazar. Istic autem minime adnumerantur tribus Ruben, & Gad, quæ jampridem trans Jordanem hæreditate sua fuerant donatæ, & quarum nulla erat pars in terræ divisione, quæ citra fluvium hunc erat peragenda.

℣. 2. SORTE OMNIA DIVIDENTES.] Quamquam Iacob paullo antequam e vivis excederet Genes. 49. & Moyses in postremo suo Cantico Deuteron. 33. palam satis tradiderant, quæ cuique tribui pars esset futura ; aliqua tamen in verbis eorum aderat difficultas, præsertim antequam divisio perageretur, ne improbis interpretationibus, contentionibusque præberetur occasio. Igitur ut radicitus evelleretur, quidquid paci potuisset obsistere, atque invidiæ semina inter tribus spargere, præcepit Deus, ut in terrarum distributione sortes adhiberentur. A Hoc autem confestim obmurmurationes, ac invidiam oppressit ; atque in tuto posuit rectam illorum fidem, qui divisioni huic peragendæ operam fuissent collocaturi : & rationis hujus eventus, quo factum est, ut singulæ tribus eas sibi traditas terras conspicerent, quas olim Jacob, Moysesque prædixerant, promissionum veritatem probavit, novumque præbuit Israelitis Religionis eorum argumentum, illis ostendens, quod qui per Prophetas ea ipsa enuntiaverat, sortea quoque fuerat moderatus.

Scriptura non perspicue satis ostendit, quonam pacto hæ initæ fuerint sortes inter tribus ; verum duplicem tantum agnoscimus viam, qua insistere potuerint. Primam quidem, quod singulæ tribus una B post aliam in ordine suo schedulam eruerent, in qua regionis illius tractus quidam notabatur, qui illi in portionem cedebat. Alteram vero, quod duplex cadiscus adesset, in quorum altero nomina tribuum continerentur, alter vero terræ tractus distribuendos com-

1 ראשי אבות המטות ἄρχοντες πατριῶν φυλῶν.

complecteretur. Iosue, vel alius quispiam schedulam primum eruebat e cadisco, ubi nomina erant posita; alius deinde schedulam ex urna, in qua partes erant designatæ; quæ autem sors educebatur, illius erat, cujus nomen antea fuerat eductum. At de hac re plura dicta sunt in Numer. 26. 54.

Porro divisio hæc nequaquam in Galgalis perfecta fuit: ibi tribubus tantum Iuda, ac Ioseph portio fuit tradita; aliæ vero aliquando post partes suas accepere, quemadmodum sub initium capitis 18. refertur.

℣. 4. SED IN EORUM SUCCESSERUNT LOCUM FILII IOSEPH.] Scilicet, hi duodenarium numerum replerunt; nam cum Levi nulla pars fuerit, si Ioseph una tantum fuisset pars, undecim tantum partes fuissent faciendæ pro totidem tribubus; sed cum tribus Ioseph in duas divideretur Ephraim, & Manasse, harum alterutra partem obtinuit, quæ Levi cessura fuisset. Hebraicus textus simpliciter habet [1]: *quoniam filii Joseph, Ephraim, & Manasse duas tribus constituebant*; ita duæ fuerunt portiones Ioseph, veluti primogenito inter filios Iacob; fruitus est primogeniti prærogativis, quibus Ruben exciderat. *Data sunt primogenita ejus filiis Joseph*. 1. Paralipom. 5. 6.

SUBURBANA EARUM AD ALENDA JUMENTA, ET PECORA SUA.] Nomen *Suburbana* [2] nequaquam est intelligendum pro suburbanis vicis, sed pro agris pecori alendo aptis; neque enim Levitis agros colere, vites serere, fuisse fas, inquit Grotius. Quoad suburbanorum extensionem prope Levitarum civitates explicuimus in Num. c. 35. vers. 4. 5. 6.

℣. 5. DIVISERUNT TERRAM.] Re adhuc integra consilium inierunt in Galgalis, ut hæc perageretur divisio; sed antequam operi manus admoveretur, Caleb veritus, ne communiter divideretur, quod illi particulariter spoponderat Deus, adiit Iosue, ut portionem sibi debitam consequeretur. Itaque cum dicitur istic, ipsos divisisse terram, intelligendum est, perinde ac diceretur; se se divisioni ineundæ præpararunt; hanc autem facere instituerunt in Galgalis, sed aliquandiu post perfecerunt in Silo, quemadmodum ex duodevigesimo capite innotescet. Hebræis solemne est asserere, rem fuisse factam, cujus faciendæ initum consilium fuit, vel incessit cupido. Exempli gratia inferius cap. 24. 9. legimus, Balaac adversus Israel præliatum fuisse; & in Macchabæorum libris [3] Alexandrum Magnum, dum adhuc viveret imperium suum divisisse; videlicet Balaac voluisse inferre bellum adversus Israelitas; ac Alexandrum optasse imperium suum ducibus copiarum dividere. Porro existimandum est, Agrimensores, ac Geometras in regionem dimissos fuisse, antequam divisio fieri inciperet, quamquam nihil istic memorat Iosue.

℣. 6. CALEB FILIUS IEPHONE CENEZÆUS.] Iephone omni procul dubio pater erat Caleb, quod istic, alibique refert Scriptura; etsi alicubi [4] patrem Caleb fuisse ait Esron virum e tribu Iuda, hoc patris nomen in avi, vel proavi sensu est explicandum. Re quidem vera cum Esron filius Iuda in Ægyptum venerit centum, ac septuaginta quinque annos, antequam Caleb oriretur; nequaquam est credibile, Caleb immediate filium fuisse Esron. Agnomen Cenezæi passim tribuitur Caleb, quod maximum Interpretibus negotium facessit. Alii volunt, ipsum nomen hoc a patre, vel ab aliquo avorum sortum,

A veluti per manus traditum habuisse. Alii putant ex habitationis suæ loco nomen hoc ipsi accessisse, & quod ille Cenezæorum regionem occupaverit. Hoc autem constat, Cenezæi nomen commune fuisse in familia Caleb. Othoniel frater, vel nepos ipsius, filius Cenez vocatur [5]; invenitur quoque Cenez nepos Caleb [6]: denique Caleb Cenezæus appellatur in Numerorum libro cap. 32. 12. diutius antequam portionis suæ possessionem adiret. Quæ omnia persuadent, agnomen hoc familiæ ipsius adhæsisse, antequam regionem Chanaan ingrederetur; ni diceris *Cenezæi* nomen Numerorum Libro additum fuisse.

NOSTI, QUOD LOCUTUS SIT DOMINUS DE ME.] Nihil peculiare legimus, quod faveat Caleb, eo loco, ubi Moyses enarrat, quid factum fuerit in Ca-

B desbarne, cum populus obmurmuraret: Dominus solum promittit illi, ac Iosue, futurum ut promissam terram ingrederentur [7]; verum ne verbum quidem invenetis, quod illi spondeat Hebron esse cessuram. In Deuteronomio [8], ubi repetit Legislator, quæ tunc evenerunt, aliquid ulterius innuit; verum nihil promittit præter ea, quæ versiculo nono continentur: *terra, quam calcavit pes tuus, erit possessio tua, & filiorum tuorum in æternum*.

Itaque oportet, Moysen vivæ vocis oraculo, Dei verbis, declarasse Caleb, & Iosue, ita ut editum esset in vulgus, Domini esse voluntatem, quod Caleb in possessione Hebron, aliarumque civitatum Enacim constitueretur.

℣. 7. NUNCIAVIQUE EI, QUOD MIHI VERUM VI-

C DEBATUR.] Hebraice ad litteram [9]: *Et respondi illi verbum, æque ac cum corde meo*; juxta sententiam, & agnitionem meam. Septuaginta editionis Complutensis, longius a vero loci hujus sensu recedunt [10]: *Et responderunt illi quisque juxta sententiam suam*. Alii nuntii locuti sunt ad Moysen, atque ad populum juxta studium suum, vel juxta id, quod de ea regione conceperant. Descripserunt juxta imaginem, quam loci adspectus in eorum mentibus impresserat. Sed Romana Editio justior est: *Respondi illi juxta cor suum*.

℣. 8. SECUTUS SUM DOMINUM.] Hebraice ad litteram [11]: *Ego replevi post Dominum*, non secus ac viator, qui ducem passibus æquis sequitur, neque ullum relinquit inter se, ac Ducem intervallum.

D Septuaginta [12]: Ego perseveravi sequi Dominum; vel, statui sequi illum.

℣. 9. JURAVIT MOYSES . . . TERRA, QUAM CALCAVIT PES TUUS, ERIT POSSESSIO TUA.] Verba hæc Deo in Deuteronomio tribuuntur 1. 34. 36. *Dominus juravit, & ait: Non videbit quispiam de hominibus generationis hujus pessimæ terram bonam . . . præter Caleb filium Jephone. Ipse enim videbit eam, & ipsi dabo terram, quam calcavit &c.* Moyses Dei verbis promittit regionem hanc Caleb, eamque apposita juramenti fide promittit. Hebraice habetur: *Moyses juravit, & dixit mihi: Si terram, quam calcasti, non est hereditas tua, ac filiorum tuorum*; perinde ac diceret; Mendax habear, vel dispeream, nisi ingre-

E dieris in regionem, quam calcasti. Non innuit autem, Deum illi promittere universam terram Chanaan, quo exploratum fuerat dimissus; sed promittit, futurum ut regionem illam ingrediatur, atque te, & actu possessionem adeat partis, quam Moyses illi peculiariter designat.

℣. 10. QUADRAGINTA, ET QUINQUE ANNI SUNT.] Ex loco hoc argumentum deduximus, ut supra Jos. c. 13.

1 כי היו בני יוסף שני מטות. 2 מגרשיהם למקניהם ולקנינם. 70. τὰ ἀφωρισμένα αὐτῶν τοῖς κτήνεσιν αὐτῶν. 3 1. Macchab. 1. 7. *Divisit illis regnum suum, dum adhuc viveret*.

4 1. Par. 2. 18. 5 Josue 15. 17. & Judic. 1. 13. & 1. Par. 4. 13. 6 1. Par. 4. 15.

7 Num. 14. 24. *Servum meum Caleb, qui plenus alio spiritu secutus est me, inducam in terram hanc, quam circuivit*. 8 Deuter. 1. 38. *Ipse (Caleb) videbit eam (terram) & ipsi dabo terram, quam calcavit, & filiis ejus, quia secutus est Dominum*. 9 ואשב אתו דבר כאשר עם לבבי.

10 Καὶ ἀπεκρίθησαν αὐτῷ λόγον κατὰ τὸν νοῦν αὐτῶ. 70. Roman. ἀπεκρίθην.

11 ואנכי מלאתי אחרי יהוה.

12 ἐγὼ δὲ προσετέθην ἐπακολουθῆσαι κυρίῳ.

c. 13. 1. probaremus, septem annos cum Chananæis dimicatum fuisse.

℣. 11. Tam ad bellandum, quam ad gradiendum.] Hebraice [1]: *Vires meæ hodie eædem sunt, ac tunc fuerant ad bellandum, atque ad ingrediendum, & egrediendum*; videlicet pro omnibus vitæ actionibus, sed pro bello præsertim; nam *ingredi*, & *egredi* sæpius [2] belligerare significat; & in hoc sensu hic accipitur a Septuaginta, *ad ingrediendum, & egrediendum ad bellum* [3].

℣. 12. Da mihi montem istum .... Si forte Dominus sit mecum.] Da mihi hunc tractum montium Judææ, ubi Enacim incolebant, atque ubi sitæ erant urbes Hebron, Dabir, atque aliæ, quas Gigantes possidebant; ut si faverit Deus, illas ope divina adipiscar. *Si forte Dominus sit mecum*. Egregius hic vir alioquin spei plenus, & qui semper audaciam præsefert, hic summa cum animi modestia, ac humilitate loquitur; omnem vim in Domino ponit, sine ope ipsius se nihil posse fatetur, atque opem hanc sibi nullatenus deberi.

℣. 13. Benedixit ei Josue.] Commendavit sapientiam illius, ac virtutem, atque illi omne benedictionum, ac felicitatum genus precatus est, Deumque rogavit, ut illius consilio optimum eventum tribueret, ac res illi e voto contingeret.

Tradidit ei Hebron.] Verba hæc naturaliter nihil aliud innuunt, quam Josue statim petitioni illius adhæsisse, atque illi assignasse Hebron, & quidquid ad illam spectaret, cum aliis urbibus Enacim in hæreditatem; quin tamen ipsum actu in urbium earumdem possessione constitueret, non secus ac neque alios Israelitas constituit, illis certas incolendas assignans. Illis enim tribuit tantummodo jus possidendi portionem, quæ ipsis contigerat; at ipsorum intererat, possessionem adire, & hostes, si qui adhuc ibi superessent, ejicere. Attamen eruditi quidam Interpretes [4] arbitrantur, Josue noluisse permittere, ut Caleb propriis viribus Hebron invaderet; sed ipsum, cum exercitum universum deduxisset contra Hebron, aliasque civitates Enacim, iisque esset potitus, tum demum eas dedisse Caleb. Hanc vero Josue expeditionem pro Caleb relatam esse ajunt superius per prolepsim a versiculo 28 capitis 10. ad finem usque undecimi capitis; & capite primo libri Judicum a versiculo nono ad decimum quintum. Grotius factum hoc Caleb pulcherrimo generis Fabiæ apud Romanos facto comparat, quæ olim propriis viribus bellum inferendum depoposcit; sed enim, addit ille, non credidit Josue hoc esse permittendum, ut Caleb propriis periculis, ac sumptibus bellum illud aggrederetur; nefas ratus, *nisi publica fides publicis opibus liberaretur*.

Verum nihil cogit, ut ad explicationem hanc confugiamus, quæ nulla Textus, vel decursus, vel rerum gestarum nexus authoritate probatur. Bellum, quod Josue intulit Hebron, ac finitimis civitatibus, quod decimo Libri hujus capite affertur, est veluti consequens belli quinque Regum fœderatorum adversus Gabaonitas. Rex Hebron fœderis hujus particeps erat; & Iosue post celeberrimum prœlium illud, in quo Solem, ac Lunam stare jussit, cum prope Maceda quinque Reges interfecisset, contra illorum urbes profectus eas cepit, ac quotquot aderant in aliis regionis illius extremitatibus gladio interimendos curavit. Dum autem aliis bellis, quæ illud consecuta fuerunt, advertisset animum, Gigantes Enacim urbes suas iterum ingressi, ibi se se communivere. Iosue cum intelligeret, quod dum ipse in alterutra hujus regionis plaga bellum gerebat, hostes se se in alteram recipiebant, confirmabantque: neque e re cognosceret multifartam suas copias dividere, optimum factu censuit, si regionem in singulas tribus partiretur, quarum quælibet partem suam cum tueri, atque augere adniteretur, tandem hostes undique armis lacessitos cessuros esse, ac paullarim in excidium abituros. Deus Iosue consilium probavit, atque tunc Caleb suam poposcit hæreditatem, quæ illi quidem permissa fuit, verum sine alia quapiam distinctione, quam quod non sorte, sed sponte integrum loci illius jus ipsi fuit demandatum. Illum vero fœderatorum suorum, familiæque suæ viribus cepit, cujus rei ex iis, quæ contigerunt in *Cariath-Sepher*, argumentum licet agnoscere. Cum enim Caleb pollicitus fuisset se filiam Axam illi in conjugem daturum, qui terra illa potiretur, Othoniel ea potitus, filiam Caleb uxorem duxit. Hinc autem ideam particularis belli concipimus, quod una tantum familia fœderatorum, amicorumque suorum opibus freta perfecit. Hoc autem particulare illud Caleb bellum est, quod libri hujus capite 15. versic. 13. 14. 15. 16. 17. & capite primo libri Iudicum vers. 10. 11. 12. 13. enarratur, ubi tribui Iuda defertur, quæ hoc in bello familiæ Caleb est opitulata.

Ceterum, cum narratur, Caleb, filiosque illius possedisse Hebron, Dabir, & Cariat-Sepher in hæreditatem, hoc minime adversatur illi, quod legitur Iosue 21. 11. 12. 13. Hebron, & Dabir Sacerdotibus traditas fuisse ad incolendum. Quemadmodum enim nullam hæreditatem Sacerdotes possidebant, sed urbes simpliciter, ac aliquot suburbia; reliqua fuerunt Caleb, atque familiæ ipsius, qui alias urbes, vicos, pagosque possidebat. Caleb, ac familia ipsius cum Sacerdotibus simul morabantur in Hebron, quoniam Sacerdotes soli universam urbem occupare non poterant.

℣. 15. Nomen Hebron ante vocabatur Cariath-Arbe.] Seu civitas *Arbe*; nam *Cariath* [5] hebraice urbem significet. Arbè vero nomen fuisse dicitur Gigantis cujusdam, qui antiquitus Hebron condiderat. Accipi quoque potest *Cariath-Arbe* in appellativo sensu pro *civitate quadrata*, vel potius *civitate quatuor*: nam *Arbee* quatuor significat propter quatuor fratres, qui illam ædificarunt, ibique dominati sunt. S. Hieronymus non semel [6] affert Hebræorum sententiam, qui credebant nomen *civitatis quatuor* oppido illi accessisse, quod quatuor Patriarchæ illic tumulati fuissent, Adam, Abraham, Isaac, Jacob; vel ut malunt, qui Adam in Calvario monte sepultum autumant, propter sepulchra Abraham, Isaac, Iacob, & Caleb Novissimi hujus sepulchrum prope urbem conspiciebatur. Verum Lectoribus integrum relinquimus de veritate, ac vi harum traditionum judicium ferre. Patriarchæ Abraham, Isaac, & Iacob aliquamdiu permanserunt prope Hebron. David quoque ibi primis annis, quibus regnare occœpit, est commoratus. Postquam tribus Juda, ac Beniamin Babylonem migrarunt, Idumæi potiti sunt Hebron; sed Iudas, ac Simon Macchabæus eam illis ademerunt 1. Macchab. 5. 65. Ioseph. l. 4. de Bello c. 21.

Adam maximus ibi inter Enacim situs est.] Minime dubium est, quin hac versione voluerit S. Hieronymus veterum quorumdam referre sententiam, qui credebant Adam protoparentem nostrum in Hebron tumulatum fuisse. At Sanctus hic Doctor non ideo infallibilem referre traditionem est arbitratus, quam nec proposuit, nec probavit veluti suam, vel Ecclesiæ opinionem. Plerique patrum aliorum [7] existimarunt Adam in monte Calvario sepultum fuisse; & quidam [8] has conciliare sententias adnisi sunt dicentes, bis tumulatum fuisse; primum quidem ante diluvium in Cariath-Arbe; rursus vero post Diluvium

1 בכחי אז וככחי עתה למלחמה ולצאת ולבוא. 2 Vide Drus. Proverbia sacra. 3 εἰς τὸν πόλεμον ἐξελθεῖν, καὶ εἰσελθεῖν. 4 Junius, Tremell. Usserius, Grotius hic. 5 קרית ארבע. 6 Hieron. in Epitaphio Paulæ: *Cariat-Arbe, id est oppidum virorum quatuor, Abraham, Isaac, Jacob, Adam magni, quem ibi conditum juxta librum Jesu Nave Hebræi autumant*. Vide eumdem in quæst. Hebr. in Genes. & in locis Hebr. in Arbog. 7 Vide, quæ diximus in Genes. 5. 5. & Serar. in Josue 15. qu. 5. 8 Vide Villalpand. l. 1. c. 9. Jerosol. Urb. Apparat. apud Serar. hic.

vium a Sem, qui cranium illius in Calvario condidit. Sed quoad hanc sententiam, qua primi hominis sepultura in Calvario statuitur, S. Hieronymus ipse asserere videtur, opinionem hanc jucundam esse quidem, & auribus populi gratam, non ideo tamen falsam minus [1]: *Favorabilis opinio, & mulcens aurem populi, nec tamen vera*. Idem fortasse dici posset de illa, quæ in Hebron positum fuisse confirmat.

Plerique Interpretum [2] ita explicant locum Iosue: *Nomen Hebron ante vocabatur Cariath-Arbe*. Hic autem *Arbe maximus Enacim fuit*. Etenim fuit pater Enac, ex quo Enacim originem deducere. Ecce porro Hebraicus Textus ad litteram redditus [3]: *Vetus nomen Hebron est Cariath-Arbe*; vir hic magnus est inter Enacim. Hebræis nullum est nomen superlati- B vum; ajunt enim *formosam*, vel *benedictam inter mulieres*, ut formosissimam, atque maximis repletam

A benedictionibus super omnes mulieres intelligant: *parvum inter populos, magnum inter Gigantes*, pro omnium populorum minimo, Gigantum omnium maximo. Neminem latet, *Adam* generatim hominem significare, quo in sensu nonnumquam etiam in Vulgata invenitur. Exempli gratia: *Ista est lex Adam* [4]; videlicet; lex est, & hominis conditio: *in funiculis Adam traham eos* [5], nempe in funiculis humanis traham eos, in vinculis charitatis, ac benevolentiæ. Hoc autem pacto Septuaginta transtulere [6]: *Vetus nomen Hebron erat urbs Arbe; ipsa est Metropolis*, vel prima ex urbibus *Enacim*.

TERRA CESSAVIT A PROELIIS.] Bella aliquantisper quievere; generatim bellum posthac haud initum est, singulæ tribus hæreditatis suæ possessionem adire conatæ sunt, & Chananæorum, qui adhuc supererant, reliquias evertere, vel saltem eas vectigales efficere, vel dissipare.

1 Hieron. in Matth. 27. 2 Pagnin. Montan. Mas. Bonfrer. Serar. Cornel. a Lapide, Drus. Grot. alii passim. 3 ושם חברון לפנים קרית ארבע האדם הגדל בענקים הוא. 4 2. Reg. 7. 19.
5 Osee 11. 4. 6 τὸ δὲ ὄνομα Χεβρὼν τὸ πρότερον πόλις Ἀρβὸκ μητρόπολις τῶν Ἐνακὶμ αὕτη. Legisse videntur העיר pro האדם.



CAPUT XV.

Sors Tribu Juda. Othoniel uxorem ducit Axam filiam Caleb, præmium Cariath Sepher ab eo capta. Axa accipit a Patre suo terram irriguam. Urbes tribus Juda. Tribus hæc nequit expellere Jebusæos de Ierusalem.

1. IGitur sors filiorum Judæ per cognationes suas ista fuit: A termino Edom, desertum Sin contra meridiem, & usque ad extremam partem Australis plagæ. 2 Ini-
tium ejus a summitate maris salsissimi, & a lingua ejus, quæ respicit Meridiem. 3
Egrediturque contra Ascensum Scorpionis, & pertransit in Sinai: ascenditque in Cadesbarne, & pervenit in Esron, ascendens ad Addar, & circuiens Carcaa, 4 Atque
inde pertransiens in Asemona, & perveniens ad Torrentem Ægypti: eruntque termini
ejus mare magnum: hic erit finis meridianæ plagæ. 5 Ab Oriente vero erit initium,
mare salsissimum usque ad extrema Jordanis: & ea, quæ respiciunt ad Aquilonem, a
lingua maris, usque ad eumdem Jordanis fluvium. 6 Ascenditque terminus in Beth
Hagla, & transit ab Aquilone in Beth Araba: ascendens ad lapidem Boen filii Ruben;
7 Et tendens usque ad terminos Debera de Valle Achor, contra Aquilonem respiciens
Galgala, quæ est ex adverso Ascensionis Adommim, ab australi parte torrentis: transitque aquas, quæ vocantur fons solis: & erunt exitus ejus ad Fontem Rogel. 8 Ascen-
ditque per convallem filii Ennon ex latere Jebusæi ad Meridiem, hæc est Jerusalem: &
inde se erigens ad verticem montis, qui est contra Geenom ad Occidentem in summitate
vallis Raphaim contra Aquilonem. 9 Pertransitque a vertice montis usque ad fontem
aquæ Nephtoa: & pervenit usque ad vicos montis Ephron: inclinaturque in Baala, quæ
est Cariathiarim, id est, urbs silvarum: 10 Et circuit de Baala contra Occidentem,
usque ad montem Seir: transitque juxta latus montis Jarim ad Aquilonem in Cheslon:
& descendit in Bethsames, transitque in Thamna, 11 Et pervenit contra Aquilonem
partis Accaron ex latere: inclinaturque Sechrona, & transit montem Baala: pervenitque in Jebneel: & magni maris contra Occidentem fine concluditur. 12 Hi sunt ter-
mini filiorum Juda per circuitum in cognationibus suis. 13 Caleb vero filio Jephone
dedit partem in medio filiorum Juda, sicut præceperat ei Dominus: Cariath Arbe patris Enac, ipsa est Hebron. 14 Delevitque ex ea Caleb tres filios Enac, Sesai, &
Ahimam, & Tholmai de stirpe Enac. 15 Atque inde conscendens venit ad habitatores Dabir, quæ prius vocabatur Cariath Sepher, id est, civitas litterarum. 16 Dixit-
que Caleb: Qui percusserit Cariath Sepher, & ceperit eam, dabo ei Axam filiam meam uxorem.

uxorem. 17 Cepitque eam Othoniel filius Cenez frater Caleb junior: deditque ei A-
xam filiam suam uxorem. 18 Quæ, cum pergerent simul, suasa est a viro suo, ut pe-
teret a patre suo agrum, suspiravitque ut sedebat in asino. Cui Caleb: Quid habes.
inquit? 19 At illa respondit. Da mihi benedictionem: Terram Australem, & arentem
dedisti mihi, junge & irriguam. Dedit itaque ei Caleb irriguum superius, & inferius.
20 Hæc est possessio tribus filiorum Juda per cognationes suas. 21 Eruntque civitates
ab extremis partibus filiorum Iuda juxta terminos Edom a Meridie: Cabseel, & Eder,
& Jagur, 22 Et Cyna, & Dimona, & Adada, 23 Et Cades, & Asor, & Jethnam,
24 Ziph, & Telem, & Baloth, 25 Asor nova, & Carioth, Hesron, hæc est Asor.
26 Amam, Sama, & Molada, 27 Et Asergadda, & Hassemon, & Bethphelet, 28
Et Hasersual, & Bersabee, & Baziothia, 29 Et Baala, & Iim, & Esem, 30 Et
Eltholad, & Cesil, & Harma, 31 Et Siceleg, & Medemena, & Sensenna, 32 Le-
baoth, & Selim, & Aen, & Remon. Omnes civitates viginti novem, & villæ earum.
33 In campestribus vero: Estaol, & Sarea, & Asena, 34 Et Zanoe, & Engannim,
& Taphua, & Enaim, 35 Et Jerimoth, & Adullam, Socho, & Azeca, 36 Et Sa-
raim, & Adithaim, & Gedera, & Gederothaim: urbes quatuordecim, & villæ earum.
37 Sanan, & Hadassa, & Magdalgad, 38 Delean, & Masepha, & Jecthel, 39 La-
chis, & Bascath, & Eglon, 40 Chebbon, & Lebeman, & Cethlis, 41 Et Gide-
roth, & Bethdagon, & Naama, & Maceda: civitates sedecim, & villæ earum. 42
Labana, & Ether, & Asan, 43 Jephtha, & Esna, & Nesib, 44 Et Ceila, & Ach-
zib, & Maresa: civitates novem, & villæ earum. 45 Accaron cum vicis, & villu-
lis suis, 46 Ab Accaron usque ad mare; omnia quæ vergunt ad Azotum, & viculos
ejus. 47 Azotus cum vicis, & villulis suis. Gaza cum vicis, & villulis suis, usque
ad torrentem Ægypti, & mare magnum terminus ejus. 48 Et in monte, & Samir,
& Socoth. 49 Et Danna, & Cariathsenna, hæc est Dabir: 50 Et Anab, & Isthe-
mo, & Anim, 51 Gosem, & Olon, & Gilo: civitates undecim, & villæ earum.
52 Arab, & Ruma, & Esaan, 53 Et Janum, & Bethaphua, & Apheca. 54 Ath-
matha, & Cariatharbe, hæc est Hebron, & Sior: civitates novem, & villæ earum.
55 Maon, & Carmel, & Ziph, & Jota, 56 Jezrael, & Jucadam, & Zanoe, 57 Ac-
cain, Gabaa, & Thamna: civitates decem, & villæ earum. 58 Halhul, & Bessur, &
Gedor, 59 Mareth, & Bethanoth, & Eltecon: civitates sex, & villæ earum. 60
Cariathbaal, hæc est Cariathiarim urbs silvarum, & Arebba: civitates duæ, & villæ ea-
rum. 61 In deserto Betharaba, Meddin, & Sachacha, 62 Et Nebsan, & civitas sa-
lis, & Engaddi: civitates sex, & villæ earum. 63 Jebusæum autem habitatorem Jeru-
salem non potuerunt filii Juda delere, habitavitque Jebusæus cum filiis Juda in Ierusa-
lem usque in præsentem diem.

℣.1. A TERMINO EDOM, DESERTUM SIN CONTRA MERIDIEM.] Antequam capitis hujus examen aggrediar, operæ me facturum pretium reor, si quædam generatim de Terræ Sanctæ Geographia in medium attulerim [a]. Neque enim has urbium recensiones, & studium, quod illarum situi constituendo impenditur, veluti supervacaneum decet existimari. Hæc enim recensio, non veteribus Hebræis solum maximæ erat utilitatis, tum ante, cum post captivitatem, quoniam veterum limitum memoriam servabat; verum etiam nobis ipsis non mediocrem affert utilitatem, quippe quæ latissimam viam sternit ad verum Scripturæ sensum intelligendum, cum ea dempta, multo magis esset difficile Dominici populi fonditus agnoscere historiam. Verum quidem est maximis hodie difficultatibus studium hoc esse impeditum, postquam Palæstina tot calamitatibus, ac tot fuit obnoxia immutationibus, præsertim postquam inde penitus Hebræi ejecti fuerunt: cum locorum plerique, olim celeberrimi, nunc suis sepulti ruderibus jaceant, & quod reliquum est, quod profecto exiguum est, immutato nomine omnino ignotum evaserit.

A At si eædem, vel majores adhuc occurrunt difficultates in veteri Persarum, Græcorum, Romanorum, aliarumque Gentium Historia, quin deterreant, ne quis veteri Geographiæ operam vacet; num ideo tepescet zelus, & ardor Hebræorum Geographiæ animum appellendi, quæ cum arctioribus sane finibus contineatur, facilius idcirco detegi potest, ac reparari? Non glorior autem, quis autem gloriari possit? toto locorum omnium, de quibus loquitur Josue, situs statuere. Qui Geographicas Tabulas delinearunt, pleraque fortuito, nullaque ducti ratione constituerunt: verum quædam puncta fixa inveniri posse reor, ac ea detegere, quæ satis fore puto, ut mens acquiescat, ac major lux infinitis propemodum narrationibus accedat, quæ alioquin ferme inexplica-
B biles essent. Minimum iis in locis immoramur, de quibus alibi locuti sumus, nec plura afferemus de illis, de quibus nihil certi asseri possit. Lector consulere poterit Geographicam Tabulam, ac eorum, quæ modo dicta sunt, reminisci; nempe inter parvulum quidem fixorum, cognitorumque locorum numerum, majorem adhuc locorum adesse vim, quæ per conjecturas constituuntur, atque ad regionis adspe-

a Vide Mas. & Serar. hic.

spectum. Neque defuimus, quin diversæ nominum eorumdem legendorum adnotarentur rationes, sicubi plures agnoscerentur.

Tribus Juda erat in plaga maxime australi terræ Chanaan. Limites ipsius sumuntur ab extremitate maris mortui ad meridiem secus Idumæam per Sin, atque ab oriente in occasum procedendo usque ad Mediterraneum, atque Nili brachium magis Orientale. Josue diligentiori cura tribus hujus describit limites, quippe quæ princeps erat, præcipua, ac frequentior in Israel, ex qua Hebræorum Reges exiturese debebant, & in qua præsertim servanda erat Religio; quin de prærogativa loquamur Messiæ nativitatis, qui ex eadem tribu erat oriturus.

Desertum Sin, vel Sina, quemadmodum vers. 3. appellatur, regionis erat Idumæorum, quo in deserto sita erat civitas Cadesbarne. Vide Num. librum cap. 13. 22. & 20. 1. & 34. 3.

℣. 2. A SUMMITATE MARIS SALSISSIMI, ET A LINGUA EJUS, QUÆ RESPICIT MERIDIEM.] Limites meridionales regionis Juda a maris mortui extremitate incipiebant, desinebant vero ad Nilum, & Mediterraneum. Quod autem istic *lingua* [1] vocatur, juxta Chaldaicam versionem, ac plures Hebræos, promontorium significat, vel solum, quod in hoc mare procurrit. Latini aliquando [2] *linguæ* nomen hoc in sensu usurparunt: *Lingua* .... *promontorii genus non excellentis, sed molliter in planum devexi*, Festus ait: Et Cæsar locutus de situ urbium Britanniæ, refert, plerasque positas esse *in extremis linguis, promontoriisque*. At juxta aliorum sententiam *lingua* sinum significat, seu mare, quod in terras procurrit, quæ posterior sententia magis veritati consona mihi videtur. Namque si de promontorio, vel rupe sermo esset, eam potius fuisse videtur appellaturus linguam terræ, non linguam maris. Et Isaias de Ægypti desolatione disserens ait: *Desolabit Dominus linguam maris Ægypti, & levabit manum suam super flumen &c.*

℣. 3. EGREDITURQUE CONTRA ASCENSUM SCORPIONIS, ET PERTRANSIT IN SINA, ASCENDITQUE IN CADESBARNE.] Locus, vel ascensus Scorpionis nomen arripuerat, vel a magna Scorpionum vi, qui ibi aderant, ut Bonfrerius autumat, vel a rupibus, montibusque, in Scorpii veluti formam consurgentibus [3]. Hæc animalia *Acrabim* hebraice vocantur, unde nomen extitit *Acrabatene*, quod huic loco tribuitur in libro Macchabæorum [4]. Alia quoque Acrabatene est in Samaria, de qua Plinius l. 5. c. 14. & Josephus l. 2. de bello cap. 25. & 28. & lib. 3. cap. 2. & 5. locuti sunt. Ordini insistendo, quem Moyses refert, dicendum est, Scorpionis ascensum esse inter desertum Sin, ac mare mortuum, atque viam hanc de Palæstina ducere in Idumæam. De Cadesbarne plura disseruimus in Numerorum libro cap. 32. 8.

En autem Septuaginta totius hujus versiculi textum: *Limites ipsius perveniunt usque ad ascensum Acrabim, atque procedunt ad Senna: ascendunt de meridie versus Cadesbarne. Pergunt in Seron, ac ascendunt ad Sarada, & regionem circumeunt, quæ est ad occasum Cadis, & perveniunt ad Selmona.* Interpretes hi prætereunt *Carcar*, pro *Adar* legunt *Sarada*, & pro *Asemona*, *Selmona*.

EGRON.] Hæc eadem est, ac *Asor*, vel Aseroth, Num. 11. 35. diversa admodum ab alia Asor in Galilæa, ubi Jabin Rex imperabat.

CARCAA.] Hæc plene est *Coraca* Ptolomæi in Arabia Petræa, inter *Adram*, & *Suratam*. Adra eadem est, ac *Adar*; Surata vero plane eadem ac *Sur* prope rubrum mare, ex qua desertum Sur nuncupatur. *Carcaa* non erat in linea eadem, ac urbes aliæ,

A quandoquidem sacer Author ait, lineam flecti ad Carcaa. Eusebius statuit oppidum Carcariam diei unius iter procul a Petra [5]. Vetus Interpres pro Carcaa intelligit regionem Galaad.

℣. 4. ASEMONAH.] Hæc est postrema urbs Juda in finibus Ægypti. Vide Num. 34. 4.

TORRENTEM ÆGYPTI.] Brachium magis orientale Nili. Vide superius c. 13. 3.

℣. 5. AB ORIENTE VERO &c.] Versiculus hic ferme nequit intelligi in Vulgata; nec magis perspicuus est in textu hebraico: *Limites in Orientali plaga sunt mare salsissimum usque ad finem Jordanis, &* (usque ad suos) *limites in boreali plaga a lingua maris* (ad meridiem posita) *usque ad finem Jordanis* (in opposito latere.) Ut commodior loco huic sensus præberetur, ita esset intelligendus: Limites

B regionis Juda in Orientali plaga sunt mare mortuum, secundum totam illius longitudinem, a lingua, quæ versus meridiem extenditur, usque ad borealem maris hujus extremitatem, ubi Jordanes se exonerans nomen amittit: hanc autem Textus *Jordanis extremitatem* appellat. At in hac longitudine quidam loci adsunt, qui tribui Beniamin crediti sunt versus partem borealem Asphaltitis. Advertas autem, Hebræos, & Arabes dicere *linguam maris*, non secus ac nos dicimus linguam terræ. Vide Josue 18. 19. Isai. 11. 15.

℣. 6. ASCENDIT TERMINUS IN BETH-HAGLA.] Locus hic erat inter mare mortuum, & Jericho, atque ad tribum Beniamin spectabat [6], quamquam hic

C in finibus Juda statuitur. Eusebius, ac S. Hieronymus loquuntur de vico, cui nomen Beth-Halga duobus passuum millibus procul ab Eleutheropoli Gazam proficiscentibus. At vicus hic nimium abest ab eo, quem modo perquirimus.

BETH-HARABA.] Et Petra Boen, duo sunt loci, quorum situm ignoramus. Boen profecto erat e posteris Ruben, qui huic loco nomen imposuit: non liquet autem hanc civitatem fuisse.

℣. 7. AD TERMINOS DEBERA DE VALLE ACHOR, CONTRA AQUILONEM, RESPICIENS GALGALA.] Situs urbis Deber, vel Debera ignoratur. Vallis Achor insignis est propter supplicium Achan, qui lapidibus obrutus, crematusque est. Vallis hæc erat ad meridiem Galgalæ; juxta Textum; respiciebat Gal-

D gala versus Septentrionem. Galgal erat ad Boream vallis Achor. Masius contendit, Galgala hujus loci differre a Galgalis, ubi Hebræi permanserunt primis annis, quibus in Palæstina commorati sunt. Credit autem urbem hanc positam fuisse inter Jerusalem, & Jericho, ac eamdem esse, ac illam, de qua sermo est cap. 18. 18. ubi vocatur Geliloth, quæ est posita e regione ascensus *Adommim*. Mallem sumere *Galgala*, vel *Gelilah* in duobus his locis ad limites generatim circumscribendos.

QUÆ EST EX ADVERSO ASCENSIONIS ADOMMIM.] De situ Adommim plura disseruimus cap. 7. versic. 24. quem alii ad Boream, alii ad Meridiem Jericho, vel Galgal constituunt. Septuaginta [7] legunt; *ad meridiem vallis*, ubi Vulgata habet; *ad meridiem tor-*

E *rentis*. Non semel observatum est, hebraicam vocem *Nachal* modo pro valle, modo pro torrente desumi; sed quomodocumque sit: hic locus iis favet, qui ponunt vallem Achor ad Galgala meridiem.

FONS SOLIS.] Hebraice: *Ein-semes*: In orientali plaga urbis Jerusalem, in finibus Juda, & Beniamin. Hic erat fons simplex, non autem civitas.

FONTEM ROGEL.] Vel fontem fullonis, vel denique fontem agri fullonis, de quo aliquando sermo habetur in Scriptura [8], plane quod fontis hujus aqua ad abluendas vestes, vel simplicites lineam supellectilem utebantur: nam Hebraica vox *Rogel* ad litte-

---

1 מִן הַלָּשׁוֹן הַפֹּנֶה נֶגְבָּה. 2 Vide Cleric. hic. Cæsar. Comment. l. 3. c. 12.
3 Vatablus. 5 1. Macch. 5. 3. Vide & Hieron. in Abdiam. ℣. 19. 6 Euseb. in *Carca*, quod male confudit cum *Carcar*, Judic. 8. 10. 6 Josue 18. 21. 7 ἡ ἐστι κατὰ λίβα τῆ φάραγγι.
8 4. Reg. 18. 17. & 7. 3. & 36. 2.

fitteram significat, pedibus calcare; & patet antiquitus lineas vestes, eas pedibus in aqua calcando, ablui consuevisse. Homerus Odyss. Σ describit Nausicaem Alcinoi Regis filiam cum ancillis suis in foveis ad id præparatis, lineas vestes pedibus calcantem, quas illuc fluvialibus undis abluendas attulerant. Prope fontem Rogel Adonias filius David in Regem voluit salutari 3. Reg. 1. 25. & fons hic erat in Regiis viridariis, Iosephus inquit Antiquit. l. 7. cap. 11. manabat autem in orientali plaga e monte Sion, atque in torrentem Cedron diffluebat.

℣. 8. Convallem filii Ennom.] Vallis hæc est ad Orientem urbis Jerusalem; hebraice vero appellatur [1]: *Ge-ben-Hennom*, vel simpliciter *Ge-Hennom*, unde fluxisse ducitur nomen *Gehenna*; quod sæpius in Scriptura pro Inferno usurpatur. In valle hac erat idolum Moloc, cui filii in sacrificium offerebantur. Hic etiam dicitur esse locus, qui *Tophet* appellabatur, forte propter tympanorum strepitum, quæ pulsabantur, ut parvulorum, qui immolabantur, gemitus minime exaudirentur. Denique asseritur hæc fuisse cloaca Jerusalem.

Ad Occidentem in summitate vallis Raphaim, contra Aquilonem.] Linea, quæ dividebat tribum Iuda a tribu Beniamin, & quam nos sequimur, in septentrionali plaga ascendebat e valle Hennom versus Occidentem Ierusalem; atque pergebat ad montem, ad cujus Boream vallis erat Gigantum, vel Raphaim. Itaque Vallis Raphaim erat ad montis meridiem, atque Bethlehem usque versus patebat, quemadmodum hoc in loco ostendit Bonfrerius ex Iosepho Antiquit. l. 7. c. 10. Scriptura sæpius loquitur de hac valle Gigantum, & Septuaginta quandoque vertunt pro valle Raphaim, *vallem Titanum*. Constat, Raphaim insignes fuisse ea in regione Gigantes. Hinc porro valli nomen inditum est. David ibi ingentem retulit victoriam de Philistæis, 2. Reg. 5. 23. 24. 25.

℣. 9. Fontem aquæ Nepthoa.] Hebraici textus [2] verba significant, *Fontem apertum*. Nihil ulterius patet, quam hunc fuisse in finibus Iuda, ac Beniamin ad occasum Ierusalem.

Ad vicos montis Ephron.] Hebraice [3]: *ad urbes montis Ephron*. Non satis liquet montis istius situs. Essentne montes Ephraim? Eusebius loquitur de ingenti quodam loco, cui nomen *Ephræa*, vel *Ephraim*, viginti passuum millibus ab Ierusalem. De urbe Ephron sermo est in 2. Paralipomenon 13. 19. ac in 1. Macchabæorum 5. 46. & 2. Macch. 12. 27. quæ profecto eadem est ac *Ephraim*, de qua sermo est in Evangelio Ioan. 11. 54. Videtur autem in montium jugis fuisse posita, & in munitissimo loco: illa equidem tempore Iudæ Macchabæi maximi momenti arx habebatur.

Bala, quæ est Cariathiarim.] Appellatur quoque *Baal*, & *Cariath-Baal* Iosue 15. 6. Hæc porro erat tribus Iuda, aberatque a Ierusalem decem passuum millia Diospolim versus. Nomen *Cariathiarim* significat urbem nemorum. Arca fœderis ibi aliquandiu permansit, postquam a Philistiim fuerat remissa 1. Reg. 15. 60.

℣. 10. Juxta latus montis Jarim, ad Aquilonem in Cheslon.] Nescio, an mons *Jarim*, vel nemorum, ille sit, super quem, vel prope quem sita erat urbs *Cariathiarim*. Iosue describit limites tribus Iuda a Septentrione in meridiem versus montes Sahir; ait autem lineam pertransire juxta latus montis Iarim, qui est ad Boream *Cheslon*, vel *Chaslea*, quemadmodum eam vocat S. Hieronymus, qui ipsam in tribu Juda constituit. At Eusebius eam ponit in tribu Beniamin; quod magis verisimile mihi videtur, eo quod posita erat ad Aquilonem Iarim.

Descendit in Bethsames, transitque in Thamna.] *Beth-sames*, vel *Hir-semes*, *urbs*, vel *domus Solis* cesserat tribui Iuda [4]; tradita autem fuit Sacerdotibus in domicilium. Huc autem Fœderis Arcam Philistiim detulere; cujus reditus Bethsamitis perniciosus fuit, e quibus quinquaginta millia, & septuaginta mortui sunt, eo quod cominus illam intueri ausi fuissent 1. Reg. 6. 19. Amasias Rex Iuda ibidem captus fuit a Ioas Rege Israel 4. Reg. 14. 13. Eusebius statuit Beth-sames decem passuum millibus, vel leucis quinque procul ab Eleutheropoli, versus Emaus.

Thamna.] Bethsamitis erat proxima, quæ primum tribui Iuda tradita fuit Iosue 15. 57. deinde vero tribui Dan cessit Iosue 19. 43. Eusebius, & S. Hieronymus eam prope Diospolim statuunt Ierusalem versus. Septuaginta pro *Thamna* legunt meridiem [5]: *Transibit ad meridiem*.

℣. 11. Pervenit contra Aquilonem partis Accaron ex latere, inclinaturque Sechrona.] Hebraice [6]: *Exiet*, vel *fines*, *ex latere Accaron versus Aquilonem*, *et flectit versus Sechron*. Liquet Accaron Philistæorum fuisse, ac sitam ad occasum urbium, de quibus sermo fuit; verum *Sechron*, vel *Sechrona*, vel *Sacharona*, (quemadmodum eam Septuaginta appellant), ubi sita esset, non liquet. Hinc autem colligitur Accaron fuisse ad Boream Bethsames, vel Thamnæ, ac lineam non in directum ab Accaron in Sechron tetendisse.

Transit montem Baala, pervenitque in Jabneel.] Montis Bala situs ignoratur, nisi intelligendum sit de urbe Bala, de qua sermo est ℣. 29. & fortasse etiam ℣. 1. cap. 19. Adest urbs Iabnel in tribu Nephtali; verum de hac sermo istic haberi nequit. Credunt nonnulli hanc eamdem esse, ac *Jabniam*, vel *Jamniam*.

℣. 13. Cariath-Arbe patris Enac.] Vide, quæ superius dicta sunt cap. 14. vers. 15.

℣. 14. Sesai, Ahiman, Tholmai.] Tres hi Gigantes triginta, & octo annis ante id tempus in Hebron fuerant, cum a Moyse illuc exploratores fuerant dimissi. Num. 13. 23.

℣. 15. Dabir, quæ prius vocabatur Cariath-Sepher.] De urbe hac locuti sumus cap. 10. ℣. 38. Plerique Interpretum putant, nomen *Cariath Sepher*, vel civitas libri, illi inditum fuisse, seu quod antiquitus ante Hebræorum adventum ibi litteræ edocerentur [7], seu quod litteræ, Archivium, & vetera Chananæorum monumenta ibi servarentur [8]. Chaldaica versio transfert [9] *Kiriat-arche*, quo denotari potest urbs Bibliothecarum, Arcarum, & Archiviorum. Septuaginta: *Urbs litterarum*. Nomen *Kariat Senna*, quod huic civitati Iosue 15. 49. tribuitur, idem significare potest; significat enim ad litteram urbem, ubi acuitur, ubi edocetur, ubi studiis vacatur. Moyses cum Israelitis imperaret, ut legem filiis suis repeterent, eamque ipsis inculcarent, utitur hebraica voce *Schanan* [10]: *Eam ipsis acuetis*, eam ipsis enucleabitis &c.

℣. 16. Qui percusserit Cariath-Sepher, dabo ei Axam filiam meam uxorem.] Patribus apud eos populos plenum jus erat in filiorum connubia [11]. Saul filiam suam se pollicetur daturum uxorem illi, qui vicerit Goliath [12]; plurima paria his exempla profanæ suggerunt historiæ. Aliquid parentes a viro exigebant veluti in dotem, ac uxoris pretium.

Ce-

1 גי בן הנם. 2 מעין מי נפתוח. 3 אל עָרֵי הר עפרון.
4 Josue 15. 10. & 4. Reg. 14. 11. 5 ועבר תמנה. 70. παρελεύσεται ἐπὶ λίβα.
6 יצא הגבול אל כתף עקרון צפונה ותאר הגבול שכרונה. 7 Cornel. a Lapide, Bonfrer. Grot. Gymnasium Phœnicum. 8 Masius, Bochartus Phaleg. l. 2. c. 17.
9 Heb. קרית ספר. Chald. קרית ערכי. 70. πόλις γραμμάτων. 10 Deuter. 6, 7. שננתם לבניך.
11 Grotius hic. 12 1. Reg. 17. 25.

℣. 17. CEPIT EAM OTHONIEL FILIUS CENEZ FRATER CALEB JUNIOR.] In loci hujus textu Hebraico vox illa *junior* non adest, sed in Septuaginta [1] legitur, ac in Vulgata; atque admodum probabile est, eam a primo Judicum capite ℣. 13. ubi invenitur, esse desumptam. Textus hoc pacto verti posset [2]: *Othoniel filius Cenez, qui* Cenez *frater erat Caleb*; & plures eruditi viri in hunc explicant sensum. Quem ut firment, ajunt, si Caleb fuisset frater Othoniel, non potuisse illi filiam nubere, nam patrui, ac neptis connubia æque lege interdicta sunt, ac nepotis, & amitæ, quæ explicite in Moysis lege prohibentur. Verum in Levitico [3] vidimus, Judæos credere, patruum in uxorem posse ducere neptem suam, quamquam amita nepoti nubere nequeat; nam viri qualitas, ac superioris minime excludit authoritatem patrui in neptem, quod contra rectam rationem eveniret, si nepos, superior, vir, & dominus amitæ evaderet, cui ætas simul, & natura in nepotem suum contulit authoritatem. Quomodocumque sit, exemplum, ac authoritas in dubium vocata, minimum valet liti huic dirimendæ. Horatius.

Nil agit exemplum litem quod lite resolvit.

Ut Vulgatam versionem tuearis, dici potest, Scripturam nuspiam loqui de Cenez, veluti fratre Caleb; neque ullum adesse inconveniens dicendo, Othoniel fratrem fuisse Caleb, seu fratris nomen in latiori sensu accipiatur, quod sæpius in Scripturis usuvenit, seu quod ad litteram, pressiusque intelligatur; at mallem credere, Othoniel arcto consanguinitatis vinculo cum Caleb fuisse conjunctum [4], quam illum fratrem proprie fuisse, fateri. Primum quidem, quod Othoniel semper filius Cenez vocatur, Caleb vero Jephone filius; secundo tum quod Othoniel admodum junior erat, quam Caleb, quemadmodum in libro Judicum observatum est; tum quod filiam ipsius Axam uxorem duxit, quod potiori jure consanguineum decet, quam patruum. Supponi igitur potest Jephone patrem Caleb, & Cenez patrem Othoniel fratres fuisse; ideoque Othoniel, & Caleb fratres patrueles fuisse; Axam vero ex patruele Othoniel natam, ac idcirco Axam nubere potuisse Othoniel, quin Legem infringeret.

℣. 18. QUI CUM PERGERENT SIMUL, SUASA EST A VIRO SUO, UT PETERET A PATRE SUO AGRUM.] Hoc accidit tempore nuptiarum Axæ cum Othoniel; hisce enim in solemnitatibus rite sponsæ viri domum omnibus consanguineis stipata inter musicorum instrumentorum sonitus, atque summa cum alacritate deducebatur. Othoniel hac uti voluit occasione, ut irriguam terram a socero obtineret, quæ plane ipsum decebat; hærebatque alii terræ sterili, & ingratæ, quam Caleb filiæ dederat. Othoniel igitur impulit Axam, ut peteret a patre suo agrum irriguum, quemadmodum hic enarratur. Narrationis decursus naturaliter ad hanc explicationem deducit, quam Syriaca versio, & Arabica, pluresque Interpretes [5] sequuntur, ii præsertim, qui præ ceteris hebraico textui mordicus adhærent.

At litteralis sensus hebraici textus [6] hic, & in primo Judicum capite contrarius est: *Et accidit, cum illa proficisceretur* (domum viri sui) *& illam eum impulit, ut peteret a patre suo quemdam agrum, suspiravitque* (vel descenditque) *de asino suo, cui pater, quid habes? inquit*. Reperiuntur vetera [7] quædam manuscripta Vulgatæ versionis a Sancto Hieronymo redditæ, ubi sensus habetur, non secus ac in hebraico textu, quem modo retulimus. Chaldaica versio, ac illorum plerique, qui versiones suas ex hebraico transtulerunt, asserunt, Axam pudore suffusam propter patris sui observantiam, cum non auderet petere in dotem irriguam terram, impulisse conjugem suum, ut ille postularet; sed Othoniel cum vel minime ausus esset hoc deposcere, vel repulsam tulisset, coegisse uxorem suam, ut hoc efflagitaret. Itaque seposita verecundia Axa patrem rogavit agrum, quem exoptabat. Ut hebraicæ lectioni perspicuus sensus accedat, suppleri debet, Othoniel noluisse agrum petere, vel illi Caleb concedere noluisse, unde difficultas oritur, ac locutionis hujus concisior brevitas, qua adactus fuit Sanctus Hieronymus, ut textum in eo sensu, quem expressit in Vulgata, intelligeret.

SUSPIRAVITQUE, UT SEDEBAT IN ASINO.] Hebraice vox [8], quæ istic vertitur *suspiravit*, adest hic solum, & in primo capite Judicum vers. 14. ubi hæc iterum refertur historia; ac in historia cladis Sisaræ, ubi dicitur Jael illi clavo caput *perfodisse* [9]; patet quidem nullum ex hoc loco novissimo lumen hauriri posse ad illum, qui præ manibus est explicandum. Interpretes quidem hic vertunt [10]: *Descendit de asino suo*. Menochius: *Confixit se super asinum*; noluit descendere, antequam Caleb pater illius postulata concederet. Ludovicus de Dieu: *expectavit insidens asino*. Septuaginta [11]: *exclamavit de asino suo*, quod cum Vulgata versione quamdam habet similitudinem. Ex tot versionum varietate inferri licet, verum hebraici textus in hoc loco sensum ignorari.

℣. 19. DA MIHI BENEDICTIONEM.] Vox *benedictio* sæpius in hoc sensu usurpatur; exempli causa, Abigail ait ad David 1. Reg. 25. 27. *Suscipe benedictionem hanc, quam attulit ancilla tua tibi Domino meo*; & S. Paulus ad Corinthios 9. 15. *præparent repromissam benedictionem hanc paratam esse, sic quasi benedictionem, non quasi avaritiam*; videlicet munus, donum.

TERRAM AUSTRALEM, ET ARENTEM DEDISTI MIHI, JUNGE ET IRRIGUAM.] Ad locum hunc, uti opus est, intelligendum, locorum situs agnoscendus esset, ac soli, quod Axæ in dotem traditum fuerat, expositio. Videtur Caleb illi dedisse agri partem siccam, atque arescentem, atque in agro eodem sibi tractum quemdam reservasse uberem, ac irriguum; *Junge & irriguam*, inquit Axa, quod innuit, irriguam terram arenti fuisse conjunctam. Hebraicus textus ad litteram [12]: *dedisti mihi terram australem, da mihi & fontes aquarum*. Terra australis ponitur pro arido solo, sterili, adusto, siccoque. Ita in regionibus, ubi calores magis desæviunt, atque ubi australes venti fervent, terræ, quæ Austro patent, aridæ sunt, ac steriles. Septuaginta [13] aliter intellexerunt: *Tu me in uxorem dedisti in regione Nageb*, (vel australi) *da mihi Golathmaim*, videlicet aquarum fontes. Origenis Interpres: *In terra austri nuptum me tradidisti, & accepit Gonetlam superiorem, & Gonetlam inferiorem*; quæ nullum sensum afferunt. Aquila: *Golgot superiorem, & Golgot inferiorem*. Symmachus [14] in primum Judicum vers. *possessionem* (agrum) *superiorem, & agrum inferiorem*.

DEDIT EI . . . . IRRIGUUM SUPERIUS, ET INFERIUS.] Videlicet solum in montibus, & solum in planitie, utrumque irriguum; vel juxta alios, agrum in superiori, ac inferiori parte utrinque irriguum; vel denique agrum, ubi aderant fluentes aquæ, *in-*

gunm

1 Ita 70. in Cod. Vatic. Syr. Arab. Pagnin. &c. 2 עתניאל בן קנז אחי כלב. 3 Levit. 18. 4. Negant Samaritani patruum posse neptem in uxorem ducere; at Judæi affirmant. 4 Vide Mes. hic. Vatabl. Drus. Cornel. Bonfrer. in Judic. 1. 13. 5 Piscat. Jun. Tremel. Bonfrer. Cornel. &c.

6 ויהי בבואה ותסיתהו לשאול מאת אביה שדה וגו 7 Codex MS. Corbej. ex Biblioth. S. Germani a Pratis in edit. nova Hieron. t. 1. d. 269. 8 ותצנח מעל החמור. 9 Judic. 4. 21. ותצנח בארץ.

10 Jonath. Munst. Vatabl. Drus. Pagn. Grot. Mas. 11 Καὶ ἐβόησεν ἀπὸ τοῦ ὄνου. Videntur legisse ותצעק *ingemuit*, non secus ac S. Hieronymus, pro תצנח. Interpres Origenis legit: *Exclamavit de monte*, ἀπὸ τοῦ ὄρους.

12 כי ארץ נגב נתתני ונתתה לי גלות מים. 13 εἰς γῆν ναγὲβ δέδωκάς με, δός μοι τὴν γολαθμάιν.

14 Sym. κτῆσιν τὴν ὑψηλοτέραν, καὶ κτῆσιν τὴν κατωτέραν.

guum superius, & aquæ puteorum, ac cisternarum, *irriguum inferius*. Vidimus supra, Septuaginta anthographi voces pro nominibus propriis accepisse.

℣. 23. JETHNAM.] Vel Jota, & Ieta. Hæc est urbs Sacerdotalis. Bonfrerius in Iosue 21. 13. hanc ipsam ait *Asan* vocari in Iosue cap. 19. 7. ac in 1. Paralipomenon cap. 6. vers. 59. Observat autem abicumque Ieta vocatur, Asan minime memorari; & e contra, ubi de Asan est sermo, Ieta omitti. Sed illi haud subscribit Cellarius; qui contendit, Ieta loci hujus idem esse, ac *Jota* capitis 21. 15. ac Iethnam, quam Eusebius ad duodeviginti passuum millia ab Eleutheropoli meridiem versus constituit.

℣. 24. ZIPH.] Locus insignis propter David recessum in desertum Ziph. Ziphæi pro virili adnisi sunt, ut principem hunc virum traderent Saul, qui ipsum insequebatur 1. Reg. 23. 26. Duæ reperiuntur cognomines civitates in tribu Iuda: ea quidem, quæ hic refertur, altera vero, cujus mentio fit vers. 55. de qua posteriori credunt, sermonem haberi in libris Regum, in cujus montes David se recepit: propinquitas Maon, & Carmeli hoc evincunt, Eusebius illam octo passuum millibus abesse ait ad Hebron Orientem versus.

℣. 25. ASOR NOVA.] Hoc additur, ut a veteri Asor urbe, ubi olim Iabin Rex Chanaan imperitabat, distinguatur. Asor nova ad Ascalonis orientem erat posita, ad eamque spectabat [1]. Plures adsunt hujus nominis Asor civitates.

CARIOTH HESRON, HÆC EST ASOR.] Credimus hanc esse urbem Asor in finibus regionis Iuda versus Arabiam. Vide Num. 21. 35. & 33. 17. Veteres Græci Interpretes versiculum hunc aliter legerunt. Septuaginta: *Urbes Aseron, quæ eadem est ac Asor*. Vetus quidam Interpres: *urbs Ageron, quæ est Asor*. Itaque juxta illos, versiculus hic, ubi Vulgata tres enumerat civitates, unam tantum complectitur, videlicet *Asor*. Hebraicus textus in eamdem sensum verti potest: *Asor Chadata, vel urbes Hesron, scilicet Asor*.

℣. 26. MOLADA.] Vel *Moladah*. Primum quidem tradita fuit tribui Iuda; mox vero tribui Simeon [2]: ast post reditum de Babylonica servitute illam viri Iuda incoluere 2. Esdr. 11. 26. Hæc fortasse est Malata, vel Malatis, de qua persæpe adeo Eusebius, ac S. Hieronymus loquuntur. Vide Num 33. 25. & inferius Bethphelet.

℣. 27. ASSEMON.] Hanc eamdem esse reor, ac Assemona, ubi Israelitæ in deserto castrametati sunt Numer. 33. 29. atque postremam esse partis Iuda civitatem in deserto ad austrum Iosue 15. 4. Inde vero arbitror eamdem esse, ac Assemona, quod cum Malatis conjungitur, & Bersabee. Non legitur autem vel apud Septuaginta, vel apud alium Græcum Interpretem.

BETHPHALET.] Vel Bethphalet, videlicet *domus fugæ*, vel liberationis, aut domus Phelitæi. Eusebius ait hanc eamdem esse, ac *Methelt*; arbitror autem legendum esse *Meleti*, vel Malati: de qua civitate frequenter author hic loquitur, eamque statuit viginti passuum millibus ab Hebron, quatuor vero ab Arad. Vide Numer. cap. 33. 25. quid de *Macelot* locuti dixerimus.

℣. 28. HASER-SUAL.] Scilicet *atrium sual*, vel habitatio vulpis. In Scriptura invenitur locus quidam *terra Sual* appellatus prope Ephra 1. Reg. 13. 17. Septuaginta hoc nomen non legunt.

BERSABEE.] Locus hic satis insignis est, propterea quod ibi Patriarchæ Abraham, & Isaac sunt commorati; hic autem tribui Iuda tribuitur, non secus ac 1. Regum capite 19. versiculo 3. ast Iosue 19. 2. in tribu Simeon collocatur. Sed Scriptura inquit, Simeon inter tribum Iuda incoluisse, atque in partem illius effusum fuisse. Urbs hæc posita erat secus viam, qua de Palæstina in Ægyptum pergitur, atque erat ex maxime Australibus civitatibus Iudææ. Nescias autem sum, utrum fides Eusebio sit adhibenda, qui Bersabee ab Hebron viginti dumtaxat passuum millibus abfuisse refert. In veteribus quibusdam monumentis reperitur [3]; *Versabinum castrum*, & *Berosabe* pro Bersabee.

BAZIOTHIA.] Nomen hoc haud extat apud Septuaginta, veteremve aliam Græcum Interpretem; sed illius loco legimus. *Vici earum*, & *villæ earum*.

℣. 29. BAALA.] Superius ℣. 11. locuti sumus de Monte Bala, ac inferius quoque videbimus civitatem Bala tribus Simeon traditam; quæ omnia ad meridiem tribus Juda erant posita. Mirum autem nemini esse debet, urbes easdem, quæ primitus datæ fuerunt tribui Juda, finitimis deinde tribubus cessisse, neque vicissim Juda quibusdam tribuum finitimarum civitatibus esse dominatam. Namque in postremarum tribuum divisione pleraque immutata fuere, quæ in prioribus effecta fuerant, atque alii ademptum est, ut alii adderetur eo consilio, ut quoad fieri posset, inter omnes adesset æqualitas. Præterea cum tribus Juda latius pateret, atque tribui Simeon conjuncta [4] post mortem Josue, bello reliquias Chananæorum esset persecuta; tunc recens quædam inter has tribus divisio facta est urbium earum, quas ceperant. Denique temporum fluxus, & perturbationes, quæ in Republica Hebræorum contigerunt, novas adhuc immutationes protulere, quarum impossibile est causas, ac particulares effectus inquirere.

IIM.] Septuaginta, *Bacee*. Alius Græcus Interpres, *Aim*.

℣. 30. HARMA] aliter *Herma* [5], vel *Horma* [6], videlicet *Anathema*. Urbs hæc celebris est in Scriptura propter cladem, quam Israelitis intulere Chananæi, Chananæis vero deinde retulere Israelitæ Num. 21. 3. Tunc autem loco illi anathematis nomen accessit, cum Israel se voto adstrinxisset, anathemati devoturum regionem Regis Arad, qui eos bello lacessiverat. Holma non longius aberat a Cadesbarne, quandoquidem Israelitæ e castris Cadesbarne egressi cum in Chananæos, & Amalecitas contra edictum Moysis voluissent irruere, cæsi fuerunt, atque Hormam usque in fugam acti Num. 14. 45. Civitas hæc primum quidem fuit tribus Juda, sed mox tribui Simeon est tradita. Iosue 19. 4.

℣. 31. SICELEG.] Hæc urbs a Juda ad Simeon transiit, æque ac ea quæ præcessit. Videtur autem in Philistiim ditione permansisse usque ad tempora David. Cum vir hic ab Achis eam obtinuisset calamitatis suæ tempore, deinceps continenter Iudæorum Regi obtemperavit. 1. Reg. 27. 6.

℣. 32. LEBAOTH] vel *Iabaoth*. Hæc inter urbes Simeon invenitur, *Beth-lebaoth* [7] vocata, videlicet *leonum domus*.

ASEN, ET REMON.] Duæ hæ urbes junctæ repetiuntur in quibusdam Latinis Exemplaribus; atque veluti una tantum urbs occurrit in secundo Esdræ libro c. 11. 29. sed sejungendæ sunt, veluti duæ urbes diversæ. Remon ex illis est, quæ deinde tribui Simeon cessere. Plures loci adsunt hoc eodem Remon nomine nuncupati. Unum quidem in stationibus Israelitarum in deserto conspeximus, nomine *Remmon Pharez* [8]. Alium constituit Remon Eusebius in boreali plaga quindecim passuum millibus ab Ierusalem; quod minime convenit loco illi, de quo hic sermo, qui plane longius ad meridiem Ierusalem abesse debebat.

CIVITATES VIGINTI NOVEM.] Urbium, quæ versiculis 20. 21. & sequentibus usque ad 32. memorantur, numerum, recensentes, eas quinque & triginta fuisse reperimus, quibus additis Hebron, Dabir, Cariat-Sepher fient duodequadraginta. Plures Inter-

1 Euseb. hic. & Hieron. 2 Josue 19. 2. & 1. Par. 4. 28. 3 Apud Cellar. l. 3. c. 13. p. 358.
4 Judic. 1. 3. 5 Josue 12. 14. 6 Num. 14. 45. & Deut. 1. 44. 7 Josue 19. 6. 8 Num. 33. 19.

Interpretes [1] arbitrantur ex hoc numero subdecendas esse novem urbes, quæ cesserunt tribui Simeon, quemadmodum inferius videtur cap. 19. e. & 3. ac sequentibus. Alii [2] ajunt, servandum esse numerum hunc vigintinovem urbium præcipuarum, quibus addendi sunt novem pagi, aut vici minus insignes; quod innuitur per ea Textus verba: *civitates viginti novem, & villæ earum*, seu pagi. Samson, ut numerum 38. ad 29. redigeret, simul aliquot civitatum nomina, quæ in Hebraico textu & Græco sejuncta sunt, per conjunctionem *&* conjungit; quod satis est, ut illius corruat opinio.

ỷ. 33. IN CAMPESTRIBUS VERO ESTAOL.] Hebraice [3]: *& in Scephalah* urbs *Estaol*. Ostendimus supra c. 10. 40. terræ tractum, qui *Scephalah* appellabatur, magnam fuisse planitiem prope Eleutheropolim, ac in illius plaga occidentali. Urbs *Estaol* erat, inquit Eusebius, ad decem passuum millia ab Eleutheropoli posita Nicopolim versus, vel potius Diospolim, authore Bonfrerio. Estaol cum primum tribui Iuda fuisset tradita, in tribum Dan commigravit, Iosue 19. 41. Samson tumulatus fuit inter Estaol, & Saraa in patrum suorum sepulchrum elatus Iudic. 16.

SAREA,] VEL SARAA, VEL SAARA. Hæc deinceps tribui Dan cessit, Iosue 19. 4. Hæc est Samsonis Patria, Iudic. 13. 2. Septuaginta, ac alius Græcus Interpres post *Asena*, quæ hic legitur, habent *Ramoo*, vel *Ramen*, quæ nec in Vulgata extat, neque in textu Hebraico.

ỷ. 34. ZANOE] vel *Zanoa* secus viam, quæ ab Eleutheropoli Ierusalem tendit, ait Eusebius. Cognominem urbem videmus etiam infra ỷ. 56.

ENGANNIM.] Hujus nominis urbs prope Bethel statuitur; verum dubium est an de illa hic sermo.

TAPHUA.] Situs hujus ignoratur, quamquam fuerit hæc urbs Regia [4]. Plures aderant in Palæstina civitates, quæ hoc nomine appellabantur.

ENAIM.] Eusebius autumat hanc esse Bethenion prope Terebinthum. Ex Iosepho liquet [5], Sozomeno, ac ex Itinerario Theodosii ævo conscripto extitisse adhuc Terebinthum stadiis aliquot procul ab Hebron, ubi credebatur Abraham tribus Angelis convivium præparasse. Quoad Enaim, num ea forsitan esset, cujus liber Genesis meminit, ubi Iuda ad Thamar dicitur accessisse *ad portam Enaim* in via, quæ ducit Thamnan [6]? Versiculus hic 34. longe alius est apud Septuaginta, quam in Hebraica lectione, & Vulgata: *Thano, Iathot, & Maani*. Interpres alius, *Zano, Adiathaim, & Enaim*.

ỷ. 35. IERIMOTH.] Quatuor mille passus ab Eleutheropoli distat; supra cap. 10. vers. 3.

ADULLAM,] vel *Adollam*, vel *Odollam* supra cap. 12. vers. 15.

SOCHO, ET AZECA] In via quæ ducit ab Ierusalem Eleutheropolim. Prope urbem Socho insigne illud inter David, & Goliath initum est certamen 1. Reg. 17. 49. Septuaginta, & alius Græcus Interpres huic addunt versiculo urbem *Membra*, vel *Nembra*.

ỷ. 36. SARAIM,] vel *Saarim*. Hæc tribuitur & tribui Iuda, & tribui Simeon. Duplicem hujus nominis fuisse urbem existimant, alteram quidem in tribu Simeon, in tribu vero Dan alteram. 1. Reg. 17. 52. Vide Bonfrerium in Saarim.

ADITHAIM.] Vicus quidam *Adatha* agnoscitur prope Gazam, & alius in orientali plaga Diospolis.

GEDERA, GADEROTHAIM,] vel *Gador*, & *Gaderot*, & *Gader*, vel *Gaddera*. Superius locuti sumus de Rege Gader; Iosue 12. 13. Locus hic idem est profecto, ac Gazer, vel Gazera. Septuaginta in hoc versiculo duas tantum urbes legunt, nempe *Sacarim, & Gadera*.

URBES QUATUORDECIM.] Quindecim in hac re-
A censione inveniuntur; at si Gedera, & *Gederothaim* pro una tantum urbe sumantur, jam erunt quatuordecim. Quidam ajunt *Enaim* esse fontem, non civitatem. Alii malunt in hac enumeratione vicos haberi, qui in urbium numero haud referuntur. Septuaginta, aliusque Græcus Interpres quatuordecim solum enumerant civitates in versiculis quatuor præcedentibus.

ỷ. 38. MASEPHA.] Eusebius urbem hanc statuit ad boream Eleutheropolis Ierusalem versus.

IECTHEL] Admodum differens est a Iectael aliter *Petra* in Arabia, cui Iectael nomen inditum fuit ab Amasia Rege Iuda 4. Reg. 14. 7. Septuaginta, & vetus Interpres legunt *Jachariel*.

ỷ. 39. LACHIS.] Vide supra, Iosue c. 10. vers. 3.

B EGLON.] Vide cap. 10. vers. 3. Septuaginta hic legunt solummodo *Bosedoth*, & *Ideadalea*.

ỷ. 40. CHEBBON, LEHEMAN, CETHLIS.] Septuaginta: *Chabra, Maches, Machos*: Græcus alius Interpres: *Chabba, Chamas, Chatlos*. Vide recentem Hexaplorum editionem.

ỷ. 41. BETH DAGON;] videlicet, templum, vel domus Dagon. Liquet, Dagon idolum fuisse Philisthiim; unde conjicere licet Beth-Dagon proximam fuisse regionibus illorum. S. Hieronymus ait ævo suo adhuc ostendi consuevisse pagum inter Iamniam, & Diospolim, qui *Caphar-Dagon* appellabatur, videlicet Dagonis sedes. In tribu quoque Aser civitas quædam vocabatur Beth-Dagon, Iosue 19. 27. Septuaginta hic legunt *Bagadiel*.

C MACEDA.] Vide superius Cap. 10. 17.

ỷ. 42. LABANA.] Hæc eadem plane est ac Lebna, vel Lobna. Iosue 10. 29.

ETHER, vel ATHAR.] Hæc primitus quidem fuit tribus Iuda, sed ad tribum Simeon deinde transiit, Iosue 19. 7. Eusebius docet, in interiori parte terræ Daroma, quæ in ea regione maxime in austrum vergit, magnum adfuisse locum, cui nomen Ethera, vel Iethira prope urbem Malatam. Vide, quæ dicta fuerint in Numerorum libro de *Macelot*, ac quæ dixerim de Iether (quæ eadem est, ac Ether) in Commentariis in primum Regum Librum c. 30. vers. 27.

ASAN;] Num eadem est ac Ieta? Vide superius vers. 23. Videtur autem eadem esse, ac *Cor-Asan*,

D de qua sermo 1. Reg. 30. 30. Septuaginta, *Asiath*.

ỷ. 43. IEPHTHA, ESNA, NESIB.] Septuaginta, *Jana*, & *Nasib*. Græcus alius Interpres: Iephte, & Asenna, & Nasim.

ỷ. 44. CEILA, ACZIB, MAREZA.] Septuaginta, *Ceila, Aciezi, Cesib, Bathesan, Alem*. Interpres alius Græcus: *Cela, Amesi, Zeo* (ad marginem *Aczib*), *Mareza, Edom*. Vide novam editionem Hexaplorum.

CEILA.] Hæc urbs celebris est propter David historiam. Eam e Philisthiim obsidione liberavit: deinde vero cum Saul ipsum persequeretur, parum abfuit, quin huic Regi illa traderetur ab incolis Ceilæ secus viam, qua iter est ab Eleutheropoli in Hebron a priori harum urbium decem & septem millia passuum procul, vel ut mavult S. Hieronymus, octo.

E Hic Prophetæ Habacuc tumulus ostendebatur.

ACHZIB.] Hæc profecto est Cazbi, de qua sermo fuit Genesis 38. 5. Adfuit quoque urbs hoc nomine celebris in Galilæa; at hæc penitus ignoratur.

MARESA.] Urbs hæc satis insignis est in Scriptura, at situs illius nos fugit. Eusebius, ac S. Hieronymus loquuntur de ruderibus Maresæ ad duo passuum millia ab Eleutheropoli; sed in numerum vitium obrepsisse credendum est: nam omnis veritatis species adest, Maresam in magis australi parte terræ Chanaan positam fuisse. Iosephus Antiqu. l. 13. c. 23. & lib. 1. de Bello c. 2. eam statuit in Idumæa. Roboam Rex Iuda filius Salomonis, eam communien-

1 Hebr. in Lyran. & Mes. Vatabl. Grot. Jun.

2 Mas. Menoch. Serar. Bonfr. Drus.

3 בשפלה אשתאול

4 Josue 12. 17.

5 Josephus l. 4. de bello c. 31. hanc urbem locat 6. stadiis ab Hebron; Sozomenus l. 2. Hist. Eccles. c. 4. 15. stadiis, & Itinerarium Burdigalense duobus milliaribus ab urbe Hebron.

6 Genes. 38. 14. בפתח עינים

giendam curevit 2. Par 11. 8. ac diu post Gabinius A Romani exercitus Imperator illam instauravit, ut testatur Iosephus Antiqu. l. 14. c. 10. Hic autem Asa Rex Iuda Zaram Æthiopiæ, vel Arabiæ Regem delevit, eumque Geraram usque est persecutus 2. Par. 14. 10. 14. Alibi conjecturam attulimus, hanc esse fortasse Ressam in Arabia. A Iosepho semper *Maressa* appellatur. Agnoscitur ad hanc quoque diem urbs *Larissa* inter Palæstinam, & Ægyptum ultra *Raphiam*, atque ad orientem illius.

℣. 45. ACCARON.] Vide, supra Iosue 13. 3.

℣. 47. AZOT.] Vide Iosue 11. 22.

℣. 48. IETHER.] Sita erat prope Malatam, cujus pars australis ab Eleutheropoli viginti passuum millibus distat: Eusebii ævo *Jethira* appellabatur; id ipse animadvertit, quod nos quoque post ipsum B ad vocem *Esher* supra vers. 42. Ægre tamen impellor, ut credam, Iosue hic easdem civitates repetere, de quibus superius paullo est locutus.

SOCOTH.] Hebraicus textus, & Septuaginta: *Soco*. Vidimus jam nominis hujus civitatem ℣. 35.

℣. 49. CARIATH-SENNA,] vel Dabir. Vide ℣. 15.

℣. 50. ANAB.] In agro Eleutheropolis, Eusebius inquit.

ISTEMO,] vel Esthamo, vel Esthemo. Invenitur urbs Sacerdotalis hoc nomen præseferens [1]. Bonfrerius hanc eamdem esse contendit, ac Asemon, vel Asemona. Hoc vix crediderim. Eusebius, ac S. Hieronymus docent Istemo fuisse in agro Eleutheropolis, vel illi paruisse.

℣. 51. GOSEN.] Vide Iosue cap. 10. ℣. 41. & c. C 11. ℣. 16.

OLON.] Hebraice *Cholon*, eadem ac Holon, Iosue 21. 15. & Helon 1. Par. 6. 69. Hæc erat urbs Sacerdotalis.

GILO vel GILON.] Hæc patria est proditoris Achitophel, qui inde Gilonita vocatur. 2. Regum 15. 12.

℣. 53. BETH-THAPHUA.] Eusebius ait *Beth Thaphuam*, vel ut ipse eam vocat, Bethaphu, quatuordecim passuum millia abesse a *Raphia* [2], secus viam Ægypti. Asserere quoque videtur, hanc ævo ipsius postremam in ea plaga Palæstinæ urbem fuisse. Urbs Raphia posita erant inter Gazam, & Rhinocoruram; prope quam prælium initum est inter Ptolomæum hoc nomine quartum, & Antiochum magnum [3]. D Polybius hanc pugnam describit, lib. 5. c. 82.

APHECA.] Vide supra cap. 12. 18.

℣. 55. MAON.] Nomen hoc in Scriptora celebratur propter David fugam in deserta Maon, dum calamitatibus obtueretur. Eusebius hujus nominis urbem statuit in orientali plaga Daromæ; videlicet in parte magis orientali australis plagæ in Judæa.

CARMEL.] Non est hic mons ille prope. Æliæ Prophetæ miracula celeberrimus. Urbs Carmel, de qua istic loquitur Josue, erat in tribu Juda decies mille passibus ab Hebron orientem versus. Nabal conjux Abigail dementia sua, atque imprudentia montem, ubi civitas hæc Carmel erat posita, insignem effecit 1. Reg. 25. 3. uti quoque Saul propter triumphalem arcum, quem ibi extruxit relata de A- E malecitis victoria. 1. Reg. 15. 12. *Vide Animadversiones in Tabulam Geographicam.*

ZIPH.] Vide supra ℣. 24.

JOTA.] Hæc eadem profecto est ac Jeta ℣. 23.

℣. 56. JEZRAEL.] Situs illius ignoratur; ea penitus alia est ab urbe cognomine in tribu Issachar, de qua alibi erit sermo.

℣. 57. GABAA;] Differt hæc urbs a Gabaa tribus Benjamin, quæ erat patria Saul. Verus situs urbis, de qua hic agitur, ignoratur. Ea nomine illius inferre licet in excelso quodam loco fuisse positam.

THAMNA,] *Thamnas*, vel *Thamnata*. Vide, quæ dixerim ℣. 10. Cum hæc urbs esset in finibus Philistiim, ideo sæpius eadem potiti sunt; Samsonis tempore eam possidebant, Judic. 4. 1. eamque etiam, dum Achaz regnaret, ceperunt 2. Par. 28. 18.

℣. 58. BESSUR,] vel *Beth-Sur*, (quemadmodum in Hebraico textu, atque a Septuaginta vocatur,) semper tribui Juda paruit. Eusebius duo indicat loca in hac tribu, quæ Bessur appellabantur. Primum quidem ad viginti passuum millia ab Jerusalem Hebron versus, prope quod ad montis radices videtur fons, ubi Eunuchus Reginæ Candacis baptizatus fuisse perhibetur Actor. 8. 38. At cum Historia asserat, hunc Eunuchum tunc a Jerusalem in Gazam profectum fuisse, asseri merito potest, ipsum haud transisse per urbam Bessur propa Hebron [4]; & si fons, ubi Eunuchus hic lustrali aqua ablutus fuit, erat prope Bessur, de altera Bessur urbe est intelligendum, quæ mille passus aberat ab Eleutheropoli.

Priorem autem Bessur a Roboam [5] communitam fuisse reor; & una ab Antiocho Eupatore captam cum de Idumæa in Judæam contenderet [6]. Hic etiam idem plane locus est, quem Simon Macchabæus in *finibus Judææ* instauravit [7], cum eo tempora Hebron in Idumæorum esset potestate [8], de qua sæpius adeo libri Macchabæorum, veluti de egregia arce loquuntur. Verum quidem est, ex textu horum librorum videri Bessur quinque stadiis dumtaxat ab Jerusalem absfuisse [9], quod impulit Adrichomium, & Bonfrerium, ut crederent hanc simplicem arcem fuisse prope Jerusalem longe aliam ab utraque Bessur, de quibus locuti sumus. At Cellarius jure animadvertit, opus esse, ut numeri in hoc Macchabæorum textu corrupti sint; quoniam libri iidem [10], & Josephus Antiq. l. 10. c. 14. & lib. 13. c. 9. semper loquuntur de Bessur, perinde ac de urbe fortissima in finibus Judææ, ac Idumææ; neque Iosephus, qui diligenti aden cura Ierusalem, ac finitima quæque descripsit, nullo pacto prætermisisset arcem Bessur, quin de ea loqueretur, si quinque stadiis solum, vel 625. passibus a Ierusalem absfuisset. Denique Syriaca versio pro stadiis quinque, septemdecim habet; ac in exemplari Alexandrino, quod afferunt Polyglottæ Anglicanæ, quinque extant schœni, vel quinque funiculi pro quinque stadiis. Schœni quidem varii erant pro terrarum varietate; at minor triginta stadiis constabat, quo supposito quinque schœni præter propter cum viginti passuum millibus congruunt, quæ Eusebius, ac S. Hieronymus Ierusalem a Bessue dicunt absfuisse. Vide Cellarium lib. 3. c. 13. p. 344. 345.

GEDOR.] Vide, quæ dicta fuerint de Gadera ℣. 36. ac de Gader cap. 12. ℣. 36. & de Gedor 1. Par. 4. 4. Viri e tribu Simeon potiti sunt Gador, cum Ezechias Regnum Iuda obtineret. 1. Par. 4. 9.

℣. 59. ELTEGON;] vel *Eltece*; deinceps tribui Dan tradita fuit, Iosue 19. 44. tandem vero Levitis assignata, Iosue 21. 23. Græcus textus MS. Alex. addit istic plures urbes, quæ in Hebraico non extant: exempli causa, *Thecs*, *Ephrata*, vel *Betleem*, *Phagor*, *& Oeithan*, *Conlon*, *Thatam*, *Tobis*, *Carem*, *Galem*, *Theter*, *Manacho*. Vide S. Hieronymum in Michæam c. 5. 1.

℣. 60. CARIATH-BAAL.] Vide supra *Cariath-jarim* ℣. 9.

ARBEBA.] Legi simpliciter posset *Rabba*; scilicet *Magna*. Adest, inquit S. Hieronymus urbs Rabbo ad meridiem Eleutheropolis, sed orientem versus. Posset quoque legi, *Arabà* [11], quæ eadem est ac Hebron.

1 Josue 21. 14. & 1. Par. 6. 2 Libri editi habent *Rufia*, ῥουφία; & S. Hieronymus legit *Raphaim*; quod in causa fuit, ut nec Bousrerius, neque Cellarius locum hunc intellexerint, licet, quæ sequuntur, illum satis clarum reddant. 3 Strabo l. 16. p. 522. 4 Ex Itinerario Burdegalensi, Theodosii ævo scripto liquet, tum vulgo creditum in fonte Bessur baptizatum fuisse Eunuchum; quod evenisse in torrente Besoa potius putandum est. 5 2. Par. 11. 7. 6 Joseph. Antiqu. l. 12. c. 14. 7 1. Macchab. 14. 33. 8 Vide Josephum Antiqu. l. 12. c. 12. 9 Macch. 11. 5. ἐγγὺς ὄντι Ἱεροσολύμων ἀπέχοντι ὡσεὶ σταδίους πέντε. 10 Vide 1. Macch. 4. 29. 61. & 6. 7. 11 ארבה vel ערבה

bron. Alibi usquam *Arebba* invenitur.

℣. 61. IN DESERTO BETH-ARABA.] Urbs hæc inferius cap. 18. ℣. 22. inter urbes Benjamin recensetur. Illa plane in deserto sita erat, vel in agro Ierichuntino, quemadmodum loci hujus textus videtur innuere, ubi dicitur in deserto fuisse.

℣. 62. CIVITAS SALIS.] Nemo inficiatur hanc ad lacum Asphaltitem fuisse positam, qui sæpius in Scriptura *mare salis* vocatur. Agnoscitur etiam *Vallis Salinarum*, vel salis [1]. Num in hac valle fuit civitas Salis? Ipsa quoque Idumææ satis erat proxima, sed & vallis Salinarum vulgo huic regioni tribuitur. Bonfrerius autumat hanc civitatem salis eamdem esse, ac Segor, quæ sceleratarum urbium effugit incendium.

ENGADDI,] locus in Scriptura celebris, non secus ac apud Profanos. Eusebius, & S. Hieronymus adnotant, juxta mare mortuum, & in agro, vel deserto Iericho locum satis frequentem adfuisse, cui nomen Engaddi, ubi balsami arbustum virebat. Plinius l. 15. c. 17. & Solinus c. 35. quoque de hac urbe loquuntur, eamque inter Iericho, & mare mortuum constituunt: ipsorum ævo jam corruerat, sed balsamum adhuc excolebatur, quo locus ille maxima nominis celebritate florebat. Urbs Engaddi appellatur quoque *Azezon-Thamar*, propter palmas, quæ ibi aderant plurimæ; quæ arbor Hebraice *Thamar* vocatur. In ea regione, Thamaro etiam fuisse ex Ptolomæo constat, atque ex tabulis Peutingerii. Desertum Engaddi celebre est in Scriptura, eo quod illuc se David receperit 1. Reg. 24. & vineæ Engaddi, quas S. Hieronymus pro Balsamo accepit, in Canticis Canticorum 1. 4. commendantur. Contenderunt aliqui, Engaddi, & Hasason-Thamar idem esse ac Iericho, quandoquidem balsamum, & palmas Iericho summis laudibus celebravit antiquitas; perinde ac alibi reperiri non possent. Quommodocumque res se habeat, cum Engaddi fuerit in agro Ierichuntino, urbi Iericho potuit quidem balsami, ac palmarum Engaddi honor deferri, quæ jam diruta fuerat, quemadmodum ex Plinio vidimus, & ex Solino, qui dare duas has urbem distinguunt.

Cum jam ad examen vocatus fuerit locatum situs, de quibus in hoc capite est sermo, haud abs te futurum arbitror, quædam adnotare quoad ordinem, & modum, quo loci hi distributi fuerint. Vidimus jam non paucas harum civitatum non semel memoratas fuisse: exempli gratia *Zanoe* ℣. 34. & 56. repetitur. Gedera, Gederothaim, Gedor, & Giderot, una tantum videtur civitas fuisse, non secus ac Iether, & Ether, & Esaan, Asan, Asena; *Jota* ℣. 55. plane eadem est ac *Jesua* ℣. 23. *Ziph* bis invenitur ℣. 24. & ℣. 55. Ast unde nam hæ loci repetitiones irrepserunt istuc, ubi tribus unius urbium recensio tantum peragitur? Unde nam tot hic omissiones urbium sunt, quas adesse fatendum est; uti S. ipse Hieronymus lib. 2. in Mich. c. 5. t. 3. p. 1532. novæ edit. fatetur? Ait enim, in Septuaginta exemplaribus [2] legi undecim nomina civitatum, quæ in Hebraico textu minime inveniuntur. Hæc porro sunt *Thecs, Ephrata*, aliter *Bethlem*, *Phagor*, *Athan*, *Culon*, *Tami*, *Soris*, *Cesam*, *Gallim*, *Bether*, & *Manaho civitates 11. & viculi earum, quod neque in Hebraico, nec apud alium invenitur Interpretem*, pergit S. Hieronymus, *sive de veteribus libris erasum sit malitia Judæorum, ut Christus de tribu Juda ortus videretur*, expungendo Bethleem ubi natus erat, *sive a Septuaginta additum sit, nequaquam cognoscentes, certum quid novimus*. Bethsemes urbs Sacerdotalis Juda in hoc numero minime recensetur, quamquam inferius cap. 21. 16. referatur. Superius autem plures urbes adnotavimus, quæ hic tribui Iuda tribuuntur, quæ deinde tribubus Simeon, vel Benjamin, vel Dan cessere; observatum quoque est collectas urbium summas haud semper urbium seorsim memoratarum numero respondere; atque cum prius quinque & triginta fuerint nominatim allatæ, eas undetriginta esse concludi.

Ex his omnibus judicium ferri posset, his urbium recensionibus non semel subinde manus admotas fuisse, & fortasse, aliquas librariorum incuria excidisse, aliasque iterum fuisse relatas: Quod liquet ex maxima varietate, quæ veteres Græcos Interpretes cum Hebraico textu conferentibus occurrit.

At reor, difficultates has faciliori adhuc ratione posse dissolvi, supponendo terras, ac urbes diversis familiis Iuda seorsim fuisse divisas; quod ipsum perspicue satis ℣. 18. refertur, ubi divisio hæc facta fuisse dicitur filii Iuda secundum familias eorum: *Hi sunt termini filiorum Juda in cognationibus suis*; ac præterea ex versiculis 32. 36. 41. 44. 51. 54. 57. 59. 60. 62. innotescit regionem omnem in decem partes inæqualiter distributam fuisse, plane juxta numerum, ac vires diversarum familiarum: atque decem distinctæ partes ibi inveniuntur, non secus ac decem familiæ tribus Iuda extiterunt; scilicet *Sela*, *Pharez*, *Zare*, filii immediati Iuda, *Hesron*, & *Camuel* filii Pharez, & *Zamri*, *Ethan*, *Eman*, *Chalcas*, & *Dara* filiis Zare. Vide Num. 26. 20. & 1. Par. 2. 3. 4. Denique hypothesis hæc confirmatur, quod capite decimo septimo ℣. 5. explicite refertur, tribui Manasse distributam fuisse regionem, quæ illi contigerat, juxta numerum familiarum quæ decem erant in illa; *Ceciderunt funiculi Manasse decem*. Vide Iosue 17. 2. Quandoquidem ratio eadem etiam pro tribu Iuda subsistebat, num credi nequit, idem in ipsa usuvenisse, ac regionem in totidem partes fuisse divisam, quot erant distinctæ in eadem tribu familiæ?

Huic porro systemati incumbendo nullo negotio ea dissolvi possunt, quæ in hac recensione difficilia videbantur; nam cum plures essent urbes, quæ pluribus distinctis familiis poterant impertiri, inde factum est, ut diversis in locis expresse inveniantur: hæc civitas erat *Hesronitarum* familiæ verbi gratia, quæ ad Camuelitas etiam spectabat. Hinc autem in summis occurrunt discrimina inter urbes, quæ seorsim prius fuerant memoratæ, ac numerum, qui ex urbibus simul sumptis existit; quod profecto in totali summa collectæ fuerunt solum urbes, quæ simpliciter ad eam pertinebant familiam, de qua sermo erat; non item vero illæ, quarum partem aliæ familiæ in tribu eadem, vel etiam aliæ tribus poterant possidere. Et forsitan, quod passim in hoc capite observatum est, urbem, quæ primitus tradita fuerat Iuda, deinde vero cessisse Ephraim, nihil aliud innuit, nisi urbem eamdem simul frequentem fuisse, & familiis Iuda, & aliis familiis Simeon, vel Dan. Idem ex æquo dicendum est de urbibus, quæ Sacerdotibus, Levitisque cesserunt; cum enim illis in hæreditatem civitas assignabatur, non ideo ejiciebantur inde illi, qui eas antea incolebant, & in quorum parte illæ aderant. Sacerdotes cum aliis incolis immiscebantur, illisque id juris erat, ut domum, atque mediocre solum dari sibi deposcerent. Hæc explicatio æque naturalis mihi videtur, ac illæ, quas antea ex Interpretum authoritate, ac judicio retulimus.

℣. 63. IEBUSÆUM HABITATOREM IERUSALEM NON POTUERUNT FILII IUDA DELERE.] Ierusalem ergo erat in hæreditate Iuda, & Iebusæi plane hac iterum potiti civitate fuerant, eamque communiverant, postquam Iosue illos devicerat, eorumque ceperat Regem ea die, qua prope Gabaon pugnatum fuit [3]: Nullibi equidem Iosue refert, Ierusalem ab ipso captam fuisse; verum credibile est, hanc ab illo in medio regionis totius relictam fuisse, cum jam Regem illius delesset, fudissetque alios Iebusæos, quemad-

1 1. Reg. 8. 13. & 4. Reg. 14. 7. 1. Par. 18. 12. & 2. Par. 25. 11.
2 Non occurrunt in editione Complutensi; leguntur autem in Romana, in Aldina, & in MS. Alexandrino nonnullis leviter immutatis.
3 Josue 10. 23. 40. & 12. 10.

quemadmodum non semel in Scriptura narratur? Quomodocumque sit, legimus in Iudicum libro c. 1. 8. filios Iuda cepisse, atque igne absumsisse Ierusalem; attamen capitu eodem ℣. 21. scriptum est; *Jebusaeum autem habitatorem Jerusalem non deleverent filii Benjamin, habitavitque Jebusaeus cum filiis Benjamin in Jerusalem usque in praesentem diem*. Denique diutius posthac cum David regnaret, Iebusaeos adhuc fuisse in Ierusalem censpicimus, atque a Rege hoc arcem Sion captam, dirutamque fuisse. 2. Reg. 5. 7. *Cepit autem David arcem Sion, haec est civitas David*. At quonam pacto haec possunt conciliari? Quinam, & quo jure Juda, & Beniamin Jerusalem sibi deberi contendunt? Quomodo nam utrique simul in eadem urbe cum Jebusaeis commorantur, quin eos penitus deleant?

Responderi potest, Ierusalem, cum in finibus duarum tribuum esset Iuda, & Benjamin [1], modo tribui Iuda assignari, quemadmodum in hoc quoquo loco [2]; modo vero Benjamin, veluti cap. 18. 28. atque ideo nequaquam mirum esse dici, a Iuda, & Beniamin minime deletos fuisse Iebusaeos Ierusalem, sed cum ipsis immoratos fuisse. Illi enim singuli e latere suo ceperunt, possederuntque urbis, & agri partem; sed Iebusaeum minime deturbarunt de superiori parte Ierusalem, seu de arce Sion, unde illos tandem David, cum regnaret, ejecit.

Fateor sincere tamen, ex Scriptura nequaquam constare, quod filii Iuda, ac Benjamio diu incoluerint Ierusalem ante David imperium; nam dum Iudices praeessent, vel potius illius anarchiae tempore, quae mortem Iosue, Calebi, seniorumque est subsecuta, cum populi voluntas pro legibus esset, illudque fieret, quod optimum factu existimaretur; quando Levitae uxor in Gabaa corrupta fuit; tunc sane Iebusaeus solum in Ierosalem dominabatur, Iudic. c. 19. 11. Cum enim Levita ille esset *juxta Iebus, & dies mutaretur in noctem, dixit puer ad Dominum suum: Veni obsecro, declinemus ad urbem Iebusaeorum, & maneamus in ea: cui respondit Dominus; Non ingrediar oppidum gentis alienae, quae non est de filiis Israel, sed transibo usque Gabaa*. Si filii Juda, vel Beniamin tunc inferioris Jerusalem urbis fuissent Domini, Levita ne hoc pacto locutus esset?

A Cum vero David signa intulit in hanc orbem, num ulla species adest, urbis illius partem in Israelitarum ditione fuisse? Haec omnia igitur conciliari possent dicendo, ad David usque tempora Jerusalem totam Jebusaeis paruisse; sed hos cavere minime potuisse, quin Israelitae plures e tribubus Juda, & Beniamin ibidem sedem suam constituerent. Victoriam autem, quam Josue primum, ac post mortem illius tribus Juda, sicuti capite primo Judicum refertur, retulit, de urbis parte dumtaxat relatam fuisse, ut Jebusaeos quamprimum eadem fuisse potitos, ibique imperium suum confirmasse, quin tamen Israelitas expellerent, qui illic immorari voluerint.

B Hebraei asserunt, urbem Jerusalem, neque Judae fuisse, nec Beniamio peculiariter; sed utrique tribui fuisse communem: erat enim veluti regionis totius Metropolis, singulis ad eam jus erat, nec ullus poterat prohiberi. Inficiari quidem nequit novissimis saltem temporibus id contigisse, quod asserunt Judaei. Josephus de Bello l. 4. c. 6. & l. 3. c. 5. de hoc loquitur his ferme verbis. Inducit Simon filium Catlas dicentem, principes Ierusalem clausisse urbem utrique Nationi communem illis, qui eam accesserant defensuri: & alibi refert, tot varia gentium genera novissimae obsidionis tempore Jerusalem confluxisse, eo quod deerat urbi caput, atque juxta

C morem omnia gentium genera nullo praevio examine admittebantur: Sed ante captivitatem, ac potiori jure ante regnum David rem haud ita se habuisse: Jerusalem duabus tribubus Juda, ac Beniamin communem fuisse: Beniamin quoque jus fuisse ad illam suae haereditatis ergo; sed Juda eam sibi vindicasse propter victoriam, quam de eadem retulerat.

HABITAVIT JEBUSAEUS IN JERUSALEM USQUE IN PRAESENTEM DIEM.] Ex hoc etiam loco inferri potest, Libri hujus Authorem ante David scripsisse, nam hic Rex Jebusaeos de Jerosalem penitus eliminavit. Vide Praefationem. Non afferam huc ea, quae asserunt Judaei, Jebusaeos nequaquam deletos

D fuisse propter foedus, quod olim Isaac inierat cum Abimelech Rege Gerarae [3], a quo Jebusaeos extitisse contendunt, non vero a Chanaan; haec omnia, ut ne animum quidem advertamur, merentur.

---

1 Josue 15. 8. 2 Vide & Psal. 77. 67. . . . . *Sed elegit tribum Juda, montem Sion quem dilexit.*
3 Genes. 26. 28. 29. 31.

CAPUT XVI.

Haereditas Tribuum Ephraim, & Manasse.

1. CEcidit quoque sors filiorum Joseph, ab Jordane contra Jericho, & aquas ejus
ab Oriente: solitudo, quae ascendit de Jericho ad montem Bethel: 2 Et e-
greditur de Bethel Luza: transitque terminum Archi, & Atharoth: 3 Et
descendit ad Occidentem juxta terminum Jephleti, usque ad terminos Bethoron infe-
rioris, & Gazer: finiunturque regiones ejus mari magno: 4 Possederuntque filii Jo-
seph Manasses, & Ephraim. 5 Et factus est terminus filiorum Ephraim per cognatio-
nes suas: & possessio eorum contra Orientem Atharoth Addar usque Bethoron superio-
rem. 6 Egrediuntur confinia in mare: Machmethath vero Aquilonem respicit, & cir-
cuit terminos contra Orientem in Thanathselo: & pertransit ab oriente Janoe. 7 De-
scenditque de Janoe in Atharoth, & Naaratha: & pervenit in Jericho, egrediturque ad
Jordanem. 8 De Taphua pertransit contra mare in Vallem arundineti, suntque egres-
sus ejus in mare salsissimum: haec est possessio tribus filiorum Ephraim per familias suas.
9 Urbesque separatae sunt filiis Ephraim in medio possessionis filiorum Manasse, & villae
earum. 10 Et non interfecerunt filii Ephraim Chananaeum, qui habitabat in Gazer:
habitavitque Chananaeus in medio Ephraim usque in diem hanc tributarius.

℣. 1. Cect-

℣. 1. CECIDIT SORS FILIORUM IOSEPH, AB IORDANE CONTRA IERICHO, ET AQUAS EJUS AB ORIENTE.] Filii Ioseph funt Ephraim, & Manasse. Hic afferuntur limites Ephraim in meridionali plaga, fecus tribus Benjamin, & Dan a Iordane in parte Orientali usque ad Mediterraneum in occidua. Principium ducitur in plaga orientali ab ea Iordanis parte, quæ erat e conspectu Iericho, & quæ hic a Textu vocatur Iordanes contra Iericho, atque a fonte, qui dilabebatur in urbis ejusdem agrum, & qui in textu [1] *aqua Jericho* nuncupantur. Hic fons est ille, cujus aquas miraculo inaudito Elisæus Propheta in dulces convertit fale permixto 4. Reg. 2. 19. 20. Ipse ad occidentem erat versua urbis illius aquilonem, atque agrum Ierichuntinum mira prorsus ubertate fœcundum efficiebat.

SOLITUDO, QUÆ ASCENDIT DE IERICHO AD MONTEM BETHEL.] Desertum, quod hic memoratur, idem plane est, ac illud de quo fupra cap. 8. 14. 24. locuti fumus, & de quo infra etiam cap. 18. 12. loquemur, ubi folitudo Bethaven nuncupatur; patebat autem ab Iericho usque ad montem, ubi Bethel erat posita.

℣. 2. EGREDIETUR DE BETHEL LUZA.] Non convenit, utrum Luza eadem civitas fit cum Bethel. In Genesi 28. 29. dicitur Bethel antiquitus Luza nuncupata fuisse; ideoque *Bethel-Luza* haberi istic posset compositum nomen, quod unum tantum locum significaret. Ast ratio, qua Vulgata, ac Septuaginta transtulere, non patitur nos ambigere, quin duas diversas urbes voluerint innuere, quarum Bethel ad orientem esset posita, Luza varo ad occasum in finibus Benjamin, & Ephraim: quara etiam fit, ut Bethel alterutri modo, modo harum tribuum alteri tribuatur. Vide citatum Genesis locum. *Luza* profecto est nomen urbis, Bethel vero loci contigui, ubi Iacob facta est apparitio.

TRANSITQUE TERMINUM ARCHI, ATHAROTH.] Quidam [2] hæc duo nomina jungunt, *Archi-Atharoth* veluti eandem urbem significantia, quæ mox ℣. 5. & infra c. 18. 13. vocatur *Atharoth Addar*, ac distinctam ut ipsi malunt, ab alia civitate, quæ in 1. Paralipom. 2. 54. in Hebr. *Atharoth* simpliciter nuncupatur. Verum nos Archi sejungimus ab Atharoth, veluti duo loca diversa. *Archi* patria est Chusai Arachi, qui fuerat amicus David [3]; & *Atharoth* nomen est urbis, quæ *Atharoth-Addar*, Atharoth illustris ℣. 5. & simpliciter *Atharoth* ℣. 7. appellatur. Alia quoque ejusdem nominis urbs aderat in Samariæ plaga feptentrionali. Ea vero, de qua hic fermo, quindecim passuum millibus aberat a Iericho. Eusebius duarum *Atharoth* meminit, quæ non longe ab Ierusalem recedebant.

℣. 3. IUXTA TERMINUM IEPHLETI, USQUE AD TERMINOS BETHORON INFERIORIS.] Non possumus aliter Iephleti situm statuere, quam dicendo eam fuisse in linea, quæ feparabat Ephraim a Benjamin inter Atharoth, ac Bethoron inferiorem. Dicuntur etiam *Pheleti*, de quibus in Regum libris [4] est fermo, fuisse ex urbe Iephleti. *Bethoron inferior* duodecim passuum millibus aberat a Ierusalem Nicopolim versus, vel Emaus. Vide Iosue cap. 12. 12.

GAZER.] Vide, quæ de hac urbe dixerim, Iosue c. 10. ℣. 33.

℣. 5. CONTRA ORIENTEM ATHAROTH-ADDAR, USQUE AD BETHORON SUPERIOREM.] Hi funt limites inter duas tribus Manasse, & Ephraim. Orientalis pars Ephraim linea terminabatur, quæ ab *Atharoth-Addar*, de qua fermo fuit ℣. 2. usque ad *Bethoron superiorem* pergebat, quæ idcirco in tribus hujus orientali parte erat, & fatis prope Iordanem, ex ea parte, qua Manasse adhærebat Ephraim. Urbs hæc Bethoron superior longe obscurior est Bethoron inferiore, quæ fecus viam erat, qua ab Ierusalem iter erat Cæsaræam, & de qua crebro adeo Iosephus loquitur.

℣. 6. MACHMETHATH AQUILONEM RESPICIT.] Hæc urbs erat in boreali plaga tribus Ephraim in meridionali vero Manasse. Legimus in capite fequenti ℣. 7. Machmetharh positam fuisse e conspectu Sichem; & Machmethath cum Afor conjungitur. S. Hieronymus postremam hanc urbem ait quindecim passuum millibus a Sichem abesse Scythopolim versus; ideo Machmethath propinquior Sichem esse debebit. Septuaginta legunt *Icasmon*; Interpres alius, *Oclomon*, & alius *Machroth*: fed hæc omnia probant veterum Hebræorum Exemplarium varietatem.

CIRCUIT TERMINOS CONTRA ORIENTEM IN THANATH-SELO.] Legendum esset; *Circuit terminus*, non autem *terminus* [5]. Orientales limites Ephraim, & Manasse flectuntur versus Thanat-Selo, quæ profecto eadem est ac *Thenae*, vel *Thenat*, de qua fermo erit infra cap. 17. 8. & quam Eusebius ad decem milliaria a Sichem Iordanem versus constituit.

PERTRANSIT AB ORIENTE JANOE.] Eusebius ponit locum, cui nomen Janoe, in Acrabatene Samariæ ad duodecim passuum millia a Sichem, vel Neapoli, Orientem versus. Taglatphalassar cepit Israelitarum urbem, quæ Janoe nuncupabatur 4. Reg. 15. 29.

℣. 7. DESCENDIT DE JANOE IN ATHAROTH, ET NAARATHA.] Urbs hæc Atharoth eadem est, ac illa, de qua fupra v. 2. locuti fumus; illa quidem tribui Ephraim cesserat; eratque in finibus tribus hujus, & Benjamin. *Naaratha*, authore Eusebio, quinque passuum millibus a Jericho in Boream distabat.

℣. 8. DE TAPHUA PERTRANSIT CONTRA MARE, IN VALLEM ARUNDINETI.] Taphua est urbs in occidentali plaga tribus Manassa; ex ipsius nomine parvus quidam tractus terræ capite fequenti ℣. 8. *Terra Taphua* appellatur. Mare, de quo hic fermo, Occidentem significat, & Mediterraneum. Linea, quæ tribus Manasse, ac Ephraim fejungit, orientalibus constitutis finibus, redit versus occasum Taphua, ac mox in vallem, vel torrentem Arundineti, val torrentem Cana, quemadmodum legunt Septuaginta [6]. Torrens hic, & vallis in tribu Manasse fuisse videntur; fed urbes, quæ ibi aderant, traditæ fuerunt Ephraim, quemadmodum ℣. 9. Cap. fequen. refertur. Hujus vallis Cana, & urbis Taphua fitus exacta nequeunt constitui, habita ratione earum distantiæ ab aliis urbibus; & generatim duarum tribuum harum limites valde funt perturbati.

SUNTQUE EGRESSUS EJUS IN MARE SALSISSIMUM.] Hebraicus textus [7], Chaldaica versio, & Septuaginta habent simpliciter mare, quod de mediterraneo est intelligendum. Nam Manasse hæreditas minime propius ad mare mortuum accedebat, quod passim in Scriptura falsissimi maris nomine designatur. Textus igitur verti potest; *Torrens Cana egreditur in mare* mediterraneum; quem fensum Textui melioris notæ Interpretes tribuunt, Masius, Bonfrerius, Vatablus, Menochius, Malvenda.

℣. 9. URBESQUE SEPARATÆ SUNT FILII EPHRAIM, IN MEDIO POSSESSIONIS FILIORUM MANASSE.] Loci hujus explicatio in fequenti capite videtur, ubi civitates, quæ in parte Manasse cesserunt Ephraim, positæ dicuntur circum torrentem, feu vallem Arundineti. Hebraico textui adhærentes versiculum hunc præcedenti possemus conjungere, hoc pacto: *Hæc fuit possessio tribus Ephraim, & urbes quæ separatæ fuerunt a parte Manasse, ut cederentur Ephraim.*

℣. 10. CHANANÆUM, QUI HABITABAT IN GAZER.] Supe-

1 Vulg. *Aquæ ejus*. Hebr. *Aqua Jericho*. מי יריחו 2 Bonfrer. Mas. Montan. 3 2. Reg. 15. 32. 4 2. Reg. 8. 18. & 15. 18. Vide Grot. Jun. Malv. Cleric. 5 ונסב הגבול. 70. περιελεύσεται τὰ ὅρια. Vide Serar. Bonfrer. Varabl. 6 נחל קנה. χειμάῤῥουν Κανά. 7 והיו תוצאותיו ימה

Superius jam c. 10. 33. de Gazer urbe differui : cum hæc urbs tradita fuiffet tribui Ephraim , eo tempore, quo probabiliter adhuc parebat Chananæis, eam Ephraim cepit , & pecunia in fingulos annos imperata incolas in ditionem accepit . Quonam tempore hoc evenerit, ignoratur; nam urbis hujus victoria, quæ primo Judicum capite ỳ. 29. refertur , ibi tantum per anacephalæofin repetitur . Cæteroquin hic A eadem adnotanda funt , quæ fub finem præcedentis capitis diximus , Chananæos Gazer vectigales adhuc fuiffe tribui Ephraim , cum Author hæc in annales redigeret; atque idcirco vixiffe, antequam cives Gazer fe fe in libertatem afferuerint , & antequam Salomonis imperium acceperint , poftquam ea urbe Rex Ægypti potitus effet [1] , ut in dotem filiæ fuæ tribueret, quam Salomoni in uxorem collocavit.

[1] 3. Reg. 9. 16.

CAPUT XVII.

Hæreditas Manafse filii primogeniti Jofeph .

1. CEcidit autem fors tribui Manaffe : (ipfe enim eft primogenitus Jofeph) Ma-
chir primogenito Manaffe patri Galaad, qui fuit vir pugnator, habuitque pof-
feffionem Galaad , & Bafan : 2 Et reliquis filiorum Manaffe juxta familias
fuas, filiis Abiezer, & filiis Helec, & filiis Efriel, & filiis Sechem, & filiis Hepher ,
& filiis Semida : ifti funt filii Manaffe, filii Jofeph, mares , per cognationes fuas. 3
Salphaad vero filio Hepher, filii Galaad, filii Machir, filii Manaffe, non erant filii, fed
folæ filiæ : quarum ifta funt nomina, Maala, & Noa, & Hegla, & Melcha, & Therfa.
4 Veneruntque in confpectu Eleazari facerdotis, & Jofue filii Nun, & principum , di-
centes : Dominus præcepit per manum Moyfi, ut daretur nobis poffeffio in medio fra-
trum noftrorum. Deditque eis juxta imperium Domini poffeffionem in medio fratrum pa-
tris earum . 5 Et ceciderunt funiculi Manaffe, decem, abfque Terra Galaad , & Ba-
fan trans Jordanem. 6 Filiæ enim Manaffe poffederunt hæreditatem in medio filiorum
ejus ; Terra autem Galaad cecidit in fortem filiorum Manaffe , qui reliqui erant. 7
Fuitque terminus Manaffe ab Afer, Machmethath, quæ refpicit Sichem : & egreditur
ad dexteram juxta habitatores fontis Taphuæ. 8 Etenim in forte Manaffe ceciderat ter-
ra Taphuæ, quæ eft juxta terminos Manaffe filiorum Ephraim. 9 Defcenditque termi-
nus Vallis arundineti in meridiem torrentis civitatum Ephraim, quæ in medio funt ur-
bium Manaffe : terminus Manaffe ab Aquilone torrentis, & exitus ejus pergit ad mare;
10 Ita ut poffeffio Ephraim fit ab Auftro, & ab Aquilone Manaffe, & utramque clau-
dat mare, & conjungantur fibi in tribu Afer ab Aquilone, & in tribu Iffachar ab Ori-
ente. 11 Fuitque hæreditas Manaffe in Iffachar, & in Afer, Bethfan, & viculi ejus ,
& Jeblaam cum viculis fuis, & habitatores Dor cum oppidis fuis , habitatores quoque
Endor cum viculis fuis ; fimiliterque habitatores Thenac cum viculis fuis, & habitato-
res Mageddo cum viculis fuis , & tertia pars urbis Nophet . 12 Nec potuerunt filii
Manaffe has civitates fubvertere, fed cœpit Chananæus habitare in terra fua: 13 Poft-
quam autem convaluerunt filii Ifrael, fubjecerunt Chananæos , & fecerunt fibi tributa-
rios, nec interfecerunt eos . 14 Locutique funt filii Jofeph ad Jofue , & dixerunt :
Quare dedifti mihi poffeffionem fortis, & funiculi unius, cum fim tantæ multitudinis ,
& benedixerit mihi Dominus? 15 Ad quos Jofue ait : Si populus multus es , afcende
in filvam, & fuccide tibi fpatia in Terra Pherezæi, & Raphaim : quia angufta eft tibi
poffeffio montis Ephraim. 16 Cui refponderunt filii Jofeph : Non poterimus ad mon-
tana confcendere, cum ferreis curribus utantur Chananæi, qui habitant in terra cam-
peftri, in qua fitæ funt Bethfan cum viculis fuis, & Jezrael mediam poffidens vallem .
17 Dixitque Jofue ad domum Jofeph, Ephraim , & Manaffe : Populus multus es, &
magnæ fortitudinis, non habebis fortem unam, 18 Sed tranfibis ad montem, & fucci-
des tibi, atque purgabis ad habitandum fpatia, & poteris ultra procedere, cum fubver-
teris Chananæum, quem dicis ferreos habere currus, & effe fortiffimum.

MA-

℣. 1. MANASSE, IPSE ENIM EST PRIMOGENITUS JOSEPH.] Manasse primogenitus Joseph quodammodo posthabitus fuerat e Jacob, qui prædixerat [1] futurum, ut natu minor illum excederet: *frater ejus minor erit illo*. At nihilominus nullam ipsi primogeniti prærogativam ademerat; quare factum est, ut trans Jordanem hæreditas assignata fuerit Machir, & dimidiæ tribui Manasse in excellenti regione Basan, & Galaad, antequam Ephraim ne minimum quidem consequeretur.

MACHIR PRIMOGENITO MANASSE, PATRI GALAAD.] Ostendimus Numer. 32. 33. Manasse genuisse tantum Machir. Hic natus erat, antequam Joseph oppeteret, atque ultra centum, & octoginta natus annos erat, cum regio e Moyse divideretur, hoc tamen supposito, quod inter vivos adhuc degeret. Machir fuit pater Galaad, qui possedit regionem Galaad, & Basan trans Iordanem. Dici nequit, ipsum tradidisse nomen suum terræ Galaad, nam hæc eo nomine etiam dum Iacob viveret [2], appellabatur; verum credibile admodum est, Galaad Machir filium hoc nomen desumpsisse a regione, quæ illi cesserat in hæreditatem, non secus ac Principes, Regesque nomen desumere e regionibus suis consueverunt. Galaad hoc etiam nomine appellatus fuit in novissimo censu a Moyse peracto antequam bellum adversus Sehon gereretur, Num. 36. 29.

℣. 2. ET RELIQUIS FILIORUM MANASSE.] Videlicet nepotibus, posterisque Manasse; nam ii, qui ℣. hoc memorantur, ab eo nequaquam immediate fuerunt geniti, sed filii erant vel Galaad, vel Jair; nam illi trans Jordanem immorabantur in terris Galaad, & Basan, 1. Par. 5. 23. 24.

ESRIEL.] Non desunt, qui credant, hunc ipsum Manasse filium cum Machir in Paralipomenon libris vocari [3]; hinc sane liquet, eum ex Manasse posteris, atque aliqua parentum serie interposita, extitisse.

℣. 3. SALPHAAD . . . . NON ERANT FILII, SED SOLÆ FILIÆ.] Quid de filiabus Salphaad dictum fuerit in Numerorum libro cap. 36. 2. consuli potest. Ipsis enim pars tradita fuit citra Iordanem prope tribum Ephraim.

℣. 5. CECIDERUNT FUNICULI MANASSE DECEM, ABSQUE TERRA GALAAD, ET BASAN.] Sex filii, & quinque filiæ aderant sortes suas recepturi; atque ideo undecim partes erant instituendæ; sed cum Salphaad filius Epher quinque filias in locum suum surrogasset, nulla ratio habita fuit vel Epher, vel Salphaad; & Manasse hæreditas in partes decem divisa fuit; scilicet quinque partes quinque filiis Galaad, qui sunt *Abiezer, Helec, Esriel, Sichem, & Semida*, quinque vero quinque filiabus Salphaad, quæ sunt *Mala, Noa, Egla, Melcha, Thersa*: ita tamen ut quinque hæ filiæ Salphaad inter se eam partem diviserint, quæ patri earum Salphaad contigisset: ita porro non pauci Interpretes explicant [4]. Judæi [5] aliter sentiunt: Sex filii Manasse, videlicet *Abiezer, Helec, Esriel, Sichem, Semida, & Epher*, singuli partem acceperunt: quinque vero filiæ Salphaad quatuor tantum partes habuere, scilicet duplicem pro avo suo, qui fuerat, inquiunt illi, familiæ ipsarum primogenitus; unam pro parte; quartam vero pro patruo, qui absque liberis obierat, qui cum omnes de Ægypto essent egressi jus suum in posteros transmiserant. Verum hæc facta ne minimo quidem allato argumento probantur. Ita verti posset: *Manasse habuit decem funiculos*, vel mensuras decem, quæ Schæni vocabantur, quorum singuli sexaginta stadia complectebantur [6]. Universa ipsius pars sexcenta præter propter in longitudinem stadia patebat.

ABSQUE TERRA GALAAD, ET BASAN.] Tribus Manasse decem partes citra Jordanem possedit, minime habita ratione terræ Galaad, & Basan, quæ jam trans hoc flumen possidebat. Verum quinam hoc conciliari potest cum iis, quæ in 1. Paralipomenon 5. 23. 24. leguntur, quod capita familiarum Manasse, scilicet *Hepher, Jesi, Eliel, Esriel, Jeremias, Odoias, & Gediel*, trans Jordanem possidebant terram a Basan usque ad Baal-Hermon, & Sanir? Videmus hic *Hepher, & Esriel*, qui jam in ea recensione, quæ superius allata est, memorantur. Jesi, cujus Paralipomenon libri meminere, idem esse creditur ac *Jazer* in libro Numerorum 26. 30. atque *Abiezer* in hoc loco Josue, quem explicamus. Si sic est, dicendum erit, Scripturam sibi adversari, atque istic partes aliquot familiis tribuere citra Iordanem, quæ jam trans eundem receperant. Verum facile est respondere, quod cum hæ familiæ nimium frequentes essent, quædam dividi potuerunt, & tribui parti familiæ Epher exempli gratia possessio extra Jordanem, alteri vero parti familiæ ejusdem alia citra fluvium hunc hæreditas. Partes nequaquam æquales fuerunt, nam cautum est, ut terræ dividerentur in familias pro numero eorum, quos singulæ familiæ complectebantur. Hoc profecto significare voluit Author dicens, regionem trans Iordanem in partes decem fuisse divisam, quin eas referret, quas trans Iordanem familiæ possidebant.

℣. 6. TERRA AUTEM GALAAD CECIDIT IN SORTEM FILIORUM MANASSE, QUI RELIQUI ERANT.] Regionem trans Iordanem posteri Iair, & Galaad possederunt; eorum quosdam articulo præcedenti nominavimus, videlicet Ieremiam, Godoliel, Odoiam, quorum nomina hic minime reperiuntur, & quorum familiæ hæreditatem suam trans Iordanem sortitæ fuerunt.

℣. 7. AB ASER, MACHMETHATH.] De his civitatibus capite præcedenti ℣. 6. sumus locuti. A Septuaginta hic appellantur *Machmethath, Delanath*, vel *Delanothec*.

AD DEXTERAM, JUXTA HABITATORES FONTIS TAPHUÆ.] Septuaginta legunt: *usque ad Jamin in Jafob, usque ad fontem Taphuæ*, vel *Thaphtot*. Authographi voces servarunt; sed præstat textum in Vulgatæ sensu intelligere. Limites Manasse, & Ephraim communes sunt in boreali plaga; de *Aser*, quæ est prope Sichem, descendentibus, ac Mediterraneum versus pergentibus occurit dextrorsum fons Taphuæ, qui creditur aquam suggerere torrenti Cana, vel Arundineti.

℣. 8. TERRA TAPHUÆ, QUÆ EST JUXTA TERMINOS MANASSE FILIORUM EPHRAIM.] Vulgatæ sensus ab Hebraico sensu hoc in loco præfinitur. Taphua, & ea, quæ ad ipsam spectabant, erant in possessione Manasse, sed urbem tribus Ephraim possidebat.

℣. 9. DESCENDIT TERMINUS VALLIS ARUNDINETI, IN MERIDIEM TORRENTIS, &c.] Hebraicus hujus loci textus ita ad litteram redditur: *Et terminus torrentis arundineti descendit in meridiem torrentis: Hæ urbes sunt Ephraim mediæ inter urbes Manasse*. Terminus Manasse, qui hic describitur, sumitur ad meridiem, non autem ad boream torrentis arundinum; ita ut torrens hic esset ad boream limitum, atque in parte Manasse comprehensum: sed quanquam hic torrens, vel vallis in Manasse possessione continebatur, nihilominus urbes, quæ ad torrentem erant positæ, atque ad boream limitum, erant Ephraim, non vero Manasse. Ex hac explicatione lux sequentibus etiam accedit: *Terminus Manasse ab Aquilone torrentis, & exitus ejus pergit ad mare*. Manasse tribus in boreali plaga ab arundineti torrente clauditur, atque illius extremitas maris Mediterranei oram pertingit. Sequens versiculus hanc probat expositionem.

℣. 10. ET CONJUNGANTUR SIBI IN TRIBU ASER

1 Genes. 48. 19. 20. 2 Genes. 31. 48. 3 1. Par. 7. 14. 4 Masius, Menochius, Bonfrerius, Cornelius, Drusius. 5 Vide Munster. Grot. & Mal. hic, & Selden. de succes. in bona c. 23. 24.
6 Herodot. l. 2. c. 6.

AB AQUILONE, ET IN TRIBU ISSACHAR AB ORIENTE.] Locus hic perobscurus est. Interpretes uno ore conveniunt, nequaquam istic animo concipiendas esse tribus Ephraim, & Manasse, perinde ac vere pertingerent tribus Issachar, & Aser; verum satis esse putant probare, solam Manasse tribum, quæ cum fratris sui Ephraim tribu veluti unam tantum constituens consideratur, utramque attingere; quæ res, etiamsi quæstio ad hanc unam tribum redigatur, difficultate non vacat. Nam inter Aser, & Manasse duæ tribus interjacent, scilicet Issachar, & Zabulon, quæ insuperabilis obex reciprocæ huic conjunctioni esse videntur. Verum ut hæc tollatur difficultas, ostenditur tribus Aser secus Mediterraneum usque ad montem Carmelum patuisse [1], & ex versiculo undecimo, ac ex Iosepho Antiqu. l. 5. c. 1. liquet duas tribus Aser, & Manasse ad mare mediterraneum sibi invicem adhæsisse. Quoad conjunctionem Issachar, & Manasse, eam nemo non novit.

Verum quin solutiones hæ, quæ solidæ, ac naturales adeo videntur, rejiciantur; nonne dici posses filios Ioseph, Ephraim, & Manasse, vel ex filiis Manasse tantum nonnullos in urbibus Aser, & Issachar permansisse? Versiculus, qui proxime sequitur, huoc aditum præbet; in eo legimus, Manasse in Aser, & Issachar has urbes possedisse, videlicet Bersan, Ieblaam, Dor, Endor, Tenac, Mageddo, ac tertiam urbis Nophet partem. Non reor autem opus esse, ut nobis negotium facessat, tribuum terras exacte adeo describere; quippe sæpius alia in aliarum possessione quasdam obtinebat urbes, vel aquisitionis jure, vel alia quapiam de causa. Nonne videmus Iuda in Dam, ac in Simeone, atque vicissim Simeonem in Iuda. Cur autem idem minime dicendum erit de Manasse, & Ephraim, quoad tribus Aser, & Issachar præsertim, si animo conceperis, filiis Ioseph ob nimiam ipsorum frequentiam angustam nimis suam hæreditatem fuisse? Nonne quasdam capere civitates potuerunt in tribuum finitimarum possessione, quæ adhuc Chananæis obtemperabant, ibique sedem suam constituere, non secus ac tribus Dan potita est urbe Lais, quæ procul adeo ab ea regione aberat, quæ illis forte contigerat? Hebraica vox [2], quæ hic redditur, *conjunguntur*, significare etiam potest, invadere, aggredi, oppugnare, vi capere; itaque versiculi 10. & 11. conjungi possunt hoc pacto: *Hæreditas Ephraim* est ad meridiem, Manasse vero ad boream, atque ad mare definit: *Illi impetum fecere in Aser ad Aquilonem, & in Issachar ad Orientem*, (℣. 11.) *& Manasse possedit in Issachar, & in Aser civitates Bethsan, Jeblaam* &c. Versio hæc omnes evitat difficultates, ac præbet sensum perspicuum, facilem, atque optime sermonis decursui cohærentem.

℣. 11. BETHSAN.] Urbs celeberrima, quam filii Manasse occuparunt, quamquam esset in parte tribus Issachar, sicuti modo explicuimus. Author secundi Macchabæorum libri 12. 29. ait, ipsam sexcenta ab Ierusalem stadia abfuisse, videlicet leucas circiter 37. Statuitur autem in Iordanis ripa occidentali infra locum, ubi flumen hoc e lacu Tiberiadis egreditur. Scythopolis nomen illi tribuitur, seu Scytharum urbis, quo nomine in libris Macchabæorum designatur. Verum non satis liquet qua occasione, quo tempore hac Scythę potiti fuerint. Id autem evenisse creditur, postquam decem tribus a Salmanasar Assyriorum Rege fuerunt in captivitatem abductę. At unde nam Scythę in Palęstinam accessere? Id Herodotus l. 1. 105. refert. Hi populi universa Asia subacta, recta in Ægyptum perrexere; cum autem usque in Palæstinam Syriæ pervenissent, Psammitichus Ægypti Rex illis obviam occurrit, atque tum precibus, cum muneribus eos dimovit, ne

A regionem ipsius aggrederentur. Scythæ retro gradum vertere, & cum Ascalonem essent assecuti, pars Veneris Cælestis fanum, quod in ea urbe positum erat diripuere; pars vero ulterius processere. Hi postremi, ut perhibetur, potiti sunt Bethsan, ibique sedem suam statuere [3]. In hac sententia nihil Chronologiæ nostræ potest adversari. Statuimus enim finem regni Israel anno 3283. & Scytharum irruptionem in Asiam anno ab urbe condito circiter 3391.

Porro haud ægre crederem, Scythas Scythopolis eosdem fuisse, ac Cuthæos ab Assyriæ Regibus in Samaritanorum urbes immissos. Hebræi juxta suam pronunciandi consuetudinem illos Cuthæos appellant; Gręci vero Scythas; Chutęi, & Scythę idem populus sunt. At curnam Cuthęi Samarię a Græcis B nequaquam eodem Scytharum nomine, ac Scythopolis, & Bethsan Cuthæi, nuncupantur? profecto quia Cuthęi Samariæ circumcisionem acceperant, & cum partim saltem Judęorum Religionem fuissent amplexi, cum populo Israel erant permixti; at Cuthæi Bethsan a veteri Ethnica religione minime recesserant, & nonnisi vetere Scytharum nomine agnoscebantur. Novissimi Iudęorum Reges eos subigere nequiverunt; & Scythopolis, ævo Iosephi, stabat adhuc, Ethnicis pręsertim referta.

IEBLAAM.] Eadem plane est ac Balaam 1. Par. 6. 70. quę tradita fuit Levitis e familia Caath.

DOR.] In ora Mediterranei. Iosephus, & Ptolomæus hanc Phœnicum urbibus adnumerant; & Ptolomæus, hanc ait, provinciæ illius esse postremam. C Eusebius eam novem mille passus a Cæsarea Tyrum versus abfuisse dicit, & Tabulæ Peutingerii eam octo passuum millibus ab urbe eadem constituunt. Proxima quoque erat Carmelo.

ENDOR.] Vel *fons Dor*. Hic Saul Pythonissam consuluit, Reg. 28. 7. 8. Eusebius, & S. Hieronymus eam quatuor passuum millibus abesse dicunt a monte Thabor in meridionali plaga. Itaque urbs hæc ex iis plane erat, quę primum quidem traditę fuerant Issachar, & mox cesserunt Manasse.

THENAC.] Celebris equidem locus propter cladem exercitus Sisaræ a Debora, & Barac illatam Judic. 5. 19. aberat autem quater mille passus a Legione prope torrentem Cisson.

MAGEDDO.] Prope torrentem eumdem. Vide su-
D pra Josue 12. 21.

TERTIA PARS URBIS NOPHET.] Vidimus jam alibi [4] vocem *Nophet*, vel *Nephet* voci *Dor* conjunctam, *Nephet-Dor*. Alii contendunt [5], Nephet urbem, & Manasse paruisse, & Zabulon; ita tamen ut Manasse una tantum pars esset, duæ vero Zabulon. Verum arbitror nomen Nophet, vel Naphet regionem potius significare; atque Vulgatæ Author hoc in sensu plerumque intelligit [6], qui perfecte ibi quadrat, ubique invenitur. Hebraicus textus [7] simpliciter ait: *tres regiones*, vel *tres Nephet*, tribus civitatibus subditæ, de quibus sermo fuit. Septuaginta [8]: *Tertia pars Nophet, & vici illius*. Videtur autem vocem Nophet addici ad significandam regionem prope Dor. Symmachus verterat vocabulum hoc, *oram maritimam*.
E Vide Hieronymum in locis, voce Nephet-Dor.

℣. 12. NEC POTUERUNT FILII MANASSE HAS CIVITATES SUBVERTERE.] Hoc adversari videtur iis, quæ ℣. 11. dicta sunt, scilicet, Manasse possessionem adiisse civitatum, quarum nomina allata sunt. *Fuit hæreditas Manasse in Issachar, & in Aser, Betsan &c.* At hic innuitur tantum, ipsi jus in ipsas fuisse, quin eas possideret, quod plerisque tribubus contigit, qui numquam actu multarum civitatum obtinuere possessionem, quæ illis fuerant assignatæ.

Quæ cum ita sint, quinam confirmari potest hypothesis, quam constituimus, scilicet, Manasse has de

---

1 Josue 19. 26. *Pervenit usque ad Carmelum maris*. 2 באשר יפגעון 3 Euseb. in Chron. Græc. lib. 2. pag. 40. 4 Josue 11. 2. Vulg. *in regionibus Dor*. 5 Bonfrer. Onomast. in voce Nopher. 6 Josue 12. 2. *in regionibus Dor*, & 12. 23. *& provincia Dor*. 7 שלשת הנפת 8 70. τὸ τρίτον τῆς Νεφὲθ, καὶ τὰς κώμας αὐτῆς.

de Chananæis urbes cepisse, qui eas in partibus Aser, & Issachar possidebant? Nullius negotii puto his occurrere difficultatibus temporu distinguendo. Manasse quidem primum urbes has invaserat, ceperatque; sed mox hostes iisdem iterum potiti, de integro propugnaculis, præsidiisque eas communierunt. Quot enim aliis in tribubus civitates a Josue, vel populi principibus captæ fuerant, & iterum in Chananæorum potestatem rediere? Nonne de tribubus Juda, Beniamin, & Ephraim eadem dicta sunt, quæ hic legimus de Manasse?

Authographi textus alium quoque aperit aditum hujus solvendæ difficultatis, qui æque est naturalis. Ita porro ad litteram vertitur [1]: *Filii Manasse non potuerunt has civitates delere* (vel diripere, vel expoliare); *& Chananæo placuit permanere in terra illa;* (℣. 13.) *atque fiebat, ut cum filii Israel fortiores essent, vectigalibus solvendis Chananæos adigerent: sed illos numquam penitus delevere.* Hoc autem pacto egerunt filii Manasse; numquam consilium capere potuerunt omnes urbium illarum, quas ceperant cives evertendi; & satis fuit ipsis, illos imperata pecunia vectigales reddidisse. Hi vero, ut vitam suam tuerentur, imperata fecere. Hæc filiorum Israel prævaricatio in causa fuit tandem, ut ipsi Chananæis submitterentur. Evertere, diripere civitatem significat sæpius ipsius cives cædere, & delere: atque aliquid non posse facere, usurpatur quandoque pro illud facere nolle [2]. In Judicum libro 1. 27. ubi hoc ipsum filiorum Manasse facinus enarratur, quod noluerint, non autem urbium incoles nequiverint delere, arguuntur.

℣. 14. LOCUTI SUNT FILII JOSEPH AD JOSUE.] Septuaginta [3]: *Filii Israel obstiterunt Josue, dixeruntque illi &c.* Profecto ex ipsorum responsione nonnihil indignati fuisse videntur; conqueruntur enim, eo quod una tantum pars tradita fuerit, & quod terra, quæ ipsis contigerat, vix uni ipsorum suffectura esset; adeo enim ipsorum creverat multitudo. Hebraice: *Cur dedisti mihi in hæreditatem partem unam, atque unum funiculum, cum sim tantæ multitudinis, & Domino placuerit mihi benedicere?* Appellat autem funiculum hæreditatem suam, juxta vulgatam Scripturæ loquendi rationem, ex Ægyptiorum consuetudine plane desumptam, qui funiculis majore intervalla metiebantur. Non autem proprie loquendo verum erat, tribubus unam tantummodo partem fuisse traditam, quandoquidem supra cap. 16. 17. vidimus, ipsarum hæreditates fuisse distinctas. Masius autem, ne illos mendacii redarguat, ait quæstus hos editos fuisse, antequam terræ inter ipsos dividerentur, & dum adhuc erant dividendæ. Sed plerique hoc aliter explicant [4]: hac autem ratione ea verba esse putant intelligenda: Unam tantummodo partem dedisti mihi; perinde ac innuerent: Tu duabus ea dedisti, quæ vix uni sufficerent.

Tribus Manasse præsertim conquerebatur. Illius possessio brevis erat, atque undequaque fratrum suorum terris circumscripta, vel Jordane, vel mari; desperabatque, futurum ut latius fines posset proferre, atque augere hæreditatem; quod nequaquam pati omnino ratione aliis contigerat tribubus, quibus Chananæi erant finitimi, quos se aliquando subacturos sperabant. Præterea tribus hæc mirum in modum post exitum de Ægypto in maximam creverat frequentiam; nam cum primum census habitus est Numer. 1. 2. in ea tricies, ac bis mille, ducentique censi fuerunt; ut cum altera peracta recensio fuit, Numer. 26. 34. quinquaginta duo hominum millia, & septingenti inventi sunt. Tribus Ephraim e con-A tra admodum erat imminuta; nam cum in primo censu quadraginta millia, & quingenti recensiti fuissent, cum iterum census institutus est, triginta duo capitum millia, & quingenta sunt adnumerata.

℣. 16. NON POTERIMUS AD MONTANA CONSCENDERE, CUM FERREIS CURRIBUS UTANTUR CHANANÆI.] Seu curribus falcatis. Ast non video, cur necessario hoc sit inferendum: Chananæi, qui in agris immorantur, falcatis utuntur curribus; igitur montibus potiti minime poterimus. Videtur e contra esse arguendum; falcatis curribus utuntur; ergo non poterimus urbes in agris positas capere. Nam in montibus ad quid currus illi poterant inservire? In 4. Regum libro 20. 23. 25. Servi Benadab Regis Syriæ, ut illum ob acceptam ab Israel Rege cladem B mœrore affectum consolaretur, inquiunt; *Dii montium sunt Dii eorum, ideo superaverunt nos: sed melius est, ut pugnemus contra eos in campestribus, & obtinebimus eos. Tu ergo verbum hoc fac . . . Instaura . . . . currus secundum currus, quos antea habebamus, & pugnabimus contra eos in campestribus &c.*

At duæ tribus alio pacto sunt ratiocinatæ, quod minime intelligimus. Hic porro est Hebraicus textus [5], qui aditum præbebit, quo mentem illorum facilius assequamur. *Filii* Israel dixerunt illi: *in montem hunc signa non inferemus*. Ad litteram: *ille non invenietur a nobis*; nostris viribus inaccessus est, neque eodem potiri poterimus: *& Chananæi omnes, qui in vallibus immorantur, ferreis curribus utuntur.* C Duæ insuperabiles difficultates, quæ obstant, ne terras indipiscamur, nostramque augeamus hæreditatem, hæ sunt: Montes loca sunt inaccessa, & campestria armatis curribus proteguntur. Jampridem in Genesi 30. 14. adnotavimus *invenire* quandoque significare aggredi. Ideoque, *montes non invenientur a nobis*, innuere potest, non aggrediemur illos: hæc enim loca sunt natura adeo munita, ut illis vim inferre ne cogitare quidem liceat. Ita in Judic. libro 1. 5. scribitur, Israelitas *Invenisse Adonibezech in Bezech*; videlicet ipsos arma intulisse Adonibezech in Beseth. Atque in 1. Regum libro 31. 3. scriptum est, *Sagittarios Philisthiim invenisse Saul*, scilicet hunc aggressos fuisse, eumque vulnerasse; & Abner dixit ad Isboseth 3. Reg. 3. 8. *Non feci, ut invenireris in* D *manu David*: Non passus sum te in manus illius prolabi.

Nonnulli vertunt: *Mons non sufficiet nobis, & Chananæi in campestribus fortes sunt, falcatos currus habentes.* Re quidem vera Hebraicum verbum, *sufficere* aliquando significat; Exempli gratia Num. 11. 22. *Numquid ovium, & boum multitudo cædetur, ut possit sufficere ad cibum? vel omnes pisces maris in unum congregabuntur, & sufficient illis?* Ita ad Deum loquitur Moyses, utque ostendit illi difficultatem escam pro universo Israel in deserto inveniendi. Septuaginta [6], Chaldaica versio, Syriaca, Arabica, pluresque eruditi Interpretes [7] sensum hunc secuti sunt. Montes, de quibus loqueris: nos minime capiunt; hæc portio non sufficit; & Pherezæi, ac Raphaim, E quos nobis vincendos assignas, formidabiles sunt, neque valent superari.

Quoad *ferreos currus*, vel ferro armatos, de his seorsim actum est in Dissertatione de veterum Hebræorum militia.

JEZRAEL MEDIAM POSSIDENS VALLEM.] Hebr. [8] Chananæus, *qui est in valle Jezrael*. Vallis hæc Jezrael ab Oriente in Occidentem ultra decem passuum millia patebat a Bethsan Legionem usque [9], quæ prope torrentem Cisson est sita. Media in valle urbs Iez-

1 ולא יכלו בני מנשה להוריש את הערים האלה ויאל הכנעני לשבת בארץ הזאת.
2 Vide Genes. 23. 3. 29. 8. 34. 14. &c. 3 ἀντέστησαν δὲ υἱοὶ Ἰωσὴφ τῷ Ἰησοῦ λέγοντες.
4 Junius, Malvenda, Cornel. a Lapid. Bonfrerius.
5 לא ימצא לנו ההר ורכב ברזל בכל הכנעני ישב בארץ העמק. 6 70. οὐκ ἀρκέσει ἡμῖν τὸ ὄρος τοῦ Ἐφραΐμ. Aliàs, οὐκ ἀρέσκει. 7 Pagninus, Vatablus, Munsterus, Junius, & Tremellius. 8 אשר בעמק יזרעאל
9 Euseb. & Hieron. in locis verb. Jezrael, & Hieron. in Oseæ 1. ℣. 4.

Jezrael erat. *Josue c. 19. 18.* urbibus hæreditatis Issachar eam adnumerat. Eusebius, & S. Hieronymus illam in finibus Issachar ponunt, ac in tribu Manasse. Et ex eo pacto, quo istic Manasse filii loquuntur, conjicere licet, ipsos veluti hæreditatis suæ hanc credidisse, vel, cum hæc regio Chananæis adhuc pateret, primi esse occupantis. Reges Israel regias habebant ædes in Jezrael 3. Reg. 21. 1. Vinea Naboth, quæ his ædibus adhærebat, occasio fuit criminis Jezabel, ac excidii domus Achab. Madianitæ, qui a Gedeone victi fuerunt, in valle Jezrael consederant, Judic. 6. 33.

℣. 17. NON HABEBIS SORTEM UNAM, (℣. 18.) SED TRANSIBIS AD MONTEM, ET SUCCIDES TIBI.] Josue a sententia proposita non dimovetur; fatetur quidem nequaquam justum esse, duas tribus strenuas adeo, & frequentes, quales erant Ephraim, & Manasse, unam tantum sortem possidere; sed neque consentaneum esse, ut duæ hæ tribus aliarum sibi vindicent terras, illarumque hæreditates imminuant. Agite porro, montium regionem, quæ nullius est, neque ab ullo exculta, occupate. Nemora succidite, atque ibi domus extruite; has vobis cedunt; inde longius progrediemini, illarum exitu potiemini, scilicet vallibus, locisque finitimis, & cum vobis vires accesserint, tunc in campestria descendetis bellum Chananæis illaturi, quos dicitis propter falcatos currus esse fortissimos. Ita porro hebraicus textus [1] ad litteram vertitur: *Tu potens es populus, ac magnarum virium; non habebis sortem unam; sed transibis ad montem; quoniam nemorosus est, atque ibi ædificabis* (vel succides illum); *& exitus illius*, vel aditus *tui eruat, cum deleveris Chananæos, quos dicis habere currus, & esse fortissimos*. Mons, de quo hic sermo, nequaquam est mons Ephraim, quoniam illis minime sufficiebat, quemadmodum ait Josue ℣. 15. *Quia angusta tibi est possessio montis Ephraim*. Hic profecto est mons Gelboe, qui in boreali plaga Manasse assurgebat, patebatque a Jezrael, atque infra usque Betsan versus. Montibus hi potiti Israelitæ, quamprimum Chananæos, qui erant in campestribus, subvertere potuissent. Hic obiter admirari possumus Josue constantiam, æquitatem, atque integritatem. Erat ipse e tribu Ephraim, atque veluti populi caput, peculiarem quampiam tribui suæ utilitatem poterat comparare: nihilominus nullo illi favendi studio tenetur: immo uni huic tribui locus esse videtur de sorte sua conquerendi, cum aliæ tribus tantumdem soli possiderent, quantum occupare non possent.

1 עם רב אתה וכח לא יהיה לך גורל אחד כי הר יהיה לך כי יער הוא ובראתו. (Septuaginta, & Vulgata legunt בִּרֵאתוֹ. Succides illum) והיה לך תוצאתיו כי תוריש את הכנעני.

CAPUT XVIII.

Conventus populi in Silo; ibi Tabernaculum Domini erigitur. Josue mittit, qui terras, quæ dividendæ supererant, describerent. Sors, ac limites Tribus Benjamin.

1. CONgregatique sunt omnes filii Israel in Silo, ibique fixerunt tabernaculum te-
stimonii, & fuit eis Terra subjecta. 2 Remanserant autem filiorum Israel se-
ptem tribus, quæ necdum acceperant possessiones suas. 3 Ad quos Josue ait:
Usquequo marcetis ignavia, & non intratis ad possidendam Terram, quam Dominus
Deus patrum vestrorum dedit vobis? 4 Eligite de singulis tribubus ternos viros, ut
mittam eos, pergant, atque circumeant Terram, & describant eam juxta numerum u-
niuscujusque multitudinis: referantque ad me, quod descripserint. 5 Dividite vobis
Terram in septem partes: Judas sit in terminis suis ab australi plaga, & domus Joseph
ab Aquilone. 6 Mediam inter hos Terram in septem partes describite: & huc venien-
tis ad me, ut coram Domino Deo vestro mittam vobis hic sortem: 7 Quia non est in-
ter vos pars Levitarum, sed sacerdotium Domini est eorum hæreditas. Gad autem, &
Ruben, & dimidia tribus Manasse, jam acceperant possessiones suas trans Jordanem ad
orientalem plagam: quas dedit eis Moyses famulus Domini. 8 Cumque surrexissent vi-
ri, ut pergerent ad describendam terram, præcepit eis Josue, dicens: Circuite Terram,
& describite eam, ac revertimini ad me: ut hic coram Domino, in Silo, mittam vobis
sortem. 9 Itaque perrexerunt: & lustrantes eam, in septem partes diviserunt, scri-
bentes in volumine. Reversique sunt ad Josue in castra Silo. 10 Qui misit sortes coram
Domino in Silo, divisitque terram filiis Israel in septem partes. 11 Et ascendit sors
prima filiorum Benjamin per familias suas, ut possiderent Terram inter filios Juda, & fi-
lios Joseph. 12 Fuitque terminus eorum contra Aquilonem a Jordane: pergens juxta
latus Jericho septentrionali plagæ, & inde contra occidentem ad montanam conscendens,
& perveniens ad solitudinem Bethaven, 13 Atque pertransiens juxta Luzam ad meri-
diem, ipsa est Bethel: descenditque in Ataroth addar, in montem qui est ad meridiem
Bethoron inferioris: 14 Et inclinatur circuiens contra mare ad meridiem montis, qui
respicit Bethoron contra Africum: suntque exitus ejus in Cariath baal, quæ vocatur
& Cariathiarim, urbem filiorum Juda: hæc est plaga contra mare, ad Occidentem. 15

A Me-

A Meridie autem ex parte Cariathiarim egreditur terminus contra mare, & pervenit usque ad fontem aquarum Nephtoa. 16 Descenditque in partem montis, qui respicit vallem filiorum Ennon: & est contra septentrionalem plagam in extrema parte vallis Raphaim. Descenditque in Geennom (id est, vallem Ennom) juxta latus Jebusæi ad Austrum: & pervenit ad fontem Rogel, 17 Transiens ad Aquilonem, & egrediens ad Ensemes, id est, fontem solis: 18 Et pertransit usque ad tumulos, qui sunt e regione ascensus Adommim: descenditque ab Abenboen, id est, lapidem Boen filii Ruben: & pertransit ex latere Aquilonis ad campestria: descenditque in planitiem, 19 Et prætergreditur contra Aquilonem Beth hagla: suntque exitus ejus contra linguam maris salsissimi ab Aquilone in fine Jordanis ad australem plagam: 20 Qui est terminus illius ab oriente: hæc est possessio filiorum Benjamin per terminos suos in circuitu, & familias suas. 21 Fueruntque civitates ejus, Jericho, & Beth hagla, & Vallis Casis, 22 Beth Araba, & Samaraim, & Bethel, 23 Et Avim, & Aphra, & Ophera, 24 Villa Emona, & Ephni, & Gabee: civitates duodecim, & villæ earum. 25 Gabaon, & Rama, & Beroth, 26 Et Mesphe, & Caphara, & Amosa, 27 Et Reeem, Jarephel, & Tharela, 28 Et Sela, Eleph, & Jebus, quæ est Jerusalem, Gabaath, & Cariath: civitates quatuordecim, & villæ earum. Hæc est possessio filiorum Benjamin juxta familias suas,

℣. 1. CONGREGATIQUE SUNT OMNES FILII ISRAEL IN SILO.] Postquam tribubus Iuda, Ephraim, & dimidiæ tribui Manasse sortes traditæ fuerunt in meridionali plaga Chanaan, septentrionem versus processere, ut facilius, ac propius in septem reliquas tribus terrarum distributionem peragerent, quibus nondum assignata hæreditas fuerat. Iosue elegit Silo, ubi generalis populi conventus haberetur, atque Domini Tabernaculum constitueretur. Hæc insignis urbs erat, natura loci munita, ac ferme in regionis umbilico, ac in terris Ephraim, quæ erat Iosue tribus, sita. Ponitur autem Silo in Acrabatene duodecim passuum millia procul a Sichem meridiem versus [1]. Non desunt, qui eam cum Salem, cujus Melchisedech Rex erat, confundant. Vide, quæ diximus in Genesim 8. 14. & Usserium ad an. 3460.

Tunc igitur de Galgalis castra mota sunt, ubi Israelitæ septem annos saltem constiterant. Hebræi volunt, ibi quatuordecim annos fuisse transactos, atque annos septem terræ acquirendæ insumptos fuisse, totidem vero dividendæ. At huic Chronologiæ acquiescere nequaquam possum. Exprobrationes, quibus Iosue castigat septem tribuum negligentiam possessiones suas adeundi, minime probant tantum temporis intercessisse; satis erat eas queri, vel etiam non adeo celeriter in sortis suæ possessionem festinare, ut imperatoris sui exprobrationes mererentur ℣. 3.

IBIQUE FIXERUNT TABERNACULUM TESTIMONII.] Hebræi apud Serar. qu. 4. in cap. 18. asserunt, Tabernaculum, quod erectum fuit in Silo, non secus ac illud, quod hactenus in Galgalis steterat nequaquam fuisse verum Tabernaculum, quod in deserto Moyses erexerat; at aliud Tabernaculum ad id elaboratum: asserunt etiam, donec Tabernaculum in Silo constitutum nondum fuerat, licuisse cuilibet sacrificare Domino, ubi vellet; demum vero mœnia extructa fuisse in Tabernaculo Silo pro tabulis, quibus circum septum erat Moysis Tabernaculum; quod tamen minime obstitit, quin velis, pellibusque obtegeretur, quemadmodum Mosaicum involvi in deserto assueverat. Tostatus credidit, Tabernaculum Silo, sub tecto quodam erectum fuisse, cum nequaquam possibile videatur, pluviis, atque temporum injuriis expositum sine ulla necessitate fuisse relictum. Fortior autem ratio, quibus sententia hæc innitatur, ea est, quod Scriptura Tabernaculum Silo, *Domum Domini* appellat 1. Reg. 1. 23. Quæ si momenti alicujus est ratio, ego quoque simili argumento inferre possem,

A Templum Salomonis fuisse dumtaxat tentorium quodpiam, quandoquidem in Scriptura sæpius Templum vocatur Domini Tabernaculum, vel Tentorium ipsius [2]. Ceterum nemo nescit, David cum Templi ædificandi Domino consilium iniisset, dixisse Prophetæ Nathan 2. Reg. 7. 2. *Videsne, quod ego habitem in domo cedrina, & arca Dei posita sit in medio pellium*. Dicendum est igitur Tabernaculum Silo idem fuisse ac Mosaicum, neque illi alia fuisse tecta, quam pellium integumenta, quæ in deserto perfecta fuerant, vel quæ subinde cum res posceret, fieri poterant.

Creditur Tabernaculum perstitisse in Silo usque ad Samuelis ævum. Certum quidem est, illud ibi permansisse cum Arca usque ad illam diem, qua fusis, B cæsisque Israelitis Philisthiim arcam cepere. Deinde vero cum hi populi supplicio Dei attriti eam rursus miserint in Israel, nequaquam in Silo revecta fuit, quamvis adhuc ibi Tabernaculum persisteret; sed collocata fuit in domo Abinadab in Gabaa. Inde vero in Nobe translata fuit, ubi temporibus Saul, & David adhuc servabatur; at quo tempore illuc delata fuerit, non liquet: extructum deinde scimus Tabernaculum in Gabaon, ubi perstitit etiam, postquam Arca in Ierusalem traducta fuit, & ibi Salomonis templum extructum.

ET FUIT EIS TERRA SUBJECTA.] Bellum jam desierat; melior regionis pars Israelitis parebat, ideoque nihilum obstabat, quin terras sibi dividerent; atque castra alio e Galgalis transferrent. Omnia pacata e- C rant ibi terrarum, & qui dimissi fuerant, ut terras metirentur, easque describerent, id tuto exequi potuerunt.

℣. 3. USQUE QUO MARCETIS IGNAVIA?] Voti compotes effecti, eo quod uberrima regione pacifice fruerentur, cum jam diu in deserto ignaviæ assuevissent, ubi quotidie cœlestis illis parabatur esca, quam nonnisi colligendi labore sibimet comparabant, minimum adnitebantur, ut pars illis tribueretur, verisi forsitan, ne terræ exercendæ opera esset navanda, atque in hæreditate sua reliquiæ Chananæorum exterminandæ, quibus cum omnis Israelitarum exercitus simul esset superior, periculum erat, ne singulæ tribus seorsim sumptæ inferiores viribus essent.

℣. 4. ELIGITE DE SINGULIS TRIBUBUS TERNOS VI- D ROS.] Hos iterum ablegat, ut regionibus perspectis earum extensionem referant, atque descriptionem; ut septem ex illis constitutis sortibus, pro septem tribubus, quibus nondum assignata fuerat hæredi-

[1] Vide Euseb. & Hieron. in locis.

[2] 1. Par. 24. 6. 29. 6. & passim.

reditas, sortes possent mitti; quemadmodum cum aliis tribubus effectum fuerat. Non liquet autem, utrum ternos e singulis duodecim tribubus dimiserit, an ex septem illis tantummodo, quæ sortem erant receptutæ.

DESCRIBANT EAM JUXTA NUMERUM UNIUSCUJUSQUE MULTITUDINIS.] Hebraica lectio brevior est [1]: *Scribant*, vel delineent, vel descriptionem efficiant, *juxta numerum portium*. Legati hi describant in Tabulis regionis extensionem divisam in numerum tribuum, quæ nondum possessionem acceperant, vel in septem partes æquas has terras dividant, soli tamen ratione servata. Iosephus arbitratur, nec immerito, legatis his additos fuisse Agrorum mensores, vel Geometras, ut quam late pateret regio, metirentur.

℣. 5. IUDAS SIT IN TERMINIS SUIS AB AUSTRALI PLAGA, ET DOMUS IOSEPH AB AQUILONE (℣. 6.) MEDIAM INTER HOS TERRAM IN SEPTEM PARTES DESCRIBITE.] Ex hoc Textu videretur, Iudas universam australem Promissæ Terræ plagam occupasse; Ephraim vero, & Manasse filios Ioseph plagam omnem borealem; atque nunc rem in eo versari, quod inter utrosque medium solum septem tribubus divideretur. At hoc nequaquam fuisse reor. En autem Textum ad litteram reddimus [2]: *Judas immorabitur in terminis suis plaga australis, & domus Joseph in terminis suis plaga borealis; vobis autem terram in portes septem describetis*. Iosue loquitur juxta loci situm, in quo aderat, videlicet in Silo, quæ interius quidem in tribu Ephraim erat posita, ac prope satis tribum Iuda. Legatis autem inquit: Ite, & perpendite regionem, quæ superest dividenda. Ne attigeritis vero tribum Iuda, vel Ephraim, quarum altera posita est ad meridiem, ad Boream altera. Tribus hæ permaneant in partibus suis; vobis autem ea tantum sit cura, ut æque in septem partes solum omne dividatis, quod hæ tribus minime occupavere.

℣. 6. UT CORAM DOMINO . . . . MITTAM VOBIS SORTEM.] Postquam illi, quibus hanc provinciam demandaverat Josue, regionem in septem partes æqualiter divisissent, Josue, vel alius quispiam de illius mandato sortiri debebat, quænam pars cuique tribui esset cessura. Sed cum tribus nequaquam multitudine pares essent, conjecturam ferre licet, Senioribus, una cum Josue, curæ fuisse, ut & partium, & hominum, qui in quaque essent tribu, ratio haberetur diligenter; aliquid adimendo alicui, quod superfluum esset, aliique addendo, quæ præ numero indigeret. Æque enim incommodum erat minoribus tribubus, nimiam terræ partem possidere, ac majoribus arctum solum sortiri. Hinc oritur fortasse, quod urbes quædam in una tribu positæ ad aliam pertinent. Plurimas hujus generis adnotavimus in tribu Juda, quæ deinde concessæ fuerunt tribubus Beniamin, Dan, & Simeon; pariterque multas in tribubus Aser, & Issachar, quas tribus Manasse possedit. Si asserere velis, legatos agris dividundis præfectos proportionalem servasse æqualitatem in terrarum in tribus singulas distributione, dicendum est, sortes jactas fuisse, quæ cuilibet tribui tradenda tellus esset, antequam divisio iniretur; sed cum Josue hic palam innuat, sortes missas fuisse, postquam legati redierant; hoc necessario fatendum esse mihi videtur re adhuc integra quæsitam fuisse æqualitatem puram, absolutam, ac realem.

℣. 7. SACERDOTIUM DOMINI EST EORUM HÆREDITAS.] Sacerdotium ponitur pro jure Sacerdotii, videlicet oblationibus, sacrificiis, decimis, primitiis, primogenitis, aliisque; hæc enim jura Sacerdotum erant, ac Levitarum, Sacerdotumque hæreditatem constituebant.

℣. 9. LUSTRANTES EAM IN SEPTEM PARTES DIVISERUNT, SCRIBENTES IN VOLUMINE.] Hebraice [1]: *Lustravere terram diligenter, eamque secundum urbes illius in partes septem descripserunt in volumine*. Nomenclaturam urbium fecere, easque septifariam divisas in librum retulere; vel, Geographicam Tabulam delineaverunt, ubi urbes omnes descripserunt, ac solum in septem sortes partiti sunt. Cum de volumine sermo est, de tabulis, vel asserculis est intelligendum, in quibus delineabatur, incidebatur, & antiquitus scribebatur.

℣. 11. ASCENDIT SORS PRIMA FILIORUM BENIAMIN.] Ex urnula eductum est nomen Beniamin, ex alia vero schedula, in qua descriptum erat solum, quod inter Juda, & Ephraim interjacebat; vel elata voce in vulgus editum fuit, terram, de qua sermo est, illi cessuram tribui, super quam prior caderet sors. Cecidit autem super tribum Beniamin. Consulere potes Tabulam pro tribus hujus limitibus, nam superius c. 15. 5. 6. 7. 8. jam locuti sumus de locis, qui ℣. ℣. 12. 13. 14. designantur.

℣. 12. BETHAVEN.] Eadem ac Bethel. Inditum illi fuit nomen Bethaven, seu *domus iniquitatis*, postquam ibi erexit Jeroboam alterum ex duobus vitulis aureis, quos conflaverat.

℣. 16. IN PARTEM MONTIS.] Textus transferri potest [4] *in extremitatem*, vel *cacumen montis*, qui est prope Ierusalem.

℣. 18. AD TUMULOS, QUI SUNT E REGIONE ASCENSUS ADOMMIM.] Hebraicus textus [5] ita reddi potest: *Ad limites, qui sunt e regione ascensus Adommim*. Textus ad litteram habet: *Ad Gelilot, qui est e regione ascensus Adommim*. Superius jam adnotatum est, eruditos quosdam Interpretes [6] credidisse, Gelilot idem fuisse, ac Galgala cap. 15. ℣. 7. qui locus alius est a Galgalis, ubi Israelitæ diu consederunt. At nobis hærere placet genericæ significationi *Gelilot*, quæ vox limites significat. Patet autem, ascensum Adommim fuisse montium viam a Ierusalem in Iericho.

ET PERTRANSIT EX LATERE AQUILONIS AD CAMPESTRIA, DESCENDITQUE IN PLANITIEM.] Septuaginta: *Et pertransit ultra Betharaba e latere Aquilonis, descenditque in planitiem*. Creditur equidem legendum esse, vel intelligendum saltem *Beth-araba*, in priori loco, & *Araba*, vel desertam planitiem in posteriori. *Beth-araba* significat *domum*, vel mansionem *planitiei desertæ*; hæc urbs inferius occurrit ℣. 22. inter civitates Beniamin, eamque vidimus etiam c. 15. 6. in descriptione finium Beniamin, & Iuda.

℣. 19. CONTRA LINGUAM MARIS SALSISSIMI.] Duæ erant maris hujus extremitates; altera quidem ad meridiem, de qua locuti sumus cap. 15. 2. altera vero ad boream, de qua hic sermo, & capite eodem ℣. 5.

IN FINE IORDANIS AD AUSTRALEM PLAGAM.] Iordanes defluit in borealem maris mortui extremitatem, sed locus hic habita fluminis ratione ad australem Iordanis plagam est positus.

℣. 21. IERICHO.] Vide c. 2. ℣. 1.

BETH-HAGLA.] Cap. 15. 6.

VALLIS CASIS.] Hebraice [7], *Emec-Cosis*, vallis incisionis, vel vallis recisa, secta.

Hujus situs ignoratur. Nonnulli [8] putant nomen vallis incisionis illi fuisse impositum, forsitan eo quod balsamum ibi excerperetur, quod ex arbusto quodam corticem incidendo, vel acuto lapide, vel vitro, educebatur. Ast nullum extat argumentum, quo probetur balsamum ea in regione temporibus Iosue, neque diutius posthac excultum fuisse; ceterum hæc ethymologia nimis longe deducitur.

℣. 22. SAMARAIM.] Hebraice, *Zemaraim*, quam ex nomine tantum agnoscimus.

AVIM.

1 ויכתבו אתה לפי נחלתם.
2 הארץ שבעה חלקים יהודה יעמד על גבלו מנגב ובית יוסף יעמד על גבלו מצפון ואתם תכתבו את
3 ויכתבוה לערים לשבעה חלקים על ספר. 4 קצה ההר. 5 יצא אל גלילות אשר נכח מעלה ארמים.
6 Masius, Cornelius, Bonfrerius. 7 עמק קציץ. 8 Bonfrerius.

℣. 23. AVIM.]

APHARA.] Sanctus Hieronymus ait cognominem vicum extitisse ad quinque milliaria a Bethel Orientem versus.

OPHERA, EMONA.] Urbes has ignoramus.

℣. 24. OPHNI.] Hæc eadem plane est, ac *Gophna* [1], quæ novissimis Iudæorum Reipublicæ temporibus celebris fuit. Nomen *Ophni*, idem est ac *Gophni*, hain velut G proferendo, quod in propriis nominibus assolet. A S. Hieronymo *Gophna* in tribu Ephraim statuitur, quod unum propositæ potest adversari sententiæ; at dici potest, vel S. Hieronymum Ephraim posuisse pro Beniamin, vel urbem Ophni, cum esset in finibus Ephraim, & Beniamin, duabus tribubus communem fuisse factam, vel ab Ephraim possessam fuisse, etiamsi ex Beniamio esset hæreditate. Quomodocumque sit Iosephus lib. 3. de Bello cap. 4. ait, *Gophnam* alteram fuisse Judææ Toparchiam. Plinius quoque l. 5. cap. 14. inter Iudææ Toparchias Gophnam adnumerat. Denique Iosephus l. 5. de Bello cap. 6. Titi iter Ierusalem versus describens ait ipsum per Samariam transivisse, atque inde Gophnam fuisse profectum, unde diei unius itinere prope Gabaam Saul pervenit: hoc pacto a Gophna ad Gabaan quinque leucæ poterunt recenseri.

GABEE.] Vel *Gabe*, vel *Gabaa*, vel *Geba*, vel *Gibea*. Hæc est urbs *Gabaa Saul*, vel *Gabaa Beniamin* satis insignis in Scriptura: inter ea vero, quæ urbem hanc celebrem effecere, scelus est, quod incolæ illius patrarunt adversum Levitæ uxorem, quapropter bellum illis illatum est, quo tribus Beniamin funditus ferme interiit. Hac in urbe natus erat Saul, ibique morabatur. Iosephus Antiqu. l. 5. c. 2. statuit Gabaa ad viginti passuum millia a Ierusalem ad Aquilonem.

℣. 25. GABAON.] Hæc ea urbs est, quam quinque Reges obsederunt, quorum cladem mirabilem intuiti sumus Iosue 10.

RAMA.] Ad Boream Ierusalem sex circiter passuum millibus, vel leucis ter ab hac civitate. Iosephus Antiqu. l. 8. c. 6. Vide Eusebium, & Hieronymum in locis.

BEROTH.] Nomen hoc *puteos* significat. Hæc una ex quatuor urbibus est, quæ cum Gabaonitis fucum fecere Iosue, ut illum in fœdus allicerent. Sita erat septem circiter milliariis procul ab Ierusalem Emaus versus, vel Nicopolim.

℣. 26. MASPHE.] Hæc profecto eadem est ac urbs Maspha in tribu Iuda, vel duabus tribubus Iuda, & Beniamin satis prope Ierusalem sita; quo sæpius coram Domino populus congregatus est; exempli gratia, ut statueretur pœna, quæ sumenda esset de civibus Gabaa propter illatam vim uxori Levitæ Iudic. 20. v. 3. Samuel quoque illuc populum coegit, ut illum ad derelinquendas superstitiones adhortaretur 1. Reg. 7. 5. atque ibidem Saul Rex est constitutus 1. Reg. 10. 17. Denique Macchabæorum ævo populus venerabatur Maspha, veluti Sanctitatis locum, eoque ad preces Domino effundendas conveniebant, dum profani Templum occupabant 1. Macchabæor. 3. 46.

AMOSA.] De hac urbe, non secus ac de tribus, quæ subsequuntur, nihil inveni.

℣. 28. SELA.] Hic tumulus fuit Saul, Jonathæ, atque familiæ Cis, 2. Reg. 21. 14.

IEBUS, QUÆ EST JERUSALEM.] Ex hoc loco, aliisque nonnullis in Scriptura [2] liquet, vetus nomen Ierusalem fuisse Iebus; utrum vero civitas Iebusæis, an Iebusæi civitati nomen dederint, non liquet. Constat autem hanc regionis fuisse caput. Ajunt etiam *Salem* fuisse nomen vulgatum urbis illius, dum Abraham degeret; quæ sententia universalis est, atque eam regius Psaltes confirmat, cum ait Psal. 75. 3. *Factus est in pace*. Hebr. *In Salem locus eius, & habitatio eius in Sion*. Iosephus, Onkelos, ac infinita propemodum Scriptorum turba hoc mordicus tenent; at S. Hieronymus epist. ad Evangel. & alii quidam docuere, Salem, ubi Melchisedech imperitabat, sitam fuisse prope Scythopolim, procul admodum a Ierusalem, atque ibi extitisse adhuc Regiæ domus rudera, atque civitatem hanc eam esse, de qua sermo in Genesi 33. 17. 18. ubi narratur Iacob de Socot in *Salem* migrasse, urbem regionis Sichem. Usserius contendit *Salim*, ubi S. Ioannes Baptista baptizabat [3], & Silo urbem propter Tabernaculi Domini præsentiam celeberrimam fuisse veterem civitatem Melchisedech, longe diversam a Iebus, quæ deinde Jerusalem vocata est; quod valde apocryphum mihi videtur.

GABAATH.] In hac urbe Eleazar Summus Sacerdos Aaronis filius tumulatus fuisse perhibetur Iosue 24. 33. *Gabaath Phinees* appellata fuit, quod fuerit tradita Phinees filio Eleazari. Eusebius, & S. Hieronymus eam in tribu Beniamin statuunt ad duodecim ab Eleutheropoli passuum millia, atque testantur ibi adhuc Prophetæ Habacuc sepulchrum extitisse. At urbs Gabaath Phinees erat in tribu Ephraim, quemadmodum ipsa refert Scriptura: *Eleazarus filius Aaron mortuus est, & sepelierunt eum in Gabaat Phinees filii eius, quæ data est ei in monte Ephraim*. Samaritani nunc quoque jactabundi apud se tumulos Phinees, & Eleazari habere gloriantur [4]. Quæ si vera sunt, duplicem fuisse urbem Gabaath fatendum est, alteram quidem in montibus Ephraim, ubi tumuli erant Phinees, & Eleazari; alteram vero ubi Habacuc sepulchrum ostendebatur, quatuor leucis ab Eleutheropoli in tribu Beniamin.

CARIATH.] Hæc urbs subdita erat Gabaath, inquit Eusebius.

1 Ita Cellar. l. 3. c. 13. p. 338. & Bonfrer. Onomast.
2 Josue 19. 10. 1. Par. 11. 4.
3 Joan. 3. 23.
4 Ludolph. in Epist. ad Vir. Clar.

CAPUT XIX.

Sortes tribuum Simeon, Zabulon, Issachar, Aser, Nephtali, Dan. Filii Dan potiuntur Lesem. Josue sibi sumit in hereditatem Thamnath-Saraa.

1. ET egressa est sors secunda filiorum Simeon per cognationes suas: fuitque hære-
ditas 2 Eorum in medio possessionis filiorum Juda: Bersabee, & Sabee, &
Molada, 3 Et Hasersual, Bala, & Asem, 4 Et Eltholad, Bethul, & Har-
ma, 5 Et Siceleg, & Bethmarchaboth, & Hasersusa, 6 Et Bethlebaoth, & Saro-
hen:

hen : civitates tredecim, & villæ earum. 7 Ain, & Remmon, & Athar, & Asan: ci-
vitates quatuor, & villæ earum: 8 Omnes viculi per circuitum urbium istarum usque
ad Baalath Beer Ramath contra australem plagam. Hæc est hæreditas filiorum Simeon ju-
xta cognationes suas, 9 In possessione, & funiculo filiorum Juda : quia major erat : &
idcirco filii Simeon possederunt in medio hæreditatis eorum, 10 Ceciditque sors ter-
tia filiorum Zabulon per cognationes suas : & factus est terminus possessionis eorum usque
Sarid, 11 Ascenditque de Mari, & Merala, & pervenit in Debbaseth, usque ad tor-
rentem, qui est contra Jeconam, 12 Et revertitur de Sared contra orientem in fines
Ceseleththabor : & egreditur ad Dabereth, ascenditque contra Japhie. 13 Et inde per-
transit usque ad orientalem plagam Gethhepher, & Thacasin : & egreditur in Remmom,
Amthar, & Noa. 14 Et circuit ad Aquilonem Hanathon : suntque egressus ejus vallis
Jephtahel, 15 Et Cathet, & Naalol, & Semeron, & Jedala, & Bethlehem : civitates
duodecim, & villæ earum. 16 Hæc est hæreditas tribus filiorum Zabulon per cogna-
tiones suas, urbes, & viculi earum. 17 Issachar egressa est sors quarta per cognatio-
nes suas. 18 Fuitque ejus hæreditas, Jezrael, & Casaloth, & Sunem, 19 Et Hapha-
raim, & Seon, & Anaharath, 20 Et Rabboth, & Cesion, Abes, 21 Et Rameth,
& Engannim, & Enhadda, & Bethpheses. 22 Et pervenit terminus ejus usque Tha-
bor, & Sehesima, & Bethsames: eruntque exitus ejus Jordanis ; civitates sedecim, &
villæ earum. 23 Hæc est possessio filiorum Issachar per cognationes suas, urbes, & vi-
culi earum. 24 Ceciditque sors quinta tribui filiorum Aser per cognationes suas: 25
Fuitque terminus eorum Halcath, & Chali, & Beten, & Axaph, 26 Et Elmelech,
& Ammad, & Messal, & pervenit usque ad Carmelum maris, & Sihor, & Labanath.
27 Ac revertitur contra orientem Bethdagon : & pertransit usque Zabulon, & vallem
Jephthael contra Aquilonem in Bethemec, & Nehiel. Egrediturque ad lævam Cabul.
28 Et Abran, & Rohob, & Hamon, & Cana, usque ad Sidonem magnam. 29 Re-
verriturque in Horma usque ad civitatem munitissimam Tyrum, & usque Hosa : erunt-
que exitus ejus in mare de funiculo Achziba: 30 Et Amma, & Aphec, & Rohob :
civitates viginti duæ, & villæ earum. 31 Hæc est possessio filiorum Aser per cognatio-
nes suas, urbesque, & viculi earum. 32 Filiorum Nephtali sexta sors cecidit per fa-
milias suas ; 33 Et cœpit terminus de Heleph, & Elon in Saananim, & Adami, quæ est
Neceb, & Jebnael usque Lecum ; & egressus eorum usque ad Jordanem : 34 Reverti-
turque terminus contra Occidentem in Azanotthabor, atque inde egreditur in Hucuca,
& pertransit in Zabulon contra Meridiem, & in Aser contra Occidentem, & in Juda ad
Jordanem contra ortum solis, 35 Civitates munitissimæ, Assedim, Ser, & Emath, &
Reccath, & Cenereth, 36 Et Edema, & Arama, Asor. 37 Et Cedes, & Edrai,
Enhasor, 38 Et Jeron, & Magdalel, Horem, & Bethanath, & Bethsames : civitates
decem & novem, & villæ earum. 39 Hæc est possessio tribus filiorum Nephtali per
cognationes suas, urbes, & viculi earum. 40 Tribui filiorum Dan per familias suas
egressa est sors septima: 41 Et fuit terminus possessionis ejus Sara, & Esthaol, & Hir-
semes, id est, civitas solis. 42 Selebin, & Ajalon, & Jethela, 43 Elon, & Them-
na, & Acron, 44 Elthece, Gebbethon, & Balaath, 45 Et Jud, & Bane, & Barach,
& Gethremmon: 46 Et Mejarcon, & Arecon, cum termino, qui respicit Joppen, 47
Et ipso fine concluditur. Ascenderuntque filii Dan, & pugnaverunt contra Lesem, ce-
peruntque eam : & percusserunt eam in ore gladii, & possederunt, & habitaverunt in
ea, vocantes nomen ejus Lesem Dan, ex nomine Dan patris sui. 48 Hæc est posses-
sio tribus filiorum Dan, per cognationes suas, urbes, & viculi earum. 49 Cumque
complesset sorte dividere terram singulis per tribus suas, dederunt filii Israel possessio-
nem Josue filio Nun in medio sui, 50 Juxta præceptum Domini, urbem, quam po-
stulavit, Thamnath Saraa in monte Ephraim : & ædificavit civitatem, habitavitque in
ea. 51 Hæ sunt possessiones, quas sorte diviserunt Eleazar sacerdos, & Josue filius
Nun, & principes familiarum, ac tribuum filiorum Israel, in Silo, coram Domino ad o-
stium tabernaculi testimonii, partitique sunt terram.

℣. 1. FUIT HÆREDITAS (℣. 2.) EORUM IN MEDIO FILIORUM IUDA.] Superius adnotatum est, seniores populi, qui agro dividundo præerant in singulas tribus, operam navasse, ut æqua servaretur ratio, pro viribus, A & capitum numero, quæ in quavis tribu reperirentur ; adimentes, vel adjicientes sorti illarum juxta distributivæ justitiæ præcepta, ita ut tantumdem agri cuilibet tribuum assignato, quantum satis esset, neque in arctum nimis cogeretur, neque latius, quam par

par erat, fines dimitteret. Rei hujus exemplum in tribubus Iuda, & Simeon sumus intuiri. Cum enim intellectum esset Iuda, quamquam adeo frequentem, nimiam agri partem accepisse, aliarum tribuum hæreditati collatam: illi pars est adempta, ut Simeon traderetur. Hæc tribus omnium erat minima. Cum novissime census habitus est, duo & viginti capitum millia, atque ducenta censa sunt Num. 26. 14. illisque 17. vel 18. urbes dumtaxat assignatæ. At minime credendum est populi recensiones, quæ in hoc Libro leguntur, integras semper esse, ac diligentes; vidimus supra, præcipuas ferme civitates memorari, atque illas, quæ limitibus describendis inserviebant: præterea his civitatibus plures vici, ac pagi adhærebant, qui non mediocriter augebant hæreditatem.

In sorte Simeon animadverti potest Providentiæ, ac infallibilis certitudinis promissionum, ac minarum Dei, effectus sensibilis. Iacob divino afflatus spiritu prædixerat Genes. 49. 6. 7. Levi, & Simeon, futurum ut in Israel dispergerentur in pravi, improbique fœderis pœnam, quod in Sichem excidium inierant Genes. 34. Levi quidem dispersus fuit in omnem Palæstinam, cum nulla peculiaris illi tributa hæreditas fuerit; sed quædam illi civitates variis in locis in domicilium dumtaxat assignatæ: Simeon vero Iuda dispersus nullam habuit sibi propriam partem, atque ab aliis tribubus sejunctam.

Hebræi apud Masium putant, tribum Iuda, cum in sortem suam tribum Simeon admisisset veluti precario, atque ad tempus, optimum factu duxisse illam ejicere, cum David Rex imperaret. Hinc autem sententiæ hujus occasionem arripuere, quod in 1. Paralipomen. 4. 31. scriptum est, filios Simeon habitasse in decem ac tribus civitatibus, quarum nomina recensentur, atque has fuisse *civitates eorum usque ad tempora David*. Credunt autem, Regem hunc illis eas urbes ademisse, quas possederant hactenus; at reor, David solum colonias dimisisse tribus Iuda in regionem illorum, ut replerentur loca, quæ ob infrequentiam eorum vacua erant; atque tunc duas hasce tribus una in iisdem urbibus versari incepisse. Sed post decem tribuum secessionem, credibile est, viros Iuda valde coarctasse tribum Simeon, eamque penitus ex civitatum suarum parte ejecisse, quare coacta fuit, dum Ezechias regnaret, novas sibi sedes inquirere in terra Gador, & in montibus Seir [1], ubi tamen non ita diu permansit, cum a Salmanasar una cum decem tribubus abducta fuerit in captivitatem anno sexto Ezechiæ Regis Iuda, 4. Regum 17. 6.

℣. 2. Bersabee.] Vide supra cap. 15. 27. Hæc eadem mox immediate appellatur *Sabee*; si enim duæ hæ civitates fuissent, quatuordecim numerandæ fuissent, non tresdecim in ℣. 6. *Bersabee* significat *puteum septem*, vel *puteum juramenti*. Vide Genes. 21. 33. Potuit autem sejungi vox *Beer*, quæ *puteum* significat, ac *Sabee* simpliciter appellari. Iunius contendit Sabee, vel *Schebeah* eamdem esse ac Schemah, Iosue 15. 26. & Thocem 1. Par. 4. 32. Grotius etiam advertit, Septuaginta istic *Schama* legisse pro *Scheba*, vel *Sabe*.

Molada.] Vide Iosue 15. 26.

℣. 3. Haser-sual.] Iosue 15. 28. *Baala*. Iosue 15. 29.

Asem.] Credimus eamdem esse ac *Asemonam* Iosue 15. 4. & Num. 34. 4. 5.

℣. 4. Eltholad.] In Paralipomenis *Tholad* appellatur. Vide Iosue 15. 30.

Bethul.] Hæc Bathuel 1. Paral. 4. 3. nuncupatur. Alibi ad examen vocabimus, utrum hæc eadem sit, ac Bethulia Iudith. Bethulia quædam ponitur in Galilæa ad leucam a Tiberiade [2]; vulgaris sententia hanc postremam eam esse contendit, ubi obtruncatus fuit Holofernes. Ast non desunt e-

A iuditi Geographi [3], qui probent, hanc Galilææ Bethuliam numquam extitisse, neque illius existentiam posse veteri quopiam monumento probari. Historia Judith non asserit palam hanc fuisse in Galilæa.

Harma.] Eadem est ac Horma, de qua supra sermo fuit, Iosue 15. 31.

℣. 5. Sicelec.] Vide Iosue 15. 31. Inter civitates Iuda.

Beth-marchaboth.] Vel potius *Beth-hammarchaboth*, urbs curruum; ubi sita esset, non liquet.

Haser-sua.] Hæc in 1. Paralip. 4. 31. appellatur *Hasar-Susim*, *urbs equorum*. *Haseesusa* urbs jumentæ. In hanc urbem forte deducti fuerunt equi, quos in Ægypto emerat Salomon 3. Reg. 10. 28.

℣. 6. Beth-Lebaoth.] Scilicet domus Leonum.
B Hæc dubio procul eadem est ac *Beth-berai* 1. Paral. 4. 31.

Civitates tredecim.] Quatuordecim in præcedentibus versiculis enumerantur. Ast ℣. 2. adnotavimus, *Sabee* eamdem esse ac *Bersabee*: qui huic sententiæ haud subscribunt, uti possunt iis solutionibus, quas supra tradidimus c. 15. ℣. 62.

℣. 7. Ain, et Remmon.] Hebraice, *Ain-Remmon*. Vide, quæ dicta sunt supra Iosue 15. 31.

Athar.] Vocatur *Ether* Iosue 15. 42.

Asan.] Vide locum eumdem Iosue.

Civitates quatuor.] Octava quoque memoratur in 1. Paralipom. 4. 32. & nuncupatur *Etam*. Hebraici textus vocabulum [4] villas potius significat, & vivaria, quam civitates.

C ℣. 8. Baalath-Beer-Ramath.] Hæc simpliciter *Baloth* in Iosue 15. 24. vocatur, & *Baal* in 1. Paralipom. 4. 33. Reor autem hanc eam esse urbem Baalath, quam Salomon instauravit in deserto 3. Regum 9. 18.

℣. 9. In medio hæreditatis eorum.] Hoc est simpliciter, in hæreditate eorum; quoniam urbes hæ nequaquam erant in umbilico regionis Iuda.

℣. 11. De mari, et Merala.] Tribus Zabulon mari alluebatur versus montem Carmelum. Hebraicus textus; Limites eorum ascendunt mare versus, & *Merahala*. Ubi sita esset *Merahala*, ignoratur. Bonfrerius probat Zabulon nequaquam ad Mediterraneum usque patuisse rei. Hujus argumenta videri possunt cap. 17. 10.

D Ieconam.] Vel *Jecnam*, quemadmodum appellatur cap. 21. 34. ubi in Levitarum sedem assignatur. Eamdem supra cap. 12. 22. sumus intuiri sub nomine *Jechanan Carmeli*, quod huic monti esset proxime.

℣. 12. De Sared contra Orientem in fines Ceseleth-Thabor.] Limites Zabulon a *Sared*, vel *Sarid*, quemadmodum ℣. 10. appellatur, orientem versus ascendebant in *Cesaleth*, vel *Casaloth*, quemadmodum inferius paullo ℣. 18. vocatur. Eusebius, & S. Hieronymus hanc tribui Issachar tradunt; sed ex hoc loco patet, illam in Zabulon sorte fuisse. Ea plane in finibus utriusque tribus aderat; erat autem ad radices montis Thabor, octo passuum millibus a Diocæsarea versus Orientem. *Cesleth-Thabor* ad
E litteram significat renem, vel latus montis Thabor; ea vero urbs Thabor simpliciter in Paral. libris vocatur 1. Par. 6. 77.

Dabereth.] Urbs hæc nequaquam erat in tribu Zabulon, sed Issachar, & in finibus Zabulon. Hæc vero Levitis in domicilium est tradita. Iosue 21. 28. & 1. Par. 6. 72.

Japhie.] Josephus in Vita sua, & de Bello l. 3. cap. 21. loquitur de munitissima Galilææ urbe *Japha* non procul a Jotapata. Recens viator quidam ponit Japham leucæ unius intervallo procul a Nazareth ad Meridiem.

℣. 13. Geth-Hepher.] Hæc est patria Jonæ prophetæ, *qui erat de Geth*, ut ait Scriptura 4. Regum 24. 25.

1 1. Par. 4. 39. 40. 41. 42.
2 Brochard. Descript. Terræ Sanctæ. Vide Bonfrer. Onomast.
3 Cellarius 3. c. 31.
4 ἐπαύλεις. חצרים.

24. 25. *quæ est in Epher*. S. Hieronymus procem. in Jonam hanc urbem statuit ad duo passuum millia ab Sephori versus Tiberiadem. De Opher, vel Epher, quæ nomen imposuit parvulo terræ tractui, ubi sita est Geth, supra locuti sumus Josue 12. 17.

THACASIM.] Non procul aberat a mare Tiberiadis, cum esset ad orientalem extremitatem tribus Zabulon.

REMMON, AMTHAR, NOA.] Vel *Anoa*, uti legunt Septuaginta. Locorum horum positionem minime novimus, non secus ac illorum, majori ex parte, quæ consequuntur. *Remmon-Amthar* una tantum fortasse civitas est, Remmon celebris, ac illustris nuncupata: hęc enim Hebraicarum vocum est significatio [1]. Clericus vertit, *Remmon, quæ continebat Naba*. Hæc urbs postrema in his limitibus continebatur; quæ fortasse est *Neve*, vel *Nobe*, vel *Nove*. Itinerarium Antonini ponit Neve 36. milliaria a Capitoliade; Capitoliadem vero sexdecim a Gadara. Vide Relandum Neve tom. 2. p. 209.

℣. 15. SEMERON.] Hanc minime credas esse urbem Samariæ, quæ Semeron quoque Hebraice appellatur. Hæc enim nonnisi diutius post Josue condita fuit, atque præterea in tribu Ephraim erat posita. Verum ista, de qua hic sermo, creditur illa fuisse, cujus Regem cum Rege Asor fœderatum, aliisque borealis plagæ promissæ terræ Principibus Josue delevit. Supra cap. 11. 1. diximus, nos pro Semeron, cujus Rex a Iosue cæsus est, intelligere urbem Simyram in Syria: quo posito termini Zabulon trans Libanum usque essent proferendi.

BETHLEHEM.] Hac alia omnino est a Bethlehem Juda propter J. C. Nativitatem celeberrima.

CIVITATES DUODECIM.] Undeviginti civitatum nomina allata sunt. Verum inter eas ad finitimas tribus nonnullæ spectabant, quæ hic afferuntur dumtaxat ad constituendos tribus hujus limites contra limites alterius. Alibi eam observatum est, has recensiones non esse omnino semper exactas, atque completas; & aliunde patet, Zabulon alias civitates possedisse præter eas, quæ hic describuntur. Aditi potest, quod dictum est in Josue cap. 15. ℣. 62.

℣. 17. ISSACHAR EGRESSA EST SORS QUARTA.] Issachar erat major natu Zabulon, attamen Zabulon ante Issachar hic memoratur. Iacob etiam in benedictionibus suis Genes. 49. 13. 14. appellat Zabulon ante Issachar. Ratio vero, qua ordo hic perturbatus est, ignoratur.

℣. 18. IEZRAEL.] Sita erat in agro latissimo inter Legionem urbem ad occasum, & urbem Bethsan ad ortum, habebatque ad meridiem montes Gelboe, ad boream vero montes Hermon.

CASALOTH.] Uide ℣. 12. capitis hujus.

SUNEM.] Vel *Sunam*. Locus insignis, eo quod Prophera Elisæus ibi hospitio excipi consueverat domi mulieris cujusdam, cujus filium vita functum ad vitam revocarat. Sunam sita erat, uti Eusebio, ac Divo Hieronymo placet, ad quinque passuum millia a monte Thabor in plaga meridionali. Philistiim castra metati erant in Sunam calamitosissimo in prœlio, in quo Saul, & Ionathan cæsi periere, & universus Israel in Montes Gelboe dissipatus est. 1. Reg. 28. 4.

℣. 19. HAPHARAIM.] Vel *Haphraim* sex passuum millibus a Legione procul Aquilonem versus.

SEON.] Prope montem Thabor.

ANAHARATH (℣. 20.) RABBOTH, CESION, ABES.] Nihil liquet aliud, quam quod trans tribum Issachar erant positæ. Cesion esse eadem potest, ac Cades Issachar, de qua sermo 1. Par. 7. 32.

℣. 21. RAMETH.] *Ramoth* in 1. Paralipom. 6. 73. & Iarimot cap. 21. 29. libri hujus vocatur. Hæc Levitis tributa est.

EN-GANNIM.] Urbs Levitis assignata in tribu Issachar, Iosue 21. 29. In 1. Paralipom. 6. 73. Enam appellatur.

EN-HADDA.] Hæc nequit esse urbs ejusdem nominis Ierusalem inter, & Eleutheropolim, quæ ab hac postrema decem passuum millibus aberat.

℣. 22. THABOR.] Urbs sita ad meridiem, vel verticem montis celeberrimi cognominis ad torrentem Cisson. Vide infra Iudic. 4. ℣. 6.

BETHSAMES.] Plures hujus nominis urbes agnovimus; alia enim est in tribu Iuda, in Nephtalim alia. Hujus situs ignotus est. Bethsames *domum solis* significat.

℣. 25 HALCATH.] Vel *Helcath* Iosue 21. 31. vel *Hachath* 1. Par. 6. 75. Urbs est Aser, Levitis concessa, Iosue 21. 31.

CHALI.] *Beten*, *Axaph*, *Elmelec*, *Amaad*, *Messal*, ignotæ urbes sunt. Reor autem *Axaph* esse *Ecdippam*: in quibusdam MSS. Græcis legitur *Akom*, quæ eadem est, atque *Acco*, vel Ptolemais.

℣. 26. USQUE AD CARMELUM MARIS.] Scilicet usque ad Carmelum, qui est ad mare, vel ad occasum [2], vel e latere maris. De Carmelo tribus Iuda supra c. 15. 55. dictum est, ubi Nabal maritus Abigail habebat armenta. Carmelus mons, de quo hic sermo, erat tribus Aser; hic autem in Scriptura maxime celebratur propter miracula, quæ Elias ibi operatus est, 3. Reg. 18. 20. Iosephus lib. 2. de Bello c. 17. statuit Montem Carmelum centum, & viginti stadia procul a Ptolemaide in meridiem, Scripturam illum istic appellat *Carmelum maris*, quoniam re vera mari mediterraneo erat proximus. Hic autem non unus erat mons, sed longa plurimorum montium series, qui sibi adhærebant, atque a borea in meridiem, satis longo intervallo in tribubus Issachar, & Zabulon protendebantur. Montes hi aliquantulum absunt a mari, ita tamen ut unum ipsorum latus oram maritimam tangat; & Plinius l. 5. c. 17. loquitur de Carmeli promontorio, ac de urbe cognomine in monte: *Promontorium Carmelium, & in monte oppidum eodem nomine*.

In montis hujus vertice Vespesiani temporibus ara aderat, ubi Deus, cui Carmeli nomen inditum erat, colebatur: nullum ibi erat simulacrum, nulla effigies; ara tantum, ac loci adeo sancti cultus eos alliciebat, qui numen consulere vellent. Tacit. lib. 2. Hist. cap. 78 *Nec simulacrum Deo, aut templum (sic tradidere majores) ara tantum, & reverentia*. Vespesianus illuc profectus est, ut Sacerdotem Basilidem nomine, qui ibi morabatur, consuleret. Nomen Carmeli significat *vineam Domini*, vineas opimas, vineas divinas; vel aristam refertam, viridem, ac mollem; generatim locum miræ pulchritudinis, ac uberrimæ fertilitatis. Pulchritudo, ac ubertas Carmeli quodammodo in Adagium abierant. Canticorum sponsus c. 7. 5. speciem capitis sponsæ suæ vertici Carmeli comparat: *Caput tuum ut Carmelus*. Isajas 32. 15. ait fore tempus, quo agri deserti formosi fient, velut Carmelus, atque universam Carmeli speciem, veluti desertum habitum iri: *Erit desertum in Carmel, & Carmel in saltum reputabitur*. S. Hieronymus [3], ac recentiores viatores nobis exhibent Carmelum veluti montem nemoribus confertum, fructiferis arboribus consitum, vineis uberrimis, atque optimis aquarum fontibus frequentem.

Urbs, quam Plinius in Carmeli monte constituit, & cui idem, ac monti nomen tribuit, antea Ecbatana nuncupabatur; videlicet, uti reor, *Gabbaton*, vel Gabbata, quæ vox Hebraice altitudinem significat. Iosephus de Bello l. 3. c. 4. & l. de Vita sua loquitur de quadam urbe Gabba prope Ptolemaidem, nec procul a Carmelo; qua in urbe Cambyses occubuit. Huic Regi oraculi sors prædixerat futurum ut Ecbatanæ moreretur. Credidit ille de Ecbatanis Mediæ numen locutum; at hæc erat Ecbatana Syriæ, inquit

1 רמון המתאר Sym. apud Drus. Remmon inclyta. & in Jerem. c. 4. ℣. 26. Vide Daubdan. cap. 51.

2 ופגע כרמל הימה

3 Hieron. in Isaj. c. 10. v. 18.

inquit Herodotus lib. 3. cap. 64.

SIHOR, ET LABANATH.] Quidam putant duabus his vocibus locum eumdem, vel fluvium designare. Hebraice legimus fine conjunctione *Sihor-Lebana*. Hunc autem fuisse reor fluvium prope promontorium Album, de quo loquitur Plinius l. 5. cap. 19. qui ipsum inter Ecdippam, ac Tyrum constituit. Alibi jam ostendimus *Sihor* nomen fluminis fuisse, vel rivi, quod *turbidum* significat. *Lebanath* vero significat album.

℣. 27. BETH-DAGON.] Hæc urbs alia est ab urbe cognomine in tribu Iuda, de qua Iosue 15. 41. Nomen hoc significat *domum Dagonis*, vel piscis, vel Templum Dagonis.

ZABULON.] Urbs est Galilææ munitissima, quæ nomen a tribu Zabulon desumit. Iosephus l. 2. de Bello c. 37. ait ipsam a Iudæa Ptolemaidem separare.

VALLEM IEPHTAEL.] Urbs Iephtael posita erat inter tribus Zabulon, & Aser, Iosue 19. 14. plane inter Ptolemaidem, ac Montem Carmelum.

EGREDITUR AD LÆVAM CABUL.] Videlicet ad hujus urbis Aquilonem; nam læva, cum de locis est sermo, boream significat. Aliqua occurrit hic difficultas, quoad nomen *Cabul*. Nonnulli [1] putant hanc eam esse terram, ubi sitæ erant civitates viginti, quas Salomon dedit Hiram Regi Tyri; quæ cum non placerent Hiram, ab eo solum illud terra Cabul fuit nuncupata 3. Reg. 9. 11. 12. 13. Alii [2] credunt hic agi de quodam loco, cui nomen Chabul, de quo Josephus in libro de vita sua loquitur vicum *Chabalo* appellans; atque in l. 3. de Bello ait, inferiorem Galilæam a Tiberiade patere usque ad Chabulon, qui locus ad mare situs est, ac Ptolemaidi proximus.

℣. 28. ABRAN.] Hebraice, *Hebron*; videlicet transitum. Vulgata in Hebraico textu legit Akran עכרן *akran* pro Abran עברן.

ROHOB.] Inferius paullo ℣. 30. legitur etiam ejusdem nominis civitas in tribu eadem. Duæ hæ urbes, uti arbitror, erant altera quidem ad orientem, altera vero ad boream tribus Aser: hoc suppono, quod duæ sint civitates; nam exemplo non vacat, in his Nomenclaturis repetitiones offendi. Ego quidem unam tantum Rohob urbem agnoscere mallem, quæ Levitis fuit assignata [3], sed ex qua tribus Aser Chananæos expellere nequicquam conata est, Iudic. 1. 31. Urbs Rohob, cujus Numerorum liber 13. 22. meminit, eadem erat, ac illa, de qua hic sermo. Moyses innuit eam in boreali totius Chanaan extremitate fuisse positam, & versus aditum Emath.

HAMON.] Hanc urbem simpliciter fuisse reor in finibus, non autem in possessione Aser: ea profecto erat tribus Nephtali, atque Levitis concessa fuit, 1. Par. 6. 76. Appellatur etiam Ammot-Dor a Iosue 21. 32.

CANA.] Eusebius, ac S. Hieronymus existimare videntur in hac urbe, I. C. aquam in vinum immutasse, Ioan. 2. 1. Nonnulli putant, S. Hieronymum duplicem Cana distinguere; majorem, minoremque; at in illius textu hæc distinctio non patet [4]; Sanctus hic Doctor loquitur tantum de *Sidone majore*, & ait alteram quoque cognominem urbem, sed minorem adesse, cujus gratia illa major nuncupatur. Neque Josephus, neque Historicus quisquam commentariæ hujus meminit Cana majoris; Cana vero Galilææ, de qua loquitur Evangelium, & quam patriam ferebant Simeon, & Nathanael, est celeberrima. Josephus non semel de illa sermonem habet [5]; ait, se tunc in Cana Galilææ fuisse, cum audivit defectionem civium Tiberiadis; atque cum statim viam corripuisset cum ducentis viris, celeri agmine post totius noctis iter postero mane Tiberiadem fuisse as-

A secutum; unde conjicere licet, Cana octo circiter leucas a Tiberiade abfuisse occasum versus. Fateor autem, si urbes, quas in hoc versiculo legimus, a meridie progrediuntur in boream, vel ab ortu in occasum successive semper magis Sidonem versus procedentes, aliam agnoscendam esse Cana propius Sidonem, sed quæ penitus ignoratur.

℣. 29. REVERTITUR IN HORMA, USQUE AD CIVITATEM MUNITISSIMAM TYRUM.] Septuaginta, *usque ad fontem Maspha Tyriorum*. Urbs Horma, vel juxta Hebraicam lectionem חרמה *Haramah* nemini agnoscitur, Septuaginta, Chaldaica versio, Syriaca, Arabica legunt *Rama*; hæc fortasse tumulus quidam est, non civitas. *Ramah* elevationem significat. Masius arbitratur, hanc esse posse Sareptam, vineis suis
B celeberrimam. *Bacchus amat montes*. Bonfrerius hanc mavult esse *Ornithon*, urbem avium, ob id forsitan, quod incolarum domus claræ erant nimis, atque illi ibi veluti in nidis immorabantur. At mihi ea potius arridet opinio, quæ *Rama* sumit pro elevato quodam loco, seu promontorio. A Sidone limites Aser per litora protendebantur ad Tyrum usque, urbem tum apud Sacros, tum apud Profanos Scriptores satis nobilem.

Tempus, quo Tyrus est condita, quæstio est in Chronologia admodum præpedita, quam opus est hic ad examen vocare. Sanchoniaton apud Euseb. Præpar. l. 1. c. ult. narrat, Hypsuranium, quemdam vetustissimum terræ filium, urbem Tyrum incoluisse, ac ibi e juncis, & calamis mapalia extruxisse. Sa-
C cerdotes Tyrii ab urbe condita per Hypsuranium usque ad tempore Sanchoniatonis bis mille, ac trecentos recensebant annos; ex quo fit (supposito quod Sanchoniaton Gedeonis ævo degeret) Tyrum ante Babylonicam Turrim extructam fuisse; quod satis est, ut Epocham hanc deseramus; quamvis nescii essemus Sanchoniatonem esse authorem suppositum, quod eruditi quidam viri ostenderunt, & quod facile perceptu est, si legas simpliciter fragmentum operis illius ab Eusebio servatum.

Josephus autem Antiqu. l. 8. c. 2. potiori jure meretur fidem, cum ait urbem hanc ædificatam fuisse 240. annos ante Salomonis Templum [6], quod anno ab orbe condito 2760. respondet, ducentos vero circiter post Josue. Trogus quoque annum, quo Ty-
D rus condita fuit, adnotaverat: at Justinus illius compendiator, vel qui Justinum exscripsere, illum expunxerunt. Author hic dumtaxat ait l. 4. *A Rege Ascaloniorum victi Sidonii navibus appulsi, Tyrum urbem ante annum.... Trojanæ cladis condiderunt*. Herodotus l. 2. c. 44. qui Sacerdotes Templi Herculei Tyri interrogaverat, refert illud ante urbem fuisse conditum 2300. annis ante illud tempus, quo hæc exarabat. Herodotus degebat eo ferme tempore, quo Israel de Captivitate Babylonis redierat: quod maxime a Josephi calculis abest. At hoc saltem ostendit, Tyrios Sacerdotes vetustissimam antiquitatem jactasse.

Quintus Curtius l. 4. c. 4. ait Tyri conditorem fuisse Agenorem Cadmi patrem; sed nullam haberi
E decet huic testimonio fidem, quandoquidem contendit Sidonem eodem tempore, ac Tyrum, atque ab Agenore eodem ædificatam fuisse. Sidoni autem antiquiora fuisse, quam Tyro, primordia nemo non novit. Isaias 23. 12. Tyrum *Sidonis filiam*, vel illius coloniam appellat: *Non adjicies ultra ut glorieris calumniam sustinens, virgo filia Sidonis*. Homerus teste Strabone l. 16. de Tyro ne verbum quidem facit, quamquam de Sidone veluti urbe celeberrima loquatur. Eusebius in Chronicis refert, Phœnicem, & Cadmum, cum de Thebis Ægyptiis se recepissent in Syriam, Tyri, ac Sidone regnasse. Quæ si vera

1 Malvenda, Masius, Grotius, Junius. 2 Bonfrer. & Huet. Demonstrat. Evang. 3 Josue 21. 31. & 1. Par. 6. 75. 4 *Cana usque ad Sidon majorem (est quippe & altera minor ad cujus distinctionem major hæc dicitur.) Fuit autem Cana in Tribu Aser &c.* 5 Joseph. lib. de Vita sua. Vide Cellar. in Cana p. 300.
6 Nos Templi dedicationem ad an. 3001. referimus, mortem vero Josue ad 2570.

sunt, fatendum erit Tyrum ante Josue fuisse conditam, quandoquidem Cadmus tunc demum in Græciam concessisse perhibetur, cum jam in terram Chanaan Josue pervenerat. At postremum hoc cum incertum sit, haud æquum est illi hypotesim tanquam certam inniti, atque asserere Tyrum tunc nondum fuisse conditam, illudque eo magis quod Author libri Josue, qui negari nequit scripsisse saltem juxta temporis Josue monumenta, de Tyro loquitur, veluti civitate munitissima.

Verum ut quæstionis hujus nodos dissolvamus, duæ Tyri civitates diligenter sunt distinguendæ; altera quidem in mediterranei maris insula, in continenti vero ex illius regione altera. Hæc procul dubio antiquior est, sed Græcis Scriptoribus parum nota, qui de urbe Tyro in insula dumtaxat posita loquuntur [1], quæ ob retardatum Alexandri magni impetum nominis floruit celebritate. Diodorus Siculus, & Q. Curtius eam a continenti abfuisse quatuor tantummodo stadiis, vel quingentis passibus arbitrantur; at Plinius l. 5. cap. 19. septingentis remotam fuisse contendit. Post Alexandrum Magnum continenti adhæsit, propter immensum aggeris opus, quod dux ille ad urbem capiendam instituerat: *Tyrus quondam insula præalto mari septingentis passibus divisa, nunc vero Alexandri oppugnantis operibus continens.*

Tyrus antiqua in continenti erat posita ad insulæ conspectum. Author Ecclesiastici 46. 21. ait Tyrios Principes una fuisse cum Philistiim, qui a Samuele sub regiminis initium fuere deleti [2]. David, & Salomonis ævo magna ea civitas erat, atque nobilis, quoniam ibi potentissimi Reges imperitabant. Hiram Rex Tyri misit ad David ligna, & artifices ad regias ædes extruendum [3]. In libro 2. Regum 24. 7. scriptum est, Joab, ac eos, quibus cum eodem provincia fuerat demandata census filiorum Israel habendi, prope Tyri mœnia transiisse. Cum regnaret Salomon nova Tyrus nondum fuerat extructa; atque in insula Templum dumtaxat aderat Olympio Jovi dicatum. Dius apud Joseph. contra Appion. l. 1. qui sedula cura Phœnicum historiam conscripsit, ait, Hiram filium Abibaal, Regem Tyri, ac Salomonis amicum urbi Herculis delubrum conjunxisse, quod solum erat in insula, eamque veteri adjecisse Tyro ductis in præaltum mare immensis operibus. Idem quoque Menander Ephesius enarrat, ut tradit Josephus ibidem; atque addit Hiram in Jovis templo auream columnam posuisse. Moles ea, quam in mari extruxerat Hiram, deinde subsidit; quod tamen contigisse videtur, cum civitas a Chaldæis jam capta fuerat: nam constat, ita ut nulli sit dubio locus, urbem Tyri a continenti euripo quodam sejunctam fuisse, cum illam Macedo oppugnaturus accessit.

Non igitur dissimulandum est, in epistola, quam Hiram scripsit Salomoni, & quam refert Josephus Antiq. l. 8. Regem Tyri frumentum a Salomone expetiisse in pretium lignorum, quæ ad ipsum miserat: nam, inquit ille, tritico indigemus cum in insula immoremur; unde licet arguere, jam tunc temporis novam Tyrum extitisse. At plurima adest probabilitas litteras has elucubratas fuisse, vel interpolatas saltem & exornatas ab hoc Authore; quam suspicionem astruunt litteræ eædem quæ in Eupolemo apud Eusebium de Præpar. l. 10. c. 33. 34. reperiuntur, stylo procul diverso, ubi hæc circumstantia minime invenitur.

Nabuchodonosor Chaldæorum Rex oppugnavit expugnavitque Tyrum aliquot annis postquam Templum, ac urbem Jerusalem diruerat. Ezechiel 27. & 28. plurimis palam adnotatis rerum circumstantiis hanc obsidionem prædixit; attamen de utra, veteri ne, an recentiori Tyro loquatur, non satis liquet. S. Hieronymus in Ezech. 26. & 28. & Amos 1. novæ urbis excidium ibi designari putat; quandoquidem ait Nabuchodonosor insulam continenti adjunxisse terra arboribusque in fretum dimissis, qua antea sejungebatur. Propheta videtur innuere civitatem hanc in insula fuisse positam, cum ait 27. 25. *Glorificata es nimis in corde maris*. Isajas 23. 6. Tyrum maris filiam appellat, atque ad eam conversus hæc ait: *Transite maria, ululate, qui habitatis in insula*. Verum aliæ locutiones reperiuntur, quæ civitati continentis magis convenire videntur.

Iis suppositis, quæ ex Dio, ac Menandro Ephesio attulimus, Tyrum scilicet continenti aggere quoddam fuisse conjunctam temporibus Hiram, difficultas omnis evanescit, ac varietas, quæ in Prophetarum locutionibus occurrit, conciliatur. Tyrus simul erat & insula, & continens, nam agger, de quo sermo fuit, eam addiderat continenti, ac pene insulam constituerat. Cum Alexander Macedo illam obsedit, Tyrus antiqua deserta erat, vel infrequens, quandoquidem ex Historiis patet [4], Alexandrum Tyri veteris usum fuisse ruderibus, lapidibusque, ut euripum, quo insula a continenti sejungebatur, occluderet.

Verum nulla extant monumenta, quibus vel tempus, vel occasionem, qua nova Tyrus condita fuit, edoceamur. Marshamus Canon. Ægypt. sæcul. 11. hoc contigisse putat, postquam vetus civitas a Nabuchodonosor capta fuit; sed quamquam rationes illius haud sint contemnendæ, tamen fatendum est, eas nequaquam certas haberi posse, atque hac in re non parum obscuritatis adhuc superesse. Ego vero dicere mallem, Tyri primordia, de quibus Trogus apud Justinum l. 18. loquitur, quæ post Ascalonitarum bellum adversus Sidonios contigere, in quo hi fusi, cæsique fuerunt, de recentis Tyri origine esse intelligenda. Quædam in hoc Historico adest circumstantia, quæ non parum huic prodest sententiæ. Sidonii, inquit ille, mari in eum locum appulere, ubi Tyrum condiderunt. Hunc autem locum ne dixeris illum, ubi Tyrus antiqua stetit; illuc enim non mari, sed terra solum potuissent accedere; de nova igitur Tyro ipse loquitur. At hæc in re dubium adhuc superest; invaluit enim sententia, novam Tyrum a veteri ortam fuisse, ac cognominis civitatis fuisse coloniam. Non aliam, qua insistere possimus, deprehendo viam, ut hæc contrarietas concilietur, quam dicendo novæ hujus urbis originem tribui civitati Phœnicum capiti, nempe Sidoni, licet Tyrus antiqua novos civitati incolas præbuerit, eo quod Tyrii tunc essent Sidoniorum fœderati vel subditi.

Cæterum quamvis etiam fateremur, neque veterem, neque novam Tyri urbem temporibus Josue extitisse, non ideo tamen hoc nobis negotium facessere deberet; quandoquidem non illud probare sumus aggressi, Librum hunc, qualis modo præ manibus nostris versatur, a Josue omnino fuisse exaratum.

Interpretes nonnulli, ut quæstionum harum laqueos effugiant, ita in generico sensu Hebraicum textum transferunt [5]: *usque ad arcem rupis* Ionathan; *usque ad urbes arcium*, vel *usque ad urbes munitissimas*. At Septuaginta versionem, & Vulgatam, ubi legimus, *usque ad civitatem munitissimam Tyrum*, omnes fere amplectuntur.

ERUNT EXITUS EJUS IN MARE DE FUNICULO ACHZIBA.] Cognominem urbem superius sumus intuiti, Josue 15. 44. Hæc urbs est Ecdippa ad Mediterraneum Tyrum inter, & Ptolomaidem, a Ptolomaide vero novem passuum millibus sejuncta. Plinius l. 5. c. 19. Ptolomæus, & Iosephus lib. 1. de Bello c. 11. loquuntur de Ecdippa, quæ est ad Tyri meridiem posita. *Mare* istic, ut alibi passim, occidentem significat.

℣. 30. AMMA.] Videtur hic legendum esse *Acco*, quod verus est nomen Ptolomaidis. Septuaginta leguut

[1] Strabo l. 16. [2] Reg. 7. 11. [3] 2. Reg. 5. 1. & 1. Par. 14. 1. [4] Q. Curtius l. 4. 2. 2. Diodor. Sicul. l. 17. 40. [5] עד עיר מבצר צור

gunt *Akom*, vel *Arikob*. Mirum valde esset, sacrum A
Authorem minime loqui de Acco, quæ tunc erat celeberrima. Civitatum ordo, de quibus loquitur, postulat, ut hic *Acco* pro *Amma* ponatur. Hujus urbis nomen semel hic in Scriptura invenitur. Crederem autem, eam ad Syriam magis, quam alias civitates, de quibus hic sermo, accessisse. Salomon in Canticis Canticorum 4. 8. sponsam invitat, ut veniat *de Libano, de capite Amana, de vertice Sanir, & Hermon*. Amana significare potest montis Libani partem, prope quam conjicimus fuisse urbem Ammam, & forte etiam fluvium Abanam, de quo loquitur Naaman (4. Reg. cap. 5. 12.) Neque pigeat trans Antilibanum in Cælesyria quasdam hæreditatis Israel civitates perquirere; liquet enim antiquitus Chananæos omnia ea loca late possedisse, atque ibi B
Samaræos, Sinæos, & Aracæos habitasse. Israelitæ quidem illis nonnisi parumper, cum David, & Salomon imperarent, dominati sunt; non secus ac illis provinciis, quæ patent usque ad Euphratem; at non inde licet inferri, Provincias has nequaquam fuisse Israel promissas.

APHEC.] Hæc juxte quamlibet probabilitatis speciem est civitas *Apher* in Cælesyria ultre Antilibanum. *Aphec* cum *Rohob* conjungitur, quæ erat in Antilibano, vel ad montis hujus radices, secus viam quamdam, quæ in Cælesyriam ducebat. In libro Judicum 1. 31. narratur tribum Aser minime potuisse Chananæos de Aphec, & Rohob expellere. Denique in 1. Regum libro 20. 26. & 4. Reg. 13. 17. videmus in Aphec plerumque Reges Syriæ exer- C
citus suos cogere consuevisse, ut terra Israel ingrederentur. Profani loquuntur de *Aphaca* Heliopolim inter, & Biblum sita [1]. Prope hanc urbem in loco quodam remoto a monte Libano [2] templum erat, ubi Venus Aphacitis colebatur. Hæc autem esse creditur Dea, quam Macrobius l. 1. cap. 21. describit ubi nomine Veneris *Architis* in Assyria, vel in Syria potius, quæ parebat Phœniciis. Dea hæc *obnupto capite, facie tristi, faciem manu læva intra amictum sustinens* describebatur; e cujus oculis *lacryma visione conspicientium manare* credebantur.

CIVITATES VIGINTI DUÆ.] Si civitates omnes, quæ in præcedentibus quinque versiculis recensentur, enumeraveris, eas duodetriginta reperies, & etiamsi Carmel, & vallis Jectael fuerint ademptæ, sex, & D
viginti adhuc supererunt. Denique Tyro etiam, atque Sidone demptis, nihilominus numerum excedent. Huc revocanda esse videtur solutio, quam in caput 15. post ℣. 62. attulimus. Hæ recensiones haud usquequaque omnibus perfectæ numeris sunt; regionis termini dumtaxat memorantur, quin diligens omnium urbium index afferatur. Alibi aliæ quædam occurrunt, quæ istic minime extant, exempli ergo urbs *Abdon*, quæ fuit Levitis concessa. Denique hic nonnullæ referuntur, quæ quidem sunt in finibus Aser, non ita vero tribus ejusdem.

℣. 33. HELEPH.] Hæc urbs plane in finibus borealibus erat tribus Nephtali, e latere tribus Aser.

ET ELON IN SAANANIM.] Hebraice [3]. *Elon in Saananim*. Nulla, quæ hoc nomine appelletur, co- E
gnoscitur civitas; sed existimatur *Saananim* nomen fuisse populorum prope Libanum. Verti posset: *A amore, vel prato, quod est Saananim*, vel in regione *Zahanaaim*.

ADAMI, QUÆ EST NECEB.] Alii hebraicum textum vertunt [4], *Adami Nekeb*, vel *Adami foveæ*, vel *fossæ*, vel Adami perforata.

AZANOTH-THABOR.] Vel simpliciter *Azanoth*. Urbs erat in agro Diocæsareæ proximo, vel Sephori.

℣. 34. PERTRANSIT . . . . IN JUDA AD JORDANEM CONTRA ORTUM SOLIS.] Quinam tribus Nephtali tribum Juda e Jordanis latere attingere poterat, quandoquidem in ea plaga inter Juda, ac Nephtali, quinque tribuum sortes intererant, nempe Zabulon, Issachar, Manasse, Ephraim, & Beniamin? Difficillimum est aliquid afferre, cui acquiescas: hoc autem passim responderi solet, quod quidem præ ceteris firmius videtur. Tribubus Juda, & Nephtali Jordanes limes erat in plaga Orientali; flumen hoc eas quodammodo conjungebat, uniebatque, cum aquis suis utrique ultro, citroque liberum præberet transitum, quin finitimarum tribuum terræ essent tangendæ. Hoc pacto adimpletum est, quod prædixerat Moyses Deuter. 33. 23. futurum ut Nephtali *Mare, & Meridiem possideret*. Maris enim commoda percipere poterat, quoniam hæreditas illius ex uno latere Tiberiadis mare assequebatur, atque inde migrare poterat in regiones ad Palæstinæ meridiem positas, atque ex regionum illarum opibus utilitatem capere. Septuaginta nequaquam legerunt istic *Juda*, quapropter loci hujus difficultatem effugiunt. Habent autem [4]: *Jordanem ad ortum*.

℣. 35. CIVITATES MUNITISSIMÆ, ASSEDIM, SER, ET EMATH] Septuaginta legunt [5]: *civitates Tyriorum munitæ, Tyrus, & Emath*, vel *Amath*. Assedim, Ser, vel *Zer* situs ignoratur. Assedim forte, vel *Hacidim* nomen est populi. Quoad Emath conati sumus ostendere hanc fuisse Emesam Num. 13. 22. & 34. 8.

CENERETH.] Hic plane hujus nominis mare significatur; nam ad Josue 11. 2. post Sanctum Hieronymum adnotavimus urbem *Cenereth* esse Tiberiadem, quæ valde abest a tribu Nephtali in ora meridionali lacus, vel maris Cinneret, dum tribus Nephtali hoc mari minime alluebatur, nisi in opposita extremitate. Bonfrerius putat, urbem Cenereth esse *Capharnaum*, vel locum quempiam haud dissitum.

℣. 36. EDEMA, ARAMA, ASOR.] Verti posset, *Adama, Rama*, seu cacumen, & *Hasor*. Postreme hæc urbs caput erat regni Jabin, de quo locuti sumus Josue 11. 1. n.

℣. 37. CEDES.] Hæc vocatur Cedes Nephtali quibusdam in Scripturæ locis [6], ut ab aliis urbibus distinguatur, quæ eodem nomine aliis in tribubus appellantur. Hæc Levitis permissa est [7], atque in refugii urbem designata. S. Hieronymus ad viginti milliaria a Tyro illam statuit Paneadem versus.

EDREI.] Vidimus urbem Edrai trans Jordanem in regno Og [8]. Hæc toto cœlo erat diversa, sed illius situm nemo novit.

EN-HASOR.] Vel *fons Asor*. Hic plane Daphnidis est fons, qui in Semechonitidem lacum defluebat prope urbem Asor. Josephus l. 4. de Bello in init. hunc locum describit, veluti præ ceteris regionis illius deliciis affluentem, propter fontes, ac arbores, quæ ibi adsunt, ex quibus *Daphnidis fons* appellatus fuit, vel fons lauri, ad similitudinem fortasse cum amœnis suburbiis Daphnidis prope Antiochiam.

℣. 38. BETH-ANATH.] Vel domus paupertatis. Eusebius, & S. Hieronymus hanc esse autumant Bataneam urbem, quæ quindecim passuum millibus aberat e Cæsarea, ubi salubria aderant balnea. Authores hi quorsum hæc civitas esset, meridiemne versus, an boream prætereunt.

BETH-SAMES.] Videlicet domus Solis. Hæc alia esse creditur e Bethsames in tribu Juda.

CIVITATES DECEM, ET NOVEM.] In præcedentibus versiculis tres supra viginti enumerantur, e quibus quatuor, non adeo fortasse insignes erant. Ea con-

1 Zozim. l. 1. c. 58. 2 Euseb. Orat. de Laudib. Constant. 3 מאלון בצעננים.
4 אדמי הנקב. 4 70. In cod. Alex. Rom. & Aldino; Καὶ ὁ Ἰορδάνης ἀπὸ ἀνατολῶν ἡλίου.
5 ערי מבצר הצדים צר וחמת 70. αἱ πόλεις τειχήρεις τῶν Τυρίων, Τύρος, καὶ Ἀμαθ. Legerunt צורים pro צדים.
6 Josue 21. 32. & Judic. 4. 6. 7 Josue 21. 32. & 1. Par. 6. 76.
8 Num. 21. 33. Josue 12. 4. & 13. 12.

consule, quæ dicta sunt cap. 15. ℣. 62.

℣. 41. SARAA, ESTAOL.] De his civitatibus sermo fuit ad Iosue 16. 33.

HIRSEMES.] Vel civitas Solis. Nonnulli hanc eamdem putant, ac Bethsames, domum Solis, quæ plerumque tribui Iuda tribuitur. Patet tribus Iuda, & Dan limitrophas fuisse; earum civitates sæpius communes fuere, vel ab altera in tribum alteram migrarunt. Hæc eadem urbs Bethsames Levitis permissa fuit; ideoque simul erat tribuum & Iuda, & Dan, atque Levitarum.

℣. 42. SELEBIM.] Vel *Salebim*, videlicet, vulpes. Ex capite primo Libri Iudicum ℣. 35. liquet a Amorrhæus in hac urbe perstitisse, neque inde a Danitis potuisse exturbari.

AJALON.] Altera Ajalon agnoscitur ad duos mille passus a Nicopoli, vel Emmaus Ierusalem versus.

JETHELA, (43.) ELON.] Earum situs non novimus.

THEMNA.] Vel *Thamna*. De hac locuti sumus urbes Iudæ recensentes ad Iosue 15. 10.

ACRON.] Scilicet *Accaron* urbs Philistiim.

℣. 4. ELTHECE.] Elthecon. Hæc primum quidem tribui Iuda cessit Iosue 15. 59. deinde vero tribui Dan, & demum fuit Levitis in domicilium permissa Iosue 21. 23. Neque hoc absurdum videatur, poterat enim ab Israëlitis e tribus diversis tribubus frequentari.

GEBBETHON.] Vel *Jebbethon*, vel *Gabbathon*. Plures hujus nominis aderant civitates; hæc vero ea est plane, quam Eusebius, ac S. Hieronymus sexdecim milliariis e Cæsarea Palæstinæ dicunt abesse.

BALAATH.] Vel *Balaat*. Civitas aderat in Iuda nomine *Baala*, vel *Baler* Iosue 15. 24. altera etiam in tribu Simeon Iosue 19. 3. Salomon etiam cognominem civitatem communivit 3. Reg. 9. 18. At quis dixerit, quænam ex tribus illis hic innuatur; vel utrum tres illæ una tantum sit civitas?

℣. 45. JUD, BANE, BARACH.] Præstat reddere, Iehud filiorum *Barac*. Ubi Iehud esset, non constat; ostendebatur vero prope Azotum oppidulum nomine *Bareca*.

GETH-REMMON.] Hoc nomine urbs quædam in tribu Manasse appellatur Iosue 21. 25. At ea, de qua hic sermo, longius aberat. Masius, & Bonfrerius putant, hanc esse eamdem, ac Geth caput provinciæ cujusdam apud Philistiim. Alii duas hasce urbes distinguunt. Urbs Geth Philistiim semper Geth sine addito nuncupatur, at civitas *Geth Remmon*, semper addito *Remmon* invenitur. S. Hieronymus postremam hanc duodecim passuum millia ab Eleutheropoli statuit secus viam, quæ Diospolim tendit.

℣. 46. ME-JARCON.] Vel aquæ *Jarcon*, & *Arecon*; hi loci erant propius Ioppe.

℣. 47. ET IPSO FINE CONCLUDITUR.] Hebraice [1]: *Et limites Dan ab illis egressi sunt*. Danitæ limites suos protulerunt, ultra quam in rerum divisione illis præscriptum fuisset. Egressi sunt de regione sua, ut alienas terras inquirerent; hoc est, velut prooemium historiæ, quam est narraturus. Reddi quoque potest: *Limites Dan eos deseruerunt*, eos dereliquerunt, pleræque urbes hæreditatis eorum ab iis defecerunt, contra eosdem conversæ. Cum Philistiim, & Chananæi, qui iis in locis incolebant, post mortem Iosue, imperatam pecuniam denegarent illis; tribus hæc, cum intra limites suos contineri non posset (nam arcta nimis erat regio) coacta fuit, ut alias sibi terras compararet. Aliter fines Dan egrediebantur de his civitatibus, de iis locis, de quibus sermo fuit, per omnia hæc loca transibant.

ASCENDERUNT FILII DAN, ET PUGNAVERUNT CONTRA LESEM.] Civitas *Lesem*, cui *Dan* nomen accessit post factum illud, quod hic refertur, ad radices montis Libani erat posita, quatuor circiter passuum millibus a Paneade, atque Iordanis origine Tyrum versus [2]. Iosephus ait illam dici unius iter a magno Sidonis agro abfuisse. Non igitur Dan eadem erat ac Paneas, vel Cæsarea Philippi. Ex hac urbe ad Bersabee longitudo Palæstinæ desumebatur. Quare fit, ut crebro in Scripturis occurrat: *Omnes populus congregatus est a Dan usque ad Bersabee*.

Historiam, quæ hic strictim legitur, fusius expositam in Iudicum libro 18. 1. intuebimur; ubi velut in naturali loco refertur. Ibi vero ad examen vocabimus difficultates, quæ circa hoc facinus occurrunt.

Septuaginte longe [3] absunt a textu Hebraico in ℣. 46. 47. 48. Ita porro legunt ℣. 46. *E latere maris, Jeracon limes est propius Joppe*. (47.) *Hæc est hæreditas tribus filiorum Dan juxta varios ipsorum populos, urbes, & oppida. Et filii Dan nequaquam deleverunt Amorrhæos, qui eiiciebant illos in montibus, neque patiebantur in agros descendere*; (48.) *& Danitæ hæreditatem suam diruerunt* [4], vel vastaverunt hæreditatem suam, quam illis ademptam usurpavere Amorrhæi, *& filii Dan processerunt, ut oppugnarent Lachis*, (vel Lesem) *ceperunt eam, & percusserunt eam in ore gladii; & possederunt eam, & vocaverunt Lasen-Dan; & Amorrhæi persisterunt habitare in Elem, & Salamin: & manus Ephraim aggravata est super eos, atque hi vectigales illius facti sunt*. (49.) *Et Israëlitæ non destiterunt ingredi limites divisionis suæ*.

VOCANTES NOMEN EJUS LESEM-DAN.] Hebraice [5]: *imposuerunt nomen Dan urbi Lesem*.

℣. 49. DEDERUNT POSSESSIONEM IOSUE.] Iosue novissime pars tribuitur, cum jam universo populo sortes divisæ fuissent. Elegit autem ille sibi civitatem in medio fratrum suorum, at locum maxime sterilem regionis illius in montibus Ephraim. Non utitur ille neque Principis populi dignitate, neque meritis, neque Dei facultate, qui præceperat, ut habita fidei constantis ipsius ratione, quam maxime optaret, illi tribueretur possessio. Se hæc omnia floccifacere, nec ulla cupiditate teneri ostendis, adeo ut non satis umquam illum admireris. In imperio illud unum obtinuit, quod gravissimum erat, ac maxime incommodum; atque in id unum adnisus est, ut Dei sui faceret imperata, ac de populo sibi credito perquam optime mereretur. Qua in re egregia profecto Iesu Christi figura fuit, qui suæ voluntatis electione maluit rebus perquam necessariis deficere, iisque tantum uti, quæ providentia terræ animantibus, & cœli volucribus minime denegat; qui denique Patris obedientia, ac populi sui charitate eo usque adactus fuit, ut vitam suam, & sanguinem pro ipso effusissime impenderet. Scriptura ait, *juxta præceptum Domini* peculiarem Iosue traditam fuisse hæreditatem. Deus autem suam prodidit voluntatem, plane per os Summi Sacerdotis Eleazari.

℣. 50. THAMNAT-SARAA IN MONTE EPHRAIM.] vel *Thamnat-Sare* [6], vel *Thamnat-Cheres*, sicut Hebraice in Iudicum libro appellatur [7]. Infra liquet montem, ubi Thamnat-Sare condita erat, *Gaas* nuncupatum fuisse [8]: & urbem ad montis hujus borealem plagam fuisse positam.

ÆDIFICAVIT CIVITATEM.] Ibi quædam aderant ædes, antequam eo se reciperet; sed locum illum instauravit, atque velut de integro conditoris honorem promeruit.

C A-

---

1 ויצא גבול בני דן מהם. 2 Eufeb. & Hieron. in Iosue, & Origen. homil 24. & Nobilium hic. 3 70. Edit. Rom. Vide & August. quæst. 20. 4 ἐξέθλιψαν ἐπ᾽ αὐτῶν τὸ ὅριον τῆς μερίδος αὐτῶν. 5 ויקראו לשם דן ἐκάλεσαν τὸ ὄνομα τοῦ λεσεν Δαν. 6 תמנת סרח. 7 Judic. 2. 9. תמנת חרס transposita littera, *Cheres*, *Serech*, vel *Sarch*. 8 Iosue 24. 30. Judic. 2. 9.

CAPUT XX.

Sex Refugii civitates pro illis constitutæ, qui præter voluntatem homicidium patrarint. Quinam illuc possint confugere, quibusnam conditionibus, & quamdiu ibi possint immorari.

1. ET locutus est Dominus ad Josue, dicens: Loquere filiis Israel, & dic eis: 2
Separate urbes fugitivorum, de quibus locutus sum ad vos per manum Moysi;
3 Ut confugiat ad eas quicumque animam percusserit nescius: & possit evadere
iram proximi, qui ultor est sanguinis: 4 Cum ad unam harum confugerit civitatum,
stabit ante portam civitatis, & loquetur senioribus urbis illius ea, quæ se comprobent
innocentem: sicque suscipient eum, & dabunt ei locum ad habitandum. 5 Cumque
ultor sanguinis eum fuerit persecutus, non tradent in manu ejus: quia ignorans percus-
sit proximum ejus, nec ante biduum, triduumve ejus probatur inimicus. 6 Et habi-
tabit in civitate illa, donec stet ante judicium causam reddens facti sui, & moriatur sa-
cerdos magnus, qui fuerit in illo tempore: tunc revertetur homicida, & ingredietur
civitatem, & domum suam, de qua fugerat. 7 Decreveruntque Cedes in Galilæa mon-
tis Nephtali, & Sichem in monte Ephraim, & Cariatharbe, ipsa est Hebron in monte
Juda. 8 Et trans Jordanem contra orientalem plagam Jericho, statuerunt Bosor, quæ
sita est in campestri solitudine, de tribu Ruben, & Ramoth in Galaad de tribu Gad, &
Gaulon in Basan de tribu Manasse. 9 Hæ civitates constitutæ sunt in cunctis filiis Is-
rael, & advenis, qui habitabant inter eos; ut fugeret ad eas, qui animam nescius per-
cussisset, & non moreretur in manu proximi, effusum sanguinem vindicare cupientis,
donec staret ante populum expositurus causam suam.

℣. 2. SEPARATE URBES FUGITIVORUM.] Hebraice [1]: *Date civitates receptionis*, ubi illi recipiantur, qui debent asylum quærere. Quoad Hebræorum, aliorumque populorum asyla satis, superque fuse disseruimus in Commentariis in librum Num. c. 35. 6.

℣. 3. UT POSSIT EVADERE IRAM PROXIMI, QUI ULTOR EST SANGUINIS.] Vel ultor mortis. Septuaginta [2]: *illius, qui consanguinitatis jure veluti obstrictus est, ut sanguinem proximi sui ulciscatur*. Hebraice ad litteram [3]: *redemptor sanguinis*. Hoc idem vocabulum Levit. 25. 25. usurpatur ad illum e consanguineis denotandum, cui jus est redimendi hæreditatem a fratre alienatam, vel fratrem ipsum, quem pauperies in servitutem impulisset: *Si attenuatus frater tuus vendiderit possessiunculam suam, & voluerit propinquus ejus, potest redimere*. Vide & ℣. 48. 49. Perinde ac apud Judæos in jure civili, ac populi opinione injuriarum, ac fraterni sanguinis effusi ultio habita fuisset, veluti debiti cujusdam species, quamquam lege Divina explicite ultio interdicta sit, eaque penitus veræ justitiæ adversetur, quæ jubet, Deo omnem ulciscendi curam deferri; atque nos parcere, non secus ac nobis parci desideramus. Hæ sententiæ, etiam si illas in Hebræis velles supponere, non te deberent tamen admiratione percellere; nam populos etiam, qui Christianam veritatem profitentur, intuemur, apud quos quibusdam in circumstantiis ultio falso cujusdam obligationis fuco oblita commendatur.

At patet, ultionem, de qua hic sermo, non privato jure propter illatas injurias a quopiam sumi fas esse; sed legum jure a Judicibus esse exposcendum, ut in proximi interfectorem animadvertant, quod A quidem aliquando æquitatis, ac religionis debitum esse potest, atque non sine crimine solum, verum cum merito potest exerceri, cum Justitiæ, ac Divini honoris zelo rapimur, & proximi charitate.

Occurrunt utique in Scripturis locutiones quædam, quæ probare videntur, Hebræos, eosque sanctissimos viros veluti munus maximum Deo acceptum retulisse ultionem, quam ille de ipsorum hostibus sumeret. *Lætabitur justus*, inquit regius Psaltes Psalm. 57. 11. *cum viderit vindictam, manus suas lavabit in sanguine peccatoris*. Et Psalm. 17. 48. *Commendabo te Deus, qui das vindictas mihi, & subdis populos sub me*. Et Hieremias 11. 20. & 20. 12. *Videam ultionem tuam ex eis* (scilicet inimicis) *tibi enim revelavi causam* justitiæ meæ. Quot autem invectivæ, at- B que imprecationes leguntur in Psalmis adversus hostes populi Dei; vel etiam adversus inimicos David? Quonam pacto Esther, & Judæi [4] ulti sunt de Aman, atque aliis adversariis suis? Liquetne sanctissimos viros sibi religioni vertisse, ne impensius de hostibus suis ulciscerentur?

Verum quoties alibi ultio, & inimicorum odium, ac propter illatas injurias animi ægritudo in Scripturis damnatur? Quoties testatur, Deo ultionem esse relinquendam? neque de novo testamento loquor, patet enim ibi præcipi tantum patientiam, clementiam, ac veniam contumeliarum. In veteri autem testamento, quot præclara patientiæ, ac mansuetudinis extant exempla? & quam aperte ultio, quæ etiam æquior videri possit, arguitur? Quo enim C animi mœrore horrorem suum Jacob testatur ob facinus filiorum suorum Levi, & Simeon, qui illatum sorori suæ dedecus adversus Sichimitas persecuti fuere? Quot licet clementiæ exempla ex Joseph, Moyse,

1 תנו לכם את ערי המקלט. Δότε ὑμῖν τὰς πόλεις τῶν φυγαδευτηρίων. 2 ὑπὸ τοῦ ἀγχιστεύοντος τὸ αἷμα.
3 בגאל הדם. 4 Esther 8, 9.

ſit, atque David percipere? hic ipſe, quem in pſalmis divino correptum zelo, veluti ira ſuccenſum videri volunt, nonne dixit Deo Pſalm. 7. 5. *Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis. Perſequatur inimicus animam meam, & comprehendat, & conculcet in terra vitam meam, & gloriam meam in pulverem deducat.* Scripturæ ſententiis, atque locutionibus refertæ ſunt, ex quibus licet cognoſcere, quam ab ea vindicta justi abhorrerent, quàm privatus quiſpiam expoſceret. Igitur ſi alia quædam oſtendimus exempla, vel alias loquendi rationes, in meliorem ſenſum explicandæ ſunt, cum certum ſit, quod ſi Lex concedit aliquid propter duritiem cordis Iudæorum, ipſa tamen ultionem palam abominatur, veluti voluntati Creatoris oppoſitam.

℣. 4. STABIT ANTE PORTAM CIVITATIS,] Ante Iudices, ac Seniores civitatis prope portam congregatos, qui ſommatim de illius innocentia cognoſcent, ex illius expoſitione; atque intellecta cauſa, propter quam ſe illuc confugiſſe fatebitur, illum in aſylum ad tempus excipient, donec actor, ſeu *ſanguinis ultor* ad illum accuſandum acceſſerit, atque probandum, illatam necem neque caſui, neque imprudentiæ eſſe tribuendam. Tunc vero ii ſervabantur ritus, de quibus ſupra in libro Numerorum locuti ſumus.

LOQVETVR EA, QVÆ SE COMPROBENT INNOCENTEM.] Hebraice ad litteram [1]: *proferet ſermones ſuos*, vel rationes. Factum enarrabit, & quo pacto cædes contigerit. Cum aſylum pro innocuis tantummodo ſit conſtitutum, æquum eſt cavere, ne eo noxii perfruantur.

℣. 5. NEC ANTE BIDVVM, TRIDVVMVE EJVS PROBATVR INIMICVS.] Locutio hæc vulgo ad litteram explicatur, ac dicitur, ut probaretur duorum hominum inimicitia, ſatis fuiſſe, ſi oſtenderetur poſt triduum in gratiam reverti noluiſſe. At verba hæc adagium ſapere mihi videntur, ac eſſe moraliter de non mediocri adeo temporis intervallo explicanda; atque tunc exiſtimandum eſſe inimicos, cum mutua amicitiæ, & gratiæ ſigna minime ediderint, poſtquam inter eos ſimultas irrepſerit, ſeu multum, ſeu breve interceſſerit temporis intervallum: e contra vero fortuito, ac temere cædem accidiſſe, cum qui eam patrarit, nullo odio occiſum proſecutus fuiſſe putaretur.

℣. 6. DONEC STET ANTE JVDICIVM CAVSAM REDDENS FACTI SVI.] His in caſibus interfector in eam urbem deducebatur, ubi nex fuerat peracta; ut non paucis Interpretibus placet. Alii contendunt, quæſtionem hanc in urbe Refugii haberi conſueviſſe. Utriuſque hujus ſententiæ argumenta ad examen vocata fuerunt Num. 35. 12.

A ET MORIATVR SACERDOS MAGNVS.] Decreti hujus rationes in Numerorum libro agnoſci poſſunt cap. 35. 25.

℣. 7. DECREVERVNTQVE CEDES &c.] Hebraicus textus [2]: *Sanctificaverunt Cedes*, eam ab aliarum civitatum numero, delectu, ac deſtinatione peculiari ſecreverunt. Chald. [3] *præceperunt*, conſtituerunt, diſpoſuerunt. Septuaginta [4] *ſeparaverunt*, diviſerunt.

CADES.] Vel *Cedes* Galilææ, & *Hebron* erant veluti in duabus regionis extremitatibus poſitæ. Altera in Galilæa, ac in tribu Iuda altera; utraque vero in regione montana. Sichem erat media, vel ferme media inter duas has urbes in tribu Ephraim.

B ℣. 8. BOSOR.] Erat in meridionali plaga Iſraeliticæ poſſeſſionis trans Iordanem in agris, qui ſunt e conſpectu Iericho Deuter. 4. 43.

RAMOTH DE GALAAD.] Erat ferme ad mediam regionis ejuſdem longitudinem, prope origines Iabok, & prope medium montium Galaad.

GAVLON.] Erat caput regionis eximiæ, cui nomen Gaulonitis in terra Baſan, verſus auſtralem extremitatem hæreditatis Manaſſe.

℣. 9. CVNCTIS FILIIS ISRAEL, ET ADVENIS.] Moyſes idem in Numerorum libro 35. 15. explicite enarrat; quamobrem legis hujus litteræ adhæremus, atque exceptiones rejicimus, quas Rabbini pro Hebræis adverſus advenas afferunt. Has neque Ioſephus, nec Philo admiſere. Leges hæ rempublicam tantum

C ſpectabant, non ita vero Religionem, atque illis perfrui licebat, quicumque eam regionem incolerent. Has quidem politiæ æquitas poſtulabat. Iuriſprudentiæ civilis, & criminalis inſtituta communia eſſe debebant, & generalia, niſi illis Divina Lex derogaret. Hic vero tantum abeſt, ut derogetur, quin immo palam tum pro advenis, cum pro indigenis latam fuiſſe, oſtendatur.

DONEC STARET ANTE POPVLVM.] Videlicet ante Iudices, & Seniores, & coram populo in cætum coacto, veluti in publicis, maximiſque negotiis uſuvenit. Haud abs re puto hic adnotare [5], Scripturam cum loquitur de illis, qui ante Iudices accedebant, ſemper innuere poſituram eorum, dicendo reum coram aſſidentibus Iudicibus ſtare; ſcilicet, in pedes

D erectum conſiſtere: *Sedit Moyſes, ut judicaret populum, & populus ſtabat coram ipſo a mane uſque ad veſperam.* Latini eadem loquendi ratione utebantur, ut ſignificarent ante Iudices prodire. Horatius lib. 1. Satyr. 9

Diſperream ſi
Aut valeo ſtare, aut novi civilia jura.

1 וידבר את דבריו. 2 ויקדשו את קדש. 3 וזמנו. 4 70. καὶ διέστειλαν.
5 Vide Druſ. hic ad ℣. 6.

CAPUT XXI.

Octo & quadraginta civitates Levitis in domicilium aſſignantur. Quæ Deus Iſraelitis pollicitus fuerat, complentur.

1. ACceſſeruntque principes familiarum Levi ad Eleazarum ſacerdotem, & Joſue filium Nun, & ad duces cognationum per ſingulas tribus filiorum Iſrael: 2 Locutique ſunt ad eos in Silo terræ Chanaan, atque dixerunt: Dominus præcepit per manum Moyſi, ut darentur nobis urbes ad habitandum, & ſuburbana earum ad alenda jumenta. 3 Dederuntque filii Iſrael de poſſeſſionibus ſuis juxta imperium Domi-

ni, ci-

ni, civitates, & suburbana earum. 4 Egressaque est sors in familiam Caath filiorum
Aaron sacerdotis, de tribubus Juda, & Simeon, & Beniamin, civitates tredecim: 5
Et reliquis filiorum Caath, id est, Levitis, qui supcrfuerant, de tribubus Ephraim, &
Dan, & dimidia tribu Manasse, civitates decem. 6 Porro filiis Gerson egressa est sors,
ut acciperent de tribubus Issachar, & Aser, & Nephtali, dimidiaque tribu Manasse in
Basan, civitates numero tredecim. 7 Et filiis Merari per cognationes suas, de tribu-
bus Ruben, & Gad, & Zabulon, urbes duodecim. 8 Dederuntque filii Israel Levitis
civitates, & suburbana earum, sicut præcepit Dominus per manum Moysi, singulis sor-
te tribuentes. 9 De tribubus filiorum Juda, & Simeon dedit Josue civitates: quarum
ista sunt nomina, 10 Filiis Aaron per familias Caath Levitici generis (prima enim sors
illis egressa est) 11 Cariatharbe patris Enac, quæ vocatur Hebron, in monte Juda,
& suburbana ejus per circuitum. 12 Agros vero, & villas ejus dederat Caleb filio Je-
phone ad possidendum. 13 Dedit ergo filiis Aaron sacerdotis Hebron confugii civita-
tem, ac suburbana ejus, & Lobnam cum suburbanis ejus. 14 Et Jether, & Esthemo,
15 Et Holon, & Tabir, 16 Et Ain, & Jeta, & Bethsames, cum suburbanis suis:
civitates novem de tribubus, ut dictum est, duabus. 17 De tribu autem filiorum Be-
niamin, Gabaon, & Gabae. 18 Et Anathoth, & Almon, cum suburbanis suis: civi-
tates quatuor. 19 Omnes simul civitates filiorum Aaron sacerdotis, tredecim, cum sub-
urbanis suis. 20 Reliquis vero per familias filiorum Caath Levitici generis, hæc est
data possessio. 21 De tribu Ephraim urbes confugii, Sichem cum suburbanis suis in
monte Ephraim, & Gazer, 22 Et Cibsaim, & Beth horon, cum suburbanis suis, ci-
vitates quatuor. 23 De tribu quoque Dan, Eltheco, & Gabathon, 24 Et Ajalon,
& Gethremmon, cum suburbanis suis, civitates quatuor. 25 Porro de dimidia tribu
Manasse, Thanac, & Gethremmon, cum suburbanis suis, civitates duæ. 26 Omnes
civitates decem, & suburbana earum, datæ sunt filiis Caath inferioris gradus. 27 Fi-
liis quoque Gerson Levitici generis dedit de dimidia tribu Manasse confugii civitates,
Gaulon in Basan, & Bosram, cum suburbanis suis, civitates duas. 28 Porro de tribu
Issachar, Cesion, & Dabereth, 29 Et Jaramoth, & Engannim, cum suburbanis suis,
civitates quatuor. 30 De tribu autem Aser, Masal, & Abdon, 31 Et Helchat, &
Rohob, cum suburbanis suis, civitates quatuor. 32 De tribu quoque Nephtali civi-
tates confugii, Cades in Galilæa, & Hammoth Dor, & Carthan, cum suburbanis suis
civitates tres. 33 Omnes urbes familiarum Gerson, tredecim, cum suburbanis suis.
34 Filiis autem Merari Levitis inferioris gradus per familias suas data est de tribu Za-
bulon, Jecnam, & Cartha, 35 Et damna, & Naalol, civitates quatuor cum suburba-
nis suis. 36 De tribu Ruben ultra Jordanem contra Jericho civitates refugii, Bosor in
solitudine, Misor, & Jaser, & Jethson, & Mephaath, civitates quatuor cum suburba-
nis suis. 37 De tribu Gad civitates confugii, Ramoth in Galaad, & Manaim, & He-
sebon, & Jazer, civitates quatuor cum suburbanis suis, 38 Omnes urbes filiorum Me-
rari per familias, & cognationes suas, duodecim. 39 Itaque civitates universæ Levi-
tarum in medio possessionis filiorum Israel fuerunt quadraginta octo 40 Cum suburba-
nis suis, singulæ per familias distributæ. 41 Deditque Dominus Deus Israeli omnem
terram, quam traditurum se patribus eorum juraverat: & possederunt illam, atque ha-
bitaverunt in ea. 42 Dataque est ab eo pax in omnes per circuitum nationes, nullus-
que eis hostis resistere ausus est, sed cuncti in eorum ditionem redacti sunt. 43 Ne
unum quidem verbum, quod illis præstiturum se esse promiserat, irritum fuit, sed re-
bus expleta sunt omnia,

℣. 1. ACCESSERUNT PRINCIPES FAMILIARUM LEVI AD ELEAZARUM.] Tribus Levi in tres majores familias erat divisa, quæ tres Levi filios jactabant authores, scilicet *Caath*, *Gerson*, *& Merari*. Aaron, qui erat e familia Caath, quartam familiam constituit, quæ prærogativis, ac gloria præ aliis excelluit propter Sacerdotium quod illi adhæsit. *Capita filiorum Levi*, hoc est primores, principes illius familiæ; Hebraice ad litteram [1], *Capita Patrum Levi*. Venerunt igitur nationis Principes qui congregati erant, ut terras in tribus dividerent, atque optimum factu dixerunt, si antequam generalis cœtus solveretur, & qualibet tribus hæreditatis suæ possessionem adiret, sibi in domicilium urbes assignarentur: quandoquidem in generali terrarum divisione nullam fuerat tribus Levi hæreditatem sortita. Credi potest, hos Principes Levi octo fuisse, vel duodecim, binos in singu-
las

1 ראשי אבות הלוים. 70. ἀρχιπατριῶται τῶν υἱῶν Λευί,

las quatuor familias ad id electos fuisse censendo. Nam quamvis Eleazarus Summus Sacerdos esset in cœtu, atque eidem, quemadmodum apparet, præesset, cum plerumque ante Josue nominetur, nullum dubium est, quin Sacerdotes nomine proprio, ac privatim ex ipsorum numero quosdam cum aliquibus Levitis legasse, ut, quæ illis Dei verbis promissa fuerant, exposcerent.

℣. 2. DOMINUS PRÆCEPIT . . . . UT DARENTUR NOBIS URBES AD HABITANDUM.] Ordo, quo hic loquuntur, videri potest in libro Numerorum 35. 2. Deus voluit Sacerdotes, ac Levitas in omnes tribus divisos esse, veluti viros, qui ad ipsum maxime spectarent propter characterem, ac nexum peculiarem, ut in officio haberent, atque in legum, edictorumque divinorum observantia alios Israelitas, qui illorum oblivisci, eaque negligere poterant, continerent. Levitæ in Israel Judices erant, ac Præceptores, ad quos, cum aliqua occurreret difficultas, possent confugere, eosque consulere, ut verum Legum sensum perciperent. Vide 1. Par. 26. 29 *Ad opera forinsecus super Israel ad docendum, & judicandum eos.*

℣. 3. DEDERUNT FILII ISRAEL DE POSSESSIONIBUS SUIS . . . CIVITATES, ET SUBURBANA EARUM.] Ad duo cubitorum millia, uti Numer. 35. 4. ostendimus. Capita nationis duo & quadraginta in omnibus tribubus civitates elegerunt, ut eas Levitis permitterent; quas in quatuor partes divisas, quatuor tribus Levi familiæ sortitæ sunt: Deus vero effecit, ut familia Caath, in qua Sacerdotium erat, tribum Juda in hæreditatem sortiretur, ubi deinde Templum Domini ædificatum est.

Quæritur hic, quonam pacto Levitæ traditas sibi urbes possiderent; utrum in ipsis absolute dominarentur, an vero earum fructu dumtaxat perfruerentur; utrum proprietas esset penes tribus, quibus erant urbes ademptæ, an ita Levitarum essent propriæ, ut nemo præterea illic posset immorari, nisi per eos licuisset? Respondetur: primo, has urbes, cum semel Levitis permissæ fuerint, Domini factas fuisse; hic fundus omnis proprietatis jure spectabat ad famulos ipsius, ita tamen ut eas in perpetuum alienare nequaquam possent, sed ad tempus dumtaxat: domus, quæ in urbibus erant, venumdari poterant; eo jure tamen, ut in perpetuum redimi possent; quæ nisi redimebantur, iterum Jubilæi anno ad Levitas redibant. At agri, qui ad duo cubitorum millia extra urbem circumquaque patebant, cum omnibus Levitis illius civitatis communes essent, lege cautum erat, ne umquam venderentur, Levit. 25. 32. *Ædes Levitarum, quæ in urbibus sunt, semper possunt redimi. 34. Suburbana autem earum non veneant, quia possessio sempiterna est.*

Secundo, hæc decreta palam ostendunt, Levitas non simpliciter usufructuarios fuisse, sed veros earum rerum, quæ illis concessæ fuerant, possessores. Eadem quoque innuunt, ipsos nequaquam solos in civitatibus suis permansisse; namque cuinam domos vendere potuissent, si nemo cum illis esset immoratus? Quinam Sacerdotes e stirpe Aaron, qui sex, vel septem annis ante hanc divisionem in Jordaniæ transitu quatuor & viginti circiter solum erant armis ferendis, tresdecim has urbes, quæ illis ℣. 4. assignantur, occupare potuissent? Nonne ex historia innotescit, Levitarum urbes omnes fere aliarum tribuum Israelitis repletas fuisse? Gabaa Beniamin, exempli gratia, quæ hic ℣. 17. Levitis permittitur, Beniamitis proculdubio frequens erat, uti liquet ex eo, quod accidit Levitæ illi, quo nocte quadam in ea urbe discumbente uxori illius indignam prorsus turpitudinem illatam scimus Judic. 19. quamobrem reliquæ omnes tribus Israel uni Beniamin tribui bellum indixere, quin neque Sacerdotum, neque Levitarum mentio fiat, quorum profecto nulla pars fuit in eo scelere, vel pauci adeo in ea urbe erant, ut illorum nulla ratio haberetur.

Deinde vero, nonne Saul, atque omnes illius consanguineos in eadem urbe Gabaa habitasse innotescit? David, atque Aulici illius nonne permanserunt in Hebron primis annis, quibus ille regnare cœpit? Et Moyses nonne palam ait, Levitas nequaquam solos morari debere in civitatibus suis, cum illis duo cubitorum millia dumtaxat circum ipsorum urbes assignat? Reliquum solum a quonam excoleretur, nisi ab illis, qui cum iisdem permanerent, atque a colonis, qui in agris habitarent? Quomodo nam Lex, qua imperatur, ut primitiæ subacti panis [1] Levitis deferantur, & aliquid ex bestiis, quæ necantur, & munera, quæ ipsis tribui jubet, & convivia, ad quæ vocari præcipit, posset observari? Exempli gratia, cum ait: *Cum veneritis in terram, quam dabo vobis, & comederitis de panibus regionis illius, separabitis primitias Domino de cibis vestris: Anno tertio separabis aliam decimam ex omnibus, quæ nascuntur tibi eo tempore, & repones intra januas tuas: Et Levites, qui intra portas tuas est, cave, ne derelinquas eum, quia non habet aliam partem in possessione tua; Et epulaberis coram Domino Deo tuo, tu filius tuus, & filia tua, servus tuus, & ancilla tua, & Levites, qui est intra portas tuas, advena, & pupillus, & vidua, qui morantur vobiscum: in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus, ut habitet nomen ejus ibi.*

Assignato igitur hoc urbium numero Levitis, videtur illis traditum tantummodo fuisse jus eligendi in locis iisdem tot ædes, quot occupare poterant; in reliquis vero domibus viros ex ea tribu incoluisse, in cujus hæreditate urbs esset posita. Sin autem deinceps Sacerdotum, Levitarumque numerus augebatur, ita ut aliis domibus indigerent, credi potest, a Magistratibus alias ædes illis permissas fuisse, juxta quasdam politiæ regulas, quæ describi nequaquam possunt. Verumtamen etiam si certus illis urbium numerus definitus erat, minime ipsis facultas adimebatur in aliis urbibus commorandi, ubi illis e re magis videretur. Exempli gratia, Nobe haud erat civitas Sacerdotalis ex primævo instituto, at deinceps effecta est, cum illuc translatum fuit Tabernaculum [2]; ac neminem fugit, postquam Templum ædificatum est, plerosque Sacerdotes in Jerusalem, finitimisque locis habitasse. Id præviderat Moyses Deuter. 18. 6. cum dixit, Levitem, si domum suam reliquerit, ut illuc accedat, ubi Domini erit Tabernaculum, ibi æque ac fratres suos Domino famulaturum, ac cum ipsis escam eamdem accepturum, excepto eo, quod in urbe sua ex paterna ei successione deberetur.

℣. 4. CIVITATES TREDECIM.] Tres tribus Juda, Simeon, & Beniamin plures Levitis civitates impertiuntur, aliarum habitatione, quam ceteræ tribus, juxta illud, quod præceperat Moyses Num. 35. 8. *Ab his, qui plus habent, plures auferentur: & qui minus, pauciores: singuli juxta mensuram hæreditatis suæ dabunt oppida Levitis.*

℣. 5. RELIQUIS FILIORUM CAATH, IDEST LEVITIS, QUI SUPERFUERANT.] Hebraice simpliciter legimus [3] *e aliis filiis Caath*: Iis ex hac familia, qui Levitæ erant dumtaxat; nam illius familiæ partem fuisse diximus Sacerdotali munere decoratam. Hæc autem erat posteritas Aaron, cui tresdecim urbes assignatæ fuerunt, quamquam in hac longe pauciores essent, quam alii Caathitæ fratres eorum, quibus decem tantum

1 Num. 15. 19. 20. *Cum veneritis in terram, quam dabo vobis, & comederitis de panibus regionis illius, separabitis primitias Domino de cibis vestris &c.* Vide & Deuter. 12. 12. 19. *Cave, ne derelinquas Levitem in omni tempore, quo versaris in terra.* Item Deuter. 14. 27. 28. 29. & 16. 11. & 26. 11. 2 Vide 1. Reg. 21. 5.

3 ולבני קהת הנותרים.

tum oppida fuerant permissa. *Hæc omnia invisibilis Dei manus secundum consilia sua sortes dirigendo est operata.

℣. 8. SINGULIS SORTES TRIBUENTES.] Nescio utrum in sorte Levitis tribuenda habita ratio fuerit eorum, qui quacumque in familia versabantur, ut augeretur, vel imminueretur hæreditas, quod factum fuisse videtur in aliarum tribuum sortibus dividendis; an quatuor æqualibus partibus constitutis, sors educta sit, initio a Sacerdotum familia ducto, ut quæ pars singulis familiis esset cessura, intelligeretur. Nullam ad hæc solvenda viam Textus ostendit.

℣. 11. CARIATH-ARBE PATRIS ENAC.] Vel potius, *urbe Arbee, qui erat pater Enach*. De urbe hac & Arbee illius conditore supra locuti sumus Iosue 14. 15.

℣. 12. AGROS, ET VILLAS DEDERAT CALEB.] Hebron civitate Levitis tradita, & aliquot agris circum, nequaquam ademptum fuit Caleb dominium agrorum, vicorumque, qui ad urbem spectabant; neque obfuit, quominus Caleb cum familia sua in Hebron una cum Sacerdotibus immoraretur; sed ab illius hæreditate sejunctæ fuerunt simpliciter ex domus, ubi Levitæ incolebant.

℣. 14. ESTEMO.] Vide Josue 15. 50. & 1. Reg. 30. 28.

℣. 15. HOLON.] Vel *Helon*, vel *Olon*; Hæc est proxima Gosen, & Gilo [1], quæ maxime australes sunt in tribu Juda. Præcisus illius situs nos fugit.

℣. 16. AIN, ET JETA.] Prior esse debebat in parte maxime meridionali Iuda, novem passuum millibus procul ab Hebron [2]. Urbs Ain minime erat in 1. Paralipomenon *6. 59.* qui locus huic respondet. *Jeta* eadem videtur ac *Asan*, quæ in loco Paralipomenon citato memoratur. De Ieta sententiam nostram attulimus supra cap. 15. 13. Septuaginta legunt: *Asa*, & *Tany*.

℣. 17. GABAON.] Vide Iosue *9. 3.* Hæc in citato Paral. loco non invenitur.

GABAE.] Hæc est *Gabaa Beniamin*, aliter *Gabaa Saul* prope Ierusalem.

℣. 18. ANATHOTH.] Propter Ieremiæ incunabula celeberrima, tria passuum millia ab Ierusalem abest in Boream, uti refert S. Hieronymus in Præfat. in Ierem.

ALMON.] In 1. Paralipomenon *6. 60.* *Almath* vocatur. Masius ait, hanc esse eamdem ac *Bahurim* [3]; quoniam *Almath* adolescentiam significat, *Bahurim* vero adolescentes.

℣. 19. OMNES CIVITATES TREDECIM.] In 1. Paralipomenon *6. 60.* hæc eadem leguntur verba, quamvis undecim civitatum nomina dumtaxat legantur. Magna animadverti potest similium varietatum vis inter nomina, ac recensiones urbium Leviticarum hujus capitis; non secus ac plerasque offendimus supra tribuum civitates enumerando, cujus rei eædem hue quoque afferri possunt rationes, quas illic memoravimus [4]. Iudæi quidam Doctores apud Masium inde hæc varia nomina orta fuisse dicunt, quod cum quædam ex urbibus, quæ Levitis assignatæ sunt, in Chananæorum essent ditione, aliæ ipsis tribui debuerunt, quorum nomina in Paralipomenis extant. Ego autem dicere mallem harum urbium nonnullas duplici fuisse nomine appellatas; vel Librariis hæc describentibus errores quosdam excidisse.

℣. 21. DE TRIBU EPHRAIM, URBES CONFUGII SICHEM.] Author Vulgatæ credidisse videtur civitates omnes, quæ Levitis cesserunt, urbes refugii fuisse; nam ubique plurali numero reddit [5], *urbes refugii*; qua in sententia non unus ille versatur, ut ostendimus ad Numer. 35. 6. Sed hebraica lectio [6], Septuaginta [7], & Chaldaica in singulari simpliciter habent: dedit Levitis de tribu Ephraim, *urbem Sichem, quæ pro interfectoribus erat civitas refugii*; atque vulgatior Interpretum sententia, Scripturæ textui innixa, sex tantum refugii, vel asyli urbes fuisse testatur.

℣. 22. CISBAIM.] Hæc in 1. Paralipomenon *6. 68.* *Jemaan* vocatur; certus illius situs minime agnoscitur; ex 3. Reg. libro 4. 12. solum patet, eam non procul abfuisse ab *Abel-Meula*; quæ, cum posita esset in tribu Manasse, credendum est, Cisbaim fuisse prope limites tribus ejusdem: atque cum istic, ac in Paralipomenis inter civitates Ephraim constituatur, verisimile est eam ibi fuisse.

BETH-HORON.] Scriptura non innuit, utrum hæc inferior esset Beth-horon, an superior; liquet enim duplicem fuisse. Nos autem cum plerisque Interpretum de superiori Beth-horon hic sermonem esse arbitramur. Paralipomenon liber primus cap. *6. 69.* addit urbes *Helon*, & *Geth-Remmon*, quas sub nomine tribus Dan hic invenimus: vocantur etiam *Ajalon*, & *Beth-Remmon*.

℣. 23. DE TRIBU DAN, ELTHECO, ET GABATHON.] Versiculus hic in Paralipomenis prætermittitur; unde fit, ut ex tribu Ephraim *Helon*, & *Geth-Remmon* meminerint. Quoad urbem *Eltheco*, vel *Elteon*, vel *Elteer* ad Josue 15. 59. & 19. 44. locuti sumus. Gabathon, vel Gebbethon, vel Gabbata diu in Philistiim ditione permansit 3. Reg. 15. 27.

℣. 24. AJALON, ET GETH-REMMON.] Vide Iosue 10. 12. & 19. 42. & 45. Urbs est Geth-Remmon in dimidia tribu Manasse, uti ex ℣. sequenti innotescit.

℣. 25. THANAC.] Vel *Thenac* ad torrentem Cisson: hæc posita erat tribus, vel quatuor leucis ad torrentis hujus meridiem, Josue 18. 11. In 1. Paralipomenon *6. 70.* pro *Geth-Remmon*, & *Thenac* ex dimidia tribu Manasse, legitur *Aner*, & *Balaam*.

℣. 27. GAULON IN BASAN, ET BOSRAM.] Hæ duæ civitates sunt in dimidia tribu Manasse trans Jordanem. Pro *Bosra* in 1. Paralipomenon *6. 71.* legimus *Astaroth*. Civitas Bosra in Idumæa nequaquam alia est a Bosra in tribu Ruben; verum de orientali Idumæa est intelligendum.

℣. 28. CESION, ET DABERETH.] In 1. Par. *6. 72.* *Cedes*, & *Dabereth*.

℣. 29. JARAMOTH, EN-GANNIM.] Aliter *Ramot*, & *Anem* 1. Par. *6. 73.* Vide Josue 19. 21. ubi Jaramoth appellatur *Rames*.

℣. 30. MASAL, ABDON.] Prior fuisse dicitur [8] prope Carmelum in ora maritima. Abdon concessa fuit Levitis e familia Gerson. Vide 1. Paralipomen. *6. 74.*

℣. 31. HELCATH, ROHOB.] In 1. Paralipomen. *6. 75.* *Hucus*, *Rohob*. *Hucuca* in tribu Nephtali, vel in finibus illius nota est, Josue 19. 34. De Rohob sermo fuit Iosue 19. 28.

℣. 32. HAMMOTH-DOR, CARTHAN.] In 1. Par. *6. 76.* legimus: *Hammon*, & *Cariath-aim*. *Hamon* civitatem novimus in finibus, vel in tribu Aser. Nequaquam impossibile est, hanc eamdem esse civitatem, quæ istic tribuitur Nephtali. Hæc porro minime est Chamon; vide Judic. 10. 5. *Cariath-aim* in tribu Ruben satis insignis est; at nullam cognovimus, quæ hoc nomine appelletur in tribu Nephtali civitatem; quoad Carthan vero situs illius ignoratur.

℣. 34. JECNAM, ET CARTHA, (℣. 35.) ET DAMNA, ET NAALOL.] Paralipomenon liber primus c. *6. 77.* duas tantum urbes memorat, *Remmono*, & *Thabor*. Prior profecto eadem est, ac Remmon in tribu Zabulon, de qua loquitur Iosue 19. 13. & Thabor eadem fortasse est ac *Casteleth Thabor* in tribu eadem. Iecnam autem *Jeconam* vocatur Iosue 19. 11. & Cartha

1 Josue 15. 51. 2 Hieron. in locis. 3 2. Reg. 3. 6. 4 Vide ad Josue 15. 62.
5 Vide vers. 27. 32. 36. 37. 6 ויתנו להם את עיר מקלט הרצח. 7 καὶ ἔδωκαν αὐτοῖς τὴν πόλιν τὸ φυγαδευτήριον τὸ τοῦ φονεύσαντος. 8 Vide Josue 19. 26.

tis dedisse tantum agri, quantum ipsorum commoditati sufficeret; neque omnes uno ictu Chananæos delere voluisse, ne incultum superesset solum, atque feræ nimis augerentur, quemadmodum Dominus Moysi prædixerat Exod 23. 29. Israelitarum munus erat Chananæorum reliquias, vel subjicere, vel exterminare; Deus ad id ipsis opem, præsidiumque spoponderat, nisi se illis indignos præberent. Illis vero in omne scelerum, ac impietatis genus provolutis, si Deus opem ferre denegavit, de se ipsis, non autem de Deo est conquerendum.

℣. 43. NULLUS EIS HOSTIUM RESISTERE AUSUS EST.] Donec Iosue vixit, illique Domino fideles fuerunt, nemo eos valuit superare: Chananæi neque ausi sunt illos armis lacessere, neque eorum impetum sustinere. Quod alibi [t] in Scriptura dicitur, Hebræos clausos fuisse a Chananæis, neque illis permisisse hæreditatis suæ possessionem adire, de eo tempore est intelligendum, quod Iosue mortem est subsecutum. Si, dum ille inter vivos degeret, possessionem terræ sibi traditæ nequaquam adepti sunt, id ipsorum inertiæ est tribuendum, qui omnes vires exercere noluerunt. Etiam primo libri Iudicum capite 27. 28. 29. 30. 31. ubi per anacephalæosin, quidquid singulæ tribus adversus Chananæos essent passæ, repetitur, Israelitis vitio vertitur, eos nequaquam exterminasse, atque illic diutius immorari sustulisse. Denique inde probatur, Israelitas haud clausos fuisse in hæreditatibus suis, quod capite sequenti Phinees aliarum tribuum nomine eis Iordanem incolentium trans flumen illud immorantes invitat, si velint sedem in eam regionem traducere, quam ipsis Iosue diviserat: *Si putatis*, inquit Iosue 22. 19. *immundam esse terram possessionis vestræ, transite ad terram, in qua Tabernaculum Domini est, & habitate inter nos.*

t Judic. 1. 34. *Arctavitque Amorrhæus filios Dan in monte, nec dedit eis locum ut ad planitiem descenderent.*

CAPUT XXII.

Tribus Ruben, Gad, & dimidia Manasse in possessiones suas trans Jordanem revertuntur; atque in fluminis ripa extruunt Monumentum. Tribuum Principes legantur ad eos hoc de facto arguendos: illi vero de suspicione, quæ adversus ipsos irrepserat, se se excusant.

1. EOdem tempore vocavit Josue Rubenitas, & Gaditas, & dimidiam tribum Ma-
nasse, 2 Dixitque ad eos: Fecistis omnia, quæ præcepit vobis Moyses famu-
lus Domini: mihi quoque in omnibus obedistis, 3 Nec reliquistis fratres ve-
stros longo tempore, usque in præsentem diem, custodientes imperium Domini Dei ve-
stri. 4 Quia igitur dedit Dominus Deus vester fratribus vestris quietem, & pacem;
sicut pollicitus est: revertimini, & ite in tabernacula vestra, & in terram possessionis,
quam tradidit vobis Moyses famulus Domini trans Jordanem: 5 Ita dumtaxat, ut cu-
stodiatis attente, & opere compleatis mandatum, & legem, quam præcepit vobis Moy-
ses famulus Domini, ut diligatis Dominum Deum vestrum, & ambuletis in omnibus viis
ejus, & observetis mandata illius, adhæreatisque ei, ac serviatis in omni anima vestra.
6 Benedixitque eis Josue, & dimisit eos. Qui reversi sunt in tabernacula sua. 7 Di-
midiæ autem tribui Manasse possessionem Moyses dederat in Basan: & idcirco mediæ,
quæ superfuit, dedit Josue sortem inter cæteros fratres suos trans Jordanem ad Occi-
dentalem plagam. Cumque dimitteret eos in tabernacula sua, & benedixisset eis, 8
Dixit ad eos: In multa substantia, atque divitiis revertimini ad sedes vestras, cum ar-
gento, & auro, ære, ac ferro, & veste multiplici: dividite prædam hostium cum fra-
tribus vestris. 9 Reversique sunt, & abierunt filii Ruben, & filii Gad, & dimidia
tribus Manasse a filiis Israel de Silo, quæ sita est in Chanaan, ut intrarent Galaad Ter-
ram possessionis suæ, quam obtinuerant juxta imperium Domini in manu Moysi. 10 Cum-
que venissent ad tumulos Jordanis in Terram Chanaan, ædificaverunt juxta Jordanem
altare infinitæ magnitudinis. 11 Quod cum audissent filii Israel, & ad eos certi nun-
tii detulissent, ædificasse filios Ruben, & Gad, & dimidiæ tribus Manasse altare in Ter-
ra Chanaan, super Jordanis tumulos, contra filios Israel: 12 Convenerunt omnes in
Silo, ut ascenderent, & dimicarent contra eos. 13 Et interim miserunt ad illos in
Terram Galaad Phinees filium Eleazari sacerdotis, 14 Et decem principes cum eo,
singulos de singulis tribubus. 15 Qui venerunt ad filios Ruben, & Gad, & dimidiæ
tribus Manasse, in terram Galaad, dixeruntque ad eos: 16 Hæc mandat omnis popu-
lus Domini. Quæ est ista transgressio? Cur reliquistis Dominum Deum Israel ædifican-
tes altare sacrilegum, & a cultu illius recedentes? 17 An parum vobis est, quod pec-

castis in Beelphegor, & usque in præsentem diem macula hujus sceleris in vobis per-
manet? multique de populo corruerunt. 18 Et vos hodie reliquistis Dominum, &
cras in universum Israel ira ejus desæviet. 19 Quod si putatis immundam esse terram
possessionis vestræ, transite ad Terram, in qua tabernaculum Domini est, & habitate
inter nos: tantum, ut a Domino, & a nostro consortio non recedatis, ædificato altari
præter altare Domini Dei nostri. 20 Nonne Achan filius Zare præteriit mandatum
Domini, & super omnem populum Israel ira ejus incubuit? Et ille erat unus homo,
atque utinam solus periisset in scelere suo. 21 Responderuntque filii Ruben, & Gad,
& dimidia tribus Manasse, principibus legationis Israel: 22 Fortissimus Deus Domi-
nus, ipse novit, & Israel simul intelliget: si prævaricationis animo hoc altare constru-
ximus, non custodiat nos, sed puniat nos in præsenti: 23 Et si ea mente fecimus, ut
holocausta, & sacrificium, & pacificas victimas super eo imponeremus, ipse quærat,
& judicet: 24 Et non ea magis cogitatione, atque tractatu, ut diceremus: Cras di-
cent filii vestri filiis nostris: quid vobis, & Domino Deo Israel? 25 Terminum posuit
Dominus inter nos, & vos, o filii Ruben, & filii Gad, Jordanem fluvium: & idcirco
partem non habetis in Domino. Et per hanc occasionem avertent filii vestri filios no-
stros a timore Domini. Putavimus itaque melius, 26 Et diximus: Extruamus nobis
altare, non in holocausta, neque ad victimas offerendas, 27 Sed in testimonium inter
nos, & vos, & sobolem nostram, vestramque progeniem, ut serviamus Domino, &
juris nostri sit offerre & holocausta, & victimas, & pacificas hostias: & nequaquam di-
cant cras filii vestri filiis nostris: Non est vobis pars in Domino. 28 Quod si volue-
rint dicere, respondebunt eis: Ecce altare Domini, quod fecerunt patres nostri, non
in holocausta, neque sacrificium, sed in testimonium nostrum, ac vestrum. 29 Absit
a nobis hoc scelus, ut recedamus a Domino, & ejus vestigia relinquamus, extructo al-
tari ad holocausta, & sacrificia, & victimas offerendas, præter altare Domini Dei nostri,
quod extructum est ante Tabernaculum ejus. 30 Quibus auditis Phinees sacerdos, &
principes legationis Israel, qui erant cum eo, placati sunt, & verba filiorum Ruben,
& Gad, & dimidiæ tribus Manasse, libentissime susceperunt. 31 Dixitque Phinees fi-
lius Eleazari sacerdos ad eos: Nunc scimus, quod nobiscum sit Dominus, quoniam a-
lieni estis a prævaricatione hac, & liberastis filios Israel de manu Domini. 32 Rever-
susque est cum principibus a filiis Ruben, & Gad, de Terra Galaad, finium Chanaan ad
filios Israel, & retulit eis. 33 Placuit sermo cunctis audientibus. Et laudaverunt Deum
filii Israel, & nequaquam ultra dixerunt, ut ascenderent contra eos, atque pugnarent,
& delerent Terram possessionis eorum. 34 Vocaveruntque filii Ruben, & filii Gad,
altare, quod extruxerant, Testimonium nostrum, quod Dominus ipse sit Deus.

℣. 1. EODEM TEMPORE:] Cum dedisset populus Levitis urbes ad habitandum, & antequam cœtus dissolveretur, atque e castris Silo discederet, septimo, vel octavo ab transitu Iordanis anno. Hoc temporis spatio quadraginta hominum millia ex tribus tribubus trans Iordanem positis, in terra Chanaan permansere; ni forte per hyemen in regiones suas dilapsa fuerint, cum castra in Galgalis posita ab illis Iordane tantum dividerentur.

℣. 4. DEDIT DOMINUS FRATRIBUS VESTRIS QUIETEM, & PACEM.] Verti posset: *Dedit illis sedem stabilem, ac tutam*. Ad litteram [1]; *posuit illos in requie*; quiescere eos fecit post tot itinera, erroresque deserti. Textus de pace non loquitur. Sæpius dicitur *requiem dare* pro statam, tranquillam, tutamque sedem præbere. *Facies mea præcedet te*, dixit Dominus Moysi Exod. 33. 14. *& requiem dabo sibi*: Et Moyses ipse tribubus Gad, Ruben, & Manasse locutus ait Deuter. 52. 20. *Expediti præcedite fratres vestros. . . . . donec requiem tribuat Dominus fratribus vestris, sicut vobis tribuit*. Noemi nuribus suis dicebat Ruth. 1. 9. *Det vobis Dominus invenire requiem in domibus virorum, quos sortituræ estis*. David cum Domino domum ædificandi consi-

A lium iniisset, ita alloquitur Deum Psal. 131. 5. 8. *Surge Domine in requiem tuam*: hactenus enim arca posita fuerat in dubia incertaque sede; sed tunc dixit Deus: *Hæc requies mea in sæculum sæculi, hic habitabo quoniam elegi eam*.

℣. 6. BENEDIXIT EIS.] Omne illis felicitatum genus, ac benedictionum precatus est; vel commendavit eos, totius nationis nomine ob operam, quam fratribus suis præstiterant, gratias egit; vel denique eos in æstimationis, grati animi, ac benevolentiæ signum muneribus cumulavit. *Benedicere* in omnibus his sensibus usurpatur.

REVERSI SUNT IN TABERNACULA SUA,] In sedes suas, domos suas [2], civitates suas [3]. Hebræi crebro Tabernaculi nomine utuntur, ad domos, vel
B ædificia maxime solida significanda; vidimus supra ipsos quoque Templum aliquando hoc nomine appellasse. Hæc vulgata erat loquendi ratio, *Israel reversus est in tabernacula sua*, ad innuendum singulos in domos suas fuisse dilapsos. Plurimorum annorum intervallo in Tabernaculis vixerant; atque inde semper apud illos invaluit consuetudo hac voce ædes suas denotandi.

℣. 8. IN MULTA SUBSTANTIA, ATQUE DIVITIIS, ... CUM ARGENTO, & AURO &c.] Hebraice [4]: *In*

1 הניח לאחיכם 2 אל אהליהם. 70. εἰς τοὺς οἴκους αὐτῶν. 3 Chald. Syr. 4 בנכסים רבים. ובמקנה רב מאד בכסף ובזהב 70. ἐν χρήμασι πολλοῖς . . . . καὶ κτήνεσι πολλοῖς σφόδρα, καὶ ἀργύριον καὶ χρυσίον.

In multis divitiis; pecoribus, argento, auro &c. Ita quidem Septuaginta, Chaldæus, ac notæ melioris Interpretes sentiunt.

DIVIDITE PRÆDAM HOSTIUM CUM FRATRIBUS VESTRIS.] Hoc consilinmne est, an præceptum? Creditnt præceptum esse [1], atque eos teneri non solum vi eornm, quæ Iosue dicit illis, verum etiam vi consuetudinia, quæ vim habebat legis; atque ut Dei mandato parerent, quod in bello adversus Madianitas edixerat Num. 31. 27. *Divides ex æquo prædam inter eos, qui pugnaverunt, egressique sunt ad bellum, & inter omnem reliquam multitudinem.* Verum qulnam divisio hæc facta fuit? Alii volunt, bifariam inæqualiter omnia divisa fuisse, quæcumque fuissent adepti, atque meliorem partem illis fuisse traditam, qui dimicaverant, alteram vero illia, qui in regione permanserant, eamque dum fratres abessent ab hostinm impetu fuerant tutati; quo ipsi jure distributionem hanc merebantor. Minus subjere illis tribuitur, qui minus diserimen, plus vero illis, qui majotiin perieulo versati fnnt. Textus præcipit solum, ut *dividatur* præda, non ita vero ut æqualiter dividatur. Prætetea etiamsi bifariam ex æquo facta fuisset divisio, magna tamen inæqualitas interfuisset, ea singillatim subdividendo; namque quadraginta aderant bellatotum millia, at qui trans Iordanem remanserant, septnaginta millia fuisse dicuntur. At reor prædam bifariem æqualiter divisam fuisse, tum pro illis, qui in regionis præsidium resliterant, eum pro illis, qui dimicaverant; quod ipsum in Israel uiqoequaque fieri consuevit. David, cum Amalecitas persecutus fuisset, præcepit, ut æqualiter illi, qui fuerar præliatus, tribueretur, ac ili, qni in castris ad impedimenta remanserat. 1. Reg. 30. 24. *Æqua pars erit descendentis ad prælium, & remanentis ad sarcinas, & similiter divident.*

Grotius hunc locum libere magis explicat: *feliciter abite ad fratres vestros cum præda, quam retulistis.* Eauvias dividere simpliciter sæpe pro eas adipisci dicitur. Dicebat Pharao Exod. 15. 9. *Persequar, & comprehendam, dividam spolia.* Iacob confert Beniamin lupo rapaci Genes. 49. 27. *mane prædam comedenti, vespere dividenti spolia.* Quædam ex Sisaræ uxotibna dicebat socrui suæ Iudic. 5. 31. *Forsitan nunc dividit spolia.* At mihi persuasum est, has locutiones e veteri consuetudine militibus prædæ æqualiter dividendæ [2], tum iia, qui in castris præsidii loco permanserant, cum iis, qui cum hoste conflixerant, fuisse profectam; ac proinde sententiam nostram non infirmant, sed confirmant etiam, & probanr.

℣. 9. UT INTRARENT GALAAD TERRAM POSSESSIONIS SUÆ.] Ponitur hic terra Galaad pro Israelitarnm trans Iordanem regione; quemadmodum alibi Amorrhæi pro Chananæis, & *Ephraim* pro decem tribubus nsurpantur.

℣. 10. CUMQUE VENISSENT AD TUMULOS IORDANIS IN TERRA CHANAAN, ÆDIFICAVERUNT JUXTA IORDANEM ALTARE INFINITÆ MAGNITUDINIS.] Textus hic perspicuus satis videtur ad probandum, altare de quo hic sermo fuisse positum in Iordanis ripa occidentali. Verba hæc, *in terra Chanaan*, hanc naturaliter sententiam insinuant: attamen credidit Josephus Antiqu. l. 5. c. 1. altare hoc extructum fuisse in ulteriori fluminis ripa, quod in Chronicis suis Hebræi eredidisse videntnr [3]. Fatendum quidem est hic aliquot locutiones adesse, quæ postolare videntnr, Textum in eo senso esse accipiendum: nam sequenti versiculo nontium adfertur Israelitis eitra flumen incolentibns [4], *tribus Ruben, Gad, & dimidiam Manasse tribum altare ædificasse e conspectu terræ Chanaan supra Jordanis tumulos contra filios Israel.* Re quidem vera nonne consonnm erat, quod

A hæ tribus altare in solo suo ædificarent, ac in ea ripa, quæ ad ipsos spectabat, ut filii sui hoc monumentum inenerentur, ac servarent; atque inde occasionem atriperent quærendi, eut fuisset extructum? Quoad vero ℣. 10. dicitur, Altare positum fuisse in terra Chanaan, intelligi potest de regione trans Jordanem, quæ nonnumqnam vocatur etiam terra Chanaan, quemadmodum Vatablus hic ad ℣. 14. animadvertit, nam antiqnitus ibi Amorrhæi e genere Chanaan immorabantur. Dici quoque potest hæc verba in terra Chanaan ad Iordanem hoc pacto referri: *Cumque venissent ad tumulos*, fines, limites, [5] *Iordanis, qui est in terra Chanaan.*

ALTARE INFINITÆ MAGNITUDINIS.] Hebraice [6], *magnitudinis videndæ*, miræ, non mediocris. Terræ, vel lapidnm cumulus illis par, quos Hercules, B Bacchus, Semiramis, Cyrus, Alexander Magnus, aliique subinde extroxerunt, ut rerum præclare gestarum, itinerumque suorum perenne relinquerent monumentum. Plinius l. 6. c. 16. 17. & Philostr. l. 2. Vitæ Apollonii ad finem.

℣. 12. UT ASCENDERENT, ET DIMICARENT CONTRA EOS;] Juxta præceptum Domini, qui dixerat Deuter. 13. 12. *Si audieris in una urbium tuarum . . . . dicentes aliquos: Egressi sunt filii Belial de medio tui, & averterunt habitatores urbis suæ, atque dixerunt, serviamus Diis alienis, quos ignoratis: quære solicite, & diligenter rei veritate perspecta, si inveneris certum esse, quod dicitur, & abominationem hanc opere perpetratam; statim percuties habitatores illius in* C *ore gladii, &c.*

℣. 14. DECEM PRINCIPES CUM EO, SINGULOS DE SINGULIS TRIBUBUS.] Hebraice [7]: *Decem Principes cum eo, singuli per domum patris in omnibus Tribubus Israel; & eorum singuli capita erant Domus Patrum in millibus Israel.* Videlicet, legati omnes erant capita præcipuarum familiarum in tribubus, non autem tribuum Principes, sed capita aliquarum præcipuarum urbium in Israel; nam hoc nomen *mille Israel*, dicitur nonnumqoam [8] de insignibus tribuum civitatibus: verum ego mallem intelligere capita maximarum familiarum; Kimchi, & alii quidam de capitibus hominum mille explicant.

℣. 17. AN PARUM VOBIS EST QUOD PECCASTIS IN BEELPHEGOR?] Phinees hic memorat flagitia in D Beelphegor patrata [9], & inferius paullo scelus Achan, veluti postrema, quæ Deum adversus Israel irritaverant. Crimen Beelphegor trans Iordanem peractum fuerar, atque in regionibus, ubi tribus, quas alloquebatur, incolebant. Hæ tribus populornm adhue erant finitimæ, qui hoc Idolum venerabantur [10]; Phinees ea in re præ cæteris zelum suum maxime probaverat, quamobrem factum hoc præ aliis eligit ad excitandas tribus, ut se se colligerent, ac Divinæ indignationis vererentur effectus: in eo enim maximum pondus erat, & peculiaris authoritas, ut ipsos hac de re coargueret.

USQUE IN PRÆSENTEM DIEM MACULA HUJUS SCELERIS IN NOBIS PERMANET.] Macula ex eo suscepta facinore nondum deleta est; vix scelus illud ex- E piatum est, eom in alind vultis proruere: idololatriæ illius adhoc experimur effectos, & ne ulterius desæviant, verendum est. Scriptura Psal. 105. 30. refert, Phinees tunc Dei iram placasse: *& stetit Phinees, & placavit*; at metuebat, ne Israelitarum ingratitudo, vel recentia scelera veterum memoriam refricarent, ac majora mererentur supplicia. Deus acrius in eos animadvertere consuevit, qui rursus in scelera ruerent.

Hebraicus textus hunc in sensum transferri potest [11]; *Nonne satis superque nobis fuit crimen Phegor, ut illud expiare nolimus usque in præsentem diem?*

1 Tirin. Serar. Cornel. Bonfier. Mas. 2 Vide Iliad. A. & Odyss. 1. 3 Judæl in Sederfolam apud Serar. 4 אל מול ארץ כנען אל גלילות הירדן אל עבר בני ישראל 5 אל גלילות. Vide Josue 13. 2. 6 מזבח גדול למראה 7 עשרה נשאים עמו נשיא אחד נשיא אחד לבית אב לכל מטות ישראל ואיש ראש בית אבותם לאלפי ישראל 8 Vide Zachar. 5. 2. 9 Numer. 25. 3. 10 Judic. 7. 1. & seq. 11 המעט לנו את עון פעור אשר לא הטהרנו ממנו עד היום

Nonne satis est scelus illud patrasse, absque eo quod in eo perseverare velitis usque in hodiernam diem? Videtur Phinees hæc illis implicite exprobrare velle: Quandoquidem altare extruxistis, ac aliam seorsim Religionem instituere cupitis, numen hoc Beelphegor est plane numen illud, quod antiquitus ea in regione, ubi estis, colitur, quodque vos colere decrevistis. Num ignoratis, quanti steterit Israel impia Dei hujus adoratio? nonne igitur vobis animus esset advertendus, ut scelus illud expiaretis, potiusquam de integro iram Domini impietate vestra provocaretis?

℣. 19. SI PUTATIS IMMUNDAM ESSE TERRAM HABITATIONIS VESTRÆ;] Eo quod fœderis, ac promissionis Domini limitibus minime contineatur; vel quod nequaquam adsit vobis pignus præsentiæ Domini B in arca sua, fluvium traducite, atque inter nos habitare. Legentes hunc sermonem Phinees fieri non potest, quin vim, atque authoritatem admiremur, zelum ipsius constantem, ferventem, atque ab omni utilitatis cogitatione alienum celebremus, quo rapitur ad fratres suos adhortandos, ut malint potius terras suas derelinquere, ac citra Jordanem cum aliis Israelitis possessionem partiri, quam vel minimum quidem a Domini cultu, & Religione dimoveri. Hic licet intueri, quanta veneratione Hebræi veterat terram patribus suis promissam prosequerentur. Reliquæ omnes regiones ab ipsis profanæ habebantur; atque una erat terra Israel, ubi Deus adorari volebat. Hæ autem ideæ ad exteros quoque migrarunt, ut liquet ex exemplo Naaman Syri, C qui binos hac terra mulos onerat, eamdem in Syriam delaturus.

℣. 20. ILLE ERAT UNUS HOMO, ATQUE UTINAM SOLUS PERIISSET IN SCELERE SUO.] Si crimen Achan, qui singularis erat vir, cujus facinoris nullus præterea particeps fuerat, Dei iram in universum Israel promeruit; quidnam a scelere vestro timendum est, quod publicum est adeo, ac generale? Hic textus est hujus loci ad litteram [1]: *Erat ille unus homo, neque expiravit in crimine suo*; vel cum interrogatione; *& quamquam unus tantum erat homo, nonne propter scelus suum expiravit?* Nonne morte occubuit, ut illud expiaret? Quo igitur potiori jure supplicia quæque sævissima vobis timenda sunt; si omnes generatim derelinquitis Deum? Septuaginta [2]: D *Unus erat, at non unus mortuus est in crimine suo*; vel, *Unus erat, verum unus ne mortuus est propter crimen suum?* Chaldaica: *At unus hic homo nequaquam mortuus est in crimine suo.*

℣. 22. FORTISSIMUS DEUS DOMINUS.] Hebraicus textus [3] tria Dei nomina ponit: *El*, *Elohim*, *Jehovah*, quæ verti possunt, *Deus Dominorum Deus*; vel *Deus, Dominus Angelorum*; vel *Deus Deorum*, A vel cum Vulgata, *Fortissimus Deus, Dominus Deus*. Septuaginta [4]; *Deus, Deus est Dominus*.

℣. 23. UT HOLOCAUSTA, ET SACRIFICIUM, ET PACIFICAS VICTIMAS &c.] Verti potest [5]; *Holocausta, oblationes* farinæ, tritici, liquorem, *& pacificas victimas*.

℣. 24. QUID VOBIS EST DOMINO DEO ISRAEL?] Hoc idem est, ac illud, quod infra ℣. 27. *Non est vobis pars in Domino!* vos nequaquam estis populus illius; vos minime ad illum spectatis; nulla pars est vestra ad fœdus, atque Religionem illius; nullum jus vestrum ad illius cultum, Sacrificia, & hæreditatem. Hebræi semper electionis suæ privilegium jactitare consueverunt; & quamquam inconstantes erant in Religione patrum suorum, in ipsis tamen B dignoscitur affectata cupiditas, qua haberi volunt distinctus populus, & peculiariter a Deo electus, desiderabant. Fratres eorum præ cæteris hanc ipsorum ambitionem, & hac in re jactantiam agnoverunt; quare eas, quas hic intuemur, præcautiones adhibuerunt, ut quidquid mali consequi posset, effugarent.

℣. 31. NUNC SCIMUS, QUOD NOBISCUM SIT DOMINUS.] Speramus, Dominum haud nobis defuturum, quandoquidem vobis certum est ipsius Religionem fideliter sectari; vel, certa nobis est protectio, ac præsentia Domini, quandoquidem eadem omnes in sententia persistimus, neque permisit Deus, ut ab illius cultu secederetis.

LIBERASTIS FILIOS ISRAEL DE MANU DOMINI.] C Vos nequaquam crimen istud patrastis, quod Domini iram adversus Israel promeruisset; atque hoc pacto fideles Domini voluntati adhærentes populum vestrum de hac calamitate eruistis.

℣. 32. DE TERRA GALAAD, FINIUM CHANAAN, AD FILIOS ISRAEL:] *De terra Galaad, ad regionem Chanaan*, vel quæ est regio Chanaan, *ad filios Israel*. Hebraicus textus æquivocum adimit [6]: *reversi sunt de terra Galaad in terram Chanaan ad filios Israel*.

℣. 34. TESTIMONIUM NOSTRUM, QUOD DOMINUS IPSE SIT DEUS.] Hebraicus textus nonnihil vitiosus videtur [7]: *appellarunt altare, quod testimonium sit inter nos, quod Dominus est Deus*. Dicendum videtur cum versione Chaldaica: *Vocarunt altare testimonium, quoniam testimonium est inter nos, quod Dominus* D *est Deus noster*. Septuaginta [8]: *Dederunt nomen altari, & dixerunt, sic hoc testimonium inter eos, quod Dominus est Deus eorum*. Masius mallet reddi: *Fecerunt in ara inscriptionem, qua innuebatur, altare hoc utrorumque fore testimonium, quod ipsi Domino adhærent*. Hebraica vox *Kara* significat aliquando scribere, unde fluit *Mikra*, scriptura, Hebraice, & *Alcoranum*, quod Arabice idem significat.

---

1 והוא איש אחד לא גוע בעונו S. Hier. legit *utinam* לו pro לא *non*. 2 Καὶ οὗτος εἷς μόνος, μὴ οὗτος μόνος ἀπέθανεν ἐν τῇ ἁμαρτίᾳ αὐτοῦ. 3 אל אלהים יהוה 4 ὁ Θεὸς ὁ Θεὸς Κύριός ἐστι. 5 להעלות עליו עלה ומנחה ועזבים לעשות עליו זבחי שלמים 6 מארץ הגלעד אל ארץ כנען אל בני ישראל 7 ויקראו למזבח כי עד הוא בינותינו כי יהוה האלהים 8 ἐπωνόμασεν τὸν βωμὸν, καὶ εἶπαν ὅτι μαρτύριόν ἐστιν ἀνὰ μέσον αὐτῶν, ὅτι Κύριος αὐτὸς ὁ Θεὸς αὐτῶν ἐστι. Edit. Rom. ἐπωνόμασεν Ἰησοῦς τὸν βωμόν.

CAPUT XXIII.

Concilium Populi, Seniorum, Principum, Capitum, ac Magistratuum Israel; in quo Josue jam senior factus, illos adhortatur, ut fideles Domino semper esse persistant, ac præcipue ne fœdus cum exteris nationibus feriant, eos ad gratitudinem excitans illis commemorando beneficia, quæ a Domino acceperant, ac protectionem, quam illis pollicitus est Deus, donec fideles fuerint, & illius iræ minas, ac summarum calamitatum, si fœdus perfregerint.

1\. EVoluto autem multo tempore, postquam pacem dederat Dominus Israeli, subjectis in gyro nationibus universis, & Iosue jam longævo, & persenilis ætatis:
2 Vocavit Josue omnem Israelem, majoresque natu, & principes, ac duces, & ma-

& magiſtros, dixitque ad eos: Ego ſenui, & progreſſioris ætatis ſum: 3 Voſque cer-
nitis omnia, quæ fecerit Dominus Deus veſter cunctis per circuitum nationibus, quomo-
do pro vobis ipſe pugnaverit: 4 Et nunc quia vobis ſorte diviſit omnem Terram, ab
Orientali parte Jordanis uſque ad mare magnum, multæque adhuc ſuperſunt nationes.
5 Dominus Deus veſter diſperdet eas, & auferet a facie veſtra, & poſſidebitis terram,
ſicut vobis pollicitus eſt. 6 Tantum confortamini, & eſtote ſoliciti, ut cuſtodiatis
cuncta, quæ ſcripta ſunt in volumine legis Moyſi:, & non declinetis ab eis neque ad dex-
teram, neque ad ſiniſtram: 7 Ne poſtquam intraveritis ad Gentes, quæ inter vos fu-
turæ ſunt, juretis in nomine deorum earum, & ſerviatis eis, & adoretis illos: 8 Sed
adhæreatis Domino Deo veſtro; quod feciſtis uſque in diem hanc. 9 Et tunc auferet
Dominus Deus in conſpectu veſtro gentes magnas, & robuſtiſſimas, & nullus vobis re-
ſiſtere poterit. 10 Unus e vobis perſequetur hoſtium mille viros: quia Dominus Deus
veſter pro vobis ipſe pugnabit, ſicut pollicitus eſt. 11 Hoc tantum diligentiſſime præ-
cavete, ut diligatis Dominum Deum veſtrum. 12 Quod ſi volueritis gentium harum,
quæ inter vos habitant, erroribus adhærere, & eum eis miſcere connubia, atque amici-
tias copulare: 13 Jam nunc ſcitote, quod Dominus Deus veſter non eas deleat ante
faciem veſtram, ſed ſint vobis in foveam, ac laqueum, & offendiculum ex latere veſtro,
& ſudes in oculis veſtris, donec vos auferat, atque diſperdat de Terra hac optima,
quam tradidit vobis. 14 En ego hodie ingredior viam univerſæ terræ, & toto animo
cognoſcetis, quod de omnibus verbis, quæ ſe Dominus præſtiturum vobis eſſe polli-
citus eſt, unum non prætererit ineaſſum. 15 Sicut ergo implevit opere, quod promi-
ſit, & proſpera cuncta venerunt: ſic adducet ſuper vos, quidquid malorum comminatus
eſt, donec vos auferat, atque diſperdat de Terra hac optima, quam tradidit vobis,
16 Eo quod prætericritis pactum Domini Dei veſtri, quod pepigit vobiſcum, & ſer-
vieritis diis alienis, & adoraveritis eos: cito atque velociter conſurget in vos furor
Domini, et auferemini ab hac Terra optima, quam tradidit vobis.

℣. 1. EVOLUTO MULTO TEMPORE:] anno poſtremo vitæ Joſue, vel ſaltem paullo ante hunc annum; nam a terræ diviſione ad Ducis hujus obitum decem tantum ani fluxerunt.

℣. 2. VOCAVIT OMNEM ISRAEL, MAJORESQUE NATU, ET PRINCIPES.] Ubi concilium hoc habitum fuerit, hiſtoria prætetit; verum id factum fuiſſe alii putant in *Thamnas-Sare* [1], ubi Ioſue morabatur; alii in Silo [2], ubi tunc aderat Tabernaculum, & Area fœderis; vel potius in Sichem, quemadmodum dicitur ℣. 1. Capitis 24. quod hujus tantum plane conſequens eſt. Ioſue poſtremo vitæ ſuæ anno videns populum molli, inertique vivendi rationi deditum, ac nimis Chananæis indulgentem, cum quibus periculum erat, ne aliquando conſuetu- B dine, ac fœdere, nec non connubii, & Religionis vinculo conjungerentur, eos coegit una; ac ſumma dicendi authoritate, & gravitate illis oſtendit, quam maximis erga Deum obligationibus tenerentur; periculum, quod ex commercio exterorum impendebat, & ſupplicia, quibus in infideles erat animadvertendum, ſi umquam Dominum reliquiſſent.

℣. 4. ET NUNC QUIA VOBIS SORTE DIVISIT OMNEM TERRAM &c.] Hebraice ad litteram [3]: *Videte, quod diviſerim vobis nationes has, quæ ſubigendæ ſuperſunt, ut ſint hæreditas tribuum veſtrarum æque ac illæ, quas delevi a Jordane uſque ad mare magnum*. Ioſue dicit populo, ſe illi diviſiſſe omnem regionem eam, quæ eſt a Iordane, uſque ad mare mediterraneum, cum ſubactam, tum hactenus ſubigen- C dam: illis deinde Dei protectionem, ac opem pollicetur, dummodo in ipſius cultu, ac ſervitio perſeverent. Hæc autem eo conſilio loquitur, ut clam

A exprobret illorum ignaviam, qua tenentur, ne integram de regione illa victoriam referant, & Chananæos exterminent, qui illis habendi ſunt non ſolum veluti Dei ſui hoſtes, verum etiam velut hæreditatis Iſrael injuſti poſſeſſores.

℣. 7. NE POSTQUAM INTRAVERITIS AD GENTES .... JURETIS IN NOMINE DEORUM EORUM.] Hoc autem pacto Hebraicus loci hujus Textus [4] redditur: *Ne ingrediamini ad gentes, reliquas has gentes, quæ ſunt inter vos*; ne ullum ineatis cum illis commercium, præſertim ne connubia cum illis miſceatis, *neque Deorum eorum memineritis*, quorum nomina enunciati numquam a vobis audiantur, *neque in nomine illorum juretis*, vel *ne in illorum nomine jusjurandum exigatis*. Deus ita contemni vult inania B exterorum numina, ut ab eorum nomine pronunciando abhorreant, vel eos appellare dedignentur. Propheta Pſal. 15. 4. ait ſe adeo peccatorum conventum contemnere, ut ne eorum dignetur reminiſci: *Nec memor ero nominum eorum per labia mea*. Oſeas prædixit [5], Deum tantum odii populo ſuo erga Idola immiſſurum, ut conjux deinceps nequaquam appellatura ſit virum ſuum *Baali*, quod ſignificat *Dominum*, quod nomen hoc in mentem revocet falſi numinis Baal conceptum, ſed ſimpliciter *Iſchi* eſſe nuncupaturam, ſcilicet virum; quamobrem David etiam Gedeonem minime appellat *Jerobaal*, ſed *Jeroboſcheth* 2. Reg. 11. 21. S. Paulus ad Epheſ. 5. 3. non vult e Chriſtianorum ore turpium criminum prodire nomina: *Fornicatio autem & omnis immundi-* C *tia, aut avaritia nec nominetur in vobis*. Judæi [6] vero hac in re cauti adeo ſunt, ut magis religioſi apud illos numquam inanium Deorum nomina proferant; quemadmodum neque immundorum quorum-

1 Menoch. Serar. Rabb. 2 Maſ. Cornel. Bonfrer.
3 ראו הפלתי לכם את הגוים הנשארים האלה בנחלה לשבטיכם מן הירדן וכל הגוים אשר הכרתי והים הגדל מבוא השמש Tranſpoſitio habetur in hoc textu. Adnectendum eſt verbum ירדן cum מבוא השמש
4 לבלתי בא בגוים האלה הנשארים האלה אתכם ובשם אלהיהם לא תזכירו לא תשביעו
5 Oſeæ 2. 16. *Et erit in die illa, dicit Dominus, vocabis me, vir meus, & non vocabis me Baali.*
6 Vide Druſ. hic, & Serar.

dam animantium, veluti *suis*; sed hunc *alius rei* nomine vocant, neque de hæreticis verba faciunt, nisi prius veniam petierint.

Nec desunt, qui autument in alium quoque sensum interdictum hoc esse intelligendum. Deum nominare, nomen Dei proferre, reminisci, & commemorare nomen Dei, nonnumquam significat illi servire, illum adorare, illi religiosum cultum præbere, illum fateri. Exempli causa, Deus in omni loco se præsto futurum promittit, *in quo memoria fuerit nominis sui* [1], scilicet, in loco, qui illi sacer erit: Psalmista ait, alias nationes fiduciam suam posuisse in equis, & curribus; sed populum Dei *recordaturum*, vel prolaturum *nomen Domini* [2], scilicet, futurum ut nomen illius fateatur, & invocet. Alibi [3] dicit, quod justi nominis mei: *Reminiscentur, & convertentur ad Dominum*. Plures id genus locos repereris. Sanctus Paulus quoque 2. Timot. 2. 19. usurpat *nominare Jesum Christum*, ut illius esse discipulum dicat, Evangelium sectari, Christi Religionem profiteri. *Discedat ab iniquitate omnis, qui nominat nomen Domini*; & in Actis Apostolorum 9. 14. 21. *invocare*, vel *appellare* nomen Jesu Christi, vel Dei significat esse Christianum: *Qui invocabant nomen istud*.

De jurandi, ac jusjurandum exigendi in Deorum exterorum nomine interdicto Exod. 23. 13. locuti sumus; & nemo non novit jusjurandum actum esse Religionis, qui honorem Deo affert, non secus ac dedecus afferat blasphemia. Theophrastus 4 refert exterorum populorum juramenta legibus Tyriis prohiberi, præsertim vero juramentum *Corban*, quod Hebræorum erat, uti ex Evangelio, ac Josepho innotescit.

℣. 10. UNUS EX VOBIS PERSEQUETUR HOSTIUM MILLE VIROS.] Hæc est repetitio promissionum, quæ Deus non semel per Moysen fecerat populo suo. Levit. 26. 13. 7. 8. Deuter. 28. 7. & 32. 30.

A ℣. 13. ERUNT VOBIS IN FOVEAM, AC LAQUEUM, ET OFFENDICULUM EX LATERE VESTRO, ET SUDES IN OCULIS VESTRIS.] Hebraicus textus ita verti potest [5]: *Erunt vobis in laqueum, ac foveam, & in flagellum*, vel virgam *lateribus vestris, & spinas oculis vestris*. Observatur antiquitus servorum, ac puerorum latera verberibus tundi consuevisse: *ibericis peruste funibus latus*, inquit Horatius Epod. Od. 4. & Author Ecclesiastici 30. 12. *curva cervicem ejus in juventute, & tunde latera ejus, dum infans est*. Et 42. 5. *De multa disciplina filiorum, ac de servo pessimo sanguinare*. Vide Grotium, & Drusium. Septuaginta verterunt *clavos salis*, quod reddimus flagella, & virgas lateribus.

℣. 14. EN EGO HODIE INGREDIOR VIAM UNIVER-
B SÆ TERRÆ.] Mors a me non longe abest. *Hodie* pro quamprimum hic usurpatur; non secus ac alibi *cras* pro aliquandiu post. *Ingredi viam universæ terræ*, est subire mortem, quæ omnes homines manet, ingredi viam, quam omnes ingredi tenentur, eo pervenire, quo omnes assequi debent. Profani ajebant; *abire in communem locum*; vel, ire ad plures. *Quin prius me ad plures penetravi*. Plaut. in Trinum. Vide Drusium hic.

TOTO ANIMO COGNOSCETIS.] Hebraice [6]: Vobis palam constat, vobis persuasum penitus est, vos testes fuistis, hoc vos latere nequit, Dominum nequaquam ad unum ea præstitisse, quæ spoponderat.

℣. 16. EO QUOD PRÆTERIERITIS.] Loquitur velut propheta de re futura, non secus ac fuisset. Moy-
C ses Deuter. 31. 32. eadem populo minitatus est, eaque multo vehementius. Hæ prædictiones perfecte completæ fuerunt tempore Babylonicæ captivitatis; ac perfectius adhuc post Jesu Christi mortem excidio Templi, ac urbis Jerusalem.

---

1 Exod. 20. 24. *In quo memoria fuerit nominis mei*. אשר אזכור את שמי
2 Psal. 18. 8. *Nos autem in nomine Domini Dei nostri invocabimus*. נזכיר *Recordabimur*.
3 Psal. 21. 28. *Reminiscentur & convertentur ad Dominum*. יזכרו וישבו
4 Vide Josephum l. 1. contra Appion.
5 והיו לכם לפח ולמוקש ולשטט בצדיכם ולצנינים בעיניכם. S. Hieronymus legit פחת *foveam*, pro פח *laqueum*.
6 וידעתם בכל לבבכם ובכל נפשכם.

CAPUT XXIV.

Concilium populi in Sichem. Deus per os Josue memorat Israelitis ea, quæ patribus illorum, ac illis præstiterat. Fœdus Josue cum populo. Mors Josue. Sepultura ossium Patriarchæ Joseph. Mors Phinees.

1. CONgregavitque Josue omnes tribus Israel in Sichem, & vocavit majores natu,
ac principes, & judices, & magistros, steteruntque in conspectu Domini. 2
Et ad populum sic locutus est: Hæc dicit Dominus Deus Israel: Trans fluvium habitaverunt patres vestri ab initio, Thare pater Abraham, & Nachor: servieruntque diis alienis.
3 Tuli ergo patrem vestrum Abraham de Mesopotamiæ finibus:
& adduxi eum in terram Chanaan: multiplicavique semen ejus,
4 Et dedi ei Isaac:
Illique rursum dedi Jacob, & Esau. E quibus, Esau dedi montem Seir ad possidendum:
Jacob vero, & filii ejus descenderunt in Ægyptum.
5 Misique Moysen, & Aaron, &
percussi Ægyptum multis signis, atque portentis.
6 Eduxique vos, & patres vestros
de Ægypto, & venistis ad mare: persecutique sunt Ægyptii patres vestros cum curribus, & equitatu, usque ad Mare rubrum.
7 Clamaverunt autem ad Dominum filii Israel: qui posuit tenebras inter vos, & Ægyptios, & adduxit super eos mare, & operuit eos. Viderunt oculi vestri cuncta, quæ in Ægypto fecerim, & habitastis in solitudine multo tempore:
8 Et introduxi vos in Terram Amorrhæi, qui habitabat trans Jorda-

Jordanem. Cumque pugnarent contra vos, tradidi eos in manus vestras, & possedistis
Terram eorum, atque interfecistis eos. 9 Surrexit autem Balac filius Sephor rex Mo-
ab, & pugnavit contra Israelem. Misitque, & vocavit Balaam filium Beor, ut maledi-
ceret vobis. 10 Et ego nolui audire eum, sed e contrario per illum benedixi vobis,
& liberavi vos de manu ejus. 11 Transistisque Jordanem, & venistis ad Jericho. Pu-
gnaveruntque contra vos viri civitatis ejus, Amorrhæus, & Pherezæus, & Chananæus,
& Hethæus, & Gergezæus, & Hevæus, & Jebusæus: & tradidi illos in manus vestras.
12 Misique ante vos crabrones: & ejeci eos de locis suis, duos reges Amorrhæorum,
non in gladio, nec in arcu tuo. 13 Dedique vobis Terram, in qua non laborastis, &
urbes, quas non ædificastis, ut habitaretis in eis, vineas, & oliveta, quæ non planta-
stis. 14 Nunc ergo timete Dominum, & servite ei perfecto corde, atque verissimo:
& auferte deos, quibus servierunt patres vestri in Mesopotamia, & in Ægypto, ac ser-
vite Domino. 15 Sin autem malum vobis videtur, ut Domino serviatis, optio vobis
datur: eligite hodie, quod placet, cui servire potissimum debeatis, utrum diis, qui-
bus servierunt patres vestri in Mesopotamia, an diis Amorrhæorum, in quorum Terra
habitatis; ego autem, & domus mea serviemus Domino. 16 Respónditque populus,
& ait: Absit a nobis, ut relinquamus Dominum, & serviamus diis alienis. 17 Domi-
nus Deus noster ipse eduxit nos, & patres nostros de Terra Ægypti, de domo servitu-
tis: fecitque videntibus nobis signa ingentia, & custodivit nos in omni via, per quam
ambulavimus, & in cunctis populis, per quos transivimus. 18 Et ejecit universas gen-
tes, Amorrhæum habitatorem Terræ, quam nos intravimus. Serviemus igitur Domino,
quia ipse est Deus noster. 19 Dixitque Josue ad populum: Non poteritis servire Do-
mino: Deus enim sanctus, & fortis æmulator est, nec ignoscet sceleribus vestris, at-
que peccatis. 20 Si dimiseritis Dominum, & servieritis diis alienis, convertet se, &
affliget vos, atque subvertet, postquam vobis præstiterit bona. 21 Dixitque populus
ad Josue: Nequaquam, ita ut loqueris, erit, sed Domino serviemus. 22 Et Josue ad
populum, Testes, inquit, vos estis, quia ipsi elegeritis vobis Dominum, ut serviatis
ei. Responderunt: Testes. 23 Nunc ergo, ait, auferte deos alienos de medio vestri,
& inclinate corda vestra ad Dominum Deum Israel. 24 Dixitque populus ad Josue:
Domino Deo nostro serviemus, & obedientes erimus præceptis ejus. 25 Percussit er-
go Josue in die illo fœdus, & proposuit populo præcepta, atque judicia in Sichem.
26 Scripsit quoque omnia verba hæc in volumine legis Domini, & tulit lapidem per-
grandem, posuitque eum subter quercum, quæ erat in sanctuario Domini: 27 Et di-
xit ad omnem populum: En lapis iste erit vobis in testimonium, quod audierit omnia
verba Domini, quæ locutus est vobis: ne forte postea negare velitis, & mentiri Do-
mino Deo vestro: 28 Dimisitque populum, singulos in possessionem suam. 29 Et post
hæc mortuus est Iosue filius Nun servus Domini, centum, & decem annorum: 30 Se-
pelieruntque eum in finibus possessionis suæ in Thamnathsare, quæ est sita in monte E-
phraim, a Septentrionali parte montis Gaas. 31 Servivitque Israel Domino cunctis
diebus Iosue, & seniorum, qui longo vixerunt tempore post Iosue, & qui noverunt o-
mnia opera Domini, quæ fecerat in Israel. 32 Ossa quoque Joseph, quæ tulerant filii
Israel de Ægypto, sepelierunt in Sichem, in parte agri, quem emerat Iacob a filiis He-
mor patris Sichem centum novellis ovibus, & fuit in possessionem filiorum Joseph. 33
Eleazar quoque filius Aaron mortuus est: & sepelierunt eum in Gabaath Phinees filii e-
jus, quæ data est ei in monte Ephraim.

℣.1. CONGREGAVITQUE IOSUE OMNES TRIBUS ISRAEL .... ET VOCAVIT MAJORES NATU, AC PRINCIPES.] Hoc est consequens eorum, quæ præcedenti capite referuntur. Postquam Iosue populi animos sibi conciliavit eo sermone, quem modo habuit, nunc persequitur, atque longius primordia repetit, ut eos deducat ad fœdus, quod cum Domino in Sinai percusserant. Caput hoc haberi potest, velut Iosue testamentum. Me latet autem, cur Interpretes nonnulli coarctare velint has voces, *omnes tribus Israel*. Alii quidem [1] ad eas tribus, quæ citra Iordanem erant; A alii vero [2] ad Capita solum, Principes, Iudices, ac præcipuos civitatum, ac tribuum Magistratus. In re magni adeo momenti, ubi agebatur de fœdere cum Domino instaurando, minime vereor, quin omnes tribus adfuerint; atque Iosue ad id plane aliquem Festivitatis diem, ac generalia cœtus Religionis elegerit.

IN SICHEM.] Vel prope Sichem in agro, quem emerat Iacob, ac prope quercum insignem, ubi Patriarchæ olim habitasse credebantur. Scriptura minime refert, cur istic habitum fuerit populi concilium; verum conjici potest, cum urbs Sichem ad radices mon-

1 Vatablus. 2 Masf. Drus. Bonfrer.

mentium Hebal, & Garizim fit posita, ubi antea monumentum fœderis Dei cum Israel post Jordanis transitum extructum fuerat, maxime accommodam fuisse visam, ut fœdus prope, ac e prioris monumenti conspectu instauraretur.

Eruditi quidam Interpretes [1] putant, Concilium coactum fuisse non in *Sichem*, sed in *Silo*. Septuaginta Romanæ editionis, MS. Alexandrinum, & S. Augustinus quæst. 30. in Iosue legerunt istic *Silo* pro Sichem; atque certum est conventum actum ante Dominum, & coram Arca, & Sanctuario illius, quod ex decursu innotescit. At creditur Arca, & Tabernaculum tunc in Silo fuisse; credendum igitur populi cœtum ibidem habitum fuisse; atque hinc fuisse factum, ut hic cœtus in Sichem poneretur, quoniam Sichem, & Silo duo adeo proximi erant loci, ut facile potuerint confundi.

Verum ad ea respondemus, primo, Textum Hebraicum, Chaldaicum, alias omnes orientales versiones, omniaque exemplaria Græca, præter ea, quæ ullata fuere, habere simpliciter *Sichem* in hoc loco, & ℣. 25. hujus capitis. Secundo, nulli rationi innitur suppositio, Silo prope fuisse, & in agro Sichem. S. Hieronymus ait, decem passuum millibus abfuisse, Eusebius vero duodecim. Tertio, populus convenit ante Dominum, & coram Arca illius; nam extraordinarie de *Silo* Arca delata fuerat sub quercum Sichem. Hæc quercus adfuit in Sanctuario Domini, in Sanctuario tumultuarie erecto prope Sichem, admodum diversu a vero Sanctuario, quod erat in Silo, in quo arborem esse nequaquam tulissent contra explicitum Domini præceptum, quo cautum fuerat, ne prope altare ipsius arbores consererentur [2]; & in quo nequaquam erectum fuisset monumentum lapideum, quale infra videmus ℣. 26.

℣. 2. SERVIERUNT DIIS ALIENIS.] Ostendimus alibi, avos Abraham Idololatras fuisse, ac credidisse non paucos, ipsum Abraham primum Idololatriæ deditum fuisse. Vide Commentarium in Genesin 11. 31. Isaiam 43. 27. Sapient. 10. 5. & Judith 5. 7.

℣. 3. MULTIPLICAVI SEMEN EJUS, (℣ 4.) ET DEDI EI ISAAC.] Multiplicavi progeniem illius per Isaac; vel dedi illi Ismael filium Agar, & alios plures filios e Cethura; denique dedi Isaac, qui filius erat promissionum, & qui pater esse debebat electæ sobolis.

℣. 6. EDUXIQUE VOS, ET PATRES VESTROS DE ÆGYPTO.] Supererant adhuc non pauci inter illos, qui prodigia in Ægypto patrata conspexerant, unde septem, & quinquaginta ab hinc annos fuerant egressi. Adnotavimus alibi, Deum de medio sustulisse in Deserto eos tantum, qui in Cadesbarne obmurmuraverant, & qui ultra viginti annos erant nati.

℣. 9. SURREXIT AUTEM BALAC . . . ET PUGNAVIT CONTRA ISRAELEM.] Nullibi legimus virum hunc contra populum Domini decertasse: id unum agnovimus, ipsum accersivisse Balaam, ut illi malediceret; sed non passus est Deus, falsum hunc prophetam maledictiones in Israel proferre, verum e contra illum coegit, ut, ipsum omnibus benedictionibus cumularet; ita pravis consiliis Balaae pugnavit adversus Israel, & artibus malis potius, quam vi. Adigere voluit Pseudoprophetam Balaam ad maledicendum populo Dei, ut deinde facilius cum hoc congredi posset, illumque delere; nam hæc maledictionum genera, vel imprecationum belli usurpabantur, ut omnino resistendi vis hostibus adimeretur. Denique dici potest, Balac pugnasse, quod illi pugnandi voluntas fuerat; neque in ipso stetit, quo minus Hebræis bellum indiceret, at formido solum ipsum deterruit. Scriptura ait aliquando, dictum, vel factum fuisse id, cujus faciendi, dicendive consilium fuerat. Vide, quæ adnotavimus in Josue cap. 10. ℣. 25. Dicis quandoque bellum inter Reges fuisse, qui numquam manum conseruerunt; sed qui infesti sibi invicem fuerint, ac ad bellandum parati. Vide 3. Reg. 14. 38.

℣. 10. LIBERAVI VOS DE MANU EJUS.] De manu Balac; non passus sum, ipsum vobiscum congredi, neque audere vos armis lacessere.

℣. 11. PUGNAVERUNT CONTRA VOS VIRI CIVITATIS EJUS, AMORRHÆUS, ET PHEREZÆUS &c.] Civitas Iericho hinc videtur habitata fuisse, vel defensa ab Amorrhæis, Pherezæis, Hethæis, Chananæis, aliisque variis gentibus, ex omni ea regione collectis; vel hoc intelligendum est de bellis omnibus, quæ citra Iordanem intulit Iosue. Ierichuntini cives se se vobis objecerunt, æque ac alii regionis populi, Amorrhæi, Pherezæi, Hethæi, quos tradidit vobis Dominus. Pro *viri civitatis ejus*, Hebraice habetur [3] *Domini Jericho*; quod innuere potest principes viros, Reges, Magistratus, vel simpliciter oppidanos, ac cives. Posterior hæc explicatio æquior videtur, & communior. Vide Drusium hic, & Iud. 9. 2. 23. 39. & 20. 5. & 1. Reg. 23. 11. 12. ubi בעלי עיר significat alicujus urbis cives.

At quomodonam Ierichuntini adversus Israel præliati sunt? Nonne patet, ipsos ne ausos quidem fuisse in aciem prodire; & cum in urbe clauderentur, Deum permisisse, ut corruerent muri, ac cives, absque eo quod resisterent, caperentur? hæccine vere potest resistentia appellari? Respondemus, quamquam cives Iericho nequaquam in aciem contra Israel egressi fuerunt, satis esse, quod ipsi bellum cum illo gesserint, atque in urbe clausi se se continuerint, ut dici queat contra ipsum pugnasse; illi enim se se armis tueri, ac obsistere parabant, si vis sibi esset illata, juxta communia belli jura: dicuntur autem fecisse, quod parati erant, ut facerent. Hæ loquendi rationes non apud Hebræos tantum, verum in aliis quoque Linguis vulgates sunt. S. Isidorus Pelusiota l. 2. ep. 289. *De actionibus judicatur ex operantis consilio; plectitur, qui voluit occidere, quamquam leve tantum vulnus inflixit, ac venia illi conceditur, qui inconsulto necavit. Ille homicidæ loco habetur, qui struxit insidias, etiamsi e voto non cessere prava consilia, & veneficus putatur, qui miscuit venena, quamvis ille, cui fuerint immixta, eadem non biberit.* Itaque dicitur Orion violasse Dianam, quod eam violare conatus est [4]:

Sic quondam Orion manibus violasse Dianam.

Et Galli dicuntur arcem, vel Capitolium occupasse, quod obsidebant, ut potirentur, & quod spe jam occupaverant. Virgil. Æneid. 8.

Galli per dumos aderant, arcemque tenebant.

Et Iuvenalis Satyr. 3. vers. 78. ait, Græculum esurientem in cœlum usque, si jubeas, ascensurum, scilicet se promissurum ascendere, eaque omnia, quæ fieri nequaquam possunt, polliciturum.

Græculus esuriens in cælum jusseris, ibit.

℣. 12. MISIQUE ANTE VOS CRABRONES.] Majores muscas, quibus ejecti fuere. Nos vero id ad literam intelligimus, uti ostendimus in Commentariis in Exodum 23. 28.

EJECI EOS DE LOCIS SUIS, DUOS REGES AMORRHÆORUM NON IN GLADIO, NEQUE IN ARCU TUO.] Hi duo Amorrhæorum Reges sunt Og, & Sehon. Deus eos ejecit de regionibus illorum muscas in ipsos immittens; non autem ii in exteras se se recepere terras, quin cum Israelitis congrederentur. Congressi quidem sunt, sed Hebræi sibi muscarum agmine opem ferente, de quibus hic loquitur Scriptura, eos devicerunt, quin ferme possent obsistere. Non arcu igitur, neque gladius haec Israelitis peperit victoriam. Arcus, & gladius in Scriptura usurpantur pro quovis

1 Serar. Menoch. Drus. Tirio. Jun. Grot.

2 Deuter. 16. 21. *Non plantabis lucum, & omnem arborem juxta altare Domini Dei tui.*

3 בעלי יריחו, 70. κατοικοῦντες Ἱεριχώ.

4 Aratus. Vide Gatakes. & Glassium,

quovis ermorum genere, quibus vulnera inferuntur [1]; neque enim id genus alia eo tempore agnoscebantur.

Textus etiam in latiori sensu potest intelligi [2]: Misi ante vos crabrones, & ejeci eos (populos Chananæos, de quibus sermo fuit vers. præcedenti.) *Tradidi in manus vestras duos Reges Amorrhæorum, quin adversus illos vel arcum expediretis, vel gladium*: eos vicistis, absque eo quod ullum infligeretis vulnus; illi parum adeo restiterunt, ut facile agnosci posset, invisibilem manum pro vobis dimicasse. Supplemur autem in hoc loco, *Tradidi illos in manus vestras*, quod desumptum est e ℣. 55.

℣. 14. AUFERTE DEOS, QUIBUS SERVIERUNT PATRES VESTRI.] Num possibile est ob oculos Josue, Eleazari, & Phinees, ac Seniorum aliorum, qui testes fuerant mirabilium Dei in Ægypto, ac in deserto, in Israelitarum medio idola extitisse? Attamen Josue idem repetit ℣. 23. & Propheta Amos 5. 26. ait, in deserti itinere Hebræos secum inanium deorum tabernacula detulisse, quod ipsum a S. Stephano in Actis 7. 42. & ab Ezechiele cap. 23. 3. 8. confirmatur. Num major zelus, aut authoritas Josue fuit, quam Moysi? Num populus hic, dum Josue imperaret, sanctior erat, quam cum Legislator ipse illi moderaretur? Num religiosior in terra Chanaan fuit, quam in Deserto? Nimium igitur verum est inter Hebræos quosdam fuisse, qui clam saltem numina Ægyptiorum, ac populorum Mesopotamiæ venerarentur. Vide Lyranum, Tirinum., Bonfrerium.

At S. Augustinus qu. 29. in Josue nequit sibi persuadere, Josue verba pressius esse intelligenda. Quinam fieri posset, populum hunc, quem Scriptura non semel [3] præclaro testimonio dignatur, quod Domino adhæserit, ac illius imperata sedulo fecerit, ac eidem servierit [4] *cunctis diebus Josue, & seniorum, qui longo vixerunt tempore post Josue*, idola esse veneratum? quomodo enim hoc testata fuisset Scriptura, si ille idolis cultum præstitisset? Deus, qui severe adeo furtum Achan persecutus est, passusne esset hanc impietatem in populo suo impunem abire? Num post hoc Josue edictum, vel exprobrationem, refert Scripture, populum abjecisse Idola, quæ hactenus adoraverat? Zelus, quem adversus fratres suos ostenderunt, qui simplex monumentum in Jordanis littore extruxerant, patiturne, ut populum Idola coluisse arbitremur? Josue igitur conditionate loquebatur, perinde ac diceret: Si quis vestrum adhuc, vel minimum, idolis adhæret, quæ in Ægypto coluistis, vel illis, quæ Patres vestri in Mesopotamia adoraverere, studium hoc deserat, ac deinceps omne studium in Dei cultum convertat.

Verum omnia hæc æquitatis argumenta minimum probant adversus factum, explicite adeo enarratum, ac tot in locis Scripturæ. Meliorem quidem nationis partem, populi Principes hac culpa vacuos fuisse, esto: sed ea in multitudine, non pauci Israelitæ fuerunt inanibus superstitionibus dediti, qui impietatem suam oculis Principum virorum populi abscondebant.

QUIBUS SERVIERUNT PATRES VESTRI IN MESOPOTAMIA, ET IN ÆGYPTO.] Patentur omnes, Thare patrem Abrahæ, & plerosque illius majores Idola coluisse; et de Abraham vix crediderim, quamquam Josue hoc in loco illum minime excipiat e numero Patrum, qui in Mesopotamia inania numina coluerunt; & Philo in lib. de præmiis, & pœnis S. Ephrem. serm. 2. de pœnit. Author Recognitionum lib. 1. Rabbini [5], & non pauci Interpretum recentiorum fateantur haud ægre, Abrahem antequam vocaretur, atque in regionem Chanaan migraret,

A idola fuisse veneratum. Nec desunt, qui putent hinc Sanctum Paulum vocare ipsum ante conversionem impium ad Rom. 4. 5. *Ei, qui non operatur, credenti autem in eum, qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam.* Israelitarum idololatria in Ægypto haud certa minus est, quam patrum suorum in Mesopotamia. Hoc Propheta Ezechiel referens perspicuis magis, acerrimisque vocibus utitur c. 23. 2. 3. *Filii hominis, duæ mulieres filiæ matris unius fuerunt, & fornicatæ sunt in Ægypto, in adolescentia sua fornicatæ sunt . . . . altera quidem est Samaria, Jerusalem altera.* Vide ℣. 8. & 27. ejusdem Prophetæ.

℣. 15. OPTIO VOBIS DATUR.] Iosue haud nescius id omne, quod neque voluntarium est, neque prudenter, atque optione facta susceptum, diu perma-
B nere non posse, cum proposuisset Israelitis, quot obligationum vinculis erga Deum tenerentur, eos adigere cupiens, ut fœdus cum Domino instaurarent, illis dicit, optionem præberi fœderis hujus cum Domino ineundi: Deum id contemnere, quod vi extorqueretur; ipsi vero serium adeo negotium imprudentes, ac temere nequaquam aggrederentur; perpenderent autem, ac voluntatem suam, antequam aliquid consilii caperent, scrutarentur. Mihi vero quid consilii capiendum sit, quidve sit opus factu, jampridem certum est: *Ego & Domus mea serviemus Domino.*

℣. 19. NON POTERITIS SERVIRE DOMINO.] Per has objectiones, ac difficultates, quas hic Iosue exponit, omnem populo adimere vult ansam sin se ex-
C cusandi, eo quod incauti deprehensi fuerint, & præcipiti nimis consilio fuerint assensi; atque eo adigit Israelitas, ut ipsum obtestentur, atque urgeant ad fœdus hoc verbis suis instaurandum. Optat ille, ut maximi momenti res omni cum solicitudine, ac necessaria consilii maturitate peragatur; neque enim fidem habet levi populo, & inconstanti. Si umquam satis vos novi, non poteritis servire Domino: Deus hic justus est, ac severus, qui læsus non parcet; Deus hic zelotes est, vult autem uni sibi servitutem summa cum fide præstari; cogitate prius, an fœderis hujus conditiones servare poteritis, ac munere vestro fungi.

℣. 20. CONVERTET SE, ET AFFLIGET VOS.] Vel potius [6]: Propter vos consilium ipse immutabit, &
D obruet vos malis: Vel, vobis nova vulnera infliget; nec flagellum ipse dimittet, nisi vos percusserit, penitusque deleverit. Vel denique: Deus sententiam, consiliumque propter vos immutabit, & qui Pater fuit, ac protector, hostis vester fiet, ac exterminator.

℣. 21. NEQUAQUAM ITA ERIT.] Numquam Dominum relinquemus, numquam deseremus fœdus, quod nobiscum ferire dignatus est, ac futurum speramus, ut ipse in nos beneficia effundere nequaquam cesset, neque illud nobis infortunium erit, ut iis obruamur calamitatibus, quas minitaris.

℣. 25. PERCUSSIT ERGO IOSUE FOEDUS, ET PROPOSUIT POPULO PRÆCEPTA, ATQUE JUDICIA.] Cum jam præparasset animos Israelitarum ad fœdus cum
E Domino instaurandum, lectæ fuerunt conditiones, & Iosue proposuit, quid Deus exigeret a populo suo; & quid vicissim pro populo se præstiturum pollicebatur. Prior inter has conditiones palam ℣. 23. refertur: *Auferte Deos alienos de medio vestri, & inclinate corda vestra ad Dominum Deum Israel*: ceterum credibile est perlectum fuisse Deuteronomium, vel præcipuas partes Legis; & cum populus interposita juramenti fide se eas observaturum spopondisset, victimas rite fuisse mactatas, atque in acta exscriptum quidquid actum, transactumque foret, quod e Iosue exara-

1 Vide Genes. 48. 22. Psal. 43. 7. & 8. 13. 14.
2 ואשלח לפניכם את הצרעה ותגרש אותם מפניכם שני מלכי האמרי.
3. *Adhæreatis Domino Deo vestro, quod fecistis usque in diem hanc.*
3 Vide Josua 22. 2. 3. & 23. 3. 4. &
4 Josue 24. 31.
5 Vide Maimonid. & Thalmud. in Setar. hic qu. 2.
6 ושב והרע לכם וכלה אתכם.

exaratum fuit sub finem Libri Moysis, qui servabatur intus, vel prope Arcam fœderis. Vide, quæ diximus in Deut. 31. 26.

℣. 26. SCRIPSIT OMNIA VERBA HÆC IN VOLUMINE LEGIS DOMINI.] Addidit concilii hujus historiam, & fœderis istius conditiones ad finem voluminis Legis Domini, quod Moyses in fœderis Arca collocarat: facile erat ad finem voluminis hujus quasdam adjicere tabellas, vel novissimam, quæ fortasse non erat usquequaque exarata, ad calcem usque replere.

TULIT LAPIDEM PERGRANDEM, POSUITQUE EUM SUBTER QUERCUM, QUÆ ERAT IN SANCTUARIO DOMINI.] Lapis, quem erigit Josue in Sanctuario Domini, erat simplex dumtaxat fœderis monumentum, quod Dei nomine cum Israel percusserat; nullatenus vero oppositum erat interdicto superstitiosa monumenta in inanium Deorum honorem extruendi [1]. Quod hic *Domini Sanctuarium* appellatur, erat, uti diximus, tentorium, vel Sanctuarium minime stabile, quod sub hac quercu erexerat ad Arcam reponendam eo brevi temporis intervallo, quo in Sichem permansit. Hebraica vox האלה, quæ hic Quercus vertitur, Terebinthus redditur a Septuaginta, cæterisque authoribus Græcis, qui de eadem disseruerunt, At Aquila, Symmachus, Chaldæus, & plerique de quercu explicant: dicunt etiam sub arbore eadem tres Angelos apparuisse Abrahæ Genes. 18. 1. atque ab hoc illis paratum fuisse convivium; ibidem Jacob ingesta arena tumulasse Teraphim Laban [2], Abimelech Gedeonis filium Regem creatum fuisse, Judic. 9. 6. denique hanc ipsam quercum pluribus sæculis post J. C. adhuc extitisse. At arduum est, quod credas, arborem diutius vigere potuisse.

℣. 27. EN LAPIS ISTE ERIT VOBIS IN TESTIMONIUM, QUOD AUDIERIT OMNIA VERBA DOMINI.] Mirum videtur alicui, Josue istic lapidi cognitionem deferre eorum, quæ Deus dixit populo suo; Orator orationis vi raptus per prosopopæjam quandoque rebus inanimis sensus tribuit; Poeta rebus sensu carentibus vitam impertiat, eas alloquitur, easque alloquentes inducit: verum in sermone simplici, & æquo, in narratione nullis conformata figuris, nulla patet necessitas dicendi, lapidem ea, quæ dicuntur, percipere. Itaque hoc pacto Hebraicus textus verti posset [3]: *Hic lapis erit nobis in testimonium, perinde ac audivisset omnia verba Domini*. Nos alter alterius testes eorum, quæ transacta fuere inter nos, esse non possumus; cumque nullus adsit alienigena, quem in testem adhibere possimus, lapidem hunc eligamus, quem deinceps veluti testem habeamus, qui omnia intellexerit.

Verum his minime obstantibus argumentis, sine ulla ambage in Vulgatæ sensum potest hic textus intelligi. Similes loquendi rationes in sermonibus simplicibus, ac nulla figura elaboratis, qualis hic est, passim occurrunt. Orientales in deliciis habent locutiones has audaces & animatas: Scriptura exempligratia ait: *terra devorat habitatores suos*, Num. 13. 33. *terra evomit habitatores suos*, Levit. 18. 25. *Zelus Dei armabit creaturam ad ultionem inimicorum*, Sap. 5. 18. *vox sanguinis Abel clamat ad Deum de terra*, Genes. 4. 10. flagitia Sodomorum clamant usque ad Deum, Genes. 18. 20. rubigo argenti avarorum clamat contra illos. Jesus Christus ait Lucæ 19. 40. si pueri tacuerint, dum ipse ingredietur Jerusalem, lapides clamaturos; & sic de aliis. Chaldaica versio ait in hoc lapide insculptum fuisse, quidquid in hoc concilio fuerat actum.

NE FORTE POSTEA NEGARE VELITIS, ET MENTIRI DOMINO DEO VESTRO.] Hebraicus textus simpliciter legit [4]; *ne mentiamini Domino vestro*. In Scriptura mentiri alicui crebro significat, ab aliquo de-
A ficere, promissa non solvere, fidem non præstare; alicujus partes deserere, ut velut transfuga in alterius partes discedat, fœdus violare, conditiones minime servare. Vide Deuter. 33. 29. 2. Reg. 22. 45. Psal. 65. 3. & 80. 16. Isai. 59. 13. &c.

℣. 29. POST HÆC MORTUUS EST JOSUE FILIUS NUN.] Mortuus est centesimum & decimum annum agens, postquam septem & decem annos præfuerat Israel. Utrum ipse uxorem duxerit, & filios genuerit, non satis constat [5]. Scriptura istic non refert, populum illius funus lacrymis fuisse prosecutum; verum neque dubio locus est, quin hic honos illi adhibitus fuerit. Viri istius elogium haud melius texi potest, quam Spiritus Sancti verbis, qui non semel ejusdem esse voluit Encomiastes. Moyses intel-
B ligens, nequaquam placere Deo, quod ipse promissam Terram ingrederetur, eum exoravit, ut qui sibi successurus esset, eligeret [6]: *Provideat Dominus Deus Spirituum omnis carnis hominem, qui sit super multitudinem hanc: & possit exire, & intrare ante eos, & educere eos, vel introducere, ne sit populus Domini sicut oves absque pastore: Dixitque Dominus ad eum: Tolle Josue filium tuum, virum, in quo est Spiritus, & pone manum tuam super eum; Qui stabit coram Eleazaro Sacerdote, & omni multitudine: & dabis ei præcepta cunctis videntibus, & partem gloriæ tuæ, ut audiat eum omnis Synagoga filiorum Israel*. Tribui ne potest sublimior virtutis Josue conceptus, quam asserendo a Deo ipso populi sui ducem electum fuisse, ut ei viro succederet, quem inter summos vi-
C ros, quos terris Deus optimus Maximus providentia mirabili largiri dignatus est, facile dixeris principem? asseri quidem potest sapientissimæ huic electioni ipsum toto regiminis sui tempore perfectissime respondisse.

Author quoque Ecclesiastici 46. 1. & seq. insignem hunc virum peculiari celebravit encomio, in quo præcipuas vitæ illius circumstantias commendat. *Fortis in bello Jesus Nave successor Moysi in Prophetis, qui fuit magnus secundum nomen suum* (videlicet qui perfecte respondit nomini Salvatoris; hoc enim Josue nomen significat.) *Maximus in salutem electorum Dei, expugnare insurgentes hostes, ut consequeretur hæreditatem Israel. Quam gloriam adeptus est in tollendo manus suas, & jactando contra civitates rompheas? quis ante illum sic restitit? Nam hostes ipse Dominus perduxit. An non in iracundia ejus impeditus est Sol,*
D *& una dies facta est quasi duo? Invocavit Altissimum potentem in oppugnando inimicos undique, & audivit illum magnus, & Sanctus Deus in saxis grandinis virtutis valde fortis. Impetum fecit contra gentem hostilem, & in descensu perdidit contrarios; ut cognoscant gentes potentiam ejus, quia contra Deum pugnare non est facile. Et secutus est a tergo potentis*. Eo quo pacto celeberrimi hujus viri laudibus finem imponit.

Iosephus Historicus Antiqu. l. 5. c. 1. ad finem loquens de Iosue ait, virum fuisse æque ingenio præstantem, ac eloquio; nec minus ad captum facilem, quam ad persuadendum idoneum, quod ipse conceperat. Fortis, atque imperterritus in periculis; magnis rebus aggrediendis par, ac eo animo, qui satis esset, ut quod aggressus fuerat, cum laude com-
E pleret. Nec minus artibus pacis, quam militari disciplina erat præditus, denique omnibus omnia erat, & virtutis suæ eximia quovis tempore argumenta præbebat. Grotius ad Iosue ℣. 1. paucis verum Iosue characterem describit. *Fuit Josue*, inquit ille, *ad belli impetum peridoneus, ingenio solers, fortis animo, Moyse severior. Huic si quis ex aliis gentibus comparandus sit, salvo pietatis, & divini afflatus discrimine, sumam Catonem majorem*. Nihil addendum reor duorum insignium horum scriptorum laudibus; verum adnitar huc afferre aliquot similitudinis notas, quæ

1 Deut. 16. 21. *Nec facies tibi, neque constitues statuam, quæ odit Dominus Deus tuus*. Levit. 26. 1. *Nec titulos erigetis, nec insignem lapidem ponetis in terra vestra, ut adoretis eum*. 2 Genes. 35. 4. *Infodit ea subter Terebinthum, quæ est post urbem Sichem*. 3 הנה האבן הזאת תהיה בנו לעדה כי היא שמעה את כל אמרי יהוה 4 פן תכחשון באלהיכם 5 Vide Hieron. l. 1. adv. Jovin. Chrysost. serm. de Martyr. 6 Num. 27. 12. & seq.

quæ magis illuſtres ſunt inter Josua, & Ieſum Chriſtum, varum Salvatoram, varumqua caput populi Dei.

Ioſua deſignatus Moyſi ſucceſſor, atque electus a Deo, ut in promiſſam Terram deducesat Iſrael, aum Lagiſlator ipſa, ac frarer illius Aaron mortem ſubire debuerunt, quin eam ingrederentur regionem, quam veluri hæraditatis æarnæ figuram, quæ optimæ cuique objectum eſſa debet deſideriorum, ſuſpiciebant; Ioſua inquam imagæ aſt affabra dalineata Salvatæis noſtri, qui ſubſtituit Legi Evangelium, & qui populo ſuo ſaluram tribuit, ac hæraditatem æternam illis promiſſam, qui fideles fuerunt, & quorum nulla pars fuarit in idolorum cultu, in animi obdurarione, ac obmurmurationibus, quæ mortem tot Iſraclitarum in deſerto peperare.

Ioſue Iordanem tradocit flumen illud eo privilegio donatum, ur Iaſus Chriſtus ipſius aquis baptizatatur: utqua flumen illud traduœans illud nobis exhibet Sacramentum, quo iis abluimut ſordibus, quas e protoparentum aulpa aonrraximua, quodqua nobis Eccleſiæ, ac ſaluris aperir aditum ea facilirate, quam non niſi leviter ab ureſcente Iordanis aqua adumbrarur.

Nova aircumciſio, vel altera aircumaiſio, quam itarum Iſraalitis axercendam indixir, ut ad paſcha celebrandum ſa ſe præpararent, arque ut illis imprimeretur nota, qua veri Iſraelitæ ab aliis populis ſecernuntur; hæc, inquam, nova aircumciſio aordis ac ſpiritus aircumciſionem deſigaat, quæ fidelium, ac filiorum Dei, varus character eſt, & ſine qua nemo digne Chriſtianum Paſcha celebrare valet, & marito Sacramentum Corporis, & Sanguinis Domini partiaipara; cum Paſcha pro illis tantummodo ſit, qui mundi ſunt, ac a vareri fermento alieni, & qui opprobrio Ægypti relicto, ea omnia abiecerunr, quibus filii iniquitatis, & mendacii ſimilas ſiabant.

Ioſua tropara, victoriæ illius omnes miraculoſæ & continentes, inutilas Chananæorum conatus, aa vana tot Regum adverſus illum fœderarorum conſilia, totidem ſymbola ſunt miri illius modi, quo Chriſtiana religio advarſus vim inferorum, ac mortalium, lumen ſuum per rotum tarrarum orbem diffudit. Chriſtus Iaſus yi gratiæ ſuæ, Crucis virtute, ac vocarionis efficacia omnia ad ſa traxit; ac ſubegit infeſtiſſimos hoſtes ſuaviſſima vi, ac vivido, potantique imperu, ita ur cordis dominator effectus, illi fortiter ſimul, leniterque modererur. Perſecutiones, quas dœmon in Eccleſiam ſuſciravit, ſupplicia, quæ Martvribus inuſta fuera, Hæretiaorum ſeceſſiones, inteſtina pravurum Chriſtianorum bella Ieſu victorias minime potuarunt præpedire; poteſt quidem reſiſti Ioſua, Iſraal vinci poteſt, aum ſa obnoxium crimini præbuit aliquid carpens de anarhemate Iericho; at verus Ioſue potentiæ, ac maliriæ hoſtium ſuurum limites conſtituir, ac in ipſos ipſorum arma, & nequiriam detorquer.

Extant in Gamarta Babylonica [1] decem vatera Decreta, val Leges, quas Iudæi Ioſua referunr accepras; ar tanto viro indignæ adeo ſunt, ut illum minima earum authoram fuiſſe arbitremur. Has nihilominus afferemus earumdem vetuſtatis cauſa, atqua ut penes Lectoram judicium ſir, quid de ipſis liceat æſtimari.

I Fas aſt minorum pecus, non autem majora animantia ad paſaua cogere in nemora, quæ jam adoleverunr; ar in ea, quæ recens conſita ſunt, vel majora animantia, vel minurum pecus, Domini facultatæ haud impetrata, aſt nefas.

II Iſraalitis licet in alienis agris colligere in uſum proprium minuta ligna, carduos, ulialve ſpinarum ſpecias; non ira vero eas cædare, aa multo minus fructiferas arbores, val arbuſta, quæ in agro ſunt conſita, evellere.

III Ubique jus eſt harbas matare, quæ ſponte naſcuntur; non autem fœnum, quod in animantium eſcam in arvis ſeritur.

IV Parvuli quidam rami fructiferę arboris, uliva axcepta, obrruncari poſſunt, dummodo minime cædatur ramus craſſior olea, val ovo; neque rami vetares, ſed nova germina ſecentur; nequa vitium rami, vel alius cujuſpiam arboris, niſi denſi nimium fuerint, atqua ibi ſolum, quo ſolis radii minime pervadunt.

V Fons, unde flumen exiſtit, illius eſt civitatis, vel Provinciæ, quæ hoc flumine irrigarur, quamquam fons illa extra ragionis illius limites abſit.

VI Singulis tribubus Iſrael jus eſt hamo capiſcandi in mara Tiboriadis; at iis tantum tribubus, quarum hæraditatem hoc alluit mara, ſaaphis, & retibus, val ſagenis ad piſaandum uti fas eſt.

VII In agru, in quo ſatus ſit arocus, val aliud quidpiam maximi pratii, vantrem axonerara nemini non licet.

VIII Quicumquæ in vinea, vel agro errora viſuum decipitur, per vineam val agrum incedera poteſt, donec viam deprehendarit.

IX Cum ob pravam aeris intemperiam viæ nimium lutulentæ ſunt, ac limo obrutæ, quis poteſt a recto itinere deflectera, ac per alterius hæreditatem incedere.

X Cadaver quod in agro invenitur, locum acquiſtit, ubi invanitur, neque ibidem illi ſepultura poteſt danegari.

Hæc ſont decem decrata, quæ Indæi referunt Ioſue, ac illis, qui cum ipſo Tarræ promiſſæ agris dividundis præfecti fuera. Ea autem ſunt pars veteris Hebræorum Legis, quæ apud ipſos ea habentur in authoritata, quæ illum maxime decet, qui ipſorum Author fuiſſa perhibetur.

Leguntur etiam in Samaritanorum Chronicis [a], & Iudæorum Scripris quædam circumſtantiæ viræ Ioſue, quæ penitus videntur [3] apocryphæ. Cum Reges Chanaan a Ioſue victi, ac cæſi fuiſſent, Sobac Armeniæ minoris Rex, qui unius ax illis Regibus filius erat, aum quinqua, & quadraginta Perſarum, ac Medorum Regibus fœdus percuſſit; & exercitu coacto adeo fraquanti, ac maris arena, una aum Giganta Iaphet, aujus viras fortiſſimo auique formidabiles erant, miſerunr apiſtolam Ioſua, cujus hæc prope erat ſententia. Tu Lupus as ſarotinus; ſcimus te aæcidiſſe, aa deſolaſſa aonſanguineos noſtros, quin ulli paraares; itaqua ſcias, antequam triginta prætereant dies, nos quinqua, & quadraginta Reges, quorum ſingulis ſexaginta mille ſtrenui bellatoras parant, ad ta eſſa venturos. Te igitur præpara, nequa id ta mox facturum dixeris; quamprimum enim aderimus.

Joſue, cum hæ littaræ allatæ fuarunt, Ragio throno inſidebat; nequa eas aperuit, ſed populo rationem dicere perſtitit; neque hac de re ad populum retulit, niſi poſt feſtum Pentecoſtes diem, ne ipſorum lætitiam perturbaret. Denique eo ad concionem vocato quinqua & quadraginta Regum littaras perlegit; quæ nequaquam Iſraelitas pertarrucie; quin immo hi capite ad terram demiſſo Joſua obteſtati ſunr, ut ſuperbæ epiſtolæ acrius, & vehementius reſpondaret. Ille vero ea, quæ paraverat, illis audientibus lagit, in hanc farme ſententiam: Vires Iſraal omnes in Dei ſui virture eſſe poſitas; ipſos obdormienti Leoni inſulraſſe; ii vero ſa ad prælium pararent; Iſraelitas enim intra ſex dias in eos arma illaturos; nobiſaum Angeli Dei Omnipotentis pugnant, ac ſexcentorum mille milirum acies, pro qua tot prodigia patravit Dominus, quorum fama ad vos uſque pervaſarir.

Fœderati Reges ex his litreris Hebræorum aonſilium intelligentes, animis deſponderunt, dixeruntque:

---

[1] *Vido Gemar. Babyl. ad Titul. Kama, c. 7. apud Seldem. l. 6. de jure Nat. & Gent. c. 2. & apud Marsham. Canon. Ægypt. ſacul.* 10. [a] Vide Baſnag. hiſt. Judai. t. 1. [3] Abraham Zachin, in Jochaſin, & R. Godolias in Catena. Vide Serar. l. 24. qu. 13.

que: Quidnam aggredi cottari fumus, & cur hanc nobis promeruimus calamiterem? Josue duodecim virorum millibus delectis sub diei sextæ finem ad hos Reges pervenit. Ordo, & exiguarum harum edspectus copiarum quinque, & quadraginta Reges stupore percussit; et mater Sobach, que summe nominis celebritate magicam errem profitebatur, illia recepit, se intra septemplicem ferreum murum Josue copias esse clausuram, unde se eapedire non posset. Omnibus igitur artibus usa est, omnibusque prælitgiis, quæ non multo post mirabiles effectus sunt subsecuti. Josue ibi detentus scripsit Janiach Regi tribuum, quæ stans Jordanem immorabantur, eumque rogavit, ut quam primum opem laturus adesset. Epistolam benc columbæ elæ subligavit, quæ illam ad Regem Janiach detulit. Statim Rex hic copias collegit, & Phinees summi Sacerdotis Eleazari filium cum buccinis Domini accersivit. Omnibus instructis proficiscuntur, & citius ad urbem Sobach perveniunt. Venefica, quæ clausum detinueret Josue, ed syderia hujus ab oriente edventum artem snam exhaustam esse professa est, atque se ne minimum quidem adversus Janiach posse testara; qua re edeo filius ire succensuit, ut martem de muris præcipitem deturbarit. Interim Janiach aggressus est Sobach, eumque peremit, et eodem tempore cum Phinees buccina personaisset, ferrei muri veneficæ incautationibus ædificati ex se corruerunt, & Josue cum suis inde liberatus impetum fecit in hostes, ac eos delevit, quin ne unus quidem superesset.

Minimum quidem immorabor fabulæ huic refellendæ, quam inepte adeo commenti sunt; paucos enim in Scriptura reperies illustres viros, aut facta insignia, quibus Judæi nova miracula adnectere nequequam conati sint, historiis alienas, & fabulosas circumstantias immiscendo. Cum autem hæc adinvente vetera sint, atque a probatissimis inter Judæos Doctoribus efficta, probabilitate non ceret, summorum virorum gesta non absque line, & consilio his pigmentis decorata fuisse, quæ quamvis falsa, tamen cient attentionem, & adolescentulis perplacent, ita ut blande illis eas, quibus appositæ sunt, veritates insinuent. Quod mirabile est, apprime delectat; moveri emamus, atque excitari. Seriem nudaræ narrationis simplicitatem vividæ, obereisque fastidiunt imaginationes; & Hebræi fortasse hoc se sunt arbitrati debere populi, ac adolescentum studio, & voluptati. Nec desunt, qui res has, parabolas ad instruendum adinventas, videri velint.

Dicitur, Petrus Arragoniæ Rex quondam Judæum Doctorem interrogasse de eo, quod legitur in Talmud [1] de rana quadam, quæ quamvis sexaginta ædes magnitudine æquaret, eam deglutivit serpens, qui deinde a corvo devoratus est, qui tamen nec magnitudine auctus, nec pondere, super arborem evolavit. Ad quæ Doctor respondit: veteras consuevisse ad musicorum instrumentorum sonitum populum edocere, ut præcepta suaviter in audientium animos illaberentur; at cum instrumentorum usus cessasset, eam arripuisse viam præcepta quibusdam narratiunculis immiscendi, ac sublimes veritates fabulis involvendi, quæ simul populum erudirent, & oblectarent.

At hæ rationes sufficiunt ne, ut fictiones, ac ineptiæ, quæ in libris Judæorum extant, excusentur? Num commentitium damnum, quod effugere voluerunt, majus est vero detrimento, cui objecare Lectores illis proponendo res plane irridendas? et malum hoc, cui se mederi velle simulent, evitaturne? Quod judicium ferri licet de veritatibus hoc fuco fictisque pigmentis imbutis? Quomodo se Lector expediet ex

A han veri, fictique immixtione? Cur operam perdes festivis, iisque commentitiis narratiunculis dogmata involvens, cum in Scriptura perspicuæ veritates inveniantur, eæque solidissimæ, verum Legis cortice absconditæ? Hæ igitur historiæ, et narrationes, quantumvis vetustissimæ, veluti periculosæ Sacrarum Historiarum corruptiones habendæ sunt, ac veluti perniciosa Inertium hominum oblectamenta, qui dignitatem, ac majestatem Historiæ non satis agnoscunt.

℣. 30. SEPELIERUNT EUM IN FINIBUS POSSESSIONIS SUÆ IN THAMNAT-SARE.] In quibusdem Septuaginta exemplaribus ad hujus ℣. finem sequentia leguntur: *Et posuerunt cum illo in monumento, ubi sepelierunt eum, cultros lapideos, quibus usus fuerat, ut circumciderit filios Israel in Galgalis post exitum de* B *Ægypto, quemadmodum præceperat Dominus, & ibi sunt usque in hodiernam diem*. In Textu, qui præ manibus D. Augustini versabatur, hæc ederet additio, ut ex trigesima illius quæstione in Josue innotescit. Afferunt etiem [2] tumulo ipsius Solis imaginem insculptam fuisse, veluti monumentum eorum, quæ in celeberrimo prælio Gabaon patrarat, in quo ed illius nutum Sol, & Luna steterunt. Ajunt quoque [3] nomen *Thamnat-Sare* in *Thamnat-Hares* [4] fuisse immutatum, quod significar reliquum Solis, propter hanc solis figuram illic constitutam. Verum audacter hæc omnia adscribi possunt fabularum numero, quas Judæi, & Orientales solent venditare. Nomina *Thamnat-Sare*, & *Thamnas-Hares* iisdem litteris constant, at ordine inverso: & haud abest a veri specie, ex C his nominibus alterutrum perperam scriptum esse. Ego vero legere mallem *Thamnar Hares* [5] potius quam *Thamnath-Sare* [6]; nam in Ephraim tribu novimus montem Hares, qui in Vulgata *Testactus mons* appellatur [7]; *Sare* vero nos penitus fugit.

Mons idem, qui *Hares*, vel *Sare* vocatur, dicitur etiam *Gaas*; & Scriptura ait, tumulum Iosue ad boream montis Gaas fuisse collocatum. Mone hic nomine ipso in hoc tantum loco vocetur in Libris Sanctis; & contendunt Hebræi apud Munsterium, & Sererium, nomen hoc, quod tremorem significat, illi fuisse appositum, eo quod post mortem Iosue inter Iudæos tumultus, ac divisio irrepserit, cum nollent summo huic viro ea pietatis officia præstare, quæ tot benefactorum cumulus exposcebat. Quomodo- D cumque se habeat res, S. Hieronymus in Epitaphio Paulæ ait, Sanctam Paulam invisisse sepulchrum Iosue in montibus Ephraim ad boream montis Gaas. Eusebius in Locis *Thamna* inquit ævo suo adhuc ostendi consuevisse prope Thamnam. Brocardus asserit, monumentum hoc extitisse in Leopardorum monte in specu sex & viginti pedum longitudine, quo Sarraceni devotionis ergo in sancti hujus viri memoriem proficisci consueverant. Alius etiam viator [8] testetur ad radices montis Libani speluncam videri cum tumulo ex uno tantum lapide confecto sex & viginti pedibus cum dimidio oblongo, ubi contendunt Iosue tumolatum fuisse. At hoc postremum absolute falsum est, nam procul dubio Iosue sepultus fuit in montibus Ephraim, qui a Libano monte satis rece- E dunt.

℣. 31. SERVIVIT ISRAEL DOMINO CUNCTIS DIEBUS JOSUE, ET SENIORUM QUI LONGO VIXERUNT TEMPORE POST JOSUE.] Afferi pro certo nequit, quandiu Israelitæ Domino fideles extiterint. In officio eutem fideliter quindecim ennos post obitum Iosue permansisse arbitramur. Hoc tempore Seniores, qui viderant Moysem, & Iosue, & qui testes fuerant miraculorum Domini, tum euthoritate, quam in populo adepti fuerant, cum exemplo Religionem in Israel servarunt. At post ipsorum decessum populus in Idola-

1 Vide Basnag. Hist. Hebr. l. 3. c. 6. et. 4.
2 Rabb. apud Mas. Serar. alios.
3 Cajetan. Mas.
4 Locus Sepulturæ Josuæ appellatur in Hebr. cap. 2. ℣. 9. *Thamnath-haret*.
5 תמנת חרס *Thamnath-Cheres*.
6 תמנת סרח *Thamnath-Sare*.
7 Iudic. 1. 35. *Habitavitque in monte Hares, quod interpretatur Testacem, in Ajalon, & Salebim*.
8 Villam. l. 3. cap. 3.

Idolatriam prolapsus Chananæorum Deus veneratus est; *Fecerunt filii Israel malum in conspectu Domini, & adoraverunt Baalim*, Judic. 2. 11.

℣. 32. OSSA QUOQUE IOSEPH . . . SEPELIERUNT IN SICHEM.] Joseph antequam diem obiret, fratres suos obtestatus est, ne ipsius ossa in Ægypto relinquerent, sed ea in terram Chanaam deferrent, cum illos Dominus in eam regionem deduceret [1]. Israelitæ Joseph paruerunt; at quoad tempus, quo sepulturæ cæremonia fuerit peracta, non constat. Magius arbitratur post erectum in monte Hebal [2] prope Sichem altare, paullo post Jordanis transitum, populum, qui illuc convenerat, ea usum fuisse occasione, ut Patriarchæ Joseph ossa terræ mandarent. Alii asserere malunt, tunc demum in Sichem Patriarchæ ossa fuisse condita, cum devicta regio divisa fuit; quod autem liquido constat, hoc est profecto, aliquot annis ante Josue obitum, Joseph parentatum fuisse. Imperatorem hunc nationis, ac tribus suæ gloriæ apprime studiosum sexdecim, vel septemdecim annos neglexisse credendum est, quin Patriarchæ Joseph eum honorem deferret, qui ob tot causas ipsi maxime debebatur?

IN SICHEM IN PARTE AGRI, QUEM EMERAT JACOB A FILIIS HEMOR PATRIS SICHEM CENTUM NOVELLIS OVIBUS.] Hic ille ager est, quem Jacob paullo antequam decederet, dono dedit Joseph præter ea, quæ eidem cum aliis ipsius fratribus divisetae Genes. 48. 20. *Do tibi partem unam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio, & arcu meo.* In Genesi explicuimus, quo in sensu dici queat Jacob agrum hunc gladio, & arcu sibi comparasse, cum hic, ac in Genesi 33. 19. dicatur illum centum novellis ovibus emisse, vel juxta Hebraicam lectionem *centum*; *Kesita*. Credibile est ipsum, cum agrum emisset pretio centum Kesita, deinde illum deserere debuisse, ac ab illa urbe recedere, propter vim quam filii ipsius intulerant civibus, quos jugularant; sed aliquot annis post Jacob illuc rediisse, ac armorum vi a Chananæis, qui agro potiti fuerant, redemisse. Itaque duplex hoc habuit possessionis jus Jacob; alterum quidem emptionem pro centum Kesita, alterum vero terræ ejusdem victoriam. Quoad *Kesita* alibi de vocis hujus significatione fusius locuti sumus in Genes. 33. 19. S. Stephanus in Actis 7. 26. argento agrum emptum ait; *Quod emit Abraham pretio argenti a filiis Hemor filii Sichem*. At hoc minimum probat nummos formis cusos fuisse, & ariete, vel agno obsignatos; argentum hoc in virgas esse poterat, cujus pretium appensum fuerit.

℣. 33. ELEAZAR QUOQUE FILIUS AARON MORTUUS EST.] Hoc sub idem tempus, ac Josue occubuit, contigisse creditur. Hic autem elatus est in urbe *Gabaat Phinees*, quæ erat in tribu Ephraim, & quæ peculiariter Phinees tradita fuerat forte propter ipsius recte facta, meritum, ac zelum. Gabaat nequaquam ex illarum numero erat, quæ fuerunt Sacerdotibus assignatæ; atque singulari potius privilegio ejusdem possessio Phinees permissa fuit; nam Sacerdotibus vetitum erat fundum aliquem possidere. Grotius hoc evenisse putat, propter conjugis dotem, quæ hæres e tribu Ephraim, urbem hanc ipsi possidendam tradiderit. At puellæ, quæ hæredes erant, poterantne viro nubere, quæ ex ipsius tribu minime foret? Numer. 36. 8.

Septuaginta in Edit. Rom & Francofurt. ad capitis hujus calcem, ea quæ sequuntur, adjiciunt. *Tunc filii Israel accipientes Arcam Domini detulerunt eam inter se, & Phinees Eleazari filius Summi Sacerdotis munere functus est usque ad mortem, & sepultus est in urbe Gabaat, & filii Israel coluerunt Astarte, & Astaroth, & Deos nationum finitimarum, & Dominus tradidit eos in manus Eglon Regis Moab, qui duodeviginti annis dominatus est eis* Hebræi apud Munster. in Josue 2. 6. plura de Phinees retulere, quæ veluti ineptæ futilesque traditiones habendæ sunt. Volunt enim Magnum hunc Sacerdotem Angelum fuisse sub hominis forma, atque hunc eum esse Dei virum, de quo sermo est in 1. libro Regum c. 2. 27. qui magnum Sacerdotem Heli convenit [3]: Jephte consuluisse Phinees eumdem de voto suo, cujus ea fuit sententia, ut dispensari non posset [4]. Ajunt etiam hunc eumdem fuisse ac Eliam, & Phinees Eleazari filium, qui Esdræ ævo degebat prope Babyloniacam servitutem [5]; at absque eo quod his figmentis immoremur, præstat huc ipsius elogium afferre a Spiritu Sancto contextum in Ecclesiastico 45. 28. *Phinees filius Eleazari tertius in gloria est*, scilicet tertius post Moysem, & Josue, *imitando eum in timore Domini*, hoc est Aaronem, *& stare in reverentia gentis*, videlicet cum nequaquam cum populo lapsum esse in cultum Beelphegor, *in bonitate, & alacritate animæ suæ placuit Deo pro Israel. Ideo statuit illi testamentum pacis, principem Sanctorum, & gentis suæ, ut sit illi, & semini ejus Sacerdotii dignitas in æternum.*

1 Genes. 50. 24. 2 Josue 8. 30. 31. 3 Author Tradit. Hebr. in Libb. Reg.
4 Jarchi, & Said. Batricides apud Selden. de success. in Pontif. l. 1. c. 2. 5 1. Par. 9. 20.

FINIS LIBRI

JOSUE.

COMMENTARIUM
IN LIBRUM
JUDICUM.

IN
LIBRUM JUDICUM
PRÆFATIO.


UDICES, quorum hic examinandam historiam proponimus, jura populo Dei dabant, Rempublicam Israelis moderantes ea temporis intercapedine, quæ inter Moysem & Josue, usque ad constitutos Reges intercessit. Quare nomen illud non ita ad literam usurpatur, quasi juri dicundo constitutum virum significet, sive tantùm politiæ Præfectum, vel Magistratum, cum penès illos summa esset, tum pacis, cùm belli potestas. Tyrii post veterem Urbem cognominem eversam, atque novam alteram conditam, *Judices* loco Regum constituerunt (1); & Carthaginenses, quæ colonia erat Tyriorum, Summos Reipublicæ Principes non alio appellatos nomine voluerunt, quàm *Judices*, Phœnicio nomine *Suffetes* (2), vel *Sufetim*, quod non multùm abludit ab Hebræo *Schophetim* שפטים, quo in Scriptura Judices, de quibus in præsentiarum, nuncupantur. Suspicantur viri quidam Eruditi (3) *Archontes* Atheniensium, & *Dictatores* Romanorum ad Judices Israelitas referendos; nec desunt qui Rempublicam Israelis sub Judicibus comparent politiæ Germanorum, Gallorum, ac Britannorum ante immutatas à Romanis Leges (4). Grotius in ea est sententia Judices Israelitarum nihilo fuisse Regibus minores, nisi uno excepto Regio fastu & apparatu, cæterùm enim potestate pares fuisse; quemadmodum in Interregno Regni Administratores, sive Dictatores in Republica Romana (5).

Munus Judicum non hæreditario jure, nec electione possidebatur; vices autem in administratione Reipublicæ Dei, Summi ejus gentis arbitri, gerebant. Cum autem hanc summam in populum authoritatem retinere sibi Deus summopere vellet, suscitatos identidem Judices nonnisi in partem modicam, & angustam authoritatis vocabat. Cum Samuel urgeretur à populo, ut Regem constitueret, Deus illatam injuriam in se suscepit; quasi scilicet Regnum suum recusassent, cum alterum sibi constituendum postularent: *Non te*, ait idem Deus ad Samuelem, *abjecerunt, sed me, ne regnem super eos*. Gedeon offerenti sibi ac posteris Regnum populo respondit *Judic.* 8. 22. *Non dominabor vestri, nec dominabitur in vobis filius meus, sed dominabitur vobis Dominus*. Perpetua erat ad obitum usque dignitas, quamvis uni defuncto non statim alter sufficeretur, ut series esset per intervalla divisa: suomet arbitrio identidem sibi imperantibus populis, identidem alterius imperio servientibus. Id autem ut populus nullius imperio subigeretur, tunc primùm invectum in Rempublicam creditur, postquam Josue, & Seniores cum illo rerum potiti fato functi sunt. Cum autem necessitas postulabat, suscitatus à Deo Liberator populum defendendum suscipiebat.

Quædam tamen suppetunt pro data occasione exempla delati Reipublicæ imperii, non à Deo sensibili destinatione, sed populi consentientis voluntate. Ita suffragiis populi universi Jephte destinatus est, ut populum contra Ammonitas defenderet *Judic.* 11. In iis autem electionibus ratus, nec immeritò, populus eum potissimùm virum afflictis rebus relevandis destinari Divinitùs, qui insigni corporis robore animique virtute præstaret, summo omnium consensu imperium illi totius Reipublicæ conferebat. Sæpè Ducis electio à parte tantum Israelitarum, non ab universo populo facta est, cui proinde in partem, non in totam Rempublicam imperium demandabatur. Eadem data proportione politia in Duces à Deo destinatos servabatur, quippè qui non rarò parti tantùm Israelitarum præessent: parti, inquam, quæ alterius Principis tyrannidi subjecta liberatore indigebat; cum interim reliqui pacis deliciis fruerentur. Electi autem non quidem ad tempus erant: imperium per totam vitam prorogabant, juri dicundo continuò sese occupantes. Cæterùm sine pompa, fuco, & satellitio; nisi si fastum propriis sumptibus, & ambitione, non dignitatis necessitate adsciscerent. Dignitatem enim gerebant puram & simplicem, sine thesauro facilè & proventibus. Jair Scriptura notante *Judic.* 10. 4., *habebat triginta filios, sedentes supra triginta pullos asinarum*. Abdon, qui præfuit 8. annis, filios habuit 40. & nepotes 30. singulis asello suo insidentibus *Judic.* 12. 14.. Hæc autem duorum Judicum decora, & apparatus non dignitatis illius fuisse ex verbis Deboræ in Cantico colligimus, in quo divites, & Principes Israel ita affatur *Judic.* 5. 10.: *Qui ascenditis super nitentes asinos, & sedetis in judicio, & ambulatis in via, benedicite Domino*. Nulli sane tum temporis Judices erant in Israele constituti præter Deboram ipsam, & Barac, quocum Debora vel Canticum concinnavit, vel cecinit (6); neque iis verbis ipsam se Deboram vel Barac hortari voluisse, facilè credimus.

Summa

(1.) Joseph. l. 1. contra Appion.
(2.) Liv. Decad. 3. l. 8. *Sufetes Summus erat Pœnis Magistratus*.
(3.) Vide Serar. in Judic. 3. 2. qu. 1. &c.
(4) Grot. in Judic. 1.
(5.) Idem in Deut. 17. 9.
(6.) Jud. 5. 1. *Cecineruntque in illo die Debora & Barac .... dicentes*.

Summa erat penès Judices poteſtas in rebus belli, & pacis, uti belli indicendi, atque nomine totius gentis gerendi; de cauſis ſingulorum definita ſententia judicandi. Ad novas condendas leges imponendaque onera quod attinet, hanc Deus ſibi reſervaverat poteſtatem, ut ipſi ſe & populum regere ad Dei nutum, legem, & voluntatem, ore Sacerdotum, & Urim & Thummim oraculo manifeſtatam tenerentur. Aſſertores tamen erant Legum, & Religionis, criminum ultores, ac Idololatriæ potiſſimùm, quæ ne irreperet unquam invigilare, aut jam invecta ne ultra gliſceret, vi obſiſtere debuerant.

Animadverſione etiam dignum eſt, Scripturam muneri Regum deſignando uti verbo *judicare*. Iſraelitæ ad Samuelem: *Conſtitue*, inquiunt 1. *Reg.* 8. 5. 6., *nobis Regem ut judicet nos*. Salomon eam à Deo poſtulat ſapientiam, qua *populum judicare poſſit* 3. *Reg.* 3. 9. Joathan filius Azariæ Regis, vicibus patris functus, *gubernabat palatium*, *&* *judicabat populum terræ* 4. *Reg.* 15. 5.. Non abs re etiam ambigimus, an ex Judicibus Iſrael nonnulli aliud præter bellicas res curarent, ut nulla eſſet penès illos poteſtas de Iſraelitarum cauſis judicandi. Debora jus populo dicebat ſub Judice Barac; & Summus Sacerdos Heli ſub Samſone, quem planè Samſonem nunquam judiciale munus egiſſe novimus in S. Scriptura.

Tempus adminiſtratæ Reipublicæ à Judicibus 339. annorum intercapedine continetur. Liber Judicum hiſtoriam omnium eorum Principum uſque ad Samſonem complectitur; quare nihil in eo de Heli & Samuele: obiit autem Samſon A. M. 2887. juxta quem calculum in Libro Judicum hiſtoria exhibetur 317. annorum. Horum tamen annorum ſupputatio crucem figit Chronologis. Major ipſorum & Interpretum pars autumat, ſemper ac in Scriptura pacis alicujus certa aliqua temporis periodus deſignatur, non ita eſſe ſupputationem inſtituendam, ut annorum numerus a pace per illum Judicem, de quo ibi ſermo eſt, procurata ducatur, ſed calculum exordiendum eſſe poſt finem pacis alterius Judicis præcedentis. Quare intra deſignatam annorum periodum non tempus tantummodò adminiſtratæ Reipublicæ à Judice illo, de quo agitur, contineatur; quin etiam una recenſendum tempus præcedentis oppreſſionis, quod pacem ab antecedenti Judice procuratam excepit. Quæ planè digerendorum annorum ratio & conſuetudini repugnat, omnemque vocum naturalem ſignificationem turbat; cum enim dicimus e. g. Princeps depulſis hoſtibus regionem pacavit, quæ ſanè pax 40. annis duravit; quis planè hanc annorum ſupputationem non exordiretur à pace primùm ab eodem Principe procurata? Sed in Libro Judicum omnia planè variare contendunt.

Quò ſe ab ea difficultate expediret Marshamus *Canon. Chronic. Ægypt. &c. pag.* 291. *edit. Londin.*, rationem inivit commodam oppidò, & quantum conjicimus, plauſibilem. Suſpicatur ille ſuos eſſe Judices planè diverſos ultra & citra Jordanem, ſicut & ſua fuiſſe bella ulterioris & citerioris regionis. His conſtitutis, obſervat poſt egreſſum ab Ægypto uſque ad conditum Salomonis Templum 480. annos in Scriptura numerari 3. *Reg.* 6. 1.; tum & poſt occupatas ab Iſraelitis Transjordanicas ſedes uſque ad Jephte calculum reddi 300. annorum *Judic.* 11. 16. Si quis autem omnium ſimul Judicum annos contrahat uſque ad Jair deceſſorem Jephte, numerum planè 300. annis majorem inveniet; ſicut & major eſt quàm annorum 80. intercapedo inter Jephte & quartum Salomonis annum, cum ſcilicet Templum ab eodem Rege excitatum fuit. Eſt igitur ratio ineunda variantibus hiſce annorum ſupputationibus conciliandis, vel certè epochæ iſtæ deſerendæ ſunt; quod poſtremum cum fieri nequaquam poſſit, ideo temperamento aliquo uti nos oportet. Duplex occurrit; alterum quod vulgo Interpretes ſequuntur; aliud quod maximè Marshamo arridet. Nos geminas Tabulas Chronologicas exhibebimus, ad Uſſerii nempè, & ad Marshami normam; data Lectoribus æqua utriusque facultate, ut quodcumque maluerint, ſyſtema ſequantur.

Fatis functo Joſue, Tribuum Seniores ſuam ſinguli Tribum adminiſtraſſe creduntur; ita videlicet ut coacto in Silo totius gentis concilio, Domini juſſiones, oraculo Summi Sacerdotis ſignificatas, attenderent. Accidit ut ſemel coactus in Concilium populus Dominum conſuleret, quænam inter Tribus omnium prima arma ſuſciperet in Chananæos, quos cervicibus Iſraelis inſultantes metuebant, Tribus Juda oraculo deſtinata eſt, quæ in expeditionis ſocietatem Tribu Simeon advocata, ſecundo prælio Adonibeſecbum, victoria 70. Regum ſuperbientem, fregit. Verſis deinde in Chananæos fortis ſuæ armis, Urbes plurimas expugnarunt, qua facilè occaſione, (niſi ad Joſue ætatem revocandam hiſtoriam maluerimus) Caleb expugnationem Cariat-ſepher virtuti Othonielis accepto referens, in præmium expugnatæ per illum Urbis thorum filiæ ſuæ Axæ viro conceſſit. En ſucceſſu animata Tribus Ephraim ſumptis armis urbem Bethel aggreſſa, in poteſtatem recepit. Nec cæteræ Tribus ſegniores; namque in hoſtes ſingulæ ſortis ſuæ verſæ, aliæ quidem validos atque copioſos nactæ adverſarios, viribus ſe impares ſentientes, re infecta receſſerunt; aliæ non infelici eventu pugnantes, delere hoſtes cum maximè poſſent, ſervare maluerunt, tributo tantummodò illis indicto; quod deinde origo fuit & caput malorum in Iſraele. Senſim enim Hebræi ad idololatriam declinantes, cum fruſtra à Domino per Angelum (1) ſive per Prophetam monerentur, duram à Domino ultionem, multis variiſque identidem captivitatibus & oppreſſionibus afflicti, in ſuum caput provocarunt.

(1) Judic. 2. 1. *Aſcendit Angelus Domini de Galgalis ad locum flentium.*

IN LIBRUM JUDICUM

Primò igitur octennis servitutis jugo à Chusan Rasathaim, Rege Mesopotamiæ, oppressi sunt *Judic.* 3. 8.; à quo Othoniel, à Domino excitatus, armis in eum Principem motis, miseros relevavit. Post 40. annorum pacem iterum ad servitutem sub Eglon Rege Moab *Judic.* 3. 12.; tum iterum ad libertatem per Aod procuratam. Hunc Judicem excepit Samgar, qui percussis vomere 600. Philisthæis Israelem defendit *Judic.* 3. 31.

Jabin Rex Asor septentrionales Judæos sub jugo tenuit 20. annis *Judic.* 4., donec suscitata à Deo Debora, quæ in monte Ephraim jura dabat Israelitis, accitusque ab illa Barac exercitum compararunt in monte Thabor; commissoque cum Sisara Duce exercitus Jabin prælio victoriam sibi, libertatem Israelitis pepererunt. Ejus victoriæ epinicium cecinit Debora, cujus exemplar in Scriptura adhuc manet *Judic.* 5.

Dura dein servitute, quæ septennio perseveravit, oppressi Israelitæ à Madianitis, tandem relevati sunt à Gedeone. Angeli enim sibi per visum apparentis monitu, crebrisque factis ab illo prodigiis de jussione Divina Gedeon certior factus, comparatis undique copiis exercitum instruxit. Sed jussus à Deo ex hisce reformatis copiis 300. tantummodo selegit, cæteris rejectis. Tum inter sonitum buccinarum, & incensarum facium apparatum, quarum priùs lumen intra lagenas figlinas clausum iis disruptis statim apparuit, castra undique in ipso noctis silentio Israelitæ aggressi sunt. Inopinato strepitu atque Hebræorum aspectu territi hostes, ne re quidem tentata, statim in fugam effusi sunt; neque hic cessatum, sed versis in subita trepidatione in suos armis, mutua inter se cæde sævierunt. Ruentes in fugam Gedeon insecutus est in ulteriora regionis Transjordanicæ. Redux deinde duras de civibus Sochot, & Phanuel pœnas sumpsit, quippe qui insequenti antea hostes commeatus denegaverant.

Nihil ea victoria elatus Gedeon, cum à viris Ephraim per summam audaciam requireretur quid illos in belli Madianitici societatem non advocasset? demissè respondit, nihil se præstitisse, quod rebus ab Ephraimitis gestis posset æquari *Judic.* 8. 12.: *Nonne melior est racemus Ephraim vindemiis Abjezer?* Porrò Abjezer author erat familiæ Gedeonis. Cùm autem Ducis virtute, & prudentia capti milites regiam illi posterisque dignitatem deferre cogitarent, ille qua erat animi magnanimitate respondit *Judic.* 8. 23.: *Non dominabor vestri, nec dominabitur in vobis filius meus, sed dominabitur vobis Dominus.* De spoliis verò, concessis sibi hostium inauribus contentus cætera rejecit. Felici senectute diem clausit, relictis 70. filiis; quæ numerosa adeò, & florens posteritas tota brevi intercidit, uno excepto Joathamo, qui sublatis cæteris ab Abimelecho, altero filio ejusdem Gedeonis, pia fraude servatus est. Abimelech igitur rerum potitus, post exactum triennii regnum in Sichem, gravem suorum defectionem passus est. Seditiosis ducem se præbuerat Gaal, quocum inito ab Abimelecho prælio, victor Abimelechus devictum Gaal interfecit, Sichimitas prælio fudit; tum & capta eversaque Urbe totum ejus solum sale disseminavit. Dein ad obsidionem Thebes victor succedens, demissa è mœnibus turris Urbis obsessæ per fœminam mola molaria percussus, cum in extremis laboraret, armigeri in se gladium imploravit: ne scilicet, inquit, audiatur unquam Abimelechum, tantum Ducem, muliebri manu intercidisse *Judic.* 9. 10. 53.

Abimelechum exceperunt ordine Thola, Jair *Judic.* 10. 1. 3., Abesan, Ahialon, Abdon; Samson *Judic.* 12. 9., sub quibus non ita semper rebus felicibus usi sunt Israelitæ, quin ab Ammonitis hinc *Judic.* 10., inde à Philisthæis identidem affligerentur; non ita quidem ut regio in hostium potestatem veniret; sed ita tamen, ut tota excurreretur, diriperetarque, eaque omnia experiretur mala, quæ à potentioribus hostibus timere solent imbecilliores.

Ammonitæ Jordanis vada transgressi ditionem Juda, Benjamim, & Ephraim excurrerunt; quanquam hæc levia sunt si cum irrogatis ab ea gente malis in Judæos Transjordanes conferantur. Adnitebantur porrò illi, ut de possessis diutiùs sedibus Judæos expellerent, quorum afflictissimis rebus juvandis accitus Jephte cum fratribus *Judic.* 11. 13., post tentatas ab illo frustra pacis conditiones, ad arma conversus, prælioque hostes aggressus insignem victoriam reportavit. Cùm tamen voto se inconsulto obstrinxisset, immolandi scilicet quidquid sibi è victoria reduci primùm occurreret; & fortè regredienti patri nemo priùs quàm filia accurrisset obvia, ejus se voti reum teneri autumavit. Neque id tantùm victoriæ lætitiam temperavit, sed reduci etiam occurrentes Ephraimitæ incendio se ejus ædes absumpturos minitati sunt; quippe quòd socios ad bellum Ephraimitas non advocasset *Judic.* 12. Res ad bellum usque processit; quare consertis utrinque manibus, cùm victoria Jephti stetisset, Ephraimitæ in fugam conversi sunt; sed obsesso à Galaaditis Jordanis vado, quicunque transgressuri accedebant, si interrogati minùs rectè nomen schibbolet proferrent, pro Ephraimitis agniti statim trucidabantur. Samsonis Historia nihil nisi inauditum & supra fidem prodit. Viri ortum Angelus prænunciat *Judic.* 13.; ejus cum fœmina Philisthæa connubia ansam viro præbuerunt assiduis bellis hostes populi Dei vexandi. Eorum messes coactis 300. vulpibus, quas incensas faces trahentes in agros immiserat, misero incendio vastavit. Exerta asini mandibula uno impetu 1000. hostes trucidavit. Portarum Gazæ vectes foresque è cardinibus revulsas asporravit. Tandem meretricem deperiens, ejus precibus importunisque querelis devictus, roboris sui secretum omne revelavit; narrans ex intonsa coma, Nazaræatus, & consecrationis suæ insigni, provenisse illud, quod tantopere horrebant Philisthæi, robur infractum. Fœmina statim cæsarie viri amputata, capitis honorem simul abstulit, & libertatem. Namque ab illa in manus Philisthinorum tra-

ditus,

ditus, lumine statim captus, in atrum carcerem detrusus est. Sed viri injuria caro stetit Philisthæis; Festum enim diem simul in Templo Dei sui celebrantibus, cùm spectaculo populis exhibendo captivus productus fuisset, ille invocata priùs Dei ope, columnis Templi innixus, adeò valido apprehensas lacerto concussit, ut tota fabricæ machina subsidens casu suo omnes opprimeret. Ita moriens Samson majori fuit Philisthæis exitio, quàm vivens fuisset; quippe qui una secum ruina Principes omnes viros ejus gentis involverit.

Ad calcem Libri Judicum tres rejiciuntur historiæ, quas contigisse credunt Interpretes temporis spatio inter obitum Josue, & Judicem Othonielem medio. Omnium prima occurrit historia Michæ, qui erigi sibi Idolum, & ejus servitiis initiari priùs filium, deindè juniorem Levitam Bethleemitem curavit. Succedit Danitarum historia, in expeditionem Lais, sivè Dán, ad extremam septentrionalem oram Chanaanitidis, profectorum. Tertiò paret bellum filiorum Israel cum Benjamitis, in ultionem injuriæ à viris ejusdem Tribus in urbe Gabaa uxori Levitæ cujusdam irrogatæ. Hæc summa Libri Judicum.

De hujus Operis Authore ambigitur; alii enim Judices ipsos suæ singulos historiæ Scriptores assignant; alii Phineem, vel Samuelem, vel Ezechiam, aut Esdram. Sed unum eundem esse totius Operis Authorem, qui post Judicum ætatem floreret, satis produnt ea, quæ ad cap. 2. 10. & deinceps leguntur; ubi totius Historiæ generalis quædam idea & summa exhibetur. Observat enim Author, post Josue & Seniorum illi coævorum obitum, novam quamdam successisse generationem, nec Domini, nec beneficiorum ipsius in Israelem satis memorem. Ex oblivione, crimina & Idololatria derivata; tum Dei ultio & hostium ingruentium calamitas. Oppressis relevandis Deus identidem, sequitur idem Scriptor, Judices suscitavit, qui simul & rebus providerent afflictis, & Rempublicam curarent. Deo cum libertate simul restituebantur. mox verò inclinante in deteriora natura studia priora repetebant &c. Hi omnes characteres sunt Authoris, qui universam simul historiam Judicum præ oculis habeat, non partem tantummodò.

Quæ Operis hujus Authorem constituit Samuelem opinio, his potissimum fulcitur rationibus non contemnendis. 1. Operis Scriptor tunc florebat, cum Jerusalem à Jebusæis teneretur (1.), adeoque ante Davidis regnum. 2. Reipublicæ Hebraicæ administrationem ejusdem Authoris ætate penès Reges extitisse ex eo intelligimus, quòd toties inculcat sub Judicibus, nullum fuisse Hebræis Regem; id autem cum Samuele planè quadrat, quippè qui sub Saule agens, politiam suæ ætatis à politia sub Judicibus quantùm distaret, sincerissima illa narratione demonstrare volebat.

Sed contra hanc sententiam quædam opponunt. 1. In eo Libro occurrere nomen *Nabi*, designando Prophetæ usurpatum; quod sanè ab ætate Samuelis alienum erat; namque ait Author 1. Reg. 9. 9. *Propheta dicitur hodie* (Hebraicè Nabi נביא) *vocabatur olim Videns*. Sub Davide etiam, diu equidem post Samuelem, usurpatum nomen Videntis legimus (2.): *O' Videns reverseere in Civitatem in pace*. Sed pro hac sententia reponi posset, Samuelem utriusque operis Judicum, & primi Regum Authorem utrobique vocem *Nabi* ætate sua obtinentem adhibuisse; tunc autem aliud etiam nomen *Videns* non omninò obsolevisse, quanquam ita ratum esset, ut opportunè duxerit animadvertendum eos, quos sua ætate Nabi, olim Videntes appellari consuevisse.

2. Observant in eodem Libro mentionem occurrere *Domus Domini*, quę sanè phrases post constructum à Salomone Templum obtinere cęperunt. Sed eodem etiam nomine designatum Tabernaculum constat ex testimonio Moysis, Libri Josue, primi Regum, & quorundam Psalmorum Davidis.

3. In eodem Libro Silo urbem esse in terra Chanaan exprimitur: Quæ autem necessitas, inquiunt, Samuelem coegisset, ut in Chanaanitide scribens, & eosdem allocutus populos, situm ejusdem Urbis tam exactè describeret? *Inventæ sunt*, inquit, *de Jabes Galaad quadringentæ Virgines, quæ nescierunt viri thorum, & adduxerunt eas ad castra in Silo in terra Chanaan*. Sed facilè reponitur, nomen ibi Chanaanitidis per oppositionem adjectum esse ob Urbem Jabes, quæ Urbs est Transjordanica. Quis, rogo, miretur, si ad transitum ex una provincia in aliam designandum, utriusque Regionis nomina exprimantur?

4. Negocium facit potissimum in hanc sententiam testimonium ex Judic. 18. 30. 31. *Posuerunt sibi sculptile, & Jonathan filium Gersam, ac alios filios ejus Sacerdotes in Tribu Dan, usque ad diem captivitatis suæ. Mansitque apud eum Idolum Micha omni tempore, quo fuit Domus Dei in Silo*. Fusiùs hunc locum examinavimus in nostro Commentario; ubi etiam certam legendi Textus Hebraici rationem inivimus, qua indicatum ibi tempus cum ætate Samuelis, & liberatione à jugo Philisthæorum componeretur. Fatemur tamen ingenuè, testimonium illud, si fortè ad captivitatem Tribuum Zabulon, & Nephtali sub Teglat-phalassare, sive aliarum Tribuum sub Salmanassare referatur, alium postulare Operis Authorem, à Samuele plane diversum; nisi fortè scriptum Samuelis recensuisse Esdram (quod fieri potuit) admiserimus. Sed prætereundum non est, illum eundem textum, si vulgari sensu usurpetur, nescio quid præseferre repugnans & adversum. Namque cultus Idoli Michæ sublatus diceretur tempore remotæ Areæ à Silo; simulque idem cultus perseverasse usque ad tempus transmigrationis seu captivitatis Danitarum, nempè, ut citiùs, post 369. annos à capta per Philisthæos Arca. Si cessavit Prophetæ Samuelis ætate; quomodo usque ad Teglatphalassar, sivè Salmanassarem perseveraret?

CHRO-

(1.) Judic. 1. 21. *Jebusæum autem habitatorem Jerusalem non deleverunt filii Beniamin.*

(2.) 2. Reg. 15. 27.

CHRONOLOGIA
REGIMINIS JUDICUM
JUXTA USSERIUM.

Anno Mundi

2570. Moritur Josue 110. annos agens.

2585. Post ejus, ac Seniorum obitum, Israelitæ in legis dominicæ oblivionem incide-
runt; acciditqoe quod de Idolo Michæ relatum est; expugnatio urbis Lais, &
Idololatria partis Tribus Dan. *Judic.* 17. & 18.

Historia Levitæ, cujus uxori a civibus Gabaa illata injuria, & inde secutum bellum. *Judic.* 19. 20. 21.

Hoc tempus est circiter 22. annorum; 15. nempe, quibus Seniores Josue superesse potuerunt; & septem anarchiæ, & libertatis; quibus exactis Israelitæ sub jugum Chusan Mesopotamiæ regis acti sunt.

2591. Prima captivitas Israelitarum sub Chusan Rasathaim, quæ octo annos duravit: incæpit an.
2599. 2591. desiit an. 2599. Othoniel Israelem a servitute vindicat, anno quadragesimo post pacem a Josue regiooi partam.

Pax annorum circiter 62.

2662. II. Captivitas sub Eglone Moabitarum rege, quæ 18. annos doravit.

2679. Aod oppressos relevat.

Post Aod emersit Samgar, paxque fuit ad an. 80. postquam primò Israelem in libertatem asseruerat Othoniel. *Judic.* 3. 15. 30.

2699. III. Captivitas sub Chananæis, quæ 20. annos duravit. *Judic.* 4.

2719. Debora & Barac Israelem liberant.

A restituto per Aod populo ad finem regimiuis Deboræ & Barac 40. anni intercedunt;

2737. *Ninus Beli filius imperii Assyriorum fundamenta jacit. Assyrii Asia parte 520. an. potiti fuerant; at Ninus inito cum Ariao Arabum rege fædere, totam Asiam subegit, & 17. an tenuit.* Regnavit 52. annos.

2752. IV. sub Madianitis captivitas, quæ 7. an. duravit. *Judic.* 6.

2759. Gedeon Israelitas libertati restituit.

Ab Israele in libertatem a Debora & Barac vindicato ad restitutum a Gedeone, 40. anni fluxerunt. *Judic.* 6. 7. 8

2768. Post Gedeonis obitum populus in Idololatriam incidit. Abimelech Gedeonis filius 70. fratres suos occidit. *Judic.* 9.

2769. Abimelech Rex a Sichimitis inauguratur.

2771. Trienoio regnat, & in obsidioue Thebes interficitur.

2772. Thola post Abimelech Israelem regit 23. anois.

2781. *Argon primus Lydiorum rex Sardibus regnavit. Hoc regnum 150 annis perstitit.* Herodot. l. 1. c. 7.

2789. *Semiramis Nini uxor toti pene Asia 40. an. dominatur.* Jair Tholæ succedit, & 22. an. rerum potitur.

2795. V. captivitas sub Philisthæis, 18. an.

2799. Deus Israelem liberat a Philisthæis cis Jordanem, & ab Ammonitis, aliisqoe hostibus trans Jordanem incolentibus. *Judic.* 10. 18.

2816. Jair moritur. *Judic.* 10. 5.

2817. Jephte ab Israelitis Transjordaoicis Dux eligitur. Ammonitas profligat.

Quadraginta duo millia Ephraimitarum ad Jordanis vadum interficiuntur. Jephte 6. an. judicat. *Judic.* 11. 12.

2820. *Troja a Græcis capitur.*

2823. Jephte moritur, cui Abesan succedeos regit 7. an.

2830. Ahialon ei succedit, rerumque 10. an. potitur.

2831. *Semiramis obit, postquam 62. annos vixisset, & 42. regnasset. Et succedit Ninias.*

2840. Abdon Israelem judicat 8. annos post an. 2840.

2848. Heli defuocto Abdone Israelem judicat 40. annis.

VI. Captivitas sub Philistæis, quæ 40. an. duravit. *Judic.* 13. 1. Incœpit 7. Menses post initam ab Heli præfecturam.

2849. Samson nascitur. *Judic.* 13. 24.

2867. Samson Philisthæam ducit; inde incipit munus suum Defensoris, illudque 20. an. exercet.

2868. Samsoo messes Philisthæorum immissis 300. Vulpibus absumit. Hinc mille Philisthæos asini maxilla interficit. *Judic.* 15.

2887. Samsoo a Dalila proditur, excæcatur, & Philisthæis traditur. Eodem anno ruinis Templi a quò ductus fuerat, cum ingenti Philisthæorum turba obruitur. *Judic.* 16.

2888. Moritur Heli; Primordia Samoelis, qui a captivitate Philisthæorum Israelitas liberat. 1. Reg. 7. 14.

TABULA

TABULA CHRONOLOGICA
ÆTATIS JUDICUM,
Juxta Marshami Systema.

Anno ab exitu ex Ægypto 40. JOsue Israelem moderatur 25. annis ab anno quadragesimo ab Exitu ex Ægypto ad annum 65. post præfatum exitum.
65. Moritur Josue 110. annos natus.
Seniorum regimen.
99. Anarchia & Idololatria 34. annos post Josue.
Prima Captivitas sub Chusan quæ 8. an. perdurat.
107. Othoniel Calebi gener Chusan vincit, & pacem regioni restituit.
Pax quadraginta annorum.
147. II. Captivitas sub Eglon Moabitarum rege, qui 18. annis regionem Transjordanicam, & partem regionis Benjamin servitutis jugo premit.
165. Aod ab Eglonis jugo patriam suam vindicat.
Pax 80. annorum in regione Transjordanica usque ad Madianitarum invasionem.
185. III. Captivitas sub Jabin rege Asor, qui Tribus præsertim ad septentrionem Chanaanitidis existentes oppressit. Servitus hæc 20. an. duravit.
194. Samgar 600. Philisthæos interimit, & Israelitas liberat.
203. Debora & Barach Sisaram Copiarum Jabin Ducem profligant, opem ferentibus Tribubus Nephtali & Zabulon.
Pax 40. annorum, quæ ad an. 243. perdurat.
243. IV. Captivitas sub Madianitis septennio durat.
253. Gedeon, suppetias ferentibus Zabulon, Aser, & Nephtali, Israelem liberat.
Pax 40. annorum durante Gedeonis vita ad an. 293.
293. Abimelech triennio in urbe Sichem regnat.
Thola 23. an. judicat.
Jair judicat 22. an.
340. V. Captivitas sub Ammonitis Transjordanicis 300. post annos, quàm Israelitæ regione potiti fuerant. Hæc servitus 18. annis duravit.
363. Jephte Israelem liberat
Ammonitis trans Jordanem Israelitas opprimentibus, Philisthæi cis hunc fluvium incolentes Hebræos divexabant. Hæc servitus 40. an. duravit, & interea Samson & Heli judicarunt,
383. haud tamen penitus liberato Israele; qui a Samuele demum integræ libertati restitutus fuit 383. an. post Exitum ab Ægypto.
Hoc temporis intervallo Deus suscitat Abesan, qui judicavit 7. an.
Elon, qui decem,
Et Abdon, qui octo. At horum primordia, vel obitus nequeunt statis annis exacte affigi.
403. Saul regnat 40. an.
443. David totidem an. rerum potitur.
476. Salomon regnare incipit 476. an. post exitum ab Ægypto; & quarto regni sui anno Templi
480. fundamenta jacit.

DISSER-

DISSERTATIO
DE PRISCIS HEBRÆORUM ÆDIBUS.

SI quis in moribus & consuetudinibus veterum Orientalium gnaviter se se studendo exercuerit, ille plane ad interpretationem literalem Scripturæ non modicum inde adjumenti se retraxisse intelliget. Cum Libri Sancti & remotissimam præseferant antiquitatem, & in regione scripti sint à nostris usibus maxime aliena, vix Scriptorum sensus, mentem, & consilium assequemur, nisi loca illa, si non corpore, saltem mente, ut ita dicam, percurrentes, remotam antiquitatem veluti ponamus suboculis. Experimento plane doctissimorum Intrepretum, qui egregium rei usum fecerunt, plene docemur, nunquam satis nos habere cum veteribus commercii, omnique cautione studendum, ut à nostris vacuam præjudiciis mentem ad externorum mores discutiendos afferamus. Quæ cum ita sint, operæ pretium nos factutos duximus, si variam struendarum ædium rationem, ipsarumque ædium formam apud veteres Hebræos usurpatam cum ea, quæ nunc obtinet apud nostrates, comparemus.

Productos olim è terra homines instar plantarum autumarunt Prophani; eos vero sensim & per gradus profecisse dicebant, ut ratione uterentur; tum & post plura sæcula miscendi sermonis artem invenirent; ac postremo omnium factum est, inquiunt, ut abjecto erraticæ vitæ ac belluinæ genere antra sibi homines, & cavernas procurarent. Post antra, tentoria successerunt & casæ; casis ædes cæmento constructæ. Horat. l. 1. Sat. 3.

Cum prorepserunt primis animalia terris,
Mutum & turpe pecus, glande, atque cubilia propter,
Unguibus, & pugnis dein fustibus, atque ita porro,
Pugnabant armis, quæ post fabricaverat usus;
Donec verba, quibus voces, sensusque notarent,
Nominaque invenere. Dehinc absistere bello,
Oppida ceperunt munire & condere leges &c.

In Scriptura tamen primus homo inducitur sapientia plane singulari instructus, & sub ipsa conditi mundi crepundia domus occurrunt, & Urbes, iis simillimæ, quæ post plurium sæculorum experientiam construere sibi homines noverunt. Cain Urbem filio suo natu majori cognominem ædificavit Gen. 4. 17. Metallorum ratio, & usus, sicut & Musica instrumenta diu ante diluvium obtinuerunt Gen. 4. 21. 22. Nec imperitus plane architectus censendus est Noe, cui ideam & dimensiones Arcæ ab ipso construendæ Dominus designavit. Paulo post diluvium homines uno consilio rursum, & Urbem Babelis construendam assumpserunt; qui vero potuissent si nullam nossent construendæ fabricæ rationem? Si autem post ea tempora, sicut & hodie usque extant populi & gentes sub tentoriis, sive in antris degentes, non continuo tamen censendum est, nullam apud ipsos ædificandarum ædium, & condendarum Urbium ideam fuisse. Habitudine, & educatione factum est, ut eam sibi vitæ rationem familiarem habuerint; facile etiam earum regionum clima permittit, sive postulat, ut commodum sibi habeant genus illud vitæ, nobis inusitatum, & incommodum, quod sub Cœli plaga degamus diversa & plane opposita.

Venienti in Chanaanitidem Abrahamo regio tota florentibus Urbibus disseminata sese obtulit, ut faciles illi sedes in aliqua ex multis fuissent, quemadmodum Loth Sodomam concesserat; potuit etiam sibi & florentissimæ familiæ ædes fabricare; sed campestri vitæ genere electo, in tentoriis degere maluit; quod ab illo acceptum ejus A posteri tam ex Isaac, quam ex Agar, & Cethura servarunt. Neque hodienum plerique ex his populis commodius vitæ genus quæsiverunt; nihil sibi conducibilius ad suavem vitam rati, quam si in desertis & agris vagantes, nulli libertatem suam habeant addictam.

Post adeptam ab Israelitis Chanaanitidem, non statim papilionibus amotis ædes sibi populus fabricavit; adhuc enim in Galgalis sub tentoriis degerunt. Verum elapso ab ingressu in eam regionem septennio, cum singulis Tribubus peculiares sedes tunc primo assignatæ fuissent, ex agro in Urbes, ex tentoriis in ædes migrarunt. Sed à Cinæis nihil de pristino more variatum est; neglectis enim Urbibus, in agro & sub tentoriis, uti B antea, immorati sunt, sive in media regione Chanaan, uti Heber Cinæus Judic. 4. 17. sive in media Amalecitide, uti cæteri ex posteris Jethro 1. Reg. 15. 6. sive tandem in medio Regni Juda, uti Rechabitæ, qui Jeremiæ etiam ætate constitutis sibi ab Authore suo legibus inhærentes, & ab ædibus, & ab usu vini, ac tandem ab agricultura abstinebant, Jerem. 25. 6. 7.

Porro in iis regionibus, de quibus nuper egimus, cavernæ & petræ non tutum erant tantummodo in bellis rebusque turbatis effugium, sed jucundæ etiam, commodæ, & vulgares incolarum ædes. Nullæ erant commodiores sedes gentibus quibusdam, ad Erythræi litora, ad sinum Persicum, ad montes Armeniæ, Insulis Balearibus, C & Melitæ, quas gentes Græco nomine Troglodytas appellabant, nempe viros in cavernis latentes. Vide Plin. l. 6. c. 29. Strab. l. 11. & 16. Diod. l. 5. Hisce speluncis disseminati erant montes Arabiæ, Judææ, & Phœniciæ; ac teste Strabone lib. 16. in Ituræa immania quædam antra occurrebant 4000. hominum continendis aptissima. Apud Josephum Antiq. l. 14. c. 27. & l. 15. mentio fit de imperviis Galilææ specubus, quibus se continentes prędones nunquam potuerunt ab Herode exterminari, nisi cum demissi ope machinarum ex alto in sportis milites ad ostia cavernarum successerunt. Habebant recessus illi angustum & difficilem aditum, vix capientem singulos, interiora vero ampla & spatiosa, ut homines plurimos cum annona ad multos dies D continerent.

In Scriptura occurrunt spelunca Loth, quo vir ille & tota familia è Sodoma dilapsi sese receperunt Gen. 19. 30. spelunca Maceda, quinque Regum ab armis victricibus Josue & Israelis effugium Josue 10. 16. spelunca Ethan in qua Samson sese continuit Judic. 15. 8. Odollam, & Engaddi Davide ejusque exercitu celato notissimæ 1. Reg. 22. 1. & 24. 4. Aliæ leguntur ab Israelitis Madianitas & Philisthæos fugientibus excisæ Judic. 6. 2. & 1. Reg. 13. 6. Abdias œconomus Achabi in cavernis reconditos 100. Prophetas tenuit, quo furentis Jezabelis gladio subducerentur 3. Reg. 18. 4. Macchabæi Antiochum Epiphanem declinaturi, in speluncis sese conturaban- E tur 2. Macc. 6. 11. & 10. 6. Quo tandem nisi ad speluncas confugiebant Prophetæ & Justi ab impiorum persequutionibus in tutum sese recipientes Hebr. 11. 38? Pacatis Urbibus adhuc tamen excisa saxa petebantur, à Mundi corruptione effugium; commodissimas eas insuper sedes rati, ubi rerum Divinarum contemplationibus, & pietatis operibus exercendis liberius vacarent. Succurrunt in eam rem Eliæ, S. Joannis Baptistæ, & Jesu Christi exempla. Extat hodienum una ex his speluncis

tri-

tribus leucis à Sidone (1) quam ita describunt. Immane est saxum prægalti montis portio, in quo plurimi excisi specus, partim absimilis inter se locæ. Aditus duobus circiter pedibus in quadro patet, interiora ad 200. continent excisas cellas, 12. pedum in quadro. Ostium unum cellæ latus occupat, reliqua tria cellulæ, vel armaria quædam tenent duobus pedibus à solo elevata; parent autem quædam 3. pedibus in quadro, quædam hac dimensione majora sunt, quædam minora. Super ostium cujuscumque cellulæ canale est in saxo excisum, efferendis aquis de fornice stillantibus opportunum. Cum vero aliæ supra alias cellas incumbant, ex inferioribus ad superiores per gradus in saxo expressos ascensus datur. Tandem ad basim præalti saxi plures excisæ sunt cisternæ, servandis aquis destinatæ. Ex hac spelunca de reliquis judicium esto.

Cisternæ colligendis aquis pluvialibus destinatæ, sive quæ vino post vindemiam servando in ipsis vineis, aut juxta illas essossæ, cavernarum loco quandoque turum miseris effugium atque sedem præbuerunt. Partiarcha Joseph in cisternam Dothaim à fratribus demissus legitur Gen. 37. 20. &c. Israelitæ cum Philisthæos molestissimos dominos sustinerent, in cisternis sese continebant 1. Reg. 13. 6. Vir quidam ex fortissimis in exercitu David leonem in arentem cisternam prolapsum occidit 2. Reg. 23. 20. Cisternam arentem pro carcere toleravit Jeremias Jerem. 38. 8. Zeb vir inter Madianitas facilè princeps, in torculari delituerat, C seu porius in subterraneo quodam receptaculo servando vino, antequam in lagenas pro more illorum temporum reponeretur Judic. 7. 25. Fratres Regis Ochoziæ quadraginta numero in cisterna deprehensi omnes mandante Jehu neci traditi sunt 4. Reg. 10. 15 Loca tamen illa neque Hebræis unquam, neque finitimis populis domesticas sedes præbuerunt. Verum cum de Hebræorum ædibus sermo à nobis habeatur, hæc omnia animadvertisse operæ pretium fuit, adeo à nostris moribus aliena, ut vix lactu possibilia videri possint, si Palæstina veluti regio irrigua concipiatur, in qua raræ viserentur cisternæ, præterquam in Urbibus Montanis, ubi rari fontes & putei; sicut etiam si vinum servatum credatur apud illos, quemadmodum apud nos, in doliis, cellis Vinariis, & cavernis. D

In Palæstinam succedentibus Hebræis nullæ erant Urbes, nisi quas pullis Chananæis, armis sibi occuparunt: Deus enim eam regionem possidendam cum Urbibus, concesserat; cum Urbibus, inquam, aliena manu ædificatis, & cum vineis, & olivetis ab aliis sane dominis consitis Deut. 6. 11. 12. Porro Chananæç Urbes istæ validis munitionibus cingebantur, ac mœnibus ita præaltis, ut de illis usurparetur: *Urbes ad Cœlum usque muratas* Deut. 9. 1. Arces seu munitissimæ Urbes editis collibus insidebant, duplici interdum, triplici quandoque mœnium ambitu protectæ. Sed unus erat præ cæteris firmior murus, turribus per interjecta spatia munitus, quem excavata fossa, ac deinde antemurale, E de quo frequenter Scriptura (2), defensabant. Antemurale illud humilior erat murus, quem tantum aggesta terra & propugnacula tutabantur. Altitudinis, & crassitudinis veterum mœnium specimen exhibent ambientes Babylonem muri 200. cubitis è solo assurgentes, & 50. habentes crassitudinis (3). Vir qui nostra ætate rem oculatus testis inspexit, testatur, extantia adhuc rudera veterum mœnium urbis Ninive, murum exhibere 30. pedibus latum, & præaltum adeo, ut

A jactus ab homine lursum lapis vix altius evolaret (4) Cum Romani Jerosolymam expugnarunt, triplici mœnium ambitu urbs cingebatur (5). Paria ferunt de Urbibus Babylonis, & Carthaginis. Ecbatana septemplici muro protegebatur (6). Sed non mœnibus & arcibus, ut loci situ, munitissimæ erant Urbes Palæstinæ, in crepidine enim ardui montis constitutæ, omnes eludebant hostium conatus; si quæ autem minus rutæ loci natura fuissent, in naturæ adjumentum arte accita, murum excitabant immane, adeo & validum, ut ne tentari quidem ab hostibus posset. Videsis nostram Dissertationem de militia Hebræorum.

Urbes habebant, quemadmodum hodie usque in Oriente, nullo stratas lapide, sed mundissimas, B nulla in ea re cautione prætermissa. Frustra enim in illis quærerentur vel sanguinis macula, sive projecta bestiarum morticina, sive aliud quodcumque aeri corrumpendo, sive inficiendis legali macula Israelitis noxium: lecta sunt enim, quæ Moyses his sordibus amovendis præscripsit Deut. 23. 12. nec ignotus Judæorum horror in sanguinem Gen. 9. 4. Levit. 7. 26. &c. Quantum autem munditiæ studeret populus, satis demonstrant ablutiones tam privatæ (7) quam publicæ apud illos frequentissimæ. Nulla quidem ostendere licet apud illos publica ædificia balneis destinata, quemadmodum plura erant Græcis & Romanis, sicut & hodie Mahometanis (8); sed præceptum tamen singulis à Moyse legimus, ut balneis & lotionibus pro certis rerum eventibus uterentur; nempe pro eluendis legalibus & quotidianis maculis, quæ vix ac ne vix quidem vel à cautissimis evitarentur.

Non is erat Hebræorum Urbibus publicorum ædificiorum, & Templorum numerus & splendor, qualis in aliis Urbibus cæterorum populorum spectabatur. Unicum erat in toto Regno Templum, magnificentissimum tamen adeo, ut cætera aliarum gentium superaret. Post schisma Jeroboami, gemina alia ab eodem Principe excitata sunt, alterum in Dan juxta fontes Jordanis, alterum in Bethel, singulis aureis vitulis dedicata 3. Reg. 12. 30. Salomon nonnulla excitaverat Diis alienigenis, impio fœminarum amori indulgens 3. Reg. 11. 7. pravoque exemplo cæteros deinde Reges ad simile facinus induxit. In Israelis Regno majori licentia crimen pervagatum est. Sub Achaz & Jezabele præter gemina aureorum vitulorum Templa, alia quoque adjecta sunt Baal, & Astaroth Phœniciis Numinibus, quorum cultum Jezabel in Israelem invexerat 4. Reg. 16. 31, 32. Synagogæ in Urbibus nonnisi post captivitatem occurrunt (9). Jesu Christi ætate frequentes erant, quas magnificentia, & amplitudine sua munificentiæ conditorum & Urbium respondisse facile credimus.

Juri dicundo plerunque Urbis fores destinatæ. *Ne cogerentur agricolæ intrare Urbes, & aliquod subire dispendium, Judices in portis residebant, ut tam urbanos quam rusticos in exitu & introitu urbis audirent, & finito negotio unusquisque confestim ad propria reverteretur*, ait S. Hieronymus. Ædificia in eam rem destinata ipsis Urbium foribus adhærebant. Cum vero scriptis pareceretur ætate illa summaria fuisse judicia credimus, nullis ferme servatis judicialibus formis, solisque adhibitis testimoniis, quorum nunquam absuisse poterat in patentibus urbis foribus copia. Si quid venderetur, emereturque, aut pactione tractaretur in Urbis foribus & coram testibus, id sane ratum erat & firmum. Abraham pretio sibi speluncam & agrum Ephronis, ut Saram sepeliret, empturus (10),

præ

1. Maundrel Voyag. de Jerusal. pag. 108.
2. 3 Reg. 21. 23. & 2. Reg. 20. 15. Ps. 48. 14. Isai 8. 4. & 26. 1. Jerem. Lament. 2. 8. Nahum 3. 8.
3. Herod. l. 1. cap. 178.
4. Paul Lucas Voyage du Levant l. 2. ch. 11. pag. 56.
5. Joseph. de bello l. 16. cap. 6. Lat. & 13. in Græc. 6. Herod. l. 1. cap. 98. 7. Marc 7. 2. 3.
8. Vide Thevenot. c. 53. 9. Vide quæ disservimus 1. Macchab. 13. 42. 10. Gen. 23. 10. 18.

præ foribus Urbis Hebron se constituens, com Ephrone convenit, solutoque pretio coram omnibus Urbem ingredientibus, *confirmatus est ager quondam Ephronis Abrahæ in possessionem videntibus filiis Heth, & cunctis, qui intrabant portam Civitatis illius*. Quid autem potissimum servaretur in Judiciis ibidem ferendis, ex historia Ruth (1) satis intelligimus. Foribus ergo Urbis ædificium imminebat cum specula. In bello Abſalomi cum Davide, pius Pater, dum prælium committeretur, (2) sedebat *inter duas portas*; speculator verò in edito loco prospiciens, cum forte aliquem è prælio venientem spectasset, clamabat. David post auditum de nece filii sui nuncium, ut paterno dolori fræna liberiùs laxaret, *ascendit in cœnaculum portæ*.

Foribus accedebat platea, cogendis populis (3), & nundinis celebrandis destinata (4). Elisæus Propheta futurum prædixit Joramo Regi Samariæ, ut post solutam ab obsidione Urbem mane alterius diei farinæ modius præ foribus, sive in foro, siclo veniret. Usuram, & dolos nunquam recessisse è foro Jerusalem Psalmista Psalm. 56. 12. conqueritur. Quæ sacrificiis usui esse poterant, in ipso Templi atrio vendebantur, unde Jesus Christus impios licitatores depulit: indignum clamitans domum orationis speluncam latronum effici Matth. 20. 13.. Plateæ illæ vendendis rebus destinatæ, respondebant hodiernis Baxatiis orientalibus, qui atria sunt porticus perpetuæ, & fastigiatæ ambitu cincta; sub porticibus verò officinæ mercatorum patent. Viri mercaturam exercebant; fœminas enim vel in officinis parere nefas, qui etiam mos hodiedum apud Orientales manet. Solebant non raro advenæ, frustrà quæsito apud cives hospitio, noctem in foribus agere; diversoria enim tunc temporis rara habebantur, & frequenter nulla. Angeli Sodomam missi ut Lothum educerent, acturi totam noctem in foro videbantur Gen. 19. 2. Levita ille, cujus uxor injuriam à Gabaonitis acceperat, ad multam noctem in platea sustinuerat, nullum inveniens benevolum hospitem Judic. 19. 5.. Diversoria quidem alicubi occurrebant, quæ à fœminis deploratæ famæ habebantur. Fratres Joseph ex Ægypto reduces in diversorium, nocte subeunte, sese receperunt Gen. 42. 27.. Exploratores Jerichuntem missi apud Rahab diverterunt Josue 2. 1.. Samson cum Gazam venisset, in hospitio, quo cæteri advenæ, receptus est Judic. 6. 1.

Præter aulas, & areas cogendis populis sivè juri dicundo præ foribus Urbis destinatas, alia erant atria, & aulæ ad eam rem in Templo, in ædibus Principum, ubi Præfecti Regis, & Ministri Domini de causis cognoscebant, suam singuli exercentes potestatem, juxta politiam à Moyse constitutam. Cum in Jeremiam capitalis esset dicta sententia in cœtu Sacerdotum, & populi in ipso Templo congregato, Præfecti & Judices Regii in Templum coeuntes, causa rei iterum cognita, damnatum antea novo judicio absolverunt Jerem. 26.. De throno Salomonis, & atrio juri dicundo destinato legesis 3. Reg. 10. 18. &c. & 7. 7. 8.

Ex omnibus publicis Hebræorum ædificiis, magnificentissimæ post Domum Domini, cujus alibi fabricam latè descripsimus, ædes occurrunt Regum Juda, & Israelis. De ædibus Salomonis, veluti omnium pro ea ætate splendidissimis sermo est in Scriptura 3. Reg. 7.. Ædificium erat 100. cubitis longum, 50. latum, 30. assurgens; tres columnarum ordines, ex quibus tres fastigiatæ porticus ante conclavium faciem regnantes, totum ornabant. Latera etiam fulciebant porticus, columnæ & conclavia. Ædes Reginæ Sponsæ Salomonis & Filiæ Regis Ægypti ejusdem erant structuræ & magnificentiæ. In primo Regiæ Domus atrio constitutus erat thronus Regi, cum maxime jus diceret, destinatus. Marmoreo constabat lapide, ad quem cedrinis superinductis asseribus ornatum, per gradus ascensus patebat, quemadmodum fusiùs in 3. Reg. 7. 1t. Thronum ambiebant columnæ, porticus circum regnantis & testudinis speciem quamdam referentes.

Columnæ illæ cedro constabant, nec alterius erant vilioris materiæ trabes, & bases porticuum; unde nomen ædibus *domus saltus Libani*. Porrò huic ædificio construendo non nisi *lapides pretiosi*, juxta Scripturæ phrasim 3. Reg. 7. 11., in usum fuerunt, nempe exquisitissima marmora sedula arte expolita. Ab imo enim fundamento usque ad verticem, lævigati lective lapides utrinque quadrati, octo sive decem pedum, splendebant. In eo quippè vetetis magnificentiæ ratio posita erat, si grandiores lapides in ædificiis constituerentur, ad normam elaborati, & scitè adeo connexi, ut nullo cæmento, sive bitumine juncti simul viderentur; uno verbo, ut ædificium solidum esset, & compactum. Id autem maximè observant hodie usque quicunque loca illa Itinerantes petunt, ut in vetustissimis remotioris antiquitatis ruderibus in Ægypto, Palæstina, & Syria totum spiret soliditatem, & compactum aliquid in structura.

Peristylia verò illa & porticus perpetuò circà ædes regnantia duplici erant commodo; primò id efficiebant, ne Solis radii rectà in pariete incidentes immodico æstu torrerent; secundò ut ex una ædium parte ad aliam liber daretur aditus, ab injuriis Solis & pluviæ immunis. In atriis Principum milites Prætorii, cæterique qui rerum tractandarum causa ventitabant, sub hisce porticibus commodam moram trahebant. Palatia Principum Orientalium hodie usque ad hanc normam constructa sunt, nec alterius fuisse architecturæ videtur ædes Eglon Regis Moabitarum in Jericho; namque Aod post occisum proditione Regem, peristylium transgressus, ubi dispositi erant milites Regiæ domus custodes, evasit Judic. 3. 23. 24.

Materia omnis in ædificiis ejus ætatis vilior habebatur præ cedro. David consilium suum de construendo Templo Domini Nathano communicans 2. Reg. 7. 2.: Cernis, inquit, me pretiosas è cedro ædes incolere, cum interim Arca Domini sub pellibus detineatur? Salomon cedrinis asseribus Templum vestivit; cedro simul & marmore intermixtis instravit atrium interius Templi, vestibulum item Sancti, & atrium Regiæ Domus, ut totum pavimentum triplici constaret ordine lapidum, & altero cedrino; sed de cedri usu nos alibi fusiùs 3. Reg. 6. 36. & 7. 12.. Quid? columnæ porticus Regiarum Ædium fulcientes nonne cedrinæ? Jeremias in luxum Joakim Regis Juda invectus, ait: c. 22. 13. 14. *Facit laquearia cedrina, pingitque sinopide*. De picturis ceratis mentio occurrit 2. Macch. 2. 30. Ductæ picturæ illæ in ligno vel pariete, dein liquata cera oblitæ setis pannove fricabantur, qua de re Vitruvius l. 7. c. 5. sicut & aurata cerataque laquearia porticuum in Templo legas apud Josephum l. 18. c. 12. Tandem Scriptura quoties ædificii alicujus magnifici ideam ingerit, semper cedrinas ædes vel cedro vestitas memorat. Cant. 1. 16. & 8. 9.. *Fabrica nostræ lateritia corruerunt*; ità impudentissimè jactitabant Samaritani; *nos pro lateribus nitentes & expolitos lapides substituemus; ædificia nostra è sycomoro everterunt; cedrina ædificabimus*. Isai. 9. 10.

Nec

(1) Ruth. 4. 1. & Deut. 25. 6. 7. (2) 2. Reg. 18. 24. 33.
(3) Vide 2. Paralip. 18. 9. *in area juxta portam Samariæ*. Et 2. Par. 32. 6. *In platea portæ Civitatis*.
(4) Isai. 27. 25. & 2. Ibid. 3. 3. 4. Reg. 7. 1.

Nec cedrus tantummodò, sed ligna aliæ pretiosa, & ebur in ædificiis Salomonis spectabantur. Thronum juri dicundo destinatum auro micantem & ebore excitavit 3. Reg. 10. 18. & 2. Par. 9. 17.; sicut & cedro aliisque pretiosis & aliundè asportatis lignis constabant fulera porticus Regias Ædes cum Templo jungentis 3. Reg. 10. 12. Achabo Regi Israel Ædes erant ex eboris copia eburneæ appellatæ 3. Reg. 22. 39. Amos in divites Israelis invectus c. 3. 15., eversurum Deum minitatur domus hyemales, æstivalque, ædesque eburneas subversurum. Domus eburneæ mentio occurrit etiam Ps. 44. 9. quanquam sermo ibi potius de arculis, quàm de ædibus eburneis creditur.

Ad domus æstivas & hyemales apud Amos commemoratas quod attinet, operæ pretium est animadvertere, nullum fuisse caminorum apud Hebræos usum. Vix ad ignem accedebant; & si quando frigore adigerentur, prunæ in clibanum inferebantur, adjectis olivarum nucleis, vel simili quodam fomento. Regi Joakim sedenti ad prunas in conclavi hyemali & in arula ante se positas oblatum est volumen Jeremiæ, quod ab illo cultro discissum, igni traditum est. De olivarum nucleis ad ignem fovendum in summo hyemis algore sermo est apud Baruch 6. 42. Interdum in medio atrii ignis excitabatur, quod factum constat qua nocte Jesus Christus ad Summum Sacerdotem raptus fuit Luc. 22. 55. Templi culinæ (1.) atria erant 40. cubitorum in longum, & 30 in latum, quæ circum habebant dispositos focos coquendis victimis sacrificiorum pacificorum, quarum fumus libero aeri expositus nullo camini ductu efferebatur. Apud Osee 13. 3. sermo est de fenestris sivè foraulis undè fumus exhalabat: *Sicut fumus de fumario.*

Domus æstivæ variæ erant formæ, seu potiùs æstus mitigandi varia inita fuit ratio. Interdum subterranea parabantur loca Solis radiis impervia: *Subest cryptoporticus subterraneæ similis, æstate incluso frigore riget* (2.) Sæpè porticus erant amplæ, qua parte venti flabant patentes; qua verò Soli perviæ, pariete obductæ (3.) Auras captantem in perystilio Antiochum Epiphanem Ptolemæus pro Menelao deprecaturus convenit 2. Macc. 4. 46. Eglonem in æstiva domo agentem Aod interfecit Judic. 3. 24. Ægyptiorum aulæ, de quibus Vitruvios, cum in superioribus tantùm patentes superiores auras captarent, refrigeratum aera diutiùs continere credebantur. Persæ, authore Xenophonte in Cyrop. l. 8. non inductum tantummodo à natura refrigerium ex arborum umbra & petrarum algore sibi procurabant; sed loca etiam parabant umbrosa & algentia in ipsis domesticarum ædium fabricis. Ammianus Marcellinus l. 22. vidisse se perhibet Canopi in Ægypto conclavia ventorum flamine refrigerata. Loca erant patentia, Zephyris perflata in maximo etiam æstu. Conclavia æstiva hodie etiam apud Orientales frequentia in quadro constructa sunt, opere concamerato, paulò elatiora, ut per gradus ascensus pateat; auras verò captant ex superiori foramine, ex inferiori ostio demittunt (4.). Patuisse antem ædificia illa à septentrione tantummodo, ex Varrone, & Columella, ac Palladio intelligimus (5.)

Privatæ Hebræorum ædes nihil à finitimorum populorum distabant; nec variasse credimus ab iis, quæ hodie usque in Palæstina, Arabia, ac Syria obtinent. Exterior earum facies simplex, culmen in aream complanatum, solario quodam instratum est ex compressa terra, regnaotique circum lorica, ut labendi periculum omne amoveatur, juxta ac Moyses edixerat Deut. 22. 8. ambi- [A] tur; Tecta enim frequentabant Hebræi, tum auris captandis, cum etiam dum cœnarent, ac tandem quieti capiendæ. David in tecto domus obambulans, uxorem Uriæ in vicina æde lavantem prospexit 2. Reg. 11. 2. Gemini exploratores à Josue missi sub tecto domus Rahab cubarunt Josue 2. 6. cubavit & Saul hoc illi loco à Samuele parato 1. Reg 9. 25. Absalon indncendas jussit uxores David patris sui sub tentoria in tecto Regiæ domus expansa 2. Reg. 16. 22. Cum Samson Fanum Dagonis evertit, ingens hominum turba in tecto ejusdem ædificii versabatur Judic. 16. 27. In tecto item Regiæ domus Achaz Altare erigendum præcepit 4. Reg. 23. 12. Sacrificia super tecta oblata vitio Israelitis vertuntur apud Prophetas Jerem. [B] 19. 13. Sophon. 1. 5. Eundem morem spectasse creditur Jesus Christus illis verbis: *Quæ in aure auditis, prædicate super tecta Matth.* 10. 27.

Scalas, quibus in tecta ascenderetur, non intra domesticos parietes, sed extra ædificium sub dio positas ferunt. Viri illi, de quibus Luc. 5. 19. cum inferre per ostium paralyticum turba hominum fores obsidente prohiberentur; conscenso tecto ægrum funibus alligatum ante Jesum demiserunt. Jesus Christus Matth 24. 17. *Qui in tecto est*, ait, *non descendat tollere aliquid de domo sua*. Descendendum quidem erat ad fugam capiendam; sed vetat descensum in domum. Elpena apud Homerum Odyss. 11. v. 63. 64. è tecto per exteriores scalas descendens, quod pes falleret, præceps e [C] scalis corruens interiit.

Fenestræ non vitris obducebantur, sed velamentis sive cancellis; quare per cancellos in conclave Sponsæ respexisse Sponsus in Cant 2. 9. dicitur; & Eccli. 21. 26. Stultus in alienas domos introduci postulans, observat per cancellos janitorem; cum vir prudens extra domum sustineat. Cum in sacro Textu recludi fenestras legimus, de cancellis seu velamentis reductis dictum intelligendum est. Cum verò mulieres rarò domo exirent, & in conclavi suo clausæ retinerentur, sæpe è fenestris spectabant. Mater Sisaræ è fenestra respiciens, adventum filii sui præstolabatur Judic. 5. 28. Michol pompam translationis Arcæ è fenestra spectabat 2. Reg. 6. 16. sicut & Jezabel ingre- [D] dientem Jehu Samariam 4. Reg. 9. 30. Mulier impudica de fenestra domus suæ per cancellos in via transeuntes observat Prov. 7. 6. Cum Heliodorus jussu Seleuci ad expilandum Templum Jerosolymitanum venisset, puellæ & fœminæ euntem prospiciebant, aliæ è mœnibus, aliæ è fenestris 2. Macc. 3. 19.

Tentoria, & ædes mulierum seorsum erant à viris; ita tentoria Saræ, Rachelis & Liæ distincta fuisse legimus à tentoriis Abraham, Isaac, & Jacob. Salomon ædes ædificavit uxori suæ, filiæ Regis Ægypti 3. Reg. 7. 8. Jahel uxor Heber Cinæi suum habebat tentorium seorsum à viro; suam etiam domum Sponsa in Canticis. Quin nec mensam habebant communem fœminæ cum viris suis, si quando conviviis præter domesticos aliqui inter- [E] essent. Cum Abraham convivio excepisset tres Angelos, nonquam Sara apparuit; sicut nec Rebecca, cùm Eliezer ab Abrahamo missus de conjugio ejusdem puellæ cum domesticis ipsius inter cœnandum ageret. Scitum est, quid Regina Vasthi reponeret Assuero, ut convivio assisteret invitanti Esth. 1. 11. 12. Sed frustra in eam rem exempla ex Libris Sanctis congerimus, cum hodie usque eadem consuetudo in toto Oriente, & in Europa frequentissimè maneat.

Mos est in Palæstina hodie usque perseverans, ut ædificiorum omnium etiam magnificentissimo-

(1) Ezech. 46. 21. 22. 23. (2) Plin. in villæ descript.
(3) Juvenal. Satyr. 7. *Parte alia longis Numidarum fulta columnis, surgat, & algentem rapiat cœnatio Solem.*
(4) Leo Afric. Descript. Afric. l. 8. Cap. 4. Tavern. Voyage de Perse lib. 1. cap. 4. pag. 158.
(5) Varro de Re rust. Colum. l. 1. c. 6. Pallad. l. 1. tit. 12.

rum, & publicorum fores humiles sint adeo (quemadmodum & simile quid veteres quædam Ecclesiæ præseferunt), ut nonnisi incurvo corpore aditus pateat. Ejus rei in causa fuisse dicunt Arabum equitum excursiones, ne forte equitantes per Ecclesias, sive domos discurrerent. Cum tamen nihil simile contingeret, dum Hebræi regionem illam pacifica possessione tenebant; hinc facilè credimus eorum ædificiis appositas fuisse januas pro reliqua structuræ magnificentia. Sanè quæ in Scriptura, & apud Josephum describuntur, fores magnificentissimæ sunt, quanquam non domorum illæ fuerunt, sed Templi. Patuisse nonnullas restatur Josephus l. 2. contr. Appio. pag. 1067. usque ad 60. cubitos in altum, & 20. in latum; lib. vero 6. de Bello c. 6. usque ad 50. cubitos in altum, & 40. in latum, obductas laminis aureis, & argenteis describit. Janua Orientalis ex ære constans adeo immanis erat, & onerosa, ut non minus quàm 20. adhibitis viris clauderetur, recludereturque teste Josepho de bello l. 7. cap. 12. Vectibus ferro insertis fores clausæ continebantur, additus & pessulus, altiùs stipitibus ex integra solidissimaque petra constantibus, insertus. Laminas aureas, & argenteas à Templi foribus revellere, quò integrum exactum à Sennacheribo pretium solveret Ezechias coactus est 4. Reg. 18. 16. Januæ Gasæ, quas Samson revulsas secum tulit, ligneæ erant, lignoque pariter constabant stipites & superliminaria Judic. 16. 3 Hæ totius Orientis (1.) vulgarium nobiliorumque domorum fores. Postes & superliminaria lignea. Porrigitur in superiori & inferiori parte aliquid, cujus appositis aptè forulis insertæ ita sustinentur, ut in seipsas veluti in cardine revolvantur. Nullus illic ferri usus nisi in obducta foribus catena, quæ ferreo simul pessulo continetur. Occurrunt etiam alicubi ex unico marmore fores insuper in cardine girantes, qua in re nihil spectatur augustius januis sepulchrorum Regum Juda; unico enim perpetuo lapide in eodem saxo stipites, superliminaria, cardines excisa constant.

Portò valvæ istæ interiùs obfirmabantur opposito ligneo, sive metallino vecte cum pessulis. Vectes continebant annuli ærei, sive ferreæ catenæ. Urbes illæ Basanitidis, Avothjair dictæ, firmis mœnibus, æreisque vectibus muniebantur (2.) Eadem vox Hebræa נעל, quæ caligas inducere sonat, usurpatur etiam de foribus occlusis, ut idem sit ac valvas objecto vecte æreis vinculis adstricto obfirmare; quemadmodum enim olim caligæ ligulis adstrictæ pedibus revinciebantur, ita & vinculis vectes. Quare locus Deut. 33. 25. *ferrum, & æs calceamentum tuum*, commodè etiam reddi potest: ferreus, & æreus vectis & pessulus tuus.

Quo autem vincula illa solvi, & vectes, removeri possent, clavi utebantur veteres, incertum tamen cujus artificii. In postrema Jerosolymæ obsidione Idumæi ad ferendam opem à Zelotis acciti, in Templum introducti sunt, sica abscissis vectibus januas obfirmantibus (3.). Satis igitur non erat intus in domo esse foribus illis recludendis, sed clavi etiam resolvenda erant vincula, quò vectis amoveretur. Paria colligimus ex historia Eglon. Cum enim aulæ ministri aperire januas ab Aod occlusas non possent, clavis requirenda fuit, vinculis pessulum continentibus resolvendis Judic. 3. 25. Morem hunc alligandi, & resolvendi vectes sæpissimè innuit Scriptura. Balthasar Rex Babyloniæ ad Danielem Dan. 5. 16. *Ego audivi de te, quod possis obscura interpretari, & ligata dissolvere*, i. e. occlusa recludere; & Jesus Christus Matth. 16. 19. *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cælis, & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in Cælis*; nempe fores Regni Cœlorum pro tuo arbitrio occludentur recludenturque.

Nullum satis expressum in Scriptura compertum habeo testimonium de usu serarum apud veteres Hebræos. Namque vox *minbul*, מינעול, quam reddunt plerumque *sera*, designare potiùs creditur vincula vectes continentia. Jungi solet voci *Beriah*, בירח idest vectis, sive pessulus. Formæ horum vinculorum, & vectium concipiendæ nonnihil ex Cant. 5. 5. 6. deducimus; ait enim Sposa dilectum suum immisso per foramen januæ digito adventus sui indicium præbuisse; cum verò, inquit, ego statim resoluturi *ligaminum* (4.) *ora* cucurrissem, rorantia mirrham ab eo distillatam comperi. Erat ergo in medio januæ foramen brachio inserendo, quò scilicet introducta clavi interior vectis resolveretur. *Intus*, ait Scholiastes Arati, *inserè claves veteri more receptum est; nec enim exterius, uti nunc, solebant olim claves inducere Ægyptii & Lacones*. Nec difficilè credimus eundem in ea re, sicut & in aliis pluribus, fuisse Ægyptiorum, & Hebræorum morem. Addit Sponsa apprehendisse se ora sive manubria vinculorum, Hebræus ad literam *manus minbul*, idest manus calceamenti januæ, nempè extremam oram vincolorum vectis.

Eustathius in Odyss. A. ad fin. observat gemina fuisse vectis ligamina, ad dexteram nempè, & ad sinistram, hinc inde per certa foramina pendentia, quò scilicet claudi recludive ostium posset. Totum aperiendi ostii artificium, sicut & clavium formam, Homerus Odyss. φ initio concinnè describit, ita Penelopem domesticum ostium aperientem inducens. *Accepit clavem benè flexam manu forti, pulchram, ætream, manubrium autem eboris inerat .... Statim lorum solvit annulo; clavem ac immisit, januarum autem pepulit seras ante prudenter permovendo: hæ autem resonuerunt velut taurus pascens prato, tantùm sonuerunt pulchra porta percussa clavi. Apertæ sunt citò* Quare clavis ad vincula resolvenda multo quàm hodie major, lignea que erat vel eburnea in falcis modum retorta, qua involucro liberatus vectis removebatur. Claves quidem retortæ apud rusticos adhuc manent; quamquam nonnisi ad removendum pessulum aut vectem ligneum, qui intra murum reconditus, eductus deinde ac foribus appositus januam occlusam firmat. Tandem foramen illud in medio januæ patens ad brachium inserendum apertissimè in Apuleio patet Asin. l. 4. *Lamachus spectata virtutis sua fiducia, qua clavi immittendæ foramen, sensim immissa manu, claustrum evellere gestiebat*. Et lib. 1. ita de pessulo: *Subdita clavi pessulos reduco*. Portò januæ exteriùs, & interius obserabantur, nullo adhibito clavis usu. Aod egressus è cubiculo Eglonis ostium clausit; non incuriosè, nulla apposita clavi, uti S. Augustinus observat (5.); quamquam sine clavi ostium illud aperiri deinceps non potuisset; cujusmodi sunt apud nos seræ, quæ *veruclata* dicuntur. Homerus Odiss. A. v. antepen. Penelopem describit unam tantummodo ostij partem claudentem: *Januam attraxit annulo argenteo, insuper autem pessulum obtendit loro*.

Præter eas claves alias etiam obtinuisse, docet Salmasius in Solinum, quibus alterius generis vectis retineretur, & ad januam adstringeretur. Clavo in cocleæ modum perforato vectis insertus, cui deinde removendo recludendisque foribus clavis in promptu,

(1) Chardin Voyage de Perse tom. 2. p. 79. 80.
(2) 3. Reg. 4. 13. *seræ æreæ*. Legas pariter Ps. 106. 16. Vide & Isai. 45. 2.
(3) Joseph. de bello l. 4. cap. 7. pag. 881.
(4) Cant. 5. 5. 6. כפות המנעול
(5) In Judic. q. 23. *Aut tale clausura genus fuit, quod sine clavi posset claudi, nec sine clavi aperiri; nam sunt quædam talia, sicut ea, quæ Veruclata dicuntur*.

promptu erat spiralis, quæ spirali item circum volutione intra clavum inserta ac deinde retracta simul & clavum reducebat. Ita apertæ valvæ amoto, sive sponte decidente vecte. Porro clavem illam appellabant *Balanagran*, & clavum *Balanon*, quæ omnia Aristophanes ejusque Scholiastes insinuant non obscure; *Seram aut vectem diligenter inspice, ne pessulorum claustra* (Græce *balanon*) *possit rodere* (1). Successu temporum Laconicarum clavium usus promissimus & tutissimus omnium ad id usque obtinuit; quibus ostium exterius claudi potuisset absque eo quod per foramen januæ brachium, uti prius, intereretur. Crucis formam referentes (2), tribus erant dentibus instructæ; & si quando claudi aliquem intra domum contigisset, nulla illi aperiendi fores erat potestas, nisi exterius recluderentur. Autumat Suidas (3) vectem sive pessulum in Laconicis seris exterius appositum fuisse, ut si quis domum ingredi vellet, nunquam posset, nisi clavi immissa. Porro artificium illud minus conducebat fœminis, quæ in his regionibus, ædibus clausæ tenebantur. Quare ita apud Aristophanem conqueruntur (4): *Non ultra nobis licet, uti antebac, viros decipere. Viri enim jam claviculas ipsi gestant occultas, callidissimas, ac maxime malignas, Laconicas quasdam tres habentes claviculos. Sed prius quidem certe licebat aperire fores facientibus annulum triobolo, & vili pretio. Nunc vero iste ipsos verna Euripides docuit minuta, & quasi tineis corrosa habere sigilla appensa habentes*. Porro claves hasce vermiculis abrosas vera esse lignea frustula cariosa contendunt Scholiastæ, quæ scilicet ligna ceræ applicata sigilli loco essent, immo & sigilli tutioris, quippe quod falsari sigillum posset, ligni illius impressa figura non posset (5). Sed vix ego crediderim pro sigillis ligna cariosa obtinuisse; facilius enim autumarem in anulis gestata sigilla, quæ formam referrent ligni cariosi. Contigit insuper mihi spectare inter cymelia D. Abbatis Fauvel anulos quosdam æreos, habentes pro sigillo plura varia, & inæqualiter assurgentia puncta, quæ sane in ceras varias imprimere punctiones, vix adulterandas, nec male cariosi ligni figuras referentes debuerunt.

Cæterum de anulis multis forulis distinctis, ac de clavibus Laconicis, nihil in Scriptura expressum; sed anuli obsignandis foribus non raro occurrunt. Daniel fores Templi Beli Regio Darii anulo obsignavit Dan. 14. 13. 14. eodemque insuper obsignabatur ostium lacileonum Dan. 6. 16. 17. Moyses Domini verbis ait: *Nonne hæc condita sunt apud me* (nempe pœnæ ab impiis solvendæ) *& signata in thesauris meis* Deut. 32. 34. Job 9. 7. de Deo; *Stellas claudit quasi sub signaculo*. Sponsa in Cantic. 8. 6. optat poni se veluti sigillum in sinu, & brachiis Sponsi sui; eamque vicissim Sponsus comparat fonti obsignato Cantic. 4. 12. Eccli. 22. 23. optat custodiam ori suo apponi, & sigillum labiis; ac tandem tumulus Jesu Christi sigillo obfirmatus est Matth. 7. 66. Hunc anulorum rebus condendis usum post bellum Troianum obtinuisse Plinius l. 33. c. 1. contendit; namque ait tunc *conditas arcis vestes, vasaque aurea, & argentea, & ea colligata nodi non annuli nota Homerus indicat*. Sed falli virum ex adducto Moysis testimonio aperte convincimus. Plerumque Veteres claves æreæ sunt, nostris breviores, quod mire conjecturæ illorum favet, qui catenarias seA ras olim & frequentissime obtinuisse arbitrantur: Constat id, quantum assequor, ex Petronio.

Dum loquimur, sera sua sponte decidit.

Manere adhuc nostra ætate in Oriente, plurium ea loca peragrantium testimonio scimus (6). Et in Musæis DD. Foucaut, Fauvel, & Girardon Parisiis anuli ærei spectantur, ferentes clavem sigilli loco; quæ sane claves vix alium habere usum possent, quam pro catenariis seris vel arculis.

In toto Oriente seræ, & claves ligno constant (7). Clavibus autem aliquando brachii crassitudinem æquantibus, plerumque pollicis, utuntur; quaB dratæ sunt, oblongæ, cuspidibus ferreis 5. vel 6. per intervalla dispositis armatæ. Porro claves illæ in seras immittuntur non directe, sed per latera, & in obliquo; quibus autem armantur clavi, in clavos intra seram positos impliciti vectem ducunt, reducuntque, prout fores claudendæ sunt vel recludendæ. Seram illam parvum referre irpicem testatur Chardin (*Gouvern. polit. des Perses to. 2. p. 79.*) quo in lignum quoddam extentum immisso valvas obserari; superius autem demissam clavem ferreis cuspidibus armatam irpicem attollere. Vide etiam Dandini. (*Voyag. du Mont Liban p. 7. c. 14.*) Cujus sint antiquitatis claves iC stæ prorsus nescimus; sed apud Isaiam 22. 21. 22. Dominus fidem suam obligat Eliacim filio Helciæ, *daturum se clavem domus David super humerum ejus*. Extant etiam imagines veteres ex Ægypto relatæ, in quibus viri exhibentur impositam humeris gestantes clavim retortam, vel etiam clavim fere sola magnitudine à nostris diversam. Ad eas facile grandiores ligneasque claves spectare potuit Isaias.

Magnificam domorum supellectilem nunquam amarunt Hebræi; neque hodie usque finitimi Judææ populi usum norunt aulæorum, sellarum, cubilium, picturarum, atque statuarum, tum & D similium. Tota domorum supellex constat ampliori tapete super pavimentum instrato, atque ditissimis nonnullis pulvinaribus super Sopham positis. In strato ad vesperam tapete lectus paratur pannis, & culcitris; mane omnia removentur, ut vacuum per diem cubiculum appareat. Hi mores omnium ferme Orientalium, à quibus aliquanto recessisse Hebræos constat, apud quos nec sedilia deerant, nec tumultuaria erant cubilia. Salomoni Regum opulentissimo, auro ministrabatur; nihilque ipse sibi ad corporis & animi delicias reliquum fecit Eccl. 2.1.8 & 3. Reg. 10. 21. nihil tamen de supellectile Regiæ ipsius domus scriptum superest. Rex E Tyri, cujus opulentiam & fastum Ezechiel 28. 13. describit, gemmis & auro ipse, pretiosis metallis Regia domus nitebat. Urbem Tyri ditabant panni, gemmæ, & mercium pretiosissima quæque. Naves ejus gentis ebore distinctæ erant, & velis purpureis. Quo sane tempore Israelitarum opes increverant adeo, ut argentum non minus quam lapides suppeteret 3. Reg. 10. 27. supellectiles etiam divitiis respondisse debuerant; sed nos consuetos Israelitarum mores, non insuetam temporis alicujus conditionem respicimus. Quid igitur solerent Hebræi, colligimus ex hospitio à Sunamitide Elisæo parato 4. Reg. 4. 10. *Faciamus*, inquit, *ei cœnaculum parvum, & ponamus in eo lectulum & mensam & sellam, & candelabrum, ut cum venerit ad nos, maneat ibi*. Gravioribus quidem

(1) Aristoph. in Vesp. act. 1. sc. 2. (2) Vide Salmas. in Solin.
(3) In v. Laconicai.
(4) In Tesmophoriaz. Vide & Plaut. in Mostellar. *Clavim harumce ædium Laconicam jam jubet efferri intus, Hasce ego ædes occludam hinc foris.*
(5) Biter. in Aristoph. pag. 790. & Svidas in Thripedesta. Pausan.
(6) Tavern. cap. 4. pag. 43.
(7 Vide Cotovic. c. 11. Villamont. l. 2. c. 32. Merizon. l. 1. c. 18. Tavern. Voyag. de Perse c. 4.

verbis exaggerant Prophetæ & pompas ornamentorum, & vestium cultus, ac tandem ædificiorum superbiam; nihil tamen unquam de supellectilium apparatu exprobrarunt. Occurrit aliquando mentio de stratis sub pedibus pannis, quibus assidere, vel de pulvinaribus, quibus inniti consuevissent. Amos 2. 8. verbis castigat divites, qui *super vestimentis pignoratis* (nempe in pignus ab egenis receptis) *accubuerunt*. Ezechiel 13. 18. in Pseudo-Prophetas invehitur, qui, ait, perniciosa assentatione molle pulvinar omnium brachiis subjiciunt. In toto Oriente manet hodie usque tapetum & pulvinarium usus. Fœmina prostituta Prov. 7. 16.

A amasium suum his verbis invitat: *Intexui funibus lectulum meum, stravi tapetibus pictis ex Ægypto, asperfi cubile meum myrrha, aloe & cynnamomo*. Porro lectulorum usus non in Cant. 3. 7. tantummodo, ubi de lecto Salomonis sermo, sed alibi etiam frequenter in S. Scriptura, quemadmodum & sellarum, apparet. Apparent etiam apud Ezechielem 23. 41. lectuli, mensæ, unguenta super mensas posita: *Sedisti in lectulo pulcherrimo, & mensa ornata est ante te. Thymiama meum & argentum meum posuisti super eam*. Invehitur Amos 6. 4. in divites super eburneos lectulos cubantes, quorum omnia luxum spirant & voluptates.



DISSER-

DISSERTATIO
DE VOTO
JEPHTE.

VAriæ de voto Jephte agitantur quæstiones, singulæ in hac Dissertatione discutiendæ. 1. Quid potissimum voverit. 2. An jure voverit. 3. An voti fidem exsolverit. 4. An exolvens peccaverit?

Quamquam Scripturæ textus apertissime voti hujus genus exprimere videatur, non desunt tamen, quibus ipsa Scripturæ historia negocium faciat. Narrat igitur Judic. 11. 29 &c. *Factus est super Jephte spiritus Domini, circumiens* (Jephte) *Galaad & Manasse* obivit, cogendis scilicet in expeditionem Ammoniticam copiis: *Votum vovit*, sequitur S. Scriptura, *Domino, dicens: Si tradideris filios Ammon in manus meas, quicumque primus fuerit egressus de foribus domus meæ, mihique occurrerit revertenti cum pace à filiis Ammon, eum holocaustum offeram Domino*. Vovit igitur Jephte se in holocaustum oblaturum hominem illum, quicumque demum fuerit, qui è bello reduci, è domo ejusdem Jephte egrediens, ipsi primus occurreret; non enim ait, *quæ res prima occurrerit* (1). Alioquin autem uti scite S. Augustinus q. 49. in Judic. observat: *Neque enim est, aut fuit consuetudinis, ut redeuntibus de bello ducibus pecora occurrerent*. Nisi forte præ oculis habuisse Jephte malucrimus canem, qui venienti Domino adblandiens occurrere solet; quod esset voti genus tum per se ridiculum, cum in holocaustum offerre impium. Tandem Jephte fidem suam obstrinxit non dedicaturum se tantum quem primum obvium habuisset, sed & in holocaustum oblaturum: *Eum holocaustum offeram Domino*; quem sensum reddit litera Textus: *Erit Domino, & offeram in holocaustum* (2). Ita etiam reddiderunt Patres uno omnes assensu; nec sane aliter posset nulla vi Textui originali illata, ut infra.

Sed Textu licet invito non desunt recentiores quidam Interpretes ad alium plane sensum verba detorquentes. Horum alii Hebræum ita vertunt (3): *Erit egrediens, quod egressum fuerit è foribus domus meæ, in occursum meum, erit Domino, & offeram illud in holocaustum*. Voto igitur, inquiunt illi, dicavit Domino, quidquid primum sibi redeunti obvium sese obtulisset sive homo sive brutum; ita tamen ut homines dedicaturum se Domino, bruta vero in holocaustum daturum polliceretur. Nec eodem bruta omnia ritu oblaturum spondet; sed pecora & siquæ alia sacrificio apta, hæc quidem holocausto, cætera vero neci tantummodo de- A stinabat. Uno verbo, singula rite devovit. Ita vertunt Hebræi, ac recentiorum Interpretum (4) plerique?

Quicumque priorem literæ interpretationem sequuntur, ii sane fateri coacti sunt, Jephte filiam deinde suam Domino immolasse; quod rudem profecto ignorantiam, vel etiam hebetudinem in Judice Israelis, vel impium & infandum facinus argueret. Anne vero facile ignorare potuit Deum B humanas victimas detestari (5)? *Non facies Domino Deo tuo. Omnes enim abominationes quas aversatur Dominus, fecerunt* (Chananæi) *Diis suis, offerentes filios & filias & comburentes igni*. Nonne execrari se Deus impia illa & inhumana sacrificia alte adeo edixit, ut ejus rei ignoratio prætendi possit à nemine? Paranti autem impium votum offerre, nonne cæteri restitissent omnes Sacerdotes, Principes populi, cæterique? Post hæc C autem genus illud voti, tanquam gratum aliquid Numini, nuncupasse Jephte credemus?

Tandem quod nos de voto Jephte rectius sentire persuadet, illud est, nimirum oblatam ab illo filiam in holocaustum nuspiam in Textu legi. In Scriptura tantummodo apparet, puellam post impetratam à patre facultatem lugendi virginitatem suam duorum mensium spatio, eo elapso termino rediisse; deinde sequitur Scriptura: *Fecit ei* (pater) *sicut voverat, quæ ignorabat virum*; D i. e. reclusam ac cœlibem vitam vivere adegit; quippe quæ servitiis Templi Domini in Silo sub imperio Summi Sacerdotis mancipata est. Patrem rogaverat puella, sibi facultatem concedi non mortem, sed virginitatem plorandi. Norat igitur se à Patre non in necem, sed ad vitam cœlibem destinari; quod sane ejus ætatis moribus probrosum habebatur & triste.

Denique, addunt, si quid tale in filiam pater E commisisset, ut natæ suæ unicæ in holocaustum immolandæ voti se reum arbitraretur, nonne tamen fuisse Legis privilegio, destinato scilicet pretio tam carum sibi caput redimendi, quis non facile autumarit? Ita enim edicitur Lev. 27. 2. 3. *Homo qui votum fecerit, & spoponderit Deo animam suam, sub æstimatione dabit pretium. Si fuerit masculus, à vigesimo anno usque ad sexagesimum annum dabit quinquaginta siclos argenti ad mensuram Sanctuarii: si mulier, triginta. A quinto anno usque ad vigesimum masculus dabit viginti siclos, fœmina decem*. Porro hujus Legis sanctio quotidiano communique usu commendata vix à Jephte igno-

(1) והיה היוצא אשר יצא מדלתי ביתי 70. ἔσαι ὁ ἐκπορευόμενος ὃς ἂν ἐξέλθῃ ἀπὸ τῆς θύρας.
(2) והיה ליהוה והעליתיהו עולה
(3) Pagnin. Mont.
(4) Ioseph Kimchi, & alii Rabb. apud Munst. Vat. Clar. Druf. Gro. Lyran. Mariana, alii.
(5) Deut. 12. 31. Num. 21. 1. 2. 3.

ignorata crederetur. Fac autem ignorasse illum; annum spatio duorum mensium, quo voti executio dilata est, voti, inquam, tam celebris, nemini unquam succurrit? Hæc potissima sunt, quibus sententia negans oblatam à Jephte filiam in holocaustum fulcitur.

Sed hisce reponere possumus, 1. Quanquam Hebraicus Textus commodè redditus fuit: *Quod egressum fuerit è foribus Domus meæ in occursum meum, erit Domino, sive offeram illud in holocaustum*; non est tamen cur à versione Vulgatæ, Septuaginta, Syriaci, & Arabici recedamus, quæ simul omnes habent; *Quicumque primus fuerit egressus, eum holocaustum offeram Domino*. Porrò ea se res ultro prodit. An fortè sperare poterat Jephte occursurum sibi obviam bovem aliquem, aut ovem, aut capram? Nonne res est manifesta, homines tantummodo de victoriis ab amico relatis gratulatum venire? nec homines utcumque, sed amici potissimum, & necessarii, qui in aliquam gloriæ partem adveniunt. Alternativa illa, sive disjunctio perperam, contra fidem originalis Textus, invehitur; habet enim: *Erit Domino, & immolabitur in holocaustum*. Nec me fugit, particulam *Et* aliquando pro *seu* usurpari; sed in hoc sensu accipiendam quænam ibi ratio suadeat? Cum sanè Jephte votum suum nuncupavit, extraordinarium aliquid, & singulare Domino offerre cogitabat; nihil enim usitatum, nihil vulgare voluit. Quid autem novi vovisset, si primum ex pecudibus, sibi fortè è victoria reduci obvium in holocaustum vovisset? Alio igitur vir ille spectabat, cujus merito impetraturum se à Deo victoriam sperabat; voluit nempe voto tradere quidquid sibi maximè carum, & pretiosum fuisset.

Ad alteram rationem reponimus, 1. Nos quidem non ita esse comparatos, ut Jephte ab omni crimine absolvamus. Non enim ad hanc rem in examen revocandam accessimus. Fatebimur ultrò ejus voto nihil maximè defuisse, quàm scientiam, & discretionem. Quod impræsentiarum agitur, est, quidnam potissimùm vir ille voverit, atque necem devovisse contendimus illius, qui primus victori occurrisset. 2. Quanquam Deus humanas victimas detestari se, & Chananæorum sacra abhorrere non semel in Scriptura significavit; non continuò tamen omnia vota tradendi se in necem in Lege prohiberi censenda sunt. Scitum est enim integros quandoque hostium exercitus, & gentes devoveri consuevisse. Israelitæ prælio victi à Rege Arad, cum hostes habuissent à tergo insequentes usque Horma, promereri sibi Domini opem volentes, anathemati devoverunt seu exterminio totam latè ejus Regis ditionem & gentem Num. 21. 1. 2. 3., Amalecitæ, & Chananæi pariter simili anathematis religioni jussu Domini traditi erant; atque Levit. 27. 28. 29. sancitur: *Omne, quod Domino consecratur, sive homo fuerit, sive anima, sive ager, non vendetur, nec redimi poterit ...... omnis consecratio, quæ offertur ab homine, non redimetur, sed morte morietur*. Cum igitur Deus cavet, ne humanis victimis sibi litetur, illud prohibuisse tantummodo censendus est, ne cruenta sacrificia Idolis offerantur, neve paria sibi victimarum holocausta mactentur; sed vota ex hominibus, & pecudibus, nec hominibus tantùm hostibus populi Dei, sed neque domesticis, filiis, mancipiis, & subditis interdixisse unquam significat. Porrò vota illa ad necem alia planè erant à sacrificiis humanarum victimarum Legis sanctione cavendis. Sedulò etiam distinguendum est inter personas simplici voto Deo consecratas, quas redimi pecunia dabatur (1); & res anathemati devotas, quas nec redimi, nec à nece subduci permissum (2). Porrò si Jephte simplici voto filiam suam obligasset, ulis deinde Legis privilegio solutione 10. siclorum, si fortè puella decimum ætatis annum excedens nondum vigesimum expleverat, carum sibi caput ab imminenti nece subduxisset; neque enim tam rudem fuisse credimus virum, ut Legem ea de re ignoraret. Sed voti ab ipso nuncupati illud erat genus, ut redimendi omnem viam præcluderet; nempe anathemate, sive ut loquitur Hebræus, *Cherem* sese obstrinxerat, cujus generis res devotæ *non redimentur, sed morte morientur*. Frustra interpretes quidam exceptiones in hac Lege aliquas inferre tentarunt, quarum nulla extant in Lege vestigia. In Textu duo votorum genera liquidò distinguuntur, simplex nempe & anathematis; in utroque homines, bruta, & res inanimæ devoventur, hic facta redimendi spe, illic verò sublata. Hic pronus est Textus originalis sensus.

At enim Legum istarum sanctio dura prorsus est, nec sine crimine executioni mandanda. An fortè Jephte filiam suam in holocaustum Domino immolaverit, quo voti genere acceptum se Domino præstiterit? Iterum reponam; non hic agitur de facto, sed de sensu Legis. Moyses apertissimè pro nece rerum omnium voto obligatarum loquitur; votum illud Deus nunquam præcipit, sed tolerat; semel ac verò aliquis ea se promissione obstrinxerit, ac deinde fidem suam ad literam solverit, nihil hic quantum ad Deum attinet minùs justum. Deus tolerat divortium, legem talionis, aquas Zelotypiæ, Polygamiam, ultionem: an igitur hæc omnia vel probat, vel exigit? Si quid igitur in hoc voti genere impii, & inhumani, totum ejus rei crimen non in Deum quidem, sed in voventem regerendum est.

Cæterum non ii sumus, qui eo voti genere concessam singulis quibusque facultatem credamus, ut homines Deo devotos privata authoritate & pro libito morti addicant. Devovere nisi personas sibi subjectas nemini fas erat; permittebantur autem eo jure uti parentes in filios, Domini in famulos, quippe quibus jus esset vitæ & necis in suos. Par erat authoritas viri in uxorem, non verò inferiorum in inferiores. Ad hæc vix credimus, more, & consuetudine duram alioquì legem successu temporis temperatam non fuisse, appositis exceptionibus, & limitationibus neque apud Moysem expressis, neque nobis satis cognitis. Communis Reipublicæ, & familiarum ratio exigebat, ut sui essent Judices rebus hisce cognoscendis, & dirigendis constituti, qui eventus discernerent varios; quando scilicet ad literam impleri vota illa, quando relaxatione solvi debuissent. Facilè hæc omnia ad Sacerdotes deferebantur; quemadmodum & cæteræ quæstiones arduæ & implexæ. Tandem facilè credimus raro quidem de his rebus negocium factum fuisse Judicibus.

Quæ verò feruntur de consecratione filiæ Jephte, atque ipsius ad cœlibatum abdicatione, hæc nobis ad arbitrium merè excogitata creduntur, cum ne verbum quidem in Lege ea de re occurrat, neque ea afferantur monumenta, quæ rem extra controversiam posuerint. Nonne in Scriptura rotundis verbis asseruntur executioni mandata à Jephte omnia, quę voverat? *Et fecit ei, sicut voverat*. Pollicitus fuerat holocaustum; holocaustum ergo obtulit. Quanquam non ii sumus, qui reputemus immolatam puellam cæterarum hostiarum more in Tabernaculo, & super Altare Domini; facilè

(1) Levit. 27. 2. כי יפלא נדר בערכך נפשת ליהוה איש
(2) Ibid. ver. 28. כל חרם אשר יחרם איש ליהוה

facilè enim potuit fidem suam liberare pater, mactando filiam in regione sua, & in Montanis Galaad. Nec facilè divinaremus, quo ritu Sacrificium celebratum sit; quanquam etsi ritum nescimus, factum tamen constat.

Devotus Deo per vim & coactè cœlibatus, neque Deo quidem gratus, neque Divina jussione præcipi magis potest, quàm cruenta humanarum victimarum Sacrificia: & si patris viscera immitia adeò ut filiam perimant vix concipimus; nec sanè facilè intelligimus etiam potuisse illum invitam filiam cogere ad cœlibatum, cujus illa singulis annis duram necessitatem cum sociis puellis defleret. Proferatur ea de re vel unum exemplum in toto Veteri Testamento. Nullum tamen extare potuit rei, quam jus æquè naturale, & Divinum damnat. Coactum obsequium Deus non suscipit; neque cœlibis vitæ status res est, quæ præcepto nolentibus injungatur: Cœlibis, inquam, vitæ status, qui non in pœnam, sed in exercitium virtutis & pietatis injunctus sit. Quod autem observant ex Libro Judicum, de eadem filia Jephte deplorante non interitum, sed *Virginitatem suam*, eaque reversa fecisse ei patrem *sicut voverat, quæ ignorabat virum*; hæc quidem nunquam evincunt subductam à nece puellam, ad cœlibis vitæ propositum coactam, ac servitiis Tabernaculi perpetuò addictam fuisse. Deflet enim unà cum sociis puellis duram necessitatem, qua cogitur mortem subire, antequam conjugii pignora viduato parenti ferre potuerit, filium nempè, qui patrem in posteris perennaret. Ea erat ejus temporis conditio, ut sterilitas probro haberetur & maledicto; ac puella præcoci morte ante vitam claudens, quàm probrum illud à se depellere potuisset, miseranda reliquo populo & maximè coævis puellis habebatur. Cùm igitur voto sese obstrinxisset Jephte, oblaturum in holocaustum quicumque primus regredienti è victoria obvius processisset, satis erat postea expressisse Scripturam voti illum sui fidem solvisse, ut credamus filiam nece traditam reipsa interiisse. Quod autem additur, *Quæ ignorabat virum*, denotat tantummodò obiisse puellam, antequam conjugo copularetur.

Conveniunt in hanc sententiam Veteres Hebræi, Patres Ecclesiæ, & eruditissimi quique Veteres recentioresque Interpretes. Josephus Antiq. l. 5. cap. 9. rotundis verbis oblatam in holocaustum puellam asserit. Chaldæus Paraphrastes asserit immolatam à Jephte filiam, inconsulto Phinees Summo Sacerdote, à quo sane instructus pretio redempturus fuisset puellam. Author carminis in Marcionem inter Opera Tertulliani l. 3. canit.

Peccati votum violenta morte copernit.

S. Ambrosius Offic. l. 3. cap. 12. *Dura promissio, acerbior solutio, quam necesse habuit lugere etiam ipse qui fecit*. Permissam hanc necem in pœnam voti temere nuncupati autumasse videtur S. Hieronymus in Jovinian. l. 1. *Ut qui improspectè voverat, errorem votorum in filiæ morte sentiret*. Augustinus qu. 49. in Judic. certam tenens necem puellæ, factum improbat; namque ait, *fecit quod & Lege vetabatur, & nullo speciali jubebatur imperio*. Tandem concludit, quandoquidem nihil de viri facto dijudicat S. Scriptura, integrum nobis relictum esse, ut in ea re, quidquid sibi visum fuerit, quisque arbitretur, censeatque minus placuisse Deo votum illud; quare in pœnam temere emissi voti permissam puellæ necem: quò scilicet intelligant parentes, nihil se Deo gratum exhibituros, si humanis victimis, & maximè filiorum, cruentum sacrificium offerant; nec insuper ad fictas exhibendas promissiones ferantur, ea spe ducti, futurum ut Deus prodigiis suis, sicut olim Abrahamo, & filiorum incolumitati succurrat, & parentum fidem liberet.

Hanc S. Augustini sententiam luculentiùs exponit S. Joannes Chrysostomus, homil. 14. ad populum observans, sacrificium Jephte, quod SS. Librorum adversarii tanquam inhumanum & impium criminantur, argumentum esse apertissimum providentiæ Dei, ejusque in homines bonitatis. Si enim, inquit, patrem prohibuisset, ne temerè nuncupatum votum exsolveret, e sensim devenissent homines, ut pravum viri exemplum imitari, filios tandem suos indiscriminatim neci traderent. Quare Deus unius nece permissa id effecit, ne pravum exemplum in posteris perennaretur. Pseudo-Justinus in Quæstionibus ad Orthodoxos q. 99. & Theodoretus in Judic. q. 20. idem ea de re judicantes, permissam credunt necem filiæ Jephte à Deo, quò scilicet nos cautè nuncupare vota instrueremur. Patribus accensere possumus etiam turbam recentiorum Interpretum, qui votum Jephte ad literam interpretantes, filiæ necem ultrò admiserunt (1.). Ludovicus Capellus integra Dissertatione demonstrat, hanc esse opinionem inter Catholicos Interpretes regnantem; sed cum in facto conveniant, in jure dissident, an scilicet votum illud viri religiosum, an secus habendum sit.

Quidam ex Patribus laudibus prosequuntur & votum, & post votum, rem exequutioni mandatam, factumque dicunt, ut in præmium religionis victoria de hostibus gloriosa Viro divinitùs decerneretur; tum & laudes, quibus S. Paulus Hebr. 11. 32. 33. Virum prosequitur, elogium esse autumarunt, viro fidem servanti debitum. Animos in ejus favorem præparare videtur S. Scriptura, cum narrandam historiam ita suscipit Judic. 11. 29. *Factus est ergo super Jephte Spiritus Domini*: post hæc verba prosequitur obivisse illum regionem cogendis in bellum copiis, & votum Deo, de quo agimus, nuncupasse. S. Paulus inter Heroes Veteris Testamenti Gedeonem, Barac, Samsonem, Samuelem, Prophetas, & Jephte recenset, *qui omnes viri*, ait ad Hebr. 11. 32. 33. *per fidem devicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones*. Author quæstionum ad Orthodoxos q. 99. ne dubitans quidem asserit, viri erga Deum religiosi fuisse ut filiam sacrificaret, ex quo, inquit, in catalogum Justorum ab Apostolo meruit accenseri. S. Hieronymus Ep. ad Julian. scribit: *Jephte obtulit filiam Virginem, & idcirco in enumeratione Sanctorum ab Apostolo ponitur*. Possent & alii nonnulli tum veteres, cum recentiores ejus sententiæ patroni (2.) laudari. Scriptura insuper nullibi factum damnat, quin & primos viri impulsus ad S. Spiritum referre visa est, exordio illo narrandam historiam suscipiens: *Factus est ergo super Jephte Spiritus Domini*. S. Thomas, quanquam alioqui minùs viro favens, quippe qui votum stultitiæ, voti verò executionem impietatis condemnat; S. Thomas, inquam, fatetur fidem, & religionem Viri, quibus in votum adactus fuit, Spiritus Sancti motioni accepto referendam fuisse (3), ex quo a
inquit

(1) Serar. Tirin. Salian. Genebr. Cajet.
(2) Vide Auth. de Vita & morte 55. cap. 3n. inter opera Isid. Hispal. S. Anselm. Serar. Salian. Tirin. &c.
(3) D. Th. 2. 2. q. 88. a. 2. in resp. ad Sec. idem ibid. art. 2. ad 2. Vide Natal. Alex. Dissert. 19. de voto Jephte.

inquit ipse, in enumeratione Justorum ab Apostolo meruit recenseri. Sed addit, militaris animi ardore extra præscriptas à Deo metas advectus, præproperè nimis & incaute votum emisit, quod sane præpostera religione & fide deinde executioni mandavit. Hæc nobis æquior ea de re videtur sententia, Scripturæ magis, & Patribus consona. *Si Jephte obtulit filiam suam Virginem Deo*, ait S. Hieronymus in cap. 7. Jerem. *non Sacrificium* A *placet, sed animus offerentis*; & S. Ambrosius Offic. l. 3. cap. 12. *Non possum accusare virum, qui necesse habet implere, quæ voverat; sed tamen miserabilis necessitas, quæ solvitur parricidio.* Nec tamen hisce omnibus prohibemur, quin inter cæteros Sanctos, & Justos V. T. suum viro locum statuamus: *Propter bonam fidelemque vitam, in qua eum credendum est esse defunctum, tale meruit testimonium*, ait S. Augustinus q. 49. in Judices.



COM-

COMMENTARIUM
LITTERALE
IN LIBRUM
JUDICUM.

CAPUT PRIMUM.

Bellum adverſus Chananæos inferendum tribui Judæ defertur ; quæ cum tribu Simeon delet Adonibezec, capit Jeruſalem, ac alias quaſdam civitates. Othoniel devicta Cariath-Sepher, uxorem ducit Axam filiam Caleb, quæ a patre ſuo petit terram irriguam. Cinæi deſerunt urbem Palmarum, ac ſedem ſuam transferunt in deſertum Juda. Tribus Ephraim, Manaſſe, Zabulon, & Aſer minime delent Chananæorum reliquias, quæ in ipſorum hæreditate ſupererant.

1. POſt mortem Joſue conſuluerunt filii Iſrael Dominum, dicentes : Quis aſcendet
ante nos contra Chananæum, & erit dux belli ? 2 Dixitque Dominus : Judas
aſcendet : ecce tradidi Terram in manus ejus. 3 Et ait Judas Simeoni fratri
ſuo : Aſcende mecum in ſortem meam, & pugna contra Chananæum, ut & ego pergam
tecum in ſortem tuam. Et abiit cum eo Simeon. 4 Aſcenditque Judas, & tradidit Do-
minus Chananæum, ac Pherezæum in manus eorum : & percuſſerunt in Bezec decem
millia virorum. 5 Inveneruntque Adonibezech in Bezec, & pugnaverunt contra eum,
ac percuſſerunt Chananæum, & Pherezæum. 6 Fugit autem Adonibezech : quem per-
ſecuti comprehenderunt, cæſis ſummitatibus manuum ejus, ac pedum. 7 Dixitque A-
donibezech : Septuaginta reges, amputatis manuum, ac pedum ſummitatibus, collige-
bant ſub menſa mea ciborum reliquias : ſicut feci, ita reddidit mihi Deus. Adduxerunt-
que eum in Jeruſalem, & ibi mortuus eſt. 8 Oppugnantes ergo filii Juda Jeruſalem,
ceperunt eam, & percuſſerunt in ore gladii, tradentes cunctam incendio civitatem. 9
Et poſtea deſcendentes pugnaverunt contra Chananæum, qui habitabat in montanis, &
ad Meridiem, & in campeſtribus. 10 Pergenſque Judas contra Chananæum, qui ha-
bitabat in Hebron, (cujus nomen fuit antiquitus Chariath Arbe) percuſſit Seſai, & A-
himam, & Thulmai : 11 Atque inde profectus abiit ad habitatores Dabir, cujus no-
men vetus erat Cariath Sepher, ideſt, civitas litterarum. 12 Dixitque Caleb : Qui
percuſſerit Cariath Sepher, & vaſtaverit eam, dabo ei Axam filiam meam uxorem.
13 Cumque cepiſſet eam Othoniel filius Cenez frater Caleb minor, dedit ei Axam fi-
liam ſuam conjugem. 14 Quam pergentem in itinere monuit vir ſuus, ut peteret a pa-
tre ſuo agrum. Quæ cum ſuſpiraſſet ſedens in aſino, dixit ei Caleb : Quid habes ? 15
At illa reſpondit : Da mihi benedictionem, quia terram arentem dediſti mihi : da & ir-
riguam aquis. Dedit ergo ei Caleb irriguum ſuperius, & irriguum inferius. 16 Filii
autem Cinæi cognati Moyſi, aſcenderunt de civitate palmarum, cum filiis Juda, in de-
ſertum ſortis ejus, quod eſt ad Meridiem Arad, & habitaverunt cum eo. 17 Abiit
autem Judas cum Simeone fratre ſuo, & percuſſerunt ſimul Chananæum, qui habitabat
in Sephaath, & interfecerunt eum. Vocatumque eſt nomen urbis, Horma, ideſt, ana-

thema. 18 Cepitque Judas Gazam cum finibus suis, & Ascalonem, atque Accaron
cum terminis suis. 19 Fuitque Dominus cum Juda, & montana possedit: nec potuit
delere habitatores vallis, quia falcatis curribus abundabant. 20 Dederuntque Caleb
Hebron, sicut dixerat Moyses, qui delevit ex ea tres filios Enac. 21 Jebusæum autem
habitatorem Jerusalem, non deleverunt filii Beniamin: habitavitque Jebusæus cum filiis
Beniamin in Jerusalem, usque in præsentem diem. 22 Domus quoque Joseph ascendit
in Bethel, fuitque Dominus cum eis. 23 Nam cum obsiderent urbem, quæ prius Lu-
za vocabatur, 24 Viderunt hominem egredientem de civitate, dixeruntque ad eum:
Ostende nobis introitum civitatis, & faciemus tecum misericordiam. 25 Qui cum osten-
disset eis, percusserunt urbem in ore gladii: hominem autem illum, & omnem cogna-
tionem ejus dimiserunt. 26 Qui dimissus abiit in Terram Hetthim, & ædificavit ibi ci-
vitatem, vocavitque eam Luzam: quæ ita appellatur usque in præsentem diem. 27
Manasses quoque non delevit Bethsan, & Thanac cum viculis suis: & habitatores Dor,
& Jeblaam, & Mageddo cum viculis suis, cœpitque Chananæus habitare cum eis. 28
Postquam autem confortatus est Israel, fecit eos tributarios, & delere noluit. 29 E-
phraim etiam non interfecit Chananæum, qui habitabat in Gazer, sed habitavit cum eo.
30 Zabulon non delevit habitatores Cetron, & Naalol: sed habitavit Chananæus in
medio ejus, factusque est ei tributarius. 31 Aser quoque non delevit habitatores Ac-
cho, & Sidonis, Ahalab, & Achazib, & Helba, & Aphec, & Rohob. 32 Habita-
vitque in medio Chananæi habitatoris illius terræ, nec interfecit eum. 33 Nephtali
quoque non delevit habitatores Bethsames, & Bethanath: & habitavit inter Chananæ-
um habitatorem terræ, fueruntque ei Bethsamitæ, & Bethanitæ tributarii. 34 Arcta-
vitque Amorrhæus filios Dan in monte, nec dedit eis locum, ut ad planiora descende-
rent. 35 Habitavitque in monte Hares, quod interpretatur testaceo, in Ajalon, & Sa-
lebim. Et aggravata est manus domus Joseph, factusque est ei tributarius. 36 Fuit au-
tem terminus Amorrhæi ab Ascensu Scorpionis, Petra, & superiora loca.

℣. 1. POST MORTEM JOSUE CONSULUERUNT FILII ISRAEL DOMINUM.] Hebraicus Textus a conjunctione & hunc librum orditur, perinde ac Dominum consuluissent statim post obitum Josue; ast vulgo perhibetur Israelitas nonnisi post aliquot annos ab Imperatoris illius decessu animum advertisse, ut Chananæos armis lacesserent, & tunc demum, cum ii populi, quibus pepercerant, viribus præpollere, illisque terrorem immittere occœperant. Adonibezech e potentissimis erat Chananæorum Regibus, qui adhuc ea in regione supererant; ac mirum est, Josue, dum viveret, illum contempsisse, neque illi intulisse bellum, si tunc temporis imperabat; neque mirum est minus, quod post Josue mortem tantum sibi virium potuerit comparare. Clericus id, antequam Josue occumberet, asserit accidisse, ac paullo post quam tribus Juda, & Caleb hæreditate fuere donati. Verum ut hanc sententiam tuearis, magna vis est Scripturæ Textui inferenda.

Israelitæ Dominum consuluerunt, ut quo duce bellum, quod inferendum statuerant, esset ineundum, agnoscerent. Josue, quin successorem sibi cooptaret, e vivis excesserat; ideoque Seniores, quorum singuli tribubus suis præerant, optimum factu censuere, si in maximi momenti re, uni dumtaxat capiti, illique a Deo constituto; rerum omnium summa deferretur; Dominus autem, quin viro cuipiam sigillatim summam tribueret authoritatem, præcepit, ut Tribus Juda cum hoste congredi inciperet. Utrum universus Israel socias cum hac tribu vires contulerit, e Scriptura minimum liquet; illudque incertum videtur. Adonibezech cæso, cuilibet tribui vires suppetebant, ut Chananæos, qui in qualibet ipsarum forte aderant, persequerentur. Singulæ igitur suis quæque viribus illis intulere bellum in hæreditate sua; & ex decursu innotescit, futurum fuisse ut Chananæi penitus delerentur, si omni robore, viribusque Israelitæ fuissent adnisi, ac victoriam suam solida virtute confirmassent.

Josephus Antiquit. lib. 5. cap. 2. ait, Phinees consultum fuisse ad Domini voluntatem intelligendam: idcirco supponit author ille, virum hunc Summum Sacerdotem fuisse, & hoc aliquot annis post obitum Josue contigisse; nam aliquandio huic Hebræorum Imperatori Eleazar pater Phinees superstes fuit.

℣. 2. JUDAS ASCENDET.] Credidere nonnulli [1], *Judam* istic denotare virum, qui successurus esset Josue, non secus ac Josue Moysem fuerat subsecutus. At ex omni hujus historiæ decursu palam innotescit, *Judam* cognominem istic significare tribum, quæ communis est Patrum, Interpretumque sententia.

℣. 3. AIT JUDAS SIMEONI FRATRI SUO.] Duæ tribus Juda, & Simeon usquequaque proximæ erant, ac ipsorum hæreditas eadem erat quodammodo; nam Simeoni solum illud traditum fuit, quod re adhuc integra cesserat tribui Juda. Duæ hæ coeunt tribus communibus bellum illaturæ sumptibus, tum communi ipsarum, cum generali aliarum omnium tribuum utilitate; quod rite est distinguendum. Bellum adversus Adonibezech Israelitarum omnium intererat; nam Rex hic nequaquam in Judæ positus erat hæreditate: at alia bella, quæ capite hoc referuntur, & quæ communibus viribus, & consiliis Judæ, ac Simeonis gesta fuere, ad duplicem hanc tribum dumtaxat peculiariter attinebant.

℣. 4. TRADIDIT DOMINUS CHANANÆUM, AC PHEREZÆUM IN MANUS EORUM, ET PERCUSSERUNT IN BEZEC DECEM MILLIA VIRORUM.] Pherezæis nulla stata sedes erat; eorum nomen ruricolas, agrestesque homines significat; nomen vero *Chananæorum* deditos mercaturæ. Inter undecim filios Cha-
naan

[1] Vide apud Serar. hic, Abulens. Glycam par. 2. Melch. Canum l. 11. c. 5. Respond. ad 22. arg.

naan [1]; qui *Chanaan*, vel *Pherez* appellaretur, erat nemo. Chananæorum, ac Pherezæorum nomina istic ipsorum significant vivendi genus, non autem regionem. Populi hi convenerant in Bezec, Adonibezec, vel Rege Bezec duce; nam *Adon* Dominum significat, vel Herum; ac Princeps hic vocatus fuisse videtur Dominus Bezec de nomine urbis, quæ inter ceteras caput erat, quemadmodum nostris quoque temporibus apud viros principes assolet, qui a regionibus ditionis suæ nomen desumunt.

Quoad situm Bezec, nullum hoc nomine in tribu Iuda locum agnovimus; ac inde arbitror Bezec in hac tribu nequaquam fuisse, quod Saul suppetias laturus Jabes, quæ erat trans Iordanem, copias omnes in Bezec convenire jussit, quæ ideo magis ad Boream debebat vergere, qua Iordanem traducturus erat, ut proficisceretur in Iabes; quod apprime cum Eusebio, ac S. Hieronymo congruit, qui de duobus pagis *Bezec* sibi proxime hærentibus mentionem faciunt septemdecim passuum millia a Sichem Scythopolim versus. De Regis Bezec viribus, & feritate ex iis judicium ferre licet, quæ de septuaginta Regibus dicuntur inferius, quos ille devicerat, coegeratque, ut sub ipsius mensa comederent. Admodum credibile est Regis hujus impotentia Hebræos adactos fuisse, ut ad Dominum confugerent, atque ab eo exercitus ducem deposcerent. Iudas belli dux designatus statim populi totius communem hostem invasit, ac deinde cum Simeone copias, viresque conjungens peculiariter bello Chananæos est persecutus, qui eosdem in utraque tribu claudebant.

℣. 5. INVENERUNT ADONIBEZEC IN BEZEC.] Cum eodem congressi sunt prope urbem Bezec, ac decem militum millia ceciderunt. Liquet autem, quod *invenire*, occurrere quandoque significet, deprehendere, irruere in hostes. Septuaginta [2]: *ceperunt Adonibezec*, illum in servitutem asseruerunt.

℣. 6. CÆSIS SUMMITATIBUS MANUUM EJUS, AC PEDUM.] Hebraice habetur [3]: *absciderunt pollices manuum, & pedum*. Adonibezec ipse versiculo sequenti fatetur, se eodem supplicio septuaginta, quos devicerat, Reges affecisse. At cur hanc in ipsos exercebat crudelitatem? ne ulterius arma in eum possent distringere, uti ajunt; non secus ac olim Athenienses Eginæ [4] insulæ civibus pollices amputavere, ne possent amplius cum ipsis de maris imperio decertare. Romanæ historiæ plurima eorum suggerunt exempla, qui sibimet ipsis mulctam hanc irrogarunt, ne in bellum ire cogerentur: in quos conatus Romani patres animadvertere debuerunt [5]; & Augustus [6] cuidam patrifamilias pollices abscindi jussit, eo quod ille eos duobus filiis absciderat, ut militia vacarent. Milites, qui hoc peragerent, veluti rei perduellionis in judicium rapiebantur; & Ammianus Marcellinus lib. 15. qua voluptate militiam amplecterentur Galli referens, ait, apud ipsos neminem sibi pollices præcidere, ut bello abstineat; perinde ac id passim apud Romanos usuveniret. Servatur adhuc in Italica lingua nomen *poltrone* [7], quod hominem abscissis pollicibus, seu murcum significat, ut ignavus miles, ac iners denotetur. Imperator Constantinus [8] eos, qui sibi pollices obtruncasset, curialibus urbium muneribus addixit; at hæc exempla aliena forsitan sunt a re, de qua hic agitur. Adonibezec id unum quærebat, ut crudelitatem suam in calamitosos Principes, qui in illius servitutem ceciderant, exhauriret. David illis, qui necarant Isboseth, pedes, manusque præcidi voluit, Alexander Macedo cum prope Persepolim pervenisset, obviam habuit tercentorum Græcorum turmam, qui se eidem obtulere opem, ac libertatem exora-

A turi. His autem olim a Persarum Rege capti a fœde manus, vel pedes, vel nares, vel aures fuerant obtruncatæ, ac notæ servitutis barbaris iustæ characteribus, quæ deleri non possent [9]. Hæc mutilandi ratio in Oriente haud erat ignota: passim supplicium hoc infligebatur.

℣. 7. COLLIGEBANT SUB MENSA MEA CIBORUM RELIQUIAS.] Septuaginta Reges, in quos adeo fœde Adonibezec desævierat, Chanaan urbibus dominabantur. Singulis urbibus singuli Reges tunc imperitabant; quorum aliqui aliis potentioribus parebant. Adonibezec autem haud satis erat eos subegisse, quin etiam illos perquam indigne excipiebat, eosque veluti canes sub mensa vesci jubebat, quibus ea tantum erat esca, quod ipsi reliquum superesset comedenti. B Alia quædam haud absimilis feritatis exempla minime defuerunt. Sesostris Ægypti Rex cum triumphum agens reverteretur, currum a devictis regibus jubebat trahi. Lucanus lib. 10. Pharsal.

Venit ad occasum, mundique extrema Sesostris,
Et Pharios currus Regum cervicibus egit.

Imperator Valerianus [10] cum in Saporis Persarum Regis manus venisset, victori equum conscendenti pro scamno fuit; ac Tamerlanus Bajazetem Turcarum Imperatorem ferreæ abdidit caveæ, & non secus ac ferocem belluam aluit [11].

℣. 8. OPPUGNANTES ERGO FILII IUDA IERUSALEM CEPERUNT EAM.] Urbs hæc a Iosue prius fuerat capta [12]; saltem id credimus, quamquam id minime explicite referat Scriptura; ait enim dumtaxat, C Iosue cepisse, ac interfecisse Adonisedech Regem Ierusalem, & Num. 15. 63. filiis Iuda haud e voto cessisse, ut de hac urbe ejicerent Iebusæos, sed cum illis ibi fuisse immoratos. Nunc filii Iuda ea potiuntur, ac igne admoto comburunt, atque inde ad alias victorias se conferunt. Sacer Textus non innuit istic, eos in Ierusalem permansisse, verum id satis palam ait in eo Iosue, quem attulimus, loco; atque ex ℣. 21. hujus capitis ibi filios Beniamin cum filiis Iuda una commoratos fuisse intelligimus, & neutros delere potuisse Iebusæos, qui illic aderant, & qui semper, usque ad David tempora, qui eamdem civitatem illis ademit, ibidem sunt dominati.

Animadvertimus in Iosue, Ierusalem ad tribus Iu- D da, & Beniamin æque spectasse, cum in utriusque finibus esset. Borealis pars Beniamin fuisse dicitur, Iudæ vero meridionalis. Nomen *Jerusalem*, quemadmodum pronunciant Hebræi, dualis est numeri, ac duplicem civitatis partem potest significare. Sed cum veteres constanter usquequaque legerint Ierusalem in singulari, ac nomini huic singularia verba semper fuerint apposita; nullum reor erui posse argumentum e recentiori modo, quo enunciant Iudæi, ut probare possis, duas fuisse partes in Ierusalem, quarum altera Iudæ fuerit, Beniamin altera; factum quidem minime inficiamur, argumentum solummodo vocatur in dubium. Sed quamtumvis Ierusalem hæreditatis jure neque integra, neque dimidia tribui Iudæ cessisset, eam tamen hæc tribus jure victoriæ esset E adepta, non secus ac aliæ plurimæ civitates juxta eadem belli jura ab una tribu in aliam migravere.

TRADENTES CUNCTAM INCENDIO CIVITATEM.] Hebraice, *posuerunt cunctam civitatem in igne*, non secus ac sit Virgilius Æneid. 2. *dare classibus austros*. Urbs nequaquam penitus conflagravit. Modo autem diximus post factum hoc Iebusæos, filios Iuda, & Beniamin in ea permansisse.

℣. 9. IN MONTANIS, ET AD MERIDIEM, ET IN CAMPESTRIBUS.] Terræ promissæ pars, quæ magis

M 2 ad

1 Genes. 10. 15. 16. 17. 18. 2 70. κατέλαβον. Hebr. וימצאו. 3 ויקצצו את בהנות ידיו ורגליו.
4 Ælian. Var. hist. l. 2. c. 9. Cicero l. 3. de Offic. 5 Vide Valer. Max. de Severitate l. 6. c. 5.
6 Svetonius in August. c. 24. 7 Cornel. a Lapide hic. Vide Bonfrer. & Serar.
8 Lib. 7. Cod. Theodos. de filiis mil. App. &c. 9 Diodor. Curt. Justin. 10 Eutropius, & Aurel. Victor. 11 Jovius, & alii qui de rebus Turcicis scripsere. 12 Josue 10. 25.

ad Austrum vergebat, cesserat tribui Juda; terra hæc montibus valde erat impedita, sed qua spectabat occasum in opima, ac læta campestria patebat. Chananæi adhuc aliquot iis omnibus in locis urbes possidebant; Judas eas omnes, quæ in montibus erant sitæ, subegit, at illis, quæ in campestribus positæ erant, potiri non potuit. Vide inferius ℣. 19.

℣. 10. CONTRA CHANANÆUM, QUI HABITABAT IN HEBRON.] Tertio nunc de Hebron capta sermo est. Iosue primum eam cepit, cum quinque Chananæos Reges bello est persecutus Iosue 9. 36. Caleb ea iterum deinceps potitus est, cum ipsi fuit tradita in hæreditatem Iosue 15. 13. 14. Filii Iuda nunc tandem post Iosue mortem illi inferunt arma. Quo autem pacto hæc possunt conciliari? Reor quidem postremum hoc bellum veluti per anacephalæosin hic referri, & hoc minime ab eo differre, quod tribus suæ viribus Caleb gessit, dum adhuc inter vivos degeret Iosue. Cum enim aliæ tribus Iuda victoriæ istic essent enarrandæ, illius iterum mentio est instaurata. Alioquin circumstantiæ tum in bello Caleb, tum in hoc, similes penitus sunt; Dabir ab Othoniele capta, Axa Calebi filia nuptui tradita Othonieli in virtutis illius pretium, & cetera de verbo ad verbum, quemadmodum istic, in Iosue libro exscripta leguntur. Iosue quidem primum Regem Habron ceperat, urbem incenderat, obvium quemque e civibus trucidarat: sed dum aliis bellis distineretur, Gigantes filii Enach ibi sedem suam constituerunt, communiveruntque, & deinceps opus fuit, ut eo Imperatore adhuc degente civitas illa caperetur. Hoc autem a ℣. 10. ad 16. refertur.

℣. 13. OTHONIEL FILIUS CENEZ, FRATER CALEB MINOR.] Fratris nomen hic in arctissima consanguinitate conjuncti sensu explicamus. Videri ea possunt, quæ dicta fuerint in cap. 15. 17. 18. Iosue de historia Caleb, Othoniel, & Axæ. Occurrunt istic voces eædem, eædemque difficultates.

℣. 16. FILII AUTEM CINÆI COGNATI MOYSIS ASCENDERUNT DE CIVITATE PALMARUM.] Quæ est in deserto Iuda. Cinæi ab Ietro socero Moysis orti, & Hobab uxorio fratre ejusdem, Israelitis adhæserant [1], cum ipsis in deserti itinere manserant, eosque in terram promissam fuerant secuti. His autem sedes constituta fuit in tribu Iuda, ac in Palmarum urbe commorati sunt, donec Iosue vixit; verum cum hic ad plures abiit, hi populi, vel quod non adeo ipsis ea pars e voto cessisset, vel quod eos veteres illius regionis incolæ vexarent, copias suas cum viris Iuda, qui in Arad bellum inferebant, conjunxere. Hac regione in ditionem accepta, Cinæi ibi sedem suam posuere, ibique ad Saul usque tempora Amalecitis immixti permanserunt. Cum autem Deus imperavit Saul, ut Amalecitas bello lacesseret, Rex ille per nuntios prius Cinæos admonuit, ut ab eo populo sejungerentur, neque enim jubebat Deus hos eodem obrui supplicio [2]. Cinæi a Chaldæo vulgo *Salmæi* nuncupantur; at Salmæi sunt populi Arabiæ. Ptolomæus loquitur de *Salma* in Arabia deserta, & Plinius l. 6. c. 26. de Salmania.

Palmarum urbs [3] juxta nonnullos [4] erat *Jericho* palmis suis celeberrima. Verum quinam Iericho habitari poterat, dum viveret, vel paullo post quam inter vivos esse desiisset Josue, cum tot mala precatus esset Dux ille in eos, qui urbem hanc e ruderibus suscitarent [5]? Nonne liquet hanc perfecte instauratam vix fuisse, dum Achab regnaret in Israel [6]? Urbs ergo Palmarum alius quipiam locus erat in agro Jerichuntino, ubi arbores hæ passim vigebant [7]: qui locus plane Engaddi fuit, qui non aberat admodum [8], & qui quandoque vocatur *Hazazon-Thamar* Palmarum civitas, propter magnam palmarum vim, quibus tractus ille consitus erat. Urbs hæc inter Jericho, & mare mortuum erat sita, mari huic satis prope: qui situs potiori jure quam planities Jericho iis convenit, quæ de veteri Cinæorum regione cognovimus. Vide ad Numer. 24. 21.

QUOD EST AD MERIDIEM ARAD.] Arad urbs erat ex maxime australibus regionis Juda. Israelitæ, cum adhuc in deserto vagarentur, voto se se obligarant, ut universam Regionem Arad, cujus Rex ipsos aggressus, ac usque Horma fuerat insecutus, anathemata devoverent. Non desunt Interpretes, qui putent [9], bellum, de quo hic sermo, per prolepsin in Numerorum libro cap. 21. 1. 2. 3. fuisse enarratum. Cinæi ultra Arad in Arabiam progressi sunt, & cum Amalecitis se se immiscuerunt.

ET HABITAVERUNT CUM EO.] Videlicet cum civibus Arad, vel cum viris Juda, qui regionem Arad occupavere. Prior sensus mihi magis arridet, sumendo Arad pro civitate Amalecitis finitima: Filii Iuda cum eam regionem subegissent, Cinæis posteris Ietro tradiderunt, qui cum indigenis permixti ibidem incoluerunt.

℣. 17. CHANANÆUM, QUI HABITABAT IN SEPHAAT.] Civitas *Sephaat* eadem plane est, ac *Sephata* prope Maresam in magis meridionali regione Juda, ubi Rex Asa adversus Zaram Arabiæ, vel Chus [10] Regem dimicavit. Hæc urbs *Sephaat* vel *Sephata* appellata fuit *Horma*, ex quo Israelitæ anathemate devoverunt terras Regis Arad, quemadmodum superius dictum est.

℣. 18. GAZA, ASCALON, ACCARON.] Tres Philistiim civitates, de quibus alibi sermo fuit. Hæ porro in hæreditate Juda continebantur; sed videtur Josue *illis nequaquam* fuisse potitus, quandoquidem capite XII. Iosue ℣. 3. *de quinque* Satrapiis Philistiim est sermo, perinde ac adhuc ad eos populos pertinerent. Romana Septuaginta editio [11] refert, civitates has a filiis Iuda haud captas fuisse; hujus enim loci textui negativam particulam addit. S. Augustinus qu. 5. in Iudic. & Procopius eodem pacto legerunt, cui lectioni totus favet narrationis decursus. Iosephus Antiqu. l. 5. explicite asserit, Filios Iuda duas tantum urbes in planitie cepisse, scilicet Ascalonem, & Azotum, Gazam autem, & Accaron nequaquam captas fuisse; quoniam in vasto agrorum æquore erant positæ, ac Philistiim bellicorum curruum vim magnam habebant: hoc autem sequenti ℣. legimus: scilicet Iudam montana cepisse, at non potuisse delere habitatores vallis, quia falcatis curribus abundabant. Civitates autem Gaza, Ascalon, & Accaron in valle erant positæ. Denique capite 2. ℣. 3. libri hujus adnotatur, Deum abscondito altissimæ sapientiæ suæ consilio reliquisse medias inter Israel quinque Philistiim Satrapias, e quarum numero Gaza erat, Ascalon, & Accaron. Dicendum igitur, Hebraicum textum, cui Vulgata adhæsit, istic mendo non vacare, atque negationem addendam esse, fatendumque filios Iuda tribus his civitatibus nequaquam fuisse potitos.

Verum ut Hebraicus textus, Chaldaica lectio, Vulgata, ac Græca pleraque Septuaginta exemplaria vindicentur, responderi potest, filios Iuda non diu potuisse tueri urbes Gazam, Ascalonem, & Accaron, quas ceperant, eo quod mediæ essent inter Philistiim, qui tunc temporis maxime viribus præpollebant: vel ipsos agros tantum, vicosque trium harum urbium cepisse, quin potirentur iisdem. Sæpius ager urbi subditus pro urbe usurpatur, non secus ac quinque Reges in Maceda [12] capti fuisse dicuntur; quod prope urbem eamdem capti fuerint.

℣. 19.

1 Vide Exod. 18. 27. 2 1. Reg. 15. 16. 3 עיר התמרים 4 Ita Rabb. Jonat. & alii.
5 Josue 6. 26. 6 3. Reg. 16. 34. 7 Vide Grot. Clar. &c. 8 Vide ad Josue 15. 62.
9 Vide Bonfrer. hic. 10 2. Par. 14. 9. 10. 11 Roman. Codex interpp. Καὶ οὐκ ἐκληρονόμησεν Ἰούδας τὴν Γάζαν, οὐδὲ τὰ ὅρια αὐτῆς, οὐδὲ τὴν Ἀσκάλωνα, οὐδὲ τὰ ὅρια αὐτῆς, καὶ τὴν Ἀκκαρὼν οὐδὲ τὰ ὅρια αὐτῆς, τὴν Ἄζωτον, καὶ τὰ περισπόρια αὐτῆς. Ita fere & Codex Alexand. Reliqua Septuaginta exemplaria addunt pariter *Azotum*, verum absque negativa particula, non secus ac vulgata. 12 Josua 10. 16. 17.

A ℣. 19. Nec potuit delere habitatores vallis, quia falcatis curribus abundabant.] Textus non ait explicite, illos non potuisse delere [1]; verum intelligi potest, perinde ac legeretur: eos noluerunt delere, cum ipsis congredi non ausi sunt. Nam quid illis erat timendum, cum eos Dominus tueretur? Num majorem incutiebant in agris formidinem currus Philisthiim, quam robur, ac vires Gigantum filiorum Enac in arcibus, atque montanis civitatibus? Hebraice non legimus *falcatos currus*, sed tantum [2] *currus ferreos*. Romana Septuaginta exemplaria servarunt Hebraicam vocem, quæ currus significat [3]: nam *Rechab illis obstitit*. Theodoretus in Judic. qu. 6. similiter legit, ac perperam de insigni Rechab Rechabitarum patre intellexit. Basileensis B editio aliquid addidit [4]; *nam Rechab illis obstitit, & quod illi ferreos currus habebant*. Hanc legendi rationem, quæ bis idem repetit (nam *Rechab*, vel *Rechab* currum significat) S. Augustinus qu. 5. in Iudic. amplexus est.

℣. 20. Dederunt Caleb Hebron.] Vide quæ hac de re dicta sunt, Iosue cap. 15. 14.

℣. 21. Iebusæum habitatorem Ierusalem non deleverunt.] Filii Beniamin reliquerunt Iebusæis arcem, vel superiorem, ac munitiorem civitatis partem, atque una cum ipsis, ac fratribus suis e tribu Iuda in inferiori civitatis parte, qua post cladem Adonibezec viri Iuda potiti fuerant, permanserunt [5]. Hoc ipsum, quod istic de filiis Beniamin, Iosue cap. 15. 63. dicitur de filiis Iuda.

C Usque in præsentem diem.] Author, qui hæc scribebat, degebat ante regnum David, qui expugnavit Ierusalem, & Iebusæos delevit 2. Reg. 5. 8.

℣. 22. Domus Ioseph ascendit in Bethel.] Scilicet tribus Ephraim, & dimidia Manasse tribus, quæ citra Iordanem immorabatur, aggressæ sunt Bethel, quæ in ipsarum hæreditate erat posita [6]. Hac urbe minime potitus est Iosue, quamquam cepisset Hai, quæ illi erat finitima [7].

℣. 23. Cum obsiderent urbem.] In textu habemus [8]: *Et cum observare facerent*, vel *explorare Bethel*; dimissis in illam exploratoribus, ut aditus, ac infirmiora civitatis loca cognoscerent: vel cum omnes simul clam, veluti exploratores accessissent noctu, ut deprehenderent Bethel, hominem in- D venerunt, cui se vitam servaturos, illumque opibus cumulaturos promisere, si quem illis aditum ostenderet, qua urbem invaderent: *Ostende nobis introitum civitatis, & faciemus tecum misericordiam*. Hebræi hoc uti poterant consilio, ut ea, quæ ad ipsos spectabat, civitate potirentur: poterant illi vitam, ac præmium viro huic polliceri, quamquam ille una cum omnibus Chananæis maledictionibus erat obnoxius, & devotus anathemate; versabatur quippe ante oculos illorum exemplum Rahab, & Gabaonitarum, quibus antea pepercerant; & credi potest, ipsum in fidem ea tantum conditione exceptum fuisse, ut vel Religionem immutaret, vel ex ea regione discederet, quemadmodum fecit.

E Verum difficilius est virum hunc, qui urbem Israelitis tradidit, vacuum fuisse culpa probare: habendus enim est proditor patriæ, qui ut vitam suam tueretur, ac mercedem aliquam consequi posset, omnia civium suorum bona, ac vitam venumdedit. Quamquam non illud nobis propositum est, ut illum haud perperam operatum fuisse probemus, quod nullo Scripturæ loco probatur; nihilominus quum Chananæus ille decretum Dei nosse posset, qui eos omnes populos anathemate percusserat, eorumque terras Israelitis tradiderat, dici potest, ipsum divinis parere debuisse consiliis, ac pro virili adniti, ut ea

A in Israelitarum commodum perficerentur [9]. Si filii Joseph liquido cognovissent alienos esse hujus hominis sensus, & studia, nequaquam vel vi, vel minis eum cogere, vel promissis debuissent allicere in scelestum adeo, ac improbum facinus, quod ille patriam prodendo patravit. Sed cum minime alienum quin illis gratificaretur, repererint, ipsorum haud intererat, quo consilio, quave ratione id ageret percontari; potuerunt autem taliter affecto uti, qualis se illis obtulit.

℣. 26. Abiit in terram Hetthim, et ædificavit ibi civitatem, vocavitque eam Luzam.] Terra *Hetthim*, vel *Chettim* [10] plane regio erat Hethæorum. Nullam præterea hoc nomine terram in Scripturis agnovimus. At Hethæi incolebant meri- B dionalem plagam terræ Chanaan versus Arabiam Petræam; illuc igitur plane vir ille concessit. Liquet autem urbem *Lusam*, *Elysam*, vel *Lussam* apud Geographos veteres esse satis celebrem [11]. Iosephus de hac loquitur urbe in decimo quarto Antiquitatum suarum libro c. 2. Chananæus hic novæ urbi, quam ædificavit, nomen *Luz*, vel *Luza* imposuit, ut patriæ suæ nomen servaret, quæ antequam Bethel ab Israelitis vocata fuisset, Luza nuncupabatur.

℣. 27. Bet-san, Thanac, Dor, Ieblaam, Mageddo, &c.] Adire potes, quid dictum fuerit in Iosue de harum urbium situ, & Geographicam Tabulam consulere.

Cœpitque Chananæus habitare cum eis.] Hebraice habemus [12]: *Et Chananæi maluerunt habita-* C *re cum illis*; maluerunt imperatam solvere pecuniam, dummodo sibi parceretur, atque in veteri sede relinquerentur.

℣. 28. Postquam autem confortatus est Israel, fecit eos tributarios.] Ex his omnibus intueri fas est, in Israelitarum manu stetisse absolutum in Chananæos consequi imperium, qui infirmis viribus obstiterunt; sed Hebræos utilitate, ac avaritia adactos, ut hostibus vitam permitterent adversus explicita decreta Dei, inobedientia actos fuisse præcipites in eas calamitates, quarum historia ex libri hujus decursu innotescet.

℣. 29. Gazer.] Prope Philisthiim non procul a Iamnia.

℣. 30. Cetron.] Verus hujus civitatis situs igno- D ratur: hæc eadem fortasse est, ac *Cateth*, quæ cum *Naalol* in Josue 19. 15. conjungitur. Naalol Levitis permissa fuit Iosue 21. 35. verum illam nequaquam possederunt, quoniam Chananæi nunquam inde ejecti fuerunt.

℣. 31. Accho.] עכו. Hæc est urbs Ptolemais ad Mediterraneum prope montem Carmelum. Eam sub veteri nomine *Ake* Græci Geographi cognoverunt; cujus cum veram originem ignorarent, illud a Græco *Akeomai* deduxere, quod mederi significat, & *Ake*, medicinam; atque inde nomen hoc profectum fuisse commenti sunt, quod illic Hercules convaluerit [13]. Deinde vero Ptolemaidis nomen inditum est, ut Regi cuidam Ægyptio honor haberetur. Mox autem Romanorum colonia facta est Claudio Impe- E rante. Plinius lib. 5. c. 19. *Colonia Claudii Cæsaris Ptolemais, quæ quondam Ace*. Prope hanc urbem parvulus fluvius *Belus*, vel *Belens* dilabitur arenis suis, ex quibus vitrum conflatur, satis celebratus; quem ab urbe duo tantum stadia abesse Iosephus lib. 2. de Bello c. 17. in Græco ait, vel ducentos, & quinquaginta passus. Prope hunc fluviolum mira patet vallis centum circiter cubitorum circuitu, unde maxima arenæ vis eruitur ad vitrum conflandum idoneæ, quæ nunquam exhauritur, quamquam rates plurimæ onerentur. Venti enim e proximis collibus aliam subinde arenam deferunt, quæ statim illius,

M 3 quæ

1 כי לא להוריש את ישבי העמק   2 רכב ברזל. ἅρματα σιδηρᾶ.   3 ὅτι Ῥηχὰβ διεστείλατο αὐτοῖς   4 ὅτι Ῥηχὰβ διεστείλατο αὐτοῖς, καὶ ἅρματα σιδηρᾶ αὐτοῖς.   5 Vide supra ℣. 6. 7.   6 Josue 16. 1. 2.   7 Josue 8. 9. 17.
8 ויתירו בית יוסף בבית אל.   9 Vide Bonfrer. hic & Grot.   10 ארץ החתים   11 Vide Ptol. Geogr. l. 5. c. 12. & 17.   12 ויואל הכנעני לשבת בארץ. Videatur Septuaginta, & S. Hieronymus legisse καὶ ἤρξατο ὁ Χαναναῖος κατοικεῖν ἐν τῇ γῇ ταύτῃ Vide quæ diximus in Josue 17. 12.   13 Stephan. Byzant. in Ἄκη.

quæ eruta fuerat, virtutem acquirit. Plinius l. 5. c. 19. asserit fluvium hunc e palude Cenderia a radicibus Carmeli profluere: *Belus vitri fertiles arenas, parvo littori miscens, ipse e palude Cenderia a radicibus Carmeli profluit.* A

AHALAB. [1]] Vel juxta Hebraicum textum, & Septuaginta, *Achlab*. Urbs hæc penitus nos fugit: ni forte ea esset *Alepum*, quæ a Græcis *Chalep* vocatur [2]; dicitur autem hæc esse insignis urbis Bœræa.

ACHZIB.] Tyrum inter, & Ptolemaidem in ora maris mediterranei.

HELBA [3].] Hæc eadem esse potest, ac Eleph [4] in borealibus finibus Nephtali e regione tribus Aser.

APHEC.] De hac eadem sermo est in 1. Regum lib. 20. 26. 30. & 4. Reg. 13. 17. in finibus regnorum Israel, & Syriæ; ibi autem Reges Syriæ dominabantur tempore novissimorum Regum Israel. B
Vide, quæ de urbe hac dictum fuerit in Iosue 19. 30.

ROHOB.] Hæc quoque erat prope Libanum in boreali extremitate Regni Israel. Numer. 13. 22. & 19. 38. Iosue 19. 28.

℣. 33 BETHSEMES.] Videlicet domus Solis in tribu Nephtali, alia a cognomine civitate in tribu Iuda: de priori vide Iosue 19. 38.

BETH-ANATH.] Vide Iosue 19. 38.

℣. 34. ARCTAVITQUE AMORRHÆUS FILIOS DAN IN MONTE.] Tribus Dan hæreditas posita erat ad occasum tribus Iuda, Philistiim finitima; in illorum forte aderant Amorrhæi: ac veri species adest, falcatos horum populorum currus in causa fuisse, ut Danitæ in montibus clauderentur ita, ut pars eorum C
regiones suas deserere, aliasque sibi terras quærere cogeretur. Iosue 19. 47. & Iudic. 18. 1. & 27.

℣. 35. HABITAVITQUE IN MONTE HARES, QUOD INTERPRETATUR TESTACEO, IN AJALON, ET SALEBIM.] Hoc referri posset tum Danitis, cum Amorrhæis; sed Hebraicus textus præfinit, ut de Amorrhæis explicemus, qui habitabant in monte Hares, & qui vectigalia Tribui Ephraim pendebant. Hic porro Textus est ad litteram redditus [5]: *Et Amorrhæus elegit habitare in monte Cheres, in Ajalon, & Salebim, & manus domus Joseph aggravata est, & Amorrhæus factus est ei tributarius.*

Septuaginta istic variant. Quædam Exemplaria legunt [6]. *In monte Hares, ubi sunt ursi, ac vulpes.* *Ajalon* enim, vel *Ajalin* ursos reddidere, *Salebim* vero vulpes. Postrema hæc quidem vox forsan vulpes significat, at prior cervum potius significaret. In Basileensi editione habemus [7]: *in Monte Myrti, ubi ursi, & vulpes adsunt in Myrto, & Salabim.* Bis idem reperitur. *Ajalon* quidem nemus significare potest; ii vero speciem usurparunt pro genere, Myrtum pro arboribus generatim; servarunt etiam vocem Salabim in textu, simulque litteralem illius significationem prodidere. Denique Romanum exemplar [8]: *In monte Testaceo, ubi adsunt ursi, & vulpes in Myrteto, & in Salabim.* At quod de his omnibus judicium ferre liceat, satis patet. *Ajalon* erat in tribu Dan; locus hic celebris est in Scriptura, propterea quod imperavit Iosue c. 10. 12. ne Luna contra *Ajalon* moveretur. *Salabim* quoque erat in tribu Dan; ea in Iosue Selebim etiam nuncupatur cap. 19. 42. at verus illius situs non liquet. Urbs hæc insignis erat, cum Salomon imperaret, ibique unus aderat e duodecim Præfectis, qui Regi, ac domui illius annonam præbebant, 3. Reg. 4. 9.

℣. 36. FUIT AUTEM TERMINUS AMORRHÆI AB ASCENSU SCORPIONIS, PETRA, ET SUPERIORA LOCA.] Hæc proprie ex origine erat regio Amorrhæorum; patebat autem ab ascensu Scorpionis ad Petram usque in Arabia Petræa, atque ulterius adhuc meridiem versus. Verum iis nequaquam in limitibus sese continuerunt, sed in omnem regionem Chanaan, ac ultram Iordanem effusi sunt. Reges Og, & Sehon erant e genere Amorrhæorum; illos etiam modo in partibus Dan, & Ephraim sumus intuiti: eorumque nomen celebre erat adeo, ut sæpius Amorrhæus pro Chananæis generatim ponatur.

Urbs *Petra* Hebraice סלק *Sela* esse videtur Arabiæ Petrææ caput; Rekem etiam, & Chagar vocatur. Ea vero Amalecitis paruisse videtur, nam Josephus lib. 3. Antiqu. c. 2. ait, ipsos incoluisse Gobulitim, & Petram. Propior erat Scorpionis adscensui, quem non procul abfuisse ab urbe Arad, vel Adar arbitramur.

1 אחלב 2 Johan. Comen. c. 7. Niceph. Calist. l. 14. c. 39. apud Cellar. l. 3. c. 12. 3 חלבה
4 Jusue 19. 33. 5 ויואל האמרי לשבת בהר חרס באילון ובשעלבים ותכבד יד בית יוסף ויהיו למס
6 Codex Regius ἐν τῷ ὄρει τῷ ἄρει, ὗ αἱ ἄρκτοι ἐ αἱ ἀλώπεκες. 7 ἐν τῷ ὄρει τῷ μυρσινῶνι ὗ αἱ ἄρκτοι ἐ αἱ ἀλώπεκες, ἐν τῷ μυρσινῶνι ἐ ἐν Σαλαβίν. Hebræi vulpes appellant *Schualim* שועלים non autem *Salabim* שעלבים ursos vero *Dob* דוב non autem *Ajalin* אילין 8 ἐν τῷ ὄρει τῷ ὀστρακώδει, ἐν ᾧ αἱ ἄρκτοι καὶ ἐν ᾧ αἱ ἀλώπεκες ἐν τῷ μυρσινῶνι, καὶ ἐν Σαλαβίν.

CAPUT II.

Angelus Domini de Galgalis veniens exprobrat Israelitis eorum ingratitudinem. Populi hujus inconstantia in cultu Domini post mortem Josue.

1. AScenditque Angelus Domini de Galgalis ad locum flentium, & ait: Eduxi vos de Ægypto, & introduxi in terram, pro qua juravi patribus vestris: & pollicitus sum, ut facerem irritum pactum meum vobiscum in sempiternum.
2 Ita dumtaxat ut non feriretis fœdus cum habitatoribus Terræ hujus, sed aras eorum subverteretis: & noluistis audire vocem meam: cur hoc fecistis? 3 Quam ob rem nolui delere eos a facie vestra: ut habeatis hostes, & dii eorum sint vobis in ruinam.
4 Cumque loqueretur Angelus Domini hæc verba ad omnes filios Israel, elevaverunt ipsi vocem suam, & fleverunt. 5 Et vocatum est nomen loci illius: Locus flentium, sive lacrymarum: immolaveruntque ibi hostias Domino. 6 Dimisit ergo Josue populum, & abierunt filii Israel unusquisque in possessionem suam, ut obtinerent eam: 7 Ser-

vieruntque

vieruntque Domino cunctis diebus ejus, & seniorum, qui longo post eum vixerunt tem-
pore, & noverant omnia opera Domini, quæ fecerat cum Israel. 8 Mortuus est au-
tem Iosue filius Nun, famulus Domini, centum, & decem annorum, 9 Et sepelierunt
eum in finibus possessionis suæ in Thamnathsare in monte Ephraim, a Septentrionali
plaga montis Gaas. 10 Omnisque illa generatio congregata est ad patres suos: & sur-
rexerunt alii, qui non noverant Dominum, & opera, quæ fecerat cum Israel. 11 Fe-
ceruntque filii Israel malum in conspectu Domini, & servierunt Baalim. 12 Ac dimi-
serunt Dominum Deum patrum suorum, qui eduxerat eos de Terra Ægypti: & secuti
sunt deos alienos, deosque populorum, qui habitabant in circuitu eorum, & adorave-
runt eos: & ad iracundiam concitaverunt Dominum, 13 Dimittentes eum, & servien-
tes Baal, & Astaroth: 14 Iratusque Dominus contra Israel, tradidit eos in manus di-
ripientium, qui ceperunt eos, & vendiderunt hostibus, qui habitabant per gyrum:
nec potuerunt resistere adversariis suis: 15 Sed quocumque pergere voluissent, manus
Domini super eos erat, sicut locutus est, & juravit eis: & vehementer afflicti sunt.
16 Suscitavitque Dominus judices, qui liberarent eos de vastantium manibus: sed nec
eos audire voluerunt, 17 Fornicantes cum diis alienis, & adorantes eos: Cito dese-
ruerunt viam, per quam ingressi fuerant patres eorum: & audientes mandata Domini,
omnia fecere contraria. 18 Cumque Dominus judices suscitaret, in diebus eorum fle-
ctebatur misericordia, & audiebat afflictorum gemitus, & liberabat eos de cæde vastan-
tium. 19 Postquam autem mortuus esset judex, revertebantur, & multo faciebant pe-
jora, quam fecerant patres eorum, sequentes Deos alienos, servientes eis, & adoran-
tes illos. Non dimiserunt adinventiones suas, & viam durissimam, per quam ambulare
consueverunt. 20 Iratusque est furor Domini in Israel, & ait: Quia irritum fecit gens
ista pactum meum, quod pepigeram cum patribus eorum, & vocem meam audire con-
tempsit: 21 Et ego non delebo gentes, quas dimisit Josue, & mortuus est: 22 Ut
in ipsis experiar Israel, utrum custodiant viam Domini, & ambulent in ea, sicut custo-
dierunt patres eorum, an non. 23 Dimisit ergo Dominus omnes nationes has, & cito
subvertere noluit, nec tradidit in manu Josue.

℣. 1. ASCENDITQUE ANGELUS DOMINI DE GALGALIS AD LOCUM FLENTIUM.] Libri hujus author, cum priori in capite breviter enarraverit, quæ transacta fuerant aliquot annorum spatio post obitum Iosue, donec Seniores vixerunt, & Populus fidelis Domino perstitit, istic populum eumdem nobis exhibet sævissimis calamitatibus obrutum, eo quod Domini oblitus fuerat, & fœderis legem perfregerat. Caput hoc, & octo primi versiculi sequentis sunt veluti libri totius compendium, in quo intueri licet, hinc Israelitarum flagitia, illinc Dei in illos supplicia, & populi pœnitentiam, quam Dei excipit Misericordia, atque ab infortuniis, quibus opprimebantur, libertas.

Non ambigimus igitur, quin hæc historia Angeli Domini, qui de Galgalis ad flentium locum escendit, aliquot annis post Iosue, ac Seniorum, qui illi successerunt, mortem contigerit, atque cum jam Israelitæ eas exprobrationes, quæ in ipsos istic jaciuntur, promeruissent. Versiculus sextus, & quinque sequentes, qui huic videntur obesse opinioni, ac ostendere, hæc accidisse antequam populus digrederetur, ut possessionem adiret hæreditatis, quæ cuique cesserat; hi, inquam, versiculi per parenthesim istic referuntur, atque vertendi sunt in tempus præteritum, quemadmodum hic inferius dicendum erit.

Angelus Domini, qui Dei verbis populi inconstantiam exprobravit in patris eorum Religione, juxta quosdam Interpretes est [1] summus Sacerdos, qui tunc præerat; hoc Angeli nomen ipsum quam maxime decet, tunc præsertim cum Dei nomine alloquitur populum. Propheta Malachias 2. 7. nomen hoc tribui aliquando Sacerdotibus testatur; *Labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore ejus: quia angelus Domini exercituum est*. Hebræi asserunt, hunc fuisse summum Sacerdotem Phinees, qui hic Angeli nomine nuncupatur. Hoc quidem esse potest: verum nulla hujus rei afferuntur argumenta. Phinees obiisse poterat, æque ac Seniores, quorum exempla, præcepta, atque authoritas hactenus in officio populum continuerant. Præterea Angelus hic, ut videtur, morabatur in Galgalis, ergo liquet Phinees plerumque permansisse in *Gabaah Phinees* in tribu Ephraim. Vide Josue 24. ult.

Alii contendunt [2], hunc verum Angelum fuisse ad hoc a cœlo dilapsum, ut Israelitas ad officium revocaret. Si hic fuisset homo, inquiunt illi, illius nomen, qualitates, patria, studium fuissent memorata, ac quid de eo post concionem factum fuisset. Celares populi tunc temporis fletus satis ostendunt e supernaturali objecto fuisse elicitos; ac ratio, qua omnem authoritatis speciem præseferens Angelus loquitus, non secus ac esset Deus ipse, argumentum est illum spiritum fuisse a cœlo dimissum. Hic plane erat Angelus protector populi Israel [3], quem Deus se ante ipsos missurum spoponderat, ut dux illis esset, ac in terram Chanaan deduceret; ac ille profecto, qui prope Iericho apparuit Iosue, atque dixit illi, se esse [4] Principem exercitus Domini. Demum quænam hic necessitas adest ad allegoriam confugiendi, ac ad figuram, cum hæc omnia ad litteram possint intelligi?

Verum hæc omnia argumenta plurimos, eosque eruditissimos Interpretes minime persuadent [5], qui absque eo quod particulariter, quinam hic Angelus Domini

1 Ita Rabb. plerique; vide Drusium. 2 August. qu. it. Theodoret. qu. 6. in Levit. Lyran. Bonfrer. Cornel. Tirin. Menoch. Est. alii apud Serar. 3 Exod. 23. 20. *Ecce ego mittam Angelum meum qui præcedat te, & introducas in locum quem paravi.* 4 Josue 5. 14. *Sum Princeps exercitus Domini.* 5 Jonath. Masius, Vatablus, Grotius, Junius, Drusius, Piscator.

mini fuerit, decernant, censent quemdam fuisse Prophetam, vel alium quempiam virum a Deo extraordinario spiritu afflatum, qui a Galgalis in locum Flentium missus fuit, quo Populus convenerat. In Scripturis Prophetæ nonnumquam Angeli Domini appellantur [1]: *Hæc dicit Aggæus Angelus Domini de Angelis Domini*. Eupolemus apud Eusebium vocat Nathan Angeli nomine: quæ Angeli denominatio, Nuntii, Legati Domini adamussim Prophetis convenit, qui ipsius sermones enuntiant, ac ejus nomine loquuntur. Cum Angeli hominibus apparent, dicuntur vulgo de cœlo dilabi; hic autem e contra de Galgalis ad flentium locum ascendit. Angeli repente evanescebant; at de hoc nihil tale innuit Scriptura; unde inferre licet hunc hominem fuisse a Deo missum cum charactere, ac authoritate, ut ad populum nomine suo loqueretur.

AD LOCUM FLENTIUM.] Hebraice [2] *ad Habbocim*. Huic loco flentium nomen accessisse perhibetur post hoc factum dumtaxat. Sed præstat vertere: *ad Moros*, ad locum, ubi magna harum arborum vis erat consita. Qui asserunt, tunc populum in Silo convenisse, contendunt, urbem hanc *locum flentium* fuisse vocatam. Ad hanc autem opinionem probandam dicunt, nullum agnosci posse locum præter Silo, quo populus hic convenisse poterat, quin convocaretur: nam videtur Angelus Domini in cœtum populi advenisse, quin expectaretur, atque tunc accessisse cum populus jam illic adesset, ad aliquam plane Religionis solemnitatem; ac præterea istic Sacrificia Domino offeruntur, quod extra Tabernaculum nefas erat.

Verum his obiici potest argumentis, Silo numquam appellatam fuisse *Bochim*, vel locum flentium; sed vetus illi nomen Silo usquequaque permansit. Invenitur in Septuaginta [3], ac in Iosepho Antiqu. l. 7. c. 4. locus, cui nomen *Clauthmon*, *fletus*; prope Jerusalem; hac autem voce Clauthmon Græci Interpretes istic utuntur. Psaltes quoque Regius hunc ipsum locum videtur innuere nomine *Vallis lacrymarum*, vel vallis Bacah [4]. Creditur etiam e Bochim vertice Deus signum dedisse David, ut cum Philisthiim congrederetur 2. Reg. 5. 23. Quoad vero ajunt, haud licuisse, extra Tabernaculum sacris operari, omnes fatentur id perperam ante Salomonici Templi extructionem fuisse observatum. Maxima quippe exemplorum suppetit copia, sacrificia extra Tabernaculum oblata fuisse. Gedeon exempligratia in proprio fundo, ac prope patris sui domum sacrificat, Iudic. 6. 26. quod ipsum Manue Samsonis pater prope ædes suas est operatus, Iudic. 13. 19. Samuel sacrificia obtulit in Bethleem 1. Reg. 16. 2. Saul in Galgalis 1. Reg. 13. 9. David in area Areuna 2. Reg. 24. 25. Elias in monte Carmelo 3. Reg. 18. 38. Cur igitur hic Domini nuntius minime obtulisse censebitur *in loco flentium*; quidque obstat, quo minus illic ex Domini mandato populum congregarit?

EDUXI VOS DE ÆGYPTO.] Ipse Dei nomine, ac veluti illius personam agens alloquitur. Ostendit proculdubio hominibus se de mandato Dei loqui, illis missionis suæ signa tribuit, ac Spiritus, qui loquebatur in ipso. Si hic magnus erat Sacerdos, vel Propheta in populo cognitus nullo opus erat missionis suæ argumento, atque ut se divino afflatum spiritu loqui probaret; sin autem Angelus erat, mira dumtaxat ratia, qua illis apparuit, majestas, qua erat circumdatus, vis, ac robur exprobrationum, quæ perspicue flagitiorum populi veritati innitebantur, summam illi fidem conciliabant.

℣. 2. ITA DUMTAXAT, UT NON FERIRETIS FOEDUS CUM HABITATORIBUS TERRÆ HUJUS.] Varias fœderis cum populo ineundi rationes agnovimus; publica enim adsunt fœdera, adsunt & particularia, inter populum, ac populum; familiam, ac familiam; singulos, ac singulos. Non liquet, universam Hebræorum nationem explicite percussisse fœdus publicum, & solemne cum omnibus Chananæis, neque cum aliqua non mediocri hujus populi parte, si fœdus excipias, quod icit Iosue cum Gabaonitis. At tribus particulares quamdam fœderis speciem cum urbibus iniere, quibus potiti earum oppidanos delere noluerunt, eligentes potius eos sibi servos, ac vectigales tueri. Familiæ vero seorsim aliquid alterius admisere, nam cum Chananæis fœdus feriere, & cum immixtæ cum ipsis essent societatis, necessitudinis, & connubiorum vinculis, abiere quamprimum in illorum cultum, quo inania numina prosequebantur. Hoc vero scelus late adeo se se diffudit, ut merito dici queat, nationem universam quodammodo fœdus cum alienis populis percussisse, quemadmodum istic ab Angelo Domini Israelitæ redarguuntur.

Quæritur hic utrum tam communia, quam particularia fœdera inter Israelitas, & Chananæos sancita deberent persistere; illorum conditiones servari ne debebant adversus toties repetita Dei mandata? Asserunt quidam [5], Domini interdictum effecisse, ut hæc fœdera illicita quidem essent, non autem nulla. Israelitæ, inquiunt illi, & gentium jure, & jure naturali tenebantur ad conditiones eas observandas, quas bona fide juraverant, quamquam id Dei præcepto vetitum fuisset. Angelus, qui illos alloquitur, nequaquam eos adhortatur, ut a fœdere secedant, Chananæis bellum indicant; ac Hebræi nequaquam consilium hoc amplectuntur, quod adeo naturale videbatur; peccatum suum deflent, ac inobedientiæ suæ agunt pœnitentiam. Postea vero Salomon, se Chananæorum reliquias delere non posse est arbitratus, satis illi fuit eos subigere, illisque pecuniam quotannis solvendam imperare, quam primitus quidem exsolverant. Si cum Iudices in Israel moderarentur, aliquando cum Chananæis est decertatum, illud de peculiari Dei mandato effectum est, vel eo quod hi populi, qui prius tributum pendebant, Israelitis veluti tyranni dominari voluerint.

Negant alii [6], id, quod contra Domini præceptum pollicitus fueris, esse præstandum. Contractus hic cum Chananæis res erat illicita, ac prava; neque illum exequi erat fas; & cum Hebræi pœnitentiam agere debuerint, debuerunt quoque ea abdicare, quæ objectum erant doloris sui, ac pœnitentiæ. Sin autem nequaquam recessisse dixeris tunc e Chananæorum fœdere, hoc illorum pœnitentiæ vitio vertendum, quæ perfecta non fuit; vel illis nequaquam vires, animosque ad id faciendum pares fuisse dicendum est, cum se nequaquam illorum impetum ferre, neque cum ipsis congredi posse, cognoscerent.

Media inter has vias insisti posse mihi videtur, principiis his constitutis. Duo sunt animadvertenda in fœderibus cum populis Chanaan; primum quidem idololatria, flagitium, scelus, divinæ Legis violatio, ac omnes occasiones, quæ in moralem id perpetrandi necessitatem adducunt, quod nulla temporum circumstantia permittitur; & ab his fœderibus quin sit recedendum, cujuscumque naturæ sint, & quibuscumque solemnitatibus fuerint instituta, dubio locus minime videtur. Alterum autem, quod in hoc fœderum genere perpendendum occurrit, sunt civiles obligationes, natura sua indifferentes, quæ particularibus rationibus a Deo prohiberi potuerunt; quæ Domini interdicto illicitæ quidem factæ sunt, ita ut seposita culpa nemo se obligare queat, & absque eo quod in inobedientiæ scelus prolabatur: verum cum semel id onus susceperis, haud integrum est amplius illud deponere, ac icti fœderis conditionibus minime stare.

Hæc

1 Agg. 1. 13. *Et dixit Aggæus nuncius Domini*. Nomen *Angelus* idem est ac *Nuncius*, מלאך Gr. Ἄγγελος.
2 אל הבכים ἐπὶ τοὺς κλαυθμῶνα.
3 2. Reg. 5. 23. ἀπὸ τοῦ κλαυθμῶνος.
4 Psalm. 83. 7. עמק הבכה. 70. κοιλάδι τοῦ κλαυθμῶνος, Vide Bonfr. ad hunc locum.
5 Bonfrer. Cornel. a Lapide.
6 Petr. Martyr.

. Hæc vero principia facillimum est facto, de quo agitur, adaptare. Israelitæ Chananæis vitam, ac libertatem in civitatibus eorum immorandi, promiserunt, eo tamen pacto, ut tributum persolverent; perperam quidem egerunt, ejusque rei pœnitentiam agere debuerunt; at illis haud erat integrum fœdus abdicare, & juramenti fidem infringere. Verum si eorum templa, aras, ac idola in ipsorum civitatibus servaturos, se cum ipsis connubiis affinitatem inituros, eorumdem numina veneraturos, ac in ipsorum mores Legi Domini prorsus oppositos abituros, essent polliciti, his promissis haud standum ipsis erat; quin immo idololatræ, quas duxissent uxores, erant repudiandæ, quemadmodum Hebræi de Babylonica captivitate reversi fecere [1]; delendæ quæcumque Idololatriæ notæ, ac nulla præcedentis fœderis habita ratione cuivis superstitioso cultui abdicandum.

℣. 3. QUAMOBREM NOLUI DELERE EOS A FACIE VESTRA.] Hebraice [2]: *Quamobrem ego dixi: eos nequaquam delebo*. Quandoquidem noluistis meis parere mandatis, statui, hos populos minime exterminare, ut scelus inobedientiæ vestræ luatis. Deus de hominum iniquitatibus ultionem sumit ex rebus iisdem, quæ iniquitatum causa fuere, atque instrumentum. Permittit ille, ut Chananæi, quibus prava ducti misericordia Israelitæ pepercerunt, ipsorum perniciosissimi hostes evadant, & inania horum populorum numina, quæ ipsi delere noluerunt, iisdem fiant in crimen, & scandalum.

UT HABEATIS HOSTES.] Hebraicus textus pluribus modis reddi potest [3]; *Illi erunt lateribus vestris*; Erunt veluti aculei, qui vos confodient; vel, sicut flagella, quæ latera cædent. Septuaginta [4]: *in arctum vos cogent*: claudent vos, atque opprimient. Alii, persequentes vos, non secus ac avibus parant insidias, vel *Erunt vobis in laqueos*, a צוד Zud *venari* Hebraicam vocem deducendo.

℣. 5. IMMOLAVERUNTQUE IBI HOSTIAS DOMINO.] Per quamdam dispensationem a communibus legibus, & naturalibus, per quas non licebat alibi, quam in Tabernaculo sacris operari, quemadmodum supra adnotavimus. Tunc profecto pro universo populo expiationis hostiæ immolatæ sunt, vel holocausta, quæ erant omnium sacrificiorum perfectissima, & quæ in supremæ Dei Majestatis, ac magnitudinis testimonium offerebantur, & quandoque ad peccatorum veniam consequendam. Vide Bonfrerium hic.

℣. 6. DIMISIT ERGO JOSUE POPULUM, ET ABIERUNT FILII ISRAEL UNUSQUISQUE IN POSSESSIONEM SUAM.] Locum hunc nonnulli [5] perperam intelligentes, hæc, quæ istic narrantur, ante obitum Josue arbitrati sunt contigisse; verum ea omnia, & quæ præcedunt, & quæ consequuntur, nos adigunt, ut ea post Josue, & seniorum, qui illum subsecuti sunt, decessum constituamus. Hoc autem pacto isthæc præcedentibus possunt adnecti. Cum hactenus Author haud fuerit locutus de Israelitarum sceleribus, quæ Angelus Domini eis merito objicit; Author, inquam, ut Lectorem suum ad factum deducat, ac illi invectivarum harum rationem detegat, rem altius repetit. Inquit autem, Josue, regionis Chanaan in tribus Israel divisione peracta, cum jam quisque in hæreditates suas concessisset, ultima esse passum, non secus ac seniores, qui Moysis tempore vixerant, ac testes extiterant Mirabilium Domini, in Ægypto, ac in deserto. Tunc populus cum virorum illorum authoritate non amplius coerceretur, in flagitia prolapsus Idolorum cultum amplexus est. Deus subinde indignationem suam in illos deprompsit, at subinde etiam eorum infortunii misericordia ductus, ipsis eos mittere dignatus est, a quibus liberarentur. Ita se habebant res Hebræorum, cum Angelus illos est allocutus; in flagitiis erant immersi, & calamitatibus obruti.

℣. 9. THAMNAT-SARE.] Hebraice [5], *Thamnat-harez*. Vide supra Iosue 24. 30.

℣. 10. OMNIS ILLA GENERATIO CONGREGATA EST AD PATRES SUOS.] Quicumque Seniores, & authoritate pollentes a Moyse instituti, ac tribubus præfecti fuerant, jamjam decesserant. *Congregari ad Patres suos*, vel ad populum suum, significat ad plures abire. Locutiones hæ satis probant, Hebræos veteres animæ credidisse immortalitatem; ac suppliciorum, præmiorumque in altera vita æternitatem. Passim in Scriptura [7] dicitur, Deus hominum animas in unum cogere, congregare; & homines cum illis, qui antea diem obierint, congregari [8].

SURREXERUNT ALII, QUI NON NOVERANT DOMINUM.] Num fieri potuit, ut Dei adeo obblivisceretur Israel, ut post Iosue, aliorumque Seniorum decessum, illum non amplius nosset? Sæpius *nosse Deum* illi famulari significat, non secus ac *ignorare*, illi non amplius, ut par est, inservire, illum non venerari. Proprie loquendo Israel nequaquam penitus Domini sui fuerat oblitus; & cultus illius non adeo ea in regione contemnebatur, ut non amplius agnosceretur. Tabernaculum adhuc persistebat in Silo, ibi Domino sacrificiis litabatur: sed alia quoque numina alicubi colebantur, & populus non puro, ac sincero corde sive uni Deo vero famulabatur.

℣. 13. SERVIENTES BAAL, ET ASTAROTH.] Nomen Baal generatim cuivis falso numini tribuitur; verum ut alia ab aliis distinguerentur, peculiare quodam nomen addebatur, vel a loco, ubi colebantur, vel ab ipsorum proprietatibus, vel ab iis, quorum speciem referebant, desumptum. Novimus quippe *Beel-zephon*, *Beel-phegor* Deum Moabitarum, *Beelzebub* muscarum Deum, qui adorabatur in Accaron, *Baal-berit*, Deum fœderis, cui litabatur in Sichem, *Beel-samen*, vel *Baal-schamaim* Deum Cœli: & ut verbo me expediam, nomen Baal apud Phœnices, Syros, Hebræos, Chaldæos, finitimosque populos plerumque maximum ipsorum numen significat, quod Cœlum erat, Iupiter, vel Sol.

ASTAROTH.] Uti creditur, Lunam, vel Venerem significat; adiri potest nostra Dissertatio de Phœnicum Diis.

℣. 14. QUI CEPERUNT EOS, ET VENDIDERUNT HOSTIBUS.] Hebraicus textus ait, Dominum tradidisse eos in manus hostium eorum [9], *qui spoliarunt eos, ac ille vendidit eos in manus inimicorum ipsorum, qui circum ipsos habitabant*. Adnotari potest in toto hoc libro *vendere* usurpari, pro deserere, tradere, dare. Exempligratia cap. 3. ℣. 8. *Vendidit eos in manus Chusan Rasathaim*. Et Iudic. 4. 2. *& vendidit illos in manu Jabin regis Chanaan*; & Dominus *vendet Sisaram in manu mulieris*; ibid. ℣. 9. &c.

℣. 18. IN DIEBUS EORUM FLECTEBATUR MISERICORDIA, ET AUDIEBAT AFFLICTORUM GEMITUS, ET LIBERABAT EOS DE CÆDE VASTANTIUM.] Hebraicus textus ita ad litteram redditur: *Et Dominus erat cum judice*, quem suscitaverat, *& liberabat eos de manibus hostium omnibus diebus judicis hujus, quia pœnitentia* [10] *afficiebatur, flectebatur gemitibus, propter opprimentes, & conculcantes illos*. Pœnitere, cum de Deo dicitur, significat, aliam viam inire, misericordiam exercere, uti clementia.

℣. 19. REVERTEBANTUR, ET MULTO FACIEBANT PEJORA.] Textus vehementius loquitur [11]: *Revertebantur*-

[1] 1. Esdr. 9. [2] וגם אמרתי לא אגרש [3] והיו לכם לצדים [4] *ἔσονται ὑμῖν εἰς συνοχάς*. Legerunt *Zarim* צרים, hostes, oppressiones, pro צדים *zidim*, *latera*. Eodem pacto legisse videtur Vulgata, & Chaldeus interpres. [5] Tostar. Torniel. Salian. [6] תמנת חרס & תמנת סרח, sunt idem nomen; duarum syllabarum transpositione solummodo differunt. [7] Job. 34. 14. *Spiritum illius & flatum ad se trahet*. Psal. 25. 9. & 34. 21. [8] Genes. 25. 8. 49. 29. Numer. 27. 13. & 31. 2. [9] וישסו אותם וימכרם ביד אויביהם מסביב [10] כי ינחם יהוה מנאקתם [11] וישבו והשחיתו מאבותם. 70. *Καὶ ἀπέστρεψαν καὶ πάλιν διέφθειραν ὑπὲρ τοὺς πατέρας αὐτῶν*.

vebantur in scelera sua, *& corrumpebant se*, vel corrumpebant vias suas, proruebant in majora illis flagitia, in quæ Patres eorum ceciderant.

NON DIMISERUNT ADINVENTIONES SUAS, & VIAM DURISSIMAM.] Hebraice [1]: *Illi non sinebant cadere errores suos, neque vias suas pravas*: Vel, *illi non dereliquerunt improbas actiones, & vias duras*. Perstiterunt cum animi pertinacia, se se confirmarunt, neque ab iis recedere voluerunt. Chaldaica lectio: *Non recesserunt a pravis actionibus suis, atque a via sua corrupta*. *Via dura* significat viam pravam, & perversam, veluti viæ qua vulgo incedi minime solet, viæ remotæ, quæ fallunt. Viæ perditionis, ubi homines pereunt, difficiles magis sunt, duræ, inæquales, & longæ, quam viæ stratæ, & frequentes; ita ethice *via dura* eæ sunt, quas improbi sequuntur, difficiles, ac perversæ; quod ipsum fatentur impii in Sapientiæ libro 5. 7. *Lassati sumus in via iniquitatis, & perditionis, & ambulavimus vias difficiles viam autem Domini ignoravimus*.

℣. 22. UT IN IPSIS EXPERIAR ISRAEL, UTRUM CUSTODIANT VIAM DOMINI.] Permittit Deus, ut Israelitæ reliquias Chananæorum minime dissipent, quò periculum faciat, an fideles sint, ac ipsius cultui constanter adhæreant. Voluit, ut ipsi, ac omnes homines nossent, quam parum illi adhærerent Deo, ipsumque venerarentur. Agit cum illis, non secus ac Dominus, vel pater, quibus ambigua sit famuli, vel filii fides; cujus ut certior fiat, illi occasionem exhibet, qua bonum, vel pravum consilium suum innotescat. Locutiones hæ humanæ sunt: Deus nullius periculum facit, perinde ac illius dispositiones in bonum, vel malum minime agnoscat. Novit ille, quid in penitioribus cordis latebris versetur; ac perspicue videt, quæ sit præsens, quæ sit futura voluntatum nostrarum determinatio.

1 לא הפילו ממעללם ומדרכם הקשה

CAPUT III.

Chananæi in regione relinquuntur ad Hebræos exercendos. Prima servitus Israelitarum sub Chusan-Rasathaim Rege Mesopotamiæ, de qua eos liberat Othoniel. Secunda servitus sub Eglon Rege Moab, de qua liberantur ab Aod. Samgar tertius Judex Israel.

1. HÆc sunt gentes, quas Dominus dereliquit, ut erudiret in eis Israelem, & omnes, qui non noverant bella Chananæorum: 2 Ut postea discerent filii eorum certare cum hostibus, & habere consuetudinem præliandi: 3 Quinque
satrapas Philisthinorum, omnemque Chananæum, & Sidonium, atque Hevæum, qui habitabat in monte Libano, de monte Baal Hermon, usque ad introitum Emath. 4 Di-
misitque eos, ut in ipsis experiretur Israelem, utrum audiret mandata Domini, quæ præceperat patribus eorum per manum Moysi, an non. 5 Itaque filii Israel habitaverunt
in medio Chananæi, & Hethæi, & Amorrhæi, & Phereæi, & Hevæi, & Jebusæi:
6 Et duxerunt uxores filias eorum, ipsique filias suas filiis eorum tradiderunt, & ser-
vierunt diis eorum. 7 Feceruntque malum in conspectu Domini, & obliti sunt Dei sui,
servientes Baalim, & Astaroth. 8 Iratusque contra Israel Dominus, tradidit eos in
manus Chusan Rasathaim regis Mesopotamiæ, servieruntque ei octo annis. 9 Et cla-
maverunt ad Dominum, qui suscitavit eis salvatorem, & liberavit eos, Othoniel vide-
licet filium Cenez, fratrem Caleb minorem. 10 Fuitque in eo Spiritus Domini, & ju-
dicavit Israel: Egressusque est ad pugnam, & tradidit Dominus in manus ejus Cusan Ra-
sathaim regem Syriæ, & oppressit eum. 11 Quievitque terra quadraginta annis, &
mortuus est Othoniel filius Cenez. 12 Addiderunt autem filii Israel facere malum in
conspectu Domini, qui confortavit adversum eos Eglon regem Moab; quia fecerunt
malum in conspectu ejus. 13 Et copulavit ei filios Ammon, & Amalec: abiitque, &
percussit Israel, atque possedit urbem palmarum. 14 Servieruntque filii Israel Eglon
regi Moab decem, & octo annis. 15 Et postea clamaverunt ad Dominum: qui susci-
tavit eis salvatorem vocabulo Aod, filium Gera, filii Jemini, qui utraque manu pro dex-
tera utebatur. Miseruntque filii Israel per illum munera Eglon regi Moab. 16 Qui fe-
cit sibi gladium ancipitem, habentem in medio capulum longitudinis palmæ manus, &
accinctus est eo subter sagum in dextro femore: 17 Obtulitque munera Eglon regi
Moab. Erat autem Eglon crassus nimis. 18 Cumque obtulisset ei munera, prosecutus
est socios, qui cum eo venerant. 19 Et reversus de Galgalis, ubi erant idola, dixit
ad regem: Verbum secretum habeo ad te, o Rex. Et ille imperavit silentium, egressis-
que omnibus, qui circa eum erant, 20 Ingressus est Aod ad eum: sedebat autem in
æstivo cœnaculo solus: dixitque: Verbum Dei habeo ad te. Qui statim surrexit de thro-
no. 21 Extenditque Aod sinistram manum, & tulit sicam de dextero femore suo, in-

fixitque

xitque eam in ventre ejus. 22 Tam valide, ut capulus sequeretur ferrum in vulnere,
ac pinguissimo adipe stringeretur. Nec eduxit gladium, sed ita ut percusserat, reliquit
in corpore: statimque per secreta naturæ alvi stercora proruperunt. 23 Aod autem
clausis diligentissime ostiis cœnaculi, & obfirmatis sera, 24 Per posticum egressus est.
Servique regis ingressi viderunt clausas fores cœnaculi, atque dixerunt: Forsitan purgat
alvum in æstivo cubiculo. 25 Expectantesque diu donec erubescerent, & videntes,
quod nullus aperiret, tulerunt clavem: & aperientes invenerunt dominum suum in terra jacentem mortuum. 26 Aod autem, dum illi turbarentur, effugit, & pertransiit locum idolorum, unde reversus fuerat, Venitque in Seirath: 27 Et statim insonuit buccina in monte Ephraim: descenderuntque cum eo filii Israel, ipso in fronte gradiente.
28 Qui dixit ad eos: Sequimini me: tradidit enim Dominus inimicos nostros Moabitas
in manus nostras. Descenderuntque post eum, & occupaverunt vada Jordanis, quæ transmittunt in Moab: & non dimiserunt transire quemquam: 29 Sed percusserunt Moabitas in tempore illo, circiter decem millia, omnes robustos, & fortes viros, nullus eorum evadere potuit. 30 Humiliatusque est Moab in die illo sub manu Israel: & quievit terra octoginta annis. 31 Post hunc fuit Samgar filius Anath, qui percussit de
Philistiim sexcentos viros vomere: & ipse quoque defendit Israel.

℣. 1. HÆ SUNT GENTES, QUAS DOMINUS DERELIQUIT, UT ERUDIRET IN EIS ISRAELEM.] Deus Israelitarum infidelitate irritatus partem indigenarum populorum in ea regione relinquit, ut populi sui periculum faceret.[1]. Hos autem reliquerat: quinque Satrapias Philistiim, Sidonios, Chananæos, Hevæos montis Libani, & alios quosdam ea in regione dispersos.

UT ERUDIRET IN EIS ISRAELEM.] Hebraice [2]: *ut tentaret Israel*, ut illum per eos exerceret, ac fidem ipsorum experiretur. Hæc eadem vox præcedenti capite ℣. 22. usurpatur; *ut in ipsis experiar Israel*.

ET OMNES, QUI NON NOVERANT BELLA CHANANÆORUM.] Hebraice habemus: *ut per eos experiretur Israel, ac omnes, qui Chananæorum bella ignorabant*. Qui sub Josue meruerant, ac omnium Domini mirabilium, & exactæ fidei, quam ille a servis suis exigit, testes fuerant, ad mortem usque servarunt cultum, ac observantiam, quæ patrum suorum legibus debebatur; at progenies, quæ illos est subsecuta, veritates has non satis edocta, ac parum illecta exemplis, quæ ipsa non viderat, ut ad officium revocaretur, quibusdam subinde calamitatibus erat exercenda. Nimium diuturna pax, ac res constanter nimis secundæ, eam in Domini oblivionem induxissent. *Virtus in infirmitate perficitur* 2. Cor. 12. 19. atque ut plane intelligamus, quantum debeamus Deo, & quam simus infirmi ab eo derelicti, prodest aliquando tentari [3]. *Qui non est tentatus, quid scit?*

℣. 2. UT POSTEA DISCERENT FILII ISRAEL CERTARE CUM HOSTIBUS.] Ut Israel bellicosus fieret, neque militarem disciplinam dedisceret. Hebraice ad litteram [4]: *Solum ut progenies filiorum Israel animum adverterent, ad militiam percipiendam, ii solum, qui eam antea ignorabant*. Ne Hebræi veterem antipathiam, ac odium, quo Chananæos prosequebantur, deponerent, hos nequaquam penitus delevit; permisit immo, ut non pauci veterum incolarum permanerent, qui lacessentes opprobriis Judæos, eorum animos excitarent, ac adversum se illorum odium maxime confirmarent.

At enim, nonne præstitisset penitus Chananæos delere, quam illos ad Hebræos exercendos relinquere? Nonne præstaret nullis bellis concuti, quam victorias referre; & nullos esse hostes, cum quibus congrediaris, quam ex illis tropæa, ac manubias reportare? Responderi potest, experientiam satis, superque docere, diuturnam pacem, ac nimis diuturnam securitatem exitio esse quandoque, non Imperii solum, verum etiam probis moribus, ac pietati; hominibus, ut in bono persistant, labore opus esse, ac patientia, ipsos naturaliter ferri in ambitionem, in luxum, in oblivionem Dei, cum minime noverint se divino auxilio indigere; neque ullum extrinsecus hostem vereantur. Hæ autem veritates pro Hebræis magis, quam pro ceteris populis valent. Hi enim voluptatibus suis traditi, inconsulto a studiis suis abripiuntur, quæ ipsis pro legibus sunt. Sed Israelitæ severæ legi obnoxii, atque ut sanctus populus essent, electi, cum Deo zeloti placere deberent, ac alioquin propria natura in nequissimaquæque flagitia abriperentur, præ ceteris magis calamitatibus urgeri debebant, ut in observantia legis continerentur. Utile erat, hostes in ipsorum terris immorari, ut contra ipsos artem militarem edocerentur, ac simul contra impietatem exercerentur, in quam facile essent prolapsi, nisi calamitates eos coegissent, ut sese reciperent, ac ad supremum Liberatorem confugerent.

℣. 3. QUINQUE SATRAPAS PHILISTINORUM.] Animadvertimus jam in caput primum ℣. 18. juxta hebraicum textum, ac Vulgatam, a tribu Juda tres Philistiim satrapias subactas fuisse, videlicet Gazam, Ascalonem, & Accaron; aliæ duæ, videlicet Geth, & Azotum in libertate perstiterant. Verum tres illæ civitates non diu Hebræis paruere, nam hic inter eas enumerantur, quæ in indigenarum ditione permanserant. Postrema hæc quoque ratio persuadere posset, capite primo cum Septuaginta esse legendum tribum Juda nequaquam iis civitatibus fuisse potitam. Quomodocumque sit, Satrapæ Philistiim hebraice סרנים *Seranim* appellantur, nec unquam Regum [5] nomen illis tribuitur; ex quo licet suspicari, illorum regimen aliud fuisse ab aliorum populorum Chanaan regimine; & *Seranim*, vel Satrapas Philistinorum fuisse veluti præfectos parvæ alicujus provinciæ, vel tractus, qui omnes simul Rempublicam constituebant, cujus præcipua capita Satrapes erant; cum inter se quamdam aristocratici imperii speciem præberent. Locus ambigendi esse potest, utrum illorum alii aliis parerent, an eorum fœdus in singulorum voluntate esset positum. Videri potest, quæ adnotavimus in Commentariis in Josue cap. 13. quoad *Seranim* Philistinorum.

OMNEM CHANANÆUM, ET SIDONIUM.] Chananæorum

1 Cap. 2. 20. 21. 22.
3 Eccli. 34. 9. 11.
5 מלכים.

2 לנסות בם את ישראל. Sym. ἀσκῆσαι. 70. πειρᾶσαι.
4 רק למען דעת דורות בני ישראל ללמדם מלחמה רק אשר לפנים לא ידעום.

nxorum nomine sæpius populi omnes regionis Chanaan comprehenduntur; & singillatim hoc nomine illi intelliguntur, qui mediterranei maris oram incolebant ad boream, & meridiem Sidonis A

HEVÆUM, QUI HABITABAT IN MONTE LIBANO DE MONTE BAAL-HERMON, USQUE AD INTROITUM EMATH.] *Baal-Hermon* esse debebat prope montem Hermon, & eadem esse potest civitas, ac *Baal-Gad* ad montis hujus radices sita, ad Orientem Jordanis originum. Introitus Emath erat infra, Libanum inter, & Antilibanum.

℣. 7. BAALIM, ET ASTAROTH.] Hebraice: *Baalim, & Astroth*. Hæc postrema erat Dea nemorum. Vide dissertationem de Diis Phœnicum.

℣. 8. TRADIDIT EOS IN MANUS CHUSAN-RASATHAIM REGIS MESOPOTAMIÆ.] Hebraice [1]: *Cuschan-Rischataim Regis Aram-Naharaim*. Nomen hoc B *Chuscan* impellit, ut credamus Regem hunc originem duxisse e veteribus Scythis, vel Chus, qui irruens in Mesopotamiam, & in Palæstinam, provinciam hanc subegerit, illique tributum solvendum imperarit. Nomen *Rasathaim*, quod adhæret nomini Chusan, significat plane locum patriæ illius, vel Provinciam, a qua originem duxerat. Agnovimus in Armenia urbem Artaxatam, ac Provinciam Arsetam; atque in Mesopotamia civitatem *Risin* [2], vel Rasenam, vel Rhasinam [3], & populos *Rheianse*. Josephus l. 5. c. 3. Principem hunc virum, Chusartem Assyriæ Regem appellat.

SERVIERUNTQUE EIS OCTO ANNIS.] Servire huic Regi potuerunt, quin ille in Palæstina immoraretur, C non secus ac deinceps Regibus Assyriæ, & Chaldææ, qui ab ea regione longius aberant. Eorum servitus in eo erat posita, ut tributum penderent, vel ut Scripturæ stylo utar, ut illi munera deferrent, atque re vera servitia illi præstarent. Veteres Orientis Reges, a populis, qui ipsis subditi erant, munera minime excipiebant, nisi argentum, ac aurum pro tributo, & diurnas illorum operas, & corporis labores, quemadmodum alibi ostendemus.

℣. 9. LIBERAVIT EOS OTHONIEL FILIUM CENEZ.] Othoniel gener Caleb erat adhuc e Senioribus illis, de quibus non semel loquitur Scriptura; cui si e voto non cessit, ut caveret, ne Israel in Idololatriam prolaberetur, illud saltem illi e sententia contigit, ut hunc e servitute liberaret, in quam ipsum ruere D permiserat Deus, ut illi ob ipsius crimina supplicium inferret. Ex decursu patet, Othoniel bellum indixisse Regi Chusan, ipsumque superasse; verum belli hujus circumstantias Scriptura non memorat, quod quidem perinsigne esse debuit, quippe quod adversus Principem potentem adeo gerebatur.

℣. 10. ET FUIT IN EO SPIRITUS DOMINI.] Scilicet spiritus prophetiæ juxta Chaldaicam lectionem, & Iosephum, qui ait, divino admonitum fuisse oraculo, ut bellum adversum Chusan aggrederetur. Verum nollem arctare effectus spiritus Domini in Othoniel ad unum bellum, quod adversus Chusan gessit. Hoc enim afflatus fuit eo universo tempore, quo populo præfuit: habuit ille spiritum luminis, vis, intelligentiæ, sapientiæ. Deus dedit illi habi- E tus harum omnium virtutum sui spiritus infusione, Ex hac loquendi ratione colligitur, Scripturam denotare voluisse supernaturalem, atque extraordinariam vocationem, motum superiorem, ac efficacem, quo coactus fuit, ut populum regendi provinciam assumeret, atque ut ad illum in libertatem asserendum adniteretur.

JUDICAVIT ISRAEL.] In Præfatione vidimus, quænam esset authoritas, ac dignitas Judicum Israel.

A Hæc autem Judici supremam conferebat potestatem, Dei præceptis subordinatam, ac legibus ejusdem definitam. Ibidem etiam ad examen vocavimus, utrum Judicibus semper universus Israel subesset, an vero quandoque ipsorum potestas aliquot dumtaxat tribuum limite contineretur; utrum pro bello tantum Judices eligerentur, an ipsorum esset etiam jus dicere, ac Israelitarum lites componere.

℣. 11. QUIEVIT TERRA QUADRAGINTA ANNIS.] Initio ducto a morte Iosue: videlicet ab obitu Josue ad obitum Othoniel quadraginta fluxerunt anni, quorum intervallo, cum in servitutem redacti fuissent a Rege extraneo, ab Othoniel vocati fuerunt ad libertatem. Nos autem Usserii systemati adhæsimus. Vide Præfationem, & Tabulam Chronolo- B gicam.

℣. 12. CONFORTAVIT ADVERSUM EOS EGLON REGEM MOAB.] Nomen *Eglon* significat vitulum. Rex hic, cum fœdus iniisset cum Ammonitis, & Amalecitis, primum quidem Israelitas trans Jordanem subegit, qui ipsius imperio adhærebant; cum iis deinde est congressus, qui citra hoc flumen immorabantur; atque Palmarum urbe potitus, quæ profecto est *Engaddi*, ibi sedem suam constituit, atque duodeviginti annos Israelem in servitute continuit. Non immoramur hic, ut ostendamus, Palmarum urbem nequaquam fuisse Iericho [4], nam tunc temporis civitas hæc nondum erat instaurata; sed ea esse debebat in agro Ierichuntino. Illius situs idoneus erat, ut Eglon æque & imperio suo, ac Israelitis, quos C subegerat, ac sibi vectigales effecerat, dominaretur.

℣. 13. COPULAVIT ET FILIOS AMON, ET AMALEC.] Verti posset [5]. *Et Eglon sibi adjunxit filios Ammon, & Amalec*; Fœdus cum ipsis percussit: hic est sensus Septuaginta [6]. Ex Vulgata videtur Deus directe operam locasse, ad confirmandas Regis Eglon vires adversus Israelitas, atque ut illi in fœdus Amonitas, ac Amalecitas adjiceret: verum hæ locutiones simpliciter innuunt, Deum permisisse, neque obstitisse, quin Eglon confirmaretur, ac fœdera cum aliis populis iniret. Hoc Rege ille usus est, veluti iræ suæ adversus populum suum instrumento.

℣. 14. SUSCITAVIT EIS SALVATOREM VOCABULO AOD, FILIUM GERA, FILII IEMINI.] Aod, vel D Ehud [7], quemadmodum pronunciant Iudæi, vel *Ajoth*, uti quædam habent Septuaginta exemplaria, vel *Jude*, quemadmodum legit Iosephus, erat e tribu Beniamin; Gera, cujus ille filius erat, vel potius a quo originem hauserat, immediate filius erat, vel nepos Beniamin [8]. Beniamin, & Iemini unus est dumtaxat: *Beniamin* filium dexteræ significat, *Jemini* vero meam manum dexteram. Non desunt, qui distinguant [9] Patriarcham Beniamin filium Iacob, a Iemini, quem fuisse putant e posteris Beniamin. Observant autem, videri scripturam aliquando duos hosce viros distinguere: *Numquid non filius Jemini ego sum* (inquit Saul 1. Reg. 9. 21.) *de minima tribu Israel, & cognatio mea novissima inter omnes familias de tribu Beniamin?* Et in hoc Iudicum libro c. 19. E 14. 16. *Gabaa, quæ est in tribu Beniamin*; & paullo inferius: *homines regionis illius erant filii Jemini*. Sed hæc omnia argumenta oppositum ab eo, quod volunt probare, confirmant. Beniamin, & Iemini in his locis velut synonyma usurpantur, non autem velut nomina, quæ diversas personas significent.

QUI UTRAQUE MANU PRO DEXTERA UTEBATUR.] Iudæi, & qui illis adhærent [10], ad litteram ita textum Hebraicum reddunt [11]: *Aod, qui mancus erat, qui vinctam habebat manum dexteram*, qui manu dextera

1 וימכרם ביד כושן רשעתים מלך ארם נהרים. 2 Ptolom. ʼΡίσινα. 3 Plin. l. 5. c. 24.
4 Vide Judic. 1. 16. 5 ויאסף אליו את בני עמון. 6 Καὶ προσήγαγε πρὸς ἑαυτὸν πάντας τοὺς υἱοὺς Ἀμμών. 7 אהוד. 70. Ἀώδ. Joseph. Ἰούδης. Antiqu. l. 5. c. 5. 8 Genes. 46. 21.
9 Vide Bonfrer. hic. 10 Ita Jonath. Syr. Arab. Munst. Montan. Pagn. Tirin. Vat. Pisc. Drus. Rabb. alii plures. Joseph. Antiquit. Cleric. hic. 11 איש אטר יד ימינו.

xtera captus erat, vel demum, qui scæva erat, neque adeo facile manum dexteram poterat exercere. Ut hanc versionem confirment, ajunt, scævas audaciores esse, ad quodlibet aggrediendum magis idoneos, atque manu ad aliquid facinus perficiundum præ ceteris magis aptos [1]: illorum ictus difficilius evitari; quod etiam in adagium abiit alicubi [2]: *A scæva caveri nequit.*

At Septuaginta [3], Vulgata, Græci Patres, & Latini, ac plurimi Interpretes, quos inter Bonfrerius, & Cornelius asserunt, Aod ambi-dexterum fuisse, ac æque utraque manu usum fuisse. Hæc maxima erat militis laus utramque manum veluti dexteram exercere. Hector apud Homerum Iliad. H. se militarem scientiam nosse gloriatur, & parmam tam læva gestare, quam dextera; & apud eumdem Iliad. Φ. Asteropæus commendatur, quod cum ambidexter esset, duo simul tela jacularetur. Plato [4] optabat, ut qui insignem referre vellent e bellicis artibus gloriam, se se ambidexteros studio, ac exercitatione perficerent. Aristoteles Ethic. l. 5. cap. 7. animadvertit nequaquam esse impossibile homines ambi-dexteros nasci, sed dexteram manum semper esse fortiorem. Hippocrates Aphor. 52. refert, mulieres numquam nasci ambidexteras, & Galenus addit, se vidisse quidem homines ambi-dexteros, mulieres vero non item. Hipponax ab hoc authore allatus [5], ait: *Ego sum ambidexter, nullus me fallit ictus.* Scriptura distincte loquitur de septingentis civibus Gabaa, qui læva, æque ac dextera pollebant, fundis lapides jaculari ita docti, ut capillum sano petere possent, quin semel ictus e sententia non cederet. Iudic. 20. 16. *Septingenti erant viri fortissimi, ita sinistra, ut dextera prælinntes: & sic fundis lapides ad certum jacientes, ut capillum quoque possent percutere.* Hac eamdem virtutem commendat in iis, qui secuti sunt David in Siceleg. 1. Par. 12. 2.

Hoc singulare esset procul dubio, si militis vim, & dexteritatem commendaturus, ipsum scævam esse tantummodo diceris; atque mirum magis adhuc esset, si unius urbis septingenti cives omnes essent scævæ, ac nihilominus adeo viribus prævalidi, ac robusti, uti erant cives Gabaa. Hæc una ratio satis, superque videri potest ad eam opinionem dituendam, quæ asserit, Aod scævam fuisse, vel dextera manu mancum. Neque arduum nimis est istic conjicere, D cur Scriptura hic referat Aod fuisse ambidexterum; nam gladium, vel pugionem ita celare debebat, ut nemo id suspicari posset, ipsum armis esse præcinctum, vel ferro petere velle, videns illum manum lævam ibi gestare, ubi gladium nequaquam præcingi assueverat. Debebat ille sub dexterum latus ensem obtegere, ut læva educeret manu [6], cum vulgo gladius ad femur lævum gestaretur, & manu dextera educeretur. Nescio, an Iosephi exemplaria hoc in loco fuerint umquam castigata [7]: ibi enim legimus Aod læva manu valuisse magis, quam dextera, ac omnes vires illis in læva manu fuisse, qui sensus equidem est perturbatior, Rufinus hoc minime in exemplaribus suis legebat; saltem hoc in ipsius versione Josephi haud intuemur. E

MISERUNT PER ILLUM MUNERA EGLON.] Videlicet curam vectigalia deferendi, quæ Regi debebantur, demandarunt Aod. Scriptura sæpius munera appellat ea, quæ Regibus offerebantur; videtur enim invisum tributi nomen velle effugere. Post electio-

Tom. II. Par. II.

A nem Saul, *Filii Belial dixerunt, num salvare nos poterit iste? & despexerunt illum; & non attulerunt ei munera* 1. Reg. 10. 27. David *cum percussisset Moab, facti sunt Moabitæ servi David offerentes ei munera* 1. Par. 18. 2. Reges illius regionis munera Salomoni deferebant 2. Par. 9. 24. Philisthiim quoque Iosaphat [8] dona mittebant. Apud Persas teste Herodoto l. 3. cap. 89. nullum exigebatur vectigal ante regnum Darii filium Hystaspis; sed antea satis erat munera regibus afferre.

℣. 16. QUI FECIT SIBI GLADIUM ANCIPITEM.] Vel sibi cudendum curavit, nam sæpius dicimus, nos id facere, quod ab aliis fieri curamus. Tunc temporis laudi vertebatur id per se efficere, quod modo nobis ab artificibus elaborari efficimus. Au- B thor Vulgatæ ait, siccam, vel pugionem, vel ensem, quemadmodum hebraicus textus appellat, fuisse *ancipitem, habentem in medio capulum longitudinis palmæ manus.* Hebraicus textus simpliciter habet [9] gladium hunc, vel *pugionem duplex habuisse os*, vel aciem duplicem, atque *cubito uno oblongum fuisse*, vel palmo, quæ unciarum quatuor est mensura. Non patet liquido hebraici *gomed* significatio; at certum est Linguam Sanctam aliam habere vocem ad cubitum significandum, neque uspiam alibi nomen *gomed* inveniri, ut mensura denotetur. Septuaginta legunt *spithamam*, quæ duodecim digitis constat; par sane pugionis longitudo.

ACCINCTUS EST EO SUBTER SAGUM IN DEXTERO FEMORE.] Sagum militarem vestem significat. Se- C ptuaginta hebraicam vocem *middo* [10] verterunt *manduam*, quæ ipsa quoque vestem significat, qua belli Persæ utebantur [11]. At credibilene est Aod militari more præcinctum fuisse, ut coram Eglon adiret? hoc sane pacto suspicionem injecisset pravi alicujus consilii. Præterea quidnam opus erat hoc militari ornatu, ut quod conceperat, exequeretur? Authographi vocabulum vestem simpliciter significat, neque aliter est intelligendum.

Ad id autem, quod adjicit Scriptura, ipsum ad femur dexterum pugionem adligasse, animus magis est advertendus; hoc enim ipsa profecto refert, quod vulgo gladium lævo lateri subnecti assueverat. Dextera naturaliter fertur in lævam ad gladium stringendum; præsertim si super femur ensem pependisse supponimus, ubi liquet, Hebræos passim adnectere consuevisse [12]. Veteres Europæ populi, qui a Romanis barbari nuncupabantur, lævo lateri gladium vinciebant [13], quod ipsum de Gallis Diodorus Siculus l. 5. & de Germanis Strabo l. 4. testatur. Romani equites ad dexterum latus ensem gestabant; pedites vero duplicem, longiorem alterum ad lævam, alterum vero ad dexteram breviorem; qui palmi longitudinem non excedebat [14].

℣. 17. CRASSUS NIMIS.] Hebraica [15], *pinguis nimis.* Septuaginta [16], *formosus nimis*, pulcher. Sanctus Augustinus qu. 21. in Genes. in Exemplaribus suis legebat; *exilis nimis*; quod veluti ironice dictum, ac in sensu opposito jure censet intelligendum.

E ℣. 18. PROSECUTUS EST SOCIOS, QUI CUM EO VENERANT.] Hebraica lectio [17], Chaldaica, & Septuaginta habent: *Remisit populum, qui munera attulerat.* Venerat Aod cum pluribus viris, qui Regi vectigal deferebant. Ipsi vero provincia fuerat demandata, ut ea Regi offerret, ideoque catervam o-

N omnem

1 Malvenda. 2 Drusius. 3 ἄνδρα ἀμφοτεροδέξιον. 4 Aristot. l. 2. c. 12. Politic.
5 Vide Bonfrer. hic. 6 Mox ℣. 16. & 21. 7 Antiqu. l. 5. c. 5. τῶν χειρῶν τὴν ἀριστερὰν. Ἀμφότεροι, καὶ ἐν ἐκείνῃ τὴν πᾶσαν ἰσχὺν ἔχων. Gelen. sic. *Utraque manu ex æquo promptus.* 8 2. Paral. 17. 11. Vide & Psal. 67. 30. & 71. 10. 9 חרב ולה שני פיות גמד ארכה. Videtur S. Hieronymus legisse *Gomer* עומר quod pugno continetur, manipulus, pro גומד *palmus.* 10 תחת למדיו. 70. ὑπὸ τὸν μανδύαν.
11 Hesychius, Pollux, Suidas &c. 12 Vide Psal. 44. 4. *Accingere gladio tuo super femur tuum.* Et Cantic. 3. 8. *Uniuscujusque ensis super femur suum.* Vide dicta ad Exod. 32. 28. 13 Vide Lipsium in Tacitum.
14 Joseph. l. 3. c. 3. de Bello Jud. 15 איש בריא מאד. 16 ἀστεῖος σφόδρα. Bonfrer. legendum conjicit ἰσχνὸς σφόδρα. 17 וישלח את העם נשאי המנחה.

mnem præcedebat. Cum omnie præstitisset observantiæ officia cum Eglon, dimisit eos, qui secum venerant; & deinde usque in Gelgala profectus, ubi erant idola, perinde ac excepisset illic maximi momenti quodam oraculum, statim ed Eglon rediit, veleti illud ipsi communicaturus. Potest quoque textes in hunc sensum intelligi, juxta eliam versiculi sequentis versionem: *Cum Aod obtulisset munera Eglon, eos remisit, qui attulerant illa* [1], *& reversus ab idolis, quæ erant in Galgalis, dixit ad regem: Verbum secretum habeo ad te, o Rex*. Aod fortasse solebat in Gelgalis immotari, vel illuc paullo ante concesserat. Simulac igitur munera obtulit, ac homines, qei eum fuerent profecuti, dimisit, dixit ad regem se arcanum habere, ipsi Dei verbis, vel Deorum, uti Hebraice extet, detegendum; videlicet, uti reor, verbis *Pesilim*, vel Idolorum sculptilium, qui in Gelgalis colebantur.

Interpretes quidam [2] putant, *Pesilim*, de quibus modo locuti sumus, fuisse lapidum congeries prope Galgala; sed Septuaginta [3], Jonathan, aliique plures vocem hanc de Idolis, vel sculptilibus imaginibus insellexere. Scripture hoc eodem uritur vocabulo, cum cavet, ne Idola fiant [4]. Illic fortasse Moabitæ imagines bes constiteerant, ur locum ipsum, ubi diu Arce Domini requieverar, profanarent; vel poties hæ erant seperstitiosæ imagunculæ, illis Michæ persimiles (Jedic. 17. 4.) ques Isreelitæ, ut futurum noscerent, consulebane. Ex prophetis Osea 4. 5. & 9. 15. & 12. 11. & Amos 4. 4. 5. liquet, Galgale semper sanctitatis locum habitum fuisse, quo Israel conflecte consueverat. Israelitæ decem tribuum ibi idola venerati sunt, quamobrem vehementer u Prophetis redarguuntur. Eusebius in locis Hebr. in Gelgala asserit suis quuque temporibus Gelgela, quamquam locus ille desertus jam esset, in summo populorem cultu habitum fuisse, veluti sacer esset locus, & venerabilis.

℣. 19. ET ILLE IMPERAVIT SILENTIUM.] Hebraice [5]: *Eglon dixit illi: Tace*. Expecte, donec omnes secedant arbitri, ut mihi illud detegas, quod es dicturus.

℣. 20. SEDEBAT AUTEM IN ÆSTIVO CŒNACULO.] Hebraice [6]: *Solus erat in superiori cubiculo ad captandum frigus extructo*. Erat ille in superiori domus contignatione, ac in cubicelo, ubi frigus facile ceptari posset. Ostendemus in Dissertetione de veterum Hebræorum domiciliis, qeinam essent hi cubiculi ad frigus captandum. Posset, ut mihi videtur Textus verti pro *diversoriis*, vel *aula concilii*, deducendo nomen מקרה e קרא *vocavit*. Vox *Makerah* Lat. Cameræ liquet esse affinis, & Græc. μεγάρου, *domui*.

VERBUM DEI HABEO AD TE. QUI STATIM SURREXIT.] Hebraice [7]: *Habeo aliquid a Deo pro te, o Rex*, quid magnum, maximi momenti; vel simpliciter: *Verbum habeo tibi Deorum nomine communicandum*. Aod cogere voluit Eglon ad consurgendum, ut rutius illem pugione confodere posset [8]. Vel dixit illi se habere, quod ad ipsum Deorum verbis loqueretur, ut metem, & perturbationem injiceter, ut attentionem illius eb eo, quod erat facturus, in cujuspiam rei mirabilis, maximique momenti converteret.

Verum hac in re Aod nonne mentitus est? Sanctus Augustines [9], & alii quidam Patres illum excusent dicentes, ipsum permisse callidirate usum fuisse, ac laudabili stratagemate. Nomine *verbi* non vocem, sed *actionem* intelligendam esse autumat S. Augustinus; quæ quidem actio vere erat de mandato Dei; nam Deus spiritus sui lumine efflaveret Aod; itaque veritatem dicere potuit: Negotium mihi tecum est jussu Dei; ego te ipsius imperio sum occisures. Alii credunt æquivoco usem fuisse Aod, eo consilio, ut falleret Eglon; neqee illum mendacii esse excusandem. Nulla necessiras urget, ut quamlibet Sanctorum virorum actionem recte factam fuisse probemus; sæpius pariter Deus, humani, & imperfecti aliquid maximis, ac magis heroicis actionibus immisceri.

STATIM SURREXIT DE THRONO.] Observantiæ ergo, atque ut Dei exciperet jussa. Balam dicebat Balac Moabitarum Regi, quod coram ipso staret, donec illum ipse Dei verbis alloqueretur Num. 23. 18. *Sta Balac, & ausculta, audi fili Beor*. Moyses, ac Iosue [10] calceos exuunt, cum illos alloquitur Deus. Nos stantes Evangelium audimus. Legimus in Romana historie, cum Cincinnato nuntium perlatum esset, quod designatus fuisset Consel, Legetem, quem ipsum nudatem repeterat, illi dixisse: *Vela corpus, ut proferam Senatus, populique Romani decreta*. Vide Plinium l. 18. c. 3. Persius Satyr. 1.

Unde Remus, sulcoque terens dentalia, Quinti,
Quum trepida ante boves dictatorem induit uxor.

℣. 22. INFLIXIT IN VENTREM EJUS TAM VALIDE, UT CAPULUS SEQUERETUR FERRUM.] Nomine ventris Hebræi sæpies intelligunt cor, ac partes viteles; &, ut verbo me expediam, quidquid in seperiori simul, ac inferiori ventre continetur. Hebraicus textus ad litteram [11]: *infixit gladium in ventrem, & tectum*, scilicet, ferrea lamina, *post flammam*, hoc est mucronem *pervasit*. Chaldaica versio [12]: *pugio post mucronem subiit*.

STATIMQUE PER SECRETA NATURÆ ALVI STERCORA PRORUPERUNT.] Hebreica vox [13] *Parsedonah*, quam Vulgatæ Author vertit *stercora*, istic solum in Scripeura occurrit, atque ratione penitus irregulari. Aliæ hebraicæ voces plerumque tres tantum radicales litteras habent, in hac vero quinque inveniuntur. Non setis probatur vox hæc illud significare, quod hic perhibetur. Cheldaicæ versionis authoritas solum ferme rei hejus suggerit argumentum. Septuaginta [14] aliter a Vulgata intellexere; vertunt enim: *Et egressus est in porticum*. Hi forte in hebraico textu legerunt *prostena*, quippe utuntur voce *prostada*, quæ significat porticum, & quæ apertam hebent cum illa similitudinem. Hebraice legi qeoque posset *peristena*, quod nomen forsitan positum fuit pro *peristilio*, quod ipsum etiem porticum significat. Si *parsedah* cibi retrimenta significat, agnoscere debemus irregularem constructionem in textu; nam cum nomen sit fœminini generis, verbum, qeod illi respondet, generis est masculini. Conjici quoque posset, locum hunc esse glossam textui additem, ad illum illustrandem; nam bis idem repetiter modo, qui alienus nimis videter a simplici narrandi modo, quo uti videtur Scriptura; (22) Aod cum vulnus inflixisset, *nequaquam gladium de ventre Eglon recepit, & egressus est in peristilium*; (23) *Et Aod egressus est in vestibulum, & clausit super illum cubiculi januas, easque ligavit*. Ceterum nequequam exemplo caret, voces ex Græca lingua erutas in Scripturis invenire. Plures ederant in Chaldæorum, ac Syrorum lingua sub tempus Babylonicæ captivitatis; atque earum magna vis post id tempus in hebraicum textum obrepsit.

1 ℣. 19. והוא שב מן הפסלים אשר את הגלגל.
2 Pagnin. Drus. Vatabl. Kimchi, Jun. Tremel. &c. 3 Καὶ ἀπέστρεψε ἀπὸ τῶν γλυπτῶν μετὰ τῆς Γαλγάλ.
4 Vide Exod. 20. 4. Deuter. 7. 5. 25. Judic. 18. 16. Isai. 42. 8. & passim.
5 ויעשה דם· 6 והוא ישב בעלית המקרה אשר לו. 70. ἐν τῷ ὑπερῴῳ τῷ θερινῷ.
7 דבר אלהים לי אליך· 8 Ite Joseph. l. 5. c. 5. 9 Origen. hom. 4. Basil. in Ascetic. Anastasius Nicænes qu. 75. Aug. qu. 20. in Judic. Vide & Cornel. a Lapide ad ℣. 19. & Serar. qu. 3.
10 Exod. 3. 5. Josue 5. 16. 11 ויתקעה בבטנו ויבא גם הנצב אחר הלהב.
12 ועאל אף רסתקא בתר שננא. 13 ויצא הפרשדנה. 14 ἐξῆλθεν εἰς τὰς προστάδα. Aquil. παραστάδα. Sym. τὰ πρόθυρα.

psit. Quod hic legimus *per secreta naturæ* alvi stercora prorupisse, in textu non legitur; verum hoc adeodum credidere, ne quis putaret, ea per vulnus prorupisse, quod clausum erat & pinguedine, & pugione, qui illic remanserat. At *peristana* pro porticu accipiendo, omnes has effugimus difficultates.

℣. 23. AOD AUTEM CLAUSIS DILIGENTISSIME OSTIIS (℣. 24.) PER POSTICUM EGRESSUS EST.] Lyranus vellet in Vulgatæ textu legi *per porticum*, non *per posticum*. Hebraice [1]: *Et Aod egressus est per vestibulum, & clausit super illum cubiculi januas* (super Eglon), *& eas ligavit, & exiit*. Hebraica vox *hammisdrona* vestibulum vertitur, juxta Chaldaicam lectionem [2], quæ habet *exedram*, quæ Græca vox porticum significat columnis suffultum, & sedilibus
B exornatum, quemadmodum antiquitus consueverat in januis ædium regalium, quo Reges, ac Consiliarii conveniebant, ut de rerum summa agerent, vel dicerent jus. Videri potest in Homero Odyss. H. descriptio porticus Regis Alcinoi, ac in 3. Regum libro c. 7. 6. 7. porticus ædium Salomonis. Septuaginta [3]: *per excubiarum stationem pertransiit*; non quæsivit ille latebras, ac vias, quibus clam posse proripere; transiit per vestibulum, per stationem militum, qui in foribus aderant. S. Augustinus qu. 11. in Judic. recte animadvertit, Scripturam minime naturalem narrationis ordinem prosequi, dicendo, ipsum per vestibulum egressum esse, & cubiculi ostia clausisse; ostia enim clauserat, antequam de porticu egrederetur.

C Verum quinam Aod cubiculi hujus ostium clausit? Si clavibus obsignavit, cur eas non abstulit, vel saltem cur eas non abdidit, ita ut non adeo facile reperiri possent? Reor quidem nequaquam clavibus usum fuisse, ut januam præcluderet; veteres claves solvendis quibusdam vinculis præsertim inserviebant, quibus januæ, & capsæ claudebantur, earum iisdem vinculis nectendis, ligandisque nullus erat earum usus. Quare fit, ut Scriptura dicat dumtaxat ipsum *clausisse ostium super Eglon*, scilicet clausisse Eglon in cubiculo, & *januam ligasse*: sed cum Regis famuli reserare voluerunt, tunc clavibus opus fuit ad vincula, de quibus sumus locuti, dissolvenda. Hebræis seræ nequaquam nostris similes erant, ac illorum claves longe erant ab illis diversæ, quibus nunc utimur,
D sed longe crassiores erant; neque potuisset Aod eas facile adeo auferre, aut celare; quod ipsum alioquin vanum fuisset: nam clavis eadem pluribus ostiis poterat inservire, neque singulis repagulis, vel vinculis singulæ claves erant, quemadmodum nunc singulæ singulis seris inserviunt. Consulere potes Dissertationem nostram de veteribus Hebræorum domiciliis.

Alia porro suppetit quæstio majoris momenti, utrum scilicet, Aod interficiens [4] Eglon crimen admiserit? Rex hic tyrannus erat, & usurpator; liberam opprimebat nationem, quæ Deo uni erat obnoxia; Religionem plane improbam profitebatur, ac exemplum ipsius Israelitas in impium cultum pellicere poterat. Rex hic haberi poterat veluti publicus hostis, in quem non solum subditis omnibus
E generatim, sed cuilibet Israelitæ singillatim bellum inferre licebat, ut Respublica ab ea servitute, qua obruebatur, liberaretur.

At hæ rationes, & dogmata palam falsa sunt, perniciosa, ac idonea ad deterrimum quodque, & nequissimum scelus in imperiis gignendum. Si populorum oppressio, si Religionis diversitas sufficerent, ut jure Regibus mors posset inferri, quinam in tuto versaretur, præsertim si privatus quisque rationum harum posset ferre judicium, illudque pro viribus exequi? Quodnam Regnum est, in quo omnibus regiminis species arrideat, omnesque Religio-

A nem Principia profiteantur? David procul dubio erat Rex Israel, simulac ipsum Samuel inunxerat, illumque Regem Dei nomine designaverat: attamen quanam religione vitam, ac personam Saul est reveritus, quamquam hic princeps vehementissime, æque ac injustissime illum persequeretur? Nonne veluti in parricidam, ac impium animadvertit in Amalecitam, qui se in unctum a Domino manum intulisse gloriabatur? Primorum sæculorum Christi fideles, qua observantia, qua obedientia Ethnicos Principes prosecuti sunt, cum ab illis suppliciis, & calamitatibus opprimerentur? Principes, quorum vita omnibus erat inquinata flagitiis, quorum Religio aperte erat impiissima, & quorum usurpatio, ac tyrannis notoriæ erat publicitatis. Num eorum aliquis aliorum con-
B jurationis fuit particeps? num alicui sermo, vel factum elapsum est, quod eam dedeceret observantiam, ac obedientiam, quæ illis debetur, quibus suum Deus contulit potestatem? In ipsorum animis altius ea Divi Pauli ad Rom. 13. 1. 2. doctrina insederat, omnem potestatem esse Dei; & quicumque potestati a Deo constitutæ adversatur, Deo ipsi adversari. Dogmatum horum numquam oblita est Ecclesia; ac in Constantiensi Concilio sess. 15. anathematis fulmen est ejaculata in eam Johannis Hus propositionem: *Quilibet tyrannus licite potest a quocumque subdito interfici*.

Quomodo igitur Aod potest defendi, de quo scriptum est Judic. 3. 15. quod eum Dominus suscitaverit, ut liberaret populum suum? Hæc ea est una
C ratio, qua illum parricidii culpa vacare probari potest. Deus, veluti Dominus vitæ hominum cuipiam e servis suis potest præcipere, ut hostem ipsius interficiat. Aod veluti minister, ac Divinæ executor Justitiæ adversus Eglon, & veluti extraordinarie suscitatus ad populi salutem gladium distringere potuit in tyrannum, non autem propria, sed superiori, ac divina authoritate, non voluntate sua, sed afflatu divini Spiritus; ac præterea opus fuit, ut afflatus hic probaretur, agnosceretur, confirmaretur; atque ipsius actio consequenti saltem actu ratu fieret, cum antecedenti approbari nequaquam potuisset. Nam si primo cuique dementi liceret in illos manus inferre, quos hominibus præposuit Deus, Divini Spiritus afflatum, ac motum supernaturalem prætexendo,
D quibusnam periculis & Principes, & populi essent obnoxii? Itaque etiamsi facinus Aod culpa vacet propter mandatum Dei, qui hoc illi præceperat, nihilominus ex hoc facto nihil licet inferre, neque ad imitandum proponere. Hæc enim facta singularia sunt, ac extra communem ordinem posita, & quæ nec pro lege, neque pro exemplo sunt assumenda.

℣. 24. FORSITAN PURGAT ALVUM.] Hebraice ad litteram [5], *purgat*, vel *cooperit pedes suos*; quæ locutio, actum occultum, quem honeste non licet facere, significat.

Veteribus nulla erant femoralia, & cum alvum exonerabant, se vestibus suis obtegebant, atque ad terram usque inclinabantur. Lingua Sancta *pedes* vocitat ea, quæ pudor proferre vetat; *aquam pedum* pro lo-
E tio. Josephus de Esseniis loquens lib. 2. de Bello c. 12. ait, illos die Sabbathi eò, quo saturi ire solent, pergere non audere, sed aliis diebus illuc clam, ac in abditos, secretosque locos proficisci, ubi cum terram ad pedis altitudinem effoderint eo instrumento, quod semper gestant, inclinari, ac usquequaque vestibus suis obtegi, perinde ac Solis lucem fœdare vererentur: deinde vero foveam iterum ea implere humo, quam eruerant; & quamvis actio hæc adeo naturalis sit, ipsos nihilominus se veluti ob immundum aliquid purificare.

IN ÆSTIVO CUBICULO.] Hebraice [6], *In cubiculo*, vel *in penetrali aulæ æstivæ*, vel in remotiori cu-

1 ויצא אהוד המסדרונה ויסגר דלתות העליה בעדו ונעל והוא יצא. 2 אכסדרא.
3 ἐξῆλθεν Αωδ τὰς διατεταγμένας. 4 Vide Serar. hic.
5 אך מסיך הוא את רגליו. 70. Rom. ἀποκενοῖ τοὺς πόδας αὐτοῦ. 6 בחדר המקרה.

cula prope aulam. Septuaginta [1]: *in recessu cubilis*, in cubiculo, ubi dormitur. Syriaca versio: *Ire forsitan potuit ad alvum purgandum in aulæ penetrale*. Arabica: *abiit per interiorem januam*, vel secretam. Existimarunt ipsum in penetrale aulæ proximum secessisse.

℣. 25. EXPECTANTESQUE DIU, DONEC ERUBESCERENT.] Septuaginta [2], ac plures Interpretes Hebraicum textum in eodem sensu intellexerunt: sed aliquando tardare significat; differre; itaque verti potest: *Expectaverunt adeo, ut differrent*; videlicet diutius expectarunt [4]. Videtur autem hebraicum verbum innuere præsertim pudorem repulsæ, vel animi perturbationem, quod spe exciderit quisquam. Aulici Eglon expectarunt, donec victa fuit ipsorum patientia: ac desperantes fore ut amplius aperiretur, B propter expectandi diuturnitatem erubescentes (hactenus enim januas aperiri posse speraverant) clavem sumpserunt, ac solverunt vincula, quæ repagulum, vel januæ pessulum detinebant.

℣. 26. DUM ILLI TURBARENTUR.] Hebraice [5]: *Dum illi differrent*. Aod tempus fuit se se in rutum recipiendi, donec Aulici Eglon expectarunt, ut janua aperiretur, vel Rex eos accerseret.

VENITQUE IN SEIRATH [6].] *Seirath* situs ignoratur. Eusebius, & S. Hieronymus in Locis ad *Seira* ajunt, Josue cepisse civitatem nomine *Seirath*, sed nihil tale in hebraico textu invenimus, neque in Septuaginta. Novimus quidem cisternam Sira, unde Joab fecit, ut Abner reverteretur in Hebron [7]; ac urbem cognominem, ubi Rex Joram fudit, delevit- C que Idumæos [8]; sed utraque aliter scribitur a *Seirath* loci hujus. Ceterum dici nequaquam potest Aod se se recepisse in montes *Sairat* Idumæam versus, nam versus montes Ephraim recessit. Eruditi quidam viri [9] arbitrati sunt *Seirath* esse regionem Syriadis, ubi Iosephus Antiqu. l. 1. cap. 2. ait extitisse columnas inscriptionibus refertas, quæ ibi ante diluvium positæ fuerant. Verum reor, Historicum hunc sumpsisse *Pesilim*, vel sculptilia, quæ erant prope Galgala, pro veteribus inscriptionibus, atque terram hanc antiquitus *Syriat*, vel *Syriadem* nuncupatam fuisse. Consuli potest, quid hac de re in Genesi c. 6. 13. dixerim.

℣. 29. OMNES ROBUSTOS, ET FORTES VIROS.] Hebraicus textus ad litteram [10]: *omnem pinguedinem*, D *& fortes viros*, vel divites; quidquid opum, vel virium erat apud Moabitas. Pinguedo pro quidquid A opulentissimum, ac optimum est, usurpatur. In Psalmis [11] *pingues terræ* significant divites, potentes, fortes.

℣. 30. QUIEVIT TERRA OCTOGINTA ANNIS.] Initio ducto a decessu Othoniel ad mortem Aod. Vide superius, quæ dicta fuerint ad vers. 11.

℣. 31. POST HUNC FUIT SAMGAR FILIUS ANATH.] Veteres quidem [12] ex albo Judicum Israel expunxerunt *Samgar*. Crediderunt plane, ipsum vixisse, cum Aod, vel Barac populo præesset; vel ipsum præfuisse quidem, sed brevi adeo temporis intervallo, ut minime mereatur inter Judices Israel adscribi. Animadverti profecto potest, quod Scriptura non ait, ipsum judicasse Israel, neque regiminis illius annos recensere; ac vers. primo capitis sequentis, perinde B ac inter Aod, & Barac nullus intercessisset Iudex, refert, Israelitas rursus post mortem Aod in flagitia fuisse prolapsos. Denique vers. 6. cap. 5. sermo est de tempore Samgar, non secus ac de tempore Jahel, videlicet, veluti de privato quodam, qui gloriam nominis sibi comparavit facinore, quod hic refertur, æque ac Iahel aliud haud absimile patrarat Sisaram interficiendo.

Sed Recentiorum plerique, & Veterum non pauci [13] *Samgar* judicis deferunt dignitatem. Ad id enim eo pacto istic nos Scriptura cogit, ut nullus dubio locus supersit: *Post Aod fuit Samgar, qui defendit*, vel juxta Hebraicum textum [14], *qui servavit*, qui liberavit *Israel*. Verum quidem est, ipsum non comparasse Israeli perfectam, completamque liberta- C tem; sed sufficit, quod ipsum tutatus fuerit aliquamdiu, & ab aliquo hostium suorum.

VOMERE.] Vel juxta alios [15] *cum stimulo bovis*. Samgar plane erat agricola, qui cum suorum manu Philistiim phalangem delevit, qui terras illas accesserant depopulatum. Quod hic adnotatur, ipsum fudisse hostes cum instrumento, quo agricolæ utuntur, ostendit, ipsum hoc virtutis specimen dedisse potius in occursu, quam utrinque acie composita. Maundrelius ait in Palæstina, agricolas uti stimulis, qui a nostratibus absimiles sunt. Etenim sudes sunt octo pedibus oblongæ, ac decem unciis crassæ in crassiori extremitate: quarum subtilior extremitas spicolo ferreo est præfixa, crassior vero solido, fortique bipalio, ad vomerem tergendum, ac terram inde dimo- D vendam. Simili stimulo plane usus Samgar Philistiim manum percussit.

---

1 ἐν τῷ ἀποχωρήτῳ τοῦ κοιτῶνος. 2 ויחילו עד בוש. 70. καὶ προσέμειναν αἰσχυνόμενοι.
3 Vide Exod. 32. 1. *Videns populus, quod tardaret Moyses*. Heb. כי בשש משה.
4 Chald. Syr. Arab. Pagnin. Vatabl. Vide 3. Reg. 2. 17. 5 עד התמהמהם.
6 וימלט השעירתה. 7 2. Reg. 3. 26. מבור הסרה. 8 4. Reg. 8. 21. ויעבור צעירה.
9 Vossius, Huetius, Valesius, 10 כל שמן וכל איש חיל.
11 Psal. 21. 30. & 77. 31. *Et occidit pingues eorum* &c. 12 Clemens Alexand. l. 1. Stromat. Euseb. in Chron. Bede, Isidor. Vide Genebr. Chron. & Serar. & Bonfrer. hic. 13 Origen. hom. 4. Joseph. l. 5. c. 5. August. qu. 25. Rabb. &c. 14 ויושע גם הוא את ישראל.
15 במלמד הבקר. *Stimulus bovis*. Ita Jonat. Syr. Pag. Jun. 70. ἀροτρόποδι τῶν βοῶν. August. qu. 25. in Judic. *Præter vitulos boum*. 70. Rom. ἐν τῷ ἀροτρόποδι ἐκτὸς μόσχων. Legit כמלבד, *Milbad*, pro במלמד.

CAPUT IV.

Jabin sibi subjicit Israelitas. Debora, & Barac fundunt Sisaram Ducem exercitus illius. Jahel uxor Haber Cinæi hunc Imperatorem interficit, qui domum ipsius se receperat.

1. ADdideruntque filii Israel facere malum in conspectu Domini post mortem Aod.
2 Et tradidit illos Dominus in manus Jabin regis Chanaan, qui regnavit in
Asor: habuitque ducem exercitus sui nomine Sisaram, ipse autem habitabat
in Haforeth gentium. 3 Clamaveruntque filii Israel ad Dominum; nongentos enim habebat

bebat falcatos currus, & per viginti annos vehementer oppresserat eos. 4 Erat autem Debora prophetissa uxor Lapidoth, quæ judicabat populum in illo tempore. 5 Et sedebat sub palma, quæ nomine illius vocabatur, inter Rama, & Bethel, in monte Ephraim: ascendebantque ad eam filii Israel in omne judicium. 6 Quæ misit, & vocavit Barac filium Abinoem de Cedes Nephtali: dixitque ad eum: Præcepit tibi Dominus Deus Israel, vade, & duc exercitum in montem Thabor, tollesque tecum decem millia pugnatorum de filiis Nephtali, & de filiis Zabulon: 7 Ego autem adducam ad te in loco torrentis Cison, Sisaram principem exercitus Jabin, & currus ejus, atque omnem multitudinem, & tradam eos in manu tua. 8 Dixitque ad eam Barac: Si venis mecum, vadam: si nolueris venire mecum, non pergam. 9 Quæ dixit ad eum: Ibo quidem tecum, sed in hac vice victoria non reputabitur tibi, quia in manu mulieris tradetur Sisara. Surrexit itaque Debora, & perrexit cum Barac in Cedes. 10 Qui, accitis Zabulon, & Nephtali, ascendit cum decem millibus pugnatorum habens Debboram in comitatu suo. 11 Haber autem Cinæus recesserat quondam a ceteris Cinæis fratribus suis filiis Hobab, cognati Moysi: & tetenderat tabernacula usque ad vallem, quæ vocatur Sennim, & erat juxta Cedes. 12 Nuntiatumque est Sisaræ, quod ascendisset Barac filius Abinoem in montem Thabor: 13 Et congregavit nongentos falcatos currus, & omnem exercitum de Haroseth gentium ad torrentem Cison. 14 Dixitque Debbora ad Barac: Surge, hæc est enim dies, in qua tradidit Dominus Sisaram in manus tuas: en ipse ductor est tuus. Descendit itaque Barac de monte Thabor, & decem millia pugnatorum cum eo. 15 Perterruitque Dominus Sisaram, & omnes currus ejus, universamque multitudinem in ore gladii, ad conspectum Barac, in tantum, ut Sisara de curru desiliens pedibus fugeret, 16 Et Barac persequeretur fugientes currus, & exercitum, usque ad Haroseth gentium, & omnis hostium multitudo usque ad internecionem caderet. 17 Sisara autem fugiens pervenit ad tentorium Jahel uxoris Haber Cinæi: erat enim pax inter Jabin regem Azor, & domum Haber Cinæi. 18 Egressa igitur Jahel in occursum Sisaræ, dixit ad eum: intra ad me, domine mi: intra, ne timeas. Qui ingressus tabernaculum ejus, & opertus ab ea pallio, 19 Dixit ad eam: Da mihi, obsecro, paulullum aquæ, quia sitio valde. Quæ aperuit utrem lactis, & dedit ei bibere, & operuit illum. 20 Dixitque Sisara ad eam: Sta ante ostium tabernaculi: & cum venerit aliquis interrogans te, & dicens: Numquid hic est aliquis? Respondebis: Nullus est. 21 Tulit itaque Jahel uxor Haber clavum tabernaculi, assumens pariter & malleum: & ingressa abscondite, & cum silentio, posuit supra tempus capitis ejus clavum, percussumque malleo defixit in cerebrum usque ad terram: qui soporem morti consocians defecit, & mortuus est. 22 Et ecce Barac sequens Sisaram veniebat: egressaque Jahel in occursum ejus, dixit ei: Veni, & ostendam tibi virum, quem quæris. Qui cum intrasset ad eam, vidit Sisaram jacentem mortuum, & clavum infixum in tempore ejus. 23 Humiliavit ergo Deus in die illo Jabin regem Chanaan coram filiis Israel: 24 Qui crescebant quotidie, & forti manu opprimebant Jabin regem Chanaan, donec delerent eum.

℣. 1. POST MORTEM AOD.] Et cum Samgar populo præesset, cujus regiminis tempus brevius quidem fuit, & cujus authoritas non late patuit adeo; quandoquidem in tribubus Juda, Dan, & Simeon Philistiim proximis terminabatur. Sequenti capite ℣. 6. 7. Debora ait, quod cum Judex hic populum regeret, Israelitæ arant oppressi, & viæ derelictæ, ac nemo audebat incedere, nisi per calles devios, ne in latronum, & hostium manus inciderent. Samgar virtutem suam prodidit adversus unam tantum Philistinorum manum; neque ausus est congredi cum Chananæis, qui trans torrentem Cison Israel opprimebant. Non igitur mirum si eum parum adeo potentiæ, ac authoritatis illi esset, Israelitarum flagitia, & Idolorum cultum avertere nequierit; iis præsertim in locis, quo imperium ipsius minime patebat.

℣. 2. TRADIDIT ILLOS IN MANUS JABIN REGIS A CHANAAN, QUI REGNAVIT IN ASOR.] Vidimus in præcedenti Libro c. 11. 2. 10. 11. alium Jabin Regem Asor, victum, cæsumque a Josue, urbemque illius dirutam, & solo æquatam. Hic Jabin forsitan fuit ex posteris, vel saltem successoribus Regis illius cognominis; qui reliquiis copiarum, ac subditorum Jabin collectis iterum Asor urbem ædificarit, ibique se communiverit adeo, ut Israelitas ipsos subigeret, ac regioni illi dominaretur. Reor autem, tribubus Nephtali, Zabulon, & Issachar nequaquam fuisse dominatum. Tunc temporis Debora judicabat in Ephraim, & Samgar in Juda, quin suspicio ulla incederet Chananæis. Videbimus infra quænam essent vires Jabin.

SISARAM; IPSE AUTEM HABITABAT IN HAROSETH GENTIUM.] Non liquet ex textu, utrum Jabin, an Sisara habitaret in Haroseth Gentium. Eruditi quidam Interpretes [1] credunt Jabin non regnasse in Asor; civitatem hanc semel a Josue dirutam non fuisse am-

[1] Theodoret. qu. 12. Drus. Vatab. Jon. & Tremel.

se amplius instauratam; cum dicitur ℣. 2. Jabin regnasse in Asor, de illius decessoribus esse intelligendum: ipsum regnasse quidem in persona Jabin, sed ipsum personaliter ibi nequaquam regnasse: urbem Asor hic pro illius agro, ac vicis, qui ad eamdem antiquitus pertinebant, usurpari. At alii quidam notæ melioris Interpretes [1] credunt, Jabin regnasse in Asor, & Sisaram copiarum ipsius ducem in Haroseth Gentium habitasse. Versiculus 13. valde huic favet sententiæ, nam ibi dicitur, Sisara currus suos congregasse, & copias Haroseth Gentium versus torrentem Cison: unde eas deduxit ad torrentem prope quem Barac castra posuerat. Nos vero statuimus Haroseth ad borealem extremitatem lacus Semechonitidis.

Pro *Haroseth Gentium*, vel nationum, quidam [2] vertunt *in nemore Nationum*. Ajunt autem locum hunc nemus fuisse, quo Chananæi post eladem Jabin, & excidium Asor se se receperint, atque ubi sedem suam constituerint. At communior opinio est, *Haroseth* civitatis esse nomen, quæ non longe aberat ab Asor, quoniam ibi Jabin currus erant, & arma. Bonfrerius deducit *Haroseth* ex Hebraica voce, quæ Officinam significat, perinde ac civitas hæc fuisset veluti armamentarium, ubi servarentur, & conderentur Chananæorum currus, & arma. Illi vero inditum nomen fuit *Haroseth gentium* [3], vel nationum, propterea quod admodum frequens esset, vel quod magna ibi esset gentium collectarum colluvies, vel quod ibi Chananæi, ac idololatræ incolerent, vel denique eo quod in Galilæa Gentium esset posita.

℣. 3. NONGENTOS FALCATOS CURRUS.] Hebraice, *nongentos ferreos currus*. Adire potes Dissertationem nostram de militia Hebræorum ante Librum Esther.

℣. 4. DEBORA PROPHETISSA UXOR LAPIDOTH.] *Debora* [4] apem significat, & *Lapidoth* lampades. Hebræi sæpius filiis suis animantium nomina imponebant, veluti *Rachel* ovis, *Hasida* ciconia, *Nohesta* anguis, *Caleb* canis, *Sephora* avis; quæ consuetudo viget adhuc apud terrarum recens detectarum incolas. Nomen *Lapidoth*, quod lampades significat, in causa fuit, ut alii alia conjicerent. Alii quidem voluere, Lapidoth fuisse virum Deboræ, quæ sententia vulgatior est: alii crediderunt patriam fuisse, vel locum, ubi Prophetissa hæc morabatur; alii denique [5] arbitrati sunt, illi agnomen hoc *Lampadum* inditum fuisse, eo quod lychnis in Candelabri Tabernaculi usum construendis operam navasset. At Rabbini solùm hæc, atque id genus alia possunt comminisci.

Debora fuit Prophetissa; quod nequaquam inauditum erat inter mulieres. Maria Moysis soror, Anna mater Samuelis, Holda, de qua sermo est in Libris Regum, Sanctissima Virgo, Sancta Elisabeth, Anna vidua Phanuel filia S. Philippi Diaconi, & aliæ quædam Prophetiæ spiritu donatæ fuerunt. Apud Ethnicos plures Prophetissæ extiterunt, quam Prophetæ. Sibyllæ, ac Antistitæ Apollinis apud ipsos celebrantur. Dæmon, qui author est harum inanium prophetiarum apud Ethnicos, invenisse videtur infirmi hujus sexus spiritum accommodatum magis, quam virorum, ad impressiones suas excipiendas. Mulieribus quidem vividior est imaginatio, conceptio facilior, & expressio liberior. Verum absit, me vera Sanctarum Prophetissarum veteris, novique Testamenti oracula conferre cum illusionibus, quas cacodæmon in mendacibus profanorum vatibus edidit.

S. Ambrosius lib. de Viduis credidit Deboram viduam fuisse, & Barac fuisse filium ipsius. S. Hieronymus epist. ad Furiam utrumque refellit, saltem neutrum certum esse probat. Alii asserunt Deboram fuisse uxorem Lapidoth, quamquam domicilio sejunctam: cum spiritus prophetici excellentia simul, veluti virum cum uxore, eos commorari minime pateretur. Alii [6] contendunt, Barac, & Lapidoth unum esse; at hæc omnia nulli argumento innituntur. Textus ait, Deboram uxorem fuisse Lapidoth; nihil ultra quærendum est.

QUÆ JUDICABAT POPULUM.] Recentiores quidam Interpretes [7] contendunt, nomen Judicis istic non adeo late patere, ac quando viris tribuitur a Deo extra ordinem suscitatis ad populum suum liberandum. Præcipuum, vel forte solum Deboræ munus erat, Hebræorum lites dirimere, illis Dei voluntatem detegere, monita ipsis præbere, futura prædicere, ac abditas res illis prodere: hæc enim omnia erant Prophetissæ munia, & Hebræi haud gravate ipsam adibant, ut de ipsorum controversiis disceptaret; experientia quippe ipsius sapientiam noverant, ac Dei spiritum, qui erat in illa: at ipsius judicia haberi minime poterant, veluti decisiones a tribunali profectæ, cui jus esset, ac authoritas obligandi, ac leges, & decreta ferendi in re controversa; sed populi acceptatio, ac recta voluntas Deboræ judiciis præcipuam conferebant authoritatem. Hoc enim apud Israelitas, juxta omnium Hebræorum doctrinam, in more generatim positum erat, ut mulieres neque judicare possent, neque regnare. Athalias quidem aliquando Judæ rexit imperium, sed potius ea Tyrannis fuit, quam legitimum regnum. Jus Romanum tum in Oriente, cum in occidente cavet, ne mulieres queant judicium ferre.

At Scripturæ Textus, ac Patrum [a] sententia nos cogit, ut Deboræ tribuamus dignitatem Judicis Israel, cum omni officii hujus authoritate. Credimus autem, post relatam de Sisara victoriam, in hoc munere, ut antea, perseverasse; illa semper tamquam Domini Prophetissa consulebatur; atque illi plurium rerum judicium delatum est. Barac cum ipsa judicaturam exercebat, obtinebatque simul supremam authoritatem in Israel; at regimen ipsius in eas tantum, quas liberaverat, tribus protendebatur.

℣. 5. SEDEBAT SUB PALMA, QUÆ NOMINE ILLIUS VOCABATUR.] Cui nomen inditum fuerat *palma Deboræ*. Palma hæc erat inter Rama, & Bethel, in montibus Ephraim, & in finibus tribuum Beniamin, & Ephraim, in quarum utramque præsertim illa authoritatem suam exercebat; atque istuc eam adibant consilium petituri. Bethel erat in terris Ephraim, & Beniamin. Palma Deboræ non una fortasse tantum fuit arbor; plures forte ibi aderant circum; Et ipsa Hebraici textus vox *palmetum* [9] posset reddi. Liquet porro unam dumtaxat palmam alias prope se gignere, aliasque in proximo ex se conserere, ac parvulum veluti nemus efficere. Plinius l. 3. c. 4. *Proceritoribus* (palmis) *sylva arbore ex ipsa filiorum aculeo fruticante circa totas pectinatim*.

℣. 6. VOCAVIT BARAC FILIUM ABINOËM DE CEDES NEPHTALI.] Superius allatæ sunt diversæ de Barac sententiæ. Erat ille e tribu Nephtali, ac morabatur in Cedes, vel Cades, quæ plerumque Cedes Nephtali nuncupatur ad aliarum cognominum urbium, quæ alibi sitæ sunt, distinctionem.

IN MONTEM THABOR.] Celeberrimus hinc mons erat in hæreditate Zabulon, vel potius in finibus tribuum

1 Serar. Druf. Boufrer. Cornel. 2 Rabb. apud Monst. Vatabl. & 70. Cod. Reg. & Basil. ad versic. 16. ἕως δρυμοῦ τῶν ἐθνῶν. 3 חרשת הגוים. 4 ודבורה אשה נביאה אשת לפידות. 5 Rabb. Salom. & David in Lyr. & Ser. 6 Rabb. David, Hugo a S. Victore, & alii plures. 7 Tostat. Genebr. Cajet. Serar. Cornel. alii. a Vide Clem. Alexandr. lib. Strom. Ambros. l. de Viduis, Hieron. ad Furiam, & alios apud Natalem Alexandr. Dissert. 18. de Debora. 9 תחת תמר דבורה.

tribuum Zabulon, & Issachar. Urbem hoc nomine Thabor [1], quæ ad tribum Issachar pertinebat, sitam ad radices, vel ad verticem montis Thabor agnovimus; hæc tradita fuit tribui Zabulon, ac est inter Levitarum urbes in 1. Paralipomenon 6. 77. recensitas. Eusebius, & S. Hieronymus statuunt montem Thabor in agro decem passuum millibus a Diocæsarea orientem versus. Josephus l. 4. de Bello c. 2. asserit montem hunc, quem *Itaburium* vocat, æque ab Campo magno, ac Scythopoli abfuisse. Denique Eusebius, & S. Hieronymus loquentes de Nazareth, ajunt, urbem hanc esse prope Montem Thabor, decem passuum millibus a *Legione* procul, orientem versus. Hæc autem ea sunt, quæ de montis Thabor situ certiora feruntur.

Dicitur [2] mons hic in latissimo agro medius consurgere, altitudine, ac rotunditate admirabili. Josephus loco citato triginta stadiorum [3] altitudine præstare ait; & Polybius l. 5. c. 70. asserit illius adscensum stadia quindecim excedere. Hic qua boream spectat inaccessus est, ac in illius vertice planicies patet sex, & viginti stadiorum, videlicet ter mille passuum, & ultra. Spatium hoc olim munitum erat, ibique urbem fuisse conditam ex Polybio patet. Antiochus illud cacumen occupavit, veluti arcem futuram exercitus sui, unde in regionem ad conatus aliquos dilaberetur. Josephus Historicus in lib. de Vita sua locum hunc communiverat, vel saltem vetera propugnacula instauraverat; & Vespasianus cum obsideret Gamalam, eo Placidum quemdam e ducibus suis misit, ut eos, qui loco potiri fuerant, deturbaret. Hæc omnia satis nobis rationem produnt, cur Barac super Thabor cum decem hominum millibus recesserit.

Vetus est traditio, in hoc monte Jesum Christum coram tribus discipulis gloriam suam manifestasse; sed Evangelium [4] præterit montis nomen, ubi hoc accidit: verum Patres veteres [5], ac Interpretes recentiores conveniunt, hoc in Thabor contigisse. Hoc tamen aliquibus non caret difficultatibus, quas alibi ad examen vocabimus. Hæc præsertim prærogativa, quod scilicet Jesu Christi transfigurationi inservierit, pellaxit novos quosdam Viatores [6], qui nobis montem Thabor exhibent, veluti præ cæteris forma, & amœnitate præstantem. Solus est medius in patentissimo agro positus, & rudera, quæ ad hanc diem extant, innuunt, olim ibi urbem fuisse positam [7]; ea vero Episcopalis erat, cum ii, qui Crucis vexillum secuti in Turcas bellum intulere, ibi dominabantur; ac illic dum ea bella vigerent, cœnobium extructum est, ubi e Divi Benedicti familia Cœnobitæ incolebant; at nunc penitus desertum est.

DUC EXERCITUM.] Hebraice [8]; *trahe super montem Thabor, & tolle tecum decem millia pugnatorum*. In Hebraica lingua sæpius vox hæc *trahere*, pro *ducere* usurpatur. Deus dicit ℣. sequenti futurum, ut ipse trahat *Sisaram* ad torrentem Cison. Canticorum sponsa sponso ait 1. 4. *Trahe me*, duc me, *post te, curremus in odorem unguentorum tuorum*.

℣. 7. ADDUCAM AD TE IN LOCO TORRENTIS CISON, SISARAM.] Torrens Cison pulcherrimam planitiem intersecat ad montis Thabor meridiem; hic Sisara copias suas in aciem explicuit, cum curribus suis; Barac vero e montis vertice per præcipites anfractus, & rupes cum quinque bellatorum millibus dilapsus in ipsum impetum fecit, quemadmodum sequenti capite narratur; *Qui quasi in præceps, ac baratrum se discrimini dedit*. Iudic. 5. 15.

℣. 8. SI NOLUERIS VENIRE MECUM NON PERGAM.] Peccavit ne Barac renuens obedire præceptis, quæ Dei nomine illi Debora edixit? Nonne Deum tentare videtur, petens, Prophetissam hanc in ea expeditione sibi comitem addi, veluti pignus eorum, quæ Dominus pollicitus fuerat? Denique diffidentiam suam prodidit, perinde ac victoria, quam illi spoponderat Deus, consilio, ac sapientiæ Deboræ esset referenda, non ita vero virtuti Omnipotentis? Responsio Deboræ, quæ illi ait, victoriam hanc non illi, sed mulieri acceptam relatam iri, nonne probat, tunc Barac egisse perperam?

Respondetur autem, quod cum Judicis hujus fides a S. Paulo ad Hebr. 11. 32. fuerit laudibus celebrata, & cum Scriptura nusquam illius exprobret diffidentiam, credendum est, ipsum hac in re minime peccasse, ac id, quod dixit Deboræ, prudentiæ ipsius effectum fuisse. Ille enim hanc impellere Prophetissam volebat, ut sibi comes accederet, veluti aptius Dei præcepta opere completuro, ac persuasuro populum, se non nisi de authoritate Dei periculosæ opus adeo plenum aleæ suscipere, ac humanis consiliis oppositum.

Septuaginta [9] in Romana, ac Basileensi editione, ac in Vulgata veteri apud S. Augustinum [10], ac S. Ambrosium [11] istic aliquid addunt, quod magis Barac æquitatem confirmat: *Si venis mecum vadam: si nolueris venire mecum, non pergam; Quia non novi diem, in qua diriget Dominus Angelum suum mecum*. Perinde ac diceret; Libenter quidem, ac absque eo quod aliud quærerem, quod mihi præcipis, exequerer, si nossem momentum, quo mihi invadendum erit in hostem: sed cum nihil hac in re mihi edisseras, ne gravate feras, cum te precor, mecum pergere, ut possis distinctius mihi Domini explanare mandata, ac tempus ea opere complendi edocere.

℣. 9. SED IN HAC VICE VICTORIA NON REPUTABITUR TIBI.] Hebraice: [12] *sed non reputabitur tibi gloria pro itinere quod aggrederis*: non tibi cedet in honorem hæc, quam aggrederis, expeditio; e voto quidem continget, sed mulier omnem referet gloriam. Hæc autem mulier juxta quosdam Debora est, juxta alios Iahel. Iahel quidem Sisaram Imperatorem exercitus Iabin confodit; Deboræ vero quodammodo omne prælii hujus consilium est deferendum. Textus tribuere videtur honorem Iahel: *Sed victoria non reputabitur tibi, quia in manu mulieris tradetur Sisara*.

PERREXIT CUM BARAC IN CEDES.] In Cedes convenire debebant Israelitæ e tribubus Zabulon, & Nephtali, ubi agendum erat, quo pacto tyrannidis Regis Asor jugum esset excutiendum. De Cedes Barac, & Debora ad Montem Thabor recta profecti sunt cum decem millium virorum manu, qui castra metati sunt in montes illius vertice, ac in ea, quæ tunc ibi aderat, civitate. Motus hic non adeo clam, & furtim fieri potuit, quin Iabin certior fieret. Misit ille quamprimum Sisaram, qui obsidione eam vallaret arcem, quam in montis cacumine Israelitæ occupaverant: misitque etiam copias suas prope Tenac, & Merou, ut transitum torrentis Cison præpediret. Vide cap. 5. ℣. 18.

℣. 11. HABER CINÆUS RECESSERAT QUONDAM A CÆTERIS CINÆIS.] Videtur Haber ab aliis Cinæis discessisse, dum illi terræ tractum deseruere, qui ad Asphaltitis occasum proppe Engaddi erat positus, ut alias sibi terras inquirerent, Iudic. 1. 16. Haber in Nephtali tribum concesserat, ac in valle Sennim prope

1 Josue 19. 22. 2 Hieron. in Osee 5. 1. & in locis. 3 Triginta stadia excedunt tria milliaria, seu leucam unius horæ itineris. 4 Matth. 17. 1. Marc. 9. 1. Luc. 9. 28. 29. 5 Hieron. Epist. ad Marcellam; & in Epitaph. Paulæ, Cyril. Beda &c. 6 Vide Adrichom. & Bonfret. hic, & Cotovic. & Radravill.
7 Doubdan Itin. Ter. Sanctæ c. 58. & Maundrel. Itin. Hierosol. 8 ומשכת בהר תבור.
9 ὅτι οὐκ οἶδα τὴν ἡμέραν ἐν ᾗ εὐοδοῖ κύριος τὸν ἄγγελον μετ' ἐμοῦ. 10 August. qu. 26. in Judic. *Quia nescio diem, in qua prosperat Dominus Angelum suum.* 11 Ambros. l. de Viduis. *Quia non novi diem in qua diriget Dominus Angelum suum mecum*,
12 אפס כי לא תהיה תפארתך על הדרך אשר אתה הלך,

pe Cedes sedem suam constituerat. Vallis hæc, vel juxta Hebraicum textum [1] hoc nemus, vel quercetum *Sennim* forte prope urbem Saananim erat consitum, quæ urbs memoratur in Iosue [2], velut tribus Nephtali civitas.

℣. 11. Congregavit nongentos falcatos currus, et omnem exercitum.] Simulac Sisara admonitus fuit consilii Barac, statuit illum persequi, ac malum ipso in exordio compescere. Tulit igitur quidquid copiarum, falcatorumque curruum erat in Haroseth, atque recta ad montem Thabor iter corripuit. Iosephus Antiqu. l. 5. c. 6. nimium illius exercitum auget; ait enim trecenties mille pedites fuisse, equites decies mille, currus vero ter mille. Pseudo-Philo apud Cornelium a Lapide numerum magis adhuc amplificat; quippe ait 997000. viros in prælio cæsos fuisse. Jonathan in ℣. 8. capitis 5. libri hujus, recenset quadraginta bellatorum millia, qui gladiis armati erant, hastatorum sexaginta millia, scutatorum septuaginta millia, & sagittariorum millia octoginta, quin nongentos bellicos currus memoret. Verum Scriptura de nongentis dumtaxat ferreis curribus loquitur in Sisaræ exercitu, quin bellatorum numerum uspiam assignet. De forma, ac usu ferreorum curruum vide Dissertationem quam fronti Libri Esther appinximus.

℣. 15. Perterruit Dominus Sisaram, et omnes currus ejus.] Authographi [3] voces proprie terrorem significant, quem repentinus rumor, vel fulgor, vel horribile, ac tremendum quodpiam objectum incutit, non autem simplicem formidinem, interioris metus sensum, divinum terrorem, aut inanem. Caput sequens ℣. 20. innuit Deum in ipsos præliatum de cœlo fuisse procella quadam: *De cœlo dimicatum est contra eos: stellæ manentes in ordine, & cursu suo adversus Sisaram pugnaverunt.* Oportet quidem, Ducem hunc maximopere fuisse perterritum, cum de curru suo prosilierit, ut tutius fugam corriperet. Ita quoque apud Homerum Iliad. 5. Trojanus quidam miles terrore captus de curru desilit, ut e Diomedis manu dilaberetur, quod ipsum alius effecit, ut Achillem fugeret, Iliad. 20. Ipsorum equi non satis celeri gradu, pro Domini studio, ferebantur.

Vulgo creditur [4] eodem tempore, quo Barac cum decem millibus virorum de montis vertice in Sisaræ exercitum effusus est, Deum tonitru, fulminibus, imbre, & grandine in Chananæos immissis, illos eo terrore perculisse, ut perturbati ne hostis quidem aspectum ferrent, ac in pernicissimam fugam converterentur. Videntur etiam ipsi adversus suos arma vertisse, nam infra legimus: *Perterruit Dominus Sisaram in ore gladii ad conspectum Barac*, perinde ac illi sibi necem mutuo conscivissent coram Barac, qui hæc intuebatur. Verum aliter quoque explicari potest: *Dominus delevit*, diruit, fregit *currus, ac omnem exercitum in ore gladii ad conspectum Barac*. Eos gladio Barac ejusdem delevit. Postremus hic sensus veritati magis consonus mihi videtur; nam versiculi, qui consequuntur, nobis prælium exhibent, velut quid reale quoad Israelitas.

℣. 17. Pervenit ad tentorium Iahel.] Videtur Haber Cinæus in eo tentorio minime adfuisse; de ipso enim nulla hoc in facto fit mentio. Tentorium Iahel appellatur, quod plane ibi sola esset Iahel: alioquin pater mulieribus tentoria fuisse, ac sedes a virorum sedibus sejunctas.

Erat pax inter Iabin, et domum Haber.] Nulla stata sedes erat Haber, sub pellibus in agris degebat, illique summa voti erat, gregem ad pabula cogere, quod olim ea in regione Patriarchæ facere consueverant. Minima de ipso Chananæis inferebat suspicio; eumque pacatam, liberamque vitam degere, permiserant: sed vectigal de Israelitis dumtaxat exigebatur, qui uberiorem regionis illius partem occupaverant. Haber hactenus neutro inclinaverat, quin vel Israelitis faveret, vel fœderi cum Iabin inito abrenunciarit.

Quæ si ita se habent, quod judicium ferre licet de actione Iahel, quæ Sisaram invitat, ut in ipsius tentorium ingrediatur, illique pollicetur se ipsum celaturam, & nihilominus illum dormientem per proditionem invadit, atque interficit? Interpretes omnes pro virili adnituntur præclarum mulieris facinus pluribus probare argumentis; ac animadvertunt, Scripturam illius animum commendare, cum dicat, ipsam omnem victoriæ hujus honorem retulisse Iudic. 5. 9. Debora prædixit, nomen ipsius fore benedictum inter mulieres Iudic. 5. 24. Contendunt, Spiritum Dei ipsi hanc voluntatem, atque animum afflasse; ac ipsam peccato obnoxiam fuisse futuram, si huic inspirationi obstitisset, atque interno motui, ac populi sui hosti pepercisset: Sisaram vero publicum hostem fuisse, ac jam declaratum, cum Debora, & Barac illi ex Dei mandato bellum intulerant. Leges amicitiæ, pacis, ac fœderis inter domum Haber, & Regem Asor, servosque illius jam abrogatæ fuerant, cum Dominus voluntatem suam adversus Chananæos declarasset. Quamquam Cinæi nequaquam Hebræi essent ex origine, tamen in utilitatis, ac juris Reipublicæ illorum partem venerant; ideoque eos sibi hostes esse, qui Dei hostes essent, censere debebant; neque inire, neque servare poterant fœdus ullum cum hostibus Hebræorum, cum illud communibus obesset nationis illius commodis, cujus veluti pars habebantur.

Verum quamquam jure virtus, ac animus Iahel commendetur, recta ipsius celebrando consilia; non ideo illud est dissimulandum, quod culpa vacare minime videtur in aliquibus facti sui circumstantiis. Fatendum quidem est, ipsam fuisse mentitam, atque egisse adversus bonam fidem, quæ belli etiam adversus hostes est servanda [5], invitando Sisaram, ut in tentorium ipsius ingrederetur, eumque adhortando, ne quid sibi metueret. Hospitalitatis jura violavit, ut hostem falleret, quod numquam fieri licet; enim hospitalitatis jura semper sancta, ac sacra habita fuerint. Denique supposito etiam Haber Cinæum religionis, fœderum, & commodorum vinculis cum Hebræis fuisse conjunctum, locus dubitandi superest, an frangere potuerit fœdus, quod cum Iabin, & Sisara percusserat, quin illum admoneret, atque nulla fuisset ab illis affectus injuria: nam cum peculiariter sine Israelitis fœdus iniisset, peculiariter quoque fœderis conditiones ipsi erant servandæ, ni Iabin, & Sisara prius a fœdere defecissent, quod e Scriptura non liquet. Si in fœdere, quod inter Haber, ac Iabin sancitum est, interposita fuit jurisjurandi fides, quod valde probabile est, hæc nova accrescit ratio, ut credas, incolumi conscientia sacramentum violare nequaquam fuisse fas, eo prætextu, quod nempe Chananæos inter, ac Hebræos bellum exarserit.

Patres [6] in Iahel, ac Debora duplicem inveniunt figuram, quarum altera Christianam, altera Judaicam Religionem referebant. Debora quidem Synagogam repræsentat, prior illa vexillum extulit adversus Sisaram, quæ Dæmonis est figura; ipsum illa fugat, ipsiusque exercitum fundit; verum completæ victoriæ gloria alteri reservatur: honor hic debetur Ecclesiæ Iesu Christi, quæ sub figura Iahel latet,

1 עד אלון בצעננים. 2 Iosue 19. 13. צעננים. 3 ויהם יהוה את סיסרה לפי חרב לפני ברק
4 Joseph. Lyran. Serar. Bonfrer. &c. 5 Quintilian. *Sacra laus fidei inter hostes*. Ambros. de Offic. l. 1. c. 29. *Liquet etiam in bello fidem & justitiam servari oportere*. August. Ep. 1. ad Bonifac. *Fides quando promittitur etiam hosti servanda est*. Vide Gror. l. 3. de jure belli & pac. c. 29. 6 Origen. hom. 5. in Judic. August. contra Faust. l. 12. c. 3. Ambros. de Viduis, Petrus Dam. ser. 40. Vide Serar. ad cap. 5. qu. 33.

latet mulieris extraneæ, extraneoque viro nuptæ, quæ insita quodammodo est in populum Domini, non secus ac oleaster in bonam olivam. Iahel malleum, clavumque manu sumit, ut Sisaram interficiat; Ecclesia vero Christi per contradictiones, & persecutiones roborata, ac Iesu Christi cruce armata, opprimit, ac perimit hostem populi Domini.

℣. 18. OPERTUS AB EA PALLIO.] Hebraica vox [1] vertitur, *culcitra*, vel *stragula villosa*, vel *lacerna*, *penula*, *amphitapa*; veste utrinque villosa [2]. Hebraicum vocabulum *Schmath* istic solum in Textu invenitur.

℣. 19. QUÆ APERUIT UTREM LACTIS, ET DEDIT EI BIBERE.] Orientales passim vasibus his ex corio confectis ad liquores servandos utuntur. Iosephus [3], & Rabbini ajunt, illam Sisaræ acidum lac dedisse, quod conforme est Orientalium consuetudini, quibus potio est lac acescens, quod data opera fit, atque a nostro lacte differt; neque enim adeo liquescit. Strabo ait apud Arabes Nomadas olim hoc in more fuisse positum, atque præ cæteris poculentis habitum fuisse in deliciis. Petrus a Valle, hodie quoque, ait, magna lactis copia Arabes uti ad potandum, acescentis potius, quam dulcis.

Legimus infra cap. 5. ℣. 25. Aquam petenti *lac dedit, & in phiala Principum obtulit butyrum*. Hebraicus textus refert, illi ad bibendum dedisse e sympulo [4], quod vas est cum ansa, quo e cavis vasibus hauritur liquor, quin hic manu tangatur. Honoris plane causa Iahel Sisaræ lac potius dedit, quam aquam; vel forte aptius illa censuit esse lac ad illum refrigerandum, vel ad soporem immittendum, hoc supposito, quod jam ipsum enecandi consilium iniisset. Non desunt, qui credant [5], Cinæos nunquam bibisse vinum; nam Rechabitæ, qui e populis illis originem duxerant, Ieremiæ ævo [6], & ante id tempus diu nequaquam vinum bibebant. At reor, hoc nequaquam omnibus Cinæis proprium fuisse, neque morem hunc Haber ævo jam fuisse commune.

℣. 21. TULIT CLAVUM TABERNACULI. [7]] Unum e clavis, qui humi figebantur ad pelles detinendas, e quibus confectum erat Tabernaculum.

---

1 בשמיכה. והכסהו *ἐπιβολαίῳ*. Symm. *ποιμάτριῳ*. Theod. *ἐν τῷ σάγῳ*. Cod. Alex. *δέῤῥει*. Legerunt שבלה
2 Vide Drus. hic. 3 Joseph l. 5. Antiqu. c. 6. Ita & Vatabl. & Rabb. David Kimchi. *Lac butyri*, id est, ex quo expressum fuit butyrum. 4 בספל; 70. *ἐν λεκάνῃ*. 5 Serar. Bonfrer. 6 Jerem. 35.
7 יתד האהל. 70. *πάσσαλον τῆς σκηνῆς*.

CAPUT V.

Canticum Deboræ, & Barac post relatam de Sisara victoriam, Quadraginta annorum Pax.

1. CEcineruntque Debora, & Barac filius Abinoem in illo die, dicentes: 2 Qui
sponte obtulistis de Israel animas vestras ad periculum, benedicite Domino.
3 Audite reges, auribus percipite principes: Ego sum, ego sum, quæ Do-
mino canam, psallam Domino Deo Israel. 4 Domine, cum exires de Seir, & transires
per regiones Edom, terra mota est, cœlique, ac nubes distillaverunt aquis. 5 Mon-
tes fluxerunt a facie Domini, & Sinai a facie Domini Dei Israel. 6 In diebus Samgar
filii Anath, in diebus Jahel, quieverunt semitæ: & qui ingrediebantur per eas, ambu-
laverunt per calles devios. 7 Cessaverunt fortes in Israel, & quieverunt: donec sur-
geret mater in Israel. 8 Nova bella elegit Dominus, & portas hostium ipse subvertit:
clypeus, & hasta si apparuerint in quadraginta millibus Israel, 9 Cor meum diligit
principes Israel: qui propria voluntate obtulistis vos discrimini, benedicite Domino.
10 Qui ascenditis super nitentes asinos, & sedetis in judicio, & ambulatis in via, lo-
quimini. 11 Ubi collisi sunt currus, & hostium suffocatus est exercitus, ibi narren-
tur justitiæ Domini, & clementia in fortes Israel: tunc descendit populus Domini ad por-
tas, & obtinuit principatum. 12 Surge, surge Debora, surge, surge, & loquere can-
ticum: surge Barac, & apprehende captivos tuos, fili Abinoem. 13 Salvatæ sunt re-
liquiæ populi, Dominus in fortibus dimicavit. 14 Ex Ephraim delevit eos in Amalec,
& post eum ex Beniamin in populos tuos, o Amalec: de Machir principes descende-
runt, & de Zabulon, qui exercitum ducerent ad bellandum. 15 Duces Issachar fuere
cum Debora, & Barac vestigia sunt secuti, qui quasi in præceps, ac barathrum se di-
scrimini dedit: diviso contra se Ruben, magnanimorum reperta est contentio. 16 Qua-
re habitas inter duos terminos, ut audias sibilos gregum? diviso contra se Ruben, ma-
gnanimorum reperta est contentio, 17 Galaad trans Jordanem quiescebat, & Dan va-
cabat navibus: Aser habitabat in littore maris, & in portubus morabatur, 18 Zabu-
lon vero, & Nephtali obtulerunt animas suas morti in regione Merome, 19 Venerunt
reges, & pugnaverunt, pugnaverunt reges Chanaan in Thanach juxta aquas Mageddo,
& tamen

& tamen nihil tulere prædantes. 20 De cœlo dimicatum est contra eos: stellæ manen-
tes in ordine, & cursu suo adversus Sisaram pugnaverunt. 21 Torrens Cison traxit
cadavera eorum, torrens Cadumim, torrens Cison: conculca anima mea robustos. 22
Ungulæ equorum ceciderunt, fugientibus impetu, & per præceps ruentibus fortissimis
hostium. 23 Maledicite terræ Meroz, dicit Angelus Domini: maledicite habitatoribus
ejus, quia non venerunt ad auxilium Domini, in adjutorium fortissimorum ejus. 24
Benedicta inter mulieres Jahel uxor Haber Cinæi, & benedicatur in tabernaculo suo.
25 Aquam petenti lac dedit, & in phiala principum obtulit butyrum. 26 Sinistram
manum misit ad clavum, & dexteram ad fabrorum malleos, percussitque Sisaram quæ-
rens in capite vulneri locum, & tempus valide perforans. 27 Inter pedes ejus ruit:
defecit, & mortuus est: volvebatur ante pedes ejus, & jacebat exanimis, & miserabi-
lis. 28 Per fenestram respiciens, ululabat mater ejus: & de cœnaculo loquebatur:
Cur moratur regredi currus ejus? quare tardaverunt pedes quadrigarum illius? 29 U-
na sapientior cæteris uxoribus ejus, hæc socrui verba respondit: 30 Forsitan nunc di-
vidit spolia, & pulcherrima fœminarum eligitur ei: vestes diversorum colorum Sisaræ
traduntur in prædam, & supellex varia ad ornanda colla congeritur. 31 Sic pereant
omnes inimici tui, Domine; qui autem diligunt te, sicut sol in ortu suo splendet, ita
rutilent. 32 Quievitque terra per quadraginta annos.

℣. 1. CECINERUNTQUE DEBORA, ET BARAC.] Creditur vulgo [1], Deboram Canticum hoc composuisse, ac ejus deinde Barac participem fecisse. Debora illud cecinit inter mulieres, ac virgines, Barac vero cum bellatoribus. Hebraice habemus [2]: *Debora cecinit, & Barac filius Abinoem.* Poema hoc ex iis facile est, quæ majori spiritu concita, vividisque pigmentis exornata in Scriptura legamus. Debora nomine suo loquitur ℣. 3. & 7., quod ea, quæ diximus, probat, scilicet ipsam Canticum hoc elucubrasse.

℣. 2. QUI SPONTE OBTULISTIS ANIMAS VESTRAS AD PERICULUM.] Hebraicus textus diversimode potest intelligi [3], *Benedicite Domino propter ultionem, quam sumpsit de hostibus Israel, & propter animi virtutem, quæ extitit in populo, qui sponte se se periculis obtulit.* Aliter: *Benedicite Domino, propter liberationem, quam fecit in Israel; ac propter rectam voluntatem, cujus populus hoc in bello specimen præbuit.* Denique, Benedicite Domino, eo quod Israel Chananæorum jugum excusserit, & populus voluntatem suam, ac liberalitatem præclare fuerit testatus in iis sacrificiis, quæ sponte obtulit Domino. Septuaginta [4] exemplaria ad Theodotionis normam castigata: *Benedicite Domino in imperio Principum, ac in bona populi voluntate*; vel juxta Romanum exemplar [5]: *quod abditum erat, in Israel detectum est, cum populus bonam voluntatem suam est testatus; benedicite Domino*: Hebraicum verbum *parah*, quod Vulgata præteriit, neque in Textu suo reddidit, plerumque significat, detegere, revelare, negligere, se in libertatem asserere, ulcisci: & *hitnadeb*, quod vertit illa, sponte se periculo offerre, generatim significat, sponte offerre, devotionis offerre sacrificium, liberalitatis, ac rectæ voluntatis actionem edere.

℣. 4. DOMINE CUM EXIRES DE SEIR, ET TRANSIRES PER REGIONES EDOM, TERRA MOTA EST.] Magnitudinem tuam cano, o Deus, qui in montibus Seir apparuisti, ac in regionibus Edom: qui majestatem tuam ostendisti, cum Legem ferres in monte Sinai, qui situs est in regione Seir, & Edom [6]. Præludium hoc adeo emphaticum optime congruit præcedentibus, ubi Principes, ac Reges invitat, ad laudes Domini audiendas. Nonnulli volunt, Deboram hic conferre miracula, quæ in Sisaræ clade contigerant, cum iis, quæ in bello adversus Sehon fuere patrata, ubi Dominus velut Heros incedens in medio populi sui e regionibus Edom, ac montibus Seir, adspectu suo Amorrhæorum copias fudit, quæ finitimis populis maximum terrorem incusserant. At nullibi videmus in Moyse Deum vel fulminibus, vel tonitribus usum fuisse adversus exercitum Sehon; & Textus nihil ait istic, quod hunc Principem designet, ideoque priori sensui adhæremus.

TERRA MOTA EST, COELIQUE, AC NUBES DISTILLAVERUNT AQUIS.] Hæc omnis descriptio figurata est, atque hyperbolica; dicitur enim Terra mota fuisse, ac Cœli aquis distillasse, & montes præterfluxisse a facie Domini fluxisse, cum apparuit in Sinai, atque in deserto cum suo populo incessit; ut nobis innuat, quo magnitudinis, ac majestatis apparatu tunc, atque in itineris decursu se se prodiderit. Terra, cœli, montes gestire quodammodo visi sunt, ac lætitiam, terroremque suum testari; asperiora deserta in locos delitiis usquequaque affluentes immutata sunt; cœlum magis aridum, & siccum pluviam, ros, ac mannam iis præbuit; & magis infœcundi montes ad Domini adventum naturam visi sunt immutare. Israel quadraginta annos peregre per desertum profectus est, quin aliquid ipsi deesset. Psalmista quoque similibus propemodum verbis idem expressit, Psal. 68. 8. *Deus cum egredereris in conspectu populi tui, cum pertransires in deserto, Terra mota est, etenim cœli distillaverunt a facie Dei Sinai, a facie Dei Israel.*

℣. 6. IN DIEBUS SAMGAR, IN DIEBUS JAHEL, QUIEVERUNT SEMITÆ.] Samgar virtute sua, ac animo suo Jahel Chananæis obniti minime potuerunt. Illorum ævo semitæ desertæ fuerunt, derelictæ, quin per eas ullus incederet: nullum commercium aderat, libertas nulla. Drusius Hebraicum textum [7] de viatoribus explicat, vel mercatorum multitudine; nullus tunc mercator per eam regionem transibat. Scriptura sæpe inter calamitates regionis, qua hostes potiti sunt [8], hanc quoque adnumerat, scilicet vias non esse amplius liberas, neque ullum amplius fieri commercium; hoc quoque populo suo Deus minitatur, si umquam Legum ipsius oblitus in Idololatriam prolaberetur. Prædictionis hujus tristes videntur effectus in eo statu, in quo jacet Palæstina. Non desunt, qui credant Samgar nequaquam esse nomen proprium Iudicis Israel, sed quodam agnomen

1 Ita Lyran. Cajetan. Tostat. Serar. Bonfrer. alii passim. 2 ותשר דבורה. 3 בפרע פרעות בישראל בהתנדב עם ברכו יהוה. 4 Vide novam Hexaplor. edit. O. Θ. ἐν τῷ ἄρξασθαι ἀρχηγοὺς, ἐν τῷ προαιρέσει λαοῦ, 5 ἀπεκαλύφθη ἀποκάλυμμα ἐν Ἰσραὴλ ἐν τῷ ἑκουσιασθῆναι λαὸν, εὐλογεῖτε κύριον. 6 Vide Deuter. 33. 2. Dominus de Sinai venit, & de Seir ortus est nobis. 7 חדלו ארחות. Cessaverunt viæ, seu viatores.
8 Isai. 33. 8. Cessavit transiens per semitam. Levit. 26. 22. Desertæque fiant viæ vestræ. Jerem. Thren. 1. 4. Viæ Sion lugent eo quod non sint qui veniant ad solemnitatem.

gnomen Haber Cinæi viri Jahel, qui vocatur [1] *Samgar*, videlicet *peregrinus ibi*, nam re ipsa peregrinus erat in imperio Jabin. Samgar, vel Haber primum quidem, inquiunt, præclarum virtutis suæ specimen adversus Philistiim [2] præbuit, sed deinde cum Tyranno convenire debuit, ac Judicis onus abdicare. Verum de his rationibus, ac hujus hypothesis verisimilitudine judicium penes Lectorem esto. A

QUI INGREDIEBANTUR PER EAS, AMBULAVERUNT PER CALLES DEVIOS.] Cum urgebat necessitas, ut iter aliquod susciperetur, devii quærebantur calles [3], ne in hostium manus quis prolaberetur.

℣. 7. CESSAVERUNT FORTES ISRAEL, & QUIEVERUNT, DONEC SURGERET DEBORA.] Hebraicus textus vertitur [4]: *pagi*, loca, quæ munita non sunt, *cessaverunt*; non amplius ausi sunt in agris morari; B arva inculta erant, & agricolæ, ut vitæ suæ consulerent, in locos natura munitos se se debebant recipere, ac sedes suas deserere. Adhærere possumus Vulgatæ versioni. *Pherazon*, & *Pherazim* nonnunquam viros fortes, ac strenuos significant. Vide Bonfret. hic.

DONEC SURGERET MATER IN ISRAEL.] Textus Hebraicus [5]: *donec surrexi mater in Israel*. Debora aliqua laudis specie de se istic loquitur; Spiritus Sanctus, quo afflata est, eam impellit, ut ore suo sibi elogium contexat; se *matrem in Israel* vocat, propter authoritatem, quam longo ab hinc tempore prophetiis suis sibi comparaverat, ac propter jus, quod populo dicebat, ac recens propter felicem belli hujus eventum, cujus gloriæ cum Barac particeps erat. Dignitas matris significat authoritatem benevolentiæ, suavitatis, dilectionis; illique deferri poterat honor *matris patriæ*, propterea quod optime de populo suo merita fuerat. C

℣. 8. NOVA BELLA ELEGIT DOMINUS, & PORTAS HOSTIUM IPSE SUBVERTIT.] Nihil magis mirum profecto est, quam ratio, qua instituit Deus injustam Jabin tyrannidem oppressurus. Mulier Dei mandata significat Barac; hic decem hominum millia, omnes inermes fere, sumit; nam inferius statim adnotatur in quadraginta Israelitarum millibus nec clypeum fuisse, neque hastam: *Clypeus, & hasta si apparuerunt in quadraginta millibus Israel*: Decem hæc hominum millia in montem se recipere, ubi quamprimum frequentissimo ab exercitu obsidione vallati sunt. Omnes simul ex hoc jugo effunduntur: terror Sisaræ agmen invadit, copiæ in fugam aguntur, & ipse quoque e curru desilire cogitur, ne agnoscatur. Num aliquid magis novum, ac mirum est, quam hæc bellum inferendi ratio? D

Hebraicus textus longe abest [6]: *elegit Deos novos; tunc bellum est in januis illius*; mendax habeatur, *si clypeus aderat, vel hasta in quadraginta millibus Israel*. Simul ac Hebræi Dominum derelinquere incœperent, ut Diis alienis servirent, bellum in januis suis viderunt; atque ab feris hostibus, & inclementibus subacti fuere, atque ita subacti, et ipsis minime liceret armis uti; neque in universa ea regione minime reperiri possent arma, quibus vel unus miles satis ornaretur. Hoc autem peculiare fuit E in Israelitarum servitute sub Chananæis, quod nullibi præterea intuemur. Verum conjecturam ferre licet de illius regionis statu, cum hostes hi dominarentur, ex eo, quod immediate ante servitutem sub Jabin relatum est, scilicet Samgar Judicem Israel sex millia Philistinorum stimulo bovis occidisse; atque etiam adnotari potest, quod Philistiim, cum filies Israel subegissent, illos eo usque afflixere, ut nullus ferrarius faber apud ipsos esset, ita ut descendere deberent ad *Philistiim, ut exacueret unusquisque vomerem suum, & ligonem, & securim, & sarculum* &c. 1. Reg. 13. 21.

℣. 9. COR MEUM DILIGIT PRINCIPES ISRAEL. QUI PROPRIA VOLUNTATE OBTULISTIS VOS DISCRIMINI, BENEDICITE DOMINO.] Hebraice [7]: *Cor meum est cum Legislatoribus Israel. Vos qui estis voluntarii e populo, benedicite Domino*. Altera versiculi pars est intercalatis repetitio eorum, quæ dicta sunt versiculo secundo. *Hi Legislatores Israel* Principes sunt, Judices, Capita, Primores populi, qui nova decreta promulgabant, atque ut veterum observarentur, invigilabant. Debora ad illos se convertit: *Cor meum est cum illis*; eos toto corde invito, ut mecum Domino psallant. Septuaginta [8]: *Cor meum est cum copiis Israel in aciem dispositis*: meum cor rapitur ad illis eas deferendas laudes, quæ ipsis debentur.

℣. 10. QUI ASCENDITIS SUPER NITENTES ASINOS.] Ad litteram: *super asinos politos*, obesos, lucentes. Hebraice [9]: *Vos qui ascenditis super asinas nitentes*, seu maculosas. Septuaginta: *qui ascenditis super currus, quibus nomen Lampenes*, vel super asinas micantes. Veteres potius super asinas, mulas, jumenta, quam asinos, mulos, vel equos ascendebant. In Palæstina Judices, & primores populi super asinas tantum equitabant. Refert Scriptura Num. 22. 21. Baalam conscendisse asinam. J. C. simili vectebatur jumento ea die, qua solemniter Jerusalem ingressus est Matth. 21. 5. 7. Jair, qui præfuit Israel duorum ac viginti annorum spatio, triginta filios habebat, qui totidem asinos, vel asinas conscendebant Judic. 10. 4. Abdon [10], qui annos octo judicavit Israel, quadraginta erant filii, ac triginta nepotes, qui super septuaginta pullos asinarum ferebantur. David plerumque mula vehebatur 3. Reg. 1. 33. 38. 44. Principes ipsius filii iisdem utebantur jumentis 2. Reg. 13. 29. Absalon mulo insederat ea die, qua occisus fuit 2. Reg. 18. 9. Salomon equis uti cœpit 3. Reg. 4. 26. 28. &c. Nostris quoque temporibus in Arabia præstantiores viri asinis insident, quorum tergum rubro colore [11] inficitur. Persæ [12] hyeme equos suos inficere consueverunt *henna*, quod pigmenti genus est, quo viri, ac mulieres flavo colore faciem suam fucant. Hebraica vox *Zchoroth* colorum varietatem proprie significat, rubri, albique in asinorum vellere, uti ostendit Bochartus. Istic: *qui ascenditis asinos discolores*, æque significat, ac *qui sedetis in judicio*.

QUI SEDETIS IN JUDICIO, & AMBULATIS IN VIA, LOQUIMINI.] Pro illis, qui ambulant in via, intelligi possunt viatores, & mercatores. Illis modo facultas est iter aggrediendi, ac ineundi commercia hostium terrore deposito. Nonnulli ita Hebraicum textum reddunt [13]: *Vos qui sedetis in Middin, & ambulatis in via, meditamini*, beneficii hujus magnitudinem considerate. Ajunt autem *Middin* esse urbem in tribu Juda, cujus meminit Josue 15. 61. Sed magis consonum est cum Vulgata intelligere, judicium, vel tribunal; quo in sensu Septuaginta quoque [14], ac notæ melioris Interpretes intellexerunt. Hic quoque sensus loco isti posset tribui; *& vos Judices Israel, qui super nitentes asinos ascenditis, populum in ordinem dirigite in diversa euntes regionis loca*.

℣. 11. UBI COLLISI SUNT CURRUS, & HOSTIUM SUFFOCATUS EST EXERCITUS, IBI NARRENTUR JUSTITIÆ DOMINI.] Textus hic nulla indiget explicatione,

---

1 שם גר *Peregrinus ibi*. 2 Judic. 3. 31. 3 ארחות עקלקלות. 70. ὁδοὺς διεστραμμένας.
4 חדלו פרזון בישראל 5 שקמתי אם בישראל
6 יבחר אלהים חדשים אז לחם שערים מגן אם יראה ורמח בארבעים אלף בישראל. 70. ἡρέτισαν θεοὺς καινοὺς, τότε ἐπολέμησαν πόλεις ἀρχόντων. Nonnulla exemplaria legunt θεοὺς κενοὺς, deos vanos; nec aliter legere S. Augustinus & Theodoretus: at mendum id esse clare patet. 7 לבי לחוקקי ישראל 8 ἡ καρδία μου ἐπὶ τὰ διατεταγμένα τῷ Ἰσραήλ. τότε ἐκουσιαζόμενοι. *Aq. Th. In Legislatoribus. Sym. εἰς τὰ προστάγματα. In mandata*.
9 רכבי אתונות צחורות. *Vide Bochar. de animal. sacr. l. 2. c. 12. parte prima*. 70. λαμπηνῶν, λαμπηνάς.
10 Judic. 12. 14. 11 Tavernerius tom. 1. l. 3. c. 5. & l. 4. c. 3. 12 Chardin. Itin. Perf. t. 2. p. 26.
13 ישבי על מדין והלכי על דרך שיחו 14 καθήμενοι ἐπὶ κριτηρίου, καὶ πορευόμενοι ἐν ὁδῷ.

eatione, vel note; at Hebraicus pluribus scatet difficultatibus [1]: *loquimini*, vel celebrete laudes Domini, *voce clariori, quam sagittarii inter eos, qui hauriunt aquas; ibi justitias Domini ipsi enarrabunt*. Verbum *loquimini*, vel *celebrate*, e præcedenti versiculo sumptum est; at non setis constat de sensu verborum, quæ consequuntur. Credunt quidam, Deboram innuere, eo, quo antea nemo libere audebat ad hauriendam aquam accedere, deinceps alacriter, & cum lætitiæ vocibus omnes ituros: vel [2] pro clamoribus, ac minis hostium, qui impetum faciebant in eos, qui ad hauriendam aquam proficiscebantur, laudis cantus solummodo auditum iri. Septuaginta [3]: *excellenti voce suas instrumentis musicis psallentes inter eos, qui lætantur, ibique narrabunt Domini justitiam*; ad litteram; *tribuent Domino justitiam*. Hæc est communis hebraica locutio [4], tribuere gloriam, magnitudinem, majestatem, justitiam Domino, pro illius *gloriam, majestatem, justitiam celebrare*. Verti quoque posset Hebraica lectio magis ad Vulgatam accedendo neglectis punctis, quæ Massorethæ constituerunt: *Ad vocem illorum, qui telis confossi sunt, inter eos qui hauriunt* [5], *vel qui submerguntur* in equis, *ibi illi justitiae Domini celebrabunt*.

ET CLEMENTIA IN FORTES ISRAEL.] Hebraicus textus verti potest [6], *prædicabuntur justitiæ illius in pagis Israel*; tranquilla pace gaudebunt, ac libertate perfecta, tam in viis, & agris, quam in civitatibus. Septuaginta [7]: *justi se se communiverunt in Israel*. Alii ex Hebraico vertunt; *illi celebrabunt laudes fortium suorum* (fortium Domini) *in Israel*.

TUNC DESCENDIT POPULUS DOMINI AD PORTAS, & OBTINUIT PRINCIPATUM.] Post victoriam de inimicis Domini relatam, Hebræi libere ad portas suas descendunt, ut ibi supremæ authoritatis munere jure dicundo fungantur. Aliter: post hanc victoriam exercitus victor profectus est, ut hosti usque intra urbes illius bellum inferret, ac de ipso insignes proventus reportavit. Hebraice simpliciter habemus [8]: *tunc illi descenderunt ad portas populi Domini*. Vel juxta Septuaginta [9]; *Populus Domini pacatus ibit in urbem suam*; quisque cum pace in propriam sedem revertetur: agricolæ, qui dispersi fuerant, quemadmodum ℣. 7. adnotatum est, revertentur in agros, iterumque excolent arva. Hæc autem magis naturalis est explicatio.

℣. 12. APPREHENDE CAPTIVOS TUOS.] Hebraice ad litteram [10]: *sume captivitatem tuam*. In captivitatem redige eos, quos belli cepisti, vel in captivitatem eos redige, qui te servitutis jugo opprimebant.

℣. 13. SALVATÆ SUNT RELIQUIÆ POPULI, DOMINUS IN FORTIBUS DIMICAVIT.] Israelitæ, qui resistere potuerunt duro servitutis jugo, quo illos Jabin oppresserat, atque tot malis, quæ passi fuerant, superesse, per Barac victoriam prospero eventu servati fuerunt. Occurrit sæpe hæc dicendi ratio in Scriptura; *Salvatæ sunt reliquiæ populi*, cum post bellum, captivitatem, publicas calamitates Deus populi sui miseretur, eumque ad pristinam revocat libertatem. Sæpe etiam *reliquiæ populi* successores, ac posteros denotent; dicitur exempli gratia Jehu omnes Achab reliquias delevisse, Præfectos illius, amicos, Sacerdotes, ut ne ullus quidem reliquus esset [11]. Hebraicus textus a Vulgata differt [12]: *tunc reliquiæ super magnificos dominatæ sunt, & populus Domini dominatus est super fortes*. Vel, *tunc reliquiæ super magnificos populi dominatæ sunt, & Dominus dominatus est super fortes*. Israelitæ, populus ille antea contemptus, ex populi reliquiæ, reliquiæ populi oppressi, ac abjecti, nunc super Principes consurgunt; Populus Domini, vel ipse Dominus superbos hos, ac feroces hostes dejecit, qui propriis viribus confidebant. In lingua Sancta Sacerdotibus, ac Primoribus sæpe *magnificorum, illustrium, liberalium, beneficorum* additur nomen. Hoc ipsum nobis ob oculos ponit J.C. in Evangelio Luc. 22. 25. illudque plurimis in Scripturæ locis passim occurrit. *Reges Gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur*, inquit Dominus.

Septuaginta procul recedunt a sensu, quem modo Hebraico textui tradidimus [13]. Tunc *potentia sua*, seu vis, *aucta fuit; Domine inclina sub pedibus meis, subjice mihi, eos, qui sunt fortiores me*. Tunc Barac auctam cognovit vim suam; Domine, dejice inimicos nostros, ac statue sub pedibus nostris illos, qui nobis volunt dominari. Chaldaice: *Tunc reliquus quidam de exercitu Israel confregit vires harum potentium nationum; non autem propter virtutem suam, sed Dominus fudit inimicos illius*. At nomine *reliqui* intelligitur germen, filius, quidam ex genere Israel ortus, Barac ipse.

℣. 14. EX EPHRAIM DELEVIT EOS AMALEC, ET POST EUM EX BENJAMIN POPULOS TUOS, O AMALEC.] Creditur prior hic Heros, qui a tribu Ephraim extitit, esse Josue, qui Amalecitas in deserto profligavit, paullo post exitum de Ægypto [14]: pro altero vero duce, qui in tribu Benjamin floruit, nonne posset intelligi Aod, qui Eglon Moabitarum regem interfecit, cum Ammonitis, & Amalecitis fœderatum? *Confortavit adversus eos Eglon Regem Moab, ... & copulavit ei filios Ammon, & Amalec*. Judic. 3. 12. 13. Debora hic confert victoriam Barac, cum aliorum ducum, qui præcessarent, triumphis, perinde ac diceret: Visi sunt quidam egregii duces de tribubus Ephraim, & Benjamin; præclara Josue, & Aod gesta cognovimus; liquet Principes e Machir maximam adeptos fuisse virtutis gloriam, cum regione Galaad potiti sunt, *de Machir principes descenderunt*. Zabulon enituit propter operam in studiis, vel Scripturis navatam, vel juxta Vulgatam, magnos edidit Imperatores. At non minorem nominis celebritatem sibi compararunt tribus Issachar, & Nephtali in hoc bello adversus Chananæos.

Hebraicus porro textus ita ad litteram vertitur [15]: *ex Ephraim delevi eos, (ad litteram evulsi) in Amalec, & post te, Benjamin, in populis tuis*. Populus Ephraim delevit hostes suos in Amalec, forte in monte Amalec, cujus mentio fit cap. 12. ℣. 15. Ac non novimus, unquam rem fuisse Ephraimitis cum hostibus suis prope hunc montem: Et Benjamin quoque delevit inimicos suos, qui erant in medio populi sui; scilicet Moabites, qui sedem sibi constituerant in hæreditate Benjamin [16]; vel potius: Benjamitæ deleverunt hostes suos in proprio populo suo; scilicet non spernendas retulere victorias de fratribus suis, qui ipsis bellum indixerant, propter vim oxori Levitæ illatam [17]. Creditur flagitium hoc admissum fuisse post mortem Josue, & dum nullus Judex esset in Israel. Post illud fortasse bellum, adeo universo Israel perniciosum, præcipue vero Benjamin, in quo tribus hæc post edita quamplurima virtutis prodigia penitus ferme interiit, Moabitæ, Ammonitæ, & Amalecitæ in eorum fines ingressi sunt,

Septua-

---

1 מקול מחצצים בין משאבים שם יתנו צדקות יהוה 2 *A voce sagittariorum*; idest, *procul a tali voce*, vel, *pro tali voce audietur vox laudis*. 3 Φωνῆς ἀνακρουομένων ἀναμέσον εὐφραινομένων, ἐκεῖ δώσουσι δικαιοσύνας κυρίῳ.
4 Plerique deducunt יתנו a voce Chaldaica תנה. Verum quidni a נתן deducamus? 5 70. ὑδρευομένων, *Aq.* κατωλόγησαν. *Sym.* ... . 6 צדקות פרזונו בישראל 7 Δίκαιοι ἐνίσχυσαν ἐν Ἰσραήλ.
8 אז ירדו לשערים עם יהוה 9 τότε κατέβη εἰς τὰς πόλεις αὐτοῦ ὁ λαὸς κυρίου. 10 שבה שביך
11 4. Reg. 10. 11. 12 אז ירד שריד לאדירים עם יהוה ירד לי בגבורים 13 τότε ἐμεγαλύνθη ἡ ἰσχὺς αὐτοῦ, Κύριε, ταπείνωσόν μοι τοὺς ἰσχυροτέρους μου. 14 Exod. 17. 10. 15 מני אפרים שרשם בעמלק אחריך בנימין בעממיך *Sym.* ... σὺν Βενιαμὶν μετὰ τῶν λαῶν τῶν περί σε. *Te sequar, Benjamin, cum populis, qui tecum sunt*. 16 Judic. 3. 13. 17 Judic. 19. 20.

Septuaginta, ac Theodotion ne verbum quidem faciunt de Amalec in hoc versiculo [1]: *Populus Ephraim eos percussit in Valle, & frater tuus Benjamin in populo suo*. Perinde ac duæ hæ tribus Chananæos humiliassent in vallibus, & agris hæreditatis suæ, ubi olim adeo formidabiles erant propter bellicos currus, ut Ephraim omnem ferme eos vincendi spem abjiceret [2]; Benjamin quoqua in possessione sua eos subegit, ita ut nullam fere noverimus urbem, quæ in Chananæorum potestate permanserit. Chaldæus universum hunc locum intelligit de bello adversus Amalecitas. Debora istic de duabus rebus loquitur, præterita altera, scilicet de bello Josue adversus Amalec; altera futura de bello Saul, qui fuit e tribu Benjamin, adversus Amalecitas eosdem: quam explicationem plerique Interpretum amplectuntur [3]. Ego vero præferre malim eam, quam primum tradidi, explicationem: Neque enim video, tribus Ephraim, vel Benjamin ullam habuisse partem in hoc bello Barac adversus Chananæos.

De Machir principes descenderunt.] Hebraicus Textus verti posset [4]: *De Machir egressi sunt Legislatores, qui sunt dominati*. Machir genuit Principes, & Duces. Hæreditas Machir erat trans Jordanem ad radices montium Galaad. Qui asserent, Deboram istic innuere, Machir opem tulisse Barac, palam a ℣. 17. refelluntur, ubi explicite dicitur *Galaad trans Jordanem quievisse*. Jabin imperium eo usque non patebat; cumque pugna inter Sisaram, & Barac quam citissime fuerit depugnata, nequaquam videtur ulla esse potuisse in hoc bello pars tribuum, quæ longius aberant.

Et de Zabulon, qui exercitum ducerent ad bellandum.] Hebraicus textus ad litteram [5]: *Et de Zabulon, qui attrahunt cum virga Scribarum*; quod plerumque intelligitur de Scribis, qui adhibent pennam, vel calamum, quo olim scribebatur; vel potius stylum, quo literæ in tabulis, vel cera delineabantur. Sed nomen Sopher non eo limite continetur, ut Scribas significet; significat etiam homines, qui callent Scripturas, & legem Domini; quamobrem *Sopher*, vel *Scribæ* nomen tribuitur Esdræ, Sarajæ, Semejæ, Baruc, & in Evangelio iis, qui Sacrarum Scripturarum doctrina excellebant; nomen hoc tribuitur quoque Præfectis Regum, quibus erant curæ annales, rationes, tabulæ, atque censui præsidebant [6], erantque præter propter, uti apud nos publici calculatores, Commissarii, & qui a secretis Reipublicæ adstant. Hi Magistratus non solum pro pace, & consiliis Regum erant, verum etiam pro bello [7]; eosque sæpius sub Regibus Juda videmus. Septuaginta peculiarem dignitatem voluerunt innuere vertentes [8]; *Egressi sunt de Zabulon viri potentes cum Sceptro Scribarum*. Hebraica vox Saphar, unde fluit *Sopher*, significat numerare vel habere censum, referre, narrare, nuntiare, scribere: ideoque non mirum adeo est, nomen hoc esse commune pluribus Magistratibus, vel plura diversa munia significare.

Ajunt *Sophrim*, vel Scribas a Moyse constitutos fuisse; sed ex libris illius nihil tale colligitur. Alii eos ad David tempora referunt: Rex hic Scribas habuit Saraiam [9], Sisaram [10], & Semejam Levitam [11] filium Nathanael; Ionathan patruus David Scriba fuerat [12], ac acris ingenii vir. Ab illius ævo

A Regibus Juda semper assederunt inter alios Magistratus Scribæ; & Scriptura non paucorum ex ipsis nomen servavit. Salomonis Scribæ fuerunt *Azarias* filius summi Sacerdotis Sadoc, *Elihoreph*, & *Ahia* filius *Sisa*, qui idem fuisse videtur ac *Sira*, qui fuerat Scriba David. *Sobna* hoc munere functus est sub Ezechia [13], non secus ac *Saphan* sub Josia [14]. Gamarias filius Saphan eamdem fortasse dignitatem obtinuit, ac Elisama, dum idem Rex imperaret [15]. Scribæ nomen Baruc quoque tribuitur [16], & Jonathan [17] eodem tempore; verum nequaquam erant Regii scribæ. Josephus Antiqu. l. 6. c. 7. narrat, dum Saul regnaret, hunc a Scribis factum fuisse certiorem, quod populus super terram immolaret, ac sanguinem effunderet contra Legis edictum.

B In aula Regia Persarum erant Scribæ, ut liquet ex libris Esdræ, & Esther; ipsorum munus erat ab epistolis esse Regi, ac Magistratibus illius de ejusdem mandato. At eorum major erat authoritas, qui in Provincias mittebantur. Videmus *Samsai* Scribam, qui Artaxersi scripsit simul cum *Reum-Beltem*, aliisque Regiis Præfectis, qui in Samariæ regno immorabantur [18]. Aman Regiis Scribis exarari jubet edictum, quo Judæi omnes erant interituri [19]. Herodotus l. 3. Q. Curtius [20], Josephus Antiqu. l. 11. c. 6. de Scribis Persarum Regis loquuntur; cujus muneris dignitas æstimari licet ex iis, quæ ait Author Ecclesiastici cap. 10. *In manu Dei prosperitas hominis, & super faciem Scribæ imponet honorem suum*. Istic omnia simul congerere volui, quæ ad munia, & dignitatem Scribarum attinent, quorum nomen hic primum C occurrit, & quod deinceps passim offendemus.

Verum ut ad Textum revertamur, alius illi sensus tribui potest: *Egressi sunt de Zabulon duces, qui duxerunt copias suas cum sceptro*, vel *virga Scribarum*. Ad litteram, *qui trahunt cum sceptro Sopher*. Adnotatum est superius, Scripturam uti verbo *trahendi* ut copias ducere significet; Debora ait ad Barac Judic. 4. 6. *trahe milites tuos super Thabor*. Virga, & Sceptrum signa sunt authoritatis jampridem apud omnes gentes communia. Vidimus modo, nomen Scribæ, vel Sopher ministrum significare, tum pro pacis negotiis, cum pro bello. Videtur igitur istic nihil aliud significari, quam Zabulon emicuisse in bello hoc adversus Sisaram, quod ea iis, quæ se-D quuntur ℣. 18. confirmatur: *Zabulon, & Nephtali obtulerunt animas suas morti*.

℣. 15. Duces Issachar fuere cum Debora.] Textus Vulgatæ nobis exhibet sensum perspicuum satis, & facilem: ast Hebraicus textus hoc pacto redditur ad litteram [21]: *Et principes in Issachar fuerunt cum Debora; & Issachar æque ac Barac se ad pedes illius in agro abjecerunt*. Præceps de Thabor cum peditibus suis descendit in agrum, ubi manus consertæ sunt. Debora commendat hos Duces Issachar, eo quod credere voluerunt, ac obtemperare voci mulieris, quæ illos Dei verbis alloquebatur; & quod cum Barac se obtulerint periculo, præcipiti E quodammodo cursu per montis invia delati, ut cum Barac hostem aggrederentur, quamquam hic equitatu, & curribus polleret, cum milites Barac pedites essent, ac fere inermes.

Diviso contra se Ruben, magnanimorum reperta est contentio.] Debora, ut extollat mirabilem victoriam de Sisara relatam, ostendit tres

1 λαὸς Ἐφραὶμ ἐτιμωρήσατο αὐτοὺς ἐν κοιλάδι, Ἀδελφός σου Βενιαμὶν ἐν λαοῖς σου. Legerunt עמק, vallem pro Amalec עמלק. Romana editio legit *Amalec Ἐφραὶμ ἐξερρίζωσεν αὐτοὺς ἐν τῷ Ἀμαλήκ*.
2 Vide Josue 17. 16. *Non poterimus ad montana ascendere cum ferreis curribus utantur Chananæi, qui habitant in terra campestri*. 3 Ita Rabb. Hugo a S. Vict. Lyran. Tostat. Cajet. Arias, Varabl. Munster. Deus. & alii pene omnes. 4 מני מכיר ירדו מחקקים 5 ומזבלון משכים בשבט ספר
6 Vide 4. Reg. 12. 10. & 2. Par. 24. 11. Isai. 33. 18. 2. Esdr. 13. 13. 7 2. Par. 26. 11. Jerem. 52. 25. & 1. Macchab. 5. 42. 8 καὶ ἐκ Ζαβουλὼν ἐξεχύθησαν ἐν σκήπτρῳ γραμματέως. Sym. διδάσκοντες μετὰ ῥάβδου γράμμα, qui Scripturam docent cum baculo. Theod. ἑλκόμενοι ἐν ῥάβδῳ διηγήσεως. *Qui trahunt cum virga instructionis*.
9 2. Reg. 8. 17. 10 2. Reg. 20. 25. 11 1. Par. 24. 6. 12 1. Par. 27. 32.
13 4. Reg. 19. 2. Isai. 36. 3. 14 4. Reg. 22. 3. 8. & seq. & 2. Par. 34. 15. 15 Vide Jerem. 36. 10. & 12. & 20. 16 Ibid. ℣. 26. 17 Jerem. 37. 19. 20. 18 1. Esdr. 4. 8. 9. 19 Esth. 3. 12.
20 Vide Brisson. l. 1. p. 180. de Reg. Pers. 21 ושרי בישכר עם דברה ויששכר כן ברק בעמק שלח ברגליו

tres tantummodo tribus in ea operam locasse, videlicet Nephtali, Issachar, & Zabulon; cum reliquæ ad id ne animum quidem adverterent. Ruben intestinis urgebatur seditionibus, ac qui in ea tribu potentiores erant, internecino inter se odio dissidebant. Iterum causæ latent. Aliqui inde ortas fuisse autumant, eo quod alii in sententiam abierant, suppetias esse ferendas Barac, alii vero id renuerant [1]; sed nihil adest in Textu, quod huic faveat explicationi.

Hebraicus textus multifariam potest intelligi [2]; *in divisionibus*, vel in familiis *Ruben viri adsunt consummata prudentia*, adsunt Politici apprime periti, vel Principes, Magistratus, Duces *magni corde*. Debora ter hebraica voce *chokek*, vel *mechokek* in hoc utitur Cantico; ℣. 5. ad denotandum Principes Israel: *Cor meum diligit Principes Israel*; ℣. 14. ad significandum Principes Machir, vel Galaad: *De Machir Principes descenderunt*. Denique istic utitur ad celebrandum Principes Ruben, velut magnos corde, vel maxima cognitione, & sapientia. Sapientia, scientia, & virtus, vel vis sedem habent in corde juxta Scripturæ loquendi consuetudinem.

Alia quoque Textui tribui explicatio potest. *Ruben morabatur in possessione sua a Jordane sejunctus ab aliis Israelitis; tribus hæc referta est Principibus sapientibus, ac probatissimis*. Cur non tulistis opem fratribus vestris? *cur maluistis inter greges vestros versari, quam contra communem hostem vires conjungere?* Bonfretius ita explicat: Divisio Tribus Ruben, quæ impedimento fuit, ne fratribus suis suppetias ferrent, in causa fuit, ut multi multa putarent, & loquerentur.

℣. 16. QUARE HABITAS INTER DUOS TERMINOS, UT AUDIAS SIBILOS GREGUM.] Ruben, cui omnia erant deserenda, ut opem fratribus ferret, pacatus subsedit cum gregibus suis. Hebraicus textus ita verti potest [3]: *Cur immoratus es inter duas partes* [4]: vel inter duo stabula, vel duos gregum ordines, *ne audires balatum gregum tuorum?* vel, juxta Græcum Interpretem [5], *ut audires sibilas Pastorum?* Reor hunc loquendi modum [6]: *Morari inter duos terminos* proprie regionem significare, vel solum natura munitum, velut illud, quod fluminibus, vel montibus est circumseptum [7]. Terra Ruben fluminibus erat circumdata; ad ortum, & austrum Arnon, ad occasum Jordanes, & Jabok ad boream præterfluebant. Nonnulli vertunt; *cur moraris inter duas sarcinas?* velut asinus, vel mulus, cui ambæ clitellæ sunt superpositæ; verum difficile esset, hanc Hebraici textus significationem probare. Vide nostrum Commentarium in Psalmum 57. 13. 14. ubi factum hoc attingitur, & explicatur.

℣. 17. GALAAD TRANS IORDANEM QUIESCEBAT.] Galaad hic ponitur pro iis, qui montana incolebant, ac regionem cognominem. Hac in regione dimidia Manasse tribus, ac pars tribus Gad immorabatur. Illæ quieverunt in hæreditate sua, æque ac Tribus Ruben.

DAN VACABAT NAVIBUS.] Tribus hæc possidebat terras secus mediterraneum, & portus quosdam, inter quos Ioppe. Hebraice [8]: *Cur Dan navibus iter faciebas?* quin cum fratribus suis Sisaræ bellum inferret.

ASER HABITABAT IN LITTORE MARIS, ET IN PORTUBUS MORABATUR.] Liquet Tribum Aser positam fuisse in Phœnicia secus oras Mediterranei; quo regionis situ ad commercium, & navigationem alliciebatur. Porro hic sensus tribui potest authographi verbis [9]: *Aser habitabat in littore maris, & morabatur in ruderibus suis*. Tribus hæc in eo situ erat, unde facillime aliis tribubus opem ferre poterat, cum Zabulon, & Nephtali esset finitima: at illa permansit in maris littore, suis commerciis implicita, maluitque in ruderibus suis immorari, atque in urbibus fere dirutis [10], quam cum hostibus congredi, & cum fratribus suis se periculo offerre. Septuaginta id de maritimis portubus videntur intelligere, ac præruptis locis, & montium faucibus. *Aser immoratus est in oris maritimis, atque habuit tabernacula sua in suis separationibus*, hoc est, in faucibus montium.

℣. 18. IN REGIONE MEROME.] Hebraicus textus verti potest [11]: *tumuli agrorum*, vel *agri Merome*. Septuaginta: *in editiori agri parte*. Creditur vulgo, Deboram innuere velle agrum illum [12], qui monti Thabor adjacet, ubi adversus Sisaram prœlium initum fuit. Apud Geographos terra Merome non invenitur; sed in Josue 11. 5. vidimus *aquas Merom*, prope quas Jabin, aliique fœderati Reges a Josue victi fuerunt. Interpretum plerique putant has aquas Merom nihil esse aliud, quam Semechonitidem lacum, propter quem Asor sita erat ad quamdam ab origine Jordanis distantiam; at hæc sententia infirmis tantum innititur argumentis. Alia vero quædam in Josue proposuimus, ut probaremus, Merom esse debuisse prope Tanac, & Mageddo.

Ut autem rite ea omnia, quæ ait Debora, intelligamus, ac ipsam secum conciliemus, duo necessario prœlia commissa fuisse fatendum est; vel si mavis, varia certamina in locis admodum dissitis. Manus consertæ sunt ad radices Thabor, Mageddo, Thanac, & Merom. Barac cum decem virorum millibus e tribu Issachar descendit de Thabor, atque super Sisaram effusus est, quemadmodum dictum est vers. 15. Alibi Zabulon, & Nephtali in Chananæos signa intulere prope Thanac, Mageddo, & Merom, ubi Chananæorum Reges, de quibus sermo vers. 19. castra posuerant, ut prohiberent transitu alias tribus, quæ trans torrentem Cison erant, ne tribubus Issachar, Zabulon, & Nephtali opitularentur. Hoc pacto conciliamus ea, quæ Debora inquit de Sisaræ clade a Barac cum decem hominum millibus duntaxat illata cum eo, quod scriptum est vers. 8. *De quadraginta millibus Israel*, & vers. 18. & 19. de Regibus Chanaan ad Merom, Mageddo, atque Thanac victis a tribubus Zabulon, & Nephtali.

℣. 19. PUGNAVERUNT REGES CHANAAN IN THANAC JUXTA AQUAS MAGEDDO, ET TAMEN NIHIL TULERE PRÆDANTES.] Urbs Thanac tribus passuum millibus, vel leuca aberat a Legione [13]; Mageddo quoque erat prope torrentem Cison; Merom paullo magis ad Meridiem vergebat [14], quandoquidem duodecim tantum passuum millibus aberat a Sebaste. Hæ omnes

---

1 Ita Menoch. Cornel. Varabl. Pisc. &c. 2 בפלגות ראובן גדלים חקקי לב. 70. ἐν διαιρέσεσι Ῥουβὶν μεγάλοι ἀκριβασμοὶ καρδίας. Aq. μεγάλοι ἀκριβολογίαι καρδίας. Sym. μεγάλοι ἐξιχνιασμοὶ καρδίας, *ingentium cordis profunditatum; cujus sapientia, quæ nequeat erudi*. Vox פלגות usurpatur pro divisionibus familiarum 2. Par. 35. 5. 12. & 1. Esdr. 6. 17. & פלג pro terrarum divisione; Genes. 10. 25.

3 למה ישבת בין המשפתים לשמע שרקות עדרים. 4 Aqu. ἀναμέσον τῶν κλήρων. Sym. ἀναμέσον τῶν μεταιχμίων *in medio finitimorum*. 5 τοῦ εἰσακοῦσαι συρισμοὺς ἐξεγειρόντων. Alius συρισμὸς ποιμνίων; *gregum balatus*. Alius συρισμοὺς ἐξεγειρόντων, *vigilantium sibilus*. 6 Vide Genes. 49. 14. *Issachar asinus fortis, accubans inter terminos*. 7 Psalm. 67. 14. *Si dormiatis inter medios cleros* בין שפתים.

8 ודן למה יגור אניות. 9 אשר שם לחוף ימים ועל מפרציו ישכן.

10 Ita Varabl. hic, & Mas. ad Josue 19. 31. 11 על מרמי שדה.

12 ἐπὶ ὕψη ἀγροῦ. Aq. ὕψη χώρας. Sym. ὑψηλῶν χώρας.

13 Euseb. & Hieron. in locis.

14 Vide Josue 11. 5. & tabulam Geographicam, ac Eusebium.

omnes urbes quatuor, vel quinque leucas a monte Thabor recedebant; quoniam urbs Legio quindecim milliaria distabat a Nazareth [1] urbe sita prope hunc montem, atque urbes Thanac, & Mageddo, ac Merom Legioni erant finitimæ. Pro his verbis, *nihil tulere prædantes*, hebraice legitur [2]: *neque tulerunt frustum argenti*. Metallum hoc tunc temporis nondum formis cusum erat, quemadmodum hodie, sed in virgulas erat, laminas, & frusta conflatum. Alii vertunt: *Nullam accepere argenti utilitatem*, quod de Israelitis explicatur, qui nemine excepto hostes omnes ceciderunt, quin illis vitam argento redimendi locus præberetur. Illi dereliquerunt opulentissima spolia, ut vehementius persequerentur hostem: vel denique, obtulerunt Domino sacrificium; illi prædam omnem obtulerunt.

℣. 20. STELLÆ MANENTES IN ORDINE, ET CURSU SUO ADVERSUS SISARAM PUGNAVERUNT.] Hic stellæ nobis exhibentur velut exercitus in aciem instructus, quæ non ordine, non loco cedentes adversus Sisaram pugnant. At quomodonam pugnarunt? nam in vehementioribus exaggerationibus quædam semper innuitur veritas, quæ sub miris locutionibus latet. Nonnulli [3] putant sydera effudisse influxus suos super utrumque exercitum; influxus quidem noxios, ac perniciosos in agmen Sisaræ; oppositos vero penitus influxus in Barac exercitum. Alii [4] contendunt Deboram innuere solum, Angelos syderibus collatos propter ipsorum naturam spiritualem, ac lucidam, immisisse terrorem in hostium castra, atque pro Israel in Sisaram dimicasse. Angeli, & Sancti quandoque syderibus conferuntur; & liquet, beatos spiritus sæpius adversus hostes populi Dei decertasse 2. Macch. 10. 29. & 11. 8.

Josephus Antiqu. l. 5. c. 6. inquit, in Chananæos vehementem demissam fuisse tempestatem, aquas, grandinem, pluviam, quæ omnia, cum in faciem Chananæorum ferrentur, illis Israelitarum eripuit adspectum, eorumque irritos effecit arcus, & fundas, & gladios. Oppositum vero accidit Hebræis, quorum terga grandini patebant, & qui Divinæ opis effectum esse minime ignorabant. Debora addit, stellas mansisse in ordine, & cursu suo [5], ut hoc miraculum ab illo distingueret, quod Josue imperante contigerat [6], cum astra motum suum reliquerunt, Sol, & Luna miraculose constiterunt, & forsitan aliorum quoque cœlestium corporum motus quievit, quorum motus ab ea pendet impressione, quam illi his tribuunt.

℣. 21. TORRENS CISON TRAXIT CADAVERA EORUM; TORRENS CADUMIM, TORRENS CISON; CONCULCA ANIMA MEA, ROBUSTOS.] Cum prœlium prope torrentem hunc initum fuerit, & hostes in fugam rapti præcipitem, in illum tumultuarie se dejecissent, quamplurimi demersi fuerunt: torrens hic traxit, vel juxta hebraicæ vocis vim [7], *verrit* eorum cadavera. Torrens Cison appellatur torrens *Cadumim*, vel eo quod ab ortu in occasum fluebat; (*Kedem* sæpe orientem significat) vel propter illius antiquitatem, torrens vetus; at hoc epithetum alienum hoc in loco videtur. Nonnulli autumant, duos adfuisse torrentes, qui prope montem Thabor haberent originem, quorum alter ab oriente in occasum fluebat, & in mare Tiberiadis, vel in Jordanem dilabebatur, quem *Kadumim* vocatum fuisse dictitant.

A Torrens alter in Mediterraneum mare prope Carmelum montem se exonerabat, qui Cison appellabatur. Verum hypothesis hujus argumenta desiderantur. Nihil in Josepho, vel in Scripturis extat, quod de commentitii hujus torrentis Kadumim veritate nos persuadeat, qui in mare Tiberiadis diflueret. In libro Judith 7. 3. occurrit locus nomine Cadmon, vel Cedmon non procul ab eo terræ tractu. Vulgata legit *Chelmon*, & Græca lectio habet Cyamon; sed Syriaca veram lectionem servavit, scilicet Cadmon. Symmachus, & Theodotion pro *Cadumim* legebant *Kadesim*, ac prior transtulit vallem Sanctam; alter vero torrentem *Cadesim* [8].

℣. 22. UNGULÆ EQUORUM CECIDERUNT.] Neque hæc exaggeratio pressius est intelligenda. Hebraice

B habetur [9]: *Ungulæ equorum sonitum ediderunt persimilem incudi malleo percussæ propter præcipitem eorum impetum, qui eos incitabant*: ita ut Debora nihil aliud voluerit innuere, quam quod Virgilius ait:

Quadrupedante putrem sonitu quatit ungula campum.

Adnotatur in textu hebraico verbum *Dahar*, quod adamussim præcipitem cursum significat. Utuntur Galli voce simili ad pernicissimum cursum significandum: *Dare*, *Dare*. Nonnulli [10] vertunt: *Tunc ungula equorum fracta fuit*, vel fissa, *eorum cursu præcipiti, qui fugiebant*. Antiquitus equorum ungulæ minime ferreis soleis præfigebantur, uti ex Xenophonte non semel innotescit. Bucephalus Alexandri nimio iter agendi usu ungulas contriverat. In veteribus equo-

C rum imaginibus, quæ anaglyptico, vel diaglyptico opere cælatæ sunt, nulla animadvertuntur solearum vestigia. Adsunt nihilominus quædam in contrarium exempla. Homerus Iliad. 9. distincte ait, Græcorum equos magnum edidisse sonitum terram ære quatientes; videlicet, authore Eustathio, ferreis soleis in lunæ crescentis formam, quas sub pedibus deferebant. Nero argenteos calceos jumentorum suorum pedibus, Poppæa vero uxor illius ex auro quoque solebat induere [11]. Nicetas apud Pancirol. l. 2. refert Latinos, cum equestre simulacrum diruissent, quod Josue filio Num, vel Bellerophonti dicatum ferebatur, invenisse sub ferrea solea pedis simulacri illius signum hominis. At ad hanc quoque diem in Arabia, & Tartaria præstantes adsunt equi, quorum un-

D gulæ numquam soleis præfiguntur [12].

℣. 23. MALEDICITE TERRÆ MEROZ, DIXIT ANGELUS DOMINI: MALEDICITE HABITATORIBUS EJUS, QUIA NON VENERUNT AD AUXILIUM DOMINI.] Minime ambigi potest, quin Meroz sit loci nomen, quandoquidem hic sermo est de habitatoribus illius; & credendum est, terræ illius incolis aliquam fuisse obligationem ferendi suppetias exercitui Domini; quoniam alioquin nequaquam maledictiones enunciarentur, eo quod minime opem tulerint. Cum autem Israelitis dumtaxat hæc esse poterat obligatio, inferendum est, terram Meroz in illorum regione fuisse positam; ast quænam hæc erat regio Meroz? hoc nemo hactenus perspicue valuit explicare. Eusebius credidisse videtur *Merom*, & *Meroz* idem esse, nam

E de Merom locutus, ait *Meroz* duodecim passuum millibus abesse a Sebaste prope *Dothaim*. Pagninus in Eusebii sententiam abiit, neque aliquid hac in re magis certum agnovimus. Merom Israelitarum erat: urbis hujus cives, uti videtur, noluerunt opitulari fra-

1 Euseb. in Nazareth. 2 בצע כסף לא לקחו.

3 Kimchi, Rabb. Salom. &c. apud Serar. qu. 12. 4 Ita Rupert. Grot. Vat. Mariana, Est. Valesius de Sacr. Philos. c. 31. 5 ממסלותם *Ex via strata sua*. 70. Codex Rom. ἐκ τῶν τρίβων αὐτῶν.

6 Lyran. Cajetan. Bonfrer. alii. 7 גרפם. ἐξέβαλεν αὐτούς. *Ejecit eos*. Codex Rom. ἐξέσυρεν; *traxit eos*.

8 נחל קדשים, pro נחל קדומים. Sym. ἁγίων φάραγξ. Male in editis ἀρχαίων φάραγξ. Theod. Καδεσίμ.

9 אז הלמו עקבי סוס מדהרות דהרות אביריו. Vox הלם usurpatur pro *tundere super incudem*; & הלמות pro *malleo*. Judic. 5. 26. Psalm. 73. 6. Isai. 41. 7.

10 70. τότε ἀπενόσφισαν πτέρναι ἵππων. *Tunc abscissa sunt ungulæ equorum*. Codex Rom. τότε ἐνεποδίσθησαν. *Tunc impedita sunt*. Cod. Basil. τότε ἐνευροκοπήθησαν. *Tunc subnervata sunt*.

11 Sueton. in Nerone c. 30. Plin. l. 33. c. 11. *Nostra quoque ætate Poppæa conjux Neronis Principis delicatioribus jumentis suis soleas ex auro quoque induere solebat*. 12 Tavernier t. 1. l. 2. c. 5.

tribus suis in hoc bello, vel illis cibaria, vel sedem abnuentes, vel ipsis opem ferre negligentes; quamquam pro loci situ id commode peragere poterant, neque periculum, in quo illi versabantur, haud poterant ignorare. Hæ omnes circumstantiæ eas mereri potuerunt maledictiones, quæ istic leguntur.

Rabbini plerique [1], ac post illos, Interpretes quidam contendunt Meroz virum fuisse, qui prope Cison incoleret, qui cum noluisset Israelitis opitulari in prœlio adversus Chananæus, eum Barac anathemate percussit ad quadringentarum tubarum sonitum, qui Barac, inquiunt illi, hic Angelus Domini appellatur. Alii putant Meroz fuisse Angelum Chananæorum, vel sydus, quod favebat Sisaræ, cui maledictiones injecit Angelus Domini, qui Israelitis præsto erat. At hæ omnes sententiæ sibilis suor excipiendæ. *Meroz* terræ nomen erat.

Angelus etiam Domini, qui contra *Meroz* profert maledictiones, quæstionum est argumentum. Alii [2] putant, Archangelum Michaelem bello huic præfuisse, velut Ducem, & Principem populi Dei. Alii [3] hunc ipsum esse Barac autumant, vel summum Sacerdotem, vel Prophetam aliquem, vel Deboram, vel denique Angelum de Cœlo. Hæ sententiæ suas rationes, suosque patronos jactant; verum harum nulla omnino certa est. Vide supra cap. 2. ℣. 1.

℣. 24. Benedicatur in Tabernaculo suo.] Illi gratiæ agantur in Tabernaculo suo, ac præclarum facinus, quod in tabernaculo suo patravit Sisaram interficiens, laudibus celebretur. Hebraicus hujus versiculi textus ita verti potest [4]: *Jahel uxor Haber Cinæi benedicta sit inter mulieres; benedicta sit inter mulieres, quæ morantur in Tabernaculis*. Prudenti mulieri laudis epithetum additur, *ipsam domi suæ manere*; hæc laus est mulieribus omnibus communis [5]: Jahel benedicta sit inter sapientes mulieres, & quæ domi suæ permanent; celebretur illa inter mulieres, quæ magis virtute excellunt.

℣. 25. Aquam petenti lac dedit, et in phiala Principum obtulit butyrum.] Capite præcedenti, ubi idem historice magis narratur, dicitur, cum Sisara potum expetiisset, Jahel utrem aperuisse, vel coriaceum vas lacte plenum; sed ex hoc loco videtur, postquam illi lac præbuit bibendum, butyrum etiam, vel lactis cremorem in lance obtulisse. Ita Chaldaica versio, & Kimchi explicant. Alii censent, ipsam illi pingue lac, e quo butyrum nondum eductum fuerat, præbuisse; vel, ut alii malunt, lac, e quo cremor fuerit eductus. Vide cap. 4. ℣. 19.

Hebraica vox [a] *Sephel*, ex qua fluit nomen sympuli, quod ex Hebræis ad Lydos, e Lydis migravit ad Thuscos, a Thuscis vero transiit ad Romanos [7], significat vas, quo vinum hauriebatur, quod libabatur in Deorum honorem. Id genus vascula ex argilla fiebant, atque Plinii ævo, fictilibus tantum sympulis vulgo usus erat in sacrificiis: *in sacris etiam inter has opes hodie non murrhinis, crystallinisve, sed fictilibus prolibatur sympuviis*, vel *sympulis*, Plinius l. 35. c. 12. Juvenalis Satyr. 6.

. . . . Aut quis
Simpuvium ridere Numæ, nigrumque Catinum,
Aut vaticanos fragiles de monte Patellas
Ausus erat . . .

At sympula, quæ hodie in studiosorum musæis extant, ænea sunt. Septuaginta hebraicam vocem *sephel* reddiderant *lecanè*, quæ vox idem ac *Phiala* Vulgatæ significat. Totus Authographi versiculus ita verti potest: *Ille poposcit aquam, ipsa vero illi dedit lac, obtulit illi cremorem lactis in sympulo fortium*, Magnanimorum, Principum.

℣. 26. Sinistram manum misit ad clavum, et dexteram ad fabrorum malleos.] Vulgatæ sensus perspicuus est. Hebraicus vero textus ita vertitur [a]: *tulit manum suam* (sinistram) *ad clavum, & dexteram manum suam ad fabrorum malleum: percussit illa Sisaram malleo; & caput illius perforavit [9]; illum perforavit, & per tempora* clavum *trajecit*. Septuaginta [10]: *Illa caput ei perforavit, ipsum percussit, ipsa tempora illius perforavit*. Theodotion [11]: *Caput illi abscidit, perfregit, maxillam perforavit*. Symmachus [12]: *clavo caput illius perforavit*, vel paxillo ad tabernaculum sustinendum; *& caput illius confregit*.

℣. 27. Inter pedes ejus ruit.] En autem versiculus hic ex hebraico redditus ad litteram [13]: *Stratus erat, prostratus, inter pedes ejus obvolutus; prostratus fuit, cecidit ad pedes illius, mortuus occidit*, oppressus, victus, (eodem loco) quo stratus erat. Debora nobis exhibet Iahel velut pedibus obterentem Sisaram, atque jam jam super ventrem illius calcaturam, si quid ille moveretur: & perinde ac uno tantum verbo miserrimi Ducis hujus necem nequiret exprimere, ter usque idem expressit. Prostratus erat, obvolutus, abjectus ad pedes illius, mortuus est, cecidit, expiravit, mortuus jacuit ibidem, ubi cubaverat.

℣. 28. Per fenestram respiciens ululabat mater ejus, et de cœnaculo loquebatur.] Sententia hæc, atque hoc Poeticum adinventum afficiunt, ac jucunde cient imaginationem. Idem est in textu Hebraico sensus [14]; *mater Sisaræ per fenestram respiciebat, & de cubiculo suo ululabat*; vel potius, *per cancellos fenestrarum*: nam in Oriente fenestræ, eæque præsertim cubiculorum, ubi mulieres permanent, cancellatæ sunt; atque ex Proverbiis, ubi idem occurrit verbum [15], intelligimus cancellos significari. *De fenestra domus meæ per cancellos prospexi*.

℣. 29. Una sapientior ceteris uxoribus ejus, hæc socrui verba respondit.] Hebraicus textus minime fert, eam, quæ respondit matri Sisaræ, fuisse Imperatoris hujus uxorem; hæc porro habemos ad litteram [16]: *Sapientior matronarum suarum illi respondit; atque ipsamet hos miscebat sermones*, ut consolaretur: *Forsitan prædam invenerunt, & dividunt spolia*; videlicet Sisaræ mater prospiciens per cancellos fenestræ, quod maxime est naturale, cum sollicite aliquid expectatur, querebatur, quod filius suus nondum adesset; & matronæ, quæ illam comitabantur, questus questubus illius miscebant: hoc plerumque, cum de similibus rebus agitur, verbum *respondere* significat. At subinde mater Sisaræ consolabatur, sibique blandiens hæc secum; forsitan filius prædæ ex hostibus captæ dividundæ vacat. Hæc imago apprime convenit matri spemque, metumque inter fluitanti.

For-

1 Gemar. Babyl. ad tit. Moed. caton. c. 3. Jarchi, & Talmudist. Vide Selden. l. 2. c. 7. de Synedriis.
2 Tostatus. 3 Chaldæus. Vide Serar. qu. 15. & 16.
4 תברך מנשים יעל אשת חבר הקיני מנשים באהל תברך. 5 Vide Drus. hic.
6 בספל אדירים הקריבה חמאה. 7 Grotius hic.
8 ידה ליתד תשלחנה וימינה להלמות עמלים והלמה סיסרא מחקה ראשו ומחצה וחלפה רקתו
9 מחץ proprie significat *caput perfodere*. Vide Psal. 67. 22. 109. 6. Habacuc 3. 13.
10 70. διήλωσε κεφαλὴν αὐτοῦ, καὶ ἐπάταξε, διήλωσε κρόταφον αὐτοῦ. 11 Th. ἀπέτεμε τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ καὶ ἔθλασε καὶ διήλωσε τὴν γνάθον αὐτοῦ. 12 διήλωσε διὰ τοῦ κροτάφου τὸν πάσσαλον, καὶ ἔθλασε τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ.
13 בין רגליה כרע נפל שכב בין רגליה כרע נפל באשר כרע שם נפל שדוד
14 בעד האשנב. 70. Codic. Reg. & Basil. διὰ τοῦ δικτυωτοῦ, aliter ἔνδοθεν τοῦ τοξικοῦ.
15 Proverb. 7. 6. אשנב.
16 חכמות שרותיה תענינה אף היא תשיב אמריה לה

℣. 30. FORSITAN NUNC DIVIDIT SPOLIA.] Hoc pacto hebraica lectio ad litteram transfertur [1]: *Num invenerunt, & dividunt spolia, singulas mulieres, vel binas militibus singulis? Vestes polymitæ Sisaræ tribuuntur; vestes polymitæ, vestes variis coloribus acu pictæ, vestes acu pictæ sunt pro torquibus, in ornatum colli, qui tenuit prædam.* Error forte in hebraicum textum irrepsit, & pro *singulas mulieres, & binas*, ad litteram, *singulos ventres, vel binos*, quod alibi nuspiam invenitur, neque ullum naturalem sensum adstruit; legi potest, *vestes acu pictas*. Ita porro juxta hanc correctionem transferrem: *Forte nunc capturam fecere*, ad litteram, *invenere, atque dividendæ prædæ vacant*; tribuitur *principi fortium vestis acu picta ex pulcherrimis*, ad litteram *acu pictum acu pictorum*; *spolia colore infecta Sisaræ tribuuntur; spolia colore infecta, vestes acu pictæ, colore infectæ, acu pictæ ornaturæ sunt collum victoris*; vel simplicius juxta Vatablum *sunt pro collo*, pro capite, principe exercitus, pro eo, qui dividit spolia, pro Sisara. In hac vertendi ratione sensus mihi satis naturalis videtur, ac omnis immutatio ab eo pendet, quod littera ejusdem, vel ferme ejusdem valoris, ac soni pro alia usurpetur: vel denique *sunt ad ornandum militum colla*, vel ad onerandum colla victoribus: A milites omnes collum ornabunt, onerabuntque illis; tanta erit copia.

℣. 31. QUI AUTEM DILIGUNT TE, SICUT SOL IN ORTU SUO SPLENDET, ITA RUTILENT.] Hebraica lectio brevior est [2]; *Et qui diligunt illum, erunt sicut ortus solis in vi sua*. Ii, qui diligunt Dominum, sint velut Sol in ortu suo; augeatur in dies gloria ipsorum, non secus ac Solis splendor augescit, quo magis super horizontem ascendit; vel, *sint velut Sol cum progreditur in vi sua*, cum super horizontem extollitur, cum magis calor fervet, cum formosior dies est tempore æstivo. Scriptura sæpius Justos Soli confert [3]; & radiis auroræ. Deus promittit David [4] ipsum futurum *sicut lucem auroræ, cum mane oriente sole absque nubibus rutilat*. Et Sapiens de muliere virtute B prædita disserens ait, eam esse veluti Solem, qui mane oritur, ac radiis terrarum orbem illuminat.

℣. 32. QUIEVIT TERRA PER QUADRAGINTA ANNOS.] Videlicet a morte Aod usque ad obitum Barac quadraginta fluxerunt anni. Servitus viginti saltem annos stetit [5], ideoque pax, quam Barac comparavit, totidem annorum numerum minime excessit. Dicitur Barac tumulatus fuisse in Cades Nephtali patria sua. Beniamin Tudelensis in Itiner. se illius tumulum vidisse testatus.

---

1 הלא ימצאו יחלקו שלל רחם רחמתים לראש גבר (quemadmodum paulo inferius habet textus) Legi רקם רקמתים שלל צבעים לסיסרא שלל צבעים רקמה צבע רקמתים לצוארי שלל
2 ואהביו כצאת השמש בגברתו
3 Vide Eccli. 17. 16. 23. 28. 50. 7. Matth. 13. 43.
4 2. Reg. 23. 5. Vide & Psal. 71. 18.
5 Vide supra 5. 3. 5.

CAPUT VI.

Servitus Israelitarum sub Madianitis; ad quos liberandos eligitur a Deo Gedeon, qui destruit aram Baal. Vellus rore imbuitur, area vero sicca permanet; & mox vellere arescenti, area reliqua humescit.

1. FEcerunt autem filii Israel malum in conspectu Domini: qui tradidit illos in manu
Madian septem annis, 2 Et oppressi sunt valde ab eis. Feceruntque sibi antra,
& speluncas in montibus, & munitissima ad repugnandum loca. 3 Cumque sevisset Israel, ascendebat Madian, & Amalec, cæterique Orientalium nationum: 4 Et
apud eos figentes tentoria, sicut erant in herbis cuncta, vastabant usque ad introitum
Gazæ: nihilque omnino ad vitam pertinens relinquebant in Israel, non oves, non boves, non asinos. 5 Ipsi enim, & universi greges eorum veniebant cum tabernaculis
suis, & instar locustarum universa complebant, innumera multitudo hominum & camelorum, quidquid tetigerant devastantes. 6 Humiliatusque est Israel valde in conspectu
Madian. 7 Et clamavit ad Dominum postulans auxilium contra Madianitas. 8 Qui
misit ad eos virum prophetam, & locutus est: Hæc dicit Dominus Deus Israel: Ego vos
feci conscendere de Ægypto, & eduxi vos de domo servitutis, 9 Et liberavi de manu
Ægyptiorum, & omnium inimicorum, qui affligebant vos: ejecique eos ad introitum
vestrum, & tradidi vobis terram eorum. 10 Et dixi: Ego Dominus Deus vester, ne
timeatis deos Amorrhæorum, in quorum terra habitatis. Et noluistis audire vocem
meam. 11 Venit autem Angelus Domini, & sedit sub quercu, quæ erat in Ephra, &
pertinebat ad Joas patrem familiæ Ezri. Cumque Gedeon filius ejus excuteret, atque
purgaret frumenta in torculari, ut fugeret Madian, 12 Apparuit ei Angelus Domini,
& ait: Dominus tecum, virorum fortissime. 13 Dixitque ei Gedeon: Obsecro, mi domine, si dominus nobiscum est, cur apprehenderunt nos hæc omnia? ubi sunt mirabilia ejus, quæ narraverunt patres nostri, atque dixerunt: De Ægypto eduxit nos Dominus? nunc autem dereliquit nos Dominus, & tradidit in manu Madian. 14 Respexit-

que ad eum Dominus, & ait: Vade in hac fortitudine tua, & liberabis Ifrael de manu
Madian: fcito, quod miferim te. 15 Qui refpondens ait: Obfecro, mi domine, in
quo liberabo Ifrael? ecce familia mea infima eft in Manaffe, & ego minimus in domo
patris mei. 16 Dixitque ei Dominus: Ego ero tecum, & percuties Madian quafi unum
virum. 17 Et ille: Si inveni, inquit, gratiam coram te, da mihi fignum, quod tu
fis, qui loqueris ad me. 18 Nec recedas hinc, donec revertar ad te portans facrifi-
cium, & offerens tibi. Qui refpondit: Ego præftolabor adventum tuum. 19 Ingreffus
eft itaque Gedeon, & coxit hædum, & de farinæ modio azymos panes: carnefque po-
nens in caniftro, & jus carnium mittens in ollam, tulit omnia fub quercu, & obtulit ei.
20 Cui dixit Angelus Domini: Tolle carnes, & azymos panes, & pone fupra petram
illam, & jus defuper funde: Cumque feciffet ita, 21 Extendit Angelus Domini fum-
mitatem virgæ, quam tenebat in manu, & tetigit carnes, & panes azymos: afcenditque
ignis de petra, & carnes, azymofque panes confumpfit: Angelus autem Domini evanuit
ex oculis ejus. 22 Videnfque Gedeon quod effet Angelus Domini, ait: Heu mi, Do-
mine Deus: quia vidi Angelum Domini facie ad faciem. 23 Dixitque ei Dominus:
Pax tecum, ne timeas, non morieris. 24 Ædificavit ergo ibi Gedeon altare Domino,
vocavitque illud, Domini pax, ufque in præfentem diem. Cumque adhuc effet in
Ephra, quæ eft familia Ezri, 25 Nocte illa dixit Dominus ad eum: Tolle tau-
rum patris tui, & alterum taurum annorum feptem, deftruefque aram Baal, quæ eft
patris tui: & nemus, quod circa aram eft, fuccides: 26 Et ædificabis altare Do-
mino Deo tuo in fummitate petræ hujus, fuper quam ante facrificium pofuifti:
rollefque taurum fecundum, & offeres holocauftum fuper ftruem lignorum,
quæ de nemore fuccideris. 27 Affumptis ergo Gedeon decem viris de fervis fuis, fe-
cit, ficut præceperat ei Dominus. Timens autem domum patris fui, & homines illius
civitatis, per diem noluit id facere, fed omnia nocte complevit. 28 Cumque furre-
xiffent viri oppidi ejus mane, viderunt deftructam aram Baal, lucumque fuccifum, &
taurum alterum impofitum fuper altare, quod tunc ædificatum erat. 29 Dixeruntque
ad invicem: Quis hoc fecit? Cumque perquirerent auctorem facti, dictum eft: Gedeon
filius Joas fecit hæc omnia. 30 Et dixerunt ad Joas: Produc filium tuum huc, ut mo-
riatur: quia deftruxit aram Baal, & fuccidit nemus. 31 Quibus ille refpondit: Num-
quid ultores eftis Baal, ut pugnetis pro eo? qui adverfarius eft ejus, moriatur ante-
quam lux craftina veniat: fi Deus eft, vindicet fe de eo, qui fuffodit aram ejus. 32 Ex
illo die vocatus eft Gedeon, Jerobaal, eo quod dixiffet Joas: Ulcifcatur fe de eo Baal,
qui fuffodit aram ejus. 33 Igitur omnis Madian, & Amalec, & Orientales populi con-
gregati funt fimul: & tranfeuntes Jordanem, caftrametati funt in valle Jezrael. 34 Spi-
ritus autem Domini induit Gedeon, qui clangens buccina convocavit domum Abiezer:
ut fequeretur fe. 35 Mifitque nuntios in univerfum Manaffen, qui & ipfe fecutus eft
eum: & alios nuntios in Azer, & Zabulon, & Nephthali, qui occurrerunt ei. 36 Di-
xitque Gedeon ad Deum: Si falvum facis per manum meam Ifrael, ficut locutus es,
37 Ponam hoc vellus lanæ in area: fi ros in folo vellere fuerit, & in omni terra ficci-
tas, fciam, quod per manum meam, ficut locutus es, liberabis Ifrael. 38 Factumque
eft ita. Et de nocte confurgens expreffo vellere, concham rore implevit. 39 Dixitque
rurfus ad Deum: Ne irafcatur furor tuus contra me, fi adhuc femel tentavero, fignum
quærens in vellere. Oro, ut folum vellus ficcum fit, & omnis terra rore madens. 40
Fecitque Deus nocte illa, ut poftulaverat: & fuit ficcitas in folo vellere, & ros in om-
ni terra.

Ab An.M. 2752. ad 2759.

℣. 1. IN MANU MADIAN.] Populi hi morabantur ad orientem Afphaltitis [1]: Princeps eorum civitas ad Arnon erat pofita, ac in finibus regionis Moab. Hi funt Madianitæ iidem, quorum Principes dimicarunt in exercitu Sehon adverfus Ifrael, Iofue 3. 21. & quorum filiæ cum mulieribus Moabitarum populum Dei in impudicitia, ac Idololatriam pellexerunt, Numer. 35. 17. Moyfes, ut crimen hoc ulcifceretur, illis internecinum bellum intulit Numer. 31. 8. 10. verum afflictas opes refecerunt, atque fœderati cum Amalecitis, ac aliis orientalibus populis fubegere Ifraelitas, A eo pacto, quod vifuri fumus.

℣. 2. FECERUNT SIBI ANTRA, ET SPELUNCAS IN MONTIBUS, ET MUNITISSIMA AD REPUGNANDUM LOCA.] Cum minime auderent in agris morari, propter continentes hoftium incurfus, neque poffent pacate frui laborum fuorum fructu, nam Madianitæ quotannis populabundi agros eorum invadebant, effoderunt fibi fpeluncas in montibus, ac inacceffis locis, ut ibi in tuto ipfi, uxores, & filii ipforum permanere poffent, & illuc congererent quidquid, licet parum, ex agris fuis metere poffent, antequam hoftes arva diriperent, atque popularentur.

℣. 3. ASCEN-

1 Vide Exod. 2. 15.

℣. 3. ASCENDEBAT MADIAN, ET AMALEC, CÆTERIQUE ORIENTALIUM NATIONUM.] Amalecitarum ditio olim latis patebat, atque diversis in locis Arabiæ Petrææ immorabantur; e quibus nonnullos in Exodo 17. 8. vidimus in Hebræos impetum fecisse in Raphidim, paullo post exitum de Ægypto. Alii quoque habitabant in montibus, qui ad meridiem Palæstinæ consurgunt, prope Cadesbarne, & Arad. Numer. 13. 3. Cinæi in hac eadem regione permanserunt, atque erant cum Amalecitis permixti, cum Saul bellum indixit Amalec 1. Reg. 15. 6. Amalecitæ vero meridionales urbem Siceleg conflagrarunt, & uxores David abduxerunt, 1. Reg. 31. 5.

At alii quoque aderant Amalecitæ ad orientem terræ Chanaan, ac prope regionem Madianitarum, atque Moabitarum. Balaam, cum montes Moab conscendisset, vidit Amalecitas non procul abesse, Numer. 24. 20. Hi porro cum Madianitis conjuncti fuere, atque cum aliis finitimis populis, ut regionem Israel depopularentur. Scriptura perspicue ostendit, quam late pateret Amalecitarum regio, cum ait 1. Reg. 15. 7. quod Saul ipsos delevit ab Hevila, usque ad desertum Sur prope Ægyptum. *Hevila* prope Euphratem, ac in Arabia Petræa erat posita, versus Mare Erythræum. In regionem Amalecitarum *Sur* David impetum faciebat, cum apud Achis Regem Geth moraretur 1. Reg. 27. 8. *Ascendit David, & viri ejus, & agebant prædas de Gessuri, & de Geth, & de Amalecitis; hi enim pagi habitabantur in terra antiquitus; euntibus Sur usque ad terram Ægypti.*

Populi Orientales, vel *filii Orientis*, vel *Kedem*, uti Hebraice legimus, qui hoc in capite memorantur, plane ii Arabes sunt, qui Arabiam desertam incolunt a regione Moabitarum, atque Ammonitarum usque ad Euphratem. Scriptura non semel loquitur de filiis Orientis, quo nomine comprehendit Moabitas, Ammonitas, Idumæos, Cedarenos, aliosque. Isai. 11. 14. *Prædabuntur filios Orientis, Idumæa, & Moab præceptum manus eorum, & filii Ammon obedientes erunt.* Ierem. 49. 28. *Ascendite ad Cedar, & vastate filios Orientis.* Vide & Ezechiel 25. 10. Ezech. 8. 7.

℣. 4. ET APUD EOS FIGENTES TENTORIA, SICUT ERANT IN HERBIS CUNCTA VASTABANT USQUE AD INTROITUM GAZÆ.] Textus Hebraicus non ait segetas nondum maturescentes direptas fuisse. Quod infra legimus de Gedeone frumentum excutiente in torculari ostendit, hostes expectasse, donec messis immineret, ut facerent irruptionem: fruebantur illi laboribus Israelitarum, & quod auferre non poterant, vastabant. Ita porro textus redditur ad litteram [1]: *apud eos figentes tentoria fructum terræ diripiebant, usque dum ascendas in Gazam.* Videlicet populabantur, quam late regio protendebatur a Jordane usque ad oram Mediterranei, & usque Gazam, ad extremitatem terræ Philistiim. Ratio hæc belli inferendi in speciem quidem minus crudelis est, quam ea, ubi sanguis effunditur, victique in captivitatem abducuntur: verum si recta lance perpendas, durior adhuc, & immitior ea ratio est, qua populi isti opprimebant Israelitas, quam justum bellum, & assueta captivitas; quoniam belli vel cito mors adest, vel victoria, vel captivitas, in qua saltem tuto pace frui licet. At Hebræi omnium simul jacturam subibant, pacis, libertatis, bonorum, ac sæpius vitæ; videbantque mala quotannis instaurari, & suas calamitates augescere, quin ulla spes illis incederet, futurum ut hæc infortunia desinerent; nam cum hostium vires quotidie magis crescerent, vires ipsorum decrescebant quotidie.

NIHILQUE OMNINO AD VITAM PERTINENS RELINQUEBANT IN ISRAEL.] Hebraicus textus reddi posset [2]: *nihil relinquebant, quod vitam servare posset*: videlicet juxta Chaldaicam versionem, nullam escam, qua vel ipsi Israelitæ, vel ipsorum armenta vesci possent. Septuaginta [3]: *nihil, quod vitam sustentare posset in Israel, neque ovem, neque vitulum, neque asinum.* Verbo; non satis erat illis agrorum tractus diripere, & vastare; verum pecora quoque, in quæ forte inciderent, abducebant. In aliis captivitatibus vexabantur Hebræi, ut imperatam solverent pecuniam; in hac vero illis & vitæ necessaria, & agrorum suorum commoda adimebantur.

℣. 5. INSTAR LOCUSTARUM UNIVERSA COMPLEBANT.] Locustæ ea in regione turmatim volant, & ea in copia nonnumquam, ut aerem obscuriorem efficiant, ac terras illas, ubi quiescunt omnino depascant. Asserunt, eas in agmine suo, ac volatu mirum ordinem servare; neque melius exhiberi posse exercitus iter agentis, vel castra metantis imaginem. Cum primæ consurgunt, aliæ omnes consequuntur, & cum illæ subsidunt, reliquum agmen ibidem quiescit. Ajunt præterea eas, quasdam prius veluti speculatores præmittere ad terras cognoscendas, ac reliquis sedem parandam [4]. Hæc omnia aptam exhibent speciem modi illius, quo Madianitæ, aliique populi ipsorum fœderati se se in universam regionem Israel effundebant.

℣. 8. MISIT AD EOS VIRUM PROPHETAM.] Quinam erat hic Propheta? Judæi asserunt hunc fuisse Phinees: alii [5] censent, Angelum fuisse humana specie. Verum quid vetat, ne intelligatur textus in simplici, ac obvio sensu, cum nulla necessitas adsit ad figuratas, remotasque explicationes confugiendi? Prophetæ hujus nomen, ætas, ac patria ignorantur. Scriptura non semel quorundam Prophetarum sermones affert, quin ipsorum nominis meminerit: pro exemplo esto Angelus Dei, qui ascendit de Galgalis Judic. 2. 1. ad locum *flentium*, qui plane Propheta erat; vir ille, qui Dei nomine Summum Sacerdotem Heli est allocutus 1. Reg. 2. 27. atque ille, qui missus est in Bethel ad exprobrandum Jeroboam ob inanem vituli cultum 3. Reg. 13. 1. & ille denique, qui locutus est ad Achab, illique de Syris victoriam spopondit 3. Reg. 20. 13. Hos prophetas minime novimus, nisi propter solam circumstantiam, quæ nobis in Scripturis narratur. Ille vero, de quo hic agitur, populum allocutus est in quodam generali cœtu, veluti in iis, qui haberi consueverant in maximis annis solemnitatibus ad Domini Tabernaculum.

℣. 10. NE TIMEATIS DEOS AMORRHÆORUM.] Ne eos veneremini, ne illis supernaturalem tribuatis potestatem ac divinam, vel ad pœnas irrogandas, vel ad benefacta elargienda. Timor Domini sæpius pro cultu ipsius usurpatur: nomen terroris Isaac, Deo Jacob tribuitur Genes. 31. 42. *Nisi terror Isaac affuisset mihi.* Timor prima extitit idololatriæ, ac superstitionis origo. Horatius.

Primus in orbe Deos fecit Timor.

℣. 11. VENIT AUTEM ANGELUS DOMINI.] Cum præparasset Deus Israelitarum animos Prophetæ oratione, de quo sermo fuit, eosque impulisset, ut pœnitentia ducti Idololatriam abdicarent, misit Angelum ad Gedeonem, quem, ut liberator esset populi sui, delegerat. Crediderunt nonnulli [6] Angelum hunc fuisse Prophetam eumdem, qui ad Populum locutus est. Alii [7] asseruerunt hunc fuisse Dei filium, qui alicubi in Scriptura Angelus Domini nuncupatur, & cui tribuitur infra nomen *Jehovah*, & cui Gedeon præparat sacrificium. At opinio magis simplex, ac naturalis est, hunc fuisse Angelum præter ordinem a Deo demissum [8]. Nomen *Jehovah* profecto

---

1 ויחנו עליהם וישחיתו את יבול הארץ עד באך עזה.   2 ולא ישאירו מחיה בישראל.   3 οὐχ ὑπελείποντο ὑπόστασιν ζωῆς ἐν Ἰσραὴλ, καὶ ποίμνιον, καὶ μόσχον, ὄνον.   4 Vide Hieronym. in Joel. c. 2. Johan. Leon. l. 9. Damir, & alios apud Bochart.   5 Vide August. qu. 41. & Serar. & Drus.   6 Ita Rabb. qui Phineem esse volunt. Vide & August. qu. 31. in Judic.   7 Ita Jun. Petr. Martyr. Brougton. Chytræus & Habichorst. differt. de altari Gedeon, &c.   8 Ita Lyr. Menoch. Drus. Bonfr. Serar. Grot. alii passim.

cto uni Deo tantum convenit; sed cum Angeli sæpius in apparitionibus suis egerint, ac locuti fuerint, veluti Deum ipsum referentes, ita ipsis Dei nomen, & qualitates attributæ fuerunt, quod nemo ausit inficiari de Angelo, qui frequenter adeo apparuit, & cum Moyse in Deserto locutus est. Quod a Gedeone in sacrificium Deo fuit oblatum, juxta prius ipsius consilium paratum fuerat in Angeli escam, quem primùm existimaverat virum quemdam a Deo missum. Maimonides scribit hæc per somnium transacta fuisse; & Grotio ad ℣. 12. & 37. eadem arridere videtur sententia. Verum hæc historia universa nobis exhibet hominem vigilantem, frumentum excutientem, ac epulas præparantem &c.

IN EPHRA, ET PERTINEBAT AD JOAS PATREM FAMILIÆ EZRI.] Hæc urbs Ephra erat in hæreditate dimidiæ tribus Manasse citra Jordanem; alia omnino a celebri *Ephra*, vel *Ephrata*, vulgo Bethleem appellata, atque ab alia urbe cognomine in tribu Beniamin, Josue 18. 23. Joas pater Gedeonis caput erat, & princeps in familia Ezer, vel posterorum Ezer, qui morabantur in Ephra; princeps erat in urbe Ephra. Hebraicus textus ita verti posset [1]: Locus hic erat *Joas Abiezeritæ*. Joas erat e posteris Abiezer, filius Ammolechet sororis Galaad filii Machir, quod liquet ex genealogiis 1. Paralipomenon 8. 18 *Soror ejus* (Galaadi) *Regina* (Hebr. Hammolechet) *peperit virum decorum, & Abiezer, & Mohola*. Familia Abiezer constituta erat in Ephra, vel Ophra; quare civitas hæc *Ophra Abiezer* vocatur versiculis 26. & 32. capitis 8. Et Gedeon Ephraimitis querentibus, quod illos minime vocasset ad bellum contra Madian, respondens ait Iudic. 13. 2. *nonne melior est racemus Ephraim vindemiis Abiezer*, vel Abiezeritarum, urbis Ephra.

CUMQUE GEDEON EXCUTERET, ATQUE PURGARET FRUMENTA IN TORCULARI, UT FUGERET MADIAN.] Angelus Domini apparuit sub quercu Ioas in urbe Ephra, vel forte in querceto, ubi erat torcular patris Gedeonis. Cum Gedeoni facultas non esset metendi, ac palam in agro triturandi, vel triticum taurorum pedibus obterendi, quomodo ibi gentium in more positum erat [2]; aristas in torcular secum attulerat, ut ibi clam frumentum trituraret, illudque postea in quodam montium specu celaret, cum Madianitæ illuc accederent. Nequaquam animo concipiendum hoc torcular est, velut ingens moles una cum ædificio congruæ magnitudinis: erat enim quid parvum, nam erat sub quercu. Nec desunt, qui putent, aream simpliciter ad frumentum triturandum significari: at dubio procul authographi nomine torcular significatur.

Creditur Gedeon ad granum obterendum virgis usum fuisse, vel etiam tenuioribus, quam quibus nos quoque utimur ad triticum excutiendum. Hebraicum verbum, quod hic legitur, usurpatur etiam ad modum explicandum, quo oleæ de arbore dejiciuntur [3], & quo minuta grana teruntur [4], ubi tauris minime uti consueverunt, vel trahis ferro præfixis. Ruth 2. 7. triticum, quod collegerat, eodem pacto, ac Gedeon trituravit. Hebraice nulla mentio est tritici purgandi, cribrandique: habetur enim simpliciter [5]: *Et Gedeon triturabat triticum in torculari, ut fugeret Madian*. Aliqui vertunt: *triturabat prope torcular, ut familiam sustentaret, atque aleret fugæ tempore*. Hæc omnia vere peracta sunt, ac prope tempus messis Israelitarum, paullo antequam Madianitæ Jordanem traduxissent. Vide inferius ℣. 33.

℣. 12. DOMINUS TECUM, VIRORUM FORTISSIME;] Scilicet *Dominus est tecum*, quamvis enim naturaliter magis subintelligendum esset, *Dominus sit tecum*; tamen Gedeonis responsio nos cogit, ut in priori sensu accipiamus. *Si Dominus nobiscum est*, inquit ille, *cur apprehenderunt nos hæc omnia?* Hebraicus textus aliter intelligi potest [6]: *Angelus illi ait; Dominus sit tecum, o vir fortissime. Dixitque ei Gedeon: Audi me, obsecro Domine; Dominus est nobiscum? cur hæc omnia nobis contigerunt?* vel [7], *si Dominus est nobiscum, cur hæc omnia ceciderunt super nos?* perinde ac diceret: quæso Domine, quomodo nam Dominus esset nobiscum, cum omnibus infelicitatibus obruamur? Si nobiscum esset, essemus ne, uti sumus, ad incitas redacti?

℣. 14. RESPEXIT AD EUM DOMINUS.] Septuaginta, & Chaldaica versio: *Angelus Domini respexit illum, & ait illi*; ita quoque notæ melioris Interpretes intelligunt [8]. Ast hic Hebraice habetur nomen *Jehovah*.

℣. 15 FAMILIA MEA INFIMA EST IN MANASSE, EGO MINIMUS IN DOMO PATRIS MEI.] Hebraice ad litteram [9]; *mea millenaria exigua est in Manasse, & ego parvus sum in Domo Patris mei*. Millenariæ nomine magna familia est intelligenda, ex qua plures aliæ familiæ existunt, vel urbs ab una ex magnis hisce familiis habitata. Exempli gratia in Michæa 5. 2. scriptum est; *Et tu Bethleem Ephrata parvulus es in millibus Juda*, vel in Millenariis Iuda. Urbs Ephra, & familia Abiezer, quæ illam incolebant, nequaquam præcipuæ erant in tribu Manasse: itaque Gedeon aliqua cum veritate asserere poterat, se e minimis esse familiæ, quæ erat inter infimas Manasse familias. Deus plerumque id, quod ob oculos hominum minus præstat, infirmiusque videtur, eligit, ut maxima consilia exequatur, ne homo glorietur, nimiaque virium suarum opinione tumescat. Fieri quoque potest, hæc omnia humilitatis ergo Gedeonem loqui, atque illud onus suscipere cavisse, quod meritum, viresque suas excedere arbitretur. Grotius confert Gedeoni Cincinnatum. Cincinnatus ab aratro abductus fuit, ut Dictator Romanorum copiis præesset, cum hæc minimum animo ipsius dignitas obversaretur.

℣. 17. DA MIHI SIGNUM, QUOD TU SIS, QUI LOQUERIS AD ME.] Quisque juxta hypothesin suam in Hebraico textu verbum supplent [10]: *Da mihi signum quod tu sis, mi Deus*; vel, *quod tu sis Angelus Dei, tu, qui loqueris ad me*; vel quod possis eorum fidem præstare, quæ polliceris, quod minime possim ambigere de iis, quæ loqueris ad me; quod hoc minime somnium sit, illusio, inanis sermo. Verti quoque posset: *Da mihi signum*, ut sciam, *quinam es, tu qui loqueris ad me*: fac ut ex aliquo signo te cognoscam.

℣. 18. PORTANS SACRIFICIUM, ET OFFERENS TIBI.] Hebraicus textus hoc pacto verti potest [11]: *Ut offeram tibi munus meum, illudque constituam coram te*. Vox *mincha* plerumque accipitur pro oblationibus, quæ Deo fiunt, panis, vini, ac similium; sed usurpantur etiam pro muneribus, quæ ultro citroque traduntur. Iacob mittit munera (*mincha*) Esau fratri suo Genes. 32. 13. uti quoque Ioseph filio suo in Ægyptum Genes. 43. 14. Aod hæc offert

Eglon

---

1 ליואש אבי העזרי. 2 Deuter. 25. 4. *Non ligabis os bovis terentis fruges tuas in area.*
3 Deut. 24. 20. כי תחבט זיתך. 4 Isai. 28. 27. *In virga excutietur Gith, & Cyminum in baculo.*
5 וגדעון בנו חבט חטים בגת להניס מפני מדין 6 ויאמר אליו יהוה עמך גבור החיל ויאמר אליו גדעון בי אדני ויש יהוה עמנו ולמה מצאתנו כל זאת. 7 Κύριος μετὰ σοῦ δυνατὸς τῇ ἰσχύι, καὶ εἶπεν πρὸς αὐτὸν Γεδεὼν, ἐν ἐμοί, κύριέ μου, καὶ εἰ ἔστι κύριος μεθ' ἡμῶν, καὶ ἱνατί εὗρεν ἡμᾶς ταῦτα τὰ κακὰ πάντα.
8 Vide Bonfrer. Cornel. Grot. Vatab. 9 הנה אלפי הדל במנשה ואנכי הצעיר בבית אבי. 70. ἰδοὺ ἡ χιλιάς μου ταπεινοτέρα ἐν Μανασσῇ, καὶ ἐγώ εἰμι μικρὸς ἐν τῷ οἴκῳ πατρός μου. 10 ועשית לי אות שאתה מדבר עמי
11 והבאתי את מנחתי והנחתי לפניך καὶ οἴσω τὴν θυσίαν μου, καὶ θήσω ἐνώπιόν σου.

Eglon Judic. 3. 15. Itaque credi potest non aliam fuisse Gedeonis mentem, quam escam illi præbendi, qui tot prospera ipsi nuntiaverat. Neque enim Deum esse agnoscebat, quandoquidem tanto capitur tremore, cum Angelus ob oculos ipsius evanescit. Alioquin Gedeon minime Sacerdos erat, neque locus erat sacrificio offerendo aptus; cum nec altare esset extructum, neque ignis adesset. Si sacris operari voluisset, nequaquam carnes excoquisset, quod super altari erat absumendum. Neque liquet, quod illum velut Angelum de Cœlo dilapsum agnoverit; neque enim escam illi præbuisset, & minus adhuc illi sacrificia voluisset offerre; sed illum primo Prophetam esse ratus est, ac hominem missum a Deo [1]. Vide supra ℣. 11.

℣. 19. DE FARINÆ MODIO AZYMOS PANES.] Mensure, quæ hic redditur *modius*, erat *epha*, quæ continet Amphoram Romanam, vel Pedem cubicum Romanum, hoc est libras octuaginta. Epha porro decem continebat Gomor, vel Assaron, quæ erat mensura mannæ, quam Deus quotidie singulis Israelitis permittebat in escam. Itaque attulit Gedeon tantum panis, quantum satis erat, & super, decem hominibus die una nutriendis. Ex quo liquet, panem, quem Gedeon obtulit Angelo, longe majori fuisse in copia, quam quo Angelus, ac ille uno convivio vescerentur. Abraham non plus panis tribus Angelis præparavit Genes. 18. 6. Alibi jam adnotavimus, apud veteres in liberalitate, ac magnificentia fuisse positum, magnam escæ copiam parare, quin illis escarum varietas negotium facesseret. Videmus hic Gedeonis magnanimitatis exemplum, uti quoque elegantiæ, ac Hebræorum temporum illorum consuetudinis. Affert ille ad Angelum in canistro hædum elixatum, & jus in olla, magnam panum azymorum vim: omnia sternit super quercu, & place super lapidem.

JUS CARNIUM MITTENS IN OLLAM.] Septuaginta [2], Chaldæi Paraphrastes, ac Interpretes non secus a Vulgata, intelligunt jus, in quo hædum excoxerat Gedeon. At Syriaca, & Arabica intelligunt *de vino optimo*, de mero, de vino veteri, *quod ille misit in vas*.

℣. 21. ASCENDITQUE IGNIS DE PETRA.] Cum Angelus petram percussisset, ignis egressus est, qui absumpsit carnes, panem, & jus, quod Gedeon super lapidem constituerat.

℣. 22. HEU MI DOMINE DEUS, QUIA VIDI ANGELUM DOMINI FACIE AD FACIEM.] Ad litteram, *quia vidi Angelum*; vel juxta Hebraicam lectionem: *propterea ego Angelum vidi*. Perinde ac diceret; ut mortem subirem, tu ad me misisti Angelum tuum? Hoc Gedeoni persuasum erat, viventi homini nequaquam licere videre Deum, quin moreretur; quam sententiam in omnibus veteribus Patriarchis, etiam ante Legem latam, sumus intuiti, & quæ verbis Dei ad Moysem fuit confirmata Exod. 33. 20. *Non videbit me homo, & vivet*. Hoc ipsum profani verebantur. *Saturni legibus statutum est; quicumque Deum immortalem aspexerit, quin id optet Deus, aspectus sui severissimam luet pœnam*. Callimach. apud Grotium.

℣. 23. DIXIT EI DOMINUS.] Quandonam, & quomodo locutus est? Aliqui putant, Dominum in aera sublatum ad illum fuisse locutum, ac tempore eodem, quo Gedeon stupore illorum, quæ viderat, perculsus, se periisse clamavit, eo quod facie ad faciem Deum vidisset. Alii contendunt subsequenti nocte illum confirmatum fuisse, cum Dominus apparuit illi, quemadmodum scriptum est ℣. 25. Quæ posterior sententia fidei pronior nobis videtur.

℣. 24. ÆDIFICAVIT ERGO IBI GEDEON ALTARE DOMINO, VOCAVITQUE ILLUD, DOMINI PAX, USQUE IN PRÆSENTEM DIEM.] Dedit lapidi Altaris formam; vel lapidem, super quem Domino carnem, & panem obtulerat, destinavit, ut deinceps pro altari inserviret. Lapis hic deinde semper *Domini Pax*, vel Domini conservatio fuit appellatus, in monumentum promissionis Dei, qui Gedeoni spoponderat, ipsum nequaquam fore moriturum, licet immortalem fuisset intuitus. Alii [3] contendunt hoc altare esse illud, de quo sermo est ℣. 26. quod per prolepsin dumtaxat hic memoratur, cum Gedeon illud solum ædificasset post imperium Dei, quod ℣. 25. refertur. Hæc omnis quæstio indifferens videtur. Illud autem istic adnotari potest, altare hoc adhuc substitisse tempore illius, qui librum hunc exarabat; atque hic etiam, uti alibi passim, altaria conspici extra Tabernaculum ædificata, verumtamen semper de mandato, vel facultate Domini.

℣. 25. NOCTE ILLA DIXIT DOMINUS AD EUM.] Ad litteram [4]: *Nocte eadem*, quod tum in Hebraico textu, cum in aliis versionibus adest, quæ confirmant id, quod supra dictum est, scilicet ea verba: *Pax tecum; ne timeas, non morieris*, Gedeoni prolata fuisse nocte eadem, qua illi imperatum fuit, ut aram, & nemus Baal subverteret.

TOLLE TAURUM PATRIS TUI, ET ALTERUM TAURUM ANNORUM SEPTEM.] Vel, tolle taurum patris tui, taurum de aratro illius, & alterum illum taurum annorum septem, quem ille cum priore simul sub jugum statuit. Verbo dicere potuisset; sume duos tauros patris tui, vel tauros duos, qui simul jugum deferunt. Ad litteram: *Tolle taurum, qui est patris tui, & secundum taurum annorum septem*. Ex Hesiodo liquet, tauros annorum novem eligi consuevisse, ut aratro inservirent: tunc enim magis viribus præpollebant, magisque dociles erant, quam ætate non adeo perfecta. Nescio vero, quibus rationibus innitantur Interpretes quidam [5], ut asserant, taurum hunc septem annorum spatio saginatum fuisse, ut in Baal honorem mactaretur.

Quæritur, utrum duobus Tauris fuerit re ipsa litatum? Plures Interpretes [6] asserunt, septem annorum tantummodo bovem mactatum fuisse; Textum nihil ultra innuere; perperam numerum auctum fuisse, & ℣. 25. ita esse vertendum: *Tolle taurum patris tui, taurum septem annorum*. Deus de hoc dumtaxat loquitur ℣. 26. *Tolle taurum secundum, & offeres holocaustum*, quin ne verbum quidem addat de primo; & ℣. 28. secundus tantum taurus altaris igni videtur superimpositus. Verum alii [7] contendunt. Scripturæ silentium duobus his in locis non esse pluris faciendum, quam formalem ℣. 25. textum, qui perspicue refert duos fuisse tauros, quorum alter in pacificum sacrificium destinatus fuit, alter in holocaustum.

NEMUS, QUOD CIRCA ARAM EST, SUCCIDE.] Hebraicus textus ita reddi posset [8]: *Succide idolum, quod est super altare*, vel, *confringe Aseram, quæ est super illud*. *Asera* Nemorum est Dea, scilicet *Astarte*, vel *Astaroth*. Vox hæc & nemus significat, & idolum, quod ibi colebatur, quemadmodum in Dissertatione de Phœnicum Diis demonstravimus. Septuaginta [9] versioni huic suffragantur. Arabica versio, & Syriaca eamdem istic, & ℣. 26. explicite probant.

℣. 26. IN SUMMITATE PETRÆ HUJUS, SUPER QUAM ANTE SACRIFICIUM POSUISTI.] Hebraicus Textus ita habet [10]: *In summitate loci hujus fortis*, vel natura muniti,

1 Vide Est. Bonfr. Cornel. Menoch. 2 τὸν ζωμὸν ἐξέχεεν εἰς χύτραν. Heb. המרק שם בפרור. 3 Serar. Bonfrer. Menoch. Arias. 4 ויהי בלילה ההוא. 5 Vide Tirin. Vatab. Cornel. a Lapide. Vide & 70. μόσχος ὁ σιτευτός. 6 Cajet. Jun. & Tremel. Pisc. Petr. Mart. 7 Vatab. Serar. Bonfrer. 8 ואת האשרה אשר עליו תכרת. 9 Καὶ τὸ ἄλσος τὸ ἐπ' αὐτὸ ἐκκόψεις. 10 על ראש המעוז הזה במערכה. Hebr. *Maoz* accipitur pro loco valde munito, pro loco editiori; hinc Daniel 11. 38. Deus Israel in templo Hierosolym. cultus designatur nomine Dei *Maozim*, Dei arcis.

A fum confuluiffe Gedeonem, vel Jerobaal ; quod eft Porphyrii commentum, non fecus ac reliqua Sanchoniatonis fabula. Sacerdotis dignitas, quæ Jerobaal tribuitur, error eft, quem nemo, qui primoribus vix attigit labiis Iudæorum res, palam non noverit. Legerat Porphyrius, Gedeonem Deo Ifrael litaffe : atque inde perperam arguit, Sacerdotem fuiffe, ideoque præ ceteris de Phœnicum geftis apprime peritum, quæ plane Ierobaal tempore non tanta cura Hebræi perquirebant.

℣. 33. CASTRAMETATI SVNT IN VALLE IEZRAEL.] Hi populi plane Jordanem prope Bethfan traduxerant; urbs Jezrael prima ipfis occurrit, quæ ipforum confiliis magis effet accommoda, quandoquidem erat e pulcherrimis, uberrimifque regionis illius civitatibus ; ubi ajunt herbas eo ufque luxuriari, ut vix homo B inter ipfas obequitans detegi queat. Ex cap. 8. 18. liquet eorum caftra prope montem Thabor fuiffe pofita : *Quales fuerunt viri, quos occidiftis in Thabor ?* ac in Pfalmo 82. 11. dicuntur cæfi fuiffe prope *Endor* urbem in valle Iezrael fitam fatis prope montem Thabor.

℣. 34. CONVOCAVIT DOMVM ABIEZER.] Prior hic actus populi congregandi imperium denotat ; quare licet conjicere, Gedeonem jam antea populo Dei mandata prodidiffe, ipfumque jam fuiffe habitum veluti Judicem, & populi liberatorem. Domus, vel familia Abiezer poffidebat Ephra, & finitima illius, quemadmodum dictum eft. Gedeon ex hac erat familia : convocavit primum fratres fuos, confanguineos, ac deinde omnes finitimos. C

℣. 37. SI ROS IN SOLO VELLERE FUERIT, UT IN OMNI TERRA SICCITAS, SCIAM, QVOD PER MANUM MEAM LIBERABIS ISRAEL.] Vox הגזה innuere poteft vel fimplex vellus fine corio, vel corium cum vellere fuo. Signum, quod hic poftulat Gedeon, potius eft in populi gratiam, quam pro feipfo ; nam illud tunc expetit folum, cum jam munere fuo fungi occœpiffet, atque a re magis ardua inchoaffet, aram evertens, nemufque Baal fuccidens. Populus convenerat in hoftem bello inferendo paratus. Dux ut illi animos faceret, majoremque fpem eiceret, orat Deum, ut populo perfpicua, invictaque præbeat fuæ protectionit, ac miffionis ipfius argumenta. Præterea vereri poterat Gedeon promiffiones, quæ fibi fuerant factæ, conditionales dumtaxat fuiffe, ac forte, vel fibi, vel militibus fuis aliquam deeffe ex iis circumftantiis, quibus victoriam Deus adjunxiffet. Præter has rationes, quæ illius poftulatum probare poffunt, Scriptura Gedeonis fidem apptime commendat Hebr. xr. 32. neque ufpiam, quod fpe defecerit, ipfum redarguit. Deus illi omnia permittit, quæcumque cupit, ea facilitate, quæ una perfuadere poffet, illum Divino afflatum fpiritu ea popofciffe. Denique tueri poffumus Gedeonem Moyfis exemplo Exod. 4. 1. 2. 3. Jofue 5. 13. 14. Manue Judic. 13. 9. 12. & beatiffimæ Virginis Luc. 1. 34. 35. ex illis, qui apud ipfos Dei verbis loquebantur, miraculum aliquod in promiffionum fidem efflagitantium.

Ceterum cum legimus, vellus rore in area fuiffe confperfum, nequaquam area noftratibus fimilis eft intelligenda, tecto claufa. Area locus erat in agris, sub dio, pluviæ, ac roti patens, vel ad fummum fub arbore, ubi granum taurorum pedibus, vel trahea fuper triticum trajecta, terurabatur. Ros frequens eft, & magna in copia depluit in Palæftina. Viatores quidam [1] referunt mane terram ita ferme humefcere, ac fi pluvia decidiffet, & vias adeo lubricas effe, ut vix confiftere poffis.

℣. 38. CONCHAM RORE IMPLEVIT.] Hebræus [2] *fympulum* ; Syrus phialam ; Chaldæus [3], ac Septuaginta *lekane* lancem, phialam. A *lekane* plane fuit latinum *lagena*.

Patres in hoc vellere Gedeonis fublimiores invenere fenfus, quos haud abs re puto iftic referre. Origenes [4] affert veteris cujufdam Doctoris explicationem, qui pro humefcenti vellere, dum arefceret tellus, Judaicam nationem intelligit cœleftium benedictionum rore affluentem, cum reliquæ nationes fumma verfarentur in ficcitate, veluti a Deo deftitutæ. At poft J. C. adventum, illius refurrectionem, ac Evangelii prædicationem contrarium omnino extitit prodigium. Vellus, hoc eft Judæorum natio exaruit a Deo derelicta, cum interim Gentes cœlefti afpergerentur rore, ac Dei beneficiis affluerent. Poteft quoque in priori Gedeonis figno Jefu Chrifti in utero Sanctiffimæ Virginis incarnatio agnofci. Verbum de cœlo defcendit velut ros fœcundum, & affluens in vellus, hoc eft in puriffimum admirabilis illius Virginis finum [5], juxta illa Pfalm. 71. 6. verba : *Defcendet ficut pluvia in vellus, & ficut ftillicidia ftillantia fuper terram.*

---

1 Eugen. Roger. l. 1. cap. 2. Itin. Syr.
2 ספל מים. Vide fupra Judic. v. 25.
3 Chald. לקנא מיא. 70. πλήρη λεκάνη ὕδατος.
4 Origen. homil. 8. in Judic. Vide & Theodor. qu. 14. in Judic. & Hieron. ad Paulin. &c. Aug. de unitate Ecclef. c. 5. & in Pfal. 45. & Ambrof. procemio in l. 1. de Spiritu Sancto.
5 Vide Hieron. in Epitaph. Paulæ, Bern. ferm. fuper miffus eft, & ferm. in Nativit. B. Mariæ.

CAPUT VII.

Gedeon partem copiarum remittit, alteramque probat, eam ad aquas deducens. Ex hac trecentos tantum viros detinet, cum quibus adverfus hoftem progreditur. Ipfe, ac milites illius altera manu tubam deferunt, lampadem altera. Madianitarum clades.

1. IGitur Jerobaal, qui & Gedeon, de nocte confurgens, & omnis populus cum eo, venit ad fontem, qui vocatur Harad. Erant autem caftra Madian in valle ad Septentrionalem plagam collis excelfi.
2 Dixitque Dominus ad Gedeon : Multus tecum eft populus, nec tradetur Madian in manus ejus : ne glorietur contra me Ifrael, & dicat : Meis viribus liberatus fum.
3 Loquere ad populum, & cunctis audientibus prædica : Qui formidolofus, & timidus eft, revertatur. Recefferuntque de monte Galaad,

rael, quæ posita erat inter montes Gelboe ad meridiem, & Hermon ad Septentrionem. A

℣. 3. QUI FORMIDOLOSUS, ET TIMIDUS EST, REVERTATUR.] Moyses Deuter. 20. 8. præceperat, ut exercitui, antequam cum hostibus manus consererentur, ediceretur; *Quis est homo formidolosus, & corde pavido? vadat, & revertatur in Domum suam, ne pavere faciat corda fratrum suorum, sicut ipse timore perterritus est*. Ut præceptum hoc adimpleret Gedeon, permittit illis, quibus timor incesserat, ut domum suam revertantur. Scipio jam jam in Africam exercitum ad Carthaginem delendam traducturus [1], cum intellexisset in exercitu suo plures adesse Siculos equites, qui hoc inire bellum maxime verebantur, advocata concione dixit, quod qui hac in sententia versarentur, id palam facerentur, antequam B ulterius progrederetur; se enim infirmitatis ipsorum habiturum esse rationem. Tercenti professi sunt, si optio sibi daretur, se nequaquam ad hoc bellum esse profecturus: qua re cognita illis statim commeatum dedit, & quo vellent, ire permisit.

RECESSERUNT DE MONTE GALAAD.] Si Textus Hebraicus, ex quo hæc latine reddita fuere, mendo vacat, duplex agnoscendus est mons Galaad, alter quidem citra, alter vero trans Jordanem [2]; dicendumque, latus montis Gelboe, prope quem exercitus Israel consederat, Galaad fuisse nuncupatum. Non liquet e textu, atque narrationis hujus decursu, in Gedeonis exercitu vel unum fuisse e regione Galaad Israelitam: ideoque nequit hoc pacto verti; qui erant e monte Galaad [3] recesserant: sed si C pro Galaad legas Gelboe, difficultas omnis evanescet.

℣. 5. QUI LINGUA LAMBUERINT AQUAS, SICUT SOLENT CANES LAMBERE, SEPARABIS EOS.] In pluribus latinis exemplaribus habetur: *Qui lingua, & manu lambuerint aquas* [4]; at hebraica lectio [5], Chaldaica, & Septuaginta istic linguæ meminerunt dumtaxat; quamvis ℣. 6. loquantur etiam de manu, cum qua milites in os aquam injecerunt. Verum quidem est in Complutensi editione ℣. 6. nullam fieri manus mentionem; ast legitur in Græcis Romano, & Basileensi exemplaribus, in Origene, & S. Augustino. Tercenti milites Gedeonis, qui a Deo electi fuerunt ad Madianitas fugandos, nequaquam genu ad terram flexerunt, ut lingua lamberet aquas, ad instar ca- D num; sed manibus aquas in os immiserunt, se se versus aquas simpliciter inclinantes. Quapropter Interpretes quidam putant, canum similitudinem in celeritate, ac præcipiti pernicitate, qua aquam bibe- runt, versari potius, quam in ea ratione, qua ori aquam admoverunt.

Vetus hoc adagium est [6], *canis bibit, & fugit*, ad hominem notandum, qui ne ab hostibus deprehendatur, fugit; quod ortum dicitur ex Ægyptiis canibus, qui currentes bibunt, veriti ne a crocodilis, qui sunt in Nilo, capiantur. Itaque inferendum esset, tercentos hos homines præ ceteris, qui in exercitu fuerant, maxime pavidos fuisse, atque inertissimos. Ita Josephus l. 5. Antiqu. c. 8. Theodor. qu. 15. Munsterus. E

Sed quomodonam Deus, qui paullo ante dimitti jusserat meliorem exercitus partem, eo quod pavorem, metumque præseferebant, vellet tercentos hos detinere, qui eadem de causa fuerant dimittendi? Præstat igitur asserere, tercentos hos homines, cum hac in re majorem constantiam, firmitatem, ac temperantiam prætulerint, quam ii, qui se humi prostraverant, ut commode biberent, aliis prælatos fuisse, veluti labori ferendo, ac belli hujus incommodis tolerandis magis idoneos. Ita Serarius, Bonfrerius, Lyranus, Arias, aliique.

℣. 8. SUMPTIS PRO NUMERO CIBARIIS, ET TUBIS, OMNEM RELIQUAM MULTITUDINEM ABIRE PRÆCEPIT.] Textus habet [7]: *Sumpserunt cibaria populi in manus suas, ac tubas*. Sumpserunt omnes tubas exercitus, & de cibariis, quæ toti populo erant destinata, quantum eorum itineri erat opus. Sed ex decursu patet cibaria minime suffecisse, eo quod plane ea in Tabernaculis suis reliquerunt. Vide cap. 8. ℣. 5. 6.

B ℣. 9. TRADIDI EOS.] Tradam eos; me illos vobis recipio traditurum.

℣. 11. IN PARTEM CASTRORUM, UBI ERANT ARMATORUM VIGILIÆ.] Hebraice [8]: *Descendit ad extremitatem militum armatorum, qui erant in castris*. Maxima pars populorum illorum, qui e regionibus trans Jordanem positis, in Israelitarum terras migrabant, disciplinæ militaris leges admodum negligebant. Cum illorum consilium esset regionem depopulandi, diripiendique, neque Israelitæ antea impetum propulsare consuevissent, eas tantum armatorum copias habebant, quæ satis essent, ut multitudinem, quæ palata, atque incomposita agros depopulabatur, tuerentur. Ad hanc militum stationem accessit Gedeon, ut per se vires, & dispositionem castrorum a- C gnosceret, atque hostium sensus detegere adniteretur. Scriptura bellatores hos *Chamischim* appellat, scilicet quinos, & quinos, quam loquendi rationem evolvere conati sumus ad Exod. 13. 18. Quinam esset numerus exercitus omnis Madianitarum, ac fœderatorum, nos fugit; sed ex sequenti capite ℣. 10. liquet centum & triginta quinque fuisse millia *Bellatorum educentium gladium*.

℣. 13. QUASI SUBCINERICIUS PANIS EX HORDEO VOLVI, ET IN CASTRA MADIAN DESCENDERE.] Nonnulli ita ex hebraico vertunt [9]: *ecce tinnitum panis hordeacei, qui volvebatur in castra Madian*. Audire mihi visus sum veluti strepitum panis; qui cum impetu in castra volvebatur: *En placentam panis hordeacei* &c. Sed plerique Vulgatæ versioni adhærent.

D ℣. 14. NON EST HIC ALIUD, NISI GLADIUS GEDEONIS.] Hinc liquet Madianitas jam intellexisse, quod Gedeon bellum ipsis pararet inferre. Sed quænam similitudo inter gladium Gedeonis, & panem, qui volvitur in castra, ac tabernaculum evertit? Hebraica vox, quæ panem significat [10], fluit ab origine, quæ significat dimicare. Præterea Hebræi ratione Madianitarum erant quodammodo veluti panis, quem hi post annos septem devorabant. Utitur nonnumquam Scriptura hac loquendi ratione, *devorare velut panem*, ut significet alicui bellum inferre. *Sicut panem, ita possumus eos devorare* dicebat Caleb Num. 14. 9. locutus de Chananæis. Demum etiamsi Madianitæ explicatio nulli inniteretur rationi (quod re ipsa non est;) quoniam illius ratiocinatio præsco- E ti rerum dispositioni incumbebat, atque a Providentia dirigebatur, hoc juxta Domini consilium satis erat, ut hinc spes, ac animus Gedeoni accederet, atque intelligeret, hac de re curam, & metum hostibus incessisse.

℣. 15. SOMNIUM, ET INTERPRETATIONEM EJUS.] Hebrai-

1 Livius l. 29. 2 Lyran. Tostat. 3 Ite Serar. Menoch.
4 Robert. Steph. an. 1546. Nivel. 1573. & aliæ plures ex antiquioribus.
5 כל אשר ילק בלשונו מן המים. 6 Macrob. l. 2. c. 2. *Post Mutinensem fugam quærentibus quid ageret Antonius, respondisse familiaris ejus ferebatur: quod canis in Ægypto: bibit, & fugit; quoniam in illis regionibus constat canes raptu crocodilorum exterritos currere, & bibere.*
7 ויקחו את צידה העם בידם ואת שופרתיהם. 8 אל קצה החמשים אשר במחנה.
9 הנה צליל לחם שעורים מתהפך במחנה מדין. 70. μαγὶς ἄρτου κριθίνου κυλιομένη ἐν τῇ παρεμβολῇ &c.
10 לחם *panis*, נלחם *bellum gerere*. In lingua Græca frequentes dicitur ἄριστον ὁπλίζεσθαι *prandium parare*, licet ὁπλίζεσθαι significet, *arma sumere*.

braice [1]: *Seminium, & fractionem illius*, panis adinstar, qui frangitur, ut manducetur; vel nucis, quæ perfringitur, ut quod continetur, eruatur. Ex universa hac historia patet, Gedeonem populorum horum Linguam intellexisse; atque ideo Linguam eorum, vel Hebraicam fuisse, vel Hebraicæ persimilem.

℣. 16. LAGENAS VACUAS, ET LAMPADES IN MEDIO LAGENARUM.] Hæ lampades erant faces [2], vel tædæ e ligno pingui altera extremitate accensæ, quarum flammam intra testaceam ollam abscondebant, ut illis dejectis magnus splendor repente videretur, atque timorem injiceret hostibus satis magnum, ac innumerabilem exercitum adversus illos accedere. Inopinatus trecentarum buccinarum clangor, militum clamantibus permixtus, ac formidini, & terrori, quem tenebræ per se naturaliter incutiunt, in exercitum pluribus nationibus compositum, eam, quæ vix concipi potest, perturbationem immisere. De iis tantum loquor, quæ naturaliter evenere: nam Dominus quoque in illos confusionis, ac vertiginis spiritum injecit, qui præpediebat, quo minus ipsi se invicem agnoscerent. Vetus quidam author, Tertulliani nomine, in Carm. adv. Marcionem l. 3. ait Gedeonis trecentos milites equos habuisse, & in trecentorum numero Crucis mysterium servatur, per Tau designatæ, quæ littera in Græcorum lingua trecentum significat.

Hoc etenim signo prædonum stravit acervos,
Congressus populo Christi, sine milite multo,
Tercentene equite, numerus Tau, littera græca.
Armatis facibusque, & cornibus ore canentum,

℣. 17. INGREDIAR PARTEM CASTRORUM, ET QUOD FECERO SECTAMINI.] Hebraicus textus [3], & lectio Chaldaica habent: *Ingrediar unam extremitatem castrorum*. Septuaginta [4], *medium castrorum*. Antequam ad hostes adventaret Gedeon, trifariam milites suos diviserat, ita ut in quavis parte essent centeni, illisque præcepit, ut seorsim tribus in locis se hosti offerrent, vel in tribus castrorum extremitatibus, cum illis signum ederet fictile vas, ubi fax erat, infringens, ac buccina clangens. Castra nequaquam ingressi sunt, uti patet ℣. 21. sed in aditu constiterunt.

℣. 5. CONCLAMATE DOMINO, ET GEDEONI.] Hæc est tessera, *vivat Dominus, vivat Gedeon*, seu *victoria Domino, & Gedeoni*, vel potius *gladius Domini, & Gedeonis*, quod satis aperte refertur infra ℣. 20. *Clamarunt* omnes simul, *gladius*, vel *bellum Domini, & Gedeonis*. Nos Duce Domino, ac Gedeone bellum gerimus. Chaldaice; *Bellum est bellum Domini, & victoria Gedeonis*.

℣. 19. INCIPIENTIBUS VIGILIIS NOCTIS MEDIÆ.] Hebræi veteres tres tantum noctis vigilias numerabant; primis quidem meminit Ieremias [5] nomine *principii vigiliarum*: de altera hic sermo; tertia vero in Exodo [6] *vigilia matutina* appellatur. In novo Testamento quatuor noctis vigilias invenimus [7], cum jam consuetudo immutata esset, & Judæi in Romanorum morem abiissent.

ET CUSTODIBUS SUSCITATIS.] Tubarum clangore. Textus bifariam potest intelligi [8]; primo dicendo Gedeonem suscitasse custodes, qui stertebant, atque tubarum sonitu, & ollarum fractarum strepitu eos perterruisse. Secundo credi potest, Gedeonem, cum adventasset sub tempus illud, quo primæ vigiliæ custodes illis cedebant, qui secundam inibant vigiliam, repente cum tædis apparuisse; atque edito clamore in custodum animos primum, deinde vero in totum exercitum terrorem injecisse.

In Romanorum historia quædam leguntur stratagemata præter propter illi similia, quo utitur Gedeon in Madianitas. Falisci, cum bellum adversus Romanos arderet, quosdam viros lugubri veste indutos cum facibus, ac serpentibus in hostes immisere; qui simul ac in Romani exercitus conspectum prodiere, maximus illis terror incessit. Vejentes quoque, ac Fidenates hoc idem fecere accensas manu tædas præ se ferentes. Vide Grotium hic, & Frontinum l. 2. c. 4. Stratag. & Polyænum l. 2. 37.

℣. 21. STANTES SINGULI IN LOCO SUO.] Nequaquam in castra processerunt eo consilio, ut hostes putarent tres has copias non constare e solis buccinis, quæ reliquo exercitui animos adderent, quem jam castra ingressum arbitrarentur. Itaque hi obvium quemque hostem esse rati, indiscriminatim in eos ferro sæviebant, qui eorum fugæ objiciebantur.

℣. 23. FUGIENTES USQUE AD BETHSETTA, ET CREPIDINEM ABELMEHULA, IN THEBBATH.] Urbem *Bethsetta* in Scriptura non novimus; novimus quidem *Beseth* satis prope vallem Iezrael. *Abelmehula* Prophetæ Elisæi incunabulis est celeberrima 3. Reg. 19. 16. S. Hieronymus eam statuit decem passuum millibus procul a Scythopoli in magna planitie. *Tebbath* alibi nuspiam in sacro textu invenitur; ast repetitur urbs *Thebes*, quam cum obsideret Abimelec, tegula, quam de superiori parte mulier dejecerat, ictus interiit, Judic. 9. 50. 53. Urbs hæc posita erat Neapolim inter, & Scythopolim, ab hac posteriori tribus passuum millibus procul. Pro eo, quod hic legitur, usque *ad crepidinem Abelmehula*, Hebraice habetur [9]: *Sararet, usque ad crepidinem Abelmehula*. Junius autumat *Sarares* eamdem esse ac Sartan, de qua sermo est 3. Regum [10], & quæ memoratur cum Bethsan, Iezrael, Abelmehula, quæ omnes civitates loco illi erant finitimæ, ubi Sararat, vel Sareret sita esse debebat.

CONCLAMANTES VIRI ISRAEL.] Reor hos esse novem mille, septingentosque viros, quos pridie vespere dimiserat Gedeon, qui cum intellexissent e vero cessisse Gedeonis stratagema, hostes sunt persecuti. Cum enim fama celeriter in finitimas regiones esset effusa, omnes illico tribus arma cepere, ut de magni illius exercitus præda fructum caperent.

℣. 24. OCCUPATE AQUAS USQUE BETH-BERA.] Omnes Jordanis transitus occupate a Bethsan, quæ est loco illi proxima, unde Jordanes a laco Genezareth desinit, usque ad *Beth-bera*, vel *Bet-abara* urbem in Evangelio satis notam [11], ac trans Jordanem sitam, ibi, ut perhibent, qua Israelitæ duce Josue flumen hoc traduxerunt [12]. Ex Scriptura non constat, pontibus Jordanis ripas conjunctas fuisse, neque cymbas adfuisse, quibus fluvius ille transmitteretur; verum vada erant subinde, atque levi negotio æstate trajiciebatur, cum non magnus adeo sit alveus; verum sub messis tempus, cum aquæ illius magis intumescunt, super camelos transmitti poterat, quorum maxima erat copia in exercitu Madian, atque Orientalium.

℣. 25. INTERFECIT OREB IN PETRA OREB, ET ZEB IN TORCULARI ZEB.] Duo hi Madianitarum Principes plane capti sunt, atque cæsi, alter quidem in specu cujusdam rupis, & Zeb in torculari; quibus locis nomen factum est de nomine Principis, qui ibi est interfectus, Hebraica vox *Jikeb* יקב, quæ vertitur

1 החלום ואת שברו. 2 לפידים. 70. λαμπάδας, tædas, faces. 3 אנכי בא בקצה המחנה. Chald. בסיפי משריתא. 4 ἐν μέσῳ τῆς παρεμβολῆς. 5 Jeram. Thren. 2. 19. ראש אשמורות. 6 Exod. 14. 24. אשמורת הבקר. 7 Matth. 14. 25. Marc. 6. 48. 8 אך הקם הקימו את השמרים. 9 צררתה עד שפת אבל מחולה. 10 3. Reg. 4. 12. Vide & Josue 3. 16.
11 Joan. 1. 28. Ita Scaliger in Drus. Bonfrer. Jun.
12 Vide Hier. in locis, & Bonfrer. hic.

cur torcular, non significat notum illud instrumen- A
tum, quo vinum ex uvis exprimitur, sed cellam,
vel cisternam subterraneam, ubi antiquitus vinum
servabatur: unde fluunt locutiones illæ in Scriptu-
ra: *torcular extruxit in vinea* Isai. 5. 2. *plenum est*
torcular, exuberant torcularia Joel 3. 13. *vino torcu-*
laria tua redundabunt Prov. 3. 10. *cum intraretis ad*
torcular, ut exprimeretis quinquaginta lagenas Agg.
2. 17. Zeb igitur se abdiderat in quemdam ex his
subterraneis specubus in rupibus effossis, quem va-
cuum invenerat.

PORTANTES AD GEDEON TRANS FLUENTA JORDA-
NIS.] Qui hæc capita detulerunt, iidem sunt, qui
cum ipso conquesti sunt ad Jordanis transitum: Ex
hoc quod fecerant, occasionem sumit ipsorum ani-
mum, ac præclare gesta extollendi etiam super ea,
quæ ipsemet egerat, quemadmodum modo videbimus.

CAPUT VIII.

Gedeon placat viros Ephraim, traducit Jordanem, capit, & perimit Zebee, & Salmana: punit cives Soccoth, & Phanuel; regis dignitatem respuit, ex hostium manubiis facit Ephod. Moriens septuaginta filios, Abimelech non recensito, relinquit. Israleitarum ingratitudo erga Deum, & Domum Gedeonis.

1. DIxeruntque ad eùm viri Ephraim: Quid est hoc, qùod facere voluisti, ut nos
non vocares, cum ad pugnam pergeres contra Madian? jurgantes fortiter,
& prope vim inferentes. 2 Quibus ille respondit: Quid enim tale facere
potui, quale vos fecistis? nonne melior est racemus Ephraim vindemiis Abiezer? 3
In manus vestras Dominus tradidit principes Madian, Oreb, & Zeb: quid tale facere
potui, quale vos fecistis? Quod cum locutus esset, requievit spiritus eorum, quo tu-
mebant contra eum. 4 Cumque venisset Gedeon ad Jordanem, transivit eum cum tre-
centis viris, qui secum erant, & præ lassitudine fugientes persequi non poterant. 5
Dixitque ad viros Soccoth: Date, obsecro, panes populo, qui mecum est, quia val-
de defecerunt, ut possimus persequi Zebee, & Salmana reges Madian: 6 Responde-
runt principes Soccoth: Forsitan palmæ manuum Zebee, & Salmana in manus tua sunt,
& idcirco postulas, ut demus exercitui tuo panes. 7 Quibus ille ait: Cum ergo tradi-
derit Dominus Zebee, & Salmana in manus meas, conteram carnes vestras cum spinis,
tribulisque deserti. 8 Et inde conscendens, venit in Phanuel: locutusque est ad viros
loci illius similia. Cui & illi responderunt, sicut responderant viri Soccoth. 9 Dixit ita-
que & eis: Cum reversus fuero victor in pace, destruam turrim hanc. 10 Zebee au-
tem, & Salmana requiescebant cum omni exercitu suo. Quindecim enim millia viri re-
manserant ex omnibus turmis orientalium populorum, cæsis centum viginti millibus bel-
latorum educentium gladium. 11 Ascendensque Gedeon per viam eorum, qui in taber-
naculis morabantur, ad Orientalem partem Nobe, & Jegbaa, percussit castra hostium,
qui securi erant, & nihil adversi suspicabantur. 12 Fugeruntque Zebee, & Salmana,
quos persequens Gedeon comprehendit, turbato omni exercitu eorum. 13 Revertens-
que de bello ante solis ortum, 14 Apprehendit puerum de viris Soccoth: interroga-
vitque eum nomina principum, & seniorum Soccoth, & descripsit septuaginta septem
viros. 15 Venitque ad Soccoth, & dixit eis: En Zebee, & Salmana, super quibus
exprobrastis mihi, dicentes: Forsitan manus Zebee, & Salmana in manibus tuis sunt,
& idcirco postulas, ut demus viris, qui lassi sunt, & defecerunt panes. 16 Tulit er-
go seniores civitatis, & spinas deserti, ac tribulos, & contrivit cum eis, atque com-
minuit viros Soccoth. 17 Turrim quoque Phanuel subvertit, occisis habitatoribus
civitatis. 18 Dixitque ad Zebee, & Salmana: Quales fuerunt viri, quos occidistis in
Thabor? Qui responderunt: Similes tui, & unus ex eis quasi filius regis. 19 Qui-
bus ille respondit: Fratres mei fuerunt filii matris meæ. Vivit Dominus, quia si ser-
vassetis eos, non vos occiderem. 20 Dixitque Jether primogenito suo: Surge & inter-
fice eos. Qui non eduxit gladium: timebat enim, quia adhuc puer erat. 21 Dixe-
runt Zebee, & Salmana: Tu surge, & irrue in nos: quia juxta ætatem robur est ho-
minis. Surrexit Gedeon, & interfecit Zebee, & Salmana, & tulit ornamenta ac bul-
lás, quibus colla regalium camelorum decorari solent. 22 Dixeruntque omnes viri Is-
rael ad Gedeon: Dominare nostri tu, & filius tuus, & filius filii tui: quia liberasti nos de

manu Madiān. 23 Quibus ait: Non dominabor vestri, nec dominabitur in vos filius
meus, sed dominabitur vobis Dominus. 24 Dixitque ad eos: unam petitionem postu-
lo a vobis: Date mihi inaures ex præda vestra. Inaures enim aureas Ismaelitæ habere
consueverant. 25 Qui responderunt: Libentissime dabimus. Expandentesque super
terram pallium, projecerunt in eo inaures de præda: 26 Et fuit pondus postulatarum
inaurium, mille septingenti auri sicli, absque ornamentis, & monilibus, & veste pur-
purea, quibus reges Madian uti soliti erant, & præter torques aureas camelorum. 27
Fecitque ex eo Gedeon Ephod, & posuit illud in civitate sua Ephra. Fornicatusque
est omnis Israel in eo, & factum est Gedeoni, & omni domui ejus in ruinam. 28 Hu-
miliatus est autem Madian coram filiis Israel, nec potuerunt ultra cervices elevare: sed
quievit terra per quadraginta annos, quibus Gedeon præfuit. 29 Abiit itaque Jero-
baal filius Joas, & habitavit in domo sua: 30 Habuitque septuaginta filios, qui
egressi sunt de femore ejus: eo quod plures haberet uxores. 31 Concubina autem il-
lius, quam habebat in Sichem, genuit ei filium nomine Abimelech. 32 Mortuusque
est Gedeon filius Joas in senectute bona, & sepultus est in sepulchro Joas patris sui in
Ephra de familia Ezri. 33 Postquam autem mortuus est Gedeon, aversi sunt filii Is-
rael, & fornicati sunt cum Baalim. Percusseruntque cum Baal fœdus, ut esset eis in
deum. 34 Nec recordati sunt Domini Dei sui, qui eruit eos de manibus inimicorum
suorum omnium per circuitum: 35 Nec fecerunt misericordiam cum domo Jerobaal
Gedeon, juxta omnia bona, quæ fecerat Israeli.

℣. 1. DIXERUNTQUE AD EUM VIRI EPHRAIM.] Hoc contigit, cum Gedeon Madianitas persecutus revertebatur; erat enim adhuc trans Iordanem: namque videmus infra ℣. 4. suos tantum secum habuisse trecentos homines, cum hoc flumen transmisit: & præcedenti capite legimus [1] filios Ephraim, qui istic de ipso queruntur, ad eum trans Iordanem capita Zeb, & Oreb attulisse. Fatendum igitur est necessario, rerum hic narratarum ordinem esse perturbatum. Omnia continenti oratione exponuntur, quæ respiciunt relatam de Oreb, & Zeb ab Ephraimitis victoriam: postea vero ea resumuntur, quæ ad Gedeonem, suamque trecentorum hominum manum spectant.

Filii Ephraim conqueruntur, eo quod Gedeon illos nequaquam certiores fecisset consilii sui, ac imperii, quod acceperat a Deo belli in Madianitas inferendi, & quod opem potius e tribubus Zabulon, Aser, & Nephtali [2], quam ex Ephraim petiisset, quæ propior erat, atque cum Manasse tribu conjunctior; quandoquidem utraque simul hæreditatem acceperant [3], atque utraque generis sui Ioseph Authorem jactabant. Equidem hac in re Gedeon penitus excusari nequit; tunc enim demum post illatam hostibus cladem admonuit Ephraim, & cum opus fuit, ut tribus hæc præpediret, ne hostes Iordanem transmitterent [4]. Itaque Imperator hic humili sane, modestaque oratione questubus Ephraim respondet; ac prudenti consilio illud effugit malum, quod evenire potuisset, si inter tribus Israel discordia irrepsisset.

℣. 2. NONNE MELIOR EST RACEMUS EPHRAIM, VINDEMIIS ABIEZER.] Nonne una tribus Ephraim præstat omni Abiezeritarum familia [5], ac etiam tota tribu Manasse? vel potius: quod modo patrastis, nonne excellit, quidquid ego molitus sum? Ego quidem incœpi bellum, vos perfecistis. Hebraice ad litteram [6]: *Racemus Ephraim*, racemus, qui excidit vinitori, *melior est vindemiis Abiezer*. Quod vos peregistis capiendo, ac interficiendo Zeb, & Oreb, ea omnia antecellit, quæ ego cum manu mea militum efficere potui. Racemus vester melior est, quam mea vindemia. Quod ipse feci, licet majus videa-

A tur, re tamen vera minus est, quam unum facinus vestrum, cujus argumenta præ manibus vestris intueor. Ita Vatablus, Castalio, Junius, Piscator, Cornelius, Delrio Adagial. 157.

Telamon filius Æaci in prima Trojæ obsidione prior urbem fuerat ingressus. Hercules gloriæ Telamonis invidens, jamjam illum obtruncaturus erat, qui statim lapides simul colligere, & in cumulum congerere occepit. Hercules ex eo quæsivit, quid ille moliretur? cui, extruo, Telamon inquit, aram Herculi victori. Tunc Herculis ira subsidit, quin immo Telamonem laudibus extulit. Apollodor. l. 2. c. 6. biblioth.

℣. 3. OREB, & ZEB.] Oreb *corvum*, & Zeb *lupum* significant. Alibi jam adnotavimus populis il-
B lis in more positum, animantium nomina assumere.

℣. 4. CUM VENISSET GEDEON AD JORDANEM, TRANSIVIT EUM CUM TRECENTIS VIRIS.] Ex narrationis decursu liquet, Gedeonem traduxisse hunc fluvium prope Bethsan, paullo infra locum, quo Jordanes e Tiberiadis mare dilabitur. A monte Thabor, prope quem castra Madianitarum erant, usque ad Bethsan, vel Scythopolim, quinque, vel sex adsunt leucæ. Gedeon cum ad Jordanis oram advenisset, audiit, quamquam diligenter præcaverat, ut Jordanis vada occuparentur, nihilominus Madianitarum, vel Ismaelitarum manum trajecisse; eos persecutus est cum trecentis illis militibus, quos ut sibi reservaret, præceperat Deus.

℣. 5. DIXIT AD VIROS SOCCOTH: DATE OBSECRO
C PANES POPULO.] Cum Gedeon, ac milites illius pridie, ac nocte tota adlaborassent & clamando, & hostes insectando, neque insperatam hanc Madianitarum fugam præcavissent, secum minime attulerant cibaria; atque viribus prope destituebantur mane, cum post Iordanis transitum pervenerunt in Soccoth, urbem sitam prope Iordanis oram ad meridiem torrentis Iabok. Misit igitur *ad viros Soccoth*, ad illos plane, qui infra ℣. 14. *Principes*, & Seniores Soccoth vocantur, cibaria petitum.

Verum quo jure Gedeon ex his urbibus cibaria exigit, & sævissima quæque supplicia illis intentat, eo quod ea denegaverint? Respondemus, leges belli non

1 Judic. 8. 25. *Capita Oreb & Zeb portaverunt ad Gedeon trans fluenta Jordanis.* 2 Vide c. 6. 35. & 7. 23.
3 Josue 16. 1. 4 Sup. c. 7. 24. 5 Ita Chald. Procop. Abul. 6 הלא טוב עללות אפרים מבציר אביעזר

non solum permittere, ut postuleneur, sed etiam vi eatorqueantur cibaria pro exercitu, qui illis indiget; atque fas esse in eos animadvertere, qui his in circumstantiis ad victum necessaria renuant suppeditare. Hæc enim repulsa est quædam species defectionis, & perduellionis crimen; quippe necessariom illis abnuitur subsidium, qui periculis vitam suam pro Republica objiciunt. Itaque non in charitatem, humanitatem, & gratitudinem solum peccat, verum etiam contra Iustitiam, quæ jubet, eos qui Reipublicæ serviunt, Reipublicæ sumptibus vivere; ac præcipit, ut necessitatis tempore bona communia sint, atque liberalitate quadam militum modestiæ satisfiat, qui cum vim inferre possint, modeste rogant de iis, quæ per se arripera possent, ac violenter exigere. Qui nullam habent rationem justis petitionibus, merentur, ut veluti hostes habeantur, illisque bonum abripiatur, quo perperam utuntur. Ita quoque David in Nabal agere meditabatur [1], qui contumeliam repulsæ adjecerat, non secus ac cives Soccoth, & Phanuel erga Gedeonem.

℣. 7. CONTERAM CARNES VESTRAS CUM SPINIS, TRIBULISQUE DESERTI.] Dilaniabo carnes vestras cum spinis deserti vestri [2]; vel conteram vos, conculcabo vos sub spinis deserti [3]. Hebraice ad litteram [4]: *conteram vos, quemadmodum conteritur triticum cum spinis deserti, & cum rubis*. Videlicet, conteram vos animantium pedibus, sicut triticum trituratur; vel affligam vos ventre in humum reclinato sub spinis deserti, ac super corpora vestra trajiciam tragulas ferro præfixas, quæ super aristas ad triticum educendum trahuntur. Hoc idem supplicium contra Ammonitas deinde David exercuit [5]; de quo alibi [6] locuti sumus. Hebraicam vocem *Barkanim* reddidimus rubos, melioris notæ tum veteribus, cum recentioribus Interpretibus adhærendo. Septuaginta servaverunt nomen *Barkenim*; at Hesychius, & Suidas docent, quod *Barcine*, vel *Barcinis* tubum significat. Aquila [7], & Symmachus [8] eodem pacto explicuerant: non desunt tamen recentiores quidam Authores [9], qui asserant, vocem eam istic significare Irpices ferreos, vel cylindros ferreis mucronibus præfixos, qui ad obterendas paleas triticumque educendum adhibebantur. Hoc Authographi vocabulum alibi nuspiam in Libris sanctis reperitur.

℣. 10. ZEBEE, & SALMANA REQUIESCEBANT CUM OMNI EXERCITU SUO.] Hebraice [10]: *Zebee, & Salmana erant in Karkar*. Bochartus asserit *Karkar* significare, requiescere, in tuto esse, atque ideo Vulgatæ possumus adhærere. Alii, velati Eusebius, & S. Hieronymus in Locis, ajunt, *Karkar* esse loci nomen, & referunt oppidum nomine *Carcariam* diei unius itar a Petra abfuisse; sed ii confudisse videntur *Carcar* cum *Carca*, quin immo Eusebius non *Carcar* habet, sed *Carca*. Porro Carca, vel Carcaa, de qua loquitur Iosue 15. 3. abesse poterat diei unius iter a Petra urbe Arabiæ Petrææ metropoli. Sed *Carcar* eadem plane est, ac illa, quæ in Numerorum libro 24. 17. memoratur, ubi legimus; *consurget virga de Israel, & percutiet duces Moab, vastabitque omnes filios Seth*. Ex Hebraica vero lectione redditur: *consurget sceptrum in Israel quod perdet Principes Moab, & Carcar filiorum Seth*, vel *filiorum elevationis*, superbiæ. Hoc nomine Scriptura Moabitas appellat, quorum vanitatem sæpe redarguit. Ieremias quoque 48. 45. loquitur de *Kadkad*, vel forte *Carcar filiorum altitudinis*, qui sunt Moabitæ. Ptolomæus verba facit de *Carac-moba*, vel *Carac-moab*, quæ facile esse possit *Carcar*, de qua modo est sermo. Huc quoque referri potest *Caracha* 2. Macchabæorum 12. 7. prope regionem Tob. Hæc civitas non valde abesse debet a *Nobe*, vel Iegbaa, quandoquidem Gedeon ad orientalem harum urbium partem ascendit [11]. Nobe fortitan eadem est ac *Nophe*, de qua sermo est Numer. 21. 30. & quæ esse debebat prope Medaba, inter Hesebon, atque Ar Moabitarum: vel potius hæc erat Nobe dimidiæ tribus Manasse in libro eodem [12] memorata. Quoad *Jegbaa* patet solum eam fuisse e tribu Gad [13], & secus viam, quæ ducebat in Arabum terras Scenitarum, vel Ismaelitarum, qui morabantur in tabernaculis, atque ut verbo me expediam, in Arabia deserta: (℣. 11.) *per viam eorum, qui in tabernaculis morabantur*.

Tom. II. Par. II.

℣. 13. REVERTENSQUE DE BELLO ANTE SOLIS ORTUM.] Difficile est captu Gedeonem, qui aggressus est hostes sub initium secundæ vigiliæ noctis, scilicet quarta noctis hora, messis tempore, sub Aprilis exitum, vel initium Maii, eos persequi potuisse a monte Thabor usque circiter ad Iegbaa, quæ saltem tribus leucis aberat a Phanuel: cecidisse, ac fugasse quindecim Madianitarum millia; eosque persecutum esse, eorum Regem cepisse, & castra diripuisse; eaque omnia cum trecentis militibus perfecisse; atque ex hoc prælio esse reversum in Soccoth, & Phanuel ante solis ortum, videlicet postquam decem, vel duodecim itineris leucas peregisset, pedes, & septem, vel octo horarum labore fessus, atque duobus in locis hostium acie protrita.

Nonnulli [14], ut hanc difficultatem effugerent, asserunt, Gedeonem hostes fuisse persecutum ea nocte, qua illis bellum intulerat, atque postera die, cum nocte, quæ est subsecuta, & rediisse in Soccoth post alteram noctem diluculo, antequam Sol oriretur. Alii ita Hebraicum textum vertunt [15]: *reversus est, cum Sol altus esset*; cum hoc sydus supra horizontem valde processisset: aliter, ante occasum Solis; dum Sol nondum infra horizontem descendisset. Hæc omnis varietas satis Textus obscuritatem ostendit, vel potius difficultatem, quæ negotium facessit Interpretibus, qui Textum cum suis præjudiciis conciliare nituntur. Nam Hebraica lectio ad litteram hæc tantum habet: *Gedeon reversus est de bello, desuper Solem*, vel, *de altitudine Hares*. Hæc versio, quam Septuaginta sequuntur [16], & Theodotion facilior esset, si novissemus locum aliquem *Hares* vocatum, unde Gedeon esset reversus. Chaldaica paraphasis particulam negativam hic habet [17]: *Gedeon de bello rediit, cum Sol nondum altius surrexerat*: vel cum nondum ortus erat, quod congruit cum Vulgata. At vertine posset: *rediit a plaga orientali*? Iegbaa erat ad orientem Soccoth, & Phanuel. Vel cum Symmacho [18], de montium altitudine.

ET DESCRIPSIT SEPTUAGINTA SEPTEM VIROS.] Gedeonne, an puer horum septuaginta septem virorum nomina descripsit? Nonnulli putant a Gedeone exscripta fuisse, dum puer illa dictaret; vertunt autem Hebraicum textum [19]: *Descripsit sibi*, veluti in memoriæ subsidium. Alii [20] volunt puerum pro Gedeone scripsisse: *Descripsit illi*. Textus neutri magis favet explicationi; sed posterior hæc magis naturalis videtur.

℣. 16. CONTRIVIT CUM EIS, ATQUE COMMINUIT VIROS SOCCOTH.] Vide, quæ dixerim ℣. 7. Hebraicus textus haud mendo vacare istic videtur [21]: *& ostendit* (edocuit, correxit) *cum his spinis viros Soccoth*. Septuaginta [22], & Vulgata legerunt hic ver-

P 3 bum

1 2. Reg. 25. 10. 11. 2 Vatab. Menoch. Cornel. Jun. 3 Drus. 4 ודשתי את בשרכם את קוצי המדבר ואת הברקנים 5 2. Reg. 12. ult. & 1. Par. 20. 3. 6 In Dissertat. de suppliciis Hebræorum. 7 Aquil. ἀκάνθαις. 8 Symach. τριβόλοις. 9 Vide Joan. H. Ursini Arboret. Bibl. c. 24. 10 בקרקר ומחניהם עמם 11 ℣. 11. *Ascendens Gedeon ..... ad orientalem partem Nobe & Jebbaa*. 12 Num. 32. ult. Vide & 1. Par. 2. 23. 13 Num. 32. 35. 14 Bonfrer. ad ℣. 10. Vide & Clericum hic. 15 מלמעלה החרס 16 ἀπὸ ἀναβάσεως ἄρες. Ita & Pisc. 17 עד לא מיעל שמשא 18 Sym. ἀναβάσεως ὀρῶν. Vide Hieron. in locis Heb. in ares. Aquil. ἀναβάσεως ἡλίου. 19 ויכתב אליו את שרי סכות 20 Vatabl. Drus. 70. Arab. &c. 21 וידע בהם את אנשי סכות 22 70. in Alex. & Ald. Cod. καὶ κατέξανεν ἐν αὐτοῖς. Legisse videntur וידש pro וידע Complut. κατήλοησε: infecunue est. Rom. ἠλόησε: contrivit.

bum idem, quod est in versiculo septimo. Contrivit, conculcavit habitatores Soccoth instrumentis ad segetes triturandas idoneis. Credibile est, hoc pacto animadvertisse dumtaxat in septuaginta septem viros, qui Senatum componebant, vel qui erant Principes Soccoth. Si universos perimere voluisset, inutile fuisset Principum nomina percontari. Idem de Phanuel quoque dicendum est.

℣. 17. TURRIM PHANUEL.] Constat loco huic nomen Phanuel inditum fuisse propter Angeli apparitionem, qui cum Jacob luctatus est ad torrentem Jaboc. Genes. 32. 24. 31.

℣. 18. QUALES FUERUNT VIRI, QUOS OCCIDISTIS IN THABOR.] Consanguinei quidam Gedeonis super Montem Thabor recesserant, ut Madianitarum manus effugerent, ibique ab hostibus interfecti fuerunt. Gedeon a Regibus Zebee, & Salmana sciscitatur, quonam fuissent oris habitu illi, quos in monte illo ceperant, ut si quis adhuc superesset, redimere posset, eumque cum duobus his Regibus permutare. At cum Zebee, & Salmana respondissent, illos, qui capti fuerant, Gedeoni specie fuisse persimiles, atque Principum filios ipsis visos fuisse, vel ea corporis forma, qua Gedeon erat, omnesque fuisse trucidatos; hic fratribus suis uterinis illatam necem intelligens, statim præcepit, ut duo hi Reges Madianitæ perimerentur.

℣. 20. DIXIT IETHER PRIMOGENITO SUO, SURGE, & INTERFICE EOS.] Non igitur Hebræis veritum erat, illi, quem belli ceperant, necem inferre. Per leges belli captivos licebat interficere, nisi vel mallent venundare, vel in captivitate detinere; verum ad captivos tollendos nullo opus erat carnifice: intuemur enim Gedeonem filio suo præcipientem, ut duos Reges interimat. Samuel propria manu occidit [1] Regem Agag, cui pepercerat Saul. Salomon a Banaja jubet interfici Ioab [2]. Saul satellitibus suis imperat, ut de medio tollant Sacerdotes, qui innocenter opem David tribuerant effugienti [3]. David ab uno ex militibus suis jussit occidi Amalecitam, qui Saulem occidisse gloriabatur [4].

℣. 21. IUXTA ÆTATEM ROBUR EST HOMINIS.] Reges hi Gedeonem precantur, ne tradat ipsos pueri manu interficiendos. Mors a puero illata non solum majorem affert ignominiam, verum etiam dolorem, cum tarditate conjunctum. Tacitus lib. 4. Hist. refert, Civilem redargutum, eo quod Romanos quosdam captivos ictibus filii sui, adhuc pueri, objecisset confodiendos: *Ferebatur Civilis parvulo filio quosdam captivorum Romanorum sagittis, jaculisque puerilibus figendos obtulisse.*

TULIT ORNAMENTA, AC BULLAS, QUIBUS COLLA REGALIUM CAMELORUM DECORARI SOLENT.] Interpretum plerique [5] hic reddunt crescentis Lunæ imagines [6], quod Vulgata transtulit ornamenta, & bullas; & pronius fidei est, camelorum colla torquibus, vel monilibus [7] decorata fuisse, e quorum ima parte lunæ imago pendaret. Omnis testatur Antiquitas, Arabes, & Ismaelitas Lunam coluisse, seu Cælestem Venerem, vel Alilat, nam hæc omnia unum, & idem significant. Hæ Lunæ imagines, quibus camelorum ornabant colla, nota erant cultus illius, quo Lunam prosequebantur [8]; & observantia, quam ad hanc quoque diem Turcæ Lunæ testantur imagini, quam vexillis appingunt, atque turrium, & Meschitarum culminibus inserunt, quemadmodum Christiani crucem, plane sunt veteris hujus superstitionis reliquiæ. Ex ℣. 26. hujus capitis, & ex Isaia 3. 18. 19. liquet, viros, ac fœminas ornamenta ejusdem nominis detulisse, ac illa, quibus cameli decorabantur. Hæ lunæ hominum, mulierumque frontem, vel collum poterant exornare.

Cæterum consuetudo equos, mulos, camelosque pretiosis ornatibus locupletandi vetus est admodum, & ad hanc diem quibosdam in regionibus viget. Virgilius de Latini Regis equis locutus ait, instratos fuisse purpura, ac maximi pretii vestibus, auro micasse, & monilibus ornatos fuisse, quæ ipsis ante pectus pendebant. Æneid. 7.

Instratos auro alipedes, pictisque tapetis
Aurea pectoribus demissa monilia pendent;
Tecti auro fulvum mandunt sub dentibus aurum.

Non in emundis equis, Apulejus inquit, *phaleras consideramus, & baltei molimina inspicimus, & ornatissimæ cervicis divitias contemplamur: si ex argento & auro, gemmis, monilia varia Gazæ dependent, si plura artis ornamenta capiti, & collo circumjacent, si frena cælata, si ephippia fucata, cingula aurata sint.* Busbequius ep. 3. asserit ad hanc quoque diem in Asia equinorum pullorum colla pretiosis monilibus insigniti. Caligula equo suo, cui nomen Incitatus, *præter equile marmoreum, & præsepe eburneum, præterque purpurea tegumenta, ac monile e gemmis, domum etiam, & familiam, & supellectilem dedit..... & Consulatum quoque traditur ei destinasse*, ut ait Svetonius in Calig. c. 55. Nero eodem Svetonio teste nonnumquam magna exterorum equorum caterva comitante procedebat, cum monilibus, ac vittis aureis; illiusque muli argento semper erant soleati. Hodie in Ægypto cameli flavo colore imbuuntur, atque circum colla, & crura magna crepitaculorum adnectitur copia [9].

℣. 22. DIXERUNT OMNES VIRI ISRAEL AD GEDEON, DOMINARE NOSTRI.] Hoc accidit, simulac Israelitæ, quibus aliqua fuerat pars in Madianitarum clade, apud Gedeonem congregati sunt, ut illi gratias agerent, atque hostium prædam dividerent. Itaque minime concipiendum est generale totius nationis concilium, quod Gedeoni regnum detulerit; verum fuit solum exercitus ipsius, ac ii, quorum opera usus erat; videlicet tribus Ephraim, Manasse, Aser, Nephtali, & Zabulon, atque etiam fortasse tribus Issachar. Neque Juda, nec Benjamin, nec Dan, neque Simeon, neque tribus ultra Jordanem positæ concilio huic adfuisse videntur. Hinc vero arguimus ab exercitu suo regnum illi delatum fuisse, quod ab illis prædæ partem sibi tribui petit inaures aureas, quas Ismaelitis abstulerant, & quæ illi statim contribuuntur.

DOMINARE NOSTRI TU, ET FILIUS TUUS, & FILIUS FILII TUI.] Offerunt Gedeoni, ac posteris illius regnum; vel pollicentur se Judicis Israel dignitatem hæreditario jure familiæ ipsius propriam facturos, cum hactenus illi tantum collata fuisset, quem Dominus elegerat, & suscitarat. Nonnulli autumant [10], populum exorasse Gedeonem, ut Judicis provinciam tueretur, cum ea se abdicare velle declarasset; atque obtulisse illi, ut eam authoritatem in progeniem quoque suam vellet transmittere, in filium, ac nepotem: sed ex narrationis decursu patet, Gedeonem dignitatem suam ad mortem usque servasse, & constat ipsum respuisse id, quod ipsi offerebatur: hoc igitur aliud erat præter Judicis dignitatem, quam jam possidebat, & qua a Deo fuerat donatus. Regnum igitur ille recusavit [11], & ea de causa excipere noluit, quod supremæ Dei potestati obesse arbitrabatur: *Non dominabor vestri*, respondit, *nec dominabitur in vos filius meus; sed dominabitur vobis Dominus.* Donec Judices solum præfuerunt in Israel, Deus semper veluti solus Rex habebatur, cujus Theocratiæ minimum Judicum officiebat authoritas: cumque hi essent veluti præfecti ipsius, & legati, neque a populo eligerentur, Dominus illorum nomine, atque adminiculo populum regere

1 1. Reg. 15. 32. 2 3. Reg. 2. 25. 3 1. Reg. 22. 17. 4 2. Reg. 1. 15. 5 Isa. 70. *μηνίσκους*, deductum a *Meni*, *Luna*. Syr. Arab. Pisc. Drus. Grot. &c. & Sym. τὰ *μίτρα*, *ornamenta*. 6 השרנים אשר בצוארי גמליכם 7 Infra ℣. 26. הענקות בשר בצוארי גמליהם 8 Selden. de Diis Syr. Syntag. 2. c. 4. & Grot. hic. 9 Vaneb. Itin. Ægypt. p. 346. 347. 10 Joseph. Antiq. l. 5. c. 8. 11 Menoch. Tirin. Serar. Bonfrer. Cornel. Grot. &c.

gere censebatur. At simulac Israelitæ petierunt Regem, Deus ipsorum petitionibus sibi atque absoluto imperio suo injuriam fieri putavit: *Non enim te abjecerunt, sed me ne regnem super eos*, respondit 1. Reg. 8. 7. Samueli Deus, cum Israelitæ illi consilium suum Regem sibi constituendi prodidissent.

ỳ. 24. UNAM PETITIONEM POSTULO A VOBIS; DATE MIHI INAURES EX PRÆDA VESTRA.] Hebraicus textus ita verti posset [1]: *date mihi singuli inaurem unam ex præda vestra*; perinde ac illi satis esset una tantum inauris a singulis militibus collata [2]: sed optime explicari potest de inauribus in plurali, quemadmodum Vulgata intellexit. Autographi verbum usurpatur quandoque ad annulos significandos, qui de mulierum naribus dependebant [3]; verum hic de inauribus videtur intelligendum; liquet enim, homines in eois regionibus inaures deferre consuevisse, non autem narium ornamenta, quæ mulieribus tantum reservabantur.

INAURES ENIM AUREAS ISMAELITÆ HABERE CONSUEVERANT.] Ismaelitæ pro omnibus aliis populis, qui exercitum a Gedeone deletum componebant, memorantur. Chaldaica lectio, & Syriaca de Arabibus generatim explicuere. Apud Hebræos Ismaelitarum nomen ferme adeo patebat, ac nomen Arabum. Porro non apud Arabes solum inaures gestare solemne erat, verum Hebræi quoque eas seu mares, seu fœminæ, seu viri, seu pueri deferebant. *Tollite inaures aureas de uxorum, filiorumque, filiarumque vestrarum auribus, & adferte ad me*; Aaron dicebat ad Israelitas Exod. 32. 2. Persæ quoque hoc utebantur ornatu: in Cyri tumulo inaures conditæ fuerunt [4]. *Peroses* Persarum Rex ad aurem dexteram unionem admodum magnam deferebat [5]. Lybiæ populi, & Africæ, aures sibi perforabant, ut annulos traducerent, atque inde inaures appenderent. Xenoph. l. 3. Vide & Macrobium l. 7. c. 3. Saturnal. *Cum Octavius Ciceroni recitanti dixisset; non audio quæ dicis; ille respondit; certe solebas bene foratas habere aures*.

ỳ. 26. ABSQUE ORNAMENTIS, ET MONILIBUS, ET VESTE PURPUREA, QUIBUS REGES MADIAN UTI SOLITI ERANT.] Gedeoni jam tradita fuerat ditior, atque insignior prædæ pars juxta Heroicorum temporum consuetudinem; videlicet Regum Ismaelitarum, vel Madianitarum exuviæ. Verum cum populus illi regnum etiam vellet deferre, Gedeon ait, si aliqua existimationis erga illum vellent argumenta præbere, sibi satis fore, si inaures aureas ex præda, vel singulas singuli inaures vellent conferre; quod ipsi statim permissum fuit. Tunc temporis nec vile erat, nec turpe munera petere vel accipere.

Ea, quæ istic Vulgata *ornamenta* vocat, atque *monilia*, juxta plures Interpretes [6] significant, *Lunæ imagines, & odoramentorum pixides*. De Lunæ imaginibus locuti sumus ỳ. 21. Hæc vero odoramentorum vascula communia erant apud Orientales. Inter Darii spolia, pretiosa inventa est unguentorum capsula, quam Alexander sibi ad Homeri opera detinenda servavit. Ex Isaia patet, ornamenta, de quibus est sermo, ad fœminas quoque spectasse, nam hæc inter Filiæ Sion muliebrem mundum commemorat. Isaiæ 3. 18. 19.

ỳ. 27. FECIT EX EO GEDEON EPHOD.] Gedeon, ut victoriæ hujus perenne monumentum extaret, quam de Madianitarum, atque Ismaelitarum Regibus retulerat, fecit Ephod pretiosum, quod in familia sua servaretur [7]. Hoc forte etiam usus est, illudque gestavit in quibusdam solemnitatibus, non au-

A tem veluti Sacerdos, quoniam neque ex genere Levi, neque ex familia Aaronis erat; sed veluti Judex, & Princeps Israel, non secus ac nonnumquam David induebatur Ephod [8]; atque sicuti in Ægypto, qui juri dicundo præerat, aureum torquem, vel monile deferebat, cum quibusdam pretiosis imagunculis, ad dignitatem suam denotandam. Diodorus l. 2. c. 3. & Ælianus l. 14. c. 34

Hic ornatus, qui primum institutus fuerat dumtaxat in victoriæ, ac dignitatis suæ monumentum, factus est offendiculum, propter quod familia Gedeonis, ac Israel universus corrueret; citius in superstitionem prolapsi sunt, atque forsitan in idololatriam. Populus arbitratus est quod posset venerari, & consulere Deum, ubicumque reperiretur Ephod B illi persimile, quod in summi Sacerdotis ornatum præceperat Moyses. Tabernaculum neglectum est, atque pro colentium voluptate cultus est institutus. Adiri possunt, quæ in Exodum 25. 7. dicta sunt de Aaronis Ephod, quæque mox de Michæ Ephod dicentur Judic. cap. 17. 5.

FORNICATUS EST OMNIS ISRAEL IN EO, ET FACTUM EST GEDEONI, ET OMNI GENERATIONI EJUS IN RUINAM.] Plures Interpretes [9] putant, quod Gedeon ephod efficiens in Deum peccaverit; primum quidem domi suæ detinens sacrum ornatum, quo uti solum in Tabernaculo fas erat; deinde vero populum periculo exponens per hoc Ephod in idololatriam protruendi; tertio denique ex se, ac proprio motu novam Religionis, ac Templi spe- C ciem seorsim instituens cum hoc ephod, quod plane non erat solum, sed fortasse cum aliquibus superstitiosis imaginibus conjunctum [10]. Denique nonne palam satis refert Scriptura, Gedeonem in hoc peccasse, cum ait, Ephod hoc factum fuisse Gedeoni, & omni domui ejus in ruinam?

Verum Judicem hunc purgare quidam conantur dicentes; 1: nequaquam esse damnandum id, quod per se indifferens est, ni saltem ostendatur positivo quopiam præcepto esse prohibitum, vel ad pravum finem esse destinatum, juxta mentem illius, qui operatur: quorum neutrum istic potest demonstrari. 2. supponitur hoc ephod ornamentum sacrum fuisse, neque deferri nisi a summo Sacerdote licuisse; quod tamen non satis constat: nam solum urim, & thum- D mim, pectorale, ac duo lapilli, qui duobus humeris Ephod Aaronis erant superpositi, summi Sacerdotis erant propria: sine quibus Ephod adhuc erat Ephod, atque a simplicibus Laicis gestari poterat, quemadmodum illud Samuel, & David detulere. Pretium mille, ac septingentorum siclorum auri, quod Gedeon in illud exornandum insumpsit, efficiebat sane ut locupletius esset, & ditius, non ita vero ut ideo magis vetitum esset. 3. Scriptura nequaquam Gedeonem accusat, quod sciens & volens populum in idolorum cultum pellexerit; quin immo asserere possumus, ipsum id numquam fuisse opinatum, futurum ut Ephod suum eam ansam tribueret. Postquam fato functus est [11], tunc solum ea evenere mala, propter quæ dictum est Ephod hoc causam E excidii fuisse, & Gedeoni, & familiæ ipsius, videlicet filiis, ac posteris ejus. Hoc autem pacto Textus redditur ad litteram [12]: *Et omnis Israel excidit in fornicationem Idololatriæ post eum* [13], *& Ephod istud fuit in laqueum Gedeoni, ac familiæ ipsius*. 4. Denique Scriptura Gedeonis fidem commendat Hebr. 11. 32. ac de morte illius loquens, iis utitur præcla-

1 ותנו לי איש נזם שללו. 70. *δότε μοι ἀνὴρ ἐνώτιον τῶν σκύλων αὐτοῦ*.
2 Ita Serar. Montan. 3 Vide Genes. 24. 22. 4 Arrian. l. 7.
5 Procop. l. 1. de Bello Pers. 6 לבד מן השהרנים והנטפות Jun. Munst. Menoc. Bonfr. Serar. 70. *πάρεξ τῶν μηνίσκων καὶ στραγγαλίδων*. Alior. *τῶν ἐνωτίων καὶ τῶν ὁρμίσκων*. 7 Munst. Vatab. Grot. Jun. Drus. R. David. Cajet. 8 2. Reg. 6. 14. & 1. Par. 15. 27. 9 August. qu. 41. in Judic. Montan. Est. Lyran. &c.
10 Procop. Abul. apud Bonfrer. 11 Vide ỳ. 33.
12 ויזנו כל ישראל אחריו שם ויהי לגדעון ולביתו למוקש 13 אחריו *Post eum Gedeonem, post mortem ejus*. *Ita Pagn. Arias, Jun. Menoch. Grot. Alii Fornicati sunt post eum; post Ephod. Ita Jonat. Drus. Piscat. Anglic. & Belgic. versiones. Sic vulgo Scriptura, fornicari post Deos alienos, fornicari post Baal, vide his vers. 33.* ויזנו אחרי הבעלים

clarissimis verbis, quibus Sanctorum mortem referre A consuevit. Genes. 15. 15. 25. 5. & 1. Par. 29. 28. *Mortuus est in Senectute bona.*

Verum minime præterire fas est eas, quæ Gedeonem inter, & Jesum Christum verum populi Liberatorem, occurrunt similitudines [1]. Torcular, unde Gedeon eductus est, ut Judea, & populi Caput constituerent, figura est vitæ humilis, quamque inter ærumnas vixit, atque turpissimæ mortis J. C. Vellus primo rore aspersum, deinde siccum remanens, cum area madefieret, Synagogam exhibet, primum quidem benedictionibus refertam, mox vero reprobatam, atque a Deo derelictam. Tercenti milites, ex plurimorum copia dilecti, parvum referunt Apostolorum, & Concionatorum numerum, qui Evangelicæ lucis fulgore, ac vocis, & prædicationis sono B errores, ac dæmones fugant, qui in Madianitis repræsentantur. Civium Soccoth, & Phanuel probra Judæorum, & Gentilium in nascentem Ecclesiam persecutiones referunt; verum supplicia, quibus Gedeon post victoriam in illos desævit; ab oculos summam exhibent severitatem, qua Deus in altera vita animadvertet in illos, a quibus in hac fuerit lacessitus. Ephraim gloriæ Gedeonis invidens conqueritur eo, quod ad hostium cladem minime fuerit accersitus. Iudæis primum minime arridebat, quod Evangelium Gentilibus quoque prædicaretur; sed mox SS. Petri, & Pauli, aliorumque Apostolorum argumentis edocti, acquiescunt, atque Domini voluntatem, & gratiam in exterorum populorum vocatione cognoscunt. Denique frequens Gedeonis Posteritas, quam insecta- C tur, & cædit Abimelech Israelitici hujus Iudicis filius, Sanctos, & Fideles refert, quos semper impii sunt persecuti, qui in Ecclesia quidem sunt, sed charitatis spiritum, ac veram Jesu Christi fidem non habent.

℣. 31. CONCUBINA ILLIUS.] Hæc uxor erat legitima, sed alius ordinis ac essent matronæ. Erat veluti Agar, & Cethura habita ratione Saræ, & Abraham; atque sequenti capite ℣. 18. Gedeonis ancilla appellatur. Filii, qui ex alterius illius ordinis mulieribus nascebantur, in Patris hæreditatem minime subibant. Hæc vero morabatur in Sichem, quia illuc sæpe Gedeon proficiscebatur.

℣. 33. POSTQUAM AUTEM MORTUUS EST GEDEON, AVERSI SUNT FILII ISRAEL.] Hi igitur Domino fi- D deles permanserant ad mortem usque Gedeonis; quæ major est apologia, qua illius pietas, & Religio queat probari.

PERCUSSERUNT CUM BAAL FOEDUS, UT ESSET EIS IN DEUM.] Se juramento inanium Deorum servitio adstrinxerunt. Hebraice habemus [2]: *Et illi constituerunt Baal-berith super se, ut esset ipsorum Deus.* Inferius sermo est de templo Baal-berit, ubi Sichimitæ depositum condiderant, inde enim septuaginta argenti libras eduxerunt, quas darent Abimelech Gedeonis filio. *Baal-beris* significat *Deum fœderis*, vel *fœderis Deam*; nam Berit Hebraice muliebris est generis.

Aliunde falsi Numinis hujus ad nos cognitio haud pervenit; atque in Scripturis nonnisi in Abimelech historia memoratur, quam sequenti capite videbimus. Ethnicis plura erant numina, quæ fœderibus præessent, atque per eos, qui fœdus percutiebant, stetisse videtur, quemcumque vellent, Deum eligere testem eorum, quæ ultro, citroque promitterentur. Plerumque tamen Iupiter eligebatur, qui aliquando *Deus Fidius*, vel *Pistius Jupiter* [3], apud Græcos, Romanosque vocatur. In urbe Olympia fuisse liquet Iovem, cui a juramento [4] factum nomen accepimus, fulmen utraque manu gestantem, & quod jamjam in eos, qui jusjurandum violassent, videbatur jaculaturus. Romani quoque nonnunquam per *Jovem lapidem* jurabant: *Quid igitur jurabo? Per Jovem Lapidem, Romano vetustissimo more* [5]; & forte propter lapidem, quo feriebatur victima, quæ in fœdere rite ineundo offerebatur. Vide Bonfrerium hic, & Servium in Æneid. 8. *Jovis ante aram . . . . cæsa jungebant fœdera porca.*

Verum numen inquirimus nomine *Beris* apud populos Orientis. Philo Biblius docet *Elion*, *&* *Beruth* duo esse numina Phœnicum. Primum nomen *Altissimum* significat, & quandoque vero Deo in Scriptura tribuitur: alterum vero palam cum *Beris* similitudinem habet, quod fœdus significat. Urbs Berit in Phœnicia nomen fortasse ab hac Dea desumpsit. Invenitur etiam Deus *Brissens*, ac Dea *Brizo* [6]: Strabo l. 12. loquitur de templo *Baris* in Armenia; & Plinius l. 31. c. 2. de Deo, ac Templo *Brietio* in Bithynia, quod fluvius *Olachas* adlambit, cujus aquæ perjuros cremare dicuntur, perinde ac illis flamma admoveretur; *cujus gurgite perjuri notantur pati, veluti flammam urentem.* Hæc omnia nomina satis accedunt ad *Berit*, vel *Beris*; nam Orientales sæpius litteras s, & t confundunt.

Bochartus Chanaan. l. 2. c. 17. refert, Deam *Beris* eamdem esse ac illam, quæ a Nonno in Dionys. 41. 42. Beroe vocatur, atque poetam hunc dicere, ipsam Veneris, ac Adonis filiam fuisse, vel juxta alios Thetyos, & Oceani. Author hic ait, ipsam nomen suum dedisse Berytho, atque ibi gentium adoratam fuisse.

Chaldaica Paraphrasis hæc habet: *Elegerunt Beelkiam pro erroribus suis.* At quinam est hic *Beel-kiam*? Propheta Amos loquitur [7] *de tabernaculo Moloc, & de imaginibus Chiun.* Deus iste *Chiun* essetne idem ac *Beel-beris*, vel *Beelkiam*? Spencerus de Legib. Hebr. rit. l. 3. c. 3. sect. 1. probare adnisus est *Chiun* fuisse Deum Saturnum. Vossius vero Lunam esse arbitratur in l. 2. c. 23. de Idololatris.

℣. 35. NEC FECERUNT MISERICORDIAM CUM DOMO JEROBAAL.] Nullam habuere filiorum Gedeonis rationem, quæ tot ob præstita beneficia, summa illis debebatur. Misericordia sæpius pro gratuitis beneficiis, ac mera gratia usurpatur: hic vero de justitia, & gratitudine est intelligenda, quæ maxime debetur Principi optime merito, qui patriam servavit.

1 Vide Ambrosium proœmio in lib. 1. de Spir. S. Item August. Serm. 46. Append. tom. 5. nov. edit. olim 108. de Tempore. 2 ישימו להם בעל ברית לאלהים *ἔθηκαν αὐτοῖς τῷ Βααλ διαθήκην.* *Fœdus inierunt cum Baal.* Alius interpres, *ἔθεντο τὸν Βααλ βερίθ.* *Constituerunt Baal-Berith.* 3 Dionys. Halicarn. l. 4. Laertius in Pythag.
4 Vide Pausan. in Eliac. 5 Apul. in lib. de Deo Socrat. 6 Vide Clem. Alex. Exhort. ad Gentiles.
7 Amos 5. 26. *Portastis tabernaculum Moloc vestro, & imaginem idolorum vestrorum.* Hebr. *& Chiun imagines vestras.*

CAPUT

CAPUT IX.

Abimelech Gedeonis filius septuaginta fratres suos curat interficiendos, atque imperio potitur. Joathan frater illius, qui aliorum cladi superfuerat, exprobrat Sichemitis ingratitudinem suam erga Gedeonem. Sichemitæ ab Abimelech deficiunt, qui illis bellum infert; clades Gaal; Sichem capitur, & diruitur. Abimelech dum obsideret Thebes, perimitur.

1. ABiit autem Abimelech filius Jerobaal in Sichem ad fratres matris suæ, & locu-
tus est ad eos, & ad omnem cognationem domus patris matris suæ, dicens :
2 Loquimini ad omnes viros Sichem: Quid vobis est melius, ut dominentur
vestri septuaginta viri omnes filii Jerobaal, an ut dominetur unus vir ? simulque consi-
derate, quod os vestrum, & caro vestra sum. 3 Locutique sunt fratres matris ejus de
eo ad omnes viros Sichem universos sermones istos, & inclinaverunt cor eorum post A-
bimelech, dicentes: Frater noster est. 4 Dederuntque illi septuaginta pondo argenti
de fano Baalberit. Qui conduxit sibi ex eo viros inopes, & vagos, secutique sunt eum.
5 Et venit in domum patris sui in Ephra, & occidit fratres suos filios Jerobaal septua-
ginta viros, super lapidem unum: remansitque Joatham filius Jerobaal minimus, & ab-
sconditus est. 6 Congregati sunt autem omnes viri Sichem, & universæ familiæ urbis
Mello: abieruntque, & constituerunt regem Abimelech, juxta quercum, quæ stabat in
Sichem. 7 Quod cum nuntiatum esset Joatham, ivit, & stetit in vertice montis Gari-
zim: elevataque voce, clamavit, & dixit: Audite me, viri Sichem, ita audiat vos Deus.
8 Ierunt ligna, ut ungerent super se regem: dixeruntque olivæ: Impera nobis, 9 Quæ
respondit: Numquid possum deserere pinguedinem meam, qua & dii utuntur, & homi-
nes, & venire ut inter ligna promovear? 10 Dixeruntque ligna ad arborem ficum: Ve-
ni, & super nos regnum accipe. 11 Quæ respondit eis: Numquid possum deserere
dulcedinem meam, fructusque suavissimos, & ire, ut inter cætera ligna promovear? 12
Locutaque sunt ligna ad vitem: Veni, & impera nobis. 13 Quæ respondit eis: Num-
quid possum deserere vinum meum, quod lætificat Deum, & homines : & inter ligna
cætera promoveri? 14 Dixeruntque omnia ligna ad rhamnum: Veni, & impera super
nos. 15 Quæ respondit eis: Si vere me regem vobis constituitis, venite, & sub um-
bra mea requiescite: si autem non vultis, egrediatur ignis de rhamno, & devoret ce-
dros Libani. 16 Nunc igitur, si recte, & absque peccato constituistis super vos regem
Abimelech, & bene egistis cum Jerobaal, & cum domo ejus, & reddidistis vicem bene-
ficiis ejus, qui pugnavit pro vobis, 17 Et animam suam dedit periculis, ut erueret
vos de manu Madian, 18 Qui nunc surrexistis contra domum patris mei, & interfeci-
stis filios ejus septuaginta viros super unum lapidem, & constituistis regem Abimelech
filium ancillæ ejus super habitatores Sichem, eo quod frater vester sit: 19 Si ergo re-
cte, & absque vitio egistis cum Jerobaal, & domo ejus, hodie lætamini in Abimelech,
& ille lætetur in vobis. 20 Sin autem perverse: egrediatur ignis ex eo, & consumat
habitatores Sichem, & oppidum Mello: egrediaturque ignis de viris Sichem, & de op-
pido Mello, & devoret Abimelech. 21 Quæ cum dixisset, fugit, & abiit in Bera :
habitavitque ibi ob metum Abimelech fratris sui. 22 Regnavit itaque Abimelech su-
per Israel tribus annis. 23 Misitque Dominus spiritum pessimum inter Abimelech, &
habitatores Sichem, qui cœperunt eum detestari, 24 Et scelus interfectionis septua-
ginta filiorum Jerobaal, & effusionem sanguinis eorum conferre in Abimelech fratrem
suum, & in cæteros Sichimorum principes, qui eum adjuverant. 25 Posueruntque in-
sidias adversus eum in summitate montium, & dum illius præstolabantur adventum, exer-
cebant latrocinia, agentes prædas de prætereuntibus: nuntiatumque est Abimelech. 26
Venit autem Gaal filius Obed cum fratribus suis, & transivit in Sichimam. Ad cujus
adventum erecti habitatores Sichem, 27 Egressi sunt in agros, vastantes vineas, uvas-
que calcantes: & factis cantantium choris, ingressi sunt fanum Dei sui, & inter epulas,
& pocula maledicebant Abimelech, 28 Clamante Gaal filio Obed: Quis est Abimelech,
& quæ

& quæ est Sichem, ut serviamus ei? numquid non est filius Jerobaal, & constituit prin-
cipem Zebul servum suum super viros Emor patris Sichem? Cur ergo serviemus ei?
29 Utinam daret aliquis populum istum sub manu mea, ut auferrem de medio Abime-
lech. Dictumque est Abimelech. Congrega exercitus multitudinem, & veni. 30 Ze-
bul enim princeps civitatis, auditis sermonibus Gaal filii Obed, iratus est valde, 31
Et misit clam ad Abimelech nuntios, dicens: Ecce, Gaal filius Obed, venit in Sichi-
mam cum fratribus suis, & oppugnat adversum te civitatem. 32 Surge itaque nocte
cum populo, qui tecum est, & latita in agro: 33 Et primo mane oriente sole, irrue
super civitatem: illo autem egrediente adversum te cum populo suo: fac ei, quod po-
tueris. 34 Surrexit itaque Abimelech cum omni exercitu suo nocte, & tetendit insi-
dias juxta Sichimam in quatuor locis. 35 Egressusque est Gaal filius Obed, & stetit in
introitu portæ civitatis. Surrexit autem Abimelech, & omnis exercitus cum eo de insi-
diarum loco. 36 Cumque vidisset populum Gaal, dixit ad Zebul: Ecce de montibus
multitudo descendit. Cui ille respondit: Umbras montium vides quasi capita hominum,
& hoc errore deciperis. 37 Rursumque Gaal ait: Ecce populus de umbilico terræ de-
scendit, & unus cuneus venit per viam, quæ respicit quercum. 38 Cui dixit Zebul:
Ubi est nunc os tuum, quo loquebaris? Quis est Abimelech ut serviamus ei? Nonne
hic populus est, quem despiciebas? Egredere, & pugna contra eum. 39 Abiit ergo
Gaal, spectante Sichimorum populo, & pugnavit contra Abimelech, 40 Qui persecu-
tus est eum fugientem, & in urbem compulit: cecideruntque ex parte ejus plurimi, us-
que ad portam civitatis: 41 Et Abimelech sedit in Ruma: Zebul autem, Gaal & so-
cios ejus expulit de urbe, nec in ea passus est commorari. 42 Sequenti ergo die egres-
sus est populus in campum. Quod cum nuntiatum esset Abimelech, 43 Tulit exerci-
tum suum, & divisit in tres turmas tendens insidias in agris. Vidensque quod egrede-
retur populus de civitate, surrexit, & irruit in eos. 44 Cum cuneo suo, oppugnans,
& obsidens civitatem; duæ autem turmæ palantes per campum adversarios persequeban-
tur. 45 Porro Abimelech omni die illo oppugnabat urbem: quam cepit, interfectis
habitatoribus ejus, ipsaque destructa, ita ut sal in ea dispergeret. 46 Quod cum au-
dissent, qui habitabant in turre Sichimorum, ingressi sunt fanum dei sui Berith, ubi
fœdus cum eo pepigerant, & ex eo locus nomen acceperat, qui erat munitus valde.
47 Abimelech quoque audiens viros turris Sichimorum pariter conglobatos, 48 Ascen-
dit in montem Selmon cum omni populo suo: & arrepta securi, præcidit arboris ramum,
impositumque ferens humero, dixit ad socios: Quod me videtis facere, cito facite.
49 Igitur certatim ramos de arboribus præcidentes, sequebantur ducem. Qui circum-
dantes præsidium, succenderunt: atque ita factum est, ut fumo, & igne mille homines
necarentur, viri pariter, & mulieres, habitatorum turris Sichem. 50 Abimelech au-
tem inde proficiscens venit ad oppidum Thebes, quod circumdans obsidebat exercitu.
51 Erat autem turris excelsa in media civitate, ad quam confugerant simul viri, ac
mulieres, & omnes principes civitatis, clausa firmissime janua, & super turris tectum
stantes per propugnacula. 52 Accedensque Abimelech juxta turrim, pugnabat fortiter:
& appropiuquans ostio, ignem supponere nitebatur: 53 Et ecce una mulier fragmen
molæ desuper jaciens, illisit capiti Abimelech, & confregit cerebrum ejus. 54 Qui
vocavit cito armigerum suum, & ait ad eum: Evagina gladium tuum, & percute me:
ne forte dicatur, quod a fœmina interfectus sim. Qui jussa perficiens, interfecit eum.
55 Illoque mortuo, omnes, qui cum eo erant de Israel, reversi sunt in sedes suas.
56 Et reddidit Deus malum, quod fecerat Abimelech contra patrem suum, interfectis
septuaginta fratribus suis. 57 Sichimitis quoque, quod operati erant, retributum
est, & venit super eos maledictio Joathan filii Jerobaal.

℣. 1. ABIIT ABIMELECH FILIUS JEROBAAL IN SICHEM.] Statim post Gedeonis obitum Abimelech ancillæ Judicis hujus filius, qui morabatur in Sichem, venit in hanc civitatem, ubi erant matris suæ consanguinei, eis persuasurus, ut se ipsum in Regem, vel Iudicem in patris sui locum eligerent. Magnus filiorum Gedeonis numerus, ambigua populi studia erga

A memoriam, & familiam Iudicis hujus, secessiones, quæ prænoscebantur futuræ inter septuaginta fratres, qui singuli patris dignitatem adfectabant, ipsius audacia, ac animus ad quidlibet aggrediendum paratus impulerunt Abimelech, ut id consequi adniteretur, quod e voto, ut mox visuri sumus, evenit.

℣. 2. LOQUIMINI AD OMNES VIROS SICHEM.] Hebraice, *ad omnes Dominos Sichem* [1]; ad primores, ad

[1] בעלי שכם

ad principes viros, vel simpliciter cum Vulgata, ad viros Sichem. Vide Num. 21. 28. Iosue 24. 11. & in hoc 9. cap. Iudic. sæpius ℣. 3. 4. 6. 7. 18. 20. 23. &c.

QUID VOBIS EST MELIUS, UT DOMINENTUR VESTRI SEPTUAGINTA VIRI.] His porro argumentis conatur Abimelech impellere viros Sichem, ut sibi ipsum in Regem optent: perniciosum esse reipublicæ pluribus parere principibus [1]: Monarchicum regimen præ ceteris esse perfectissimum; si se dediderint septuaginta filiis Gedeonis, septuaginta tyrannis fore obtemperaturos: imperium ita divisum infirmius futurum, neque se suis viribus substentaturum: hos denique septuaginta Principes cum sibi regnum voluerint partiri, ultro citroque se bello lacessentes, omnia pessum, atque in plusquam civilia bella abitura. Addit præterea se illorum fratrem, illorum *os*, illorum esse *carnem*. Utilius semper est domestico parere principi, quam externo; consanguineo, quam alieno, qui nullo nobiscum cognationis vinculo conjunctus est. Concludit denique, illos, si ipsum in principem optare maluerint, unum tantummodo principem habituros, quocum sint communia civitatis, cognationis, ac amicitiæ fœdera.

Verum argumentorum horum infirmitatem nemo non novit. Dignitas Judicis Israel in nullo hæreditatis jure erat posita: sed Dei intererat, illum providere, qui Gedeoni succederet; atque etiamsi hæreditatis jure hæc dignitas in filios fuisset abitura, ad primogenitum deferri debebat. Sed cum Gedeon palam hanc successionem pro filiis suis respuisset [a], nulla aderat ratio, quapropter supponeret Abimelech, singulos a septuaginta Gedeonis filiis regnum occupare adnisuros, ac totidem tyrannos, quot filios reliquerat Gedeon, ea in regione futuros. Neque videntur Gedeonis filii conati fuisse, ut hanc dignitatem occuparent, atque inter se imperium dividerent; multo vero minus adhuc sibi invicem prælia intulisse, ut sibi regnum pararent, vel partum tuerentur. Quæ igitur aderat ratio, cur Abimelech ista vereretur? Quoad vero argumenta ex sanguinis conjunctione depromptu, quamquam illorum haberi ratio possit, cum aliæ minimum in contrarium rationes præponderarent, nullius erant roboris, nam cum omnes Gedeonis filii essent Israelitæ, erant etiam domestici, & consanguinei Sichemitarum, neque velut alieni poterant æstimari; atque cum præ Abimelech, legitimorum filiorum qualitas, atque ex conjugibus primi ordinis nativitas cum hæreditatis jure ad bona parentum conjuncta illis faveret, non poterat Abimelech se cum illis hac in re comparare, ac successionis ordinem ea in regione constitutam prævertere.

OS VESTRUM, ET CARO VESTRA SUM.] Hæc loquendi ratio communis est apud Hebræos ad cognationem, & sanguinis vinculum significandum. Vide Genes. 2. 23. & 37. 27. & 2. Reg. 19. 13. & 1. Par. 11. 1.

℣. 4. DEDERUNT EI SEPTUAGINTA PONDO ARGENTI DE FANO BAAL-BERIT.] De Baal-Berit locuti sumus præcedenti capite ℣. 33. Septuaginta sicli argentei sunt 28. Romana scutata. Hebraicus textus habet solum, *septuaginta argenteos*, sed fere semper sicli nomen subintelligitur. Nonnulli advertentes hanc viginti octo scutatorum summam nequaquam sufficere potuisse Abimelech, ut milites legerentur, iisque solverentur stipendia, suppleverunt libræ nomen, vel talenti pro siclo. Libra juxta illos vigintiquatuor siclis constabat, talentum vero tribus mille siclis argenteis. Verum exemplo caret, quod in Scriptura libræ, vel talenti nomen subin-

A telligatur, ni saltem alicubi ante fuerit expressum: sed passim siclus additur, cum Textus numerum solum, vel qualitatem monetæ commemorat. Hic Abimelech exercitus erat solummodo exulum manus, quos duxit in Ephram, ut illorum ope uteretur in septuaginta filiorum Gedeonis cæde patranda: simulac vero per illorum necem omnem adiit Gedeonis hæreditatem, tunc statim vires illi additæ sunt, ac opes, quibus militibus suis, & stipendia solvere, ac divitias possit conferre; eos vero fidei pronius est, semper deinceps corporis sui custodes habuisse.

Adnotare hic possumus veterem morem servandi thesauros, & publicam civitatum pecuniam in Templis. Omnes fere Græcorum civitates [3] thesauros in Templo Apollinis Delphici depositos tuebantur.
B Aderant ibi Sicyonis, Thebarum, Athenarum, Potidææ, ac Syracusarum gazæ; atque Romani etiam, & Massilienses ibi opes suas deposuerant [4]. Alios quoque thesauros in Olympia Elidis urbe servatos agnovimus: intra rupes loculi effodiebantur, ubi depositæ pecuniæ celarentur, quorum singuli præseferebant eorum nomina, ad quos thesauri illi spectarent. Hoc in templo Sicyonis, Syracusarum, Sybaris, Epidamni, non secus ac Cyrenes, Selinuntis, Metaponti, Megaræ, & Gelæ opes asservabantur. Denique ubique fere gentium mos obtinuerat, ait Scholiastes Thucydidis, ut pecunia publica in Templis reponeretur. Templum Saturni Romæ erat Reipublicæ Ærarium.

VIROS INOPES, ET VAGOS.] Hebraice [5], *viros ina-*
C *nes, ac inconstantes*; ubi prior vox pro egenis, atque bonorum omnium, & subsidiorum expertibus, vel pro sensu, spiritu, & consilio carentibus, vel etiam pro inertibus, segnibus, nulla arte, nullo negotio occupatis; altera vero pro vagis hominibus, atque erroribus, cui nulla sit propria, & certa sedes. Chaldæus [6]: *homines inopes, & ostiatim victum quæritantes*, vel homines egenos, & libertos: vel, juxta alia Exemplaria: inopes, & contemptos. Septuaginta [7]: *homines pauperes, & mente captos*, vel fatuos. S. Augustinus legebat *perturbatos*. Clericus: *homines otiosos, & petulantes*. Symmachus; *homines otiosos, & spe destitutos*.

℣. 5. OCCIDIT FRATRES SUOS . . . . SEPTUAGINTA VIROS SUPER LAPIDEM UNUM.] Sexaginta no-
D vem dumtaxat occisi fuerunt, nam Joatham minimus natu illius violentiam evasit. Sæpius utitur Scriptura numero certo, ac rotundo, pro incerto [8]. Joatham ipse ℣. 18. ait ab Abimelech septuaginta fratres suos fuisse interfectos. Eos autem occidi jussit super eumdem lapidem coram se veluti tot victimas suæ crudelitatis; forte voluit etiam quamdam judicii formam præferre eos ultimo supplicio afficiens super quemdam insignem lapidem, ubi noxii plecti consueverant [9], quemadmodum ad hanc quoque diem alicubi gentium usuvenit. Denique non desunt [10], qui asserant, nequam hunc fratrem crimen suum religionis zelo prætexuisse, ut ulcisceretur honorem Dei Baal, cujus aram Gedeon everterat, atque deleverat cultum: atque voluisse, ut filii ejus super eumdem
E lapidem capite plecterentur, ubi patet taurum vero Deo immolaverat, postquam Dei Baal aram subvertisset. Et quidem inficias non possumus, Sichemitas Idoli sui zelo fuisse correptos, quandoquidem novimus illorum fœdus in Templo *Baal Berit* cum juramento percussum. Vide ℣. 46.

Ex historiis nationum omnium plurima licet depromere crudelitatis exempla similia sævitiæ Abimelech, qui fratres suos interfecit, ut pro illis ipse ad regnum eveheretur. Ochus Persarum Rex patruum suum cum centum, vel octoginta illius filiis enecavit;

1 Homer. Iliad. B. a Judic. 8. 23. *Non dominabor vestri, nec dominabitur in vos filius meus.*
3 Vide Herodot. l. 1. c. 14 Pausan. in Atticis p. 628. & in Eliac. p. 378. & alios apud Marsham. sæcul. 17. p. 501. 4 Appian. in Excerptis Vales. p. 546. 5 אנשים ריקים ופחזים.
6 גברין סריקין ובקרין. Alias, מסרין *viles, contemptos*. 7 ἄνδρας κενοὺς, καὶ θαμβουμένους. Alias, κενοὺς καὶ ὀκνηρούς. Sym. ἀπόρους ἀπεγνωσμένους. 8 Vide Genes. 55. 26. & 42. 13. & Joan. 20. 24. 9 Tostatus.
10 Petrus Martyr.

vit [1]; Phraates filius Herodis Regis Parthorum, atque ex concubina hujus principis genitus patri suo ac triginta filiis illius necem intulit [2]. Turcarum historia similibus abundat exemplis; & mos occidendi, vel in carcereio detinendi fratres omnes Sultani, viget adhuc apud populos illos efferos, & suspiciosos. Vide Serarium in cap. 9. Judic. qu. 6.

℣. 6. UNIVERSÆ FAMILIÆ URBIS MELLO.] Nullam agnovimus urbem Mello prope Sichem. Hebraice [3] legimus simpliciter: *Tota domus Mello*; quod nonnulli intelligunt de Curia urbis Sichem, quæ vocaretur *Mello*, vel repleta; domus plenitudinis; eo quod repleretur primoribus civitatis, ibique publica concilia haberentur [4]. Alii volunt, hoc fuisse nomen alicujus vici urbis, ideo ita appellati, quod specus aliquis ibi, vel vallis repleta fuerit, quemadmodum deinde factum est in Jerusalem eo in loco, qui Mello est nuncupatus. Denique Drusius autumat, *Mello* nomen fuisse viri cujuspiam Sichemitæ, cujus familia merebatur, ut in hoc cœtu ab aliis distingueretur, atque illi ex familia Mello nomen accederet. Ego vero putarem, Mello fuisse patrem matris Abimelech, ac illum, cujus maxima fuerat pars, ut populus in Regem, vel Judicem optaret Abimelech.

CONSTITUERUNT REGEM ABIMELECH JUXTA QUERCUM, QUÆ STABAT IN SICHEM.] Plerique Interpretum credunt hanc esse quercum, sub qua [5] Josue constituerat monumentum fœderis, quod antequam e vivis decederet, Dei verbis cum Israel percusserat. Eadem quercus potest etiam ℣. 37. inferius denotari. Authographi textus habet [6]: *juxta quercetum*, seu *vallem statuæ*, vel *monumenti*; quod monumentum a Josue erectum significare potest, ut diximus. Aliter [7]: *prope quercum stationis*, vel cœtus, quod Sichemitæ plerumque sub hac quercu in unum cogebantur, ut de republica statuerent.

℣. 7. STETIT IN VERTICE MONTIS GARIZIM.] Mons Garizim ultra Sichem erat, sed illi contiguus. Adnotavimus alibi, Hebal, & Gariaim fuisse duos montes sibi admodum proximos, & Sichem ad radices utriusque fuisse positam. Hebal ad meridiem erat, & Garizim ad Septentrionem. Admodum verisimile est, Joatham sumpsisse temporis occasionem, quo Abimelech aberat; & Josephus Antiqu. l. 5. c. 9. ait, Joatham, dum quædam festivitas celebraretur in Sichem, ibique totius populi conventus haberetur, illuc accessisse, ea exprobraturum, quæ infra leguntur.

AUDITE ME VIRI SICHEM, ITA AUDIAT VOS DEUS.] Hebræus: *Audite me, viri Sichem, & Dominus audiet vos*. Probete vos dignos, qui audiamini a Deo meas adhortationes audiendo.

℣. 8. IERUNT LIGNA, UT UNGERENT SUPER SE REGEM.] Ioatham, ut Sichemitis ostenderet facinoris eorum injustitiam, non utitur directo sermone, ac simplici, qui eos irritare potuisset: verum similitudinem usurpat, vel enigmatis speciem, quæ absque eo quod lædat, erudit tamen; illisque velut manu tangendum consilii sui præbet errorem: illis ostendit, quod Regem sibi e filiis Gedeonis optaturi illud elegerant, quem maxime renuere debuissent propter nativitatis humilitatem; illisque prædicit, futurum ut serius, ocyus, vel Rex, quem sibi constituerant, esset illorum excidii causa, vel illi ipsi sui regis excidium.

Neque id genus similitudinum partes omnes diligentius sunt investigandæ: constat enim eas semper aliqua ex parte claudicare. Hæc cum se se offerat occasio, utendum est sapienti præcepto Iudæi Authoris, viri acri quidem ingenio, ac summa eruditione prædisi [8], quæ animi bona raro in gentis illius homine repereris: principium hoc esse constituendum, quod animus advertendus est in præcipuum parabolæ scopum, quin particularis omnium circumstantiarum, omniumque vocum, quas illa comprehendit, applicatio nobis negotium facessat. Aliter tempus, & operam perdit, qui eorum scrutari vult explicationem, quæ explicari non possunt. Exempli gratia, Ioatham ait, arbores ivisse, ut ungerent super se Regem: non videmus Sichemitas, quorum arbores figura sunt, quæsivisse Abimelech: neque videntur pluribus aliis viris Regni honorem detulisse, qui illud recusarint. Sed hoc innuere potest, quod cum Gedeon recusasset, & filii ipsius illud post patris obitum nollent assumere, Sichemitæ u se fore sunt arbitrati, si alium, qui se sponte offerebat, in Regem eligerent. Ioatham, qui de prava Sichemitarum mente ex illorum actionibus judicium ferebat, illis ostendere vult, ipsorum consilium æque fatuum esse, ac illud arborum, quæ Regnum rubo detulerant inter cetera arbusta maxime contemnendo.

Apologorum, & similitudinum consuetudo apud Orientales maxime vigebat, Judæi vero eam habebant in deliciis. Veteres viri Sapientes sæpius iis usi sunt, cum occasio huic persimilis ferret. Menenius Agrippa, ut in urbem revocaret Romanam plebem, quæ in sacrum montem secesserat [9], & quæ nobilibus viris, ac Senatui parere dedignabatur, illi proposuit apologum membrorum corporis, quæ cum a ventre defecissent, illi nolebant amplius escam præbere, eo quod cum nulla ipsius pars esset in laboribus, salus tamen iis fruebatur, quæ cetera adlaborando sibi comparabant. Hac similitudine voti summam obtinuit, atque eo plebis animos impulit, quo nulla Oratorum argumenta adigere potuissent.

UT UNGERENT SUPER SE REGEM.] Ad litteram [10]: *ut sibi ungerent Regem*, ut quem sibi elegissent, Regem inungerent. Locutio hæc innuere videtur Regum ungendorum consuetudinem iis in regionibus vulgatam fuisse: nam tunc nullum aderat Regis exemplum in Israel, qui unctus fuisset. Hæc ratio magni momenti sane est, si liber hic exaratus fuit, antequam Reges in Israel, & Juda imperarent: sed nullarum est virium, si deindu conscriptus fuit, nam tunc *Regem ungere*, & Regem constituere, unum erat, & idem; quare fit, ut eædem voces adhibeantur, cum sermo est de gentium exterarum Regibus, apud quas nemo umquam probaverit, Reges inunctos fuisse. Exempli gratia, Cyrus *unctus Domini* dicitur Isai. 65. 1. quamquam apud Persas reges minime ungebantur: & J. C. sæpius unctus Domini appellatur [11], quamvis nulla extrinseca, & sensibili unctione fuerit delibutus, sed unctione solum Spiritus Sancti, in Regem, ac Dominum creaturarum omnium, & cœli, & terræ: accepit ille realitatem rei, cujus unctio sensibilis est figura.

℣. 9. NUMQUID POSSUM DESERERE PINGUEDINEM MEAM, QUA ET DII UTUNTUR, ET HOMINES.] Verum oliva succum, & oleum amitteret, si ad Regis arborum dignitatem eveheretur? Quodnam accidisset Gedeoni malum, exempli gratia, si regnum accepisset quod illi offerebatur? Num bona illius, pax, honor, res familiaris, aliquid detrimenti passa fuissent? Respondetur, Principem, cujus in hac parabola oliva est figura, cum subditorum suorum utilitati, ac felicitati se totum impendere debeat, subire quodammodo suarum voluptatum, & commodorum jacturam; unus ille prægrave sustinet pondus negotiorum, & numero, ac difficultate præpeditorum; quamplurimis

1 Justin. l. 10. Vide Valer. Max. l. 2.
2 Idem l. 42.
3 כל בית מלוא.
4 Varabl. Mart.
5 Josue 24. 26.
6 עם אלון מצב.
7 70. πρὸς τῷ Βαλάνῳ τῆς στάσεως, τῆς ἐν Σικίμοις.
8 Mos. Maimonid. in More Neboch.
9 Vide Liv. 2. Dec. 1.
10 למשח עליהם מלך.
11 Psal. 48. 8. Isai. 61. 1. Dan. 9. 24. Luc. 4. 18. Act. 4. 27.

mis distinetur cutis, atque ut verbo me expediam, uliis ferme vivit, non sibi.

Dii, & hominea utuntur oleo ex olive educto. Oleum in Templis ad lampades alendas adhibebatur; oleo liba quædem subigebautur, quædam vero edspergebantur; neque holocaustum, neque pacificæ victimæ offerebautur, quin super oblationes farinæ oleum effunderetur; oleo Sacerdotes inungebentut, ec omnia vasa Tabernaculi. Oleum erat præcipue pars, ac veluti corpus thymiamatis, quod coram Domino adolebatur.

Ethnici quoqoe lampades accendebaut iu Deorum suorum honotem, cum solemnitates suas celebrarent. Juvenal. Satyr. 12.

Cuncta nitent, longos erexit janua ramos,
Et matutinis operatur festa lucernis.

In vasculis etiam oleum numinibus offerebent, atque ante eorum simulacta iu honotem ipsorum effundebant. Virgilius Eclog. 5.

Craterasque duos statuam tibi pinguis olivi.

Oleo quoque illorum imagines illiniebantut. Prudentius l. 1. contra Symmachum:

Unguentoque lares humescere nigro.

Lepides quoque, qui sacri hebebantur, oleo aspergi consueverant: *lapis unguine delibutus*, Apul. lib. 1. Flotid. Romana vexilla, Aquilæ, festis, ac lætitiæ diebus oleo inficiebantur [1]: *Aquilæ certe, ac signa pulverulenta illa, & custodiis horrida, inunguntur festis diebus.*

Neque minus oleum vitæ nostræ subsidio est, atque commoditati, quam usus illies in Religionis operibus pateat. Homines in escas adhibent, in pharmacum, etque ad diversa, ed roborandum, leniendum, illuminandum; ast euinam oleum minime inservit? *Duo sunt liquores*, Plinius l. 14. c. 22. inquit, *corporibus humanis gratissimi, intus vini, foris olei*. Verum igitur est oleo & Deos, & homines uti; seu quemadmodum ex hebraico textu redditur [2]: *honorant Deos, & homines*; vel, *Deos, & homines glorificantur in eo*. Deus honoratur oblationibus olei, quæ in ipsius Tabernaculo fiunt, propter lampades, quæ ibi accenduntur, propter thymiamata, quæ ibi cremantur; & hominibus quoque ab oleo honor accedit, eo quod Reges, Prophetæ, ec Sacerdotes inunguntur; & propter uugoente, quibus ad voluptatem, & luxum divites utuntur. Pro *Deo*, & *hominibus* verti posset, *Nobiles, Potentes, & homines*.

ET VENIRE, UT INTER LIGNA PROMOVEAR?] Huic versioni favent Septuaginta, Chaldaica versio, ac plurimi Interpretes. Sed alii ita reddunt lectionem hebraicam [3]: *Et ego commovear propter alias arbores?* quietem ego amittam, & curis exagiter illorum gratia?

℣. 11. NUMQUID POSSUM DESERERE DULCEDINEM MEAM?] Ficus omnium fructuum est dulcissima [4], immo dulcedinis symbolum existimatur. Vide Pierii Hieroglyph. & Bonfrerium hic.

℣. 13. NUMQUID POSSUM DESERERE VINUM MEUM, QUOD LÆTIFICAT DEUM, ET HOMINES.] Vinum lætificat Deum in sensu eodem, in quo odor victimarum Deo suevis est, caro illius esca, ac thymiamata illum recreant, oblectant, eique populi sui memoriam cient. Hæ omnes figuratæ locutiones illum significant, Deum istæc a populo suo exigere, veluti iu supremi sui dominii signum, ac veluti figuras sensuum secretorum, atque intimorum, quos concipere debet homo coram ipso. Vinum Domino offerebatur in templo ipsius; illiusque usus erat in holocaustis, atque hostiis pacificis, atque super ale libari consueverat, velut condimentum, quod illis addebatur, quæ super mensam erant instructæ: hinc enim ideam nobis Scriptura tribuit, cum loquitur de sacrificiis; & quemadmodum vinum est veluti anime convivia exhilaraus, Joatham in hoc sensu dicere potuit, vinum lætitiam afferre Deo, vel Diis juxta vim vocum authographi, quæ in re hic filius Gedeonis ad Sichimitas loquebatur juxta ipsorum præjudicia, atque ideas, cum Ethnici re ipsa crederent Deos oblectari sacrificiorum fumo, ac odore thymiamatum, atque liquorum dulcedine, quapropter nectare, & ambrosie vesci credebantur. Denique quemadmodum homines diebus festis, atque in suis Religionis cœtibus magis vino solent indulgere, atque Deo tribuitur id, quod in ipsius solemnitatibus usuveuit, illi referri potuit lætitia, hilaritas, & voluptas, quæ ex vino in Dei festivitatibus homines efficiuntur.

Quod homines vero lætitiæ ex vino afficiantur, nullis indiget argumentis: hic vini effectus satis communis est. Experientia, atque authoritas omnium sæculorum, Authorumque tum sacrorum, cum profanorum id satis superque persuadent: *Vinum lætificat cor hominis*, inquit Prophete Psal. 103. 15. *Date siceram mœrentibus, & vinum his, qui amaro sunt animo*, Salomon eit Prov. 31. 6. *bibant, & obliviscantur egestatis suæ, & doloris sui non recordentur amplius*. Poetæ nonne *Bacchum lætitiæ datorem* appellant Virgil. Æneid. 1. nonne mero tribuunt risus, lætitiam, & malorum, & calamitatum, quibus vita premitur, oblivionem? Ovidius;

Tunc veniunt risus, tunc pauper cornua sumit,
Tunc dolor, & curæ, rugaque frontis abit.

℣. 14. DIXERUNT AD RHAMNUM: VENI, ET IMPERA SUPER NOS.] Non liquido constat, quod spinæ, vel rubi genus authographi voce proprie significetur [5]. Alii quidem pro sylvestri rosa stant [6], alii pro alba spina, pro sylvestri pruno alii, alii pro rosa, vel etiam pro carduo [7]; vel denique generatim pro spina. Septuaginta, & Vulgate de spine alba intellexerunt, quæ *rhamnos* græce appellatur [8].

℣. 15. VENITE SUB UMBRA MEA.] Sub mea tutela. Umbra accipitur pro tutela, & protectione. *In umbra alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas*, inquit Propheta Psal. 16. 8. & 56. 2. Isaias 30. 2. 3. Judæos exprobrat, eo quod fiduciam suam in Ægypti umbra collocaverint; & 51. 16. inquit, se positum fuisse a Deo sub umbra manus ipsius: *sub umbra manus suæ protexit me*. Denique Baruch 1. 12. captivos Judæos exhortatur, ut preces effundant pro Nabuchodonosor, & Balthasar Regibus Babylonis: *ut vivamus sub umbra Nabuchodonosor* &c.

Rhamnus, quem arbores elegerunt in Regem, plane est Abimelech, cui Sichimitæ supremam detulerunt authoritatem. Joatham ostendit impotentiam Abimelech eos protegendi, tuendique, dicens, Rhamnum invitasse cedros, aliasque arbores, ut sub illius umbram se se reciperent; nec non ingratorum civium futurum prædicit excidium, dicens ignem egressurum de rhamno, & cedros Libani consumpturum. Ignis plerumque denotat bellum [9]. Discordia, & divisio inter vos irrepet, vos contemnetis Abimelech, illiusque regimen vobis grave erit, acerbumque. Ille vobis bellum inferet, *ignis egredietur ex eo*, ille vos perdet. Sed vicissim vos illum perdetis [10]; atque ita per vosmet ulciscemini mutuo injurias, quas Gedeonis domui intulistis.

℣. 17. ANIMAM SUAM DEDIT PERICULIS.] Hebræus [11]: *projecit animam suam seorsim*, vel projecit eam procul e se, vel obtulit illam, ut vos servaret. Cæsaris miles commilitonibus suis dicebat:

1 Plin. l. 13. c. 1. Vide Bonfrer. hic. 2 אשר בי יכבדו אלהים ואנשים. ἐν ἐμοὶ δοξάσουσι ὁ Θεὸς καὶ οἱ ἄνθρωποι, seu ἐν ᾧ δοξάσουσι τὸν Θεὸν κτλ. *Qua homines Deum venerabuntur*.
3 והלכתי לנוע על העצים. Ita Syr. Arab. Jun. &c. 4 οὐδὲν γάρ, οὐδὲν γλυκύτερον τῶν ἰσχάδων.
5 אטד. 70. ῥάμνος. 6 Val. 7 Rab. Salom. Mont. 8 Drus. hic.
9 Vide Num. 21. 28. 10 Infra ℣. 20. 11 וישלך את נפשו מנגד. 70. ἔῤῥιψε τὴν ψυχὴν αὐτοῦ ἐξεναντίας.

Projeci vitam comites, cousque futura
Mortis agor stimulis.

℣. 18. INTERFECISTIS FILIOS EJUS.] Vos furorem Abimelech armastis, qui eos interfecit. Illius mali, quod per alios exequimur, & illius, quod cum possimus, minime vetamus, adstringimur culpa.

℣. 20. ET OPPIDUM MELLO.] Hebræus [1]: *Et domum Mello*. Vide supra ℣. 6.

℣. 21. ABIIT IN BERA.] Eusebius, & S. Hieronymus statuunt *Beram* octo passuum millibus procul ab Eleutheropoli Boream versus. Novimus quoque urbem cognominem ad septem, vel octo leucas a Sichem versus Jerusalem. Maundrel. Itiner. Alep. Hierusal.

℣. 22. REGNAVIT SUPER ISRAEL.] Non autem super omnes tribus, sed super Sichem, Thebes, E-
B phram, & forta super nonnullas alias civitates, quæ se illius fidei dediderunt, vel quas vi ille subegit. Vidimus modo Joatham se recepisse Beram, ubi in tuto permansit, quæ civitas forte in Ephraim tribu erat posita, & quæ non admodum a Sichem uberat. Regnavit autem super Israel eodem pacto, quo Judices rexerunt Israel; regnavit super illos, qui elegerant illum, illiusque imperium acceperant.

℣. 23. MISIT DOMINUS SPIRITUM PESSIMUM.] Permisit, ut discordiæ spiritus inter illos irreperet: permisit Dæmoni in eorum animos odium, diffidentiam, indignationem effundere; quemadmodum judex in sontem immittit carnificem, illique potestatem
C illius mulctandi, atque occidendi permittit. Vide Augustinum qu. 45. & Serarium hic.

QUI COEPERUNT EUM DETESTARI, (℣. 24.) ET SCELUS INTERFECTIONIS SEPTUAGINTA FILIORUM JEROBAAL &c.] Hebræus [2]: *Contra illum arma ceperunt, ut crimen* (vel criminis pœna) *septuaginta filiorum Jerobaal caderet super illum; atque ut sanguinem illorum super Abimelech ponerent*. Permisit Deus Sichimitas ab Abimelech deficere, ut scelestus ille pœnam sceleris lueret, quod patrarat, fratres suos interficiens. Deus illum per eosdem plectit, qui sceletis illius fuerant occasio. Cupiditas dominandi Sichimitis rapuit illum ad sævissimam inhumanitatem, Sichimitarum eorumdem defectio ipsius calamitatum primordium fuit.

℣. 25. POSUERUNTQUE INSIDIAS ADVERSUS EUM
D IN SUMMITATE MONTIUM.] Abimelech plane non in Sichem, sed in Ephra in domo patris sui sedem sibi statuerat; illi vero urbi virum præfecerat nomine Zebul, de quo infra loquemur ℣. 28. Sichimitæ ira succensi adversus Abimelech locarant insidias in montibus, qua illi transeundum erat in Sichem proficiscenti, ut illum interficerent, antequam in urbem perveniret. Interea Oppidani, cum jam tyrannidis jugum se excussisse arbitrarentur, viatores diripere occœperunt, veluti in bello justo; atque inter lætantium voces, & gaudia, quæ vindemias prosequi solent, in Templum Dei sui convenerunt, ubi cum se se mero proluere incœpissent, ac liberius frui, mille imprecationes in Abimelech evomuere. Gaal fi-
E lius Obed, qui cum cognatione sua in Sichem venerat, huic adfuit solemnitati, atque inter ceteros insolentia, ac ambitiosis sermonibus maxime eminuit; atque adeo imprudens fuit, ut dictis lacesseret Zebul, qui princeps erat partium Abimelech. Zebul vero clam certiorem fecit Abimelech de iis, quæ in illum parabantur, de insidiis, quæ in illum dispositæ fuerant, & de seditione Sichimitarum. Abimelech statim coegit milites, & infesto agmine in Sichem perrexit.

℣. 26. VENIT AUTEM GAAL FILIUS OBED CUM
A FRATRIBUS SUIS, ET TRANSIVIT IN SICHIMAM.] Ex decursu patet Gaal venisse in Sichem, ut civitati opem ferret, eamque adversus Abimelech tueretur; unde vero istuc accesserit, ignoratur. Porro accersitus fuerat, ut simpliciter opitularetur, non autem ut in urbe dominaretur. *Utinam*, mero madefactus ajebat vers. 29. *utinam daret aliquis populum istum sub manu mea, ut auferrem de medio Abimelech*.

℣. 27. VASTANTES VINEAS, UVASQUE CALCANTES.] Hebraicus textus simpliciter habet [3]: *cum egressi essent in agros, in vineis suis vindemias agere instituerunt, uvas pedibus calcantes, atque choreas duxerunt* (vel musicis instrumentis pulsarunt.) *Deinde in Templum Dei sui convenerunt, ut biberent, & manducarent*. Chaldaica versio, & Septuaginta [4] in eo-
B dem sensu intellexerunt. Usque ad adventum Gaal in Sichem, modum aliquem cum Abimelech Sichimitæ servaverant; satis ipsis fuerat, insidias in montibus struere, ut redeuntem aggrederentur; sed simulatque Gaal in urbem pervenit, in obvium quemque impune grassari incœperunt, atque etiam, juxta nonnullorum Interpretum conjecturam [5], vastare vineas consanguineorum, amicorum, eorumque, qui in partes Abimelech abierant. Vel juxta Hebraicum textum: Cum tumultus hujus tempore vindemiæ instarent, in agros effusi sunt, ut vindemias agerent, ibique animo relaxando vacarunt, quomodo ea anni tempestate consueverat. Prophetæ non semel de vindemiarum lætitia loquuntur. Isajas 16. 10. minitatur Moabitis, non amplius auditum iri inter illos lætan-
C tium voces in vindemiis, & gaudia uvas calcantium; Et Jeremias 48. 33. *Ablata est lætitia, & exultatio de Carmelo, & de terra Moab, & vinum de torcularibus sustuli, nequaquam calcator uvæ solitum celeuma cantabit*.

INGRESSI SUNT FANUM DEI SUI, ET INTER EPULAS.] Ingressi sunt Dei sui Templum, ut gratias agerent, eo quod illos de Abimelech servitute eripuisset. Fere numquam sacris operabantur Ethnici, quin convivia, & commessationes subsequerentur: aliud rei hujus exemplum infra c. 16. 24. 25. in Sampsonis historia videbimus.

℣. 28. NUMQUID NON EST FILIUS JEROBAAL, ET CONSTITUIT PRINCIPEM ZEBUL SERVUM SUUM SUPER VIROS EMOR PATRIS SICHEM?] Hæc porro erat
D Gaal oratio. Quinam igitur est Abimelech, & quæ Sichem? Num Abimelech se urbi huic superiorem putat? Censet ille, urbem hanc non mereri, ut ille hanc suo dignetur adspectu, ibique suam sedem constituat, eamque suis tegat auspiciis? Cur nam præfecit illi virum nomine Zebul? Hi sermones in Sichimitarum animis indignationem ciebant: perinde ac Abimelech per civium, vel civitatis contemptum ibi maneret, illique per se præesse dedignaretur.

Hebraicus textus alium quoque sensum admittit [6]: *Quis est Abimelech? nonne est filius Jerobaal, & Zebul Præfectus illius? Serviamus posteris Hemor patris*, vel conditoris *Sichem: cur nam nosmet illi subjiciemus?* Si per nos constituere cupimus Dominum, vel Regem, cur illum in familia Ierobaal inquiri-
E mus, vel in persona Zebul? illum nobis optemus ex civibus Sichem urbis celebris adeo, atque vetustate nobilis, a Hemor conditæ. Cur serviemus exteris? Ex textu videtur Gaal fuisse e Chananæorum genere, si ad eam orationem advertamus animum, qua de Hemor loquitur; neque haud fieri potuisse reor, quod Sichimitæ plures adhuc ex illius essent progenie, cujus rei idolatria, quam in templo Baal-berit exercebant, est argumentum. Verum ita quoque intelligi potest: Pareamus Principibus, & Magistratibus Sichem, qui locum obtinent Hemor vetustissimi illius

---

1 בית מלוא.
2 בעלי שכם באבימלך לבוא חמס שבעים בני ירבעל ודמם לשים על אבימלך ויבגדו
3 ויצאו השדה ויבצרו את כרמיהם וידרכו ויעשו הלולים וגו׳.
4 Theodot. αὐλοί. 70. χόροι,
5 Tostat. Cornel.
6 בן ירבעל וזבל פקידו עבדו את אנשי חמור אבי שכם ומדוע נעבדנו אנחנו הלא

lius conditoris. Videri potest in Genesi 34. 2. Historia Sichem filii Hemor a filiis Iacob interfecti.

℣. 29. UTINAM DARET ALIQUIS POPULUM ISTUM SUB MANU MEA.] Gaal palam tyrannidem adfectat; Sichimitas hortatur, ut ipsum in Regem eligant, atque pollicetur illis, se de medio sublaturum Abimelech. Minime dubio locus est, quin Abimelech quoque eos haberet in urbe, qui illi adhærerent, quibus Zebul præerat; sed hæ partes infirmiores erant, & Zebul ipse id plane dissimulabat inter has turbas, & motus, expectans donec reverteretur Abimelech, quem subinde eorum, quæ contingerent, certiorem faciebat.

℣. 31. MISIT CLAM AD ABIMELECH NUNTIOS.] Hebraicus Textus habet [1]: *Misit nuntios in Tarmach*, quam nonnulli [2] esse putant eamdem ac Harmach ℣. 41. Alii vertunt [3]; misit callide, vafreque legatos; astu usus est, ut quo in statu versaretur civitas, ille cognosceret. Septuaginta [4]: *misit ad eum nuntios cum muneribus*.

OPPUGNAT ADVERSUM TE CIVITATEM.] Hebraice [5]: *urgent*, obsident *civitatem adversum te*. At urbine, qua quis potitur, parat obsidionem? Gaal, & Oppidani, nonne dominabantur in Sichem? Respondetur, ipsos se communivisse in urbe adversus Abimelech; omnia parabant, instruebantque, ut illius imperium propulsarent, si ille oppugnare voluisset; vel forte obsidebant, detinebantque eos, qui in partibus erant Abimelech, ne egrederentur, viresque suae cum illo conjungerent [6]: quæ singulæ explicationes optimæ quidem sunt, verum non officiunt, quin locutio hæc oppugnandi illam civitatem, intra quam versamur, nova sit, atque inaudita. Itaque vertere mallem: *Sunt hostes in urbe*, vel *cum urbe adversum te*. Hebraica vox *Zarim* passim in Scriptura hostes significat; neque aliquid pro urbis præsenti conditione magis erat idoneum, quam asserere, urbem defecisse, atque illam hostibus Abimelech esse refertam.

℣. 34. TETENDIT INSIDIAS JUXTA SICHIMAM IN QUATUOR LOCIS.] Hebraice habemus [7]: *tetenderunt insidias quatuor capita propter Sichem*, videlicet Abimelech in quatuor turmas divisit copias suas, easque in quatuor locis juxta Sichem collocavit; vel dedit quatuor Ducibus copias suas, ut singuli suæ militum manui præessent.

℣. 35. EGRESSUSQUE EST GAAL, & STETIT IN INTROITU PORTÆ CIVITATIS.] Ex sermonis decursu liquet, Gaal cognovisse de adventu Abimelech, atque de urbe egressum fuisse cum copiis, ut illi occurreret.

℣. 37. ECCE POPULUS DE UMBILICO TERRÆ DESCENDIT.] Hebraice [8]: *Ecce populus, qui de Thabor terra descendit*. Nomen Thabor eo pacto, quo hic scribitur, exaratum, significat umbilicum, vel tumulum. Propheta Ezechiel 38. 12. eadem utitur locutione, ad denotandam, ut perhibetur, Ierusalem, cujus situs admodum elatus erat. Vide & Iosephum l. 3. de Bello c. 2. Nomen idem apud profanos authores tribuitur quibusdam locis, quæ censebantur centrum, vel editissima regionis pars. Varro [9] ait umbilicum Italiæ esse lacum Cutiliæ in agro Reatino; Cicero vero in Verrem 6. Siciliæ umbilicum in Nemore Ennæ, & Græciæ Titus Livius apud Bonfrer. hic in Etolia statuunt.

PER VIAM, QUÆ RESPICIT QUERCUM.] Hebraice [10]: *per viam quercus* (vel querceti) *Meonenim*. Nomen *Meonenim* significare potest vates, vel homines qui scrutantur auguria. Septuaginta [11], *per viam respicientium*, vel *observantium*. De *Meonenim* sermo est 1. Paral. 4. 41. & 2. Paral. 26. 7. de Maon vero capite sequenti libri hujus ℣. 12.

℣. 41. ABIMELECH SEDIT IN RUMA.] Hic forte idem est locus, qui supra ℣. 31. *Tarma* appellatur. Hic quidem locus erat prope Sichem. Abimelech ea die in urbe non aderat; forte ut populo facultatem præberet, pœnitentiæ, atque iterum se ipsius imperio subjiciendi.

ZEBUL AUTEM GAAL, ET SOCIOS EJUS EXPULIT DE URBE.] Quomodo nam Zebul, cum de urbe ejecisset Gaal, & socios ejus, non admisit Abimelech Dominum suum? cur postera die Sichimitæ iterum in aciem prodeunt adversus Abimelech, qui cum illos cecidisset, urbem quoque obsidere conatur? Quid autem tunc temporis agebat Zebul? Credi potest ab oppidanis interfectum fuisse postquam ejecisset Gaal, & socios ejus: nam de neutro illorum amplius est sermo in hac historia; vel potius Zebul, & qui in partibus iisdem versabantur, clauserunt portas Gaal, & sociis illius, qui ab Abimelech in fugam acti erant, atque obstiterunt, ne in urbem se reciperent; quod tamen obesse non potuit, quominus seditiosi, qui in urbe permanserant, crastina die adversus Abimelech egrederentur. Sæpius dicitur, ejici, & expelli, qui non admittitur, vel excipitur.

℣. 45. ITA UT SAL IN EA DISPERGERET:] In signum æterni odii, ac implacabilis; Sal symbolum est durationis, atque æternitatis: vel ut redderet in æternum sterilem, ac ingratam terram Sichem, ut inhospitum fieret desertum simile deserto Sodomorum, & Gomorrhæ, quod juxta Moysis verba Deuter. 29. 23. sulphure, ac salis ardore consumptum est; itaut neque seri posset, neque aliquid ibi viresceret, & ederet fructus; veluti terræ illæ, quibus Dominus maledixit Sophon. 17. 6. ubi est *siccitas spinarum, & acervi salis, & desertum usque in æternum*; terræ desertæ, inhospitæ, arescentes, propter magnam salis copiam, qua diffluunt: *habitabit in siccitate, in deserto, in terra salsuginis, & inhabitabili* Jerem. 17. 6. terræ salsæ, atque amaræ, quæ quamvis excolantur, numquam inde tamen aliquid germinat. Virgil. Georg. 2.

Salsa autem tellus, & quæ perhibetur amara
Frugibus infelix, ea nec mansuescit arando.

Hoc minimum obfuit tamen, quominus Sichem instauraretur, ac primam reciperet ubertatem. Sal, quem dispersit victor super rudera civitatis, testatus potius est victoris indignationem, & votum, ut si fieri posset, civitas illa numquam deinceps coleretur, quam re ipsa eam sterilem frugibusque infelicem reddiderit.

Plura apud Historicos extant similis ultionis exempla. Mediolanum anno 1162. captum perhibetur dirutum fuisse, & Sale conspersum [12]. Tostatus qu. 45. se in Hispania paria vidisse testatur. Brantomius ait, in Gallia quoque antiquitus sal effundi consuevisse in illius ædibus, qui perduellionis crimine damnaretur, quod factum est domi Præfecti Classis Castillonii. Adiri potest de hac consuetudine Bochartus de Animal. sacr. l. 3. c. 16. par. 1.

℣. 46. QUI HABITABANT IN TURRE SICHIMORUM.] Hæc turris Sichem erat veluti arx civitatis in editiori loco sita, & satis magna, ut mille viros caperet. Qui in hac turri immorabantur, vel in ea civitatis regione, se conjecerunt in templum Berit, seu quod ibi tutiores futuri essent ob numinis reverentiam a furore Abimelech, seu quod Templum hoc in munitiori esset situ, quam turris.

1 וישלח מלאכים אל אבימלך בתרמה. 2 Jun. Drus. 3 Munst. Cajet. Vatabl. Mont. &c.
4 ἀπέστειλε ἀγγέλους πρὸς Ἀβιμέλεχ μετὰ δώρων. 5 והנה צרים את העיר עליך. 6 Vatab. Drus.
7 ויארבו על שכם ארבעה ראשים. 8 הנה עם יורדים מעם טבור הארץ. 9 Plin. l. 3. cap. 12. In agro Reatino Cutiliæ lacum . . . Italiæ umbilicum esse M. Varro tradit. 10 מדרך אלון מעוננים.
11 Ἀπὸ ὁδοῦ δρυὸς ἀποβλεπόντων. 12 Sigon. de Reg. Ital. l. 13. & 14. apud Serar. qu. 30.

FANUM DEI SUI BERITH, UBI FOEDUS CUM EO PEPIGERANT, ET EX EO LOCUS NOMEN ACCEPERAT, QUI ERAT MUNITUS VALDE.] Hæc omnia in explicationem addita sunt. Hebraice habetur solum [1]: *domum Dei Berith*, vel *Bethel-Berith*.

℣. 48. ASCENDIT IN MONTEM SELMON.] Mons hic erat prope Sichem. De hoc sermo etiam est Psalmo 67.

PRÆCIDIT ARBORIS RAMUM.] Hebraice, & Græce [2]: *fasciculum lignorum*; quantum lignorum homobajulare potest. Josephus: *Accepit fasciculos lignorum aridorum*.

℣. 49. FACTUM EST UT FUMO, ET IGNE NECARENTUR.] Hebraicus textus [3], & Septuaginta non loquuntur de fumo, & homines circiter mille fuisse dicunt.

℣. 50. AD OPPIDUM THEBES.] Hoc tresdecim passus mille a Sichem abest, Scythopolim versus, inquit Eusebius.

CIRCUMDANS OBSIDEBAT EXERCITU.] Hebraicus textus [4], Septuaginta, aliæque Versiones innuunt oppidum non oppugnatum solum, sed expugnatum fuisse. Re quidem vera post captam civitatem, dum turrim vel arcem obsideret, occisus fuit.

℣. 53. UNA MULIER FRAGMEN MOLÆ DESUPER JACIENS.] Incolæ in hanc turrim sese receperant, atque e solario, quod pro tecto erat in obsidentes deorsum jaciebant lapides, quos ibi collegerant. Mulier quædam fortuito dejecit fragmen molæ de superiori parte [5]; hoc enim Hebraicus textus dicitur significare. Rex Pyrrhus eamdem subiit sortem, atque Abimelech, cum fragmine tegulæ percussus fuisset, quod de superiori tecto mulier fuerat jaculata [6]. Alia quædam similis eventus apud Historicos extant exempla [7]. Lacædemones hostium muros subire non audebant, nam ibi sæpius fortior quisque ab infirmissimo, ac inertissimo quoque potest interfici. Plutarchus in Sylla.

℣. 54. VOCAVIT CITO ARMIGERUM SUUM.] Veteres Bellatores, atque Heroes armigeros suos semper habebant, qui illis in prælio semper aderant, atque arma deferebant, cum illis minime uterentur. Scriptura loquitur de Armigeris Saol 1. Reg. 31. 4. Goliath 1. Reg. 4. 1. Jonathæ 1. Reg. 17. 7. & Joab 2. Reg. 18. 37. Historia profana quosdam famulos commendat, qui Dominis suis mortem conscivere, ut illos ex hostium furore, & opprobriis subducerent. Cajus Marius se famulo suo tradidit jugulandum, atque hac in re Historicus servi facinus æque dignum laude censuit, ac pietatem illorum, qui vitam suam obtulerunt, ut Dominos suos tutarentur [8]: *Cujus dexteræ tam opportuna ministerium nihil eorum pietati cedit, a quibus salus Domini protecta est*. David profecto non in eadem versabatur sententia, nam jussit, Amalecitem illum interfici, qui par officium Sauli deprecanti, ac in extrema necessitate posito se præstitisse gloriabatur. Christianorum Religio æque damnat, & qui alterius motuatur manum, ut sibi necem consciscat, & qui operam in id facinus commodat.

PERCUTE ME, NE FORTE DICATUR, QUOD A FOEMINA INTERFECTUS SUM.] Lacædemones ægre obsidendi Argos iniere consilium, cum perspexerunt, mulieres quoque ad urbem propugnandam immisceri [9]. Herculi interituro nihil gravius, & tristius videbatur, quam sibi propter feminæ dolum esse intereundum. Seneca *Oet.*

O turpe fatum! femina Herculea necis
Author feretur.

---

1 בית אל ברית. 70. Βαιθὴλ Βερίθ. 2 שוכת עצים. φορτίον ξύλων. Compl. Ald. Alexand. Cod. sed Rom. habet, κλάδον ξύλου. Joseph. φακελὸν ὕλης ξηρᾶς ... τῷ γυρῷ. 3 בנשׁ ויםותו. 4 ויחן בתבץ וילכדה. 5 פלח רכב. Syr. Vatab. 70. κλάσμα ἐπιμύλιον. 6 Plut. in Pyrrho. 7 Vide Serar. qu. 33. 8 Valer. Max. l. 6. c. 8. Exempl. 2. 9 Pausan. l. 2.

CAPUT X.

Thola, & Jair Judices Israel. Israelitæ duodeviginti annorum intervallo serviunt Philisthæis, atque Ammonitis; ac pœnitentia ducti, idola deserunt; atque hostibus suis bellum parant inferre.

1. POst Abimelech surrexit dux in Israel Thola filius Phua patrui Abimelech, vir
de Issachar, qui habitavit in Samir montis Ephraim: 2 Et judicavit Israelem
viginti, & tribus annis, mortuusque est, ac sepultus in Samir. 3 Huic suc-
cessit Jair Galaadites, qui judicavit Israelem per viginti, & duos annos, 4 Habens tri-
ginta filios sedentes super triginta pullos asinarum, & principes triginta civitatum: quæ
ex nomine ejus sunt appellatæ Havoth Jair, id est, oppida Jair, usque in præsentem di-
em, in terra Galaad. 5 Mortuusque est Jair, ac sepultus in loco, cui est vocabulum
Camon. 6 Filii autem Israel peccatis veteribus jungentes nova, fecerunt malum in con-
spectu Domini, & servierunt idolis, Baalim, & Astaroth, & diis Syriæ, ac Sidonis,
& Moab, & filiorum Ammon, & Philisthiim: dimiseruntque Dominum, & non colue-
runt eum. 7 Contra quos Dominus iratus, tradidit eos in manus Philisthiim, & filio-
rum Ammon. 8 Afflictique sunt, & vehementer oppressi per annos decem & octo, o-
mnes, qui habitabant trans Jordanem in terra Amorrhæi, qui est in Galaad: 9 In tan-
tum, ut filii Ammon Jordane transmisso, vastarent Judam, & Beniamin, & Ephraim:
afflictusque est Israel nimis. 10 Et clamantes ad Dominum, dixerunt: Peccavimus ti-
bi, quia dereliquimus Dominum Deum nostrum, & servivimus Baalim. 11 Quibus lo-

cutus

cutus est Dominus : Numquid non Ægyptii, & Amorrhæi, filiique Ammon, & Philisthiim,
12 Sidonii quoque, & Amalech, & Chanaan, oppresserunt vos, & clamastis
ad me, & erui vos de manu eorum ?
13 Et tamen reliquistis me, & coluistis deos alienos : idcirco non addam, ut ultra vos liberem :
14 Ite, & invocate deos, quos elegistis, ipsi vos liberent in tempore angustiæ.
15 Dixeruntque filii Israel ad Dominum : Peccavimus, redde tu nobis quidquid tibi placet : tantum nunc libera nos.
16
Quæ dicentes, omnia de finibus suis alienorum deorum idola projecerunt, & servierunt Domino Deo : qui doluit super miseriis eorum :
17 Itaque filii Ammon conclamantes in Galaad fixere tentoria ; contra quos congregati filii Israel, in Maspha castrametati sunt.
18 Dixeruntque principes Galaad singuli ad proximos suos: Qui primus ex nobis contra filios Ammon cœperit dimicare, erit dux populi Galaad.

℣. 1. SURREXIT DUX IN ISRAEL THOLA.] Vel A juxta hebraicam lectionem [1] : *Surrexit, ut servaret Israel*. Verum in quo consiliis salus, quam ipse fecit in Israel ? Hoc Scriptura non innuit. Nonnulli putant, ipsum turbas sedasse, quas conciverat Abimelech, judicasse populum, illi præfuisse, atque in Domini cultu cohibuisse. Verum meræ sunt conjecturæ.

THOLA FILIUS PHUA, PATRUI ABIMELECH.] Phua igitur frater erat Gedeonis ; atque forte electus est propter adolescentiam Joatham, qui solus e filiis Gedeonis remanserat, & qui omnium natu minimus fuerat. Præceperat Moyses, ut cum directi hæredes deficerent, hæreditas in mortui fratres migraret, qui si deessent, ad fratres patris deferretur ; Num. 27. 9. 10. *Si filiam non habuerit, habebit successores fratres suos, quod si & fratres non fuerint, dabitis hæreditatem fratribus patris ejus*. Ut legi huic ratio haberetur, fortasse ad Judicis dignitatem Thola evectus fuit, filius fratris Gedeonis. B

Verum si Phua frater est Gedeonis, quomodo esse potuit e tribu Issachar, cum Gedeon fuisset e tribu Manasse ? Respondetur [2], Gedeonem, & Phuam esse potuisse uterinos fratres, ex eadem matre genitos, quæ successive viro e tribu Manasse, ex quo ortus est Gedeon, ac deinde viro alteri e tribu Issachar, qui fuerit pater Phua, nupserit.

Septuaginta [3], & Chaldaica versio [4] innuunt, *Tholam fuisse filium Phua patrui sui*. Verum quinam fieri potest, ut vir quidam filius sit patrui sui? Hæc propositio in litterali sensu contradictionem involvit. C Verum ut hæc difficultas concilietur, asseri potest, fieri quidem posse, ut patruus sibi filium fratris adoptet ; quo in sensu Thola filius Gedeonis adoptari potuit a Phua fratre Gedeonis patruo suo. Nonnulli hoc pacto explicant : *Thola filius Phua*, qui Thola erat quoque *filius patrui Abimelech* ; ita ut Phua pater Thola frater fuerit Gedeonis, & patruus Abimelech.

Æquivocum hebraicæ vocis *Dod* omnes has peperit difficultates. En textus ad litteram [5] : *Thola filius Phua, filii Dodo*. Postrema hæc vox sumi potest pro nomine proprio, & pro nomine generico. Qui in priori intelligunt sensu [6], credunt Phuam, vel Tholam filios fuisse viri, cui nomen *Dodo*. Alii [7] explicant de patruo Abimelech, vel Thola, quemadmodum supra adnotavimus. D

QUI HABITAVIT IN SAMIR.] Nemini mirum videatur, si vir e tribu Issachar in Ephraim tribu permaneat. Israelitæ numquam coacti fuerunt sedem suam in propria tribu statuere ; fundi solum venumdari minime poterant homini cuipiam ex alia tribu. Samir urbs ignoratur. Ejusdem nominis civitas, & mons in tribu Juda inveniuntur, Josue 5. 48.

℣. 3. HUIC SUCCESSIT JAIR GALAADITES.] Hic Jair alius creditur fuisse ab eo, de quo sermo est in libro Numerorum 32 41. ac in Deuteronomio 3. 14. Primus quidem erat e Manasse tribu, æque ac iste, de quo sermo est, atque plures possidebat urbes in regione Galaad, quas *Havot-Jair* nuncupavit ; verum ille ante hunc diu vixerat : ille sexaginta habebat urbes, sed hic Judex Israel solum triginta. Non pauci [8] putant Jair Judicem Israel, *Bedan* in Regum libris vocari [9]. Scriptura nihil refert, nec quo pacto Judex fuerit constitutus, nec quid hac in provincia pro populo suo ipse gesserit.

℣. 4. HABENS TRIGINTA FILIOS, SEDENTES SUPRA TRIGINTA PULLOS ASINARUM.] Quod significat non asellos tantum, sed asinos. His uti ea in regione ad equitandum consueverant ; neque enim tunc temporis apud Hebræos ullus erat equorum usus. S. Hieronymus [10] credit etiam, illis interdictum fuisse equis uti, quamquam nihil explicitum adferat Lex ; quod ipsum in Ægypto vetitum fuisse doctor idem in Jerem. adstruit, ubi non nisi impetrata ab Rege facultate equum licebat conscendere. Vidimus supra 5. 10. nobilium virorum fuisse, asinos conscendere ; divites, Judices, Principes hac re a pauperibus distinguebantur ; quippe asinos ad equitandum habebant pastos opipare, *qui ascenditis super nitentes asinos*. Septuaginta editionis Romanæ, & Basileensis pro triginta filiis, ac totidem asinis duo legunt & triginta. Verum quo jure non liquet.

PRINCIPES TRIGINTA CIVITATUM, QUÆ EX NOMINE EJUS SUNT APPELLATÆ HAVOT-JAIR.] Novimus in eadem regione sexaginta civitates [11], quæ *Havot-Jair*, vel pagi Iair vocabantur, quibus nomen a primo Iair Manasse filio fuerat impositum. Latet, utrum triginta hi pagi alterius Jair, omnes diversi fuerint a pagis primi ; an vero hic Judex Israel confirmaverit solum, vel instauraverit nomen *Havot-Jair* in triginta locis, qui tempore cujusdam ex majoribus suis, eodem nomine nuncupabantur. Grotius credit, Iair, de quo in hoc capite sermo, fuisse filium Segub, cujus meminere Paralipomenon libri [12], & qui reliquit filio suo in hæreditatem tres, & viginti pagos, seu *Havoth* in regione Galaad, qui cum aliis septem, quos ab avo suo Esdron obtinere potuit, triginta numerum explent. Hæ omnes evitari possent difficultates, ita hebraicum textum vertendo [13] : *Habebat triginta filios sedentes supra triginta pullos asinarum, & hi filii habebant triginta civitates, quæ ad hanc usque diem Havoth-Jair appellantur*. Textus non ait, illis hoc nomen factum fuisse de hu-

1 ויקם להושיע את ישראל. 70. τὰ σῶσαι τὸν Ἰσραήλ. 2 August. qu. 47. in Judic. & alii passim.
3 Θωλα υἱὸς Φουα υἱὸς πατραδέλφου αὐτοῦ. 4 תולע בר פואה בר אחבוהי.
5 תולע בן פואה בן דודו. 6 Cajet. Pagn. Mont. Varab. Rabb. &c. 7 Munst. Bonfr. Cornel.
8 Serar. Usser. & alii. 9 1. Reg. 12. 11. & 1. Par. 7. 17.
10 *Præceptum est in Lege, ut non Hebræus habeat equos*. Hieron. in Psal. 75. Idem in Isai. 31. 7.
11 1. Par. 2. 23. 12 1. Par. 2. 22. *Sed & Segub genuit Jair, & possedit viginti tres civitates in terra Galaad*.
13 שלשים בנים רכבים על שלשים עירים ושלשים עירים להם יקראו חות יאיר עד היום הזה.

jus Iudicis Israel nomine: antea enim a veteri Iair A illia nomen accesserat.

ŷ. 5. CAMON.] Adrichomius, & Bonfrerius hanc urbem statuunt trans Iordanem in regione Galaad, & naturaliter ibi gentium fuisse censetur: nam Iair, & familia ipsius ibidem commorabantur. Eusebius, & Sanctus Hieronymus loquuntur de *Camon* in magno campo sex passuum millibus procul a Legione boream versus, euntibus Ptolemaidem. Hæc plane ea est civitas, quam Polybius l. 5. captam fuisse ait post urbem Thabor ab Antiocho Magno. Verum hæc posterior urbs *Camon* ea nequit esse, de qua istic est sermo. Septuaginta legunt *Rhamnon* pro *Camon*. Reor autem hanc eamdem esse, atque Hamon 1. Paral. 6. 56. & Hammothdor Josue 21. 32.

ŷ. 6. BAALIM, ET ASTAROTH, ET DIIS SYRIÆ, B ET SIDONIS, ET MOAB, ET FILIORUM AMMON, ET PHILISTIIM.] Prolixius de Baal, & Astaroth loquimur in Dissertatione de Diis Phœnicum. De Diis vero Syriæ in Dissertatione de Moloc Deo Ammonitarum disseruimus; & quinam essent Moabitarum Dii vidimus in Dissertatione de Chamos. De Diis Philistiim sermo erit, cum de Dagone loquemur.

ŷ. 7. TRADIDIT EOS IN MANUS PHILISTIIM, ET FILIORUM AMMON.] Ex decursu non liquet Israelitas his populis serviisse; verum illorum populationibus, & rapinis patebant, cum viribus nequaquam pares essent, ut illis resisterent. Sacer Historicus hoc præludio nos præparat ad historiam Iephte, Isir, Abesan, Ahialon, & Abdon, quorum primus Israelitas de Ammonitarum vexationibus liberavit, alii C vero eos de Philistiim manibus protexerunt.

ŷ. 8. PER ANNOS DECEM, ET OCTO.] Non constat liquido, quandonam hi decem, atque octo anni incœperint; sed credimus illos desiisse post relatam a Iephte de Ammonitis victoriam. Hi anni illud tantum respiciunt tempus, quo tribus trans Iordanem obnoxiæ fuerunt incursionibus Ammonitarum. Tempus, quo Philistiim afflixerunt Israel, refertur inferius cap. 13. ŷ. 1. Hebraicus loci hujus textus difficilis est [1]: *Afflicti fuerunt anno illo per annos decem, & octo*. Quinam vero est annus ille? Nonnulli [2] intelligunt annum, quo Iair occubuit; alii [3] vero annum, quo Dominum relinquere occœperunt. Ego quidem vertere mallem cum Septuaginta Basileensis, & Romanæ editionis: *In illo tempore* indefinite; videli- D cet dum Iair populum regeret, hic in idololatriam prolapsus est; sed Deus adversus illum hostes concivit Ammonitas, qui novissimis duo de viginti annis, quibus hic Iudex præfuit, eumdem vexarunt [4]. Vel hi decem, & octo anni referuntur ad Iudicum tempus, qui secuti sunt Iair [5]. Nullam aperit viam textus, qua has difficultates certo possimus evolvere.

OMNES, QUI HABITABANT TRANS IORDANEM .... ŷ. 9. IN TANTUM UT FILII AMMON IORDANE TRANSMISSO, VASTARENT IUDAM, ET BENJAMIN, ET EPHRAIM.] Hic habes descriptionem malorum, quæ Ammonitæ Israelitis intulerunt, dum hi ex altera parte a Philistiim affligebantur. Ammonitæ regionem omnem trans Iordanem positam depopulabantur, præsertim tribum Galaad, atque inde Iordane traducto E in agros Iuda, Benjamin, & Ephraim effundebantur, atque eodem ferme pacto ibi grassabantur, quo Madianitas in tribum Manasse, finitimasque desæviisse conspeximus; scilicet populabantur, omnemque agrum vastabant. Israel illis nequaquam parebat, verum cum vires illi haud suppeterent, quibus impetum propulsaret, hæc omnia pati mala debuit.

ŷ. 11. QUIBUS LOCUTUS EST DOMINUS;] Videlicet Angelus, vel Propheta, vel quispiam summa pietate vir, quem extra ordinem suscitaverat Dominus, ut ea, quæ sequuntur, exprobraret.

A ÆGYPTII, AMORRHÆI, &c.] Oppressio, quam Hebræi in Ægypto passi fuere, satis superque insignis est; verum nuspiam legimus Amorrhæos persecutos fuisse Israel: ni Amorrhæorum nomine intelligas Chananæos, qui sub Jabin Rege Asor eum oppresserunt [6]. Alii intelligunt de Og, & Sehon Regibus Amorrhæorum, qui pro hostibus habuere Israelitas [7], eosque summis viribus sunt persecuti.

Ammonitæ actu Israelitas vexabant, atque antea cum Eglon Rege Moab adversus Hebræos fœdus inierant, Judic. 3. 13.

Philistiim quoque actu infesti erant filiis Israel, & Samgar jam pridem [8] eorum impetum represserat, atque hostiles incursiones, quas ea in regione exercebant.

B Sidonii quoque, cum præpollerent viribus in terra Chanaan, non defuerunt procul dubio, quo minus Israelitas sibi finitimos urgerent, cum se se ferret occasio; sed Scriptura nullam singillatim illorum memorat persecutionem, qua contra illos sævierint. Generatim scimus, Sidonios ex eo populorum fuisse numero, quos Deus reliquerat, ut fidem populi sui exerceret, atque experiretur [9]; & videtur etiam, Sidon cum Rege Asor fœdere fuisse juncta, qui acerrime Israelitas est persecutus.

Amalecitæ perpetui fuerunt Hebræorum hostes; Eglon Regi adhæserant, qui Judæos persequebatur [10]; atque in Madianitica servitute, ii erant ex Orientalium populorum numero, qui terras Israel populaturi ingrediebantur, Judic. 6. 3.

C Denique Chananæi Israelitas sunt persecuti ubique, cum communiter, tum particulariter, quoad vi, & calliditate potuere: illi horum spiritum, ac mentem corruperunt; & cum alii finitimi populi subinde, solum cum ferret occasio, infensi Judæis essent, Chananæi perpetuo, ac internecino odio semper flagrarunt. Ii erant, juxta Josue 23. 13. verba, veluti aculei lateribus eorum, & spinæ oculis ipsorum, quin aliquando quietum eos ducere spiritum paterentur.

Pro Chanaan, quod in Vulgata legimus, & in Græco textu Editionis Complutensis, atque Aldi, Græce manuscripti Alexandrini, atque editionis Romanæ lectio habet *Madian*: Hebraicus textus habet *Maon* [11]: Chaldaicus vero: *virum e Maon*. At nullum novi- D mus vel populum, vel Regem hoc nomine qui ante id tempus Israelitas fuerit persecutus. Legimus in 1. Paralipomenon 4. 40. 41. & 2. Paral. 26. 7. nomen *Maonim*, velut populi, qui originem duxerit a Cham, & qui egregiam obtinebat regionem, qua viri e tribu Simeon potiti sunt. Hos *Minæos* appellant Septuaginta; sed Minæi erant Arabiæ populi, quorum Strabo l. 16. & Diodorus Siculus l. 3. c. 42. meminere; itaque merito Maonim adjungi possunt Madianitis, Amalecitis, aliisque Orientis populis, qui per aliquot annos terram Israel sunt depopulati. Ex hac recensione innotescit, Scripturam in hoc libro minime retulisse omnes Israelitarum persecutiones.

ŷ. 13. NON ADDAM, UT ULTRA VOS LIBEREM;] E Ni vivendi rationem immutetis.

ŷ. 16. QUI DOLUIT SUPER MISERIAS EORUM;] Scilicet eorum misertus est. Hebraice [12]: *anima ipsius arctata est*, spiritus illius præclusus est, *propter calamitates Israel*. Hæc ratio est humanitus loquendi. Dicitur anima præ lætitia dilatari, & præ mœrore præcludi. De illo etiam, qui patiens est, dicimus, ipsum non adeo facile perturbari, esse animæ magnæ; e contra illum, qui pati nescit, facile commoveri, atque animæ esse pusillæ. Hæc Hebraica locutio est admodum significativa. Vide Vatablum, & Drusium.

ŷ. 17.

1 וירצצו בשנה ההיא שמנה עשרה שנה. 2 Tigur. 3 Vatab. 4 Usser. Salian. Torniel. 5 Euseb. Genebr. ex tradit. Hebr. 6 Judic. 4. 7 Num. 21. 8 Judic. 3. 31. 9 Judic. 3. 3. 10 Judic. 3. 13. 11 מעון. 12 ותקצר נפשו בעמל ישראל. 70. ὠλιγοψύχησεν ἐν τῷ κόπῳ Ἰσραήλ.

℣. 17. Filii Ammon conclamantes in Galaad fixere tentoria.] Ammonitæ conclamantes ad arma convenerunt ſimul, & caſtra poſuerunt prope urbem Galaad, regionis caput, atque in hæreditate tribus Gad, quam ſui juris eſſe Ammonitæ jactabant. Nominis Galaad ſignificatio latius patet. Verum curnam editi fuere clamores illi, qui hic referuntur? acceſſerunt illi veluti ovantes, cum lætitiæ vocibus, ſibi invicem mutuis acclamationibus animos addentes, quemadmodum uſuvenit inter milites, qui nihil verentur, atque in omni rerum copia verſantur. Vel magnis clamoribus in unum convocati ſunt; dimiſere per regiones, qui clamando invitarent ad bellum.

Filii Israel in Maspha castrametati sunt.] Scilicet in Maſpha Galaad prope fines torrentis Jabok, præter propter ad mediam montium Galaad longitudinem. Sæpius occurrit ſermo de hac urbe Maſpha. Vide ea, quæ dicta fuerunt in Joſue 11. 3. & 13. 26.

℣. 18. Qui primus ex nobis contra filios Ammon coeperit dimicare; erit Dux populi Galaad.] Pollicentur non dignitatem ſolum, atque honorem Ducis in hoc bello, verum etiam Principis, quoad vixerit, illi, qui prior manus cum Ammonitis conſerere auſus fuerit; fere quemadmodum poſt mortem Joſue tribus Dominum conſuluere, ut intelligerent, quinam prior bellum in Chananæos inferre deberet Judic. 1. 1. Majus periculum in id genus bellis illorum ſemper erat, qui primi cum hoſte confligerent: omnia a primo pendebant impetu, ac primo conatu, quo vis in hoſtem inferebatur, vel a virtute, qua illata ab hoſtibus vis primum propulſabatur. Qui prior ſe hoſti offerebat, aliis aditum aperiebat, atque ex eo vel triumphus, vel clades prælii pendebat, atque eo prælio omnis ferme rerum ſumma agebatur; nam bella, quorum hic liber meminit, biduo nonnunquam, vel triduo perficiebantur; aliquando infra menſem abſolvebantur, & ſemper breviori temporis intervallo, habita eorum ratione quæ deinceps pugnata fuere. Videtur autem, nemo ex Principibus Galaad auſus fuiſſe, primùm Ammonitas prælio laceſſere, quandoquidem ſequenti capite exercitus imperium Jephte delatum fuiſſe intuemur.

CAPUT XI.

Jephte Dux Iſraelitarum electus, Ammonitas aggreditur, & cædit. Cum autem voviſſet ſe Deo oblaturum quod primum domo ſua egrederetur, ſe voto adſtrictum credit filiæ ſuæ Domino ſacrificandæ.

1\. FUit illo tempore Jephte Galaadites vir fortiſſimus, atque pugnator, filius mulieris meretricis, qui natus eſt de Galaad. 2 Habuit autem Galaad uxorem, de qua ſuſcepit filios, qui poſtquam creverant, ejecerunt Jephte, dicentes: Hæres in domo patris noſtri eſſe non poteris, quia de altera matre natus es. 3 Quos ille
fugiens, atque devitans, habitavit in Terra Tob: congregatique ſunt ad eum viri inopes, & latrocinantes, & quaſi Principem ſequebantur. 4 In illis diebus pugnabant filii Ammon contra Iſrael. 5 Quibus acriter inſtantibus, perrexerunt majores natu de
Galaad, ut tollerent in auxilium ſui Jephte de Terra Tob: 6 Dixeruntque ad eum:
Veni, & eſto princeps noſter, & pugna contra filios Ammon. 7 Quibus ille reſpondit: Nonne vos eſtis, qui odiſtis me, & ejiciſtis de domo patris mei, & nunc veniſtis
ad me neceſſitate compulſi? 8 Dixeruntque principes Galaad ad Jephte: Ob hanc igitur cauſam nunc ad te venimus, ut proficiſcaris nobiſcum, & pugnes contra filios Ammon, ſiſque dux omnium, qui habitant in Galaad. 9 Jephte quoque dixit eis: Si vere veniſtis ad me, ut pugnem pro vobis contra filios Ammon, tradideritque eos Dominus in manus meas, ego ero veſter princeps? 10 Qui reſponderunt ei: Dominus,
qui hæc audit, ipſe mediator, ac teſtis eſt: quod noſtra promiſſa faciemus. 11 Abiit
itaque Jephte cum principibus Galaad, fecitque eum omnis populus principem ſui. Locutuſque eſt Jephte omnes ſermones ſuos coram Domino in Maſpha. 12 Et miſit nuntios ad regem filiorum Ammon, qui ex perſona ſua dicerent: Quid mihi, & tibi eſt,
quia veniſti contra me, ut vaſtares terram meam? 13 Quibus ille reſpondit: Quia tulit Iſrael terram meam, quando aſcendit de Ægypto, a finibus Arnon, uſque Jeboc, atque Jordanem: nunc ergo cum pace redde mihi eam. 14 Per quos rurſum mandavit
Jephte, & imperavit eis, ut dicerent regi Ammon: 15 Hæc dicit Jephte: Non tulit
Iſrael Terram Moab, nec Terram filiorum Ammon: 16 Sed quando de Ægypto conſcenderunt, ambulavit per ſolitudinem uſque ad Mare rubrum, & venit in Cades. 17
Miſitque nuntios ad regem Edom, dicens: Dimitte me, ut tranſeam per terram tuam:
qui noluit acquieſcere precibus ejus. Miſit quoque ad regem Moab, qui & ipſe tranſitum præbere contempſit. Manſit itaque in Cades. 18 Et circuivit ex latere Terram
Edom, & Terram Moab, venitque contra Orientalem plagam terræ Moab, & caſtrametatus eſt trans Arnon: nec voluit intrare terminos Moab: Arnon quippe confinium eſt

Terræ

Terræ Moab. 19 Misit itaque Israel nuntios ad Sehon regem Amorrhæorum, qui ha-
bitabat in Hesebon, & dixerunt ei: Dimitte, ut transeam per terram tuam usque ad
fluvium. 20 Qui & ipse Israel verba despiciens, non dimisit eum transire per terminos
suos: sed infinita multitudine congregata, egressus est contra eum in Jasa, & fortiter re-
sistebat. 21 Tradiditque eum Dominus in manu Israel cum omni exercitu suo, qui per-
cussit eum, & possedit omnem Terram Amorrhæi habitatoris regionis illius. 22 Et u-
niversos fines ejus, de Arnon usque Jaboc, & de solitudine usque ad Jordanem. 23
Dominus ergo Deus Israel subvertit Amorrhæum pugnante contra illum populo suo Is-
rael, & tu nunc vis possidere terram ejus? 24 Nonne ea, quæ possidet Chamos deus
tuus, tibi jure debentur? Quæ autem Dominus Deus noster victor obtinuit, in nostram
cedent possessionem: 25 Nisi forte melior es Balac filio Sephor rege Moab: aut doce-
re potes, quod jurgatus sit contra Israel, & pugnaverit contra eum, 26 Quando ha-
bitavit in Hesebon, & viculis ejus, & in Aroer, & villis illius, vel in cunctis civitati-
bus juxta Jordanem, per trecentos annos. Quare tanto tempore nihil super hac repeti-
tione tentastis? 27 Igitur non ego pecco in te, sed tu contra me male agis, indicens
mihi bella non justa. Judicet Dominus arbiter hujus diei, inter Israel, & inter filios Am-
mon. 28 Noluitque acquiescere rex filiorum Ammon verbis Jephte, quæ per nuntios
mandaverat, 29 Factus est ergo super Jephte Spiritus Domini, & circuiens Galaad, &
Manasse, Maspha quoque Galaad, & inde transiens ad filios Ammon, 30 Votum vo-
vit Domino, dicens: Si tradideris filios Ammon in manus meas, 31 Quicumque pri-
mus fuerit egressus de foribus domus meæ, mihique occurrerit revertenti cum pace a
filiis Ammon, eum holocaustum offeram Domino. 32 Transivitque Jephte ad filios Am-
mon, ut pugnaret contra eos: quos tradidit Dominus in manus ejus. 33 Percussitque
ab Aroer usque dum venias in Mennith, viginti civitates, & usque ad Abel, quæ est
vineis consita, plaga magna nimis, humiliatique sunt filii Ammon a filiis Israel. 34
Revertente autem Jephte in Maspha domum suam, occurrit ei unigenita filia sua cum
tympanis, & choris: non enim habebat alios liberos. 35 Qua visa, scidit vestimenta
sua, & ait: Heu me, filia mea, decepisti me, & ipsa decepta es: aperui enim os meum
ad Dominum, & aliud facere non potero. 36 Cui illa respondit: Pater mi, si aperui-
sti os tuum ad Dominum, fac mihi quodcumque pollicitus es, concessa tibi ultione at-
que victoria de hostibus tuis. 37 Dixitque ad patrem: Hoc solum mihi præsta, quod
deprecor: Dimitte me, ut duobus mensibus circumeam montes, & plangam virginita-
tem meam cum sodalibus meis. 38 Cui ille respondit: Vade. Et dimisit eam duobus
mensibus. Cumque abiisset cum sociis, ac sodalibus suis, flebat virginitatem suam in
montibus. 39 Expletisque duobus mensibus, reversa est ad patrem suum, & fecit ei,
sicut voverat, quæ ignorabat, virum. Exinde mos increbuit in Israel, & consuetudo
servata est: 40 Ut post anni circulum conveniant in unum filiæ Israel, & plangant fi-
liam Jephte Galaaditæ diebus quatuor,

℣. 1. JEPHTE GALAADITES FILIUS MULIERIS MERETRICIS.] Quo in loco Israelitarum res in regione Galaad versarentur, superiori vidimus capite. Ammonitæ in ipsorum terras effusi omnia vastabant, & Israelitis nec vires, neque animi suppetebant, ut illorum impetum propulsarent. Deus modo eorum Liberatorem suscitat in Jephte persona, atque hunc a populo in Principem electum confirmat. Jephte originem duxerat ex Maspha in Galaad, filius Galaaditæ cujusdam, & meretricis [1], videlicet juxta nonnullos, mulieris, quæ quæstum corporis faciens versabatur in lustris; juxta alios [2], concubinæ, quam Galaadita ille duxerat quin ulli connubiorum servarentur ritus, sine syngrapha, sine dote, ideoque sine ulla obligatione in hæreditatis partem vocandi filios, qui ex ea nascerentur. Alii vero putant, mulierem hanc fuisse alienigenam [3], & ex earum numero, cum quibus miscere conjugia Hebræi vetitum erat, Chaldaica paraphrasis plerumque Hebraicum nomen Zona Cauponam reddunt; & Josephus Antiqu. l. 5. c. 9. arbitratur hanc exteram fuisse mulierem, quam Galaadita domi suæ exceperat. Hoc autem constat Jephte matrem nequaquam fuisse publicum scortum, quoniam apud virum suum una cum filio suo Jephte immorabatur, qui veluti de illata injuria conqueritur, quod de patris sui domo fuerit ejectus. Hic plane erat e tribu Manasse, quemadmodum videbimus infra. Regio Galaad frequens erat cultoribus cum e dimidia tribu Manasse trans Jordanem, tum e tribu Gad.

Hebræi docent [4] apud ipsos concubinæ filiis, quæ legem amplexa fuerit, & quæ nec alienigena esset, neque captiva, æque ac aliis filiis jus fuisse ad hæreditatem: sed alienigenarum mulierum, vel ethnicarum, vel ex alia tribu, filios nullam habuisse partem in patris hæreditatem. Filii matrum conditionem, ac tribum sequebantur; atque nefas erat diver-
sarum

1 יפתח הגלעדי בן אשה זונה alii, & infra ℣. 2. *quia de altera matre natus est*. 2 Rab. David, Druf. Munst. Vat. Cornel. 3 Ita Joseph. Grot. 4 Vide Druf. hic & Grot. & Seldon. de succes. in bona &c. l. 1. c. 3.

sarum tribuum fundos, ac hæreditates perturbare.

Verum plura adferuntur facta, quæ diruere videntur ea, quæ hac de re docent Rabbini. Abraham ad nutum Dei domo sua ejecit Ismael; & munera dedit filiis Cethuræ. Omnes filii Iacob, tum ii, quæ e Lia, & Rachel geniti fuerant, tum qui ex ancillis, in æqualem hæreditatis partem venere. Nullam particulariter legem tulit Moyses de successione filiorum, qui e legitimo connubio orti non essent: sed a cœtu domini illos arcet, qui de meretrice orirentur. Deuter. 23. 2. *Non ingredietur Mamzer, hoc est, de scorto natus in Ecclesiam Domini, usque ad decimam generationem*. Ex questubus Iephte adversus Principes Galaad, qui indicta causa illum domo patris sui expulerant, conjicere licet, ipsos id contra gentis leges, ac jura patrasse, & saltem illi denegati minime potuisse alimenta, donec ad eam perveniret ætatem, qua sibi victum posset comparare [r]. Neque enim queritur, quod paterna hæreditate, ac successione exutus fuerit. Passim admonuimus Rabbinicæ Iurisprudentiæ decisiones haud suspicione vacare, nisi legum authoritate, vel Scripturæ exemplis fulciantur. Apud Græcos filii, qui e muliere, quæ non ex eadem esset urbe, ac pater, oriebantur, habebantur illegitimi. Aristophan. in Avib. Grot. de jure Belli & Pacis l. 2. c. 5. ar. 15.

℣. 3. HABITAVIT IN TERRA TOB.] Terra Tob erat ad boream regionis Galaad, cujus pars erat, authore Iosepho lib. 5. Antiqu. c. 9. Regio hæc satis insignis est in Scriptura [a]; in Macchabæorum libris *Tubim* vocatur, & Iudæi regionis illius *Tubianæ*. 1. Macchab. 5. 13. & 2. Macch. 12. 17.

CONGREGATIQUE SUNT AD EUM VIRI INOPES, & LATROCINANTES.] Textus hic imaginem exhibet Capitis latronum, qui rapto viveret, ac viribus suis ad infirmum quemque opprimendum abuteretur. Hoc pacto sensit Author Quæstionum in vetus Testamentum, quæ divi Augustini nomine circumferuntur, quæst. 43. Verum alii hoc probro Iephte purgare conantur. Credunt alii, homines, qui illi adhæserunt, antea rapinam exercuisse, sed postquam illum secuti sunt, in justis tantum bellis eorum opera ipsum usum fuisse. Alii animadvertunt, latronis nomen olim non adeo invisum fuisse, ac hodierna die est; latronis nomine miles appellabatur, ac ille præsertim, qui se operam locaturum pollicebatur, eo contentus, quod capere, vel lucrari posset: *Latrocinatus annos decem mercedem accipio*, miles ait apud Plautum in Milite: & alibi: *Rex Seleucus me opere oravit maximo, ut sibi latrones cogerem, & conscriberem*.

Videbimus infra [3] David agmen agentem virorum iis similium, quos Iephte cogit. Nec Hebraicus Textus, neque Septuaginta loquuntur de latronibus: ajunt enim Iephte *congregasse apud se inopes*, vel *inertes* [4]; (hæc eadem est vox, quam supra c. 9. 4. de Ahimelech locuti explicuimus,) *& homines hos cum ipso prorexisse*. Ii hunc sequebantur, ipso duce bellum ciebant, ipsorum erat ille imperator.

℣. 4. IN ILLIS DIEBUS PUGNABANT FILII AMMON CONTRA ISRAEL.] Cum jam nobis ostenderit Sacer Historicus, quinam, & cujus esset hic Iephte, ad Ammonitarum bellum nos revocat adversus Galaaditas, cujus narrationem præcedenti capite occœperat. Cum igitur Ammonitæ regionem Galaad essent ingressi, & Israelitæ castra posuissent in Maspha; hi, cum necquicquam principum exercitus ambitionem tentassent polliciti totius populi imperium, si quis primus hostem invadere auderet, statuerunt demum accersere Iephte concivem suum, cujus virtus apud illos satis erat probata, & qui modicæ militum manui præerat.

℣. 5. QUIBUS ACRITER INSTANTIBUS.] Ex hoc loco viderentur exercitus jam manus conseruisse, vel saltem ab Ammonitis in arctum adeo redactos fuisse Israelitas, ut nequirent amplius prælium effugere. At versiculi hujus, & superioris Hebraica lectio hæc simpliciter habet: (℣. 4.) *& accidit post aliquod tempus, quod filii Ammon bellum intulere Israeli:* (℣. 5.), *& cum illi bellum inferrent, seniores Galaad accersiverunt Jephte de terra Tob*. Ex decursu [5] liquet, Ammonitas infesto agmine prædas tantum abegisse, atque hoc anno id tantum patrasse, quod superioribus annis patrarant.

℣. 7. NONNE VOS ESTIS, QUI ODISTIS ME, ET EJECISTIS DE DOMO PATRIS MEI?] In legatorum numero fortasse aliquis adfuit e fratribus Iephte, qui illum de domo Patris sui ejecerat: sed quamvis Primores tantum populi essent, merito hæc illis Jephte exprobrabat, quoniam minime obstiterant, ne illi hæc inferretur injuria, eamque silentio suo quodammodo probaverant, vel etiam forsasse judicio.

℣. 8. OB HANC IGITUR CAUSAM.] Ut illata compensetur injuria; vel potius ut nos de tot periculis eruas, ac de manu Ammonitarum eripias. Hebraice [6]: *Ob hanc igitur causam nos ad te revertimur, & tu nobiscum proficisceris*.

℣. 11. FECIT EUM OMNIS POPULUS PRINCIPEM SUI.] Hoc temporis momento totius exercitus imperium illi delatum est, cum fide, ipsum habitum iri caput, vel Judicem populi totius post prælium, si victoriam de hoste referret.

LOCUTUSQUE EST JEPHTE OMNES SERMONES SUOS CORAM DOMINO IN MASPHA.] Populo proposuit conditiones, quibus adactus accesserat, ille se ipsis adstrinxit, atque eorum erga se fidem testatam excepit. In medium attulit rationem, qua commode illi videbatur insistendum, ut bellum absolveretur: denique sensus suos prodidit in concione, ubi nomen Domini invocatum fuit, atque ubi ultro citroque mutuis sacramentis fidei observandæ se se adegerunt, Dominum in testem adhibentes. Hæc omnia acta, transactaque sunt in Maspha Galaad, ubi Israelitæ consederant, quemadmodum superiori capite ℣. 17. vidimus.

℣. 12. QUID MIHI, & TIBI EST.] Cur me bello lacessis? quæ tibi de me conquerendi suppetit causa? Quid mihi tecum est? Jephte istic singularis suæ prudentiæ, ac moderationis, præclarum specimen præbet, quod nemo a forti viro expectasset, inter belli tumultum, ac strepitum armorum.

℣. 15. NON TULIT ISRAEL TERRAM MOAB, NEC TERRAM FILIORUM AMMON.] Cum Ammonitæ respondissent, ab Israelitis usurpatam fuisse regionem omnem, *a finibus Arnon, usque Jabok, atque Jordanem*, qui tractus non solum Ammonitarum, verum etiam Moabitarum regionem comprehendit: Jephte se nihil, neque Ammonitis, nec Moabitis ademisso respondit. In eo vero magis immoratur ut probet, quod Moabitis asseruerat, nam hæc præcipua ratio erat, vel quæ in speciem magis adferri posset de hoc bello. Quamquam profecto id alienum a quæstione, de qua agebatur, visum est; nam Moabitarum regnum aliud erat a regno Ammonitarum, & Galaaditæ nequaquam eas terras possidebant, quibus olim Moab dominabatur: has quippe Ruben cessesant.

Sed fidei pronius est, hostium aciem e Moabitis, atque Ammonitis fuisse compositam, qui duo populi cum fratres essent, omnia ipsorum bona, veluti communia tuebantur, non secus ac Hebræi trans Jordanem simul fœdera conjuncti erant, ac mutuis auxiliis terras suas, ac sua jura servabant. Illud etiam nescio, utrum tunc Moabitæ peculiari principi obtemperarent: post illatam Regi Eglon cædem, hos populos non cernimus amplius inter Hebræorum hostes adnumerari; de Ammonitis dumtaxat est sermo. Primus Rex Moab, quem post Egloo noverimus, David

r Vide Serar. qu.

a 2. Reg. 10. 6.

3 1. Reg. 22. 2. *Convenerunt ad eum omnes qui erant in angustia constituti, & oppressi ære alieno*. Vide & 1. Reg. 27. 8. 9.

4 אנשים ריקים ויצאו עמו 70. *Alex. & Ald.* ἄνδρες λιτοί, *Vatican.* αἰτοί.

5 ℣. 11. 12. 13.

6 לכן עתה שבנו עליך והלכת עמנו

David ævo degebat: & Iephte [1] hic Ammonitarum A Regem alloquitur, perinde ac Moabitarum Rex esset, & successor Balac. Conjicere igitur possumus, Ammonitas post mortem Eglon Regis Moabitarum, regionem Moab invasisse, atque eam actu possedisse tunc temporis, cum Iephte cum ipsis congressus est.

℣. 16. AMBULAVIT PER SOLITUDINEM USQUE AD MARE RUBRUM.] Non loquitur de prima vice, qua Israelitæ ad rubri maris oram, quarta post exitum de Ægypto die, pervenerunt; sed de itinere, quo recta tetenderunt in Asiongaber versus hoc mare, postquam necquicquam aditum in regionem Chanaan per montium juga tentassent. De Asiongaber reversi sunt in Cadesbarne, unde misit Moyses legatos ad Reges Edom, & Moab, ut peteret transitum per regiones illorum, quem uterque denegarunt. Moyses B non loquitur explicite de legatione ad Regem Moab; sed ea dicit, quæ sufficiunt, ut conjectemus, ipsum vere transitum poposcisse; nam refert Dei mandatum, quo Deut. 2. 8. 9. cautum fuerat, ne Idumæis, ac Moabitis bellum inferret. Iephte de his omnibus ad Ammonitas loquitur, velut apud ipsos vulgatis, atque nemini ignotis.

℣. 20. EGRESSUS EST IN IASA.] Hæc est urbs Regni Sehon ad orientem Esebon versus torrentem Arnon, prope quem Hebræi castra posuerant.

℣. 22. DE SOLITUDINE USQUE IORDANEM.] De Arabia Deserta ab Oriente usque Iordanem ad Occidentem.

℣. 23. DEUS ISRAEL SUBVERTIT AMORRHÆUM, PUGNANTE CONTRA ILLUM SUO POPULO ISRAEL, C & TU NUNC VIS POSSIDERE TERRAM EJUS?] scilicet, vel terram Moab, vel Sehon, vel populi Israel, nam unum sunt, & idem: namque actu erat Israelitarum, qui illam ademerant Sehon, & quæ antea fuerat Moabitarum. Iephte, cum refutasset Ammonitas, qui dixerant, Moysem ipsis eas eripuisse terras, quas Israelitæ trans Iordanem possidebant; cumque veram acquisitionis hujus retulisset historiam, eo quod Israelitis plane præceperat Deus, ne enim Moabitis, vel Ammonitis congrederentur, ostendit, nullum esse illis populis jus ea repetendi, quæ Hebræi de Amorrhæis ceperant: idque tribus argumentis: primo quidem eo quod Hebræi terris illis justo bello potiti sunt; dein eo quod illis a Deo fuerint donatæ; denique, quod eas trecentos annos, atque ul- D tra possidebant. Operæ pretium erit hæc Iephte argumenta perpendere.

Fatentur omnes, victoriæ jus legitimam esse caussam ea possidendi, quæ justo bello de hostibus capta fuere [2]; *Quæ ex hostibus, jure gentium statim capientium fiunt* [3]; atque in victoris dominium cedere, quin victo jus ullum supersit ea repetendi, cum hic probabiliter omni exciderit spe ea, quorum jacturam subierit, iterum adipiscendi; *Cepisse rem is intelligitur, qui ita retinet, ut recuperandi spem probabilem alter amiserit*, inquit Grotius. Verum difficultas oriri potest quoad ea, quæ de injusto usurpatore, non vero de legitimo possessore fuerunt adempta. Licetne id suum ducere, quod exempli gratia de latronibus capitur? Qui aliquid acquirit, ha- E bere ne potest in id majus jus, quam ille, cui ademptum est, habuerit? Abraham [4] iis renuit frui, quæ de Codorlahomor ac fœderatis illius ceperat, nam hæc præda de Sodomitis fuerat abacta. Demosthenes in Orat. de Halonnes. palam ait, neminem probare ausurum, jure ea posse retineri, quæ de latronum manu fuerint ablata. Quomodo igitur Hebræorum possessionem in terris, quas de Sehon Amorrhæorum Rege ceperant, Iephte defendit, cum loca illa princeps hic injuria usurpasset, atque Ammonitarum regionem invasisset?

Respondetur hic agi solum de victoriæ, non au- A tem de latrocinii, & usurpationis jure; probatur enim, bellum, dummodo publicum sit, ac solemniter indictum, atque illatum juxta communia jura, satis esse, ut victor exterius dominium indipiscatur, quin rei acquisitæ legitimus possessor evadat; ita ut qui ex illo ceperit ea, quæ ipse ex aliis adeptus fuerat, legitimum dominium eorum acquirat, quin illis, qui antea possidebant, ullum supersit jus ad ea repetenda, quæ olim in ipsorum potestate erant posita. Huic gentium juri Iephte innitebatur; quin ad examen revocaret, utrum bellum Sehon adversus Moabitas justum fuerit, nec ne: satis erat, Sehon pacatam obtinuisse possessionem eorum, quæ belli ceperat, tunc cum Moyses regionem illius est ingressus, ut Israelitis, qui eumdem justo prælio fuderunt, B ceciderruntque, compararet dominium, & possessionem regni illius, quin Moabitæ aliquid repetere possent. Hoc eodem jure David ea potitus est præda, quam de Amalecitis retulerat 1. Reg. 30. 20. qui Palestinam depopulati revertebantur. Abraham quoque sibi retinere potuisset ea, quæ de Codorlahomor ceperat; & Rex Sodomorum ipsum jure suo uti velle arbitrabatur, quandoquidem solum repetit viros, quos ceperat, illique cætera relinquit [5]. Scatent Historiæ exemplis, quibus hoc jus, de quo sermo est, confirmatur [6]; eaque fuit Græcorum Romanorumque sententia, & consuetudo.

Altera ratio, quam adfert Iephte, ut probet Israelitarum possessionem regionis trans Iordanem positæ, nullum dubium admittit; eruitur enim a supre- C mo dominio, quod in omnium hominum bona exercet Deus. Ille enim procul dubio potestatem habet transferendi dominium terrarum, quas mavult, in alterius ditionem, quin primo possessori locus sit conquerendi.

Sed cum Ammonitæ, qui Deum Israel minime agnoscebant pro Deo suo, possent respondere, se nequaquam teneri, ut crederent Deum absolutum in eorum bona habere dominium: Iephte hoc illis occurrit argumento [7]: *Nonne ea quæ possides Chamos Deus tuus tibi jure debentur? Quæ autem Dominus Deus noster victor obtinuit, in nostram cedent possessionem*; ex superabundanti jus victoriæ juri Dominicæ concessionis adjungit.

Denique tertium Iephte argumentum est jus præ- D scriptionis, ac possessionis trecentorum annorum. Ut justa constituatur præscriptio, optima possidentis fides requiritur, & possessio neque turbata esse debuit, neque interrupta. Israelitæ trecentorum annorum spatio eam possederant terram, sine ullo vel Amorrhæorum, quos devicerant, neque Moabitarum, qui testes fuerant regionis ab illis captæ, questu; quin Balac, qui tunc imperitabat in Moab, eam recuperare conatus fuerit, & illi, qui post ipsum regnarunt, umquam commentitio jure uti cogitarint. Fide vero optima Hebræi id possidebant. Nullum umquam finem haberent hominum jurgia, si diuturni adeo temporis ratio minime sufficeret, ut illis bonorum suorum proprietatem assereret. Hæc jura, quæ sunt familiarum tranquillitatis origo in hæreditati- E bus, sunt quoque publicæ pacis in Imperiis, ac nationibus fundamentum. Vide Grotium hic, & lib. 2. c. 4. de jure Belli & Pac.

℣. 24. NONNE EA, QUÆ POSSIDET CHAMOS DEUS TUUS TIBI JURE DEBENTUR? QUÆ AUTEM DOMINUS DEUS NOSTER VICTOR OBTINUIT, IN NOSTRAM CEDENT POSSESSIONEM.] Hebraicus textus alium potest sensum admittere [8]: *Nonne possidebis illum, quem Chamos Deus tuus ejecerit de regione sua; & illos omnes, quos Dominus Deus noster ejecit a facie nostra, minime possidebimus?* Si vobis, Ammonitæ, & Moabitæ, jus esse arbitramini regionem possidendi, ex qua Deus vester primos expulerit incolas, ut ibi vos

---

1 ℣. 25. *Nisi forte melior es Balac filio Sephor Rege Moab &c.*
2 Grot. de jure Belli & Pacis l. 3. c. 6. ar. 2.
3 Caj. Jurisconf. apud eundem.
4 Genes. 14. 22. 23.
5 Genes. 14. 21. *Da mihi animas, cetera tolle tibi.*
6 Vide Grot. lib. de jure Belli & Pacis lib. 3. c. 6. ar. 7.
7 Vide ℣. 24.
8 הלא את אשר הורישך כמוש אלהיך אותו תירש ואת כל אשר הוריש יהוה אלהינו מפנינו אותו נירש

vos constituetes: cur non eodem jure nobis licet frui, ut possideamus regionem, quam nobis possidendam tradidit Deus eos delens, qui ibi erant ante nos? Advertendum est, Ammonitas, & Moabitas Emeis eorum ademisse hæreditatem, ut ipsi sibi sedem statuerent, quemadmodum Moyses ait in Deuteronomio 2. 10. *Emim primi fuerunt habitatores ejus, populus magnus, & validus.* Iephte ratiocinatur juxta ideas Ammonitarum, vel potius Moabitarum, dicens, *Chamos* ipsorum Deum illis eam regionem dedisse; neque enim in hunc Deum credebat; sed per sermonis figuram, quæ concessio appellatur, ea supponit, quæ hostes contendunt. Chamos est Moabitarum Deus, uti ex Scriptura passim innotescit; Num. 21. 29. & 3. Reg. 11. 7. 33. & 4. Reg. 23. 13. & Ierem. 48. 13. 46. &c.

℣. 25. AUT DOCERE POTES, QUOD JURGATUS SIT CONTRA ISRAEL, & PUGNAVERIT CONTRA EUM.] Si Hebræi Amorrhæorum terris potiti fuissent, inscii, vel absentibus Moabitis, dici fortasse posses, illos haud cognita victoria, quam Israelitæ de Sehon reportaverant, hæreditatem suam repetere nequiisse, quam antea illis ademeras Sehon: Sed Balac filius Sephor Rex Moabitarum testis fuit belli, quo Moyses Amorrhæorum Reges est persecutus; vidit terras de Rege illo captas tribubus Ruben, Gad, & dimidiæ Manasse divisas; nec tamen conquestus est, nec bellum indixit, neque obstitit Moysi terram dividenti, quæ olim ad Moabitas spectabat. Iure ne igitur Ammonitæ repetere possunt a Iephte, ut illis hanc eamdem regionem restituat, quam veteres Moabitæ reliquerant?

At enim nonne Balac bellum Israelitis indixerat, quandoquidem in Iosue 24. 9. legimus, Regem hunc adversus Israel dimicasse? *Surrexit autem Balac filius Sephor, & pugnavit contra Israelem.* Respondetur, Balac nequaquam re ipsa, & cruente cum populo Dei armis decertasse, sed odio, ita, invidia; accersivit autem vatem Balaam, ut Hebræos devoveret, illisque malediceret; odio suo ad bellum profecto rapiebatur; sed cum illorum vires formidaret, deterritus est, ne congrederetur; neque ideo opem, atque artem Balaam quæsivit, ut regionem, qua Israelitæ potiti fuerant, reciperet, sed quod verebatur, ne ipse quoque bello pereretur, ac regnum sibi adimeretur. Ita profecto animi sensus prodidit senioribus Madian Num. 22. 4. 5. 6. *Ita delebit hic populus omnes, qui in nostris finibus commorantur, quomodo solet bos herbas usque ad radices carpere*; & ad Balaam conversus; *Egressus est populus ex Ægypto, qui operuit superficiem terræ sedens contra me; Veni igitur, & maledic populo huic.* Non ignorabat Balac, quod Israelitæ jure bello ipsum lacessere poterant; ita enim meritus fuerat, cum transitum illis per regionem suam denegasset; crediditque sibi ab Hebræis esse cavendum, si forte ipsius regnum invaderent: arma cepit, vatem accersivit. Hoc autem innuere voluit Iosue dicens, ipsum *pugnasse contra Israelem.*

℣. 26. PER TRECENTOS ANNOS.] Plures adsunt viæ calculum ineundi horum tercentum annorum; verum nulla suppetit, quæ trecentos exacte annos fuisse demonstret. Judæi [1] tercentos, & nonaginta quatuor enumerant. Qui ab exitu de Ægypto rationem inire occipiunt, tercentos & quinque, vel sex, ajunt fuisse. Ego vero juxta initam recensendi rationem sexaginta quatuor, vel quinque & sexaginta, supra ducentos fuisse comperio. Melioris notæ Interpretes [2] fatentur quidem, Jephte hic non summa diligentia loquutum fuisse; sed voluisse tantum præter propter referre tempus, quod a bello adversus Sehon ad eam usque diem affluxerat.

℣. 27. JUDICET DOMINUS ARBITER HUJUS DIEI INTER ISRAEL, & INTER FILIOS AMMON.] Vel juxta Hebraicum textum [3]: *Dominus erit judex, judicabit hodie inter Israel, & Ammonitas.* Jephte probus Princeps quærit vias pacem conciliandi, antequam ad apertum, infestumque bellum deveniat, hoc sibi persuadens, bellum pro justa causa tantum esse inferendum, atque ut pejora mala evitentur. Minatur autem Ammonitis Judicium Dei, si malum hoc illorum culpa contigerit.

℣. 29. FACTUS EST SUPER JEPHTE SPIRITUS DOMINI.] Deus illum spiritu sapientiæ, fortitudinis, consilii replevit: communicavit illi lumen, & gratiæ vim, quæ necessaria erant, provinciæ, quæ illi demandabatur, regundæ.

CIRCUIENS GALAAD MANASSE, MASPHA QUOQUE GALAAD, & INDE TRANSIENS AD FILIOS AMMON.] Jephte ut copias sibi compararet, quibus cum Ammonitis congredi posset, peragrat provincias frequentiores, & quarum maxime intererat, ut hostes repellerentur. Discedit de Maspha, ubi habitum fuerat populi concilium, atque ubi castra Israel erant posita [4], cumque omnem tribum Gad lustrasset, atque omnem regionem Galaad, quam illa possidebat, ac insuper dimidiam Manasse tribum, cui hæreditas trans Jordanem erat, rediit in Maspha, & manus cum hoste conseruit. Hæc est Hebraici textus sententia [5]: *transiit per Galaad, & Manasse, & migravit in Maspha Galaad, & de Maspha Galaad profectus est ad filios Ammon.* In sequenti capite videbimus ipsum ab Ephraim quoque tribu suppetias petiisse: *Vocavique vos ut præberetis mihi auxilium, & facere noluistis*, Judic. 12. 2.

℣. 31. QUICUMQUE PRIMUS EGRESSUS FUERIT DE FORIBUS DOMUS MEÆ . . . EUM HOLOCAUSTUM OFFERAM DOMINO.] De voto Jephte in peculiari Dissertatione seorsim actum est.

℣. 33. PERCUSSIT AB AROER USQUE DUM VENIAS IN MENNITH.] Cum copias suas in Maspha Galaad coegisset, accessit ad hostem prope Aroer civitatem tribus Gad secus Arnon positam. Ibi eos fudit, fugavitque usque in Mennith, quæ quatuor passuum millibus ab Esebon distat, atque versus Rabbath filiorum Ammon, seu Philadelphiam, atque inde ad Abel usque, vel Abilam ad vineas.

VIGINTI CIVITATES USQUE AD ABEL, QUÆ EST IN VINEIS CONSITA.] Abel, vineis suis celeberrima, aberat authoribus Josepho, ac S. Hieronymo, duodecim a *Gadara* milliariis Orientem versos. At Gadara Josephi tempore [6] Peræe caput erat, ac una ex urbibus Decapoleos. Hic author eam stadiis sexaginta a Tiberiade abfuisse dicit, ab Hippos vero triginta. Quapropter dicendum est, Iephte Ammonitas persecutum fuisse ab *Aroer* ad *Abel* a meridie in boream viginti leucarum spatio, ac viginti Hostium urbes delesse. Cellarius lib. 3. c. 24. ait, urbem Mennith appellatam fuisse *Minnith urbium viginti*, quemadmodum, exempli gratia, Philadelphia decapoleos nuncupatur. Credit autem hyperbolicum fore, si dixerim, Iephte viginti civitates hostium subvertisse; perinde ac credere teneremur hæc una tantum die absoluta fuisse, non autem in hujus belli decursu.

℣. 34. OCCURRIT EI UNIGENITA FILIA SUA CUM TYMPANIS, & CHORIS.] Credibile est, votum Iephte fuisse secretum, quandoquidem ne minimum quidem præcaverunt, ne ante ipsum aliquid sit se offerret, quod illi dolorem ingereret, votum, cujus damnatus fuerat, adimpleturo. Filia ipsius quemadmodum in simili occasione mos erat, egressa est magno mulierum comitante cœtu, canens, chorosque ducens cum tympanis, quæ minora erant nostris tympanis, sed forma eadem, & ænea. Ita quoque post Philistinorum cladem, & Goliath, mulieres, & Virgines in occursum Saul, & David prodierunt. 1. Reg.

1 Rabb. in Seder. Olam.
2 Serar. Menoch. Bonfrer. Grot. Jun.
3 ישפט יהוה השפט היום
4 Supra cap. 10. 17. & 11. 11.
5 ויעבר את הגלעד ואת מנשה ויעבר את מצפה גלעד וממצפה גלעד עבר בני עמון
6 Joseph. de Bello lib. 4. c. 25.

Reg. 18. 6. *Egressæ sunt mulieres de universis urbibus Israel, cantantes chorosque ducentes in occursum Saul Regis, in tympanis lætitiæ, & in sistris.*

℣. 35. HEU ME, FILIA MI, DECEPISTI ME, & IPSA DECEPTA ES.] Num opus erat, ut tu prior mihi occurreres revertenti? Vehementer mea me fefellit opinio, sed tua te vehementius, ac luctuosius fefellit, quoniam tibi nuntiare debeo, te Domino devotam fuisse. Hebraicus textus diversimode redditur [1]: *Tu me prostravisti*, humiliasti, afflixisti, *atque es inter illos, qui me turbarunt*. Victor redeo de hostibus meis; sed eodem tempore meis vincor infortuniis te obviem inveniens. Aliter: *Tu me turbasti, atque tu quodammodo una cum hostibus meis contra me dimicasti*. Accessisti ut victoriæ lætitiam turbares, quod hostes adversum me facere nequivissent. Theodotion: jugulasti me. Septuaginta: Turbasti me.

FILIA MI,] Pro *filia mea*, æque ac apud probatos authores invenies, *mi anus*, *Domina mi*. Vide Drusium hic. Tibullus: *Vive diu, mi dulcis anus*. Salvianus lib. 3. adv. avarit. *o Domina mi Ecclesia Dei*.

APERUI OS MEUM AD DOMINUM, & ALIUD FACERE NON POTERO.] Promissis meis deesse non possum, voto me adstrinxi, ut quod primum mihi obvium occurreret, Domino consecrarem. Oportet, votum Iephte nequaquam simplex votum fuisse, in quo res devota redimi posset certa pecuniæ summa. Pro muliere redimenda triginta sicli pendebantur, decem vero pro virgine, quæ quinque annos excederet, nondum autem vigesimum attingeret [2]. Votum ipsius erat anathema, quo res ita devovebatur, ut nullatenus redimi fas esset [3]; quæ si vivens erat, mactabatur; sin autem ager, vel domus, Domino in æternum dicabatur. Videri potest tum nostra, tum Ludovici Cappeli dissertatio de voto Iephte. Plerique recentiorum asserunt virgines hoc pacto devotas Dei servitio semper adhæsisse, cælibatum servasse, atque clausas in Tabernaculo, vel Templo mansisse. Grotius autumat, uxores David, quibus Absalon fuerat abusus, eodem habitas fuisse loco, quo sexus ejusdem Domino devotæ mulieres habebantur: conclusas fuisse, atque ad novissimum usque diem continentes vixisse [4]. Sed hæc omnia ex Scripturis nequeunt probari.

℣. 37. DIMITTE ME, UT DUOBUS MENSIBUS CIRCUMEAM MONTES, & PLANGAM VIRGINITATEM MEAM CUM SODALIBUS MEIS.] Consuetudo montes lustrandi, cum quis summa afflictaretur calamitate, ac in luctu jaceret, ex hoc loco patet, & aliis pluribus [5], præsertim quoad regiones trans Iordanem positas. Filia Iephte intelligens se a patre suo morti devotam fuisse, cum sodalibus suis montes petit, lacrymis ibi prosecuturam calamitatem suam, eo quod nullis post se relictis filiis sibi esset moriendum. Sterilitas opprobrium erat apud hunc populum. Virginitas, & cælibatus non honore solum minime excipiebantur, verum quædam veluti infortunii, & maledictionis species habebatur. Textus Hebraicus ita ad litteram vertitur [6]: *Ibo, & descendam super montes, & plangam virginitatem meam, ego, & amicæ meæ*. Num potest quis super montes descendere? Hæ voces nonne contradictionem involvunt? Scimus, Hebræos descendendi, ascendendique vocibus uti, ut simpliciter ire significent; & quædam huic paria in Scripturis occurrunt loca, ubi nulla habetur locorum situs ratio, cum Descendere, ac Ascendere verba adhibentur. Exempli gratia Cap. 15. ℣. 11. libri hujus: *Descenderunt ad altitudinem rupis*: Et in Iosue [7]; *ascendere fecerunt ad vallem Achor*. Itaque puella hæc dicens, se descensuram super montes innuere tantummodo vult, se ituram: vel hoc supposito, quod urbs Galaad posita esset in elatissimo montium Galaad jugo [8], quemadmodum re ipsa erat, dicere potuit se in alios montes circum, qui humiliores essent, quam mons ubi Maspha sita erat, esse descensuram.

℣. 39. FECIT EI SICUT VOVERAT: QUÆ IGNORABAT VIRUM.] Filiam suam mactavit, sicuti voverat; Pater hanc Domino litavit; quæ adhuc virgo erat, neque alicui nupserat.

CONSUETUDO SERVATA EST, (℣. 40.) UT POST ANNI CIRCULUM CONVENIANT IN UNUM FILIÆ ISRAEL, & PLANGANT FILIAM IEPHTE.] Quandiu ritus hic servatus fuerit in Israel trans Iordanem, non liquet; sed apud S. Epiphanium hæres. 55. & 78. legimus, in Samaria, & Sichem filiam Iephte Deorum albo adscriptam fuisse, cui quotannis litabatur; sed hoc difficile videtur, quod credi possit. Kimchi ita Hebraicum textum reddit [9]: *Et hæc lex fuit in Israel, quotannis* (ad litteram, quotidie) *filiæ Israel conveniebant*, vel consolabantur *filiam Iephte*. Quod sonuit, juxta hunc Rabbinum, ceremoniam hanc perstitisse donec filia vixit, quæ immorabatur, inquit, clausa in æde quadam prope Tabernaculum, vel simpliciter domi patris sui, quam civitatis puellæ quotannis quatriduo conveniebant, atque consolabantur. Sed plures Interpretes id aliter explicant: *Filiæ Galaad quotannis publicabant*, laudibus celebrabant filiam Iephte; conveniebant simul ut mortem illius memorarent, atque dignis laudibus memoriam illius prosequerentur. Alii denique cum Vulgata, & Septuaginta reddunt; *conveniebant in unum filiæ Galaad, ut flerent virginitatem hujus filiæ*, ac mortem illius præmaturam.

Hæc Historia Iephte locum præbuisse videtur illi, quam de Idomeneo profani referunt Historici. Cum vir ille de Trojano bello reverteretur, vehementi actus tempestate Neptuno vovit, se illi in sacrificium oblaturum fore, quid primum sibi domum suam ingredienti obvium occurreret [10]; Filius autem præ ceteris primus se se illi obtulit; & Pater votum suum exequi voluit, vel etiam vere executus est, ut malunt nonnulli; quod illius subditos impulit, ut illum de regno deturbarent, ejicerentque ipsius crudelitatem abominati. Poetarum quoque fabulæ plures facti hujus de filia Iephte cum Iphigeniæ [11] Agamemnonis filiæ commento circumstantias immiscuere. Rex ille cum aliis Græcorum Principibus in Aulidem venerat, ubi cum prosperum ventum expectaret, ut ad obsidionem Trojæ vela dimitteret, infelici eventu cervam Dianæ sacram venabundus occidit. Dea irritata ventos cohibuit, & classem detinuit. Chalcantis vatis oraculum periere, qui cecinit, Deam ira succensam sacrificium poscere e sanguine Agamemnonis, atque Iphigeniam sibi in sacrificium offerri. Ulysses regiam virginem abduxerat, ut Deæ litaretur, sed Diana illius miserta de Ulyssis manibus surripuit, atque in illius locum cervam supposuit, quæ fuit immolata. Iphigenia in Tauricam regionem deducta fuit, ubi Sacerdotii munere functa est in Templo Dianæ *Orthiæ*, cui humanis victimis litabatur. *Iphigeniæ* nomen filia *Jephi* denotare potest, quæ vox satis ad Iepte, vel Iephte nomen accedit. Iphigenia nequaquam immolata fuit, sed cerva fuit pro illa supposita: Filia Iephte non statim fuit in sacrificium oblata, sed veluti cerva in montes elapsa, ibi duobus mensibus virginitatem suam lacrymis est prosecuta.

CAPUT

1 הכרע הכרעתיני ואת היית בעכרי 70. ταράχῃ ἐτάραξάς με. *Th.* κατέγγυσα κατήξάς με. *Tu me prafocasti.* Aq. συμψῶν συνέψας με. *Tu me humiliasti, dejecisti.* Sym. ἀμαυρῶν με. ἐμποδοστάτης με. εἰς σκῶλον ὄψιν, ὦ ὀφθαλμῶν με. *Tu me prostravisti: fuisti lapis offensionis meis oculis.* 2 Levit. 27. 4. 5. *Si mulier triginta; a quinto autem anno usque ad vigesimum masculus dabit viginti siclos, famina decem.* 3 Ibid. v. 29. 30. *Omnis consecratio quæ offertur ab homine non redimetur, sed morte morietur.* 4 2. Reg. 20. 3. 5 Ierem. 3. 15. Isai. 15. 2. 6 אלכה וירדתי על ההרים ואבכה על בתולי אנכי ורעותי 7 Josue 7. 24. ויעלו אותם עמק עכור Vide Drus. hic. 8 Cant. 4. 1. *Grex tonsarum quæ ascendunt de monte Galaad.* 9 ותהי חק בישראל מימים ימימה תלכנה בנות ישראל לתנות לבת יפתח 10 Serv. ad Æneid. 3. 11 Idem ad Æneid. 2. & Ovid. Metamorph. l. 12.

CAPUT XII.

Bellum inter Galaaditas, & Ephraim. Ephrathæi, cum non possent proferre Schibboleth ad Jordanis transitum necantur. Mors Jephte. Abesan, Ahialon, & Abdon Judices,

1. Ecce autem in Ephraim orta est seditio: nam transeuntes contra Aquilonem, dixerunt ad Jephte: Quare vadens ad pugnans contra filios Ammon, vocare nos noluisti, ut pergeremus tecum? Igitur incendemus domum tuam.
2 Quibus
ille respondit: Disceptatio erat mihi, & populo meo contra filios Ammon vehemens: vocavique vos, ut præberetis mihi auxilium, & facere noluistis:
3 Quod cernens posui animam meam in manibus meis, transivique ad filios Ammon, & tradidit eos Dominus in manus meas. Quid commerui, ut adversum me consurgatis in prælium?
4 Vocatis itaque ad se cunctis viris Galaad, pugnabat contra Ephraim: percusseruntque viri Galaad Ephraim, quia dixerat: Fugitivus est Galaad de Ephraim, & habitat in medio Ephraim, & Manasse.
5 Occupaveruntque Galaaditæ vada Jordanis, per quæ Ephraim reversurus erat. Cumque venisset ad ea, de Ephraim numero, fugiens, atque dixisset: Obsecro, ut me transire permittatis; dicebant ei Galaaditæ: Numquid Ephrathæus es? quo dicente: Non sum:
6 Interrogabant eum: Dic ergo Scibboleth, quod interpretatur Spica. Qui respondebat, Sibboleth: eadem littera spicam exprimere non valens. Statimque apprehensum jugulabant in ipso Iordanis transitu. Et ceciderunt in illo tempore de Ephraim quadraginta duo millia.
7 Judicavit itaque Jephte Galaadites Israel sex annis: & mortuus est, ac sepultus in civitate sua Galaad.
8 Post hunc judicavit Israel Abesan de Bethlehem.
9 Qui habuit triginta filios, & totidem filias, quas emittens foras, maritis dedit, & ejusdem numeri filiis suis accepit uxores, introducens in domum suam. Qui septem annis judicavit Israel:
10 Mortuusque est, ac sepultus in Bethlehem.
11 Cui successit Ahjalon Zabulonites: & judicavit Israel decem annis.
12 Mortuusque est, ac sepultus in Zabulon.
13 Post hunc judicavit Israel Abdon, filius Illel, Pharathonites:
14 Qui habuit quadraginta filios, & triginta ex eis nepotes, ascendentes super septuaginta pullos asinarum, & judicavit Israel octo annis:
15 Mortuusque est, ac sepultus in Pharathon terræ Ephraim, in monte Amalech.

℣. 1. Ecce autem in Ephraim orta est A seditio.] Tribus hæc viribus ferox, atque aliarum invidens triumphis, dolore afficitur ob victoriam ab Iephte de Ammonitis relatam; queritur eo quod ad hoc prælium accersita non fuerit eodem pacto, quo ante fuerat conquesta, quod Gedeon ad bellum adversus Madianitas eam minime invitasset, Iudic. 8. 1. Hebraicus textus [1] melius, quam Vulgata, Ephraimitarum facinus exhibet: *Et viri Ephraim clamare cœperunt, & ad Septentrionem transiere*. Conclamarunt ad arma, vel ingentibus clamoribus se mutuo excitarunt, ut adversus Iephte progrederentur. Septuaginta [2]: Viri Ephraim clamarunt; vel secundum alium Interpretem: *Filii Ephraim congregati sunt, & venerunt in Sephena*. Sed lectiones aliæ similes sunt Hebraicæ. B Hoc bellum Iephte adversus Ammonitas eo tantum jure pertinebat ad Ephraim, quod Ephraim frater erat Manasse, cujus dimidia tribus trans Iordanem in montibus Galaad immorabatur. Ephraim igitur indignatur, quod in bello magni adeo momenti a Manasse fratre suo invitatus non fuerit una cum citeriori dimidia tribu Manasse, ut illi ferret suppetias adversum Ammonitas. Adnotavimus jam Iephte fuisse e tribu Manasse.

Transeuntes contra Aquilonem.] Fidei pronius est ipsos convenisse Iephte, cum adhuc esset prope *Abel in vineis*, quo Ammonitas fuerat persecutus, antequam reverteretur in Maspha. Novissima hæc urbs porius ad orientem, quam ad boream Ephraim est posita; sed *Abel*, vel *Abila* magis Meridiem spectabat. Septuaginta, quos modo attulimus, vocem *Zephona*, quæ Aquilonem significat, pro urbis nomine acceperunt, iisque nonnulli Interpretes adhæserunt [3]. In Numerorum libro sermo est de loco quodam cui nomen *Sephrona* ad terræ sanctæ Aquilonem: & in Iosue 13. 27. de loco, cui nomen *Saphon*, vel *Zephen* secus Iordanem.

Igitur incendemus domum tuam.] Hebraice [4] *Incendemus domum tuam super te*. Comburemus te, & domum tuam.

℣. 2. Disceptatio erat mihi, & populo meo.] Vidimus superiori capite ℣. 13. 14. & seq. reciproca duorum populorum jura, atque inde argui potuit magnitudo disceptationis, quæ erat inter utrumque. Hebraicus textus ad litteram [5]: *Ego eram vir disceptatio-*

1 ויצעק איש אפרים ויעבר צפונה 2 70. καὶ συνήχθησαν οἱ υἱοὶ Ἐφραΐμ, καὶ ἦλθον εἰς Σεφινά. Καὶ ἐβόησαν εἰς Ἐφραΐμ. 3 Arias Montan. 4 ביתך נשרף עליך באש
5 איש ריב הייתי אני ועמי ובני עמון 70. ἀνὴρ ἀντιδικῶν ἤμην ἐγὼ καὶ ὁ λαός μου, καὶ οἱ υἱοὶ Ἀμμών.

psasionis, ego, populus meus, & filii Ammon. Hæc locutio *Vir disceptationis*, litis, contradictionis, æque pro utroque sumitur, accusante, & defendente [1], actore, & reo [2]; Jephte in quæstione hac patronus erat.

VOCAVIQUE VOS, UT PRÆBERETIS MIHI AUXILIUM.] Jephte ad eos miserat, qui flagitarent, ut ferrent opem, dum ille totum Galaad, ac Manasse tribum lustravit, ut copias usquequaque colligeret [3]. Hæc tamen circumstantia superiori capite non memoratur; non refertur, Jephte in Ephraim legatos rogatum auxilium misisse, & Drusius, ne misisse quidem arbitratur; alioquin quonam jure conqueri poterant Ephraimitæ? Hebraicus textus hæc habet: *Ego clamavi ad vos, & vos non me servastis, & viderem neminem mihi ferre suppetias, posui animam meam in manu mea*. Itaque negari nequit, Galaad, vel ipsum Jephte peculiariter Ephraimitarum auxilium petiisse, dum opprimeretur, quamquam fortasse haud postularit opem novissime in hoc prœlio; sed eum aliàs alienum agnovisset Ephraim ab auxilio ferendo, noluit se recenti repulsæ objicere.

℣. 3. POSUI ANIMAM MEAM IN MANIBUS MEIS [4].] Hac locutione passim utitur Scriptura, ut significet, se se periculis offerre, vitam in discrimen adducere. Exempli gratia, Jonathas loquens ad Saul de David inquit 1. Reg. 19. 6. *Posuit animam suam in manu sua, & percussit Philisthæum*. Et Pythonyssa ad Saul loquens, ait 1. Reg. 28. 1. *Posui animam meam in manu mea, & audivi sermones tuos*. Job 13. 14. dicit se ferre animam suam in manibus suis; quod ipsum David testatur Psal. 118. Interpretes unanimi consensu intelligunt de periculo, cui quis se offert [5]: sed quoad rationem modi hujus loquendi non satis conveniunt. Alii asserunt, quemadmodum manu nequaquam gestamus, quod maxime pretiosum est, & quod unice servare cupimus; ita illum, qui defert animam suam in manibus suis, atque oculis aliorum exponit, innuere, se parvi eam facere, neque vereri, ut ab hostibus suis eripiatur.

Dici quoque posset, quod ponere animam in manibus suis, ad litteram significet, arma capere, & cum hoste manum conserere. Quicumque in aciem subit, ponit animam suam in manibus suis, propria tantum virtute, proprio robore, ac vi animam suam a mortis periculo potest eripere. Simili pacto dicitur quis salutem suam in gladio, in manu, in pedibus, in fuga collocare. Vir quidam apud Isaiam 63. 5. ita loquitur: *Circumspexi, & non erat auxiliator, quæsivi, & non fuit, qui adjuvaret, & salvavit mihi brachium meum, & indignatio mea auxiliata est mihi*. Salomon Eccles. 10. 2. ait: *Cor sapientis in dextera ejus, & cor stulti in sinistra illius*; atque plane innuit, Sapientem, qui tanti facit animam suam, quanti eam facere debet, servare illam, veluti rem maximi pretii, neque aliquid prætermittere, quin tueatur illam; e contra vero insipientem, qui eam respicit indifferenter, sinistra tantum uti ad servandam illam. Ita cum ait Iephte se posuisse animam suam in manibus suis, nihil aliud innuit quam arma cœpi, ut me tutarer, omnia in discrimen adduxi, ut populum meum servarem. De alio quoque dicitur: *habeo animam illius in manibus meis* [6], *dominus sum vitæ illius*.

℣. 4. PERCUSSERUNTQUE VIRI GALAAD EPHRAIM, QUIA DIXERAT: FUGITIVUS EST GALAAD DE EPHRAIM, ET HABITAT IN MEDIO EPHRAIM, ET MANASSE.] Quomodo probari potest, Galaad habitasse in medio Ephraim, & Manasse, quandoquidem longe adeo aberat ab Ephraim, atque inter utrumque terræ Gad, & Ruben, atque Iordanes interjacebant? Quomodo intelligi poterit, Galaad esse fugitivus de Ephraim, cum Galaad de Manasse originem duxerit, & Ephraim nihil umquam possederit in Galaad? Quamvis hæc probra plane inania sint, atque haberi possint veluti Ephraim se se jactantis ampullæ, credendum nihilominus est, aliquem saltem in re ipsa veritatis colorem fuisse. Dici igitur potest quoad postremum hoc, *fugitivum Galaad de Ephraim* fuisse, eo quod filii Galaad quodammodo secesserant ab aliis fratribus, a Manasse, & Ephraim, cum regione Galaad, ac urbibus, quibus nomen *Havot-Jair*, potiti fuissent; secessionem hanc, & schismatis speciem Ephraimitæ Galaaditis exprobrant rerum prospere ab ipsis gestarum invidia correpti.

Sed primum crimen, scilicet *Galaad habitasse in medio Ephraim, & Manasse*, nullus Interpretum probat [7]; immo neque in textu palam reperitur. Hic autem hoc pacto ad litteram redditur [8]: *Quia qui effugerant de Ephraim dicebant*, (vel dixerant:) *vos Galaaditæ, vos estis in medio Ephraim, & in medio Manasse*. Videntur hæc potius historiam, quæ sequitur, quam quæ præcessit, respicere. Sacer Historicus duas hic Ephraimitarum cædes memorat; alteram quidem, cum quadrato agmine cum Iephte congressi sunt; alteram vero ad transitum Iordanis. Priorem, propter assertam injuriam, quam Ephraimitæ sibi a Iephte illatam fuisse dolebant, qui eos haud accersiverat ad prœlium adversus Ammonitas. Posteriorem propter contumelias, quibus Galaaditæ post pugnam lacessiti ab Ephraimitis fuere, dicentibus, ipsos meros esse Galaaditas, non ex tribu Ephraim, neque Manasse, neque minimum quidem ad Ioseph spectare. Hac injuria adeo succensuere Galaaditæ, ut eorum, qui e certamine effugerant, ne unum quidem elabi impunem paterentur. Hæc circumstantia explicite memoratur, nam, cum Ephraimitæ fratres essent virorum Galaad, & Manasse, naturale fuisset, quod ipsos fugientes minime persequerentur, nisi superbo, ac injurioso sermone hanc sibi calamitatem promeruissent.

Hic igitur loci hujus est sensus. Cum Iephte victor rediisset de pugna adversus viros Ephraim, ii, qui de prœlio fugerant, dolore tacti, eo quod victi ab illis fuissent, quos contemnebant, insolentius dixerunt victoribus: *Vos Galaaditæ solum estis*, gens contemptibilis, atque ab Israel, & Ioseph progenie alienigena: *estis inter Ephraim, & Manasse*, non eo quod ipsorum sedes inter tribum Ephraim, & Manasse esset posita, sed quod harum tribuum neutra Galaaditas fratres suos dignaretur agnoscere. Hinc autem probatur post pugnam tantum Ephratæos Galaaditis illusisse, quod hic textus iisdem vocibus utitur, quas sequenti versiculo usurpat, ut eos denotet, qui se ad Iordanis ripas obtulere, eum traducturi. Quoad hanc locutionem; *in medio Ephraim, & in medio Manasse*, hoc tantum innuit; ex neutra tribu vos estis, sejuncti estis ab utraque, & seorsim aliud corpus effecistis. Medium sæpius separationem significat, sicut Genes. 1. 6. *firmamentum in medio aquarum* Ezech. 29. 3. *Pharaon in medio fluviorum suorum* &c.

Conjicitur, prœlium inter Ephratæos, & Galaaditas contigisse prope *saltum Ephraim*, de quo est sermo 2. Reg. 18. 6. Vide Serarium qu. 2. Neque enim aliam in Historia dignoscimus præter hanc, occasionem, quæ nomen hoc illi imponere potuerit. Modus, quo universa hæc in re se se gesserunt Ephratæi, haberi debet, velut superbiæ, ac improbæ invidiæ effectus; neque aliquid injustius excogitari potest bello hoc, quod Iephte intulerunt.

℣. 6. DIC ERGO SCHIBBOLETH, QUOD INTERPRETATUR SPICA; QUI RESPONDEBAT, SIBBOLETH.] Nomen *Schibboleth* שבלת cum *Schin*, spicam significat, rivum, aquarum colluviem. *Sibboleth* [9] cum *Samec*

---

1 Isai. 45. 2. 2 Jerem. 15. 10. 3 Vide cap. 11. 29.
4 אשימה נפשי בכפי. 5 Vide Delrii Adag. 658. 6 Titus apud Joseph. l. 7. de Bello c. 13.
7 Vide Bonfrer. hic. 8 כי אמרו פלטי אפרים אתם גלעד בתוך אפרים ובתוך מנשה.
9 שבלת *Sibboles*, Vide Lyran. hic, & Drus.

Samer furcionm poteſt ſignificare. Ephratæi haud probe *Schin* proferebant, quæ littera, veluti upud Gallos *sch* prouunciatur: exprimebant aotem veluti fimplicem S, noo ſecus ac illi, qui balbutientes proferunt Gallice, exempli gratia *fien* pro *chien*, *feval* pro *cheval* &c. qua in vocis illius pronunciatione Galaaditæ eos agnovere. Nequaquam mitum eſt in lingua eadem varietatem proounciationis invenire, quæ u patriæ varietate proficiſcitur. Ieſu Chriſti ævo Galilæi peculiarem habebant accentum, ex quo S. Petrus deprehenſus foit in aula Principis Sacerdotum, Matth. 26. 23. Apoſtolos quoque Galilæos eſſe deprehenſum foit ex ratione pronunciandi linguas, quibus fuerant donati [1]. Quid plura? nonne in ſingulis Galliæ provinciis alium, atque alium eſſe accentum, atque peculiarem proounciationem liquet?

Nonnulli putaront [2] *Schibboleth* fuiſſe teſſeram hoſtium, vel etiam Iſraelitarum. Cum alienigenum ud Iordanem accedere intuerentur, ab eo teſſeram petebant, & eam enuntians ex uccentu, quinam eſſet, prodebat; ſed hæc ſententia nullo fulcitur argumento.

℣. 7. Sepultus in civitate sua Galaad.] Ex verſ. 34. capitis 11. liquet, Iephte plerumque in Maſpha habitaſſe; ideoque Galaad ſignificat non urbem, ſed regionem, ubi ſepultus fuit. Hebraice habetur [3]: *Sepultus fuit in urbibus Galaad*, videlicet in una ex urbibus Galaad. Hoc etiam pacto dicitur Geneſ. 19. 29. Loth *habitaſſe in urbibus Pentapolis*, & Ion. 1. 5. *Jonam deſcendiſſe ad inferiora navis*. Rabbini [4] varias commenti ſunt fabulas, ut locum hunc, cui nulla ineſt difficultas, explicarent. Alii aſſerunt, honoris cauſa ſingulas civitates Galaad voluiſſe particulam corporis Iephte, atque ita ſepultum fuiſſe in diverſis regionis illius civitatibus. Alii e contra docent, quod Iephte graviſſimo percuſſus morbo a Deo in pœnam criminis, quod patrarat filiam ſuam ſacrificans, ſubinde corporis ſui amiſerat membra, quæ tumulata fuerant in variis civitatibus, ubi forte adfuiſſet, cum membra ab illius corpore divellerentur.

S. Paulos ad Hebr. 11. 32. non patitur, nos aliquid humiliter ſentire de virtute, ac meritis Iephte, nam in album Sanctorum veteris teſtamenti ipſum refert, qui fidei merito excelluerunt. Re quidem vera in tanto viro non militares, & politicas artes dumtaxat, ſed Ethicas quoque virtutes emicuiſſe cognoſcimus. Sapientia, cujus præclariſſimum ſpecimen dedit, Ammonitis inferens bellum, conſtantia, quam adverſus Ephratæos probavit, Religio, quæ ut voto ſe exſolveret, filiæ ſuæ ipſum manum inferre coegit, filiæ inquam ſuæ, quæ ſola erat familiæ ſuæ ſpes, quamquam zelus ipſius non fuit ſecundum ſcientiam, atque actio per pœnitentiam fuerit expianda; hæc omnia procul dubio magni cujuſdam viri ſpeciem præbent, ac mentis, quæ longiſſime nativitatis ſortem, ut priſtinam illius condiſionem exceſſerit. Grotius hunc celebri Viriato confert, qui ex paſtore venator factus, e venatore latro, deinde præfuit imperator exercitui, cum quo Luſitaniam, ſeu Portugalliam cepit; Marci Vitilii Prætoris Romani exercitum fudit, cumque ducem in captivitatem aſſeruit: vicit etiam Cajum Plautium Prætorem, & tantum terroris denique incoſſit Romæ, ut contra illum mittere debuerit conſulem cum juſto exercitu.

Verum potius in Jephte nos admirari decet virtutes ipſius, quibus effectus eſt perfecta imago, complures Salvatoris noſtri circumſtantias repræſentans. Jephte ex turpi muliere natus, & de patentis ſui domo ejectus a fratribus ſuis, qui patris hæreditatem ſibi tantum cedere cupiebant, exhibet J. C. [5], qui a Synagoga immunda matre, ac toties infidelitatibus ſuis deturpata genitus, ejectus fuit de domo, atque paterna hæreditate a Judæis fratribus ſuis, ab illis ipſis, qui in gente præ ceteris authoritate præſtabant, & quorum maxime intererat, ut ille admitteretur. Iuphte in terram Tob ſe recipit, ubi ſe latronum ducem conſtituit. Ieſus Chriſtus poſt reſurrectionem ſuam Chriſtianæ Eccleſiæ fit caput, quæ compoſita erat e Gentilium, Idololatrarum, & peccatorum colluvie; quos tamen vitæ ſuæ pœnituerat, & qui crimina ſua expiaverant. Qui expulerant Jephte, ad eum confugere coguntur, illum ſibi in regionibus ſuis principem eligere, illique ſummum exercitus imperium deferre. Complures Iudæi, qui Salvatorem fuerant perſecuti, poſt ipſius reſurrectionem ad eum convertuntur. Ephraim invidens victoriæ Iephte, hunc bello laceſſit. Infideles Iudæi, utque obdurati in pertinacia ſua perſiſtunt, & perſequuntur Eccleſiam; ſed delentur, & exterminantur a Romanis, ab nationibus illis alienigenis, quas contemptui habebant, atque ubominabantur. Iephte votum, quo unigenitam filiam Domino obtulit, ſignificare poteſt Ieſu Chriſti voluntatem, qui Deo Patri humanitatem obtulit ſuam, qua juſtitiæ illius litaretur. Seu Iephte filia actu immolata fuerit, quemadmodum Patrum plerique arbitrantur; ſeu Deo ſimpliciter devota, & dicata per continentiæ profeſſionem, præbebit ſemper imaginem mortis, & reſurrectionis Domini noſtri.

℣. 8. Post hunc judicavit Israel Abesan de Bethlehem.] Iudæi docent Abeſan [6] eumdem eſſe, ac Boos, qui duxit Ruth in uxorem. Innititur hæc ſententia levi ſimilitudini inter nomen Abeſan, vel Boos, & ſuper locum Bethel, unde ille ortus fuerat, æque ac Boos conjux Ruth. Sed eruditi quidam viri [7] contendunt Abeſan fuiſſe ex urbe Bethlehem in tribu Zabulon ſita, non autem ex Bethlehem Iuda: quod ipſum parum ud nos pertinet: quoniam etiamſi Abeſan fuiſſet e Bethlehem Iuda, infirmior adhuc eſſet ratio, quam ut nobis eumdem ac Boos fuiſſe perſuaderemus.

℣. 11. Cui successit Ahialon Zabulonites.] Exemplaria Septuaginta, quibus utebatur Euſebios [8], non habebant Ahialon; ille hunc *Adon* vocat, & ſucceſſorem hujus *Labdon*. Hodie vero illum in omnibus Septuaginta editionibus legimus.

℣. 13. Abdon filius Illel.] Ioſephus illum vocat *Abdon filium Helon*, ex quo conjectarun nonnulli [9] ipſum filium fuiſſe, vel famulum *Ahialon*, vel Ælon; nam ſæpius In Scriptura *pueri* nomen ſervum ſignificae. Sed hebraicus textus omnes has diruit conjecturas: omnino enim Vulgatæ ſimillimus eſt.

℣. 14. Qui habuit quadraginta filios, et triginta ex eis nepotes.] Hic filiorum numerus nequaquam admirationem debet immittere in ea regione, ubi polygamiæ interdictum non erat. Alia plura tum in Scripturis, cum in Profana Hiſtoria paſſim videntur exempla. Priamus Rex quinquaginta filios genuerat; apud Turcas ud hanc uſque diem non deſunt, qui quinquagintu, vel ſexaginta filios numerent. Scriptura refert, filios, & nepotes Abdon aſcendere conſueviſſe aſinos, vel aſinas. Hoc autem nobilitatis, ac dignitatis erat ſignum [10], quemadmodum noſtru hac tempeſtate curru vehi.

℣. 15. Sepultus in Pharaton terræ Ephraim in monte Amalec.] Urbem Pharaton ex hoc tantum loco agnovimus. Montem vero Amalec magis

1 Act. 2. 8. 9. 2 Ita Septuaginta in Codice Baſileenſi. Καὶ εἴπαν αὐτῷ· εἰπὲ δὴ σύνθημα, εἶπαν, καὶ ἔχυσ, καὶ οὐ κατεύθυνεν τοῦ λαλῆσαι οὕτω. 3 יִקָּבֵר בְּעָרֵי גִלְעָד.
4 Vide Munſter. & Serar. qu. 4. 5 Auguſt. q. 49. in Judic. Vide Serar. qu. 26.
6 Vide Targum Ruth. Talmud. Jeroſol. Rabb. Salom. Kimchi, Rab. Levi filium David, Abrah. Zace, & alios apud Munſt. & Serar. qu. 5. 7 Maldonat. in Matth. 2. 1. 8 Euſebii Chronic.
9 Toſtat. Vide Serar. qu. 7. 10 Vide Judith ℣. 5. & 10. 4.

gis adhuc ignoramus: Nonnulli putant de hoc eo- A
dem monte Amalec sermonem fuisse capite 5. ℣. 14.
hujus libri: *Ex Ephraim delevit eos in Amalec*. At
ibi aliam loco illi sententiam tribuere conati sumus.
Alii contendunt Amalecitas montem hunc usque ad
Saul tempora possedisse, a quo exterminati fuere
Dionysius Chartusianus ait, Amalec nomen fuisse
proprium hominis, qui montem hunc possidebat. At
meræ conjecturæ sunt. Mons hic Amalec nuncupa-
batur; nihil præterea certum est.

CAPUT XIII.

Servitus Israelitarum sub Philisthiim. Angelus apparet uxori Manue; deinde vero & ipsi Manue, illisque filium pollicetur. Nativitas Samsonis.

1. RUrsumque filii Israel fecerunt malum in conspectu Domini, qui tradidit eos in
manus Philisthinorum quadraginta annis. 2 Erat autem quidam vir de Saraa,
& de stirpe Dan, nomine Manue, habens uxorem sterilem. 3 Cui apparuit
Angelus Domini, & dixit ad eam: Sterilis es, & absque liberis: sed concipies, & pa-
ries filium: 4 Cave ergo, ne bibas vinum, ac siceram, nec immundum quidquam co-
medas: 5 Quia concipies, & paries filium, cujus non tanget caput novacula: erit e-
nim nazaræus Dei ab infantia sua, & ex matris utero, & ipse incipiet liberare Israel de
manu Philisthinorum. 6 Quæ cum venisset ad maritum suum, dixit ei: Vir Dei venit
ad me, habens vultum angelicum, terribilis nimis. Quem cum interrogassem, quis es-
set, & unde venisset, & quo nomine vocaretur, noluit mihi dicere: 7 Sed hoc res-
pondit: Ecce concipies, & paries filium: cave, ne vinum bibas, nec siceram, & ne a-
liquo vescatis immundo: erit enim puer nazaræus Dei ab infantia sua, ex utero matris
suæ usque ad diem mortis suæ. 8 Oravit itaque Manue Dominum, & ait: Obsecro,
Domine, ut vir Dei, quem misisti, veniat iterum, & doceat nos, quid debeamus face-
re de puero, qui nasciturus est. 9 Exaudivitque Dominus deprecantem Manue, & ap-
paruit rursum Angelus Dei uxori ejus sedenti in agro. Manue autem maritus ejus non
erat cum ea. Quæ cum vidisset Angelum, 10 Festinavit, & cucurrit ad virum suum:
nuntiavitque ei dicens: Ecce apparuit mihi vir, quem ante videram. 11 Qui surre-
xit, & secutus est uxorem suam: veniensque ad virum, dixit ei: Tu es, qui locutus
es mulieri? Et ille respondit: Ego sum. 12 Cui Manue: Quando, inquit, sermo tu-
us fuerit expletus, quid vis, ut faciat puer? aut a quo se observare debebit? 13 Di-
xitque Angelus Domini ad Manue: Ab omnibus, quæ locutus sum uxori tuæ abstineat
se: 14 Et quidquid ex vinea nascitur, non comedat: vinum, & siceram non bibat,
nullo vescatur immundo: & quod ei præcepi, impleat, atque custodiat. 15 Dixitque
Manue ad Angelum Domini: obsecro te, ut acquiescas precibus meis, & faciamus tibi he-
dum de capris. 16 Cui respondit Angelus: Si me cogis, non comedam panes tuos:
si autem vis holocaustum facere, offer illud Domino. Et nesciebat Manue, quod Ange-
lus Domini esset. 17 Dixitque ad eum: Quod est tibi nomen, ut, si sermo tuus fue-
rit expletus, honoremus te? 18 Cui ille respondit: Cur quæris nomen meum, quod
est mirabile? 19 Tulit itaque Manue hœdum de capris, & libamenta, & posuit super
petram, offerens Domino, qui facit mirabilia, ipse autem & uxor ejus intuebantur.
20 Cumque ascenderet flamma altaris in cœlum, angelus Domini pariter in flamma a-
scendit. Quod cum vidissent Manue, & uxor ejus, proni ceciderunt in terram, 21 Et
ultra eis non apparuit angelus Domini. Statimque intellexit Manue angelum Domini es-
se, 22 Et dixit ad uxorem suam: Morte moriemur, quia vidimus Deum. 23 Cui
respondit mulier: Si Dominus nos vellet occidere, de manibus nostris holocaustum, &
libamenta non suscepisset, nec ostendisset nobis hæc omnia, neque ea, quæ sunt ventu-
ra, dixisset. 24 Peperit itaque filium, & vocavit nomen ejus Samson. Crevitque
puer, & benedixit ei Dominus. 25 Cœpitque Spiritus Domini esse cum eo in castris
Dan inter Saraa, & Esthaol.

℣. 1. TRADIDIT EOS IN MANUS PHILISTINORUM QUADRAGINTA ANNIS.] De initio horum quadraginta annorum servitutis sub Philistæis non convenit. Usserius vult incœpisse post aonum septimum regiminis summi Sacerdotis Heli, qui judicavit quidem, sed non liberavit populum de jugo Philistinorum. Samson natus est sub initium horum quadraginta annorum, atque Liberatoris munere incœpit fungi, cum decimum octavum ageret aonum. Marshamus Sæcul. 2. Initium Dominationis Philistiim in tertium mensem ab obitu Iair refert, eamque usque ad tertium Samuelis annum deducit; quo servitutis tempore, sicuti huic placet Authori, Heli judicavit, Sampson populum liberare incœpit, Samuel vero perfecit. Eodem vero tempore in aliis Palæstinæ locia floruerunt Iephte, Abesan, Elon, Abdon, qui in iis tribubus judicabant, a quibus fueraut electi. Servitus, de qua istic sermo, eadem est, cujus Sacer author obiter meminit cap. 10. vers. 7. Hoc autem est systema Marshami. Alii vero [1] hoc pacto quadraginta servitutis annos sub Philistiim distribuunt. Samson ex his viginti occupavit annos, Heli vero totidem. Denique oon desunt [2], qui quadraginta hos annos servitutis incœpisse dicant anno octavo Abesan, eosque ad Samsonis obitum expletos fuisse. Cuinam ex bis hypothesibus adhærendum sit, hæret aqua; nam nihil, quod affertur, Sacro Textui adversatur.

Non omnia Israel, neque tribus omnes citra Iordanem positæ Philistinorum servitutem subiere. Philistiim enim vexabant potius Hebræos, illorum agros depopulando, eosdemque coarctando, ne se se possent extendere, quam illos reipsa in servitutem adduxerint. Ex Samsonis Historia innotescet, inter Israelitas, ac Philistæos ultro, citroque viguisse commercium, quin his absoluta super Hebræos authoritas fuisse videatur. Adnotatur, exempli gratia, viros Iuda ex illis sciscitatos fuisse, cur ipsorum terras populabundi essent ingressi; atque respondisse Philistiim, ot adversus illos jure suo uterentur, rapinas exercentes, propter mala, quæ ipsis Samson intulerat Iudic. 15. 9. 10. Quod ipsum quasdam libertatis reliquias io Israel fuisse significat.

℣. 2. ERAT QUIDAM VIR DE SARAA.] Urbs *Saraa* primitus tribui Iuda cessit, tribui vero Dan fuit deinde permissa. Hæc juxta Eusebium sita erat decem passuum millibus procul ab Eleutheropoli ad boream Nicopolim versus, vel Emmaus.

℣. 3. CUI APPARUIT ANGELUS DOMINI.] Credidere quidam Angelum hunc secundam fuisse Sanctissimæ Trinitatis personam, eo quod *Jehovah* appelletur vers. 15. 21. Sed vulgatior sententia ait, Angelum fuisse, e cœlo dilapsum, atque humana specie indutom cum hac muliere colloquentem. Quoad nomen Jehovah, quod illi tribuitur, difficultatem hanc supra encoleavimus cap. 6. ℣. 11.

℣. 4. NEC IMMUNDUM QUIDQUAM COMEDAS.] Cur nam hoc matri Samsonis prohibetur, cum omnibus Israelitis immundum aliquid attingere summum esset nefas? Responderi potest [3], haud magis mirum videri debere hoc interdictum, quam crebras adeo exhortationes, quæ passim in Scriptura leguntur, quibus Israelitæ admonentur, ut eas leges observent, quibus omnes tenebantur. Præterea nomine *immundi* intelligi ea possunt, quæ Nazaræis nequaqoam erant permissa; veluti uva, & potus omnes, qui ebrietatem possent adferre, quamquam reliquis Israelitis minime essent interdicta. Denique hoc magis erat singulare, quod Samsonis mater debebat toto prægnationis temporu, & quo infantem Nazaræum lactasset, ab iis, quoad posset fieri, abstinere, quæ filium possent polluere: quoad posset fieri, inquam: nam quædam inevitabiles erant pollutiones, a quibus numquam satis cavere poterat, veluti eæ, quæ partum consequuntur, ac naturalia incommoda, quæ necessario communicabantur filio, qui Nazaræus erat in sinu matris. Vide Bonfrerium hic.

℣. 5. ERIT AUTEM NAZARÆUS DEI AB INFANTIA SUA, ET EX MATRIS UTERO.] De communibus Nazaræis fusius locuti sumus in caput 4. Numerorum; sed Samson peculiari modo Nazaræus erat; incœperat enim ab utero matris suæ, & ad mortem usque persistere debebat, neque optione sua is erat; sed Deus illum ad opus hoc destinaverat. Ad eadem vero tenebatur, ac alii Nazaræi: quibus hoc erat propositum, ut perpetuo a vino, atque iis omnibus, quibus possent inebriari, abstinerent, capillos numquam tonderent, pollutiones evitarent, quæ ex cadaveris præsentia, vel tactu contrahebantur. Ceterum nulla ipsis peculiaris fuisse videtur obligatio, neque Nazaræatum infringi potuisse, cum aliquid minime observarent eorum, ad quæ tenerentur. Nam perpetuus erat, neque vel inchoare, vel desinere, nisi cum illorum vita poterat. Profecto nemo inficiari potest, Samsonem plura puritati suæ professionis adversantia patrasse: munus ipsum Liberatoris Israel cogebat illum, ut semper cum Philisthæis congrederetur, quod proculdubio nonnisi cum hostium clade exequi poterat, atque ideo cum ipsius pollutione cadavera illorum tangentis. Sed nullibi legimus capillos sibi præcidisse, neque ad Sacerdotes umquam confugisse, ut de integro suum Nazaræatum occiperet. Aderant igitur plane pro expiatione, & purificatione Nazaræorum perpetuorum peculiaria quædam instituta, quorum Lex non meminit; & pollutiones, quibus fœdabantur, non destruebant in omne tempus Naaaræatum illorum. Reor autem Samsonem ne tunc quidem Nazaræi dignitate excidisse, cum coma illi tonsa fuit, quoniam perstitit in sententia observandi pro virili parte cetera professionis suæ munia; & injuria illa ipso iovito, ac imprudenti fuit illata.

IPSE INCIPIET LIBERARE ISRAEL.] Incœpit quidem, verum non perfecit Israelitarum liberationem de oppressione Philisthinotom: tunc enim tandem perfecte liberati fuerunt, cum Samuel judicaret, ac regnaret Saul. Philistiim fortiores erant per omne tempus Samsonis; atque viribus prævaluerant adhuc postremis annis Heli summi Sacerdotis, quemadmodum deinceps patebit.

℣. 6. VIR DEI VENIT AD ME HABENS VULTUM ANGELICUM, TERRIBILIS NIMIS.] Angelum, qui illi apparuit, Prophetam est arbitrata [4], virum a Deo missum, majestate, facie, & aspectu divino, atque terribili. Hebraicus textus ad litteram [5]: *Vir Dei venit ad me, & adspectus illius erat veluti adspectus Angeli Dei usquequaque terribilis.*

QUEM CUM INTERROGASSEM, QUIS ESSET.] Hebraicus textus e contra legit [6]: *non interrogavi illum, unde veniret, & ille non dixit mihi nomen suum.* Septuaginta [7] Romanæ editionis, Chaldaica versio, Syriaca, & Arabica negativam habent; sed hanc omittunt Septuaginta Regiæ Editionis, ut Basileensis [8], & cum aliis S. Augustinus quæst. 51. in Judic. qui hoc in loco negationis necessitatem suspicatus est; nam animadvertit primum, quod versiculo præcedenti minime legimus, uxorem Manue hoc ab Angelo percontatam fuisse; deinde vero, quod incongruum quodammodo est dicere: *Interrogavi illum, quis esset, nequaquam dixit mihi nomen suum.* Perinde ac debuisset Angelus illi dicere id, de quo illa non fuerat sciscitata.

℣. 8. ORAVIT ITAQUE MANUE DOMINUM.] Nonnulli [9] putant Manue naturali quodam zelotypiæ sen-

1 Euseb. Geneb. Lyran. Tostat. &c.
2 Torniel. Salian. Bonfrer. &c.
3 Vide August. qu. 50. & Serar. qu. 4.
4 Jonath. Vatab. Drus. alii passim.
5 איש האלהים בא אלי ומראהו כמראה מלאך האלהים נורא מאד.
6 ולא שאלתיהו אי מזה הוא ואת שמו לא הגיד לי
7 καὶ οὐκ ἠρώτησα.
8 καὶ ἠρώτων αὐτὸν πόθεν ἐστί.
9 Joseph. l. 5. Antiqu. c. 10.

ſu affectum fuiſſe ex iis, quæ uxor illi narraverat, de advena quodam, qui illi apparuerat, ac filii nativitatem ſpoponderat. Sed S. Ambroſius epiſt. 70. Manue cauſam ſuſcepit, & probat, ipſum ſimplici cupiditate flagraſſe ea fruendi gratia, quæ uxori ſuæ contigerat, atque ea apertius intelligendi, quæ Deus ex ipſo peteret; quapropter virum hunc optavit adſpicere: & equidem nequaquam credibile eſt Dominum hujus viri zelotypiæ voluiſſe mederi novo miraculo, ad ipſum rurſum hac de cauſa Angelum mittens.

℣. 12. QVID VIS, VT FACIAT PVER, AVT A QVO SE OBSERVARE DEBEBIT?] Hebraice [1]: *Qua via inſiſtet puer hic, quænam erunt opera illius?* Ad litteram: *Quodnam erit judicium ejus, & quod opus illius?* Nomen judicii, vel juris crebro pro conſuetudine, uſu, more, ratione uſurpatur.

℣. 13. ABSTINEAT SE.] Textus hebraicus nos adigit, ut hunc æque ac verſiculum ſequentem de muliere intelligamus.

℣. 15. OBSECRO TE, UT ACQUIESCAS PATRIBUS MEIS, ET FACIAMUS TIBI HÆDUM DE CAPRIS.] Hebraicus textus ad litteram [2]: *Detinebimus te, obſecro, & faciemus tibi hædum de grege caprarum.* Apud Hebræos, non ſecus ac apud Græcos, & Latinos verbum *facere* ſæpe ſignificat, vel eſcas præparare, vel ſacrificia offerre [3]. Manue nondum agnoverat Angelum, quinam eſſet, ſed illi menſam tantum ſternere voluit. Reſpondit vero Angelus, ſe ex epulis illius nequaquam eſſe manducaturum; ſin autem vellet ille holocauſtum offerre, Deo potius litaret. Ex hoc loco dignoſcitur, quinam eſſet veterum guſtus; hædus apud illos pro exquiſitiſſimis epulis habebatur. Rebecca nihil magis delicatum invenit, quod præberet Iſaac. Gedeon hedum obtulit dumtaxat Angelo, qui illi apparuit. Samſon uxori ſuæ hædum ſolummodo detulit, ut eum ipſa in gratiam reverteretur. Veteres, veluti Ariſtophanes, Athenæus, Juvenalis, aliique hanc eſcam laudant, veluti inter ſuaviſſimas epulas, quæ in ſplendidiſſima quæque convivia poſſint afferri. Medici quoque veluti ſaluberrimum cibum commendant. Guſtus adeo immutatus eſt, Vide Bochartum de Animal. ſacr. par. 1. lib. 2. cap. 52.

℣. 17. UT HONOREMUS TE.] Vel potius ut tibi gratias referre poſſimus, animi gratitudinem tibi reſtari. *Honorare* ſæpius in hoc ſenſu accipitur. *Qui bene præſunt presbyteri duplici honore digni habeantur,* inquit S. Paulus 1. ad Timot. 5. 17. videlicet duplici remuneratione.

℣. 18. CUR QUÆRIS NOMEN MEUM, QUOD EST MIRABILE?] Hebraice [4]: *Cur quæris nomen meum? eſt Peli.* Vox hæc *Peli* ſignificat admirabilem, myſticum, arcanum, ac ſumi poteſt pro nomine proprio Angeli, qui locutus eſt ad Manue. Iſaias diſſerens de Meſſiæ adventu ait, ipſum vocatum iri *Peli*, vel *Pele*, hoc eſt Admirabilem, *Conſiliarium, Deum fortem* &c. Rabbini Angelum Jacob appellarunt *Peli-el* [5]; ſed pronius ad fidem eſt, Angelum non prodidiſſe nomen ſuum Manue, ſed dixiſſe illi dumtaxat nomen ſuum hominibus declarari non poſſe, arcanum, myſticum, ignotum. Hoc pacto Chaldæi Paraphraſtes, Septuaginta, Vulgata, & plerique Interpretum vulgo intelligunt.

Quidam [6] hanc ſecant propoſitionem, atque ita reddunt; *Cur quæris nomen meum?* & Angelus fuit *admirabilis*. Oſtendit illis, quis eſſet per miracula, quæ diſcedens ob oculos illius eſt operatus; ſe admirabilem probavit. Ego vero ad Deum hoc pacto referre mallem: *Cur quæris nomen meum? Deus eſt admirabilis.* Deus meretur obſervantiam, & gratitudinem veſtram: ille ea mirabilia, de quibus vobiſcum locutus ſum, debet operari. Decurſus huic favet explicationi, nam ſtatim infra dictum eſt, Manue hædum, & libamina obtuliſſe *Domino, qui facit mirabilia*. Verum nihil nos cogit, ut a Vulgata, communique ſententia recedamus.

Quæritur hoc loco, an Angeli propriis nominibus appellentur. Author libri de nominum immutatione inter Philonis opera, negat inter immortales naturas nomina eſſe quærenda, quæ rerum creatarum ſunt tantummodo ſigna. Toſtatus quoque probat Angelis nequaquam eſſe nomina peculiaria, quia illis non indigent, neque ut agnoſcantur ab aliis, neque ut ſe mutuo nomine appellent. At nonne illis nomina imponi queunt, quæ ipſorum propria munia, gradus, virtuteſque ſignificent? Non licet nobis, illis tribuere nomina, quæ ad eorum virtutes referantur, atque effectus, quos ab ipſis gigni intelligimus? Unde nam exiſtere nomina, Gabriel, Raphael, Michael in Scripturis adeo vulgata? Habita Dei, ac ſpiritualium ſubſtantiarum ratione, conſtat quidem Angelis nulla eſſe nomina, quæ vocis ſenſu, atque articulatis verbis efferantur: verum id obſtat ne, quo minus beatorum ſpirituum quiſque, cui individualia ſunt munia, & virtutes ſingulis ſingillatim proprie, deſignari queat per hæc ipſius officia, & qualitates eo modo, quo placet Deo eos ab aliis diſtinguere, cum illis voluntatem ſuam prodit, & quo Angeli inter ſe diſtinguuntur, cum ſibi invicem ultro citroque ſenſa ſua, ſuaſque cogitationes communicant?

℣. 19. POSUIT SUPER PETRAM OFFERENS DOMINO, QUI FACIT MIRABILIA.] Hebraice ad litteram [7]: *poſuit ſuper petram Domino, & ei, qui facit mirabilia.* Quod in duplicem ſenſum poteſt detorqueri. Obtulit Domino, qui facit mirabilia; vel obtulit Domino, & Angelo, qui illi dixerat, nomen ſuum eſſe admirabile. Aliter quoque intelligi poteſt; *Obtulit ille Domino, & Angelus miraculum eſt operatus*, educens ignem de petra. Sed Scriptura hanc præterit circumſtantiam, quamvis eam communi conſenſu Interpretes [8] agnoſcant. Ioſephus Ant. l. 5. c. 10. id palam aſſerit, cum ait, Angelum virgæ extremitate, quam geſtabat, carnem attingendo, flammam elicuiſſe, quæ ſtatim de petra ſe ſe extulit, atque carnes, & panes abſumpſit: ipſum vero in cœlum aſcendiſſe per fumum, qui inde egreſſus eſt, veluti in curru quo ſurſum evectus eſt. Itaque aſſeri poteſt ea in occaſione Angelum proprie Sacrificium obtuliſſe, ſacerdoti, & Sacrificuli munere functum eſſe [9]; nam ille holocauſtum incendit, & Manue cum conjuge ſua coram ipſo veluti rem ſpectaturi ſolum permanſerunt, poſtquam obtulerat Manue carnes, panem, ac libamina ſuper petram. Hæc omnia contra communes ſacrificiorum ritus peracta fuerunt. Carnes coctæ, ac ſuper ſimplici petra oblatæ fuerunt; Angelus, non autem Sacerdos ignem ſacrificio appoſuit; circumſtantiæ omnes ſingulares, atque extraordinariæ: ſed cum Deus mirabilium ſuorum fulgorem oſtentat, fere quaſcumque communes regulas ſolet excedere.

℣. 22. MORTE MORIEMUR, QUIA VIDIMUS DEUM.] Non ſemel animadvertimus Veterum ſententiam, qui putabant, neminem poſſe vivere, poſtquam illi cœleſtis viſio apparuerit. Manue intellexit, ſe vidiſſe Angelum, ſicuti dictum eſt modo ℣. 21. neque videtur credidiſſe, quod viderit Deum. Hebraice habemus [10]: *vidimus Elohim.* Poſtremum hoc nomen Deo tribuitur, Angelis, atque etiam præſtantibus viris, Judicibus, Principibuſque.

VOCA-

1 מה יהיה משפט הנער ומעשהו. *Quod erit jus pueri, & quod opus ejus.* 70. τί ἔςαι τὸ σύγκριμα τε παιδαρίε, καὶ τὸ ἔργα αὐτε.
2 נעצרה נא אותך ונעשה לפניך גדי עזים.
3 Vide Exod. 29. 36. & 12. 47. & Geneſ. 27. 7. &c. Virg. Eclog. 3. *Cras faciam vitula.*
4 למה זה תשאל לשמי והוא פלאי.
5 Vide Serar. qu. 15. & apud eum Cabaliſtaſ. Item Leon. Caſtr. in Iſai. 9. apud eumdem qu. 17.
6 Jun. & Tremel.
7 ויעל על הצור ליהוה ומפליא לעשות
8 Vatab. Druſ. Piſc. Kimchi &c.
9 Ita Cajet. Menoch. Bonfrer.
10 כי אלהים ראינו.

℣. 24. Vocavit nomen ejus Samson.] Mater illi nomen imposuit, non secus, ac alibi in Sciptura factum fuisse cognovimus [1]. Nomen *Samson* fluit ab radice, quæ significat Solem, vel ab alia, quæ gaudium significat. Nonnulli crediderunt, hunc *Badan* vocati in libris Regum [2], eo quod Samson erat e tribu Dan: sed ex qua tribu fuerit Badan non liquet; hic Gedeoni profecto successit, nam Samuel post hunc Judicem collocat; dum Samson satis diu post utrumque vixisse videtur.

Benedixit ei Dominus.] Dedit illi suæ protectionis signa, eum gratiis suis cumulavit: præparavit illum ad ea, quæ per ipsum fieri decreverat, illi gratiam suam communicans, illique mirabilem vim tribuens.

℣. 25. Coepitque Spiritus Domini esse cum eo.] Spiritus Domini ostendit se esse in Samsone, in illo cupiditatem excitans fratres suos liberandi, il- A lique summam vim, ac robur impertiens: ita ut ex ea pueri ætate conjici posset, quinam esset futurus aliquando, cum hæ dispositiones in ipso cognoscerentur. Hebraicus Textus diversimode vertitur [3]: *Spiritus Domini eum tundere cœpit*, quemadmodum ferrum ad incudem tunditur. Septuaginta [4]: *Spiritus Dei cœpit ambulare cum eo*, illius passus dirigere, eum pedetentim deducere. Jonathan: *Spiritus Dei incœpit* illum sanctificare.

In castris Dan;] In loco, qui castra Dan appellabatur, eo quod Danitæ ibi consederant, dum fratres sui perrexerant direptum idolum Michæ, quemadmodum videbimus cap. 18. Hoc in loco Manue B Samsonis Pater immorabatur. Judic. 13. 2.

Saraa, et Esthaol.] Vidimus supra ℣. 2. situm *Saraa*; Esthsol illi propior erat in tribu Dan. Eusebius statuit Saraa, & Esthaol decem passuum millibus procul ab Eleutheropoli boream versus.

1 Vide Genes. 4. 1. 25. & 30. 7. 8. 11. 11. & 35. 18.
2 1. Reg. 12. 11. *Misit Dominus Jerobaal, & Badan, & Jephte, & Samuel.*
3 ותחל רוח יהוה לפעמו
4 ἤρξατο πνεῦμα κυρίε συμπορεύεσθαι αὐτῷ

CAPUT XIV.

Samson uxorem ducit de filiabus Philisthiim: proponit ænigma sodalibus inter nuptias. Quod illi ope uxoris Samsonis evolvunt. Hanc ille relinquit, ac domum patris sui revertitur.

1. Descendit ergo Samson in Thamnatha, vidensque ibi mulierem de filiabus Philisthiim, 2 Ascendit, & nuntiavit patri suo, & matri suæ, dicens: Vidi mulierem in Thamnatha de filiabus Philisthinorum: quam, quæso, ut mihi accipiatis uxorem. 3 Cui dixerunt pater, & mater sua: Numquid non est mulier in filiabus fratrum tuorum, & in omni populo meo, quia vis accipere uxorem de Philisthiim, qui incircumcisi sunt? Dixitque Samson ad patrem suum: Hanc mihi accipe: quia placuit oculis meis. 4 Parentes autem ejus nesciebant, quod res a Domino fieret, & quæreret occasionem contra Philisthiim, eo enim tempore Philisthiim dominabantur Israeli. 5 Descendit itaque Samson cum patre suo, & matre in Thamnatha. Cumque venissent ad vineas oppidi, apparuit catulus leonis sævus, & rugiens, & occurrit ei. 6 Irruit autem Spiritus Domini in Samson, & dilaceravit leonem, quasi hædum in frusta discerpens, nihilque omnino habens in manu: & hoc patri, & matri noluit indicare, 7 Descenditque, & locutus est mulieri, quæ placuerat oculis ejus. 8 Et post aliquot dies revertens, ut acciperet eam, declinavit, ut videret cadaver leonis, & ecce examen apum in ore leonis erat, ac favus mellis. 9 Quem cum sumpsisset in manibus, comedebat in via, veniensque ad patrem suum, & matrem, dedit eis partem, qui & ipsi comederunt: nec tamen eis voluit indicare, quod mel de corpore leonis assumpserat. 10 Descendit itaque pater ejus ad mulierem, & fecit filio suo Samson convivium: sic enim juvenes facere consueverant. 11 Cum ergo cives loci illius vidissent eum, dederunt ei sodales triginta, ut essent cum eo. 12 Quibus locutus est Samson: Proponam vobis problema: quod si solveritis mihi intra septem dies convivii, dabo vobis triginta sindones, & totidem tunicas: 13 Sin autem non potueritis solvere, vos dabitis mihi triginta sindones, & ejusdem numeri tunicas. Qui responderunt ei: Propone problema, ut audiamus. 14 Dixitque eis: De comedente exivit cibus, & de forti egressa est dulcedo: nec potuerunt per tres dies propositionem solvere. 15 Cumque adesset dies septimus, dixerunt ad uxorem Samson: Blandire viro tuo, & suade ei, ut indicet tibi, quid significet problema: quod si facere nolueris, incendemus te, & domum patris tui: an idcirco vocastis nos ad nuptias, ut spoliaretis? 16 Quæ fundebat apud Samson lacrymas, & querebatur dicens: Odisti

disti me, & non diligis: idcirco problema, quod proposuisti filiis populi mei, non vis
mihi exponere. At ille respondit: Patri meo, & matri nolui dicere: & tibi indicare
potero? 17 Septem igitur diebus convivii flebat ante eum: tandemque die septimo
cum ei esset molesta exposuit. Quæ statim indicavit civibus suis; 18 Et illi dixerunt
ei die septimo ante solis occubitum? Quid dulcius melle, & quid fortius leone? Qui
ait ad eos: Si non arassetis in vitula mea, non invenissetis propositionem meam. 19
Irruit itaque in eum spiritus Domini, descenditque Ascalonem, & percussit ibi tri-
ginta viros, quorum ablatas vestes dedit iis, qui problema solverant. Iratusque nimis
ascendit in domum patris sui: 20 Uxor autem ejus accepit maritum unum de amicis
ejus, & pronubis.

Anno Mundi 2867. ante J.C. 1137.

℣. 2. VIDI MULIEREM IN THAMNATHA DE FILIABUS PHILISTINORUM, QUAM QUÆSO, UT MIHI ACCIPIATIS UXOREM.] Samson cum inter decimum septimum, ac decimum octavum annum [1] esset positus, in Thamnatha profectus est, qua vero de causa nos latet; cumque ibi forte vidisset quamdam filiam Philistiim eam sibi in uxorem poposcit. Thamnatha primum quidem tribui Juda cesserat Josue 15. 57. deinde vero tribui Dan Josue 19. 43. permissa fuit; ac Samsonis tempore Philisthæis parebat, ut hinc innotescit. David eam ipsis ademit: sed Philisthæi iterum ea potiti sunt, dum Achaz regnaret 2. Par. 28. 18. Josephus l. 2. de Bello c. 16. & Plinius lib. 5. c. 14. loquuntur de toparchia, seu regimine Thamnathæ: & Eusebius ait, Thamnatham fuisse in finibus Liddæ, B vel Diospolis, Jerusalem versus.

℣. 3. QUIA VIS ACCIPERE UXOREM DE PHILISTIIM, QUI INCIRCUMCISI SUNT.] Apud Hebræos lege cautum erat, ne exteras sibi uxores sumerent [2], ne ab illis seducerentur, atque pellecti in idolorum cultum proruerent. Nihilominus Samson, quem Deus elegerat, ut populum suum liberaret, palam legem ipsam infringit, & parentes illius, qui divina Dei consilia de illo noverant, & quibus imperatum fuerat, ut sollicita caverent cura, ne ille pollueretur, mira prorsus facilitate huic indulgent connubio, cum iis tantum verbis filium admonuissent: *Numquid non est mulier in filiabus fratrum tuorum, quia vis accipere uxorem de Philistiim, qui incircumcisi sunt?*

Quodnam judicium ferre licet de hoc Samsonis facto? C Omnes fere [3] conantur Interpretes illum purgare, & putant Samsonem a Deo vel imperium, vel saltem dispensationem peculiariter excepisse, qua id ageret; ipsumque divino adactum fuisse spiritu ajunt, qui inde oriri volebat belli, ac jurgiorum occasionem Hebræos inter, atque Philistiim. Ast nonne præstaret cum Theodoreto qu. 25. in Judic. asserere, Samsonem hac in re non mediocri adversus legem culpa haud vacasse? Quamquam permisit Deus, ut non semel deperiret mulieres eo consilio, ut inde occasio existeret in Philisthæos desæviendi; non inde tamen, Deum malum probasse licet inferre. Utitur quidem ad majorem sui nominis gloriam maximis hominum infirmitatibus; sed non ideo ipsas ab eo probari dicendum est.

Quod comminiscuntur Hebræi, Samsonem ad Judæorum religionem convertisse mulierem hanc, antequam uxorem duceret, nulli fundamento ex Historiis desumpto innititur; & quod legimus ℣. 4. *Parentes ejus nesciebant, quod res a Domino fieret*, non probat, illud a Domino probatum fuisse, neque ab illo Samsonem fuisse afflatum. Inspirare quidem potest Dominus cupiditatem fratrum ulciscendorum, ac belli A Philisthæis inferendi: at asserine potest Deum illi inspirasse ut contra ab se latas leges Samson operaretur; cum tot aliæ præsertim paterent viæ, quibus consilia sua posset exequi? Cum Rebecca impulit Jacob, ut præriperet benedictionem Isaac, afflata quidem Dei spiritu procul dubio fuit, ut illud ageret; sed cum docuit Jacob, ut mentiretur, ea in re profecto Dei spiritu non fuit afflata. Dicit passim Scriptura, Deum & velle, & agere, quod tantum sinit; exempli gratia: ait Exod. 4. 21. & 7. 3. Deum obdurasse cor Pharaonis; asserit Josue 11. 20. Dei fuisse voluntatem ut Chananæi obdurarentur, neque ab Israelitis pacem peterent, ut delerentur. S. Ambrosius de his Samsonis nuptiis disserens in Epist. 19. 1. class. nov. edit. eas in ejus periculi exemplum profert, quod illis imminet, qui cum exteris conjugii fœdera ineunt; & putat ipsum hac de re gratiæ, qua repletus erat, jacturam fecisse: *& ipse perditus est, & ipse per mulierem non potuit suam tenere gratiam.* De eodem etiam eodem ferme loquitur pacto in prolog. lib. 2. de Spirit. Sanct. *nolunt tam cautus ad servandam gratiam, quam fortis ad superandam bestiam.*

℣. 4. NESCIEBANT QUOD RES A DOMINO FIERET, ET QUÆRERET OCCASIONES CONTRA PHILISTIIM.] Hebraice ad litteram [4]. *Nesciebant hoc esse a Deo, nam ille quærebat occasionem*, prætextum, causam *ex parte Philisthinorum*. Estne Deus, an Samson, qui ex Philisthinorum parte quærit occasionem illis bellum inferendi? Omnes fere Interpretes ad Samsonem referunt. C Putant illi hoc ipsum consilio uxorem hanc duxisse, ac proposuisse ænigma juvenibus illis, qui illi adfuerunt in nuptiis. Septuaginta [5]; *quærebat ille par pari referre Philistiim.*

℣. 5. APPARUIT CATULUS LEONIS SÆVUS, ET RUGIENS.] Hebræi docent, authographi verbum [6] significare Leonem juvenem, ac robore plenum, fortiorem quidem Leunculo, perfecto vero leone infirmiorem. Hebraice ad litteram: *juvenis Leo filius Leonum.*

℣. 6. IRRUIT SPIRITUS DOMINI IN SAMSON.] Samson vi, ac animo præter morem se abripi sensit. Ex hoc patet, Samsonis vires supernaturale, ac miraculosum donum fuisse, nam a Spiritu Dei proveniebant: erat autem permanens donum, atque ha- D bituale voluntate Dei ipsius comæ, & Nazaræatui adhærens.

℣. 7. DESCENDITQUE, & LOCUTUS EST MULIERI.] Nonnulli id explicant [7] de Samsonis patre, qui cum pervenisset Thamnatham, puellæ Philisthinæ nuptias cum Samsone proposuit. Alii [8] volunt Samsonem, per se uxorem sibi poposcisse. Vatablus putat non cum illa, sed cum illius parentibus actum fuisse [9]; illorumque expetitum fuisse consensum. *Loqui mulieri*, sæpius

1 Usser. at Jun. & Tremel. ei 12. solum an. tribuit, Serarius 14. Brougton. 30.
2 Exod. 14. 12. Deuter. 7. 1. 3 Lyran. Cajet. Arias, Jun. Petr. Mart. Serar. Corn. Bonfr. & Grot.
4 לא ידעו כי מיהוה היא כי תאנה הוא מבקש מפלשתים
5 οὐκ ἔγνωσαν ὅτι παρὰ κυρίου ἐστὶν ὅτι ἀνταπόδομα αὐτὸς ἐκζητεῖ ἐκ τῶν ἀλλοφύλων.
6 כפיר אריות 70. σκύμνος λέοντος. 7 Jun. & Tremel. 8 Pisc. & alii plures.
9 וידבר לאשה *Verba habuit de muliere apud parentes illius.* Vat.

fæpius fignificat, illi nuptias proponere: *Quid faciemus forori noftræ in die quando alloquenda eft?* Ait fponfa Canticorum 8. 8. Vide Genef. 24. 57.

℣. 8. POST ALIQUOT DIES REVERTENS, UT ACCIPERET EAM.] Hebraicus textus ad litteram [1]: *Poft dies reverfus eft, ut acciperet eam*, Rabbini [2] contendunt poft annum dumtaxat ipfum rediiffe, atque annum integrum puellis permitti confueviffe, quæ nubebant, ut nuptiis fe præpararent. Chaldæus, Arabs, Perfa, aliique nominis Authores [3] huic fententiæ fubfcribunt, & omnes fatentur, *dies* annum quandoque fignificare [4]; & quidem nemo inficias ibit, diutinum elapfum fuiffe tempus fponfalia inter, & nuptias, nam intra tempus illud apes elaboraverant mel in corpore Leonis, quem occiderat Samfon, quod fieri nequaquam potuit, nifi poftquam hujus cadaveris tabes exaruiffet, & carnes penitus abfumptæ fuiffent. Ex libro Efther [5] liquet unius anni intervallo inftrui confueviffe puellas, quæ Regi Perfarum debebant nubere; & quamquam oftendi nequeat, iftud in aliis quoque regionibus in more fuiffe pofitum, dubio tamen locus non eft, quin apud Hebræos inter nuptias, ac fponfalia multum temporis interceffet.

ET ECCE EXAMEN APUM IN ORE LEONIS ERAT, AC FAVUS MELLIS.] Hebraicus textus [6] adfert, examen hoc apum fuiffe in corpore Leonis, ibique mel etiam fuiffe. Ex decurfo conjicere licet mel hoc in favo fuiffe, quamquam id Textus non ait. Non eft operofum concipere, examen apum in cranium, vel in fceletum leonis fe fe recepiffe, cum jam carnes fuiffent abfumptæ, & defluxiffet tabes, quemadmodum ante dictum eft. Herodotus l. 5. c. 114. afferit, examen apum intra exficcatum Onefyli Cyprii Tyranni cranium confediffe, poftquam caput illius diu pependiffet. Apes quoque in Hippocratis tumulo fedem fibi ftatuiffe feruntur [7], ac ibi fatis diu permanfiffe. Liquet, apes procul a tabo fugere, nec umquam illuc accedere, ubi fœda funt cadavera, vel fanguis, vel caro, vel adeps [8]: *Nemo has vidit in carne, aut fanguine, aut adipe*. Quomodo igitur adhæferunt leonis carni, cujus lues præ aliorum animantium tabe maxime eft putida? Interpretes quidam [9] afferunt, mufcas illas nequaquam apes fuiffe, fed vefpas, vel aliud quodvis mufcarum genus, ex iis præcipue, quæ corruptionem amant, & quæ vel humi nidificant, vel in fœdiffimis quibufque locis. At Mufcæ hæ mel elaborant? In Scriptura vocanturne alicubi *deborim*? quod nomen adeo apibus eft proprium, ut nulli præterea animantium generi tribuatur.

Alii [10] putant apes, quæ in leonis corpore mel protulerunt, fatas fuiffe e corruptis animantis ejufdem carnibus. Oftendunt autem ex Veterum teftimonio apes oriri poffe ex bovis carne, non fecus, ac vefpas ex equo, & fcarabæos ex afino. Virgilius [11] narrat, quo pacto fieri poffit, ut apes iterum nafcantur, cum matres omnes interierint. Eligitur, ait, locus optime tectus, quatuor mœnibus circumdatus, adverfus ventorum vim protectus, cum quatuor feneftris, quæ obliquam tantum lucem admittant. Tunc bimus vitulus quæritur, cui geminæ nares, & guttur obturantur: itaut fpiritum ducere nequeat; tum baculi plurima tunfione enecatur, & relinquitur cum extis fuis difruptis, quin aperiatur. In hoc quem defcripfimus loco claufus deferitur, illiufque corpori virides rami, ac bene olentes herbæ imponuntur. Quadraginta circiter dierum intervallo, vituli alvus moveri videtur, atque mufcis fervere, quæ per latera fibi pandunt viam, ac primum apparent veluti craffi vermes, fine pedibus, ac alis; deinde vero explicantur alæ, ac pedes folvuntur, conatum fuum edunt, & volant.

Interea teneris tepefactus in offibus humor
Æftuat, & vifenda modis animalia miris
Trunca pedum primo, mox & ftridentia pennis
Mifcentur, tenuemque magis magis aera carpunt.

Credibile admodum eft, has apes, quæ de vituli corpore emergunt, claufas ovis antea fuiffe in herbis, quas hoc animal prius comederat, & calorem, qui inter vifcera, ac in ventre fervebat, contuliffe, ut fœtus evolverentur, crefcerent, animarentur, & tandem in lucem prodirent. Boves herbis vefcuntur, & floribus, unde apes mella exfugunt, ac ubi fæpius ova fua deponunt. Effe quoque poteft virides ramos, ac bene olentes herbas, quibus obtegitur, necati, ac tufi corpus vituli, illuc pelle xiffe apes, quæ his herbis, frondibufque incubantes, fuper vituli cadaver ova relinquunt, quæ ope caloris loci, ac humiditatis corporis prodeunt, aliquamdiu vituli fubftantia nutriuntur, ac denique edito conatu avolant.

Sed non ratio, non experientia aliquid fimile nos de Leone edocet. Samfon dilaniaverat illum, de quo præfens loquitur hiftoria; nihil præcavorat ex iis, quæ neceffaria funt, ut apes gignantur, hoc fuppofito, quod ipfis gignendis illius caro fuerit accommoda. Denique etiamfi eædem in Leone occurrerent qualitates, quæ in vitulo fupponuntur, quandonam leonis caro effe poffet velut materia illis gignendis apibus, ex quibus mel effet confectum, quod ibi Samfon invenit? Hæ apes, quas ajunt ex cadavere Leonis emerfiffe, in hoc cadavere eodem confederuntne, ut mel elaborarent Samfoni, Patri illius, ac Matri, atque etiam futuræ fuæ conjugi, ut Jofephus Antiqu. l. 5. c. 10. ac S. Ambrofius Epift. 19. putant? Præftat igitur fententiæ primo loco propofitæ adhærere, ac afferere Samfonem Thamnatha redeuntem aliquot menfibus, vel etiam anno poft fponfalia, inveniffe in leonis fceleto favos mellis, quos apes ibi collegerant.

℣. 10. DESCENDIT ITAQUE PATER EJUS AD MULIEREM, & FECIT FILIO SUO SAMSON CONVIVIUM.] Manue Samfonis pater una cum uxore fua, ac filio fuo venit Thamnatham, ut quas ftatuerat Samfonis nuptias perficeret. Hebraicus textus naturaliter etiam explicari poteft, perinde ac Samfon idem inftruxiffet convivium [12]. Septuaginta [13], Chaldaica lectio, & alii quidam in hoc intelligunt fenfu, qui apprime cum iis, quæ confequuntur cohæret: *Sic enim juvenes facere confueverant*, Sacer Textus ait.

℣. 11. DEDERUNT EI SODALES TRIGINTA, UT ESSENT CUM EO.] Nonnulli putant, cives Thamnathæ, eo quod parum Samfoni fiderent, dediffe illi triginta hos juvenes, qui eum comitarentur, atque honoris prætextu ipfum obfervarent. At certum eft, a Samfone invitatos fuiffe, quemadmodum infra dicitur ℣. 15. *An idcirco vocaftis nos ad nuptias, ut fpoliaretis?* Forte ab urbis Primoribus petiit, ut fibi juvenes quidam traderentur, qui illum comitarentur, atque petenti triginta fuere permiffi. Ex aliis pluribus Scripturæ locis patet, recentes fponfos, nuptiarum fuarum tempore habuiffe apud fe quofdam e maxime neceffariis, atque coævis fuis; qui in Evangelio vocantur amici fponfi, vel filii nuptiarum [14]; atque juvenes hi per omne tempus nuptiarum a quovis publico opere immunes fuiffe dicuntur [15].

℣. 12.

1 וישב מימים לקחתה   2 Kimchi, Rab. Sal. apud Serar. qu. 10.   3 Arias Mont. Scalig. l. 4. de Emend. Boch. de Animal. facr. p. 2. l. 4. c. 9.   4 Vide Judic. 19. 2. Levitic. 25. 29. Exod 13. 10. 1. Reg. 1. 2.   5 Efth. 2. 12. *Expletis omnibus quæ ad cultum muliebrem pertinebant, menfis duodecimus vertebatur.*   6 והנה עדת דבורים בגוית האריה ודבש Jofeph, *in pectore*, ἐν σώματι Ambrof. Ep. 19. *in aecro.*   7 Vide vitam Hippocratis.   8 Varro. & Plin. l. 11. c. 21.   9 Lyr. & Abul. qu. 13.   10 Vide Serar. qu. 10. Cornel. a Lapid. hic Bonfrer. Boch. de animal. facr. par. 2. l. 4. cap. 9.   11 Virg. Georg. l. 4. & Ovid. Faft. l. 1. & Metamorph. l. 15. Varro de re Ruft. l. 2. c. 5. Columel. l. 9. c. 14. Plin. l. 11. c. 20. Svid. in Βουγενεῖς, &c.   12 ויעש שם שמשון משתה   13 Καὶ ἐποίησεν ἐκεῖ Σαμψὼν πότον.   14 Matth. 9. 15. Marc. 2. 19. Joan. 3. 29.   15 Arias Montan.

℣. 12. PROPONAM VOBIS PROBLEMA.] Authographi nomen [1] quodlibet genus quæstionum significat præpeditarum, ænigmaticatum, & quibos solvendis summo fit opus ingenio. Scriptura loquitur de ænigmatibus, vel problematibus, quæ Regina Saba Salomoni proposuit 3. Reg. 10. 1. *Regina Saba audita fama Salomonis in nomine Domini venit tentare eum in ænigmatibus*. Josephus libro primo contra Appionem testes adfert Dium, & Menandrum de problematibus, quæ ultro citroque sibi proponebant Hiram Rex Tyri, & Salomon Judæorum Rex. Major Ægyptiorum sapientia in hac Ænigmatica Philosophia erat posita, quæ in ipsorum gymnasiis, religione, ac regimine dominabatur. Pythagoræi ænigmatibus solum præcipua disciplinæ suæ dogmata significabant. Vide Clementem Alaxandrinum Strom. l. 5.

Veteres Græci [2] in convivis quæstiones obscuras, difficilesque proponare consueverant, quæ *griphos* appellantur; atque illis, quæ easdem evolverent, munus tribuebatur, quod fere corona erat, vel vitreum poculum meroplenum; atque illis, qoi eosdem enucleare nescirent, aqua ad bibendum in stata copia præbebatur, vel vinum marina aqua permixtum, quod uno halitu, quin spiritum ducerent, exorbere debebant. Sin autem nemo adesset e convivis, qui propositam quæstionem solveret, corona, quæ victori pretium stabat, vel alicui dicabatur numini, cujus solemnitas ageretur [3], vel illi cedebat, qui proposuerat ænigma. Horum ænigmatum exempla intueri licet apud Herodotum in coovivio septem Sapientum inter Plurarchi opera, atque in vita Æsopi.

Horum quædam ex Athenæo l. 10. c. 22. excerpta huc afferemus, quæ aliquam habet cum Samsoois ænigmate similitudinem; ex quibus ferre judicium possis de Veterum in hac re studio. Simonides cum fabrum quemdam convenisset, ut illi securim acuendam traderes, quæ Baccbi sacrificio inservire debebat, fabrum obdormientem invenit, prope vinarium utrem prostratum, atque ex utris conspectu cancrum adspexit: Simonides quin fabrum stertentem excitaret, securim retulit, & sodalibus suis hoc ænigma proposuit: *Hædi patr, qui quodvis herbarum genus depascit, & piscis infelix, mutuo caput suum capiti impegerunt: & ille, qui palpebris suis filium noctis accepit, noluit alere ministrum, qui Bacchi Regis boves interficit*. *Hædi patr* utrem significat ex hircina pelle confectum; *piscis infelix* cancrum. *Mutuo caput suum capiti impegerunt*, quoniam uter, & cancer facie ad faciem positi erant, veluti capri duo, qui in se invicem cornu petunt. *Filius noctis* est somnus, quem faber inter palpebras suas admiserat. *Minister qui Bacchi Regis boves interficit*, securis est sacrificantis. Aliud adferam Poetæ Theognidis: *Mortuus marinus me domum revocat, & licet mortuus loquitur ore vivo*. *Mortuus Marinus* Piscis est e testaceorum genere, quem hic Poeta erat manducaturus. *Os quo hic loquitur piscis* concha est, qua olim utebantur, ut inde lituos elaborarent. Virgilius

Sed cum forte cava dum personat æquora concha.

DABO VOBIS TRIGINTA SINDONES, & TOTIDEM TUNICAS.]. Hebraice [4]: *Dabo vobis triginta sedinim, & triginta mutatorias vestes*. Prior vox, quæ eadem est ac *sindones* Græce, significat lineas vestes cum fimbriis. *Sindones* Phœnicibus præsertim in more positæ fuisse videntur. Martialis lib. 4.

Non sic in Tyria Sindone tectus eris.

Mulier fortis Salomonis Sindonem fecit, & cingulum, eaque Phœnicibus vendidit [5]: Filiæ Jerusalem id genus vestes deferebant, quemadmodum ex Isaia patet [6]; generatim communis Ægyptiorum, Hebræorum, veterumque Græcorum vestis erat linea; reor autem sindonem carni proximam gestari consuevisse, & idem fuisse ac tunicam. S. Marcus in passionis historia de adolescentulo quodam loquitur, qui *sindone super nudo* erat indutus, & qui nudus eufugit de manu illorum, qui ipsum arripuerant, illis *sindonem* relinquens.

Quoad *mutatorias vestes*, non satis liquet, quænam essent. S. Hieronymus istic tunicas simpliciter reddidit; Septuaginta vero *stolas*, quæ vestis erat oblonga, tum viris, cum mulieribus communis in Oriente. Alii fuisse putant vestes novas, & pretiosas. Ego vero cum Syriaca versione intelligere malim *par vestium*, scilicet tunicam, & pallium [7]. Promisit illis tunicam nomine *sindonum*; pollicetur modo pallium nomine *vestium mutatoriarum*: cui explicationi favet etiam ℣. 19. ubi Samsoo fidem promissis præstans trigiota Philistiim convivis suis tribuit triginta totidem Philisthinorum, quos occiderat, spolias illisque singulis vestes largitur, quas cæsorum singuli deferebant; at deferebant plane pallium, & tunicam æque, ac finitimi populi; Samson igitur utramque vestem viris Thamnathæ detulit.

Liquet aotiquitus morem hunc obtinuisse vestes in munus, ac mercedem largiendi. Persarum Reges vestibus donabant aliorum Principum legatos, qui illuc accederent [8]. Cyrus Junior Siculo cuidam aureum torquem, Persicamque vestem impertit [9]. Quintus Curtius lib. 5. c. 5. refert binas vestes singulis traditas fuisse militibus, quos Persarum crudelitas deformes, horrentesque reddiderat. Ad hanc quoque diem in Turcarum aula vestium dumtaxat ultro citroque munera tribuuntur; Legati Magno Imperatori, Legatis vero Imperator vestes largiuntur [10].

℣. 4. DE COMEDENTE EXIVIT CIBUS, ET DE FORTI EGRESSA EST DULCEDO.] Servari potest verborum allusio, quæ invenitur in Textu hoc pacto vertendo [11]: *De comedente exivit comestio, & de duro, amaro, forti egressum est dulce*. Problema nulla difficultate obseptum videri potest, cum jam præcedens historia lecta fuerit, Verum qui eam nescirent, quis evolveret? Ænigmatum, quæ Veteres proponebant, solutio, a peculiari ignotoque plerumque facto pendebat, quemadmodum observare est in exemplis, quæ in ℣. 12. attulimus. Nostri ænigmatum inventores vetera ægre quidem probabunt, quæ illis haud juxta regulas, hac de re hodie propositas, videbuntur elaborata.

Samsonis problemati varii possent spirituales sensus appingi. Philisthæi, qui tunc erant veluti leones rapaces respectu Hebræorum, esse deinceps debebant, veluti illorum cibus; atque iidem populi, quorum vires terrorem adeo incutiebant, atque superbe adeo, insolenterque opprimebant Israelitas, his quondam præbituri erant segetem uberrimam gloriosæ, jucundæque victoriæ. S. Augustinus Serm. 364. de Temp. nov. edit. id explicat de Jesu Christo, qui in resurrectione sua de sinu mortis, & sepulchro egressus est, veluti vivens cibus, & spiritualis, veluti viventium panis: invenit ille vitam inter ea, quæ omnia devorant, & absumunt. De hujus Leonis corpore in passione sua discerpto, ac dilaniato mel extitit gratiæ, ac cœlestis benedictionis, & Christiana Ecclesia, veluti apum examen egressa, per omnes terras diffusa est.

℣. 5. CUMQUE ADESSET DIES SEPTIMUS.] Eam fuerant obtestati prima nuptiarum die, ut conaretur detegere

---

1 אחודה נא לכם חידה 2 Vide Aristoph., & Scholiast. in Vespis initio, & vitam Diodori cognomento Croni apud Laert. Eustat. in Odyss. 10. Hesych. in γρῖφος. Phavorinum, Pollucem, &c. Vide Bonfr. hic.
3 A. Gell. l. 18. c. 2. 4 נתתי לכם שלשים סדינים ושלשים חליפות בגדים 5 Prov. 31. 24. Sindonem fecit, & vendidit, & cingulum tradidit Chananæo. סדין עשתה 6 Isai. 3. 23. *Et specula, & sindones, & vittas*. 7 Vide Genes. 45. 22. 8 Elian. Var. Hist. l. 2. c. 22. 9 Xenoph. l. 1. Expedit. Cyr.
10 Petrus e Velle tom. 2. Epist. p. 126. 11 מהאכל יצא מאכל ומעז יצא מתוק

dettgere Samsonis ænigma, & cum prope esset dies septimus, venerunt, ut preces suas etiam atque etiam instaurarent. At quomodonam istud conciliari potest cum vers. 14. ubi narratur, juvenes nuptiarum sodales tres insumpsisse dies inquirendæ explicationi ænigmatis a Samsone propositi, post quos septima die Samsonis uxorem obsecravere, ut a viro suo ænigmatis solutionem edisceret? Variæ patent ad quæstionem hanc dissolvendam viæ. Prior est, quod cum Samson prima nuptiarum die ænigma proposuisset, ac juvenes necquicquam triduo insudassent explicationem scrutaturi, exorarunt Samsonis conjugem, ut a viro peteret, quid sibi vellet ænigma. Nec defuit illa; reliquo solemnitatis tempore blanditiis sollicitare sponsum conata est; sed cum nihil potuisset elicere, juvenes illi die nuptiarum septima minitabundi eam convenere, ut ænigma detegeret. Tunc lacrymis, precibusque effusis pellexit virum, ut Samson tædio victus illi arcanum prodiderit. Cum dicitur, luxisse septem nuptiarum diebus, nequaquam intelligendi sunt septem completi dies, sed dies illi, qui a quarto ad septimum usque fluxerunt.

Alii [1] contendunt, septimum hujus versiculi diem, nequaquam fuisse diem nuptiarum septimum; sed diem Sabbati, hebdomadæ septimum, qui incidit in quartum nuptiarum diem. Syriaca versio, & Arabica, nec non Septuaginta [2] legunt diem quartum pro septimo; quæ explicatio omnes tollit difficultates, quæ ex hoc versiculo emanant.

Istic animadverti potest, quod ipsum innuiti sumus in Jacob nuptiis cum Lia, nuptiarum solemnitatem plerumque diebus septem agi consuevisse. Duplo vero augebatur nonnunquam hic dierum numerus, quemadmodum liquet ex Tobia 8. 23. *Abjuravit Raguel Tobiam, ut duas hebdomadas moraretur apud se,* Vide Serar. hic, & in Tob. 10.

AN IDCIRCO VOCASTIS NOS AD NUPTIAS, UT SPOLIARETIS [3].] Ex Homero Odyss. Z. initio novimus recens nuptiarum consuetudinem vestes largiendi illis, qui eas in viri domum proficiscentes deducerent. Minerva ait Nausicæ: *Quamprimum nubere debes, opus est, ut candidas lintea vestes habeat, tum pro te, tum pro illis, qui te comitabuntur.* Juvenes hi juxta morem hunc vestibus debuissent donari ab uxore Samsonis; at ipsi e contra Samsoni vestes tradere debuissent, nisi propositum ænigma dilucidassent.

℣. 18. DIE SEPTIMO ANTE SOLIS OCCUBITUM.] Dies ibi gentium & initium, & finem ducebat a solis occasu; propterea juvenes hi ante id tempus accessere, antequam septima expiraret dies, propositi ænigmatis explicationem tradituri.

SI NON ARASSETIS IN VITULA MEA, NON INVENISSETIS PROPOSITIONEM MEAM.] Adagialis hæc loquendi ratio, *arare in vitula aliena* [4], duplici pacto potest intelligi, quorum utrumque eumdem inferunt sensum. Primum quidem: nisi uxoris meæ subsidio usi fuissetis: nisi prodidisset illa arcanum meum, numquam illud valuissetis evolvere [5]. Secundum: nisi abusi fuissetis uxore mea, si servasset illa mihi fidem in iis, quæ ad connubium spectant, non prodidisset illa arcanum, quod ipsi credideram. Apud veteres Græcos, Latinosque authores similes offendimus locutiones, quibus infidelis uxor innuitur. Plautus:

Fundum alienum arat, incultum familiarem deserit.

Martialis lib. 7.

Milo domi non est, peregre at Milone profecto
Arva vacant, uxor non minus inde paris.

Vide Theognidem Sentent. 57. Serarium quæst. 15. & Bochartum de Animal. sacr. part. 1. lib. 2. cap. 41.

℣. 19. DESCENDIT ASCALONEM, ET PERCUSSIT IBI TRIGINTA VIROS.] Ascalon erat Philisthinorum, aberatque decem, vel duodecim leucas a Thamnatha, meridiem versus. Samson cædit, ac occidit triginta hos Philisthæos, in agro plane, & prope civitatem: nam non liquet, cognitum fuisse, qui illos percusserit. Id autem Sancti Spiritus impulsu patravit Samson, quemadmodum hujus versiculi initium adstruit. *Irruit in eum Spiritus Domini, descenditque Ascalonem.* Non est, cur velut privatum quemdam, animo tibi fingas Samsonem, cui nullum esset jus bellum inferendi, ac populi sui hostes enecandi; sed eo charactere insignitus erat, quo non licebat solum, verum tenebatur ille populi Dei hostes persequi, illosque, ubicumque invenisset, lacessere.

℣. 20. UXOR EJUS ACCEPIT MARITUM UNUM DE AMICIS EJUS.] Qui fuerant cum Samsone tempore nuptiarum. Hebraice: *nupsit illa amico Samsonis, illi, qui fuerat amicus ejus;* principi amicorum, vel sodalium Samsonis, illi, qui in Evangelio [6], *sponsi amicus* vocatur; paranympho, qui Sponsam comitabatur, dum ille sponsam domum suam deduceret; vel illi, qui eam per se ipsum deducebat, si illa antea nupsisset [7]. Mulier hæc credidit Samsonem, non reversurum, atque sibi jam postremum vale dixisse; neque expectavit, donec ille secundum leges divortium faceret.

---

1 Lyr. Tost. Vatabl. Munst. Castel.

2 Editio Polyglot. Antuerp. habet *septimum*, at exemplaria Romana, & Basileensia *quartum*.

3 הלירשנו קראתם לנו. 70. τὸ ἐπτῶ χάλεσι ὠναλέσατε, *ut nos inopes redderetis?* Aliter: ἢ ἐκβιάσαι, *ut vim nobis inferretis, ut vi nos spoliaretis?*

4 70. Th. εἰ μὴ ἠροτριάσατε ἐν τῇ δαμάλει μου. Alius: εἰ μὴ κατεδαμάσατε τὴν δαμάλιν μου, *nisi domuissetis vitulam meam.*

5 Ita Vatabl. Drus. Jun. Serar. Cornel. Bonfr. Delrio &c.

6 Joan. 3. 29. Septuaginta edit. Basil. & Antuerp. συμφαγόγῳ, & Joseph. νυμφευτής, S. Ambros. *Paranympho.*

7 Vide Hesych. & Bonfrer. hic.

CAPUT

CAPUT XV.

Samson incendit messes Philisthiim trecentis vulpibus igne apposito. Cum asini maxilla mille interficit Philisthæos, ex qua deinde fons emanat, ad sitim levandam.

1. POst aliquantulum autem temporis cum dies triticeæ messis instarent, venit Sam-
son, invisere volens uxorem suam, & attulit ei hædum de capris. Cumque
cubiculum ejus solito vellet intrare, prohibuit eum pater illius, dicens: 2 Pu-
tavi, quod odisses eam, & ideo tradidi illam amico tuo, sed habet sororem, quæ ju-
nior, & pulchrior illa est, sit tibi pro ea uxor. 3 Cui Samson respondit: Ab hac
die non erit culpa in me contra Philisthæos: faciam enim vobis mala. 4 Perrexitque,
& cepit trecentas vulpes: caudasque earum junxit ad caudas, & faces ligavit in medio:
5 Quas igne succendens, dimisit, ut huc illucque discurrerent. Quæ statim perrexerunt
in segetes Philisthinorum. Quibus succensis, & comportatæ jam fruges, & adhuc stan-
tes in stipula, concrematæ sunt, in tantum, ut vineas quoque, & oliveta flamma con-
sumeret. 6 Dixeruntque Philisthiim: Quis fecit hanc rem? Quibus dictum est: Sam-
son gener Thamnathæi: quia tulit uxorem ejus, & alteri tradidit, hæc operatus est.
Ascenderuntque Philisthiim, & combusserunt tam mulierem, quam patrem ejus. 7
Quibus ait Samson: Licet hæc feceritis, tamen adhuc ex vobis expetam ultionem, &
tunc quiescam. 8 Percussitque eos ingenti plaga, ita ut stupentes suram femori impo-
nerent. Et descendens habitavit in spelunca petræ Etam. 9 Igitur ascendentes Phili-
sthiim in terram Juda, castrametati sunt in loco, qui postea vocatus est Lechi, id est,
maxilla, ubi eorum effusus est exercitus. 10 Dixeruntque ad eos de tribu Juda: Cur
ascendistis adversum nos? Qui responderunt: ut ligemus Samson, venimus, & redda-
mus ei, quæ in nos operatus est. 11 Descenderunt ergo tria millia virorum de Juda,
ad specum silicis Etam, dixeruntque ad Samson: Nescis, quod Philisthiim imperent
nobis? quare hoc facere voluisti? Quibus ille ait: Sicut fecerunt mihi, sic feci eis.
12 Ligare, inquiunt, te venimus, & tradere in manus Philisthinorum: Quibus Sam-
son, Jurate, ait, & respondete mihi, quod non occidatis me. 13 Dixerunt: Non te
occidemus, sed vinctum tradamus. Ligaveruntque eum duobus novis funibus, & tule-
runt eum de petra Etam. 14 Qui cum venisset ad locum maxillæ, & Philisthiim voci-
ferantes occurrissent ei, irruit Spiritus Domini in eum: & sicut solent ad odorem ignis
lina consumi, ita vincula, quibus ligatus erat, dissipata sunt, & soluta. 15 Inventam-
que maxillam, id est, mandibulam asini, quæ jacebat, arripiens, interfecit in ea mille
viros. 16 Et ait: In maxilla asini, in mandibula pulli asinarum, delevi eos, & percus-
si mille viros. 17 Cumque hæc verba canens complesset, projecit mandibulam de ma-
nu, & vocavit nomen loci illius Ramathlechi, quod interpretatur elevatio maxillæ.
18 Sitiensque valde, clamavit ad Dominum, & ait: Tu dedisti in manu servi tui salu-
tem hanc maximam, atque victoriam: en siti morior, incidamque in manus incircumci-
sorum. 19 Aperuit itaque Dominus molarem dentem in maxilla asini, & egressæ sunt
ex eo aquæ. Quibus haustis, refocillavit spiritum, & vires recepit. Idcirco appellatum
est nomen loci illius, Fons invocantis de maxilla, usque in præsentem diem. 20 Judi-
cavit Israel in diebus Philisthiim viginti annis.

Anno Mundi 2868. ante J. C. 1136.

℣. 1. POST ALIQUANTULUM TEMPORIS, CUM DIES TRITICEÆ MESSIS INSTARENT.] Occurrunt hic in hebraico textu voces eædem [1], quas in capitis superioris ℣. 8. *annum integrum* explicuimus. Hoc accidit satis diu post Samsonis connubium, cum nequaquam credibile videatur, quod socer illius voluerit uxorem ejus alteri locare, statim ac recesserat Samson; neque hic adeo celeriter justam iram posuerit, qua merito adversus uxorem suam flagrarat. At ex decursu liquet ipsum recta fide ad eam esse reversum.

ATTULIT EI HÆDUM DE CAPRIS.] Munus abjectum profecto, & contemnendum, prout nostri sunt mores, alii admodum a Veteribus, ac præsertim a consuetudine agrestium virorum ævi illius, quo hædus exquisitissimarum epularum loco habebatur.

℣. 2. HA-

1 ויהי מימים בימי קציר

℣. 2. HABET SORORE M . . . . SIT TIBI PRO EA UXOR.] Hæc conjugia nequaquam vetita erant apud Philistiim, non secus ac apud alios Orientis populos. Jacob duas sorores duxerat, & utramque simul in uxores habuerat: verum Moysis lege cautum fuit, ne quis cum duabus sororibus, sive simul, seu successive nuptias initet, Levit. 18. 18.

℣. 3. AB HAC DIE NON ERIT CULPA IN ME CONTRA PHILISTHÆOS; FACIAM ENIM VOBIS MALA.] Samson indicit bellum Philisthæis, eo quod ab ipsis lacessitus fuisset injuria. Sola ipsius dignitas Liberatoris, vel Judicis Israel, deferebat illi jus, quod negari nequit, populum suum defendendi, & Philisthæos persequendi: sed cum hi populi possent non agnoscere hanc dignitatem Samsonis, testatur, se ultionem sumpturum pro illatis sibi injuriis jure gentium, quin locus sit illis querendi, & hac de causa bellum inferendi aliis Israelitis, vel eos crudeli modo opprimendi. Philisthæi satis superque noverant injuriam Samsoni illatam, alteri uxorem ipsius tribuendo, atque conniverant, Samson inde putat sibi jus esse universam Philisthinorum nationem persequendi, eo quod natio tota injuriam approbasse censebatur. Vide Grotium hic, Pet. Mart. Estium &c.

Ultio privata authoritate peracta, præsertim adversus Exteros, in privatis quandoque tolerabatur tempore Legis antiquæ; sed vetita est lege recenti, adversus quemcumque. Et quidem si Samsonem considerare velis velut simplicem privatum virum, fatendum est, ipsum injurias suas persequi haud potuisse, nisi postquam frustra justitiam sibi fieri petierit a Magistratibus Philisthinorum; atque hac ipsa in re nequit excusari, quod in omnem nationem erroris pœnam effuderit, cui socer ipsius, ac uxor tantum erant obnoxii. At si intueamur Samsonem, veluti Israelitarum caput, atque a Deo suscitatum ut illos tueretur, alio prorsus pacto erit arguendum. Consilium Dei non erat, quod ille Philisthæos irritaret, atque in apertum, justumque bellum adversus Israel impelleret; sed quod paullatim eorum vires imminueret, atque in illos se se haberet potius veluti privatum caput, quam veluti designatus totius gentis Princeps. Ad hæc Philistiim cognita injuria, quam socer Samsonis genero intulerat, uxorem illius alteri tradens, cum minime obstitissent, se se quodammodo noxios præbuerant illius injustitiæ adversus Samsonem.

℣. 4. CEPIT TRECENTAS VULPES.] Hæc circumstantia parum fidei consona videri poterit illis, qui vulpes passim in Palæstina communes esse ignoraverint. Viatores quidam [1] asserunt eam regionem id genus animantibus affluere, ac inveniri complures inter ædificiorum rudera, & ruinas. Adest quoque ea in regione animal, cujus pars lupi est, pars altera vulpis, & quod ibi commune est adeo, ut Bellonius [2] asserat, se ex iis ducenta simul vidisse.

Scriptura pluribus in locis de vulpeculis loquitur, veluti in Palæstina admodum frequentibus. *Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas*, ait Canticorum sponsus 2. 15. *Propter montem Sion, qui disperiit*, inquit Jeremias Thren. 5. 18. *vulpes ambulaverunt in eo*. *Si ascenderit vulpes, transiliet murum eorum lapideum* 2. Esdr. 4. 3. dicebat Tobias Ammanites per jocum dum videret muros Ierusalem iterum extrui, post reditum de captivitate. Ezechiel 13. 4. loquens de magno Pseudo Prophetarum numero, qui erant in Israel, eos vulpibus deserti comparat: *Quasi vulpes in desertis Prophetæ tui, Israel, erant*. Denique ex libris sanctis plurima agnovimus loca, quibus nomen a vulpeculis, quæ ibi complures aderant, accessit: Exempli gratia *terra Sual* Iosue 15. 28. seu vulpium, & civitas, quæ vocatur *Hazer-Sual*, atrium vulpium, & civitas *Salabim* Iosue 19. 42. quæ ipsa quoque a vulpibus nomen accepit.

Sin autem exempla quæris magnæ animantium multitudinis, sed magis efferatorum, ac minus frequentium, quam vulpes, quæ in Romæ Amphitheatrum fuerint educta, videri potest Serarius, & Cornelius a Lapide, qui referunt, a Lucio Sylla centum Populo Romano centum leones cum jubis suis productos fuisse [3]; Pompejus vero usque ad quingentos protulit in arenam, ex quibus 315. jubis erant ornati. Iulius Cæsar quadringentos eduxit. Probus Imperator [4] in spectaculum dedit mille struthiones, mille cervos, mille apros, totidem damas, ac alia quamplurima animantia. Ergone incredibile est Samsonem brevi trecentas vulpes colligere potuisse, quas vel per se, vel per alios ceperit ea in regione, ubi profecto id genus animalia sunt communissima? Non igitur necesse est, ut ad miraculum confugiamus, sicuti fecere nonnulli, ut explicemus, quo pacto tanta vulpium copia illi suppetere potuerit.

Cæterum Samson nihil eligere poterat consilio suo accommodatius, quam vulpes; hoc pacto regionem suam immundia, ac perniciosis animantibus purgabat, easque in hostium terras immittebat. Oblongior vulpium cauda optime facibus deferendis inservire poterat, quas adnectere illis volebat; & animal hoc, qui pernicissimo cursu pervolat, & semper hac illac oblique fertur, quodque maxime ignem metuit, præ cæteris melius flammas per segetes diffundere cœpit, atque in Philisthinorum agros, quo instinctus naturaliter eas proripiebat, ut extinguerent ignem, qui eas sequebatur, ac incendebat. Alia quoque fuit Samsonis ars, vulpes binas, & binas conjungere; si enim, vel omnes simul alligasset, hoc inter ipsas tantummodo turbam parere potuisset; vel singulas dimisisset, in cubilia sua se se recipere potuissent, & flammas extinguere: binas simul adnectit, ut nimiam cursus pernicitatem detineat, dum utraque in diversa fugere adnititur, atque ut commoditatem præbeat igni segetes accendendi, ut late incendium per agros diffunderetur.

FACES LIGAVIT IN MEDIO.] Videlicet resinacei ligni faculas adligavit [5], veluti olivæ, pini, abietis, quæ facile ignem concipiunt, ac difficile extinguuntur. Binæ vulpes simul ad caudam fune alligatæ, in cujus medio tæda posita erat, jungebantur. Creditur autem Samson non eodem in loco omnes has vulpes dimisisse, sed in diversis, ut majus inferrent damnum, ac in latiori extensione regionis. Credibile etiam est plurium virorum opera ad id usum fuisse, ac inter Hebræos numquam illi defuisse, qui morem gererent, cum præcipue unus ille omne factionis hujus odium, atque indignationem suscipere non recusaret.

Eruditi quidam Interpretes [6] in Fastis Ovidii adverterunt historiam, quæ aliquam habet cum hac, quæ a Scriptura narratur, similitudinem. Romæ vetus erat mos in Circo complures vulpes dimittendi incensis facibus ad tergum appositis. Spectaculum hoc mense Aprili præbebatur; gaudebatque populus animantia hæc discurrere intuitus, donec ignis, quem super se deferebant, ipsas enecasset. Ovidius, qui ludos hos describit, se a Carseolano sene didicisse, ait, quænam illorum origo fuerit. Narrabat senex ille, Carseolanum adolescentem, cum cepisset vulpeculam, eamque stipula, fœnoque involvisset, illi ignem applicuisse, ut eam combureret; verum cum animal celeritate aufugisset, flammas intulit segeti, quæ jam jam erat recidenda; cujus rei, ut perenne monumentum existeret, inquiebat ille, comburebantur vulpes in circo, eas dimittendo, cum tergo incensæ tædæ alligatæ fuissent. Ovidius lib. 4. Fastor.

Cur igitur missæ junctis ardentia tædis,
Terga ferant vulpes, causa docenda mihi est,

1 Vide Morizon. l. 2. c. 31.
2 Vide Boch. par. 1. c. 13.
3 Plin. l. 8. c. 16.
4 Apud Vopisc. in Probo.
5 וישם לפיד אחד 70. ἔθηκε λαμπάδα μίαν,
6 Vide Serar. qu. 7, Bonfrer. hic Boch. de Animal. sacr. p. 1, l. 3. c. 13.

. . . .

Filius hujus erat primo lascivus in ævo,
Addideratque annos ad duo lustra duos.
Is capit extremi vulpem convalle salicti.
Abstulerat multas illa cohortis aves.
Captivam stipula fœnoque involvit, & ignes
Admovet urentes, effugit illa manus.
Qua fugit incendit vestitos messibus agros,
Damnosis vires ignibus aura dabat.
Factum abiit, monumenta manent, nam vivere captam
Nunc quoque lex vulpem Carseolana vetat.
Utque luat pœnas genus hoc cerealibus ardet,
Quoque modo segetes perdidit, illa perit.

Serarius, & Bochartus Ovidii sententiam de spectaculi hujus origine refellunt; atque id factum fuisse contendunt ad imitationem illius, quod Samson fecit adversus Philisthiim. Modus, quo capularis ille Carseoli senex factum Ovidio retulit, fabulosus nimium videtur: res eadem tenuior est, atque minimi momenti, quam ut mereatur, Romæ hoc monumentum servari, cujus factum illud minime intererat. Tempus, quo ludi hi Romæ celebrabantur, nequaquam congruit tempori, quo Romæ, ac in Italia messis peragitur; sed adamussim messi in Palæstina respondet. Vulpecula Carseolani adolescentuli, quæ fœno involuta forte ignem civitatis illius messi admovit, nullam habet similitudinem cum vulpibus, quæ in circo educuntur facibus supra tergum incensis. Denique allati authores fidei pronius esse putant, solemnitatem hanc ex Orientalibus Romam migrasse, non secus ac plerasque alias Iudæorum cæremonias, quas Ethnici imitati sunt. Verum quomodonam illi probant, Orientales, & Hebræos animum adjunxisse, ut festivitatem instituerent, ac actionis hujus Samsonis monumentum servarent?

℣. 5. COMPORTATÆ JAM FRUGES, & ADHUC STANTES IN STIPULA CONCREMATÆ SUNT, IN TANTUM UT VINEAS QUOQUE, & OLIVETA FLAMMA CONSUMERET.] Fruges congerebantur in areis per agros, ut ibi taurorum pedibus, vel ut immanibus ligneis cilindris super aristas ductis aristæ trituratæ executerentur; quod hic per ea verba innuitur; *comportatæ segetes*. Hebraicus textus ad litteram ita vertitur [1]; *& combussit a tumulis usque ad fruges stantes, & usque ad vineas olivarum*; quod nonnulli [2] intelligunt de olivis in vinearum speciem consitis, verbo, de olivetis. Sed quinam audivit umquam *vineas olivarum*? præstat Textui conjunctionem cum quibusque melioris notæ Interpretibus supplere, atque cum Vulgata, & Septuaginta legere, *vineas, & oliveta*.

℣. 6. COMBUSSERUNT TAM MULIEREM, QUAM PATREM EJUS.] Primores Philisthiim [3] Samsonis jus æquum agnoscunt; atque in eos animadvertunt, qui authores injuriæ fuerant, qua Samson fuerat lacessitus; atque illis addere potuissent Thamnathæ magistratus, qui malo huic minime obstiterant. Videre hic licet, quo horrore populi illi propter adulterium afficerentur.

℣. 7. LICET HÆC FECERITIS, TAMEN ADHUC EX VOBIS EXPETAM ULTIONEM, & TUNC QUIESCAM.] Nondum ad satietatem ultus sum, neque desistam, nisi rursus in vos pro meritis desæviero. Hebraicus textus obscurior est [4]: *Si ita egissetis, te adhuc integra, hæc mihi suffecisset ultio, & quievissem*. Vel aliter: *Ita ne agitis? Iners habear, nisi de vobis ultionem sumpsero, ac postea quiescam*. Sed meliorum Interpretum plerique Vulgatæ adhærent.

℣. 8. PERCUSSIT EOS . . . . ITA UT STUPENTES SURAM FEMORI IMPONERENT.] Hæc cruris super femur positio innuere dicitur, cogitabundum hominem, inquietum, atque obstupescentem. Scriptura alibi innuit stuporis signum esse femur contundere [5]. Hebraicus hujus loci textus habet [6] *percussit cum crure femur*, vel crus super femur. Interpretes locum hunc explicantes abeunt in diversa. Vatablus in adagiali intelligit sensu, quemadmodum Galli dicerent, percussit eos tergum, & ventrem. Chaldaica versio; percussit pedites, & equites. Paulus Burgensis, & Iunius; veluti inertes mulctavit, eos fugavit veluti ignavos, ac desides, calcibus illorum posteriora percussit; denique dici potest, Samsonem illis crura, & femora præcidisse, vel eos cecidisse, quin effugere possent. Castalio sequitur Iosephum Antiq. l. 5. c. 10. qui credit hunc locum significare, Samsonem fudisse Philisthiim in quibusdam regionis eorum locis. En autem alium sensum, qui huic loco tribui posset: *Samson percussit Philisthiim ad femora, & suras*. Femora celeritatem significant, & suræ vim; *Non in fortitudine equi voluntatem habebis*, inquit Propheta Psal. 146. 10. *nec in tibiis viri beneplacitum erit ei*: Et Nahum 2. 5. *femora collisa sunt in plateis*; nemini vis erit fugiendi, vel obsistendi. Samson percussit Philisthiim ad partes easdem, præcidit illis quodammodo brachia, & suras, eosque ita affecit, ut non possent amplius, aut fugam carpere, aut vim illius sustinere.

HABITAVIT IN SPELUNCA PETRÆ ETAM.] Aderat urbs *Etam* in tribu Simeon in finibus tribus Dan 1. Par. 4. 32. Hæc perhibetur deinde a Roboam Rege Juda [7] communita fuisse, prope quam Samson se recepit in speluncam [8]. Hebræus [9]: *Habitavit in Seipho petræ Etam*, vel *in summitate petræ Etam*; vel potius *sub ramis* ad umbram *petræ Etham*, sub arboribus, qui erant prope rupes Etam. Nomen *seiph* significat sæpius ramos [10].

℣. 12. SPONDETE MIHI, QUOD NON OCCIDATIS ME.] Locus hic legi nequit, quin nobis exhibeat I. C. qui se ipsum militibus tradit, & qui se vinciri patitur a Iudæis fratribus suis, pro quorum salute vult se se hostibus dedere, licet semper vitæ suæ, ac mortis dominus. Samson paciscitur, ne proditorie ipsum enecent, nam aliter minimum eos metuit, qui ipsum venerant capturi.

℣. 14. AD LOCUM MAXILLÆ.] Hebraice [11]; *ad Lechi*. Loco huic maxillæ nomen inditum fuit solum post certamen, quod mox ℣. 15. narratur, ubi Samson maxilla asini mille occidit Philisthæos. Lechi abesse dicitur septem circiter leucas ab Ascalone, orientem versus [12]. Petra Etam, quo se se receperat Samson, non longe abesse debebat.

SICUT SOLENT AD ODOREM IGNIS LINA CONSUMI.] Hebræus; sicut linum, quod ad ignem comburitur. Author Vulgatæ sæpius utitur hac loquendi ratione, *odor ignis* [13], ut ignis actionem, combustionem significet. Septuaginta; *veluti stupa, cum ignis odorem sentit*.

℣. 15. INVENTAMQUE MAXILLAM . . . . ASINI, QUÆ JACEBAT, ARRIPIENS.] Hebraicus textus hanc maxillam asini recentem fuisse ait [14]. Septuaginta [15]; *maxillam asini, quæ abjecta erat*. Vulgata, ac Josephus in eodem sensu intelligunt; legerunt enim textum parum aliter, ac nos legimus. Parum intererat hic referre, maxillam adhuc recentem fuisse, & carne obductam.

℣. 16. ET AIT IN MAXILLA ASINI, IN MANDIBULA PULLI ASINARUM DELEVI EOS.] Hoc est victoriæ canticum, quod Samson canit in miræ hujus rei ab se gestæ memoriam. Plures Interpretes Hebraicum textum aliter vertunt [16]: *Cum maxilla asini, eorum feci tumulum unum, duo tumulos, cum maxilla asini*

1 ויבער מגדיש ועד קמה ועד כרם זית 2 Kimchi, Drus. 3 Vide Josephum l. 5. c. 10.
4 אם תעשון כזאת כי אם נקמתי בכם ואחר אחדל 5 Jerem. 31. 19. *Postquam ostendisti mihi percussi femur meum*. 6 ויך אותם שוק על ירך 70. ἐπάταξεν αὐτοὺς κνήμην ἐπὶ μηρόν. 7 2. Par. 11. 6.
8 Bonfr. hic, Cellar. l. 3. c. 13. 9 וישב בסעיף סלע עיטם 10 Vide Isai. 17. 6. 27. 10. & maxime 57. 5. תחת סעיפי הסלעים Ezech. 31. 6. & 8. 11 עד לחי 12 Eugen. Roger. in Terra Sancta c. 15. 13 Judic. 16. 9 Dan. 3. 94. [illegible], ἐν τῷ ὀσφρανθῆναι πυρός. 14 וימצא לחי חמור טריה וישלח ידו 15 σιαγόνα ὄνου ἐρριμμένην. Legerunt cum Vulgata טרית pro טריה quod hic tantum occurrit, & in Isai. 1. 6. מכה טריה 16 בלחי החמור חמור חמרתים בלחי החמור הכיתי אלף איש.

asini delevi mille viros [1]. Verum Castalio, Bonfretius, & alii quidam Vulgatæ versionem tuentur, atque ita ex Hebraico textu reddunt: *Cum maxilla asini, asini filii duarum asinarum, cum maxilla asini delevi mille viros*. Toties maxillam hanc repetit, ea siquidem victoriæ suæ maximum pondus, & gloria accedebat. Ait autem eam fuisse asini magni, vel asini duarum asinarum filii, vel propter miram illius magnitudinem, vel ne quis arbitraretur subesse æquivocum sub nomine maxillæ asini.

Adhærere possemus versioni Septuaginta, quæ habet [2]; *cum maxilla asini penitus delevi eos; cum maxilla asini occidi mille viros*. In versionis hujus gratiam, sensum hunc hebraico textui afferre vellem: *cum maxilla asini posui illos in sanguine*, vel delevi eos; cum maxilla asini *occidi mille viros*. Samson alludit ad verba Hebraica, *chamor, asinus*, & *chamarti; delevi*, vel *cruentavi*. Illud porro incommodum ea occurrit in versione, quæ servare vult asinæ nomen in Textu, quod Samsonem dicentem inducit, asinum duarum fuisse filium asinarum, quod ad litteram dici nequit.

℣. 17. RAMAT-LECHI, QUOD INTERPRETATUR ELEVATIO MAXILLÆ.] Hebraicus textus simpliciter habet, *Ramat-Lechi*. Græci vero, ac Latini Interpretes addiderunt, *quod interpretatur elevatio maxillæ*; vel quod illam Samson de terra sustulerit, vel quod adversus Philisthæos elevarit. Sed recentiorum Interpretum plerique [3] reddiderunt Hebraicum textum [4]: *jactum maxillæ*; eo quod in terram jecit hoc victoriæ suæ instrumentum. Syriaca versio, & Arabica habent: *Sanguinem Maxillæ*; legerunt enim in Textu *Damath* pro *Ramat*.

℣. 18. SITIENSQUE VALDE CLAMAVIT AD DOMINUM.] Josephus Antiqu. l. 5. c. 10. putat ardentem hanc Samsonis sitim pœnam fuisse illius jactantiæ, & gloriæ, quam sibi vexerat in Cantico, quod post relatam victoriam cecinerat, perinde ac eamdem virtute, ac viribus suis retulisset. *Insolens verum secundarum animus*, inquit S. Ambrosius ep. 19. *qui debuit eventum pugnæ divino favori, & præsidio deferre, sibi arrogavit dicens: in maxilla asini delevi mille viros*. Sed alii [5], qui Samsoni favent, sitim, quam pertulit, labori tribuunt, calori, motui, atque prælii illius agitationi. Satis autem justos cordis sui sensus prodit, cum ad Deum conversus ait: *Tu dedisti in manu servi tui salutem hanc maximam, atque victoriam; en siti morior, incidamque in manus incircumcisorum*.

℣. 19. APERUIT ITAQUE DOMINUS MOLAREM DENTEM IN MAXILLA ASINI, & EGRESSÆ SUNT EX EO AQUÆ.] Deus miraculose fontem eduxit ex alveolo molaris dentis maxillæ; atque in prodigii illius monumentum, locus ille appellatus est fons invocantis, usque ad tempus Authoris, qui hunc librum conscripsit. Sensum hunc, quem naturaliter Vulgatæ textus, & Septuaginta [6] exhibent, plerique sequuntur Interpretes [7]. Sed alii [8] putant, fontem hunc momento solum manasse, atque tantum aquæ effluxisse, quantum satis esse poterat, ut præsens Samsonis levaretur sitis; alii vero [9] opinantur, aquas fluxisse quidem per molaris dentis hiatum, sed e terra originem duxisse, ubi maxilla dejecta jacebat.

Seratius minime ambigit, quin aqua statim ex molaris dentis alveolo defluxerit, sed illud ambigit, an temporis decursu, postquam maxilla mota fuit, aquæ manare perstiterint, vel an postquam aliquamdiu de maxilla emanassent, deinceps e terra scatere perseverarint; vel denique an nomen *fons invocantis* inditum fuerit loco simpliciter, ubi hoc portentum contigit, an & maxillæ, & loco simul adhæserit. His omnibus de rebus infirmæ tantum conjecturæ afferuntur. Hoc autem certum est, S. Hieronymi [10] ævo adhuc fontem Samsonis extitisse; qui ostentabatur etiam, dum Glycas inter vivos degeret, sæculo scilicet undecimo.

Illud autem in dubium vocare potest fontis hujus durationem, quod nempe diversis in locis statuitur, ac inter se quam maxime dissitis. Glycas Annal. par. 2. eum statuit in suburbiis Eleutheropolis; alii [11] prope torrentem Cedron; alii prope Tiberiadem collocant [12]. Patres quidam [13] putant aquam de maxilla manasse, dum illam hactenus Samson manu teneret; alii [14] eam humi jacuisse dicunt, cum inde aquam egredientem Samson conspexit: & ℣. 17. huic palam favet sententiæ; nam ait, Samsonem, cum victoriæ carmen cecinisset, maxillam, quam manu gestabat, abjecisse, atque deinde siti vexatum a Deo fontem ad sitim levandam impetrasse.

Aliæ quoque insurgunt difficultates quoad loci hujus sensum, hebraico textui adhærendo. Ita porro ad litteram vertitur [15]: *Et Dominus fidit mortarium* (*vel dentem maxillarem*) *quod erat in Lechi, & aqua manavit*. Mortarium huic petræ nomen fuisse dicitur, quæ in loco erat, cui nomen lechi. Alii putant *Machtes* (vox hæc omnem parit loci difficultatem) significare petram, cui nomen dens maxillaris, propter formam ejusdem. Paraphrastes Jonathan vertit: Dominus aperuit petram, quæ erat ad maxillam, & fluxit aqua [16]. Hoc idem Josephus ait Antiqu. l. 5. c. 10. *Deus eduxit e lapide, qui ibi erat, fontem aquæ dulcis, atque abundantis*.

Sensus hic magis mihi arridet, utpote qui magis naturalis, simplex, litteralis, minoribusque obnoxius incommodis, quæ e priori manant sententia. Nam primo miracula haud multiplicantur sine necessitate. Nonne satis magnum illud fuerat, petram aperuisse, ut inde aqua emanaret? Secundo, explicatur facile, quomodonam fons ille eodem in loco persistere potuerit plurium sæculorum spatio, qui forte ad hanc usque diem perseverat. Tertio, textus nobis præbet imaginem petræ scissæ, atque apertæ, & rei cujuspiam, quæ aderat in loco, cui nomen *Lechi*. Quarto, indi potuit post factum hoc, ac in eventus hujus gratiam nomen *dentis maxillaris* (Machtes) seu *alveoli dentis maxillaris* petræ, e qua fluxerunt aquæ, non secus ac maxillæ nomen inditum fuit loco, ubi Samson cum maxilla asini fuderat Philisthæos. Quinto, qui credidere fontem hunc adhuc existere in Palæstina, non id profecto existimarunt, illum ex alveolo maxillæ asini emanare. Sexto, Scripturæ textus palam ait; fontem hunc in *Lechi* fuisse veluti loci cujusdam nomen proprium memorans, non autem materialis maxillæ: *Dominus fidit Machtes* (petram hujus nominis), *quæ erat in Lechi, atque inde egressæ sunt aquæ, & Samson bibit; & spiritum recepit, & vixit* (se se collegit); *idcirco dedit illi nomen fontis clamantis, qui est in Lechi usque ad hanc diem* [17]. Hæc postrema verba demonstrare mihi videntur, *Lechi* nomen esse loci. Hebræis usitatum erat *dentium* nomen abscissis rupibus impo-

1 Ita Jonat. Pagn. Mont. Jun. Varab. Munst. Boch. Syr. Arab. &c. 2 ἐν σιαγόνι ὄνου ἐξαλείφων ἐξήλειψα αὐτοὺς ἐν σιαγόνι ὄνου ἐπάταξα χιλίους ἄνδρας. Vocem המרתים putarunt primam personam verbi חמר *Rubuit*, vel *Rubefecit*, seu juxta Chald. *destruxit, vastavit*. 3 Munst. Jun. Boch. Chald. Kimchi.

4 רמת לחי 70. ἀναίρεσις σιαγόνος. *Quod vel elevationem, vel interfectionem maxillæ significat. Vide Ambros. Ep. 19. class. 1. nov. edit.* 5 Abul. Menoch. Seren. Cornel. Bonfrer. 6 Καὶ ἤνοιξεν ὁ Θεὸς τὸ τραῦμα τῆς σιαγόνος, καὶ ἐξῆλθεν ἐξ αὐτοῦ ὕδατα. 7 Vatabl. Jun. Drus. Boch. de Animal. sacr. par. 1. l. 2. c. 15. Serar. qu. 15. Serar. qu. 15. & 16. Gror. Patres Græci & Latini apud Bonfrer. hic. 8 Bochar. loco cit.

9 Bonfrer. hic. 10 Hieron. in Epitaph. Paulæ. 11 Chaldæus apud Bochar. loco cit.

12 Midras Hagadda. 13 Sulpit. l. 1. hist. Chrysost. homil. 15. ex variis in Matth. locis.

14 Gregor. l. 13. Moral. c. 6. & Serar. hic. 15 ויבקע אלהים את המכתש אשר בלחי ויצאו ממנו מים. 70. καὶ ἔῤῥηξεν ὁ Θεὸς τὸν λάκκον τὸν ἐν τῇ σιαγόνι. *Dominus aperuit lacum qui erat in maxilla*. Sym. τὸν μύλον, *dentem maxillarem*; alii, τὸν ὅλμον, *mortarium*, alius; *foramen*, seu plagam maxillæ, τὸ τρῦμα τὸ ἐν σιαγόνι.

16 ובזע אלהים ית כיפא די בלועא 17 על כן קרא שמה עין הקורא אשר בלחי עד היום הזה

imponere. Quædam hoc nomine distinctæ inveniuntur in Regum libris [1], & alibi. Invenimus in Sophonia locum, cui Machtes nomen, qui plane conditus fuit prope fontem Samsonis, diu post hoc factum. Soph. 1. 11. *Ululate habitatores Pilæ*. Hebr. *Habitatores Machtes*. Vocabulum hoc non occurrit in historiis temporum, quæ Samsonem præcessere. Septimo denique sententia hæc quamplurimos fautores jactat, eosque eruditissimos Interpretes [2]:

A ℣. 20. JUDICAVIT ISRAEL IN DIEBUS PHILISTIIM VIGINTI ANNIS.] Vidimus supra in ℣. 5. capitis 13. viginti annos, quibus Samson judicavit, incœpisse prope duodevigesimum annum, ex quo Israelitæ Philistiim subjecti fuerant. Patet etiam hos annos viginti in Summi Sacerdotis Heli judicatura contineri.

1 1. Reg. 14. 4. *Eminentes petræ ex utraque parte: & quasi in modum dentium scopuli hinc, & inde prærupti, nomen uni Boses, & nomen alteri Sene*. Vide & 1. Reg. 7. 12. *Inter Masphat, & inter Sen, & Ser-Sennà, & Cariat-Senna*. Josue 15. 31. & 43. Vox hæc *Sen* dentem significat. 2 Arias, Montan. Drus. Jun. Piscat. Amana, Castel. Schmid. Cleric. alii.

CAPUT XVI.

Samson aufert Gazæ januas. Dalila precum tædio extorquet a Samsone arcanum virium suarum. Capilli ipsius præscinduntur: ipse vero a Philistiim capitur, & excæcatur. Tria Philistiim millia conterit sub ruina Templi Dagonis, quod ille miro virium suarum prodigio subvertit.

1. ABiit quoque in Gazam, & vidit ibi mulierem meretricem, ingressusque est ad eam. 2 Quod cum audissent Philisthiim, & percrebuissent apud eos, intrasse urbem Samson, circumdederunt eum, positis in porta civitatis custodibus: & ibi tota nocte cum silentio præstolantes, ut facto mane exeuntem occiderent. 3 Dormivit autem Samson usque ad medium noctis: & inde consurgens, apprehendit ambas portæ fores cum postibus suis, & sera, impositasque humeris suis portavit ad verticem montis, qui respicit Hebron. 4 Post hæc amavit mulierem, quæ habitabat in Valle Sorec, & vocabatur Dalila. 5 Veneruntque ad eam principes Philisthinorum, atque dixerunt: Decipe eum, & disce ab illo, in quo habeat tantam fortitudinem, & quomodo eum superare valeamus, & vinctum affligere: quod si feceris, dabimus tibi singuli mille, & centum argenteos. 6 Locuta est ergo Dalila ad Samson: Dic mihi, obsecro, in quo sit tua maxima fortitudo, & quid sit, quo ligatus erumpere nequeas? 7 Cui respondit Samson: Si septem nerviceis funibus, necdum siccis, & adhuc humentibus ligatus fuero, infirmus ero ut ceteri homines. 8 Attuleruntque ad eam satrapæ Philisthinorum septem funes, ut dixerat: quibus vinxit eum, 9 Latentibus apud se insidiis, & in cubiculo finem rei expectantibus, clamavique ad eum: Philisthiim super te, Samson. Qui rupit vincula, quomodo si rumpat quis filum de stuppæ tortum putamine, cum odorem ignis acceperit: & non est cognitum, in quo esset fortitudo ejus. 10 Dixitque ad eum Dalila: Ecce illusisti mihi, & falsum locutus es: saltem nunc indica mihi, quo ligari debeas: 11 Cui ille respondit: Si ligatus fuero novis funibus, qui numquam fuerunt in opere, infirmus ero, & aliorum hominum similis. 12 Quibus rursum Dalila vinxit eum, & clamavit: Philisthiim super te, Samson, in cubiculo insidiis præparatis; Qui ita rupit vincula quasi fila telarum. 13 Dixitque Dalila rursum ad eum: Usquequo decipis me, & falsum loqueris? ostende, quo vinciri debeas. Cui respondit Samson: Si septem crines capitis mei cum licio plexueris, & clavum his circumligatum terræ fixeris, infirmus ero. 14 Quod cum fecisset Dalila, dixit ad eum: Philisthiim super te, Samson. Qui consurgens de somno extraxit clavum cum crinibus, & licio. 15 Dixitque ad eum Dalila: Quomodo dicis, quod amas me, cum animus tuus non sit mecum? Per tres vices mentitus es mihi? & noluisti dicere, in quo sit maxima fortitudo tua. 16 Cumque molesta esset ei, & per multos dies jugiter adhæreret, spatium ad quietem non tribuens, defecit anima ejus, & ad mortem usque lassata est. 17 Tunc aperiens veritatem rei, dixit ad eam: Ferrum numquam ascendit super caput meum, quia nazaræus, id est, consecratus Deo sum de utero matris meæ: si rasum fuerit caput meum, recedet a me fortitudo mea, & deficiam, eroque sicut ceteri homines. 18 Vidensque illa, quod confessus ei esset omnem animum suum, misit ad

Princi-

Principes Philisthinorum, ac mandavit : Ascendite adhuc semel, quia nunc mihi ape-
ruit cor suum. Qui ascenderunt, assumpta pecunia, quam promiserant. 19 At illa dor-
mire cum fecit super genua sua, & in sinu suo reclinare caput. Vocavitque tonsorem ,
& rasit septem crines ejus, & cœpit abigere eum, & a se repellere : statim enim ab eo
fortitudo discessit: 20 Dixitque : Philisthiim super te, Samson . Qui de somno con-
surgens, dixit in animo suo : Egrediar sicut ante feci, & me excutiam, nesciens, quod
recessisset ab eo Dominus. 21 Quem cum apprehendissent Philisthiim , statim eruerunt
oculos ejus, & duxerunt Gazam vinctum catenis, & clausum in carcere molere fecerunt.
22 Jamque capilli ejus renasci cœperant, 23 Et principes Philisthinorum convenerunt
in unum, ut immolarent hostias magnificas Dagon deo suo , & epularentur , dicentes :
Tradidit deus noster inimicum nostrum Samson in manus nostras. 24 Quod etiam po-
pulus videns, laudabat Deum suum, eademque dicebat : Tradidit deus noster adversa-
rium nostrum in manus nostras, qui delevit terram nostram, & occidit plurimos . 25
Lætantesque per convivia, sumptis jam epulis, præceperunt , ut vocarent Samson, &
ante eos luderet. Qui adductus de carcere ludebat ante eos, feceruntque eum stare inter
duas columnas. 26 Qui dixit puero regenti gressus suos : Dimitte me, ut tangam co-
lumnas, quibus omnis imminet domus, & reclinet super eas, & paululum requiescam .
27 Domus autem erat plena virorum, ac mulierum, & erant ibi omnes principes Phili-
sthinorum, ac de tecto, & solario circiter tria millia utriusque sexus spectantes ludentem
Samson. 28 At ille invocato Domino ait : Domine Deus, memento mei, & redde mi-
hi nunc fortitudinem pristinam, Deus meus, ut ulciscar me de hostibus meis, & pro a-
missione duorum luminum unam ultionem recipiam. 29 Et apprehendens ambas colu-
mnas, quibus innitebatur domus, alteramque earum dextera , & alteram læva tenens ,
30 Ait : Moriatur anima mea cum Philisthiim : concussisque fortiter columnis, cecidit
domus super omnes principes, & ceteram multitudinem, quæ ibi erat : multoque plu-
res interfecit moriens, quam ante vivus occiderat. 31 Descendentes autem fratres e-
jus, & universa cognatio tulerunt corpus ejus, & sepelierunt inter Saraa, & Esthaol in
sepulchro patris sui Manue ; judicavitque Israel viginti annis,

℣. 1. ABIIT IN GAZAM, ET VIDIT IBI MULIEREM MERETRICEM, INGRESSUSQUE EST AD EAM.] Gaza erat e præcipuis civitatibus Philisthiim: sita erat prope mare mediterraneum, & secus torrentem, qui de Judææ montibus defluit. Hæc civitas est ex maxime Australibus Palæstinæ, tum apud Scripturas, tum apud Profanos celeberrima, quorum nonnulli perperam credidere, hoc illi nomen *Gaza* factum, quod Cambyses Persarum Rex ibi thesauros suos deposuerat, qui *Gaza* a Persis vocantur [1]. Samson, cum in hanc urbem venisset, ingressus est ad mulierem, quæ corporis sui quæstum faciebat, vel quæ simplex erat caupona [2]; quam ajunt, hebraicam vocem non semper esse in pravum sensum detorquendam. Hæc autem eamdem vivendi rationem profitebatur, quam Rahab, quæ domi exploratores exceperat Jericho. Tunc hebraici vocabuli *Zona* [3] significationem ad examen vocavimus. Scriptura non ait a Samsone adamatam fuisse hanc mulierem, neque pravo consilio eam adiisse; inde porro nocte media egreditur, quod non est hominis in ganeis, lustrisque confecti; & Patres quidam [4] magna adstipulante Interpretum caterva [5] ajunt, ad eam solummodo ingressum fuisse, ut ibi noctem transigeret, veluti in publica caupona.

Verum alii plures [6] contendunt, Samsonem deperiisse hanc meretricem, quod per ea verba innuitur: *vidit ibi mulierem meretricem*; atque ad eam ingressum, ut voluptati indulgeret. Ingredi ad mulierem sæpius in Scripturis hoc in sensu intelligitur. Honestæ mulieris cubiculum ea in regione viro suo tantum patebat; at quæ domi suæ quodvis genus ho-
A mines admittebat, copiam sui corporis facere censebatur. Inde etiam æquivocum extitit nominis Zona, quod & cauponam, & scortum significat.

Samson plane arbitrabatur se a nemine agnitum iri Gazæ: vel potius belli occasionem quærebat, & jurgii adversus Philisthæos, ingrediens civitatem eorum munitissimam, quin vel eorum numerum, vel pravam illorum voluntatem metueret.

℣. 2. CIRCUMDEDERUNT EUM, POSITIS IN PORTA CIVITATIS CUSTODIBUS, ET IBI TOTA NOCTE CUM SILENTIO PRÆSTOLANTES.] Hebraicus textus hæc habet [7]: *circumdederunt eum* plane in ea domo, quò fuerat ingressus, *ac tetenderunt illi insidias ad portas civitatis tota nocte; atque toto eo temporis spatio cum silentio manserunt ibi præstolantes, donec mane lucesce-*
B *ret illum interfecturi*. Textus non ait, illos eum occidere voluisse, cum primum egrederetur; sed ex decursu liquet satis, hoc ipsis fuisse consilium. Verebantur autem palam inferre bellum, ac in urbe sua, veriti, ne Heros ille se se defendens illam cæde repleret; sed posuerunt insidias in januis, ut nisi adeo viribus præstarent, quò illi possent obsistere, saltem illi januas clauderent, ne ad suos se ie posset recipere. Hæc eadem plane est ratio, quamobrem domui, ubi aderat, ignem minime apposuere. Silentium autem servarunt, ne leonem hunc excitarent ad totius civitatis excidium.

℣. 3. APPREHENDIT AMBAS PORTÆ FORES CUM POSTIBUS SUIS, ET SERA.] Veluti exprobraturus Philisthiim, qui cum militibus suis eum ad portam detinere posse crediderant. Hebraice ad litteram [8] a *evulsit utrasque valvas cum postibus suis*, cum eruri-bus,

1 Mela l. 1. c. 11. 2 Vide Comment. in Josue 2. 1. 3 אשה זונה ויבא אליה. Vide Josue 2. 1.
4 August. serm. 164. nov. edit. 5 Vatab. Rabb. Chrys. Vide Joseph. l. 5. c. 10.
6 Drus. Jun. Pisc. Serar. Bonfrer.
7 ויסבו ויארבו לו כל הלילה בשער העיר ויתחרשו כל הלילה
8 ויאחז בדלתות שער העיר ובשתי המזוזות ויסעם עם הבריח וישם על כתפיו וגו

pus, quæ lignea esse debebant, *& pessulo, & vinculis, quibus illud portæ adnectebatur*. De sera vero ne verbum quidem. Pessulum quibusdam vinculis tantum adnectebatur, quæ nonnisi ab interiori parte dissolvi poterant, cum quadam clavium specie, quæ ad id inserviebant. Videri potest Dissertatio nostra de veterum Hebræorum domiciliis. Samson mirabili effectu virium supernaturalium gravissimum illud onus humeris suis imponit, illudque in montem defert, qui respicit Hebron. Urbs Hebron ultra duodecim leucas aberat a Gaza; & quamvis mons, de quo hic loquitur Scriptura, ad duas leucas citra Hebron constitueretur, superesset adhuc decem leucarum iter, mira prorsus longitudo ad tantum pondus gerendum. Verum Viatoribus urbs prope Gazam ostentatur, quò asserunt, portas a Samsone fuisse delatas. Josephus Antiqu. l. 5. c. 10. credidisse videtur, has fuisse privatæ domus fores, quò Samson concesserat; illudque palam S. Ambrosius confirmat in ep. 19. nov. edit. Exemplaria, quæ illi præ manibus obversabantur, habuisse videntur, *portas*, quin adderetur *civitatis*, quæ vox & in Hebraico textu, & apud Septuaginta invenitur.

℣. 4. POST HÆC AMAVIT MULIEREM, QUÆ HABITABAT IN VALLE SOREC.] Vallis Sorec, qua præterfluebat ejusdem nominis torrens, atque ubi civitas aderat *Cephar Sorec* nuncupata, erat, authore Eusebio, nec non S. Hieronymo, ad boream Eleutheropolis satis prope Saraam, cujas erat Samson. Sorec plane Philisthinorum erat; nam Dalila, quæ ibi morabatur, juxta plerosque Interpretes, mulier erat Philisthæa: sed non omnes fatentur eam corporis sui quæstum fecisse. Veteres complures [1] credidere, hanc legitimam fuisse Samsonis conjugem, quamquam forsitan ex earum numero haud erat, quæ nuptui dabantur juxta consuetos regionis illius ritus, ac cum sponsione, futurum ut filii in patria hæreditatem subirent. Poterat Dalila eadem ratione haberi a Samsone, ac Cethura, & Agar ab Abraham.

Verum communior sententia ait, Dalilam meretricem fuisse, & Samsonem in ea mala, quæ Scriptura modo describet, ob id solum prolapsum fuisse, quod alienigenam [2], miserrimamque mulierem deperierit; quæ profecto sententia satis, superque ex narrationis decursu probatur. Calliditas, atque astus hujus mulieris, auri cupiditas, frigidus amor, quo amasium suum prosequebatur, milites, quos ignaro Samsone domi suæ abdiderat, hæc omnia meretricis characterem ostentant. Philisthiimne honestam mulierem essent hortati, ut virum suum proderet, sibique eum traderet? Samson in medio Philisthæorum cum hac muliere permansisset, neque eam deduxisset domum suam, si eam in uxorem accepisset?

℣. 5. PRINCIPES PHILISTHINORUM [3].] Alibi jam animadvertimus Philisthinorum ditionem in Satrapias quinque fuisse divisam, & Principes quinque illarum præcipuarum urbium, qui Satrapes vocabantur, Hebraice vero *Seranim*, reipublicæ præfuisse. Principes hi vel per se accesserunt, vel alios legarunt in *Cephar-Sorec*, ut detegere aniterentur, qua in re Samsonis vis consisteret. Facile vero intelligebant id nequaquam esse naturale, & forte arbitrabantur sortilegii alicujus effectum esse, vel magicæ virtutis, quem ipsi aliis generis ejusdem veneficiis delere possent; vel putabant, virum hunc vulneribus impeti nequaquam posse, non secus ac Heroas illos apud Poetas, qui nonnisi fatali quopiam in loco vulnerari poterant, velut Achillem, qui sub talo pedis tantum vulneri locum poterat admittere; vel denique omnes ipsius vires in quadam vana observantia religiosi, vel superstitiosi actus consistere. Hæc omnia agnoscere desiderabant, ut qua infirmior ille esset, aggrederentur; desperabant enim, futurum ut aperta vi votorum summam consequerentur.

MILLE, ET CENTUM ARGENTEOS.] Mille, & centum siclos, videlicet Romana scutata quadringenta, & quadraginta, duobus siclis cum semisse in singula scutata recensitis.

℣. 7. SI SEPTEM NERVICEIS FUNIBUS, NEC DUM SICCIS, ET ADHUC HUMENTIBUS LIGATUS FUERO.] Samson mendacio ex protervis Dalilæ precibus se expedit: ait vires suas nullas fore, si septem funibus e nervis adhuc humentibus, ac flexilibus vinctus esset. Veteres nerviceis his funibus utebantur, præsertim in bellicis tormentis. Vegetius l. 4. c. 29. jubet, in exercitu maximam nervorum copiam esse in expedito, nam balistæ, ceteraque tormenta ad tela ejaculanda accommodata nihil prosunt, nisi nerviceis funibus intenta, quæ cum deficerent, equini crines, vel mulierum capilli usurpabantur. Heron cap. 18. suadet, ut fortissimorum animantium, veluti cervorum, taurorumque nervi adhibeantur, atque inter eos pedum, ac femorum nervi in cervis, in tauris vero tergoris maxime præferantur. Hebræi procul dubio nerviceis funibus arcus intendebant [4]; & Mexicani hujus generis funes in diversos usus usurpant [5]. Cato, aliique Authores, qui de re rustica scripserunt, sæpe de *loreis funibus* locuti sunt.

Recentiores Interpretes omnes fere a Vulgata, & Septuaginta hoc in loco recedunt. Ita vero Hebraicum textum reddunt [6]: *Si septem funibus*, vel septem vinculis, septem virgis, *viridibus, ac humescentibus, atque nondum siccis ligatus fuero, infirmus ero, ut ceteri homines*. Quod a Josepho Antiqu. l. 5. cap. 10. explicatur de palmitibus vitium adhuc virescentibus. Alii de vinculis, aut flexilibus virgis, veluti salignis, vel alius cujuspiam arboris, quæ complicari possint [7]. Alii [8] intelligunt de funibus ex arborum cortice contortis; exempli gratia, ex intimo tiliæ cortice. Illud autem magis novissimæ huic explicationi suffragatur, nempe epithetum *viride, ac humescens*, quod his funibus tribuitur, quodque arboribus solum, & corticibus convenit. Nolim tamen a veteribus Græcis, Latinisque versionibus recedere. Certum enim est, hebraicam vocem *Jeter* sæpius funes e nervis significare, veluti illos, quibus arcus intenditur; ac epithetum viride per metaphoram nervis quoque crudis, & flexilibus tribui potest, non secus ac in Scriptura tribuitur, exempli gratia, oculis Moysis, qui ad obitum usque suum nitorem servarunt. Deuter. 34. 7. *Nec dentes illius moti sunt*: Hebr. *Et non fugit vigor ejus* (oculi.)

℣. 9. LATENTIBUS APUD EAM INSIDIIS, ET IN CUBICULO FINEM REI EXPECTANTIBUS.] Hebraicus textus [9] innuit, in penitiori domus parte Insidias locatas fuisse; sed qui abditi erant, nequaquam prodierunt, cum Samson vincula rupisset, statim ac Dalila eum admonuerat, hostes irruere, ut eum caperent: neque ulla ipsi incessit suspicio, ratus id per jocum a Dalila fieri, perinde ac detegere cuperet, qua in re vires illius essent positæ.

℣. 11. SI LIGATUS FUERO NOVIS FUNIBUS, QUI NUMQUAM FUERUNT IN OPERE.] Hebræi, atque recentiores Interpretes docent, authographi vocem [10] signi-

---

1 Chrysost. hom. 17. ex variis in Matth. & in Philipp. hom. 12. & apud Anast. Antioch. qu. 63. & ab Joseph, apud Cassian. coll. 17. c. 20. Ephrem. serm. advers. improb. mulier. & Perer. in Genes. & alii apud Serar. qu. 5. Hieronym. in Mich. 7. 2 Joseph. loco cit. Ita & Ambros. Ep. supra cit. & Interpretes passim.

3 סרני פלשתים. 4 Psal. 10. 2. & 104. 10. Job. 30. 11. in Hebr.

5 Relatio novæ Hispaniæ p. 12. 6 אם יאסרני בשבעה יתרים לחים אשר לא חרבו. 70. ἐν ἑπτὰ νευραῖς ὑγραῖς μὴ διεφθαρμέναις. Aliter: *funibus, qui corrupti non sunt, seu putres*. Sym. μὴ ἐξηρασμέναις, *qui sicci non sint*.

7 Munster. Pagnin. Fuller. Kimchi, Rabb. 8 Syr. Arab. Jonath. Munst. Vatab.

9 והארב ישב לה בחדר 10 בעבותים חדשים

significare crassiores funes, atque rudentes e tribus funibus simul contortis. Verum hæc animadversio nullius est momenti; nam vocem eam adhibitam fuisse repetimus ad significandas aureas rationalis catenulas Exod. 28. 14. 22; alibique simplices funes.

ỳ. 13. SI SEPTEM CRINES CAPITIS MEI CUM LICIO PLEXVERIS, ET CLAVVM HIS CIRCVMLIGATVM TERRÆ FIXERIS.] Videtur Samson consuevisse in septem partes divisam gestare comam [1], vel ita eas divisisse Dalila, ut deinde licio, quod in textrina erat, trajiceret (nam tunc mulieres telam texebant), easque cum clavo terræ figeret. Samson plane humi cubabat, dum Dalila hanc fabulam luderet. Hebraicus textus plures patitur difficultates [2]: *Si septem capillos capitis mei una cum velamine, quod ordiris, texueris, atque illos clavo fixeris, infirmus ero sicuti ceteri hominum.* Alii vertunt; *Si texueris capillos meos cum filo, quod habes in telario*; ita ut capilli mei sint veluti subtegmen, & filum pro stamine, *eosque alligaveris in subulo tereti*, circum quod tela subinde vertitur, prout contexitur, vires amittam. Alii denique ita vertunt: *Si capillos meos cum tuo filio texueris, eosque percusseris cum eo instrumento, quem Prisci spatham dixere*, gladium, vel cultrum, quo utebantur ad fila staminis, & subtegminis coarctanda, *tunc ero sine viribus*.

Istic adnotandum est, Textorum telarium antiquitus alio pacto elaboratum fuisse ab eo, quod hodie intuemur. Tunc stantes texebant, atque circa opus suum percurrebant, cum hodierna die sedentes operi vacent; & pro hoc instrumento in pectinis formam elaborato, cum quo subtegminis fila condensantur, ligneum veluti ensem adhibebant, quod idem in tela texenda præter propter præstabat, cujus fila de superiori parte in inferiorem protendebantur. Hic est gladius ille, qui *Textoris clavus* hic appellatur, Braunius ait lib. 1. cap. 16. art. 16. de Vestitu Sacerd. quod tamen mihi non arridet. Mallem autem simpliciter intelligere *clavum textoris*, de quopiam clavo ex iis, quibus ad telarium detinendum utebantur. Textus non ait, Dalilam eum adligasse, vel terræ confixisse, at simpliciter ipsam fixisse textum e capillis, & licio ad clavum Textoris.

ỳ. 16. DEFECIT ANIMA EJVS, ET AD MORTEM VSQVE LASSATA EST.] Hebraice [3]: *Et anima illius coarctata fuit ad mortem*; afflictus fuit, vexatus, oppressus ad mortem. Infirmitas animi Samsonis in universa hac historia mirabilior est adhuc viribus corporis illius.

ỳ. 17. SI RASVM FVERIT CAPVT MEVM, RECEDET A ME FORTITVDO MEA.] Samsonis coma eratne vera, realis causa, & physica virium illius, vel simplex moralis causa, veluti pignus protectionis Dei, ac præsentiæ virtutis suæ, donec ille hanc deferret notam devotionis suæ, atque Nazaræatus? Communior Patrum [4], ac Interpretum sententia [5], ait, cæsariem illius nequaquam fuisse tantum moralem caussam virium Samsonis, cum Deus illi pollicitus fuerit, se mirabilem eam vim ipsi traditurum, veluti qualitatem permanentem, quam neque dormiens amittebat, hac tamen, non alia conditione proposita, ut comam suam tueretur, eamque toto vitæ suæ tempore deferret veluti in signum, quod esset Domino dicatus.

Fabula de fatali capillo Nisi ad historiæ Samsonis formam, quam modo retulimus, videtur conformata. A Nisus Megarensium Rex in summo capitis vertice purpureum gerebat crinem, a quo vita, regnumque illius dependebat, neque ejici de imperio, neque ab hostibus profligari poterat, donec crinem illum fatalem custodiisset. Ovidius l. 8. Metam. init.

Splendidus ostro
Inter honoratos medio de vertice canos
Crinis inhærebat, magni fiducia regni.

Scylla Nisi filia, cum amore Minois, Megaram obsidentis, esset capta, illi hunc crinem est pollicita, dummodo eam in uxorem duceret. Noctu dum pater obdormiret, cubiculum illius clam ingressa cæsariem abscidit.

Apollodorus quoque Bibl. l. 2. rem narrat, quæ proximam habet cum hac similitudinem. Cornetho B Pterelai filia, amore, quo Amphitryonem deperibat, acta præsecuit aureum patris capillum, quamobrem princeps ille vitæ simul, ac imperii jacturam subiit. Attamen Amphitryon adigi non potuit, ut filiam, patri proprio infidelem, uxorem duceret; quin immo in tantæ impietatis mercedem e vivis exturbavit. Nullum operæ pretium nos cogit, ut commentitiarum harum fabularum similitudinem cum Samsonis historia modo allata ostendamus.

ỳ. 19. VOCAVITQVE TONSOREM, ET RASIT SEPTEM CRINES EJUS.] Tonsor illi commodavit solum novaculam, vel forfices, at ipsa per se crines totondit. Hebraicus textus adfert; *vocavit hominem, & ipsa illi fecit septem capillitia*, vel septem capillorum partes, in quas Samson suam cæsariem diviserat. Ne- C scio, an apud Hebræos tonsores fuerint, qui novacula uterentur; patet autem, ipsos sibi non omnem abscindere barbam consuevisse, neque capillos ferro sibi terigisse. Quandoque Scriptura, ut exprimat tonsionem capitis [6], quam præseferebant in luctu, atque illam etiam Nazaræi [7], eadem utitur voce, quam ad innuendam pecudum tonsionem usurpat. Apud Hebræos idem instrumentum, quod ad barbam tondendam adhibebatur, capillis quoque præcidendis inserviebat; quod vir idem utrumque sibi præstabat; nec non illo utebantur etiam ad oves tondendas; quapropter simplices forfices tantum esse potuerunt. Neque id mirum videatur alicui, nam Romani quoque quadringentis & quinquaginta quatuor annis tonsoribus caruere [8]; & veteres Græci illos abominati D sunt, qui in eorum civitates se se radendi morem invexerant. Hebræi neque delicatiores erant, neque elegantiores, quam veteres Græci, ac Romani. Quæ omnia argumenta mihi persuadent, Dalilam forficibus Samsonis crines præsecuisse. Vir hic in septem partes discriminatos crines deferebat, quemadmodum supra dictum est. Aderant olim, ac hodierna quoque die minime desunt populi, qui non mediocrem formæ suæ speciem collocant in cæsarie in plures partes distincta.

ET COEPIT ABIGERE EUM, ET A SE REPELLERE, STATIM ENIM AB EO FORTITUDO DISCESSIT.] Hebraicus textus hæc habet [9]; *Et cœpit humiliare illum, & virtus ipsius recessit ab ipso.* Septuaginta: *Incœpit humiliari, & virtus sua recessit ab ipso.*

E ỳ. 20. ET ME EXCUTIAM.] Hoc innuit, a Dalila vinctum fuisse, antequam illa clamaret: *Philisthiim super te Samson.* Potest quoque intelligi [10]; de illis eruam me, arcebo illos, ut antea.

ỳ. 21. VINCTUM CATENIS.] Hebraice [11]; *Duabus æreis catenis onustum.* Interpretes quidam contendunt esse intelligendum de ferreis catenis [12], vel manicis

1 Vide ỳ. 19. 2 אם תארגי את שבע מחלפות ראשי עם המסכת ותתקע ביתד
3 ותקצר נפשו למות. 70. ὠλιγοψύχησεν ἕως εἰς θάνατον. Aq. ἐστενοχωρήθη, ἡ ψυχὴ αὐτοῦ. Alius, ἐκολοβώθη.
4 Vide Ambros. l. 1. de Spir. S. in prolog. & l. 2. Offic. c. 28. Auctor. de Mirab. S. Scripturæ lib. 2. c. 6. Ephrem. t. 1. Paulin. ep. 4. & Serar. qu. 14. 5 Serar. Menoch. Tirin. Cornel. Bonfrer. Grot. alii.
6 Job. 1. 20. *Tonso capite corruens in terram.* Heb. ויגז את ראשו.
7 Jerem. 7. 29. *Tonde capillum tuum, & projice.* Hebr. *Tonde Nazaræatum tuum.*
8 Varro de re rustica l. 2. c. ult. Plin. l. 7. c. 59. Vide notas in eumdem locum.
9 ותחל לענותו ויסר כחו מעליו. 10 ואנער. 70. ἀποτινάξομαι.
11 ויאסרהו בנחשתים καὶ ἔδησαν αὐτὸν ἐν πέδαις χαλκαῖς.
12 Vatab. Jun. Boch. Phaleg. l. 3. c. 12.

nicis æreis; sed illorum nequeo sententiæ subscribere. Apud veteres æs vulgatius erat, quam ferrum; ex ære sæpius fiebant non catenæ solum, verum etiam instrumenta ad excolendam terram, vasa, aliamque mensæ supellectilem, secures, cultros; eaque omnia fere, quæ modo e ferro elaborantur.

CLAUSUM IN CARCERE MOLERE FECERUNT.] Antequam pistrinum vel aquæ, vel venti adminiculo volvi inciperet, manuum vi communiter utebantur ad molas vertendas, quod ipsum ad hanc quoque diem in pluribus Orientis, Indiarumque partibus usuvenit. Servi plerumque lapideis molis, quibus triticum frangebant, vertendis addicebantur; cui molestissimo labori Samsonem præfecere Philisthiim, eumque velut servum habuerunt, immo veluti servorum omnium miserrimum. Supplicium consuetum servorum, qui B graviter deliquerant, erat pistrinum: unde ortæ sunt frequentes illæ apud Comicos minæ; *Agam te in pistrinum ad mortem usque*. Ibi vero catenis vinciebantur, atque certa tritici mensura illis in dies singulos, vel menses molenda tradebatur. Ex Isaia 47. 2. ac Jeremia Thren. 5. 13. liquet, morem hunc apud Chaldæos passim obtinuisse. Et Septuaginta in Jeremia 52. 9. ubi de Sedecia Rege est sermo, cui Chaldæi oculos eruerant, eamdem afferunt consuetudinem. Romanæ leges publicis urbis Romæ pistrinis addicebant [1] illos, qui licet sontes, ultimo tamen supplicio affici minime merebantur; hæc autem erat veluti apud nos pœna triremis.

In Milo insula Archipelagi quamplurima fiunt pistrina satis apta, ac solida; ex quibus non pauca in C Ægyptum, Constantinopolim, Peloponnesum, Zacynthum, Cephalenem, & Anconam usque deferuntur. Hæc porro duobus planis, rotundisque lapidibus constant, duorum circiter pedum diametro, quorum unus alteri superpositus in orbem vertitur ligni adminiculo, quod vicem gerit manubrii. Fruges super inferiorem dilabitur lapidem per foramen, quod est in medio superioris, qui cum in orbem agatur, super inferiorem molam effundit triticum, ubi illud frangit, atque in farinam redigit; quæ per molæ oras in tabulam decidens colligitur; & panes, qui ex illa fiunt, longe sapore præstant illis, qui e farina in hydromyla, vel pneumatica mola molita subiguntur. Hæ vero molettinæ scutato uno, vel sesqui scutato D veneunt.

Scriptura carcerem appellat locum, ubi Samson catenis vinctus clausus fuit. Hebraicus vero textus *catenatorum domum* [2] vocat; hæc erat olim consuetudo, hodieque viget adhuc in locis ubi servi sunt, illos claudendi, qui deliquerint, vel de quorum fide ambigitur, in quibusdam veluti carceribus, ubi catenis onusti detinentur [3]; quorum miseriniam in his tristibus domiciliis imaginem Apulejus præbet Metamorph. l. 9. Sunt, ait, usquequaque vibicibus lividi, cutis eorum turpissimis distincta notis propter ictus fustis, vel funium, male tecti vestis pannosæ scrutis, quidam vero usquequaqua nudi, præterea, quæ pudor jubet obtegere, omnes misere adeo induti, ut laterum carnes ostentent, frontemque characteribus perustam præseferant, quos vel in fugæ pœ- E nam domini inussere, vel ut agnoscerentur ab illis; capilli inæqualiter amputati, pedes vero pedicis oppressi. Herodotus l. 4. c. 2. refert, Scythis in more fuisse positum; servis omnibus oculos eruere, ne circumeuntes vertigine laborarent; nam ipsorum opera

A utebantur ad vasa lacte plena in orbem volvenda; quo populi illi vescebantur. En autem quo infelicitatis, atque miseriæ Samson præceps proruerit!

Sanctus Hieronymus [4] ex veteri traditione Hebræorum, quam ad hanc quoque diem apud Rabbinos, atque in Talmud legimus, refert, verbum *molere* hic in obscæno sensu intelligi, cum Philisthiim Samsonis sobolem habere voluerint. Verum explicationem a ratione, ac verisimilitudine adeo remotam contemnimus, atque respuimus.

ỳ. 22. JAMQUE CAPILLI EJUS RENASCI COEPERANT.] Hebraicus textus ad litteram [5]; *Jamque capilli capitis germinare cœperunt*, pullulare, crescere, *sicuti abrasi fuerant*, pro tempore, quo præcisi fuerant: vel juxta alios renasci cœperunt, postquam B abscissi fuerunt; vel juxta Vatablum, & Junium, ad eam creverant longitudinem, quæ illi erat, antequam tonderentur. Si diu in carcere fuit immoratus, potuerunt quidem sensim capilli ad pristinam magnitudinem crescere; sed quamdiu ibi permanserit, ex Scriptura non liquet.

Prout Samsonis capilli crescebant, vires quoque illius augebantur, non autem signanter propter capillos materiales, qui, sicuti vidimus, erant potius symbolum, pignus, nota, quam vera causa virium Samsonis; sed quod in carcere se se collegerat, justitiam judiciorum Dei cognoverat, & scelera sua lacrymis abluerat, ac dolore expiaverat; denique sa dignum præbuerat iterum jure, ac prærogativis sui Nazaræatus.

C ỳ. 23. UT IMMOLARENT HOSTIAS MAGNIFICAS DAGON DEO SUO, & EPULARENTUR.] De Deo Dagon fusius locuti sumus in Dissertatione de Philisthiin Diis. Hic videtur esse Dagon ille, de quo Diodorus Siculus lib. 3. loquitur, cum numen, quod Ascalone colebatur, describens ait, exhibitum fuisse cum mulieris capite, in piscem vero desinentem. Ethnici Dereeto appellabant.

ỳ. 25. QUI ADDUCTUS DE CARCERE LUDEBAT ANTE EOS.] Nullatenus fidei consonum est, Samsonem impelli potuisse, ut luderet, atque scurram ageret coram Philisthiim, ut eos oblectaret; fidei pronius est, plebeculam ante ipsum convenisse, atque per jocum conviciis illum lacessisse, ac ludibriis; quam ut a se longius arceret, conatus Samson, totius conventus cachinnos elicuit [6]. Septuaginta Romanæ editionis habent, Philistiim illi illusisse, atque alapas impegisse.

FECERUNT EUM STARE INTER DUAS COLUMNAS.] Omnis adest probabilitatis species, Templa Philisthinorum pari arte extructa fuisse, ac Ægyptiorum delubra. Itaque magni aderant ante fanum porticus, & Templum proprie dictum patens erat aula, duabus plane columnis suffulta; tectum vero planum erat, non secus ac alia regionis ejusdem. Samson postquam spectaculum populo fuisset propositum, & qui infra in porticibus erat, & qui de superiori peristylio prospectabat, deductus fuit in templum, quo primores Philistiim convenerant, atque ubi coram Diis suis juxta consuetudinem fuerant epulati [7]. Tectum E spectatoribus refertum erat, atque arbitrari possumus, cuique fuisse curæ, ut quid eo in loco ageretur, videret. Tunc Samson, vel antea jam templi illius peculiariter structura perspecta, vel generatim omnia Philisthinorum templa duabus columnis inniti sciens, petiit ab illo, a quo agebatur, ut sibi liceret paulisper

1 L. de Pistrini pœna, Cod. Theod. tit. de pœnit. apud Cleric. 2 בית האסירים
3 Vide Casaubon. in Theocr. c. 27. Pignor. de Servis p. 9. 10. Clenard. ep. l. 1.
4 Hieron. in Isai. 47. *Ad molam eum (Samsonem) a Philisthiim esse damnatum, hoc significare volunt, quod pro sobole robustissimorum virorum, hoc in Alcophylas mulieres facere sit compulsus.* Vide & Talmud. tract. Sotah. c. 1. fol. 10. 5 ויחל שער ראשו לצמח כאשר גלח. 6 Ambros. ep. 19. nov. edit. *Gravibus in eum insultabant conviciis, circumagebant ludibriis, quod durius & ultra ipsam captivitatis speciem, viro ingenioso virtutis conscio tolerabatur.*
7 Vide Judic. 9. 27. Virgil. 7. Æneid. *Hoc illi curia Templum, hæc sacris sedes epulis*,

lisper inter utramque columnam consistere : tunc utramque amplexus excussit , atque omne dejecit ædificium in pacto , quod istic narratur .

Nescio, an istud Templorum Philistiim fuerit peculiare, duabus fulciri columnis, sed totidem adfuisse cognovimus in percelebri Herculis Tyrii fano , atque in altero Herculis ipsius in Africa [1] . Oportet duas hasce columnas sibi invicem propius fuisse positas ; quandoquidem Samson manibus utramque amplectebatur . Ex plane ligneæ erant ; omnia ferme ædificia , quorum speciosior esset forma , ex hac materia erant ædificata . Verum ne tibi animo fingas , templum solidum, fornicatum , lapideis , vel marmoreis columnis suffultum, ut nostra templa intueris . Serarius, & Bonfrerius in medio tecti hiatum fuisse putant , per quem interios Templi pars posset videri . Illi , quibus haud credibile videbitur , Templum duabus tantum columnis sustineri potuisse , meminerint , theatrum Romæ uno tantum cardine , amphitearum vero duobus suffulta fuisse ; *Ecce populus Romanus universus* , Plinius ait l. 26 c. 15. *duobus vagiis impositus binis cardinibus sustinetur* .

℣. 27. Ac de tecto , & Solario circiter tria millia .] E textu non satis liquet , utrum tria hæc spectatorum millia alia ab iis fuerint , qui erant in templo ; an numerus hic trium millium omnes complectatur , qui ea in occasione perierunt ; quæ postrema sententia mihi magis arridet .

℣. 28. Et pro omissione duorum luminum unam ultionem recipiam .] Samson veluti caput populi Dei , Dominum orat , ut ipsi ultionem de hostibus suis permittat . Injuria , qua illum affecerant , ipsi oculos eruentes respiciebat magis populum suum, quam ipsum [2] ; & miraculum , quod operatus est Dominus ad preces illius , ostendit , preces easdem sibi perjucundas fuisse . Recentiores quidam Interpretes [3] Hebraicum textum ita reddunt [4] : *& pro amissione alterius oculorum meorum ultionem recipiam* . Sed Vulgata Versio æquior est , & magis naturalis . Septuaginta [5] : *Ultionem ulciscar pro oculis meis* .

℣. 29. Ambas columnas , quibus innitebatur Domus .] Hebraice [6] , *Ambas columnas , quæ erant in medio* . Hæc circumstantia , *quæ erant in medio* , quam Vulgata , ac Septuaginta neglexere , ostendit , quomodo Samson uno ictu delubrum evertere potuerit , & quomodo utriusque hujus columnæ lapsus omne ædificium subverterit .

℣. 30. Moriatur anima mea cum Philistiim .] Poterat ne Samson mortem suam cum hostium interitu exoptare ? poterat ne sibi necem consciscere ? S. Augustinus non semel eum purgat [7] , eo quod Divino afflatus spiritu id egerit , atque supremus ille vitæ mortisque omnium Dominus illi interiori voce præceperit hoc moliri ; neque aliud nobis , ait , esse judicium ferendum : *Hoc fecisse Samsonem non humaniter deceptum , sed divinitus jussum , non errantem , sed obedientem , nec de eo nobis aliud fas credere* . Cum Deus præcipit , doctor iidem subjicit , atque interiori lumine , cui obsistere nefas est , voluntatem suam prodit , quis arguere impietatis ausit illum , qui Dei sui nutibus paret ? *Cum Deus jubet , seque jubere sine ullis ambagibus intimat , quis obedientiam in crimen vocet ? quis obsequium pietatis accuset ?* Sententiæ huic communi consensu Interpretes subscribunt .

S. Bernardus [8] asserit etiam , quod si Samson hæc in re peculiari Dei afflatu percitus non fuisset , non posset crimine excusari : sed in hanc D. Bernardi opinionem , plurimorum Doctorum [9] pugnant sententiæ , qui affirmant Samsonem , sine ulla particulari inspiratione , sed sola virtute muneris sui , scilicet Judicis , ac Liberatoris Israel , potuisse hostibus populi sui interitum moliri , quamquam præviderei , se mortem effugere nequaquam posse , verum cum aliorum clade se quoque interiturum . Hac in re ad hostium detrimentum , & Dei gloriam , veluti primam , præcipuamque rationem animum debebat advertere : mortem suam , indirecte dumtaxat , ille vult , veluti quid necessarium , ut rectum , laudibusque dignum facinus exequatur . Primum ipsius consilium fuit , gloriam Dei ulciscendi : alterum vero pro illa vitam quoque suam tradendi , quamquam eam servare maluisset , inimicis interitum inferendo .

Hebrei putant posse aliquem sibi mortem consciscere , cum prævidet vitam suam servari non posse , nisi cum opprobrio , quodammodo Dei ipsius , atque inde inimicos gloriæ illius occasionem arrepturos fore illi illudendi . Hac ipsi ratione ducti Samsonem , Saul , & Razis Hierosolymitanum Senatorem , cujus obitus in Macchabæorum libris refertur , excusant ; & Ecclesia Christiana Sanctorum albo nonnullos adscripsit , qui se aquis submerserunt , ne Virginitatis jacturam subirent [10] . Verum ad tuendam Samsonis causam plura suppetunt argumenta , quæ pro omnibus aliis minime possunt adferri: nempe quod Scripturæ palam asserant id illum egisse , cum jam ad Deum preces fudisset ; atque ad mortem illius mirabiliter Dei voluntatem adfuisse ; & demum quod S. Paulus Apostolus ad Hebr. 11. 32. illum inter Sanctos enumeret , quod neque de Saul , neque de Razis potest adferri .

Multoque plures interfecit moriens , quam ante vivus occiderat .] Quot Philistiim occiderit Samsom , dum viveret , ignoramus . Historia , eorum tantummodo virorum mille , quos asini maxilla percussit , aliorumque triginta , quibus spolia ademit Ascalone , nobis memoriam reliquit : sed credibile est , complures alios ab ipso fuisse interfectos : atque scriptum est , postquam uxorem reliquit , quæ ænigmatis solutionem prodiderat , eos percussisse , vel fudisse , ita ut obstupescerent [11] . Pseudo-Philo ait quadraginta virorum millia a Samsone necata fuisse [12] ; & Serarius autumat viginti hominum millia in templi excidio periisse . Ego vero non satis umquam probari posse reor , tunc ultra tria millia interiisse ; illud tamen Philisthinorum auxit cladem , quod ibi plerique Primores aderant , ac magni nominis viri , qui ceterorum subiere calamitatem .

℣. 31. Judicavit Israel viginti annis .] Sacer Author hoc jam superiori capite ℣. 20. animadverterat . Attamen non desunt eruditi quidem Interpretes [13] , qui in dubium vocent , an vere Samson judicaverit Israel . Summus Sacerdos Heli tunc temporis judicabat ; at id ne obest , quin eodem tempore , & Samson judicis dignitate præfulserit ? Credibile admodum est sæpius in Israel plures fuisse Judices ; plures enim aliis , ac aliis in tribubus poterant imperare . Heli Religioni præerat , & Samson bello . Veteres , ac omnes fere Recentiores fatentur Samsonem Judicem fuisse , videlicet caput , & populi Dei Liberatorem .

Tot in persona , ac vita Samsonis effulgent lineamenta , quæ nobis Jesum Christum exhibent , ut fieri ferme nequeat , ut qui hæc simpliciter legit , admiratione

1 Porphyr. l. 2. de Abstin. p. 46. 2 Vide Serar. & Bonfrer. hic. 3 Mont. Vatabl.
4 ונקמה נקם אחד משתי עיני. 5 70. ἐκδικήσω ἐκδίκησιν μίαν ἀντὶ τῶν ὀφθαλμῶν μου.
6 את שני עמודי התוך *Alii Interpr. præter 70. τοὺς δύο στύλους τοὺς μέσους.* 7 August. l. 1. de Civ. Dei cap. 21 & 26. & l. 2. contra Gaudent. 8 S. Bern. de Præcept. & Dispensat. c. 3. *Quod utique factum si defenditur non fuisse peccatum , privatum habuisse consilium indubitanter credendum est* . Vide notas fusiores Mabillon. in eum locum.
9 Vide Cajet. hic , Tostat. q. 54. Lessium l. 2. de Justit. c. 9. Franc. Victoriam relect. de homicidio sub finem , Serar. qu. 31. Bonfrer. hic. 10 Vide Grotium hic , & l. 2. de jure Belli & Pacis c. 19. §. 5. & Serar. qu. 30.
11 Judic. 15. 8. *Percussitque eos plaga magna , ita ut stupentes suram femori imponerent .*
12 Apud Cornel. a Lapid. 13 Masius ad Josue ult. ℣. 31.

ratione haud afficiatur. Nativitas illius ab Angelo A prænunciata; Samsonis nomen, quod Solem significat, nonne totidem sunt characteres, qui nobis ob oculos ponunt Jesum Christum Justitiæ Solem, cujus nativitatis nuncium ad Mariam Virginem Gabriel Angelus attulit? Manoe sollicitudo, propterea quod uxori suæ Angelus apparuerat, nonne S. Josephi curas exprimit, qui turbatus fuit Mariam conjugem suam ferre ventrem intuitus? Nazaræatus Samsonis symbolum est J. C. qui a Prophetis Nazaræus vocatur, & quem Nazaræum ii etiam fatentur fuisse, qui ipsum negant, & nominis hujus mysteria non norunt. Samson Judex est, Caput, & Salvator Israel; Jesus Christus est Caput Ecclesiæ, hominum omnium Salvator, Judex viventium, ac defunctorum. Samson alienigenam uxorem ducit, quemadmodum Jesus Chri- B stus alienigenam, scilicet Gentilitatem adamat, ex qua suam construxit Ecclesiam.

Samson a propriis fratribus traditur Philisthæis, sed inde citius se se expedit, & asini maxilla hostes cædit, fugatque. Siti vexatus clamat ad Dominum, qui illi aquæ fontem aperuit. Jesus Christus a Judæis proditus, atque Romanis deditus de hostibus suis per Crucem agit triumphum, inter supplicia potum petit, & Crucem amplexus, quemadmodum Samson templi Dagon columnas apprehendit, expirat. Ad obitum illius terra mota est, ac tenebris obductæ. Samsonis hostes sub Templi sui ruderibus obruti, perfractique Judæos repræsentant, quodammodo urbis, ac templi sui ruinis oppressos. Denique Samsonis corpus a consanguineis elatum, ac in patria C sua, invitis, illudque gravate ferentibus Philisthæis, tumulatum symbolum est sepulturæ Salvatoris, ac gloriosæ Resurrectionis ejusdem, quæ per totum terrarum orbem prædicata fuit, cum illud haud æquo animo hostes ipsius paterentur.

Quoad allegoricos sensus de Samsone videri potest sermo 364. S. Augustini de Tempore, qui inter dubios enumeratur: undevigesima S. Ambrosii Epistola e prima classe recentioris editionis; Epistola quarta S. Paulini, & sermo S. Ephrem adversus impudicas mulieres. Vide etiam Serarium in hoc caput.

Cum Samsonis vita tot mirabiliter gestis affluat, minime mirum videri debet, si Ethnicorum vetustas quædam ex laudibus illius maxime insignibus fuerit mutuata, ut quemdam e celeberrimis Fabularum suarum viris decoraret. Pars eorum, quæ de Hercule comminiscuntur, in Samsone tantum vera invenitur; & asseri quodammodo potest, Herculem nihil esse aliud, quam personatum Samsonem. Tempus, quo duo illi heroes vixerunt, idem est ferme; uterque prope Trojanum bellum floruere. Hercules quidam Phœnix fuisse perhibetur, ac in Phœnicia summis honoribus decoratus; Samson in eadem ferme regione vixit. Mira vis Herculis, leo, quem ille jugulavit, servitus, quam sub Euristhæo Rege subiit, labores, quos ferre debuit, ut inde se exsolveret, nonne Samsonis imaginem exhibent cum inauditis viribus suis, qui leonem manu discerpit, qui Philisthæis traditur, & qui apud illos, quidquid in servitute durissimum, atque humillimum est, cogitur ferre?

Improbus amor, quo Samson Dalila, & Hercules Omphalem deperibant, duæ tum Herculis, cum Samsonis columnæ, quæ utrique finis laborum extitere, nulla arte, atque præmeditatione possunt ita adamussim sibi invicem respondere? Herculis nomen, Macrobio authore [1], solem significat, non secus, ac Samson. Hercules nunquam gladio usus est, vel thorace, quæ armorum genera neque Samsonem umquam gestasse cognovimus.

Nescio an fabulis, quæ ad Samsonis præclare gestorum normam elaboratæ fuerint, adscribendum illud sit, quod apud Eusebium [2] de quodam Cleomede legimus, qui cum quatuor talentis mulctatus fuisset, evomuit iram suam in gymnasium quoddam, quod diruit, eos obruens, qui ibi aderant, columna, cui gymnasium innitebatur, evulsa. Strabo l. 6. narrat, perceleblem Milonem Crotoniatem Pythagoræ discipulum, cum in lycæo quodam esset, ubi frequentes aderant Philosophi, videretque columnam labantem, atque minitantem excidium, se pro columna statuisse, ædificium sustinuisse, Philosophis discedendi tempus fecisse, & demum ipsum quoque incolumem se recepisse. Polydamus insignis athletes Thessalus, leonem in monte olympo jugulavit; ferocissimum quemlibet taurum ab humo extollebat; atque currum, quibuscumque raperetur equis, dicitur detinuisse; denique rupe obruptus occubuit, quam prolabentem viribus suis se sustinere posse gloriabatur.

1 Macrob. Saturn. l. 1. c. 20. *Revera Herculem Solem esse, vel ex nomine patet. Heracles enim quid aliud est nisi eras, (id est aeris) cleos (id est gloria.)* 2 Eusch. Præpar. l. 5. c. 24. Vide & Pausan. in Eliac.

CAPUT XVII.

Michas reddit Matri suæ mille, & centum argenteos: quæ hoc argentum Deo consecrat, ornamenta, & idolum conflat, atque hæc omnia in Michæ domo constituit. Hic filium suum, deinde Levitem Bethlehemitem qui forte aderat domi ipsius, idolo Sacerdotem præficit.

C. Anno Mundi 2951. ante J. C. 1413.

1. FUit eo tempore vir quidam de monte Ephraim nomine Michas, 2 Qui dixit ma-
tri suæ: Mille, & centum argenteos, quos separaveras tibi, & super quibus
me audiente juraveras, ecce ego habeo, & apud me sunt. Cui illa respondit:
Benedictus filius meus Domino. 3 Reddidit ergo eos matri suæ, quæ dixerat ei: Con-
secravi, & vovi hoc argentum Domino, ut de manu mea suscipiat filius meus, & fa-
ciat sculptile, atque conflatile: & nunc trado illud tibi. 4 Reddidit igitur eos matri
suæ: quæ tulit ducentos argenteos, & dedit eos argentario, ut faceret ex eis sculpti-
le, atque conflatile, quod fuit in domo Michæ: 5 Qui ædiculam quoque in ea Deo

separa-

separavit, & fecit ephod, theraphim, id est vestem sacerdotalem, & idola: implevit-
que unius filiorum suorum manum, & factus est ei sacerdos. 6 In diebus illis non
erat rex in Israel, sed unusquisque, quod sibi rectum videbatur, hoc faciebat. 7 Fuit
quoque alter adolescens de Bethlehem Juda, ex cognatione ejus; eratque ipse Levites,
& habitabat ibi. 8 Egressusque de civitate Bethlehem, peregrinari voluit, ubicum-
que sibi commodum reperisset. Cumque venisset in montem Ephraim, iter faciens, &
declinasset parumper in domum Michæ, 9 Interrogatus est ab eo, unde venisset. Qui
respondit: Levita sum de Bethlehem Juda, & vado, ut habitem, ubi potuero, &
utile mihi esse perspexero. 10 Dixitque Michas: Mane apud me, & esto mihi pa-
rens, ac sacerdos: daboque tibi per annos singulos decem argenteos, ac vestem du-
plicem, & quæ ad victum sunt necessaria. 11 Acquievit, & mansit apud hominem,
fuitque illi quasi unus de filiis. 12 Implevitque Michas manum ejus, & habuit pue-
rum sacerdotem apud se. 13 Nunc scio, dicens, quod benefaciet mihi Deus haben-
ti Levitici generis sacerdotem.

℣. 1. FUIT EO TEMPORE VIR QUIDAM DE MONTE EPHRAIM NOMINE MICHAS.] Tres Historiæ, quæ ab hoc capite usque ad libri finem referuntur, positæ sunt veluti extra opus, atque extra locum suum naturalem. Id unum Author ait, hæc tunc temporis contigisse, cum Hebræorum Respublica sine regibus esset. Hæc equidem erat mirum in modum perturbata, & corrupta; sine capite, sine publica authoritate, quæ apud illos valeret, & quæ populi, regionisque illius curam susciperet; atque sine Judice, qui Religionem tueri & populi mores compescere adniteretur.

Interpretes quidam id omne rejiciunt in tempus, quod Josue mortem est subsecutum [1], vel in postremos vitæ illius annos. Alii in tempus referunt, quo Othoniel præfuit, vel post mortem seniorum, qui B successerunt Josue [2], vel sub Chusan Rege Mesopotamiæ. Alii denique post Samsonis mortem id evenisse putant [3]; quam in sententiam naturalis ordo narrationis, ac dispositionis libri hujus nos cogeret, nisi his in historiis quidam characteres occurrerent, qui huic ordini refragantur. Exempli gratia, Levita Bethlehemites, qui apud Micham Sacerdotis loco permansit, nepos erat Moysis, cum filius esset Gersam filii Legislatoris illius. Levites hic jam capularis senex esse debuisset post mortem Samsonis, qui juvenis tamen mox ℣. 7. a Scriptura appellatur.

Præterea Danitarum Historia, quæ post Michæ factum narratur, accidit plane paullo post mortem Josue; nam Cap. 1. ℣. 34. libri hujus adfertur, hanc C tribum in montibus maximopere coarctatam fuisse, cum per Amorrhæos non liceret illis in planitiem descendere, ita ut cap. 18. libri hujus ℣. 1. palam referatur, Danitis nondum hæreditatem inter fratres suos fuisse assignatam. At quænam veritatis species adesse potest, tribum hanc eo in statu a Josue decessu ad Samsonis obitum, videlicet annos circiter 317. permansisse? Denique in caput XX. ostendemus Historiam uxoris Levitæ post filiorum Dan transmigrationem contigisse; quamobrem arbitramur aptius tempus, in quod facta hæc sint rejicienda, illud esse, quod Josue, Seniorumque mortem est subsecutum.

Quoad Michæ Historiam, quam in hoc capite legimus, eo pacto enarratur, ut vix quemadmodum res facta, transactaque fuerit, possimus perspicere. Ita D vero id factum fuisse intelligimus. Mulier quædam ex tribu Ephraim vidua, locuples, ac superstitioni dedita, plurimos habebat filios ad maturam ætatem provectos: amiserat illa mille, & centum argenteorum summam, quam ob jacturam magnopere conquesta eo usque pervasit, ut in illum, qui argen- A teos subripuisset, plurimas imprecationes evomeret: Michas filius ipsius ad eam accessit, dixitque, se pecuniam illam tenere, cujus jacturam subiisse arbitrabatur, & simul illi eam enumeravit. Mater, ut ex tanto dolore se recepit, omnibus benedictionibus filium cumulavit, illique se argentum illud Deo sacrare velle inquit, ac sacerdotalia ornamenta comparare; quoniam ea sibi erat mens apud filium domesticum extruendi sacellum, cui ornatus illi inservirent. Re equidem vera ex argento, quod illi reddiderat Michas, conflavit Ephod, aliaque ornamenta, & icunculas quasdam, quas in Michæ domo constituit. Hic vero, ut matris suæ consiliis adhæreret, quemdam e filiis suis Sacerdotem elegit; & cum deinde in juvenem quemdam e stirpe Levi incidisset, illum in filii locum Sacerdotem assumpsit, ut sacello suo deserviret.

Quoad actionem, ac mentem mulieris hujus, & Michæ filii ipsius Interpretes in diversas abeunt sententias. Alii hæc probant [4], ac putant eos hac in re verum Deum tantummodo colere voluisse. Cum enim turbarum, ac perturbationis tempore degerent, quo publicus Domini cultus omnino derelictus, vel summopere neglectus erat, domesticum sibi comparate voluerunt Tabernaculum, & privatim Dominum suum ea prosequi veneratione, qua non nisi summa cum difficultate palam fuissent prosecuti. Ipsorum Ephod, velum, Teraphim, vel imagunculæ, nihil aliud erant, quam eorum imagines, quæ asservabantur in tabernaculo. Ephod summi Sacerdotis vestis erat, teraphim erant Cherubim. Mater Michæ se Domino, seu *Jehovah* pecuniam illam devovisse testatur. Michas arbitratus, simplicem laicum in sacro munere Deo minus acceptum fore, quam virum e domo Levi, Levitem sacelli sui sacerdotem constituit. Deus ipse Michæ factum approbasse videtur, cum Danitis oraculum sciscitantibus dedit per Sacerdotem, qui delubro huic inserviebat. Hæc porro præcipua sunt argumenta, quibus actionem Michæ, atque matris illius culpa vacuam ostendunt.

Qui vero eam damnant, proponunt Legem, qua Israelitis interdictum erat conflatiles habere imagines, seu ex alia quapiam materia, ut eas venerarentur [5]; sibi religiosum cultum proponere alium ab eo, qui D a Domino fuerat constitutus; sacris operari, aliaque publica Religionis exercitia peragere extra Tabernaculum, & locum, quem sibi elegerat Deus [6]; alios habere sacerdotes, quam ex progenie Aaron, & qui a Deo ad tantum munus vocati fuerant. Michas, utque Mater illius omnes has leges perfregerunt. Quamvis etiam concederemus mulierem hanc cum filio suo

verum

1 Lyran. Tostar. Mas.
2 Menoch. Jun. Bonfrer. Cornel.
3 Grot. Petr. Martyr. Serar.
4 Moncejus de Vitulo aureo l. 1. c. 7. Grot. ad ℣. 4. Cajet. Martyr. Chytræus, alii
5 Vide Exod. 20. 4. & 34. 17. & Deut. 4. 15. 16. & 27. 15.
6 Levit. 17. 8. & Deut. 12. 14. & 15. 20.

verum Deum adoraffa, & illi hoc argentum voviffe: quamvis etiam fateremur, hoc illis fuiffe propofitum, ut Deum Ifrael fuper Cherubim fedentem venerarentur, nequeant tamen idololatriæ crimine excufari, eo quod fufiles teraphim, atque imagunculas fibi conflarint.

Quod autem levius adverfus illos afferri poffet, illud aft profecto, fcilicet ipfos eodem tempore, & veri Dei cultores fuiffe, atque Idolorum, quod nulla umquam moralis difciplinæ regula probari poteft. Præterea nequaquam verum eft abfolute, tunc temporis Domini cultum in Ifrael derelictum fuiffe, nam videtur tunc Summus Sacerdos Phinees adhuc vixiffe, fi hæc hiftoria contigit poft mortem Jofue atque Seniorum; quæ fi poft Samfonis obitum accidit, jam Summus Sacerdos Heli erat in Silo, quæ Sedes erat Arcæ. Locorum diftantia, ac itineris difficultas illis legitima in caufa effe non poterat, nam prope Silo morabantur; civitas hæc in Ephraim erat pofita, atque etiam in montibus, uti videtur, ubi Michas, & mater ipfius permanebant. Denique opinio, quæ Micham, & matrem illius condemnat, omnium fere Interpretum jactat fuffragia.

FUIT EO TEMPORE VIR QUIDAM.] Neque Hebraicus textus, neque Septuaginta habent illa verba *eo tempore*; ideoque argumentum, quod inde eruitur, ad hanc Hiftoriam poft Samfonis obitum conftituendam ex fe ruit. Hæc loquendi ratio *eo tempore*, *illo die*, aliæque fimiles non femper tempori, quod præceffit, referuntur, neque femper temporis nexum annuunt cum iis, quæ antea narrata fuerunt. Sæpius autem tempus tantummodo denotant, quo res aliqua contigit.

℣. 2. MILLE & CENTUM ARGENTEOS, QUOS SEPARAVERAS TIBI, & SUPER QUIBUS ME AUDIENTE JURAVERAS, ECCE EGO HABEO, & APUD ME SUNT.] Vulgatæ author, prout ex hujus verficuli, tertiique verfione poffumus exiftimare, credidit, Micham argenteos hos in depofitum, vel aliter a matre fua accepiffe, quos illa coram filio Domino voverat. Verbum illud *juraveras* in hoc verficulo accipit, velut æquivalens ei, quod ℣. 3. dicitur, *Confecravi, & vovi hoc argentum Domino*. Authographi textus in hunc fenfum poteft intelligi. Verum explicari quoque poteft, quemadmodum fuperius dictum eft. Hic porro Hebraicus eft textus ad litteram redditus [1]: *Mille, & centum argenteos, qui tibi furrepti fuere, & propter quos tot mala precata es, & de quibus locuta es coram me, ego habeo, & apud me funt.* Septuaginta, & Chaldaica paraphrafis fenfum hunc de verbo ad verbum fequuntur. Mille, & centum ficli funt Romana fcutata 440.

BENEDICTUS FILIUS MEUS DOMINO.] Mater hæc filii finceritatem commendat; & imprecationes, quas primum effuderat, benedictionibus, quas filio impertit, compenfat.

℣. 3. REDDIDIT ERGO EOS MATRI SUÆ, QUÆ DIXERAT EI: CONSECRAVI, & VOVI HOC ARGENTUM DOMINO.] Verfionis hujus author fupponit, quemadmodum antea dictum eft, argentum hoc ante Domino fuiffe devotum, atque dicatum. Sed alii putant, Matrem finceritate, atque recta fide filii fui captam, tunc folum hoc voviffe, cum Michas illi argenteorum fummam reftituit; perinde ac diceret: Mille hi, ac centum argentei, nolo, in meam cedant utilitatem, eos offero Domino, & te voti mei executorem conftituo, atque ejus rei, quam fectura fum, depofitarium: domi tuæ ponam Ephod, & ornamenta, quæ vovi. Ita porro totus hic verficulus ad litteram vertitur: *Et Michas reddidit matri fuæ mille, & centum argenteos, & mater dixit: Confecro argentum hoc manu mea Domino pro filio meo, ut fiat fculptile, & conflatile, & nunc reddam illud tibi.*

ET FACIAT SCULPTILE, ATQUE CONFLATILE.] Quomodo nam figura eadem fculptilis effe poteft, atque conflatilis? fiebat primum lapidea imago, vel lignea, quæ induebatur deinceps conflatilibus laminis; hæc vetuftiffima, atque fimpliciffima ratio fuit aureas, argenteafque Iconculas conficiendi. Ars fundendi, ac fcalpro levigandi metalla tunc demum inventa fuit, cum jam ligna, & lapides cælarentur. Denique non defunt, qui hæc diftinguant: *ut fiat imago fculptilis, vel conflatilis altera*; quæ verifimilior videtur opinio, nam ℣. 4. fermo eft veluti de una tantum imagine, *fculptile atque conflatile, quod fuit in domo Michæ*. Alii plures obfervari poffunt Scripturæ loci [2], ubi *fculptile, & conflatile* idem tantum fignificant.

Verum hoc omne parum intereft; illud vero intereft magis, quo confilio hæc imagines conflarit, & quid illæ referrent. Adnotavimus jam eruditus quofdam Interpretes exiftimaffe, hæc omnia recto confilio fuiffe peracta, & Matrem Michæ voluiffe tantum Cherubim figuras effingere, illis perfimiles, quæ erant fuper fœderis Arcam. Attamen plerifque perfuafum eft, illam idola fudiffe. Voces authographi [3] fæpius in hoc fenfu accipiuntur; & ℣. 5. ubi hæc in opus redacta enarrantur, legimus, ipfam in Michæ domo Teraphim pofuiffe, atque Idola.

Verum quidem eft Hebraicum textum de Idolis non loqui, fed tantum de Teraphim. At liquet nomen hoc non ufquequaque in fequiorem fenfum torqueri; & S. Hieronymus ipfe ad Marcellam afferere videtur Teraphim fignificationem æque late patere ac Cherubim, & nomen hoc fignificare opera diverfis depicta coloribus, ac diverfis formis elaborata; ita ut Michas fecerit folum confuetas Sacerdotales veftes, quæ nomine Ephod comprehenduntur, & alia Sacerdotum ornamenta, quæ Teraphim nomine fignificantur. *Juxta hunc fenfum & Micha cum vefte Sacerdotali cætera quoque quæ ad Sacerdotalia pertinent ornamenta, per Teraphim feciffe monftratur.* Grotius autumat *Elohim* nomine ℣. 5. Teraphim, vel Cherubim nuncupari, atque *fculptile & conflatile* fignificare altaria, candelabrum, aliaque Tabernaculi inftrumenta, quæ Michas vel mater illius contracto modulo fecit illis, quæ aderant in Silo, fimillima. Nihil obeffe video, quin afferam, ibi Teraphim idem effe ac Urim, & Tummim, quæ Rationali adnectebantur; hæc effe poterant veritatis, ac puritatis hieroglyphica [4]; atque *fculptile & conflatile* fignificare Cherubim, atque Ephod nomine omnia fummi Sacerdotis ornamenta contineri. At hæc purgant ne Michæ, vel matris illius facinus? Licebatne illis pro libidine fibi Ephod comparare, & conflare Cherubim?

ET NUNC TRADO ILLUD TIBI.] Vel potius tibi deftino, tibi polliceor. Hebraice [5]: *Et nunc reddam tibi*. Ornamenta fecit, atque iconculas, quas filio dedit, eumque illarum cuftodem, & depofitarium conftituit.

℣. 4. TULIT DUCENTOS ARGENTEOS, & DEDIT EOS ARGENTARIO.] Hebraice [6]: *& dedit eos fufori.* Ducenti hi ficli, qui octuaginta Scutatis Romanis æquivalent, infumpti fuerunt in Teraphim, vel Cherubim fundendis, quæ conflatiles erant imagines in eo fenfu, quem ℣. 3. docuimus. Reliquum vero argentum impenfum fuit in Sacerdotalibus ornamentis, aliifque vafibus domeftici Sacelli Michæ, quod parva erat imago Tabernaculi Domini.

℣. 5. QUI ÆDICULAM QUOQUE IN EA DEO SEPARAVIT;]

---

1 אלף ומאה הכסף אשר לקח לך ואת אלית וגם אמרת באזני הנה הכסף אתי

2 Vide 4. Reg. 21. 7. collatum cum. 2. Par. 33. 7. & Ifai. 30. 22.

3 פסל ומסכה

4 Vide Comment. in Genef. c. 31. 19. & Exod. c. 27. 30. & Spencer. Differt. de Urim

5 ועתה אשיבנו לך

6 ויתנהו לצורף

RAVIT;] Vel præparavit domi suæ sacellum Deo. Hebraicus[1]: *Et vir his Michas habuit domum Dei*, vel Deorum, *Elohim*. Itaque privatus ille vir, cui nomen Michas, habuit dumum Dei, dominus fuit parvuli templi. Septuaginta[2]: *Et domus Michæ possedit domum Dei*.

FECIT EPHOD, & THERAPHIM, ID EST VESTEM SACERDOTALEM, & IDOLA.] Hæc postrema verba ab Interprete addita sunt in formam explicationis. Hebraicus textus hæc simpliciter habet: *Fecit Ephod, & Teraphim*[3]. Vucum hatum explicatiunem, & veram S. Hieronymi sententiam superius scrutati sumus. Eruditi Interpretes non pauci[4] credunt, Micham sibi domesticam ædiculam construxisse, atque familiares Deos, illis persimiles, quos Ethnici *Penates*, & *Lares* vocabant.

IMPLEVIT UNIUS FILIORUM SUORUM MANUM,] Videlicet unum filiorum suorum consecravit, & Sacerdotem constituit. Vidimus alibi, sulemnem fuisse in Sacerdotum consecratione ritum, eorum manum replere oblationibus, quas Domino exhibere debebant, cum exercitium, & muneris sui professionem ingrediebantur[5]. Michas istic directe agit adversus præcepta Dei[6], laicum virum, & profanum Sacerdotali decorans dignitate.

℣. 6. IN DIEBVS ILLIS NON ERAT REX IN ISRAEL.] Scriptura hæc adnotat, ne Lector fortasse miretur, videns publicas adeo, atque graves Religionis perturbationes, authoritate privata peractas, quin nationis Caput illud agnoverit, atque animadverterit. Regis nomine intelligi potest Judex[7], Præfectus, atque ut verbo me expediam, Caput, cujus suprema esset in Israel authoritas; quo in sensu Abimelech Gedeonis filius Rex appellatur[8], scilicet Judex, & Gedeonis patris sui successor. Vel potius, qui hunc librum redegit, cum scriberet postquam Reges in Israel constituti sunt, hic refert, tunc temporis nullum fuisse adhuc Regem, qui Israel moderaretur, & quemque tunc ea, quæ magis in rem videbantur, fecisse, quin alicui ratio esset reddenda.

℣. 7. FVIT QVOQVE ALTER ADOLESCENS DE BETHLEHEM JVDA, EX COGNATIONE EJVS, ERATQVE IPSE LEVITES.] Adolescens hic Levita capite sequenti ℣. 30. Jonathan appellatur filius Gersam filii Moysis. Erat e tribu Levi ex patre, sed mater ipsius plane erat e tribu Juda, atque ideo ex matris parte ad hanc tribum spectabat. Author igitur istud hic adnotat, ut rationem reddat, cur ille morabatur in Bethlehem, quæ non erat e civitatum numero Levitis assignatatum. Nemo nescit, Levitas, non A secus ac alios Israelitas potuisse uxorem ducere ex qualibet alia tribu, dummodo ad mulierem hæreditas cessura non esset, nam tunc non nisi viro cuipiam e tribu sua nubere poterat. Hebraicus hujus loci textus ad litteram habet: *Adorat adolescens e Bethlehem Juda, e tribu Juda, qui Levites erat, atque ibi morabatur*.

℣. 10. ESTO MIHI PARENS, AC SACERDOS.] Instrues me veluti magister, & pater meus, ac sacerdotii munere domi meæ fungeris. Vel potius, honoraberis domi meæ, veluti pater meus, ac Domini Sacerdos. Nomen Patris nomen est honoris, & dignitatis. Persæ patris nomen illis, quos honorari vellent, tribuebant. Aman hoc nomine appellabatur, dum Assuerus regnaret[9]. Simon Macchabæus pater B dicitur filiorum Matathiæ fratrum suorum[10]. Razis Senator Hierosolymitanus Judæorum Pater vocatur[11]. Hiram celeberrimus artifex Salomonis ævo insignitur nomine Patris Hiram Regis Tyrii, 2. Par. 2. 13.

DABO TIBI PER ANNOS SINGVLOS DECEM ARGENTEOS, AC VESTEM DVPLICEM.] Hebraicus textus ad litteram[12]: *Dabo tibi decem argenteos per dies, & unum ordinem vestium*; vel par vestium, vel juxta plures Interpretes[13] duas completas vestes, pro hyeme alteram, alteram pro æstate. Alii, binas vestes, alteram in usum quotidianum, alteram vero pro sacrorum procuratione. Vel potius, vestes duas, tunicam, & pallium, quæ vulgatæ Hebræorum vestes erant, quemadmodum non semel docuimus; quæ eædem profecto sunt, ac quæ nonnumquam in Scriptu- C ra *mutatoriæ vestes* dicuntur; Ludovicus de Dieu Textum reddit, *societatem vestium*, vestem cum iis omnibus, quæ ad ipsam spectant, vestem completam, quod congruit cum illorum sententia, qui de pallio, & tunica intelligunt. Hebraicus textus loco verborum illorum *per annos singulos* habet simpliciter *per dies singulos*; quæ locutio sæpius annum significat[14].

℣. 13. NVNC SCIO, QVOD BENEFACIAT MIHI DEVS.] Michas sibi plaudit, eo quod domi suæ Sacerdotem e stirpe Levi habeat; sibique persuadet, devotionem suam Domino acceptiorem futuram, & populum videntem, quod Sacello ipsius domestico vir e stirpe Levi inserviret, illuc fidentius accessurum, atque illius frequentiam cum oblationibus, quas ingerent, non mediocri furorem in quæstu; qui plane istic *be*- D *nedictio domini* appellatur. Verus avarorum superstitiosorum character, qui sociare cupiunt Religionem cum divitiarum cupiditate, *existimantes*, Divi Pauli 1. Timot. 6. 5. verbis loquor, *quæstum esse pietatem*,

---

1 וְהָאִישׁ מִיכָה לוֹ בֵּית אֱלֹהִים 2 καὶ ὁ οἶκος Μιχὰ αὐτῷ οἶκος Θεοῦ.
3 Aq: [illegible]. Sym. [illegible]. *Vestem Sacerdotalem, & idola*.
4 Vide Serar. qu. 6. Bonfrer. Cornel. 5 Vide Exod. 28. 41. & alibi sæpius.
6 Vide Num. 3. 10. & 16. 17. & Deut. 21. 5. & Heb. 5. 4. *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron*. 7 Ita Vatab. Jun. Drus. Grot. Pisc. &c.
8 Judic. 9. 6. *Constituerunt Regem Abimelech juxta quercum quæ stabat in Sichem*.
9 Esth. 16. 11. 10 1. Macch. 2. 65. 11 2. Macch. 14. 37.
12 אֶתֶּן לְךָ עֲשֶׂרֶת כֶּסֶף לַיָּמִים וְעֵרֶךְ בְּגָדִים 13 Drus. Cornel. Bonfr. &c.
14 Ita Vat. Pisc. Jun. Drus. Munst.

CAPUT XVIII.

Sexcenti e tribu Dan ſedem quærunt ad habitandum. Tranſeuntes Sacerdotem & Idola, quæ erant in Michæ Domo auferunt. Urbe Lais potiuntur, ibique ſuam ſedem conſtituunt.

1. IN diebus illis non erat rex in Iſrael, & tribus Dan quærebat poſſeſſionem ſibi, ut
habitaret in ea: uſque ad illum enim diem inter cæteras tribus ſortem non acce-
perat. 2 Miſerunt ergo filii Dan, ſtirpis, & familiæ ſuæ quinque viros fortiſſi-
mos de Saraa, & Eſthaol, ut explorarent terram, & diligenter inſpicerent; dixerunt-
que eis: Ite, & conſiderate terram. Qui cum pergentes veniſſent in montem Ephraim,
& intraſſent domum Michæ, requieverunt ibi: 3 Et agnoſcentes vocem adoleſcentis
Levitæ, utenteſque illius diverſorio, dixerunt ad eum: Quis te huc adduxit, quid hic
agis? quam ob cauſam huc venire voluiſti? 4 Qui reſpondit eis: Hæc, & hæc præſti-
tit mihi Michas, & me mercede conduxit, ut ſim ei ſacerdos. 5 Rogaverunt autem
eum, ut conſuleret Dominum, ut ſcire poſſent, an proſpero itinere pergerent, & res
haberet effectum. 6 Qui reſpondit eis: Ite in pace, Dominus reſpicit viam veſtram,
& iter, quo pergitis. 7 Euntes igitur quinque viri venerunt Lais: videruntque popu-
lum habitantem in ea abſque ullo timore juxta conſuetudinem Sidoniorum, ſecurum, &
quietum, nullo ei penitus reſiſtente, magnarumque opum, & procul a Sidone, atque a
cunctis hominibus ſeparatum. 8 Reverſique ad fratres ſuos in Saraa, & Eſthaol, &
quid egiſſent ſciſcitantibus reſponderunt: 9 Surgite, aſcendamus ad eos: vidimus enim
Terram valde opulentam, & uberem: nolite negligere, nolite ceſſare, eamus, & poſſi-
deamus eam, nullus erit labor. 10 Intrabimus ad ſecuros, in regionem latiſſimam,
tradetque nobis Dominus locum, in quo nullius rei eſt penuria eorum, quæ gignuntur
in terra. 11 Profecti igitur ſunt de cognatione Dan, id eſt, de Saraa, & Eſthaol, ſex-
centi viri accincti armis bellicis. 12 Aſcendenteſque manſerunt in Cariathiarim Judæ,
qui locus, ex eo tempore, Caſtrorum Dan nomen accepit, & eſt poſt tergum Caria-
thiarim. 13 Inde tranſierunt in montem Ephraim. Cumque veniſſent ad domum Mi-
chæ, 14 Dixerunt quinque viri, qui prius miſſi fuerant ad conſiderandam Terram Lais,
cæteris fratribus ſuis: Noſtis, quod in domibus iſtis ſit ephod, & theraphim, & ſcul-
ptile, atque conflatile: videte, quid vobis placeat. 15 Et cum paululum declinaſſent,
ingreſſi ſunt domum adoleſcentis Levitæ, qui erat in domo Michæ, ſalutaveruntque eum
verbis pacificis. 16 Sexcenti autem viri ita ut erant armati, ſtabant ante oſtium. 17
At illi, qui ingreſſi fuerant domum juvenis, ſculptile, & ephod, & theraphim, atque
conflatile tollere nitebantur, & ſacerdos ſtabat ante oſtium, ſexcentis viris fortiſſimis
haud procul expectantibus. 18 Tulerunt igitur, qui intraverant, ſculptile, ephod, &
idola, atque conflatile. Quibus dixit ſacerdos: Quid facitis? 19 Cui reſponderunt;
Tace, & pone digitum ſuper os tuum, venique nobiſcum, ut habeamus patrem, ac ſa-
cerdotem. Quid tibi melius eſt, ut ſis ſacerdos in domo unius viri, an in una tribu, &
familia in Iſrael? 20 Quod cum audiſſet, acquievit ſermonibus eorum, & tulit ephod,
& idola, ac ſculptile, & profectus eſt cum eis. 21 Qui cum pergerent, & ante ſe ire
feciſſent parvulos, ac jumenta, & omne, quod erat pretioſum, 22 Et jam a domo Mi-
chæ eſſent procul, viri, qui habitabant in ædibus Michæ, conclamantes ſecuti ſunt, 23
Et poſt tergum clamare cœperunt. Qui cum reſpexiſſent, dixerunt ad Micham: Quid
tibi vis? cur clamas? 24 Qui reſpondit: Deos meos, quos mihi feci, tuliſtis, & ſa-
cerdotem, & omnia, quæ habeo, & dicitis: Quid tibi eſt? 25 Dixeruntque ei filii
Dan: Cave, ne ultra loquaris ad nos, & veniant ad te viri animo concitati, & ipſe
cum omni domo tua pereas. 26 Et ſic cœpto itinere perrexerunt. Videns autem Mi-
chas, quod fortiores ſe eſſent, reverſus eſt in domum ſuam. 27 Sexcenti autem viri
tulerunt ſacerdotem, & quæ ſupra diximus: Veneruntque in Lais ad populum quieſcen-
tem, atque ſecurum, & percuſſerunt eos in ore gladii: urbemque incendio tradiderunt.

28 Nullo

28 Nullo penitus ferente præsidium, eo quod procul habitarent a Sidone, & cum nullo
hominum haberent quidquam societatis, ac negotii. Erat autem civitas sita in regione
Rohob: quam rursum extruentes habitaverunt in ea, 29 Vocato nomine civitas Dan,
juxta vocabulum patris sui, quem genuerat Israel, quæ prius Lais dicebatur. 30 Po-
sueruntque sibi sculptile, & Jonatham filium Gersan filii Moysi, ac filios ejus sacerdo-
tes in tribu Dan, usque ad diem captivitatis suæ. 31 Mansitque apud eos idolum Mi-
chæ omni tempore, quo fuit domus Dei in Silo: in diebus illis non erat rex in If-
rael.

ỹ. 1. TRIBUS DAN QUÆREBAT POSSESSIONEM SIBI, USQUE AD ILLUM ENIM DIEM INTER CÆTERAS TRIBUS SORTEM NON ACCEPERAT.] Vidimus supra capite 19. libri Josue, tribum Dan una cum aliis partem suam accepisse; verum animadvertimus quoque ab Amorrhæis pressius adeo in montibus coarctatam fuisse, ut in planitiem se se extendere nequiverit, atque coactam fuisse alias sibi terras inquirere; id autem istic magis peculiariter legimus. Itaque cum Scripturæ sit, tribum Dan in tribuum divisione sortem non accepisse, de quibusdam familiis est intelligendum, quæ sibi sedem constituere Amorrhæis ejectis minime potuerunt [1]; vel de tribu universa, cui cum terra, quæ satis esset, haud suppeteret [2], debuit exonerari, coloniam dimittendo alias sibi terras quæsitum. Hoc accidit, quemadmodum jam animadvertimus, post Josue decessum, & anarchiæ tempore, quæ mortem illius est subsecuta, aliorumque præcipuorum Seniorum Israel. Cum Debora judicaret, Dan commercio operam dabat, *Dan vacabat navibus* [3]; & Samsonis ævo tribus hæc haud erat contemnenda, quoniam Judex ille ex ea erat tribu. Ea vero latius fines suos posuerat, postquam coloniam deduxere, quemadmodum istic refertur.

ỹ. 2. MISERUNT ERGO FILII DAN STIRPIS, & FAMILIÆ SUÆ QUINQUE VIROS FORTISSIMOS DE SARAA, & ESTHAOL.] Hebraice ad litteram [4]: *Filii Dan miserunt de familia sua quinque homines de extremitatibus suis, de hominibus filiis fortitudinis*, vel filiis virtutis, vel divitiarum. Per hæc verba *de extremitatibus suis*, Judæi asserunt intelligendum esse simpliciter de illorum quibusdam sine delectu, & distinctione. Alii [5] volunt, quod eos miserint de finibus regionis suæ. Ludovicus de Dieu asserit, primores, sapientiores, fortioresque inter ipsos missos fuisse [6]. Castalio autumat, imbecilliores missos fuisse, & qui minimam virium præseferrent speciem, ne illorum adspectus suspicionem injiceret, atque ut illi minus possent agnosci. Ego vero priori explicationi mallem subscribere.

ỹ. 3. ET AGNOSCENTES VOCEM ADOLESCENTIS LEVITÆ.] Ex pronunciandi ratione cognoverunt, ipsum nequaquam esse a tribu Ephraim; vidimus supra Ephraimitis peculiarem fuisse accentum, ex quo dignoscebantur. Adolescens Levita in Bethlehem fuerat educatus.

ỹ. 5. ROGAVERUNT EUM, UT CONSULERENT DOMINUM.] Utuntur illi nomine *Elohim*, quod aliquando inanes Deos significat. Sed Levita illis in nomine *Jehovah* respondet, ex quo licet arguere, utrosque verum Deum veneratos fuisse, quamquam illorum cultus corruptione, & superstitione vacuus non fuerit.

Quæritur, num Deus Levitæ huic responderit, an Dæmon, an vero adolescens ille sibi illud commentus fuerit oraculum, quod consulentibus cecinit? Si res ab eventu metiri debemus, Deus fortis illius author ferendus esset, nam Danitæ voti damnati

A fuere, illudque adepti sunt, quod ipsi quæsiverant; verum constat nihil adeo æquivocum esse, ac felices eventus, ut de Divino favore judicium ferri queat. Neque omnino fieri nequaquam potuit, Dæmonem prædicere potuisse illud, cujus causas proxime expeditas intueretur, hinc virtutem, ac robur Danitarum conspiciens, inde vero infirmitatem, ac nimiam securitatem habitantium Lais; homo perspicax, & acutus tantumdem posset prænoscere; neque secius latet sacerdotes Idolorum, Vates, atque fatidicos propria minerva Deorum simulasse oracula, atque mentis suæ commenta pro cœlorum voluntate venditasse: sed nihil horum probat, Levitem fefellisse, neque Dæmonem fuisse locutum: verum manet usque difficultas, an verus Deus, qui in Michæ domo
B colebatur, responderit, atque an recta illius consilia existimans Deus cultum illum acceptum habuerit: quæ si ita se habebant, cur dici non posset, ipsum per os Levitæ verum oraculum reddidisse? Verum si Deus horrebat Michæ sacrificia, Levitæ responsio habenda est vel ipsius fraus, vel Dæmonis illusio, quæ posterior sententia communior est apud Interpretes.

ỹ. 7. VENERUNT LAIS.] *Lesem* appellatur in Josue 19. 47. Huic vero urbi nomen Dan accessit post factum illud, cujus modo legimus historiam. Nomen *Dan* in Genesi 14. 14. quoque invenitur; sed creditur aliquis illud in hunc librum post Moysem inseruisse; Josue 19. 47. appellatur quoque *Lesem-Dan*, nomine e veteri composito, quod ante factum hoc gerebat,
C atque e recenti, quod illi ex hac cessit expeditione. Eusebius, & S. Hieronymus in *Dan* & *Laisa* constituunt Dan quatuor passuum millibus procul a Paneade Tyrum proficiscentibus; atque inde Jordanem originem haurire dicunt; Iosephus l. 5. Antiq. c. 11. ait urbem hanc non admodum a Libano procul, & a Libani originibus fuisse positam, atque a Sidonia agro diei unius iter abfuisse. Qui vero urbem Dan cum Paneade [7] confuderunt, proculdubio aberraverunt; nam Eusebius utramque civitatem palam distinguit. Paneades erat ad Orientem Dan, trans rivum Iordanis.

IUXTA CONSUETUDINEM SIDONIORUM SECURUM, & QUIETUM, NULLO EI PENITUS RESISTENTE, MAGNARUMQUE OPUM, & PROCUL A SIDONE, ATQUE
D A CUNCTIS HOMINIBUS SEPARATUM.] Textus hic commentario non indiget; at Hebraicus non mediocres complectitur difficultates [8]: *Juxta consuetudinem Sidoniorum, quietum, ac securum, neque ullus ea aderat in regione, qui illis confusionem pareret, nec qui supremam potestatem possideret. Aberant illi a Sidoniis, nec illis res erat cum aliquo*. Ne credas autem hac sola versione me complexum fuisse omnes sensus, in quos authographi textus detorqueri potest; tot enim sensuum varietates adsunt, quot capita Interpretum. Vide, si lubet, Ludovicum de Dieu in hunc locum.

Verba hæc *juxta consuetudinem Sidoniorum*, innuunt, cives Lais, quæ plane Sidoniorum erat colonia vixisse, sicuti illos in securitate, pace, & rerum

1 Ludov. de Dieu. 2 Munst. Vatab. Jun. Drus. Grot. Cornel. Bonfr. alii passim.
3 Judic. 5. 17. 4 וישלחו בני דן ממשפחתם חמשה אנשים מקצותם אנשים בני חיל 5 Serar. Jun. Pagn. Mont.
6 Vide dicta Genes. 17. 2. 7 Philostorg. Cornel. Bonfr. hic. Vide ejusdem Onomast. & Serar.
8 כמשפט צידנים שקט ובטח ואין מכלים דבר בארץ יורש עצר ורחוקים המה מצידנים ודבר אין להם עם אדם

omnium copia; vel ipsos Sidoniorum leges, consuetudines, ac Religionem secutos fuisse. Quæ sequuntur, *neque ullus ea aderat in regione, qui illis confusionem pareret, nec qui supremam potestatem possideret*, diversimode possunt intelligi; exempli gratia, quod cum nullus ipsis, vel Rex, vel Magistratus moderaretur, quilibet pro libidine operabatur, quin vererentur, ne quis illos reprehenderet, vel in eos animadverteret, quisque studiis suis rapiebatur, sine pudore, ac verecundia. Textus in hunc quoque modum transferri potest; *neque ullus erat ea in regione, qui illis turbam cieret*, inquietudinem, confusionem, laborem. Præterea, *possidebant thesauros* [1] populus hic dives erat; vel aliter; *neque ullus erat ea in regione, quorum præsentiam vererentur*, nullus Rex erat illis, *nec successor*, vel *Regni* hæres.

Quod autem additur, *Aberant illi a Sidoniis*, plurimum conferre poterat ad confirmandos Danitas, ut ad urbis illius oppugnationem accederent, quandoquidem Sidonii, qui diei unius iter aberant [2], suppetias illis ferre non poterant, atque urbs expugnata fuisset, antequam rumor ad illos pervaderet. Demum hi populi ab *omnibus aliis hominibus erant separati, quieti, securique*, quemadmodum Tacitus ait de Cheruschis Germaniæ populis loquens. Cum enim se nullius ope indigere arbitrarentur, cum nullo fœdus, vel commercium inierant, rati se satis fortes esse, ut se defenderent, atque absque alieno auxilio se tuerentur. Septuaginta legerunt *Aram* pro *Adam* [3]; *nullum inierant cum Syriæ populi fœdus*, in quorum finibus incolebant, & a quibus opem rogare potuissent. Lectio hæc nequaquam est rejicienda.

℣. 9. NULLUS ERIT LABOR (℣. 10.] INTRABIMUS AD SECUROS IN REGIONEM LATISSIMAM.] Ecce autem Hebraicus textus ad litteram; *Cum illuc ingrediemini, ingrediemini ad populum securum, ac in terram spatiosam manibus*. Hæc loquendi ratio, *spatiosum manibus* [4] adhibetur ad denotandam latissimam extensionem [5], quæ naturaliter manus extendendo indicatur. Nonnulli vertunt *extensam in spatia*, perinde ac manus spatium innueret. Confidentia, & securitas horum populorum certissima erant ipsorum cladis argumenta. Vellejus l. 2. *Nemo celerius opprimitur, quam qui nihil timet, & frequentissimum initium est calamitatis, securitas.*

℣. 11. SEXCENTI VIRI.] Fortiter armati, nulla habita mulierum, puerorumque ratione, ac præter reliqua impedimenta. Vide ℣. 21.

℣. 12. MANSERUNT IN CARIATHIARIM JUDÆ.] Non autem in civitate, sed in suburbiis, & post tergum urbis [6], hoc est ad occidentem, in loco, cui nomen *castra Dan*.

℣. 13. AD DOMUM MICHÆ.] Non erant illi tunc in Michæ domo; immo ex decursu liquet, neque illam ingressos fuisse. Verti potest, *prope domum Michæ*, vel, ad domum usque Michæ.

℣. 14. VIDETE, QUID VOBIS PLACEAT.] Videte, an exequi velitis consilium susceptum auferendi Teraphim Michæ; & quomodonam hac in re vobis placeat agi. Narrationis decursus ostendit consilium hoc præmeditatum fuisse.

℣. 15. CUM PAULLULUM DECLINASSENT, INGRESSI SUNT IN DOMUM ADOLESCENTIS LEVITÆ.] Levita hic habitaculum seorsim plane habebat, ac procul dubio prope Sacellum, cujus erat Minister. Danitæ ergo, cum ad locum pervenissent, ubi ille morabatur, selegerunt e militibus illos quinque viros, qui Lais [7] exploratum profecti fuerant, atque in superiori itinere necessitudinem aliquam cum Levita inierant. Dum eorum alii eum detinebant, deducebantque, ubi reliqua exercitus pars illos opperiebatur, alii in ædiculam erumperent, quidquid aderat, abstulerunt, & mox ad contubernales suos reversi sunt. Levita, qui inter ipsos erat, obstupuit, videns illos, qui Templum diripuerant; percontatusque est eos, quænam ipsorum mens esset, & reliqua, quemadmodum istic narratur.

℣. 17. AT ILLI, QUI INGRESSI FUERANT.] Hebraicus textus ad litteram [8] ait, qui domum ingressi sunt, atque in templum Levitæ, eos fuisse quinque viros, qui antea regionem exploraturi præcesserant, atque Levitam ante fores fuisse cum sexcentis hominibus.

℣. 19. TACE, ET PONE DIGITUM TUUM SUPER OS TUUM.] Hebraice [9]: *Obmutesce, & pone manum tuam super os tuum*. Adagialis hæc locutio satis nota est; sæpius enim tum in Scriptura, tum apud profanos authores invenitur. Job [10]: *Principes cessabant loqui, & digitum superponebant ori suo*: & alibi [11], *qui leviter locutus sum, respondere quid possum, manum meam ponam super os meum*. Sapiens in Proverbiis 30. 32. *si intellexisses, ori suo imposuisset manum*: Author Ecclesiastici 5. 12. *Si est tibi intellectus, responde proximo, sin autem, sit manus tua super os tuum, ne capiaris in verbo indisciplinato, & confundaris*. Apud Romanos Angerona Dea silentii præsea digito ad labia admoto pingebatur; non secus ac apud Ægyptios Harpocrates silentii deus, de quo Ovidius ait Metamorph. l. 9.

Quique premit vocem, digitoque silentia suadet.

℣. 22. VIRI, QUI HABITABANT IN ÆDIBUS MICHÆ CONCLAMANTES SECUTI SUNT.] Hebraice: *Et qui erant domi, qui erant cum domo Michæ, magnis clamoribus vocati, assecuti sunt filios Dan*. Michas clamore magno accolas convocavit, ac simul persecuti sunt, tandemque assecuti Danitas, qui iter inceptum prosequebantur.

℣. 24. TULISTIS OMNIA, QUÆ HABEO, ET DICITIS, QUID TIBI EST.] Hebraicus textus ad litteram [12]: *Quid mihi reliquum superest? cur dicitis mihi: quid tibi est*. Non est, cur purgare velimus facinus Danitarum; patet enim furtum, ac sacrilegium patrasse, saltem juxta ipsorum mentem; res enim, quas abstulerant, sacras esse arbitrabantur.

℣. 25. ET VENIANT AD TE VIRI ANIMO CONCITATI, ET IPSE CUM OMNI DOMO TUA PEREAS.] Hebraicus textus ita redditur [13]: *Ne homines, qui animam habent in amaritudine, veniant adversum te, & tu colligas animam tuam, & animas domus tuæ*; videlicet, ne homines dolore, atque ira perciti irruant in te, atque mortem tibi, ac domui tuæ concilies. Patet sæpius ad mortem exprimendam Scripturam uti hac loquendi ratione [14], *colligere animam alicujus*: *Ne colligas cum impiis Deus animam meam*; scilicet, ne perdas me cum illis; ne ponas me cum ipsis in mortem. Hic dicitur: *ne colligas animam tuam*; videlicet, ne te objicias periculo vitam amittendi, ne te occasioni subjicias, ne te in discrimen adducas, ut e viventium numero eripiaris.

℣. 27. URBEM INCENDIO TRADIDERUNT.] Ut facilius eadem potirentur; nam alioquin ipsorum minime intererat urbem flammis absumere, cum ibi sedem sibi vellent constituere, quam iterum ædificare conati sunt, ut proxime subsequens versiculus refert. Lais Chananæis populis frequens erat, Israelitæ justum illis potuerunt bellum inferre, ac eorum urbe potiri, ni prius fœdus aliquod cum ipsis percussum fuisset inter illos, ac tribum eam, ad quam ea tellus spectabat. Rabbini quidam [15] asserere voluerunt Sidonem nequaquam inter eas Chananæorum urbes,

1 אצר, vel יורש עצר. 2 Joseph. Antiqu. l. 5. c. 2. 3 καὶ λόγος ἦν αὐτοῖς μετὰ Συρίας. Ita Ald. Compl. Oxon. Cod. Alex. sed edit. Rom. λόγος οὐκ ἦν αὐτοῖς πρὸς ἀνθρώπους. Sym. λόγος οὐκ ἦν αὐτοῖς.
4 רחבת ידים. 5 Vide Genes. 34. 21. Psal. 103. 21. 6 Supra ℣. 12. *Est post tergum Cariathiarim*. 7 ℣. 17. ex Hebr. & 70. 8 Ibidem ex Hebr. 9 החרש שים ידך על פיך.
10 Job. 29. 9. Vide & 21. 11 Ibid. c. 39. 12 ומה לי עוד ומה זה תאמרו אלי מה לך.
13 פן יפגעו בכם אנשים מרי נפש ואספת נפשך ונפש ביתך. 14 Psal. 25. 9. *Ne perdas*, Hebr. *Ne colligas cum impiis Deus animam meam*. 15 Vide Drus. ad ℣. 7.

bes, quas Deus Hebræis tradiderat [1], fuisse comprehensam; unde inferri posset, Lais, cum Sidoniorum esset colonia, aliorum Chananæorum anathemati minime obnoxiam fuisse. Sed horum Doctorum sententia futilibus tantum argumentis incumbit, & quibusdam textibus, quos perperam profecto intellexere. Urbs Lais in tribus Aser hæreditate erat posita; verum liquet, tribus, quibus sors sua haud satis fuerat, & quæ Chananæorum urbibus in aliarum tribuum sorte positis potirentur, pacate iis dominatas fuisse terris, quas sibi armorum vi comparabant, quin illis ulla inferretur molestia, atque res ablatæ repeterentur. Rei hujus exempla vidimus in Josue 17. 10. 11.

℣. 28. ERAT AUTEM CIVITAS SITA IN REGIONE ROHOB.] Hebraice [1]: *Et civitas sita erat in valle, quæ est prope Bet-rohob*. Rohob, vel Bet-rohob ad Libani radices erat in tribus Asce hæreditate [2], & prope introitum Hemat, uti ex Numerorum libro 13. 22. innotescit. Vallis Rohob a meridie patebat in boream usque Lais sex circiter, vel quinque leucas per montem Libanum.

℣. 29. QUÆ PRIUS LAIS DICEBATUR.] Hebraice [3]: *Et Ulam Lais primum erat nomen civitatis*. Vox hæc *Ulam* porticum significat, habitaculum, & *Lais* leonem. Septuaginta [4] nomen hoc servarunt in textu, veluti nomen proprium. Interpretes alii [5]: *Et equidem nomen Dan erat Lais*. Civitas Dan celebria est in Scriptura; eaque crebro usurpatur, velut terræ Sanctæ fines oppositus Bersabee: *a Dan usque Bersabee*: Dan vero in boreali plaga sita erat, Bersabee in meridionali.

℣. 30. JONATHAM FILIUM GERSAM FILII MOYSI.] Hebraicus textus, qui hodie extat, pro *filium Moysi*, legit, *filium Manasse*. Supponitur autem, Judæorum culpa vitium in textum obrepsisse una tantum littera addita, ut a Legislatore suo dedecus hoc impietatis nepotis sui prohiberent; non ideo tamen additam litteram ausi sunt in aliarum ordinem collocare, sed super vocem *Moysi* adscripserunt [6]. Qui asserunt historiam hanc post Gedeonis obitum contigisse [7], per filium Gersam, nepotem, vel aliquem e posteris ejusdem intelligunt.

USQUE AD DIEM CAPTIVITATIS SUÆ (℣. 31.) MANSITQUE APUD EOS IDOLUM MICHÆ OMNI TEMPORE, QUO FUIT DOMUS DEI IN SILO.] Posteri Jonatham Sacerdotis munere functi sunt in urbe Dan omni tempore, quo Idolum Michæ illic fuit asservatum. At illud ibi tantum permansit, donec Tabernaculum Dei constitit in Silo; atque ideo filii Jonatham Sacerdotes fuerunt in Dan dumtaxat usque ad tempus illud, quo Arca a Philistiim capta fuit anno postremo Summi Sacerdotis Heli; nam posthac Arca non rediit amplius in Silo. Hoc liquido patet.

Verum difficultas versatur circa Dan captivitatem, quæ hic memoratur, cujus Epocham ignoramus. Plerique Interpretum [8] id explicant de Israelitarum servitute sub Philistiim post prœlium, in quo Arca fœderis capta fuit. Tunc Arca desiit in Silo immorari; & tribus Dan, utpote Philistiim magis proxima, magis oppressa fuit, ac eorum plures in servitutem redacti fuere, quamvis rei hujus Scriptura haud palam meminerit. Sub initium, quo Samuel præfuit, qui successerat Heli in Judicis authoritatem, *Filii Israel abstulerunt Baalim, & Astarot, & servierunt Deo soli*, ut dicitur 1. Reg. 8. 4. Credi potest, tunc quoque Danitas omnem Michæ superstitionem deseruisse, ac dimisisse Levitas e semine Ionatham.

Sed hoc in systemate majores adhuc nanciscimus

A difficultates. Confunduntur enim Danitæ proximi Philisthæis cum illis ex urbe Dan, qui erant ad Libani radices positi, & prope rivum Jordanis. Quod enim illi, qui in veteri sorte tribus Dan morabantur, a Philistiim fuerint oppressi, & eorum quidam in servitutem fuerint abducti, quid inde civium urbis Dan poterat interesse? Philistiim proculdubio eo usque bellum inferentes haud pervaserunt; quo etiam si pervasissent, atque omnes civitatis illius incolas in captivitatem abegissent, possetne proprie loquendo probari, tunc regionis captivitatem contigisse, vel juxta Hebræum [9], *terræ Transmigrationem*? Cum autem Scriptura ait, Samuele imperante, alienos deos ablatos fuisse, potestne inferri cultus etiam particulares, superstitiosos, neque Domino probatos, B qui extra ipsius Tabernaculum fiebant, qualis erat Michæ religio, derelictos fuisse?

Leviter aliquid in textu immutantes [10] vertere possemus: *Sacerdotali munere functi sunt in urbe Dan usque ad tempus Liberationis terræ illius, & donec Arca in Silo permansit*. Quod facile explicari posset de regionis liberatione, cum populi, Samuele in Israel judicium exercente, Philisthinorum jugum excusserunt. Tunc Scriptura inquit 1. Reg. 7. 13. 14. *Humiliati sunt Philistiim, nec apposuerunt ultra, ut venirent in terminos Israel .... Et redditæ sunt urbes, quas tulerant Philistiim ab Israel Israeli*. Tunc quoque Hebræi omnem alienigenarum gentium cultum reliquere, ac sincero corde ad Dominum conversi sunt. Incolæ urbis Dan secuti sunt procul dubio C fratrum suorum exemplum, nam dum Samuel præerat, omnis Israel Domino obtemperabat. Serio animus advertendus est ad duas epochas, quæ hic memorantur, sed simul esse non possunt, videlicet tribuum ab Assyriorum Regibus in servitutem abductarum, & Arcæ a Philistiim captæ; quod ipsum nostram conjecturam confirmat, atque alias explicandi rationes refellit.

Sin autem Hebraico textui adhærere velis, quin aliquid immutetur, hæc illi tribui poterit explicatio, quæ haud spernenda videtur. Ea autem in duorum temporum distinctione consistit, quæ plerumque in hoc loco negligitur; temporis, quo Teraphim in Dan, vel Lais permanserunt, & temporis transmigrationis filiorum Ionatham. Teraphim Michæ fuerunt D in urbe Dan, donec domus Dei in Silo permansit, quod palam vers. 31. memoratur, scilicet ibi fuisse Teraphim usque ad regimen Samuelis, quemadmodum antea dictum est. Secundo, Posteri Jonatham Sacerdotes fuerunt in urbe Dan usque ad regionis transmigrationem; scilicet, postquam Sacerdotes fuerunt Teraphim Michæ usque ad Samuelis regimen, deinde iterum irretiti fuerunt in aureorum vitulorum Sacerdotio, quos in ipsorum civitatibus Jeroboam evexerat, quo in munere versati sunt usque ad tempus Teglatphalassar, vel Salmanassar, qui eos cum aliis finitimis tribubus in servitutem abduxit.

In hac sententia unam tantummodo video difficultatem, scilicet, quod in Scriptura 3. Reg. 12. scriptum est Jeroboam constituisse *Sacerdotes de extremis* E *populi, qui non erant de filiis Levi*, qui aureis vitulis, quos ille construxerat, famularentur. Verum responderi potest, ipsum Sacerdotes constituisse non de tribu Levi, cum id illi commodum non fuit; sed in hoc ministerium adhibuisse viros ex hac tribu, quos in ditione sua invenit, & qui nimium faciles fuerunt, ut se religioso aurei vituli cultu addici paterentur, quemadmodum plane fecerunt posteri Levitæ illius, de quo hic sermo; non secus ac vidimus Micham, qui prius Sacerdotali dignitate fi-

T 3 lium

---

1 ויהיא בעמק אשר בבית רחוב. 2 Josue 19. 28. 3 ואולם ליש שם העיר לראשנה.
4 Οὐλαμ Λαΐς, Edit. Reg. & Codex Alex. καὶ ἦν Λαῒς ὄνομα τῇ πόλει τὸ πρότερον. Vide Grot. hic & nos ad Genes. 28. 19. 5 Jonat. Pagn. Montan. &c. 6 מנשה. 7 Grot. hic. 8 Munst. Vatab. Grot. Est. Serar. Cornel. Jun. Pisc. alii passim. 9 עד יום גלות הארץ ἕως τῆς ἡμέρας τῆς μετοικεσίας τῆς γῆς. 10 Legendo *Geulat harez* גאלת הארץ pro *Gelot harez* גלות הארץ.

lium suum decorarát ; at mox Levitam conduxit, A gravibus etiam sub conditionibus, simul ac illum invenit. Ezechiel 44. 10. 11. palam satis ostendit plures Sacerdotes e semine Aaron cultui, ac servitio vituli aurei se se tradidisse. Juxta hanc hypothesim asserere cogimur, librum hunc fuisse compositum, vel saltem verba quædam inserta fuisse post decem tribuum captivitatem. At has additiones veluti Inconveniens aliquod minime censeo esse ducendas. Vidimus enim in Moysis ejusdem libris loca quædam, quæ diu post Moysem inserta fuisse melioris notæ Interpretes crediderunt.

CAPUT XIX.

Cum Levites uxorem suam de Bethlehem reduceret, in Gabaa divertitur. Gabaonitæ cum vellent injuria hunc Levitam lacessere, libidinem suam in illius conjugem explent, quæ ad domus januam occubuit. Levita domum suam reversus in duodecim partes uxoris corpore dissecto, singulas singulis tribubus Israel partes dimittit.

1. FUit quidam vir Levites habitans in latere montis Ephraim, qui accepit uxorem de
Bethlehem Juda: 2 Quæ reliquit eum, & reversa est in domum patris sui in
Bethlehem, mansitque apud eum quatuor mensibus. 3 Secutusque est eam vir
suus, volens reconciliari ei, atque blandiri, & secum reducere, habens in comitatu puerum,
& duos asinos, quæ suscepit eum, & introduxit in domum patris sui. Quod cum
audisset socer ejus, eumque vidisset, occurrit ei lætus, 4 Et amplexatus est hominem,
Mansitque gener in domo soceri tribus diebus comedens cum eo, & bibens familiariter.
5 Die autem quarto de nocte consurgens, proficisci voluit, quem tenuit socer, & ait
ad eum: Gusta prius pauxillum panis, & conforta stomachum, & sic proficisceris. 6
Sederuntque simul, ac comederunt, & biberunt. Dixitque pater puellæ ad generum suum;
Quæso te, ut hodie maneas, pariterque lætemur. 7 At ille consurgens, cœpit
velle proficisci. Et nihilominus obnixe eum socer tenuit, & apud se fecit manere. 8
Mane autem facto, parabat Levites iter. Cui socer rursum: Oro te, inquit, ut paululum
cibi capias, & assumptis viribus, donec increscat dies, postea proficiscaris. Comederunt
ergo simul, 9 Surrexitque adolescens, ut pergeret cum uxore sua, & puero.
Cui rursum locutus est socer: Considera, quod dies ad occasum declivior sit, &
propinquat ad vesperum: mane apud me etiam hodie, & duc lætum diem, & cras proficisceris,
ut vadas in domum tuam. 10 Noluit gener acquiescere sermonibus ejus: sed
statim perrexit, & venit contra Jebus, quæ altero nomine vocatur Jerusalem, ducens
secum duos asinos onustos, & concubinam. 11 Jamque erant juxta Jebus, & dies mutabatur
in noctem, dixitque puer ad dominum suum; Veni, obsecro, declinemus ad
urbem Jebusæorum, & maneamus in ea. 12 Cui respondit dominus: Non ingrediar
oppidum gentis alienæ, quæ non est de filiis Israel, sed transibo usque Gabaa: 13 Et
cum illuc pervenero, manebimus in ea, aut certe in urbe Rama. 14 Transierunt ergo
Jebus, & cœptum carpebant iter, occubuitque eis sol juxta Gabaa, quæ est in tribu Beniamin:
15 Diverteruntque ad eam, ut manerent ibi. Quo cum intrassent, sedebant
in platea civitatis, & nullus eos recipere voluit hospitio. 16 Et ecce, apparuit homo
senex, revertens de agro, & de opere suo vesperi, qui & ipse de monte erat Ephraim,
& peregrinus habitabat in Gabaa: homines autem regionis illius erant filii Jemini. 17
Elevatisque oculis, vidit senex sedentem hominem cum sarcinulis suis in platea civitatis,
& dixit ad eum: Unde venis? & quo vadis? 18 Qui respondit ei: Profecti
sumus de Bethlehem Juda, & pergimus ad locum nostrum, qui est in latere montis Ephraim,
unde ieramus in Bethlehem: & nunc vadimus ad domum Dei, nullusque sub
tectum suum nos vult recipere, 19 Habentes paleas, & fœnum in asinorum pabulum,
& panem, ac vinum in meos, & ancillæ tuæ usus, & pueri, qui mecum est; nulla re
indigemus nisi hospitio. 20 Cui respondit senex: Pax tecum sit, ego præbebo omnia,
quæ necessaria sunt: tantum, quæso, ne in platea maneas. 21 Introduxitque eum
in domum suam, & pabulum asinis præbuit: ac postquam laverunt pedes suos, recepit
eos in convivium. 22 Illis epulantibus, & post laborem itineris, cibo, & potu reficienti-

ficientibus corpora, venerunt viri civitatis illius, filii Belial (id est, absque jugo)
& circumdantes domum senis, fores pulsare cœperunt, clamantes ad dominum domus,
atque dicentes : Educ virum, qui ingressus est domum tuam, ut abutamur eo. 23 E-
gressusque est ad eos senex, & ait : Nolite, fratres, nolite facere malum hoc: quia in-
gressus est homo hospitium meum, & cessate ab hac stultitia : 24 Habeo filiam virgi-
nem, & hic homo habet concubinam, educam eas ad vos, ut humilietis eas, & ve-
stram libidinem compleatis; tantum, obsecro, ne scelus hoc contra naturam operemini
in virum. 25 Nolebant acquiescere sermonibus illius, quod cernens homo eduxit ad
eos concubinam suam, & eis tradidit illudendam : qua cum tota nocte abusi essent, di-
miserunt eam mane. 26 At mulier, recedentibus tenebris, venit ad ostium domus,
ubi manebat dominus suus, & ibi corruit. 27 Mane facto, surrexit homo, & ape-
ruit ostium, ut cœptam expleret viam, & ecce concubina ejus jacebat ante ostium
sparsis in limine manibus. 28 Cui ille, putans eam quiescere, loquebatur : Surge,
& ambulemus. Qua nihil respondente, intelligens, quod erat mortua, tulit eam, &
imposuit asino, reversusque est in domum suam. 29 Quam cum esset ingressus, arri-
puit gladium, & cadaver uxoris cum ossibus suis in duodecim partes, ac frusta conci-
dens, misit in omnes terminos Israel. 30 Quod cum vidissent singuli, conclamabant :
Numquam res talis facta est in Israel, ex eo die, quo ascenderunt patres nostri de
Ægypto, usque in præsens tempus : ferte sententiam, & in commune decernite, quid
facto opus sit.

℣. 1. VIR LEVITES HABITANS IN LATERE MONTIS EPHRAIM.] Nonnulli putant, ipsum plerumque in Silo habitasse, ubi erat Tabernaculum Domini in montibus tribuum Ephraim; & profecto seni illi viro, qui domi suæ ipsum exceperat, inferius paullo ait [1] se ad Domum Dei proficisci. At nonne devotionis ergo illuc pergere poterat? In textu hebraico, caput istud ab illis incipit verbis, quę in Vulgata ad calcem superioris capitis inveniuntur : *In diebus illis non erat Rex in Israel*. Nota hæc ex æquo convenit tum Danitarum historiæ, qui sedem suam in Lais posuere, cum illi, quæ in hoc, atque sequentibus capitibus legitur, nam contigerunt tempore libertatis; & dum in Israel quisque libidine sua regebatur. Sed inutile admodum videtur idem bis in narratione eadem, & in eodem capite animadvertere, quod Vulgata facit, quæ primo, ac postremo capitis 18. versiculo hæc habet; *In diebus illis non erat Rex in Israel*.

Quoad tempus, quo hæc historia contigit, non satis conveniunt Interpretes. Certum quidem est tunc neque Regem, neque Judicem in Israel fuisse; atque omnia agi, transigique in populi conventu multitudinis voce consuevisse. Hebræi tranquillissima cum externis gentibus pace fruebantur, atque inter se perfectissima conjunctione adhærebant, quandoquidem quadringenta hominum millia in Silo, ubi Domini erat Arca, conveniunt. Phinees summus Sacerdos erat, & urbs Jerusalem Jebusæis parebat. Israel Dominum metuebat, atque venerabatur, quamquam morum corruptio in privatis tanta esset, quantam hoc solum Gabaonitarum exemplum satis ostendit. Hæc omnia tempori conveniunt, quod Josue, atque Seniorum mortem est subsecutum [2]. Reor autem, hanc historiam istic positam esse, veluti in loco, qui maxime congruit, habita duplicis historiæ superius enarratæ ratione.

℣. 2. QUÆ RELIQUIT EUM.] Hebraice habetur [3]: *Concubina illius decidit in fornicationem contra illum, atque ab illo secessit*. Chaldaice [4] : *illum contempsit, & secessit ab illo*. Septuaginta [5] : *Ipsa contra illum succensuit*; vel juxta alia exemplaria : *recessit ab illo*,

A Josephus [6] *Ipsa tricata est cum illo*. Patet, Septuaginta, Vulgatam, & Chaldaicam lectionem fortasse in hebraico textu parum aliter, ac nos, legisse; & fatendum quidem est legendi rationem, quam illi sequuntur, aptiorem videri, quam quæ in nostris Bibliis extat. Credibilene est, virum, cujus uxor adulterium admiserit, eamque reliquerit, eam quærere iterum voluisse contra Legum statuta [7], quibus cautum est, ne repudiata conjux repetatur, & contra Judæorum studia, & consuetudinem, non secus ac Ethnicorum, apud quos non solum contemnebantur, verum etiam indecores habebantur, qui uxorem non dimitterent, cujus impuritatem deprehendissent?

Junius, & Tremellius vertunt; *Scortata est cum*
B *eo*; eam primum habuerat concubinam, quin ullo conjugii vinculo cum ipsa conjunctus esset; sed mox cum eam petiturus ad patrem ejusdem accesserit, uxor illi facta fuit per consensum, quem pater illi permisit. Sententia hæc adimere videtur loci hujus difficultates; sed Textus constructio illi haud favet; legendum enim fuisset : *decidit in fornicationem cum illo*; cum legatur; *decidit in fornicationem contra illum*.

Nomen concubinæ in Hebræorum stylo non idem significat, ac apud nos. Namque apud illos uxorem significat, quæ ducta fuerit sine solemnitatibus consuetis, sine syngrapha, ac absque eo quod illi dos traderetur [8]. Ad hanc quoque diem Mahomettani concubinam ab uxore tantum distinguunt ex dote,
C quæ matronis assignatur; aliis vero non item : ceterum usquequaque similes sunt. *Uxor justa a concubina sola dote dignoscitur; servarum nulla dos est*, inquit Busbechius ep. 2. & 3. Utraque enim pariter uxores patrisfamilias dicuntur. Ita apud Hebræos uxorum, & concubinarum nomen sæpius confunditur.

MANSIT APUD EUM QUATUOR MENSIBUS.] Illa quatuor mensibus in paterna domo permansit, antequam vir illius ad eam requirendam accederet. Josephus Antiqu. l. 5. c. 2. credidit, quatuor his mensibus illam cum viro suo fuisse commoratam. Hebraicus

1 ℣. 18. Vide Munst. Vatab. Drul. Cornel. 2 Ita Joseph. Lyran. Tost. Geneb. Hebr. in Seder. Olam, Serar. qu. 6. 3 ותזנה עליו פלגשו. 4 ובסרת עלוהי לזינתיה.
5 ὠργίσθη αὐτῷ, ἐπορεύθη παρ' αὐτοῦ. 6 Ἀπεστράφη αὐτόν [illegible].
7 Deuter. 24. 2. 3. 4. Vide & Hierem. 3. 1. & Prov. 18. 22.
8 Vide Selden. l. 5. c. 7. de jure Nat. & Gent. & Grot. hic.

cus textus ad litteram [1] : *Fuit ibi diebus quatuor mensium* ; quatuor mensibus completis, vel tempore quatuor mensium.

℣. 3. VOLENS RECONCILIARI EI, ATQUE BLANDIRI, ET SECUM REDUCERE.] In Hebraico textu verba ea *volens reconciliari* non adsunt, verum ex decursu facile possunt intelligi : habetur autem ad litteram [2] : venit ut loqueretur ei ad cor, atque ut eam secum reduceret. Vidimus jam in Genesi [3] ; quod *loqui ad cor* significat consolari.

℣. 4. COMEDENS CUM EO, ET BIBENS FAMILIARITER.] Hebraicus textus hæc habet : biberunt, comederunt, & noctem ibi transegerunt.

℣. 8. ET ASSUMPTIS VIRIBUS, DONEC INCRESCAT DIES, POSTEA PROFICISCARIS.] Hebraicus textus simpliciter habet [4] : *atque illi distulerunt usque dum dies fuit inclinata* [5]. Vel : *detinuit illum usque dum declinaret dies*. Septuaginta [6] : *Accinge te expectans, donec inclinet dies*. Hortatur eum, ut expectet, donec Sol defervescat, ut commodius sub vesperam iter ingrederetur.

℣. 9. CONSIDERA, QUOD DIES AD OCCASUM PROCLIVIOR SIT, ET PROPINQUAT AD VESPERUM.] Hebraicus textus impeditior est [7] : *Nunc dies inclinatur in vesperam, mane hic quæso, en castra diei*. Vel, ecce finem diei, tempus, quo est quiescendum, quo milites, ac viatores explicant tabernacula ; vel tempus, quo Sol in suum cubile recedit. Septuaginta [8] : *en dies inclinatur in vesperam, hac quoque* [?] *mane nobiscum*.

℣. 10. VENIT CONTRA IEBUS.] *Jebus* olim nomen erat urbis Ierusalem. Post mortem Iosue viri e tribu Iuda hac urbe [9], vel parte saltem Iebusæis adempta, potiti sunt. Hi vero quamprimum eam recepere, ibique usque ad David tempora dominati sunt. Tempore eo, de quo loquimur, videntur etiam toti urbi imperitasse, seu quod viri Iuda nondum eam cepissent, seu quod a Iebusæis jam fuerant expulsi. De Bethlehem ad Iebus duæ circiter intererant leucæ, atque a Iebus ad Gabaa, quo Levites contendebat, fere tantumdem.

℣. 15. NULLUS EOS RECIPERE VOLUIT HOSPITIO.] Nullum plane aderat diversorium in Gabaa ; diversoria tunc temporis raro inveniebantur ; sed tamen nonnulla inveniebantur, in cujus rei argumentum illud afferri potest, quod legitur de fratribus Iosephi, qui de Ægypto redeuntes diversorium ingressi ibi invenerunt in ore saccorum suorum pecuniam, Genes. 42. 27. Domus Rahab Iosue 2. 1. & mulieris illius in urbe Gaza Iudic. 16. 1. quo Samson se receperat, publicæ erant cauponæ.

℣. 16. PEREGRINUS HABITABAT IN GABAA.] Erat e tribu Ephraim, & ideo peregrinus in Gabaa, quæ erat tribus Beniamin.

FILII IEMINI.] Filii Beniamin. *Jemini* significat dexteram, *Beniamin* vero filium dexteræ. Vide supra Iudic. 3. 15.

℣. 17 VIDIT SENEX SEDENTEM HOMINEM.] Hebræus [10] ; *Vidit hominem viatorem*, vel potius *vidit viatorem, qui erat in platea*.

℣. 18. VADIMUS AD DOMUM DEI.] In Silo, ubi E est Tabernaculum.

℣. 19. HABENTES PALEAS, ET FOENUM IN ASINORUM PABULUM.] Hebraica vox [11], quæ hic *fœnum* est reddita, significat potius commixtionem salis cujusdam cum frugibus, quæ plane in Isaia *mignis* appellatur [12], & *farrago* apud Latinos Authores [13]. Hinc vetus mos deferendi secum per iter escas sibi, ac jumentis innotescit. In Oriente fœnum rarum admodo est, & jumenta paleis tantummodo plerumque vescuntur ; quod cum ex veteribus [14], cum ex recentioribus comperitur.

℣. 20. EGO PRÆBEBO OMNIA, QUÆ NECESSARIA SUNT.] Hebræus [15] ; *Ego subibo omnibus, quæ vobis deerunt* ; supplebo omnibus, quæ vobis deesse poterunt ; vel vobis suppeditabo omnia, quorum poterit vobis opus esse.

℣. 22. FILII BELIAL, IDEST ABSQUE JUGO.] Latinus Interpres addidit, *idest absque jugo*, videlicet, qui nemini obtemperabant, qui Iudicibus non suberant, qui Dei judicia non reverebantur, effrænati. Alii nomen *Belial* vertunt, ignavos homines, desides, e quibus nihil liceat sperare. Hebræus [16] ; *Homines illius civitatis erant homines filii Belial*. Septuaginta [17] ; *improborum filii* ; Symmachus, *effrænati*, vel sine ulla institutione ; Aquila, *filii defectionis*, inobedientium.

℣. 24. EDUCAM EAS AD VOS.] Similem intuiti sumus propositionem in historia Loth Gen. 19. 8. Nosne horrescis patrem intuitus, qui pollicetur filiæ suæ pudorem exponere, & virum, qui non refugit uxorem suam effrænatæ populi hujus libidini tradere ? eos tamen excusare [18] Interpretum plerique adnituntur. Primo, quia fas est, suadere minus malum illi, qui majus patrare decrevit, atque minus crimen tolerari posse, ut caveas, ne majus admittatur. Secundo, quia cum hospes, & vir plane ignorarent, quid factu sibi opus esset, illorum ignorantia, fides recta, ac rectitudo intentionis satis erant, ut illos culpa vacuos servarent.

Sed facillimum est has rationes subvertere, ac ostendere, patris propositionem, ac Levitæ actionem nequaquam posse defendi [19]. Fatemur quidem haud inviti, fas esse, suadere homini, qui e duobus malis, alterutrum decrevit admittere, ut minus malum patret : sed non licet suadere minus malum, ut alicui adimatur libido majus malum patrandi. Hoc enim directe adversatur sententiæ Apostoli, qui ait [20] : *Non faciamus mala, ut veniant bona, quorum damnatio justa* &c. Sed in eo casu, qui præ manibus est, viri Gabaa neque ad senis illius filiam, neque ad Levitæ uxorem adverterant animum ; non igitur licebat illis id scelus proponere, ut eos absterrerent ab alio, quod in Levitam erant patraturi. Ignorantia, bona fides, intentionis rectitudo valent ad summum, criminis magnitudinem imminuere ; nam ut actio bona sit, non requiritur solum rectitudo intentionis, verum etiam actionis conformitas cum regulis Iustitiæ æternæ, ac Legibus Dei ; alioquin illorum ignorantia cum hac in re invincibilis nequeat haberi, neque eos potest tueri. Illorum neuter ignorare poterat, quod filiam, vel uxorem alienæ libidini offerre summum erat nefas, atque se neutiquam dominos esse hoc pacto prostituendi pudicitiam, & corpora mulierum, quæ ipsis subditæ erant.

Illud autem magis validum pro sene afferri potest, scili-

---

1 ויהי שם ימים ארבעה חדשים. 2 לדבר על לבה להשיבה.
3 Genes. 34. 3. Hieron. in Isai. 40, *Qui mœrenti loquitur, & blandiens consolator est, ad cor loqui dicitur.*
4 ויתמהמהו עד נטות היום. 5 Ita Munst. Pag. Vat. Jun. 6 *70.* ἐνισχύσθητι ἕως κλίνῃ ἡ ἡμέρα.
7 הנה נא רפות היום לערב לינו נא הנה חנות היום.
8 ἰδοὺ δὲ κέκλικεν ἡ ἡμέρα εἰς ἑσπέραν καταλύσατε δὲ ὧδε ἔτι σήμερον.
9 Judic. 1. 6. 7. 21. 10 וירא את האיש הארח ברחוב העיר. *70.* εἶδεν τὸν ἄνθρωπον ὁδοιπόρον &c.
11 גם תבן גם מספוא. 12 Isai. 30. 24. Vide pariter Genes. 24. 25. 13 Varro l. 1. c. 23. de Re R. Plin. l. 18. c. 16. 14 Hieron. in Isai. c. 5. 25. *Moab conteretur ; solet plaustro palea conteri. Hoc juxta ritum loquitur Palæstinæ, & multarum orientis provinciarum, quæ ob pratorum & fœni penuriam, paleas præparant usui animantium.* 15 כל מחסורך עלי τὸ ὑστέρημά σου ἐπ' ἐμέ.
16 אנשי בני בליעל. 17 ἄνδρες υἱοὶ παρανόμων. Sym. ἀπαίδευτοι. Aqu. ἀποστασίας, Rebelles.
18 Cajet. Menoch. Serar. Cornel. alii. 19 Vide Tost. Est. Bonfr. Petr. Martyr.
20 Rom. 3. 8. & Gregor. M. *Minus peccatum committere, ut majus evitetur, est a scelere victimas offerre Deo.*

scilicet, quod timor, ec tumultus, in quo versabatur, propter Gebaonitarum nequitiam, illi spiritus præsentiam ademerit, quæ requirebatur, ut quædicebat, perpenderet; & quod crediderit ille, nefarios illos homines nequaquam assensuros foisse oblationi, quæ ipsis fiebat, sed inde fuisse futurum, ut qoæ ipsorum esset nequitia, cum horrore intelligerent. Verum id ne satis est, ut illorum alteruter queat excusari? & Levite præcipue; quem non puduit, conjugem suam libidinosis viris objicere; nam senex non videtur illud in filia sua fuisse exsecutus. Nullum periculum, nullum edest temporale supplicium, quod e justitie nos possit evertere, atque cogere, ut vel leve peccatum edmittes. Si senex ille vir ex parte Levitæ verebatur scelus, inanis timor erat. Si Levita post ennatus omnes, atque obsistendi vim in- B vitus nefariæ Gabaonitarom libidini succubuisset, non inde ulla turpitudinis note enimæ illius fuisset inusta; demum nonne debuerat potius uterque vitam suam in discrimen adducere, quam assentiri, ut uxoris, & filiæ pudor effrænatæ aviditati illorum objiceretur. Sin eutem pœnam, vel dedecos Levita quærebat effugere; setisne valide bæc erat ratio, ut injustitiam, & scelus patraret, ac alterius bonum perderet, ut suum tueretur? Senex debebatne filiæ minus, quam hospiti? Levitæne jus erat uxorem suam in improbum scelus impellendi, ot e se illud everteret? Textus palam ait [1] ipsum erripuisse invitem, ac vim fecisse, ut eam traderet Gebaunitis. Iosephus hanc fucevit historiam dicens, Gebaonites captos forma uxoris Levitæ, eam petiisse, Levitamque edegisse, ut eam ipsis traderet, eum Scriptura palam asserat, ipsos Levitem sibi tradi efflagitasse.

℣. 25. QUA CUM TOTA NOCTE ABUSI ESSENT.] Interpretes volunt hebreicam vocem [2] detestabile scelus innuere, & contra naturem.

℣. 26. ET IBI CORRUIT.] Paullo post vel dolore [l], vel ob verecundiæ jecturem mœrore occubuit, eum vim non haberet ed ostinm pulsendum, ut sibi eperirent.

℣. 29. IN DUODECIM PARTES CONCIDENS.] Corpus in duodecim partes secuit, & singules singulis tribubus misit. Nonnulli putent ipsum partem non misisse ed tribum Beniamin, eo quod in una e eivitatibus tribus illius scelus patratum fuerat; sed partem duplicem tribui Manasse traditam, qood in duas partes tribus hæc esset divisa, quæ seorsim morebantur, altera quidem cis Iordanem, trans vero altere. Sed cur non in Beniemin etiem debebat mittere, ut Beniamitæ Gabaonitarum facinus persequerentur, cojus dedecus in tribum universam cedebat? Anarchia, in qoa vivebent Israelitæ sine Rege, & sine judice, Levitæ huic permittebet hanc, inauditem edeo, inire viam, ut reliquas tribus ad infendæ contumeliæ, atque sceleris atrocissimi ultionem allicerer.

℣. 30. FERTE SENTENTIAM.] Hæc dicebentur in conciliis cujuscumque civitatis. Fatentur omnes opus fuisse, ut convenirent in Silo hec de re deliberaturi.

1 ויחק איש בפלגשו ויצא אליהם החוצה. 70. ἐπελάβετο ὁ ἀνὴρ τῆς παλλακῆς.
2 ויתעללו בה ἐνέπαιξαν αὐτῇ. l Herodot. l. 3. c. 33. Καὶ γυναῖκας τινὰς ... ὑπὸ ... Θεῖσαν, & Philæter. in venatrice, apud Athenæum l. 13. c. 6. ... Grot.: hic. Stupratarum ed mortem usque, exempla etiam in Moscovitarum, & Turcarum historiis legimus.

CAPUT XX.

Concilium undecim Tribuum, in quo bellum adversus Beniamin decernitur. Initio Beniamin prospero marte pugnat: Sed postremo delentur omnes, sexcentis tantummodo exceptis, qui in desertum confugerunt.

1. EGressi itaque sunt omnes filii Israel, & pariter congregati, quasi vir unus, de
Dan usque Bersabee, & terra Galaad, ad Dominum in Masphа: 2 Omnesque
anguli populorum, & cunctæ tribus Israel in ecclesiam populi Dei convenerunt,
quadringenta millia peditum pugnatorum. 3 (Nec latuit filios Benjamin, quod ascen-
dissent filii Israel in Maspha.) Interrogatusque Levita, maritus mulieris interfectæ, quo-
modo tantum scelus perpetratum esset, 4 Respondit: Veni in Gabaa Benjamin cum u-
xore mea, illucque diverti: 5 Et ecce homines civitatis illius circumdederunt nocte do-
mum, in qua manebam, volentes me occidere, & uxorem meam incredibili furore libi-
dinis vexantes, denique mortua est. 6 Quam arreptam, in frusta concidi, misique par-
tes in omnes terminos possessionis vestræ: quia numquam tantum nefas, & tam grande
piaculum factum est in Israel. 7 Adestis omnes filii Israel, decernite, quid facere de-
beatis. 8 Stansque omnis populus, quasi unius hominis sermone respondit: Non rece-
demus in tabernacula nostra, nec suam quispiam intrabit domum: 9 Sed hoc contra
Gabaa in commune faciamus. 10 Decem viri eligantur e centum ex omnibus tribubus
Israel, & centum de mille, & mille de decem millibus, ut comportent exercituiciba-
ria, & possimus pugnare contra Gabaa Benjamin, & reddere ei pro scelere, quod me-
retur. 11 Conveniteque universus Israel ad civitatem, quasi homo unus, eadem men-
te, unoque consilio. 12 Et miserunt nuntios ad omnem tribum Benjamin, qui dice-
rent: Cur tantum nefas in vobis repertum est? 13 Tradite homines de Gabaa, qui hoc

flagi-

flagitium perpetrarunt, ut moriantur, & auferatur malum de Israel. Qui noluerunt fra-
trum suorum filiorum Israel audire mandatum: 14 Sed ex cunctis urbibus, quæ sortis
suæ erant, convenerunt in Gabaa, ut illis ferrent auxilium, & contra universum popu-
lum Israel dimicarent. 15 Inventique sunt viginti quinque millia de Benjamin educen-
tium gladium, præter habitatores Gabaa, 16 Qui septingenti erant viri fortissimi, ita
sinistra ut dextera præliantes: & sic fundis lapides ad certum jacientes, ut capillum quo-
que possent percutere, & nequaquam in alteram partem ictus lapidis deferretur. 17
Virorum quoque Israel, absque filiis Benjamin, inventa sunt quadringenta millia educen-
tium gladios, & paratorum ad pugnam, 18 Qui surgentes venerunt in domum Dei,
hoc est, in Silo: consulueruntque Deum, atque dixerunt: Quis erit in exercitu nostro
princeps certaminis contra filios Benjamin? Quibus respondit Dominus: Juda sit dux ve-
ster. 19 Statimque filii Israel surgentes mane, castrametati sunt juxta Gabaa: 20 Et
inde procedentes ad pugnam contra Benjamin, urbem oppugnare cœperunt. 21 Egres-
sique filii Benjamin de Gabaa, occiderunt de filiis Israel die illo viginti duo millia viro-
rum. 22 Rursum filii Israel, & fortitudine, & numero confidentes, in eodem loco,
in quo prius certaverant, aciem direxerunt. 23 Ita tamen, ut prius ascenderent, &
flerent coram Domino usque ad noctem: consulerentque eum, & dicerent: Debeo ultra
procedere ad dimicandum contra filios Benjamin fratres meos, an non? Quibus Ille res-
pondit; Ascendite ad eos, & inite certamen. 24 Cumque filii Israel altera die contra
filios Benjamin ad prælium processissent, 25 Eruperunt filii Benjamin de portis Gabaa:
& occurrentes eis, tanta in illos cæde bacchati sunt, ut decem, & octo millia virorum
educentium gladium prosternerent. 26 Quamobrem omnes filii Israel venerunt in do-
mum Dei, & sedentes flebant coram Domino: jejunaveruntque die illo usque ad vespe-
ram, & obtulerunt ei holocausta, atque pacificas victimas, 27 Et super statu suo in-
terrogaverunt. Eo tempore ibi erat arca fœderis Dei, 28 Et Phinees filius Eleazari fi-
lii Aaron præpositus domus. Consuluerunt igitur Dominum, atque dixerunt: Exire ul-
tra debemus ad pugnam contra filios Benjamin fratres nostros, an quiescere? Quibus ait
Dominus: Ascendite, cras enim tradam eos in manus vestras. 29 Posueruntque filii
Israel insidias per circuitum urbis Gabaa: 30 Et tertia vice, sicut semel, & bis, con-
tra Benjamin exercitum produxerunt. 31 Sed & filii Benjamin audacter eruperunt de
civitate, & fugientes adversarios longius persecuti sunt, ita ut vulnerarent ex eis sicut
primo die, & secundo, & cæderent per duas semitas vertentes terga, quarum una fere-
batur in Bethel, & altera in Gabaa, atque prosternerent triginta circiter viros: 32
Putaverunt enim solito eos more cedere. Qui fugam arte simulantes, inierunt consilium,
ut abstraherent eos de civitate, & quasi fugientes ad supradictas semitas perducerent.
33 Omnes itaque filii Israel surgentes de sedibus suis, tetenderunt aciem in loco, qui
vocatur Baalthamar. Insidiæ quoque, quæ circa urbem erant, paulatim se aperire cœ-
perunt. 34 Et ab Occidentali urbis parte procedere. Sed & alia decem millia virorum
de universo Israel, habitatores urbis ad certamina provocabant. Ingravatumque est bel-
lum contra filios Benjamin: & non intellexerunt, quod ex omni parte illis instaret inte-
ritus. 35 Percussitque eos Dominus in conspectu filiorum Israel: & interfecerunt ex
eis in illo die viginti quinque millia, & centum viros, omnes bellatores, & educentes
gladium. 36 Filii autem Benjamin, cum se inferiores esse vidissent, cœperunt fugere.
Quod cernentes filii Israel, dederunt eis ad fugiendum locum, ut ad præparatas insidias
devenirent, quas juxta urbem posuerant. 37 Qui cum repente de latibulis surrexissent,
& Benjamin terga cædentibus daret, ingressi sunt civitatem, & percusserunt eam in ore
gladii. 38 Signum autem dederant filii Israel his, quos in insidiis collocaverant, ut
postquam urbem cepissent, ignem accenderent: ut ascendente in altum fumo, captam
urbem demonstrarent. 39 Quod cum cernerent filii Israel in ipso certamine positi (pu-
taverunt enim filii Benjamin eos fugere, & instantius persequebantur, cæsis de exercitu
eorum triginta viris) 40 Et viderent quasi columnam fumi de civitate conscendere:
Benjamin quoque aspiciens retro, cum captam cerneret civitatem, & flammas in subli-
me ferri: 41 Qui prius simulaverant fugam, versa facie fortius resistebant: Quod cum
vidissent filii Benjamin, in fugam versi sunt, 42 Et ad viam deserti ire cœperunt, il-
luc quoque eos adversariis persequentibus: sed & hi qui urbem succenderant, occur-
rerunt eis. 43 Atque ita factum est, ut ex utraque parte ab hostibus cæderentur,

nec erat

nec erat ulla requies morientium: Ceciderunt, atque prostrati sunt ad Orientalem pla-
gam urbis Gabaa. 44 Fuerunt autem, qui in eodem loco interfecti sunt, decem, &
octo millia virorum, omnes robustissimi pugnatores. 45 Quod cum vidissent, qui re-
manserant de Benjamin, fugerunt in solitudinem: & pergebant ad petram, cujus voca-
bulum est Remmon. In illa quoque fuga palantes, & in diversa tendentes, occiderunt
quinque millia virorum. Et cum ultra tenderent, persecuti sunt eos, & interfecerunt
etiam alia duo millia. 46 Et sic factum est, ut omnes, qui ceciderant de Benjamin
in diversis locis, essent viginti quinque millia pugnatores ad bella promptissimi. 47
Remanserunt itaque de omni numero Benjamin, qui evadere, & fugere in solitudinem
potuerunt, sexcenti viri: sederuntque in petra Remmon mensibus quatuor. 48 Re-
gressi autem filii Israel, omnes reliquias civitatis, a viris usque ad jumenta, gladio
percusserunt, cunctasque urbes, & viculos Benjamin vorax flamma consumpsit.

℣. 1. **D**E DAN USQUE BERSABEE.] Ab una A regionis extremitate ad aliam. Dan borealis extremitas est, Bersabee vero meridionalis terræ Chanaan. Locutio hæc passim in subsequentibus libris occurrit; & hæc adagii quædam species fuit apud Hebræos, postquam Danitæ urbe Lais potiti sunt, ac illi tribus suæ nomen Dan imposuere.

IN MASPHA.] Civitas hæc sita erat in finibus tribus Iuda, & Beniamin [1]: unde fit, ut in Scriptura modo uni, modo harum tribuum alteri deferatur. Populus Israel istic sæpe congregatus est [2], & in libro Macchabæorum primo cap. 3. 46. legimus, hunc locum fuisse orationis. Creditur quoque ibi altare adfuisse, quod confirmari potest ex eo, quod istic dicitur, populus illuc simul convenisse *ad Domi-* B *num*, hoc est ad Dominum consulendum. Nonnulli [3] asseruerunt *Maspha* in hoc loco altitudinem significare, ac pro Silo usurpari. Alii crediderunt designari urbem Maspha in regione Galaad ultra Iordanem. Verum nihil nos cogit, ut a priori explicatione dimoveamur.

℣. 2. OMNES ANGULI POPULORUM.] Hoc est, principes, seu capita populorum; illi qui erant veluti lapides angulares, quibus totum nationis ædificium incumbebat. Hoc in eodem sensu ait Sophonias [4]: *delevi nationes, & omnes anguli illarum dissipati sunt*. Intelligi quoque potest de populo universo ex omnibus regionis angulis in unum coacto. Exempli gratia in libro primo Regum 14. 38. *Applicate huc universos angulos populi; & scitote, & videte, per quem* C *acciderit peccatum hoc hodie*; videlicet populus cunctus a primo ad ultimum huc accedat. In Isaia 19. 13. *Stulti facti sunt omnes Principes Taneos, emarcuerunt principes Mempheos, deceperunt Ægyptum angulum populorum ejus*; scilicet, omnes terras, omnes regiones usque ad angulum extremum. Septuaginta in hoc sensu intellexerunt [5]: *Omnis regio populi*. Syriaca versio, & Arabica: *Familiæ totius populi*, vel omnium tribuum.

℣. 5. VOLENTES ME OCCIDERE.] Mihi mortem intentabant, ni illis adhærere vellem, quæ exigebant a me. Me volebant adigere, ut facinus perpetrarem, a quo vitæ meæ periculo me proripuissem; vel opprobrium mihi inferre volebant, quod majorem acerbitatem mihi intulisset, quam vitæ ipsius jactura. D

℣. 6. TANTUM NEFAS, ET TAM GRANDE PIACULUM.] Hebraicus textus ita verti potest [6]: *patraverunt scelus, & stultitiam*; vel crimen, impietatem, turpe facinus,

A ℣. 9. HOC CONTRA GABAA IN COMMUNE FACIAMUS.] Hebraicus textus hæc habet [7]: *Hoc faciemus contra Gabaa, contra illam per sortem*. Septuaginta [8]: *Hoc faciemus contra Gabaa, ibimus contra illam per sortem*. Quoniam verbum in Textu supplendum est, ita verti posset; *Hoc faciemus propter Gabaa*; procedamus *contra illam per sortem*, (10) *& eligamus decem viros e centum &c. ut comportent exercitui cibaria*.

℣. 11. QUASI HOMO UNUS.] Vulgata in explicationis formam addidit, *eadem mente, unoque consilio*.

℣. 12. MISERUNT NUNTIOS AD OMNEM TRIBUM BENIAMIN.] Secundum jus gentium, ac regulas justitiæ, quæ jubent, repeti primum damni illati ra-
B tionem, ac satisfactionem, antequam aliquid hostile fiat, & ultio inferatur. Ita vidimus supra Philisthiim a Iudæis petentes, ut sibi dederetur Samson, tamquam author malorum, de quibus conquerebantur [9]. Immo hoc prius agendum fuisse Israelitis videtur, antequam alia quælibet inirent consilia, quæ in superioribus versiculis intuemur. At dici potest, eo pacto capta fuisse consilia, ut illis nequaquam esset utendum, nisi cum tota tribus Gabaonitarum facinus tueri vellet. Hebraicus loci hujus textus habet [10]: *Miserunt nuntios ad omnes tribus Beniamin*. At nomen tribus pro familiis est accipiendum. Tribus Beniamin in decem, vel duodecim majores familias erat divisa. Vide, quæ diximus in Genes. 46. 21. & Numer. 26. 38. & Kimchi apud Drusium hic.

C ℣. 15. VIGINTI QUINQUE MILLIA.] Septuaginta Romanæ editionis legunt viginti tria millia, & Hebraicus textus viginti sex. Sed Vulgatæ numerus conformis est Septuaginta editionis Basileensis, & Complutensis, aliisque editionibus, textui Iosephi; & adamussim congruit cum numero illorum, qui occubuerunt, in hujus capitis decursu relato. Beniamitæ omnes simul Gabaonitis etiam recensitis, vigintiquinque mille erant, & septingenti, ex quibus vigintiquinque mille, & centum interierunt [11]: sexcenti servati sunt; idcirco exercitus constare poterat solum ex vigintiquinque millibus, & septingentis. Qui textus Hebraici veritatem tueri cupiunt, illumque cum ℣. 35. conciliare, dicere coguntur, mille Beniamitas cecidisse in primis duobus prœliis, e quibus victores de
D aliis Israelitis rediere [12].

℣. 16. ITA SINISTRA, UT DEXTRA PRÆLIANTES.] Hebraicus textus [13] a plerisque Interpretum vertitur pro *scævis*, qui dextera uti non possunt; sed Iudic. 3. 15. ostendimus de hominibus *ambidextris* esse intelligen-

1 Josue 15. 38. & 18. 26. 2 1. Reg. 7. 10. & Jerem. 11. 41. 3 Mas. ad Josue 18.
4 פנות כל העם. 5 τὸ κλίμα παντὸς τοῦ λαοῦ.
6 עשו זמה ונבלה. 70. ἐποίησαν ἀφροσύνην ἐν Ἰσραὴλ. Rom. Codex, ζέμα, καὶ ἀπόπτωμα. Servarunt primam vocem Hebraicam זמה. 7 ועתה זה הדבר אשר נעשה לגבעה עליה בגורל.
8 . . . ἀναβησόμεθα ἐπ' αὐτὴν ἐν κλήρῳ. 9 Judic. 15. 9. 10. 11. 10 בכל שבטי בנימין
11 ℣. 35. *Interfecerunt ex eis in illo die viginti quinque millia & centum viros.*
12 Drus. Munst. Grot. 13 אטר יד ימינו

telligendum. Vulgata, ac Septuaginta crediderunt septingentos hos ambidextros viros omnes in Gabaa fuisse; sed hebraica lectio videtur innuere, eos ex omni populo, ac exercitu Beniamin delectos fuisse.

ET SIC FUNDIS LAPIDES AD CERTUM JACIENTES, UT CAPILLUM QUOQUE POSSENT PERCUTERE.] Hæc locutio hyperbolica videri posset, nisi apud Historicos fide dignissimos narrationes ferme similes inveniremus, cum omnem certitudinem habentes, quæ in historicis factis est requirenda. Philostratus in vita Apollonii l. 2. c. 12. asserit Indos arcu ita præstare, ut quandoque bene poti exercitii gratia in caput filiorum suorum jaculentur, quin aliquid præter capillorum extremitatem attingant. Veteres non pauci Scriptores [1] summa cum laude loquuntur de excellentia illorum, qui *Baleares* insulas incolebant, quas hodie Majoricam, & Minoricam vulgato nomine nuncupamus, in fundæ jactu; adeo enim eorum ictus erant certi, ut numquam a scopo, quem sibi proposuerant, aberrarent. Res incredibilis de funditorum plumbo perhibetur, scilicet in aere quandoque propter nimium motus impetum liquefactum fuisse. Ovidius,

Non secus arsit, quam cum Balearica plumbum
Funda jacit. Volat illud, & incalescit eundo,
Et quos non habuit, sub nubibus invenit ignes.

Non poetæ solum, sed Philosophi, ac Historici hoc ipsum confirmant: *Liquescit excussa glans funda*, inquit Seneca Philosophus Natural. qu. 2. c. 56. *& attritu aeris, velut igne distillat*. Verum e Scriptura non liquet, plumbo, sed lapidibus tantum usos fuisse funditores, quod minimum obfuit, ne mirabiles conspicerentur effectus. Baleares [2] ea vi lapides jaciebant, ac si instrumentis emissi fuissent, quæ balistæ vocantur; infringebant enim clypeos, & cassides, nec ullum armorum genus illorum vi poterant obsistere. Vegetius lib. 2. c. 23. narrat, funditores plerumque ad sexcentos passus lapides jaculari consuevisse, ac perquam raro aberrasse. Xenophon Anabas. l. 5. Strabo l. 8. & Dion l. 49. asserunt fundam sæpe longius ictum emisisse, quam arcum, & sagittas; at lapides, quibus utebantur, non exiguæ adeo magnitudinis esse debebant, ut effectus hos parerent; illi, quibus Romani milites utebantur, unius libræ pondere præstabant. Ex Scriptura novimus eventum prœlii David adversus Goliath.

Historia plura nobis reliquit exempla peritiæ Sagittariorum, illis minimum, quæ de funditoribus summas intuiti, decedentia. *Susanus* quidam postquam in aerem sagittam emiserat, aliam contra primam jaculabatur, quæ priorem decidentem configebat. De eo sic Imper. Hadrianus:

Emissumque arcu dum pendet in aere telum,
Ac redit, ex alto fixi fregique sagitta.

Ilerdes, de quo Silius Italicus loquitur, aves volantes, & pernicissima quælibet agri animantia arundine certo ictu occidebat.

Volucresque vagas deprehendere nube
Assuetus jaculis.

Domitianus Imperator, authore Suetonio in Domitiano, gaudebat aliquando in caput unius feræ binas sagittas immittere; ita ut sagittæ duorum cornuum e fronte existentium speciem referrent; aliquando vero per disjunctos pueri digitos manum elatam tenentis, jacula trajiciebat, quæ ex satis longo intervallo jaculabatur. Narratur, *Teucer* quidam unum post alium sagittarum ictu corripuisse omnes crines, qui erant in cassidis crista, quam sibi scopum non sine pignore posito proposuerat. At inter ea, quæ de Gabaonitis narrat Scriptura, illud maxime excellit, quod omnes hujus civitatis incolæ dextera æque pollerent ac læva, omnesque pariter funda lapides jacere callerent. Veteres Palæstinæ populi hac in arte maximopere exercebantur, & Plinius l. 7. c. 56. ait, inde fundæ usum effluxisse, ejusque adhibendi peritiam; & Strabo l. 3. refert, Insularum Balearium incolas tunc demum celebres funditores evasisse, cum jam eorum insulis Phœnices potiti fuerint.

℣. 18. VENERUNT IN DOMUM DEI.] Hoc est, in Silo, quemadmodum apposuit Sanctus Hieronymus, quamvis in textu non adsit, qui simpliciter legit *in Bethel*. Septuaginta, Josephus, Syriaca versio, & Arabica, aliique nonnulli crediderunt, populum revera in civitatem Bethel perrexisse; verum Interpretum plerique contendunt in Silo fuisse profectum, ubi erat Arca, & Tabernaculum Domini, & ubi Summus Sacerdos Phinees immorabatur, quem debebant consulere de iis, quæ erant peracturi. Capite sequenti [1] *Bethel*, domus Dei, ponitur veluti æquivalens Silo.

QUIS ERIT . . . . PRINCEPS CERTAMINIS.] Hebraice [4]; *quis præcedet, ut inchoet bellum adversus filios Beniamin*? Israelitæ non sciscitantur, utrum Deo acceptum futurum sit bellum, quod fratribus suis sunt illaturi: concilium ineunt hac de re tractaturi, consilium capiunt, nuntios ad familias Beniamin mittunt, antequam Dominum consulant: de ipsius protectione præsumunt, illius voluntatem supponunt in facto, quod per se laude videbatur dignum: de prœlii eventu non dubitant, copiarum numero freti, qui longe numerum bellatorum e tribu Beniamin excedebat: denique in omni ipsorum consilii ratione præsumptio innotescit, propter quam profecto haud æquo Marte pugnatum est in prioribus prœliis, quibus Beniamitas sunt ausi lacessere. Hic autem non percontantur, qui exercitui præesse deberet, nam in singulis tribubus Princeps erat, cui plures subalterni duces parebant; verum Deum interrogant, cui tribuum malis, vel honorem, vel periculum deferri ut prior cum hoste congrediatur. Videri possunt, quæ diximus in caput 1. ℣. 1. & caput 10. ℣. 18. hujus libri.

℣. 21. FILII BENIAMIN OCCIDERUNT DE ISRAEL VIGINTI DUO MILLIA.] Adesset proculdubio causa, quæ nos admiratione percelleret intuentes tantam cladem in bello adeo justo, ac ferventi zelo suscepto ad Dei honorem ulciscendum, atque ad flagitium adeo nefarium puniendum; nisi novissemus Dei judicia longissime hominum consiliis præstare, & sæpius nostra consilia, quæ magis justa ducimus, ac nostras rationes, quas magis pias existimamus, e voto non cedere, neque eum consequi eventum, quem sperari posse putabamus, ut discat homo de se humiliter, demisseque sentire, viribus suis diffidere, omnemque spem non in justitia sua, ac in virtute brachii sui, sed in misericordia, ac Omnipotentis protectione collocare.

℣. 23. ITA UT PRIUS ASCENDERENT.] Arca fœderis ad exercitum fuerat deducta, atque e Silo in castra ad Gabaam delata, vide ℣. 27. infra: de Silo in Gabaam ultra decem leucæ intererant. Non igitur potuissent adeo celeriter illuc proficisci, ut crastina die iterum reverterentur in prœlium prope Gabaam; sed se prostraverunt ante Arcam, quæ erat in tabernaculo in castris, vel prope castra posito.

ASCENDITE AD EOS, ET INITE CERTAMEN.] Deus ira succensus Hebræis permittit, bellum in Beniamitas inferre, & Hebræi cæduntur. Fallebatne populum suum, illi dicens, quod prœlium iniret? Nequaquam; verum jubebat, ipsos in certamen descendere, ut in hostium manus traderentur. Israelitæ non petunt a Deo opem, ingenti multitudine sua freti certam sibi spondent victoriam; nimis viribus suis confisi, ac zeli puritate, quam operi suo prætexebant, a Deo supernaturales suppetias petere negligunt: Deus permittit, ipsos vinci, eosque cogit, ut co-

1 Strab. l. 3. Florus l. 3. Diod. Sicul. &c.
2 Diod. Sic. l. 5.
3 Confer versiculum secundum cum ℣. ℣. 9. & ta
4 מי יעלה לנו בתחלה למלחמה

ut coram ipso impotentiam suam fateantur, & lacrymis, ac gemitibus opem exposcant? Denique postquam ipsorum superbiam perfregit, illique medelam attulit, ipsis victoriam tribuit, illisque pollicetur triumphum: *Ascendite, cras enim tradam eos in manus vestras*. Hæc autem Hebræi Doctores asserunt, verum sine ulla probabilitate, in pœnam idololatriæ Michæ contigisse, ut Israelitæ vincerentur.

¥. 26. JEJUNAVERUNT USQUE AD VESPERAM.] Hebræi, cum jejunabant, semel tantum, & nonnisi post Solis occasum vescebantur. Hunc morem adhuc observant, non secus ac Mahomettani; sed horum jejunia intempestivæ potius sunt comessationes, quam vera jejunia, nam cum diem integram somno impenderint, noctem inter pocula transigunt, mensas, ac solatia.

¥. 28. PHINEES.] Insignis hic est ille Phinees filius Summi Sacerdotis Eleazari, ac nepos Aaronis, cujus zeli ardor enituit adversus Zambri Principem tribus Simeon, qui in Phegor cultum, ac in nefariam libidinem prorruerat [1]: Aderat tunc ille in castris cum Arca Domini ¥. 27.

¥. 30. EXERCITUM PRODUXERUNT.] Hebræi trifariam copias suas diviserant, quarum pars una in insidiis prope urbem Gabaa delituit, jussa urbem invadere, ac ignem apponere, cum hostes essent egressi; altera vero pars Israelitarum ante urbem in aciem prodiit, atque pedem referre primum simulavit, ut hostes in agrum pertraheret; hæc autem pars decies mille viris constabat, uti patet ex vers. 34. Denique major exercitus pars abdita erat in Baal-thamar, neque prius prodiit, quam cum Beniamitæ ab urbe recedentes aditum præbuere iis, qui in insidiis erant positi, ingrediendi civitatem, eamque ferro, & igne vastandi. Tunc Beniamitas uno eodemque tempore undique aggressi sunt, tum qui in majori Israelitarum erant exercitu, tum decem illi mille bellatores, qui fugam simulaverant, tum denique illi, qui in insidiis constiterant, qui cum urbem incendissent pro foribus prœliati sunt, ut ingredi prohiberent, qui illuc se se recipere voluissent.

¥. 33. BAAL-THAMAR.] Videlicet, *Dominus palmarum*. Chaldæus Paraphrastes hanc Jericho planitiem fuisse censuit, ubi maxima aderat palmarum copia; sed fidei pronius est hunc vicum aliquem fuisse prope Gabaa; & equidem Eusebius, & S. Hieronymus de parvulo quodam loco, cui nomen *Bethamar* prope Gabaa loquuntur.

¥. 34. AB OCCIDENTALI URBIS PARTE.] Hebraicus textus [2] a plerisque Recentiorum Interpretum [3] vertitur: *E gramineto Gabaa*. Septuaginta in hebraico textu legerunt cum Vulgata, atque similiter reddiderunt, *ab occidente* [4]. Chaldaica versio, *a planitie Gabaa*. Ego vero mallem vertere: *Egressi sunt de specu Gabaa*. In insidiis delituerant in speciebus, qui erant prope Gabaa; egressi sunt, simulac viderunt Beniamitas extra civitatem. *Maharah* significat speluncam, uti omnes fatentur; pauci erant montes in Judæa, ubi speluncæ minime adessent, eæque miræ prorsus magnitudinis. Gabaa super montem erat posita.

¥. 36. FILII BENIAMIN.] Pars illorum, quemadmodum ex decursu innotescit. Nam illorum exercitus in plures partes divisus subinde cæsus est.

DEDERUNT EIS AD FUGIENDUM LOCUM, UT AD PARATAS INSIDIAS DEVENIRENT.] Hebraicus textus parum differt: *Et filii Israel locum dederunt Beniamin, nam illi confidebant in insidiis, quas prope Gabaa posuerant*. Rati ipsos e manibus suis non posse effugere, nequaquam adnisi sunt, ut iis aditum in urbem revertendi adimerent.

¥. 37. INGRESSI SUNT CIVITATEM.] Nonnulli ita hebraicum textum [5] reddunt: *qui in insidiis erant, egressi sunt*, vel processerunt. Alii [6]: *Qui in insidiis erant, longis tractibus buccina personuere*. Hoc forte signum erat, de quo primum convenerat.

¥. 38. SIGNUM AUTEM DEDERANT FILII ISRAEL HIS, QUOS IN INSIDIIS COLLOCAVERANT &c.] Ipsis tempus, & hora præscripta fuerat; hæc esse erudit propria hebraicæ vocis *mohed* significatio [7]. Septuaginta [8]: *Illis in insidiam datus fuerat gladius*.

B Verum pronius est fidei, fumum, qui attolli debebat ex urbis incendio, verum fuisse signum, de quo convenerat.

¥. 39. QUOD CUM CERNERENT FILII ISRAEL.] Ita porro hebraicus textus ad litteram vertitur: *Et Israelitæ versi sunt in prælium, & Beniamin cœpit interficere triginta, scilicet ex militibus Israel: nam dicebant, vertent terga ante nos, quemadmodum in primo prælio fecerunt*. Cum Hebræi vidissent fumum, qui ex urbe attollebatur, & quo certiores fiebant, commilitones suos urbe jam esse potitos, faciem Beniamitis vertere. Hi vero nescii quomodo res se haberet, prœliati sunt adversus Israelitas, qui infesta tolerant signa, ac ex illis triginta occiderunt, sperantes, fore ut reliqui quamprimum fugam capes-

C serent.

¥. 40. CUM CAPTAM CERNERET CIVITATEM.] Hebraice [9]: *Et Beniamin post terga respexit, & ecce universa civitas, quæ versus cœlum attollebatur*. Fumus ascendebat ad cœlum, perinde ac civitas omnis conflagraret, ac igne absumeretur.

¥. 42. QUI URBEM SUCCENDERANT, OCCURRERUNT EIS.] Egressi sunt de Gabaa, ut eos occiderent, qui palati, ac fugientes in urbem reverterentur. Hebraicus textus hæc habet [10]: *Et qui egrediebantur de civitatibus, occidebant illos in medio sui*. Israelitæ urbium finitimarum eos enecabant, qui apud ipsos se se volebant recipere. Vel Israelitæ, qui in insidiis fuerant, eos Beniamitas interficiebant, qui ex aliis urbibus viris Gabaa laturi suppetias accesserant.

D ¥. 43. FACTUM EST, UT EX UTRAQUE PARTE AB HOSTIBUS CÆDERENTUR, NEC ERAT ULLA REQUIES MORIENTIUM.] In hebraico textu vox adest, quæ maximam parit difficultatem in hujus loci explicatione. Ita vero potest reddi [11]: *Involverunt Beniamin, persecuti sunt eum commode* (vel a loco mansionis suæ) *confregerunt eum*, pedibus conculcaverunt. Septuaginta [12]: *Ceciderunt Beniamin, illumque tergo instantes persecuti sunt, & pedibus eum conculcaverunt usque contra Gabaa, orientem versus*. Alii [13] vertunt: *Ceciderunt illos, & persecuti sunt eos a Nucha* (vel usque ad Menucha) *usque ad conspectum Gabaa, orientem versus*. De *Menuchas* sermo est in libris Paralipomenon veluti de loco tribus Iuda, vel finium illius. Vide 1. Par. 2. 52. & 54. & 8. 6.

E ¥. 45. FUGA PALANTES . . . OCCIDERUNT.] Hebraice [14]: *Racemarunt in itinere quinque millia, eosque persecuti sunt usque in Giddom, & peremerunt hostium duo millia*. Postquam fuderunt, cæciderantque hostium aciem, illos, qui fugerant, quæritarunt, veluti qui in vineis colligit racemos, quos vinitor præte-

1 Num. 25. 7. 2 מִמַּעֲרֵה גָבַע. 3 *E gramineto Gabaa*. Pagn. Mont. Drus. Kimchi, Monster. Vatab. &c. 4 ἀπὸ δυσμῶν τῆς Γαβαά. Legerunt מִמַּעֲרָב, pro מַעֲרֵה.
5 ויִמְשֹׁךְ הָאֹרֵב καὶ ἐξεπόλασαν τὸ ἔνεδρον. 6 Pagn. Vatab. Jun. Drus. Pisc. &c.
7 עִם הָאֹרֵב הֶרֶב . . . . וְהַמּוֹעֵד הָיָה. 8 καὶ ἡ συνταγὴ ἦν ἀνδρὶ Ἰσραὴλ, πρὸς τὸ ἔνεδρον, μάχαιρα. Legerunt חֶרֶב הָאֹרֵב. 9 וְהִנֵּה עָלָה כְלִיל הָעִיר הַשָּׁמַיְמָה. 10 וַאֲשֶׁר מֵהֶעָרִים מַשְׁחִיתִים אוֹתוֹ בְּתוֹכוֹ
11 כִּתְּרוּ אֶת בִּנְיָמִן הִרְדִיפֻהוּ מְנוּחָה הִדְרִיכֻהוּ עַד נֹכַח הַגִּבְעָה.
12 Καὶ κατέκοψαν τὸν Βενιαμὶν καὶ ἐδίωξαν αὐτὸν κατὰ πόδας αὐτοῦ καὶ κατεπάτησαν αὐτὸν ἕως ἐξ ἐναντίας τῆς Γαβαὰ ἀπὸ ἀνατολῶν ἡλίου. 13 Forster. Mercer. Munst. Anglic.
14 וַיְעֹלְלֻהוּ בַּמְסִלּוֹת חֲמֵשֶׁת אֲלָפִים אִישׁ 70. ἐκαλαμήσαντο αὐτὸν ἐν ταῖς ὁδοῖς.

prætetiit. Vulgata aliquid hoc in vetficulo omifit; A de Giddom enim ne verbum quidem facit. Septuaginta Romanæ editionit legunt *Gedan*; alii *Galaad*.

℣. 46. VIGINTI QVINQVE MILLIA.] Sacer author neglexit centum homines, qui hunc numetum excedunt. In linguis omnibus, ac apud omues nationes in magnis fummit, fracti numeri negliguntur. Scriptores facti pro hominibus fcribentet, hnmano more loqnnntur.

℣. 47. PETRA REMMON.] Eufebius loquitur de utbe Remmon ad feptentrionem, & ab Jerufslem procul quindecim paffuum millia. Zaccharias 14. 10. meminit *Petræ Remmon*, eamque prope Gabaa conftituit. In Jofue 15. 32. Remmon utbs invenitur, quę primum tradita fuit tribui Juda, & mox tribui Simeon Jofue 19. 7. Vetnm non teor, petram Rem- B mon ad hanc urbem fpectare. *Remmon* Hebraice fignificat malum punicum: petta Remmon, petra mali punici.

℣. 48. OMNES RELIQVIAS CIVITATIS A VIRIS VSQVE AD JVMENTA, GLADIO PERCVSSERVNT.] Hebræus [1]: *Percufferunt eos gladio ab urbe hominum usque ad jumentum*. Vel potius: *ab hominibus urbium usque ad jumenta* [2]. Alii vettunt [3]: *percufferunt gladio a confummatione urbis usque ad jumenta*; fcilicet, nihil vivum reliquerunt in tota civitâte, eam penitus vaftarunt. Septuaginta [4]: *Eos ceciderunt ab urbe, deinceps usque ad jumenta*.

CVNCTASQVE VRBES, ET VICVLOS BENIAMIN VORAX FLAMMA CONSVMPSIT.] Hebtaicus textus differt: *Et etiam omnibus, quas invenerunt, civitatibus ignem appofuere*. Devoverunt anathemati civitates omnes tribus Beniamin, ut Deuteronomii [5] legem exequerentur, quæ ait: *Si audieris in una urbium tuarum . . . dicentes aliquos: Egressi funt filii Belial de medio tui, & averterunt habitatores urbis fuæ, atque dixerunt: Eamus, & ferviamus Diis alienis, quos ignoratis: Quare follicite, & diligenter rei veritate perfpecta, fi inveneris verum effe, quod dicitur, & abominationem hanc opere perpetratam, ftatim percuties habitatores illius in ore gladii, & delebis eam, ac omnia, quæ in illa funt usque ad pecora*.

Ifraelitæ crediderunt nefarium flagitium in Levitę uxorem patratum haud fuiffe minus malum, quam Idololatriam; & cum tribus univerfa eos, qui fcelus admiferant, tueretur, cenfuere, omnes pari pœna effe puniendos, ac generali anathemate devovendos. Exemplum, quod ipforum mentibus obverfabatur, terribilis ultionis, qua Deus in urbes Sodomam, & Gommortham fimilium flagitiorum noxias defævierat, fuit etiam prævalens ratio, ut impellerentur ad fæviffime animadvertendum in libidinem Gabaa. An vero Hebræi jure adeo in fratres fuos defævierint, pofteriori capite quærendum eft.

1 ויכום לפי חרב מעיר מתום עד בהמה. 2 Munft. Vatab. Jun. Druf. Pifc. &c. 3 Montan.
4 ἐπάταξαν αὐτοὺς ἐν στόματι ῥομφαίας, ἀπὸ πόλεως ἑξῆς ἕως κτήνους. 5 Deuter. 13. 12. & feq.

CAPUT XXI.

Juramentum Ifraelitarum de non tradendo filias fuas nuptum filiis Benjamin. Eorum dolor propter excidium unius tribus Ifrael. Jabes Galaad deletur, & incolæ ipfius traduntur, eo quod non convenifsent ad Concilium in Mafpha, atque ad bellum adverfus Benjamin. Quadringentæ ex hac urbe puellæ fervantur Benjamitis in uxores tradendæ; quibus permittitur ducentas præterea fibi ex urbe Silo conjuges ducere.

1. JUraverunt filii Ifrael in Mafpha, & dixerunt: Nullus noftrum dabit filiis Benja-
min de filiabus fuis uxorem. 2 Veneruntque omnes ad domum Dei in Silo, &
in confpectu ejus fedentes ufque ad vefperam, levaverunt vocem, & magno ulu-
latu cœperunt flere, dicentes: 3 Quare, Domine Deus Ifrael, factum eft hoc malum
in populo tuo, ut hodie una tribus auferretur ex nobis? 4 Altera autem die diluculo
confurgentes, extruxerunt altare: obtuleruntque ibi holocaufta, & pacificas victimas, &
dixerunt: 5 Quis non afcendit in exercitu Domini de univerfis tribubus Ifrael? Grandi
enim juramento fe conftrinxerant, cum effent in Mafpha, interfici eos, qui defuiffent.
6 Ductique pœnitentia filii Ifrael fuper fratre fuo Benjamin, cœperunt dicere: Ablata
eft tribus una de Ifrael, 7 Unde uxores accipient? omnes enim in commune juravi-
mus, non daturos nos his filias noftras. 8 Idcirco dixerunt: Quis eft de univerfis tri-
bubus Ifrael, qui non afcendit ad Dominum in Mafpha? Et ecce inventi funt habi-
tatores Jabes Galaad in illo exercitu non fuiffe. 9 (Eo quoque tempore cum effent
in Silo, nullo ex eis ibi repertus eft.) 10 Miferunt itaque decem millia viros ro-
buftiffimos, & præceperunt eis: Ite & percutite habitatores Jabes Galaad in ore Gla-
dii, tam uxores, quam parvulos eorum. 11 Et hoc erit, quod obfervare debebi-
tis: Omne generis mafculini, & mulieres, quæ cognoverunt viros, interficite, vir-
gines autem refervate. 12 Inventæque funt de Jabes Galaad quadringentæ virgines,
quæ nefcirent viri thorum, & adduxerunt eas ad caftra in Silo, in terram Chanaan.
13 Miferuntque nuntios ad filios Benjamin, qui erant in Petra Remmon, & præcepe-
runt eis, ut eos fufciperent in pace. 14 Veneruntque filii Benjamin in illo tempore,
& datæ

& datæ ſunt eis uxores de filiabus Jabes Galaad : alias autem non repererunt , quas ſi-
mili modo traderent . 15 Univerſuſque Iſrael valde doluit, & egit pœnitentiam ſuper
interfectione unius tribus ex Iſrael . 16 Dixeruntque majores natu: Quid faciemus re-
liquis , qui non acceperunt uxores ? omnes in Benjamin fœminæ conciderunt . 17
Et magna nobis cura , ingentique ſtudio providendum eſt , ne una tribus deleatur ex
Iſrael : 18 Filias enim noſtras eis dare non poſſumus, conſtricti juramento, & maledictio-
ne, qua diximus: Maledictus qui dederit de filiabus ſuis uxorem Benjamin. 19 Cepe-
runtque conſilium , atque dixerunt : Ecce ſolemnitas Domini eſt in Silo anniverſaria ,
quæ ſita eſt ad Septemtrionalem urbis Bethel, & ad Orientalem plagam viæ, quæ de
Bethel tendit ad Sichimam , & ad meridiem oppidi Lebona . 20 Præceperuntque fi-
liis Benjamin , atque dixerunt : Ite, & latitate in vineis. 21 Cumque videritis filias
Silo ad ducendos choros ex more procedere, exite repente de vineis, & rapite ex eis
ſinguli uxores ſingulas , & pergite in terram Benjamin . 22 Cumque venerint patres
earum, ac fratres, & adverſum vos queri cœperint , atque jurgari , dicemus eis : Mi-
ſeremini eorum, non enim rapuerunt eas jure bellantium, atque victorum, ſed rogan-
tibus, ut acciperent , non dediſtis , & a veſtra parte peccatum eſt . 23 Feceruntque
filii Benjamin, ut ſibi fuerat imperatum, & juxta numerum ſuum, rapuerunt ſibi de his,
quæ ducebant choros , uxores ſingulas : abieruntque in poſſeſſionem ſuam , ædificantes
urbes, & habitantes in eis. 24 Filii quoque Iſrael reverſi ſunt per tribus, & familias
in tabernacula ſua : In diebus illis non erat rex in Iſrael: ſed unuſquiſque, quod ſibi re-
ctum videbatur, hoc faciebat,

℣. 1. JURAVERUNT FILII ISRAEL IN MASPHA .] Se nunquam tradituros filias ſuas in conjuges filiis Benjamin. Juramentum hoc leviter, ac temere prolatum , quin Deus conſuleretur , haud obligabat eos , qui juraverant ; eo quod rem minime licitam, ac pravam ſe facturos juramento receperant ; quemadmodum infra oſtendemus . Hinc tamen non defuit , quin Principibus Iſrael Religio incederet , atque per jurisjurandi fidem non licere ſibi arbitrarentur, illud quod dixerant haud ſervare : quamobrem viam quærunt , qua & juramenti fidem præſtare queant , & tribum Benjamin ab excidio vindicare , quæ ſatis ſuperque crimen illud expiaverat , propter quod cruentum adeo bellum exortum fuerat . Pluribus in Scripturæ locis admirari poſſumus, qua religione veteres juramenti fidem tuerentur ; neque enim fas ſibi eſſe putabant ſenſus interpretari, atque ſuper mentem jurantis ratiocinari : ſed verba in ſimplici, ac naturali ſenſu excipiebant , atque ita quoque exequebantur . Vidimus in Geneſi 24. 5. qua cura Eliezerus adniſus ſit , ut Abraham mentem ſuam proderet ſuper circumſtantiis rei , quam ab illo exegit cum jurejurando . In Joſue quoque 9. 25. adnotavimus , quo modo Imperator ille datam Gabaonitis fidem præſtiterit . Saul filium ſuum Jonathan jam jam mactaturus erat 1. Reg. 14. 24. 26. ut juramento ſatisfaceret, quod ille temere conceperat, & quod Jonathan imprudens violaverat .

NULLUS NOSTRUM DABIT FILIIS BENJAMIN DE FILIABUS SUIS UXOREM .] Suppetebatne illis cauſa, quapropter hoc juramentum ederent ; atque ad illud ſervandum ipſine tenebantur ? Serarius qu. 3. ar. 2. ad c. 20. & Bonfrerius ad ℣. 1. contendunt ipſis juramentum ſervandum fuiſſe , cum honeſtum eſſet , atque legitimum . Illud, ad quod ſe adigebant , cum indifferens eſſet per ſe , nulla ratio aderat , quæ eos deterreret , ne id ſive faciendum , ſive non faciendum juramento in ſe reciperent . Verum quidem eſt , ex juramento hoc neceſſario conſecuturum fuiſſe, ut Benjamitæ alienigenas , atque ethnicas uxores ducere tenerentur , quod lege fuerat interdictum ; vel ut cœlibes viverent , quod proculdubio ultimum tribui intuliſſet excidium ; vel ut ſibi puellas in conjuges raperent , quod Legibus omnibus adverſatur ; vel ut in fornicationis

A flagitium prorueꝛent , ſi continentiam ſervare non poſſent , quod aliud quoque malum erat per, Iſraelitas pro virili a fratribus ſuis avertendum . Sed Authores illi reſpondent , quod cum propter nullum ex his malis juramentum fieret , hæc obſiſtere minime poterant, ne illud fieret : ipſos equidem juramenti religione fuiſſe ſolutos , cum viderent pravos effectus , qui inde conſequebantur ; ſed ſi conſcientia ſua , quamvis errunea , ſe teneri ad fidem præſtandam admonebantur , ſecum diſpenſare minime potuiſſe , ne ſumma illud religione ſervarent .

Alii [1] putant , juramentum huc neque juſtum fuiſſe , neque legitimum , ideoque illorum fidem minime obligaſſe . Res promiſſa injuſta erat : circumſtantia criminis Benjamitarum alios Iſraelitas prohibere B non poterat , ne attenderent ad ea mala , quæ inconſultum ipſorum jusjurandum erant conſecutura : pœnitentiam agere debebant , eo quod leviter , ac temere juraſſent ; atque Deo ſatisfacere propter præcipitem animorum ſuorum ægritudinem , qua adacti fuerant , ut in ea ultione excederent , quam de Benjamitarum ſcelere ſumpſerant , crimen a perſona non diſtinguentes ; atque denique ſine ulla anxietate illis permittere , ut ex aliis tribubus ſibi uxores ſumerent , quemadmodum per legem fas erat .

Grotius de jure Belli & Pacis l. 2. c. 2. ar. 21. inter ea, quæ ſunt juris naturalis, ſtatuit libertatem uxorem ducendi ex finitimis nationibus , inter quas quis immoratur . Hac de cauſa S. Auguſtinus l. 2. de Civit. c. 17. arbitratur excuſari poſſe Romanos, C qui Sabinas mulieres rapuerant , ſi eas rapuiſſent , poſtquam nequicquam eas in uxores ſibi ab earum parentibus efflagitaſſent : *Alioquin enim fortaſſe jure belli injuſte negatas, juſte victor auferret ; nullo autem jure pacis , non datas rapuit* . Romani quoque juſtum potuiſſent bellum indicere finitimis , ſi hi conjuges illis tradere renuiſſent . Non alia nobis ſuppetunt argumenta , quibus Benjamitas tueri poſſimus , qui rapuere ducentas virgines Silo , quas illis parentes earum tradere noluerant . *Non enim quiſque rapuit uxorem ſibi jure belli* ; ait textus Hebraicus ℣. 22. *ſed eo quod eas , cum tempus erat , tradere noluiſtis , error decidit ſuper vos* . Si igitur injuſtitiæ vertebatur Iſraelitis , eo quod conjuges fra-

1 Toſtat. ad hoc cap. 2. qu. 2. & ſeq. Petr. Mat. hic .

tribus suis tradere abnuerint, non licebat illis, se juramento adigere, ut huc illis denegarent: hoc enim fuit rei injustæ juramentum, ac proinde illicitum, & quod minime obligabat: nam alienum est ab hac quæstione cognuscere, utrum propter erroneam conscientiam obligaret. Posterior hæc sententia æquior videtur, ac firmior.

℣. 2. AD DOMUM DEI IN SILO.] Hebraicus textus non habet *in Silo*; sed hæc additio est, æque ac ℣. 18. capitis præcedentis.

℣. 3. QUARE FACTUM EST HOC MALUM IN POPULO TUO?] Non pœnituit eos belli, quod Benjamitis intulerant. Deus illud probaverat, neque negari potest, juste fuisse susceptum. Sed certe zelus illorum nimium processerat; neque ea præviderant, quæ factum hoc erant consecutura; hoc enim supplicio indiscriminatim tam in sontem, quam in innocentem animadverterant. Licebatne, exempli gratia mulieres, & pueros occidere, ac omnem terram Benjamin igni, ferroque vastare? & quemadmodum illis satis non esset in præsentes desævire, temere consilium capiunt totius tribus pœnitus evellendæ, & prohibere, ne, qui illorum ultionem effugerent, possent Sobolem Benjamin per connubia in ævum diffundere. Rei hujus pœnitentiam agunt, atque malum huc coram Deo lacrymis prosequuntur. Vide Tostatum qu. 27. Suarez de Fide, Spe, & Charitate Disput. de Bello sect. 7.

℣. 4. EXTRUXERUNT ALTARE.] Aliud ab eo, quod erat in Tabernaculo, seu quod Altare Tabernaculi sufficero non posset propter victimarum copiam, quæ tunc offerebantur, [1] seu quod Deus id palam pro hac tantum vice permiserat, veluti in generalis Legis dispensationem, qua cautum erat, ne alia extruerentur altaria, quam illud, quod erat coram Domino [2]. In pari casu Salomon erexit altare in atrio templi, quod æreum altare satis non esset, ut caperet victimas, quæ in dedicatione Templi immolatæ fuerunt [3]. Interpretes quidam asserunt, altare ab Israelitis extructum in atrio Tabernaculi fuisse positum. Verum hoc e Scriptura non liquet: & equidem verebantur Hebræi ad Altare in Tabernaculo erectum accedere, adhuc fratrum suorum sanguine polluti, cum Lex præciperet, ut septem diebus post prælium extra castra manerent [4]. Nonne e contra factum fuisse dicendum esset, nam cum in atrium ingredi non possent, atque ibi victimas offerre in observantiæ signum, extruxerunt altare extra Tabernaculum, ut ibi Domino in gratiarum actionem sacrificarent? Lex, quæ eos a castris arcet septem dierum intervallo post prælium, non eis tamen sacrarum rerum explicite usum interdicit, qui si illis interdictus fuisset, curnam pacificas hostias obtulissent?

℣. 28. INVENTI SUNT HABITATORES JABES-GALAAD.] Civitas Jabes in regione Galaad in monte erat posita, sex passuum millibus procul a Pella ad latus Gerasæ [5]. Cur civitas hæc adversus tribum Benjamin non convenerit, causa latet. Omnes illius incolæ gladio percussi sunt, eo quod fratribus suis minime adhæserant. Temporibus Saul urbs hæc optime instaurata fuerat, quemadmodum videbimus infra 1. Reg. 11.

℣. 10. DECEM MILLIA VIROS ROBUSTISSIMOS.] Hebraica lectio, Chaldaica, Septuaginta, Josephus habent *duodecim millia*.

ITE, & PERCUTITE HABITATORES JABES.] Israelitæ se se jure jurando adstrinxerant in concilio Silo, ne eos omnes morte plecterent, qui bello huic minime interessent. Ut juramenti ejus fidem præstarent, mittunt milites, qui omnes cives Jabes interficiant. Habebatur enim non solum opprobrium, verum etiam veluti scelus, ac perduellionis genus communibus nationis bellis non interesse. Debora in Cantico suo Judic. 5. 23. maledicit habitatoribus Meroz, eo quod populo Domini suppetias non tulerant. Ultimo supplicio afficiebantur, tum qui profugi ab exercitu discedebant, tum qui operam impendere recusabant.

℣. 11. VIRGINES AUTEM RESERVATE.] Hoc neque in Hebraico textu, neque apud Septuaginta invenitur; sed ex decursu satis constat, hoc præceptum fuisse militibus. Ambigitur autem, an reservatæ fuerint virgines omnes, tum quæ aptæ erant viro, tum quæ minores natu erant [6]. Sed fidei pronius est, virgines omnes cujuscumque ætatis servatas fuisse, ac etiam parvulos; nam præceptum fuerat solum, ut homines, ac nuptæ mulieres occiderentur.

℣. 12. IN SILO, IN TERRAM CHANAAM;] dictum per oppositionem ad terram Galaad, ubi sita erat Jabes, quæ non habebatur tamquam terra Chanaan, non secus ac omnis regio ultra Jordanem.

℣. 13. PRÆCEPERUNT EIS, UT EOS SUSCIPERENT IN PACE.] Hebraice ad litteram [7]: *Clamaverunt illis pacem*. Septuaginta [8]: *Vocaverunt eos in pace*; dixerunt illis, ut de rupe descenderent, illos enim tamquam amicos exceptum iri.

℣. 15. UNIVERSUSQUE ISRAEL VALDE DOLUIT.] Hebraice [9]: *& omnis populus consolatus est Benjamin, eo quod Dominus fecerat divisionem in Israel*; vel eo quod Dominus magnam plagam, scissuram, vulnus in Israel inflixerat.

℣. 17. ET MAGNA NOBIS CURA.... PROVIDENDUM EST, NE UNA TRIBUS DELEATUR EX ISRAEL.] Ita Hebraicus textus ad litteram redditur [10]: Et dixerunt: *Hæreditas* erit semper *illis*, *qui e periculo evaserunt, neque delebitur una tribus ex Israel*. Concilium cepimus huic tribui, & hæreditatem, & regionem suam conservandi. Absit unam tribum Israel errore nostro extingui. Septuaginta [11]: *Hæreditas Benjamin illi servabitur, neque peribit una tribus de medio Israel*. Syriaca versio; *Reliquiæ Benjamin servandæ sunt*.

℣. 19. ECCE SOLEMNITAS DOMINI EST IN SILO.] De quanam solemnitate sit sermo, ignoratur. Alii Pascha fuisse dicunt, alii festivitatem initii mensis, vel illam, in qua filiæ Jephte memoria recolebatur; alii festivitatem solemnis expiationis, alii Tabernaculorum solemnitatem; vel denique hæc erat e tribus magnis solemnitatibus, quibus Lege tenebatur coram Domino adesse quidquid masculini sexus erat in Israel [12]; eæ autem omnes, scilicet Pascha, Pentecostes, & Tabernaculorum festivitas tunc temporis celebrabantur, quo vineæ foliis erant circumvestitæ, ita ut Benjamitæ illic delitescere potuerint. Hebraicus textus ad litteram hæc habet: *Ecce solemnitas Domini in Silo, de die in diem* &c. videlicet, quæ celebratur quotannis.

IN SILO, QUÆ SITA EST AD SEPTENTRIONEM URBIS BETHEL AD ORIENTALEM PLAGAM VIÆ, QUÆ DE BETHEL TENDIT AD SICHIMAM, & AD MERIDIEM OPPIDI LEBONA.] Ad quid hæc descriptio in hoc loco, eo tempore, eaque in regione, ubi situs Silo a nemine poterat ignorari, ac præsertim, cum ad Benjamitas sermo esset, qui actu præsentes erant in Silo? Vatablus admodum verisimiliter putat, hanc descriptionem respicere solummodo locum,

5 Tostat. Martyr. Jun. Cornel. a Lapid. Bonfr. 2 Deuter. 12. 5. 11. 13. Levit. 17. 8. 9. Vide & Joseph. l. 4. Antiqu. c. 8. 3 3. Reg. 8. 64. 4 Num. 31. 24. *Lavabitis vestimenta vestra die septimo, & purificati postea castra intrabitis*. 5 Euseb. & Hieron. in locis. 6 Vide Serar. & Bonfrer. hic.
7 ויקראו להם שלום 8 καὶ ἐκάλεσαν αὐτοὺς ἐν εἰρήνῃ.
9 והעם נחם לבנימן כי עשה יהוה פרץ בשבטי ישראל 10 ויאמרו ירשת פליטה לבנימן ולא ימחה שבט מישראל
11 κληρονομία διασεσωσμένων τῷ Βενιαμὶν καὶ οὐ μὴ ἐξαλειφθῇ φυλὴ ἐξ Ἰσραήλ. Vide Joseph. l. 5. c. 2.
12 Exod. 23. 17.

locum, ubi festivitas Silo erat celebranda, & quo puellæ civitatis convenire debebant, ut choreas agerent. Textus hanc potest commode explicationem admittere [1]: *Ecce Solemnitas Domini*, quæ celebratur *quotannis in Silo, quæ sit ad Septentrionem Bethel* &c. Solemnitas, de qua hic sermo, extra urbem celebrabatur eo in loco, qui istic describitur. Hæc esse poterat solemnitas peculiaris urbis Silo, & fortasse memoria diei, quo illuc primum Arca fuerat translata. Cæterum urbs Silo ad occasum potius erat, quam ad Boream Bethel, atque maxime incommodum est eam constituere ad orientalem plagam viæ, quæ de Bethel tendit in Sichimam, si velimus servare situs, quos aliunde cognovimus; Exempli gratia, S. Hieronymus eam statuit ad decem passuum millia a Neapoli, vel Sichem in Acrabatene; sed Acrabatene erat ad occasum Sichem, & Samariæ. *Lebona* nequit eadem esse ac *Lebna* urbs ad meridiem Judææ, ac prope Eleutheropolim. Ea vero, de qua hic agitur, non admodum abesse debebat a Silo. Novimus hodie *Chan-Lebna* quatuor circiter leucas ad austrum Sichem [a].

℣. 21. FILIAS SILO AD DUCENDOS CHOROS EX MORE PROCEDERE.] Josephus Antiqu. l. 5. c. 2. credidit, a Benjamitis raptas fuisse has ducentas virgines, cum illæ ad festivitatem Silo ascenderent una e tribus solemnitatibus, quæ ibi in Tabernaculo celebrabantur; quod adversatur iis, quæ hic afferit Scriptura, virgines has egressas fuisse de Silo, & magna frequentia egressas, sine ullo virorum comitatu, quandoquidem ducentæ ex ipsis capi potuere. Nequaquam insuetum est in solemnitatibus Religionis, choreas, ac musica instrumenta, non apud Hebræos solum, sed apud alios quoque populos, intueri. Therapeutes [3], qui sapientissimi erant, ac maxime serii inter Judæos veteres, & quos prisci nonnulli fuisse crediderunt primos, qui I. C. Ecclesiam in Ægypto secuti sint, in conciliis suis modeste choreas agebant primum quidem in duos choros divisi, mox vero homines, ac mulieres simul conjuncti. Ad hanc quoque diem [4] in Palæstina fœminæ congregatæ ad consanguineorum suorum tumulum lugubri ritu, ac querulis clamoribus ducunt choreas.

RAPITE EX EIS SINGULI UXORES SINGULAS.] Israelitæ peccaruntne contra jusjurandum, hoc suadentes; & Benjamitæ scelus patrarunt has virgines Silo rapientes? Hebræi nonne contra rectam fidem, ac sinceritatem agebant, ac iis, quæ polliciti fuerant, deerant, viam Benjamitis aperientes, qua uxores sibi compararent contra primam illorum mentem, ac jurisjurandi finem? Et si Benjamitæ nulla authoritate protegebantur, ut istud agerent, quid censendum est de illorum consilio? raptus hujus crimen profecto vel in suadentes cadere debet, vel in eos, qui opere perfecerunt.

Respondetur [5] in rebus odiosis promissorum, ac sacramenti executionem nequaquam extendi debere ultra vim verborum, prout ad litteram sonant. Qui juravit, se cuipiam filiam suam nuptum non traditurum, non tenetur prohibere, ne ille hanc rapiat, & cum illa, postquam rapuerit, permaneat; multum enim interest, inter dare, ac ablatam rem repetere. Qui hoc Benjamitis suaserunt forte excusandi non sunt, propter callidam verborum ambagem, qua usi sunt, ut se data fide exsolverent, quod utique rectæ fidei adversari videtur; sed alii omnes, qui consilii hujus certiores facti non fuerant, fuere procul dubio innocentes; & Benjamitæ hac in re, cum illud tantum fecerint, ad quod peragendum summa authoritate, probataque sapientia viri hortabantur, eumque alioquin actio necessaria esset iis in circumstantiis, quibus urgebantur, ac finis, quem sibi proponebant, honestus, ac legitimus esset, mihi haud videntur arguendi de crimine raptus; nam ea, quæ nefarium, improbumque reddunt raptum, in ipsorum actione non aderant; aderant enim consensus, saltem præsumptus, patrum conjugum suarum, publicæ authoritatis species aderat, & denique rationes penitus aliæ ab iis, quæ in raptore damnantur.

℣. 22. MISEREMINI EORUM; NON ENIM RAPUERUNT EAS JURE BELLANTIUM.] Hebraicus hujus versiculi textus admodum differt a Vulgata. Hoc autem pacto integer redditur [6]: *Hanc nobis pro ipsis gratiam concedite*, (vel nobis illorum veniam permittite, vel nostri habita ratione illis parcite) *quia non arripuimus quisquis nobis uxorem belli: quod non dedistis opportune, vos estis in causa*. Quoniam in Jabes non invenerant tot puellas ut singulæ singulis sufficerent, vos debebatis illis tradere, quin expectaretis, ut eas sibi raperent; vos autem mali hujus causa fuistis. Aliter: *relinquite illis has uxores in gratiam nostri: quoniam non præcepimus, ut singulis singulæ servarentur uxores in bello* (Jabes arbitrati tot ibi futuras virgines, quæ pro singulis sufficerent?) *Et quoniam vos non dedistis eis, non peccastis?* [7], perinde ac juramentum fregisseris. Verum præstat legere cum Septuaginta, Vulgata, & Arabica versione [8]; *non rapuerunt eas belli*, veluti hostes, qui mulieres abripiunt, ut in servitutem abducant; eas autem ob id solum acceperunt, ut in uxores haberant, & singuli singulas. Necessitas eos coegit, ut huc accederent; vos autem ad id eos adegistis, filias vestras illis nuptum tradere recusantes; & quod gravius est, jurantes, vos illis eas numquam daturos: nihil igitur aliud superest; quod ut vos nobiscum succenseatis.

---

1 הנה חג יהוה בשלו מימים ימימה אשר מצפונה לבית אל וגו a Maundrel. p. 105.
3 Philo de Vita Contempl. p. 902. 4 Vide Eugen. Roger. & le Brun in eorum Itineribus.
5 Vide Grot. hic, & l. 2. de jure Belli, & Pacis c. 13. ar. 5. Serar. qu. 4. Bonfrer. hic, & Cornel. a Lapide. Ambros. Ep. 6. nov. edit. *Neque tamen contra sacramentum videri, si prohibendum non putaret, quia sacramento neque cogendi, neque prohibendi necessitas imposita videretur*. Pro contraria sententia videri possunt Tostatus, & Petr. Martyr. 6 הנונו אותם כי לא לקחנו איש אשתו במלחמה כי לא נתתם והם להם כעת תאשמו
7 Jun. & Glassius negationem supplent a membro præcedenti desumptam. *Non dedistis eis, & non peccastis*. Clericus. *Et non dedistis, quia tunc non peccavissetis*. 8 לקחו pro וקחנו

LIBRI JUDICUM
FINIS.

COMMENTARIUM
IN LIBRUM
R U T H.

P R Æ F A T I O.

Libet Ruth appendicis loco libro Judicum accedit, simulque & præfatio quædam habenda est Libris Regum præposita. Judæi, teste S. Hieronymo, *in Librum* (Judicum) *compingunt Ruth, quia in diebus Judicum facta ejus narratur historia* [1]. Plures insuper Patres septimum Sacrorum Librorum statuunt Librum *Judicum, & Ruth* [2]. Sed Libri argumentum ejusque titulus distinctum, & separatum opus a Libris Judicum, & Regum, quamquam utrique connexione factorum, & rerum gestarum serie connexum, demonstrant. Veterem Librorum Sacræ Scripturæ ordinem recentiores Judæi turbarunt: quare statim post Moysem quinque libros collocant, quos ipsi appellant חמש מגלות *quinque Megillot*, videlicet Canticum Canticorum, Ruth, Lamentationes Jeremiæ, Ecclesiasten, Esther Interdum tamen Ruth primus, interdum quintus statuitur [3]; arbitraria omnia.

In hac porro historia legimus, Elimelech relicta patria sua Bethlehem in Moabitidem, una cum Noemi uxore, & geminis filiis Mahalon, & Chelion transmigrasse, grassantem in regione sua famem declinaturum. Elimelech in hac regione mortem oppetiit. Noemi duas fœminas Moabitides geminis filiis copulavit; Mahalonem tradidit Ruth, & Chelionem Orphæ. Aliquanto post accidit, ut ambo fratres diem clauderent, duæque nurus Noemi curæ relinquerentur. Cum autem illa suum in patriam regressum statuisset, fœminas rogavit, quandoquidem socrum secuturæ videbantur, ut manerent. Roganti altera ægre tandem acquievit; Ruth vero secuturam se socrum suam sancte attestata est. Ambæ igitur venerunt Bethlehem; & cum interim accidisset, ut Ruth captandis spicis in agro Booz necessarii soceri sui occuparetur; Booz intellecta fœminæ illius conditione refici illam cibo jussit, monens insuper, ne alio carpendis spicis, quam apud se diverteret. Cum autem manipuli in area parati essent, Ruth hortante Noemi furtim ante pedes Booz noctu cubatura se se insinuavit. Sensit vir, qui diligentius feminam interrogatam novit cognationis vinculo ad se pertinere; tum & Legis præcepto teneri se dixit ad ineundum cum illa conjugium. Verum, inquit, alter est vir jure cognationis propinquior, qui si conjugium tecum inire noluerit, ego conditionem non recuso. Mane igitur alterius diei Booz virum conveniens, interrogavit, num vellet Ruth in conjugem adsciscere, sive potius omne in successionem Elimelech jus a se abjicere? recusavit ille conjugium solemni protestatione ante fores Bethlehem; statimque conjugium Ruth cum Booz initum est; ex quo natus filius Obed, pater Isai patris David Regis.

Facile institutum Authoris, & intentum in eo Libro scribendo intelligimus; quippe qui genealogiam David describere sibi proposuerit. Ex quo facilem ducimus conjecturam, eundem Scriptorem illum, qui res gestas ejusdem Principis literis mandavit, eundem, inquam, & parvum hoc Opusculum digessisse, tanquam supplementum eorum, quæ de Regia Judæ familia in Opere illo siluisset; cum omnia in Libris Regum prosequi nimis a scopo, & a narrationis serie alienum videratur.

Sed quisnam, rogo, Author iste, & cujus ætatis? Nihil certi in ea re habemus. Sunt qui Samuelem, sunt qui Ezechiam, qui Esdram credant; vulgata tamen, & magis recepta opinio Samuelem præfert; nihil enim ab illo alienum. Mihi quidem in Opere duæ occurrunt loquendi phrases singulares, frustra in præcedentibus Libris requirendæ; frequentes vero in Libris Regum. Prima est: *Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat*, quæ in Ruth. 1. 17. legitur, & in 1. Reg. 3. 16. & 14. 44. & 25. 22. & 2. Reg. 3. 9. 35. & 19 13. & 3. Reg. 2. 23. & 19 2. & 20. 10. & 4. Reg. 6. 21. recurrit. Altera est: *Revelavi auriculam*, pro te monui, tibi dixi; hæc autem se se offert Ruth 4 4. iterum legere est 1. Reg. 20. 2. & 2. Reg. 7. 27. Si igitur certo constaret, Samuelem scriptis mandasse priorem Librum Regum, & partem secundi, certa etiam de Authore hujus Libri sententia ferenda esset.

Tempus scripti Operis non magis quam Scriptor innotescit. Legimus quidem historiam illam contigisse sub imperio Judicum: *In diebus unius Judicis, quando Judices præerant* [4]. Porro eo exordio satis insinuatur, scriptum Librum postquam in Republica Judicum imperium abrogatum esset: quod etiam ex cap. 4. 22. ejusdem Libri confirmatur, ubi expressum Davidis nomen legitur.

Contendunt Rabbini, Booz ipsissimum esse Abesan Judicem Israelis [5]; & Josephus Antiq. l. 5. c. 11. famem, de qua in eo Libro mentio, sub Sacerdotio Heli consignat. Magnum Chronicon Judæorum totam eam historiam refert ad tempus Aod, & ad captivitatem Israelitarum sub Eglon Rege Moab. Alii malunt sub Gedeone; alii sub Barac; alii sub Abimelech; Usserius, quem & nos sequimur, sub Samgar, nempe 120, annis circiter post Iosue.

GENEALOGIA DAVID.

* Natus anno 2249.	JUDA, *
* 2288.	PHAREZ, & ZARA *
	ESRON filius Pharez,
	ARAM.
	AMINADAB.
	NAASSON.
Raab duxit 2553.	SALMON *,
	BOOZ.
	OBED.
	JESSE, vel ISAI.
* Natus an. 2919.	DAVID.

Inter conjugium Salmon, & Davidis ortum intercapedo est 366. annorum.

1 Hieron. Prolog. Galeat. Vide Ruth 1. 2 Vide Hilar. Prolog. in Ps. Euf. ex Orig. l. 6. Hist. c. 25. Epiph. Hær. 8, & l. 1. de pond. Damasc. l. 4. c. 18. Fidei Orthod. S. Bened. Regul. c. 51. 3 Vide si lubet Serar. in Ruth a. 6. Prolog. 4 Ruth 1. 1. 5 Judic. 12. 8.

COMMENTARIUM
LITTERALE
IN LIBRUM
RUTH.

CAPUT PRIMUM.

Elimelech annonæ charitate adactus cum uxore sua, ac duobus filiis in regionem Moab concedit. Ibi ille, & filii sui, qui Moabitidas uxores duxerant occumbunt. Noemi uxor illius una cum Ruth nuru sua revertentur in Bethlehem.

1. IN diebus unius judicis, quando judices præerant, facta est fames in terra. Abiit-
que homo de Bethlehem Juda, ut peregrinaretur in regione Moabitide cum uxo-
re sua, ac duobus liberis. 2 Ipse vocabatur Elimelech, & uxor ejus Noemi: &
duo filii, alter Mahalon, & alter Chelion, Ephrathæi de Bethlehem Juda. Ingressique
regionem Moabitidem, morabantur ibi. 3 Et mortuus est Elimelech maritus Noemi;
remansitque ipsa cum filiis. 4 Qui acceperunt uxores Moabitidas, quarum una voca-
batur Orpha, altera vero Ruth. Manseruntque ibi decem annis. 5 Et ambo mortui
sunt, Mahalon videlicet, & Chelion: remansitque mulier orbata duobus liberis, ac ma-
rito. 6 Et surrexit, ut in patriam pergeret cum utraque nuru sua, de regione Moabi-
tide: audierat enim, quod respexisset Dominus populum suum, & dedisset eis escas.
7 Egressa est itaque de loco peregrinationis suæ cum utraque nuru: & jam in via revet-
tendi posita in terram Juda, 8 Dixit ad eas: Ite in domum matris vestræ, faciat vobis-
cum Dominus misericordiam, sicut fecistis cum mortuis, & mecum. 9 Det vobis in-
venire requiem in domibus virorum, quos sortituræ estis. Et osculata est eas. Quæ,
elevata voce, flere cœperunt, 10 Et dicere: Tecum pergemus ad populum tuum.
11 Quibus illa respondit: Revertimini, filiæ meæ, cur venitis mecum? non ultra habeo
filios in utero meo, ut viros ex me sperare possitis. 12 Revertimini filiæ meæ, & abi-
te: jam enim senectute confecta sum, nec apta vinculo conjugali. Etiam si possem hac
nocte concipere, & parere filios, 13 Si eos expectare velitis, donec crescant, & an-
nos pubertatis impleant, ante eritis vetulæ, quam nubatis. Nolite, quæso, filiæ meæ:
quia vestra angustia magis me premit, & egressa est manus Domini contra me. 14 Ele-
vata igitur voce, rursum flere cœperunt: Orpha osculata est socrum, ac reversa est: Ruth
adhæsit socrui suæ. 15 Cui dixit Noemi: En reversa est cognata tua ad populum
suum, & ad deos suos, vade cum ea. 16 Quæ respondit: Ne adverseris mihi, ut re-
linquam te, & abeam: quocumque enim perrexeris, pergam: & ubi morata fueris, &
& ego pariter morabor. Populus tuus populus meus. 17 Quæ te terra morientem su-
sceperit

sceperit, in ea moriar: ibique locum accipiam sepulturæ. Hæc mihi faciat Dominus, &
hæc addat, si non sola mors me, & te separaverit. 18 Videns ergo Noemi, quod ob-
stinato animo Ruth decrevisset secum pergere, adversari noluit, nec ad suos ultra redi-
tum persuadere: 19 Profectæque sunt simul, & venerunt in Bethlehem. Quibus urbem
ingressis, velox apud cunctos fama percrebuit: dicebantque mulieres: Hæc est illa Noe-
mi. 20 Quibus ait; Ne vocetis me Noemi (idest, pulchram) sed vocate me Mara (id-
est, amaram) quia amaritudine valde replevit me Omnipotens. 21 Egressa sum plena,
& vacuam reduxit me Dominus. Cur ergo vocatis me Noemi, quam Dominus humilia-
vit, & afflixit Omnipotens? 22 Venit ergo Noemi cum Ruth Moabitide nuru sua, de
terra peregrinationis suæ, ac reversa est in Bethlehem, quando primum hordea mete-
bantur.

℣. 1. IN DIEBUS UNIUS JUDICIS, QUANDO JUDICES PRÆERANT:] Hebræus [1]; *Et accidit in diebus quando Judices judicabant, ut fames esset in terra*. Conjunctio & in libri hujus initio innuit rationem, ac vinculum, quod habet cum superiori. Post relatas unico tenore Judicum Israel Historias, & alia quædam, quæ anarchiæ tempore contigerant, ne sermonis decursus interrumperetur, particularis hic traditur historia, quæ primo quidem intuitu parum interesse videtur, atque parum ad cognitionem rerum Judaicarum conducere; sed quæ nihilominus ad res non mediocris momenti nosmet deducit propter Reges Israel, ac præsertim genus David, ac Messiæ, ad quem scripturæ qualibet referuntur. Parvulus igitur liber hic haberi potest veluti species quædam Proœmii ad Regum, ac Paralipomenon libros. Animus enim auditoris hic præparatur, atque a generali Reipublicæ Judæorum consideratione sensim abducitur, ut ad unam tantum familiam, quæ est David, deducatur, unde veluti per gradus ad Jesum Christum usque descendat, qui est finis Legis.

Quo Judice hoc evenerit, latet. Vidimus jam in Præfatione plurimas hac in quæstione sententias. De frumenti charitate, qua adactus fuit Elimelech, ut e patria terra egrederetur, nusquam alibi Scriptura loquitur. Itaque nos hæc omnia silentio præterimus, quin nos illorum nugæ detineant, qui ajunt, ab Elimelech Solem retardatum fuisse, atque post hoc prodigium famem, quæ illic narratur, fuisse consecutam [2]. S. Hieronymus traditioni huic favere videtur, cum in Paralipomenis vertit, *Jokim*, quod plane alterum nomen Elimelech est, per ea verba, *qui stare fecit Solem*.

℣. 2. IPSE VOCABATUR ELIMELECH.] Elimelech interpretatur, *meus Deus est Rex*. Septuaginta Editionis Complutensis, Josephus, Theodoretus, Zonaras, eum perperam vocant *Abimelech*. Rabbini [3] contendunt, Elimelech fuisse fratrem Salmon, qui uxorem duxit Raab, & Noemi conjugem ipsius fuisse neptem ejusdem, filiam Salmon. Itaque Elimelech sub Josue ponendus esset. Verum Rabbinorum authoritas nullius umquam momenti fuit apud illos, qui eruditi haberentur, & vocarentur. Vide, quæ de Elimelech dicuntur in ℣. 1. cap. 2.

EPHRATÆI DE BETHLEHEM JUDA.] Nomen *Ephratæi* quandoque in Scriptura usurpatur ad innuendum virum quempiam ex Ephraim tribu [4]; sed hic significat hominem e Bethlehem [5]. Vetus nomen Bethlehem erat *Ephrata* [6]; & postquam Hebræi in terram Chanaan ingressi sunt, incolæ illius Ephratæi adhuc vocati fuere, & civitas ipsa *Bethlehem Ephrata* in Michæa 5. 2. nuncupatur. Scriptura plerumque eam Bethlehem Juda vocat, ad distinctionem alte-

A rius Bethlehem in tribu Zabulon. Quamvis Bethlehem, per se vicus ignobilis fuerit; attamen inter celeberrimas terrarum civitates nomen sibi comparavit, propter nativitatem magni Regis David, ac propter J. C. Regis, ac Dominatoris universorum incunabula. Urbs hæc duabus minoribus leucis a Jerusalem distat in Meridiem.

℣. 4. QUI ACCEPERUNT UXORES MOABITIDAS.] Mahalon, & Chelion filii Elimelech, connubia inierunt in regione Moab, dum adhuc pater illorum degeret, authore Josepho Antiqu. l. 5. c. 12. sed fidei pronius est, id post illius mortem contigisse tantum; nam Scriptura ait, cum jam Noemi relicta fuisset vidua, tunc filios ipsius uxores duxisse. Creditur, nec immerito, Mahalon, & Chelion eosdem fuisse

B ac *Joas*, & *Seraph*, qui in 1. Paralipomenon 4. 22. vocantur, *Et securus, & incendens, qui Principes fuerunt in Moab, & qui reversi sunt in Lahem*; qui locus ex Hebraico textu verti potest [7]: *Joas, & Seraph, qui uxores duxerunt in Moab, & permanserunt in Lehem*; vel Bethlehem. In urbe hac immorabantur ante quam in regionem Moab proficiscerentur, atque ibi immorati sunt per posteros suos, qui orti sunt de Booz, qui viduam alterius uxorem duxit.

Mahalon quidem duxit *Ruth* in uxorem [8], & Chelion *Orpham*. Ruth, juxta Rabbinos, Chaldæum Paraphrastem, ac nonnullos Interpretes [9] erat filia Eglon Regis Moabitarum, quem Aod interfecit, cum jam duodeviginti annorum servitute Judæos oppressisset [10]. Dicitur [11] quoque originem duxisse e

C Petra, Arabiæ Petreæ Principe, in qua terra Moab continebatur. Orpha, uti iisdem authoribus placet, fuit Mater celeberrimi Gigantis Goliath, quem David occidit. Traditio prorsus ridicula, nec ulli fundamento incumbens, quam levi cuidam similitudini, inter Orphæ nomen, & Araphæ matris Goliath. De Fabularum harum antiquitate judicium ferre licet ex eo, quod in Pseudo Philone, & in Hamartigenia Prudentii reperiantur;

.... Sed pristinus Orpha
Fanorum ritus præputia barbara suasit
Malle, & semiferè stirpem nutrire Golia.

Asserunt etiam, Orpham in Idolorum cultu perstitisse, Ruth vero Judæorum Religioni nomen de-

D disse; quod postremum dubio caret. Ruth enim tunc quid esset factura prodidit, cum ait ad Noemi hic ℣. 16. *Populus tuus populus meus, & Deus tuus Deus meus*. Sed Noemi innuit, Orpham adhuc patriæ suæ superstitionibus adhæsisse, cum ait ad Ruth ℣. 15. *En reversa est cognata tua ad populum suum, & ad Deos suos, vade cum ea*.

Paraphrastes Jonathan acriter exprobrat connubia Mahalun, & Chelion cum duabus his Moabitis: credit

1 ויהי בימי שפט השפטים ויהי רעב בארץ 2 Vide Authorem Tradit. Hebr. in Paralip. & Lyran. in 1. Par. 4. 22. *Et qui stare fecit Solem*, & Bonfrer. hic. 3 Vide Drus. hic, & Serar. qu. 2.
4 Judic. 12. 5. & 1. Reg. 1. 1. 3. & 3. Reg. 11. 26. 5 Hic, & 1. Reg. 17. 12.
6 Genes. 35. 19. & 48. 7. 7 יואש ושרף אשר בעלו במואב וישבו כלחם 8 Vide cap. 4. 10
9 Vide Munst. Drus. Serar. 10 Judic. 3. 14. 11 Tostat. Vatab. Arias.

dit Deum citius illos de viventium numero abstulisse, ut in eos animadverteret propterea quod infregissent Legem, qua cautum fuerat, ne Hebræi alienigenas uxores ducerent. Deuter. 7. 3. *Neque sociabis cum eis conjugia; filiam tuam non dabis filio ejus, nec filiam illius accipies filio tuo.* Verum quidem est Legis verba pressius sumpta damnare solum conjugia cum Chananæis; sed facile potest intelligi, eam Legislatoris fuisse mentem, ut omnia tollerentur conjugii fœdera cum populis alienigenis, ac idolorum cultui inservientibus, quoniam inter eos nullus erat, a quo minime verendum esset, ne perverterentur quicumque seu viri, seu mulieres, cum ipso fœdera iniisset. Præterea Moyses explicite Israelitis Moabitarum societatem interdixerat Deuter. 22. 3. dicens; *Ammonites, & Moabites etiam post decimam generationem non intrabunt in Ecclesiam Domini in æternum.* Denique sub Esdra [1] liquet, Moabitidas mulieres ex earum numero minime expungi, quas Israelitis uxores ducere vetitum erat. Ut autem filii Noemi excusentur, necessitas afferri potest, qua in regione extera, & procul a fratribus suis, adacti fuerunt, ut pejus malum effugerent, quod est incontinentia, ad leges has negligendas; quod nihilominus facere non debuerunt, nisi postquam Religionis veri Dei rudimenta uxoribus tradidissent, easque impulissent, quantum in ipsis erat, ut inanes suas superstitiones desererent.

℣. 8. ITE IN DOMUM MATRIS VESTRÆ.] Mulieres immorabantur in cubiculis seorsim ab hominibus; Puellæ vero cum matribus suis permanebant.

℣. 11. NUM ULTRA HABEO FILIOS EX UTERO MEO, UT VIROS EX ME SPERARE POSSITIS?] Iudæi docent, Legem [2], quæ fratres obligat, ad sumendam in uxorem viduam fratrum suorum, qui sine filiis obierint, neque eos respicere, qui post fratrum suorum mortem nascuntur; neque illos, qui uterini tantum fratres sunt, non autem ex iisdem parentibus geniti. Verum oppositum ex hac historia patet, namque Noemi in iis, quæ ait nuribus suis, supponit, quod si ipsa filiis gignendis fuisset apta, illæ sperare poterant, se illis quondam nupturas. Qui [3] Rabbinorum hoc in loco opinionem sectantur, hoc pacto explicant. Si possem adhuc filios parere, vos necessitudinis, ac fidei vestræ ergo mereremini, ut eos vobis maritos traderem, quamquam vi juris, filii, quos gignerem, nequaquam obnoxii essent legi, qua frater fratris sine filiis defuncti viduam ducere tenetur. Verum hoc est torquere, non explicare textum.

℣. 12. ETIAMSI POSSEM HAC NOCTE CONCIPERE, & PARERE FILIOS.] Hebraicus textus hæc habet [4]: *Cur dixi; spero adhuc viro nubere nocte hac, & mater fieri?* Vel: *Possum ne dicere; spero hac nocte concipere, ac filios parere?* Chaldaice: *Cur dixi: utinam virgo essem, ac sperarem me nupturam? verum nupta fui, ac filios peperi.*

℣. 13. SI EOS EXPECTARE VELITIS DONEC CRESCANT, & ANNOS PUBERTATIS IMPLEANT, ANTE ERITIS VETULÆ QUAM NUBATIS.] Hebraice [5]: *Num ideo velletis expectare donec adolescant? Num ideo velletis connubio carere*, & clausas permanere, atque cœlibatum servare? Septuaginta [6]: Expectabitis eos, donec adolescant? expectabitis eos, ut nubatis?

℣. 15. EN REVERSA EST COGNATA TUA AD POPULUM SUUM, & AD DEOS SUOS.] Creditur Orpha non consanguinea, sed necessaria tantum fuisse Ruth. Hebraica vox [7], quæ in Vulgata *cognata* redditur, nurum tantum dicitur significare. Plerique ex hoc loco inferunt, Orpham nequaquam ab inanium Deorum cultu recessisse, vel saltem in vera Religione haud perseverasse. Verum quidem est reddi posse [8] *Reversa est ad Deum suum.* Sed quem alium Deum habebat illa in Moab, quam Deum Chamos, qui in universa ea regione colebatur.

℣. 16. NE ADVERSERIS MIHI.] Hebraicus textus varie potest verti [9]: *ne stateas te ante me*, in meo itinere, contra me: vel *ne ad hoc adhorteris*, ne me preceris.

℣. 17. HÆC MIHI FACIAT DOMINUS, & HÆC ADDAT.] Ea plane expressit mala, quibus obrui precabatur, si socrum suam reliquisset; exempli gratia; me Deus ægritudine afficiat, vel pejoribus adhuc malis percutiat, si te deseruero [10]. Sacer Author haud e re putavit, has imprecationes exprimere, juxta veterum consuetudinem, qui adversi ominis causa a molestis his vocibus abstinent. Quidam etiam autumant, Ruth nullam particularem calamitatem expressisse, ac divino arbitrio integrum reliquisse, ut Deus quocumque mallet supplicio eam plecteret, si promissis defuisset. Ethnici quoque eadem juramenti formula utebantur [11]: *Hæc mihi faciant Dii, & hæc addant, nisi hac hora cras posuero animam tuam sicut animam unius ex istis*, dicebat Iezabel ad Eliam, qui Baal Prophetas occiderat.

℣. 21. QUAM DOMINUS HUMILIAVIT, & AFFLIXIT OMNIPOTENS.] Hebraice: *Me, quam Dominus* (Iehovah) *afflixit* (vel humiliavit), & *quam Omnipotens*, (*Sadai*, ille, qui sibi met sufficit) *malis obruit*.

℣. 22. QUANDO PRIMUM HORDEA METEBANTUR;] Sub veris initium. Messis hordei incipiebat immediate post Paschatis festivitatem, quæ die decima sexta Nisan celebrabatur, qui mensis Martio præter propter respondet.

---

1 1. Esdr. 9. 1. 2. 2 Deuter. 25. 5. 3 Grot. ad ℣. 13.
4 כי אמרתי יש לי תקוה גם הייתי הלילה לאיש וגם ילדתי בנים. 70. ὅτι εἶπα, ὅτι ἔστι μοι ὑπόστασις τοῦ γενηθῆναί με ἀνδρὶ καὶ τέξομαι υἱούς. 5 הלהן תשברנה עד אשר יגדלו הלהן תעגנה לבלתי היות לאיש
6 μὴ αὐτοὺς προσδέξεσθε, ἕως οὗ ἁδρυνθῶσιν, ἢ αὐτοῖς κατασχεθήσεσθε, τοῦ μὴ γενέσθαι ἀνδρί.
7 יבמתך 70. ἡ σύννυμφός σου. 8 ואל אלהיה 9 אל תפגעי בי 10 Grot. Vatabl.
11 3. Reg. 19. Vide & 4. Reg. 20. 10.

CAPUT

CAPUT II.

Ruth legit spicas in arvis Booz, qui eam benigne excipit. Revertitur sub vesperam, atque a Noemi intelligit, Booz suum esse consanguineum.

1. ERat autem viro Elimelech consanguineus, homo potens, & magnarum opum, nomine Booz. 2 Dixitque Ruth Moabitis ad socrum suam: Si jubes, vadam in agrum, & colligam spicas, quæ fugerint manus metentium, ubicumque clementis in me patrisfamilias reperero gratiam. Cui illa respondit: Vade, filia mea. 3 Abiit itaque, & colligebat spicas post terga metentium. Accidit autem, ut ager ille haberet dominum nomine Booz, qui erat de cognatione Elimelech. 4 Et ecce, ipse veniebat de Bethlehem, dixitque messoribus: Dominus vobiscum. Qui responderunt ei: Benedicat tibi Dominus. 5 Dixitque Booz juveni, qui messoribus præerat: Cujus est hæc puella? 6 Cui respondit: Hæc est Moabitis, quæ venit cum Noemi, de regione Moabitide. 7 Et rogavit, ut spicas colligeret remanentes, sequens messorum vestigia: & de mane usque nunc stat in agro, & ne ad momentum quidem domum reversa est. 8 Et ait Booz ad Ruth: Audi, filia, ne vadas in alterum agrum ad colligendum, nec recedas ab hoc loco: sed jungere puellis meis, 9 Et ubi messuerint, sequere. Mandavi enim pueris meis, ut nemo molestus sit tibi, sed etiam si sitieris, vade ad sarcinulas, & bibe aquas, de quibus & pueri bibunt. 10 Quæ cadens in faciem suam, & adorans super terram, dixit ad eum: Unde mihi hoc, ut invenirem gratiam ante oculos tuos, & nosse me dignareris peregrinam mulierem? 11 Cui ille respondit: Nuntiata sunt mihi omnia, quæ feceris socrui tuæ post mortem viri tui: & quod reliqueris parentes tuos, & terram, in qua nata es, & veneris ad populum, quem antea nesciebas. 12 Reddat tibi Dominus pro opere tuo, & plenam mercedem recipias a Domino Deo Israel, ad quem venisti, & sub cujus confugisti alas. 13 Quæ ait: inveni gratiam apud oculos tuos, domine mi, qui consolatus es me, & locutus es ad cor ancillæ tuæ, quæ non sum similis unius puellarum tuarum. 14 Dixitque ad eam Booz: Quando hora vescendi fuerit, veni huc, & comede panem, & intinge buccellam tuam in aceto. Sedit itaque ad messorum latus, & congessit polentam sibi, comeditque, & saturata est, & tulit reliquias. 15 Atque inde surrexit, ut spicas ex more colligeret. Præcepit autem Booz pueris suis, dicens: Etiamsi vobiscum metere voluerit, ne prohibeatis eam: 16 Et de vestris quoque manipulis projicite de industria, & remanere permittite, ut absque rubore colligat, & colligentem nemo corripiat. 17 Collegit ergo in agro usque ad vesperam: & quæ collegerat virga cædens, & excutiens, invenit hordei quasi ephi mensuram, id est, tres modios. 18 Quos portans reversa est in civitatem, & ostendit socrui suæ: insuper protulit, & dedit ei de reliquiis cibi sui, quo saturata fuerat. 19 Dixitque ei socrus sua: Ubi hodie collegisti, & ubi fecisti opus? sit benedictus, qui misertus est tui. Indicavitque ei, apud quem fuisset operata: & nomen dixit viri, quod Booz vocaretur. 20 Cui respondit Noemi: Benedictus sit a Domino: quoniam eamdem gratiam, quam præbuerat vivis, servavit & mortuis. Rursumque ait: Propinquus noster est homo. 21 Et Ruth, Hoc quoque, inquit, præcepit mihi, ut tamdiu messoribus ejus jungerer, donec omnes segetes meterentur. 22 Cui dixit socrus: Melius est, filia mea, ut cum puellis ejus exeas ad metendum, ne in alieno agro quispiam resistat tibi. 23 Juncta est itaque puellis Booz: & tamdiu cum eis messuit, donec hordea, & triticum in horreis conderentur.

℣. 1. ERAT AUTEM VIRO ELIMELECH CONSANGUINEUS, HOMO POTENS, ET MAGNARUM OPUM, NOMINE BOOZ.] Hebraicus textus ad litteram redditur [1]: *Noemi autem habebat hominem de cognitione viri sui, hominem potentem opibus de familia Elimelech, & homo hic appellabatur Booz*. Pro hac loquendi ratione *homo de cognitione* intelligi debet consanguineus, vel affinis, quem latine *cognatum* dicimus. Vidimus jam, quam immerito asserant Hebræi Booz eumdem esse ac Abe-

1 ולנעמי מודע לאישה איש גבור חיל ממשפחת אלימלך ושמו בעז . 70. τῇ δὲ Νωεμὶ ἀνὴρ γνώριμος τῷ ἀνδρὶ αὐτῆς.

te Abesan Judicem Israel. Legimus infra c. 4. ℣. 20. (A) Booz fuisse filium Salmon, & nepotem Nahasson. Sed nonnulli dubitant, an immediate fuerit filius Salmon, censentque aliquot generationes in Textu omissas fuisse. Asserunt enim longius fluxisse temporis intervallum a Salmon marito Rahab, ad Booz patrem Obed, & avum Jesse, quam una tantum generatio interfuisse censeatur.

Ab Israelitarum ingressu in terram Chanaan usque ad nativitatem David trecenti sexaginta sex anni fuerunt elapsi. At quomodonam totum id tempus replere potuerunt quatuor illi viri, Salmon, Booz, Obed, Jesse, vel Isai pater David? Ut systema hoc minime corruat, fatendum erit, illorum singulos provectiori tantum ætate filios genuisse, qui ultra centesimum annum vixerint, quod pro iis temporibus (B) maxime est rarum, atque præsertim quod plures in eadem familia consequenter ad eam ætatem pervenerint. His innixi argumentis [1] quidam tres fuisse putant viros nomine Booz; primum quidem filium Salmon, ac alterius Booz patrem, qui tertium genuit, de quo hic sermo.

Verum quemadmodum nulli fundamento adhærentes duos Booz in David genealogiam inserunt, ita quoque nulla ad id vera necessitate coguntur. Fatemur quidem raro nunc, atque tunc etiam fortasse temporis, sed minus, quam hodie assolet usuvenire, ut quatuor consequenter in eadem familia viri inveniantur, qui diutius vivant; verum hoc nequaquam est impossibile. Salmon centum, & sex annos natus gignere potuit Booz post sex circiter, & sexaginta an- (C) nos, ex quo Israelitæ promissam terram fuerant ingressi. Booz centum annos fortasse natus genuit Obed, qui præter propter eadem ætate Isai filium accepit. Denique Isai quoque, cum ad centesimum pervenisset ætatis annum genuit David. Sex, & sexaginta anni Salmon, & centeni singulorum, qui consecuti sunt Booz, Obed, & Isai, reddunt annos trecentos, & sexaginta sex, qui ab ingressu Israelitarum in terram Chanaan, usque ad David nativitatem effluxerunt.

Elimelech consanguineus erat Booz [2], sed quo in gradu non liquet. Nonnulli ajunt, fratres fuisse; quod nullatenus est probabile, quandoquidem illud Scriptura non asserit, cum tot in hoc libro occasiones adfuerint illud dicendi; ac præterea constat ma- (D) ritum Ruth propinquiorem habuisse consanguineum, quam Booz. At quemnam habuisset consanguineum propinquiorem, si Booz fuisset frater illius? Alii ajunt [3], Elimelech fuisse fratrem Salmon, atque ideo patruum Booz, non autem dumtaxat avunculum, nam infra dictum est, alium ipsi propinquiorem fuisse. Hic autem fuisse dicitur Tob frater natu major Abimelech, cujus nomen vers. 13. cap. 3. occurrit. Sed nihil est hoc fundamento magis præceps, quemadmodum videbimus alibi.

℣. 2. COLLIGAM SPICAS, UBICUMQUE CLEMENTIS IN ME PATRISFAMILIAS REPERERO GRATIAM.] Juxta leges Moysis spicas legere viduæ tantum licebat, peregrino, & pauperi [4]; prohibebat Deus, agri Dominum colligere spicas, quæ deciderent, & (E) inquirere, siquid messores obliti reliquissent; hæc enim pauperis pars erat, & peregrini. Nihilominus videtur hic vereri Ruth, ne quem inveniret, qui ipsi aristas legendi copiam non faceret; & ℣. 22. Socrus illius ipsam adhortatur, ut in agrum Booz redeat, ne quis ipsi molestiam adferat. Denique vers. 8. rogat illum, qui præerat messoribus Booz, ut sibi liceat metentes sequi, ac post illos spicas colligere. Credendum est autem, ipsam veluti alienigenam modestiæ, ac urbanitatis ergo id poscere, quod exigere potuisset, ac jure sibi vindicare.

℣. 4. DIXIT MESSORIBUS: DOMINUS VOBISCUM.] Hæc tempore messis erat consuetudo benedictionibus eos prosequendi, qui agrorum laboribus exercerentur [5]; *Fiant sicut fœnum tectorum, quod priusquam evellatur, exaruit; de quo non implevit manum suam, qui metit, & sinum suum, qui manipulos colligit; & non dixerunt, qui præteribant, Benedictio Domini super vos: Benediximus vobis in nomine Domini.*

℣. 5. DIXIT BOOZ JUVENI, QUI MESSORIBUS PRÆERAT.] Booz fidelem servum præfecerat, qui dum ipse abesset, messoribus invigilaret. Homerus Iliad. Σ describit Præfectum, vel *Regem inter messores stantem, manu sceptrum præseferentem, silentium servantem, ac ob uberrimam messem lætantem*. Hinc argui possunt priscorum illorum temporum studia, quibus agricultura, & campestris œconomia in honore habebantur.

℣. 7. DE MANE USQUE NUNC STAT IN AGRO, ET NE AD MOMENTUM QUIDEM DOMUM REVERSA EST.] Hebraicus textus hæc habet ad litteram [6]: *Venit, ac permansit de mane usque ad hanc horam, qua parumper domi immoratur.* Perinde ac Ruth cum a summo mane usque ad horam, qua Booz advenit, adlaborasset, parumper consedisset ad quiescendum ad umbram in ea domo, quo messores Booz tunc secedebant, ut vescerentur, nolens sola in agro immorari, dum messores abessent, ut quamlibet suspicionem effugeret. Dum igitur hæc transigerentur, adveniens Booz, alienigena hac puella perspecta quæsivit ex præfecto operum, quænam esset; a quo recognita, dixit mulieri, ut accederet, ac cum agricolis vesceretur; nam hoc pacto explicandus est versiculus decimus quartus: *Quando hora vescendi fuerit, veni huc, & comede panem, & intinge buccellam tuam in aceto. Sedit itaque ad messorum latus, & congessit polentam sibi, comeditque, & saturata est, & tulit reliquias.*

Alii sensum hunc hebraicæ tribuunt lectioni: *Stetit hic de mane usque nunc, & permansio ipsius domi exigua est.* Conjicere hinc potes, ipsam non diu domi suæ permanere; ipsamque non ignavam, inertemque vitam agere. Hæc explicatio violentior mihi videtur; prima quidem simplicior est, ac magis naturalis. Videtur autem tunc adfuisse tempus, quo messores Booz pranderent, ac Ruth cum ipsis domum introisse, ut sic ab omni suspicione tueretur.

℣. 8. JUNGERE PUELLIS MEIS (℣. 9.) ET UBI MESSUERINT SEQUERE.] Puellæ, videlicet ancillæ Booz metebant hordeum, servi autem in fasciculos colligebant illud, ac prout secabatur, in manipulos alligabant; aliter Ruth sequi non potuisset metentes, nam tunc solum spicæ leguntur, cum manipuli sunt colligati. In eodem quoque Homeri, quem attulimus, loco, messores cum falcibus describuntur, quos deinde tres subsecuntur homines, qui manipulos ad mensuram colligant, & pueri, qui fasciculos legunt.

℣. 9. SI SITIERIS, VADE AD SARCINULAS, ET BIBE AQUAS, DE QUIBUS ET PUERI BIBUNT.] Gratia hæc haud erat parva iis in locis, ubi aquæ communes non sunt, atque tunc temporis, cum maxime calor exæstuat. Hebraicus textus non meminit aquæ; ait vero simpliciter [7]: *Si sitieris, vade ad sarcinulas, & bibe, de quo & pueri bibunt.* Sed Chaldæus, Septuaginta [8], & Interpretes explicant de aqua, quæ in hircinis utribus, vel fictilibus hydriis pro messoribus servabatur.

℣. 10. ET NOSSE ME DIGNARERIS.] Atque unde hoc bonum mihi, ut me peregrinam dignareris agnoscere,

1 Lyran. in c. 2. & 4. & in Matth. 2. Quidam in Jarchio. Catarin. l. contra Cajet. &c.
2 Grot. 3. 5.
3 Rab. Josue apud Serar. qu. 5. & Grot. ad ℣. 20. Item Bonfret. hic.
4 Deuter. 24. 19. & Levit. 19. 9. & 23. 22.
5 Psal. 128. 5. 7.
6 ותבוא ותעמוד מאז הבקר ועד עתה זה שבתה הבית מעט
7 וצמת והלכת אל הכלים ושתית מאשר ישאבון הנערים
8 70. καὶ πίεσαι ὅθεν ὑδρεύονται τὰ παιδάρια.

ſcere, vel me veluti tibi cognitam, atque amicam excipere. Ita quoque David loquitur ad Deum [1]: *Quid eſt homo, quod memor es ejus; & filius hominis, quoniam viſitas eum?*

℣. 12. SUB CUJUS CONFUGISTI ALAS.] Veniſti, ut te proſelytam faceres, inquit Chaldæus. Scriptura ſæpius hac utitur ſimilitudine, confugere ſub alas Domini, ut ſignificet, illius protectionem quærere, auxilium, aſylum. *Filii hominum in tegmine alarum tuarum ſperabunt*, inquit Propheta Pſal. 38. 8. & alibi [2]: *Scapulis ſuis obumbrabit tibi, & ſub pennis ejus ſperabis*: & J. C. in Evangelio Matth. 23. 37. *Quoties congregare volui filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti?*

℣. 13. QUI CONSOLATUS ES ME, ET LOCUTUS ES AD COR ANCILLÆ TUÆ.] Utraque hæc locutio unum tantum ſignificat. Loqui ad cor, humane, comiter affari, conſolari; alibi jam potuerunt animadverti. Vide Geneſ. 34. 3. Iudic. 19. 3. Iſai. 11. 2. Oſee 11. 14.

℣. 14. INTINGE BUCCELLAM TUAM IN ACETO.] Meſſores utebantur aceto, in quo panem intingerent, namque acetum refrigerat [3]: *aceto ſumma vis in refrigerando*, Plinius ait l. 23. c. 1. Chaldæus Paraphraſtes ita intelligit: *Intinge buccellam tuam in oxyporo cum aceto condito*. Alii [4] vero explicant de diluto vino, quod Latine *lora*, vel *poſca* appellatur, quo adhuc Itali, ac Hiſpani agricolæ meſſis tempore utuntur. Hoc autem fit cum folliculis acinorum expreſſis, ſuper quos effunditur aqua, quæ ibi parumper quieſcere ſinitur, antequam iterum in torculari ponantur. In navibus quoque mari quoddam aceti genus adhibetur, quod aquæ immixtum pravum ipſius odorem adimit. Romani milites diluto hoc vino, de quibus loquimur, utebantur [5]: *Peſcennius juſſit vinum in expeditione neminem bibere, ſed aceto univerſos eſſe contentos*, Spartianus ait; nec deſunt, qui putent, hoc potionis genus oblatum fuiſſe Domino noſtro de Cruce pendenti, quod Evangeliſta acetum appellat. Denique nihil magis obvium apud Poetas, quam acetum in pauperum, atque agreſtium hominum menſa. Hoc vulgatum erat epularum ſuarum condimentum. Plautus in Rudente: *Sed hic Rex cum aceto pranſurus eſt, & ſale*. Cato de Re R. c. 5. vult domeſticis *halecem*, vel *acetum* tribui, cum olivæ deſierint.

CONGESSIT POLENTAM.] Plerique Hebraicum textum reddunt [6], *dedit illi polentam*; Booz [7], juxta Septuaginta, ipſe illi hanc tradidit; juxta alios [8], aliquis e comitatu, ac ille procul dubio, qui meſſoribus præerat. Nonnulli autumant, quod illi datum eſt, fuiſſe quodam farinæ genus, vel ſecundarium in patella confrictum, ac forte oleo aſperſum; alii putant hæc fuiſſe grana fricta, vel ariſtas ad ignem toſtas. Homerus Iliad. Σ in meſſis deſcriptione, de qua locuti ſumus, quaſdam mulieres exhibet, quæ prandium meſſoribus parabant, *immiſcentes*, vel ſpargentes *farinæ copiam*. Hoc erat embamma, quod vulgo fieri rure conſueverat, quemadmodum ex aliis pluribus ejuſdem Poetæ locis patet. Legimus in Moyſe Levit. 3. 14. illud quoque in Domini Templum offerri conſueviſſe; verum ego intelligere malim de grano aſſo. David his granis toſtis, ac frictis ad fratres ſuos in Saul exercitum attulit 1. Reg. 17. 18. Abigail eorum maximam Davidi obtulit copiam 1. Reg. 25. 18. & Berzellai, ac alii quidam amici Davidis ad eum acceſſerunt, ut hæc cum aliis epularum generibus ei offerrent Abſalonem fugienti 2. Reg. 17. 28. Si hæc polenta fuiſſet, quomodonam Ruth, quod reliquum fuit, ad ſocrum ſuam attulit? Viatores in Æthiopia nullam præterea ſibi plerumque annonam ſumunt, quam hordeum hoc pacto aſſum [9]. Varro de Re R. l. 1. c. 63. & 69. loquitur de ratione torrendi, ac frangendi triticum in eſcam agricolarum.

℣. 15. ETIAMSI VOBISCUM METERE VOLUERIT, NE PROHIBEATIS EAM.] Etiamſi non legere ſpicas, ſed plena manu e meſſe ariſtas ſibi ſumere voluerit, ne prohibeatis eam. Hebraice [10]: *Colligat etiam inter manipulos, ne confundatis illam*; videlicet, ne exprobretis illam, neque confuſionem illi injicite, quamvis eo uſque procederet, ubi manipuli alligantur. Patet in Hebræorum ſtylo confuſionem injicere idem ſignificare, ac refutare, impedire, reprehendere; *En decies confundiſtis me*, ajebat Job 19. 3. videlicet, vos me coarguiſtis. *Nunc autem repuliſti, & confudiſti nos*, inquit Propheta Pſal. 43. 10. ſcilicet, nunc autem repuliſti, neque exaudiſti preces meas.

℣. 17. QUÆ COLLEGERAT VIRGA CÆDENS.] Apud Hebræos plures erant rationes triticum excutiendi. Vel enim boum opera utebantur, vel gravibus ligneis tragulis, quæ ſuper fruges trahebantur. Verum fruges, quæ facile excutiebantur, præſertim cum parva eſſet copia, virga cædebantur [11]. Gedeon ita in torculari ſuo fruges triturabat [12]: & fortaſſe hordeum baculo tantum excutiebatur. Hæc autem hordei meſſis erat. Baculi excuſſorii nequaquam uſum obtinuerunt in regionibus calidis, ſi fides eſt penes viatores.

QUASI EPHI MENSURAM, ID EST, TRES MODIOS.] Interpres per explicationis modum addidit tres modios. Ephi continebat libras octoginta.

℣. 20. BENEDICTUS SIT A DOMINO.] Hebraice [13]: *Benedictus ſit Domino*, benedictionibus repleatur. *Benedictus Domino* ſignificare poteſt divinarum benedictionum cumulum, immenſarum, ſuperabundantium, non ſecus ac Magnus Domino, Fortis Domino, magnitudinem, ac fortitudinem miram ſignificat.

EAMDEM GRATIAM, QUAM PRÆBUERAT VIVIS, SERVAVIT ET MORTUIS.] Booz ſatis oſtendit, quo benevolentia virum meum, ac filios meos complecteretur ea largitate, qua erga ſe, ac me uſus eſt. Hebraicus textus [14]; *non dereliquit miſericordiam ſuam cum vivis, & mortuis*. Gratia ipſius nequaquam deſiit in marito, ac filiis meis, qui eſſe deſierunt, verum extenditur etiam ad te, & me.

PROPINQUUS NOSTER EST HOMO.] Hebraice [15]; *Homo hic propinquus noſter eſt, atque unus e redemptoribus noſtris*. Poſtrema vox huc illum ſignificat, qui jus habet redimendi agros viri cujuſpiam e familia ſua, qui patrimonium ſuum abalienaverit, vel libertatem vendiderit. Illum quoque denotat, qui ulciſci debet ſanguinem, & perſequi conſanguinei ſui interfectorem. Denique pro illo uſurpatur, qui vi legis, vel conſuetudinis tenetur viduam fratris ſui, vel cognati, qui abſque liberis obierit, uxorem ducere. Noemi non ait abſolute, Booz *redemptorem* eſſe, verum unum e redemptoribus familiæ ſuæ eo in ſenſu, quem modo huic voci tribuimus. Superius animadvertimus melioris notæ Interpretes arbitrari, Booz nepotem fuiſſe Elimelech, & filium fratris ipſius.

℣. 23. DONEC HORREA, ET TRITICUM IN HORREIS

1 Pſal. 8. 5. & 143. 3. & Job 7. 17. 2 Pſal. 90. 4. Vide & Pſal. 16. 8. 56. 2. 60. 5. 62. 8.
3 Abenezra, Lyran. Munſt. Vatabl. Druſ. 4 Grotius hic. Vide & Serar. qu. 24. & Cornel. a Lapide hic, & Columell. l. 1. de Re R. c. 54. *Expreſſi acinorum folliculi, in dolia conjiciuntur, eoque aqua additur. Ea vocatur lora, quod lota acina, ac pro vino operariis datur hyeme*. Vide eumdem l. 12. c. 40.
5 Vide Lipſium lib. 5. de Milit. Rom. Dialog. 16. 6 ויצבט לה קלי.
7 καὶ ἐβούνισεν αὐτῇ Βοὸζ ἄλφιτον. 8 Vatabl. Tigur.
9 Relatio de Superiori Æthiopia p. 308. 10 גם בין העמרים תלקט ולא תכלימוה
11 Vide Iſai. 28. 27. 12 Iudic. 6. 11. 13 ברוך הוא ליהוה
14 לא עזב חסדו את החיים ואת המתים
15 קרוב לנו האיש מגאלינו הוא. 70. ἐγγίζει ἡμῶν ὁ ἀνήρ, ἐκ τῶν ἀγχιστευόντων ἡμῶν ἐστι.

REIS CONDERENTUR.] Hebraicus textus, & Septuaginta: *Donec messis hordei, ac frugum compleretur*; quod magis ad litteram accedit; nam hordea non condebantur in horreis, nisi aliquandiu post messem; & hordea Booz adhuc erant in area, cum Ruth illi nupsit, quemadmodum sequenti capite videbimus. Hinc porro difficultas oritur; nam quomodo fuit illa cum messoribus Booz usque ad finem messis frugum; nam quemadmodum patet, in Palæstina triticum oonnisi post mensem, vel sex hebdomadas ab hordei messe A elapsas metebatur; atque ita antequam hordei messis compleretur Booz uxor evasit? Vertendum igitur est juxta hebraicum textum, Syrum, & Arabicum hoc pacto: vers. 22. *Melius est, ut cum puellis ejus exeas ad metendum, ne in alieno agro quispiam resistat tibi*: vers 23. *atque cum messoribus Booz conjuncta cum ipsis metere persistas, usque dum hordei messis compleatur*. Hoc erat consilium Noemi; verum permisit Deus, ut illa nuberet Booz ante messem triticeam.

CAPUT III.

Ruth consilio Noemi recumbit ad pedes Booz in area sua dormientis. Booz illi pollicetur, se in uxorem accepturum, si propinquior consanguineus, eam ducere noluerit. Ruth revertitur ad Noemi cum sex modiis hordei.

1\. POstquam autem reversa est ad socrum suam, audivit ab ea: Filia mea, quæram
tibi requiem, & providebo, ut bene sit tibi. 2 Booz iste, cujus puellis in a-
gro juncta es, propinquus noster est, & hac nocte aream hordei ventilat. 3
Lavare igitur, & ungere, & induere cultioribus vestimentis, & descende in aream. Non
te videat homo, donec esum, potumque finierit. 4 Quando autem ierit ad dormien-
dum, nota locum, in quo dormiat: veniesque, & discooperies pallium, quo operitura
parte pedum, & projicies te, & ibi jacebis: ipse autem dicet tibi quid agere debeas.
5 Quæ respondit: Quidquid præceperis, faciam. 6 Descenditque in aream, & fecit o-
mnia, quæ sibi imperaverat socrus. 7 Cumque comedisset Booz, & bibisset, & factus
esset hilarior, issetque ad dormiendum juxta acervum manipulorum, venit abscondite,
& discooperto pallio a pedibus ejus, se projecit. 8 Et ecce, nocte jam media expavit
homo, & conturbatus est: viditque mulierem jacentem ad pedes suos. 9 Et ait illi:
Quæ es? Illaque respondit: Ego sum Ruth ancilla tua: expande pallium tuum super fa-
mulam tuam, quia propinquus es. 10 Et ille, Benedicta, inquit, es a Domino, filia,
& priorem misericordiam posteriore superasti: quia non es secuta juvenes, pauperes,
sive divites. 11 Noli ergo metuere, sed quidquid dixeris mihi, faciam tibi. Scit enim
omnis populus, qui habitat intra portas urbis meæ, mulierem te esse virtutis. 12 Nec
abnuo me propinquum, sed est alius me propinquior. 13 Quiesce hac nocte: & facto
mane, si te voluerit propinquitatis jure retinere, bene res acta est: sin autem ille nolue-
rit, ego te absque ulla dubitatione suscipiam, vivit Dominus: dormi usque mane. 14
Dormivit itaque ad pedes ejus usque ad noctis abscessum. Surrexit itaque, antequam ho-
mines se cognoscerent mutuo, & dixit Booz: Cave, ne quis noverit, quod huc vene-
ris. 15 Et rursum, Expande, inquit, pallium tuum, quo operiris, & tene utraque
manu. Quo extendente, & tenente, mensus est sex modios hordei, & posuit super eam.
Quæ portans ingressa est civitatem, 16 Et venit ad socrum suam. Quæ dixit ei: Quid
egisti, filia? Narravitque ei omnia, quæ sibi fecisset homo. 17 Et ait: Ecce sex
modios hordei dedit mihi, & ait: Nolo vacuam te reverti ad socrum tuam. 18 Di-
xitque Noemi: Expecta, filia, donec videamus, quem res exitum habeat. Neque enim
cessabit homo, nisi compleverit, quod locutus est,

℣. 1. POSTQUAM REVERSA EST AD SOCRUM.] A Verba hæc in hebraico textu ad calcem superioris capitis leguntur, ac textus ille hoc pacto verti potest [1]: *Et Ruth habitavit cum socru sua;* cap. 3. *& Noemi socrus illius dixit illi: filia mea* &c.

QUÆRAM TIBI REQUIEM, ET PROVIDEBO, UT BENE SIT TIBI.] Hebraice [2]: *Quæram tibi requiem, quæ tibi placebit*, quæ te bonis cumulabit. Hac eadem locutione superius cap. 1. usa fuerat, ut conjugium significaret: *Det vobis invenire requiem in domibus virorum, quos sortituræ estis*. Nuptiæ puellæ conditionem constituunt, ei requiem largiuntur, ac certam ipsi sedem præbent.

℣. 2. HAC NOCTE AREAM HORDEI VENTILAT.] Communis cribrandi ratio, quæ ad hanc diem in Italia, calidisque regionibus usurpatur, est projiciendi in aera trituratas fruges, adhuc cum minutis paleis permixtas; expectatur ad id, ut aura lenis, & æquabilis flet, quæ paleas abducat, dum segetes pro-

1 ותשב את חמותה. 2 אבקש לך מנוח אשר ייטב לך

prio pondere in aream dilabuntur. Columella vero [1], si non quamprimum ventus afflaverit, jubet consuetos adhiberi vannos, ne dum aerem agitari expectas, pluvia desæviat, quæ totius anni laborem perdat. In Palæstina, non secus ac in aliis regionibus, quæ a mari non absunt, quotidie vesperi frigida a mari perflat aura; ad quam profecto Booz messem ventilare debebat. Inde vero adducor, ut credam, id ipsum fecisse sub noctis initium, quod dederit Ruth sex hordei modios, antequam illa reverteretur. In area eadem alii aderant manipuli nondum excussi, quemadmodum infra videbimus, apud quos Booz procubuit. Hæc omnia plane in agro eodem contigerunt, quo Ruth antea spicas lectum accesserat. In locis calidis, ac ubi area detecta erat, prope aderat plerumque locus, quo messores, dum meridianus æstus ferveret, succedebant. Columella l. 2. cap. 51. *Ubi area retecta, & loca calida, prope aream faciundum umbraculum, quo succedant homines in æstu meridiano* &c. l. 1. c. 7. *Huic autem (areæ) nubilarium applicari debet . . . quo collata semitrita frumenta protegantur, si subitaneus imber incesserit.*

℣. 4. DISCOOPERIES PALLIUM, QUO OPERITUR A PARTE PEDUM.] Booz humi forte cubaverat, quemadmodum iis in regionibus assolebat, stragulo quodam coopertus. Noemi hortatur Ruth, ut leviter ad illum dormientem accedat, atque apud ipsum recumbat, postquam se straguli parte, quæ illius pedes operiebat, texerit, vel potius postquam illum a parte pedum retexerit. In Oriente mulieres observantiæ causa in virorum suorum thalamos ingredi tunc solum dicuntur, cum ipsi cubaverint, atque ex inferiori tantum cubilis parte, vel ad lecti pedes obrepere, modeste stragula attollendo, veluti in obedientiæ, ac servitutis argumentum.

Qui facinus Ruth, & consilium Noemi extrinsecus tantum, atque carnalibus oculis secundum concupiscentiæ ideas fuerit intuitus, hæc profecto aliquo cum pudore, ac horrore perspiciet, quemadmodum S. Ambrosius refert [2]: *Si secundum litteram sensum torqueamus, prope quidem pudor, & horror in verbo est, si ad commixtionis corporeæ sententiam, intellectumque referamus.* Verum si ex fine, consilio, circumstantiis, abditisque sensibus factum hoc æstimare velimus, mitius profecto judicium feretur. Ruth jus habebat, Booz conjugium petendi, quem Noemi credidisse videtur præ cæteris arctiori propinquitatis vinculo devinctum. Quærit illa modum, quo honeste ipsi voluntatem suam detegat, qua jure suo frui vellet: novit illa suæ causæ justitiam, probitatem, ac ætatem Booz, cum jam animo suo constituisset se Dei ope, cujus veluti pignus erat obedientia, qua socrui suæ parebat, numquam assensuram actioni cuipiam, quæ pudori, ac justi connubii legibus adversaretur [3]. Superiori illa spiritu plane afflata operabatur [4], qui factum illius prospero eventu prosecutus est, atque animum Booz disposuit, ut actionem ipsius veluti virtutis effectum existimaret, atque desiderii, quo flagrabat, ut perfecta Israelita fieret, gignens viro suo filios, per quos nomen viri sui etiam post obitum revivisceret. Quare factum fuit, ut Booz præclaris eam exciperet laudibus dicens; *Benedicta es a Domino, filia, & priorem misericordiam posteriore superasti, quia non es secuta juvenes, pauperes, sive divites.* Si libidinis amore Ruth id esset operata, juvenibus adhæsisset; sed adhærens seni, qui erat velut pater ipsius, quandoquidem hic eam filiam appellat, satis consiliorum suorum rectitudinem probat.

Fatendum tamen est, factum ipsius haud esse imitandum, ac Noemi summum in discrimen nurum suam adduxisse, ita ut Booz eam veluti meretricem existimare posset, vel pejus aliquid cum illa committere. Oportebat enim, utriusque virtutem illi esse perspectam, ut nurum in opus periculosæ adeo plenum aleæ impelleret. Vel potius hac in re Spiritus Sancti afflatum secuta est, qui actionis hujus author fuerat.

Ruth ad pedes Booz cubans, atque occultis vocibus postulans, ut eam velit conjugem accipere, figura est Gentilitatis [5], peregrinæ quoad Judæos, ac Jesum Christum, qui præcipue missus fuerat, ut oves de Domo Israel redimeret, verumtamen divino huic Redemptori cognatæ, quod ipsius opus erat, & creatura. Gentilitas quidem non palam postulat, ut J. C. eam in uxorem ducat, sed paupertas ipsius, viduitas, ac a patria longinquitas, satis ostendebat cupiditatem, qua flagrabat, requiem suam in ipso inveniendi, qui unus spiritui, & cordi veram largiri potest tranquillitatem. Booz tamen non accipit in Uxorem Ruth, nisi prius propinquior eam ducere abnuerit; non secus ac J. C. & Apostoli non prædicant Gentibus, easque in Ecclesiam minime excipiunt, nisi post repulsam, ac obdurationem Judæorum, quorum fatum adamussim expressum est in eo, quod huic consanguineo Ruth accidit, cui jubebat Lex Deut. 25. 9. 10. calceamentum auferri, in faciem conspui, ac domum ipsius in Israel *domum discalceati* appellari.

℣. 7. CUMQUE COMEDISSET BOOZ, & BIBISSET, & FACTUS ESSET HILARIOR.] Messis tempus vulgo tempus erat solatii, ac hilaritatis [6]. *Lætabuntur coram te*, inquit Isajas 9. 3. *sicut qui lætantur in messe.* Ethnici tempore hoc messoribus convivia sternebant in Jovis, ac Cereris honorem. Messis a sacrificiis, ac solemnitatibus inchoabat, atque in eadem desinebat [7]. Deus Israel quoque imperabat, ut in Templum suum primitiæ tum ante, cum post messem inferrentur, atque coram ipso celebrarentur convivia. Vide Levit. 23. 10. Deuter. 26. 2. &c.

ISSETQUE AD DORMIENDUM JUXTA ACERVUM MANIPULORUM.] Hebraice [8], ad extremitatem *acervi manipulorum*. Septuaginta [9]: *ad latus acervi herbarum*. Recubuit vel humi, vel super paleas in area sua. Vox, qua utuntur Septuaginta, herbam significat, quæ colligitur, ut quis super ipsam sternatur. Arabes, ac populi ipsorum accolæ humi gestiunt cubare, palliis quibusdam cooperti.

℣. 8. EXPAVIT HOMO, & CONTURBATUS EST, VIDITQUE MULIEREM JACENTEM AD PEDES SUOS.] Hebraicus textus hoc pacto reddi potest [10]: *Et Booz expavit, & tetigit, & ecce mulier ad pedes illius*: Vel, *expavit, & vertit se se, & ecce mulier ad pedes illius*. Aliter: *Expavit, & recessit*; vel denique, expavit, & obstupuit videns mulierem ad pedes suos. Ignoratur vis Hebraicæ vocis, quam Septuaginta, & Vulgata reddiderunt, *conturbatus est*, quamque Chaldæus Paraphrastes vertit; caro *illius mollis instar effecta est, tamquam rapa*.

℣. 9. EXPANDE PALLIUM TUUM SUPER FAMULAM TUAM, QUIA PROPINQUUS ES.] Hebraice [11], *quia redemptor es*, videlicet protector, ultor, præsidium familiæ nostræ; tu bonorum nostrorum curam gerere debes, per te viri mei nomen, qui absque liberis obiit, debet reviviscere. Hæc ratio, nec non circumstantia temporis, ac intentionis Ruth, & Noemi nequaquam sinunt nos ambigere, quin hæc locutio, *Expande pallium tuum super me*, significet, me duc in

1 Columel. l. 3. c. 21. *Ubi paleis immixta sunt frumenta vento separentur . . . . At si pluribus diebus silebit aura, vannis expurgentur, ne post nimiam ventorum segnitiem, vasta tempestas irritum faciat totius anni laborem.*
2 Ambros. l. 3. de Fide c. 10. nov. edit. Vide Serar. qu. 9. & 10. 3 Theodoret. qu. 2.
4 Author operis imperfecti in Matth. *Quod prosperatus fuerat Deus actum ipsius sciens conscientiam suam: Quia non libido ad hoc impulerat, sed Religio erat hortata.* 5 Vide Ambros. loc. cit. Theodor. qu. 2. Chrysost. hom 3. in Matth. 6 Psal. 125. 5. 6. 7 Vide Caton. c. 131. & Philochor. & Varron. l. 1. de Re R. & Virg. Georg. 1. 8 ויבא לשכב בקצה הערמה 9 70 ἐν μέρει τῆς στιβάδος.
10 ויחרד האיש וילפת והנה אשה שכבת מרגלתיו 70 ἐξέστη ὁ ἀνὴρ καὶ ἐταράχθη
11 כי גאל אתה 70. ὅτι ἀγχιστεὺς εἶ σύ.

in Uxorem. Occurrit in Ezechiele 16. 8. Locutio penitus similis: *Expandi amictum meum super te, & operui ignominiam tuam, & juravi tibi, & ingressus sum pactum tecum, & facta es mihi*. Apud Profanos quoque Euripides: *cum ingressa fueris sub stragulum hominis honesti*. Moyses ad hoc ipsum alludit, cum incestum prohibens his vocibus utitur Deuter. 22. 30. & 27. 20. *Non accipiet homo uxorem patris sui, nec revelabit operimentum ejus*. Booz tunc quoque sine alio ritu uxorem ducere potuisset Ruth [1], nam mutuus consensus partium satis erat, ut contraherentur nuptiæ, præcipue cum propinqui adeo essent, atque Legis vi conjugium inire simul tenerentur, nisi propinquior alter fuisset, qui ad id Legibus magis obligaretur.

B Plures Interpretes [2] credunt, Ruth hic solum Booz protectionem efflagitare, perinde ac diceret; Excipe me sub alis tuis, velut gallina excipit pullos suos; in eodem sensu, quo supra Booz dicebat ad Ruth cap. 2. 12. *confugisti sub alas Domini Dei Israel*; ita quoque ajebat Isajas 4. 1. *& apprehendent septem mulieres virum unum in illa die dicentes, Panem nostrum comedemus, & vestimentis nostris operiemur: tantummodo invocetur nomen tuum super nos* (sponsæ tuæ nuncupemur,) *aufer opprobrium nostrum*. Denique inde volunt ortam consuetudinem, nisi prius jam invaluerat, ut in nuptiarum cæremoniis vir extremam vestis oram super uxorem extenderet, ut significaretur, illius tutelam, ac protectionem assumere. Verum hæ rationes minimum nos a proposita sententia dimovebunt.

℣. 10. PRIOREM MISERICORDIAM POSTERIORE SUPERASTI.] Conjugalis amor, quo virum tuum, dum viveret, es prosequuta, ac obedientia, quam socrui tuæ post viri tui obitum præstas, laudibus procul dubio sunt excolenda; at desiderium, quo ardes, pro viribus admitendi, ut viri tui nomen, ac memoria reviviscat, consanguineo cuipiam ipsius nubens, magis adhuc perspicue constantem, ac generosum amorem tuum probat; eo quod non levi amore ducta, non juvenili ardore succensa, juveni cuipiam vel diviti, vel pauperi, vel in regione tua, vel in hac adhærere volueris.

℣. 11. MULIEREM TE ESSE VIRTUTIS.] *Virtutis* nomen [3] non intelligitur istic pro qualitate, quæ vitio adversatur, sed pro vi, generositate, honestate; quo in sensu Salomon Prov. 31. 10. mulierem

D laudans, *mulierem fortem* appellat, quæ verba idem ac præsentia significant *Mulierem virtutis*.

℣. 12. EST ALIUS ME PROPINQUIOR.] Judæi credunt, hunc, de quo Booz loquitur, fratrem fuisse Elimelech, dum Booz hujus nepos esset tantummodo, quemadmodum supra explicuimus. Booz, & iste, de quo ipse loquitur, in eodem esse poterant consanguinitatis gradu respectu Mahalon, qui fuerat vir Ruth, sed alter altero ætate provectior; atque tunc jus redemptionis, & obligatio ducendi viri defuncti viduam primum quidem ad seniorem, qui si abnuisset, mox ad juniorem spectabat. Hebraicus textus

A hic habet [4]: *Quamquam vere ego redemptor sim, adest tamen redemptor propinquior me*.

℣. 13. SI TE VOLUERIT PROPINQUITATIS JURE RETINERE, BENE RES ACTA EST.] Rabbini hic Hebraicum textum ad litteram vertunt [5]: *Si Tob te redimit, ille te redimat*. Si te uxorem ducere vult, veluti propinquior, te ducat. Contendunt illi *Tob* esse nomen cujusdam e fratribus Salmon, ac patrui Mahalon, cui nupserat Ruth; sed hanc sententiam omnes fere Interpretes deserunt. Si hujus Libri author proprium hujus hominis nomen istic voluisset innuere, credibile ne est, hic semel fuisse expressum; atque in narratione quæstionis, seu cæremoniæ, quæ ad portam Bethlehem peracta fuit, eum vocaturum fuisse tantummodo *ploni*, hoc est *quemdam*, veluti cum viri cujuspiam proprium nomen ignoratur? Vulgatæ igitur adhærendum est, quæ Chaldaicæ versioni, ac Septuaginta est conformis.

℣. 14. EXPANDE PALLIUM TUUM, QUO OPERIRIS.] Nonnulli Interpretes putant aorthographi vocem [6] significare succinctorium [7], vel supparum; sed intelligere malim de magno illo velo lineo candido, quo Arabes, ac Syræ mulieres involvuntur, cum prodeunt, quo totum ipsorum corpus, ac vestes obteguntur. Cum hæc simplex sit linea vestis inconsutilis, Ruth non mediocrem hordei copiam in ea continere poterat, quin ipsa retegeretur. Radix, ex qua Hebraica vox oritur, operire significat, involvere.

MENSUS EST SEX MODIOS HORDEI:] Hebraice [8]: *sex hordei*, non autem mensuræ nomen exprimit;

C quod ipsum Septuaginta prætereunt. Plerique supplent *ephi*; & S. Hieronymus, qui apposuit *modios*, non secus ac ℣. 17. capitis secundi, intellexit, Booz dedisse Ruth duo ephi, quæ juxta recensendi rationem sex mensuras constituunt. Si sex ephi dedisse dixeris, onus nimium esset, quam quod mulier ferret; erat enim librarum 576. Bonfrerius subintelligit gomor, quæ est decima pars ephi, & quæ octo libras tantummodo continet. Hoc pacto sex mensuræ hordei 48. libras hordei redderent, quod parum nimis videtur, quam ut donari decenter queat mulieri, quæ in summa datoris existimatione versaretur, quemadmodum Ruth. Adhærere possumus sex modiis, seu duobus Ephi S. Hieronymi, quæ libras 192. efficiunt.

D QUÆ PORTANS INGRESSA EST CIVITATEM, (℣. 16.) & VENIT AD SOCRUM.] Hebraice [9]: *Et venit in civitatem, & ingressa est domum socrus suæ*. Perinde ac sermo esset de Booz in priori hujus versiculi parte. Verum fidei pronius est, textum istic esse corruptum, atque de Ruth esse intelligendum, quæ in urbem revertitur, atque socrus suæ domum ingreditur.

℣. 16. QUID EGISTI FILIA.] Hebraice [10] *quæ es, filia?* Non noverat illam, inter tenebras noctis, quæ nondum recesserant. Septuaginta [11]: *Quid dicis, vel quid fecisti filia? quem iter tuum exitum habuit?*

---

1 Vide Serar. qu. 7. & Bonfr. hic. 2 Lyran. Tirin. Gror. Vatab. Jun. Piscat. Munst. alii.
3 אשת חיל את γυνὴ δυνάμεως εἶ σύ. 4 כי אם גאל אנכי וגם יש גאל קרוב ממני
5 אם יגאלך טוב יגאל 6 הבי המטפחת אשר עליך 7 Jun. & Tremel. Drus. Bonfr.
8 ויפד שש שעורים 9 ויבא העיר ותבא אל חמותה 10 מי את בתי 11 τίς εἶ θύγατερ.

CAPUT IV.

Booz, hoc illi cedente propinquiore consanguineo Noemi, adit possessionem hereditatis Elimelech, & uxorem ducit Ruth Moabitidem, quæ parit Obed, avum David.

1. ASCendit ergo Booz ad portam, & sedit ibi: Cumque vidisset propinquum
prætérire, de quo prius sermo habitus est, dixit ad eum: Declina paulisper,
& sede hic: vocans eum nomine suo. Qui divertit, & sedit. 2 Tollens au-
tem Booz decem viros de senioribus civitatis, dixit ad eos; Sedete hic. 3 Quibus
sedentibus, locutus est ad propinquum: Partem agri fratris nostri Elimelech vendet
Noemi, quæ reversa est de regione Moabitide: 4 Quod audire te volui, & tibi dice-
re coram cunctis sedentibus, & majoribus natu de populo meo. Si vis possidere jure
propinquitatis: eme, & posside. Sin autem displicet tibi, hoc ipsum indica mihi, ut
sciam, quid facere debeam, nullus enim est propinquus, excepto te, qui prior es; &
me, qui secundus sum. At ille respondit: ego agrum emam. 5 Cui dixit Booz;
Quando emeris agrum de manu mulieris, Ruth quoque Moabitidem, quæ uxor defun-
cti fuit, debes accipere: ut suscites nomen propinqui tui in hæreditate sua. 6 Qui
respondit: Cedo juri propinquitatis: neque enim posteritatem familiæ meæ delere de-
beo. Tu meo utere privilegio, quo me libenter carere profiteor. 7 Hic autem erat
mos antiquus in Israel inter propinquos, ut si quando alter alteri suo juri cedebat, ut
esset firma concessio, solvebat homo calceamentum suum, & dabat proximo suo. Hoc
erat testimonium cessionis in Israel. 8 Dixit ergo propinquo suo Booz: Tolle calcea-
mentum tuum. Quod statim solvit de pede suo. 9 At ille majoribus natu, & univer-
so populo, Testes vos, inquit, estis hodie, quod possederim omnia, quæ fuerunt Eli-
melech, & Chelion, & Mahalon, tradente Noemi: 10 Et Ruth Moabitidem, uxo-
rem Mahalon, in conjugium sumpserim, ut suscitem nomen defuncti in hæreditate sua,
ne vocabulum ejus de familia sua, ac fratribus, & populo deleatur. Vos, inquam,
hujus rei testes estis. 11 Respondit omnis populus, qui erat in porta, & majores na-
tu: Nos testes sumus: faciat Dominus hanc mulierem, quæ ingreditur domum tuam,
sicut Rachel, & Liam, quæ ædificaverunt domum Israel: ut sit exemplum virtutis in
Ephrata, & habeat celebre nomen in Bethlehem: 12 Fiatque domus tua sicut domus
Phares, quem Thamar peperit Judæ, de semine, quod tibi dederit Dominus ex hac
puella. 13 Tulit itaque Booz Ruth, & accepit uxorem: ingressusque est ad eam, &
dedit illi Dominus ut conciperet, & pareret filium. 14 Dixeruntque mulieres ad Noe-
mi: Benedictus Dominus, qui non est passus, ut deficeret successor familiæ tuæ, & vo-
caretur nomen ejus in Israel. 15 Et habeas, qui consoletur animam tuam, & enutriat
senectutem. De nuru enim tua natus est, quæ te diligit: & multo tibi melior est, quam
si septem haberes filios. 16 Susceptumque Noemi puerum, posuit in sinu suo, & nu-
tricis, ac gerulæ fungebatur officio. 17 Vicinæ autem mulieres congratulantes ei, &
dicentes: Natus est filius Noemi: vocaverunt nomen ejus Obed: hic est pater Isai, pa-
tris David. 18 Hæ sunt generationes Phares: Phares genuit Esron, 19 Esron ge-
nuit Aram, Aram genuit Aminadab, 20 Aminadab genuit Nahasson, Nahasson genuit
Salmon, 21 Salmon genuit Booz, Booz genuit Obed, 22 Obed genuit Isai, Isai ge-
nuit David.

℣. 1. ASCENDIT ERGO BOOZ AD PORTAM, & SEDIT IBI.] In qualibet civitate porta aderat, ubi jus dicebatur, atque ubi alia transigebantur negotia coram Judicibus, & senioribus, atque coram pluribus testibus.

DECLINA PAULISPER, & SEDE HIC, VOCANS EUM NOMINE SUO.] Hæc est ratio, qua tunc temporis aliquis in judicium vocabatur. Nulla alia cæremonia observabatur, quam partes coram Judicibus, vel concilio appellandi: omnia sine singraphis, sine significationibus, sine cunctatione transigebantur. Booz hominem hunc ex nomine appellavit; sed sacer author illud præteriit, seu quod illud ignoraret, inquiunt

inquiunt Bonfrerius hic, & Drusius ad c. 3. ℣. 13. cum Deus e re minime censuerit fore, ipsum illi revelare; seu quod nobis illud retegere noluerit Author iis adductus rationibus, quæ latent. Hebraicus textus habet [1]: Et inquit; declina paulisper, hic adesto, Peloni Almoni. Postremæ hæ duæ voces adhibentur ad hominem vel locum significandum, cujus nomen vel ignoratur, vel reticere volumus [2], quemadmodum Latini dicerent *homo quidam*.

Hæc omnia credimus mane fuisse transacta, ac eo tempore, quo homines urbe egrediebantur, ut ad agrorum cultum pergerent, vel sub meridiem, cum inde revertebantur. Josephus ait hæc prope meridiem contigisse; & Maimonides asserit, in præcipuis civitatibus, Judices sedere consuevisse a summo mane usque sub meridiem.

℣. 2. DECEM VIROS DE SENIORIBUS CIVITATIS.] Decem hi seniores non assumuntur in Judices, sed in testes simpliciter. Dicunt autem numerum hunc decem testium requisitum fuisse in gravibus negotiis, veluti nuptiarum, repudii, cessionis, aliisque [3].

℣. 3. PARTEM AGRI FRATRIS NOSTRI ELIMELECH, VENDET NOEMI.] Latina quædam exemplaria legunt, *vendit*, vel *vendidit*; verum ex decursu liquet, ipsam consilium tantummodo vendendi iniisse. Quæritur, quo jure Noemi, & Ruth possiderent agrum Elimelech, nam in Israel uxores a viris suis hæredes scribi non poterant. Responderi potest, Ruth consequutam jura Mahalon filii Elimelech, cum decrevisset nomen viri sui suscitare nubens propinquiori illius consanguineo, de viri bonis deturbari nequaquam potuisse, nisi e familia Elimelech esset egressa, atque viro ex alia familia nupsisset.

At enim, quodnam erat jus Noemi in agrum Elimelech? Res hæc quam maxime Interpretibus negotium facessit. Lyranus putat, consuetudinem invaluisse, ut viduæ quoad viverent, fruerentur fructu partis cujuspiam fundi illius, quem vir reliquisset: sed nihil tale vel in lege, vel in Judæorum more invenimus. Quæ licet explicatio admitteretur, Noemi poteratne commentitium hujus agri usufructum abalienare? Seldenus [4] censet, Elimelech, & Mahalon seorsim, pure, ac simpliciter donasse fundum suum uxoribus suis, quod minime legibus adversatur, quæ propinquioribus consanguineis fraterni agri redemptionem permittebant. Author hic nullam præterea novit viam, qua probare possit, Noemi, ac Ruth agri illius dominium habuisse, & proprietatem. Josephus Antiqu. l. 5. c. 11. credidit, cognatum Elimelech, cujus nomen nos fugit, tunc actu bona Elimelech possedisse, veluti propinquiorem illius consanguineum, cui cum Booz significasset, ut si defuncti bona possideret, duceret quoque uxorem Ruth viduam Mahalon, vir ille causatus est, se jam uxorem, ac filios habere, neque novis nuptiis adhærere posse, verum se cedere Booz, & uxorem, & hæreditatem.

Sed hæc narratio palam Sacri Scriptoris textui adversatur. Itaque reor, Noemi nullum per se jus habuisse ad viri sui, vel filiorum suorum bona, & Ruth solam illis potitam fuisse, ea tamen suppositione, ut viri sui nomen suscitare vellet, cuipiam e familia ipsius nubens. Sed cum Ruth peregrina esset, & cum Noemi habitaret, atque illius curæ esset subjecta, socrus hic agit, velut bonorum domina, quæ erant nurus, sub iis, quas attulimus, conditionibus; ita ut quando Scriptura hic ait, Noemi vendere voluisse agrum Elimelech, hoc in sensu sit intelligendum. Vult collocare Ruth in uxorem propinquo suo, illi, cui fuerit jus redimendi agrum Elimelech. Vult vendere, & agrum, & nurum. Illis in regionibus ad hanc quoque diem viri uxores sibi emunt. Vide ℣. 5.

℣. 4. QUOD AUDIRE TE VOLUI.] Hebraice [5]: *dixi*, decrevi, *detegere tibi auriculam*. Locutio satis vulgata in libris 1. Regum 20. 2. & 2. Reg. 7. 27. & in Job 36. 10. ad significandum, admonere, edocere, instruere. Latini authores quandoque simili utuntur ratione loquendi. Virgilius in Sileno.

. . . . Cinthius aurem
Vellit, & admonuit.

Et in fragmentis.

Mors aurem vellens vivite, ait, venio.

℣. 5. QUANDO EMERIS AGRUM DE MANU MULIERIS, RUTH QUOQUE MOABITIDEM .... DEBES ACCIPERE.] Hebraice [6]: *& Booz dixit illi: statim ac emes agrum de manu Noemi, & Ruth Moabitidis, emes etiam defuncti uxorem, ut nomen illius in sua revivisceat hæreditate.* Ex his videntur Noemi, & Ruth simul hanc venumdare hæreditatem, idque ea proposita conditione, non alia, ut qui agrum emptorus est, ducat quoque demortui domini viduam. Nonnisi hoc supposito fundum alienare poterant, neque ille emi sine hoc onere poterat. Videmus hic duarum legum praxim; alterius quidem [7], qua cautum est, ne hæreditas extra familiam migret; alterius vero [8], qua præcipitur, ut vidua viri, qui absque liberis obiit, nubere debeat fratri, vel propinquiori defuncti conjugis consanguineo.

℣. 6. NEQUE ENIM POSTERITATEM FAMILIÆ MEÆ DELERE DEBEO.] Chaldæus per paraphrasin ita hunc locum exponit: Quandoquidem jure hoc uti nequeo, cum jam habeam uxorem, neque mihi licet alteram simul cum illa ducere, quæ esse posset jurgiorum causa domi meæ, & quod me in periculum adduceret, ut corrumperem hæreditatem meam, redime tu ipse hanc possessionem, cujus redemptio ad me attinet; quandoquidem nullam uxorem habes. Alii hoc pacto explicant: Ego mulierem hanc in uxorem accipere nequeo; nam vereor, ne bona mea cogar dividere in nimium filiorum numerum; vel malo aliam uxorem ducere, ut hæredes mei meum præseferant nomen non autem alienum. Miser Onam filius Ruben [9] nolebat matrem efficere Thamar uxorem fratris sui hac eadem de causa; *ille sciens non sibi nasci liberos* &c. Hebraicus textus ad litteram [10]: *Nolo perdere hæreditatem meam*; non possum hoc novum onus sumere, & ea bona, quibus frui nequirem, quin veterem hæreditatem negligerem.

℣. 7. SOLVEBAT HOMO CALCEAMENTUM SUUM, & DABAT PROXIMO SUO; HOC ERAT TESTIMONIUM CESSIONIS IN ISRAEL.] Hebraicus textus simplicior est [11]: *Hoc erat testimonium in Israel.* Hæc nota erat, quod proprietas ab uno hærede migraret ad alterum. Hæc cæremonia admodum alia est ab ea, quam Lex præcipiebat Deuter. 25. 7. cum quis abnueret nuptias viduæ fratris sui sine liberis mortui. Vidua ipsa calceamenta detrahebat nuptias suas abnuenti, illique in os conspuebat, illi exprobrans, quod parum adeo fratris amore tangeretur, ut nomen ipsius suscitare respueret: at hic, qui suo juri cedit, ac propinqui sui cedit hæreditatem, solvit per se calceamentum suum, illudque dat Booz [12]; quod sine ulla contumelia transactum est. Usus plane immotatus fuerat, & lex consuetudini cesserat. Ruth profecto huic facto non aderat. Sibi calceos detrahere hac in re signum erat symbolicum, quod jure suo decederet. Hebræi [13] sollicite nimis quærunt, uter, ille ne qui cessionem faceret, an qui rei illius dominium acquireret, suum calceamentum solveret, illud

1 ויאמר סורה שבה פלוני אלמני 2 Vide 1. Reg. 21. 2. & 4. Reg. 6. 8. & Dan. 8. 13. & ὁ δεῖνα, Matth. 26. 18.
3 Grot. hic. 4 Selden. de Success. in bona c. 15. ita & Grot. ex Hebr. 5 ואני אמרתי אגלה אזנך
6 ויאמר בעז ביום קנותך השדה מיד נעמי ומאת רות המואביה אשת המת קנית להקים שם המת על
7 Levit. 25. 10. 8 Deuter. 25. 5. 9 Genes. 38. 9. 10 פן אשחית את נחלתי
11 וזאת התעודה בישראל 12 Ita Serar. Menoch. Piscar.
13 Vide apud Drus. quæst. Hebr. Consuli potest de hoc argumento Selden. Uxor. Hebr. & lib. de success. in bona &c.

illud alteri traditurus. Ex narrationis decursu liquido patet, consanguineum Booz, se calceo exuisse. Josephus Antiqu. l. 5. c. 11. credidit, istic omnes ritus observatos fuisse, qui tunc consueti erant, cum quis nollet uxorem ducere viduam fratris sui, qui absque liberis obiisset: Ruth quidem adfuisse, ac necessario suu calceamentum detraxisse, in faciem illius alapam impegisse, vel potius conspuisse &c. sed hoc e Textu non liquet. Interpretes quidam [1] contendunt, non ademptos fuisse huic viro calceos, verum dumtaxat ipsum chirothecam e manu eduxisse, illamque dedisse Booz. Ajunt etiam [2] Chaldaicam quoque paraphrasin ritum hunc innuere voluisse; verum Chaldæus magis rationem habuit suorum temporum consuetudinis, quam sensus, quem Scripturæ verba in hoc loco exhibent.

℣. 9. Quod possederim omnia, quæ fuerunt Elimelech, Chelion, & Mahalon.] Quamvis vidua Chelion adhuc viveret, nulla tamen ratio illius habetur in partem bonorum viri ipsius. Cum illa in regione Moab permansisset, suppositum est, ibi iterum nupsisse, ac renuntiasse juri, quod habere poterat ad bona Elimelech, si fuisset imitata Ruth nubens viri sui consanguineo.

℣. 10. Ruth Moabitidem in conjugium sumpserim.] Booz potuit ne, quin Legem infringeret, Moabitidem uxorem ducere? Vidimus supra, filios Elimelech excusari minime potuisse, eo quod hæc inivissent connubia, nisi ex necessitate, in qua versabantur, peregrinas ducendi uxores ea in regione, ubi degebant: Booz vero non eadem erat necessitas. Verum quidem est; at alia ipsi necessitas imminebat, quæ non aderat filiis Elimelech, videlicet Mosaicam legem adimplendi, qua statutum erat, ut propinquior consanguineus uxorem duceret viduam fratris sui, qui sine liberis occubuisset. Interpretes addunt, interdictum, quo Moabitæ a cœtu Domini usque ad decimam generationem arcentur [3], pro viris tantum, non vero & pro mulieribus [4] fuisse propositum, pro illis præsertim qui patriam desererent Religionem, ut Iudaicam amplecterentur, quemadmodum fecerat Ruth. Si Rabbinorum doctrinæ adhærere vellemus, asserere teneremur, *Obed* filium Ruth, Moabitam habitum fuisse, cum de Moabitide matre natus fuisset, nam conditio filii matris sequitur conditionem; verum illorum decisiones ne minimum quidem nos morari debent.

Ne vocabulum ejus de familia sua, ac fratribus, & populo deleantur.] Hebraice [5]: *Ne defuncti nomen deleant de numero fratrum, & de*

A *porta loci sui*, seu civitatis. Filius, qui oriri debebat ex Ruth, ac Booz, referre debebat personam Mahalon in concilio populi sui, ac filius Mahalon vocari ad portam suæ civitatis; hoc tamen minimum oberat, quominus peculiare nomen haberet, atque filius Booz agnosceretur juxta ordinem naturalem, præsertim si nullum præterea filium Booz habuisset, quod admodum est verisimile.

℣. 11. Rachel, & Liam, quæ ædificaverunt domum Israel.] Vidimus Exod. 1. 21. *ædificare, & constituere domum*, significare sepius *filios gignere*. Rachel, & Lia [6] in hoc sensu domum Iacob ædificaverant, per frequentiam posterorum, quos genuerant. Plautus simili ferme usus est loquendi ratione in Mostellaria:

B *Ut vos homines ædium esse similes arbitremini;*
Primum, dum parentes fabri liberum sunt,
Et fundamentum liberorum substruunt.

Sit exemplum virtutis in Ephrata.] Hebraicus textus id refert ad Booz [7]: *acquirere possis magna bona in Ephrata, & nomen tuum sit illustre in Bethlehem.*

℣. 14. Qui non est passus, ut deficeret successor familiæ tuæ, & vocaretur nomen ejus in Israel.] Hebraicus textus sensum alium postulat [8]: *Benedictus sit Dominus, qui non passus est, ut esses hodie sine redemptore in Israel. Et nomen suum notum esset*, & celebre in *in Israel*. Domino gratias agunt, non directe propter nativitatem Obed, sed quod dederit cognatum Noemi, qui familiam ipsius C non patitur intermori in Israel; cupiunt vero Booz illustre fieri nomen ea in regione. Vel id innuere volunt, Deum passum non fuisse, Noemi destitui, ut nomen Domini in Israel laudaretur, ac celebraretur.

℣. 15. Qui consoletur animam tuam.] Hebraicus textus ad litteram [9]. *Qui reviviscere faciat animam tuam*; qui tibi vitam reddat, qui te gaudiis, & consolationibus cumulet.

℣. 18. Hæ sunt generationes Phares.] Hi sunt posteri illius. Ex hoc loco liquet, præcipuum Authoris parvuli hujus libri consilium fuisse, genealogiam David nobis tradendi, ac memoriam servandi facti hujus, cui naturaliter locus in Iudicum libro E esse non poterat.

℣. 19. Esron genuit Aram.] Aram simpliciter *Ram* vocatur in Hebraico loci hujus textu, ac in 1. Paralipomenon *n.* 9.

℣. 20. Salmon.] Hic *Salma* vocatur in versiculi hujus Hebraico textu, *Salmon* vero in sequenti versiculo nuncupatur.

---

1 Vide Quinquarbor. in Ruth, & Delrio Adag. 173. 2 נגותקה *Narcheka*.
3 Deuter. 23. 3. 4 Aug. qu. 35. in Deuter. Serar. Bonfr. 5 ולא יכרת שם המת מעם אחיו ומשער מקומו
6 אשר בנו שתיהם את בית ישראל 7 עשה חיל באפרתה וקרא שם בבית לחם Ad litteram: *Fac virtutem Ephrata & voca nomen in Bethleem.* Verba hæc, *fac virtutem*, significare possunt, divitias acquirere, vel fortiter se gerere, 8 ברוך יהוה אשר לא השבית לך גאל היום ויקרא שמו בישראל 9 והיה לך למשיב נפש

FINIS
LIBRI RUTH.

COMMENTARIUM
IN LIBROS
REGUM.

IN DUOS PRIORES
LIBROS REGUM
PRÆFATIO.

Gemini hi Libri in unum olim in Bibliis Hebraicis continuabantur, quemadmodum & unam textus seriem constituisse in Versione S. Hieronymi ex Hebræo ideo colligimus, quod in veteribus ejusdem Exemplaribus [1] titulorum omnium utriusque Libri capitum indiculus priori Libro præfixus legatur, tum & marginales numeri, varia textus membra distinguentes, perpetuo ductu usque ad calcem secundi libri regnent. Sed brevi in Exemplaribus Latinis vetus ordo, bipartiti scilicet Operis, rediit, manente cæteroqui Versione S. Hieronymi.

Primus Liber historiam complectitur ab orto Samuele usque ad Sacerdotium Heli. Philisthæi prœlio victis Israelitis cum sibi in præmium victoriæ obtigisset Arca Domini, nobile trophæum in Templo Dagon collocandum duxerunt. Dominus vero acceptæ ex illis injoriæ ultionem assumens, gravis adeo in ipsos Deumque eorum factus est, ut Arcam coacti, nec indonatam illam, dimiserint. Samuel longo temporis experimento vir probatus, gubernandum populum assumens, prudentia, & pietate singulari Philisthæos bello fregit. Sed liberorum ipsius scelera gravius ferens populus, tandem ad Regem sibi deposcendum devenit. Deus Saulem elegit, qui nempe Saul deperditas patris sui asinas quæritans, pro asinis inspetato Regnum invenit. Sed novo honore plus nimio elatus, cum Dei jussionibus acquiescere recusasset, brevi id commisit, ut David in Regem inungeretur. Porro David relata ex Goliat victoria insignis, eo præclaro facinore, & apud populum gloriam, & apud Saulem invidiam in se comparavit. Quare a Rege in necem conquisitos, quo se a præsentissimo periculo liberaret, modo apud Moabitas, modo apud Philisthæos, modo ad cavernas in montanis Juda fugitabat; & cum semper ad latera haberet insequentem Saulem, semper tamen expertus est præsentissima providentia Deum protectorem. Tandem Saul a Philisthæis hostibus lacessitus in prælium, cum demeruisse se Dei auxilium intelligeret, ad Magorum opem confugiens, evocari sibi animam Samuelis voluit. Sed frustra omnia; namque prœlio victus, in ultima rerum desperatione ipse sibi necem in montibus Gelboe intulit. Hæc in primo Regum.

Secudus historiam fuse prosequitur initi a Davide Regni, quem Tribus Juda primum, deinde post necem Isboseth filii Saulis, Israel universus salutavit in Regem. Urbem Jerusalem a se captam, & Regni & Arcæ Fœderis sedem constituit; ubi & Templum excitare decreverat, nisi honorem illum filio reservari a Nathan Propheta didicisset. Nihil huic viro ad felicitatem, & ad victoriam in hostes erat reliquum; cum ex crimine in Bethsabeam, & Uriam commisso tanta rerum mutatio orta est, ut omnium mortalium infelicissimus haberetur. Namque Amnon ejus filius commisso in Thamar ex patre sororem incestu, fratrem suum ex patre, & Thamaris germanum, Absalomum in se animavit. Hinc Amnonis cædes, tum & conjuratio Absalomi in patrem, qui fuga sese subducere a furore filii coactus, tandem versis in illum armis victoriam quidem e prælio retulit, sed nimium patri ex filii nece funestam. Tot afflictum malis dira etiam lues, quæ misere in Israele grassata est, in ultionem census invito Deo in populum indicti, oppressit. Hæc summa secundi Libri Regum sive Samuelis.

Nomen Samuelis, tanquam Authoris Operis, in fronte utriusque Libri in Hebræis Exemplaribus apparet. Sed eum titulum in suis Exemplaribus non legisse Græcos Interpretes suspicamur; apud quos constanter inscribuntur *Libri Regum*, seu potius *Regnorum*. Judæi Authores [2] scripsisse tantum Samuelem produnt 27. priora capita; totam nempe historiam gestarum a se rerum, tum administrationis suæ, sicut & eorum omnium, quorum sub Davide & Saule ipse, dum esset in vivis, notitiam comparavit; reliqua prosecutos Prophetas Gad, & Nathan autumant. Laudant in eam rem 1. Par. 29. 29. *Gesta autem David Regis priora, & novissima scripta sunt in Libro Samuelis Videntis, & in Libro Nathan Prophetæ, atque in volumine Gad Videntis.* Hæc sane opinio vulgo arrisit [3], sed suas patitur difficultates, ut infra. Alii vero recentiorem his omnibus Prophetis Authorem Operis [4] credunt; quanquam digestum illud suspicantur ex Ephemeridibus ab illis Prophetis relictis. Sed quis est iste Author? Grotius prodit a Judæorum doctissimis Jeremiam credi, cujus se stilum in opere subodoratos confidunt; ejusque nomine laudari testimonia in Concilio Francfordiensi [5]. Idem etiam Author in 3. Reg. c. 2. observat, mensium nomina quæ in Libris Regum leguntur, Authoris recentiorem ætatem prodere; quippe quæ recentiora sint nomina illa apud Hebræos. Suspicantur alii Davidem, seu Regem Ezechiam Operis Authores fuisse, vel saltem recensuisse illud Esdram Scribam, e captivitate restitutum. Sed futiles horum omnium sunt conjecturæ; quin & totum Opus unius esse Authoris creditur, non quidem coævi, sed qui relictis ab aliis Commentariis usus fuerit, ita tamen ut iis in unum corpus digestis, nihil addiderit nisi latiores quasdam explicationes, de reliquo vel ipsis primigenitis vocibus servatis.

Constans ubique stilus, elogia in Samuelem collata, rerum connexio, atque perpetua series, testimonia quædam aliorum laudata, annotationes historiis quibusdam adjectæ, apertissima sunt hujus

rei

1 Vide, si placet, Prolog. Galeat. & nov. edit. S. Hieron. 2 Talmud. & Kimchi. 3 Vide Isid. Orig. l. 6. c. 11. Procopium, Tost. Cajet. Lyr. Serar. Mendozam, Cornel. Vatab. &c. 4 Theodor. Præf. in Libb. Reg. Theod. Tarsens. Greg. Magn. Sanct. Marn. &c. 5 Nihil tale inveni in geminis Conciliis Francfordiensibus.

rei argumenta : sæpe pbrases quædam occurrunt, quæ Authorem coævum produnt, aliæ vero quæ recentiorem. Itu 1. Reg. 3. 1. legitur sub Heli Summo Sacerdote : *Sermo Domini erat pretiosus in diebus illis, & non erat visis manifesta*. Qua igitur ætate Scriptor Operis vivebat, Prophetiæ donum erat frequentius ; quemadmodum & frequentissimum fuit post Samuelem sub Davide cæterisque deinde Regibus. Ejusdem Historici ætate urbi *Bethel* nomen erat *Bethaven* [1], seu domus iniquitaris ; qnod Urbi nomen indirum est per contemptum, post constitutum in illa a Jeroboam vitulum aureum. Tandem narrans Author excurrisse Davidem regionem Gessur, & Gerse, notat ibid. 27. 8. *Hi pagi habitabantur in terra antiquitus euntibus Sur, usque in terram Ægypti*. Ea quo intelligimus, diu ante Authoris ætatem totam illam regionem eversam in solitudinem redactam fuisse.

Alibi etiam 1. Reg. 6. 18. prodit Aream Domini ad ætatem usque suam mansisse in agro Josue Bethsamitæ ; & paulo infra de Samuele loquitur tanquam de viro fatis functo [2], cujus ipse laudes in regimine Israelis prosequirur [3]. Qnis autem in animum induaerir talia de se Samuelem scribere, vel cugitasse, vel potuisse ? Hæc plane sunt, quæ Authorem coævum, quæve recentiorem produnt. Alibi insuper narrat, 1. Reg. 27. 6. urbem Siceleg semper in potestate Regum Juda mansisse, ea quo tradente Achis Rege Philisthæorum, David Urbem illam in sedem obtinuerat ; quæ Scriproris observatio satis iosinuat inductam jam inter Regna Juda & Israel divisionem ; & quamquam alioqui Tribus Simeon Regno Israelis accenseretur, urbem tamen Siceleg in ea Tribu sitam ad Reges Juda pertinuisse.

Paria etiam unimadvertere licet in 1. Reg. 30. 24. 25. ubi post commemoratam Davidis legem, qua æquam prædæ portionem constituerat militibus remanentibus ad impedimenta, cæterisque in prœlio decertantibus, tandem concluditur : *Factum est hot ex illa die, & deinceps . . quasi lex in Israel, usque in diem hanc*. Hæc plane nec Samueli, sub hæc tempora vita functo, nec Nathano, & Gad sub Davide vivenribus conveniunt. Norat etiam idem Scriptor, Dagonis Sacerdotes ne umbularent in superliminaribus Templi religione prohiberi, memores quid cum idolo factum esset coram Arca Domini constituto : id autem, inquit 1. Reg. 5. 5. servant Sacerdotes illi *usque in hodiernum diem*. Scribebat igitur diu post eam ætatem. Addit idem Scriptor 1. Reg. 9. 9. *Olim in Israel sic loquebatur unusquisque . . . Venite & tamus ad Videntem, qui enim Propheta* (Hebr. *Nabi*) *dicitur hodie, vocabatur olim Videns*. Porro Videntes appellabantur Propbetæ Saulis, & Samuelis ætate ; utitur autem Scriptor altero, quod ipse Samuelis ætate recentius nomen agnoscit, nempe *Nabi*, sive *Propheta*. Erat igitur Scriptor Samuele recentior. Tandem *Librum Justorum* idem Author laudat 2. Reg. 1. 18. ita enim de Davide habet : *Et pracepit ut docerent filios Juda arcum*, (Cantici titulus erat ;) *sicut scriptum est iu Libro Justorum*. Quis, rogo, coævus Author syncbronum Opus restem laudaret ; cum maxime Opus illud, neqne majorem quam Author ille babere posset authoritatem, neque res illas magis haberet eaploraras ?

His ita constitutis, tria deducenda nobis videmus. 1. Ambos hosce libros ea originalibus authenticis, & coævis monumentis fuisse digestos. 2. Operis Authorem coævum quidem non esse, ac serius, incertum ramen quo tempore, scripsisse. 3. Quis potissimum Author ille fuerit, latere.

Hujus scribendi Operis consilium tum Anthori, cum cæteris, quorum Commentariis ipse profecit, non illud fuisse censendum est, ut Historiam eivilem & politicam inteaeret, neque ut res præclare gestas a viris illustribus pro meriro efferret ; sed illum sibi scopum præstitnerant, ut Historiam plane sanctam darent, quu Deus Summus Reipublicæ administrator, rerumque arbiter exhiberetur. Uno verbo ounquam oculos uvertit Scriptur ille u Deo Israelis, Lege, Religionn, Virtute, Justitia ipsius. Nec minns studet tum Davidi, cum Regiæ ipsius familiæ : namque rorum priorem Librum gestis ab illo rebus cousecrat, ne verbo qnidem ferme de 40. annis regni Saulis facto, nisi cum res Davidis una implicitę essent. Nihil babet antiquius, quam ut ea commemoret, quę ad Arcam Domini, Tabernaculum, sacrosque Ministros spectant ; eos sive laudibus efferens, sive vituperatione deprimens, qui pro suo in Legem studio, & euntemptu laudes vel secus merniſſent. Nec injuria prorsus, cum ea unica sir & yera rario Sacrum Historicum sibi promerendi, si quis pietatis & religionis curas habeat potissimas.

Hoc sane, supra cæteras omnes Historias, oostri Operis meritum efferret ; in Prophanis enim pingnntur bominum vitia, passiones, umbitio, sævitia, injustitia ; in hac Deus nunqnam non justus apparet, nunquam non sapiens, nihil negligens, omnia dirjgens atque disponens, vel ipsis hominum vitiis ad sua consilia & judicia implenda usus. Hæc, fateor, omnia in omuibus æque prophanis historiis ultro spectanda se produnt ; sed illud nihilo seciua discrimen joter sacram, & prophanam historiam intercedit, quod illa quidem semper ad Deum revocet, ejusque Providentiam nunquam subducat ab oculis ; victricem in omnibus Divinam Sapientiam & Virrutem demonstret, cui perpetuæ contemplationi intenti Lectores vix possunt alio mentis oculos avertere, fortuitis eausis tribuentes, quæ Deus, secreta quidem, sed mira providentia, in certos fines disponit. Nihil in hac Historia Scriptoris arbitrjo relictum est, ut dictorum verirati eaplorandæ, Scriptoris prius indolem indagari oporteat. Unns est Spiritns Sanctus, qui rerum narrationem prosequitur, qni veritatem puram putamque secernit ; Scriptoris tantum humani ministerio usus, ipse cæteroqui unus bistoriæ, ejusque dirigendæ Aurbor.

Contraria omnia in cæteris Historicis ; quantocunque enim veritatis amore teneantur, quantam adhibeant

1 Ibid. 13. 5. *Castrametati sunt in Machmas ad orientem Bethaven*. 2 1. Reg. 7. 15. *Judicabat quoque Samuel Israelem cunctis diebus vitæ sua, & ibat per singulos annos circumiens Bethel, & Galgala . . . & revertebatur in Ramatha, ibi enim erat domus ejus*. 3 Ibid. 2. 26. *Puer Samuel proficiebat atque crescebat, & placebat tam Domino, quam hominibus*, Ibid. 3. 19. &c.

hibeant cautionem, ne splendidis mendaciis decipiantur, agantutque in transversum; aguntur nihilominus non raro, inviti licet, & imprudentes. Rerum ignoratione, præjudiciis, alta earumdem rerum caligine tum ab antiquitate offusa, cum ab insito hominum latendi, atque occultandi sua, si quæ maxime probro ipsis forent, ingenio, illud non raro committitur, ut tot velamentis obducta veritas vix pareat. Volenti, sive nolenti Historico plura excident, quibus ipse deceptus Lectores decipiet. Absunt hæc omnia a sacris Historiis; nihil enim hic sive de fide Scriptoris, sive de veritate historiæ timendum; cum potissimus ejus Operis Author, scilicet Sanctus Spiritus, ipse sit veritatis, & sapientiæ fons, cui omnino fidentes resto, ut excusso omni timore par cum voluptate securitas Lectores habeat. De singulis, quæ inter legendum offendimus, rerum eventibus tutum proferimus certumque judicium; quippe qui Sancti Spiritus testimonio fulcimur, pro singulorum merito laudes, sive vituperationes impertientis. Nihil hic sceleribus Principum indultum, nihil detractum de laudibus piorum; quanquam & laudes feruntur non homini, sed ejus tantum virtutibus. Abusus omnis abest, excusandi scilicet vitia gloriosi tituli adulatione, asperumque ulcus blando verborum linimento molliendi. Peccat David: ejus crimen vividis atrisque coloribus depingitur; a scelere resipiscit, commissumque peccatum pœnitudine eluit, meritis laudibus non fraudatur.

Neque Divinis hisce Scripturis mores tantummodo instruuntur iis, quas ad literam exhibent, rerum gestarum narrationibus; non enim fidem tantum & pium Samuelis studium, non clementiam, & resipiscentiam Davidis tantum admiramur: altius est aliquid, atque augustius, quod nos detinet. Siquidem in historiis, rerumque gestarum narrationibus, futurorum quædam oracula spectamus, vera adeo & exacta, ut nulla sit major Propheticorum verborum fides. Deus enim humanorum omnium arbiter, non factorum minus, quam verborum doctrina nos instruit, eaque disposuit omnes rerum gestarum series providentia, & consilio, ut ad Religionis Christianæ mysteria, simulque res a Christo Jesu, & in Ecclesia gerendas præluderent. Ita sub eo aspectu considerata Regum historia fusam quamdam parabolam exhibet ex historiæ veritate repetitam.

Israelitarum consilium de petendo Rege a Samuele Judice, Reipublicæ statum summopere turbavit, novamque politiam in Regnum invexit. Rerum ad id usque arbitri fuerant Judices a Deo suscitati: populus suo plerumque regebatur arbitrio: eamque perpetuam servasset libertatem, si maxime voluisset: nihil illi fuisset ad felicitatem præ omni totius Orbis gente reliquum, siquidem Deo parere, ejusque Legi morem gerere non renuisset. Sed humani ingenii vertibilitas, quæ felicitatis quandoque suæ prolixitate lassatur, & finitimarum gentium, quæ despotico Regum imperio parebant, exemplum eo impulit Israelitas, ut simile politiæ genus exposcerent. Deus irrogari sibi injuriam eo populi consilio questus est, atque læsæ majestatis suæ reis Saulem in Regem constituit [1]: quo semel ad Israelis Thronum evecto, experimento didicit populus victoriam, & quietem Regni non a Principe, sed a Deo unice expectandam.

Cum autem Deus Regem Israelitis daret, id maxime intendit, ut jussionum suarum ministrum traderet, qui nomine suo jus diceret, simulque Rempublicam administraret [2]. Princeps Hebræorum exercitum ducens vice Domini imperabat, prælia Domini gerebat, ejus nutu expeditiones suscipiebat: nonnisi consulto Oraculo inibat prælium, expletisque Divinis jussionibus reducebat exercitum. Cæterum communes habens Rex ille cum cæteris e vulgo natales, communes Leges, & Religionem, nullo externarum copiarum robore fultus, duo simul & semel referebat: nempe Unctum Domini, ejusque ministrum, & subjectarum sibi gentium fratrem: Ducem copiarum, & Judicem Israelis, tum & Israelitarum civem, atque domesticum. Sed officiorum immemor Saul, cum despotico imperio subjecto sibi populo jura dare voluisset, & fastu insolesceret intolerabili, jure meritoque Deum habuit depressurem, quem olim ex humili loco ad Thronum Israelis ascendendi habuit authorem.

Res David feliciores expertus est, modesto Princeps animo, & religioso. Ante illum Reges populi suffragio eligebantur: sed virtutum ipsius merito factum est, ut successione in ejus familia Regnum Deo volente assereretur. Ad id usque rari fuerant in Israele Prophetæ, nec super singulares rerum eventus, nisi Summus Sacerdos per Urim & Thummim consulebatur: nec David ipse aliquo temporis spatio aliter Divinam voluntatem exploravit: exinde consuli Prophetæ cœpti sunt. Nullæ majoris momenti res inconsultis Prophetis susceptæ, sive quid facto opus esset suadentibus, sive reprehensione digna verbia castigantibus vel Reges ipsi dicto erant audientes.

Quatuor Libri Regum historiam continent Judæorum 571. annorum, nempe ab orto Samuele A. M. 2849. usque ad transmigrationem Juda A. 3410.

Primus Liber historiam complectitur 100. annorum, ab a. 2849. usque ad obitum Saul a. 2949.

Secundus Liber excurrit 40. annos Regni Davidis, nempe ab A. 2949. usque ad 2989.

---

1 Osee 13. 10. 11. *Dabo tibi Regem in furore meo, & auferam in indignatione mea.*

2 1.Reg. 25. 28. *Prælia Domini, Domine mi tu præliaris.*

T A B U-

TABULA CHRONOLOGICA

In Primum librum Regum.

2849. SAmuel nascitur. 1. *Reg.* 1. 20. secundo anno regiminis Heli.
2861. Deus Samueli revelat Heli calamitatem. 1. *Reg.* 3. *& seq.*
2888. Bellum Philisthæorum in Israelitas. 3. *Reg.* 4. 1.
Capitur Arca. Moritur Heli. Samuel rem publicam administrare incipit.
2908. Arca remittitur. De Philisthæis Victoria. 1. *Reg.* 6. 7.
2909. Samuel pro se filios suos Judices statuit. 1. *Reg.* 8.
De Samuelis filiis Israelitæ conqueruntur. *ibid.*
Saul Rex eligitur, & inungitur. 1. *Reg.* 9. 10.
Bellum Ammonitarum in cives Jabes. A Saule vincuntur Ammonitæ. Saul in Regno confirmatur. 1. *Reg.* 11.
2911. Samuel populum obiurgat. *ibid.*
seu Philisthæi receptis viribus in Saulem arma sumunt. Hujus Principis inobedientia. Victoria de
2912. Philisthæis per Jonathan relata. 1. *Reg.* 13. 14.
Ab an. Alia Saulis bella in Moabitas, Ammonitas, Idumæos, Syros, Philisthæos, Amalecitas. 1. *Reg.*
2912. 14. 47. *& seq.*
ad a. cir. Bellum in Amalecitas. Saul reprobatur. 1. *Reg.* 15.
2930. David consecratur. 1. *Reg.* 16. Natus erat an. 2919.
2934. Philisthæorum bellum in Saulem. 1. *Reg.* 17.
2942. David Goliath vincit. *ibid.* 17. 18 Saulis gratiam init. Michol ducit. *Reg. ibid.*
2944. Secundum Philisthæorum bellum. 1. *Reg.* 19. 8.
David Saulis invidia exagitatus in Ramatha fugit. *ibid.*
David cum Ionatha sancit foedus, & in urbem Nobe fugit. *ibid.* 20. *&* 21.
2945. In specum Odollam se recipit. 1. *Reg.* 22. *&* 1. *Par.* 12.
Ceila obsidione a Philisthæis pressa a Davide liberatur. 1. *Reg.* 23.. & 1. *Par.* 12.
Davidem in desertum Ziph & Maon confugientem Saul insequitur.
2946. David in Engaddi secedit. Sauli parcit. 1. *Reg.* 24.
2947. Samuel moritur. 1. *Reg.* 25. Nabalis Carmelitæ historia. *ibid.*
David a Ziphæis proditur, 1. *Reg.* 26.
Ad Achin aufugit; Siceleg in sedem obtinet. 1. *Reg.* 27. *&* 1. *Par.* 12.
2949. Bellum Philisthæorum in Saulem. in quo secuturum Regem Geth David pollicetur &c. 26.
Saul Pythonissam consulit. Prælio victus necem sibi infert. David in urbem Siceleg redit. *ibid* 28. *&* 29. 30. 31. *&* 1. *Par.* 12.

TABULA CHRONOLOGICA

In secundum librum Regum.

2949. DAvid, mortuo Saule, in Hebron regreditur.
Ab an. Jsboseth Sauli succedit, & in Manahaim sedem constituit. 2. *Reg.* 2.
2951 *ad* Bellum Isboseth inter & Davidem *ibid.* 1. 2. *&* 3.
2956. Abner partes David sequitur. *ibid.* 1. *e.* 3.
2956. Isboseth moritur. 2. *Reg.* 4.
Secunda David inunctio. 2. *Reg.* 5. 1 *&* 1. *Par.* 11.
2956. Jerusalem, pulsis Iebusæis, capitur.
2957. Bellum Philisthæorum in Davidem. 2. *Reg.* 5. *&* 1. *Par* 11.
2958. David mœnibus urbem David cingit. 2. *Reg.* 5. 1. *Par.* 11. *&* 14.
2959. Arca a Cariathiarim transfertur in Sion in domum Obededom. 2 Reg. 6. & 1. Par. 13. 15. 16. inde transfertur in Tabernaculum a Davide ædificatum. *ibid.*
2960. David Templi fabricam molitur. 2. *Reg.* 7. *&* 1. *Par.* 17.
Davidis Victoriæ de Philisthæis, Moabitis, Syris, & Idumæis. 2. *Reg.* 8. *&* 1. *Par.* 18. Bellum in Adarezer 1. 2. *Reg.* 10 *&* 1. *Par.* 19.
2965. David Miphiboseth beneficiis ornat. 2. *Reg.* 9.
2967. Iniuria ab Hanon Ammonitarum rege Legatis David illata. 2. *Reg.* 10. *&* 1. *Par.* 19.
2969. Bellum in Ammonitas. Davidis crimen cum Bethsabee &c. 2. *Reg.* 11. 12. & 1. *Par.* 20.
2970. Nathan commissum crimen David exprobrat. 2. *Reg.* 12.
2971. Salomon nascitur. 2. *Reg.* 12. 21.
2972. Incestus Amnon cum Thamar. 2. *Reg.* 13.
2974. Absalon fratrem suum Amnon interficit. *ibid.*
2977. Absalon ab exilio revocatur. 2. *Reg.* 14.
2979 Absalon coram Davide admittitur. *ibid.*
2984. Absalon a Patre descissit. David Hierosolyma fugit. 2. *Reg.* 15. 16. Historia Sibæ, Semei, & Achitophel. 15. *&* 17.
2985. Absalon prælio victus a Joabo occiditur. 2. Reg. 18. David Hierosolymam redit. *cap.* 20. Abela a Joabo obsidetur. Mors Sibæ c. 20.
2985. Fames in ultionem injustæ necis Gabaonitatum per Saulem. *ibid.* c. 21.
2986. Quartum bellum in Philisthæos. 2 Reg. 21. & 1. Par. 20.
2987. David populo censum indicit. Funesti hujus curiositatis effectus. 2. *Reg.* 24. 1. *&* 1. *Par.* 21.
2988 Omnia ad templi ædificium necessaria a Davide parantur. Salomonem regem designat. 1. *Par.* 22. 23. Ordinem ac numerum Levitarum præscribit. *ibid.* 24. 5. 6. 7.

DISSERTATIO
DE ORIGINE, ET NUMINIBUS
PHILISTHÆORUM.

PHilisthæorum origo in varias Criticos distraxit sententias Convenit inter omnes, populos illos alienigenas Palæstinæ fuisse; quos ex insula Caphtor deducunt Amos 9. 7. & Jeremias 47. 4. Sed quænam hæc insula apud Veteres novosque Geographos æquè incognita? In nostro Commentario in Genesim 10. 14. conjecturas pro Insula Cypri congessimus. Sed ut ingenuè fateamur, adductæ aliàs conjecturæ modò displicent, quippe qui originem Numinum Philisthæorum scrutantes, veram simul ejusdem gentis patriam in Insula Cretæ offendisse nobis blandimur. Quæ nos in eam opinionem adducunt, rationes in medium proferentes Eruditorum censuræ & judicio relinquimus.

Philisthæorum nomen [1] alienigenas sonat; quod Septuaginta reddere consueverunt *Allophyli*, gens quę ex alia in aliam regionem transmigravit. Genuinum illius populi nomen erat *Cerethim*; quemadmodum ex testimoniis Ezechielis, Sophoniæ, aliisque colligimus. In 1. Reg. 30. 14. legimus Amalecitas irrupisse in plagam meridionalem regionis *Cerethim*, nempe Philisthæorum, uti ex historia constat; cepisse insuper, & vastasse Siceleg, Urbem in plaga meridionali Philisthæorum, Davidi tedem ab Achis concessam. David, cæterique post ipsum Reges Juda, corporis custodes habuerunt milites alienigenas *Cerethim* & *Phelethim*, qui è numero erant Philisthæorum (2.), Davidis partes secuti, cum persequentem Saulem in regionem Philisthæam declinavit. Ezechiel 25. 16. ita Philisthæos alloquitur: *Ecce ego extendam manum meam super Philisthæos, & interficiam interfectores* [Heb *Cerethim*] *& perdam reliquias maritimæ regionis*. Sophonias 2. 5. ita in eosdem populos invehitur: *Væ qui habitatis funiculum maris, gens perditorum* (*gens Cerethim*). Unus igitur idemque populus habendus est Philisthæi & Cerethim; illud populum alienigenam designans, hoc patriam. Primum per contemptum nomen genti mansit; alterum avitum est, & genuinum.

Septuaginta [3] reddunt nomen *Cerethim*, *Cretenses*, & *Ceroth Creta*. Theodoretus in Sophoniam partem Philisthæorum ex Insula Creta non invitum accersiturum se significat. Sed plerique Interpretum derivare gentem ex Cappadocia malunt, ubi Insula Caphtor statuitur, è qua Moyses, Amos, & Jeremias Philisthæos deducunt. Moyses enim liquidò prodit Genes. 10. 14. Mizraim inter cæteros filios etiam Caphtorim habuisse, *de quibus*, inquit, *egressi sunt Philisthiim*. Jerem. 47. 4. *Depopulatus est Dominus Palæstinos reliquias Insulæ Cappadociæ* (Hebraicè Caphtor): Amos 9. 7. *Numquid non Israel ascendere feci de terra Ægypti, & Palæstinos de Cappadocia, & Syros de Cyrene?* (Hebraice *Philisthæos de Caphtor, & Aramæos de Kir?*) Sed qui Cappadocia, quę regio est continentis, Insula vocaretur? Ideo forte, inquiunt illi, quod ex uno latere Mari Nigro sive Ponto Euxino alluitur; positum est autem in moribus apud Hebræos, ut Regiones omnes Maritimæ indiscriminatim Insulæ appellentur. Sed hæc quam facilè dicuntur, non ita facilè adductis rationibus pro- A barentur; hoc enim sensu etiam Palæstina, Phœnicia, Arabia, Ægyptus Insulæ dicerentur. Ne autem in hæc incidamus absurda, dicamus oportet dissitas quidem à Palæstina regiones, unde non facile nisi mari transvectis iter est, Insulas ab Hebræis rerum Geometricarum imperitis haberi simul, & vocari. Sed hæc nulli minus, quam Cappadociæ conveniunt. Quærenda est Insula Caphtor in Mediterraneo, non in Oceano, ubi infrequentior erat navigatio, quo tempore Philisthæi in Palæstinam transmigrarunt. Inter cæteras saltem Mediterranei Insulas nulli magis, quam Insulę Cretę ea quę dicta sunt omnia quadrant.

Quærenda est nempe Insula Palæstinis pervia, B ampla, populorum numero florens, incolas autem habens vetustissimos, atque emittendis aliò non infrequentibus coloniis aptos, sermone verò parum à Phœnicio absludente, sicut & consonis cum illis moribus, legibus, & religione; cujus tandem nomen ad *Cerethim*, *Ceroth*, *Caphtor* reducatur. Hæc autem omnia in Insula Cretæ ultrò se offerunt. Urbs est ibi vetustissima, & inclyta *Aphtera* (4.), cujus portus Sisamus. Notæ sunt etiam in eadem Insula Urbes *Teraphene*, *Tharra*, *Mons Tityrus*, & *Satyri*. Caphtor in Hebræo sonat pomum, sive malum granatum; atque malum cotonium Græcè *cydonium* appellatur. Porrò populi C *Cydonii*, & Urbs cognominis, in eadem Insula celebres, amplum ejus regionis tractum occupabant. Facilè Græci *Cydones* seu *Cydonios* appellarunt, quos Hebræi Caphtorim. Cupressus arbor est frequens in ea Insula, & tanquam ejus soli avitam arborem describunt veteres (5.); hanc Græci appellant *Kyparisson*; quod satis accedit ad *Caphtor*. Sed melius nominis *Cerethim* vestigia in ipso Cretæ nomine servantur; quę sanè Insula nonnisi sub eo nomine Græcis innotuit. Primum tamen ejus nomen fuisse *Aeriam* Plinius lib. 4. cap. 12. refert; deinde *Curetim*. Populi *Curetes* tota prophana antiquitate celebrantur, quod Jovem D in specu montis Idæ innutriverint. Ex eodem fonte derivantur Urbs *Gortina*, & amnis *Karath* (6.) in quibus plane omnibus vestigia deprehenduntur nominis *Ceret*, *Ceroth*, *Cerethim*.

Insula Cretæ florentissima olim & numero Urbium, & populorum habebatur. Mela l. 2. cap. 7. *Ingens, & centum quondam Urbibus habitata Crete*. Et Virgilius Æneid l. 3. v. 104.

Centum Urbes habitant magnas, uberrima Regna.

Homerus Odyss. T. 174. in catalogo Navigiorum eam appellat Insulam centum Urbium; quamquam alibi 90. tantummodo agnoscat. Primi omnium maris imperium habuisse creduntur (7); omniumE que ferè Numinum matrem fuisse regionem historiæ veteres habent, uti Cereris, Veneris, Dianæ, Apollinis, Jovis, Bacchi, Herculis. Cretenses sub Rege Minoe, & deinde sub Rhadamantho longe lateque dominationem suam ad Insulas Archipelagi, & ad continentem prorogarunt (8.); sicut & plures in varia loca miserunt colonias. Inter has non immerito Cerethim, & Phelethim recensemus. Sane nominis Cerethim in eadem Insula vestigia deprehendimus non obscura; sicut

1 כל ישרים 70. Ἀλλόφυλοι passim 2. 2. Reg. 15 18. *Legiones Cerethi & Phelethi & omnes Gethæi, qui secuti eum fuerant de Geth*. Vid. Hebræum, & nostrum Commentarium in hunc locum

3. *Ezech* xxv. 16. ἐξολοθρεύσω Κρῆτας *Heb.* והכרתי את כרתים *Soph* 2. 5. οὐαὶ κατοικοῦντες τὸ σχοίνισμα τῆς θαλάσσης, πάροικοι Κρητῶν. ℣. 6. Καὶ ἔσται Κρήτη νομὴ ποιμνίων חבל הים גוי כרתים גות כרת רעים ℣. 6. הוי ישבי והיתה חבל הים

4. Strab. l. 10. pag. 330. Plin. Apteron. Ptolom. Apteria.

5. Plin. l. 16. cap. 33. *Cupressus* .... *huic patria Insula Creta*. 6. Callimach. Hymn. in Dian.

7. Diod. l. 5. pag. 238. seu 345. Vide & Strab. l. 10. pag. 331 8. Vide Diod. ibid. & Herod. l. 1. c. 137.

sicut & elata apparent nominis Phelethim in *Plets* sive *Plsto*, quem virum historiæ Tripoli in Creta (1) ortum ferunt, quod etiam nomen sonat in urbe Phalalatne.

Urbem Gazam in Palæstina *Minoam* olim appellatam tradit Stephanus; quòd scilicet Minos Rex Cretæ una cum fratribus Eaco, & Rhadamantho in Palæstinam veniens nomen Urbi suum reliquisset *Minoam*, ac si diceretur Urbs Minois. Hæc in remotissima ætate vestigia supersunt deductæ ex Cretensibus Philisthæorum originis.

Jupiter in Casio monte in finibus Ægypti & Palæstinæ cultus, malum punicum [quem Hebræi Caphtor, Græci Rhoian appellant] gerens exprimebatur, ait Achilles Tatius l. 3.

Porrò Cretenses gens sunt omnium, quas quidem noverimus, vetustissima (2.): primitus eam Regionem tenuerunt, *EteoCretes*, dicti etiam *Autochtones* i. e. è terra nati, quippè quorum origo lateret. Successerunt Pelasgi; deinde Dorici, quos exceperunt Barbaræ gentes variæ (3.) Numero incolarum, & potentia florebant plurimùm tempore belli Trojani, utì in superioribus observavimus. Facilè etiam conjicimus, veterem gentis linguam Phœniciam fuisse, vel saltem ad illam accessisse plurimùm, quemadmodum ex nomine Urbium, & locorum intelligi potest. In iis enim Phœnicia origo facilè deprehenditur, qua de re Bochartus. Porrò Philisthæorum lingua Hebræa erat, sive Phœnicia, & cæterarum gentium ejus tractus, & Insularum Mediterranei ferè omnium. Herodotus l. 1. c. 173. consentit Cretenses omnes origine Barbaros esse, non Græcos. De Creta hæc Homerus Odyss. T. ver. 175. *In ipsa quidem Achivi, in ea autem Eteocretes, Cydones, Dorensesque, Tricaices divinique Pelasgi*. Pelasgorum nomine designati Philisthæos idcircò suspicamur, quòd duorum ejusmodi nominum sonus non absimilis, eadem ferme significatio habeatur; sonant enim advenas, errabundos. Porrò nec in Græcia, Italia, Asia, Creta, obsidione Trojæ deerant Pelasgi. Vernacula *Eteocretum*, seu Cretensium genuinorum, sicut & Pelasgorum lingua non multum ab Hebræa abludebat, & consueto Hebræorum sermone, qui Philisthæi, hi ipsi pariter Cerethim, Cretenses, & Phelethim appellabantur.

Quanquam autem de Philisthæorum moribus, & Religione pauca memoriæ commissa supersunt, quæ tamen restant satis superque consensum produnt cum legibus & cultu Cretensium. De Cretensibus memoriæ proditum est, viros fuisse bellicosos, laborum belli jam inde ab ineunte ætate patientes (4.). Arcu, & jaculis pro armis utebantur; Rempublicam administrabant sex Principes; & in rebus majoris momenti Senatum ea de re habebant, consulebantque. In Connubiis Lacædemonum leges servate, adolescentes in classes divisi victum habebant & vitam communem; quod sanè cum historia Samsonis quadrat, ad cujus pompam connubii Philisthæi 40. adolescentes assignarunt. Principes Cretenses populi suffragio electi Philisthæorum Satrapas satis referunt; ac bellicosa hujus populi indoles in Libris Sacris ultrò se prodit. Cretensium pronum ad vitia, mendacia potissimum & ignaviam, ingenium quis nesciat? Paria Philisthæis exprobraremus, solis, consultis Historiæ Sanctæ Libris. Celebrantur apud Prophanos Cretenses & Dactyli montis Idæ, tanquam viri corporis robore, & strenuitate præstantes, nec deerant in Insula Cretæ Gigantes, quibuscum Jupiter manus conseruit (5.). Scitum est autem è Philisthæis plures prodiisse Gigantes; & plerique milites è turma *Cerethi & Phelethi*, Davidis partes sequuti, viri erant rerum strenue gestarum fama præstantes. Ex prælio autem Gelboe intelligimus, arcu & sagittis certasse Philisthæos 1. Reg. 31. 3. *Consequuti sunt eum viri sagittarii*.

Quinque Philisthæorum Numina occurrunt 1. Dagon, Deus in Gaza 6.), Azotho (7.) & alibi cultus; est enim apud Josue 15. 41. & 19. 27. mentio duarum Urbium *Beth-Dagon*, i. e. Templum Dagonis. 2. *Beel-sebub* Deus muscarum, in Accaron venerationi expositus (8) 3. *Astaroth* facilè confundendus cum *Venere Cælesti*, Templo Ascalone erecto, teste Herodoto l. 1. c. 105. celebri. 4. Marnas Idolum quidem in Scriptura ignotum, sed apud alios tanquam peculiare Gazę Numen celebratum (9.). 5. *Berith* sive *Baal-Berith*. Porrò hæc omnia Numina, si veteribus Scriptoribus fides, originem referunt ex Insula Cretæ. Dagon Philisthæorum ipsa est Dea *Dictynna* Cretensium; quæ sanè *Dic-tynna* confundenda est cum *Dig-tin* sive *Dag-tan*; Dag & Dagon in Hebræo sonant, *Piscis*; *Than* sive *Thannim*, magnus piscis cetaceus. Tradunt Cretenses nomine illo Dianam appellatam fuisse (10.); quippè quæ insequentem Minoem fugitans cum in pelagum se projecisset, subjectis piscantium retibus excepta fuit. Vide Diod. l. 5. pag. 236. 237. *Beel-sebub* facilè sub muscæ simulacro effingebatur, in memoriam innutriti Jovis in Monte Ida inter medias apes; cum autem apes illæ atram haberent muscarum formam, Deus in præmium accepti ab illis officii pullum colorem in aureum immutavit. Officii, inquam, accepti, cum illæ in nutriendo puero mella Nymphis sufficerent (11.). Cum autem mons Ida celsissimo sit vertice, ventisque validioribus concussus, tum & sævissimo frigori subjectus, alterum accessit à Jove infectis illis beneficium; nempè ut resistendi ventis haberent vim, tum & frigoris omnem sensum abstulit, quò scilicet dulcem in monte trahere moram possent. Si Astaroth cum Venere confundenda est, & Cretenses avitum esse Numen illud tam summa sempe religione domesticam Deam coluerunt (12.); non est cur rationes investigemus culti à Philisthæis, quæ colonia est Cretensium, Numinis. Tandem Stephanus Geographus testatur Marnam Gazæ ipsum esse Jovem Cretensium.

Ex his omnibus facilè colligimus, Philisthæorum originem à Creta repetendam esse, quemadmodum ex nomine, moribus, armis, legibus, politia, lingua, religione utriusque gentis probatur. Superest modò ut fusiùs de singulis Numinibus Philisthæorum disseramus.

Nostram hanc de origine Philisthæorum sententiam Criticorum nonnulli improbandam susceperunt (13.), quibuscum contentiosum trahere funem in re adeò obscura & problematicè in utramque partem agitanda recusamus. Quæ tamen afferunt adversus nos rationum pondera, non ea planè censenda sunt, quæ in aliam nos sententiam pertrahant.

Observant igitur 1. Sesostridem Ægypti Regem tot insignium expeditionum gloria clarum persecutionem omnium primum in Hebræos movisse non diu ante natum Moysem (14.) Obiit ille post 59. Regni annos, quem Ramesses ejus filius excipiens 66. annis regnavit. Sub Amenophi, qui post Ramessem Ægypto præfuit, Hebræi regionem illam deseruerunt. Chronologicum hoc systema placet iis quibus nostra displicent; neque nos refutandum suscipie-

1. Diod. ibid. pag. 236. 237. 2. Diod. Sic. l. 5. pag. 230. 3. Ibid. pag. 238.
4. Strab. l. 10. pag. 632. &c. 5. Diod. l. 5. pag. 234. 6. Judic. 16. 22. 23.
7. 1. Reg. 4. 1. &c. 8. 4. Reg. 1. 2. &c. 9. Hieron. ad Læt.
10. Dicæarch in Cret. 11. Diod. lib 5 pag. 233. 12. Diod. l. 5. pag. 234.
13. Journal de Trevoux mensis Augusti 1712. pag. 1376. &c.
14. Vide P. Tournemin. Dissert. in Marshamum, Aprilis 1702.

suscipiemus, quandiu illi non ut certam Chronologiæ hypothesim, sed ut probabilem tantummodo invexerint.

2. Authoritate Herodoti statuunt Ægyptiorum coloniam à Sesostride in Colchide relictam (1); ipsamque coloniam à Moyse nomine Cassuhim designatam. Ex his deducti Caphtorim in vicinam Colchidi Cappadociam, ac maximè in *Siden* vel *Sidenam* Cappadociæ parvam quidem regionem transmigrarunt. Probat hæc nomen *Siden*, quod Græcis est malum punicum, sicut Caphtor Hebræis.

3. Quæ deinde regio, inquiunt illi, Chanaan & Judæa dicta est, appellabatur olim Palæstina; quòd in prima terrarum Orbis divisione Asiam ab Africa, portionem Cham à portione Sem, disterminaret. Post Chananæorum invasionem vetus Palæstinæ nomen finitimæ Ægypto regioni mansit; quam sanè regionem ætate Abraham & Isaac tenebant Principes Hevæi sub Philisthæorum nomine in *capp.* 20. *&* 26. Genesis designati.

4. Addunt, qua ducti ratione ignoro, Caphtorim, relicta Cappadocia, irruptionem fecisse in Hevæos, quibus pulsis ejectisque, totam illam sibi regionem, neque regionem tantùm, sed & nomen Philisthæorum (Hevæis peculiare) usurpasse, ea planè ratione, inquiunt illi, quomodo Gothi domita Hispania nomen sibi à devicta regione asciverunt.

5. Ad *Cerethim*, vel *Cretim*, à Scriptura interdùm Philisthæos appellatos quod attinet, nomen illi deducunt sivè ex colonia Cretensium in Palæstinam translata, sive ex singulari Philisthæorum in jaculando peritia, sive tandem ex Philisthæorum colonia in Cretam deducta; undè facilè morum illa, & Numinum utriusque gentis affinitas.

Antequam in hanc sententiam quidqnam moveamus, animadvertere juvat omnia hæc meram esse putamque hypothesim, non historiam rei, cujus nulla suppetant monumenta. Nec quidquam moveor Herodoti authoritate de Ægyptiorum colonia à Sesostride in Colchide relicta, post ea maximè, quæ nos ad Gen. 10. 14. observavimus, & quæ pariter adversus hanc Herodoti historiam congessit Bochartus. Cum enim Sesostris prælio victus esset à Colchis, coloniam in ea regione statuisse suam quis credat? Hac autem reliquerit; an illa ex Cassuhim constabat? an illi nomen Colchidi suum commodarunt? Scitum est, Colchidis nomen ante Sesostridem regioni fuisse. Quo insuper argumento evincitur, Caphtorim relicta Colchide in Sidenam, inde in Palæstinam, brevi 100. annorum spatio migrasse? Neque enim post ortum Moysem, quem sub Sesostride natum statuunt, usque ad Hebræorum ex Ægypto secessionem, nisi 80. annorum spatium intercedit; & post 40. annos Philisthæi, è Caphtorim deducti, in Palæstina florebant.

Tandem Jeremias 47. 4. & Amos 9. 7. Philisthæos ex Insula Caphtor accersunt. Quis, rogo, unquam Cappadociam Insulæ nomine appellavit? Solemne est quidem Hebræis, Insulæ nomen regionibus transmarinis, locis quæ mari alluuntur, peninsulis, & regionibus nonnisi maritimo itinere à Judæa petendis tribuere. Ita de Jonia, Macedonia, Græcia, & Asia minori constat; nemo tamen assereret, omnibus maritimis regionibus commune Insularum nomen ab illis inditum. Alioqui enim Judæa, Ægyptus, Arabia Insulæ dicerentur, quod nemini adhuc venit in mentem. Nemo unus, qui linguam & stilum Hebræorum calluerit, affirmandum suscepit, regiones omnes maritimas à Judæis communi Insularum nomine appellati.

Tenuis est prorsus conjectura, quæ ex Græca significatione nominis *Side* deducitur, ad probandam Caphtorim è Palæstinis originem. Potuit A enim Urbi nomen indidisse sive malis punicis ferax solum; sive Urbis forma: etymon quin etiam illud aliundè fortè quàm ex Græco derivatur. Res enim dubitatione non vacat, an Moysis vel Sesostridis & Ramessis ætate Græcus vernaculus sermo in ea regione obtineret. Corruit autem illico tota adversariorum fabrica, si nomen *Side* aliundè, quàm ex Caphtorim deductum est.

At enim Septuaginta & post illos Interpretum turba, *Caphtorim* reddunt Cappadoces, quos sanè viros de origine Caphtorim instructos probè credere par est.

Hisce ego repono, 1. Septuaginta inter se committens, nempe Interpretes Græcos Pentateuchi, cum Interpretibus Ezechielis 25. 16. & Sophoniæ B 2. 5. 6. qui sanè posteriores nomen Cerethim (Philistæis synonymum) reddunt Cretenses. 2. Josephus Antiquit. lib. 1. cap. 6. Cappadoces deducit ex *Mosoch* filio Japheti, cum interim Caphtorim, & Cassuchim solo nomine sibi innotescere testetur. 3. Aquila, origine Judæus, & clarissimus Scripturæ interpres, nomen Caphtor, & Caphtorim in textu servavit. 4. Tandem Bochartus Chanaan lib. 4. cap. 38. Scriptores Judæos inter se non convenire demonstrat, ut Cappadoces pro Caphtorim constanter usurpent.

Quæ verò est adversariorum persuasio, Philisthæos constituens primos Palæstinæ incolas ante Chananæos, tanquam Scripturæ repugnans prorsus abjicitur. Accersit enim Scriptura Gen. 10. 14. C Philisthæos ex Capthorim Insulæ Caphtor incolis (2) sicut & pulsi è sedibus Hevæi a Philisthæis produnt Deut. 1. v. 23. Legimus etiam non semel & iterum, sed pluries Hevæos populos esse Chananæos. Ex quibus omnibus tria deducuntur: 1. Vetustissimos omnium Palæstinæ incolas haberi Chananæos: 2. Priores illos terræ cultores excepisse Philisthæorum coloniam, quam, uti tertio loco observamus, ex Insula Caphtorim deducendam constat.

Numquam evicerunt, neque evincent adversarii, primigenium Chananææ nomen *Palæstinam* fuisse. Nihil enim tale produnt Herodotus, Plinius, Mela, Ptolomæus in hanc sententiam laudati: & si quid proderent, eos testes rerum, quas minimè norant, abjicimus. Nunquam non insinuat D Scriptura Chananæos vetustissimos esse regionis incolas. Docet Moyses Deut. 2. 10. Moabitas è sedibus suis *Emmim* expulisse; Ammonitas *Zozommim* Deut. 2. 20.; Idumæos regionem sibi *Horræorum* usurpasse, Deut. 2. 22.; ac tandem Caphtorim totam occupasse Hevæorum regionem Deut. 2. 23. Quæ omnia operæ pretium Sacro Scriptori visum est animadvertisse, ut Hebræis ad occupandam Chananitidem, promissam illis à Deo regionem, animos adderet. Res ergo poscebat, ut simul & semel demonstraret, Chananæos ipsos veteres Philisthæos è sedibus suis depulisse, nec tamen ea de re quidquam prodit.

Exactissimus Chronologiæ calculus nullam aliam E gentem Chananæis vetustiorem in Palæstina constitui patitur. Chanaan, quo authore gens prodiit, non diu post diluvium natus est; quippe qui ætate esset jam grandior, ut maledictionem in se avi auscultaret; cum avus ipse Noe Vineam plantavit Gen. 9. 25. 26. Ex Chanaan undecim filii nati sunt Gen 10. 15. 16. 17. 18. Quæ in constructione turris Babelicæ divisio accidit, ad 250. sive 300. post diluvium annum consignatur. Ex tunc autem florentissimam totius Orbis gentem Chananæam credi par est, quam alias habuisse sedes præter. Palæstinam nullibi legimus. Abrahami ætate, 250. annis circiter post turrim Babelicam, Chananæi jamdiu à pluribus annis quietam habebant regionis illius possessionem. Indicent ergo adversarii quando venerint, & quos regionis incolas depulerint.

1. Herodot. lib. 2. cap. 103. 104. 2. Amos 9. 7. Jerem. 47. 4.

Philisthæi jam inde ab ætate Abrahami potentissima erant populorum natio, quibus nec innumeræ deerant urbes, nec Reges, veteresque regionis incolas Hevæos jam omnes depulerant. Erant ergo Hevæi gens ex Chananæis referens originem, primigenii Palæstinæ incolæ; quare vetustate superant illam, ab adversariis invectam, Casluchim, à Sesostride in Colchidem missam coloniam: adeoque & multo præcedunt tempore Caphtorim e Cappadocia deductos. Atenim Philisthæi illi Abrahamo, & Isaac coævi, ipsissimi sunt Hevæi posteri Chanaan, qui pariter *Philisthæi, nempe segregatores*, ideo appellabantur, quod portiones Cham & Sem medii distinguerent segregarentque. Bella ratiocinatio! 1. Cur inter se confundantur, quos Moyses non incuriose distinguit? Cur Philisthæi simul cum Chananæis admisceantur, cum Scriptura sollerter admoneat, Philisthæos secundos ab Hevæis incolas in regionem venisse? 2. Philisthæorum nomen, quo sensu ab adversariis usurpatur, frustra in vetustis qua sacris, qua prophanis monumentis quæras. Gratis invehunt adversarii, quin & contra omnem veri speciem, custodiam illam finium regionis Cham & Sem, tum & nomen *Philisthæi* datum populis regionem tenentibus in Africa & Asia inter Cham, & Sem, quicumque tandem populi illi essent sive Chananæi sive Caphtorim origine.

Nihil moror si quis cum Theodoreto suspicetur In Sophon. 2. Cretensium coloniam latera Mediteranei, & Palæstinam frequentasse sive forte Philisthæos quosdam in Cretam transmigrasse: ac tandem Cerethim, sive Cretim designare viros jaculandi peritissimos. Hæc enim nobis militant potius quam contra nos, cum in eam deducant sententiam, Philisthæos Cretenses esse origine, & Insulam Caphtor cum Insula Cretæ confundendam, quod tota hac Dissertatione nostra probavimus. Neque mearum esse partium duco, ut quatuor adversariorum asserta falsi convincam, videlicet Insulam Caphtor in Cappadocia sitam esse; Philisthæos ex Caphtoritis *Side* in Cappadocia deducendos; coloniam Ægyptiorum à Sesostride in Colchide relictam monumentum esse historicum satis assertum; ac tandem Palæstinam ante tenuisse Philisthæos, quam à Caphtorim & Chananæis occuparetur. Hevæosque Abrahamo coævos ipsissimos esse Philisthæos, vetustissimos regionis incolas. Quatuor hæc simul mera esse comenta cum veritate nunquam componenda contendo.

Asseruerunt etiam contra meam sententiam cultum Beelzebub Dei muscarum ex Colchide in Succiam devenisse, quod probandum sibi assumunt ex historia muscarum, unde superstitiones suas deducebant Suecorum Magi, teste Rudbekio. Ingentem Magi illi captivam Dæmonum turbam, muscas quasdam æratis talis instructas referentem, super humeros gestabant, quas illi muscas prodigium aliquod operaturi, jussionum suarum ministras missitabant. Arbitrabant Dæmonem, quem sub nomine Thor colebant, summum habere in Dæmones omnes muscas imperium. Porrò hunc muscam Dæmonem è Succia in Palæstinam cum Suecorum colonia deducit Rudbekius. Malunt tamen nostræ sententiæ impugnatores superstitionem ex Colchide in Succiam per virum quendam Odinum nomine, paulò Jesu Christi adventu antiquiorem, transmittere.

Quid inde illi? An demostrasse sibi persuadent, muscarum cultum e Suecia in Palæstinam, vel potiùs è Colchide in Succiam migrasse? Mihi sanè ad intentum convincendum luculentiora desiderarentur argumenta, & otiosi esse hominis reputo diutius in hypothesi hac subvertenda immorari. Quo, rogo, argumento probatur, muscarum superstitionem sive in Suecia, sive in Colchide unquam obtinuisse? Veneficorum Suecorum historia cultumne à Suecis Dæmoni inpensum demonstrat? Dæmoni, inquam, quem ita tenebant captivum, ut ad suum tantum arbitrium, suisque commodis dimitterent? Quid insuper hæc ad Philisthæos, Babylonica captivitate, ipsoque adeò Jesu Christi adventu vetustiores, & cultui Beelzebub addictos? Nihil igitur hisce in contrarium adductis argumentis è veteri sententia retrahimur; ratumque manet apud nos, Philisthæos ex Insula Creta in Palæstinam transmigrasse.

Serius modo de Numinibus Philistæorum disserendum.

PHILISTHÆORUM NUMINA.

INsita quadam Religione Philisthæi cultui suorum Numinum vehementer addictos fuisse ex ipso Scripturæ testimonio intelligimus. In expeditionibus suscipiendis nihil habebant antiquius, quam ut secum Idola deferrent, vana spe ducti, non parum sibi momenti ex ipsorum ope in hostes futurum. Capta olim à Davide nonnulla ex iis Idolis igni tradita sunt Vide 2. Reg. 5. 21. & 1. Paralip. 14. 12. Post devictum in prælio Gelboe extinctumque Saulem, victores Philisthæi: *Miserunt in terram Philisthinorm per circuitum, ut annuntiaretur in Templo Idolorum & in populis* 1. Reg. 31. 9. Cum Samson in eorum manus incidisset, in carcere detentus aliquandiu, deindè in Templum Dagon Judic. 16. 23. 24. in actionem gratiarum Diis ejusdem gentis productus fuit: eo simul aspectu volentes præsentem in Templo turbam delectare adversarium longè terribilissimum intuentem, à quo nihil sibi ultra timendum haberet. Arca Domini in prælio sub Heli Summo Sacerdote capta, in Temp o Dagon deposita est 1. Reg 5. 2. sicut & ibi suspensum Saulis caput; arma verò ipsius Regia in Templo Astaroth 1. Reg. 31. 10. & 1. Par. 9. 10. trophæum exhibuerunt. Hæc de superstitione, & religione Philisthæorum monumenta sunt apertissima.

D A G O N

CElebratissimum Philisthæorum Numen, cujus augustissimum erat Samsonis ætate Gazæ Templum; namque vir ille strenuus eo quo præstabat corporis robore, dejecta ædificii mole, ultra 3000. hostes partim super tectum, partim in Templo stantes oppressit Judic. 16. 27. Huic non secundum alterum Fanum Azothi excitatum erat, ubi Arca Domini deposita tantam prodigiorum procellam in Idolum excussit, ut contractum simulacrum coram illa conciderit, & Numinis caput manusque in limine Templi projecta jacuerint; quod deinde ad limen accedentes Philisthæi, ne conculcantes tangerent, sed saltu transilirent, religiosè caverunt 1. Reg. 5. 5. Diù superstitio illa mansit, cum Philisthæos hisce characteribus designet Sophonias, 1. 9. *Visitabo super omnem qui arroganter ingreditur super limen.* Extabat adhuc Templum Dagonis Azothi sub Machabæis; namque direptum ibi, combustumque Templum à Jonatha legimus 1. Mach. 10. 83. 84.

Qua potissimum forma Idolum exhiberetur id diu multumque Interpretes torsit. Judæorum Doctores de hoc argumento scribentes adeò inter se variant, ut temerè & ad arbitrium scripsisse statim intelligatur. Sunt qui superiora hominis, inferiora piscis habuisse dicant (1.); alii ordine inverso piscem statuunt in superioribus, infra verò à femore hominem (2.) Alii homine excluso piscem per omnia (3.); sicut alii vicissim nihil non humanum constituunt (4.) Id constat, nec manus nec caput Numini defuisse; Scriptura enim narrat 1. Reg. 5. 4. *Caput Dagon & duæ palmæ ejus abscissæ erant super limen.*

1. Kimchi. 2. Abarbenel. 3. Rab. Salamon.
4. Rab. Levi. Vide si lubet Andr. Beyer addit. ad Seld. de Dis Syr.

Porrò Dagon solus truncus remanserat in loco suo. Septuaginta, pedes quoque unà cum manibus & capite projectos habent (1.) Nos igitur nôn inviti suspicamur, Deum hunc sive Deam [carent enim Hebræi fœminino nomine Deabus designandis] ipsissimum esse Ægyptium Numen, quod D. Vaillant (2.) ex Nummo Urbis Menelai exhibuit. Refert autem fœminam media corporis parte expressam, cornucopiam tenentem, quę inferiora habet piscis, cauda in dorsum replicata, pedibusque à pisce non abludentibus, veluti crocodilli, seu vituli marini. Veneris Numen sub piscis forma coluerunt Ægyptii; quod in prælio Typhoeos cum Diis

Pisce Venus latuit (3.).

Porrò nomen *Dagon*, sive *Dag*, Hebraicè (4.) sonat piscem; quod sanè animalium genus Syri, Phœnices, Persæ, Ægyptii, Cretenses summa veneratione colentes, Deos Deasque suas in piscem non rarò transformabant. Hunc igitur finitimarum gentium ritum tenuisse etiam Philistæos facilè credimus. Ut quid alioqui piscis nomen Deo suo tribuissent, si cæteris circa illos populis Numinum suorum sub piscium forma exhibentibus simulacra, soli piscem non adorarent? Diodorus Siculus Lib. 2. tradit, Ascalone, quæ Urbs erat florentissima Philisthæorum, Deam coli *Derceto* sive *Atergatim*, cujus simulacrum vultum habens fœminæ in piscem desinebat; addit insuper non longè ab Urbe altum esse lacum piscibus refertissimum, quos sacros habent Incolæ, intactosque servant, rati Venerem in lacum se projicientem quondam in piscem transiisse.

Nomen *Derceto*, sive *Atergatis* ex *Dag*, & *Adir* derivatum, sonat *piscis magnificus*. Libenter autem Pagani elogium illud *magnificus* addunt Diis & Regibus; ita Deus Sepharvaim appellatus est *Adramelech*, seu *Adar-melech*, Rex magnificus 4. Reg. 17. 31. Philisthæi audito nuncio deductæ in castra Hebræorum Arcæ Domini, exclamarunt 1. Reg. 4. 8. *Quis nos salvabit de manu Regum sublimium istorum?* Verum Deum sæpè hoc eodem titulo insigniunt Hebræi. Vide Exod. 15. 11. P. 7. 2. 10. & 75. 5. *&c.* Lucianus qui Deam Syriam oculatus testis inspexit, simulacrum pingit mulieris in piscem desinentis; quemadmodum & Nereides apud Poetas describi consueverunt. Deam Eurynome filiam Oceani colebant Arcades in Templo in urbe Phygale erecto, quod semel tantùm in anno recludi consuevisse ferunt. Numinis simulacrum aureis devinctum catenis in Templo velut in carcere detinebatur. A capite ad imum usque pectus venustam referebat puellam, inferiora desinebant in piscem. Porrò Numen illud e Creta in Peloponnesum facilè transiit.

Abstinuisse Syros à piscibus quibusdam, satis ex Veterum testimonio constat, sive indignum ratos ea in cibum adhibere, quæ in Altaribus Numina colebant, uti Diodorus Siculus, S. Clemens Alexandrinus, aliique nonnulli autumant; sive Gatis, vel Atergatis Reginæ edicto absterritos, quippè quæ piscium avidissima, omnes sibi reservari, vetito cæteris illorum usu, constituit, quod malunt Antipater Tharsensis, & Mnaleas ab Athenæo laudati in Dipnosoph. l. 8. c. 8. Mos inde obtinuit, de quo Athenæus ipse ibid. aureos & argenteos pisces in ejus Templa inferendi, ut perpetua essent religionis monumenta; sicut & ex piscibus assatis elixatisque mensas in ejus aris instruendi, quæ postea sibi omnia rapiebant Sacerdotes. Malunt alii sacros fuisse Derceto pisces (5.) quod Deam in aquas prolapsam à præsentissimo periculo liberarint. Similemque habuisse de Dictynna Dea sua opinionem Cretenses ex testimonio Diodori supra laudato videntur; namque extractam illam è mari piscatoriis retibus narrabant. Alii tamen contendunt, abstinendi à piscibus in causa Syris fuisse, quod (6.) tormina sibi quædam viscerum & jecoris, sicut & ulcera crurium, totiusque corporis, metuerent à Derceto infligenda in pœnam, quod sacros Deæ pisces violassent (7.)

. . . . Gens hoc imponere mensis
Ne violent timidi piscibus ora Syri.

Manilius *Astronom.* 4. aliique plures autumant injuriam Veneri irrogari, si pisces in cibum adhibeantur.

Scilicet in piscem sese Cytheræa novavit,
Cum Babylonicas submersa profugit in undas,
Inseruitque suos squammosis piscibus ignes.

Sed quæcunque demum fuerit Syriacæ superstitionis causa, extra controversiam est consecrasse illos in Altaribus pisces; sicut & Deam Derceto fœminam quidem in superioribus, inferiora verò piscis exhibuisse; ipsam autem esse credimus Dagonem illum in Libris Sacris celebratissimum. Porro Numen illud, quod mulierem effingebant Syri, & Cretenses, masculino Dei nomine Persæ venerabantur. De *Oanne* Numine Babylonis, Derceto non absimili, sermo est apud Berosum (8.) Namque capite erat & pedibus humanis; infra verò humanam altera assurgebat piscea cervix; pedes autem hominis prodibant ex amplissima piscis cauda, quæ in dorsum revolvebatur. Mira jactitabant de monstro; manè de mari Rubro vel sinu Persico emergere, & post actam Babylone totam diem, sub vesperas iterum in aquis demergi. Amphibium erat humanoque sermone instructum. Plurimarum, nec inutilium quidem ad vitam rerum primus author ferebatur, uti scribendi, ædificandi, agrosque colendi &c. Quatuor ejusdem figuræ & nominis Apollodorus recenset, omnes è mari Rubro emergentes (9.); addit insuper, nonnullis ante diluvium sæculis novum aliud monstrum cæteris non dissimile ex eodem loco prodiisse, nomine *Odacon*. Quis, rogo, nominis *Dagonis* vestigia non agnoscat? Neque Septuaginta Numen illud ignorasse visi sunt, quippè qui *Nebo* Deum Babyloniorum Dagonem reddiderunt Isai. 46. 1. Quod autem vix fidem extorquet, atque Religionis, & Thelogiæ Paganæ absurdum omne revelat, illud est, nimirum eandem Dianam, quam Cretenses *Dictynnæ* nomine colebant, cultum apud Persas, cæterasque barbaras gentes obtinuisse sub nomine *Dianæ Persicæ* (10.) Manilius ubi supra, Venerem in piscem transmutatam testatur.

Cum Babyloniacas submersa profugit in undas.

Meriam in Euphrate, Palæstinæ, ut ipse quidem nutumasse creditur, amne habet Ovidius Fast. l. 2. vers. 460.

Venit ad Euphratem comitata Cupidine parvo,
Inque Palæstinæ margine sedit aquæ.

Et Metam l. 4. fab. 3. repetit versam illam in piscem, vel saltem ita ferri apud Babylonios, & persuasum esse Palæstinis.

De te Babylonia narrant
Derceté, quam versa squammis velantibus artus
Stagna Palæstini credunt coluisse figura.

Fieri utique potuit, ut apud Babylonios, cultus *Derceto*, *Dianæ*, sive *Dagonis* sub piscis simulacro impenderetur.

A vero pariter non abludit, Deam Hierapolis in Syria, de qua plura Lucianus, eandem esse quæ Diana Persica, ipsam demum Derceto, seu Dagon, seu Dictynnam, aut Dianam. Lucianus *De Dea Syr.* narrat non defuisse, qui ædificati Templi Deæ Syriæ honorem tribuerent Reginæ Semiramidi; quę scilicet parenti suæ Derceto Fanum illud erexerit;

popu-

1. Septuag. ibid. 2. Append. Hist. Ptolemæorum. 3. Ovid. Metam. 5. fab. 5.
4. רב רבר 5. Theo in Orat. Selden. de Diis Syr. Syntag. 2. cap. 3.
6. Menand. apud Porphyr. l. 4. de Abstin. Vide & Plut de superst. 7. Ovid. Fast. l. 2.
8. Apud Euseb. 9. Vide Selden. de Diis Syris Syntagma 2. c. 3. 10. Diod. l. 5. p. 237.

populos verò Urbis à columbis abstinuisse, quod aves sint Semiramidi sacræ, & à piscibus, quod Derceto dicati habeantur. Strabo l.16. non obscurè tradit, coli Hierapoli Deam *Atergatim*. Plinius paria refert l. 5. c.23. *Ibi prodigiosa Atergatis, Græcis autem Derceto dicta, colitur*. Et quod maximè ad rem facit, Ascalonitæ cultui Derceto addictissimi, columbas summoperè observabant, eas aves sanctas, eas sacras habentes, quas nemo in cibum adhibebat, ne Deos suos vorandi discrimen subiret. Tibullus.

Quid referam ut volitet crebras intacta per Urbes,
Alba Palæstino sancta columba Syro?

Vidisse etiam se testatur Philo apud Euseb. Præpar, dum Ascalone esset, infinitum propemodum harum avium numerum, quem summa diligentia & obsequio alebant.

ASTAROTH.

Alterum erat Philisthæorum Numen, cui Regia Saulis arma in trophæum suspenderunt: *Posuerunt arma ejus in Templo Astaroth, corpus verò ejus suspenderunt in muro Betsan* 1. Reg. 31. 10. Incertum tamen qua potissimùm in Urbe coleretur, nisi fortè Ascalone credamus, ubi Veneris Cælestis Templum, omnium ejusdem Deæ vetustissimum habitum juxta Herodotum l. 1. cap. 105. spectabatur. Cypri & Cytheræ incolæ Veneri devota gens, religionem suam Ascalonitis debent. Sed quænam hæc Dea Astaroth? Nos confundendam credimus cum Derceto, Atergati, Venere Cælesti, uno verbo, cum Dagone, Diana, Athara, Dea nemorum, de qua sæpè in Scriptura (1.) Fusiùs nobis de hoc argumento agendum est in dissertatione de Numinibus Phœnicum; hic tamen duas vel tres conjecturas afferendas censemus. Strabo de corruptis nominibus barbaris agens observat Lib. 16. vers. fin. ex Atergata factum Athara, quam Ctesias appellat Derceto. Tradit Artemidorus Syros a piscibus non abstinere, exceptis quibusdam paucis Deam Astartem colentibus Oneiroc. l. 1. c. 9 ex quo confusas intelligimus ab eodem Scriptore geminas illas Deas, Astartem, & Derceto, cum alteri tribuat, quod ad priorem tantùm referendum est. Tandem 2 Mach. 12. 26. sermo est de *Astaroth Carnaim* urbe transjordanica, ubi Templum *Atergata* (Atergateion) fuisse perhibetur.

Quanquam autem ea, quæ huc usque digessimus de Dagone & Derceto, veri aliquam speciem habere videntur, suis tamen obnoxia sunt difficultatibus: imò & prorsus repellenda essent, si testimonium Sanchoniatonis Authoris Phænicii ante bellum Trojanum admittatur. Scriptor enim ille, qui patriam religionem nosse debuerat præ Luciano, Diodoro, aliisque planè recentioribus Græcis, & Latinis, eo maximè tempore florentibus quo Græci totam Orientalium Theologiam Diis Græcorum invectis turbaverant, Scriptor, inquam, ille tradit (2), Cælum pluribus editis filiis, inter cæteros Dagon habuisse, cujus nomen ex Phœnicio *Dagan*, *frumentum*, derivatur; cum autem, addit, hic aratri & frumenti usum invenisset, nomen obtinuit *Jovis Agricolæ*, sive *Jovis ad aratrum*. Saturnus uxorem tradidit Dagoni unam ex uxoribus Cæli, quam ipse Saturnus in bello à se in Cœlum illato captivam habuerat. Hæc Sanchoniato, omnia huc usque præstituta à nobis authoritate sua evertens. Singula hæc probasse Bochartus Anim. sacr. p. 1. l. 1. c. 16. visus est; ea verò rejicit omnia quæ de Simulacro Dagonis Rabbini comminiscuntur.

Sed duo hæc Sanchoniatoni reponenda. 1. Historiæ veritas, 2. nomen Dagon ex Phœnicio Dagan, *frumentum*, derivatum negatur. Sanchoniatonis nomine inscriptum Opus fabella est ad arbitrium supposita, sive fraude Porphyrii, qui detrahendi Sacris Libris consilio (ita erat in Christianos animatus) omnia ex Theologia Phœnicum suffuratos fuisse Sacros Authores demonstraturus, Libellum facile procudit. Nemo certè ante Eusebium, nec post illum aliquis hujus Authoris Scriptum vidit unquam. Quin nec ipse Eusebius integrum illius Opus legisse videtur; sed quæ apud Porphyrium extabant fragmenta, in suum Opus transtulit, cùm forte nec ipse Porphyrius integrum Opus supponere ausus, quædam tantùm fragmenta in suo Libro inseruerit, fraude non planè felici, cum ipse se non semel prodat; omniaque insterferit absurdis adeò putidisque erratis & fabellis, ut vulgo hujus ætatis Eruditos præstitæ olim hisce fragmentis fidei pudeat. Nominis etymologia ex *Dagan* probari utique posset, si alicujus Historiæ, vel probati Scriptoris authoritati inniteretur. Sed quis, rogo, Deus Jupiter iste Agricola? ubi locorum cultus? quod ejus Numinis Templum? cultoresque quales? Fragmenta illa procudenti præ oculis erant Libri Sacri, ex quibus nomina propria colligens ad literam translata, in certas genealogias, obtrusis fabellis servientes, digerebat. Ita cum inter legendum offendisset *Sadai*, Deum agrorum vertit, quòd scilicet *Sade* ad literam sonet *agri*. Sed Hebræi, qui plane vocabulorum suorum vim norant, vocem illam reddunt: *Deus, qui sibi sufficit*. Sed fusius de Theologia Sanchoniatonis recurret sermo, cum de Numinibus Phœniciis, sive Chananæis agemus.

BEELSEBUB.

Beel-sebub (3.) i. e. *Deus Muscarum*, sivè Deus Muscæ, Philisthæos habuit cultores, & Templum celeberrimum in Accaron, ubi & oracula reddebantur. Ochozias Rex Israel lapsus e tecto domus in cœnaculum, gravi vulnere affectus, consultum de valetudine sua Beelsebub Deum Accaron misit. Euntibus Regiis legatis occurrens jussu Domini Elias, gravioribus verbis ita est (4.) affatus: *Numquid non est Deus in Israel, ut eatis ad consulendum Beelsebub Deum Accaron? Quam ob rem hæc dicit Dominus: De lectulo super quem ascendisti, non descendes*. In Novo Testamento Beelsebub Princeps Dæmonum appellatur. Pharisæi de Jesu: *In Beel-sebub principe Dæmoniorum ejicit Dæmonia* Matth. 12 24. Luc. 11. 15. alii insuper de eodem Jesu Marc. 3. 22. *Dicebant quoniam Beel-sebub habet, & quia in principe Dæmoniorum ejicit Dæmonia*.

Sed quale hujus Numinis simulacrum? Inter varias variorum tres tantummodò opiniones referemus. Prima nomen Beelsebub inditum Numini per contemptum opinatur; cujus genuina esset appellatio *Beel-samin*, Deus Cœli. Secunda autumat, Numen fuisse tutelare Philisthæis, cujus potissimum opem in muscas implorarent, quemadmodum & Græci colebant Herculem muscarum venatorem. Tertia contendit, consecratas à Philisthæis muscas, quarum erectum in altaribus colerent simulacrum. Quæ pro singulis hisce sententiis afferuntur, conjecturas promamus.

Obtinuisse apud Hebræos morem externorum Deorum nomina corrumpendi ex Sacris Libris intelligimus. Quo enim horrore Numina illa prosequebantur, eodem & nomina detestantes, ne proferre quidem illa, vel designare sustinebant. Urbs *Bethel*, quæ vox *Domum Dei* sonat, non raró immutato nomine *Bethaven*, domus iniquitatis, vanitatis, nihili appellatur, ex quo aurei vituli à Jeroboamo fabricati sedes effecta est (5.) Monti

1. Asera אשרה Vide 4. Reg. 21. 7. 23. 4. 6. & 2. Par. 33 2.
2. Apud Euseb. Præp. l. 1. cap. ult.
3. בעל זבוב Baal, seu Deus Musca.
4. 4. Reg. 1. 2. &c.
5. 3. Reg. 13. 5. & 14. 23. Ose. 4. 15. & 5 8. & 10. 5.

Monti Olivarum mostis offensionis nomen (1.) accessit, quod erecti ibidem Fani sedes effectus est. Valli Heliopolis in Cœlesyria, Templo Solis sivè Baal infami nomen vallis iniquitatis ab Amos tribuitur (2.). Isbaal, Miphibaal, filii Saul variato nomine in Scriptura appellantur *Isboseth* & *Miphiboseth*, i. e. vir confusionis, os confusionis, quo prophanum nomen Baal evitaretur. Dominus Osee 2. 16. 17. profitetur commissurum se, ne ultra nomen Baal in ore populi sui versaretur, ut ne uxor quidem cum viro suo familiariùs loquens, illud usurpare nosceret; neque enim, inquit, ultra appellabit conjux virum suum *Baali*, i. e. Dominum meum, sed *Ishi*, virum meum, sponsum meum. Non abs re igitur suspicaremur, Hebræos recepto more nomen *Beel-samin*, Deum Cœli, reddidisse *Beel sebub*, Deum Muscam, vel *Beel-zebub*, Deum salacitatis, quemadmodum legunt pleraque Græca Exemplaria & Veteres Interpretes.

Sed cur nomen *Beel-samin* in *Beel-sebub* transferendum maluerint? Ideo, inquiunt, quòd victimarum cruore ablutum simulacrum muscas accerseret, quibus etiam ebulliebat Templum, invitante odore carnium & sanguine hostiarum. A Templo Salomonis, si Rabbinis fides, omnis exulare Musca Divino prodigio jussa est. Sed hæc frivola sunt, nec majorem merentur fidem, quæ de Templo Salomonis à muscis immuni jactitant. Quin & ex Textu quarti Regum supra laudato satis intelligimus, nomen illud peculiare esse, non deridiculo impositum; neque enim alioqui Ochozias Numinis opem imploraturus mittens, eo Deum illum nomine compellasset.

Altera proximè succedens sententia, muscarum aucupio occupari Deum autumans, nihilo melioris est fidei. Tota enim innititur futilibus, & longe deductis conjecturis, quæ in speciem quidem aliquid, re tamen nihil probant. Adducunt Jovem muscarum aucupem ab Eleis cultum, sicut & apud Romanos Hercules item auceps muscarum notus erat (3.) Plinius narrat (4) in Olympiæ sacris tauro litatum fuisse Numini aucupi muscarum, quo sacrificio vix oblato, inquit, statim abactæ muscæ extra territorium turmatim evolant. Author sacrorum Hercules habetur, qui cùm Olympiam venisset, & sacrum Jovi parasset, quo molesto muscarum tædio liberaretur, Jovi muscarum aucupi litavit: nec mora, statim molestorum insectorum examina facessere loco, & trans Alpheum avolare visa sunt. In Fano Apollinis ad Actium eidem incommodo occursum, mactato muscis tauro, illisque sanguine relicto: statim enim veluti sacrificio contentæ abibant (5.). Præsentissimum etiam habebatur Herculis Numen in culices; unde nomen indictum Deo *Conopion*.

Cyrenaici, inquit Plin. l. 10. c. 27. *Achorem Deum invocant, muscarum multitudine pestilentiam afferente: quæ protinus intereunt, postquam litatum est illi Deo*. Porrò Deum *Achor* sive *Accaron* ipsum esse Beelsebub non inviti suspicaremur; quamquam de re prorsus incognita (neque enim aliud de illo memoriæ proditum est) meliùs judicium omne suspenditur. Illud tantummodò addendum nobis, vix posse in animum nostrum induci, solam, quæ tribuitur, muscas depellendi virtutem, in causa fuisse, cur *Beel-sebub* appellaretur; scimus enim Jovem, & Herculem, Deos ambos in Muscas tutelares, tantæ virtutis merito nomen sibi non promeruisse aucupis muscarum. Ita plane cujus Numen præsentissimum sentitur in mures, & serpentes, non continuò *Deus mus, & Deus Anguis* nuncupatur. Quæ tandem ratio suadet *Beel-sebub* Numen fuisse in muscas prodigiosum? Nihil ea de re in Sacra Historia, & ne verbum quidem in prophana. Scitum est tantummodò Oraculum ejus in Accaron reddendis futurorum oraculis celebratum fuisse: quare Ochozias non impetrandæ à morbo sanitati, sed de morbi eventu consulturos Legatos eò misit.

Tertia tandem sententia ex Numine muscam facit, Divinis honoribus ab Accaronitis cultam, vel hominem muscam habentem sive in manu, sivè in capite, sivè ad latera. Scitum est enim obtinuisse apud Gentiles, ac maximè Ægyptios, morem, ut vera animalia consecrarentur, ut puta taurus, aves, crocodilus, vel saltem eorum simulacra aurea, argentea, lignea, ænea imponerentur Altaribus. Sæpè tamen Numinibus suis bruti aliquid coagmentabant; uti Isidi caput felis aptatum est, Anubi caninus vertex, Derceto cauda piscis, Ammoni cornua arietis, & sic de singulis. Tandem capiti sivè manibus Numinum bruta animalia imponebantur, virtutis singulorum hieroglyphicum; uti piscis, accipiter, cervus. Vide hac de re Nummos Ægyptios, & tabulam Isiacam. Apes in veteri simulacro Dianæ Ephesinæ insculptas licet spectare in Musæo Farnesiano Romæ (6.)

Porrò muscis non minus planè erat meritum, quam felibus, lupis, crocodilis, anguibus, ibicibus, formicis, muribus (7) febri, tempestati, cepis, porris, quæ omnia vesana Gentilitas Aris imposita consecraverat. Author Sapientiæ 12. 8. immissas narrans à Deo in Amorrhæos & Chananæos vespas & muscas, à quibus paulatim è sedibus illi suis repellerentur; addit deinde illa habuisse adversaria, quibus divinos honores impenderent. Colebant ergo muscas vel saltem muscarum simulacra. Vide Sap. 12. 23. 24. Testimonium Diodori l. 5. de repensis à Jove beneficiis in muscas, sive apes infantiæ suæ in monte Ida beneficas altrices, suprà retulimus. Beneficiorum Deus ille non immemor, aureum æneo admixtum colorem largitus est, simulque indulsit ut perniciosissimo cæteris morsu se ipsas defenderent. Genus autem illud muscarum diutius in monte perennasse Ælianus *Hist. Anim. lib. 17. cap. 35.* est author. Ad cantharidas allusisse creditur. Author ille, sicut & Diodorus, ita insecta describunt, ut cantharidas pinxisse videantur; illis enim venenatus morsus, illis aureus color quadrant. Plerique tamen Scriptores illos interpretantur de apibus. Dignius etiam aliquod munificentiæ suæ donum liberalissimus Jupiter muscis contulit, ut *scilicet haberent liberos*, ait Servius in Virg. Georg. l. 4. *sine ullo concubitu*. Virgilius narrat non defuisse, qui viso ordine atque politia apum animalia illas, intelligentia, & portione Divinitatis quadam præditas fuisse suspicarentur Georg. 4.

His quidam signis atque hæc exempla secuti,
Esse apibus partem Divinæ mentis, & haustus
Ætherios dixere.

Symbolum habebantur immortalitatis, quippe quæ sibi ipsæ post interitum vitam redonarent, neque gignendis & reparandis apibus commixtione utriusque sexus opus haberent. Virgilius ibidem.

Illum adeò placuisse apibus mirabere morem,
Quòd nec concubitu indulgent &c.
Verum ipsæ foliis natos, & suavibus herbis
Ore legunt.

Didymus apud Lactantium de falsa relig. l. 1. cap. 22. prodit, Melisso Regi Cretæ geminas fuisse filias

se filias

1. 4. Reg. 23. 13. 2. Amos 1. 5. *Habitatorem de campo Idoli* מבקעת און 3. Clem. Alex. in Protrept.
4. Plin. l. 29. c. 6. *Olympia sacro certamine, nubes earum immolato tauro Deo, quem Myiodem vocant, extra territorium id abiere.*
5. Clemens in Protrept. pag. 25. Vide Rhodigin Alex. Da le camp. in Plin. l. 29. c. ult.
6. Vide Antiq. Græc. Græv. & Gronov. t. 7. p. 382. & 385.
7. Clemens in Protrept. ad Græc. p. 25.

ſe filias Amaltheam, & Meliſſam, quarum illa lacte, altera melle infantem Jovem paverit. Fabula hiſtoriæ accedens, ex *Amalthea* capellam, uberibus ſuis puerum lactantem fecit, ex *Meliſſa* apem, mellis ſui dulcedine infanti blandientem: illi in præmium officii Divini honores ceſſerunt, cur verò eodem præmio altera fraudaretur?

Scacabæus ſivè cervus volans, quem non immeritò in muſcarum cenſu habemus, inter Deos etiam ab Ægyptiis agnoſcebatur (1.) Probrum hoc depulſurus à gente ſua Appio Grammaticus, obſervat ſcarabæum Solis opera æmulari, quippe qui ſtercoreum globum vertens ſeipſum reproducit, nam poſt depoſitum in globo illo ſemen omnia ſub terra recondit, quouſque foto jam ſemine novus exſurgat in dias auras ſcarabæus. Tanta erat olim pro inſecto illo militum Ægyptiorum veneratio, ut in annulis exſculptum geſtacent (2.) In tabulis ſcarabæus & alterius etiam generis muſcæ non rarò ſpectantur; varia enim muſcarum genera colebant Ægyptii. Non eſt igitur cur Philiſthæi ſimiles honores muſcæ ejus generis, vel ſimili denegaverint. Ita planè ſententiam de hoc Numine ſuam ferunt Septuaginta (*) & Patrum Græcorum benè multi (3.) & vir quidam Eruditus (4.) muſcam in veteri nummo Phœnicio obſervavit. Quin & muſcæ cultum diutiùs etiam poſt invectam Chriſtianam Religionem, Accaroni manſiſse Philaſtrius inſinuare videtur, cum de hæreſi Judæorum muſcas colentium in Accaron agit *hæreſ.* 13.

Jeſus Chriſtus Matth 12. 24. Luc. 2. 15. Marc. 3. 22. Beel-ſebub Principis Dæmoniorum titulo notavit, unde conjectura facilis deduceretur, inſinuatum eo nomine Jovem, in cætera Paganorum Numina, tanquam omnium Principem, regnantem. Poteſt autem non incongruè Jupiter Dominus, ſive *Baal muſcarum* appellari, ea ſcilicet ratione, quam ſupra inſinuavimus, quippe qui muſcas Idæas & aureo colore & mira quadam virginea fœcunditate donarit. Prophetæ verò titulo ideò gaudere poteſt, quòd oraculum haberet in Accaron. Ita *Beel-ſebub* ipſe eſt *Jupiter Idæus* ſive *Dictæus* muſcarum ſatellitio ſtipatus. Virgilius Georg. 4. 151.

Apes
Curetum ſonitum crepitantiaque æra ſecutæ,
Dictæo Cœli Regem pavere ſub antro.

Profectò ſi in Paganorum Theologia ſuus fuit cultus corvis, capellis, picis, quæ ab impoſtoribus doctæ ſua edebant reſponſa, & Oracula (5.) cur non idem honor fuerit muſcis Numini Jovi dicatis?

M A R N A S.

NIhil de Marna in Scriptura, quod ſanè Numen cultum in Gaza urbe Philiſthæorum tradunt S. Hieronymus, & Prophanorum nonnulli. Servantur etiam nummi, in quibus Gaza titulo *Marna* inſignitur (6.) De Numinis illius [A] Templo ita S. Hieronymus in Epiſt. ad Lætam: *Marnas Gazæ luget incluſus, & everſionem Templi pertimeſcit*. Legitur in vita S. Hilarionis, ludos, & curriculorum agitationes in ejus honorem inſtitutas. Stephanus Geographus (7.) autumat, *Marnam* eundem eſſe ac Jovem Cretenſem. Macna Syriacè, qui vernaculus erat in Palæſtina ſermo poſt captivitatem Babylonicam, vel ſaltem poſt Machabæos, ſonat *Dominus*; quod Jovi optime quadrat. Sed nec immeritò eodem denotari Solem, vel Apollinem maximum totius Orientis Numen ſuſpicaremur. Templum Apollinis in Gaza ſenatui cogendo deſtinatum legi- [B] mus apud Joſephum Antiq. l. 13. c. 21. Nec Cretenſibus incognitum erat nomen *Maran* & Marna, cum puellæ apud eas gentes *Marnæ* titulo, ac ſi diceretur *Domina*, decorarentur. Ejuſdem veſtigia in eadem Inſula deprehendas non obſcura, ut in *Marathuſa*, celebri regionis urbe, Marathi &c.

BERITH SIVE BAAL-BERITH

DEus eſt ex Libro tantùm Judicum notus, ubi poſt relatum Gedeonis obitum (8.) legimus, Iſraelitas relicto Domino coram Baal ſupplices ſeſe provolviſſe: *Et poſuerunt ſibi Baal-Be-* [C] *rith in Deum* (ita Hebræus). Templum erat ejus Numinis celebre in Sichimis, unde eductam pecuniam Sichimitæ Abimelecho filio Gedeonis penderunt (9.): eò etiam confugerunt poſt negatam Abimelecho obedientiam (10.) ibi tandem Abimelechus ipſe mola macinaria à fœmina deturbata eliſus interiit. Noſtras de illo conjecturas dedimus in Commentario Judic. 8. 33. quibus has etiam addendas cenſemus, probantes Numen illud è Philiſthæis, vel Cretenſibus deductum, ipſum eſſe Dagonem vel Decreto. Diodorus Siculus lib. 5. tradit, Cretenſes religioſo cultu Deam *Britomartim* adoraſſe, quam ſanè natam [D] dicit è Jove & Carme, cognomento autem appellatam Dictynnam, quòd inventrix haberetur venatorii retis, ſivè quod Neptunum procacem amatorem fugiens, cum ſe in pelagum projeciſſet, ſubjectis piſcatoriis retibus excepta eſt. Dictynnæ verum etymon ex Hebræo *Dag-tannim*, magnus piſcis, deducendum jam à nobis demonſtratum eſt; nec *Britomartis* nomen aliunde repetendum quam ex *Berith* & *Marath*, Dea fœderis. Authoc à nobis ſupra laudatus, & Salmaſius Deam illam confundendam cum Diana cenſent, quod nobis etiam probatur, cùm Dictynna, Derceto, & Atergatis nihil ſint aliud, quàm Luna ſub Dia- [E] næ nomine à Græcis culta. Sermo eſt apud Macrobium Saturn 1. c. e. 18. de Baccho ſive Libero *Briſæo*, non alio ſanè quam Sole, cujus pariter nomen deducitur ex Berith ſive *Beris*, juxta Chaldæam pronunciandi rationem. Ita Deus ſivè Dea Berith, cui Templum Sichimitæ dedicaverant, ex vicinis Philiſthæis accitum erat Numen; origine verò à Creta, quemadmodum & cætera ejuſdem gentis, derivatum.

DISSER-

1. Plin. l. 30. cap. 11. *Propter hoc Ægypti magna pars ſcarabæos inter Numina colit &c.* Vide & Plutarch. Sympoſ. l. 4. c. 5. & Pierii Hieroglyph. l. 8. c. 14.
2. Aelian. Hiſt. Anim. l. 19. c. 15. * 4. Reg. 1. 2.
3. Greg. Nazian. Orat. 2. contra Julian. Theodoret. q. 3. in 4. Reg. Procop. Gazeus:
4. Joan. Ermelt. Gerard. Analect. ad Matt. 12. 24. pag. 651.
5. Clem. Alex. ad Gentes pag. 9. 6. Apud Spanhem. pag. 669. 7. In Gaca.
8. Judic. 8. 33. *Averſi ſunt filii Iſrael, & fornicati ſunt cum Baalim, percuſſeruntque cum Baal fœdus, ut eſſet eis in Deum.* וישימו לחם בעל ברית לאלהים *Et poſuerunt ſibi Baal-Berith in Deum.*
9. Judic. 9. 4. 10. Ibid. 24.

DISSERTATIO
DE SAMUELE PER VISUM SAULI
objecto ad 1. Reg. 28. 11. 12.

JAM inde à primis Ecclesiæ sæculis quæstio de Samuele per visum spectato viros doctos in partes distraxit. Inter maximos Doctores, & sapientissimos Patres non satis ea de re unquam convenit, & Ecclesia, ea qua præstat sapientia & discretione hodie usque tolerat varias in hoc argumento & discrepantes opiniones, quibus alioqui nullum inferatur vitium unitati charitatis, fidei, morumque. Sunt qui contendant fraude mulieris Pythonissæ factum esse, ut loqui se cum Samuele Saul opinaretur, ejusque ante se aspectum habere persuaderet; quamquam alioqui nihil ante se haberet, nec respondentem audiret. Alii malunt Samuelem verè Sauli spectandum sese præbuisse.

Quanquam nec inter patronos hujus opinionis satis convenit. Plerique enim contendunt, non vi quidem præstigii, nec magicorum carminum potestate coactum Prophetam stetisse coram Rege; sed, inquiunt, Dei permissione factum est, ut, neque voluntate veneficæ mulieris, neque magicorum carminum vi attenta, Propheta in conspectum Saulis veniret, ejusque oraculo impius Rex disceret, quanta in caput suum ex denegata Deo obedientia evocasset mala. Alii verò asserere non dubitarunt, quandoquidem Sanctorum Animæ, non secus ac impiorum, nondum obtenta per Jesum Christum libertate, sub Principis tenebrarum potestate essent, ejus imperio coactum fuisse Samuelem, ut magicorum carminum invitationibus pareret.

Nec, si Ecclesiæ Patres dissident, Rabbini magis conveniunt inter se. Ludibrium esse & merum Pythonissæ fallendi artificium tenet R. Samuel Hophni. Cum enim reprobatum à Deo Regem, tum & inunctum à Samuele in Regem Davidem mulier vaferrima nosset, nihil se tamen scire ac ne vultum quidem Regis agnoscere simulavit; & per suppositum callidè virum, antea de omnibus instructum, totum rei eventum, qualem jam conjiciebat futurum, trepidanti Regi, ac Samuelem se audire autumanti nunciavit.

Saadia Gaon, & R. Hai docent fieri nunquam potuisse, ut Pythonissæ virtute, nisi à Deo ipso in vivis revocaretur, Samuel videndum sese præberet. Quis autem credat, addunt illi, Deum in gratiam Saulis Prophetam revocasse ad vitam; Deum, inquam, qui consulenti per Urim & Thumim (præscripto nempe consulendi Deum ritu) nihil reponere unquam voluit?

Levi Ben-Gerson omnia errantis phantasiæ ludibrio acta esse in mente Regis contendit. Minas enim Samuelis, de removendo scilicet à se Regno, in mente versans Saul, earum terrore altè menti impresso factum est, ut versari sibi ante oculos Samuelem ipsum & dura minitantem crederet.

Abarbenel persuasum habet, Dæmonem sub ementitis Prophetæ spoliis hæc omnia Sauli intimasse, quæ ipse eventura conjectando assequebatur. Omnes æquè sententias illas reprobat Menasse Ben-Israel (1.), sed Libri Zohar opinionem adoptans, autumat spiritus esse quosdam, quibus A mira vis est super animas mortuorum, ut ad arbitrium illis utantur, cogantque quodcumque jussetint corpus animare. Hæc tamen ea tantùm conditione agere permittuntur, si primus à morte annus nondum exierit, qua scilicet temporis periodo nondum penitùs refriguisse animarum in corpora amorem, ita docent Rabbini, ut sæpiùs invisere illa atque fovere, uno verbo, non penitus deseruisse corpus videantur. Eo igitur temporis spatio permissum animabus iter sibi in corpus perrumpere; quod ut reipsa fieret, coactus à Pythonissa Dæmon præstiterit. Certum igitur tenet Rabbinus primum à morte Samuelis annum non- B dum exisse; quod nostræ Chronologiæ, biennium ab ejusdem Prophetæ obitu statuenti, repugnat.

Tertia tandem opinio tenet, Dæmonem sub ementis Prophetæ spoliis, & Sauli & Pythonissæ imposuisse. Sunt tandem qui contendant, nec Samuelis nec Dæmonis quidquam Regi objectum, sed ejus loco spectrum aliquod sive figuram ejusdem Prophetæ, Angelorum ministerio, sivè ab ipso per se Deo exhibitam.

Post discussam latè quæstionem à viris Doctissimis, vix esset, ut nobis novi aliquid dicendum restaret. Singularum igitur opinionum rationes potissimas deduxisse contenti, quæ maximè C nobis probatur opinio seligetur, nulla aliorum sententiam, quam alioquin Ecclesia tolerandam duxerit, notantes censura.

Eorum qui evocati magicorum carminum vi Prophetæ sententiam asseruerunt, agmen ducit Origenes, quippè qui licèt opinionem non primus invexerit, authoritate tamen sua valdè promoverit, & commendarit. Namque ante Origenem laudatur S. Justinus Martyr (2.) qui scriptis tradiderat, Dæmonem potestatem suam in animas etiam Justorum & Prophetarum exercuisse, quas interdum evocationibus Magicis parere jubebat. Vir tamen ille sanctus non asseruisse D ex professo opinionem, sed obiter tantum proposuisse videtur, cum Origenes & prudens sciensque illam sæpiùs inculcans pervicaciter defenderit. Quod sanè nobis insinuatur ab Eustathii Antiocheni de Engastrimytho Dissertatione, vitio Origeni opinionem illam vertente, quæ modò ex scriptis ipsius erasa nuspiam apparet. Ita hanc sententiam ex Origene profert Eustathius. *Origenes dixit, Dæmonem non animam tantum Prophetæ reduxisse, sed eduxisse pariter (ex Inferis) alias Sanctorum Prophetarum animas.* Quanquam in loco ubi Origenes eam tractat quæstionem, hæc tantùm hodie nobis leguntur [3.] *Si ergo ta-* E *lis tantusque vir erat sub terra, & à Pythonissa evocatus est; fateamur oportet Dæmonem potestatem in Propheta animam obtinuisse.* Deinde orationem suam promovens addit, quandoquidem Scriptura, seu Spiritus Sanctus Scripturæ Author evocatum à Pythonissa Samuelem asserit, nullum superesse de rei veritate ambigendi locum. Mirum autem nemini jure videri poterit, si apud inferos anima Samuelis aliorumque Prophetarum constituta dicatur, cùm eò descendisse Christum legamus (4.)

Origeni

1. De Resurrect. mortuor. l. 2. c. 6. 2. In Dial. cum Tryph.
3. Orig. in 1. Reg. 28. 4. Vide eundem tom. 27. in Jo.

Origeni geminus accedit Anastasius Antiochenus, contendens (1.): *Sanctorum pariter & impiorum animæ in manu Dæmonis erant, antequam Dominus ad Inferna descendens exire inde justos præriperet*. Et S. Augustinus ad Simplicianum ea de re consultus l. 2. Diverſ. qq. q. 4. (2.) rescribens, nihil se magis admirari, ait, potuisse Dæmonem Samuelis animam coram Saule statuere, quàm Sathanam colloquia cum Domino miscuisse, facultatem petiisse ab illo manum in Jobum injiciendi, ac tandem ipsum Christum abreptum in pinnaculum Templi elevasse. Si Christus, citrà dispendium majestatis & potentiæ suæ Diabolum tentantem sustinuit; si Judæos ignominiam vinculorum & Crucis inferentes toleravit; quid sanè nequiverit secreta providentiæ & sapientiæ suæ dispensatione committere ut magicis evocationibus anima Prophetæ pareret? *Cur*, prosequitur idem S. D. *anima boni hominis a malis viris evocata si venerit, amittere videatur dignitatem suam, cum & viri plerique boni vocati ad malos veniant .... servato atque inconcusso decore virtutis suæ*? Sed in lib. de Cura pro mort. cap. 15. agnoscit Augustinus Samuelis animam reapse in conspectum Saulis venisse.

Rationes eorum qui Samuelem verè Regi apparuisse negant, hę potissimum adducuntur. 1. Cum Dæmon nihil in animas Justorum possit, quid sanè valuerit in Samuelem Pythonissa? Quamquam igitur contrariæ sententiæ favere creditur litera Textùs, ita tamen exponenda videtur, ut non Samuel, sed spectrum aliquod Prophetam referens Regi verba fecisse atque minis terruisse intelligatur. Neque Scriptoribus Sacris accidit infrequenter, ut de rebus loquantur non ad veritatem, sed ad speciem (3.) Ita de Magis Pharaonis scriptum legimus, produxisse illos, Moysis prodigia æmulatos, angues, ranas, sanguinem, sciniphes &c. An forte reipsa Dæmon hæc omnia produxit, non secus ac Moyses? Minimè ille quidem; neque enim Divina Moysis prodigia pari cum præstigiis Magorum passu processisse credenda sunt. Porrò humano modo locuti SS. Scriptores rem narrarunt.

2. Vix in animum inducimus, Deum post rejectum jam olim Saulem, denegataque ipsi oracula sivè per Prophetas, sivè per somnia (4.), acquievisse tandem ut Samuelem concederet, cum maximè per crimen, nempe consultis Magis (quod antea ejusdem Saulis edicto vetitum erat) peteretur. Igitur si neque Deus Prophetam emisisse creditur, neque Dæmon quidquam ea in re poterat; restat ut ipse se Propheta ultrò in conspectu Regis constituerit, vel saltem, quod malumus, Prophetæ spectrum credulo Sauli illusisse. Siquidem, si venisse dicatur, vel invitus & magicis incantationibus coactus descendit, vel spontè, vel saltem Divinis jussionibus morem gerens. Nihil horum admittitur; solum ergo pro Samuele spectrum Regi exhibitum est.

3. Si Samuel Regem convenisset, vel corpore accinctus venit, vel spiritalem tantùm animam stitit. Si corpore; quid sola Pythonissa notum Sauli cæterisque virum agnovit? Si Spiritus venit; quo privilegio mulier spiritum vidit, adstantibus omnibus invisibilem? Quid autem descendisset Propheta, si aspectum suum illi denegabat, cujus gratia accitus venerat? Si invisibilis adfuit; frustra ille quidem venisset; si visibilis, par erat Saulem virum nosse & audisse citiùs, quàm Fœminam præstigiatricem, cui nihil erat cum Samuele.

4. In rei gestæ historia à Scriptura descripta satis habemus argumenti, cur sive fraudi mulieris, sivè spectro alicui vano à Dæmone objecto res tota deputetur. Namque Sacer Historicus sermonem Prophetæ quidquid tandem vir ille esset, referens, satis demonstrat, aliud planè esse quod loquebatur, quàm Prophetam, cujus alioqui personam gerebat. Ut quid enim Propheta hæc verba loquens induceretur: *Quare inquietasti me, ut suscitarer*? Quasi scilicet Prophetæ quies magicis evocationibus turbari potuisset, atque invictus à somno excitari. Viventium scelera, malaque Dæmonum consilia nunquam committent, ut tranquillum in altera vita justorum statum conturbent. Falsum igitur præseferebant aliquid verba illa, quasi scilicet invitus Samuel è sinu Abrahæ extractus eò deductus fuisset. Ubi autem Prophetæ religio, cùm adorantem se Saulem sustinuit? v. 14. *Inclinavit se Saul super faciem suam in terram, & adoravit*. Egregius iste Propheta dissimulato viri facinore, de consultis nempè Dæmonibus atque de obfirmato in impietate animo, omissis insuper peropportunis monitis, ut ad Deum tandem regrederetur, misero potiùs insultat, atque in ultimam desperationem deducens edicit nihil manere illi à Deo auxilii; quare necem sibi filiisque, tum & exercitui universo imminere intelligeret. Hiscene indiciis Divinus Spiritus agnosceretur, atque pietas Viri, qui teste Scriptura, Saulem vel ab ipso Deum reprobatum deflere non destitit (5.)? Insuper si impetrari illud potuisset, ut vi carminum magicorum Samuel evocaretur, nonne id esset Necromantiam commendare, atque homines ad illam pronos magis, magisque invitare? Frustra autem reponeretur, non id factum magicorum carminum vi; populus enim non factum ipsum, sed quod maximè factum apparet, observat. Non abs re igitur credimus, alterum planè à Samuele evocanti Regi adstitisse; præcavente Deo, ne hoc exemplo pietas & fides populi sui in discrimen veniret.

Frustra autem opponuntur futurorum oracula, ab illo, quicunque tandem esset, sivè spectro, sivè Propheta, pronunciata. Quod enim ab illo pandebatur, sive mendacium erat, sive incertum, sive aliunde cognitum; nihil autem superabat sive Dæmonis, sive etiam fœminæ Phythonissæ scientiam. Saulis reprobatio, Davidis substitutio, res erant in toto latè Israele notissimæ; quin & partim jam impletæ, partim verò jam jam perficiendæ expectabantur. Afflictæ Saulis res, dejecti militum animi, ipse Rex ad ultimam desperationem adductus; hęc, inquam, omnia latere neminem poterant. Hanc animi sui angustiam, summumque rerum suarum discrimen Saul ipse cum fœmina collocutus prodidit. Post hæc autem omnia, admirationi locus erit, si de sinistro belli eventu certum oraculum pronunciavit? Sunt etiam, qui in ejus verbis mendacium deprehendant; quippè quæ manè alterius diei patrem cum Filiis occidendos prædixerit; contendunt enim prælium ad tertiam diem dilatum fuisse. Quomodo autem adjungere poterat oraculum, Saulem ejusque filios manè alterius diei futuros cum Samuele? Scimus enim virum illum obfirmato in impietate animo diem clausisse, quare ad inferna fuerat deputandus; cum interim Samuel requie justorum frueretur, penès quem appositus etiam Jonathas, filius Saulis, & amicus Davidis piè creditur. Sed fac ea omnia veritati congruerent; an igitur continuò à Samuele pronunciata credenda sunt (6.)? Nonne accidit sæpè, ut Angelus tenebrarum in Angelum lucis transformetur, & Sathan mendacii pater vera edicat? Nonne ejus sunt de Jesu Christo in Evangelio pronunciata elogia (7.); sicut & Actuum 16. 16. 17. de Paulo & Sila altè edicit: *Isti homines servi Dei Excelsi*

1. Anast. Antioch. in Odego q. 12. 2. Vide & de Doctr. Chri. c. 32.
3. Vide Eustat. &c. Nyssen. Epist. ad Theod. Episc. 4. 1. Reg. 28. 15. 5. 1. Reg. 15. 35.
6. Vide Aug. l. 2. ad Simplic. q. 4. 7. Marc. 3. 11. & Luc. 4. 41.

Excelsi sunt, qui annunciant vobis viam salutis?

Favent huic opinioni PP. plurimi, & Interpretes non rari. Eustathius Antiochenus Dissertationem de hoc argumento in Origenem adornavit, nihil in ea historia nisi dolum, atque illusionem Pythonissæ agnoscens. Pseudo Justinus q. 52. ad Orthodoxos, apparuisse negat verum Samuelem Regi expectanti, sed falso præstigio, inquit, Dæmon persona Prophetæ assumpta adstantibus imposuit, permissusque à Deo contra insitam ad mendacium indolem, vera prodidit. S. Pionius Martyr (*) Tertullianus de Anim. cap. 57. S. Basilius Magnus in Isai. 8. S Gregorius Nyssenus Ep. ad Theodos. Episc. paria sustinent. Quin & S. Nyssenus autumat, Dæmonem sub Prophetæ specie, satellitio aliorum Dæmonum stipatum videndum se præbuisse, ex quo factum, ut Maga [1.] clamitans diceret: *Deos vidi ascendentes de terra*. S. Hieronymus (2.) ita mentem suam prodit: *Saul per incantationes, & artes magicas visus est suscitasse Samuelem*. Et in Matth. 6 *In Samuelis phantasmate Pythonissa loquitur ad Saulem*. Frustra autem in hanc rem congereremus non dissimiles sententias S. Cyrilli Alexandrini de Ador. in Spir. & Verit. l. 6. Authoris qq. in V & N. T. q 26. Pseudo-Augustini de Mirabilibus Sacræ Scripturæ l. 2. c. 2. sicut aliorum plurium ex priscis, recentibusque Interpretibus. Vide & Methodium Patriarcham advers. Orig. de Python. Philastrium de Hæres. cap. 26. Syncellum Chronic. Procopium Gazæum, Rupertum l. 2. in 1. Reg. 17. & alios plures apud Allatium de Engastrimy. c. 11. Ita & Vatablus, Grotius, Junius, Clericus alii.

Sed inter fautores hujus sententiæ, quidam indignum rati, Dæmonem vim habuisse efformandi spectri similitudinem Prophetæ referentis, Deus, inquiunt, sive ipse per se, sive Angelorum ministerio compactum phantasma coram Saule statuit, eoque divinitus loquente futurorum eventus Rex miser audivit. Hæc opinio tam altè sedit Theodoreto, ut adversæ sententiæ omnes stultitiæ arguat [3.] namque, ait, eo deducuntur, ut Dæmonem jussa Dei exponentem Sauli inducant; quod sanè repugnat illi 1. Par. 10. 13. juxta Septuaginta: *Mortuus est Saul in suis iniquitatibus, quibus injuste egit Deo, super verbum Domini, quoniam non observavit; quia interrogavit Saul in ventriloquo ad quærendum, & respondit ei Samuel Propheta*. Leo Patriarcha Præfectus Cariclææ apud Allatium [4.] aliique nonnulli eandem sententiam tuentur.

At sanè incongruum videtur, ea omnia, quæ Samueli in Scriptura tribuuntur, Dæmonis tantùm operationi referri, ne præmonitis quidem de fraude subdoli artificii Lectoribus; cum maximè ratum habere videatur ac firmum, eum, qui cum Saule sermones miscuit, ac futurorum oracula aperuit, vel ipsum fuisse Samuelem, vel saltem spectrum ipsius, ejus spiritu, & nomine, non sine Dei jubentis voluntate agens. Ad mendacia, & absurda in eo oraculo aliquibus animadversa quod spectat, facilè demonstraretur, quemadmodum & in Commentario notavimus, nihil contra veritatem, verumque Samuelis characterem, sicut nec contra rerum gestarum eventus pronunciatum fuisse.

Duplicis tantùm mendacii reus sermo ille arguitur; 1. quòd committendum prænunciaverit prælium mane alterius diei. 2. quòd Saul, ejusque Filii apponendi essent cum Samuele. Primum duplici ratione excusamus: vox illa cras, non semper certum aliquem temporis articulum designat; sed non raro pro futuro incertoque usurpatur; ita Exod. 13. 14. illud: *Cum interrogaverit te filius tuus cras*. Esto autem pro certo tempore usurparetur, nihil contra veritatem historiæ inde contigisset. Saul exacta cum Pythonissa nocte,

A potuit facilè in castra, non longè ab Endor posita, se restituere; eademque die potuit à Philisthæis prælium committi. Fuso suorum exercitu Rex ad ultimam desperationem adductus, gladio se confodit. Quid hic factu non possibile? Alterum mendacium in verbis Samuelis versatur: *Cras tu & filii tui mecum eritis*; quæ sanè verba vel reddi possunt: cras inter mortuos vos, sicut & ego sum, referemini, vel vos mecum eritis in sinu Abraham. Cum autem postrema hæc interpretatio impium aliquid præferat, ut scilicet vir impius & in scelere obfirmatus æquo sit jure cum Justis & Prophetis; ideò prior sententia præferenda, ut verba Prophetæ *non ad æqualitatem felicitatis, sed ad parem conditionem mortis referantur*, ait S. Au-
B gustinus ad Simplic. l. 2. q. 44.

Adde, opinionem illam, quæ Diabolico præstigio factum deputat, nihil habere solidi in S. Scriptura. Ne vocula quidem ea de re in Textu animadvertitur: si quid incongruum apparet in Historia, id facilè statim è medio subducitur. Nihil nos ad eas angustias cogit, ut evocatum vi magicorum carminum Prophetam, atque authoritatem suam Dæmonem in animas sanctorum exeruisse fateamur. Deus occulto providentiæ & sapientiæ suæ consilio poterat eo temporis articulo statuisse coram Rege Prophetam, nullo habito vel ad Dæmonem vel ad Pythonissam respectu; quemadmodum & à Balaamo Pseudo-Propheta, vel ipso Rege Balac invito, vera futurorum oracula expressit (5.); & Caiphæ verba in Christum prola-
C ta ad oraculum detorsit (6.) Ita planè ea occasione servatum: Deus magicas artes præveniens Prophetam suscitavit, antequam Pythonissa excantationes suas omnes expleret, ut ex Scriptura constat; ea planè ratione ac Elias Propheta [7.] viros à Rege Ochozia missos ad consulendum Beelzebub Deum Accaron præoccupans, quæ à Numine audituri veniebant, exposuit; *Numquid non est Deus in Israel, ut eatis ad consulendum Beelzebub Deum Accaron? Quam ob rem hæc dicit Dominus: De lectulo super quem ascendisti, non descendes*.

Hæc planè omnia in Scriptura apertissime insinuantur, cùm scilicet Pythonissa inhorruisse legitur ad Samuelis aspectum (8) *Cum vidisset mulier Samuelem, exclamavit voce magna, & dixit ad*
D *Saul. Quare imposuisti mihi? Tu es enim Saul. Dixitque ei Rex: Noli timere: quid vidisti? Et ait ad Saul: Deos vidi ascendentes de terra*. Cur pavet mulier, nisi insuetæ visionis horrore? Porrò Dæmones impiorumque tantùm animas magicis incantationibus evocatas spectare assueta, novum planè aliquod, nempe augustum & divinum aliquid spirans Samuelis os intuita, ferre non potuit. Samuel inexpectatus sese obtulit ante peractas mulieris excantationes; unde facilis conjectura ducitur, alterius non magica virtute factum esse ut Samuel coram Regè statueretur; inde terror, inde clamores Veneficæ.

Rejecerat quidem Saulem Deus, consultusque nihil sivè per somnia sivè per Prophetas respon-
E dit; sed quæ huc usque denegaverat, tunc saltem potuit concedere. Nonne in furore aliqua interdum permittit, quæ olim indulgens negavit? Post tolerata diu crimina, tandem iram suam in eos exerit, qui diutina beneficiorum abusione sceleris sui mensuram impleverunt. Quæritur cum Saule Samuel: *Quare inquietasti me?* Quæ humanis moribus usitata dicendi formula est, rigidè non expendenda.

Regi ne verò an Pythonissæ spectandum se præbuerit Samuel, nihil ad rem; cum unicus venisset exprobrandis Regis criminibus, atque imminenti à Deo ultioni prænunciandæ, quæ quidem sivè suis sive aliorum verbis præstaret, perindè fuisset. Imo ad Prophetæ dignitatem conduxisset magis,

* In Actis illius. 1. 1. Reg. 28. 13. 2. In cap. 7. Isai. Et in cap. 13. Ezech. *Qualis fuit illa, quæ visa est suscitasse animam Samuelis*. 3. Quæst. 63 in 1. Reg. 4. De Engastr. c. 9. Vide & Procop Gaz. in 28. Reg. Anast. Antioch. 5. Num. 23. 7. 6. Jo. 11. 51. 7. 4. Reg. 1. 3. 4. 8. 1. Reg. 28. 12.

gis, si aliorum ministerio usus, nolle se ne verbo quidem impium Regem dignari demonstraret. Quod verò addunt, alienum fuisse ab indole Samuelis, ut misero adeò acerbus insultaret, nec tandem committendum fuisse à Propheta, ut à Rege Divinis honoribus coleretur; ad illa reponimus, 1. Profunda quidem salutatione venientem Prophetam salutatum a Rege, qua in re non cultum aliquem impendisse; quare adoratio illa civilis erat, non religiosa. 2. Concesso ad pœnitendum tempore cum Saul abusus fuisset, reliquum erat, ut miseratione deposita Propheta severitate & zelo armaretur in virum pervicacem, qui veteribus criminibus immane illud addiderat, nempè Magos & Ariolos consulendi.

His refutatis rationibus, cæteræ minoris sanè roboris sivè victæ se ultro tradunt, sivè ex argumentis infra addendis conficientur.

Si autem neque Spiritus aliquis nequam, neque spectrum aliquod à Dæmone suppositum in scenam prodivit, fateamur oportet, ipsum per se Samuelem descendisse; ejus verba pura fuisse oracula, atque Textum Scripturæ prono & maximè literali sensu accipiendum esse. Quod postremo dictum fusiùs jam demonstrandum suscipimus.

Res est omnium confessione exploratissima, in expositione Sacrarum Scripturarum simplici ac maximè prono literæ sensui semper esse inhærendum, nisi si quid fidei vel pietati absonum ex eo referatur. Nihil est autem Fidei & pietati repugnans in hac historia, nisi quòd Dæmoni atque magicis carminibus vis tribuatur in animas Justorum & Sanctos. Hoc uno salvo; quidquid ad fidem & pietatem spectat, integrum est. Porrò tria esse quæ difficultatem illam tollunt, supra insinuavimus. 1. Si Deum magicas evocationes prævenisse, Prophetam statuendo coram Rege ante completum impium à Pythonissa ritum, dixerimus. 2. Si eo temporis articulo suscitandum Deus Prophetam censuerit, suo usus arbitrio, non magicis evocationibus servire coactus. 3. Si Deus, vel Angelus ejus jussu, phantasma aliquod pro Samuele exhibuerit. Postremam hanc interpretationem, S. Augustino debemus: quæcumque autem ex hisce tribus eligatur, æquè omnia salvat, neque à litera Textus divertere quidquam cogit. Namque & mulier intenta operi nefario, & Samuel, vel ejus umbra cum Rege colloquia miscere, omniaque illa Dei jussu peragi agnoscuntur.

Atqui umbra Samuelis nunquam verus Samuel dici potuisset. Vel semel admissa phantastica ejusdem prophetæ visione, actum est de Veritate Textus Sacri, in quo non semel visus Samuel, ac cum Rege colloquia miscuisse legitur. Hæc objicientibus reponimus, moribus usurpatum esse, ut viso nummo, sive imagine picta, vel phantasmate Cæsaris, aut Virgilii, ipse conspectus Cæsar, Virgiliusque dicatur; quemadmodum viso per quietem homine, conspectus homo dicitur. Ita plane visus per phantasma Samuel à Rege, tanquam verus Samuel haberi poterat, ac de Propheta usurpari, quæ ejus umbræ deputabantur.

Est igitur cur à litera Scripturæ, apposita quam supra adduximus cautione, non recedatur. Spiritus est enim Divinus, qui Opus dictavit, ejusque veritatem authoritate sua confirmat: nunquam autem ille contra veritatem literalem cautos nos facit. Si ergo reliqua historia ad literam accipienda est; cur hæc tantummodo portio aliò fuerit detorquenda? Legat quicumque historiam illam, & primo intuitu nunquam legenti succurret, nisi vera Prophetæ visio. Nonnisi seria ejus historiæ meditatio, metusque ne quid concedatur necromantiæ, atque Dæmonis in animas Justorum authoritati, Authores quosdam ad alias meditationes deduxit. Facilè etiam pruritus contradicendi Origeni, ejusque sententiam absonam alioqui & erroneam confutandi, in contrarium planè studium pertraxit. Sanè si fas esset Scripturæ sensum torquere, atque adeò violentum in modum distrahere, si forte obscurum in illa aliquid deprehendatur; actum esset de Historiis Sanctissimis totius Scripturæ. Hic Samuel in Dæmonem transformatur, Propheta in Angelum tenebrarum, ejus oracula in mendacia, sermoni ipsius absurda quædam & incongrua appinguntur. O miram sanè metamorphosim! Porrò ad eas angustias in explicatione Scripturæ non nisi summa necessitate cogente adducamur oportet; agitur enim de Scriptura Divinitus inspirata, cujus veritas cæteras humanas veritates longè antecellit. Tandem Prophetæ vices Diabolo demandare nunquam citra injuriam Prophetæ permissum est. Ludibrio quin etiam licentiosorum exponitur veritas, & authoritas Divinarum Scripturarum, si ad sensum detorqueantur planè literæ repugnantem.

Fatemur quidem, pluribus inter veteres Patres eam opinionem arrisisse, quos tamen ab impiis ejusdem sententię consecutionibus longè abfuisse ne dubitamus quidem. Videntur illi planè non satis advertisse ad Textum Eccl. 46. 23. qui de tota quęstione sententiam ferre in favorem veræ & minimè fucatæ visionis Propheticæ videtur. Potuit scribentibus facile excidisse sententia illa, vel saltem non ea erat ejusdem Operis tum temporis authoritas, qualem nostra demum ætatæ obtinuit. Illud constat, nunquam apud illos in eam rem laudari, juxta ac Allatius observavit [1.] En igitur locus Ecclesiastici: *Post hoc dormivit, & notum fecit Regi, & ostendit illi finem vitæ suæ, & exaltavit vocem suam de terra in prophetia, delere impietatem gentis.*

Non sanè dicet aliquis, Scriptorem de objecto sub specie Samuelis Diabolo egisse, neque exprimere illum res ad speciem tantùm, non ad veritatem. Committi ne unquam potuisset, ut recurrente toties in Scriptura ejusdem historiæ mentione, nuspiam tamen ne verbulum quidem occurreret, præstigium Dæmonis insinuans? Est ne planè certum Dæmoni ipsi tantam inesse potestatem, ut ipse per se visibilem speciem viri Sancti posset exhibere? In 1. Par. 10. 13. ubi eadem historia compendio refertur, nihil æquè ac in Ecclesiastico occurrit, quod non verum Samuelem loquentem, & sese exhibentem prodat. *Mortuus est ergo Saul propter iniquitates suas, eo quod prævaricatus sit mandatum Domini, quod præceperat, & non custodierit illud, sed insuper etiam Pythonissam consulerit, nec speraverit in Domino.* Septuaginta habent, uti ex Theodoreto supra observavimus: *Quia interrogavit in ventriloquo ad quærendum, & respondit ei Samuel Propheta.*

Sola literæ inspectio tam altam impressit de veritate Propheticæ visionis ideam in mente Veterum ferè omnium, ut aliquos in eas extremitates quondam pertraxerit, quas cavisse nos omnino malumus. Fassi enim Samuelem reipsa coram Rege stetisse, Dæmonis, & magicorum carminum vim plus nimio extulerunt. Laudantur in eam sententiam S. Justinus Martyr, Origenes, & Anastasius Antiochenus. Verùm S. Augustinus post libratas judicii lance varias de hoc argumento sententias, in eam tandem inclinat, quæ Propheticæ Visionis veritati favet [2.], & S. Ambrosius in Luc. c. 1. *Samuel*, ait, *post mortem, secundùm Scripturæ Testimonium, futura non tacuit.* Author carminis in Marcionem l. 3.

1. In Eustat. de Engastr. cap. 24.
2. Aug. de Cura pro mortuis cap. 15. *Nam Samuel Propheta defunctus vivo Sauli etiam Regi futura prædixit.*

Mirificus Samuel cui Reges ungere primum ,
Talibus in vitæ spatio laudabilis exit ,
Ut quoque post requiem Prophetica jura teneret .

Zeno Episcopus Veronensis Serm. de Resur. ait, Samuelem post obitum non tantùm coram Saule stetisse, sed colloquia miscuisse cum illo, liberiùs post obitum carpens, quam vivus fecerat. S. Thomas [1.], ab Augustino magistro nunquam recedens, & ab Ecclesiastici textu persuasus scribit, Samuelis animam de belli eventu sibi à Deo revelato, certiorem Regem fecisse : addit oraculum illud verè Propheticum habendum esse, cum Samuel ad statum beatitudinis æternæ nondum pervenisset. His omnibus jungimus Severum Sulpicium [2.], Rabanum Maurum [3.] Theodoretum [4.] Isidorum Hispalensem, Eucherium, Anselmum Monachum, aliosque, qui S. Augustinum exscripserunt. Paria tradunt duce Josepho Hebræo, omnes fermè Rabbini [5.] & Commentatores Catholici plerique, Lyranus, Dionysius Carthusianus, Cajetanus, Sanctius, Steuchus, Bellarminus, Salianus, Serrarius, Estius, Coccius, Castro, Galatinus, Soto, Franciscus Valesius, & alii sexcenti [6.]

Sola Authoris Sacri lectio de sententiæ hujus veritate persuasos nos facit. Vix Pythonissa evocandum sibi assumpserat postulatum à Rege Samuelem, cùm subitò & insperatò obvium habens virum gravem, exclamavit, & dixit ad Saul: *Quare imposuisti mihi? tu es enim Saul*. Quantum porrò ingenium, & verba Textus torquenda sunt, ut sensus exprimatur planè verbis contrarius, objectum nempè sub aspectu Prophetæ Dæmonem fœminam terruisse? Requisita à Rege, quid sibi monstri occurrisset, respondit: *Deos vidi ascendentes de terra*, nempè Judicem, Principem, Magistratum: *Vir senex amictus pallio*. Actutum Rex his indiciis Samuelem agnoscens, pronus in terram, angustias, quibus tenebatur, exposuit. Cui Propheta: *Quid interrogas me, cum Dominus recesserit à te, & transierit ad æmulum tuum? Faciet enim tibi Dominus sicut locutus est in manu mea, & dabit illud proximo tuo David .... Et dabit Dominus etiam Israel tecum in manus Philisthiim: Cras autem tu, & filii tui mecum eritis*. Hæc omnia Scriptura, quæ loquentem Samuelem, non Sagam inducit. Si quis reponat, fœminam credulo Regi imponendo Propheticam vocem ementitam fuisse; quid, rogo, infausta omnia prædicit, quorum alioqui incertus erat eventus? Nonne pronum est ut credamus, subdolam Mulierem eam occasionem captaturam, ut Regi assentaretur, cumque despondentem animis facta prosperi eventus spe relevaret? An illa Principum indolem ignorabat, qui graves, & invisas veritates minùs æquis auribus excipiunt? An fortè cum Rege impio, & furibundo agere se non intelligebat? Cæterùm vix est ut credamus, adeò potuisse fœminam vocem suam transformare, ut neque Saul, neque astantium quisquam dolum subodoraretur.

Dicat pro arbitrio quispiam, potuisse Dæmonem præstigiis suis & præsentibus omnibus, & mulieri imponere. Nihil ipse moror hanc Dæmonis potestatem; sed quis, rogo, facilis crediderit, spiritum hunc nequam tam sæpè atque impunè Domini nomen usurpare potuisse (7.) nomen, inquam, illud sanctum & terribile, cujus unica pronunciatio reverentiam incutit, & terrorem? Quis Deo latis studuisse perpetuum illum Dei adversarium ac crimina Sauli exprobravisse, quæ ipso authore commiserat, in animum sibi induxerit? Tandem vix committi potuisse credimus, ut pater ille mendacii tam certa atque asserta futuri eventus oracula proderet. Esto, noverit ille & Saulis reprobationem, & Davidis electionem, quarum longè latèque sese fama diffuderat; sed infaustum eventum prælii mane alterius diei committendi, quonam revelante norat? Quid etiam in ea rerum constitutione magis incertum, quam prælii eventus, atque Saulis totiusque Regiæ familiæ interitus? Poterat sanè Rex castris exui, non vita; poterat ipse eodem cum prælio casu obvolvi, familia interim ea die incolumi. Absonum etiam videbatur, Saulem de imminenti sibi suisque copiis fato præmonitum, nulla ratione suæ cæterorumque saluti consulendum curasse. Solus igitur rerum arbiter & moderator poterat certa ratione futuros rerum eventus dignoscere, rata futurorum oracula promens.

Dæmonem futuros rerum eventus latere, eosque nonnisi per conjecturas augurari tam certum est quàm quod maximæ. Nunc autem qui Samuelis personam induit, non per conjecturas tantùm loquitur, sed ex certa scientia, ut tempus ipsum atque circumstantias implendi oraculi designet. Non est igitur ullus ambigendi locus, vero esse Samueli deputandam colloquii cum Saule historiam. Au verò *sive in corpore sive extra corpus* Regi se obtulerit, nescire nos ingenuè fatemur. Quocumque autem habitu adstiterit, nunquam tamen Dæmonis vel Pythonissæ præstigiis rem esse deputandam, quin potius omnia Deo summo vivorum & mortuorum Domino referenda, certissimè constat.

1. 2. 2. q. 174. art. 5. ad 4. Vide eundem 1. p. q. 89. art. 8. ad 2.
2. Hist. Sac. l. 1. 3. In Eccli. l. 10. cap. 22. 4. q. 63. in 1. Reg. Vide & Bed. in Reg. l. 4.
5. Joseph. Antiq. lib. 6. cap. 15. 6. Vide si lubet apud Allat. cap. 22. in Eustat. de Engastr.
7. Nomen *Jehovah* sexies legitur usurpatum in eo colloquio à Samuele 1. Reg. 28. 15. 16. 17. 18.

COM.

COMMENTARIUM LITTERALE IN PRIMUM REGUM.

CAPUT PRIMUM.

Elcana accedit ad Tabernaculum Domini cum duabus uxoribus suis, Anna, & Phenenna. Anna probris lacessita ab æmula sua, Dominum orat, atque obtinet filium, qui Samuel appellatus est. Hunc deducit in Silo, ac devovet Domino,

1. FUit vir unus de Ramathaim Sophim, de monte Ephraim, & nomen ejus Elca-
na, filius Jeroham, filii Eliu, filii Thohu, filii Suph, Ephratæus. 2 Et ha-
buit duas uxores, nomen uni Anna, & nomen secundæ Phenenna. Fueruntque
Phenennæ filii : Annæ autem non erant liberi. 3 Et ascendebat vir ille de civitate sua
statutis diebus, ut adoraret, & sacrificaret Domino exercituum in Silo. Erant autem ibi
duo filii Heli, Ophni, & Phinees, sacerdotes Domini. 4 Venit ergo dies, & immo-
lavit Elcana, deditque Phenennæ uxori suæ, & cunctis filiis ejus, & filiabus partes :
5 Annæ autem dedit partem unam tristis, quia Annam diligebat. Dominus autem con-
cluserat vulvam ejus. 6 Affligebat quoque eam æmula ejus, & vehementer angebat,
in tantum, ut exprobraret, quod Dominus conclusisset vulvam ejus. 7 Sicque facie-
bat per singulos annos, cum redeunte tempore ascenderent ad templum Domini : & sic
provocabat eam : porro illa flebat, & non capiebat cibum. 8 Dixit ergo ei Elcana
vir suus : Anna, cur fles ? & quare non comedis ? & quam ob rem affligitur cor tu-
um ? numquid non ego melior tibi sum, quam decem filii ? 9 Surrexit autem Anna,
postquam comederat, & biberat in Silo. Et Heli sacerdote sedente super sellam ante po-
stes templi Domini, 10 Cum esset Anna amaro animo, oravit ad Dominum, flens lar-
giter, 11 Et votum vovit, dicens : Domine exercituum, si respiciens videris affli-
ctionem famulæ tuæ, & recordatus mei fueris, nec oblitus ancillæ tuæ, dederisque ser-
væ tuæ sexum virilem : dabo eum Domino omnibus diebus vitæ ejus, & novacula non
ascendet super caput ejus. 12 Factum est autem, cum illa multiplicaret preces coram
Domino, ut Heli observaret os ejus. 13 Porro Anna loquebatur in corde suo, tan-
tumque labia illius movebantur, & vox penitus non audiebatur. Æstimavit ergo eam
Heli temulentam, 14 Dixitque ei : Usquequo ebria eris ? digere paulisper vinum, quo
mades. 15 Respondens Anna : Nequaquam, inquit, domine mi : nam mulier infelix
nimis ego sum, vinumque, & omne, quod inebriare potest, non bibi, sed effudi ani-
mam meam in conspectu Domini. 16 Ne reputes ancillam tuam quasi unam de filiabus
Belial : quia ex multitudine doloris, & mœroris mei, locuta sum usque in præsens.

17 Tunc Heli ait ei : Vade in pace : & Deus Israel det tibi petitionem tuam , quam
rogasti eum. 18 Et illa dixit : Utinam inveniat ancilla tua gratiam in oculis tuis. Et
abiit mulier in viam suam, & comedit, vultusque illius non sunt amplius in diversa mutati.
19 Et surrexerunt mane, & adoraverunt coram Domino : reversique sunt, &
venerunt in domum suam Ramatha. Cognovit autem Elcana Annam uxorem suam : &
recordatus est ejus Dominus. 20 Et factum est post circulum dierum, concepit Anna,
& peperit filium, vocavitque nomen ejus Samuel ; eo quod a Domino postulasset eum.
21 Ascendit autem vir ejus Elcana, & omnis domus ejus, ut immolaret Domino hostiam solemnem, & votum suum.
22 Et Anna non ascendit : dixit enim viro suo. Non
vadam, donec ablactetur infans, & ducam eum, ut appareat ante conspectum Domini,
& maneat ibi jugiter. 23 Et ait ei Elcana vir suus : Fac, quod bonum tibi videtur,
& mane, donec ablactes eum : precorque, ut impleat Dominus verbum suum. Mansit
ergo mulier, & lactavit filium suum, donec amoveret eum a lacte. 24 Et adduxit eum
secum, postquam ablactaverat, in vitulis tribus, & tribus modiis farinæ, & amphora
vini, & adduxit eum ad domum Domini in Silo. Puer autem erat adhuc infantulus.
25 Et immolaverunt vitulum, & obtulerunt puerum Heli, 26 Et ait Anna ; Obsecro,
mi domine, vivit anima tua, domine: ego sum illa mulier, quæ steti coram te hic orans Dominum.
27 Pro puero isto oravi, & dedit mihi Dominus petitionem meam,
quam postulavi eum. 28 Idcirco, & ego commodavi eum Domino, cunctis diebus, quibus fuerit commodatus Domino : Et adoraverunt ibi Dominum. Et oravit
Anna, & ait:

℣. 1. FUIT VIR UNUS DE RAMATHAIM SOPHIM.] Hebraicus textus [1], Septuaginta, & Chaldaica versio habent : *Et fuit vir unus* &c. perinde atque hæc historia his, quæ antea narrata sunt, adhæreat. Plerique Historicorum Scripturæ librorum ita sibi invicem conjunguntur, quin vel titulus appingatur, vel aliqua nobilis transitio elaboretur. Sacri enim Authores Sancto edocti Spiritu divinis hisce in operibus tradere voluerunt rerum gestarum decursum, quæ juxta Dei consilia referrentur, quin vel nomina sua, vel tempus, quo hæc scripsissent, innuerent, vel curiositati nostræ morem gererent, iis in rebus, quæ nobis quidem scire opere pretium videtur ; sed quæ ab illorum scopo, atque consilio penitus erant alienæ. Nihil autem altissimæ ipsorum sapientiæ præclarius specimen præbere potest, neque magis ipsorum animos ab omni jactantia, ac vanitate prorsus semotum testari. Deducitur Lector de re in rem, quin vel in diversa trahatur, vel quidquam illi negotium facessat ; nullum scribentis apparet, vel animi studium, vel ingenii ; neque hominem, neque Authorem, ut ita dicam, cernis : historia usquequaque aperta, veritas usquequaque simplex ob oculos tibi versatur. Descriptiones, characteres, imagines æque semper sibi constantes, ac naturales, quin ullo artis fuco, vel humanis lenociniis adumbrentur. Attentio, quæ in ipso limine ad præclaræ hujus simplicitatis intuitum captatur, omnem prorsus removet suspicionem, quæ Lectoribus incedere assolet, ut sibi ab omnibus caveant, sicubi adfectatum aliquid noverint, ac flagrantiorem æquo libidinem, ut sibi fidem quoquo modo comparet.

Cum Prophetæ Samuelis hac in Regum historia ea pars sit, quam modo inspecturi sumus, æquum erat, ut illius originem edoceremur. Nativitas illius nimio erat miraculorum fulgore conspicua, quam ut silentio obvolvi fas esset. Propheta hic postremus fuit Judex Israel ; & si summo confectus mœrore fuit, antequam supremum obiret diem, intelligens, Saulem primum Hebræorum Regem a Domino reprobatum fuisse ; hæc tamen dolorem lenivit consolatio, quod David inungere jussus est, virum juxta cor Dei, eumque Regem Israel designare.

Samuel erat e tribu Levi [2], e familia Caath ; nulla ipsi ad Sacerdotium erat pars, quod uni Aaroniæ domui adhærebat. Patria ipsius erat urbs Ramatha, vel Ramathaim. Postremum hoc nomen dualis est numeri, unde conjectare licet [3], Ramatham in duas urbes sectam fuisse ; verum aliarum urbium occurrunt nomina, quæ vel plurali, vel duali numero efferuntur, quin idcirco ulla nos cogat ratio, ut eas in duas, vel plures partes divisas fuisse credamus : hæc autem *Ramatha* simpliciter appellatur in hoc eodem capite ℣. 19. alibi [4] etiam solummodo *Ramah*. Nomen hoc innuit quoque situm ipsius in altitudine quadam ; posita autem erat in montibus Ephraim. Nullibi legimus, civitatem hanc tribui Levi cessisse ; nihilominus ibi Levitæ incolebant e progenie Zoph, vel Zuph, vel Zophi posteri Caath [5] ; quamobrem vocatur *Ramath Zophim*, vel filiorum Zoph. Haud ita levis esset momenti opus, cur, & quomodo familia hæc ea in urbe sedem posuerit, afferre. Omnis ea regio *terra Zuph* appellabatur, quemadmodum infra patebit [6]. Samuel meliorem vitæ suæ partem transegit in Ramatha, ex quo Judicis provincia illi fuit demandata. Votum, quo mater ipsius illum Domini servitio dicaverat, nequaquam illum adigebat, ut actu semper moraretur in Silo, statim ac Deus illum ad id onus elegit ; quod ipsum alibi requirebat. Plures erant in Judæa civitates, quibus nomen *Rama*, vel *Ramatha*. Hæc autem, quemadmodum innuit Scriptura, in montibus Ephraim posita, impellit, ut credamus eam fuisse, quam Geographi inter Lyddam, & Jerusalem statuunt in via, quæ de Joppe Jerusalem tendit. Ramatha Samuelis ad Boream magis spectare debebat. Extat ad hanc diem secus viam, qua de Samaria Ierusalem pergitur, urbs *Rama* satis apud Historicos celebrata, neque ambigo, quin hæc vera fuerit patria Samuelis.

EPHRATÆUS.] Elcana pater Samuelis erat ex tribu Ephraim quoad domicilium, non vero quoad nativitatem, nam Levita erat, quemadmodum ostendimus.

Et

1 ויהי איש. 70. Καὶ ἐγένετο ἄνθρωπος &c.
2 Vide 1. Par. 6. 29.
3 Vide Munst. Vatab. Drus. ex Hebræis,
4 1. Reg. 19. 19. in Hebræo.
5 1. Par. 6. 26.
6 1. Reg. 9. 5. *Cum autem venissent in terram Suph.*

℣. 2. ET HABUIT DUAS UXORES.] Iuxta communem Israelitarum consuetudinem, qui hac in re minime sibi religioni verterunt, veterum Patriarchatum exemplis ducti, atque Legis tolerantia; Moyses nusquam explicite vel permisit, vel interdixit polygamiam, quamvis eam plane in Legibus suis supposuit.

℣. 3. ASCENDEBAT DE CIVITATE SUA STATUTIS DIEBUS.] Ascendebat ille ad Domini Tabernaculum tribus magnis anni solemnitatibus, scilicet Paschatis, Pentecostes, ac Tabernaculorum juxta Domini instituta. Lex id maribus tantum indicit Exod. 23. 17. & Deut. 16. 16. verum plura suppetunt exempla, quæ probant, mulieres quoque, & filios, qui illuc accedere poterant, numquam defuisse. Elcana illuc universam familiam suam deducebat [1], uxores duas, ac Phenennæ filios. Moyses videtur etiam alicubi asserere [2], eo duci consuevisse servos etiam (Hebræos) sexus utriusque: verum explicite, nec mulieribus, nec parvulis, neque servis id præcipitur.

UT ADORARET, UT SACRIFICARET DOMINO EXERCITUUM IN SILO.] Arca, & Tabernaculum a temporibus usque Iosue aderant in Silo [3]. Elcana illuc proficiscebatur, quemadmodum alii Israelitæ, ut Deum exercituum coleret, ac veneraretur. Nunc primum occurrit [4] nomen *Jova Zebaot*, seu Dominus exercituum. Castaliu vertit: *Jehova bellipotens*. Ego vero malim vulgatam lectionem sequi, ac intelligere de Exercitibus Cœli, Angelorum, vel syderum, quorum Deus Dominus est, vel etiam de exercitibus Israel, quorum ille Rex erat, & caput. Profani ad similitudinem nominis *Jova Sabaoth* nomen *Jovis Sabazii* concinnarunt.

℣. 4. ELCANA DEDIT PHENENNÆ UXORI SUÆ . . PARTES.] Victimæ ad id saginatæ in Templum deducebantur, ut in pacificis sacrificiis offerrentur. Sanguis illarum ad aræ pedes effundebatur, adeps igni comburebatur; Sacerdotibus pectus, ac dexterum cedebat armum, reliqua vero hostiæ Domino reddebantur, ex quibus religionis convivia instruebantur, ad quæ crebro adeo præcipit Deus, ut Levites, pauper, vidua, ac orphanus admittantur [5]. Author hebraicarum Traditionum de Regibus, ait *partes* has vestes fuisse, quas paterfamilias uxoribus suis, filiis, ac famulis in his solemnitatibus largiebatur.

℣. 5. ANNÆ AUTEM DEDIT PARTEM UNAM TRISTIS.] Hebraicus textus obscurior est; ita porro ad litteram vertitur [6]: *Et dedit Annæ partem facierum*, vel *iræ*. Nam vox eadem, quæ faciem significat, significat etiam quandoque iram. Verum neutra hæc significatio loco huic convenire videtur. Paraphrastes Ionathan, cui complures adhærent Interpretes, id explicat *de parte electa*, quam gratiose tradidit Elcana Annæ, quam unice diligebat. Alii [7] *de duplici parte* intelligunt, perinde ac duplicis faciei partem diceres. Grotius recentem affert conjecturam, dicens, Elcanam Annæ dedisse *alteram e victimæ genis*, cum alteram Sacerdoti dedisset, quemadmodum jus exposcebat ad litteram: *Dedit illi partem faciei*. Sed ubinam in Scriptura repereris, Sacerdoti concedendum esse alterutram victimæ genam? In Hebraico textu 18. capitis ℣. 3. Deuteronomii legimus; *Sacerdotes sibi sumere debere armum, maxillas, coagulum taurorum, ac ovium*, quæ immolarentur. Verum licet fateremur locum hunc de vulgatis sacrificiis esse intelligendum, Textus satis aperte ait, binas maxillas, vel si lubet, genas [8] ad Sacerdotem spectasse, neque ostendi potest earum alterutram illi cessisse, qui victimam obtulisset. Quo vero in loco *facies* significant maxillas?

Qui vero authographi textum ita vertunt: *dedit illi partem unam iræ*: ajunt Elcanam pertæsum, eo quod Anna ipsi nullos pepererat filios, unam illi tantum dedisse partem, cum plures partes Phenennæ tribueret, quas ipsa filiis suis dividebat. Alii asserunt partem Annæ traditam *partem iræ* appellatam fuisse, quod eam illi Elcana tribuit, ut dolorem ipsius leniret, ac iram sedaret; verum explicatio hæc nimis longe petita est.

Hoc pacto verti posset; *Præbuit illi partem, quæ erat coram se, nam diligebat illam*. Elcana, ut dilectæ uxori suæ pro studio suo faveret, accipit partem ex iis, quæ aderant coram se, videlicet, pinguiorem, majoremque obsonii partem, ac præbuit illi. Portio hæc *pars faciei* appellatur, in eodem sensu, quo panes, qui statuebantur super aurea mensa coram Domino, *panes faciei* nuncupantur Exod. 25. 30. & *Angelus faciei Domini* [9], qui stat coram ipso, & qui ab ipso nuntius dimittitur; & *salutare vultus* Psal. 41. 6. 12. ipsius auxilium, quod benigno Deus nobis largitur intuitu: Vel potius dedit illi partem coram ipsa; partem illi seorsim tradidit. *Pars facierum* adhiberi potest pro ea parte, quæ ante nos apponitur. Locutio hæc, *pars facierum* occurrit in hebraico Geneseos 43. 33. textu, ubi sermo de epulis, quas Ioseph fratribus suis mittebat, quos ad convivium vocarat. Illis ex esca tribuebat, quæ sibi apponebatur. Antiquitus in conviviis Paterfamilias eorum omnium, quæ ferebantur in mensam, singulis partes tribuebat; cum omnia ante ipsum statuerentur. Chardinus in Itin. Pers. per Colchidem p. 81. ait id ad hanc usque diem alicubi in Oriente in more esse positum. In Perside eodem teste in Itin. Pers. tom. 2. p. 62. nemo e loco consurgit, ut ad mensam accedat, nam singulis epulæ deferuntur illuc, ubi forte consederint; quod tum apud principes viros, cum apud pauperes usuvenit. Ita Elcana Annæ mittit illuc, ubi aderat, magnam obsonii partem, quæ erat ante illum.

DOMINUS AUTEM CONCLUSERAT VULVAM EJUS.] Scriptura æque tribuit Deo, & fœcunditatis gratiam, & pœnam sterilitatis; altera quidem benedictio erat, altera vero species quædam maledictionis, ac oblivionis ex parte Dei; Quamobrem Anna mox 1. ℣. 11. & 19. enixius Dominum rogat, ut dignetur illius recordari, neque obliviscatur ipsius; atque simulac illa concepit, dicitur Dominus ejus fuisse recordatus. Non semel in Scriptura, veluti Omnipotentis Domini effectus commendatur, quod sterilis pariat; ac sæpius sterilitas veluti divinæ iræ effectus, ducitur.

℣. 6. AFFLIGEBAT EAM ÆMULA EJUS, & VEHEMENTER ANGEBAT, IN TANTUM UT EXPROBRARET &c.] Hebraice [10]: *Et adversaria illius*, illi infesta, *eam irritabat, ut affligeret, eo quod Dominus conclusisset vulvam ejus*. Vel, *illam lacessebat, ut murmuraret*, vel adeo, ut in questus prorueret, atque impatientiæ, ac murmurationis voces ederet. Ad litteram: *adeo, ut illa fremeret, vel tonaret*, vel obmurmuraret. Septuaginta [11]: Æmula *ipsius eam irritabat, eo quod illa eam contemnebat*.

℣. 8. MELIOR TIBI SUM, QUAM DECEM FILII?] Quam plures filii; certus numerus pro indefinito usurpatur, quemadmodum alibi [12]: *tentaverunt me jam per decem vices*.

℣. 9. ANTE POSTES TEMPLI.] Hebraicus textus ad litteram [13] *Heli sedebat super sellam prope postes ædium* Domi-

1 1. Reg. 1. 21. 2 Deut. 16. 11. *Epulaberis . . . tu, filius tuus, & filia tua, servus tuus, & ancilla tua*. 3 Josue 18. 1. 4 יהוה צבאות.
5 Deuter. 16. 11. 6 ולחנה יתן מנה אחת אפים כי את חנה אהב
7 Syr. Arab. Lyr. Jun. Tremell. Sanct. & Author tradit. Heb. in Reg. 8 הלחיים. Vide Commentarium in Deuteronomium 18. 3. 9 Exod. 23. 20. Isai. 63. 9.
10 וכעסתה צרתה גם כעס בעבור הרעמה כי סגר יהוה. 11 Παρώργιζεν αὐτὴν ἡ ἀντίζηλος αὐτῆς, καί γε παροργισμῷ, διὰ τὸ ἐξουθενεῖν αὐτήν. 12 Num. 14. 22. Vide & Genes. 30. 7. 41.
13 ישב על הכסא על מזוזת היכל יהוה

Domini. Summus Sacerdos plane extra templi atrium sedebat, ac prope portam, qua illuc aditur parebat: Anna ultra priorem hanc januam nequaquam progressa est, ut vota sua Deo nuncuparet. Nescio utrum ulterius procederent mulieres in atrium Tabernaculi. Ædium, vel Templi nomen hic tribuitur Tabernaculo in Silo constituto, quamquam nullum ibi adesset ædificium, ni forte [1] murus, qui tabulatum loco, quas instituerat Moyses, templum concluderet. Author, qui hanc exaravit historiam temporis sui consuetudini paruit, quo fortasse Templum conditum fuerat, vel vulgata sane figura sermonis usus est, qua domus vocatur tabernaculum, ac Regis tabernaculum Ædes Regiæ appellantur; & quicumque locus, ubi Deo adhibetur honos, Templum dicitur. Ita profecto Jacob tribuit Bethel nomen *domus*, vel templi Domini, ac *portæ cœli*. Genes. 28. 17. Complura animadvertimus id genus exempla in Scripturis, præcipue vero in Psalmis David, ubi Regius Psaltes sæpius *Templum*, *Domum Dei*, *ac Montem*, *Sanctum* vocat Montem Sion, ubi erat Arca, & Tabernaculum, quod ibi erexerat; quamvis templum nondum excitatum fuisset. Salvator quoque in Evangelio Matth. 12. 4. *Domum Dei* appellat Tabernaculum Silo, ubi David sumpsit panes propositionis, & gladium Goliath.

℣. 11. VOTUM VOVIT.] de consensu Elcanæ, quo dissentiente nullum poterat votum exequi [2]: Neque vero nimium sibi tribuebat, arbitrata, ipsum minime refragaturum fuisse, quin promissi fidem solveret, præsertim cum illius res ageretur.

DABO EUM DOMINO OMNIBUS DIEBUS VITÆ EJUS, & NOVACULA NON ASCENDET SUPER CAPUT EJUS.] Adnotavimus in Judic. 16. 19. novaculam Hæbræis in more fuisse positam satis probari non posse: ii potius ad capillos tondendos forficibus utebantur. Hebraica vox *morah* [3] a Chaldæo redditur *terror* [4]. Verum quid hæc sibi vellent verba. *Terror hominis non ascendet super caput ejus*? Septuaginta legunt [5]: *Ferrum non ascendet super caput illius*; ac in exemplaribus quibusdam addunt: *Non bibet vinum, nec aliquid, quod ebrietatem possit adferre*. Nos vero Vulgatæ adhæremus, cujus legendi ratio ex aliis pluribus locis probatur, ubi vox *moreh* novaculam significat, vel forpicem. Vide Judic. 13. 5 & 16. 17.

Samuel, oportet qui Levites, peculiari modo Domini erat: Tabernaculo per vicem inservire debebat, cum vigintiquinque, vel triginta natus esset annos usque ad quinquagesimum [6]. Anna hæc Levitarum munia aliis operat, ac pollicetur Deo, se illi filium suum dicaturam, atque in opus Tabernaculi tradituram, cunctis diebus vitæ illius, ex quo muneri peragendo fuisset par; atque his addit perpetui Nazaræatus votum, qui in eo erat positus, ut quis se ab omni sorde temperaret, ac ab ea præcipue, quæ ex funere contrahitur, atque a vino se abstineret, aliisque poculentis, quibus inebriari posset; atque comam aleret, quin unquam abscinderet. Pro iis, qui perpetuum Nazaræatum profitebantur, nihil peculiare lex præcipit; sed de illis dumtaxat loquitur, qui ad tempus modo Nazaræatum vellent servare [7]. Verum ex prima Nazaræorum specie cognovimus Samsonem, Samuelem, ac S. Joannem Baptistam. Veteres quidam [8] credidere, Samuelem quascumque Nazaræatus leges servasse, atque se ab usu vini temperasse; quamquam nec Hebraicus textus, nec Vulgata istud innuat: ex decursu tamen historiæ Samuelis

A oppositum liquet. Hic enim se nequaquam teneri arbitratus est, ut Tabernaculo inserviret, simulac Prophetiæ dono insignitus, ac Populi Judex fuit designatus; quæ postrema dignitas simul esse non poterat in eodem cum Levitarum munere continenti, assiduaque obbligatione inserviendi prope Altare, ac in Tabernaculo Domini.

℣. 12. CUM ILLA MULTIPLICARET PRECES .... UT HELI OBSERVARET OS EJUS;] scilicet observaret quid illa diceret: vel potius arrectis auribus percipere niteretur, quid illa diceret; verum nihil ille intellexit; quoniam nullas edebat voces, sed suspiria tantum subinde emittebat, atque cordis prece Dominum alloquebatur. Jesus Christus in Evangelio [9] prolixas Scribarum, Pharisæorum, Eth-

B nicorumque preces redarguere videtur: *Orantes nolite multum loqui, sicut Ethnici, putant enim quod in Multiloquio suo exaudiantur*. Matth. 6. 7. Quod damnare etiam videtur effusiorem mulieris precem, de qua sermo est. Verum longitudo precum Annæ ex devotionis illius ardore proficiscebatur; verba hæc in ipsius corde a Sancto Spiritu enuntiabantur, qui pro ipsa vota nuncupabat; neque inanium verborum, ac inutilium sermonum multiloquio illius luxuriabat Oratio; atque, ut verbo me expediam, non in eo casu versabatur, quem J. C. redarguit in Ethnicis, ac Pharisæis. Primi quidem ad ostentationem, ac utilitate ducti, alteri vero superstitione, ac sine spiritu orabant. Salvator non quodvis effusarum precum genus reprobat; quandoquidem & ipse quoque diu oravit,

C Luc. 22. 43. atque noctes integras orando transegit Luc. 6. 12. nec non jubet nos indesinenter orationi vacare [10]. Quod *Heli* attinet videri possunt, quæ dicentur inferius cap. 2. ℣. 30. & cap. 4. ℣. 18.

℣. 15. MULIER INFELIX.] Hebraice [11]: *Ego mulier sum duri Spiritus*, cujus cor dolore obsitum est. Vox *durus* accipitur sæpius pro afflictione, dolore, angore. Israelitarum servitus in Ægypto dura vocatur Exod. 1. 14. & 6. 9. Jubet Deus dura quæcumque negotia ad Moysem referri Exod. 18. 26. & Deut. 1. 17. Canticorum Sponsa 8. 6. ait, quod *dura est sicut infernus, æmulatio*. Elias Eliseo petenti, ut ipsi spiritus sui momentum ostenderet, inquit 4. Reg. 2. 10. *Rem duram postulasti*.

℣. 16. QUASI UNAM DE FILIABUS BELIAL.] Mu-

D lierem nequam, impiam, pravis, improbisque moribus; dementem mulierem, & quæ perniciosis exemplis male oleat. Septuaginta ad litteram; *mulierem pestiferam* [12]. Hebraice [13]: *Ne statuas ancillam tuam ante filias Belial*. Ne me similem putes, atque cum filiabus Belial commisceas. Postrema hæc vox proprie id significat, quod flocci fit, quod inane est, vel etiam obest [14]. Græci quandoque reddunt fatuas, dementes; aliquando vero noxias, pestiferas, impias. Vide commentarium in Deuter. 13. ℣. 13.

EX MULTITUDINE DOLORIS, ET MÆRORIS.] Hebraice [15]: *ex multitudine meditationis atque indignationis*. Effundo coram Domino sensus, qui præcludunt animum meum, ac dolorem, quo afficior.

℣. 18. UTINAM INVENIAT ANCILLA TUA GRATIAM

E IN OCULIS TUIS.] Utinam pro me preces fundere dignareris, vel utinam eos seponeres animi conceptus quos mihi indecores suscepisti; vel denique utinam mereri possem gratiam apud te, ac eorum, quæ mihi fausta prædixeris, effectum intueri.

VULTUS ILLIUS NON SUNT AMPLIUS IN DIVERSA MUTATI.] Hebraice [16]; *Et non fuit ei amplius facies sua*.

---

1 Vide, quæ diximus in Josue 18. 1. 2 Num. 30 7. 8. 9. 3 ומורה לא יעלה על ראשו
4 ומרות גבש לא תהא עלוהי 5 Καὶ σίδηρος οὐκ ἀναβήσεται ἐπὶ τὴν κεφαλὴν, οἶνον καὶ μέθυσμα οὐ πίεται.
6 Num. 4. 2. & 8. 24. 7 Num. 6. 3. 4. 5. 8 Philo de Temulentia, Chrysost. hom. 1. de Anna, & homil. 79. ad popul. Basil. homil. 2. de jejunio, Theodoret. qu. 5. Tertul. adv. Psychicos c. 7. Hieron. l. 2. adv. Jovin. Vide Mendoc. Annot. 9. art. 12. 9 Matth. 23. 14. *Væ vobis Scribæ, & Pharisæi .... orationes longas orantes*. Marc. 12. 40. Luc. 20. 47. 10 Luc. 18. 1. & Paul. 1. Thessal. 5. 17. 11 אשה קשת רוח אנכי
12 Μὴ δῷς τὴν δούλην σου εἰς θυγατέρα λοιμήν. 13 אל תתן את אמתך לפני בת בליעל
14 70. Ὡς θυγατέρα λοιμήν. *quasi filiam periculosam veluti pestem*. Th. Ὡς μίαν τῶν ἀπαιδεύτων, *quasi personam immorigeram, effrænem*. 15 מרב שיחי וכעסי Aq. Ἐκ πλήθους ἀδολεσχίας μου. Ita 70. 16 ופניה לא היו לה עוד

sua. Non amplius visa fuit dolorem, mærorenque facie sua præsefetre. Septuaginta [1]: *facies illius non concidit amplius*; non visa fuit amplius pudore, & confusione suffusa, cum vultu dejecto. Scriptura hac utitur locutione Genes. 4. 6. *quare iratus es, & cur concidit facies tua*, loquens de Cain invidia adversus Abel. Interpretes quidam authographi textum vertunt [2], *non amplius irata fuit*. Annam non fuit amplius vel amaritudine, vel invidia adversus Phenne-nam correpta. Hebraice *facies* sæpius iram significat; exempli gratia, *Vultus Domini super facientes mala* Psal. 33. 17.

℣. 20. POST CIRCULUM DIERUM.] Hebraice [3]; *post dierum revolutionem, concepit Anna, & peperit filium*. Reor autem hanc dierum revolutionem annum revolutum significare, in cujus exitu Anna peperit filium. Alibi animadvertimus, Veteres nativitatem alicujus plerumque post elapsum a conceptionis die annum constituisse. Vide, quæ dixerim in Genesi c. 18. 10.

VOCAVIT NOMEN EJUS SAMUEL.] Mater nomen indidit: nonnumquam pater filiis nomen imponebat; nulla constans fuit hac in re consuetudo. Samuel significat *petitum a Deo*. Verum quædam adest litterarum elisio, ut pronuntiatio fiat lenior; juxta enim etymologiæ vim, enuntiari deberet *Saul-meel* שאול מאל

℣. 21. UT IMMOLARET DOMINO HOSTIAM SOLEMNEM, ET VOTUM SUUM.] Hebraice [4], *hostiam dierum, & votum suum*. Sacrificium dierum illud erat, quod devotionis ergo singulis solemnitatibus offerri consueverat. Lex nullam irrogabat privatis pœnam, ni hostias offerrent in solemnitatibus; verum generatim cavebat, ne quis vacuus ad templum accederet [5]. Paschalis victima, & aliæ quædam hostiæ, atque oblationes, quæ Domino offerebantur, & ex quibus egenis deinde epulæ sternebantur, præcepto erant sancitæ [6]; quas noviter memoratas victimas plane scriptura *dierum hostias* appellat. Fieri quoque potest, sacrificium hoc nihil aliud fuisse, quam illud, quod pro redimendis primogenitis offerebatur [7]; atque pro mulieris post puerperium expiatione. Cum Samuel in Tabernaculum offerri nequiverit a matre sua; Elcana eam suscepit provinciam.

Quoad Elcanæ votum nihil nisi divinantes afferre possumus, cum obiter tantum Scriptura loquatur, atque semel. Illud vero minime in dubium vocatur, an votum istud nuncuparit in filii sui nativitate.

℣. 22. NON VADAM DONEC ABLACTETUR INFANS.] Plane igitur illuc non perrexit, ut a puerperii sordibus mundaretur. Matris vel filii incommodum, & gracilitas, atque locorum distantia eam jure poterant dispensare. Quæritur qua ætate pueri ablactarentur? plures hac de re intuiti sumus sententias in Genesim 21. 8. cum de Isaac loqueremur. Varietas eadem illic occurrit: alii credunt, Annam lac dedisse Samueli quinque annis; alii tribus; duobus alii; quod tempus magis naturale ablactandis pueris esse ait Avicenna apud Drusium; Galenus [8] pro tribus annis stat, cujus sententiæ maximum accedit robur ex matris illius testimonio, quæ in 2. Macchabæorum libro 7. 27. asserit, se trium annorum spatio lac filio suo præbuisse. Rabbinus Salomon vero duobus & viginti mensibus id fieri consuevisse contendit. Tremellius, ut his se exsolveret difficultatibus, ad aliam confugit hebraicæ vocis *gamal* significationem; quæ sæpius educare, & alere significat; ideoque verti potest, *donec puer nutritus sit*, & educatus; donec adolescat; atque ut verbo me expediam, donec per ætatem par sit, ut quodam munere in Domini Tabernaculo fungatur.

Verum de hoc tempore minime est intelligendum; ea enim, quæ sequuntur ℣. 24. huic adversantur: *Puer autem erat adhuc infantulus*; Hebraice *infans erat*, cum oblatus est in tabernaculum.

℣. 23. PRECOR, UT IMPLEAT DOMINUS VERBUM SUUM.] Non ne compleverat Dominus verbum suum & summi Sacerdotis Heli promissum, Annæ filium tribuens? Elcanæ plane in votis erat; Deum vitam, ac incolumitatem Samuelis tueri, ut Anna eo se posset voto exsolvere, cujus a Domino damnata fuerat; Filius adolescat, atque ad eam ætatem perveniat, qua Domino offerri possit, ut illi toto vitæ suæ curriculo deserviat, juxta vota, quæ nuncupasti, ac juxta Domini promissionem. *Verbum* intelligi potest de re [9]: *Impleat Dominus*, exequatur, perficiat opus suum, hoc omne negotium, quod gloriæ ipsius interest.

℣. 24. IN VITULIS TRIBUS.] Alii, veluti Septuaginta [10]; & Patres [11], qui eos secuti sunt, Syriaca versio, & Arabica legunt, *vitulum trimum*; & ex decursu capitis hujus [12] unum dumtaxat immolatum fuisse innotescit. Hebraicus quoque textus in eumdem sensum detorqueri potest paullatim immutata Massoretarum ratione legendi [13]. Sæpius trimi vituli, vel vitulæ quærebantur, ut illis Domino litaretur. Genes. 15. 9. Abraham trium annorum animalia delegit, quæ in sacrificium Domino offerret, ut ratum faceret fœdus, quod cum ipso percusserat. Dicitur etiam ejusdem ætatis vitula optari consuevisse, qua secretam hominis cædem procurarent Deuter. 21. 3.

TRIBUS MODIIS FARINÆ.] Hebraice, *tribus ephis farinæ*. Epha, vel bathus Amphoræ Rumanæ æquivalet, hoc est libris 80.

AMPHORA VINI.] Hebraice [14]; *Nebel vini*. Nebel magna mensura est tres Bathos continens, sive tres Romanas Amphoras, hoc est libras 240.

℣. 26. VIVIT ANIMA TUA, DOMINE, EGO SUM ILLA MULIER.] Hoc est: Verum est, Domine, non secus ac verum est quod vivit anima tua, me illam esse mulierem &c. Alii in hoc sensu intelligunt. Utinam diu superstes, atque incolumis vivas, Domine, ego sum illa mulier. Ex votis hic vulgo auspicari solebant, qui Babylonis Reges alloquebantur; *Rex in æternum vive*, quemadmodum patet ex 2. Esdræ 2. 3. & Daniele 3. 9. & 5. 10. & 6. 6. 21. &c. Plerique hanc jurisjurandi speciem esse putant: Per vitam tuam, Domine, ego sum illa mulier. Hujus generis juramenta passim in Scripturis invenietis; 1. Reg. 17. 55. *Vivat anima tua Rex, si novi*; Et 1. Reg. 20. 3. *Vivit Dominus, & vivit anima tua, quia uno tantum gradu ego morsque dividimur*.

℣. 28. IDCIRCO ET EGO COMMODAVI EUM DOMINO.] Ad litteram [15] *commodo eum Domino per id tempus, quo commodabitur*. Eum offerro consilio relinquendi in manu Domini, quoad illi videbitur. Cum rei alicujus usus mutuatario relinquitur, quoad illi uti placuerit, qui rem commodat, omne ea utendi jus exuit, illudque transfertur in eum, qui rem commodatam acceperit. Anna fatetur, sibi divina ope tantum filium fuisse permissum, hunc illi modo reddit per id omne tempus, quo ipsum sibi voluerit famulari. Samuel nequaquam omnibus diebus vitæ suæ in Tabernaculo perstitit; verum plerumque morabatur in Ramatha, ex quo Judicis Israel fuit dignitate insignitus 1. Reg. 7. 15. Deus ad id opus illum elegerat, atque ideo illum exsolverat, ne actu, & personaliter Tabernaculo inserviret.

Verum haud diffiteor hanc loquendi tationem, *Domino*

1 [illegible]. 2 Pagn. Pisc. Meodoc. Mart. 3 ויהי לתקפות הימים
4 זבח הימים ואת נדרו 5 Exod. 23. 15. & 24. 20. &c. 6 Deuter. 14. 22. 23. & seq.
7 Exod. 13. 13. & Levit. 12. 6. 8 Vide Valef. de Sacr. Philosoph. c. 83. 9 יקם יהוה את דברו
10 [illegible]. 11 Chrysost. Theodoret. 12 ℣. 25. *Et immolaverunt vitulum*.
13 בפרים שלשה au lieu de בפר משלש 14 ונבל יין
15 וגם אנכי השאלתיהו ליהוה כל הימים אשר היה הוא שאול ליהוה

Domino commodandi, mihi videri, non satis congruere matri Samuelis: illum enim hæc voverat, ante nativitatem sine ambage, sine ulla restrictione; ut eum fidem promissi præstare debet, se ipsum commodare velle ait, quod ipsius proprietatem, & dominium supponit. Itaque Hebraicum Textum hoc pacto mallem reddere, hæc præcedenti versiculo adjungens: *Pro puero isto oravi, & dedit mihi Dominus petitionem meam, quam postulavi eum*. (℣. 28.) *& hunc mihi commodatum desineo* simpliciter: ipse est *Dominus pro omnibus diebus, quibus erit; hoc est commodatum,*

A *quod ad Dominum spectat*. Agnosco filium hunc ad Deum pertinere, non autem ad me; ille hujus proprie dominium possidet; hunc ipse mihi quodammodo commodavit, atque eum ipsi reddam. Quod debeo, persolvo. Summus Sacerdos Heli Capite sequenti his Annæ verbis respondens, Elcanæ ait: *Det tibi Dominus filios de muliere hac pro petitione, quam petiit a Domino*: Reddat tibi Deus alium filium pro hoc, quem Anna poposcit, ut Domino consecraret.

CAPUT II.

Gratiarum actionis Canticum ab Anna Samuelis Matre editum; qua deinde tres filios, duasque filias parit. Filiorum Heli flagitia. Deus Summum hunc Sacerdotem monet per Prophetam quemdam de futuro domus ipsius excidio, ac Sacerdotio extra familiam ipsius transferendo.

1. EXultavit cor meum in Domino, & exaltatum est cornu meum in Deo meo: di-
latatum est os meum super inimicos meos: quia lætata sum in salutari tuo.
2 Non est sanctus, ut est Dominus; neque enim est alius extra te, & non est
fortis sicut Deus noster. 3 Nolite multiplicare loqui sublimia, gloriantes: recedant
vetera de ore vestro: quia Deus scientiarum, Dominus est, & ipsi præparantur cogita-
tiones. 4 Arcus fortium superatus est, & infirmi accincti sunt robore. 5 Repleti
prius, pro panibus se locaverunt: & famelici saturati sunt, donec sterilis peperit plu-
rimos: & quæ multos habebat filios, infirmata est. 6 Dominus mortificat, & vivifi-
cat, deducit ad inferos, & reducit. 7 Dominus pauperem facit, & ditat, humiliat,
& sublevat. 8 Suscitat de pulvere egenum, & de stercore elevat pauperem: ut sedeat
cum principibus, & solium gloriæ teneat. Domini enim sunt cardines terræ, & posuit
super eos orbem. 9 Pedes sanctorum suorum servabit, & impii in tenebris contice-
scent: quia non in fortitudine sua roborabitur vir. 10 Dominum formidabunt adver-
sarii ejus: & super ipsos in cœlis tonabit: Dominus judicabit fines terræ, & dabit im-
perium regi suo, & sublimabit cornu Christi sui. 11 Et abiit Elcana Ramatha, in
domum suam, puer autem erat minister in conspectu Domini ante faciem Heli sacerdo-
tis. 12 Porro filii Heli, filii Belial, nescientes Dominum, 13 Neque officium sacer-
dotum ad populum: sed quicumque immolasset victimam, veniebat puer sacerdotis,
dum coquerentur carnes, & habebat fuscinulam tridentem in manu sua, 14 Et mitte-
bat eam in lebetem, vel in caldariam, aut in ollam, sive in cacabum, & omne, quod
levabat fuscinula, tollebat Sacerdos sibi. Sic faciebant universo Israeli venientium in Si-
lo. 15 Etiam antequam adolerent adipem, veniebat puer sacerdotis, & dicebat im-
molanti: Da mihi carnem, ut coquam Sacerdoti: non enim accipiam a te carnem co-
ctam, sed crudam. 16 Dicebatque illi immolans: Incendatur primum juxta morem ho-
die adeps, & tolle tibi quantumcumque desiderat anima tua. Qui respondens ajebat ei;
Nequaquam: nunc enim dabis, alioquin tollam vi. 17 Erat ergo peccatum puerorum
grande nimis coram Domino: quia retrahebant homines a sacrificio Domini. 18 Sa-
muel autem ministrabat ante faciem Domini, puer, accinctus ephod lineo. 19 Et tu-
nicam parvam faciebat ei mater sua, quam afferebat statutis diebus, ascendens cum vi-
ro suo, ut immolaret hostiam solemnem. 20 Et benedixit Heli Elcanæ, & uxori ejus:
dixitque ei: Reddat tibi Dominus semen de muliere hac, pro fœnore, quod commoda-
sti Domino. Et abierunt in locum suum. 21 Visitavit ergo Dominus Annam, & con-
cepit, & peperit tres filios, & duas filias: & magnificatus est puer Samuel apud Domi-
num. 22 Heli autem erat senex valde, & audivit omnia, quæ faciebant filii sui uni-
verso Israeli: & quomodo dormiebant cum mulieribus, quæ observabant ad ostium ta-
bernaculi. 23 Et dixit eis: Quare facitis res hujuscemodi, quas ego audio, res pessi-
mas, ab omni populo? 24 Nolite, filii mei: non enim est bona fama, quam ego au-

dio,

dio, ut transgredi faciatis populum Domini. 25 Si peccaverit vir in virum, placari
ei potest Deus: si autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo? Et non au-
dierunt vocem patris sui: quia voluit Dominus occidere eos. 26 Puer autem Samuel
proficiebat, atque crescebat, & placebat tam Domino, quam hominibus. 27 Venit
autem vir Dei ad Heli, & ait ad eum: Hæc dicit Dominus: Numquid non aperte reve-
latus sum domui patris tui, cum essent in Ægypto in domo Pharaonis? 28 Et elegi
eum ex omnibus tribubus Israel mihi in sacerdotem, ut ascenderet ad altare meum, &
adoleret mihi incensum: & portaret ephod coram me: & dedi domui patris tui omnia
de sacrificiis filiorum Israel? 29 Quare calce abjecistis victimam meam, & munera mea,
quæ præcepi, ut offerrentur in templo: & magis honorasti filios tuos quam me, ut co-
mederetis primitias omnis sacrificii Israel populi mei? 30 Propterea ait Dominus Deus
Israel: Loquens locutus sum, ut domus tua, & domus patris tui ministraret in conspe-
ctu meo, usque in sempiternum. Nunc autem dicit Dominus: Absit hoc a me: sed qui-
cumque glorificaverit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobi-
les. 31 Ecce dies veniunt, & præcidam brachium tuum, & brachium domus patris
tui, ut non sit senex in domo tua. 32 Et videbis æmulum tuum in templo in univer-
sis prosperis Israel: & non erit senex in domo tua omnibus diebus. 33 Verumtamen
non auferam penitus virum ex te ab altari meo: sed ut deficiant oculi tui, & tabescat
anima tua: & pars magna domus tuæ morietur, cum ad virilem ætatem venerit. 34
Hoc autem erit tibi signum, quod venturum est duobus filiis tuis, Ophni, & Phinees:
In die uno morientur ambo. 35 Et suscitabo mihi sacerdotem fidelem, qui juxta cor
meum, & animam meam faciet: & ædificabo ei domum fidelem, & ambulavit coram
Christo meo cunctis diebus. 36 Futurum est autem, ut quicumque remanserit in do-
mo tua, veniat, ut oretur pro eo, & offerat nummum argenteum, & tortam panis,
dicatque: Dimitte me obsecro ad unam partem sacerdotalem, ut comedam buccellam
panis,

℣. 1. EXULTAVIT COR MEUM IN DOMINO.] Quoad tempus, quo hoc canticum Anna cecinit, in diversa scriptores abeunt. Alii quidem volunt, hoc illam statim post Samuelis nativitatem cecinisse; alii vero eam tunc solum elucubratam fuisse, ac recitasse cum rite filium suum Domino obtulit, cui sententiæ magis favet narrationis hujus decursus. Sancta hæc mulier in Domino lætabatur; atque tanti beneficii gratitudine percita, illud veluti gloriæ suæ, ac felicitatis argumentum agnoscit. Dei Spiritus, quo afflata hoc edidit Canticum, illius animum a particularis beneficii, quo fuerat affecta, cogitatione ad sublimiora, atque præstantiora Dei consilia transfert. Prædicit Messiæ regnum, & Ecclesiæ ipsius gloriam [1]. Septuaginta pro his verbis. *Exultavit cor meum in Domino*, reddunt [2]; *Cor meum confirmatum est in Domino*. In ipso vires meas, ac spem collocavi. Chaldæus [3]; *Cor meum confirmatum est*, vel prævaluit, *in hæreditate, quam Dominus dedit mihi*.

EXALTATUM EST CORNU MEUM IN DEO MEO.] Cornua pro imperio, viribus, gloria usurpantur: Deus mihi vires addidit, me ad gloriæ apicem evexit, fecit ut elato capite incederem, veluti robusta illa, & cornibus armata animantia, quæ semper æque ad vim inferendam, ac propulsandam parata sunt. Hæc autem opponit pudori, infirmitati, atque contemptui, in quo versabatur, antequam Deus per Samuelis nativitatem ab ea abstulisset opprobrium. Profani quoque cornuum nomen hoc in eodem sensu adhibent. Horatius l. 3. Od. 21.

Tu spem reducis mentibus anxiis
Viresque, & addis cornua pauperi.

DILATATUM EST OS MEUM SUPER INIMICOS MEOS.] Videtur præsertim respicere ad Phenennam æmulam

A suam, quæ illi, dum sterilis esset, illudebat; Antea os reserare non audebam, ut me tueret; verum hodie illius conviciis respondere possum. Locutio hæc *os dilatare*, usurpatur quandoque pro injuriis, & contumeliis, quas in inimicos ingerimus. *Et dilataverunt os suum super me*, inquit Propheta Psal. 34. 21. *& dixerunt: Euge, Euge, viderunt oculi nostri*. Et Isaias 57. 4. *Super quem lusistis, super quem dilatastis os, & ejecistis linguam?* Chaldæus in sensu admodum simili intelligit: dilatavi os meum, ut magna loquerer adversus inimicos meos.

℣. 2. NON EST SANCTUS, UT EST DOMINUS.] Nomen *Sanctus* plerumque ad innuendum Deum usurpatur; itaque verti posset: *Non est Deus, sicut Dominus, neque Deus est præter Te*. Animadverti potest
B nomen *Sanctus* absolute usurpatum in locutionibus illis adeo familiaribus in Scriptura; *Sanctus Israel* [4]; Exempli gratia [5], *veniat consilium Sancti Israel, & sciemus illud*; ac paullo post: *Abjecerunt legem Domini exercituum, & Eloquium Sancti Israel blasphemaverunt*. Sanctitas ad Deum per essentiam spectat; illius enim cumulatam perfectionem possidet; atque Sanctitas, quæ in celeberrimis Sanctis emicat, ab eo veluti rivulus ex uberrimo fonte dimanat.

NON EST FORTIS SICUT DEUS NOSTER.] Hebraice [6]: *Non est petra, sicut Deus noster*. Non est vis, non præsidium præter Deum. Scriptura sæpe Deo tribuit Petræ nomen [7]. Plerique Palæstinæ montes frequentes erant specubus in rupibus effossis, quo populi confugiebant, cum hostium vires ingruerent.
C Itaque apud Hebræos Deum Petræ conferre, nihil minus eximium est, quam si nos æri, firmissimisque monumentis conferremus.

℣. 3. RECEDANT VETERA DE ORE VESTRO.] Nulla amplius proferantur convicia, sed vetera probra sileant.

1 Vide August. l. 17. de Civit. Dei cap. 4. *Ieane vero verba hæc unius putabuntur esse muliercula de nato sibi filio gratulantis &c.* 2 Hebr. עלץ לבי ביהוה Ἐστερεώθη ἡ καρδία μου ἐν κυρίῳ.
3 תקף לבי בחולקא דיהב לי יוי 4 Isai. 1. 4. & 6. 3. & 10. 20. & 12. 6. & 17. 7. & passim.
5 Isai. 5. 19. & 24. 6 ואין צור כאלהינו 7 Vide Deuter. 32. 4. Psal. 17. & 71. 26. & 2. Reg. 21.

sileant. Chaldaice: *Non audiantur amplius blasphemiæ ex ore vestro*. Septuaginta [1] *non egrediatur magniloquium de ore vestro*. Alii Hebraicum textum [2] reddunt: *ne proferatis verba dura*; vel, *dura verba ne exeant de ore vestro*, ne amplius illuc redeant. Hebraice nulla negatio, non secus ac in Vulgata invenitur; verum plerique interpretum e præcedenti versiculo eam mutuati sunt: at quoad sententiæ substantiam, minimum abfunt.

DEUS SCIENTIARUM DOMINUS EST, ET IPSI PRÆPARANTUR COGITATIONES.] Perfectissimam habet rerum omnium scientiam, ille scientiarum omnium est author; lumen est, ac veritas universalis, quæ in omnium mentibus lucet, nihil ipsum fugere, nihil fallere potest. Hebraicus textus ad litteram habet [3]: *Dominus est Deus scientiarum, & actiones, vel cogitationes non confirmabuntur*. Symmachus quoque cum negativa particula legit [4]. *Nulla esse potest apud ipsum excusatio*: Deo huic os sublinir nequit vanis excusationibus. Verum reddere mallem cum interrogatione, ut ad Vulgatæ sensum magis accederem. *Dominus est Deus, qui novit omnia*; & *cogitationes*, vel opera *nonne in ipso fundantur*? Quod ille opus inchoavit, non perficiet? Consilia ipsius non complebuntur? Septuaginta [5]: *Dominus est Deus scientiarum, atque cogitationes disponit*. Chaldaica lectio in eumdem sensum abit: *hic est Deus, qui omnia cum judicio*, sive altissima cum sapientia *operatur*. Syriaca vero, & Arabica; *& doli apud ipsum e voto non cedent*. Deus cordium penitiora pervadit; neque est, cur illum quis dolo capere posse arbitretur; non enim inanibus rerum speciebus decipi potest, & falli.

℣. 5. FAMELICI SATURATI SUNT, DONEC STERILIS PEPERIT PLURIMOS.] Hebræus ad litteram [6]: *Et famelici cessarunt; & præterea, quæ erat sterilis, peperit septem filios*. Numerus septenarius sæpius pro indefinito numero usurpatur: Exempli gratia [7] *septies cadit justus*; hoc est pluries. Anna, quæ hic laudibus celebrat fæcunditatem, ob quam a Deo voti damnata fuerat, sex tantum genuit filios [8]. Septuaginta vertunt [9]: *Famelici migrarunt in alienam terram*, vel juxta Origenis Interpretem; *deducti fuerunt in captivitatem, & quod illa, quæ erat sterilis, peperit septem filios*.

QUÆ MULTOS HABEBAT FILIOS INFIRMATA EST.] Judæi, quibus complures favent Interpretes [10], hoc de Phenenna intelligunt. Docent enim, illam non solum nullos genuisse filios post Samuelis nativitatem, sed eorum, quos antea pepererat, jacturam etiam fecisse, prout Anna subinde recenti puerperio lætabatur. Verum nihil simile in Textu novimus; ad summum enim ait, Phenennam nullos amplius liberos edidisse. Hæc omnia adamussim exhibent Synagogam Ecclesiæ collatam; Synagogæ sterilitatem, & Ecclesiæ J. C. fæcunditatem. Vide Augustinum de Civitate lib. 17. cap. 4.

℣. 6. DOMINUS MORTIFICAT, & VIVIFICAT, DEDUCIT AD INFEROS, & REDUCIT.] Locutiones hæ in litterali sensu pressius sumpto intelligi possunt. Deus arbiter est vitæ, ac mortis; ille æque facile viventibus eripere, ac defunctis vitam largiri potest. Sed Interpretes non pauci id in alio explicant sensu [11]: Mors, & sepulchrum, vel infernum significant, ægritudines calamitates, & mala; vita, ac resurrectio felicitatem, prosperitatemque significant, eam præsertim, quæ, postquam adversa, & ærumnæ detonuerunt, affulget. Tum in Scripturis, cum apud Profanos simi-

A lium locutionum inveniri possunt exempla: Seneca Tragic.

. . . . . *Mortis habet vices*
Lentis cum trahitur vita gemitibus.

Cum obvius nobis occurrit vir quispiam, quem numquam nos revisuros sperabamus, hunc e sepulchro revixisse dicimus. *Velut ab inferis postliminio domum remeasti*, inquit Apulejus apud Drusium hic. Propheta Deum orat, ut sibi vitam largiatur [12]; postulat, ut ipsum eruat de tumulo [13]; eique gratias agit, quod ipsum illinc eduxerit [14]; ait se in sepulchrum descendisse [15], atque inter mortuos fuisse adnumeratum, quæ loquendi rationes ob oculus ponunt dumtaxat pœnas, quibus affectus fuit, & ex quibus Divinæ opis adminiculo emersit. Eodem pacto prodigus filius obiisse B dicitur, & revixisse, ad illius reditum in patris domum designandum postquam in flagitia proruerat. Luc. 15. 24.

℣. 7. DOMINUS PAUPEREM FACIT, & DITAT.] Colligit istic Anna diversos divinæ potentiæ, atque justitiæ effectus. Hesiodus *Oper. & Dier.* de Tonante Jove eodem ferme loquitur modo: *facile tribuit, adimitque potentibus potentiam: illos deprimit, qui elati sunt; eadem facilitate qua attollit eos, qui versantur in sordibus, dirigit illum, qui rectus incedere nequit, superbum vero, ac jactabundum humo affligit*.

℣. 8. DOMINI ENIM SUNT CARDINES TERRÆ.] Videntur Hebræi animo sibi finxisse terrarum orbem, velut ingentem globum duobus cardinibus, vel polis incumbentem, circum quos verteretur. Dicitur hic C Deus esse Dominus cardinum terræ, & omnia, quæ ibi fiunt, moderari. Plures Interpretes Hebraicum textum ita reddunt [16]: *Domini sunt columnæ, vel fundamenta terræ, ille super ea terrarum orbem constituit*. Sæpe occurrunt in Scriptura locutiones, quæ Hebræorum conceptus ostendunt, qui putabant terras ingentibus fulciri columnis, ac immobilibus fundamentis inniti. Dominus *fundavit terram super stabilitatem suam; non inclinabitur in sæculum sæculi*, inquit Propheta Psal. 103. 5. & Sapientia Prov. 8. 25. . . . 29. *Nec dum montes gravi mole constiterant, ante colles ego parturiebar: Adhuc terram non fecerat, & flumina & cardines orbis terræ: Quando appendebat fundamenta terræ cum eo eram cuncta componens*. Vox authographi istic particulariter columnas, fusiles ba- D ses e metallo conflatas videtur innuere. Sumi potest locus iste in figurato sensu. Dominus attollit egenum de pulvere, ut ad Imperii thronum evehat; nam ille potestatum est Dominus, quæ sunt veluti cardines, & columnæ universorum, super quas Deus quodammodo terras locavit, illarum ipsis regimen tribuens, & imperium. Scriptura nonnumquam illos terræ columnas vocat, quibus Deus regendi confert authoritatem. Deus inquit Jeremiæ 1. 18. *Ego quippe dedi te hodie . . . in columnam ferream, & in murum æreum*; atque in Apocalypsi 3. 12. hæc pollicetur: *Qui vicerit, faciam eum columnam in templo Dei mei*. Alii vertunt: *Deus est Dominus illorum, qui affliguntur super terram*; illorum ultor est, atque defensor.

E ℣. 9. PEDES SANCTORUM SUORUM SERVABIT.] Gradus illorum diriget, illorum consiliis favebit, eorum opera moderabitur, eos ab insidiis arcebit, cavebit, ne prolabantur. Hebraice ad litteram: *custodiet pedes eorum, qui ipsis benefecerint*, eorum, qui misericordia ducuntur, amicorum suorum, piorum hominum.

IMPII IN TENEBRIS CONTICESCENT.] Confusio, ac des-

1 Καὶ μὴ ἐξελθέτω μεγαλορρημοσύνη ἐκ τοῦ στόματος ὑμῶν. 2 יצא עתק מפיכם
3 כי אל דעות יהוה ולא נתכנו עללות 4 Καὶ οὐκ ἔστι παρ' αὐτῷ πρόφασις.
5 Θεὸς γνώσεων κύριος, καὶ Θεὸς ἑτοιμάζων ἐπιτηδεύματα αὐτοῦ. Septuaginta legerunt אל, pro ולא; at S. Hieronymus cum Hebræis & interpretibus legit לו 6 ורעבים חדלו עד עקרה ילדה שבעה
7 Prov. 24. 16. Vide pariter Psal. 118. & Levit. 26. 18. &c. 8 Vide ℣. 21.
9 Οἱ πεινῶντες παρῆκαν γῆν, &c. 10 Vide Origen. homil. unic. in lib. Reg. Auct. Tradit. Hebr. in libb. Reg. Lyran. Tostat. Mendoc. 11 Sanct. Drus. Grot. 12 Psal. 118. 17. 25. 107. & passim 30. 20.
13 Psal. 57. 7. 14 Psal. 29. 4. 39. 3. 15 Psal. 87. 5. 7. & 27. 1.
16 ליהוה מצקי ארץ וישת עליהם תבל

ne desperatio illos cogent, ut silentium ac tenebras malint, fugiendi causa ex oculis inimicorum. Silentium passim pro agendi impotentia usurpatur, atque pro maximo excidio: *taceant, uti lapis* ajebat Moyses Exod. 15. 16. de Ægyptiis disserens, qui præcipites in mare rubrum corruerant. Et Isaias 15. 1. *Quia nocte vastata est Ar, Moab conticuit*. Infernum dicitur locus silentii pallidæ noctis a Virgilio Æneid. 6.

Et Chaos, & Phlegeton loca nocte silentia late.

Et mortuorum manes *animæ silentes* dicuntur ab Ovidio Fastor. 5.

Mox etiam Lemures animas dixere silentes.

Septuaginta in Editionibus Aldi, ac Romana, nec non in Alexandrino Manuscripto, addunt ea, quæ sequuntur: *Dominus infirmabit adversarium: Dominus sanctus, prudentem virum non gloriari in prudentia sua; nec potentem in viribus suis; nec locupletem in suis divitiis, sed illum, qui gloriatur, gloriari, eo quod noverit Dominum, atque justitiam, & judicium exerceat in medio terræ*. Quæ ex Jeremia deprompta videntur 9. 23.

℣. 10. DOMINUM FORMIDABUNT ADVERSARII EJUS.] Hebræus [1]: *Dominus delebit inimicos suos*, illos, qui ipsi adversantur. Septuaginta [2]: *Dominus infirmabit inimicum suum*. Hoc veluti prophetia quædam intelligi potest de clade hostium Domini, Philistinorum, qui tunc Israelitas vexabant, & qui a Samuele deleti fuerunt 1. Reg. 7. 13. Ea quæ sequuntur, ad litteram adversus illos perfecta sunt, *& super ipsos in cælis tonabit*. Vide infra cap. 7. 10. *Intonuit autem Dominus fragore magno in die illa super Philisthiim*. Verum nihil obest, quin locum hunc latiori in sensu intelligamus de ope, quam Deus justis pollicetur. Terror, goem in eorum hostes immittit, tonitruum voce significatur; ita David, eum figurate innuere vellet auxilium, quod a Domino acceperat, ait Psal. 17. 8. 14. *Et intonuit de cælo Dominus, & Altissimus dedit vocem suam . . ., & revelata sunt fundamenta orbis terrarum &c.*

DABIT IMPERIUM REGI SUO, ET SUBLIMABIT CORNU CHRISTI SUI.] illum gloria cumulabit, illi supremam conferet potestatem; vel simplicius; dabit illi imperium, & supremam authoritatem, quæ per cornu sæpius designatur; quemadmodum liquet ex Daniele 7. & 8. cui Deus maxima ostendit imperia in cornuum formam. Chaldæus Paraphrastes, ac notæ melioris Interpretes hæc de Messia, & Regno illius super Ecclesiam explicant. *Dabit virtutem Regi suo* (inquit Jonathan) *& multiplicabit Regnum Messiæ sui*. De David quoque explicantur, qui ex præclaris imaginibus fuit, quæ affabre Jesum Christum referrent. Anna, vel potius Spiritus Sanctus animum advertere poterat ad duo objecta maximopere eximia, Reipublicæ nempe Judæorum immutationem de Aristocratica in Monarchicam, & gloriosum Messiæ Regnum. Zacharias Sancti Joannis Baptistæ pater ad hæc adlusisse videtur, cum ajebat Luc. 1. 69. 70. *Erexit cornu salutis nobis in domo David pueri sui, sicut locutus est per os Sanctorum*.

℣. 12. FILII BELIAL.] Vide, quæ dixerim in ℣. 16. Capitis primi.

NESCIENTES DOMINUM.] Contemnebant eum, contumeliis afficiebant, habebant illum veluti alienigenam, & ignotum Deum; agebant atheorum more, & hominum nequam; noverant quidem procul dubio Dominum; namque erant Sacerdotes illius, ac ipsius legem edocti; verum hæc illorum cognitio sterilis erat, ac hærebat in mente, sed operibus fidei suæ adversabantur; *Confitentur se nosse Deum*, inquit S. Paulus ad Tit. c. 1. 16. loquens de hominibus, qui veritatem oderunt, *factis autem negant, cum sint abominati, & incredibiles, & ad omne opus bonum reprobi*.

℣. 13. NESCIENTES DOMINUM, NEQUE OFFICIUM SACERDOTUM AD POPULUM.] Neque iis supplebant, quæ Domino, neque iis, quæ populo debebant. Dicitur quidpiam ignorari, cum agitur, perinde ac vere ignoraretur. Exempli gratia [3] jubet Moyses, a Judicibus ignorari illos, de quorum rebus illi disceptarent: scilicet nullam ab ipsis personarum, sed causæ tantum, ac meritorum rationem haberi. Hebraico textui tribui potest sensus, qui a Vulgata longe recedat [4]: *Nesciebant illi Dominum* (13.) *Et ecce modum, quo utebantur adversus illos, qui sacrificia oblaturi accedebant; Famulus* seu filius *Sacerdotis veniebat cum fuscinula tridenti* &c. Vel aliter: *Et jus Sacerdotum erga populum id erat*; Hoc erat jus commentitium, vel quod sibi vindicaverant. Huic sententiæ plerique Interpretum suffragantur; sed Vulgatæ versio, quæ negationem ex antecedenti versiculo est mutuata, nequaquam minus est litteralis.

PUER SACERDOTIS.] Famulus, vel filius, vel ipsi Ophni, & Phinees, qui summi Sacerdotis Heli filii vocantur.

℣. 14. IN LEBETEM, VEL IN CALDARIAM, AUT IN OLLAM, SIVE IN CACABUM.] In authographo quoque voces quatuor leguntur [5]. Hæc vasa profecto inter se forma differebant, vel usu, vel materia; verum fieri nequaquam potest, ut exacte illorum discriminen intelligamus. Videtur hinc, Hebræis in more fuisse positum, ut caro pacificarum victimarum elixaretur; quod apud Græcos Heroicis temporibus non obtinuerat, authore Athenæo l. 1. c. 10. *Homerus unquam juris meminit, neque elixatas fuisse carnes, aut cerebrum comestum fuisse ait, sed omnia etiam ipsa exta assa fuisse dicit, qua re nihil antiquius comperimus*. Et Servius in ea Virgilii Æneid. 1. verba (*Littore ahena locant alii*) ait lebetes illos nequaquam paratos fuisse, ut caro excoqueretur, sed ut viri abluerentur; atque addit: *Heroicis enim temporibus carne non vescebantur elixa*. Hesiodus tamen [6] oppositum innuere velle videtur, nam vetat, ne e lebete, ab eo, qui nondum sanctificatus fuerit, caro sumatur.

℣. 15. DA MIHI CARNEM, UT COQUAM SACERDOTI.] Versiculo præcedenti vidimus Sacerdotis impotentiam, qui ex cacabo ea, quæ optabat, vel quæ forte fuscinula arripiebat, sumeret sibi, quin negotium ipsi legis edicta facesserent, quibus cautum erat, ut Sacerdoti humerus, & pectus hostiæ pacificæ tantummodo cederent. In hoc versiculo duplicem adhuc abusum intuemur: primum quidem, Sacerdotes partem suam exegisse, antequam adeps in altari incenderetur, quod ipsum contra legem erat, quæ jubebat, Domino primum, quæ præcepta erant, offerri [7]: alterum vero, ipsos sibi carnem crudam sumpsisse, cum antea cocta solum ipsis tribui consuevisset. Cum Moyses hac de re nihil præceperit, opus est, antiquitus in more fuisse positum, ut excoquerentur ea, quæ Sacerdotibus essent tribuenda, eo fortasse consilio, ut labor illis adimeretur, atque ne illi ab ara distraherentur, ut sibi epulas instruerent. Filii Summi Sacerdotis Heli hanc consuetudinem immutarunt, ut carnem eam sibi pro libidine condirent.

NON ACCIPIAM A TE CARNEM COCTAM, SED CRUDAM.] Hebræus ad litteram [8]: *Non accipiet a te carnem coctam, sed* carnem *vivam*. Dicitur caro viva, æque ac aqua viva, vinum vivum, terra viva, atque etiam [9] *tempus vivum* pro tempore præsenti; Hic

1 יהוה יחם ומריביו עליו
2 Α'σθενῆ ποιήσει ἀντίδικον αὐτοῦ.
3 Deut. 1. 17. לא תכירו פנים במשפט Item Deut. 16. 19.
4 לא ידעו את יהוה ומשפט הכהנים את העם
5 בכיור או בדוד או בקלחת או בפרור
6 Hesiod. oper. & dies ℣. 748.
7 Vide Levit. 7. 28. 25.
8 לא יקח ממך בשר מבשל כי אם חי
9 Sophocles χρόνῳ ζῶντι.

Hic eato viva opponitur carni coctæ, ac mortuæ; Levit. 13. 15. Moyses opponit *carnem vivam*, vel integram carni tabescenti, ac lepra infectæ.

℣. 17. ERAT PECCATUM PUERORUM GRANDE NIMIS.] Hoc maximum est iræ Divinæ supplicium in populum, cum finit Ecclesiæ suæ ministros in flagitia, & scelera proruere. Quemadmodum nihil majus affert Religioni dedecus, quam pravi illorum mores, qui summa cum honestata sanctitatis specimen, ac exemplar præbere deberent, ita Deus in nullos severiori, insigniorique pœna animadvertit. Eorum scelus, qui infirmis, tenuibusqua hominibus scandalum ingerunt, eosque a Domini via detorquent, est sacrilegium, ut Sanctus Bernardus ait serm. 1. de Convers. S. Pauli, quodammodo horribilius Judæorum scelere, qui Dominum crucì affixerunt. *Horrendum penitus sacrilegium, quod & ipsorum videtur excedere facinus, qui Domino majestatis manus sacrilegas injecerunt.*

℣. 18. ACCINCTUS EPHOD LINEO.] Ephod erat quoddam balthei genus, quod a colli summitata descendens lineam tunicam præcingebat, quæ communis erat Sacerdotum, ac Levitarum vestis. Ephod vel baltheus plerumque laneus erat; Sacerdorum vero lineus: at ille, quo Summus Sacerdos utebatur, erat locupletior, ac pretiosior, quemadmodum in Exodo vidimus. Scriptura istic non meminis tunicæ, scilicet vestis illius, qua immediate membra obtegebantur; hanc Ægyptiorum, ac Israelitarum plerique lineam gestabant, non secus ac Samuel. Neque enim opus erat, ut id referretur, quod commune erat, atque non Sacerdotibus solum, & Levitis, verum etiam cuncto populo in more positum. Ephod autem non erat vestis Sacerdotum propria, quandoquidem Samuel, qui Levita erat solum, & David ipse licet laicus illa induebantur 2. Reg. 6. 14. *Porro David erat accinctus Ephod lineo.*

℣. 19. TUNICAM PARVAM FACIEBAT EI MATER SUA.] Hebraica vox [1] *mehil* pallium significat, seu vestem, qua superinduebantur. Mater hæc illi indumenta comparabat, eaque filio deferebat, cum in Silo diebus solemnitatum accederet. Rabbini quidam [2] hoc in loco, puerili sane animadvertione, inquiunt, matrem Samuelis domi suæ palliolum hoc asservasse, quod summopere pretiosum autumant fuisse, illudque solum præcipuarum festivitatum tempore afferre consuevisse, cum filius eo uti debebat; sed postmodum idem secum domum retulisse. Drusius a contra matrem quotannis recentem vestem filio detulisse arbitratur. Verum ad quid? nonne satis erat, ut tunc vestes illa suggereret, cum illis filius indigeret? Nonne hoc in sensu naturaliter potest textus explicari? Hinc liquet parentes filiorum, qui hoc pacto Domino vovebantur, iis vestes comparara debuisse, donec ad eam pervenirent ætatem, qua Tabernaculo deservirent; alioquin ipsorum consecratio, cum in ætate adeo tenera versarentur, oneri fuisset Sacerdotibus, & Tabernaculo.

℣. 20. BENEDIXIT HELI HALCANÆ.] Hoc referendum est ad calcem Cantici Annæ inter ℣. 11. & 12 Post Samuelis oblationem Heli benedixit Elcanæ, & uxori illius, cum domum suam reverterentur.

PRO FOENORE, QUOD COMMODASTI.] Ob oculos habendus est postremus capitis præcedentis versiculus, ut hujus sensus recte intelligatur. Dicebat Anna Summo Sacerdosi: *Dedit mihi Dominus petitionem meam, quam postulavi; idcirco & ego commodavi eum Domino cunctis diebus, quibus fuerit commodatus Domino.* Heli respondet eadem repetens verba: *Reddat tibi Dominus semen de muliere hac pro fœnore, quod commodasti Domino.* Aliam hujus loci protulimus explicationem, quam videre est allato versiculo.

℣. 21. MAGNIFICATUS EST PUER SAMUEL APUD DOMINUM.] Hebræus [3]: *Magnus factus est coram Domino*, auxilio, atque ope Domini; vel proficiebat ætate, ac meritis, divina favente gratia: vel denique se magnum probavit, laudibusque dignum famulatu, quem Domino præstabat.

℣. 22. DORMIEBANT CUM MULIERIBUS, QUÆ OBSERVABANT AD OSTIUM TABERNACULI.] Hebræus [4]: *cum mulieribus, quæ exercitum constituebant ad ostium Tabernaculi.* De mulieribus his, quæ vigilabant, atque excubias agebant ad ostium Tabernaculi, fusius locuti sumus in Exodo 38. 8. cum sermo esset de illis, qui ænea obtulerunt specula; ex quibus vasa fierent, ubi Sacerdotes ablucrentur. Hebræi [5], quibus semper nova quædam detegere e voto contingit, docent, mulieres has illas fuisse, quæ post puerperium ad Tabernaculum accedebant, ut juxta Legem expiarentur; & crimen filiorum Heli non in eo fuisse positum, quod flagitiose cum ipsis concumberent, verum quod eas ad viros earum remitterent ante tempus præfinitum a Moyse, illosque in periculum adducerent, ut ad illas accederent, antequam penitus essent purificatæ.

℣. 23. QUARE FACITIS RES HUJUSCEMODI?] Patres, ac Interpretes uno ore Heli infirmitatem, facilemque indulgentiam damnant. Satin' erat leniter admonere, vel etiam acriter redarguere nequissima Ophni, & Phinees flagiria? & vir ea ætate, honore, authoritate, ac dignitate, qua pollebat Heli, nonne ad asperrima quæque progredi tenebatur, ut filios ab iis criminibus deterreret? Vide Grotium hic, & a Lapide.

℣. 25. SI PECCAVERIT VIR IN VIRUM, PLACARI EI POTEST DEUS. SI AUTEM IN DOMINUM PECCAVERIT VIR, QUIS ORABIT PRO EO?] Omnia quidem peccata Dei justitiam, sanctitatem, veritatemque lædunt: verum quædam directe magis Deum ipsum impetunt, ac magis contumeliose lacessunt, quorumidcirco non adeo facile est veniam mereri. Hujusmodi vero ea sunt, quæ adversus Dei cultum, ac Religionis exercitium patrantur; neque enim fieri potest, ut in gratiam redeat, qui ea contemnit, conteritque remedia, quibus eam sibi posset conciliare. Peccata vero, quæ homines adversus proximum perpetrant, facilius veniam mereri possunt, eo quod indirecte quodammodo respiciunt Deum, & quod infinita bonitas Dei eas nos rationes edocuit, quibus alii pro aliis mutuis precibus iram illius possemus lenire, ac veniam consequi; immo jubemur pro fratribus mutuo vota nuncupare, ac preces effundere, & ille alternis precibus, quas charitatis flamma succendit, veniam tribuere non abnuit. Homo homini læso paria facere potest; eorum conditionis æqualitas efficit, ut facilius ultro, citroque in gratiam redeant; ac Deus facile potest allici, ut criminum veniam largiatur, cum pro injuria illata fratri gratiam rependimus. Possumus quoque ad Sacrorum ministrorum preces confugere, qui opem ferre possunt, ut cum Deo revertamur in gratiam. Verum si immediate Deum ipsum contumeliis lacessimus, si nomen ipsius polluimus, mysteria fœdamus, Religionem, & sacra negligimus, quis eam subire volet provinciam, ut nos cum ipso conciliet? quos patronos adhibebimus, ut illius justitiam flectamus? Infinitum discrimen, quod interest inter Deum, & hominem, obicem prabet, qui superari non posse videretur, ut iterum Domini benevolentiam acquireremus, nisi divinus mediator esset Jesus Christus, qui murum separationis confringit, & qui meritis suis, ac gratia possibile reddit id, quod solius hominis viribus nequit evinci.

Alius quoque sensus hebraico textui tribui potest [6]: *Si peccaverit vir in virum, Dominus judicabit:*

---

1 ומעיל קטן תעשה לו אמו. 70. ἐπενδύτην. Sym. ἐφεστρίδα. Th. ἐπενδύτην μικρόν. 2 Rab. D. Kimchi. 3 וגדל עם יהוה. 4 את הנשים הצבאות פתח אהל מועד. 5 Rabbin. & Author. Tradit. Hebr. in Reg. Rupert. Angelom. Hugo &c.

6 אם יחטא איש לאיש ופללו אלהים ואם ליהוה יחטא איש מי יתפלל לו

bii : *Si autem in Dominum peccaverit vir , quis judicabit illum ?* Chaldæus Paraphrastes hoc in sensu intellexit : Si duo viri jurgantur invicem, ad judicem ibunt, qui illorum audiet rationes , & de illorum causa disceptabit : verum si vir læserit Deum , quinam illi veniam impetrabit ? Vatablus: Si vir virum lacessiverit , uterque coram Judice agent causam : verum si homo Deum offenderit , quis causam illius tuebitur , vel quis pro eo perorabit ? Hunc sensum complures eruditi Interpretes sequuntur . Hebraica vox *Elohim* judices aliquando significat .

ET NON AUDIERUNT VOCEM PATRIS SUI , QUIA VOLUIT DOMINUS OCCIDERE EOS .] Deus illos sibimet ipsis dereliquit ; non tribuit illis gratiam suam triumphatricem , quæ cordis illorum duritiem vicisset , nam sceleribus suis ea se indignos præbuerant ; scelerum suorum mensuram jamdudum compleverant . Deus in ipsis severitatis suæ specimen præbere voluit , ac justitiæ suæ exemplum tribuere . Non vult Deus peccatoris mortem Ezech. 18. 23. *Non est voluntatis meæ mors impii* ; verum peccator nequitia sua mortem meretur , *& secundum duritiem suam , & impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ* Roman. 2. 5. & Jacobi 5. 3.

At effugiendi ergo locutionem hanc , quæ nos confestim percellit , hac in propositione , ubi videtur Deus auxilium suum iniquis abnuere , ut eos perdat. Hebraicus textus verti potest hoc pacto [1] : *Et non audierunt vocem patris sui , quapropter voluit Dominus occidere eos* [2] . Plures adnotantur loci , ubi particula *Ki* , quapropter significat : Exempli gratia[3] : *Dimissa sunt ei peccata multa , quapropter diligit multum* ; & in Osea 4 : *Omnes nequitiæ eorum in Galgal , quapropter ibi exosos habui eos* . Sebastianus Schmid locum , qui præ manibus est , ita reddi mallet : *Non audierunt vocem Patris sui* , qui eos admonebat , *Deum ipsos morte esse mulctaturum* ; vel qui illis Dei iram minabatur . Nihil est in his explicationibus quod probari non possit , quin ideam divinæ justitiæ , & bonitatis offendamus .

℣. 27. VENIT VIR DEI AD HELI .] Quinam erat hic vir Dei ? hoc Scriptura præterit , nec , nisi per conjecturas nobis licet agnoscere . Asserunt quidam fuisse Phinees , sed jam diem multo ante obiisse debuerat . Alii Elcanam Samuelis patrem fuisse putant , qui numquam , quod sciamus , prophetavit . Non desunt , qui credant , Dei Angelum fuisse e cœlo missum : alii Samuelem ipsum ad Heli venisse arbitrantur : verum hæc silentio præterire satius est . Solum asserimus hunc prophetam quidem fuisse , sed quem minime novimus , non secus ac illos , de quibus sermo est in libro Judicum 2. 1. & 6. 8.

NUMQUID NON APERTE REVELATUS SUM DOMUI PATRIS TUI , CUM ESSENT IN ÆGYPTO ?] Ita Deus exprobrat Heli ; nonne prodidi arcana mea Aaroni Principi generis sui , eum in Ægypto una cum ceteris Israelitis durissimo servitutis jugo a Pharaone opprimeretur ? Nonne detexi illi consilium meum populi mei liberandi ? nonne & illum in tanti momenti , atque dignitatis provinciæ partem vocavi ?

℣. 28. UT PORTARET EPHOD .] Sermo hic est de Summi Sacerdotis Ephod , quod forma , & materia , ab Ephod , quo vulgo utebantur , & quod Laici quoque gestabant , diversum erat .

DEDI OMNIA DE SACRIFICIIS .] Hebraica vox [5] id omne significat , quod igne absumitur in honorem Domini , tum sacrificia cruenta , cum oblationes frugum , liquorum , farinæ ; Sacerdotes ex omnibus id genus oblationibus quæstum hauriebant ; illis earum pars tribuebatur , quemadmodum in Levitico vidimus .

℣. 29. QUARE CALCE ABJECISTIS ?] Quare pedibus conculcastis , vel potius , quare adversus oblationes meas recalcitrastis ? velut bos nimia pinguedine obesus , qui calcibus obterit , ac respuit pabulum : *Incrassatus est dilectus , & recalcitravit* , Moyses inquit de Israelitis . Reor autem prima verba hebraici textus : *Quare calce abjecistis victimas meas* , addenda esse versiculi ejusdem verbis , *ut comederetis primitias omnis sacrificii*; vel juxta hebraicam lectionem , *ut vos saginaretmini* , vel postquam saginati effecti iis , *quæ optima forent in omnibus oblationibus Israel populi mei* . Vos impotenter , ac superbe illos excepistis , qui oblationes , & sacrificia Domino offerebant , postquam hisce oblationibus nimium saginati fuistis .

Alius quoque sensus huic loco tribui potest [6] : *Quare calce abjecisti illos , qui offerebant victimas Tabernaculo meo ? quare me posthabes filiis tuis , meis primitiis , ac oblationibus vosmet saginando ?* vel ut vos oblationibus meis saginari adhuc possitis ? Mavis , sacrificia mea , & oblationes pollui , quam filios tuos a sacro munere , quo palam abutuntur , arcere , idque ne iis fraudentur quæstubus , quibus saginamini . Septuaginta [7] : *Cur impudenti oculo respexisti oblationes meas , & meum sacrificium , & glorificasti filios tuos plusquam me , benedicens primitias universi Israel ?*

℣. 30. LOQUENS LOCUTUS SUM , UT DOMUS TUA . . . . MINISTRARET IN CONSPECTU MEO , USQUE IN SEMPITERNUM .] Deus promiserat Sacerdotium familiæ Aaronis in omne ævum , absolute , ita ut revocari non posset [8] , & perfecte hac in re promissi fidem præstitit . Promiserat quoque Sacerdotium sempiternum familiæ Eleazari propter zelum Phinees [9] ; attamen Summi Sacerdotii dignitas de Eleazari familia in familiam Ithamar fratris sui , ea qua erat Heli , migraverat . Scriptura translationis hujus neque causas memorat , neque tempus ; multo minus promissionem , vel consilium Dei , quo ut istic decesse dicitur , Sacerdotium in familia Heli statuerat perpetua : Denique nullum dubium est , quin hæ promissiones pro familia Ithamar fuerint conditionales : neque desunt , qui putent [10] , Deum hac in re numquam mentem suam prodidisse , & retenuisse consilium , id Heli , vel aliis aperte significando ; sed cum permisisset , ut Summum Sacerdotium in Heli domum transferretur , hoc pignoris , ac promissionis genus fuit ex parte Dei , fore ut ea dignitas in hac familia permaneret , nisi & Heli indulgentia sua , & filii ipsius sceleribus suis se probassent indignos . Verum communis opinio est , Deum explicite voluntatem suam detexisse quoad Heli , quam in sententiam , ea quæ sequuntur , nos cogunt .

Ecce autem Pontificum series ab Aarone deducta , Aaron , Eleazar , Phinees , Abisue , Bocci , Ozi [11] omnes ex familia Eleazari ; post Ozi Sacerdotium transiit in familiam Ithamar , atque eo Heli fuit insignitus , cujus cum duo majores natu filii Ophni , & Phinees eadem die cecidissent , illi tertius filius Achi-

1 Vide Sanctium Mendoz. Glass. Grammat. Nold. Concord. particul. Hebr.
2 כי חפץ יהוה להמיתם. 3 Luc. 7. 47. *Quia dilexit multum.* 4 Osee 9. 15. Vide & Genes. 22. 17. & 29. 32. & Psalm. 116. 10. & Jerem. 29. 16. & Joan. Cleric. hic. 4 Ita Hebræi.
5 כל עשי בני ישראל. 6 למה תבעטו בזבחי ובמנחתי. Vide Vatabl. 7 Ἵνα τί ἐπέβλεψας ἐπὶ τὸ θυμίαμά μου καὶ ἐπὶ τὴν θυσίαν μου ἀναιδεῖ ὀφθαλμῷ, καὶ ἐδόξασας τοὺς υἱούς σου ὑπὲρ ἐμὲ, ἐνευλογεῖσθαι ἀπαρχὴν πάσης θυσίας Ἰσραήλ. Legerunt הבריר pro הבריאכם. 8 Exod. 40. 15. Levit. 21. 17. Num. 3. 10. 25. 13.
9 Num. 25. 13. *Ecce do ei pacem fœderis mei , & erit tam ipsi , quam semini ejus , pactum Sacerdotii sempiternum.* 10 Vide Vatab. Tostat. Grot. Est.
11 1. Par. 6. 3. 4. 5. & Joseph. Antiq. lib. 5. c. ult.

Achirob successit, deinde Achias, Achimelech, Abiathar, qui ultimus fuit Summus Sacerdos ex Heli familia. Post Abiathar successit Sadoc e progenie Eleazari, cum Salomon imperaret. Vide nostram Dissertationem de successione Summorum Pontificum apud Hebræos.

Complures proponontur conjecturæ de ratione, qua Heli Summum Sacerdotium est assecutus. Quidam [1] ajunt, illud sibi ipsum privata authoritate vindicasse; alii [2] ad eum delatum fuisse propter negligentiam, vel scelera Sacerdotum ex Eleazari familia; Bertramus [3] arbitratur, cum Deus designasset Heli Judicem Israel, omnes censuisse illi supremam sacrorum potestatem esse deferendam tumultus, & turbæ tempore, cum nullus adesset, qui melius huic provinciæ præficeretur. Verum integrumne erat populo, pro libidine dignitatem hanc ex altera in alteram transferre familiam, cum hoc unice ad Deum spectaret, qui solemniter adeo soli familiæ Eleazari decus illud spoponderat [4]? Opus erat dubio procul, ut Deus explicite mentem suam pro Heli testaretur, vel ut qui tunc ex familia Eleazari superessent, per ætatem, vel aliud quidpiam hoc munere fungi non possent; quæ postrema ratio nondum satis erat, ut illos a Sacerdotio in æternum deturbaret, atque ut illud in Heli familiam, pro ipso, filiisque ipsius traduceretur. Duo igitur hæc fateri debemus, quæ istic obiter innuit Scriptura; primum quidem de explicito mandato Dei electum fuisse Heli, ut ad Summi Sacerdotis fastigium eveheretur; alterum vero Deum illi hanc dignitatem contulisse pro ipso, ac posteria ipsius, qui sane hanc possedissent, nisi a Domini lege defecissent.

℣. 31. PRÆCIDAM BRACHIUM TUUM, ET BRACHIUM DOMUS PATRIS TUI.] Perdam filios tuos [5], qui sunt veluti brachia tua; & tempus erit, cum delebo posteros tuos [6], qui sunt velut brachia familiæ patris tui, cujus sunt robur, ac vires; saltem adimam illis omnes Sacerdotii prærogativas, quas a nativitate indipiscuntur: quod illis erit velut mors civilis, atque omnium calamitatum maxima. Alii pro *brachio* intelligunt Arcam Domini, robur, & gloriam Domus Heli.

UT NON SIT SENEX IN DOMO TUA.] Ophni, & Phinees juvenes adhuc morte abrepti fuerunt. Achitob, & Achias non diu vixere, nam Saulis [7] tempore sex, & quinquaginta circiter post annos Achimelech Summus erat Sacerdos; atque quatuor & quinquaginta annis post sub initium regni Salomonis, Abiathar successor Achimelech de suprema Sacerdotis dignitate dejectus fuit. Alii [8] intelligunt senem virtute, dignitate præstantem, sapientem, Senatorem. Nemo nescit Senis, vel Senioris nomen passim nomen esse dignitatis.

℣. 32. VIDEBIS ÆMULUM TUUM IN TEMPLO.] Videbis æmulum tuum ad illum honoris apicem evectum, unde excideris. Eleazari familia eam iterum assequetur dignitatem, qua tu illam exuisti, ut ea tu præfulgeres. Heli mutationem hanc oculis suis videre non potuit; contigit enim pluribus annis post ipsius interitum; verum hanc in filiorum persona est intuitus. Hebraicus textus ita reddi potest [9]: *Et videbis oppressionem domus Dei inter bona, quibus Dominus cumulabit Israel.* Malum omne decidet super te, & super domum Domini, quam filii tui profanarunt; loquitur de Arcæ captivitate, deque Ophni, & Phinees interitu, cum permiserit Deus, ut Arcæ captivitas Philistæis in opprobrium cederet, Israelitis vero in utilitatem [10]. Alii hoc pacto vertunt. *Videbis calamitatem domus Dei pro bonis*, quibus Dominus *eam cumulasset*, nisi vestra scelera iram illius promeruissent. Chaldæus alio in sensu intelligit: Videbis malum, quod decidet super virum e familia tua in pœnam scelerum, quæ adversus Sanctuarium meum perpetravit: deinde vero omnibus bonis Israel replebo. Symmachus [11]: *Et videbis afflictionem domus, in omnibus bonis, quæ Israeli contingent.* Septuaginta hoc non reddidere. Symmachus intelligi nequit. *Videbis vim Maon in omnibus bonis, quæ faciet Israeli* [12]. Vulgatæ sensus præ cæteris procul dubio maxime commodus est, & perspicuus.

℣. 33. NON AUFERAM PENITUS VIRUM EX TE AB ALTARI MEO.] Progenies Heli Summum Sacerdotium obtinuit usque ad Salomonis imperium: & tunc etiam, cum hæc dignitas in alteram migravit familiam, Deus Heli familiam servavit, non eo consilio tamen, ut feliciorem efficeret, sed ut secundas inimicorum suorum res intuita magis puniretur, atque ut se contemptui haberi, ac destitui intelligens majori cura angeretur. Hæc ostendunt altitudinem judiciorum Dei, ac Iustitiæ ipsius magnitudinem, quæ ad remotas usque generationes extenditur, & quæ peccatoribus supplicium tum in vita, cum in morte constituit, tum in propriis ipsorum calamitatibus, cum in rebus prosperis inimicorum suorum: *Non perit, ut possit sæpe perire.*

MORIETUR, CUM AD VIRILEM ÆTATEM VENERIT.] Hebraice [13]: *morientur viri* in ipso ætatis flore, non pueri, neque senes. Aliter: *Omnis domus tua multitudo, omnes homines morientur.* Septuaginta [14]: *quidquid excellens erit domi tuæ hominum gladio peribit.*

℣. 34. IN DIE UNO MORIENTUR AMBO.] In fatali prœlio, in quo Israel in fugam actus fuit a Philistiim, & in quo Arca Domini capta fuit [15].

℣. 35. SUSCITABO MIHI SACERDOTEM FIDELEM.] Sacerdos hic est Sadoc. Nomen [16] *fidelis* non semper illum significat, qui fidem servat, qui in Deum credit, in quo confidit, qui veritatem, ac rectitudinem amat; sæpius enim constantem rem significat, quæ perseverat, & numquam deficit; ita aquæ, quæ perenniter fluunt [17] *fideles* dicuntur, atque inferius paullo *fidelis domus* vocatur, quæ diu persistet; ita pariter *Sacerdos fidelis* illum simpliciter significabit, qui Pontificis dignitatem ipse, ac posteri ipsius obtinebunt. Sacerdos hic fidelis prophetico modo Sacerdotium Christianum præsignabat, quemadmodum ex consequentibus innotescet.

AMBULABIT CORAM CHRISTO MEO CUNCTIS DIEBUS.] Sadoc Sacerdotali munere functus est coram Salomone, qui unctus erat, & Rex a Domino constitutus. In alio vero sublimiori sensu: Christianæ Ecclesiæ Sacerdotes semper coram Christo ambulare debent, munus suum exercere, quemadmodum Deo dignum est, atque dignitati, qua insigniti sunt, congruum; quippe qui æterno ejusdem Iesu Christi Sacerdotio funguntur.

℣. 36. VENIAT, UT ORETUR PRO EO, ET OFFERAT NUMMUM ARGENTEUM, ET TORTAM PANIS.] In ordinem cæterorum Israelitarum coactus, utque de Sacerdotali honore dejectus afferet oblationes suas, rogabitque Sacerdotem, ut oret pro eo; atque

---

1 Lodovic. Capell. Chronol. Sacræ, p. 281. 2 Constant. Imper. In Not. ad l. Bertram. de Rep. Heb.
3 Bert. de Repub. Heb. c. 25. 4 Num. 25. 13. 5 1. Reg. 4. 6 1. Reg. 22. 16.
7 Vide 2. Reg. 22. 9. 10. 8 Menoch. Grot. Drus.
9 והבטת צר מעון בכל אשר ייטיב את ישראל. 10 Vide Grot. Jun. Tremell. Pisc.
11 *Καὶ ὄψει θλίψιν κατοικητηρίου ἐν πᾶσιν οἷς ἀγαθυνθήσεται τῷ Ἰσραήλ.*
12 *Καὶ ὄψει ἐκθλιμμὸν τὸ κατοικητήριον Μαὼν, ἐν πᾶσιν οἷς ἀγαθυνεῖ τὸν Ἰσραήλ.*
13 כל מרבית ביתך ימותו אנשים. 14 *Πᾶς ὁ περισσεύων τοῦ οἴκου σου πεσοῦνται ἐν ῥομφαίᾳ ἀνδρῶν.*
15 1. Reg. 4. 2. 16 כהן נאמן. 17 Isai. 33. 16. Vide etiam Isai. 1. 21. 17. 17. *Plantationem fidelem*, 21. 25. *In loco fideli*, 55. 3. *Misericordias David fideles*, &c.

atqoe scelerum ipsius expiatiooem deprecetur ; neque offeret bovem, vitulum, aut ovem, sed panem non secus ac pauperes, vel obolum, quem mittet in gazophylacium, quemadmodum vidua in Evangelio [1]. Hebraicus textus verti hoc pacto potest [2] : *prosternet se ante Sacerdotem pro argento, vel pro pane*. Humillime alios Sacerdotes flagitabit, ut sibi liceat ipsorum numero admitti, sacrisque muneribus fungi, ut lucellum capere possit, vel argentei nummi, vel frusti panis : qui sensus ab iis, quæ consequuntur, probe confirmatur. Hebraica vox *Agorat*, quam S. Hieronymus *argenteum nummum*, & Septuaginta *obolum* reddidere, idem plane significat ac *Gerah*, quæ minima est Judæorum moneta, fuitque vigesima pars sicli, & duobus bajochis æquivalet. Desumi quoque potest in generico sensu pro diurno artificis, vel mer- B cenarii stipendio [3]. *Agar* Chaldaice, Syriace, & Arabice, locare significat, & conducere. Hinc plane Græca vox extitit *agorazo* emere.

Tortam panis.] Vide Exodum cap. 26. 23. Hebraice [4] *frustum panis*. Septuaginta panem simpliciter.

Dimitte me ad unam partem Sacerdotalem, ut comedam buccellam panis.] Liquet Sacerdotes in plures classes divisos fuisse : David eos in vigintiquatuor ordines distinxerat, qui alternis vicibus alii aliis succedebant [5] : quibus in Templo Levitæ famulabantur, ipsi quoqoe in varias classes sepositi. Juxta genericum hoc statutum posteris Heli locus de-

A esse non poterat in ea classe, quæ ipsius familiæ assignata fuerat ; atque ideo e communibus reditibus ipsis quoque pars erat cessura ; verum Deus arcano suæ Providentiæ consilio, permittere debebat, ut qui in aliquam Sacerdotum classem adnumerari, ac Sacerdotum templo inservientium albo vellet adscribi, teneretur se se subjicere Summis Sacerdotibus e progenie Eleazari, qui pro Heli posteris supremum Pontificatus apicem obtinuerant : Seu hoc generale, & commune institutum esset, ut nemo nisi de Summi Sacerdotis facultate sacris operarentur, sive posteri Abiathar, cum Regi essent invisi, atque Summi Sacerdotii munere nudati, ad simplicem Levitarum conditionem redacti fuerint, vel in eorum Sacerdotum ordioem coacti, de quibus in Regum libris B est sermo [6], qui in excelsis immolaverant, atqoe sacro ministerio privati, jussi fuerant *comedere tantum azyma in medio fratrum suorum*; hoc est in escam accipere tantum oblationes panis, ac placentarum sine fermento, quæ offerebantur in Templo ; vel potius absolute exauthorati veluti illi, de quibus Ezechiel [7] loquitur ; qui cum Idolis immolassent, omnino ab Altari, atque Templo divulsi fuerunt, atque coacti ad inserviendum Templo pro janitoribus, ut perennem ex iniquitatibus suis collectam ignominiæ notam deferrent. Verum illud, de quo Ezechiel loquitur post Babylonicam captivitatem tantummodo contigit.

---

1 Marc. 12. 42. Luc. 21. 2.   2 יבוא להשתחוות לו לאגורת כסף וככר לחם.
3 אגר Chald. [illegible].   4 ככר לחם. 70. Ἐν ἄρτῳ ἑνί.   5 I. Par. 24.
6 4. Regum. 23. 9.   7 Ezech. 44. 10. *Levitæ qui longe recesserunt a me . . . & erraverunt a me post idola sua . . . erunt in Sanctuario meo æditui & janitores, &c.*

CAPUT III.

Deus incipit communicare Samueli donum Prophetiæ, cui significat, quidquid adversus Heli, & familiam illius ipse decreverat. Heli submissio. Samuel ab universo Israel Propheta agnoscitur.

1. PUer autem Samuel ministrabat Domino coram Heli, & sermo Domini erat pretiosus in diebus illis, non erat visio manifesta. 2 Factum est ergo in die quadam, Heli jacebat in loco suo, & oculi ejus caligaverunt, nec poterat videre.
3 Lucerna Dei antequam extingueretur, Samuel dormiebat in templo Domini, ubi erat Arca Dei. 4 Et vocavit Dominus Samuel : Qui respondens, ait ; Ecce ego. 5 Et cucurrit ad Heli, & dixit ; Ecce ego ; vocasti enim me. Qui dixit : non vocavi : revertere, & dormi. Et abiit, & dormivit. 6 Et adjecit Dominus rursum vocare Samuelem. Consurgensque Samuel; abiit ad Heli, & dixit : Ecce ego : quia vocasti me. Qui respondit : Non vocavi te, fili mi : revertere, & dormi. 7 Porro Samuel necdum sciebat Dominum, neque revelatus fuerat ei sermo Domini. 8 Et adjecit Dominus, & vocavit adbuc Samuelem tertio. Qui consurgens abiit ad Heli, 9 Et ait : Ecce ego : quia vocasti me. Intellexit ergo Heli, quia Dominus vocaret puerum : & ait ad Samuelem : Vade, & dormi : & si deinceps vocaverit te, dices : Loquere, Domine, quia audit servus tuus. Abiit ergo Samuel, & dormivit in loco suo. 10 Et venit Dominus, & stetit : & vocavit, sicut vocaverat secundo, Samuel, Samuel. Et ait Samuel : Loquere, Domine, quia audit servus tuus. 11 Et dixit Dominus ad Samuelem : Ecce ego facio verbum in Israel : quod quicunque audierit, tinnient ambæ aures ejus. 12 In die illa suscitabo adversum Heli omnia, quæ locutus sum super domum ejus ; incipiam, & complebo. 13 Prædixi enim ei, quod judicaturus essem domum ejus in æternum propter iniquitatem, eo quod noverat indigne agere filios suos, & non

denotarent : iis enim signis actu aliquid divinitus sibi inspirari intelligebant : quapropter non injuria se Deo afflatos esse jactabant, & populus non temere illis fidem habebat, qui se cœlesti numine percitos esse gloriabantur : verum prius agnoscendi erant, veluti Samuel *fidelis propheta Domini*, ex cujus *omnibus verbis non cecidit in terram*, scilicet, omnia adimpleta fuerunt.

℣. 10. SICUT VOCAVERAT SECUNDO, SAMUEL, SAMUEL.] Textum hunc, si ad litteram explicueris, *vocaverat secundo*, videretur, Samuel tunc secundo fuisse vocatus, quamvis ter antea vocatus fuisset ; sed ea vox secundo consequentibus est addenda, ut sensus sit, vocaverat bis Samuel Samuel : vel Hebraico textui est adhærendum, ubi habemus [1] : *vocavit eum, quemadmodum superioribus vicibus*. Septuaginta, *quemadmodum semel, & iterum* [2].

℣. 11. QUICUMQUE AUDIERIT, TINNIENT AMBÆ AURES EJUS.] Adagiali hac locutione non semel utitur Scriptura [3], ut aliquid afferat, quod stuporem, ac terrorem immissurum est, atque illorum, qui audierint, aures perculsurum : quemadmodum tonitru cum fulgore permixtum, quod in hominum corda, animosque formidinem ingerit. Latina vox *attonitus*, & gallica *etonné* idem prope significant, quod hic innuitur ; id est hominem obstupefactum, tonitruque perterritum.

℣. 12. OMNIA, QUÆ LOCUTUS SUM SUPER DOMUM EJUS.] Alludit ad minas, quas illi intentaverat per virum illum Dei, cujus sermonem supra perspeximus [4].

INCIPIAM, ET COMPLEBO.] Incipiam, neque desistam, nisi prius complevero. Non enim hæ inanes minæ sunt, ac terriculamenta ; verum eas exequi incipiam. Nonnulli hebraicum textum reddunt [5] : *perficiam, & complebo*. Chaldaicus Paraphrastes : *exequar, & complebo*, ad finem perducam [6].

℣. 13. QUOD JUDICATURUS ESSEM DOMUM EJUS.] Vel potius quod ultionem sumpturus essem de domo illius. Judicare, & judicium sæpius pro condemnare, ulcisci, punire, usurpantur.

NOVERAT INDIGNE AGERE FILIOS SUOS, ET NON CORRIPUERIT EOS.] Vel potius, non animadverterit in eos ; nam scimus, ab ipso correptos fuisse, at leniter *nimis*, ac blande : neque enim satis est admonere, & redarguere illi, qui aliis præest : at severe animadvertere debet in scelestos, cujusmodi hi erant improbi Sacerdotes. Scriptura quidem in textu *corripiendi* utitur verbo, verum hæc est figura sermonis illi persimilis, qua aliquid infectum esse dicitur, quod perperam factum est ; legatos nequaquam admissos, cum inofficiose fuerint excepti. En autem Hebraicus textus ad litteram [7] : *Sciens filios suos sibi contemptum promereri, torvam faciem eis non ostendit*. Non succensuit illis, nec satis se criminibus ipsorum affici, testatus est. Alii vertunt : *Sciens Israelitas maledicere filiis suis*, non satis commotus fuit. Septuaginta [8] : *Noverat filios suos maledicere*, vel contemnere Deum, *neque eos corripuit*. Chaldæus : *Noverat, quod filii sui irritarent* (Deum) *adversum se, atque non satis indignationem suam depromsit*. Hebraica vox, quam Septuaginta, & Vulgata reddiderunt *corripuit*, dicitur de senum oculis, qui infirmantur, ac quadam caligine offunduntur. Iob ea utitur, ut ostendat, oculos suos *ob indignatione caligasse* [9]. Ita fortasse possemus hunc locum interpretari : cum cognovisset eorum flagitia, non protulit indignationem suam, æque ac par erat, eos veluti cum horrore intuens, vel etiam oculos detorquens, veluti a re quam abominaretur ; sed e contra hæc omnia ob oculos illius, & coram ipso transacta fuere.

℣. 14. JURAVI, QUOD NON EXPIETUR INIQUITAS DOMUS EJUS VICTIMIS, ET MUNERIBUS, USQUE IN ÆTERNUM.] Nullibi legimus Deum hoc explicite jurasse ; verum legimus [10] consilium eos perdendi cepisse propter illorum pervicaciam, & quod parentis monita audire nollent. Heli quoque una cum tota familia periit ; quamquam nihil aliud illi vitio vertatur, quam quod in filios haud animadverterit. At Ophni, ac Phinees flagitia numquid inexpiabilia fuerunt, cum dicat Deus, ea nullis unquam victimis, & muneribus posse expiari ? Respondemus [11] etiamen istic uti alibi passim [12] in libris Sanctis pro supplicio usurpari. Deus decreverat persequi scandalum, quod domus Heli præbuerat, atque ultionis suæ exemplum prodere : interius quidem impiorum horum Sacerdotum scelus nequissimum erat ; verum si a pravis recessissent viis, si pœnitentiam egissent, atque pervicaciam suam deseruissent, illis pepercisset Deus, qui passim in Scripturis testatur, se nolle excidium nostrum, atque se paratum esse ad nos excipiendos quoties ex animo ad ipsum revertamur. Deus, qui cordis ima scrutatur, noverat improba iniquorum consilia ; sciebat illorum malitiam jam ad summum evasisse, quapropter quid futurum sit, edocet ; verum oppositum quoque fieri potuisse, non negat.

Quod vero veteris legis sacrificiis tribui hic videtur peccata remittendi facultas, id ita intelligendum est, dummodo illis cor contritum, & humiliatum accederet, perfecta charitas, ac dolor scelerum patratorum magnitudini congruus. Horum vero sacrificiorum major adhuc potestas erat pro sensibilium, ac temporalium remissione pœnarum, quæ consequuntur flagitia ; verum cum pietatis, ac Religionis spiritu erant offerenda, ut illis virtus accederet. Qui autem hujusmodi sensus inveniri poterant in hominibus nequam, quales nobis exhibentur Ophni, & Phinees ?

℣. 15. DORMIVIT.] Vel potius, rursus discubuit [13], ut dormiret, in cubili remansit ; nam quomodo in utramque aurem dormire poterat, cum funesta adeo intellexisset [14] ?

APERUIT OSTIA DOMUS.] Quinam est hic, qui aperit, & quænam ostia ? Atrium in deserto, ac temporibus Moysis peristromatis solum clausum erat ; sed hoc probabiliter muris circumseptum fuit, ac januis obsignatum, simol ac in stata sede fuit positum. Nihil obstat, quin Samuel hæc ostia aperiat. Intelligi quoque potest de Templo proprie dicto, de Sancto, quod Moysis ævo ab atrio una tantummodo erat cortina sejunctum ; sed quod tunc solidis foribus forte claudebatur. Has autem claves Heli, ut credibile est, asservabat ; si tamen verum est, tunc temporis claves adhiberi consuevisse, ut januæ intrinsecus aperirentur. At eas tunc aperire Samueli fuisse fas, omni veritatis specie caret ; hoc enim vel ipsi Summo Sacerdoti, vel ei, qui per hebdomadarum vices Templo inserviret tantummodo licuisset.

℣. 17. HÆC FACIAT TIBI DEUS, ET HÆC ADDAT, SI ABSCONDERIS A ME SERMONEM.] Scriptura non exprimit voces eas, quibus Heli Samuelem est obtestatus, ut sibi ea, quæ Dominus prodiderat, retegeret. Sæpe enim simili utitur reticentia, cum grave aliquid, atque odiosum est afferendum. Te Deus

1 ויקרא כפעם בפעם שמואל שמואל. 2 Ὡς ἅπαξ καὶ ἅπαξ.
3 Vide 4. Reg. 21. 12. & Jerem. 19. 3. 4 Cap. 2. ℣. 27. & seq.
5 החל וכלה. 6 Prov. 19. 29. & 2. Par. 20. 9. & Joan. 3. 18. & 16. 2. & 1. Cor. 12. 29. & Heb. 13. 4. & passim. 7 אשר ידע כי מקללים להם בניו ולא כהה בם.
8 Εἰδὼς ὅτι κακολογοῦντες θεὸν υἱοὶ αὐτοῦ, καὶ οὐκ ἐνουθέτει αὐτούς. Chaldæus מקללים לאלהים. Alius *καταρώμενοι*, *maledicentes*. 9 Job 17. 7. *Caligavit oculus meus*. Heb. ותכה מכעש עיני. Aq. Th. hic : Οὐκ ἠμαύρωσεν αὐτοῖς *Non obscuravit in eis*. 10 1. Reg. 2. 25. 11 Mendoc. Est. alii.
12 Vide Genes. 13. 16. Levit. 24. 15. Psalm. 7. 15. Zach. 14. 19. Mal. 2. 16.
13 בשכב. 70. Κοιμᾶται. 14 Menoch. Sanct. Mend.

hoc supplicio puniat, & alia hac pœna in te animadvertat, si me fefelleris. Ethnici quoque hoc plerumque præcavebant, ne quod infaustum esset, ac ominosum memorarent. Non desunt [1], qui putent in imprecationibus, vel execrationibus non alias, quam quæ hic leguntur, voces proferri consuevisse, verum fidei pronius est, tunc vere ea prolata fuisse, quæ referre, Scriptura oportere non existimavit [2].

℣. 18. DOMINUS EST; QUOD BONUM EST IN OCULIS SUIS FACIAT.] Hæc verba in duplicem sensum possunt detorqueri. Nonnulli Patres explicant [3], perinde ac Heli per animi sui imbecillitatem, quæ perpetuus fuit hominis illius character, diceret: Deus, quidquid voluerit, facere potest, Dominus est enim; at ego impellir nequeo, ut ulterius exprobrem filios meos. Hæc falsa est humilitas, Sanctus Gregorius ait, quæ talia suggerit verba. Si vere humilis fuisset, omnes intendisset nervos, ut ea, quæ patrarat mala, repararet: sed *potius elegit minarum Dei causas incurrere, quam de perpetratis iniquitatibus filios condemnare*. Verum Patrum plerique [4], ac Interpretum in æquiori explicant sensu; Heli vera ductus pœnitentia ob sui, filiorumque suorum criminis magnitudinem, humiliter Judicis sui sententiæ se se submittit, ac animæ salutem meretur, dum insignis adeo ultio Domini in ipsius corpus, & familiam desævit.

℣. 19. ET NON CECIDIT EX OMNIBUS VERBIS EJUS IN TERRAM.] Hoc est effectu omnia comprobata fuere: Nulla ex prædictionibus illius fallax inventa est. Intelligi quoque potest de Deo: *quidquid prædixeras Deus, contigit*. Hactenus Samuel nihil dixerat. Hebraice ad litteram [5]: *nec passus est ullum e verbis suis in terram cadere*.

℣. 20. A DAN USQUE BERSABEE.] Ab extremitate Septentrionali, ubi erat Dan, ad Meridionalem, ubi erat Bersabee, in omni longitudine regionis Chanaan.

A QUOD FIDELIS SAMUEL PROPHETA ESSET DOMINI.] Hebraice ad litteram [6]: *Quod fidelis* (Hebr. Neeman) *Samuel* destinatus erat *propheta Domini*. Ostendimus alibi, *Neeman* apud Hebræos dignitatem quamdam significare in domo Principis. Cognovit igitur Israel, quod Samuel familiaris esset Domino, a quo & post se prophetiæ Spiritum accepisset. Alii ita vertunt [7]: *Quod Samuel constitutus fuerat*, confirmatus, *Propheta Domini*. Non propheta diei unius, vel duorum; sed perpetuus, & permanens. Tunc solum missionem, & propheticum Samuelis characterem credidere, cum prophetias illius adimpleri intellexerunt [8]: *& quod non cecidit ex omnibus verbis ejus in Terram*.

℣. 21. ET ADDIDIT DOMINUS, UT APPARERET IN
B SILO, QUONIAM REVELATUS FUERAT DOMINUS SAMUELI IN SILO JUXTA VERBUM DOMINI.] Postquam semel incœpit Dominus se manifestare Samueli in Silo, eidem perstitit hoc ipsum ibidem elargiri, sua illi arcana retegere, ac sermones suos. Hebraice [9]: *se se direxit in Silo in verbo Domini*, vel post verbum Domini: se se prodidit Samueli, illum allocutus est, ac vocem suam illi audiendam præbuit.

ET EVENIT SERMO SAMUELIS UNIVERSO ISRAELI.] Verba hæc subsequens caput inchoant in Textu Hebraico. Ea vero sequentibus addentes hoc pacto possumus explicare: *Et Samuel locutus est* Dei verbis *universo Israeli; & populus hic Philisthæis bellum indixit*; perinde ac bellum, de quo infra erit
C sermo, de Samuelis consilio susceptum fuerit [10]. Hoc tamen consilium nequaquam satis aptum erat, ut authori nominis celebritatem conciliaret; iniquo adeo marte pugna fuit depugnata; itaque hoc pacto intelligere malim: Deus perseveravit apparere Samueli, *& hujus Prophetæ nomen apud universum Israel percrebuit* [11].

1 Pisc. Jun. Cornel. Vide in Ruth c. 17.
2 Ita Grot. in loco citato Ruth c. Tost. q. 5. Sanctius hic.
3 Gregor. in Libb. Reg. Ephrem. Apolog. Heli, Rupert. 4 Chrysost. lib. 3. contra Vitup. vit. Monast. Theodoret. hic. Procop. Lyr. Tost. Cajet. Serar. Mendoza, Cornel. a Lap. Sanct. Grotius.
5 ולא הפיל מכל דבריו ארצה. 6 כי נאמן שמואל לנביא ליהוה.
7 Jun. & Tremell. Belg. & Anglic. Vers. Drus. 8 Mendoz.
9 נגלה . . . בשלו בדברו. 10 Heb. in Vatab. & Munst.
11 ויהי דבר שמואל לכל ישראל.

CAPUT IV.

Bellum Philisthiim adversus Israelitas. Hi jurgati Arcam Fœderis in aciem deducunt. Iterum cæduntur, & capitur Arca. Mors Heli, Ophni, Phinees, ac uxoris Phinees.

1. ET factum est in diebus illis, convenerunt Philisthiim in pugnam: & egressus est
Israel obviam Philisthiim in prælium, & castrametatus est juxta Lapidem adju-
torii. Porro Philisthiim venerunt in Aphec, 2 Et instruxerunt aciem contra
Israel. Inito autem certamine, terga vertit Israel Philisthæis: & cæsa sunt in illo certa-
mine passim per agros, quasi quatuor millia virorum. 3 Et reversus est populus ad ca-
stra: dixeruntque majores natu de Israel: Quare percussit nos Dominus hodie coram
Philisthiim? Afferamus ad nos de Silo arcam fœderis Domini, & veniat in medium no-
stri, ut salvet nos de manu inimicorum nostrorum. 4 Misit ergo populus in Silo, &
tulerunt inde arcam fœderis Domini exercituum sedentis super Cherubim: erantque duo
filii Heli cum arca fœderis Dei, Ophni, & Phinees. 5 Cumque venisset arca fœderis
Domi-

Domini in castra, vociferatus est omnis Israel clamore grandi, & personuit terra. 6 Et au-
dierunt Philisthiim vocem clamoris, dixeruntque: Quænam est hæc vox clamoris ma-
gni in castris Hebræorum? Et cognoverunt, quod arca Domini venisset in castra. 7
Timueruntque Philisthiim, dicentes: Venit Deus in castra. Et ingemuerunt, dicentes;
8 Væ nobis: non enim fuit tanta exultatio heri, & nudiustertius: væ nobis. Quis nos
salvabit de manu Deorum sublimium istorum? hi sunt Dii, qui percusserunt Ægyptum
omni plaga, in deserto. 9 Confortamini, & estote viri, Philisthiim: ne serviatis He-
bræis, sicut & illi servierunt vobis: confortamini, & bellate. 10 Pugnaverunt ergo
Philisthiim, & cæsus est Israel, & fugit unusquisque in tabernaculum suum: & facta est
plaga magna nimis: & ceciderunt de Israel triginta millia peditum. 11 Et arca Dei
capta est: duo quoque filii Heli mortui sunt, Ophni, & Phinees. 12 Currens autem
vir de Beniamin ex acie, venit in Silo in die illa, scissa veste, & conspersus pulvere ca-
put. 13 Cumque ille venisset, Heli sedebat super sellam contra viam spectans. Erat
enim cor ejus pavens pro arca Dei. Vir autem ille postquam ingressus est, nuntiavit
urbi: & ululavit omnis civitas. 14 Et audivit Heli sonitum clamoris, dixitque: Quis
est hic sonitus tumultus hujus? At ille festinavit, & venit, & nuntiavit Heli. 15 He-
li autem erat nonaginta, & octo annorum, & oculi ejus caligaverant, & videre non po-
terat. 16 Et dixit ad Heli: Ego sum, qui veni de prœlio, & ego, qui de acie fugi
hodie. Cui ille ait: Quid actum est, fili mi? 17 Respondens autem ille, qui nun-
tiabat: Fugit, inquit, Israel coram Philisthiim, & ruina magna facta est in populo: in-
super duo filii tui mortui sunt, Ophni, & Phinees: & arca Dei capta est. 18 Cum-
que ille nominasset arcam Dei, cecidit de sella retrorsum juxta ostium, & fractis cervi-
cibus mortuus est. Senex enim erat vir, & grandævus: & ipse judicavit Israel quadra-
ginta annis. 19 Nurus autem ejus, uxor Phinees, prægnans erat, vicinaque partui:
& audito nuntio, quod capta esset arca Dei, & mortuus esset socer suus, & vir suus,
incurvavit se, & peperit: irruerant enim in eam dolores subiti. 20 In ipso autem mo-
mento mortis ejus, dixerunt ei, quæ stabant circa eam: Ne timeas: quia filium pepe-
risti. Quæ non respondit eis, neque animadvertit. 21 Et vocavit puerum, Ichabod,
dicens: Translata est gloria de Israel, quia capta est arca Dei, & pro socero suo,
& pro viro suo; 22 Et ait: Translata est gloria ab Israel, eo quod capta esset arca
Dei.

℣. 1. EGRESSUS EST ISRAEL OBVIAM PHILISTHIIM IN PRÆLIUM.] Utrum ut bellum inferrent, an vim propulsarent? nam Philisthiim belli authores fuisse videntur. Belli hujus causa ignoratur; verum hoc liquet, Philisthiim tunc temporis viribus prævaluisse, & post Samsonem numquam destitisse, quin servitutis specie quadam Israelitas obruerent, quam tunc solum penitus excussere cum Samuel primum populi regundi provinciam suscepit. Nonnulli bellum hoc [1] referunt immediate post minas, quas Deus intentaverat Heli per Samuelem; sed melioris notæ Chronologi [2] illud in septimum, vel octavum supra vigesimum ab ea revelatione annum constituunt.

JUXTA LAPIDEM ADJUTORII.] Hebraice [3], *Eben-heser*. Loco huic nomen id impositum fuit primo ultra vigesimum anno post hoc bellum, cum Samuel ibi monumentum extruxit, quod *Lapidem adjutorii* nuncupavit, in victoriæ memoriam, quam tunc de Philisthæis reportavit [4]. *Lapis adjutorii* erat inter *Maspha*, *&* *Sen*.

IN APHEC.] Urbs erat tribus Juda, neque abesse debebat ab *Eben-heser*, ac Maspha: verum situs illius exacte assignari nequit.

℣. 2. INSTRUXERUNT ACIEM, &c.] Hebraice [5]; Et *Philisthiim extenderunt*, vel instruxerunt aciem, *adversus Israel; & exercitus extensus est*, vel dissipatus, in fugam actus, *& Israel cæsus est &c.* Quænam essent militaris scientiæ præcepta, juxta quæ Israelitæ aciem instruerent, ignoramus; sed ex tota Scriptura patet ipsos ordine copias instruere consuevisse, ac arte quadam cum hostibus congredi. Aditi potest Dissertatio nostra de Hebræorum militia. Septuaginta: *& prælium inclinavit*; populus terga vertit, fugam corripuit.

IN ILLO CERTAMINE PASSIM PER AGROS.] Juxta Vulgatam viderentur Israelitæ vix hostem sustinuisse, atque in fugam conjecti, palantes per agros ad quatuor millia cæsi fuisse. At alius est Hebraicæ lectionis sensus [6]: *& mortui sunt in ordinibus*, scilicet in acie in ordines instructa, *in agro fere quatuor millia*. Hi cecidere illic, ubi prælium consertum est [7].

℣. 3. DIXERUNTQUE MAJORES NATU.] Nemo tunc universarum copiarum obtinebat imperium. Seniores Israel, quisque in tribu sua imperabat; quamquam Heli Judex Israel, haberetur provectior ætas illius, ac cæcitas oberant, quo minus imperaret, ac exercitui præesset.

AFFERAMUS AD NOS DE SILO ARCAM FOEDERIS DOMINI.] Hic est omnium populorum character, ut extrinsecis religionis notis plurimum tribuat. Hebræi merito Arcam fœderis habebant velut certum pignus præsentiæ Dei inter ipsos, ac protectionis ejusdem super populum suum; id enim experti fuerant

1 Tost. Serar. 2 Usser. & alii. 3 על האבן העזר 4 1. Reg. 7. 12.
5 ויערכו לקראת ישראל ותטש המלחמה וינגף ישראל 70 Καὶ ἔκλινεν ὁ πόλεμος,
6 ויכו במערכה בשדה 70. Καὶ ἔπταισεν ἀνὴρ Ἰσραὴλ, . . . ἐν τῇ παρατάξει ἐν τῷ πεδίῳ.
7 Ita interpp. passim.

rant eos in certaminibus, quibus victores discesserant illa præsente, & victi, cum ab illa recesserant; seque invictos arbitrabantur cum hoc pignore divini auxilii. Meminerant, patres suos olim fugatos, cæsosque, cum Moysem una cum Arca deseruissent in castris, atque inani fiducia elati soli Chananæos bello lacessere ausi essent [1]: In memoriam revocabant admirabilem Jerichuntis obsidionem, cujus mœnia ad Arcæ adspectum corruerant [2]: Vulgati erant Josue triumphi: quibus rebus adducti, cum putarent, futurum, ut Deus ipse pro victo se haberet, si Philistiim coram Arca prælianres victoriam retulissent, ac de ipsius gloria agi, nec non populi sui ignominiam in ipsius dedecus cessuram, id consilii ceperunt, quin aliquid prætarea perpenderent, ut Arca in auxilium ipsorum arcesseretur.

Verum immerito eam sperabant opem, qua se indignos præbuerant; superior ipsorum clades nihil aliud fuerat, quam supplicium ipsorum infidelitati debitum: atque secum in animo reputare debebant sibi nullas expetendas esse a Domino suppetias, donec eædem improbæ existerent causæ; Deum spopondisse illis quidem præsidium suum, atque victoriam; verum donec fideles perstitissent; extrema vero minatum mala, si in ingrati animi vitium fuissent prolapsi; ipsum nosse gloriæ suæ consulere, ac alienigenarum obsequia sibi comparare, quamvis perversus populus, & nequam cæsus fuisset: Præterea Dei authoritati minus congruum videri, impiis, ac superbis opem ferre, quam pati, ut vel sanctissima quæque per fas, & nefas polluerentur. Hæc porro, ne minimum quidem illius sanctitati possunt officere; si quandoque patitur sacratissima sui fœderis, & erga homines charitatis pignora profanari, eo consilio id agit, ut majora irarum suarum illis præbeat argumenta, atque ut in ipsis majorem excitet criminis abominationem.

Cæterum usus in bellum deferendi sacratissima Religionis mysteria, apud omnes ferme populos viguit. Persæ in prælium solemni ritu sacratum ignem gestabant [3], & currum Jovis agebant [4]; Indi in primo agmine Herculis idolum præferunt; illudque deserere summum ducunt nefas, neque nisi morte luendum [5]. Patet Romanos belli insignia, veluti Numina fuisse veneratos [6]; Germani Deorum suorum rudes imagines e lucis auferebant, easque gestabant in pugnam [7]. *Effigies, & signa quædam detracta lucis in prælium ferunt*. Videbimus infra 2. Reg. 5. 21. Philistiim quoque in castra idola sua detulisset; atque Jeroboam quoque Vitulos aureos in aciem vidatur deduxisse [8].

℣. 4. TULERUNT INDE ARCAM FOEDERIS DOMINI EXERCITUUM SEDENTIS SUPER CHERUBIM.] Haud ægre assensus est Heli, ut Arca ferretur in prælium, cum res adeo urgeret, idque a nationis universæ principibus exposceretur. Cum Sacerdos hic luminibus esset captus, credibile est, Ophni, & Phinees extraordinarie ingressos fuisse in Sanctuarium ut inde abducerent Arcam. Quæ his in casibus cæremoniæ observarentur, ignoramus; neque secius præterit Scriptura, utrum duo filii Heli Sacerdotis summi fungerentur munere pro patre suo; utrum id alternis vicibus uterque peragerent, an illorum alter solus huic provinciæ præesset.

Scriptura hic designat duobus his epithetis Deum
A Israel, *Domini exercituum*, & *sedentis super Cherubim*. Primum supra c. 1. 3. explicavimus; posterius quoque sæpe in libris Sanctis occurrit. Hæc erat loquendi ratio Hebræorum propria; Deum enim considerabant, veluti Tabernaculum habentem, ac sedentem super alas Cherubim, qui fœderis Arcam obtegebant [9]: forte ut satisfieret nostro intelligendi modulo, Deum in cælis magnifico insidentem throno, altius Cherubim, qui throno illius adstant, vel ad pedes illius prostrati jacent; vel denique ipsum sublimem curru a Cherubim, vel aliis extraordinariæ formæ Angelis vehi. David Deum describens sibi opem ferentem, hæc ait [10]: *Ascendit super Cherubim, & volavit, volavit super pennas ventorum*. Cum Deus se se prodidit Prophetæ Ezechieli apparuit illi, igneo
B insidens currui, quia Cherubim ducebatur [11]. Ex Scriptura universa satis liquet, Judæos vulgo Angelis tribuisse corpora; sed ut innuerent corpora hæc ignotæ, distinctæque esse formæ, ipsis Cherubim nomen dedisse, quæ vox significat formæ compositæ, atque extraordinariæ figuram.

℣. 7. VENIT DEUS IN CASTRA.] Alienigenæ minimum ambigebant quin Dominus in medio populi sui habitaret: respiciebant enim Arcam, veluti signum præsentiæ illius, & videntes Arcam in Castra deduci, haud mentiti sunt, cum dixerunt Deum in castra venisse. Hebraicus textus, & Septuaginta [12], plurali in numero legunt, *Dii venerunt in castra*. Philistiim Deorum multitudinem venerari soliti juxta suam consuetudinem loquuntur.

C ℣. 8. QUIS NOS SALVABIT DE MANU DEORUM SUBLIMIUM ISTORUM?] Philistiim de vero Deo juxta consuetudinem, ac præjudicia sua loquuntur; loquuntur enim de pluribus Diis, perinde ac apud Israelitas varia colerentur numina, quæ cœlo præessent, terræ, mari, & inferis. Hebraicus textus in singulari numero verti potest [13]: *Quis salvabit nos de manu Dei hujus magnifici?* Quomodo Chaldaica versio, & Arabica reddiderunt. Verum Septuaginta [14], Vulgata, ac Interpretum plerique in multitudinis numerum transferunt. *Magnifici* quoque nomen, quod Textus Deo Israel tribuit, epitheton est, quod Philistiim numinibus suis passim deferebant. *Atergatis* appellabatur Deus idemquem inferius Dagonem nuncupari videbimus. *Atergatis* idem plane est ac *Adir*,
D vel *Ader-dag*, magnificus piscis.

HI SUNT DII, QUI PERCUSSERUNT ÆGYPTUM OMNI PLAGA IN DESERTO.] Intelligunt probabiliter cladem Ægyptiorum, qui deleti fuerunt, ac submersi in mari rubro [15], quod circumquaque desertis clauditur; vel confuse, veluti extranei, nec satis probe hæc tenentes, de Ægypti plagis loquuntur [16]. Alii [17] supplent particulam *&*: *Hi sunt Dii qui percusserunt Ægyptum omni plaga*, & populum suum *in deserto*. At hæc additio audacior est.

℣. 10. UNUSQUISQUE IN TABERNACULUM SUUM;] Vel, in tabernacula sua [18]; sed Scriptura Tabernaculum pro domo, & habitaculo usurpat. Locus hic non patitur, id de castrorum tabernaculis intel-
E ligi.

TRIGINTA MILLIA PEDITUM.] Nullum in Exercitu Israel ante Salomonis ævum equitatum agnovimus; atque etiam post id tempus raro intuemur.

Vide

1 Num. 14. 44. 45. *Illi contenebrati ascenderunt in verticem montis; Arca autem testamenti Domini, & Moyses non recesserunt de castris.* 2 Josue 6. 4. 3 Q. Curt. l. 3. *Ignis quem ipsi sacrum, & æternum vocabant, argenteis altaribus præferebatur.* 4 Herodot. lib. 7. Ὄπισθεν δὲ τούτων τῶν ἵππων, ἅρμα Διὸς ἱρὸν ἐπετέτακτο. τὸ ἵπποι μὲν εἷλκον λευκοὶ ὀκτώ. 5 Q. Curt. lib. 8. 6 Dionys. Halicarn. lib. 6. Τιμιώτατα Ῥωμαίοις ταῦτα ἐπὶ στρατειῶν, καὶ ὥσπερ ἱδρύματα Θεῶν ἱερὰ νομίζεται. 7 Tacit. de Morib. German. 8 2. Par. 13. 8. *Habebis grandem populi multitudinem, atque vitulos aureos.* 9 Exod. 25. 22. *Loquar ad te supra propitiatorium ac de medio duorum Cherubim, qui erunt super Arcam testimonii.* Vide & Num. 18. 89. 10 Psalm. 17. 10. *Ascendit super Cherubim, & volavit, volavit super pennas ventorum.* 11 Ezech. 10. 1. 2. 5. & seqq. & Eccl. 49. 10. 12 בא אלהים אל המחנה 70. Οὗτοι οἱ Θεοὶ ἥκασι πρὸς αὐτούς, Alius, Οὗτος ὁ Θεός. 13 מי יצילנו מיד האלהים האדירים האלה 14 Τίς ἐξελεῖται ἡμᾶς ἐκ χειρὸς τῶν Θεῶν τῶν στερεῶν τούτων. 15 Vatab. Drus. Menoch. 16 Sanct. 17 Ita 70. Syr. Vat. Glass. 18 איש לאהליו

Vide nostram Differtationem de militia Hebræorum.

℣. 11. MORTUI SUNT OPHNI, & PHINEES.] Tunc, ut videtur, cum gestarent Arcam fœderis, cujus sanctitatem suis flagitiis, ac nequissimo vivendi genere polluerant. Permisit Deus, ut vitæ jacturam subirent, dum sacro munere fungerentur, quo se indignos præbuerant.

℣. 12. SCISSA VESTE, & CONSPERSUS PULVERE CAPUT.] Hæ doloris notæ apud omnes populos communes sunt [1].

At pius Æneas humeris abscindere vestem.

Et Catullus:

Canitiem terra, atque infuso pulvere fœdans.

Iterum Virgilius:

. . . . It scissa veste Latinus

Canitiem immundo infusam pulvere turpans.

℣. 13. HELI SEDEBAT SUPER SELLAM CONTRA VIAM SPECTANS.] Vetera quædam exemplaria legunt, *expectans*; vel *auscultans* pro *spectans*; nam uti superius dictum est, Heli cæcus erat. Hebræus ad litteram habet [2] *considerans*; verum simpliciter intelligi potest, perinde ac ad eam partem conversus imaginem præberet spectantis, quid fieret. Quæritur ubi sederet? Ex ℣. 18. liquet ipsum *juxta ostium*, Tabernaculi probabiliter, sedisse, ac in sella eadem, in qua sedebat, cum Anna Samuelis mater ad templum accessit, ut vota sua nuncuparet [3]. Septuaginta, & Chaldæus habent, ipsum [4] *juxta civitatis portam* sedisse. Sed ex narrationis decursu patet, cladis acceptæ nuncium per urbem Silo transiisse, antequam illuc perveniret, ubi erat Heli, qui plerumque in Domini Tabernaculo immorabatur. Senex hic sæpius ad ostium Tabernaculi considebat, ut eos audiret, qui ipsum de rebus suis consulerent, & sella, de qua hic sermo, ipsius fortasse tribunal erat. Authographi verbum [5] passim pro Throno, aut Regia sede, aut Judicis Tribunali usurpatur.

℣. 18. CECIDIT DE SELLA RETRORSUM JUXTA OSTIUM.] Vel sella sine dossuario fulcro erat, vel retrorsum cum sella prolapsus est [6]; ad Arcæ captæ nuntium deficiens viribus destitutus est; cumque nemo adesset, qui illi opitularetur, cecidit retrorsum; Scriptura addit, quod *Senex erat, & grandævus*: Hebraice [7]: *Senex erat, gravis*; quod ipsum casui illius non parum contulit. Judæi jejunium instituerunt in Arcæ captæ, & mortis Heli memoriam; sed hoc institutum non admodum vetus est.

JUDICAVIT ISRAEL QUADRAGINTA ANNIS.] Septuaginta [8] habent viginti annos, non secus ac, veteres quidam manuscripti, ac nonnulli Patres [9], qui id in Septuaginta legerunt. Hos vero ut cum Hebraico textu concilient, ajunt, Heli summum Sacerdotem in Judicis munere exercendo Samsonem habuisse socium prioribus annis viginti; vel ipsum ad hanc dignitatem secum evexisse filios suos viginti annis posterioribus vitæ suæ; sed fortasse non est, cur operam impendamus, huic tollendæ difficultati non aliunde, quam ab errore quodam, qui in Textum Septuaginta obrepsit, profectæ. Veteres Interpretes, quemadmodum in Hebraico textu, legunt quadraginta.

Quod vero judicium de Heli, ac salute ipsius ferre liceat, incertum est, ac in diversas Partes abeunt sententias. Patres, ac Interpretes hinc perpendentes supplicii, quod passus fuit magnitudinem, patientiam, quam prætulit, Providentiæ decretis, quæ ipsi per Samuelem significata fuerant, submissionem; dolorem, quo se affectum probavit, ut Arcam captam fuisse intellexit, omnem ipsius vitam nulli obnoxiam probro; inde vero Dei iram considerantes quæ contra illum, familiamque ipsius insigniter adeo detonuit, negligentiam in filiorum suorum criminibus corripiendis, quæ illi non explorata esse non poterant; cum de iis a viro Dei fuisset admonitus, quæ potuisset auferre diuturno eo temporis intervallo, quod a priori vice, qua a Propheta, necnon posteriori, qua a Samuele fuerat redargutus, ad prælium usque, de quo hic sermo, fuerat elapsum; silentium Scripturæ, quæ ne verbo quidem conversionis illius, ac filiorum suorum meminit; in ancipiti adeo sententia versantur, ut quid nobis existimandum sit, nequaquam innotescat. Patres vel ipsi [10], qui Heli mortem veluti effectum reprobationis ipsius exhibent, ac damnationis [11], *apud districtum Judicem semetipsum cum filiis crudeli damnatione percussit*, quique asserunt ipsum eum filiis suis periisse, propterea quod non satis forti animo in filios animadverterit [12]; iidem, inquam, Doctores Sancti, ipsum criminibus expertem, ac irreprehensibilem vitam duxisse testantur, *propria vita justus, sed authoritate pastorali remissus*, Magnus inquit Gregorius [13]; qui inferius paullo hæc addit: *pro dissolutione percussus, sed pro præterita conversatione respectus*. Et S. Chrysostomus non semel, illum Senem admirabilem vitæque sanctæ, ac integerrimæ laude commendat [14].

Sanctus Cæsarius Arelatensis [15] ne dubitat quidem de Heli damnatione; verum explicite ait, ipsum fuisse promeritum, ut ex vitæ libro expungeretur, eo quod non satis acri reprehensione filios suos castigasset; *quia illos non cum grandi feritate distrinxit . . . . nomen ejus de libro vitæ deletum est*. Petrus Damianus [16] asserit duabus de causis Heli damnatum fuisse eum propter nimiam lenitatem, tum propter filiorum suorum flagitia. Denique Sanctus Ephrem in eo libro, cui titulus Apologia Heli, maximopere adversus summum hunc Sacerdotem succenset; eum redarguit, quod zelo ob Dei cultum, atque honorem accensus non fuerit; quod perniciosam hanc erga filios suos indulgentiam non deseruerit; quod eos quandoque, ut satisfaceret potius populi furoribus, quam quod eorum horreret flagitia, corripuerit; quod denique pœnitentiam non egerit post minas, quas illi Deus per Samuelem, intentaverat. His addi possent testimonia S. Basilii, S. Hieronymi, S. Eucherii, venerabilis Bedæ, Ruperti Abbatis, & recentiorum quorundam [17], qui arbitrantur Heli reprobatum fuisse, & vitam illius, cujus ipsum numquam pœnituit, fuisse morte improba exceptam.

Verum Interpretum recentiorum plerique ad indulgentiam proni, durum nimis, ac injustum putant Pontificem hunc condemnare. Lyranus, Dionysius Carthusianus, Tostatus, Cajetanus, Serarius, Sanctius, Mendoza, Cornelius a Lapide, Petrus Martyr, Vuillerus, aliique nonnulli asserunt, antecactæ vitæ crimina satis expiata fuisse morte ipsius, & pœnis, quibus illum Deus in terris afflixit, ipsum vero justorum morte obiisse, ac electorum gloria in cœlis fuisse coronatum. Laudibus efferunt zelum ejus pro Arca Domini, nec non summum, quo affectus

1 Vide Herodot. lib. 2. & 8. Virgil. lib. 5. Catull. Nupt. Pelei, & Thetid. Sueton. in Nerone c. 42. *Postquam Galbam, & Hispaniam descivisse cognovit . . . . veste discissa, capite converberato actum de se pronuntiavit*. Homer. Iliad Σ. Et Odyss. Ω. 2 מצפה 70. Σκοπεύων. 3 1. Reg. 1. 9.

4 Παρὰ τὴν πύλην σκοπεύων τὴν ὁδόν. 5 כסא 6 Mendoz.

7 וזקן האיש וכבד 70. Πρεσβύτης ἦν ὁ ἄνθρωπος καὶ βαρύς. 8 Vide edit. Nubilii.

9 Lucifer. Euseb. in Chronico, Chrysost. Sulpic. Sever. Procop. Vide Mendoz. 10 Gregor. Magn. lib. 2. in Reg. cap. 4. *Quem (Heli) omnipotens Deus sui examinis sancta districtione reprobavit*.

11 Idem Pastoral. 2. part. c. 7. 12 Chrysost. l. 3. contra Vituperator. vitæ Mon.

13 Gregor. lib. 5. in Reg. c. 14. 14 Chrysost. homil. 37. in Matth. & homil. 28. ad popul. & lib. 3. apud Vitup. vitæ Mon. 15 Homil. 15. in Bibl. PP. 16 Petr. Damian. Opusc. 6.

17 Vide Mendoz. in hunc loc. num. 18. sect. 3. & authores ab eo citatos. Item Cornel. a Lapid.

ctus est, dolorem ex ejus captivitate, ipsius submissionem Domini decretis commendant; quod sine questu, sine excusatione, sine obmurmuratione sævissimas audierit minas, acerrimasque exceperit reprehensiones, illum ajunt: neque dissimulasse, neque probasse filiorum scelera, illorum participem non fuisse quin illa perhorruisse, ac corripuisse; leniter sane nimis inquiunt: at lenitas hæc nonne satis ipsius ac filiorum morte fuit expiata? Inter tantam hanc sententiarum varietatem, & in quæstione necessario tenebris obsita, præstat, ut mihi videtur, secreta Dei judicia silentio venerari.

℣. 19. INCURVAVIT SE, & PEPERIT.] Interpretes quidam [1]; *gemuit, & peperit*. Septuaginta, *ploravit, & peperit*. Verum Vulgatæ versio est melior.

℣. 20. NON RESPONDIT EIS, NEQUE ANIMADVERTIT.] Eo temporis momento non animadvertit; vel aurem haud præbere visa est [2] iis, quæ sibi dicebantur: sed quamprimum filio suo nomen imposuit *Icabod*, quod denotabat dolorem, animique ægritudinem, qua conficiebatur, ex jactura, quam universus Israel, & potissimum ipsius familia subibat. Nomen *Icabod* [3] ad litteram significare potest: [4] *Ubi est gloria?* Vel [5] *nulla adest amplius gloria*; vel denique [6] *Heus gloria!* Gloriæ nomine Fœderis Arcam intelligit, quam Scriptura quandoque *gloriam Israel* appellat. Exempli gratia [7] *Domus sanctificationis nostræ, & gloriæ nostræ, ubi laudaverunt te patres nostri*: Et Psalmista [8] *Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ*.

℣. 21. ET PRO SOCERO SUO, & PRO VIRO SUO.] qui illius gloria erat, non secus ac Arca erat gloria totius Israel, ac potissimum familiæ ipsius. Tribuens filio suo nomen *Icabod*, ubi est gloria? præsignabat, & peculiarem jacturam suam, & communem, publicamque nationis totius, ob Arcam Fœderis captam.

1 ותחרע 70. Ε'κλαύσε. Alius. Ε'στέναξε. Aq. Ε'κκυψε. Sim. Ω'κλασε. *Inclinavit se*.
2 Vatab. Pisc. 3 אי כבוד 4 Ubi אי Vat. Druf. Munst. Pisc.
5 אי pro אין 6 אי Væ Eccle. 10. 16. Ita Meadoz.
7 Isai. 64. 11. 8 Psalm. 25. 8.

CAPUT V.

Arca Domini ponitur in Templo Dagon; Quod Idolum corruit, & frangitur ante Arcam. Gravibus morbis, quibus Philisthiim urgentur, ad Arcam remittendam adiguntur.

1. PHilisthiim autem tulerunt arcam Dei, & asportaverunt eam a Lapide adjutorii in Azotum. 2 Tuleruntque Philisthiim arcam Dei, & intulerunt eam in templum Dagon, & statuerunt eam juxta Dagon. 3 Cumque surrexissent diluculo Azotii altera die, ecce Dagon jacebat pronus in terra ante arcam Domini: & tulerunt Dagon, & restituerunt eum in locum suum. 4 Rursumque mane die altera consurgentes, invenerunt Dagon jacentem super faciem suam in terra coram arca Domini: caput autem Dagon, & duæ palmæ manuum ejus abscissæ sunt super limen: 5 Porro Dagon solus truncus remanserat in loco suo. Propter hanc causam non calcant sacerdotes Dagon, & omnes, qui ingrediuntur templum ejus, super limen Dagon in Azoto, usque in hodiernum diem. 6 Aggravata est autem manus Domini super Azotios & demolitus est eos: & percussit in secretiori parte natium Azotum, & fines ejus. Et ebullierunt villæ, & agri in medio regionis illius, & nati sunt mures, & facta est confusio mortis magnæ in civitate. 7 Videntes autem viri Azotii hujusccemodi plagam, dixerunt: Non maneat arca Dei Israel apud nos; quoniam dura est manus ejus super nos, & super Dagon deum nostrum. 8 Et mittentes congregaverunt omnes satrapas Philisthinorum ad se, & dixerunt: Quid faciemus de arca Dei Israel? Responderuntque Gethæi: Circumducatur arca Dei Israel. Et circumduxerunt arcam Dei Israel. 9 Illis autem circumducentibus eam, fiebat manus Domini per singulas civitates interfectionis magnæ nimis: & percutiebat viros uniuscujusque urbis, a parvo usque ad majorem, & computrescebant prominentes extales eorum. Inieruntque Gethæi consilium, & fecerunt sibi sedes pelliceas. 10 Miserunt ergo arcam Dei in Accaron. Cumque venisset arca Dei in Accaron, exclamaverunt Accaronitæ, dicentes, Adduxerunt ad nos arcam Dei Israel, ut interficiat nos, & populum nostrum. 11 Miserunt itaque, & congregaverunt omnes satrapas Philisthinorum: qui dixerunt: Dimittite arcam Dei Israel, & revertatur in locum suum, & non interficiat nos cum populo nostro. 12 Fiebat enim pavor mortis in singulis urbibus, & gravissima valde manus Dei: viri quoque qui mortui non fuerant, percutiebantur in secretiori parte natium: & ascendebat ululatus uniuscujusque civitatis in cœlum.

PHILI-

℣. 1. PHILISTIIM TULERUNT ARCAM DEI.] Mirum est, quod Deus gloriæ suæ adeo cupidus, & qui aliàs severe adeo in Ozam animadvertit [1], eo quod arcam ausus esset attingere, quæ lapsum jam minabatur; atque in Bersamitas [2] eo solum, quod nudatam adspexerant, & qui proposito mortis supplicio [3] caverat, ne Levitæ sacra vasa attrectarent, antequam integumentis suis involverentur, passus fuerit, Philisthiim arcam capere, eam attingere, atque veluti in triumphum in suas civitates deferre. Verum duo sunt adnotanda: primum quidem interdicta, ne arca attingeretur, minimum ad Philisthæos spectasse: neque mirum est, si Deus nequaquam in illos Legis supplicium exercuit, quam ignorarent, vel quam saltem tueri minime tenerentur: alterum vero profanationem, ac irreverentiam, quam Deus in Israelitis mulctavit, qui tetigerunt, vel etiam irreverenter arcam Dei sui respexerunt, haud proprie in iis locum habuisse, qui eamdem haud tenebant fidem, atque eamdem Dei Israel ideam. Philisthiim Deum cæterarum nationum Israel similem Diis reputabant, quem in suum tantum populum potestatem habere arbitrabantur, neque eum teneri defendere, nisi a fortiori numine vinceretur, atque adversus illos irritatus esset, qui cultum suum profiterentur. His omnibus addi potest, victoriam, quam Deus Philistiim tribuit, fuisse potius virtutis, quam infirmitatis argumentum; & si permisit, ut arca Hebræis adimeretur propter eorum scelera, novit quidem ostendere Philistiim, se æque victis, ac victoribus dominari Hebræis, & Philisthæis, non secus ac horum commentitiis numinibus; itaque id apprime conduxit, ut in utrumque populum altius ipsius gloriæ opinio pervaderet.

A LAPIDE ADJUTORII, IN AZOTUM.] Adnotari superius potuit [4], Israelitarum castra ad lapidem adjutorii fuisse posita: oportet igitur Philistiim arcam in castris invenisse post exercitus cladem, atque Sacerdotes Ophni, & Phinees illuc post prœlium concessisse; vel arca prope castra capta, locum, ubi capta fuit, designari ex loco, qui proximus aderat [5]. Azotum est una ex præcipuis Philisthinorum civitatibus, quam alii Gazam inter, & Ascalonem, alii vero Ascalonem inter, & Accaronem constituunt; usque adeo verus veterum Palæstinæ civitatum situs ignoratur.

℣. 2. INTULERUNT EAM IN TEMPLUM DAGON.] In Dissertatione de Philistiim diis ostendere conati sumus Dagon idem fuisse, ac Derceto, Atergatim, Venerem Ascalonis, & Lunam: itaque illuc Lectorem remittimus. Authores vero rationem scrutati, quapropter Philistiim in Dagonis Templum arcam constituerint, abeunt in diversa; alii quidem [6] asserunt, id factum, ut Deo Israel illuderent: perinde ac captivum eum trahere voluissent coram Dagone, Deum scilicet infirmiorem coram potentiore; obtulerunt illi arcam, veluti victoriæ suæ trophæum: non secus ac alibi eas sacrificia obtulisse legimus in gratiarum actione, eo quod Sampson in manus ipsorum devenisset [7]; atque Saul arma in Templo Astaroth suspendisse [8], ut præclarum essent virtutis suæ, ac deorum suorum auxilii monumentum. Novimus autem, veteres omnes diis suis dicare consuevisse captas de hostibus manubias; in Templa delata fuisse devictarum gentium arma, quæ præ foribus, & in Ethnicorum Numinum atriis fuere præfixa. Neque ignota erat hæc consuetudo in Palæstina, quandoquidem David obtulit in Taber- A naculum Domini gladium, quem de cæso Goliath tulerat.

Alii vero [9] putant, Philistiim summa captos ob hæc sacra religione, arbitratos, se in digniorem ea afferre non posse locum, quam in Templum, neque magis observantiam testari suam, quam si collocarent super aris iisdem ex adverso Dagonis sui. Terror, qui illos incesserat, cum arcam in castra delatam fuisse nuntiatum est, satis ostendit, quid ipsi de Hebræorum Deo sentirent; quibus si consilium fuisset eam ponendi inter cætera vulgaria monumenta, quæ in Templis erigebantur, eamne in præstantissimum ex adverso Dagonis locum constituissent?

℣. 3. CUMQUE SURREXISSENT DILUCULO ... ECCE DAGON JACEBAT PRONUS.] Nullum reor adesse B mysterium in hoc, quod dicitur, Azotios diluculo surrexisse. Scriptura hac sæpius utitur locutione, ut id simpliciter innuat, quod postridie mane contigit. Dagon prostratus victoque, & supplici similis facie in terram prona satis superque Dei Israelitarum præstantiam profitebatur.

℣. 4. RURSUSQUE MANE DIE ALTERA.] Veteres quidam credidere [10], pluribus diebus deinceps Dagonem humi stratum inventum fuisse coram arca; sed Scripturam primæ solum, ac postremæ vicis meminisse, eo quod aliquid inter has discrimen adesset. Sed nihil adest in Textu, quod huic faveat explicationi.

℣. 5. PORRO DAGON SOLUS TRUNCUS REMANSERAT IN LOCO SUO.] Falsi hujus Numinis simula- C crum usquequaque mutilatum super basi remanserat: caput vero, & brachia a trunco discerpta in januæ limine abjecta jacebant. Septuaginta [11] putant pedes quoque, non secus ac alias extremitates prostratos fuisse; verum id ex Hebraico textu minime eruitur; id si fuisset, quomodo super stylobate suo Dagon permansisset? Id saltem ostendit, Interpretibus his persuasum fuisse, Dagoni fuisse pedes, & manus, atque ideo, si piscis forma illi erat, illius piscis speciem prætulisse, qui pedes haberet, veluti marinus vitulus [12].

Desinat in piscem mulier formosa superne.

Hebraicus textus ad litteram vertitur [13]: *Dagon solus remanserat super illo*, vel super se. Vel Dagonis nomen in litterali sensu accipiendo: *Et pisciculus* D *remanserat super illo*. Illi piscis tantum forma remanserat, caput, & manus erant divulsæ; postrema hæc sententia plures jactat asseclas [14]. Alii hoc pacto explicant: Dagon humi inventus fuit, quemadmodum superioribus diebus, ante arcam prostratus, cum hoc tamen discrimine, ut caput, & manus procul essent a corpore, atque super ostii limen abjectæ [15].

PROPTER HANC CAUSAM NON CALCANT SACERDOTES DAGON ... SUPER LIMEN DAGON.] Permittit Deus, ut Philistiim ipsi hanc cæremoniam instituant, quæ Dei sui imbecillitatis est monumentum [16]; qui cum naturaliter hinc inferre deberent, Dagonem suum inane esse idolum, in cæcitate sua, ac fallaci cultu obdurati perstiterunt. Judæi quidam E Philisthinorum idololatriæ tabe infecti usque a Sophoniæ ævo inanem hanc religionem servabant, ne pede Dagonis limen attingerent; hic quippe sensus est, quem vulgo verbis illis tribuunt [17]: *Visitabo in die illa super omnem, qui ingreditur super limen*. Vel juxta hebraicam lectionem: *Visitabo omnes, qui saliunt super ostii limen*. Neque solum Dagonis limen veteres Idololatræ venerabantur; verum eadem observantia aliorum Templorum limina excipiebant, ea oscu-

1 2. Reg. 6. 7. 8. 2 1. Reg. 6. 19. 3 Num. 4. 18. 4 1. Reg. 4. 1.
5 Mendoz. 6 Lyr. Tirin. Cornel. a Lapid. Procop. Martyr. Menoch. 7 Judic. 16. 23.
8 1. Reg. 31. 10. 9 Mendoza, Sanctius, &c.
10 Joseph. Antiq. lib. 6. c. 1. 11 Καὶ ἡ κεφαλὴ Δαγὼν, καὶ ἀμφότερα τὰ ἴχνη τῶν ποδῶν αὐτοῦ ἀφῃρημένα
12 Horat. de Art. Poet. initio. 13 רק דגון נשאר עליו. 14 Munst. Jun. Vat.
15 Sanct. Tirin. 16 Grot. 17 Sophon. 1. 9.

osculabantur, ea adorabant: *Turpium limen adora*, inquit Juvenalis [1], & Tibullus [2]:

Non ego, si merui, dubitem procumbere Templis;
Et dare sacratis oscula liminibus.

Prisci quoque Christifideles limen Ecclesiarum Apostolorum, & Martyrum osculabantur [3]. Ostii limen apud Romanos Vestæ Sacrum erat, quam Deam ea reverentia colebant, ut novæ nuptæ, quæ primum viri domum ingrederetur, nefas esset ostii limen attingere [4]:

Translata vetuit contingere limina planta.

Sacrilegium tunc patrare credidissent, & rem Deæ Sacram, quæ summopere puritatem diligit, polluere. *Ne a sacrilegio conjugium inchoaret, si calcaret limen, Vestæ Numini sanctissimo consecratum* [5]. Persæ ad hanc quoque diem non calcant limen januarum in quibusdam Meschitis, quod plerumque argenteis laminis obductum est [6]; qui vero secus faxit maximum patrare crimen censetur, nonnisi gravissimis luendum suppliciis. Apud eos, qui a Rege beneficium accepit, regias adit ædes, ubi nisi Regem reperit, limen januæ osculatur, quod magnus lapis est e Porphyrite viridi, quem nemo pede audet obterere [7].

USQUE IN HODIERNUM DIEM.] Ad tempus usque, quo Author hæc exarabat. Ex loco hoc nulla nobis ad eum cognoscendum aperitur via; videtur multo post tempore scripsisse, quam hæc contigere. Si locus Sophoniæ a nobis allatus liquido Philisthinorum consuetudinem respiceret, constaret plane, eam ad Regis Josiæ usque tempus saltem obtinuisse. Verum alias in eum locum proponemus conjecturas.

℣. 6. PERCUSSIT IN SECRETIORI PARTE NATIUM.] Quoad veram authographi verborum significationem parum consentiunt Interpretes [8]: plerique adhærent Septuaginta [9], & Vulgatæ, quæ de ani quadam ægritudine intelligunt. Regius Psaltes id satis distincte designat, dum ait: *Percussit inimicos suos in posteriora, opprobrium sempiternum dedit eis* [10]. At alii [11] morbum hunc hæmorroidas fuisse contendunt, alii vero [12] dysenteriam; alii ficum, quæ est carnis ad podicem protuberantia, vel denique fistulam. Alii [13] morbum illud, cui nomen *condyloma*, cum dilabitur anus, atque e loco suo egreditur. Alii cancrum, seu luem veneream [14]. Eusebius [15] autumat, hoc malum illis ob intemperantiam contigisse, quod ea parte nequissime abuterentur. Constat certe, vehemens fuisse malum, quandoquidem miseros gravibus adeo perstringebat doloribus, ut magnos ululatus emitterent [16], & eo morbo interirent. Eruditi quidam viri commenti sunt, Philistum Deo suo tribuisse acceptum, quod istic nobis exhibet Scriptura, veluti malum in illos immissum, quod captivam aream detinuissent. Re quidem vera Herodotus [17] narrat, Scythis Templum Ascalonis depopulantibus, Deam ipsis inflixisse morbum, quem hæmorroidas fuisse putant, qui ad posteros quoque, veluti hæreditatis jure migravit. Aristophanes ait [18], Athenienses, quod Bacchi mysteria haud satis digne excepissent, cum primum ad illos allata fuerunt, turpi morbo fuisse percussos, ex quo convalescere non potuerunt, nisi quibusdam Oraculi jussu ob scœnis imaginibus elaboratis, quas deinde sublimes in Bacchi honorem solemni supplicatione circumtulerunt.

ET EBULLIERUNT VILLÆ, ET AGRI . . . ET NATI SUNT MURES.] Verba hæc, & sequentia non extant in textu hebraico, non in Chaldaico, non in Septuaginta editionibus Bibliorum Polyglottorum Complutensi, ac Parisiensi, neque in Syriaca versione, & Arabica. Neque ea intueri est in pluribus Latinæ Scripturæ exemplaribus. Robertus Stephanus, & Theologi Lovanienses ea in editionibus suis servarunt; verum hæc obelo, vel asterisco apposito signarunt, veluti additionem Textui insertam. P. Martianæus author recentioris editionis S. Hieronymi ea de hebraicæ veritatis Canone abscidit, fidei vetustissimorum, eorumque optimorum Manuscriptorum innixus. Docet autem in recentioribus Manuscriptis versionis S. Hieronymi, totum hunc locum inveniri sine ulla apposita a Textu distinctione. Sed in aliis vetustioribus exemplaribus, loci hi, qui in hebraico textu minime adessent, vel expungi consueverant, vel asterisco notari, ut admonerentur Lectores, illos adventitios esse, atque additos. Denique pleraque Septuaginta exemplaria, & omnia ferme Vulgata Biblia verba hæc constanter legunt; neque inficiari quis potest, ea prorsus historicæ veritati esse conformia; nam seq. capite ℣. 4. 5. Philistiim, ut mures tollerent, qui fines eorum depopulabantur, aureas horum animantium imagines ad arcæ latus posuere.

Cæterum non una fuit Philisthinorum regio, quam mures diripuerint [19]. Strabo loquitur de magna murium vi, quæ grassabatur in Hispania, ubi arva populabantur, ac pestem quandoque inferebant. Romani Cantabria Hispaniæ Tarraconensis regione potiri, certo eos donabant præmio, qui magnam murium copiam attulissent. Afferunt quoque [20] incolas insulæ Gyaræ, unius e Cycladibus, & quosdam Troadis, ac Italiæ populos olim sedes suas deserere coactos propter maximam murium frequentiam. Verum quin longius a Philisthinorum finibus secedamus, Bellonius [21] se vidisse narrat, inter Gazam primam Palæstinæ civitatem, & Belbam Ægypti postremam, agros latissimos propter murium vastitatem desertos. Quod si provida natura haud ibi aves quasdam peperisset, nomine Boudras, iis animantibus maxime infestas, nihil ibi serere possent agricolæ, quin statim a brutis illis absumeretur.

℣. 8. OMNES SATRAPAS.] Hebraice [22]: *Omnes Seranim*. Eodem nomine appellabantur, quo qui apud Persas *Surena* dicebantur. Vide Judic. 3. 3.

RESPONDERUNT GETHÆI: CIRCUMDUCATUR ARCA DEI.] Hinc nonnulli inferunt [23] urbem Geth principem fuisse inter civitates Philistiim; verum quare id inferendum sit, non satis video: neque enim certum est, civitatem hanc ante alias sententiam dixisse, quod quamvis probaretur, nihil certi liceret inde

1 Juvenal. Satyr. 6. 2 Tibul. lib. 1. Eleg. 2. Vide Mendoz. hic. 3 Prudent. Hym. de Sancto Romano. 4 Lucan. lib. 2. 5 Varro.
6 Taverner. Itin. Pers. lib. 1. c. 5. p. 35. & lib. 2. c. 5. p. 270. 7 Chardin. Politiæ Pers. c. 3. p. 220. 8 ויך אתם בעפלים. 9 70. Καὶ ἐπάταξεν αὐτοὺς εἰς τὰς ἕδρας αὐτῶν.
10 Psalm. 77. 66. 11 Jun. Grot. Drus. Heb. plerique. 12 Arab. Ion. in Grot. Syr. Joseph. lib. 6. c. 1. Τὸ τῆς δυσεντερίας πάθος. Ita not. cod. Reg. in nov. edit. Hexapl. Ἀκύλας ἐξέδωκε, καὶ περιελύθησαν αὐτῶν αἱ ἕδραι. Ἀποίσονται δὲ ὅτι ... ἀπαραχύτως ἔχειν.
13 Symm. Παρήλυσαν τὰς ἕδρας. Var. Boch. Castal.
14 Vide Cornel. a Lapid. hic. Aquil. Τὸ τῆς φαγεδαίνης ἕλκος. 15 Euseb. in Psal. 77. 66.
16 ℣. 12. *Ascendebat ululatus uniuscujusque civitatis in cœlum.*
17 Herodot. l. 1. c. 105. Τοῖσι δὲ τῶν Σκυθέων . . . καὶ τοῖσι τούτων αἰεὶ ἐκγόνοισι ἐνέσκηψε ἡ Θεὸς θήλεαν νοῦσον.
18 Aristophan. Acharn. act. 2. scen. 6. 19 Strabo lib. 3. pag. 165.
20 Plin. lib. 8. cap. 28. Ælian. l. 17. c. 4. Diodor. Sicul. Rutil. Ruf.
Dicuntur cives quondam migrare coacti
Muribus infestos deseruisse Lares.
21 Bellon. Observ. l. 2. c. 78.
22 כל סרני פלשתים. 23 Mendoz.

inde argui, quod illi principatum assereret. Hebraico textui [1] sensus tribui potest, qui longius a Vulgatæ sensu recedat. *Dixerunt: Deducatur in Geth Arca Dei Israel* [2]. Septuaginta hoc in sensu intellexerunt [3]; Transmittatur arca Domini; *& transmissa est Arca Domini in Geth*. Vulgatæ versio magis naturalis videtur; neque enim in Textu dicitur uspiam, arca in Geth fuisse. Theodoretus [4], & Procopius autumant, Philisthiim primum quidem credidisse mala, quibus affligebantur, ex naturali tantummodo causa orta fuisse, ac aeris lue; atque ut hac de re persuaderent Azotiis, id consilii cœpisse, ut arca subinde in omnes Provinciæ urbes circumferretur.

℣. 9. COMPUTRESCEBANT PROMINANTES EXTALES.] Hoc ipsum superius vidimus ℣. 6. Hebraicus textus hæc habet [5]; *Anus illorum abditus erat*. Vel, internis, abditisque hæmorroidis laborabant [6], quæ majorem afferre dolorem, majusque periculum dicuntur. Aliter: *Morbus hic illis erat ignotus* [7]. Numquam antea simile quiddam experti fuerant, neque morbo huic, vel ars, vel experientia pharmacum adinvenerant.

ET FECERUNT SIBI SEDES PELLICEAS.] Ut mollius propter grave incommodum possent discumbere. Prisci non adeo molles, neque industrii erant, ac nos,

A ut omnia sibi commoda compararent; nihil illis suavius erat ad sedendum hircorum pellibus, vel taurorum super lapidea, vel lignea sedilia stratis. Vulgo petræ, vel tabulæ nudatæ insidebant, sed honoris ergo, vel ad delicias lintea, vel pelles supersternebant. Homerus nobis exhibet procos Penelopis [8] talis ludentes, atque pellibus taurorum, quos ipsi mactarant, discumbentes. Pisistratus [9] Nestoris filius ovinas pelles sternit, super quas Telemachus sedeat: Et Penelopes [10] mense accumbit super sedem mundo tectam lineo, ac affabre elaborato. Cæteroquin locus hic in Vulgata solum, & quibusdam Septuaginta editionibus invenitur [11]; namque & in hebraico textu, & in Chaldaico, non secus ac in Antuerpiana, & Parisiensi editionibus Se-
B ptuaginta desideratur. In Regum libris complures loci similes occurrunt, qui ex Græco Textu in Vulgatam migrarunt.

℣. 10. ACCARON.] Erat e præcipuis Philisthinorum civitatibus, ad mediterraneum sita Azotum inter, & Jamniam.

EXCLAMAVERUNT ACCARONITÆ.] Principes facile, ac Magistratus: dicunt enim: *Adduxerunt ad nos Arcam Dei Israel, ut interficiat nos, & populum nostrum*.

---

1 ויאמרו גת יסב ארון אלהי. 2 Vat. Drus. Mont. Syr. 3 Μετελθέτω δὲ ἡ κιβωτὸς τοῦ Θεοῦ, καὶ μετῆλθεν ἡ κιβωτὸς τοῦ Θεοῦ Ἰσραὴλ εἰς Γέθ. 4 Theodor. qu. 10. 5 ויסתרו להם עפלים. 6 Vat. Drus. Boch. &c. 7 Grot. hic. 8 Odyss. A. 9 Odyss. Γ. 10 Odyss. A. 11 Edit. Rom. Ἔδρας. Theodor. Ἔδρας χωρικῶν.

CAPUT VI.

A Philisthæis arca remittitur cum muneribus; quæ venit in agrum Bethsames. Deo Holocausta coram ipsa offeruntur. Mors plurimorum Bethsamitarum, eo quod curiosius arcam fuerint scrutati. Hi vero precantur cives Cariath-iarim, ut eam domum suam abducant.

1. FUit ergo arca Domini in regione Philisthinorum septem mensibus. 2 Et voca-
verunt Philisthiim sacerdotes, & divinos, dicentes: Quid faciemus de arca Do-
mini? indicate nobis, quomodo remittamus eam in locum suum. Qui dixe-
runt: 3 Si remittitis arcam Dei Israel, nolite dimittere eam vacuam, sed quod debe-
tis, reddite ei pro peccato, & tunc curabimini, & scietis, quare non recedat manus
ejus a vobis. 4 Qui dixerunt: Quid est, quod pro delicto reddere debeamus ei? Re-
sponderuntque illi: 5 juxta numerum provinciarum Philisthinorum, quinque anos
aureos facietis, & quinque mures aureos: quia plaga una fuit omnibus vobis, & satra-
pis vestris. Facietisque similitudinem anorum vestrorum, & similitudines murium, qui
demoliti sunt terram, & dabitis Deo Israel gloriam: si forte relevet manum suam a vo-
bis, & a diis vestris, & a terra vestra. 6 Quare aggravatis corda vestra, sicut aggra-
vavit Ægyptus, & Pharao cor suum? nonne postquam percussus est, tunc dimisit eos,
& abierunt? 7 Nunc ergo arripite, & facite plaustrum novum unum: & duas vaccas
fœtas, quibus non est impositum jugum, jungite in plaustro, & recludite vitulos earum
domi. 8 Tolletisque arcam Domini, & ponetis in plaustro, & vasa aurea, quæ exsol-
vistis ei pro delicto, ponetis in capsellam ad latus ejus: & dimittite eam, ut vadat.
9 Et aspicietis: & siquidem per viam finium suorum ascenderit contra Bethsames, ip-
se fecit nobis hoc malum grande: sin autem, minime: sciemus, quia nequaquam ma-
nus ejus tetigit nos, sed casu accidit. 10 Fecerunt ergo illi hoc modo: & tollentes
duas vaccas, quæ lactabant vitulos, junxerunt ad plaustrum, vitulosque earum conclu-
serunt domi. 11 Et posuerunt arcam Dei super plaustrum, & capsellam, quæ habebat
mures aureos, & similitudinem anorum. 12 Ibant autem in directum vaccæ, per viam,

quæ ducit Bethsames, & itinere uno gradiebantur, pergentes, & mugientes : & non
declinabant, neque ad dexteram, neque ad sinistram : sed & satrapæ Philistiim seque-
bantur usque ad terminos Bethsames. 13 Porro Bethsamitæ metebant triticum in val-
le : & elevantes oculos suos, viderunt arcam, & gavisi sunt, cum vidissent. 14 Et
plaustrum venit in agrum Josue Bethsamitæ, & stetit ibi. Erat autem ibi lapis magnus,
& conciderunt ligna plaustri, vaccasque imposuerunt super ea holocaustum Domino. 15
Levitæ autem deposuerunt arcam Dei, & capsellam, quæ erat juxta eam, in qua erant va-
sa aurea, & posuerunt super lapidem grandem. Viri autem Bethsamitæ obtulerunt ho-
locausta, & immolaverunt victimas in die illa Domino. 16 Et quinque satrapæ Phili-
sthinorum viderunt, & reversi sunt in Accaron in die illa. 17 Hi sunt autem ani au-
rei, quos reddiderunt Philisthiim pro delicto Domino: Azotus unum, Gaza unum, As-
calon unum, Geth unum, Accaron unum. 18 Et mures aureos secundum numerum
urbium Philisthiim, quinque provinciarum, ab urbe murata usque ad villam, quæ erat
absque muro, & usque ad Abel magnum, super quem posuerunt arcam Domini, quæ e-
rat usque in illum diem in agro Josue Bethsamitis. 19 Percussit autem de viris Bethsa-
mitibus, eo quod vidissent arcam Domini : & percussit de populo septuaginta viros, &
quinquaginta millia plebis. Luxitque populus, eo quod Dominus percussisset plebem
plaga magna. 20 Et dixerunt viri Bethsamitæ : Quis poterit stare in conspectu Domi-
ni Dei sancti hujus ? & ad quem ascendet a nobis ? 21 Miseruntque nuntios ad habi-
tatores Cariathiarim, dicentes: Reduxerunt Philisthiim arcam Domini, descendite, & re-
ducite eam ad vos.

℣. 2. VOCAVERUNT SACERDOTES, ET DIVINOS [1].] Divinatio, & auguria apud omnes Orientis populos sunt communia. Philisthiim facile hanc ab Ægyptiis superstitionem didicerant. Illud vero nequaquam liquido constat, an apud illos Sacerdotes futura prædicerent, divinarentque : verum id satis est probabile ; hæc enim omnium ferme popularum erat consuetudo. Sacerdotes magicas has, & superstitiosas artes profitebantur.

℣. 3. NOLITE DIMITTERE VACUAM.] Non consuluntur Sacerdotes, utrum arca remittenda sit ; hoc enim consilium absque illorum authoritate initum fuerat [2] : verum id sciscitantur, qua ratione id sibi perficiendum sit, ne aliquid adversus Religionis ritus admittant. Ex decursu liquet, consilium arcam B remittendi non adeo certum fuisse, ut non esset, qui ambigeret, utrum plagæ, quibus affecti fuerant, ex superiori quadam, & supernaturali causa orirentur. Sacerdotes, & Magi duabus hisce difficultatibus respondent ; priori quidem, si arca remitteretur, muneribus vacuam minime esse remittendam, quæ forent veluti expiationis victimæ ob irreverentiam, qua illam essent prosecuti : alteri vero, minime dubium esse, quin de manu Dei ea omnia provenirent, quibus affligebantur : de qua re si quis adhuc hæreret, posse quidem id explorato cognosci : vaccas fœtas plaustro jungerent, cui arca superimponeretur, quæ si plaustrum in Israelitarum regionem deducerent, ac vitulos suos negligerent, qui in urbe aliqua Philisthinorum clau- C derentur, miraculo tunc nullum dubium relinquerent.

Verum cur arca nequaquam muneribus vacua est remittenda ? Hæc est communis idea, summam ac Principem causam nostri non indigere, attamen omnia a nobis exigere. Ratio eadem, quæ probat, Deum nulli obnoxium esse, infinitum, ac sibimet ipsi usquequaque sufficere, probat etiam nos illi esse obnoxios, atque teneri, ut muneribus, atque oblationibus no-

A stram obedientiam, ac submissionem profiteamur. Sententiæ hæ magis adhuc apud eos populos invaluerant, qui coram Diis, vel Regibus prodire non consueverant, nisi munus aliquod, vel oblationem illis deferrent ; & Deus Israel huic adhærere voluit populorum studio, & consuetudini, cum præcepit populo suo [3] : *Non apparebis in conspectu meo vacuus*.

℣. 5. JUXTA NUMERUM PROVINCIARUM . . QUINQUE ANOS AUREOS.] Philisthiim regio, si proprie loqui velimus nequaquam in quinque provincias distinguebatur, quia ipsa parvula erat regio, cui universæ ad summum provinciæ unius nomen tribuere possimus. At in ea quinque urbes erant præcipuæ, quarum singulis Satrapes, vel Princeps imperitabat : itaque in hebraico textu simpliciter habes : *Juxta* B *numerum Saranim Philisthinorum* [4]. Quinque ani ex auro conflati sunt, & totidem aurei mures, quos in capsula prope Fœderis arcam apposuere, veluti totidem monumenta, quibus profitebantur, se Dei manu afflictos fuisse vulneribus illis, de quibus conquerebantur ; & ab illo, ut ex tot malis eruerentur, expectare. Hæc sane communior est [4], ac verisimilior sententia.

Verum non huic omnes acquievere. Interpretes quidam [5] contenderunt, a quinque civitatibus elaboratas fuisse singulas imagines, quæ ipsarum speciem referrent ; seu juxta naturalem ipsarum formam, vel per aliam quamlibet figuram, vel emblemma. Alii [6] arbitrati sunt [7], hominum imagines conflatas fuisse eo corporis habitu, qui ægritudinem, de C qua Scriptura loquitur, significaret. Josephus [8] ait, quinque aurea simulacra effecta fuisse pro totidem civitatibus. Inter eos vero, qui crediderunt, Philisthiim Deo Israel consecrasse partis illius figuras, quæ morbo fuerat confecta, nonnulli crediderunt, ea simplicia fuisse valetudinis suæ monumenta, illis similia, de quibus Scholiastes Aristophanis loquitur [9], qui ait, Atticæ populos turpi laborantes morbo, cui medelam invenire non poterant sortes consuluisse, quæ illis præcepere, ut quacumque ratione possent

Deum

1 כהנים וקסמים. 2 Cap. præced. ℣. 2. *Dimittite Arcam Dei Israel, & revertatur in locum suum*.
3 Exod. 23. 13. *Non apparebis in conspectu meo vacuus*. 4 כמספר סרני פלשתים.
5 Sanct. Mendoz. Iun. Cornel. & cæteri passim. 6 Anton. Sabellic. apud Mendoz.
7 Hugo Cardin. Dionys. Carth. Nauclet. 8 Lib. 6. c. 1. [illegible]
9 Scholiast. Aristophan. ad Acharnens. apud Grot. hic.

Deum honorarent. Ut Oraculo obtemperarent, singuli privatis, ac urbes singulæ publicis sumptibus imagines partis illius, quæ afflicta fuerat, conflari curarunt, atque in grati animi signum eas Deo obtulerunt, qui hoc illis dederat consilii. Simili forsitan superstitione in Osiridis, & Bacchi mysteriis sacrata ea pars fuit, ubi Adonis ab apro fuerat vulneratus. Ægri, postquam convaluissent; viatores, cum ex naufragio fuissent erepti; servi, qui manumissi fuissent, militesque post relatam de hoste victoriam Numinibus in Templis gratitudinis suæ monumenta dicabant; quæ consuetudo apud Christianos sanctificata fuit, cujus vetustatem Theodoretus ostendit [1], qui refert ævo suo Martyrum tumulis oculorum, manuum, aliarumque corporis partium imagines afferri consuevisse, quarum valetudinem eorumdem Sanctorum precibus se consecutos fuisse putabant.

At alii [2] asseruere figuras has a Philisthiim dicatas, meros fuisse Talismanos, vel syderum imagines arcana quadam arte adinventas, atque juxta astrorum adspectum elaboratas, quæ aliquos habent in terrestria corpora influxus. Sexcenta afferuntur eorum exempla quæ his Talismanis effici mire creduntur. Lapis, cui scorpii figura inscripta sit, donec Luna in signo scorpii versatur, iis medetur, qui ab hoc animante demorsi fuere. Asserunt, Apollonium Thyanæum prohibuisse, ne culices Antiochiam ingrederentur, & ciconiæ Bysantium per sculptas horum animantium imagines. Scorpius æneus, columnæ impositus in media Antiochia omnes de ea regione scorpios exterminavit. Crocodilus plumbeus diu a crocodilorum cæde Memphim servavit. Sed cur diutius huic expendendæ sententiæ immoramur, quæ plane probationibus caret, atque argumentis? Si Philisthinis erat ars Talismanorum, cur ea nequaquam usi sunt adversus mures, ac morbos per eos septem menses, quibus arca ea in regione permansit? Cur miserunt extra regionem suam hos Talismanos, atque iis se exuerunt, antequam convalescerent: non enim adhuc convaluerant, cum arcam remiserunt, quam tunc remiserunt dumtaxat, cum hæc omnia essent experti, ut sanarentur.

ET SIMILITUDINES MURIUM.] Rabbini sine ulla veritatis specie ajunt mures Philisthinorum exta corrosisse, quæ per podicem egrediebantur; sed Textus satis palam ait, ipsos universam eorum regionem fuisse depopulatos. Textus antehac de muribus nuspiam mentionem fecit.

DABITIS DEO ISRAEL GLORIAM.] Ipsius potentiam agnoscetis, & injuriam, quam arcæ illius intulistis, expiabitis; vosmet noxios fatebimini, eamque imposterum cum honore, ac muneribus excipietis.

SI FORTE RELEVET MANUM SUAM A VOBIS, ET A DIIS VESTRIS.] Hinc inferre volunt, non Dagonem solum, verum etiam alia omnia Philisthinorum Numina Dei Israel ultionem experta fuisse; verum sæpius animadversum est, hebraicam vocem *Elohim* Deum significare, Deos, Angelos, & Magistratus. Itaque verti potest; ab illis, & ab illorum Deo, vel ab illorum Principibus.

℣. 6. QUARE AGGRAVATIS CORDA VESTRA.] Hoc dicunt propter illos, qui cum sibi persuadere non possent, malum hoc illis divinitus contigisse, assentiri nolebant, ut arca remitteretur.

NONNE POSTQUAM PERCUSSUS EST, TUNC DIMISIT EOS, ET ABIERUNT?] Velis, nolis, ea erit remittenda. Hebraice [3]: *Ægyptii nonne dimiserunt illos, postquam* (Deus) *illis illusit?* vel, postquam acerrime in eos animadvertit? Quidam hoc aliter intelligunt: *Ægyptii, & Pharao nonne dimiserunt eos, postquam malo adeo eos excepissent?* Nonne tandem coacti sunt illos dimittere, postquam tamdiu oppressissent illos? Hinc liquet, Historiam liberationis de Ægypto populis illis nequaquam ignotam fuisse.

℣. 7. FACITE PLAUSTRUM NOVUM.] Credidissent summum nefas, uti plaustro, quo alias usi fuissent: plaustrum novum purius est, magisque mundum, ac nobile; tunc quoque recenti plaustro imponitur arca, cum David eam de domo Abinadab in domum Obededom transfert [4].

VACCAS FOETAS.] Latina hæc vox *fœta* æque significat vaccam, quæ ventrem fert, & quæ dudum vitulum est enixa. Hebraicus textus communiter vertitur [5]: *Vaccas lactantes*. Videbimus infra, quante hujus generis vaccæ fuerint delectæ.

QUIBUS NON EST IMPOSITUM JUGUM.] Vaccas indomitas, atque ideo effrænes, quæ numquam eredi possent per notas vias esse abituræ, ac passuræ pondus, quibus numquam assuevissent.

RECLUDITE VITULOS EARUM DOMI.] Hebraice [6]: *Et reducite vitulos earum ab ipsis domum*. Retrahite vitulos, ac ab illis sejungite, cum plaustrum dimittere vultis, quæ circumstantia matrum indomitarum furorem, ac feritatem magis augere debebat.

℣. 8. PONETIS IN CAPSELLAM AD LATUS EJUS.] Quidam Interpretes autumant, hebraicam vocem [7] *argaz*, quam Vulgata *capsellam* vertit, significare crumenam, vel calathum [8]; verum plerique capsulam fuisse putant. De his Philisthiim muneribus nullibi amplius sermo est in omni decursu Judæorum historiæ. Creduntur tamen in Sanctuario asservata fuisse, & prope arcam, usque ad Babylonicam captivitatem, ac Templum a Nabuchodonosor dirutum.

℣. 9. SIQUIDEM PER VIAM FINIUM SUORUM ASCENDERIT CONTRA BETHSAMES.] Ajunt [10] vaccas ad bivium positas fuisse, ubi hinc via contra Bethsamen duceret, illinc Accaronem reduceret, unde discesserant, & quo ipsarum vituli reducti fuerant. Urbs *Bethsames* septem circiter leucas aberat ab Accarone. Divinatores id futurum ajunt signum, quod Deus Philisthæos percusserit, si vaccæ recta contra Bethsames pergerent, quo naturaliter ire nequaquam deberent. Horum prædictionem exitus egregie comprobavit, neque melius veri Prophetæ rem divinare potuissent. At inferri ne potest, ipsos haud tentasse Deum, sed hunc eam ipsis injecisse mentem, cui felicem adeo præbuit eventum? Hac de re in diversa Interpretes abeunt: alii quidem [11] asserunt, hac in re supernaturali lumine divinitus fuisse percitos, non secus ac Balaam, & Caiphas, quamquam improbi essent, & nequam, cum Deus Prophetiæ donum nequaquam personarum meritis adjunxerit. At plerique [12] contra opinantur, ipsos juxta propriam mentem locutos fuisse, atque his adhæsisse, quæ superstitiosæ ipsorum artes, vel potius simplex conje-

1 Theodoret. de Græc. affect. curatione l. 8.
2 Gregor. not. & observ. c. 8. & Maimonid. more Neboch part. 3. cap. 5.
3 הלא כאשר התעלל בהם וישלחום 4 אולי יקל את ידו מעליכם ומעל אלהיכם.
5 2. Reg. 6. 3. 6 פרות עלות. 70. Πρωτοτοκούσας. Aqu. Λοχευομένας. Sym. Γαλουχούσας.
7 והשבתם בניהם מאחריהם ביתה. 8 תשימו בארגז. 70. Θήσετε ἐν θέματι. Theodoretus ait Septuaginta hoc vas appellare Βερεχθάν. & Josephus Γλωσσόκομον. Aquil. Ἐν λάρνακι, in sacco ex lino, vel crine contexto. Vide Drus. & Buxtorf. Vindic. 219. & Cleric. Sym. Ἐν λαρνακίῳ in arcula. Aqu. in contextu e tonsuris in sacco e pilis, vel crine contexto. Vide novam Hexapl. edit. in Notis.
9 Malvend. & Lud. de Dieu. 10 Joseph. Antiq. l. 6. c. 1. Ἐπαίνει δὲ ἐξελάσαντας . . . ἐπὶ τριόδα καταλιπόντας. Theodor. qu. 10. Mendoz. Tost. 11 Vide Est. ad ℣. 2.
12 Vide Mendoz. & Montan. hic.

ctura illis proposuerunt, cum nulla adesset naturalis connexio, inter effectum, quem sibi proponebant, & causam, quæ illum erat paritura; felix, qui e voto consequitur, eventus, nequaquam probat Deum authorem fuisse consilii: sæpius permittit ad majorem sui nominis gloriam Deus, ut nequissimorum, ac flagitiosissimorum virorum consilia prosperum consequantur effectum; improborum secundas res, adversas autem justorum permittit, & solem suum oriri facit super bonos, & malos. Asseri ne potest, rem aliquam alterius causam fuisse, ob id unum, quod illam præcesserit? *Post hoc, ergo propter hoc*; prava sane ratiocinatio. Nonne liquet, dæmones ipsos, ac pseudoprophetas vera quandoque prænuntiare? tunc autem inferendum est, ipsos nihil veri sine Dei facultate prædicere posse, quamvis divinationis illius Deus author non fuerit.

℣. 12. IBANT AUTEM IN DIRECTUM VACCÆ.] Hebraice [1]: *Et vaccæ rectam viam ingressæ sunt*; perinde ac si eo pacto positu, ut Israelitarum regioni terga verterent, ex se viam illam essent ingressæ, quæ illuc deduceret [2]; verum quin hoc supponamus, mirum sane videri debet, eas positas in bivio, juvenes, ac indomitas, & præterea vitulis in stabulo relictis, recta perrexisse via. Id superiori sane virtuti, ac invisibili potentiæ eas agenti est referendum.

℣. 14. IN AGRUM JOSUE BETHSAMITÆ.] Hoc est nomen privati cujusdam viri, qui in Bethsames immorabatur. Josue dux populi Dei, ac Moysis successor ad regimen Israelis, vocari nequit Bethsamita, qui ibi nunquam permanserit.

CONCIDERUNT LIGNA PLAUSTRI, VACCASQUE IMPOSUERUNT SUPER EA.] Plaustrum, quo arca ducta fuerat, non poterat amplius profanis usibus inservire; crediderunt autem in meliorem usum nequaquam posse usurpari, quam illud super aram comburendo; vaccæ quoque ea in occasione sanctitatis speciem contraxerant, quapropter eas immolandas esse censuerunt, neque deinceps servili cuipiam operi addicendas. Cum eas una cum plaustro Philisthiim dimisissent, haud immerito arbitrati sunt, ipsos jure suo cedere, atque id velle, ut Domino immolarentur. Nec desunt Interpretes [3], qui asserant Philisthæos arcam secutos combussisse plaustrum, & vaccas immolasse. Quam conjecturam ut fuco quodam illiniant, ajunt. Primo, Hebræis nullum fuisse jus in vaccas, & plaustrum; neque illis fuisse fas, aliorum bonis litare. Secundo, Lege cautum fuisse, ne vaccæ, sed masculini tantum sexus animantia in Holocaustis offerrentur [4]. Tertio, Moysem explicite prohibuisse extra Fœderis Tabernaculum sacra operari [5], ac aliorum manibus, quam Sacerdotum: At hac in re nulli Sacerdotes apparent.

Alii asserunt a Bethsamitis mactatas fuisse; verum hi inter se dissentiunt; alii quippe [6] Bethsamitas hac in re peccasse putant; alii negant [7]. Ut vero priori eorum occurrant argumento, qui autumant, a Philisthæis sacrificium oblatum fuisse, dicunt, nullam adfuisse probabilitatis speciem, quod hi vellent sibi reddi plaustrum, & vaccas, quas dimiserant; has procul dubio Deo Israel destinatas fuisse, non secus ac anos, & mures aureos; cur igitur Israelitæ eas sacrificare nequaquam debebant, cum ad Deum suum pertinerent? Ad alterum: cum casus hic omnino extraordinarius esset, ac singularis, & cum Providentia has illis obtulisset vaccas, se se solutos credere potuisse a communi Lege, quæ tauros exigebat in eo sacrificio præsertim, quod neque in Tabernaculo, neque super ejus altari, offerebatur. Ad tertium denique: cum civitas Bethsames Sacerdotibus fuisset tradita [8], nullum dubio hic locum esse, quin ibi aliquis Sacerdos adesset, qui hoc sacrificium offerret. Sacer Textus id palam innuit, cum ℣. 15. ait, Levitas de curru arcam deposuisse. Cæterum patet, cum similes casus ingruerent, aliquando extra Tabernaculum hostias fuisse litatas: cujus rei plurima in historiæ decursu occurrent exempla, ex quibus innotescet, minimum tunc adlaboratum fuisse, ut Sacerdotes invenirentur. Samuel, & Elias, quamvis non essent ex ordine Sacerdotali, sacris tamen sunt operati per quamdam a communibus legibus dispensationem. Denique quoad peccatum, quod hac in re a Bethsamitis patratum comminiscuntur, nihil in Scripturis invenimus, quod locum præbeat huic suspicioni. Spiritus Sancti silentium non est profecto perfectum justificationis argumentum; attamen ratio saltem est, quæ nos deterreat, ne judicium ferre velimus, cum scelus haud manifestum est, & dubio non vacat.

℣. 16. VIDERUNT, ET REVERSI SUNT IN ACCARON IN DIE ILLA.] Testes fuerunt, & modi, quo arca illuc pervenerat, & sacrificii, de quo sumus locuti; & postea reversi sunt; reverti autem die eadem potuerunt, nam Bethsames non aberat ab Accarone ultra sex, vel septem leucas. Nonnulli putant, ipsos domum suam rediisse, postquam viderunt vaccas Bethsames versus progredi, quin eas ulterius fuerint prosecuti.

℣. 18. MURES AUREOS SECUNDUM NUMERUM URBIUM PHILISTHIIM &c.] Versiculo quinto vidimus, Vates id consilii tantum dedisse, ut quinque mures aurei pro quinque Philisthiim urbibus fierent; sed non quinque tantum oblati fuere. Aliæ enim civitates, ac oppida, quæ a muribus vexata fuerant, vel quæ verebantur, ne hæc animantia ipsorum terras invaderent, satius judicarunt imagines aureas conflare, ut a se id malum averterent; quod ipsum de nis factum fuisse non liquet, ea, ut videtur de causa, quod quinque tantum præcipuæ Philistiim civitates, quo arca deducta fuerat, hæmorrhoidarum morbo laboraverant [9]. Clarius autumat, quamlibet e quinque civitatibus, & singula oppida privatim obtulisse aureos mures non solum, sed etiam totidem anos, qua in re particularem devotionis suæ motum, vel formidinis, quæ in illos incesserat, impulsum secuta sunt, potius quam divinatorum sortes, & consilia.

Verum plerique Interpretum asserunt [10] quinque tantum anos, totidemque aureos mures conflatos fuisse, atque Textum in hoc explicant sensu: Quinque præcipuæ Philisthinorum urbes communibus nationis totius sumptibus quinque anos, & quinque aureos mures obtulerunt; quælibet civitas, ac oppidum ab urbe murata usque ad villam, quæ erat absque muro, partem suam contulit. At torqueri Textum necesse est, ut hæc extorqueatur sententia, quæ ad id unum inventa videtur, ut consulatur manifestæ contradictioni, quæ inter ℣. 5. & ℣. 18. intercedit.

ET USQUE AD ABEL MAGNUM.] Seu magnum luctum. Nomen *Abel*, vel luctus, impositum fuisse videtur magno lapidi, super quem arcam deposuerant, tunc solum, cum tot Bethsamitarum millia interierunt, de quibus modo sumus locuturi. Abludere autem voluerunt inter *Aben*, quod lapidem, & *Abel*, quod luctum significat. Septuaginta [11] legerunt *Aben* in textu, quandoquidem simpliciter vertunt: *Usque ad lapidem magnum*. Loci omnes Philisthinorum quo late patet eorum regio usque ad lapidem magnum, singu-

1 וישרנה הפרות. 70. Καὶ κατεύθυναν αἱ βόες. 2 Mendoz.
3 Ita Veter. Heb. Salian. Mariana. 4 Levit. 1. 3. & 22. 19. 5 Levit. 17. 4.
6 Lyr. Tost. 7 Mendoz. Jun. Menoch. Sanct. Tir. 8 Josue 21. 16.
9 Ita Cajet. hic.
10 Jun. Menoch. Malv. Mendoz. Sanctius, Tir. alii.
11 Ἕως λίθου τοῦ μεγάλου. Legerunt על אבן הגדולה pro אבל.

singuli aureum murem contulerunt, vel aliquid contribuerunt in sumptum quinque murium, qui oblati fuerunt.

QUÆ ERAT USQUE IN ILLUM DIEM IN AGRO JOSUE.] Naturalis hebraici textus constructio [1] innuit, arcam in agro Josue Bethsamitæ mansisse, & super lapidem, qui erat in agro, ad illud usque tempus, quo hæc scriptis mandabantur; quod nequaquam impossibile videtur, si duo supponantur. Unum quidem, primum Historiæ Authorem monumenta sua locis applicuisse, atque hæc paullo post arcæ adventum exarasse: Alterum vero, arcam aliquantisper eo in loco perstitisse, atque ejus ibi detinendæ initum fuisse consilium, quod opere completum fuisset, nisi funesta plurimorum Bethsamitarum morte deterriti, eam alio dimisissent. Arca igitur erat adhuc in agro Josue, cum primum historiæ hujus monumenta litteris mandabantur.

Attamen Interpretes nequaquam fieri potuisse rati, ut in agro sub diu, ac super simplicem lapidem diutius arca permaneret, in diversa abiere: aliquidem [2] Textum hunc hoc pacto supplentes explicuere. Posita fuit arca super lapidem, cui nomen fuit magnus luctus, qui lapis est usque ad hunc diem in agro Josue. Alii vero: Arca super hunc lapidem permansit usque ad diem, quo in urbem translata fuit, ut decentius collocaretur [3]. Alii [4] volunt, *memoriam* servatam fuisse usque ad tempus, quo Author hæc scribebat, quod arca super hunc lapidem fuisset posita. Alii, mures, & anos aureos in arca, vel prope arcam positos fuisse, atque ibi usque ad Scriptoris tempus adfuisse censent.

℣. 19. PERCUSSIT . . . EO QUOD VIDISSENT ARCAM DOMINI.] Eo quod curiosius, atque negligentius eam respexissent; nam eam venientem videre, accedere, honore prosequi crimen esse non poterat puniendum: hoc quippe eorum Religionis erat officium, quod nisi præstitissent, jam in crimine alligassent. Hebraicus textus [5] aliter potest intelligi: *eo quod vidissent in arca Domini*. Sed fatendum est in Lingua Sancta [6]: *videre in quapiam re* eam simpliciter intueri significare, nisi orationis decursus aliter intelligendum esse demonstret. Exempli gratia: *Vide in malum diem*, significat, considera futura mala; & *qui videt in nubibus, non metet*, qui tempus terit aeris speciem considerans, numquam metet. Itaque accusare nollem Bethsamitas, quemadmodum Interpretibus solemne est [7], eo quod arcam aperuerint, excusandi gratia Domini vindictam, qua in illos animadvertit: sufficit enim, quod propius accesserint, atque eam incuriosius considerarint, ut hanc sibi promeruerint calamitatem. Constat enim, Levitis ipsis, qui arcam, & sacra vasa gestabant vetitum fuisse eadem attingere, vel denudata aspicere, sub mortis interminatione [8]. Si Philisthiim, qui leges has edocti non fuerant, neque illis tenebantur, severe adeo mulctati fuerant, eo quod irreverentius arcam excepissent; quid expectandum erat Israelitis in idem scelus prolapsis? Profani quoque religiosa cura semper mysteria sua abdiderunt, gravesque illis indixere pœnas, qui eorumdem sanctitatem ea detegendo violassent. Adiri potest Alcibiadis historia apud Plutarchum.

ET PERCUSSIT DE POPULO SEPTUAGINTA VIROS; ET QUINQUAGINTA MILLIA PLEBIS.] Nonne brevius magis, ac naturalius fuisset dicere: *Deum percussisse de populo quinquaginta millia, & septuaginta virorum?* Ullumne discrimen interest populum inter & plebem? Nonnulli ajunt [9] Septuaginta principes viros cæsos fuisse, ac præterea quinquaginta millia plebis. Josephus [10] ait, Bethsamitas, cum undique confluxissent, ut arcam intuerentur, ausos manum apponere, ut eam de curru demitterent, licet Sacerdotali munere non fungerentur, a Deo fulmine fuisse tactos; atque septuaginta de vivis ereptos fuisse; qua in re dupliciter Scripturæ adversatur. Primum quidem, quod ait populum de curru demisisse arcam, cum id Levitæ præstiterint, ut ex versiculo quinto liquet; deinde vero, quod septuaginta dumtaxat periisse ait, quod a textu refellitur, atque a Septuaginta Complutensis Editionis. Verum postrema hac in parte non solus author iste peccat; sed quamplurimi Interpretes cum illo [11]; quorum alii inquiunt a Deo septuaginta viros fuisse interemptos, qui viribus, & dignitate quinquaginta millibus pares erant, Senatores, vel Assessores Sanhedrin; quo pacto duplicem numerum, qui adest in Scriptura conciliari arbitrantur. Verum de hujus explicationis vi penes lectorem esto judicium.

Alii autem [12] aliter hanc difficultatem eludunt: Deus percussit septuaginta viros coram quinquaginta mille hominibus de populo: vel Deus interemit septuaginta homines de numero quinquaginta millium, qui circum arcam convenerant. Bochartus [13] aliter etiam vertit: *Deus occidit septuaginta homines de quinquaginta millibus hominum*. Absque eo quod multitudinem omnem percuteret, satis illi fuit septuaginta solum perimere; videlicet vicesimam totius multitudinis partem; conventus omnis erat fortasse hominum mille, & quadringentorum, ex quo numero septuaginta solum cæsi fuere. Syriaca, & Arabica versiones alium quoque difficultatis solvendæ aditum aperiunt; legunt enim *quinque mille, & septuaginta viros*, pro quinquaginta millibus, & septuaginta. Ut varias has explicationes confirment, ajunt, haud esse fidei consonum, solum Bethsames civitatem, atque agrum illius gignere potuisse quinquaginta hominum millia, & septuaginta; ac tantam virorum vim celeriter adeo ex propinquis locis cogi potuisse circum arcam. Denique negotium illis facessit nimia hujus supplicii severitas adversus populum, qui pietatem, zelum, ac egregiam sollicitudinem, laudibusque efferendam prætulit, ut Dei sui arcam exciperet.

Verum hoc pacto has difficultates refellimus. Primo, Textus non ait explicite omnem populum hunc Bethsamitarum fuisse. Ita porro ad litteram vertitur [14]: *Et percussit Bethsamitas, eo quod respexissent arcam Domini; & percussit de populo septuaginta homines, quinquaginta hominum millia*. Itaque hic distingui posset: Percussit septuaginta Bethsamitas, eo quod arcam essent intuiti, ac præterea quinquaginta hominum millia de populo; vel juxta Chaldaicam lectionem: percussit septuaginta seniores populi, ac de reliquo Israel quinquaginta hominum millia. Secundo, supponitur clades hæc una tantum die contigisse:

1 עד היום הזה. 70. Ἕως τῆς ἡμέρας ταύτης. *Usque in diem hanc*. Ita Syr. Arab. Interpp. plerique.
2 Vatabl. Jun. & Tremel. Cajet. Mari. &c. 3 Mendoza.
4 Malvenda. 5 כי ראו בארון יהוה. 6 Proverb. 7. 15.
7 Prov. 11. 4. 8 Mont. Jun. Drus. Vatab. Menoch. Sanct. Cornel.
9 Num. 4. 15. *Non tangent vasa sanctuarii, ne moriantur*. Et ℣. 20. *Alii nulla curiositate videant, quæ sunt in Sanctuario, priusquam involvantur, alioquin morientur*. 10 Greg. Magn. hic. Beda lib. un. 30. quæst. in Libb. Reg. qu. 3. Euch. Angelom. apud Mendoza. 11 Joseph. Antiqu. l. 6. c. 2.
12 Ita Author. quæst. Heb. in l. Reg. Rupert. Lyran. Abul. Clarius, Dionys. Carth. Sa, ex Hebræis.
13 Sanch. Serar. Tirin. Sa, vide Cleric. hic.
14 Boch. de animal. Sacr. par. 1. l. 2. c. 36.
15 ויך באנשי בית שמש כי ראו בארון יהוה ויך בעם שבעים איש חמשים אלף איש

tigisse : verum nihil nos cogit, ut sententiæ huic subscribamus : cum arca diu permanserit in agro Josue [1], populus illuc undequaque confluxit, ac cum plures eadem cura, & studio, ac Bethsamitæ capti fuerint, nequaquam mirum est, si Deus in universos eodem supplicio animadvertit. Tertio, severitas, quam adversus tantam hominum vim exercuit Deus, illis tantum nimia videbitur, qui, quem in modum Deus timeri, & coli in populo suo velit, ignorant, & qui de consiliis, ac voluntate Dei juxta infirmum rationis lumen judicium ferunt. Denique in facto, in quo nihil impossibile, ac justitiæ divinæ contrarium nihil occurrit, cur est tergiversandum, cum Textus palam, evidenterque loquatur? Hebraicus Textus, Septuaginta, Vulgata Versio, & Chaldaica constanter quinquaginta mille, ac septuaginta viros legerunt; cur igitur Textus non est ad litteram explicandus.

Græca quædam exemplaria legebant olim versiculi hujus initio ea, quæ sequuntur. *Filii Jechoniæ, qui erant e numero Bethsamitarum, gravate tulerunt, illos respexisse arcam Domini; & ille percussit de numero illorum septuaginta viros, & quinquaginta mille de populo.* Theodoretus [2] hoc explicat, dicens, filios Jechoniæ mulctatos fuisse, eo quod impii essent, & quod haud æquo animo tulissent, quod arca reverteretur; populum vero, quod ne minimum quidem subire periculum voluisset, ut arcam de Philisthinorum manibus eriperet, postremo fuisse affectum supplicio. Verum ne meretur quidem, ut animum advertamus, hæc Jechoniæ filiorum circumstantia, quæ innititur solum Septuaginta Textui haud satis accurato, & castigato. Huic porro alius etiam sensus tribui posset, dicendo, Jechoniæ filios pios fuisse, atque sapientes, qui improbabant Bethsamitarum libertatem, quam sibi sumebant, oculos in Domini arcam intendendi, quæ causa fuit mortis Bethsamitarum septuaginta &c.

℣. 20. QUIS POTERIT STARE IN CONSPECTU DOMINI?] Verba hæc intelligi possunt, veluti questus ob nimiam Domini severitatem; perinde ac hi populi, qui perpendere debebant, curnam divinæ indignationis effectus sibi fuissent promeriti, ut ad frugem redirent, Deumque flecterent; mallent potius illum a regionibus suis procul amandare, veluti Deum difficilem, ac periculosum. Vel alio in sensu: veluti confessio propriæ nequitiæ, ac Justitiæ Dei, qui severe punit, non autem cum excessu; quandoquidem nulla adest ratio inter lacessiti Dei magnitudinem, atque ea omnia, quibus homo illi potest satisfacere.

℣. 21. MISERUNT NUNTIOS AD HABITATORES CARIATH-IARIM.] Cur autem ad hanc potius civitatem quam ad aliam? Cur non in Silo, ubi tamdiu permanserat, ac ubi illius Tabernaculum, adhuc adestat? Demum curnam dicunt ad habitatores Cariathiarim: *Descendite, & reducite eam ad vos*, perinde ac antea ibidem fuisset? Sed hebraice habemus simpliciter [3]: *Descendite, & deducite eam ad vos*. Fatendum est, nos latere, curnam Bethsamitæ habitatores Cariath-iarim potius quam alios adierint; nisi forte hæc finitima erat urbs, ac loci natura munitior, ubi arca tutius, quam in Bethsames permanere posset; postrema hæc urbs oppidulum potius erat; nec satis aptum ut pro sua dignitate arca ibi constitueretur. Arca diutius in agro Josue Bethsamitæ permansit, donec in Cariath-iarim translata fuit. Pronius fidei est, Tabernaculum, ac reliqua vasa in opus ministerii consecrata in Silo perstitisse [4], donec in Nobe delata fuerunt, ubi Saul ævo adestant [5].

CARIATH-IARIM, CARIATH-BAAL. Josue 15. 60. *Baala* ibid. ℣. 9. ac *Baalim-Juda* 2. Reg. 6. 2. & *Sedeiarim* Psal. 32. 6. idem prorsus significant. Cariathiarim Gabaa, & Nobe satis sibi erant propinquæ, & Cariath-iarim decem tantum millibus, vel leucis tribus, circiter & dimidia ab Ierusalem aberat. Silo erat in tribu Ephraim, multo magis Boream versus.

1 Vide, quæ diximus supra ℣. 18.
2 Theodoret. qu. 11. Procop. hic, & edit. Sixt.
3 ·וירדו העלו אתו אליכם
4 Judic. 18. 31. Collatum in 1. Reg. 14. 3.
5 Vide 1. Reg. 21. 1.

CAPUT VII.

Arca transfertur in Cariath-iarim, ubi viginti immoratur annos. Samuel populum hortatur ut ad Dominum redeat. Populi concilium in Masphath. Philisthiim cum Israelitis congressi Samuelis precibus funduntur.

1. Venerunt ergo viri Cariathiarim, & reduxerunt arcam Domini, & intulerunt
eam in domum Abinadab in Gabaa : Eleazarum autem filium ejus sanctifica-
verunt, ut custodiret arcam Domini. 2 Et factum est, ex qua die mansit
arca Domini in Cariathiarim, multiplicati sunt dies (erat quippe jam annus vigesimus)
& requievit omnis domus Israel post Dominum. 3 Ait autem Samuel ad universam do-
mum Israel, dicens : Si in toto corde vestro revertimini ad Dominum, auferte deos
alienos de medio vestri, Baalim, & Astaroth : & præparate corda vestra Domino, &
servite ei soli, & eruet vos de manu Philisthiim. 4 Abstulerunt ergo filii Israel Baa-
lim, & Astaroth, & servierunt Domino soli. 5 Dixit autem Samuel : Congregate uni-
versum Israel in Masphath, ut orem pro vobis Dominum. 6 Et convenerunt in Mas-
phath; hauseruntque aquam, & effuderunt in conspectu Domini, & jejunaverunt in die illa,
atque dixerunt ibi : Peccavimus Domino. Judicavitque Samuel filios Israel in Masphath.
7 Et audierunt Philisthiim, quod congregati essent filii Israel in Masphath, & ascende-
runt

runt satrapæ Philisthinorum ad Israel. Quod cum audissent filii Israel, timuerunt a facie
Philisthinorum. 8 Dixeruntque ad Samuelem: Ne cesses pro nobis clamare ad Do-
minum Deum nostrum, ut salvet nos de manu Philisthinorum. 9 Tulit autem Samuel
agnum lactentem unum, & obtulit illum holocaustum integrum Domino: & clamavit Sa-
muel ad Dominum pro Israel, & exaudivit eum Dominus. 10 Factum est autem, cum
Samuel offerret holocaustum, Philisthiim iniere prælium contra Israel: intonuit autem
Dominus fragore magno in die illa super Philisthiim, & exterruit eos, & cæsi sunt a
facie Israel. 11 Egressique viri Israel de Masphath, persecuti sunt Philisthæos, & per-
cusserunt eos, usque ad locum, qui erat subter Bethchar. 12 Tulit autem Samuel la-
pidem unum, & posuit eum inter Masphath, & inter Sen: & vocavit nomen loci il-
lius, Lapis adjutorii. Dixitque: Hucusque auxiliatus est nobis Dominus. 13 Et hu-
miliati sunt Philisthiim, nec apposuerunt ultra, ut venirent in terminos Israel. Facta
est itaque manus Domini super Philisthæos, cunctis diebus Samuelis. 14 Et redditæ
sunt urbes, quas tulerant Philisthiim ab Israel, Israeli, ab Accaron usque Geth, &
terminos suos: liberavitque Israel de manu Philisthinorum, eratque pax inter Israel, &
Amorrhæum. 15 Judicabat quoque Samuel Israelem cunctis diebus vitæ suæ: 16 Et
ibat per singulos annos circujens Bethel, & Galgala, & Masphath, & judicabat Israe-
lem in supradictis locis. 17 Revertebaturque in Ramatha: ibi enim erat domus ejus,
& ibi judicabat Israelem; ædificavit etiam ibi altare Domino.

℣.1. REDUXERUNT ARCAM DOMINI.] Hebraice: *Ascendere fecerunt Arcam Domini domum suam*; eam duxerunt in civitatem suam, quæ situ elatior erat, quam Bethsames. At quomodonam ausi sunt huic se periculo committere, eam domi suæ excipiendi, cum jam cognovissent, quibus vulneribus affecisset Deus Philisthiim, & qua clade tot virorum millia percossisset in agro Josue Bethsamitæ? Nequaquam ignorabant cives Caiarhiarim veram originem, ex qua ex profectæ fuerant calamitates de quibus sumus locuti; quas facile effugere poterant, eam majori observantia, & cultu, quam Bethsamitæ præstiterant, excipientes. Nihil fidei absonum dixerimus, si asseruerimus hac de re Samuelem fuisse consultum; omnem fortasse ad hanc solemnitatem rite peragendam populum convenisse, eamque summa cum celebritate, ac religione fuisse peractam: atque hoc in populi concilio Samuelem in nationis caput, & principem delectum fuisse: nam posthac semper hac dignitate insignitus effulget, quam non nisi de mandato Dei, ac populi sententia ipsum assumsisse est existimandum. Felici hac, aptaque redeuntis Arcæ occasione utitur, ut Israelitas ad idolorum cultum relinquendum hortetur, cui se se plurimi addixerant; illis suadet, ut ad libertatis spem animos erigant; ac totius populi armati conventum indicit in Masphath, ut ibi ea capiantur consilia, quæ optima videantur rei publicæ constituendæ: hæc autem ex Capitis hujus decursu innotescunt, cujus narratio brevior sane, & concisior postulat, ut multa subinde suppleantur. Narrationis, rerumque gestarum series nobis persuadet, hæc acta, transactaque fuisse eo ferme pacto quo diximus. Samuel, quem constat, exscripsisse prima saltem horum librorum monumenta, modestiæ ergo ea fortasse silentio obvolvit, quæ in majorem sui gloriam erant cessura; & Spiritus Sanctus voluit, ut hac in re ab illius modestiæ exemplo præclara virtutis hujus documenta perciperemus.

IN DOMUM ABINADAB IN GABAA.] Ut Scripturam conciliemus, dicere opus est, *Gabaam* eandem fuisse, ac Cariath-iarim, vel saltem postremæ hujus civitatis partem. Hebraica vox *Gabaa* A significat altitudinem; creditur autem dubio procul, domus Abinadab quæ elatiorem civitatis hujus partem obtinebat, præ cæteris aptior visa fuisse sedes, ubi Domini Arca constitueretur. Hæc generalis erat veterum populorum mens ut Templa, &c., seu vero, seu inanibus diis dicata delubra in sublimioribus locis assurgerent. Septuaginta [1], & plerique Interpretum [2] nomen *Gabaa* pro elato loco in appellativo sensu acceperunt. Mirum tamen est, quod Arca nequaquam reducta fuerit in Tabernaculum suum in Silo. Vide ultimum superioris Capitis, ac primum hujus versiculum.

ELEAZARUM SANCTIFICAVERUNT.] Nequaquam vera potest assignari causa, propter quam Eleazarus prælatus fuerit Abidanab patri suo in hac digni- B tate. Videtur, Abinadab jam e viventium numero excessisse, ac domus illius domus Abinadab fuisse appellata, eo quod ille hanc ædificasset, eamque ipsius filii habitarent. Eleazaro duo fratres erant *Ahio*, & *Oza*, qui illi successerunt, quemadmodum perhibetur, in munere sacri hujus depositi custodiendi. Cum refertur Arcæ translatio imperante David, Eleazarus non memoratur, & mentio fit solum de Ahio, & Oza filiis, vel posteris Abinadab. Cariath-iarim non erat civitas Levitarum, sed tamen Abinadab ex Levi tribu fuisse censetur [3]. Nomen illius non occurrit in familiæ hujus censu, seu quod alio ibi nomine appelletur, seu quod nimis a præcipuo stipite absit, quam ut in genealogias referri posset, quæ non semper, tam alte in Scriptura C ducuntur.

Qua in re præcise consisteret consecratio, vel sanctificatio, qua Eleazarus initiatus fuit, ut Arcæ custodiendæ præficeretur, non satis liquet. Quidam ajunt [4] inunctum fuisse, vel consecratum Sacerdotem, quod supponit ipsum ex Aaronis progenie fuisse, cujus rei nullum extat argumentum. Alii [5] putant Levitica solum consecratione fuisse insignitum; scilicet ipsum ad Levitarum munus evectum fuisse per eos ritus, qui in Numerorum libro cap. 8. 7. memorantur. Alii [6] demum Hebraicum textum [7] ita reddunt, *disposuerunt eum*; eum præpararunt, vel admonuerunt illum, ut se ad Arcam domi suæ excipiendam præpararet, semet purificans per abstinentiam ab

1 בגבעה 70. Ἐν τῷ βουνῷ. 2 Pag. Vatabl. Jun. Kimchi, &c. 3 Joseph. l. 6. Antiqu. c. 2.
4 Hugo Card. Dionys. Carthus. Mendoz. Cornel. a Lapide.
5 Cajetanus, alii. 6 Hebr. in Drus. 7 קדשו לשמר את ארון יהוה

ab extrinsecis sordibus, & a venereis voluptatibus, nec non per vestium ablutionem, atque, ut omnia verbo complectar, per omnes expiationum species, quæ simili in re adhiberi consueverant. Posterior hæc sententia æquior videtur, ac simplicior. Authographi verbum, quod *sanctificare* vertitur, sæpius *præparare*, ac disponere significat.

℣. 2. ET FACTUM EST, EX QUA DIE MANSIT ARCA DOMINI IN CARIATH-JARIM, MULTIPLICATI SUNT DIES: ERAT QUIPPE JAM ANNUS VIGESIMUS, ET REQUIEVIT OMNIS DOMUS ISRAEL POST DOMINUM.] Plures Interpretes hinc Epocam desumunt eorum omnium, quæ inferius narrantur. At credibile ne est, Samuelem passum fuisse viginti annos dilabi, quin populum adhortaretur, ut confugeret ad Dominum, ac idola desereret? Quomodo nam hæc suppositio cum iis conciliari potest, quæ ℣. 13. hujus capitis legimus; *Facta est manus Domini super Philisthæos cunctis diebus Samuelis?* Liquet autem Prophetam hunc annos viginti dumtaxat judicasse. Hinc igitur inferendum erit populum Samuele imperante numquam pace fuisse potitum, si tunc solum Philisthiim propulsari cœperunt post annum vigesimum, ex quo Arca in Cariath-iarim fuerat delata, & Samuel Judæorum Reipublicæ præfectus fuerat,

Longe igitur præstat versiculum hunc apposita parenthesi claudere, perinde ac nullum cum iis, quæ consequuntur, nexum haberet. Sacer auctor id simpliciter monitum vult, post Arcæ adventum in Cariath-iarim viginti annos fluxisse, quo temporis intervallo Israelitæ pacem obtinuerunt, ac fideles Domino perstiterunt, per omne Samuelis imperium; ac statim narrare incipit ea, quæ primum gessit Samuel, cum populi Dei habenas est assecutus, & modum, quo diuturnam hanc, de qua loquimur, viginti annorum pacem populo comparavit. Ita porro Hebraicum textum reddere mallem [1]: *E a die, qua mansit Arca Domini in Cariath-iarim, multiplicati sunt dies, scilicet viginti annorum spatium elapsum fuerat, qua domus Israel requievit adhærens Deo Israel.* Interpretes aliter, atque postrema hæc reddunt verba, quæ Vulgata vertit; *requievit post Dominum*. Sanctius: *qui primum in Domini servitio fluctuabant, constanter adhæserunt illi, quia ab eo secederent*. Alii, *Convenerunt simul versus Dominum*; vel [2] *ploraverunt*, conquesti sunt, clamaverunt *versus Dominum*. Septuaginta [3]: *ad Dominum redierunt*. Chaldaica versio, & Arabica sententiam eamdem sequuntur.

℣. 3. AIT AUTEM AD UNIVERSAM DOMUM ISRAEL.] Reor loquutum fuisse ad omne populi concilium, qui solemnitati interfuit translationis Arcæ in urbe Cariath-iarim; atque tunc electum fuisse in Caput nationis universæ.

BAALIM, & ASTAROTH.] Adiri potest Dissertatio nostra de Phœnicum, vel Chananæorum Diis: Aquila: *Statuas Astarte*. Septuaginta, *lucos Astaroth*.

PRÆPARATE CORDA VESTRA.] Deus nobis imperat, ut convertamur, & corda nostra præparemus; nosque illum exoramus, ut nos convertat, ac a nobis auferat cor lapideum, ac præbeat cor carneum. Quarum rerum altera ipse nos nostræ admonet libertatis, nosque edocet, quid possimus, & quid facere debeamus; altera vero ostenditur, ab ipso nobis tribui & facere, & velle: altera nos fatemur submissionem nostram, ac opus gratiæ illius, ut bene vivamus; altera vero libertatem nostram agnoscimus, ac facultatem nosmet ad Deum gratiæ ipsius adminiculo convertendi. Deus numquam imperat impossibilia, sed vult nos pro virili adlaborare, ac ab ipso petere, quod per nos nequaquam possumus; neque illis, qui petunt, quemadmodum opus est, denegat umquam auxilium ad bene vivendum. Concilium Tridene. Sess. 6. c. 11. *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis, & adjuvat ut possis*. Vide & August. de Nat. & Grat. c. 43. Concilium Arausic. 11. c. 25.

℣. 5. CONGREGATE UNIVERSUM ISRAEL IN MASPHATH.] Ex hujus historiæ decursu liquido paret, concilium hoc non sacrum dumtaxat fuisse conventum, aut politicum, in quo de publicis rebus ageretur. Populus cum Samuele convenit armatus, qua de re certiores facti Philisthiim, illuc erecto agmine perrexerunt cum hoste decertaturi. Civitas Masphath ob plura concilia, quæ ibi habita fuerunt apprime celebris, posita erat secus viam, quæ ab Eleutheropoli Jerusalem pergit in tribu Juda.

℣. 6. HAUSERUNTQUE AQUAM, & EFFUDERUNT IN CONSPECTU DOMINI.] Locus hic ex iis est, qui maxime patentem præbent Interpretibus aditum, qua velint vagari. Paraphrastes Chaldæus de lacrymarum rivis explicat, quos Israelitæ coram Domino effuderunt. At hæc explicatio litteralis ne est censenda? istuc dilabi nonne potius est, difficultatem effugere, quam enucleare? Nonne cum eruditis quibusdam Interpretibus [4] præstaret asserere, aquam vere effusam fuisse, veluti symbolum lacrymarum, quas effundere peroptassent, & quas re ipsa coram Domino effuderunt? Alii effusam hanc aquam veluti humiliationis figuram accepere, juxta ea Psalmi 21. 15. verba: *Sicut aqua effusus sum, & dispersa sunt omnia ossa mea*; vel expiationis signum, quemadmodum scriptum est in libro Job 11. 16. *Miseriæ quoque oblivisceris, & quasi aquarum, quæ præterierunt, recordaberis*. Vel ad preces cordisque effusionem significandam. Thren. 2. 19. *Effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini, leva ad eum manus tuas*: Vel in jurisjurandi speciem, perinde ac aquam effundentes Deo dicerent: Dispereamus, ac dissipemur velut aqua, si eorum, quæ hodie pollicemur, fidem non præstiterimus.

Alii vero nulla in hac re mysteria scrutantes, putant, effusam fuisse veluti libationem, ac sacrificii genus coram Domino. Quæ sententia ut confirmetur, ajunt, olim aquæ libationes in more fuisse positas. Theophrastus a Porphyrio de Abstin. l. 2. ait, primum quidem aquam libari consuevisse, deinde vero mellis, ac tandem vini libationes invectas fuisse; quam veterem consuetudinem probat ex columnis, quæ in Creta insula extabant, quibus veteres Corybantum ritus erant insculpti. Porphyrius idem lib. 4. ait, apud Ægyptios cantorem effundere aquam, ac ignem accendere consuevisse in templo, Deum appellando, qui eidem præesset. Virgilius quoque de more quodam fundendi aquas lacus Averni, vel alias cum hæ deessent, loquitus Æneid. 4.

Sparserat & latices simulatos fontis Averni.

Homerus Odyss. M. refert socios Ulyssis, propter vini defectum, aquam effudisse, cum sacrificium quoddam numinibus offerrent. Scimus, David in Domini honorem aquam effudisse [5], quam tres milites strenui, ut e cisterna Bethleem haurirent, vitæ discrimen subierant. Judæi postrema die solemnitatis Tabernaculorum [6] magnis acclamationibus, ac ritibus extraordinariis ire consueverant quæsitum aquam de fonte Siloe eam veluti in sacrificium effusuri in Templo coram Domino. Creditur Jesus Christus consuetudini huic allusisse, cum stans postrema solemnitatis die clamabat Joan. 7. 24. *Si quis sitit veniat ad me*. Verum quidem est, quod Lex aquæ libationes

non

1 ויהי מיום שבת הארון בקרית יערים וירבו הימים ויהיו עשרים שנה וינהו כל בית ישראל אחרי יהוה

2 Pagn. Montan. Cajetan. Jun. Osiand. &c.

3 Καὶ ἐπέστρεψε πᾶς ὁ οἶκος Ἰσραὴλ, ὀπίσω κυρίου.

4 Grot. Jun. Tirin. Sanctius.

5 2. Reg. 23. 16. *At ille bibere noluit, sed libavit eam Domino.*

6 Vide Outram. de Sacrif. l. 1. c. 8. ad finem. & Saubert. de Sacrif. c. 24. 25. Lamy Introduct.

non præcipit, verum ne vetat quidem; cur nam in extraordinaria solemnitate fuisset nefas rem singularem peragere? Samuel nonne obtulit holocausta extra Tabernaculum, quamvis hoc lege esset interdictum? En autem quæ pro hac sententia possent afferri. Verum enim vero, quidquid de hac cæremonia existimetur, parum interest; hæc enim explicatio densissimis tenebris semper erit involuta. Nonnulli putent populum se se balneis purificasse, vestes suas abluendo, quemadmodum aliis in occasionibus fieri solebat Genes. 35. 2. Exod. 19. 24.

JUDICAVIT FILIOS ISRAEL IN MASPHATH.] Dignitatem Judicis iniit: enim omnis populus Judicem salutavit; & tunc primum hoc munere functus est in Masphath [1].

℣. 7. ASCENDERUNT SATRAPÆ PHILISTHINORUM.] Hi certiores facti populum omnem simul convenisse, atque elegisse sibi in Principem Samuelem, minime dubitarunt, quin Israelitæ ob Arcæ reditum animis elati, & quodammodo certi, quod cum Deo in gratiam rediissent, atque consiliis, precibusque hujus Prophetæ innixi, cujus jam fama percrebuerat, omnes nervos intenderent, omnemque moverent lapidem, ut perfectam sibi libertatem compararent: eos igitur occupare decreverunt. Animadvertimus jam, Israelitas armatos illuc confluxisse, quandoquidem eos intuemur pugnam haud detractare, verum etiam hostes palantes agere, ac de illis maximam victoriam reportare.

℣. 9. TULIT AGNUM LACTENTEM UNUM, & OBTULIT ILLUM HOLOCAUSTUM INTEGRUM DOMINO.] Tres hic difficultates occurrunt. Prior, cur Samuel adhuc lactentem obtulerit, cum lege interdictum sit [2], ne hædus in lacte matris suæ excoquatur, videlicet ne sacrificetur, donec lac sugit. Altera vero, cur Samuel hunc agnum obtulerit, quamquam Sacerdos non esset. Tertia, cur extra Templum, vel Tabernaculum obtulerit contra explicitum Legis edictum? Hæ omnes explanantur difficultates, dicendo, interdictum hædi in matris lacte excoquendi ad hædum solum restringi, vel ad agnum paschalem, qui anniculus immolandus erat, videlicet cum jam adolesceret; sed alias victimas offerre nequaquam vetitum fuisse, dummodo septem diebus lactassent [3], *Septem diebus erunt sub ubere matris suæ; die autem octavo, & deinceps offerri poterunt Domino*. Alteri vero difficultati respondemus, haud esse certum, quod Samuel Sacerdotis munere functus fuerit; opera uti potuit Sacerdotis cujuspiam; sæpe enim aliquem agere dicimus, quod ab alio fieri author est: Et quamquam fateri teneremur id ipsum fecisse, quis scit, utrum Deus peculiari revelatione per legis dispensationem hanc illi facultatem tribuerit? Tertiam demum evolvimus dicentes Deum loqui solum de casibus ordinariis, ac de simplicibus Israelitis, cum lege cavet, ne alibi, quam in Tabernaculo sacris operentur. Occasiones, quæ præter ordinem, cum necessitate conjunctæ contingunt, supra leges sunt positæ, & Prophetæ Dei voluntatis Interpretes noverunt, quandonam a legibus dispensandum sit, & quando eæ sint summo cum rigore observandæ.

HOLOCAUSTUM INTEGRUM.] Quid sibi vult hæc locutio [4]; holocausta ne offerebantur, quin integra offerrentur? Samuel obtulit holocaustum *integrum*, scilicet perfectum, Sine macula, absque defectu [5]; vel illud obtulit *integrum*, cum pro temporis angustia non potuisset rite illud in partes secare [6]. Demum obtulit integrum in Holocaustum, per pleonasmum; omitti enim potuisset vox *integrum*. Septuaginta [7]: *obtulit illud cum omni populo*.

℣. 10. CÆSI SUNT A FACIE ISRAEL.] Cladis hujus, ac victoriæ magnitudo ex consequentibus est æstimanda; Samuel, vel hujus libri Author de hac modeste sane loquitur, verum ea non præterit, ex quibus dignoscere liceat, quantum inde commodi cesserit Israeli. Philisthiim fusi, fugatique viginti annorum spatio rebellare haud potuerunt; Israel pristinæ libertati restitutus est, & civitates antehac de Israelitis captæ veteribus dominis iterum cesserunt. Hæc inter præclarissima gesta, maximasque victorias, quas in Scripturis legimus est, annumeranda. Tunc Deus partes Israel suscepit, in hostes per tonitrua terrorem incussit, fulminis ictu dejecit, grandinis vi dissipavit. Hostium exercitus non Principibus Philisthiim solum, & copiis eorum, verum etiam Tyriis subsidiis constabat, quemadmodum nos Ecclesiastici Author [8] admonuit; quæ omnia satis probant, tunc de summa rerum actum fuisse.

℣. 11. BETHCHAR [9].] Hoc nomen *arietis domum*, vel ovile significat. Inter Geographos de hujus situ non satis convenit. Nonnulli putant [10] hunc eumdem esse locum, ac *Sen*, de quo infra est sermo ℣. 12. Bonfrerius autumat, Bethchar non admodum abfuisse ab Aphec, & Beth-sames, atque ideo in tribu Juda fuisse [11]. Invenimus autem *Bethachar* inter Iezrael, & Samariam, 4. Regum cap. 5. 12. Urbs Ceila vocatur etiam Bethsacar.

℣. 12. INTER MASPHATH, ET INTER SEN.] Hebraicus textus verti potest [12]: *inter Masphath, & Dentem*, videlicet inter Masphath, præruptamque rupem, quæ a figura sua Dens vocatur. Hebræi quandoque rupibus dentium nomen imposuere. Chaldæus *Sinam* appellat; Syrus vero, & Arabs *Bet-jasan*.

LAPIS ADJUTORII.] Hęc est *Aben-ezer*, cujus supra meminimus 1. Reg. 4. 1. 5. 1. Samuel cum universo victore populo hoc victorię suę monumentum erexit; simulque testantur omnes hanc se victoriam reportasse propter Dei Exercituum opem. Hæc autem verba [13] monumento insculpta fuisse perhibentur: *Hucusque auxiliatus est nobis Dominus*, Hucusque Domino nobis suppetias ferente Hostem sumus percussi. At eratne fas monumenta in Israel erigere? Nonne hoc explicite fuerat a Domino iis verbis interdictum Levit. 26. 1. *Non facietis vobis Idolum, & sculptile, nec titulos erigetis, nec insignem lapidem ponetis in terra vestra, ut adoretis eum?* Verum quidem est cautum fuisse, ne monumenta erigerentur consilio illa excolendi, aut saltem cum periculo illa adorandi; at monumenta in Dei honorem instituta, & in eum finem ut insignis cujuspiam eventus memoria vigeret, numquam fuere damnata: ea semper in Israel obtinuit consuetudo, & Sanctissimi alioquin viri numquam id sibi religioni verterunt, omnia tamen adversus idololatriam necessaria præcaventes. Quoad Samuelem vero minor adhuc est difficultas; supponitur enim ipse nihil peregisse, quin prius Spiritum Sanctum consuleret, quo afflatus erat, & qui per os illius loquebatur.

℣. 13. NEC APPOSUERUNT ULTRA UT VENIRENT IN TERMINOS ISRAEL.] Non venerunt amplius, quoad Samuel præfuit; accesserunt autem initio, quo Saul regnavit [14]. Textus ipse hanc exceptionem affert in sequentibus; *Facta est manus Domini super Philisthæos, cunctis diebus Samuelis*. Patet alioquin hae locutiones, *non apposuerunt ultra*, non venerunt amplius ac id genus aliæ, sæpius diuturnum temporis spa-

1 Serer. Cajet. 2 Exod. 23. 9. *Non coques hædum in lacte matris suæ.*
3 Levit. 22. 27. 4 עלה כליל 5 Eccl. 46. 19. *In oblatione agni inviolati.*
6 Lev. 1. 12. 7 Ἀνήνεγκεν αὐτὸν ὁλοκαυτώσεις τῷ κυρίῳ σὺν παντὶ τῷ λαῷ.
8 Eccl. 46. 21. *Contrivit Principes Tyriorum, & omnes Duces Philisthiim.*
9 בית כר *domus agni.* 10 Jun. Malv. Pisc. 11 Bonfr. Onomast.
12 בין המצפה ובין השן 13 עד הנה עזרנו יהוה
14 2. Reg. 13. 5. 17

ſpatium tantummodo innuere: Exempli gratia, Deus minitatur futurum, ut urbes Tyri [1], & Sydonis [2], aliæque e ruderibus ſuis non conſurgant amplius, quamquam refloruerint poſt impleta Prophetarum vaticinia. Ita quoque cum Deus promittit David, Populum illius non amplius vexatum iri [3], id ſolummodo innuit, ipſum diutina pace eſſe gaviſurum; Et cum Scriptura ait latrones Syriæ non venturos ulterius in terras Iſrael [4], atque inferius paullo narrat, Syros illuc impetum feciſſe, nihil contradictorium affert; ſatis enim diuturnum elapſum fuerat temporis intervallum, abſque eo quod illuc accederent. Vide Menduzam, & Sanctium.

Facta est manus Domini super Philisthæos.] Aggravata eſt ſuper eos; eos ſevere punit. Hæc locutio quandoque auxilium, ac protectionem Domini ſignificat, veluti 2. Par. 30. 12. *In Juda facta eſt manus Domini, ut daret ei cor unum*, ut eos perfecta unione conjungeret; & aliquando ſignificat Spiritus Sancti gratiam, qua Propheta quispiam afflatur: *Et manus Domini facta eſt ſuper Eliam, accinctiſque lumbis currebat ante Achab, donec veniret in Jezrael*. 4. Regum 18. 46.

℣. 14. Redditæque sunt urbes .... ab Accaron usque Geth.] Accaron, & Geth erant Philiſthinorum: Verum inter utramque nonnulla ſita erant oppida, quæ tribui Dan ceſſerant, cui modo reddita fuerunt. Hoc autem lucem afferre poteſt iis, quæ in Judicum libro 18. 1. vidimus, Danitas, cum hæreditatis ſuæ poſſeſſionem obtinere minime potuiſſent, coactos fuiſſe alias ſibi terras alibi inquirere; eoſque apud ſe in urbe Lais, qua ad Libani montis radices fuerant potiti, Michæ idolum ſervaſſe *omni tempore, quo fuit domus Dei in Silo*. Videlicet uſque ad initium Samuelis, cum Arca in Cariath-iarim delata fuit, & Philiſthæi coacti ſunt reddere civitates, quæ ad Danitas ſpectabant. Vide quæ dixerim in Judicum librum cap. 18. ℣. 30. 31.

Liberavitque Israel de manu Philisthinorum.] Quadraginta annorum ſpatio [5] Philiſthini numquam deſtiterant Iſraelitas velut hoſtes excipere, euſque omni injuriarum genere vexare; hæc tamen nequaquam erat formalis ſervitus, neque ſemper apertum bellum: ſed illi viribus ſuperiores perpetuis Iſraelitas laceſſebant incommodis. Samſon non ſemel data occaſione eos egregie percuſſerat; verum non adeo eos afflixerat, ut non eſſent bello inferendo pares. Vidimus bellum, quo cum Iſraelitis congreſſi Arcam Domini ceperunt: hoc proſpero eventu elati, iterum Domini populum bello laceſſunt; ſed Samuel, ablata cauſa, quæ in tot ærumnas populum conjecerat, delevit Philiſthæos; eoſque coegit de eorum poſſeſſione decedere, quæ Iſraelitis ademerant. Tunc autem quadraginta annorum ſub Philiſthiim ſervitus deſiit.

Hebraicus hujus loci textus ita reddicut: Redditæ ſunt Iſraeli urbes, quibus Philiſthiim potiti fuerant ab Accarone uſque Geth [6]; *& Iſrael liberavit fines ſuos*, vel agrum harum urbium, quæ Iſraelitis ademptæ fuerant *de manu Philiſthiim*. Non ſolum coacti fuerunt Philiſthæi has urbes reddere, verum a finibus quoque longius depulſi ſunt, ejecti ſunt, ac regio integram eſt libertatem conſecuta.

Eratque pax inter Israel, & Amorrhæum.] Videlicet Chananæorum reliquiæ, regionis illius indigenæ ſæpius Amorrhæorum nomine nuncupati, pace fruebantur, atque Hebræis parcebant. Samuel eos in officio continuit toto eo tempore, quo in Iſrael imperitavit.

℣. 15. Judicavit Samuel Israel cunctis diebus vitæ suæ.] Samuelem centum circiter annos vixiſſe ferunt; quadrageſimum ferme annum attigerat, cum Iſraeli præeſſe cœpit [7]; dicendum igitur eſt, ipſum annos ferme ſexaginta judicium exercuiſſe. Verum quomodo iſtud conciliari poteſt cum regno Saul, quod vigeſimo anno Samuelis incæpit? Num propheta hic judicare perſtitit per totum regni Saul tempus? Reſponderi poteſt: re quidem vera Samuelem, quoad vixit, maximam obtinuiſſe authoritatem tum apud populum univerſum, tum apud Saul eumdem, non ſolum cum de Religione ageretur, verum etiam cum de fortunis, ac particularibus Iſraelitarum jurgiis diſceptaretur [8]; cujus rei plurima, eaque perſpicua in hiſtoriæ decurſu occurrent argumenta. Exempli gratia in pugna contra Ammonitas pugnata, edixit Saul, quicumque ſe non ſequeretur, neque Samuelem, eum paſſurum in bobus ſuis, quod ipſe de propriis fecerat eos in fruſta concidens. Cum Philiſthiim bellum intulerunt Iſraeli, Saul, eo quod ſacris operatus eſſet, Samuele non expectat, a Deo eſt reprobatus. Propheta hic Dei verbis bellum contra Amalecitas indicit, eorumque regem propria manu jugulat, cui Saul vitam ſervarat. Samuelis obitum veluti populi Principis fletibus ſunt proſecuti. Saul flocci factus fuit, præſertim poſtquam Propheta illi indicat quod eum Dominus reprobaſſet, aliumque ſibi juxta cor ſuum regem delegiſſet; & poſtquam David electionis rumor in vulgus percrebuit. Furor, quo ſubinde corripiebatur, populis judicandis impatem illum reddebat; illiuſque authoritas bellicis rebus continebatur. Samuel vero ſemper habitus fuit veluti Iſraelis oraculum, & nationis conſilium. Nonnulli [9] verba illa *cunctis diebus vitæ ſuæ* ad annos viginti, qui Saulis regnum præceſſerunt, coarctant; volunt autem hoc eſſe exemplum indefiniti numeri pro certo numero uſurpati. Verum hæc explicatio iſtic violentior mihi videtur.

℣. 16. Circuiens Bethel, & Galgala, & Masphath:] Ut ad eum facilius accederet populus, de litibus ſuis diſceptaturus. In Bethel confluere poterant viri de tribu Ephraim, aliiſque regionis illius borealibus locis. Benjamin tribus, eæque trans Jordanem poſitæ, in Galgala; Juda vero, Simeon, & Gad in Maſphath poterant convenire. Deinde filius ſuos conſtituit in Berſabee, quæ eſt in meridionali regionis plaga, qua ſpectat Ægyptum. Nec deſunt [10], *qui putent Bethel* hoc loco ſignificare *domum Domini*, videlicet Cariath-iarim, ubi tunc erat Arca. Septuaginta pro *in ſupradictis locis*, legunt *in omnibus his locis ſanctificatis*; alii, *in omnibus locis, ubi Sancti aderant*.

℣. 17. Revertebatur in Ramatha.] Samuel ſemper in Silo fuerat immoratus, Tabernaculi ſervitio inhærens, donec Arca fuit capta, & Heli occubuit. Votum matris ſuæ illum domui Domini, quoad vitam viveret, addixerat [11]. *Dabo eum Domino omnibus diebus vitæ ſuæ*. Sed ex quo Judex Iſrael fuit conſtitutus cujus munia cum Templi ſervitio, ac aſſidua Tabernaculi cura ſimul eſſe non poterant, manſionem ſuam in Ramatha urbe patria conſtituit.

Ædificavit ibi altare Domino.] Tum ut devotioni ſuæ faceret ſatis, tum ut populi Religioni proſpiceret, qui in Ramatha confluebat, ut Prophetam conſuleret, ac judicium illius ſubiret. Ceterum hæc altaris extra Tabernaculum erectio habenda eſt, veluti communium legum, per quas id vetitum erat, diſpenſatio [12]: hac in re ſuperiori lumine afflatus fuit, ac ſimile exemplum in alio quovis, quam in eam ſancto Propheta, tamque religioſo divinarum legum cultore excuſari minime poſſet.

CAPUT

1 Iſai. 23. 12. *Non adjicies ultra ut glorieris*. Et ℣. 15. *In oblivione eris, o Tyre ſeptuaginta annis*.
2 Ierem. 47. 4. Ezech. 28. 24. 3 2. Reg. 7. 10. 4 4. Reg. 6. 23. 5 Vide Judic. 13. *Tradidit in manus Philiſthiim quadraginta annis*. 6 ואת גבולן הציל ישראל מיד פלשתים 70. *Καὶ τὰ ὅρια αὐτῶν ἀφείλαντο Ἰσραὴλ ἐκ χειρῶν τῶν ἀλλοφύλων*. 7 Vide Tabulam Chronologicam.
8 Cajet. Jun. Piſc. Malv. Corn. Serar. alii. 9 Mendoza. 10 Jun. Piſc. Malv. Glaſſ.
11 1. Reg. 1. 11. & 28. 12 Deuter. 12. 3. 4. 5. & ſeq.

CAPUT VIII.

Samuelis filii avaritia se se corrumpi sinunt. Populus Judicum regiminis pertæsus Regem petit. Samuel illi Regis authoritatem repræsentat. Populus vero a suscepta consilii ratione non deterretur.

1. FActum est autem, cum senuisset Samuel, posuit filios suos judices in Israel. 2
Fuitque nomen filii ejus primogeniti Joel : & nomen secundi Abia, judicum in
Bersabee. 3 Et non ambulaverunt filii illius in viis ejus : sed declinaverunt
post avaritiam, acceperuntque munera, & perverterunt judicium. 4 Congregati ergo
universi majores natu Israel, venerunt ad Samuelem in Ramatha. 5 Dixeruntque ei :
Ecce tu senuisti, & filii tui non ambulant in viis tuis : constitue nobis regem, ut judi-
cet nos, sicut & universæ habent nationes. 6 Displicuit sermo in oculis Samuelis, eo
quod dixissent : Da nobis regem, ut judicet nos. Et oravit Samuel ad Dominum. 7
Dixit autem Dominus ad Samuelem : Audi vocem populi in omnibus, quæ loquuntur
tibi : non enim te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos. 8 Juxta omnia opera
sua, quæ fecerunt a die, qua eduxi eos de Ægypto usque ad diem hanc : sicut dereli-
querunt me, & servierunt diis alienis, sic faciunt etiam tibi. 9 Nunc ergo vocem eo-
rum audi : verumtamen contestare eos, & prædic eis jus regis, qui regnaturus est su-
per eos. 10 Dixit itaque Samuel omnia verba Domini ad populum, qui petierat a se
regem, 11 Et ait : Hoc erit jus regis, qui imperaturus est vobis : Filios vestros tol-
let, & ponet in curribus suis, facietque sibi equites, & præcursores quadrigarum sua-
rum, 12 Et constituet sibi tribunos, & centuriones, & aratores agrorum suorum, &
messores segetum, & fabros armorum, & curruum suorum, 13 Filias quoque vestras
faciet sibi unguentarias, & focarias, & panificas : 14 Agros quoque vestros, & vi-
neas, & oliveta optima tollet, & dabit servis suis. 15 Sed & segetes vestras, & vi-
nearum reditus addecimabit, ut det eunuchis, & famulis suis. 16 Servos etiam ve-
stros, & ancillas, & juvenes optimos, & asinos auferet, & ponet in opere suo. 17
Greges quoque vestros addecimabit, vosque eritis ei servi. 18 Et clamabitis in die il-
la a facie regis vestri, quem elegistis vobis : & non exaudiet vos Dominus in die illa,
quia petistis vobis regem. 19 Noluit autem populus audire vocem Samuelis : sed di-
xerunt : Nequaquam : Rex enim erit super nos, 20 Et erimus nos quoque sicut om-
nes gentes : & judicabit nos rex noster, & egredietur ante nos, & pugnabit bella no-
stra pro nobis. 21 Et audivit Samuel omnia verba populi, & locutus est ea in auri-
bus Domini: 22 Dixit autem Dominus ad Samuelem : Audi vocem eorum, & con-
stitue super eos regem. Et ait Samuel ad viros Israel : Vadat unusquisque in civitatem
suam :

ỷ. 1. CUM SENUISSET SAMUEL.] Samuel sexagenarius ferme erat, cum filios suos super Israel Judices constituit, qui non diu munere hoc functi sunt, quin nequitiam detegerent suam : eamque dignitatem uno, aut altero ad summum anno obtinuerunt. Potestas, quam illis Samuel contulit, nequequam erat absoluta, neque ideo se ipse Judicis munere, atque authoritate abdicavit ; sed *judicavit Israelem cunctis diebus vitæ suæ*, quemadmodum superiori capite vidimus, atque semper in Judicum Israel albo novissimus recensetur Samuel, illiusque filii veluti delegati A Judices erant, ac vicem gerentes.

ỷ. 2. JUDICUM IN BERSABEE.] Bersabee civitas est ex remotissimis, ac maxime australibus regionibus Chanaan ; neque patet, cur illic filios suos constituerit Samuel, ut patris munere fungerentur. Josephus [1] ait, alterum in Bethel, alterum in Bersabee fuisse constitutum ; quam sententiam non pauci Interpretum amplectuntur. Alii hebraicum textum ita reddunt [2] : *constituit eos judices usque Bersabee*, super omnem regionem usque Bersabee, vel a Dan ad Bersabee ; vel denique e Ramatha, ubi Samuel morabatur, ad eam usque civitatem, quæ præ cæteris Palæ-

1 Joseph. Antiqu. lib. 6. c. 3. Ita & Hist. Schol. Raban. Dionys. Carth. alii.
2 שפטים בבאר שבע

Palæstinæ meridiem magis spectabat [1]. Quædem supperunt exempla, ubi præpositio *in* significat *usque*: *non accedet in te malum* Psal. 90. 10. hoc est usque ad te.

℣. 3. PERVERTERUNT JUDICIUM.] Injuste judicium exercuerunt. Ad litteram [2]: *judicium sursum deque* verterunt, judicium ineptum reddiderunt. Homerus Iliad. Π similiter loquitur. Mirum sane est, plerisque illustribus viris, quos in sacris, prophanisque legimus historiis, fuisse filios, qui a patriis virtutibus degenerarint [3]. Vidimus supra filios Heli in omne flagitiorum genus ante patris oculos proruere; hic Samuelis filios habemus, qui haud secius parentis optimi, vitique omni sanctitatis specie florentissimi nomini turpitudinum suarum tenebras offundunt. Id autem contigisse dixerim, eo quod amplissimi hi viri publicis exerciti curis ad filiorum institutionem

B animum advertere nequiverint; an potius, quod adolescentes hi prospere sorte nimium freti, ac ob familiæ honorem elati, minimum adlaborarint, ut se se virtutibus propriis commendarent, perinde ac patris virtus filiis merito esset vertende?

℣. 5. CONSTITUE NOBIS REGEM, UT JUDICET NOS.] Qui tueatur, qui tegat nos. *Judicare* sæpius pro quolibet imperii actu usurpatur [4]; si Judicem sibi constitui maluissent, cui potestati hactenus paruerant, nihil novæ petitionis opus erat; Samuel tantum rogandus erat, ut filiis authoritatem abrogaret, atque ab eo flagitandum, ut ipse jus dicere perseveraret; verum quin varias regionis urbes percurreret, quod hactenus præstiterat; quoniam præ grandiori ætate id ipsi nimis fuisset incommodum. Sed Regem poscebant, ac ut

C removerent, quidquid durius, ac injuriosius propositioni poterat inesse, eam mulcent virum postulantes, qui judicet: *ut judicet nos*: provectiorem Samuelis ætatem, ac improbam filiorum ipsius vivendi rationem prætexunt, ut a Reipublicæ gubernaculo, insigni ingrati animi vitio, deturbent sapientissimum senem, sanctissimumque prophetam, qui perquam optime de illis meritus fuerat. Timor, qui illos incesserat, eo quod Naas Rex Ammoniterum immineret Jabes Galaad, non parum conferre potuit, ut Regem sibi efflagitarent.

SICUT ET UNIVERSÆ HABENT NATIONES.] Finitimæ nationes universæ Regibus parebant. Monarchicum Imperium vetustissima fuit in Oriente populi regendi ratio. *Suetus Regibus Oriens*, Tacitus ait Hist. lib. 4. *Principio rerum, gentium, nationumque imperium penes Reges erat*, inquit Justinus lib. 1.

D ℣. 6. DISPLICUIT SERMO IN OCULIS SAMUELIS.] Nihil profecto majorem illi molestiam afferre poterat; nam omisso tanti viri, ac familiæ ipsius dedecore, atque contemptu, quo dolore affici oportuit intuentem Israelitarum erga Deum ingratitudinem, atque ipsorum in propriis bonis, fortunisque dementissimam cæcitatem. Adde his pravam rationem, qua ductus Israel id petit; Israel præ cæteris populis maxime gloriæ clarus, eo quod præ cæteris eum sibi elegisset Deus, se aliis nationibus similem esse mavult; & perinde ac Deus ipse, vel judex ejus authoritate constitutus eos ab hostibus tueri non possit,

E Regem deposcunt, qui illis imperet, ac judicium exerceat: videlicet se de manu Dei subducere student, ut se se homini dedant, & pro imperio penitus divino, ac regimine Theocratico, Monarchicum optant impotens, & absolutum, quo in quamdam servitutis, & captivitatis speciem erant redigendi.

ORAVIT SAMUEL.] Josephus Antiq. l. 6. cap. 4.

A ait, illum insomnem transegisse noctem, irrequietum propter ea, quæ ipsi populus proposuerat; atque illi hæc animo obvolventi Deum apparuisse.

℣. 7. AUDI VOCEM POPULI.] Ea, quæ petunt, illis permitte. Deus quædam concedit iratus, quæ misericors denegaret; tunc ea, quæ petimus, tribuit, cum petimus non petenda, & non desideranda desideramus; *iratus Deus dat amanti, quod male amat*, S. Augustinus ait: Deus postulatis subscribit; permittit, non jubet. Hebræi putant [5], a Deo Saulem Israelitis ob id tantum fuisse impositum, ut eos puniret; prænoscebat enim Principis hujus impotentiam, & crudelitatem. S. Hieronymus in Oseam 8. asserit, quod Saul *non ex voluntate Dei, sed populi errore Rex factus est*.

B ℣. 9. PRÆDICA EIS JUS REGIS.] Verborum horum sententiam explicaturi abeunt in diversa. Alii putant, Samuelem jussum fuisse populo jus Regis & authoritatem proponere, eosque edocere, quid facturus esset Rex, & quid jure facere posset. Grotius de jure Belli, & Pacis l. 1. c. 3. & c. 4. art. 3. & 4. hanc mordicus tuetur sententiam; contendit autem, Regi pro publicis utilitatibus majus esse jus in privatorum fortunas, quam privatis iisdem in bona sua, atque hos teneri magis Reipublicæ laboranti opem ferre, quam æs alienum dissolvere. Verum Interpretum plerique [6] ajunt, Prophetam ea solum prædixisse, quæ erant eventura, sine ullo ea probandi consilio, quin immo ea mente, ut populum ab inconsulta petitione deter-

C reret. Profecto quænam esse potest justitiæ species in iis, quæ Samuel inquit, futurum ut Reges sibi agros, vineas, ac oliveta subditorum vindicent, ut ea ministris suis elargiantur. Num quispiam dicet Achabo fuisse jus Nabot vineam usurpandi? Hebraica vox [7], quæ significat *jus*, vel judicium, significat etiam morem, consuetudinem, usum. Jus Regis in hoc sensu significat solum Reges sibi quæcumque licere arbitraturos, quæcumque impune patraturos, & modum denotat, quo imperium exercebunt.

Verum pro opposita sententia adferri potest, quemadmodum Orientis Reges subditos suos servorum loco habebant, vi Imperii ipsis facultatem fuisse ea omnia faciendi, quæ istic legimus, quin aliquis conqueri posset. Consuetudo hæc seu justa,

D seu injuste in legem abierat, ut velut quædam juris species habebatur apud cæteros populos, non item vero apud Hebræos. Moyses [8] Principibus instituta quædam præscripsit, quæ longe diversa sunt ab iis, quæ hic intuemur, atque a ratione, quam plerique Reges Iudæ inierunt. *Cum fueris constitutus Rex*, inquit Moyses, *non multiplicabit sibi equos, nec reducet populum in Ægyptum, equitatus numero sublevatus . . . Non habebit uxores plurimas, quæ alliciant animum ejus, neque argenti, & auri immensa pondera. Postquam autem sederit in solio regni sui, describet sibi Deuteronomium legis hujus in volumine . . : & habebit secum, legetque omnibus diebus vitæ suæ, ut discat timere Dominum Deum suum, & custodire verba, & cæremonias ejus, quæ in lege præcepta sunt. Non eleve-*

E *tur cor ejus in superbiam super fratres suos, neque declinet in partem dexteram, vel sinistram, ut longo tempore regnet ipse, & filii ejus super Israel.* Tacitus quoque hæc ait: *Quomodo sterilitatem, aut nimios imbres, & cætera naturæ mala, ita luxum, & avaritiam dominantium tolerate. Vitia erunt donec homines; sed neque hæc continua, & meliorum interventu pensantur.*

Po-

1 Vide Jun. Malv. Glass. Piscat.
2 ויטו משפט
3 Vide Grot. ℣. cap. 2.
4 Vide 2. Reg. 25. 2. 3. 4.
5 Vide Cunæum de Republ. Hebr. & Schicard. jus Reg. cap. 1.
6 Cajet. Tost. Mendoz. Menoc. Sanct. Mar. Tirin. Cornel. a Lapide, Vat. Cleric. &c.
7 משפט המלך.
8 Deuter. 17. 14. & seq.

℣. 11. PONET IN CURRIBUS SUIS.] Bellicis, vel eos de curribus pugnare jubebit. Hebræi perquam raro curribus usi sunt; sed ea Samuel proposuit, quæ contingere poterant.

FACIETQUE SIBI EQUITES.] Hebraicos textus hæc præcedentibus adjungit [1]: *Ponet in curribus suis, & in equitibus*, vel potius in equis, vel super equos. Rex tollet de medio vestri sibi viros, qui bellicos ascendant currus, & qui aurigæ sint, & ductores currum eorumdem. Hebraica vox *Parasch*, & equum significat, & equitem [2]. Ea consule, quæ de bellicis curribus dixi in Dissertatione de militia Hebræorum.

PRÆCURSORES QUADRIGARUM.] Loquitur de satellitibus, qui honoris gratia præcedunt Principes. Hebraice [3]: *& currunt ante currus suos*. Xenophon Cyrum Persarum Regem incedentem describens, nobis illum curru sublimem exhibet, atque ante illum quatuor scutatorum millia, circum vero duo millia hastatorum. Videri possunt, quæ cap. 22. ℣. 17. de Præcursoribus Regum infra dicentur.

℣. 12. CONSTITUET SIBI TRIBUNOS, ET CENTURIONES,] Hebraice: *constituet sibi Principes virorum mille, & principes quinquaginta*. Hæ dignitates amplissimæ quidem, ornatissimæque sunt illis, qui ad eas provehuntur; sed Propheta ostendere vult has populis graves esse, atque onerosas; quippe ministrorum multitudo Principum auget impensas, ideoque etiam onera subditorum. Hæc munia poterant quoque illis molesta esse, & incommoda, qui ad eadem assumerentur, cum inviti eligebantur, atque ab agrorum cultura, cæterisque familiaribus negotiis divellebantur, quæ militaribus honoribus præferebant.

℣. 14. AGROS VESTROS . . . TOLLET.] Quemadmodum Achab vineam Nabot 3. Reg. 21. 16. sed Reges, qui justitiam diligebant, nihil vi sibi vindicabant: David emit aream Areunæ [4], ut ibi Altare Domino ædificaret. Achab ipse primum petiit, ut numerata pecunia sibi Nabot vineam venderet.

℣. 15. VINEARUM REDDITUS ADDECIMABIT.] Rex Israel Deus, ut sibi decimas reservarat fructuum terræ populi sui, easque Sacerdotibus, ac Levitis veluti ministris suis assignarat: sed Reges debebant alteram sibi vindicare decimam præter eam, quæ Levitis pendebatur; non liquet tamen ex Scriptura, Reges Juda, vel Israel hanc exegisse; quam etiam si exegissent, plurimos alios Reges hac in re fuissent imitati [5]. Nemo nescit, quid in Pharaonis emolumentum Joseph in Ægypto instituerit; Regi quinta fructuum pars tribuebatur.

UT DET EUNUCHIS.] Ministris scilicet suis. Hebraica vox *Saris* non semper eunuchum significat; sed plerumque Regalis Aulæ ministrum denotat. Nulli fiebant Eunuchi in Israel, verum minime nefas erat peregrinos habere [6].

℣. 16. JUVENES OPTIMOS PONET IN OPERE SUO.] Ecce diurnorum operum jus: quam rem contigisse, David, ac Salomone imperantibus intuebimur. Postremus hic populum variis ad ædes suas struendas laboribus exercuit: David præfectum habebat pro agrorum operibus [7]. Septuaginta: *tollet decimas de armentis taurorum* [8]; parum autem aliter hebraicum textum, ac nos, legerunt.

℣. 17. VOSQUE ERITIS EI SERVI.] Orientis populi Principibus suis, veluti servi Dominis famulabantur. Ita Persæ, ac Ægyptii Regibus suis parebant; Ægyptiorum res, quomodo se haberent in libro Geneseos cap. 47. vidimus. Herodotus l. 3. c. 31. refert Consiliarios Cambysis Persarum Regis de nuptiis consultos, quas Rex ille cum sorore sua inire cupiebat, respondisse, se equidem nullam vidisse legem umquam, quæ id connubii genus permitteret; sed unam esse, quæ Persarum Regi facultatem deferebat, quidquid optimum factu censeret, aggrediendi. Primores se Regis servos profitebantur, atque re ipsa veluti servi a Rege excipiebantur. Principes Satrapæ, quin immo iidem fratres Regis *Magni Regis servi* nuncupabantur [9]. Hebræi erant inter alios Orientis populos maxime liberi; nihilominus eorum submissionem Regibus suis, servitutis, & captivitatis nominibus Scriptura passim designat. *Numquid servi Saul estis?* dicebat Goliath exercitui Israel 1. Reg. 17. 8. 9. & paullo post: *Si percusserit me, erimus vobis servi*. Syria [10], Moab [11], & Idumæa [12] David serviisse dicuntur. Subditi iis in regionibus eodem ferme pacto habebantur, ac apud veteres Germanos captivi. *Suam quisque sedem*, Tacitus inquit l. de morib. German. *suos penates regit. Frumenti modum Dominus aut pecoris, aut vestis, ut colono injungit; & servus hactenus paret*. Ecce autem quænam ipsorum servitus esset; sed quoad Hebræos addenda est obligatio ad bellum proficiscendi, si quando Rex imperasset.

℣. 18. ET CLAMABITIS IN DIE ILLA.] Prædictiones hæ nimium eheu eventu comprobatæ sunt. Plerique regum Juda, & Israel potius Tyrannorum, quam æquorum Regum more imperitarunt. Populos suos vectigalibus obruerunt, in funesta pertraxerunt bella, atque in majorem adhuc calamitatem, Idololatriam nempe, egere præcipites: denique in calamitosum hunc populum Cœli ultionem provocarunt, a quo una cum regionibus suis impotentibus ac ferocibus hostibus traditus fuit.

℣. 20. ERIMUS QUOQUE, SICUT OMNES GENTES.] Non deterioris, neque melioris, ac illæ conditionis erimus: Si Regi obtemperare malum est, num miseriores erimus, quam tot aliæ nationes? Sin autem bonum, cur illo non fruemur? O populum dementem, qui felicem respuis conditionem, eaque abdicas, quæ ipsius felicitatem, & gloriam efficiunt, ut in servitutem, pauperiemque se immittas; qui Deum deserit, ut hominem sibi Regem constituat?

---

1 .וישם לו במרכבתו ובפרשיו 2 Vide Lud. de Dieu, & Boch. de anim. Sacr. p. 1. l. 2. c. 6.
3 .ורצו לפני מרכבתו 4 2. Reg. 24. 41. 5 Vide Commentarium nostrum in Levit. c. 27. 30.
6 Gen. 47. 24. 7 1. Par. 27. 26. 8 Τὰ βουκόλια ὑμῶν τὰ ἀγαθὰ . . . ἀποδεκατώσει. Legerunt עשר בקריכם pro עשה . . . בחוריכם. 9 Aristot. lib. de Mundo. Σατράπαι καὶ Στρατηγοὶ δοῦλοι τοῦ μεγάλου Βασιλέως. 10 2. Reg. 8. 6. 11 Ibid. ℣. 2. 12 Ibid. ℣. 3.

CAPUT IX.

Saul filius Cis consulit Samuelem de asinis, quas illius pater amiserat. Samuel illum excipit, illique Dei detegit voluntatem, qui ipsum ad Regnum erat elaturus.

1. ET erat vir de Benjamin nomine Cis, filius Abiel, filii Seror, filil Bechorath,
filii Aphia, filii viri Jemini, fortis robore. 2 Et erat ei filius vocabulo Saul,
electus & bonus: Et non erat vir de filiis Israel melior illo: ab humero, & sursum
eminebat super omnem populum. 3 Perierant autem asinæ Cis patris Saul, & dixit
Cis ad Saul filium suum; Tolle tecum unum de pueris, & consurgens vade, & quære
asinas. Qui cum transissent per montem Ephraim, 4 Et per rerram Salisa, & non in-
venissent, transierunt etiam per Terram Salim, & non erant; sed & per Terram Jemi-
ni, & minime repererunt. 5 Cum autem venissent in terram Suph, dixit Saul ad pue-
rum, qui erat cum eo: Veni, & revertamur, ne forte dimiserit pater meus asinas, &
sollicitus sit pro nobis. 6 Qui ait ei; Ecce vir Dei est in civitate hac; vir nobilis: o-
mne, quod loquitur, sine ambiguitate venit: nunc ergo eamus illuc, si forte indicet no-
bis de via nostra, propter quam venimus. 7 Dixitque Saul ad puerum suum; Ecce
ibimus: quid feremus ad virum Dei? panis defecit in sitarciis nostris: & sportulam non
habemus, ut demus homini Dei, nec quidquam aliud. 8 Rursum puer respondit Sau-
li, & ait: Ecce inventa est in manu mea quarta pars stateris argenti, demus homini Dei,
ut indicet nobis viam nostram. 9 (Olim in Israel sic loquebatur unusquisque vadens
consulere Deum: Venite, & eamus ad Videntem. Qui enim Propheta dicitur hodie,
vocabatur olim Videns.) 10 Et dixit Saul ad puerum suum: Optimus sermo tuus. Ve-
ni, eamus. Et ierunt in civitatem, in qua erat vir Dei. 11 Cumque ascenderent cli-
vum civitatis, invenerunt puellas egredientes ad hauriendam aquam, & dixerunt eis;
Num hic est Videns? 12 Quæ respondentes, dixerunt illis; Hic est: ecce ante te,
festina nunc; hodie enim venit in civitatem, quia sacrificium est hodie populo in excel-
so. 13 Ingredientes urbem, statim invenietis eum, antequam ascendat excelsum ad
vescendum: neque enim comesurus est populus, donec ille veniat; quia ipse benedicit
hostiæ, & deinceps comedunt, qui vocati sunt. Nunc ergo conscendite, quia hodie
reperietis eum. 14 Et ascenderunt in civitatem. Cumque illi ambularent in medio ur-
bis, apparuit Samuel egrediens obviam eis, ut ascenderet in excelsum. 15 Dominus
autem revelaverat auriculam Samuelis ante unam diem, quam veniret Saul, dicens:
16 Hac ipsa hora, quæ nunc est, cras mittam virum ad te de Terra Benjamin, & un-
ges eum ducem super populum meum Israel: & salvabit populum meum de manu Phi-
listhinorum: quia respexi populum meum, venit enim clamor eorum ad me. 17 Cumque
aspexisset Samuel Saulem, Dominus dixit ei: Ecce, vir, quem dixeram tibi, iste domi-
nabitur populo meo. 18 Accessit autem Saul ad Samuelem in medio portæ, & ait:
Indica, oro, mihi, ubi est domus Videntis? 19 Et respondit Samuel Sauli dicens:
Ego sum Videns, ascende ante me in excelsum, ut comedatis mecum hodie, & dimit-
tam te mane, & omnia, quæ sunt in corde tuo, indicabo tibi. 20 Et de asinis, quas
nudiustertius perdidisti, ne sollicitus sis, quia inventæ sunt. Et cujus erunt optima quæ-
que Israel? nonne tibi, & omni domui patris tui? 21 Respondens autem Saul, ait:
Numquid non filius Jemini ego sum, de minima tribu Israel, & cognatio mea novissima
inter omnes familias de tribu Benjamin? quare ergo locutus es mihi sermonem istum?
22 Assumens itaque Samuel Saulem, & puerum ejus, introduxit eos in triclinium, &
dedit eis locum in capite eorum, qui fuerant invitati: erant enim quasi triginta viri.
23 Dixitque Samuel coco; Da partem, quam dedi tibi, & præcepi, ut reponeres seor-
sum apud te. 24 Levavit autem cocus armum, & posuit ante Saul. Dixitque Samuel:
Ecce quod remansit, pone ante te, & comede: quia de industria servatum est tibi, quan-

do

do populum vocavi: Et comedit Saul cum Samuele in die illa. 25 Et descenderunt de excelso in oppidum, & locutus est cum Saule in solario: stravitque Saul in solario, & dormivit. 26 Cumque mane surrexissent, & jam elucesceret, vocavit Samuel Saulem in solario, dicens: Surge, & dimittam te. Et surrexit Saul: egressique sunt ambo, ipse videlicet, & Samuel. 27 Cumque descenderent in extrema parte civitatis, Samuel dixit ad Saul: Dic puero, ut antecedat nos, & transeat: Tu autem subsiste paulisper, ut indicem tibi verbum Domini.

℣. 1. CIS FILIUS ABIEL.] Legimus in 1. Paralipom. 8. 33. & 9. 39. fuisse filium Ner: quomodo autem hæc possunt conciliari? Respondemus cum Cajetano, & Mendoca Ner duplici nomine fuisse appellatum *Ner*, & *Abiel*; vel Ner, & Abiel fratres fuisse, quorum uterque meritus fuerat nomen patris Cis; cum alteruter illi nativitatem, alter vero institutionem comparaverit [1].

FORTIS ROBORE.] Hebraice [2]: *vir fortis*, vel robustus; vel *vir locuples*, vir potens.

℣. 2. ELECTUS ET BONUS, ET NON ERAT .... MELIOR ILLO.] Hebraicus textus ad litteram [3] Vulgatæ est conformis: *Erat adolescens bonus, & non erat melior in universo Israel*. Verum scimus nomen idem, quod *bonum* significat, significare etiam *formosum*; dicuntur, exempli gratia, filiæ hominum *bonæ fuisse* [4]; & e contra vaccæ, quas secundo vidit Pharao, *malæ* fuisse [5]. Homerus aliquando eodem loquitur pacto; ut *formosum, & magnum* significet, *bonum, & magnum* dicit.

B

AB HUMERO, & SURSUM EMINEBAT SUPER OMNEM POPULUM.] Statura procera, ac regno digna. Hic corporis habitus, qui majestatem quamdam præsefert, observantiam, ac venerationem conciliat; populi semper quoad fieri potuit, præclaram corporis speciem iis commendarunt, qui erant imperaturi: Æthiopes majores reipublicæ dignitates illis deferebant, qui corporis forma præstarent, teste Herodot. lib. 3. c. 20. & constat, quemdam Lacædemonum Regem notatum fuisse, eo quod pusillam uxorem duxisset, ex qua nonnisi pusillos Reges nascituros verebantur [6]. Poetæ semper nobis exhibent Deos, ac Heroas præ cæteris hominibus statura præstantes. Virgilius de Diana locutus ait; *Gradiensque Deas supereminet omnes*; ac de Turno Æneid. 7. *& toto vertice supra est*.

C

℣. 3. VADE, ET QUÆRE ASINAS.] Universa hac in historia vestigia quædam veterum morum occurrunt, ac prioris illius, nec non venerabilis simplicitatis. Tunc æque principes viri, heroes, ac privati agrorum culturæ, & armentorum pastioni vacabant; fere quemadmodum nostra hac ætate primores, ac nobiles venatione, bello, aliisque difficillimis, asperrimisque laboribus exercentur. Abraham, Patriarchæ, & Judices Israel, quos sane haud fas est humilis plebeculæ, pauperamque pastorum vulgo adscribere, plerique pecoribus pascendis, excolendisque agris operam navabant. Hoc erat Arabum, Idumæorum, Moabitarum, aliorumque populorum commercium, & studium. Quin immo Deos ipsos, veteresque heroes, ac Principum filios huic rei animum adjungere non puduit [7]. Asinas agere, easque errantes inquirere haud turpe erat, & fœdum apud eos populos, in quibus omnes æque nobilitate præstabant, & quilibet operibus iisdem exercebatur. Novimus in Genesi 30. 24. virum quemdam e posteris Esau, terræ cujusdam Principem, qui patris sui asinas agebat. Asinis ad equitandum Principes viri, ac præstantissimus

D

A quisque vulgo utebantur. Debora per hæc verba Principes Israel designat: *Qui ascendit super nitentes asinos*; Judic. 5. 10.

℣. 4. PER TERRAM SALISA.] Creditur *Salisa*, vel *Salissa*, vel *Baal-salissa* eadem esse ac *Segor* ob receptum Loth, qui de Sodomis fuerat egressus, celeberrima. Asserunt ex Judæorum traditionibus [8] civitatem hanc *Salissam*, vel *vitulam conternantem* a Prophetis Isaia [9], & Jeremia [10] nuncupari. Chaldæus vertit: *Terram australem*, seu meridionalem. Re quidem vera *Salisa*, vel Segor ad meridionalem maris mortui extremitatem, qua in orientem vergit, erat posita. Verum Eusebius, & S. Hieronymus constituunt *Baal-salisam* in agro Diospolis, quindecim passuum millibus ab hac urbe procul ad Jerusalem septentrionalem

B plagam; quod quidem mihi certius videtur.

TERRAM SALIM.] Credidere quidam hanc eamdem esse ac *Salim* prope Aenon, cujus meminit Evangelium Joan. 3. 23. sed ratio, qua *Salim* isthic scribitur [11], innuere potest hanc esse terram *Saal*, quæ memoratur inferius cap. 13. 17. & quæ Jordanem versus sita erat haud procul a Galgalis [12].

TERRAM JEMINI.] Seu regionem Benjamin. Hic fortasse de Jerusalem sermo est; ita ut primum de Gabaa ad occasum *Salisam* versus in tribu Dan fuerint profecti; deinde prope *Salim*, vel Jerusalem iter converterint; ac inde *tribu Benjamin*, quæ est ad illius urbis orientem, peragrata, veluti Gabaam reversuri, *per terram Suph*, ubi erat sita Ramatha patria Saul, prætervecti, prophetam illum adire consul-

C tum decrevere. Hoc pacto triduo quinque, & viginti, ac ultra itineris leucas complessent.

℣. 5. IN TERRAM SUPH.] In agrum Ramatha; patriæ Samuelis, ubi posteri Suph incolebant. Vide quæ supra dicta sint Cap. 1. ℣. 1.

NE FORTE DIMISERIT ASINAS, & SOLLICITUS SIT PRO NOBIS.] Ne forte de nobis magis sit sollicitus, quam de asinis. Ad litteram, ne pater meus asinarum neglecta cura, nostri causa sollicitus sit.

℣. 6. VIR DEI ... VIR NOBILIS.] Hebraice [13]: Vir Dei, vir gloriosus, illustris, venerabilis.

℣. 7. QUID FEREMUS AD VIRUM DEI?] Saul, & famulus illius poterantne Samuelis ignorare integritatem, qui cognitus adeo erat in Israel? Credebant ne Prophetam hunc, non secus ac vulgo divinatores, prædictiones

D suas venditare? Nequaquam procul dubio. Sed ex universa Scriptura liquet, Prophetas nunquam adiri consuevisse, quin munus aliquod illis deferretur, in observantiæ, ac devotionis argumentum. Veteribus aliud prorsus erat his in rebus studium, ac nobis. Nolebat Deus aliquem vacuis manibus accedere coram ipso. Reges, & Principes eodem ferme pacto munera a subditis sibi offerri exigebant. Hæc ad hanc quoque diem apud Syriæ populos consuetudo viget, ne quis alium invisat, quin illi, cui invitatur, munuscula afferantur; atque apud illos rudis, ac inurbanus habetur, qui secus facit [14]. Quamquam Prophetæ nihil exigerent, tamen obsequium, quo illus quilibet

1 Auth. Tradit. in Reg. & Par. Hugo, Lyran. &c.
2 גבור חיל κραταιὸς ἰσχύϊ.
3 בחור וטוב ואין איש טוב ממנו
4 Genes. 6. 2. *Quod essent pulchræ*. Hebr. bonæ.
5 Genes. 41. 33.
6 Aristot. Politic. 4. c. 4. apud Grot. & Cler.
7 Vide Homer. Iliad. A & passim.
8 Hieron. Tradit. Hebr. in Genes.
9 Isai. 15. 5. *Vectes ejus usque ad Segor ad vitulam conternantem*.
10 Jerem. 48. 34. *A Segor usque ad Oronaim, vitula conternante*.
11 שעלים
12 Ita Jun. Pisc.
13 איש אלהים איש נכבד 70 Ἄνθρωπος Θεοῦ, ... Ἄνθρωπος ἔνδοξος.
14 Vita D. de Chasteuil. c. 27.

libet prosequebatur, minime sinebat uliquem ad eos ingredi absque muneribus. Hæc observantiæ species erat; eosque vacuis adire manibus inofficiosum fuisset. Balaam dona, ac remunerationem ab iis, a quibus consulebatur, accipiebat, Numer. 22. 7. 17. Cum Abia filius Regis Jeroboam ægrotasset, Princeps hic misit uxorem suam ad prophetam Abiam, dixitque illi; Commuta habitum, ne cognoscaris, quod sis uxor Jeroboam; tolle in manu tua decem panes, & crustulam, & vas mellis, & abi Prophetam consultura [1]. Similia quoque munera accipit Propheta Elisæus. Vir quidam de *Baal-salisa* ad ipsum viginti panes hordeaceos defert, ac novum triticum, veluti primitias. Naaman ipse, postquam convaluit, illi magna obtulit donaria; sed ea Propheta noluit accipere. Deus per Prophetas suos conqueritur, quod Divinatores non nisi pecunia pacta divinarent. *Prophetæ ejus in pecunia divinabant*. Vide Michæam 3. 2. & Ezech. 22. 25.

PANIS DEFECIT IN SISTARCIIS NOSTRIS.] Viatores vulgo secum cibaria deferebant, quia nulla aderant diversoria, ubi esculenta, vel poculenta emerentur. Saul aliquot panes obtulisset Samueli, si qui præterea in sistarciis superfuissent. Munus hoc haud indignum erat Samuele; Saul ipse binos accepit panes a nescio quo ea ipsa die, qua a Samuele discessit [2]. David attulit Sauli jam Regi asinum panibus onustum [3]; id genus munera vulgaria sunt in Scripturis, ac præclarum præbent sæculorum illorum simplicitatis argumentum.

SPORTULAM NON HABEMUS, UT DEMUS HOMINI DEI.] Hebraicus textus ita reddi potest [4]: *Nullum habemus munus, quod homini Dei offeramus; quid enim habemus?* Vel potius cum Septuaginta [5]: *Nihil habemus amplius, quod viro Dei offeramus, quam parum hoc, quod nobis superest*. Vel denique; nihil nobis reliquum est, quod homini Dei offeramus; nam quid nobis est reliquum? Syriaca versio: nihil nobis de viatico superest, &c.

℣. 8. QUARTA PARS STATERIS ARGENTI.] Quarta pars sicli gallicæ monetæ solidis octo, denario uno paullo magis æquivalet, Romanæ monetæ bajocchis decem.

℣. 9. OLIM IN ISRAEL .... SIC LOQUEBATUR: VENITE & EAMUS AD VIDENTEM.] Patet illum, qui hunc locum exaravit, non vixisse eo tempore, quo hæc transacta fuere; quomodo enim divinare poterat loquendi rationem, quæ tunc temporis vulgata erat, immutatum iri, aliamque pro illa in communem Judæorum usum abituram? Itaque Interpretum plerique putant verba hæc istbic addita fuisse diutius post Samuelem ab Esdra, vel ab alio Propheta, qui illius scripta iterum castigavit. Alii hæc [6] a Samuele scripta fuisse autumant, verum sub vitæ suæ exitum, ac tunc cum nomen hoc *Videntes* obsoletum erat, illique Prophetæ nomen successerat. Sed quamquam Samuelis tempore desitum fuisset Videntes hoc nomine appellari, sed Prophetæ nuncupati fuissent; tamen aliquantisper adhuc postea nonnumquam *Videntium* nomine designabantur. Exempli gratia David regnante 2. Reg. 15. 27. *O Videns revertere in civitatem in pace*. Et Gad uppellatur 1. Par. 21. 9. *Videns David*. Et 2. Par. 9. 29. *Abdon videns* prophetavit *contra Jeroboam*. Et Rex Asa 2. Par. 16. 10. posuit in nervum *Hanani Videntem*, eo quod non prædiceret illi ea, quæ cupiebat.

Cæterum *Videntis* nomen, ut Divinator, vel Propheta designetur, ac verbum *videndi*, ut prædicere, & prophetare significetur, communia sunt apud Prophanos. Balaam se illum esse ait Num. 24. 4. 16. *qui visionem omnipotentis intuetur*. Et Jeremias 14. 14. ait pseudoprophetas videre *visionem mendacem*, & ex se ipsis vaticinari. Ægyptii [7] *Deorum videntes* eos appellabant, quos per revelationem futura prænoscere arbitrabantur. Vates cum lymphatico spiritu corriperentur, ob oculos se videre gloriabantur, quæ erant eventura. Sybilla apud Virgilium Æneid. 2. ajebat;

.... Bella, horrida bella,
Et Tibrim multo spumantem sanguine cerno.

℣. 12. QUÆ DIXERUNT ILLIS: HIC EST. ECCE ANTE TE, FESTINA NUNC, HODIE ENIM VENIT IN CIVITATEM.] Ut recte narratio intelligatur, quam istbic legimus, animadvertendum est, quamquam Samuelis domus esset in Ramatha, eum degere tamen consuevisse in agro, in quodam loco cui nomen *Najot* cum aliis Prophetis, quos ipse instituebat, informabatque; quod inferius cap. 19. 19. innotescet. Samuel igitur die illa in urbem perrexerat, ac sacrificio interesse debebat, & convivio, cum primoribus populi. Puellæ, ex quibus Saul sciscitatur, ubi Videns adesset, dixerunt illi, *hic est ecce ante te*, ostenderuntque illi Samuelem in urbem ascendentem, eumque præcedentem. Et equidem vix civitatis limen attigerat Samuel, cum faciem suam ad ostium convertisset, vidit Saulem cum famulo suo, qui ipsum quærebant. Tempore eodem revelavit Deus Samueli, quem ipse Regem populo suo destinasset: Samuel ingredientibus obvius fit, eosque excipit, quemadmodum infra videbimus. Hæ puellæ, quæ ad hauriendam aquam egrediebantur, merentur, ut animum paromper advertamus. Hæc vetus erat consuetudo tum apud Sacros [8], tum Profanos Scriptores, palam memorata. Fabius Pictor, ait *Rheam* juxta statum morem, quo puellæ ad hauriendam pro sacrificiis aquam prodibant, egressam fuisse, ut fontem adiret, qui in Martis luco emanabat.

SACRIFICIUM EST HODIE POPULI IN EXCELSO.] Ex iis, quæ consequentur, multiplicibus exemplis innotescet, neminem sibi religioni vertisse, donec Tabernaculo locus constitutus, certusque non fuit, in summis verticibus collium Domino sacris operari [9]. Samuel aram extruxerat in colle super Ramatham, ubi sacra erant facienda, de quibus hic est sermo, quæ civitatis primorum cum Samuele convivium subsequi debebat, in quo immolatarum victimarum carnes apponerentur; hoc enim simpliciter erat sacrificium pacificum. Nonnulli [10] putant, *sacrificii* nomen pro epulis simpliciter usurpari. Patet quidem, *sacrificare* nonnunquam significare, animantia ad convivium mactare [11]; sed ex narrationis decurso palam innotescit hoc sacrificium fuisse cum Religionis convivio conjunctum, atque illos *in excelso* comedisse [12], ubi sacrificium fuerat oblatum.

℣. 13. QUIA IPSE BENEDICIT HOSTIÆ.] Preces effundit, ac benedictiones, quæ in his ritibus fieri consueverunt. Seniori, digniorique viro benedicendi epulas, quæ apponebantur, ac vota, & preces pro toto cœtu tum sub initium, cum ad convivii finem honos deferebatur. Hic mos in Scriptura universa dignoscitur.

QUIA HODIE REPERIETIS EUM.] Hebraice [13]: *Nam reperietis eum, veluti hodie*. Procul dubio hodie eum reperietis; vel eum hac hora invenietis; vel denique invenietis eum, quemadmodum verum est diem esse [14].

℣. 14. CUM AMBULARENT IN MEDIO URBIS.] Hoc est

---

1 3. Reg. 14. 1. 2. 3. 2 1. Reg. 10. 4. 3 1. Reg. 16. 20.
4 ותשורה אין להביא לאיש האלהים מה אתנו 5 70. Πλεῖον οὐκ ἔστι μεθ' ἡμῶν τοῦ εἰσενεγκεῖν τῷ ἀνθρώπῳ τοῦ Θεοῦ, ὃ τοῦτο τὸ ὑπάρχον ἡμῖν. *Alius*; ὑπέστη τὸ ἐκ ὄχημα. 6 Vide Drus. Sanct. Mendoz.
7 Vide Maneth. apud Josephum l. 1. contra Appionem. 8 Genes. 24. 11. 9 Vide Grot. Sanct.
10 Vide Rupert. Hugon. plerosque apud Malv. Vide Jun. Ser. Hebræos. 11 Vide Genes. 31. 54. & 43. 16. & 1. Reg. 28. 24. & 3. Reg. 19. 21. 12 Vide ℣. ℣. 12. 19. 23. 13 כי אתו כהיום תמצאון אתו
14 Cajet. Tostat. Drus. & Mend.

est cum in urbem progrederentur. Hebraice [1] *cum ingrederentur in medium urbis*; hoc est simpliciter *in urbem*. Nam hæc loquendi ratio *in medium* sæpius nihil aliud significat, nisi *intra*, seu parum, seu nimis aliquis processerit [2]. Ex ℣. 18. liquet ipsos adhuc in ostii limine fuisse, cum Samuel ipsis occurrit.

SAMUEL EGREDIENS OBVIAM EI.] Nequaquam credendum est, domo egressum fuisse, ut illis obvius occurreret: convertit se, cumque eos vidisset, venit in occursum ipsis. Processit, eosque salutaturus adiit.

℣. 15. DOMINUS AUTEM REVELAVERAT AURICULAM SAMUELIS.] Dominus revelaverat Samueli. Hæc Hebraica est locutio, quæ *secreto loqui*, in aurem dicere, significat.

℣. 16. UNGES EUM DUCEM.] Hebraica vox *Nagid* [3] illum proprie significat, qui præcedit, atque ante exercitum graditur. Septuaginta [4] *in Principem*, Chaldæus, *in Regem*. Hebræi superiori capite 7. 20. Samueli dicebant, *& judicabit nos Rex noster, & egredietur ante nos, & pugnabit bella nostra pro nobis*. Princeps debet esse bonus Rex, & bonus miles; Homeri verba sunt Iliad. Γ. quæ Alexander Magnus veluti pulcherrimum sapientissimi hujus Poetæ dictum admirabatur [5]. Rex Israel bella Domini suscipere debebat, ac hostes populi Dei persequi; hoc illius munus erat præcipuum.

SALVABIT POPULUM.] Magnas de Philisthiim retulit Saul victorias sub initium regni sui [6], populumque hunc coegit, ut pacatus delitesceret, neque Israelitas bello vexaret; felicissimo quoque eventu cum Ammonitis, Amalecitis, Idumæis, Moabitis, ac Syris pugnavit. Scriptura quidem singulorum bellorum istorum narrationem haud affert; verum generatim ait; *Et Saul, confirmato regno super Israel, pugnabat per circuitum adversus omnes inimicos ejus contra Moab, & filios Ammon, & Edom, & reges Soba, & Philisthæos*. Adnotandum est a Samuelis initio, ac post insignem illam victoriam, quam superius c. 7. vidimus, regionem pacatam fuisse per annos ferme viginti usque ad Saulis imperium: Sed pax hæc completa non fuit: Philisthiim paullatim vires receperant, Israelitis ademerant arma, eosque sine fabris ferrariis in ipsorum regione redegerant, ita ut apud Philisthiim quærere deberent omnia ad terram excolendam instrumenta, *usque ad stimulum*. Habebant illi armenta *ad collem Dei* [7], uti quoque in Gabaa [8] sub initium regni Saül; ita ut miserrima esset Israelitarum conditio; quamobrem eos clamores edebant, de quibus inferius est sermo; atque hæc fortassis una fuit ex rationibus, quæ ipsos ad Regum sibi exposcendum impulerunt.

℣. 18. IN MEDIO PORTÆ.] Saul urbem ingrediens, cum adhuc esset sub ostio, vel in platea, ubi populi conventus haberi consueverat, obvium habuit Samuelem, quem Saul, ubi Videns esset, sciscitatus est. Septuaginta [9]: *In medio civitatis*. Chaldæus: *intra januam*.

℣. 19. ASCENDE ANTE ME.] Samuel nondum ascendere illuc volebat, ubi erat concilium, illuc tamen præmisit Saulem. Cum hic Propheta tunc temporis solum in urbem pervenisset, aliquantisper domi suæ est immoratus.

℣. 20. CUJUS ERUNT OPTIMA QUÆQUE ISRAEL?] Occultis verbis designat Regnum, quod erat objectum votorum, atque ambitionis universi Israel, &

A quod habebatur, velut summum gloriæ, ac felicitatis incrementum. Hebraice [10]: *Cujus erit omne desiderium Israel?* Desiderium pro re maxime desiderabili, ac felicissima usurpatur. Messias nuncupatur Agg. 2. 8. *desiderium nationum*; & Daniel 9. 23. 10. & seq. *vir desideriorum*; & Sponsus Canticorum 5. 16. *totus desiderabilis*. Septuaginta [11]: *Et cujus erit, quidquid speciosissimum est in Israel?*

℣. 21. FILIUS JEMINI.] Hoc est e tribu Beniamin. *Jemini* significat *dexteram meam*, Beniamin vero filium Dexteræ. Hæc Beniamin tribus erat e minimis tribubus Israel: & post bellum, quod illi omnes tribus aliæ intulerunt Judic. 20. magis adhuc fuerat infirmata. Videtur mirabili sapientiæ suæ effectu voluisse Deus quamlibet invidiæ causam inter tri- B bus Israel tollere, Regem ex ea eligens, quæ aliis nullam immittere posset suspicionem.

ET COGNATIO MEA NOVISSIMA.] Quamquam Israelitæ omnes propter nativitatem æque nobiles essent, æque liberi; in familiis tamen cognationes quædam super alias nominis celebritate, & gloria florebant: seu bona æstimarentur, seu magnus virorum numerus, seu dignitates, quibus familiarum illarum principes fuerant insigniti. Cæterum nihil speciosius est hac Saulis modestia, atque humilitate.

℣. 22. DEDIT EIS LOCUM IN CAPITE.] In capite omnium convivarum; Septuaginta [12]: præcepit, ut illis inter primos convivas locus assignaretur; sed Hebraicus Textus, Chaldæus, & Vulgata inquiunt in capite omnium locum illis datum fuisse; Saul a fa- C mulo suo nequaquam sepositus fuit: ob id fortassis, quod famulus hic nequaquam servus erat, neque alienigena; sed Israelita, qui domi Cis famulabatur, & qui ad tempus dumtaxat libertatem suam obligarat. Honoratior mensæ apud Hebræos locus erat superior extremitas: quod liquido patet tum ex hoc loco, cum ex Jesu Christi parabola in Evangelio Luc. 14. 8. ubi ait, non oportere primum tibi locum assumere, ne descendere inferius cogaris. Sedes Saulis in familia sua, cum ad Regnum evectus fuit, erat prope parietem, vel in ima aula: ad cujus latera Abner, & David assidebant. Apud Græcos contra parietem nobiliores viri sedebant, seu [13] e regione parietis. Apud Persas, Rex capiti apponebatur, hinc vero, & inde convivæ quisque juxta ordinem D suum; semper autem ad lævam [14] illi accumbebant, quibus se maxime crederet, post quos ad dexteram amplissimus quisque collocabatur. Hebraicus textus, & Vulgata ajunt convivas fuisse numero triginta. Sed Septuaginta Romanæ Editionis, & Josephus legunt septuaginta.

℣. 23. DA PARTEM, QUAM DEDI TIBI.] Samuel, qui festivitati huic præsidebat, tum propter Judicis dignitatem, cum propter ætatem, carnem dividi jusserat, atque coco præceperat, ut armum reservaret, eo quod magna aderat præter ordinem multitudo. Simulac discubuere convivæ, ac juxta Veterum consuetudinem cœnæ princeps convivis carnem cœpit distribuere [15], Samuel coco imperavit, ut armum afferret, quem seponi jusserat: illumque Sauli appo- E neret, quod dicto citius effectum est. Credunt nonnulli, armum hunc, quem coco Samuel dedit, illum fuisse, quem Sacrificantis jure in partem sibi dubitam acceperat; verum nemo nescit, Samuelem nequaquam Sacerdotem fuisse; quapropter hæc penitus corruit opinio; alioquin haud fas erat laicis, qualis erat Saul, partibus pro Sacerdotibus destinatis ve-

1 המה באים בתוך העיר. 2 Vide Isai. 6. 5. Jerem. 4. 8. Mich. 3. 3.
3 משחך יי. 4 Χρίσει αὐτὸν εἰς ἡγούμενον. 5 Plutarch. Libel. de fort. Alex.
6 1. Reg. 13. 14. 7 1. Reg. 10. 5. 8 1. Reg. 13. 3.
9 ἐν μέσῳ τῆς πόλεως. Heb. בתוך השער. 10 למי כל חמדת ישראל.
11 Καὶ τίνι τὰ ὡραῖα τοῦ Ἰσραήλ. 12 Ἔταξεν αὐτοῖς τόπον ἐν πρώτοις τῶν κεκλημένων.
13 Homer. Iliad. Ω & alibi.
14 Xenoph. l. 7. Cyrop. Vide & Plutarchum quæst. Convival. lib. 1. cap. 4.
15 Homer. Iliad. Ω.

ſci ; denique nullibi aſſerit Scriptura armum hunc A
dexterum fuiſſe, qui ſolus Sacerdoti reſervabatur.

℣. 24. LEVAVIT AUTEM COCUS ARMUM, ET POSUIT ANTE SAUL.] Hebraice [1] : *Tulit autem cocus armum, & quod erat ſuper illum, & poſuit ante Saul.* Vel : *Tulit armum, eumque elatum poſuit ante Saul.* Conſuetudo apponendi principibus viris, atque ornatiſſimo cuique e convivarum cætu magna carnis aſſæ fruſta, tum ex Scripturis [2], eum ex profanis authoribus ſatis patet. Hæc autem in Græcia vigebat, inter Gallos [3], Ægyptios, atque Hebræos. Agamemnon præbet Ajaci tergum bovis, poſtquam cum Hectore dimicaverat; quod ipſum Menelaus [4] agit cum Telemacho. Homerus plurima rei hujus ſuggerit exempla. *Armum, & quod eſt ſuper illum*, ſignificat B
quartam animantis partem integram. Septuaginta, Aquila, aliique Interpretes [5] vertunt *femur* pro armo.

ECCE QUOD REMANSIT.] Hebraicum textum ita reddere mallem [6] : *ecce quod tibi reſervatum fuit* ; nam juxta Vulgatam armus hic præcedenti convivio ſuperfuiſſe videretur.

QUIA DE INDUSTRIA SERVATUM EST TIBI, QUANDO POPULUM VOCAVI.] Textus hic eſt admodum facilis ; at Hebraicus obſcurior eſt [7] : *Servatum eſt in id tempus præciſum*, vel, in hanc feſtivitatem, dicendo : *acceſſivi populum*, vel, *invitavi gentem plurimam*. Fruſtum hoc data opera ſervatum fuit juſſu meo ; dixi, me invitaſſe plurimos præter cætum hunc, qui triginta eſt virorum [8]. Vel aliter : Imperavi, C
ut armus hic in hanc ſervaretur ſolemnitatem, cum præcepi, ut epulæ inſtruerentur pro toto hoc populo, pro his triginta convivis. Septuaginta [9] : *Fruſtum hoc tibi offertur a populo veluti teſtimonium, accipe.* Hoc tibi fruſtum defertur in ſingularis obſervantiæ argumentum.

℣. 25. LOCUTUS EST CUM SAULE IN SOLARIO.] Quo illum duxerat, ut ibi cubaret. Quid Samuel Sauli hoc in loco dixerit, nos fugit : verum dubio locus non eſt, quin Dei conſilia de ipſo retexerit, atque illum præclara de Regis officiis documenta tradiderit.

STRAVITQUE SAUL IN SOLARIO, ET DORMIVIT.] Verba hæc neque in hebraico, neque in pluribus Latinis Exemplaribus inveniuntur. Hæc in recentiori Sancti Hieronymi editione non extant ; ſed ex Septuaginta deſumpta fuere [10], qui hunc ſenſum tribuerunt verbis illis, quæ S. Hieronymus juxta hebraicum textum reddidit : *Locutus eſt cum Saule in ſolario.* Verum non neceſſe erat utramque hanc verſionem in Vulgata conjungere. Adnotare poſſumus iſthic ſingularem regionis illius conſuetudinem, quod hoſpites ſuper tecto, vel in ſolario domus ad cubandum adducerentur. Vidimus jam exploratores, quos Rahab domi exceperat, in ſolarium, ut ibi ſe ſe ſternerent, aſcendiſſe, Joſue 2. 6. Videmus quoque Abſalonem tetendiſſe Tabernaculum in ſolario domus regiæ, ibique cubaſſe 2. Reg. 16. 22. Ad hanc quoque diem Syriæ, & Palæſtinæ populi in ſolariis diſcumbere adſolent, ad frigus in ſuperiori ædium parte captandum. Pauperiores vero, & plebecula ſuper culcitria inſternuntur, quibus quaſdam ſupponunt ſtoreas, atque noctu linea, vel goſſypina veſte obteguntur. In Homero hoſpites ſub porticu ante ædes cubant ; eorumque cubile ſuper pavimentum ſine alia re quappiam ſternitur. Ariſtophanes in Veſpis act. 1. nobis Græcorum conſuetudinem ob oculos ponit, nonnumquam ſuper ædium tecta cubandi. In omni Oriente pro cubili culcitra eſt, quæ veſpere ſuper aulæum extenditur, interdiu vero complicatur [11]. Æſtate vero paſſim in ſolariis ſuis ſub dio cubant, ac in agro ſuper humum ſtorea ſuppoſita.

---

1 וירם את השוק והעליה.
2 Vide noſtrum Commentarium in Geneſ. 18. 6.
3 Vide Diodor. Sicul. l. 5.
4 Vide Athen. l. 1. c. 18.
5 70. Τὴν κωλέαν. Aq. Τὴν κνήμην. Crus.
6 הנה הנשאר. 70. ἰδὲ τὸ ὑπόλειμμα. Sym. ὑπολειφθέν.
7 כי למועד שמור לך לאמר העם קראתי.
8 Vide Ludov. de Dieu, Vatabl. Cajet.
9 Ὅτι εἰς μαρτύριον τέθειταί σοι παρὰ τῶν λαῶν, ἀπόκνιζε.
10 70. Edit. Rom. Καὶ διέστρωσε τῷ Σαοὺλ ἐπὶ τῷ δώματι.
11 Tavernier, Voyage des Perſ. c. 41. aliique Viatores.

CAPUT X.

Saul Rex Iſrael inungitur. Samuel illi præbet ſigna in electionis ipſius argumentum. Concilium populi in Maſphath, ubi Saul ductis ſortibus eligitur. Ducitur ille in Concilium, & mox ſe recipit in Gabaa exercitus parte ſtipatus.

1. TUlit autem Samuel lenticulam olei, & effudit ſuper caput ejus, & deoſculatus
eſt eum, & ait : Ecce, unxit te Dominus ſuper hæreditatem ſuam in princi-
pem, & liberabis populum ſuum de manibus inimicorum ejus, qui in circui-
tu ejus ſunt. Et hoc tibi ſignum, quia unxit te Deus in principem.
2 Cum abieris
hodie a me, invenies duos viros juxta ſepulchrum Rachel in finibus Beniamin, in Me-
ridie, dicentque tibi : Inventæ ſunt aſinæ, ad quas ieras perquirendas : & intermiſſis
pater tuus aſinis, ſolicitus eſt pro vobis, & dicit : Quid faciam de filio meo ?
3 Cum-
que abieris inde, & ultra tranſieris, & veneris ad quercum Thabor, invenient te ibi
tres viri aſcendentes ad Deum in Bethel, unus portans tres hœdos, & alius tres tortas
panis, & alius portans lagenam vini.
4 Cumque te ſalutaverint, dabunt tibi duos pa-
nes, & accipies de manu eorum.
5 Poſt hæc venies in collem Dei, ubi eſt ſtatio Phi-
liſthi-

listhinorum : & cum ingressus fueris ibi urbem, obvium habebis gregem prophetarum
descendentium de excelso, & ante eos psalterium, & tympanum, & tibiam, & citha-
ram, ipsosque prophetantes. 6 Et insiliet in te Spiritus Domini, & prophetabis cum
eis, & mutaberis in virum alium. 7 Quando ergo evenerint signa hæc omnia tibi, fac
quæcumque invenerit manus tua, quia Dominus tecum est : 8 Et descendes ante me
in Galgala (ego quippe descendam ad te) ut offeras oblationem, & immoles victimas
pacificas : septem diebus expectabis, donec veniam ad te, & ostendam tibi, quid fa-
cias. 9 Itaque cum avertisset humerum suum, ut abiret a Samuele, immutavit ei De-
us cor aliud, & venerunt omnia signa hæc in die illa. 10 Veneruntque ad prædictum
collem, & ecce cuneus prophetarum obvius ei : & insiluit super eum Spiritus Domini,
& prophetavit in medio eorum. 11 Videntes autem omnes, qui noverant eum heri,
& nudiustertius, quod esset cum prophetis, & prophetaret, dixerunt ad invicem: Quæ-
dam res accidit filio Cis ? num & Saul inter prophetas ? 12 Responditque alius ad
alterum, dicens : Et quis pater eorum ? Propterea versum est in proverbium : Num
& Saul inter prophetas ? 13 Cessavit autem prophetare, & venit ad excelsum. 14
Dixitque patruus Saul ad eum, & ad puerum ejus : Quo abistis ? Qui responderunt :
Quærere asinas : quas cum non reperissemus, venimus ad Samuelem. 15 Et dixit ei
patruus suus : Indica mihi, quid dixerit tibi Samuel. 16 Et ait Saul ad patruum su-
um : Indicavit nobis, quia inventæ essent asinæ. De sermone autem regni non indica-
vit ei, quem locutus fuerat ei Samuel. 17 Et convocavit Samuel populum ad Domi-
num in Maspha : 18 Et ait ad filios Israel : Hæc dicit Dominus Deus Israel : Ego e-
duxi Israel de Ægypto, & erui vos de manu Ægyptiorum, & de manu omnium regum,
qui affligebant vos. 19 Vos autem hodie projecistis Deum vestrum, qui solus salvavit
vos de universis malis, & tribulationibus vestris : & dixistis : Nequaquam : sed
regem constitue super nos. Nunc ergo state coram Domino per tribus vestras, & per
familias. 20 Et applicuit Samuel omnes tribus Israel, & cecidit sors tribus Beniamin.
21 Et applicuit tribum Beniamin, & cognationes ejus, & cecidit cognatio Metri, &
pervenit usque ad Saul filium Cis. Quæsierunt ergo eum, & non est inventus. 22 Et
consuluerunt post hæc Dominum, utrumnam venturus esset illuc ? Responditque Domi-
nus : Ecce absconditus est domi. 23 Cucurrerunt itaque, & tulerunt eum inde : ste-
titque in medio populi, & altior fuit universo populo ab humero, & sursum. 24 Et
ait Samuel ad omnem populum : Certe videtis, quem elegit Dominus, quoniam non sit
similis illi in omni populo. Et clamavit omnis populus, & ait : Vivat Rex. 25 Locu-
tus est autem Samuel ad populum legem regni, & scripsit in libro, & reposuit coram
Domino : & dimisit Samuel omnem populum, singulos in domum suam. 26 Sed &
Saul abiit in domum suam in Gabaa : & abiit cum eo pars exercitus, quorum tetigerat
Deus corda. 27 Filii vero Belial dixerunt : Num salvare nos poterit iste ? Et despe-
xerunt eum, & non attulerunt ei munera : ille vero dissimulabat se audire,

℣. 1. TULIT SAMUEL LENTICULAM OLEI, ET EFFUDIT SUPER CAPUT EJUS.] Hebraica vox [1] *phac* passim [2] pro lenticula olei usurpatur; & Græcæ voces *phake*, & *phakos*, quæ lentem significant, & vas formæ lenticularis ex eadem origine oriri videntur. Latinis quoque erant phialæ planæ, ac rotundæ, ac præter propter lentium forma, quas *lenticulas* nuncupabant [3]. Nonnulli putant vasa hæc fuisse curnea [4] : verum potius fictilia fuisse censerem.

Regum inungendorum mos singularis fuit apud Israelitas, quemadmodum S. Augustinus in Psal. 44. animadvertit, cum per hoc voluerit Deus populo suo prophetiam præbere Christi, atque Uncti sui, qui in semet dignitates Regis, Prophetæ, ac Sacerdotis conjunxit, in quibus tantummodo consecrandis unctionis oleum adhibetur. Consuetudinis hujus vetustas ex Judicum 9. 8. dignoscitur, ubi scriptum est, arbores sibi Regem constituere voluisse; *ierunt ligna ut ungerent super se Regem, dixeruntque Olivæ, impera nobis*. Rei hujus isthic apparet praxis, ac deinceps in David, qui ter inunctus fuit : primum quidem per manus Samuelis 1. Reg. 17. 13. Secundo in Hebron, cum a tribu Juda salutatus est Rex 2. Reg. 2. 4. & tertio ibidem, cum omnes tribus Israel eum Regem agnovere 2. Reg. 5. 3. Reges, qui subsecuti sunt, minime oleo delibuti fuisse creduntur, saltem nisi regnum illorum in dubium vocatum fuisset : Exempli gratia Salomon a Sadoc unctus fuit 3. Reg. 1. 39. nam cum David naturali successionis ordini derogasset, quo primogenitus ad solium evocabatur, in gratiam illius ; certior faciendus erat populus de Re-
gis

1 פך השמן. 70. Τὸν φακὸν τοῦ ἐλαίου.
2 4. Reg. 9. 1. 3.
3 Plin. lib. 18. c. 12. *Lenti suum esse figuram, unde varie usu translatum est in lenticulas nomen.*
4 Schikard. jus Reg. c. 1. Theor. 4.

gis voluntate, per factum adeo insigne, quale fuit Salomonis unctio, atque hoc pacto Adoniæ partes evertere, quæ viribus præpollebant. *Joas Ochoziæ filius* [1], & Joachaz filius Josiæ [2] hac eadem celebritate regni possessionem adiere; prior quidem, eo quod Athalia Regnum ipsius occuparat; posterior autem, eo quod a populo Rex fuerat constitutus sine consensu Nechao Regis Ægyptii, qui illum post tertium mensem de solio deturbavit; atque sine Senatus authoritate, Rabbini inquiunt; demum exclusis rationibus Joakim fratris natu majoris. At in aliis filiis, qui patribus successerant, quin obsisteret aliquis, ratio hæc haud servata fuisse videtur.

Non satis liquet, an Regum per unctionem consecrandorum mos in Israel regno obtinuerit, quemadmodum in regno Juda: hoc liquet solum, Deum, cum vellet ad regnum evehere Jehu, ut domum Achab subverteret, præcepisse Prophetæ cuidam, ut in Ramot Galaad, ubi ille tunc aderat, pergeret eum inuncturus 4. Reg. 9. 6. Sed cum Scriptura de nullius præter hunc Regis Israel unctione loquatur, fidei pronius est, ritum hunc nequaquam fuisse communem. Judæi [3] asserunt neque Saulem, neque Reges Israel delibutos fuisse oleo sacro [4], quo Sacerdotes, & Reges Juda ungebantur; sed priores illi, inquiunt, oleo balsami uncti fuere. Verum quibusnam argumentis hæc sententia fulcitur? notumne erat oleum balsami in Judæa ante Salomonis regnum, & Reginæ Sabæ adventum? Quorsum autem tot mysteria? Saul, & David plane communi tantum oleo inuncti fuerunt, non secus ac Hazael Rex Syriæ [5], & Jehu Rex Israel. Hoc vulgarum erat in iis regionibus, ut inter convivia, & comessationes ungerentur [6]; Regum vero inunctio ab aliis fine fastum, & solemnitate distinguebatur. Non ita vero Sacerdotum unctio peragebatur; hæc enim a Deo præscripta fuerat; olei sancti compositio a Moyse refertur; neque ullum verbum adest, quod spectet ad Reges: verum proposito capitis supplicio cavetur, ne quis illud sibi in usum ausit conficere [7]; quæ igitur probabilitas adest, oleum hoc pro Regibus adhibitum fuisse, qui Laici tantum erant? Adnotaturne Samuel in Tabernaculo unctionis oleum quæsivisse, ut consecraret David? hoc sane pacto Sauli detectum fuisset, quod illi abditum volebat Deus; scilicet electio, & consecratio illius, qui ipsi erat successurus. Verum quidem est e Tabernaculo desomptum fuisse oleum [8], ut Salomon consecraretur; ast factum hoc singulare est; atque ex eo, quod Scriptura peculiariter hoc referat de Salomone tantum, quin ejusdem meminerit, cum de regibus aliis loquatur, arguere licet, in aliis oleum idem adhibitum non fuisse.

Iudæi [9] docent etiam, Reges inungi consuevisse in capitis vertice in coronæ formam: sed hæc omnia incerta sunt; crederem potius oleum super caput eorum effusum fuisse, non secus ac in vulgaribus unctionibus fieri solebat. Instillabatur super caput, & crines, & quandoque usque ad vestes. Quamobrem præ aliis opobalsamis, quibus vulgo utebantur, Iudææ balsamum eo erat excellentius, quod nullis aspergeret maculis vestes, ut ait Plinius [10]; onguentum igitur quandoque de capite defluebat in vestimenta.

Post captivitatem Babyloniam nullum videmus exemplum consecrationis Regum per unctionem peractæ. Rabbini asserunt, oleum sacrum quo ad illud usque tempus usi fuerant, ut Sacerdotes, sacra Templi vasa, & quidam Reges Iuda ungerentur, usque ad Regem Iosiam dumtaxat durasse, qui quod reliquum fuerat, abstulit, atque defossa humo in Templi monte occuluit. Hoc idem erat oleum, quod a Moyse compositum fuerat, & hactenus fuerat servatum. Hæc autem nullis ducti rationibus, sed commentitiis traditionibus innixi asserunt Iudæi.

Ecclesiæ Patres, quoad unctionem, qua Reges consecrabantur, abeunt in diversa. Alii quidem [11] hanc ab oleo sacro, quo Sacerdotes inungebantur, distinguunt; sed plerique [12] eamdem fuisse videntur censere; in hoc vero omnes fere conveniunt, unctionis usum tum pro Sacerdotibus, cum pro Regibus apud Judæos tunc demum cessasse dumtaxat, cum Rex verus, verusque Domini Sacerdos Jesus Christus occubuit. Tryphon Judæus necessariam esse ait in Regibus unctionem; ait enim Messiam unctum iri ab Elia Propheta; & Tertullianus cæremoniæ hujus necessitati innititur scribens adversus Iudæos. Sed cum agatur de facto, bona fide fatendum est, tum necessitatem hanc liquido inferri non posse, cum nulla certa hujus consuetudinis afferantur argumenta; neque e contra id negari non posse, cum nulla negandi ratio suppetat præter Scripturæ silentium, ex quo nihil tuto argui fas est. Notari solummodo potest Cyrum unctum Domini appellari, & Iesu, & Zorobabel *filios olei*; per allusionem fortasse potius ad ea, quæ olim fieri consueverant, quam ad usum, qui re ipsa apud Persas, vel post reditum de Babylonica servitute apud Iudæos vigeret.

Consuetudo Reges consecrandi per sacram unctionem a Iudæis in Christianam Ecclesiam migravit: sed usus hic, neque uniformis est, neque universalis. Innocentius I. Pontifex cap. 5. de Sacra Unctione jubet Antistitum caput inungi, Regum vero brachia, & humeros; quod ad hanc quoque diem fit in Galliæ Regibus consecrandis. Regum vero Hispaniæ olim inungebatur caput, teste Iuliano Toletano in Chronico.

Cum solemni ritu corona Reges Iuda donabantur, illis exhibebatur Liber Legis, capitique illorum imponebatur [13]. Samuel Saulem est deosculatus, postquam super illum unctionis oleum effudit; at non videtur hic mos obtinuisse deinceps; nihil satis perspicuum legimus in Scriptura. Hæc autem notatu digniora nobis hac de re visa sunt, quæ isthic colligere operæ pretium duximus, ne subinde eadem repetere cogeremur.

DEOSCULATUS EST EUM.] Ajunt, cæremoniam hanc observantiæ notam fuisse, quam Samuel Sauli præstitit, veluti populi sui Regi. Vide Psal. 2. ℣ 12. *Apprehendite justitiam*. Hebraice: osculamini filium.

LIBERABIS POPULUM TUUM DE MANIBUS INIMICORUM EJUS, QUI IN CIRCUITU EJUS SUNT; & HOC TIBI SIGNUM, QUIA UNXIT TE DEUS IN PRINCIPEM.] Totus hic finis ℣. 1. neque in Hebraico textu legitur, neque in Complutensi Septuaginta editione, neque in quibusdam Latinis Editionibus; verum adest in Græca lectione Romanæ editionis. Samuel liberavit populum suum de manibus hostium eo pacto, quo supra explicuimus cap. 9. ℣. 16.

℣ 2. JUXTA SEPULCHRUM RACHEL.] Sepulchrum hoc erat satis prope Bethlehem. Vide Genesim 35. 16.

IN MERIDIE.] Hebraica vox [14] ignota est. Septuaginta vertunt [15]: *sub Meridiem salientes, ac tripudiantes*. Plerique putant hebraicam vocem *zelzelach* esse nomen loci. Invenies duos viros juxta sepulchrum Rachel in Zelzelach; vel potius; cum abieris hinc,

1 4. Reg. 11. 12. & 2. Par. 23. 11. 2 4. Reg. 23. 30. 3 Vide Schikard. jus Reg. c. 1. & Hebræos. 4 Exod. 30. 23. 5 3. Reg. 19. 15. 6 Marc. 14. 3. Luc. 7. 37.
7 Exod. 30. 32. 8 3. Reg. 1. 39. *Sumpsitque Sadoc Sacerdos cornu olei de Tabernaculo, et unxit Salomonem*. 9 Rabb. Salom. Lyr. alii. 10 Plin. l. 12. c. 25. *Summa probatio est, ut in vestes immundas non faciant*. 11 Vide Hilar. in Psalm. 44. & Hieronym. in Psalm. 132.
12 Vide Clement. Recognit. lib. 1. Tertul. adv. Judæos, Cypr. seu alium Serm. de Unct. Chrism. Lactant. l. 4. Institut. Chrysost. &c. 13 4. Reg. 11. 12. & 2. Paral. 23. 11.
14 צלצח. 15 Μεσημβρίας ἁλλομένους μεγάλα.

ut revertaris in Gabaa, invenies duos viros de *Zelzelach* prope sepulchrum Rachel, dicentque tibi; inventæ sunt asinæ patris tui.

Septuaginta intellexerunt, perinde ac hi viatores inter tripudia agerent viam. Certum quidem est *Zalzelim* significare tympana, vel cymbala, vel etiam sistra, instrumenta in regionibus illis pervulgata. His utebantur in itineribus, atque in comessationibus; peregrini, qui in Templum irent, vel ad Tabernaculum, per viam his se se recreabant, ac iter, veluti festivitatem agebant. In hoc ipso capite Prophetarum manum videmus de editiori loco descendentium ad Musicorum instrumentorum sonitum. Vetera quædam exemplaria legebant [1]; *Salientes magnas foveas*, perinde ac duo hi viatores, ut se se exercerent, lætarenturque, foveas transilire occepissent. Textus Septuaginta sensum hunc pati possee; verum quomodo ex Hebraico erui possit, non video. Qui vertetunt *in meridie*, hi plane litteralem Hebraicæ vocis significationem attenderunt, quæ significat *ad umbram claram*, veluti denotans tempus, quo ad umbram, cum maxime solares fervescunt radii, confugimus.

Ego tamen non video, quomodo Saul de Ramatha Gabaam proficiscens per sepulchrum Rachel prope Bethlehem transierit, nisi omnes Geographorum Tabulæ consentiant, ot me fallant. Opus fuit, ut Samuelis Ramatha magis ad austrum vergeret, quam quomodo vulgo solet constitui; nam situs Gabaa, & Bethlehem mutari nequeunt; satis enim noti sunt. At qui nam Ramatha magis meridiem versus constitui potest, si erat in montibus Ephraim, quemadmodum scriptum est sub hujus libri initium? Una hac insistere posse via videor, ut has difficultates evolvam, videlicet hoc pacto Hebraicum textum reddendo [2]: *Invenies duos viros de Zelzelach qui locus situs est prope sepulchrum Rachel in finibus Benjamin, qui dicent tibi, asinas patris tui inventas fuisse.*

℣. 3. AD QUERCUM THABOR.] Reddi potest [3]: *Ad quercetum*, vel ad nemus, vel ad planitiem Thabor. Locus hic non est Mons Thabor, qui procul aberat.

ASCENDENTES AD DEUM IN BETHEL.] Postquam scala mystica apparuerat Jacob Genes. 28. 19. locum Bethel omnes summa veneratione, & singulari cultu prosecuti sunt. Illuc peregrini proficiscebantur, & forte ibi sacrificia quoque offerebantur [4] eo tempore, quo Arca, & Tabernaculum statam sedem nondum obtinuerant, & Dominus nondum declaraverat, quo in loco Tabernaculum suum vellet constitui. Cum Saul de Monte Ephraim peteret Gabaam, facile obvios habere poterat peregrinos, qui confluerent in Bethel, quæ est ad Orientem Gabaa, & ad meridiem montium Ephraim.

TRES TORTAS PANIS;] quas offerrent Domino, vel quas Sacerdotibus in Bethel inservientibus traderent, hoc est sacrificia offerentibus super Altari, quod olim erexerat Jacob, ac filii ipsius subinde instauraverant: vel simpliciter preces effundentibus pro illis, qui ad ipsos munera deferrent. Hebraice habemus [5]; *tria frusta*, vel *tres massas panis*, verbo tres panes. Septuaginta [6]: *Tria vasa panis*, tres canistros panibus refertos. Afferebant hœdos pro sacrificiis, panes pro oblationibus, ac pro libationibus vinum. Pars Deo debebat offerri, altera Sacerdoti erat tribuenda, reliqua vero ad ipsos spectabat, qua convivium instruerent, & coram Domino lætarentur.

℣. 4. DABUNT TIBI DUOS PANES.] Munus hoc opportunum admodum erat viatoribus fessis, & quibus nec cibaria, neque nummi suppeterent. Hi peregrini credidisse videntur, se panes emere posse in Bethel, quo tunc contendebant.

℣. 5. VENIES IN COLLEM DEI [7], UBI EST STATIO PHILISTHINORUM.] Hic *Collis Dei* erat in Gabaa patria Saulis. Erat autem respectu Gabaa idem, ac *Excelsum* respectu Ramathæ; hic editior erat tumulus, qui imminebat urbi; ibi Philistiim copias habebant, ut agrum in officio continerent. Vocatur autem collis Dei, seu quod ibi forte aderat altare, seu quod eo sæpius se su reciperent Prophetæ, ut Religiosis exercitiis vacarent. Adnotandum est, Philisthæos quamvis Hebræorum infestissimos hostes, numquam vim intulisse Prophetis, qui frequenter collem hunc ascenderent, ubi illi habebant castra. Viri ad Domini cultum destinati, atque rationem vitæ profitentes ab armis, ac bello abhorrentem, unanimi populorum consensu, hoc privilegio fruuntur [8]. Saul non ascendit hunc collem, sed urbem ingressus cum illuc vellet ascendere, occurrit Prophetis, qui descendebant, ac se illis immiscuit.

GREGEM PROPHETARUM.] Nunc primum Scriptura de Prophetarum gregibus loquitur, quorum plura deinceps occurrent exempla. Nonnulli [9] putant, Samuelem Prophetarum lycæa instituisse, ubi vel Prophetiam, vel rationem interpretandi Prophetias edocerentur. Alii asserunt viros hos, divino spiritu afflatos fuisse, ac Oracula protulisse, nec non in communi vixisse, non secus ac cœnobitas præposito suo obtemperantes; quorum plerique continentiam professi fuerint, alii vero uxores duxerint, veluti ille, cujus uxor ab Elisæo opem accessit deprecatura 4. Reg. 4. 1. Nonnullæ ex his Prophetarum scholis in Jericho fuisse videntur, ad Jordanem, in Najot, in Bethel, & fortasse in monte Carmelo; sed Judæi longe majorem numerum fuisse inquiunt, easque in omnibus Judææ urbibus constituunt. Probabile est, horum Prophetarum plerosque ad id afflatos fuisse dumtaxat, ut Domino laudes canerent, vel Cantica elucubrarent. Deus non detegebat semper illis futura; sed munus hoc Principibus Prophetarum reservabatur. Nonnulli etiam forte obiter, & casu aliquo spiritu divino erant perciti, quemadmodum inferius Sauli novimus accidisse. Illi, de quibus isthic est sermo, qui de colle Gabaa descendebant ad musicorum instrumentorum sonitum, illuc profecto ascendebant, ut aliquam celebrarent festivitatem, & post devotionis convivium vel domum suam, vel in consuetum cœtus sui locum revertebantur.

℣. 6. MUTABERIS IN VIRUM ALIUM.] Prophetabis, & ea perages, quæ modo non agis. Non eris amplius filius Cis, homo simplex, rudis, & ignarus; sed alius eris vir, spiritu fortitudinis, virtutis, magnanimitatis plenus, & capies sensus virtutis, Principe dignos: *Cape Regis animum, & in istam fortunam, qua dignus es, istam continentiam profer*, dicebant apud Q. Curtium l. 4. Legati Alexandri Abdolonymo, cui ille regnum dederat.

℣. 7. FAC QUÆCUMQUE INVENERIT MANUS TUA.] Posthac sequere boni hujus Spiritus impetum, qui te afflabit, ac gignet in te felicem hanc mutationem; ne verearis maxima quæque aggredi, & certus divini auxilii, i audacter, quo te Spiritus hic impellet, prout tibi exhibebit circumstantias.

℣. 8. DESCENDES ANTE ME IN GALGALA.] Variæ in medium afferuntur sententiæ de tempore, quo Saul in Galgala descenderit, ut huic pareret edicto. Duplicem invenimus magni momenti occasionem, qua Saul illuc profectus est: primum quidem post Ammonitarum bellum, cum Rex Israel fuit confirmatus

1 D. Gregor. M. in lib. Reg. D. Bonaventura in Comment. Jerem. sub initium, Hugo Card. Dionys. Carthus. apud Mend. 2 ומצאת שני אנשים עם קברת רחל perinde ac si legeretur, מעם קברת
3 עד אלון תבור 4 Varab. Munst. Menoch. Sanct. Mendoz. Cornel. 5 שלשת ככרות לחם
6 Τρία αγγεῖα ἄρτων. 7 גבעת האלהים 70. Βουνὸς τοῦ Θεοῦ. Sym. Τόπον ὑψηλός. *Locum remissum*; perinde ac si Dei nomen ad exaggerandam loci hujus altitudinem tantummodo inserviret.
8 Grot. de jure Belli & Pac. lib. 3. cap. 11. art. 10. art. 2. 3. 9 Vide Basnagium in hist. Jud. l. 5. c. 5.

marus 1. Reg. 11. 14. Iterum vero ante bellum adversus Philistiim 1. Reg. 13. 8. 9. ubi cum septem dies expectasset Samuelem, sacris operatus est, antequam ille adesset, videns omnes copias hac illac dilabi, & se ferme solum remansisse. Nonnulli pro vice priori stant, pro altera nonnulli. Septem dierum circumstantia maxime favet illis, qui intelligunt de bello adversus Philistiim; quod ipsum mihi vero similius videtur. Nec desunt [1], qui ut omnia concilient, ajunt, Samuelem illi imperasse, ut in Galgala descenderet, quotiescumque aleæ plena se se præberet occasio; Samuelem vero ibi semper post septem dies adfuturum, ut illi Domini voluntatem de iis, quæ essent agenda, depromeret. Alii [2] ita reddunt: *Adero in Galgalis tecum, & ibi septem diebus sacrificia offeremus*.

℣. 11. NUM & SAUL INTER PROPHETAS?] Hoc in adagium abiisse Sacer Author refert: videntes enim miram immutationem, atque extraordinariam, nec non repentinam elevationem hominis de privata fortuna ad insperatum honoris apicem, dicebant: *Num & Saul inter Prophetas?* Adagium hoc tunc etiam confirmatum est, cum Rex hic in Najot profectus, ut Samuelem interimeret, Spiritu sancto percitus prophetare incœpit [3] inter Prophetas, qui erant circum Samuelem. Proverbium hoc in plures sensus flecti potest; exempli gratia, cum quidam negotio cuipiam animum appellit, quod penitus ignoret, vel cum munus aliquod quærit, quod ipsum minime decet, vel cum uno ictu ad honores, & dignitates evehitur, vel denique cum infusa, & supernaturali
C scientia donatur. Exempli gratia cum Apostoli ad populum concionabantur, diversis loquebantur linguis, & Scripturæ Mysteria explicabant, dici potuisset: *Num & Saul inter prophetas* [4]? Probabile admodum est, Authorem, qui hæc isthic animadvertit post factum hoc satis diu vixisse, & cum adagium hoc passim in Vulgus abierat.

℣. 12. ET QUIS PATER EORUM?] Suntne illi melioris conditionis, an Saul? Horum prophetarum patres, nobiliores ne sunt, majoresque Prophetæ, quam Cis pater Saulis [5]? Aliter: *Num & Saul inter Prophetas? quinam igitur est pater illius, & pater famuli ipsius* [6]? Ipsi ne ad prophetandum idonei sunt? Vel: *Quinam est Prophetarum magister* [7]? Hoc illis
D responderetur, qui mirabantur, quod Saul vaticinaretur. Quinam docuit alios prophetare, nonne Deus? Spiritus Sanctus nonne spirat, ubi vult? Cur non poterat hoc ipsum Sauli conferre? Vel demum, *quinam est pater, & Magister Prophetarum*, nonne Saul? Quomodo nam adeo sciens evasit, ut repente Propheta sit, ac Prophetarum præceptor? Scimus nomen *patris* sæpius pro magistro usurpari. Septuaginta vertunt: *Quinam est pater illius*. Et in quibusdam Exemplaribus addunt [8]: *Nonne Cis?*

℣. 13. CESSAVIT PROPHETARE, & VENIT AD EXCELSUM.] Saul occurrerat Prophetis, eum de colle Gabaa descenderent; illis adhæserat, & cum illis in urbem descenderat, secundum enthusiasmi sui impetum. Cum Prophetarum grex secessisset, & singuli domum suam essent dilapsi, desiit Dei spiritus in
E Saule, & ascendit domum patris sui, qui forte in editiori loco morabatur. Cognati illius mirabundi propter ea, quæ illi in Prophetarum occursu acciderat, & scire quærentes, quid in via ipsi contigisset, convenerunt ad eum; cumque patruus illius intellexisset, Samuelem ab illo invisum, percontatus est, quid illi Propheta dixisset, ratus, aliquid singulare ipsum habere, quod referret; sed Saul sapienter ea tacuit, quæ ad regnum spectabant.

℣. 17. CONVOCAVIT SAMUEL POPULUM AD DO-
A MINUM IN MASPHATH.] Urbs hæc celebris est in Scriptura propter nonnulla concilia, quæ ibi habita fuere. Samuel ibi convocavit universum populum *ad Dominum*; scilicet ut conveniret coram Arca fœderis, quæ illuc ferri debebat [9], ut coram ipso, & coram summo Sacerdote Rationali induto sortes mitterentur ad totius nationis regem eligendum. Interpretes quidam [10] contendunt Arcam illuc minime delatam fuisse; & hanc loquendi rationem *convocare ad Dominum* innuere simpliciter, populum de mandato Dei, in nomine ipsius convenisse, ut juxta ipsius præceptum sibi Regem eligerent. Hic erat cœtus populi Domini, cui ille præsidebat, ubi sortis electionem sequi debebant, cujus effectus Domino tribuebantur.

℣. 19. PER TRIBUS VESTRAS, & PER FAMILIAS.]
B Hebræus [11]: *juxta vestras tribus, & milliaria vestra*. Quælibet tribus seorsim, & quælibet major familia separatim. Duodecim tribus divisæ erant in multiplices majores familias, quæ immediate originem duxerant a filiis capitum tribuum. Hæ vero majores familiæ iterum in alias minores subdividebantur. Pluries sortes missæ fuere, ut usque ad Saulem deveniretur. Eductæ primum fuere duodecim tribus, deinde majores familiæ Benjamin, mox particulares familiæ de domo Metri; demum viri de domo Cis.

℣. 21. CECIDIT COGNATIO METRI.] Nullum virum fuisse legimus in genealogia Benjamin, quæ in 1. Paralipom. 8. 1. & seq. recensetur, cui Metri nomen esset. Verum creditur Metri duplici nomine vocatus fuisse, ac nomen Metri non fuisse nomen
C proprium ipsius, verum denominatio ab arte sagittas emittendi deducta; *Metri* [12] enim Sagittarium significat.

℣. 22. UTRUMNAM VENTURUS ESSET ILLUC;] an expectandus esset in cœtu, an venturus esset. Hebraicus textus ad litteram [13]: *utrum veniret illuc*; num esset in via, ut veniret; vel utrum venire illuc decrevisset.

ECCE ABSCONDITUS EST DOMI.] Hebraice [14]: *absconditus est in instrumentis*, inter sarcinas. Saul cum aliis venerat in Masphath. Sed abdiderat se inter eos, qui cœtus impedimenta tuebantur; absconderat se in loco latenti, & obscuro procul a populi frequentia, & sane propter animi sui modestiam, ac metum; hoc enim honore se indignum arbitrabatur.
D ℣. 23. ALTIOR FUIT UNIVERSO POPULO AB HUMERO, & SURSUM.] Hoc non sine ratione adnotatur. Deus se aptare voluit populi studiis, illi Regem tribuens insignem forma, & corporis præstantia dignum imperio. Aristoteles Polit. 1. inquit, esse futurum ut, si homines adessent ea corporis specie, quam in Deorum simulacris intuemur, nemo ambigeret, quin illi nati essent, ut cæteris imperarent. Author hic ibid. l. 4. & 7. narrat Æthiopes, & Indos præsertim formæ, ac magnitudinis rationem habere, cum alicui supremam deferunt authoritatem. Quintus Curtius lib. 6. ait: *plurimis gentibus in corporis majestate venerationem esse, magnorumque operum non alios capaces existimare, quam quos eximia specie donare natura visa est*.
E ℣. 25. LOCUTUSQUE EST SAMUEL AD POPULUM LEGEM REGNI, & SCRIPSIT IN LIBRO, & REPOSUIT CORAM DOMINO.] Quænam hæc fuerit lex regni, parum liquet; cum liber, in quo exarata fuerat, evanuerit; id unum reliquum est, quod Moyses pro Regibus in Deuteronomio 17. 16. præceperat, & quod Samuel superius dixit capite octavo; de quo nobis conjecturam ferre liceat; ni asserere velis, nova quædam instituta a Samuele proposita fuisse pro bono Regni regimine [15] alia admodum ab iis, quæ primum proposuerat, quæ potius minæ sunt, vel

1 Serar. Lyran. Tostat. 2 Jo. Clericus hic. 3 1. Reg. 19. ult. 4 Vide Adagial. Delrii Adag. 578. 5 Vatab. Mendoc. Menoch. Cornel. &c. 6 Cajet. Hugo, Tirinus. 7 Jonath. in Vat. Vide Jun. Pisc. Malv. 8 Ita 70. Edit. Ald. & MS. Alexand. Καὶ τίς πατὴρ αὐτοῦ, ὁ Κίς. 9 Jun. Pisc. Malv. 10 Tostat. Menoch. Cornel. Mendoz. Vide ℣. 25.
11 לשבטיכם ולאלפיכם 70. Κατὰ φυλὰς ὑμῶν. καὶ κατὰ χιλιάδας ὑμῶν. 12 המטרי 70. Ἀματταρί.
13 הבא עוד הלם איש 14 הנה הוא נחבא אל הכלים 70. Κέκρυπται ἐν τοῖς σκεύεσι. 15 Est. Grot. Vatab.

vel prædictiones calamitatum, quæ erant eventuræ præ nimia Regum impotentia. Josephus Antiq. l. 6. c. 5. ait Samuelem scripsisse mala, quæ ventura erant super Israel, eaque legisse coram Saule, ac populo universo, atque ipsius chirographum in Tabernaculo fuisse positum, ut posteritati veritatis prædictionum illius esset monumentum. Menochius putat hoc simpliciter intelligi posse de actu electionis solemnis Regis Saulis, quem Samuel exaravit, deposuitque in Tabernaculo, vel prope Arcam. Locus hic innuere videtur, hæc omnia coram Arca Domini fuisse transacta.

℣. 26. ABIIT CUM EO PARS EXERCITUS, QUORUM TETIGERAT DEUS CORDA.] Illi, in quibus Samuelis oratio motum eiverat, & qui ea, quæ contigerant, divinitus accidisse putabant, secuti sunt Saulem, deduxeruntque domum ipsius honoris gratia; deinde vero domos suas dilapsi sunt, non secus ac Saul, qui consuetis terræ exercendæ laboribus animum advertit, quemadmodum infra patebit. *Exercitus*, de quo hic sermo, nihil est aliud, quam cœtus Israel, ac illorum ex populo, qui armis ferendis essent idonei. Sæpe cœtus populi, exercitus Israel vocatur [1]; juventus omnis bellis apta huic interfuit celebritati, una cum capitibus suis, omnes

A ad iter suscipiendum, bellumque ciendum expediti.

℣. 27. FILII BELIAL . . . NON ATTULERUNT EI MUNERA.] Vidimus alibi [2], quinam sunt hi filii Belial, inertes viri, ardeliones. Munera afferre nota erat submissionis. Aod non sine muneribus adit Eglon Judic. 3. 5. David non prodit coram Saule manibus vacuis 1. Reg. 16. 20. Regina Saba Salomoni munera defert 3. Reg. 10. 2. Hic Rex plures vectigales habebat populos, qui juxta Scripturæ loquendi rationem ad eum munera afferebant 3. Reg. 4. 21. Subditi Persarum Regis, uti quoque Regis Thracum [3] & aliorum quorumdam numquam adibant Reges suos, quin ipsis aliquid offerrent. Hæc hodie quoque in Oriente viget consuetudo. Si Legati, & ii, a quibus invisuntur, donaria quædam non afferunt, ab B iis se contemni putant [4]. Herodotus lib. 3. c. 97. 98. recensitis vectigalibus, quæ ex imperii sui provinciis maxima hauriebat Darius filius Hystaspis, ait, Persidem tributi immunem fuisse; sed quotannis Regi obtulisse munera, non secus ac Æthiopes Ægypto finitimos, Nisæ, & Colchidis incolas; at hæc munera stata erant, ac imperata; neque pro voluntate, ac offerentium studio exsolvebantur.

1 Exod. 6. 26. & 12. 51. Num. 1. 3. 51. Deuter. 20. 9. 24. 5. 2 Vide Deuter. 13. 13. & 1. Reg. 1. 16. 3 Xenoph. lib. 7. Anabas. Cyri Jun. 4 Vide Petr. Martyr. Legat. Babyl. lib. 2. *Indignantur ni se negligi ac flocci fieri arbitrantur, si audeat ulla potentia oratores ad eos sine opimis muneribus destinare.*

CAPUT XI.

Bellum Ammonitarum adversus Jabes Galaad. Saul opem fert huic urbi, fundit, fugatque Ammonitas. Confirmatur Rex in Galgalis.

1. ET factum est quasi post mensem, ascendit Naas Ammonites, & pugnare cœpit
adversum Jabes Galaad. Dixeruntque omnes viri Jabes ad Naas: Habeto nos
fœderatos, & serviemus tibi. 2 Et respondit ad eos Naas Ammonites: In
hoc feriam vobiscum fœdus, ut eruam omnium vestrum oculos dextros, ponamque vos
opprobrium in universo Israel. 3 Et dixerunt ad eum seniores Jabes: Concede nobis
septem dies, ut mittamus nuncios ad universos terminos Israel: & si non fuerit qui defendat nos, egrediemur ad te. 4 Venerunt ergo nuntii in Gabaa Saulis: & locuti sunt
verba hæc audiente populo: & levavit omnis populus vocem suam, & flevit. 5 Et ecce Saul veniebat, sequens boves de agro, & ait: Quid habet populus, quod plorat?
Et narraverunt ei verba virorum Jabes. 6 Et insiluit Spiritus Domini in Saul, cum audisset verba hæc, & iratus est furor ejus nimis. 7 Et assumens utrumque bovem, concidit in frusta, misitque in omnes terminos Israel per manum nuntiorum, dicens: Quicumque non exierit, & secutus fuerit Saul, & Samuel, sic fiet bobus ejus. Invasit ergo timor Domini populum, & egressi sunt quasi vir unus. 8 Et recensuit eos in Bezech:
fueruntque filiorum Israel trecenta millia. 9 Et dixerunt nuntiis, qui venerant:
Sic dicetis viris, qui sunt in Jabes Galaad: Cras erit vobis salus, cum incaluerit sol.
Venerunt ergo nuntii, & annuntiaverunt viris Jabes, qui lætati sunt. 10 Et dixerunt:
Mane exibimus ad vos: & facietis nobis omne, quod placuerit vobis. 11 Et factum
est, cum dies crastinus venisset, constituit Saul populum in tres partes: & ingressus est
media castra in vigilia matutina, & percussit Ammon, usque dum incalesceret dies:
reliqui autem dispersi sunt, ita ut non relinquerentur in eis duo pariter. 12 Et ait populus ad Samuelem: Quis est iste, qui dixit: Saul non regnabit super nos? Date viros,
& interficiemus eos. 13 Et ait Saul: Non occidetur quisquam in die hac, quia hodie
fecit Dominus salutem in Israel. 14 Dixit autem Samuel ad populum: Venite, & eamus in Galgala, & innovemus ibi regnum. 15 Et perrexit omnis populus in Galgala,
& fecerunt ibi regem Saul coram Domino in Galgala, & immolaverunt ibi victimas pacificas coram Domino. Et lætatus est ibi Saul, & cuncti viri Israel nimis.

℣. 1. Et

℣. 1. Et factum est quasi post mensem.] Verba hæc neque in Hebraico textu sunt, neque in Orientalibus Versionibus, neque in Septuaginta Complutensi editione, neque in pluribus veteribus Latinis Manuscriptis [1], verum in Romana editione, ac in Josepho Antiqu. l. 6. c. 5. leguntur. Saulis electioni in Masphath peractæ non acquieverat Israel universus; populus assuetus res æstimare juxta præjudicia sua, rebatur, Saulem e familia ortum, quæ nihil egregium, eximiumque jactaret, aptum haud fore, ut eam ferret opem, ac præsidium, quod a Rege se habituros sperabant. Jabes ab Ammonisatum Rege oppugnata, oppidani neque animum appulere, ut ad Saulem confugerent; legatos ad universam Israel mittunt, & illi, qui venerunt in Gabaa, nequequam a Rege hoc, sed a Gabaonitis suppetias petiere. Videtur hactenus electio ipsius pro infecta habita fuisse. Samuel capite sequenti ℣. 12. alloquitur Israelitas, qui a Naas Ammonitarum Rege lacessiti dixerunt illi, *Rex imperabit nobis*, perinde ac nullum hactenus Regem habuissent, ac populus potuisset adhuc in priori statu manere nullum præter Dominum Regem agnoscens; sed post Ammanitarum cladem tunc demum Saul vere constitutus fuit, & salutatus Rex ab Israel universo in Galgalis.

Naas Ammonites.] *Naas* anguem significat. Ejusdem nominis ea in regione Rex imperitabat temporibus David [2]. Animadverti potuit alibi sæpius regionis illius Reges numina sibi fecisse de animantium nominibus, veluti lupi, serpentis, corvi &c. Ammonitæ rationes antiquas se habere jactabant in regionem Galaad: Jephte ævo [3] Israelitis trans Jordanem positis bellum indixerant, & Scriptura ne verbum quidem effert de hac regione à pace per Jephte constituta ad hoc usque tempus; videlicet octuaginta circiter annorum spatio.

℣. 2. Ut eruam omnium vestrum oculos dexteros.] Nova, inauditaque propositio. Plerique Interpretum [4] autumant, consilium Naas non fuisse tantum calamitosos hos viros totius Israelis contemptui objiciendi, quemadmodum isthic refertur, sed efficiendi, ut bello essent inepti, illis dexterum oculum eruendo. Oculus hic præ sinistro magis necessarius erat in præliis, nam lævus scuto plerumque obtegebatur. eis etiam cupiebat arcuum usum adimere, quorum opera maxime iis in regionibus utebantur; patet enim ad hoc, ut jacula emittantur, lævum oculum esse claudendum, dexterum vero aperiendum. Nolebat autem eos penitus excæcare: neque enim illorum opera potuisset uti, nec ea, quæ sperabat, exigere vectigalia.

℣. 3. Concede nobis septem dies.] Apud veteres similia quædam inveniuntur exempla, quibus obsessi pollicebantur se stato tempore dedituros, nisi intra tot dies suppetiæ adfuissent [5]. Sed hoc intelligendum est, hoc supposito, quod præsidium allatum civitatem periculo queat liberare. Quod si desit, obligatio se dedendi viget, & conditiones sunt observandæ.

℣. 5. Ecce Saul veniebat sequens boves de agro.] Hebræi longe aliter a nobis Regni magnitudinem, & Regis officiorum dignitatem æstimabant. Saul ad aratrum revertitur, postquam factus est Rex; David ad ovium suarum custodiam redit, postquam Rex a Samuele est inunctus; Absalon filius ipsius cum omnibus fratribus suis in agrum ad ovium tonsionem proficiscitur. David ipse postquam Regnum obtinuit plures habebat ovium, asinorum, & camelorum curatores, plurimosque arbores serere, & excolere faciebat. Verum quin in eam antiquitatem exempla scrutaturi abeamus, quam rudem, & agrestem fuisse dicunt, atque vitæ voluptates ignorasse potius, quam neglexisse putant, apud Græcos, Romanosque, cum maxime opibus florerent, plurimi extiterunt Principes, eximiique viri, qui non solum agrorum cultum indignum minime censuerunt, cui animum adverterent, verum etiam volumina hac de re scite conscripserunt [6]. Rex Hieron, Philometor, Attalus, Archelaus satis celebres sunt; duces Xenophon, & Mago Pœnus ipsi quoque similia opera edidere; cujus postremi volumina tanto in pretio apud Romanos fuisse author est Plinius, ut Carthagine capta, cum aliæ insignis illius civitatis Bibliothecæ aliis regionis ipsius Regibus fuerint donatæ, sedulo sibi asservarunt octo, & viginti Magonis volumina, quæ de agris excolendis conscripserat, eaque ut Latina fierent, edixit sunt. Ad hanc usque diem Catonis, Varronis [7], & Collumellæ hac de re extant opera; & ante ipsos Syllanus e familia celeberrima, patibus elucubrationibus excelluerat. Non igitur solum apud Hebræos Jair, Samgar, Saul, & David agros excoluere; sed apud alios quoque populos inventi sunt, veluti Manius, Curius, Serranus, Cincinnatus, Cajus, Attilius, & tot alii Romanorum proceres. Ovidius Fast. l. 1.

Jura dabat populis, posito modo prætor aratro,
Pascebatque suas ipse senator oves.

℣. 7. Assumens utrumque bovem concidit in frusta.] Id genus exempla multo magis afficiunt animos, quam edicta, ac verborum tonitrua. Prophetæ sæpe hac institerunt via, ut ea quæ dicerent, populorum animos acrius pervaderent. Jeremias 27. 9. mittit vincula quibusdam Regibus, ut illis innuat futurum ut Babylonis Regi servitutem servirent. Pseudo propheta Sedecias 3. Reg. 22. 11. ferrea elaboravit cornua, ut Regi Israel significaret, se dissipaturum Syriam tauri ad instar terram in auras cornu spargentis. Agabus Act. 21. 10. sumit zonam Paulli, & ea manus sibi alligat, ut Apostolum certiorem faciat, fore ut quamprimum trudatur in carcerem. Levita, cujus uxor violata fuerat in Gabaa, eam in duodecim partes concidit, easque in duodecim tribus Isreel dispertit, Judic. 19. 29.

Per manum nuntiorum;] Vel per ipsos nuntios Jabes, vel potius alios legatos ad id unum dimissos; namque nuntii Jabes tot non erant, quot satis essent.

Timor Domini;] Vel potius magnus timor, extraordinarius terror. Dei nomen additur rebus, quarum magnitudo exaggeratur.

℣. 8. Recensuit eos in Besech.] Urbs hæc septemdecim passuum millibus aberat a Sichem, Scythopolim versus, ad locum illum ferme, ubi proficiscentibus Jabes, Jordanes erat traducendus. Postrema hæc civitas duabus leucis aberat a Jordane. Rabbini [8] *Besech* explicant petram; ajunt enim non licuisse, Judæos viritim numerari, sed solum ex aliqua re, velut lapidibus, vel annulis quos deferebant; in occasione hac quilibet miles jecit lapidem in cumulum, & deinde lapides hi recensiti fuere. Inania commente.

Trecenta millia.] Josephus Antiqu. l. 6. c. 6. septingentos mille Israelitas fuisse ait, e tribu Juda vero septuaginta mille.

℣. 9. Dixeruntque nuntiis . . . . Cras erit vobis salus, cum incaluerit Sol.] In concilio populi in Besech solùm nuntiis Jabes promissum fuit, futurum ut crastina die mane suppetiæ afferrentur. Legatis cum his promissis reversis oppidani Jabes dixerunt Naas Ammonitarum Regi, *mane exibimus ad vos: & facietis nobis omne, quod placuerit vobis*, hoc æquivoco consilium celantes suum sese super illos effundendi tempore eodem, quo Saul cum copiis suis in ipsos impetum faceret. Rex hic vespere iter ingressus Jordanem traduxit, & tota nocte citato agmine

1 Vide eorum edit. Oper. Hieron. & Mendoz. hic. 2 2. Reg. 10. 2. 3 Judic. 11.
4 Theodoret. Lyran. Tirin. Menoch. Est. Grot. Sanct. 5 Vide Grotium de jure Bel. & Pac. l. 3. c. 23. ar. 14. Vide & notas in eundem librum. 6 Plin. l. 18. c. 3. 7 Vide Varron. l. 2. initio, & Columel. Præfat. in lib. de Re Rust. 8 Vide Selden. de Synedr. l. 3. c. 11. cit. 5.

mane incedens prope Ammonitarum castra summo diluculo in *vigilia matutina* pervenit, & in incautos hostes, qui nihil simile verebantur, invasit. Hæc quarta erat fortasse dies induciarum, quæ oppidanis permissæ fuerant, ut auxilium opperirentur.

CUM INCALUERIT SOL.] Mane liberabimini, antequam Sol ad meridiem perveniat.

℣. 10. MANE EXIBIMUS.] Hoc non est mendacium, sed vel ironia, vel æquivocum, vel, si mavis, stratagema.

℣. 11. INGRESSUS EST MEDIA CASTRA.] Ad centrum usque castrorum pervasit. Vel diviso trifariam exercitu, triplici ex parte Ammonitas aggressus est, ipse vero medius in ipsos impetum fecit. Castra hæc non erant munita. Nuspiam vidimus, vel Hebræos, vel populos ipsis finitimos castra communire; verum vigilias in aditu solum constituebant.

VIGILIA MATUTINA.] Summo diluculo. Veteres A noctem in tres vigilias, seu partes dividebant. Vigilia matutina tertiam noctis partem comprehendebat, ac in solis ortu desinebat.

℣. 14. INNOVEMUS IBI REGNUM.] Cum ea, quæ in Masphath transacta fuerant, non admodum e populi sententia cessissent, ad novam electionem, ut prior rata fieret, deveniendum erat, ut Saul ab universo Israel Rex haberetur. Hoc actum est *coram Domino*, seu quod arca illuc fuerit deducta, illucque Sacerdotes ad victimas immolandas accesserint; seu quod cum cœtus in nomine Domini fuerit convocatus Propheta duce, & unctio, quæ ibi fieri debebat, confirmata fuerit juramentis in nomine Domini, hæc omnia effecerunt, ut concilium Domini appellaretur, seu factum coram Domino. Septuaginta, & B Josephus inquiunt, tunc Saulem a Samuele unctum fuisse; pro eo, quod in Hebraico textu [1] & in Vulgata legimus: *Fecerunt sibi Regem Saul coram Domino.*

---

1 וימליכו שם את שאול לפני יהוה 70. *Καὶ ἔχρισεν ἐκεῖ Σαμουὴλ τὸν Σαοὺλ εἰς βασιλέα ἐνώπιον κυρίου,*

CAPUT XII.

Samuel cogit populum, ut cognita causa ipsius justitia regimen ejus probet; exprobrat illi ingrati animi vitium adversus Deum; eumque adhortatur, ut Deo fidelis esse persistat, illique pollicetur, se non cessaturum orare pro eo.

1. Dixit autem Samuel ad universum Israel: Ecce audivi vocem vestram, juxta omnia, quæ locuti estis ad me, & constitui super vos regem. 2 Et nunc rex graditur ante vos: ego autem senui, & incanui: porro filii mei vobiscum sunt: itaque conversatus coram vobis ab adolescentia mea usque ad hanc diem, ecce præsto sum. 3 Loquimini de me coram Domino, & coram christo ejus, utrum bovem cujusquam tulerim, aut asinum: si quempiam calumniatus sum, si oppressi aliquem, si de manu cujusquam munus accepi: & contemnam illud hodie, restituamque vobis. 4 Et dixerunt: Non es calumniatus nos, neque oppressisti, neque tulisti de manu alicujus quippiam. 5 Dixitque ad eos: Testis est Dominus adversum vos, testis Christus ejus in die hac, quia non inveneritis in manu mea quippiam. Et dixerunt: Testis. 6 Et ait Samuel ad populum: Dominus, qui fecit Moysen, & Aaron, & eduxit patres nostros de terra Ægypti. 7 Nunc ergo state, ut judicio contendam adversum vos coram Domino, de omnibus misericordiis Domini, quas fecit vobiscum, & cum patribus vestris: 8 Quo modo Jacob ingressus est in Ægyptum, & clamaverunt patres vestri ad Dominum: & misit Dominus Moysen, & Aaron: & eduxit patres vestros de Ægypto: & collocavit eos in loco hoc. 9 Qui obliti sunt Domini Dei sui, & tradidit eos in manu Sisaræ magistri militiæ Hasor, & in manu Philisthinorum, & in manu regis Moab, & pugnaverunt adversum eos: 10 Postea autem clamaverunt ad Dominum, & dixerunt: Peccavimus, quia dereliquimus Dominum, & servivimus Baalim, & Astaroth; nunc ergo erue nos de manu inimicorum nostrorum, & serviemus tibi. 11 Et misit Dominus Jerobaal, & Badan, & Jephte, & Samuel, & eruit vos de manu inimicorum vestrorum per circuitum, & habitastis confidenter. 12 Videntes autem, quod Naas rex filiorum Ammon venisset adversum vos, dixistis mihi: Nequaquam, sed rex imperabit nobis: cum Dominus Deus vester regnaret in vobis. 13 Nunc ergo præsto est rex vester, quem elegistis, & petistis: ecce dedit vobis Dominus regem. 14 Si timueritis Dominum, & servieritis ei, & audieritis vocem ejus, & non exasperaveritis os Domini: eritis & vos, & rex, qui imperat vobis, sequentes Dominum Deum vestrum. 15 Si autem non audieritis vocem Domini, sed exasperaveritis sermones ejus, erit manus Domini super vos, & super patres vestros. 16 Sed &

nunc state, & videte rem istam grandem, quam facturus est Dominus in conspectu ve-
stro. 17 Numquid non messis tritici est hodie? invocabo Dominum, & dabit voces,
& pluvias: & scietis, & videbitis quia grande malum feceritis vobis in conspectu Do-
mini, petentes super vos regem. 18 Et clamavit Samuel ad Dominum, & dedit Do-
minus voces, & pluvias in illa die. 19 Et timuit omnis populus nimis Dominum, &
Samuelem, & dixit universus populus ad Samuelem: Ora pro servis tuis ad Dominum
Deum tuum, ut non moriamur: addidimus enim universis peccatis nostris malum, ut
peteremus nobis regem. 20 Dixit autem Samuel ad populum: Nolite timere, vos fe-
cistis universum malum hoc: veruntamen nolite recedere a tergo Domini, sed servite
Domino in omni corde vestro. 21 Et nolite declinare post vana, quæ non proderunt
vobis, neque eruent vos, quia vana sunt. 22 Et non derelinquet Dominus populum
suum propter nomen suum magnum; quia juravit Dominus facere vos sibi populum.
23 Absit autem a me hoc peccatum in Dominum, ut cessem orare pro vobis, & do-
cebo vos viam bonam, & rectam. 24 Igitur timete Dominum, & servite ei in veri-
tate, & ex toto corde vestro; vidistis enim magnifica, quæ in vobis gesserit. 25
Quod si perseveraveritis in malitia: & vos, & rex vester pariter peribitis.

℣. 1. ECCE AUDIVI VOCEM VESTRAM.] Post Saulis Regis confirmationem, & antequam concilium in Galgalis dissolveretur, Samuel innocentiæ suæ certus subit judicium populi totius, & Regis, & probata causa sua, populum merito inconstantiæ, ac infidelitatis coarguit; & loquitur non velut homo, sed velut Propheta, & ea omni authoritate, quam illi character Dominici nuntii tribuebat.

℣. 2. NUNC REX GRADITUR ANTE VOS.] Voti compotes facti estis: virum optabatis, qui vobis præesset, qui vos præcederet, qui vos in bellum duceret, qui vos regeret, eum habetis.

EGO SENUI, & INCANUI.] Hebraice [1]: *Senex sum, & sedi*. Vel senui, & ad agendum impotens effectus sum; sed Vulgatam versionem sequuntur Aquila [2], Symmachus, ac plures alii notæ melioris Interpretes.

PORRO FILII MEI VOBISCUM SUNT.] Conquesti fuistis de prava ipsorum agendi ratione, eis eam abrogavi provinciam, cui illos præfeceram, eosque in ordinem coegi. Vos me arguere non potestis, eo quod vel tulerim, vel probarim mala, quæ patrarunt [3]. Si quis vestrum adversus illos jurgii causam habet, sunt in medio vestri, illis diem dicere potestis, ac vocare in jus coram Rege.

℣. 3. LOQUIMINI DE ME CORAM DOMINO, & CORAM CHRISTO EJUS.] Hoc est Uncto, vel Rege ejus, vel illo, quem per unctionem Dominus consecravit. *Christi* nomen fluit a Græca voce *Christos*, quæ unctum significat. Nomen hoc Regibus præsertim tributor. Hebraici vero nominis *Messiah* significatio æque patet. Nos vero *Christum*, & *Messiam* appellamus Jesum Dei filium, quippe qui verus est Rex sæculorum, ac nationum omnium, & Pontifex æternus secundum ordinem Melchisedech. Non recepit quidem unctionem sensibilem per Pontificum manus; verum illius effectus recepit, ac affluentiam gratiarum Patris, cujus typus tantum, & figura erat unctio veterum Regum Juda.

Hactenus Samuel habitus fuerat solus populi Dei Princeps; neque vitæ suæ rationem ulli reddere debebat præter quam Domino; simul ac vero Saul totius Israel Rex electus fuit, agnovit ille supremam illius authoritatem; neque simulavit, cum illum re-

A giminis sui Judicem elegit. Hebraice habemus [4]: *Ecce me, respondete mihi*, vel [5], contra me, *coram Domino, & coram Uncto ejus*. Mihi vubiscum lis est; en Judices nostri; en capita criminum; repetite. Vel, ecce me, accusate me.

SI QUENQUAM CALUMNIATUS SUM, SI OPPRESSI ALIQUEM.] Textus reddi potest [6]: *Si vim feci in aliquem, si quem percussi*. Vel [7], *si vi usus sum, vel concussione*; vel denique si fraude, vel calumnia usus sum, ut aliquem fortunis suis privarem; si propter indulgentiam, vel amicitiam justitiæ leges violasim [8].

SI DE MANU CUJUSQUAM MUNUS ACCEPI.] Ut insontem opprimerem, vel noxium absolverem, verbo, ut contra jus litem adjudicarem. Samuel quædam

B forte munera accipiebat, vel in grati animi signum, vel in obsequii notam, vel quæ officiosi homines illi deferebant; verum numquam auri cupiditate se corrumpi passus est. Ita porro verti potest Hebraicus textus in loci hujus fine [9]: *Ex quonam munus accepi*, vel jus, id nempe quod tribuitur ad se redimendum generatim, remunerationem, pretium, *& celabo oculos meos, & reddam illud?* Si quid accepisse redarguar, quodcumque illud sit, volo rubore suffundi, & statim omnia reddere. Aliter, *si quid accepi, & oculos clausi*, super causam illius, qui mihi munera largiebatur, *reddam illud*. Vel [10]: *Si quid accepi, & si illi oculos meos applicui*, si oculos meos ad illum converti, illumque libens intuitus sum. Septuaginta [11] aliter hunc locum legerunt, ac nos Hebraice legamus, *Si*

C *de manu alicujus munus accepi*, (ad litteram, id, quod lenire, & conciliare potest;) *vel calceamentum, loquimini adversum me, & reddam illud*. Prior explicatio magis mihi videtur naturalis, & constructioni ac authographi ingenio conformis; in confusione facies, & oculi cooperiuntur. Vulgatæ author sensum alium secutus est, qui locutioni eidem tribui potest; *Si de manu cujusquam munus accepi, contemnam illud hodie, restituamque vobis*; cooperiam oculos meos, ne videam illud, neque dignabor intuitu meo, & haud ægre reddam illud.

℣. 6. DOMINUS, QUI FECIT MOYSEN, & AARON.] Qui evexit illos, constituit, misit, edocuit, formavit, qui illis contulit esse quidquid fuerunt, qui dedit illis omnem gloriam, qua fuere induti. Septua-

1 וזקנתי ושבתי 70. Γεγήρακα καὶ καθήσομαι. Alius, Πεπολίωμαι, καὶ καθήσομαι.
2 Aqu. Sym. Γεγήρακα καὶ πεπολίωμαι. 3 Jun. Menoch. Malv. Pisc. 4 הנני ענו בי
5 70. Ἀποκρίθητε κατ' ἐμοῦ. 6 את מי עשקתי את מי רצותי
7 Ἢ τίνα ὑμῶν κατεδυνάστευσα, ἢ τίνα ἐξεπίεσα ὑμῶν. 8 Cajet. Malv.
9 מיד מי לקחתי כפר ואעלים עיני בו ואשיב לכם
10 Syr. Arab. 11 Ἢ ἐκ χειρὸς τίνος ὑμῶν εἴληφα ἐξίλασμα, ἢ ὑπόδημα, εἴπατε κατ' ἐμοῦ, καὶ ἀποδώσω ὑμῖν.
Legerunt נעלים pro אעלים

ptuaginta [1]: *Dominus qui fecit Moysem, & Aaron, testis est*. Latina quædam exemplaria legunt, *adest*; sed Hebraicus Textus, Vulgata, & Chaldaice versio propositionem sine verbo, ac suspensam relinquunt. *Facere* quandoque constituere, aliquem muneri cuipiam præficere significat [2].

℣. 7. STATE, UT JUDICIO CONTENDAM ADVERSUS VOS.] Textus verti potest [3]: Venite hodie, *prodite in jus, & vobiscum coram Domino judicabor*. Mecum Domini judicium subite. Hæc est dica secundum jus intentata, ut ante communem Judicem prodeant: Voco vos in jus coram Domino.

DE OMNIBUS MISERICORDIIS DOMINI.] Hebraice [4]: *de omnibus justitiis Domini*. Septuaginta [5]: *Et annuntiabo vobis omnem justitiam Domini*. Symmachus vertit *misericordiam*, non secus ac Vulgata, Hebraicam vocem, quæ vulgo misericordia redditur. Objiciam oculis vestris quidquid Dominus erga vos fecerit, cum ut vos beneficiis cumularet, cum ut vos ob iniquitates vestras puniret. Samuel Domini causam agere adversus populum suscipit, ut Dei cognita justitia, populi iniquitatem ostendat.

℣. 9. TRADIDIT EOS IN MANU SISARÆ.] Dux hic Copiarum Regis Hasor Domini sui authoritate usus est, ut Israelitas, qui illi parebant, opprimeret. Celebris est gloriosa victoria, quam Barac, & Debora de eo retulerunt Judic. 4. 5.

IN MANU REGIS MOAB.] Eglon forte Regis Moab, qui duodeviginti annorum spatio Israelitas oppressit [6]. Hic fortasse innuitur servitus sub Regibus Ammon, ex qua Jephte eos liberavit Judic. 10. 11. Duæ rationes huic sententiæ suffragari videntur. Prior, quod Jephte, de quo sermo est versiculo sequenti, electus fuit a Deo, ut liberaret Israel de manu inimicorum illius: altera, quod Samuel loquitur de hac sub Moabitis servitute post eas, quas populus passus est sub Chananæis, & Philisthiim. Demum ex Jephte historia patet, Regem Ammonitarum fuisse quoque Regem Moabitarum, atque tunc temporis Ammon, & Moab conjunctos fuisse, eorumque publicam rem unam fuisse, & eamdem. Vide Judic. 11. 15. & 25.

℣. 11. JEROBAAL, & BADAN.] Jerobaal est Gedeon, qui Madianitas delevit. Neminem Badan nomine in Judicum historia invenimus. Septuaginta legit *Barac*, qui vicit Sisaram, ac exercitum Regis Hasor. Alii [7] contendunt, Badan eumdem esse ac Jair de Manasse tribu, qui tribus & viginti annis judicavit Israel Judic. 10. 3. Adfuit quidem *Badan* pronepos Machir [8]; Jair ex eadem erat familia, ex filia Machir ortus [9]. Sed interpretum plerique [10] ajunt, *Badan* eumdem fuisse ac Samsonem, qui erat e tribu Dan. Paraphrastes Chaldæus, & Judæi, Authores parum certi, hanc nullo argumento suffultam sententiam invexere. Ego vero mallem de Jair intelligere, quemadmodum dixi; neque enim rarum est in Scriptura viro uni plura tribuere nomina; secus vero exemplo caret, atque omnibus Linguæ Sanctæ analogiis adversatur Danitam vocari *Be-Dan*, non secus ac virum e tribu Juda *Be-Juda*, vel Ephrateum *Be-Ephraim*.

ET SAMUEL.] Samuel loquitur de se, non secus ac de alio quopiam; neque enim par erat, ut tunc, cum agebantur partes, & gloria Dei, importuna modestia ea dissimularet, quæ Reipublicæ ipse præstiterat, & quorum quilibet e concilio testis erat.

℣. 12. VIDENTES AUTEM, QUOD NAAS . . . . VENISSET ADVERSUM VOS DIXISTIS MIHI: NEQUAQUAM, SED REX IMPERABIT NOBIS.] Ex hoc loco inferri posset, Ammonitarum bellum aliquandiu ante incœpisse, atque hac arrepta occasione tunc Israelitas a Samuele regem petiisse eo, quod supra vidimus, pacto [11]. Hoc supposito dici posset, Regem Ammonitarum, ut audiit electum fuisse in Israel totius gentis Regem, aliquantisper quin hostilia faceret adversus Israelitas trans Jordanem positos, cessasse; sed post mensem circiter intelligens Saulis electionem toti Israeli acceptam minime fuisse, bellum instaurasse, & Jabes obsidione vallasse, quæ, ut ea erant loca, munitissima arx ferebatur.

At quin ad hanc explicationem confugiamus, dici potest in concilio Galgal, ubi adhuc erant, Samuelem, antequam ad novam electionem procederent, vel potius antequam priorem, quæ facta fuerat in Masphath, confirmarent, iterum exprobrasse populo injuriam, quam Domino inferebant, ac ostendisse mala, quæ super illos ingruere debebant, si Regem optare perstitissent; & populum prospero eventu, quo pugna adversus Naas, duce Saule, fuerat depugnata, in priori perstitisse consilio Regem habendi. Hoc igitur pacto Textus verti posset [12]: *Sed cum videntes Naas Ammonitarum Regem venisse adversus vos*, & victum a vobis fuisse, *dixistis mihi: Non, sed Regem habere cupimus* &c. Regem velle perstitimus. Samuel in his omnibus supponit, si populum prioris pœnituisset consilii, atque Domino obtemperare maluisset, præcedentem Saulis electionem haud obicem futuram, quin voluntas hæc adimpleretur.

℣. 13. PRÆSTO EST REX, QUEM ELEGISTIS.] Electione vestra illum confirmastis, quem vobis sors obtulerat. S. Augustinus nonnihil acre, ac ironicum adesse putat in hoc, quod Samuel ait: Præsto est Rex, quem elegistis, videbitis, quid accidet vobis.

℣. 14. ET NON EXASPERAVERITIS OS DOMINI.] Ad litteram: *ne irritetis ejus os*, vel, *ejus vultum*, ne coegeritis illum, ut minitabundo ore in vos succenseat [13]; vel non cogatur vos alloqui sermonibus duris, veluti Dominus in servos iratus [14]; vel denique [15]: *ne effundatis amaritudinem in os illius*, ne illum irritetis, ne ira exardescat: innuere vult bilem, qua illorum facies suffunditur, qui molestia quadam effecti sunt.

℣. 15. SUPER VOS, & SUPER PATRES VESTROS.] Ne aggravetur super vos, quemadmodum aggravata est super Patres vestros [16]. Septuaginta [17]: *super vos, & super Regem vestrum*. Reges, Principes, Domini, sæpius *Patres populi* nuncupantur.

℣. 17. NUMQUID NON MESSIS TRITICI EST HODIE?] Messis tritici in Palæstina, uti S. Hieronymus [18] animadvertit, sub finem mensis Junii, vel initium Julii incipiebat; pluviæ, & tonitrua ea anni tempestate timorem non incutiebant, sed Vere, & autumno dumtaxat, quibus anni temporibus solum pluviæ ibi locorum dilabuntur. Amos 4. 7. ait, Deum *prohibuisse imbrem, cum adhuc tres menses superessent usque ad messem*: hoc est eo tempore, quo pluviæ sunt frequentiores; sub veris initium. Samuel igitur his præmissis ostendere vult miraculi magnitudinem, de quo est locuturus.

DABIT VOCES.] Hoc est tonitrua. Scriptura sæpe appellat voces tonitrua: Psalm. 17. 14. *Dedit Dominus vocem suam*, scilicet tonitruum fragore desævit.

℣. 21. NOLITE DECLINARE POST VANA.] He-

1 Μάρτυς κύριος ὁ ποιήσας τὸν Μωυσῆν καὶ τὸν Ἀαρών. 2 Vide Hierem. 37. 15. Cleric. hic.
3 ועתה התיצבו ואשפטה אתכם לפני יהוה 4 את כל צדקות יהוה 5 Καὶ ἀπαγγελῶ ὑμῖν πᾶσαν τὴν δικαιοσύνην κυρίου.
6 Judic. 3. 14. 7 Jun. Piscat. 8 1. Par. 7. 17. 9 1. Par. 2. 21. 22.
10 Lyran. Menoch. Tirin. Est. Cornel. Sanct. alii passim. 11 1. Reg. 8. 4. 5. & 10. 11. 12. & seq.
12 ותראו כי נחש מלך בני עמון בא עליכם ותאמרו לי לא כי מלך ימלך עלינו
13 Menoch. Cornel. a Lapid. 14 Sanct. 15 ולא תמרו את פי יהוה
16 Jonath. Syr. Arabs Jun. Vatab. Drus. alii passim. 17 Καὶ ἐπὶ ὑμᾶς, καὶ ἐπὶ τὸν βασιλέα ὑμῶν. Ita & Mendoz. 18 Hieron. in Amos 4. *Nunquam enim in fine mensis Junii, sive in mense Julio, in his Provinciis, maximeque in Judæa, pluvias vidimus.*

braicus textus ad litteram [1] : *Nolite declinare* , quia hoc est declinare *post nihil* , vel rem inanem , vanam, inutilem [2] . Omnes conveniunt hic de Idolis sermonem esse ; illis tribuit nomen *Tohu* , quod initio Genesis vidimus ad significandam materiam in chaos immersam ante creationem .

QUÆ NON PRODERUNT VOBIS .] Quæ non poterunt tueri vos , & eripere de manibus hostium . Vel potius , quæ vos in pessima quæque mala injicient . Ita quoque Moyses Exod. 20. 7. ait : *non habebit insontem Dominus eum , qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustra*; hoc est in illum veluti in nocentissimum animadvertet ; & Levit. 10. 1. morte percussit Nadab , & Abiu, eo quod ignem alienum obtulisset , *quod eis præceptum non erat* , hoc est quod illi maxime vetitum fuerat . Denique Veteres cum aliquid fieri probibebant , ad- B debant passim ; Non facies istud , *quod hoc optimum non est* ! ; scilicet pessimum est factu .

℣. 22. NON DERELINQUET DOMINUS POPULUM SUUM , PROPTER NOMEN SUUM MAGNUM .] Deus sæpe [4] hac impellitur causa ad servandum populum suum ; se enim exhibet veluti Deum gloriæ nominis sui cupidissimum , & qui ferre non vult , ut alienigenæ gentes , quæ & ipsius , & populi sui hostes A sunt , eum redarguere possint , seu infirmitatis , seu inconstantiæ , perinde ac tueri non posset Israelitas a malis iis , quæ ab infidelibus fortunæ accepta referebantur , vel quod pertæsus electæ nationis suæ protegendæ , studia sua alio converterit . In Scripturis omnibus Deus in id maxime adnititur , ut nobis humilitatem inspiret , nosque de infirmitate nostra , atque submissione persuadeat , suamque infinitam magnitudinem evehat , vim suam , jus suum , & rationem , quam omnia ad illum habere debent , veluti ad ultimum finem . *Propter nomen suum* , propter se ipsum , non autem propter merita nostra .

℣. 23. DOCEBO VOS VIAM BONAM , & RECTAM .] Non deero , quin præsto sim populo meo in iis , quæ attinent ad munus meum , populi instructionem , & hortamenta . Donec Samuel vixit numquam destitit , quin edoceret Israel , nec alius quipiam æque operam contulit , ut Domini cultus sub regno Saulis conservaretur .

℣. 24. SERVITE EI IN VERITATE .] Sincere , fideliterque , sine ulla idololatriæ , superstitionis , & cujuscumque falsi , atque hypocriti cultus commixtione .

---

1 ולא תסירו כי אחרי התהו אשר לא יועילו. 2. Cor. 8. 4. *Idolum nihil est in mundo* .
3 Vide Hesiodi Opera , & dies v. 750. & Not. Heinsii . 4 Vide Exod. 32. 12. Num. 14. 13. Josue 7. 8. 9. Psal. 68. 9. 10. & 105. 2.

CAPUT XIII.

Bellum inter Philisthinos , & Israelitas . Jonathas delet præsidium Gabaa . Philisthæi cogunt exercitum suum ; in Israelitas profectos cum Saule in Galgala terror injicitur , iique latebras quærunt . Saul contra Domini præceptum offert sacrificia , cui Samuel edicit , a Deo jam reprobatum esse , aliumque pro ipso ad Regnum electum fuisse . Philisthinorum astus , ut Hebræi arma habere nequirent .

1. Filius unius anni erat Saul, cum regnare cœpisset, duobus autem annis regnavit
super Israel. 2 Et elegit sibi Saul tria millia de Israel : & erant cum Saul duo
millia in Machmas, & in monte Bethel : mille autem cum Jonatha in Gabaa Be-
niamin ; porro cæterum populum remisit, unumquemque in tabernacula sua. 3 Et per-
cussit Jonathas stationem Philisthinorum, quæ erat in Gabaa, Quod cum audissent Phili-
sthiim, Saul cecinit buccina in omni terra, dicens : Audiant Hebræi. 4 Et universus
Israel audivit hujuscemodi famam : Percussit Saul stationem Philisthinorum; & erexit se
Israel adversus Philisthiim. Clamavit ergo populus post Saul in Galgala. 5 Et Phili-
sthiim congregati sunt ad præliandum contra Israel, triginta millia curruum, & sex mil-
lia equitum, & reliquum vulgus, sicut arena, quæ est in littore maris plurima. Et ascen-
dentes castrametati sunt in Machmas ad Orientem Bethaven. 6 Quod cum vidissent vi-
ri Israel se in arcto positos (afflictus enim erat populus) absconderunt se in speluncis ,
& in abditis, in petris quoque, & in antris, & in cisternis. 7 Hebræi autem transie-
runt Jordanem in Terram Gad, & Galaad. Cumque adhuc esset Saul in Galgala, univer-
sus populus perterritus est, qui sequebatur eum. 8 Et expectavit septem diebus juxta
placitum Samuelis, & non venit Samuel in Galgala, dilapsusque est populus ab eo. 9
Ait ergo Saul: Afferte mihi holocaustum, & pacifica. Et obtulit holocaustum. 10 Cum-
que complesset offerens holocaustum, ecce Samuel veniebat; & egressus est Saul obviam
ei, ut salutaret eum. 11 Locutusque est ad eum Samuel : Quid fecisti ? Respondit
Saul ; Quia vidi, quod populus dilaberetur a me, & tu non veneras juxta placitos dies,
porro Philisthiim congregati fuerant in Machmas, 12 Dixi ; Nunc descendent Phili-
stiim ad me in Galgala, & faciem Domini non placavi. Necessitate compulsus, obtuli ho-
locaustum. 13 Dixitque Samuel ad Saul ; Stulte egisti, nec custodisti mandata Domi-

ni Dei

ni Dei tui, quæ præcepit tibi. Quod si non fecisses, jam nunc præparasset Dominus re-
gnum tuum super Israel in sempiternum. 14 Sed nequaquam regnum tuum ultra con-
surget. Quæsivit Dominus sibi virum juxta cor suum : & præcepit ei Dominus, ut es-
set dux super populum suum, eo quod non servaveris, quæ præcepit Dominus. 15
Surrexit autem Samuel, & ascendit de Galgalis in Gabaa Beniamin. Et reliqui populi
ascenderunt post Saul obviam populo, qui expugnabant eos venientes de Galgala in
Gabaa, in colle Benjamin. Et recensuit Saul populum, qui inventi fuerant cum eo,
quasi sexcentos viros. 16 Et Saul, & Jonathas filius ejus, populusque, qui inven-
tus fuerat cum eis, erat in Gabaa Beniamin ; porro Philisthiim consederant in Mach-
mas. 17 Et egressi sunt ad præliandum de castris Philisthinorum tres cunei. Unus
cuneus pergebat contra viam Ephra ad terram Saul. 18 Porro alius ingrediebatur
per viam Beth-horon, tertius autem verterat se ad iter termini imminentis valli Se-
boim contra desertum. 19 Porro faber ferrarius non inveniebatur in omni terra Is-
rael ; caverant enim Philisthiim, ne forte facerent Hebræi gladium, aut lanceam. 20
Descendebat ergo omnis Israel ad Philisthiim, ut exacueret unusquisque vomerem suum,
& ligonem, & securim, & sarculum. 21 Retusæ itaque erant acies vomerum, & ligo-
num, & tridentum, & securium, usque ad stimulum corrigendum. 22 Cumque ve-
nisset dies prælii, non est inventus ensis, & lancea in manu totius populi, qui erat cum
Saule, & Jonatha, excepto Saul, & Jonatha filio ejus. 23 Egressa est autem statio Phi-
listhiim, ut transcenderet in Machmas.

ỳ. 1. FILIUS UNIUS ANNI ERAT SAUL, CUM REGNARE COEPISSET, DUOBUS AUTEM ANNIS REGNAVIT SUPER ISRAEL.] Locus hic non extat in Græca Editione Romana, nec Aldina, neque in Manuscripto Alexandrino ; verum in hebraico textu invenitur, & in aliis omnibus Versionibus, & Editionibus. Pauci adsunt in Scriptura loci hoc obscuriores, de cujus obscuritate licet judicium ferre ex multiplici sensu excogitato, ut illi lumen accederet. Credunt nonnulli in Hebraico textu litteram desiderari, quæ ætatem Saulis significet ; qui proinde sic esset vertendus [1] : *Saul erat ætate . . . annorum, cum regnare cœpisset ; duobus autem annis regnavit super Israel* [2] : vel supplendus esset annorum ipsius numerus hoc pacto : *Saul natus erat triginta, vel quadraginta annis* &c. Vetus quidam Interpres addiderat : *Saul triginta habebat annos, cum regnare cœpisset*.

Plerique [3] Veterum, Recentiorumque Interpretum in hoc explicant sensu, perinde ac legeretur, *velut filius unius anni erat Saul* : Habebat Saul innocentiam, simplicitatem, ac pueri modestiam, cum evectus fuit ad imperium. *Erat velut filius unius anni*, Symmachus inquit ; at duobus tantum annis his virtutibus rempublicam administravit : quamprimum mores, ac agendi rationem convertit. At hæc explicatio potius moralis est, quam litteralis, neque solvit difficultatem, quoniam minime ostendit, quomodo ad litteram verum sit, Saulem unius anni fuisse, cum regnare occœpit, ipsumque duobus dumtaxat annis regnasse ; namque allegoricus sensus litteralem semper supponit. Asserere, quod humilitas, & innocentia Saulis locutionis hujus fundamentum extiterit, idem est ac efficere, ut Sacer Historicus eo loquatur modo, qui penitus intelligi nequeat, illum repente a simplici, historica, & naturali narratione in figuratum, metaphoricumque sermonem detorquendo.

Alii [4] ita hebraicum textum reddunt : *Saul filium genuit anno primo regni sui, & cum duobus regnasset annis, delectum habuit copiarum*, de quibus hoc capite est sermo. Re quidem vera Isboseth filius Saulis regnare occœpit quadragesimo suæ ætatis anno ; at pater ipsius quadraginta annos regnavit [5] ; Isboseth ergo anno primo regni Saul natus est. At quam rationem habere potest nativitas Isboseth cum circumstantiis historiæ, quæ isthic refertur ? Alioquin nec Hebraici textus, nec Vulgatæ constructio naturaliter hanc pati potest explicationem.

Syriaca versio, & Arabica loco huic præ aliis sensum remotiorem tradidere ; vertunt enim : *primo, vel altero regni Saulis anno Rex hic elegit sibi tria virorum millia* ; perinde ac Sacer Author minimum fategisset, ut præcise epocham belli adversus Philisthinos constitueret ; satisque fuisset illi generatim docere, hoc evenisse sub initium primorum annorum regni Saulis. Hebræi [6], quibus plurimi Chronologi, ac Interpretes [7] favent, contendunt, Saulem ad litteram duos tantum annos regnasse, juxta loci hujus Textum ; at duo hi anni aliter, atque aliter admodum explicantur. Alii quippe eos sub initium regni Saulis constituunt, sub finem alii. Duos legitime regnavit annos, antequam illum Deus reprobasset, aliumque elegisset ; vel duobus tantum post Samuelis obitum annis regnavit. Postquam reprobatus fuit, nullum fuit illi amplius jus ad regnum, illudque nonnisi veluti usurpator gubernavit ; Samuel regimen recepit, illudque servavit usque ad annos duos, antequam Saul moreretur. Post Samuelis mortem Saul iterum regni possessionem adeptus, duobus adhuc regnavit annis. Hæc autem horum Authorum est sententia.

Usserius ad an. M. 2909. ait, Saulem Regem fuisse factum anno elapso post libertatem, quam Samuel Israelitis comparavit. Israel duobus adhuc sub regno illius annis pace potitus est : postea vero iterum bellum adversus Israelitas, & Philisthinos exarsit [8], a quibus Israelitæ oppressi fuere, atque per id tempus nullo regni sui munere functus est Saul ; ita ut proprie loquendo, ad id usque temporis duos tantum annos regnaverit ; sed mox Philisthinorum jugo discusso, iterum ad mortem usque regnavit. At hæc

1 בן שנה שאול במלכו ושתי שנים מלך על ישראל. 2 Ita Scalig. & Canus l. 11. c. 5. de Loc. Theol. Castal. 3 Theodoret. qu. 22. Greg. Mag. lib. 5. c. 3. in 1. Reg. Prorop. Lyr. Damian. Rupert. Tost. & recentes passim. 4 Raban. & Strabus, & Serar. 5 Act. 13. 20. 6 Hebræi in Seder. Olam. 7 Montan. Mercat. Adrichom. alii. 8 1. Reg. 14.

explicatin vim Textui inferre videtur. Quidam [1] difficultatem dissipare putant, dicentes Saulem primum esse Regem, qui regnavit, ac Regis nomine insignitus fuerit, cujus numen in supputationes annorum apud Israelitas fuerit invectum, atque cum ille Regium invexerit imperium in Israel, invexisse quoque consuetudinem facta recensendi ex Principum annis. Biennio per Saulis regnum anni recensiti fuere; sed cum intellexisset populus, Regem hunc a Deo reprobatum fuisse, ipsum quoque neglexisse in publicis fastis Regis nomen referre. Ita Saul *duobus annis regnavit*, cum illi deinceps honos minime habitus fuerit, ut pro Rege haberetur. Verum hoc non video, quomodo Textus difficultatem attingat. Num est naturale dicere, *Rex est filius anni*, ut innuas, ævo illius annos a Regibus numerari incœpisse?

Quæ vero æquior, magisque naturalis difficilis adeo loci vertendi ratio mihi videatur, hic habes [2]. Hæc existimanda sunt, velut superioris capitis conclusio, ac veluti procemium, vel, si mavis, epocha eorum, quæ consequuntur. *Saul erat filius anni regni sui*; hoc anno Rex constitutus fuerat in concilio in Galgalis habito; concilium hoc primo electionis ipsius anno coactum fuit; *& altero regni sui anno elegit sibi tria millia de Israel*. Liquet Hebræos pro anno primo, & secundo, unum & duos annos dicere; igitur secundo Saulis anno bellum exortum est, de quo mox erit sermo. *Filius anni* illum significat, qui natus est, vel qui incœpit eo anno, de quo sermo est. Initium regni in principibus habebatur velut dies nativitatis eorum; ab hoc tempore eorum anni recensebantur, quin immo nativitas illorum vocabatur, quemadmodum videre est Matth. 14. 6. In hoc sensu Saul appellatur *filius anni*, eo anno factus Rex.

℣. 2. ELEGIT SIBI SAUL TRIA MILLIA.] Hæc peracta fuere in generali populi concilio, quemadmodum ex decursu liquido innotescit; sed quo in concilio? Si in eo, quod habitum est in Galgalis, ubi Rex hic confirmatus fuit, & quodammodo iterum electus, fatendum erit, bellum adversus Ammonitas contigisse tantum secundo, vel tertio anno regni Saulis, bellum vero Philisthinorum statim subsecutum fuisse, quod adversatur primo, Textui capitis 13. ℣. 1., qui refert, post mensem ab electione Saulis Naas oppugnasse civitatem Jabes. Secundo, Textui hujus capitis 13. in eo sensu, quem explicuimus, sumpto, videlicet Saulem *filium anni*, vel Regem illius anni fuisse, quum hoc bellum illatum fuit. Tertio denique, hypothesis hæc contradictionem involvit; nam quomodonam Saul esse potuit simul in primo, & altero regni sui anno, cum tria hæc virorum millia delegit? Distinguendum igitur est Concilium in Galgalis habitum, ubi universus Israel eum Regem agnovit, ab alio concilio, quod isthic innuitur, in quo Saul tria millia de Israel elegit, ut bellum adversus Philisthiim capesseret. Haud e re futurum visum est, si omnes simul collectis viribus arma intulissent; verum primo præsidia, quæ erant in Gabaa, Machmis, & Bethel expellenda esse censuerunt. Tria igitur hæc loca seorsim oppugnata fuere. Jonathas arcem Gabaa sibi delegit; atque inde Philisthinos ejecit. Scriptura nihil singillatim affert de tanti momenti victoria, a qua totius belli eventus profectus est.

℣. 3. SAUL CECINIT BUCCINA IN OMNI TERRA, DICENS: AUDIANT HEBRÆI.] Exemplo Aod post mortem Eglon Regis Moabitarum [3] potuit animadA verti, Hebræos, cum similis ferret occasio, milites ad arma vocasse per omnem regionem buccina clangendo. Ad primum tubæ sonitum finitimi loci sibi invicem clangorem reddebant, quo pacto perbrevi in universam regionem rumor effundebatur. Copiæ vero in Galgala convenire debebant, seu quod ita præcepisset Saul illis, quos quoquo versum dimiserat, seu quod antea convenisset, ut vix edito signo, quilibet illic adesset. *Audiant Hebræi*. Nonnulli [4] putant verba hæc ad eos præsertim spectare, qui trans Jordanem erant positi, qui eodem nomine vocantur etiam ℣. 7. capitis hujus. *Hebræi* juxta vim vocis authographi proprie illos significant, *qui sunt trans*; quapropter Abraham *Hebræus* vocatus fuit, eo quod de regione trans Euphratem posita accesseB rat. Suppetiæ, quas viri Jabes perquam celeriter habuerant a Saule adversus Ammonitas, eos proculdubio magis accenderunt, ut fratribus suis ferrent opem; itaque eos intuemur Jordanem traducentes in Galgala ante alios descendere. Septuaginta hebraicum textum reddidere [5]: *Servi fuerunt inobedientes*, perinde hæc fuisset bellica quædam succlamatio. Sed hæc versio innititur solum librarii cujusdam errato, non secus ac Versio Aquilæ, quæ habet [6]: *Servi audiant*.

℣. 4. EREXIT SE ISRAEL ADVERSUS PHILISTHIIM.] Incœpit Israel animum sumere adversus Philisthiim, velut servi, qui jugum, & vincula excutere incipiunt. Hebraicus textus habet [7]: *Israel fuit pravi odoris Philisthæis*. Fuit illis velut putidum quid, inC fectumque, illum horruerunt. In hoc eodem sensu Hebræi in Ægypto dicebant Moysi Exod. 5. 21. *Fœtere fecisti odorem nostrum coram Pharaone, & servis ejus*; noa pati non vult amplius. Septuaginta [8]: *Israel contempsit Philisthiim*. Syriaca versio, & Arabica: *Israel vicit eos*. Jonathan: *animatus fuit*, impulsus *adversus illos*.

CLAMAVIT POPULUS POST SAUL IN GALGALA.] Vel populus venit in Galgala magnis clamoribus Saulem exorantes, ut illos præcederet, atque in hostes deduceret. Nonnulli [9] putant populum clamasse contra Saulem, eo quod ultro Philisthinos irritasset, illisque bellum indixisset.

℣. 5. TRIGINTA MILLIA CURRUUM, ET SEX MILLIA EQUITUM.] Numerus hic bellicorum curruum D plerisque incredibilis videtur; non enim alibi tot simul currus vidimus. Pharaon Ægypti Rex, cum omnes regionis suæ currus collegisset, ut Israelitas persequeretur, sexcentos solum numeravit [10]; saltem hunc numerum dumtaxat refert Scriptura. Iabin Rex Hasor [11] nongentos solum currus habebat; Salomon mille, & quadringentos [12]: Sesac Ægypti Rex mille, & duceoros [13]: Zara Rex Æthiopiæ, cujus exercitus hominum myriadem complectebatur, trecentos tantum currus recensebat [14]; Adarezer Syriæ Rex currus mille, equites vero septem mille ducebat [15]. Antiochus Eupator falcatos currus trecentos, equites quinque mille, pedites vero centum, & decem mille [16]. At triginta millia curruum apud Philisthæos, qui minores erant viribus, quam Principes, quos E memoravimus, numerus est sane magnus nimis. Præterea hic curruum numerus nullam videtur habere ad equitum copias rationem, cum equites sex mille essent solummodo. Syriaca versio, & Arabica tria curruum millia legunt, pro triginta millia; & eruditissimi Critici [17] huic numero adhærendum esse arbitra-

---

1 Harduin. Chronolog. Ver. Test. 2 Vide Vatabl. Grot. Druf. Munst. Cornel. a Lapid. Cleric.
3 Judic. 3. 27. *Et statim insonuit buccina in monte Ephraim, descenderuntque cum eo filii Israel*.
4 Osiand. Symm. Ἀκουσάτωσαν οἱ ἐν τῷ πέραν. 5 Ἠθετήκασιν οἱ δοῦλοι. Legerunt העברים pro העבדים.
6 Aqu. Ἀκουσάτωσαν οἱ δοῦλοι. 7 וגם נבאש ישראל בפלשתים.
8 Καὶ ᾐσχύνθησαν Ἰσραὴλ τοὺς ἀλλοφύλους. Aliter, ᾐσχύνθησαν Ἰσραὴλ ἐν τοῖς ἀλλοφύλοις. *Israelem puduit exterorum*.
9 Osiand. 10 Exod. 14. 7. *Tulit sexcentos currus electos, & quicquid in Ægypto curruum fuit*.
11 Judic. 4. 3. 12 3. Reg. 10. 26. 13 2. Par. 12. 3.
14 2. Par. 14. 9. 15 1. Par. 18. 4. 16 2. Machab. 13. 2. 17 Boch. de Animal. sacr. par. 1. l. 9. c. 9. Grot. hic, Capell. Critic.

bitrantur, cum Hebraicus textus duarum sit litterarum additione corruptus [1].

Ego vero varios Scripturæ locos, ubi de curribus est sermo, ad examen revocans quatuor invenio animadvertenda. Primum, nomen curruum usurpari non solum pro curribus materialibus, verum etiam pro illo, qui currum ascendit, pro auriga, ac illis, qui currum comitantur. Alterum, currus passim bijugos fuisse. Tertium unum tantummodo militem ascendisse currum, cum auriga, qui regebat equos; quartum denique in prœlio quosdam milites comitari consuevisse currum, atque in currus singulos decem viros posse recenseri. Hæc adnotata inservire possunt conciliandis quibusdam Scripturæ locis, qui hactenus inexplicabiles visi sunt; nec non aliquam nobis ostendent interesse rationem inter Philisthinorum, Syrorum, Chananæorumque currus, & illos insignium Heroum Trojani belli, qui vetustissimi sunt, quos apud Profanos Authores noverimus. Falcati quoque aderant currus, de quibus alibi [2] locuti sumus, alii admodum ab illis, de quibus hic sermo.

In 2. Regum libro 10. 18. legimus: *David occidisse de Syris septingentos currus*, & 2. Reg. 8. 4. ex Hebr. *subnervasse centum currus*: quæ locutiones ad litteram intelligi nequeunt, nisi explicueris de curribus, & de viris, qui illos ascendunt, & de equis, qui eos vehunt, & de militibus, qui eosdem prosequuntur. Sed major difficultas adest in loco 1. Paralipomenon 19. 18. huic gemino, ubi scriptum est: *interfecit de Syris septem millia curruum*. Magnum est inter septingentos, ac septem mille discrimen; verum id conciliari potest, decem bellatoribus in singulos currus recensitis; uno quidem, qui ascendit, altero, qui regit, octo vero, qui eum comitantur; primus erat ille, quem Scriptura decurionem vocat, cæteri vero turmam componebant. In hoc Regum loco, quem explicuimus, idem potest adnotari. Philisthiim tria curruum millia habebant, quorum singulos decem viri prosequebantur: tria millia curruum triginta virorum millia reddunt; & Scriptura asserere potuit exercitum fuisse triginta millium curruum totidem currus recensens, quot illi erant, qui ascendebant, & comitabantur. In 2. Regum 8. 4. dicitur David *cepisse mille, & septingentos equites*. Et in 1. Paral. 18. 4. ubi eadem refertur historia, hæc habemus: *Cepit David mille quadrigas ejus, & septem millia equitum*, ita ut curribus, & equitibus simul sumptis, summa existet decem millium opposita summæ millium, ac septingentorum. Quînam conciliari potest varietas hæc magna adeo, ac bipalmaris? una tantum superest via, eamdem scilicet supputationem inire, quam initio adhibuimus; mille, & septingenti currus in denos milites producti reddent numerum septemdecim mille virorum.

In Scriptura nuspiam super bellicum currum viro uno plures invenio. Sisara Judic. 4. 15. solus currum ascenderat; Roboam 3. Reg. 12. 18. Achab 3. Reg. 18. 45. & 22. 34. 35. Naaman 4. Reg. 5. 21. Jehu 4. Reg. 9. 26. Joram, & Ochozias 4. Reg. 21. soli super currus suos ascendisse videntur. Achab se vulneratum sentiens, aurigæ imperat, ut de prœlio decedat, & habenas detorqueat. Quoad equorum numerum, alii quatuor ponunt, alii duos. Isaias videtur asserere, unum tantum par equorum fuisse [3]: *vidit currum bijugum; currum asinorum, & currum camelorum*. Sed currus Domini, quem vidit Ezechiel 1. 5. quatuor animantibus vehebatur. Quoad currus veterum omnia æque ferme incerta sunt. Achilles bigis vehebatur Iliad. Π, verum Hector quadrigis vehi consuevisse videtur Iliad. H, non secus ac Neptunus [4]. Vide nostram Dissertationem de Antiquorum Hebræorum militia.

CASTRAMETATI SUNT IN MACHMAS AD ORIENTEM BETHAVEN.] *Bethaven* eadem est ac Bethel; illi nomen *Bethaven*, seu *domus iniquitatis*, inditum fuit, postquam Jeroboam ibi vitulos aureos constituit, quos subditis suis adorandos proposuit. Hoc autem non probat, primum hujus libri Authorem vixisse post decem tribuum secessionem; qui vero post illum manus apposuere, nomen Bethel, quod domum Dei significat, in Bethaven immutare potuerunt. Liquet ex sequenti capite ℣. 5. Machmas fuisse ad boream Gabaa. Eusebius, & S. Hieronymus testantur Machmas novem passuum millibus, vel tribus leucis abfuisse ab Jerusalem Ramam versus: sed opus est ipsam magis boream versus recessisse, atque id omne impellit, ut credam, Bethel fuisse potius ad Orientem Machmas, quam Machmas ad Orientem Bethel, quemadmodum Textus videtur innuere; itaque vertendum est [5]: *Castrametati sunt in Machmas, habentes Bethaven ad Orientem suum*. Locum occuparunt, quem Saul ante ceperat in *Machmas in monte Bethel*. Vide supra ℣. 2. Editiones Septuaginta Romana, & Aldi, nec non manuscriptus liber Alexandrinus legunt *Bethoron* pro *Bethaven*, quod longe magis fidei consonum videtur.

℣. 6. QUOD CUM VIDISSENT VIRI ISRAEL SE IN ARCTO POSITOS.] Cum Saul se recepisset in Galgala, exercitus illius se undique conclusum agnovit ab exercitu Philisthinorum, qui erat in Machmis; non admodum aberant a Machmis, & Bethel, Galgala, & exercitus Philisthiim, qui cum maximus esset, prohibebat reditum omnibus tribubus, qui ad Palæstinæ boream incolebant, eisque oberat, quominus ex agris annonas sibi comparare possent, ac se ab hostium incursionibus, ac depopulationibus tueri. Quapropter in illos pavor incessit, atque in montium specubus latebras quærere coacti sunt. Nemo nescit ea in regione passim plurimos specus adfuisse, quo populi confugiebant, cum vis, & bellum ingrueret.

IN SPELUNCIS, ET IN ABDITIS, IN PETRIS QUOQUE, ET IN ANTRIS, ET IN CISTERNIS.] Ter isthic idem videtur referri: *In speluncis, in antris, in petris*. En autem Hebraicus textus ad litteram [6]: *abdiderunt se in speluncis, in spinis*, (vel in incultis, ac sylvestribus locis) *in petris, in turribus, & in cisternis*. Chaldæus: Populus delituit in cavernis, in locis munitis, in petrarum foraminibus, in antris, in foveis. Septuaginta [7]: *Delituerunt in cavernis, in sepibus* (vel in roborariis, quo se feræ recipiunt) *in petris, in foveis, & in cisternis*.

℣. 7. HEBRÆI AUTEM TRANSIERUNT JORDANEM, IN TERRAM GAD, ET GALAAD.] Hebraicus textus alium omnino sensum adfert [8]; *Hebræi transierunt Jordanem, terram Gad, & Galaad*. Hebræi, qui morabantur trans Jordanem in regione Gad, & Galaad, fluvium hunc traduxerunt, tuleruntque suppetias fratribus suis [9]. Septuaginta ita intellexisse videntur, æque ac Sanctus Hieronymus [10]: *Viatores transmiserunt Jordanem in terram Gad, & Galaad*; reversi sunt in regionem suam. Hebraico textui Vulgatæ sensus apte potest accommodari.

℣. 8. EXPECTAVIT SEPTEM DIEBUS.] Quemadmodum illi præceperat Samuel, vel quemadmodum prius convenerant, ut opperiretur. Samuel, cum primum Saulem vidit 1. Reg. 10. 8. dixerat illi, ut ipsum diebus septem in Galgalis expectaret; sed hoc triennio circiter ante contigerat: itaque opus est hoc ipsum illi iterum dixisse; vel hoc generatim erat observan-

1 Legendum est שלש אלף רכב pro שלשים.
2 Vide Dissertationem de militia veterum Hebræorum.
3 Isai. 21. 7. וראה רכב צמד פרשים רכב חמור רכב גמל.
4 Orpheus de Neptuno .... τετράορον ἅρμα διώκων.
5 ויחנו במכמש קדמת בית און
6 ויתחבאו במערות ובחוחים ובסלעים ובצרחים ובברות.
7 Ἐκρύβη ὁ λαὸς ἐν τοῖς σπηλαίοις, καὶ ἐν ταῖς μάνδραις, καὶ ἐν ταῖς πέτραις, καὶ ἐν τοῖς βόθροις, καὶ ἐν τοῖς λάκκοις.
8 ועברים עברו את הירדן ארץ גד וגלעד.
9 Nobil. Tigur. Sanct.
10 Καὶ οἱ διαβαίνοντες διέβησαν τὸν Ἰορδάνην εἰς γῆν Γὰδ καὶ Γαλαάδ.

servandum, ut nihil Rex aggrederetur, ni septem diebus saltem Prophetam expectasset. Saul plane festinavit, ut ante diei septimæ occasum sacrificaret [1]; nam si dies septem fuissent elapsi, non potuisset illum Samuel redarguere, quod nimium festinasset; verum se potius excusasset, quod nimis distulisset, cum necessitas adeo urgeret. Nihilominus Textus palam videtur excusare Saulem; ait enim: *expectavit septem diebus juxta placitum Samuelis*; & paullo post ℣. 11. Saul Prophetæ inquit: *Et tu non veneras juxta placitos dies*. Ut autem hæc, quæ opposita videntur, conciliemus, dici potest, Saulem expectasse usque ad finem septimæ diei, & ad eam usque horam, qua videbatur Samuel haud amplius esse venturus. Re quidem vera Propheta eo pervenit illuc momento, quo Saul sacrificium suum perficiebat. Hic tamen diligentiæ defectus in re, quæ tum in se ipsa parvi adeo momenti videbatur, cum in circumstantiis, quæ speciosas adeo excusationis causas Sauli præbere videbantur, prima extitit ipsius reprobationis origo. Quam investigabilia sunt Dei judicia, & quam diligenter Domini mandatis est obtemperandum!

℣. 12. FACIEM DOMINI NON PLACAVI.] Hebraicus textus reddi potest [2]: *faciem Domini non rogavi*; sacrificiis illius opem non petii.

NECESSITATE COMPULSUS.] Hebræus [3]: *Mihi vim feci, & immolavi*; vel, me ad id adactum conspexi; mihi facultatem sacrificandi vindicavi; necessitas nulli est legi obnoxia. At quæritur, num per se sacrificaverit Saul, an coram se a Sacerdotibus sacrificia jusserit offerri? Probabilius est ipsum sacrificasse; hoc enim satis palam Textus verba innuunt. Samuel non semel sacris operatus est, quamquam ad id nullo magis, quam Saul charactere esset insignitus. Immolavit autem in Masphath 1. Reg. 7. 9. in Ramatha 1. Reg. 9. 12. in Bethlehem 1. Reg. 16. 5. Elias quoque in monte Carmelo obtulit sacrificia 4. Regum 18. 33. David cum transferretur arca 2. Reg. 6. 13. litavit, ac deinde in area Areunæ 2. Regum 24. 24. Sub initium regni Salomonis, Princeps hic, & populus illius in collibus sacris operabantur 3. Regum 2. 3. 4. Explicite autem 2. Paralipomenon 1. 5. ascendisse dicitur ad æream Gabaonis aram, ac ibi hostias obtulisse. Si minimum obstantibus Domini interdictis credidere fas aras extruere, & sacrificia extra Tabernaculum offerre tunc temporis, cum Deus nondum decresset locum, quem elegerat, ut Tabernaculum suum constitueretur; cur non potuit quis se a Legis observantia dispensare in ea cæremonia, quæ minimum magis necesse requirebatur præ illis, de quibus locuti sumus, sibi licere ratus quibusdam in occasionibus peculiaribus per se suis hostiis litare? Profecto neque id sibi religioni vertisse videtur Saul, neque ab alio quopiam fuisse unquam reprehensus. Samuel 1. Reg. 10. 8. illi dixerat, ut sacrificia offerret in Galgalis. Scriptura capite sequenti ℣. 3. refert, Regem hunc *ædificasse altare Domino, tuncque primum cœpisse ædificare altare Domino*, post relatam de Philisthiim victoriam, perinde ac innuere vellet alias deinceps aras extruxisse, vel illum vellet clam exprobrare, quod non citius altare erexisset. Ipse quoque de bello adversus Amalec reversus offert holocausta. Non desunt eruditi viri, qui asserant, David non semel sacerdotali Ephod indutum fuisse [4], & sacra hac ornatum veste Dominum consuluisse de iis, quæ sibi essent facienda; eum certo solemnem populo benedictionem dedisse liquet 1. Reg 6. 18. Hoc ipsum Salomon egit 3. Reg. 8. 55. 56. Hebræi Reges numquam facultatem suam excedere crediderunt, iis functi muneribus, quæ Sacerdotum propria videbantur, idque præsertim antequam Templum ædificaretur; nam deinceps sibi magis caverunt; & sciunt omnes, quo supplicio affectus fuerit Asa, manu thuribulum ausus attingere 4. Reg. 15. 5. & 2. Par. 26. 19.

Veteres nationum Reges semper Sacerdotes erant: Sacerdotium privilegium erat, quod [illegible] dignitati adhærebat; cujus vetustissimæ consuetudinis ut servaretur species, passim sacrificulus Rex [5] ex nobilissimorum civium numero eligebatur, cujus uxor quoque Regina erat sacrificiorum, ac civis ex origine esse debebat, integerrimis moribus, neque ulli antea nupta.

℣. 14. QUÆSIVIT DOMINUS SIBI VIRUM JUXTA COR SUUM.] Nemo ignorat, virum hunc juxta Dei cor esse David, cujus quamprimum occurret historia. Merito miretur quispiam severissimam hanc Domini adversus Saulem sententiam. Error illius oculis nostris venia dignus adeo videtur; hostibus circumseptus, a militibus suis derelictus, Samuelis adventum desperans, quem jussus erat opperiri, rem agit in se ipsa laudibus dignissimam, atque pietate, ac religione refertissimam; necessitate compulsus sacra facit; nihilominus, quod huic sacrificio Samuel, quem expectare debebat, minime interfuerit, rejicitur; Regnum ipsius adimitur posteritati, ac in aliam familiam transfertur. Nisi æquissimam Dei novissemus Justitiam, ac Judiciorum ipsius æquitatem, in Saule occulta supponenda essent crimina, quæ illum in tot infortunia injecissent, vel Deus accusandus esset, eo quod mortalium scelera suppliciis non æquet. Nobis vero nefas est altissimam Judiciorum Dei abyssum scrutari; omnes enim fluxæ, & mortales pœnæ numquam exæquare valent injuriam, quæ infertur Divinitati. Deus mirabili sapientiæ suæ effectu acrius in eos animadvertere consuevit, qui primi ipsius Leges infringerent [6]: suppetunt nobis exempla Nadab, & Abiu, Israelitæ Sabbatho colligentis ligna, blasphemi in deserto, Achan, qui aliquid de anathemate surripuerat, Ananiæ, & Saphiræ in actis Apostolorum. Cæterum nonnulli [7] putant ea, quæ hic Samuel ait, nihil plane aliud fuisse, quam minas. Potuisset quidem diligentius Divinis parendo mandatis mereri, ut sententia hæc antiquaretur; at illius inobedientia in bello adversus Amalecitas ipsius perfecit infelicitatem, ac ad cumulum usque calamitatem evexit. Hactenus sententiæ effectus veluti incertus pependerat; verum post hoc infidelitatis scelus præcepit Samueli Deus, ut ungeret David, atque a Saule suum spiritum recepit.

℣. 15. SURREXIT AUTEM SAMUEL, ET ASCENDIT DE GALGALIS IN GABAA.] Prosecutus est Saulem cum paucis, quæ reliquæ erant, copiis, & simul in Gabaa profecti sunt, ubi aliquandiu consedit exercitus, donec illud contigit, quod sequenti capite refertur. Piscator autumat, Samuelis nomen pro Saule hic obrepsisse: in belli hujus decursu Samuel non memoratur amplius, neque illum consulit Saul, quod profecto fecisset, si Samuel fuisset in Gabaa. Verum hæc verisimilitudinis argumenta haud nos a Textu dimovebunt, quem omnes Versiones confirmant.

RELIQUI POPULI ASCENDEBUNT POST SAUL OBVIAM POPULO, QUI EXPUGNABANT EOS VENIENTES DE GALGALA IN GABAA, IN COLLE BENIAMIN.] Hæc omnia in Hebraico textu, atque in Versione Chaldaica, nec non in pluribus Septuaginta exemplaribus, ac in vetustis manuscriptis Versionis S. Hieronymi desunt; vel sicubi adsunt, asterisco notata sunt, veluti Textui addita; quæ additio sane inutilis isthic esse videtur; neque video, quid sibi velit hic collis Beniamin, nisi intelligatur *Gabaa de tribu Beniamin*. Gabaa enim collem significat.

℣. 17. ET EGRESSI SUNT AD PRÆDANDUM.] Philisthiim

---

1 Greg. Mag. Lyr. Menoch. Est. Cornel. Tirin. xlii.
2 ופני יהוה לא חליתי
3 ואתאפק ואעלה.
4 Vide Reg. 18. 9. & 30. 7.
5 Demosth. in Neær.
6 Isidor. Pelus. Ep. 181. Menoch. Tirin. Sanct.
7 Tostat. Sanct. Menoch.

listhiim videntes, quod Israelitæ in pugnam descendere nun auderent, trifariam triplices dimisere copias depopulatum. Junathas harum copiarum discessu usus est, ut in reliquum agmen, quod in Machmas permanserat, impetum faceret, quemadmodum sequenti capite innotescet.

CONTRA VIAM EPHRA AD TERRAM SUAL.] Ephra ast Gedeonis patria in dimidia tribu Manasse citra Jurdanem. *Terra Sual*, vel *terra Vulpis* non admodum abesse poterat; sed verus illius situs nos fugit.

℣. 18. BETH-HORON.] Creditur hæc *inferior* esse *Beth-horon* ad occasum, & boream Gabaa, ubi erat Saul.

AD ITER TERMINI IMMINENTIS VALLI SEBOIM CONTRA DESERTUM.] Seboim erat ex urbibus igne de cœlo una cum Sodoma, & Gomorrha consumptis. Vallis igitur Seboim Asphaltiti proxima esse debebat; sed certus illius situs ignoratur. Quidam explicant Seboim [1] in generico sensu: *in valle Basilicarum* [2], *in valle Hyenarum* [3], vel capreolorum [4].

℣. 19. FABER FERRARIUS NON INVENIEBATUR IN OMNI TERRA ISRAEL.] Quomodo hæc conciliari queunt cum pace, qua Israelitæ potiti sunt sub Samuelis imperio, & cum iis, quæ Scriptura ait 1. Reg. 8. 13. *facta est manus Domini super Philisthæos cunctis diebus Samuelis?* Hoc rejicere in tempus Samgar, qui cum aratri sui vomere sexcentos Philisthiim occidit, vel in tempus Samsonis, qui Philisthinis bellum intulit, quin vel arma, vel ferrum adhiberet, esset profecto Scripturæ verbis vim inferre. Asserere autem, Samuelem simpliciter Israelitis pacem comparasse, quin Philisthæis permitteret, ut majora illis imponerent vectigalia [5], verum absque eo quod prorsus liberaret Israel a priori servitute, in qua interdictum, quod isthic refertur, præ cæteris acerrimum erat, idem esse mihi videtur, ac adversari explicitis Scripturarum testimoniis, quæ perfectam sub Samuele fuisse referunt libertatem. Præstat igitur dicere, quod cum Philisthæi temporibus Heli armorum usum Hebræis ademissent, cavissentque, ne ullus apud ipsos esset ferrarius faber; Israelitæ viginti annorum, quibus Samuel judicavit, spatio, minima adlaborarint, ut sibi cuderent arma; tranquilla enim pace fruebantur, neque ut ferrarios fabros accerserent in regionem suam, quippe Philisthinorum opera uti consueverant, ne sibi ad excolendos agros instrumenta conflarent. Credi quoque potest sub finem regiminis Samuelis, ac initium Saulis Philisthinos viribus præpollentes iterum prohibuisse, ne Israelitæ sibi cuderent arma, illisque uterentur.

Quæ si hoc pacto acciderunt, quomodonam Saul Ammonitas, & Jonathas Philisthiim delevit? Quænam erant trium mille virorum arma, quos elegerat Saul, de quibus hujus capitis initio locuti sumus? Potestne ad litteram intelligi id, quod inferius legitur, neminem præter Saulem, & Ionatham, vel hastam habuisse, vel gladium? Ubinam milites arma sibi compararunt, ut cæderent Philisthæos, quemadmodum sequenti capite videbimus? Pronius igitur fidei est, aliquantulum exaggerationis inesse in iis, quæ isthic de Saule, & Jonatha referuntur. Animadvarti quoque potest tunc temporis Israelitas passim funda, & arcu usos fuisse; quæ armorum species, in qua maxime excellebant, cætera arma ad vim inferendam parata, inania ferme efficiebat; illis enim usus esse non poterat, nisi cum manus cominus conferebantur. Scimus unam tribum Beniamin adversus universum Israel egregie obstitisse, fundæ præsertim adminiculo; victoria quoque David, quam retulit A de Goliath, est celeberrima, cum hic omni armorum genere septus esset, David autem funda solum pugnaret. Præterea Hebræis suppetebant instrumenta, quibus ad agros excolendos utebantur, secures, dolabræ, stimuli, ligones, vomeres, quæ belli adhiberi poterant pari propemodum eventu, ac lancea, & gladius. Denique nonne antiquitus acerrimas, & cruentissimas pugnas fuisse pugnatas cognovimus inter populos barbaros, & agricolas sudibus tostis, stipitibusque præustis dumtaxat armatos. Virgil. Æneid. 7.

. . . . Non jam certamine agresti;
Stipitibus duris agitur, sudibusque præustis.

Bellatores egregii, de quibus in Paralipomenon libris est sermo [6], qui accesserunt ad David de Saulis ma- B nu fugientem, ob id laudantur, quod arcu spicula emittere, & lapides funda æque ac manu jaculari apprime callerent. In præclara illa Sisaræ clade, neque clypeus, neque lancea aderat in quadraginta millibus Israelitarum. Judic. 5. 8. *Clypeus, & hasta si apparuerint in quadraginta millibus Israel.*

Cæterum hæc Philisthinorum præcautio Hebræis armorum usum adimendi, ac prohibendi, ne in ipsorum regionibus Ferrarii fabri invenirentur, non est adeo insueta; verum hoc primum est servitutis hujus exemplum, quod nobis Historia reliquerit. Israelitæ, quamvis durissimo servitutis jugo obtuti essent in Ægypto, inde tamen armati egressi sunt, ac agmine quadratu [7]. Sed Chaldæi Judæa potiti, Nabuchodonosor imperante, omnes regionis illius arti- C fices captivos Babylonem deduxere [8]. Porsena, pace cum Romanis inita, illis quemvis alium ferri usum prohibuit, quam illius, quod terræ exercendæ est necessarium. Plinius lib. 34. c. 14. *Ne ferro, nisi in agricultura uterentur.* Cyrus cum subegisset Lydos, veritus, ne deficerent, illis armorum usum abstulit, eosque a laboribus militiæ ad mollitiem, luxuriamque teste Herodoto lib. 1. transtulit; quod fuit in causa, ut *sic gens industria quondam potens, & manu strenua, effeminata mollitie, luxuriaque virtutem pristinam perdiderit*, inquit Iustinus lib. 1. c. 7. Servis haud licebat arma capere, ac in bellum proficisci; ac Historia, veluti insignem extremæ necessitatis effectum, retulit, qua adacta fuit Romanorum Respublica, ut secundo Punico bello vincula, D catenasque Servis demeret, ut eos cum veteranis militibus hosti opponeret. Romanis adeo curæ erat militiæ suæ honor, ut capite censis e plebecula locus nullus esset in exercitu, quamquam liberi essent, si nimium pauperes Reipublicæ oneribus ferendis non essent. *Quæ civitas ad id tempus ingenuæ quoque sanguinis capite censos habere milites fastidierat, eadem cellis servilibus extracta corpora . . . . . exercitui suo adjecit.* Valer. Max. lib. 7. c. 6. art. 1.

℣. 20. DESCENDEBAT AD PHILISTHIIM.] Hoc difficile est quod credas de omnibus Judæis tum citra, cum trans Jurdanem positis; maxime probabile est Philisthinorum imperium trans hoc flumen non patuisse, neque fortasse in magis boreali regionis plaga Phœniciam versus; sed saltem tribus Juda, Simeon, E Dan, Benjamin, Ephraim, & Manasse, cum ibi terratum degerent, in Philisthiim regionem descendere cogebantur, vel saltem, ubi Philisthinorum erant præsidia, veluti in Machmas, Bethel, & Gabaa [9].

UT EXACUERET VOMEREM UNUSQUISQUE SUUM.] Hebraica vox [10] quodlibet instrumentorum genus significare potest, quibus artifices lignis, lapidibus, metallisque elaborandis utuntur. Syriaca versio, Arabica, & Septuaginta [11] de falcibus explicant; sed

---

1 הצבעים. 2 Chald. לחילת מעיא. Ita Heb. Vet. 3 Forte Aquil. apud Drus. Ἐν φάραγγι τῶν ὑαινῶν. 4 Theodot. & Aq. apud Theodoret. Ἐν τῇ κοιλάδι, τῶν δορκάδων. Legisse videntur צביים.
5 Mendoz. Menoch. 6 1. Paral. 12. 2. *Viri fortissimi, & egregii pugnatores, tendentes arcum, & utraque manu fundis saxa jacientes, & dirigentes sagittas.*
7 Exod. 13. 18. 8 4. Reg. 24. 14. & Jerem. 24. 1. & 29. 2. החרש והמסגר.
9 Menoch. Sanct. 10 ללטוש איש את מחרשתו. 11 Χαλκεύειν ἕκαστος τὸ θερίστριον αὐτοῦ.

sed de agricolarum instrumentis, ac vomere potest A
merito intelligi.

LIGONEM.] Hebraica vox [1] propriè significare creditur acutum ferrum, culrum, qui in aratro terram findit; vomerem. Septuaginta [2]: *Instrumenta vestra*. Prophetæ sæpe dicunt [3] pacis tempore, cum res secundæ mitius afflant, Israelitas conflaturos gladios suos in hoc instrumentum, de quo isthic sermo est; & è contra belli tempore vomeres in gladios esse versuros [4].

ET SECURIM.] Syriace; *ligonem*. At plerique securim intelligunt [5].

ET SARCULUM.] Septuaginta [6], *falcem*. Hæc eadem est vox Hebraica [7], quæ supra *vomerem* redditam B
novimus. Nomen hoc genericum est, ut supra docuimus.

℣. 21. RETUSÆ ERANT ACIES VOMERUM.] Hebraicus textus longe aliter vertitur [8]: *Agricolarum instrumenta erant, velut ferra*. Acies illorum dentibus erat aspersa. Vel, *nil debebant limæ ut aptarentur acies*, instrumentorum, nisi quis ad Philisthinos ire vellet, ut illa exacueret. Syriaca versio: limis utebantur pro falcibus, quod cum priori convenit sensu. Illorum falces, cæteraque ad terram exercendam instrumenta æque secando erant apta, ac limæ. Septuaginta [9]: *& jam vindemia imminebat*. Scholiastes [10]: *vomeres eorum dentes contraxerant*: Acies eorum hebetata fuerat.

ET TRIDENTUM, & SECURIUM, USQUE AD STIMULUM CORRIGENDUM.] Hebraicus textus reddi potest [11]: *Tridentes, & secures, atque ut boum stimulos ferreo mucrone præfigerent*.

℣. 23. EGRESSA EST STATIO PHILISTHINORUM, UT TRANSCENDERET IN MACHMAS.] Nonne isthic erant antea? Vide supra ℣. 6. 11. 16. Hebraicus textus magis perspicuus est: *Et statio Philisthiim profecta est ad transitum Machmas*; consedit in faucibus montium, quæ sunt inter Machmas & Gabaa, ubi tunc erat Saul.

---

1 ואת אתו 2 Τὰ σκεύη αὐτῶν. 3 Isai. 2. 4. Mich. 4. 3. 4 Joel, 3. 15.
5 קרדמו 70. ἀξίνην. Jonat. כולבית 6 Τὸ δρέπανον. 7 מחרשתו 8 והיתה הפצירה פים למחרשות
9 Καὶ ἦν ὁ τρυγητὸς ἕτοιμος τοῦ θερίζειν. 10 Scholiast. apud. Drus. Καὶ ἐγένετο ὁ ... ἀπεκλείσθη τὰ στόματα τῶν ὑνίων. 11 ולשלש קלשון ולהקרדמים ולהציב הדרבן

CAPUT XIV.

Ingens Terror in castra Philisthinorum incedit. Saul eos ad vesperam usque persequitur: Jonathas in vitæ discrimen adducitur, eo quod imprudens patris mandata violasset; a populo liberatur. Victoria Saulis de pluribus populis relatæ,

1. ET accidit quadam die, ut diceret Jonathas filius Saul ad adolescentem armigerum
suum: Veni, & transeamus ad stationem Philisthinorum, quæ est trans locum il-
lum. Patri autem suo hoc ipsum non indicavit. 2 Porro Saul morabatur in ex-
trema parte Gabaa, sub malogranato, quæ erat in Magron: & erat populus cum eo quasi
sexcentorum virorum. 3 Et Achias filius Achitob fratris Ichabod filii Phinees, qui ortus
fuerat ex Heli sacerdote Domini in Silo, portabat ephod. Sed & populus ignorabat, quo
isset Jonathas. 4 Erant autem inter ascensus, per quos nitebatur Jonathas transire ad sta-
tionem Philisthinorum, eminentes petræ ex utraque parte, & quasi in modum dentium sco-
puli hinc & inde prærupti, nomen uni Boses, & nomen alteri Sene: 5 Unus scopulus pro-
minens ad Aquilonem ex adverso Machmas, & alter ad meridiem contra Gabaa. 6 Dixit
autem Jonathas ad adolescentem armigerum suum: Veni, transeamus ad stationem incircum-
cisorum horum, si forte faciat Dominus pro nobis; quia non est Domino difficile salvare vel
in multis, vel in paucis. 7 Dixitque ei armiger suus: Fac omnia, quæ placent animo tuo:
perge, quo cupis, & ero tecum, ubicumque volueris. 8 Et ait Jonathas: Ecce nos tran-
simus ad viros istos. Cumque apparuerimus eis, 9 Si taliter locuti fuerint ad nos, Mane-
te, donec veniamus ad vos: stemus in loco nostro, nec ascendamus ad eos. 10 Si autem
dixerint: Ascendite ad nos; ascendamus, quia tradidit eos Dominus in manibus nostris: hoc
erit nobis signum. 11 Apparuit igitur uterque stationi Philisthinorum: dixeruntque Phi-
listhiim: En Hebræi egrediuntur de cavernis, in quibus absconditi fuerant. 12 Et locuti
sunt viri de statione ad Jonatham, & ad armigerum ejus, dixeruntque: Ascendite ad nos,
& ostendemus vobis rem. Et ait Jonathas ad armigerum suum: Ascendamus, sequere me:
tradidit enim Dominus eos in manu Israel. 13 Ascendit autem Jonathas manibus, & pe-
dibus reptans, & armiger ejus post eum. Itaque alii cadebant ante Jonatham, alios armiger
ejus interficiebat sequens eum. 14 Et facta est plaga prima, qua percussit Jonathas, & ar-
miger ejus, quasi viginti virorum, in media parte jugeri, quam par boum in die arare con-
suevit. 15 Et factum est miraculum in castris per agros: sed & omnis populus stationis eo-
rum, qui ierant ad prædandum, obstupuit, & conturbata est terra: & accidit quasi miracu-
lum a Deo. 16 Et respexerunt speculatores Saul, qui erant in Gabaa Benjamin, & ecce
multi-

multitudo prostrata, & huc, illucque diffugiens. 17 Et ait Saul populo, qui erat cum eo
Requirite, & videte, quis abierit ex nobis. Cumque requisissent, repertum est non adesse
Jonathan, & armigerum ejus. 18 Et ait Saul ad Achiam: Applica arcam Dei, (Erat enim
ibi arca Dei in die illa cum filiis Israel) 19 Cumque loqueretur Saul ad sacerdotem, tumul-
rus magnus exortus est in castris Philisthinorum: crescebatque paulatim, & clarius resona-
bat. Et ait Saul ad sacerdotem: Contrahe manum tuam. 20 Conclamavit ergo Saul, &
omnis populus qui erat cum eo, & venerunt usque ad locum certaminis: & ecce versus fue-
rat gladius uniuscujusque ad proximum suum, & cædes magna nimis. 21 Sed & Hebræi,
qui fuerant cum Philisthiim heri, & nudiustertius, ascenderantque cum eis in castris, re-
versi sunt, ut essent cum Israel, qui erant cum Saul, & Jonatha. 22 Omnes quoque
Israelitæ, qui se absconderant in monte Ephraim, audientes, quod fugissent Philisthæi,
sociaverunt se cum suis in prælio. Et erant cum Saul quasi decem millia virorum. 23
Et salvavit Dominus in die illa Israel: pugna autem pervenit usque ad Bethaven. 24
Et viri Israel sociati sunt sibi in die illa: adjuravit autem Saul populum, dicens: Male-
dictus vir, qui comederit panem usque ad vesperam, donec ulciscar de inimicis meis,
Et non manducavit universus populus panem: 25 Omneque terræ vulgus venit in sal-
tum, in quo erat mel super faciem agri. 26 Ingressus est itaque populus saltum, & ap-
paruit fluens mel, nullusque applicuit manum ad os suum: timebat enim populus jura-
mentum. 27 Porro Jonathas non audierat, cum adjuraret pater ejus populum: exten-
ditque summitatem virgæ, quam habebat in manu, & intinxit in favum mellis: & con-
vertit manum suam ad os suum, & illuminati sunt oculi ejus. 28 Respondensque unus
de populo, ait: Jurejurando constrinxit pater tuus populum, dicens: Maledictus vir,
qui comederit panem hodie (defecerat autem populus.) 29 Dixitque Jonathas: Turba-
vit pater meus terram: vidistis ipsi, quia illuminati sunt oculi mei, eo quod gustaverim
paululum de melle isto: 30 Quanto magis si comedisset populus de præda inimicorum
suorum, quam reperit? nonne major plaga facta fuisset in Philisthiim? 31 Percusserunt
ergo in die illa Philisthæos a Machmis usque in Ajalon. Defatigatus est autem populus nimis.
32 Et versus ad prædam, tulit oves, & boves, & vitulos, & mactaverunt in terra: come-
ditque populus cum sanguine. 33 Nuntiaverunt autem Sauli dicentes, quod populus pec-
casset Domino, comedens cum sanguine. Qui ait: Prævaricati estis: volvite ad me jam nunc
saxum grande. 34 Et dixit Saul: Dispergimini in vulgus, & dicite eis, ut adducat ad me
unusquisque bovem suum, & arietem, & occidite super istud, & vescimini, & non pecca-
bitis Domino comedentes cum sanguine. Adduxit itaque omnis populus, unusquisque bo-
vem in manu sua usque ad noctem: & occiderunt ibi. 35 Ædificavit autem Saul altare Do-
mino, tuncque primum cœpit ædificare altare Domino. 36 Et dixit Saul: Irruamus super
Philisthæos nocte, & vastemus eos usque dum illucescat mane, nec relinquamus ex eis vi-
rum. Dixitque populus: Omne, quod bonum videtur in oculis tuis, fac. Et ait sacerdos:
Accedamus huc ad Deum. 37 Et consuluit Saul Dominum: Num persequar Philisthiim?
si trades eos in manus Israel? Et non respondit ei in die illa. 38 Dixitque Saul: Applicate
huc universos angulos populi: & scitote, & videte, per quem acciderit peccatum hoc ho-
die. 39 Vivit Dominus salvator Israel, quia si per Jonathan filium meum factum est, abs-
que retractatione morietur. Ad quod nullus contradixit ei de omni populo. 40 Et ait ad
universum Israel; Separamini vos in partem unam, & ego cum Jonatha filio meo ero in parte
altera. Responditque populus ad Saul: Quod bonum videtur in oculis tuis, fac. 41 Et
dixit Saul ad Dominum Deum Israel: Domine Deus Israel, da indicium: quid est, quod
non responderis servo tuo hodie? Si in me, aut in Ionatha filio meo est iniquitas hæc, da
ostensionem: aut si hæc iniquitas est in populo tuo, da sanctitatem. Et deprehensus est Jo-
nathas, & Saul, populus autem exivit. 42 Et ait Saul: Mittite sortem inter me, & inter
Jonatham filium meum. Et captus est Ionathas. 43 Dixit autem Saul ad Ionatham: Indica
mihi, quid feceris? Et indicavit ei Ionathas, & ait: Gustans gustavi in summitate virgæ,
quæ erat in manu mea paululum mellis, & ecce ego morior. 44 Et ait Saul: Hæc faciat mi-
hi Deus, & hæc addat, quia morte morieris, Ionatha. 45 Dixitque populus ad Saul:
Ergone Ionathas morietur, qui fecit salutem hanc magnam in Israel? hoc nefas est: vivit
Dominus, si ceciderit capillus de capite ejus in terram, quia cum Deo operatus est hodie.
Liberavit ergo populus Ionatham, ut non moreretur. 46 Recessitque Saul, nec persecu-
tus est Philisthiim: porro Philisthiim abierunt in loca sua. 47 Et Saul, confirmato regno
super

ſuper Iſrael, pugnabat per circuitum adverſus omnes inimicos ejus, contra Moab, & filios
Ammon, & Edom, & reges Soba, & Philiſthæos: & quocumque ſe verterat, ſuperabat.
48 Congregatoque exercitu, percuſſit Amalec, & eruit Iſrael de manu vaſtatorum ejus.
49 Fuerunt autem filii Saul, Ionathas, & Ieſſui, & Melchiſua: & nomina duarum filiarum
ejus, nomen primogenitæ Merob, & nomen minoris Michol. 50 Et nomen uxoris Saul,
Achinoam filia Achimmaas; & nomen principis militiæ ejus Abner, filius Ner, patruelis Saul.
51 Porro Cis fuit pater Saul, & Ner pater Abner, filius Abiel. 52 Erat autem bellum
potens adverſum Philiſthæos omnibus diebus Saul. Nam quemcumque viderat Saul virum
fortem, & aptum ad prælium, ſociabat eum ſibi.

℣. 1. TRANSEAMUS AD STATIONEM PHILISTHINORUM.] Actio Ionathæ in ſe ipſe æſtimata, audacior ſane eſt & contra militaris diſciplinæ leges, quæ non permittunt militibus facultatem cum hoſte dimicandi, neque aliquid magni momenti aggrediendi Duce inconſulto. Verum arbitrantur [1] Saulis filium nequaquam proprio marte pugnaſſe; & mirabilis eventus, quem Deus tribuere dignatus eſt illius conatui, ſatis probat conſilium illud de cœlo immiſſum fuiſſe.

℣. 2. SUB MALO GRANATO, QUÆ ERAT IN MAGRON.] Magron plane oppidum erat ſatis prope Machmas, & Gabaa. Id Iſajas videtur innuere [2]. Septuaginta pro Magron legunt Magdon. Ita vero Hebraicus textus reddi poſſet [3]: *Saul erat in finibus Gabaa, ſub Rimmon, quæ eſt in Magron.* Nomen *Rimmon*, ſignificat malum granatum; ſed rupes, quo poſt cladem ſe ſe receperunt Benjamitæ, *Remmon* quoque vocatur; vulgo autem perhibetur [4] in hujus rupis ſpeluncas Saul cum militibus ſuis conceſſiſſe. Quomodo enim ſexcenti viri ſub malogranato conſediſſent? Remmon petra aliàs æqualem Benjamitarum numerum receperat, qui illuc confugerant [5]. Locus naturæ ſuæ inexpugnabilis erat, & vaſta aderant antra, in quibus exercitus immoraretur. Petra hæc eſſe debebat prope Magron, ac illi ſubjecta.

℣. 3. ACHIAS FILIUS ACHITOB, FRATRIS ICHABOD, FILII PHINEES.] Phinees filius ſummi Sacerdotis Heli duos genuit filios Achitob, & Ichabod: hic celebris eſt propter nativitatem ſuam; natus eſt enim eo temporis momento, quo Matri ſuæ Arcam fuiſſe captam nuntiatum eſt. Achias fuit filius Achitob. Porro *Achias* vocatur quoque *Achimelec* [6] cap. 22. ℣. 9. Scripturæ hic ait ipſum *portaſſe Ephod*, videlicet ipſum ſummi Sacerdotis munere fuiſſe functum; iſtud liquet etiam ex ℣. 18. ubi Arcam in caſtris fuiſſe intelligimus.

℣. 4. ERANT INTER ASCENSUS . . . . EMINENTES PETRÆ.] Locus, qua Ionathas tranſire adnitebatur, duabus rupibus hinc, & inde obſitus erat. Ad literam; *Duæ rupes erant inter aſcenſum*; hoc autem omnino eſt oppoſitum; aſcenſus enim erat inter duas rupes. Plurima extant ſimilis inverſionis in constructionibus exempla; Exempli gratia Pſal. 21. 32. *Annuntiabitur Domino generatio ventura*; & hic infra ℣. 18. *Applica arcam*; & Iudic. 1. 8. *Civitatem miſerunt in ignem*; & apud Virgilium Æneid. 8.

. . . . . *Onerantque caniſtris*
Dona laboratæ cereris.

Aſcenſus, de quo hic ſermo, eſt Aſcenſus Machmas cap. 13. ℣. 23. in Hebraico textu deſignatus.

BOSES] Lubricum ſignificat; SENE ſpinas. Alter vero locorum horum ad ſeptentrionem erat, alter ad aſcenſus meridiem. Per hunc poſteriorem Ionathas in Philiſthinorum caſtra pervenit.

℣. 6. AD STATIONEM INCIRCUMCISORUM HORUM.] Hebræi incircumciſos populos contemptui habebant, quod ex Scriptura univerſa liquet; eos enim immundos, ac profanos arbitrabantur. Ethnici e contra Hebræos veluti inani ſuperſtitioni deditos irridentes vocabant, *Recutitos*, *Verpas*, *Apellas*.

SI FORTE FACIAT DOMINUS PRO NOBIS.] Si faveat nobis, ſi opituletur, ſi nobiſcum ſit. Iſthic videtur Ionathas tentare Deum: ambigue enim loquitur; *Si forte faciat Dominus pro nobis*; at hæc locutio non ſemper veram dubitationem innuit in eo, qui hoc pacto loquitur: ſimpliciter autem ſignificat rem, quam aggredimur, vel quam petimus, non eſſe in noſtra poteſtate poſitam, verum e Dei pendere voluntate, & illius eventum neque a viribus, neque a meritis noſtris proficiſci. Decurſus palam oſtendit, Ionatham neſciiſſe rationem, tempus, circumſtantias, & eventum rei, ad quam intrinſecus agebatur. Hæc autem incertitudo iſthic exprimitur. Cum vero inferius paullo Deo præſcribere videtur ſignum, vel divinæ voluntatis auſpicium, dici poteſt, ſpiritum eumdem, qui illi hanc mentem injecerat, illi quoque rationes oſtendiſſe, quibus eamdem exequi poſſet, atque illius animo ea ſuggeſſiſſe, quæ a Deo peteret. Ea autem, quæ ait, habenda ſunt veluti vota, quæ Deo nuncupat, ut ipſum edoceat, qua ratione ipſum agere velit; non ſecus, ac Eliezerus famulus Abraham Geneſ. 24. 12. Dominum precabatur, ut illud ſignum ipſi traderet, quo puellam, quam Iſaaci conjugem deſtinaſſet, poſſet cognoſcere; & quemadmodum Gedeon Iudic. 6. 15. 36. petebat a Deo miſſionis ſuæ ſigna. Si Jonathæ factum velis coarguere, Moyſes ipſe inſimulandus eſſet, qui prodigia poſtulat, antequam in Ægyptum proficiſcatur, Exod. 4. 1. 2. 3.

℣. 12 ASCENDITE AD NOS, & OSTENDEMUS VOBIS REM.] Speculatorem, qui Ionathem deprehendit, poſitum fuiſſe neceſſe eſt ſuper petra, quæ in boreali aſcenſus parte aſſurgebat; nam Jonathæ dicit, quod aſcendat, ſe enim rem illi oſtenſurum, videlicet ſe edocturum fore, ne impoſterum audacter adeo ſe periculis objiceret; vel ſe aliquid habere, quod illi diceret, ſe elloqui ipſum velle, veluti illum irridens, vel ut ipſum eo, ubi ille erat, alliceret. Herodotus l. 5. init. rem narrat, quæ ſummum habet cum hoc, quod iſthic legimus, ſimilitudinem. Populi Pæoniæ cum bellum indixiſſent Perinthiis, Oraculo admoniti fuere, ne ipſi prius inferrent arma, neque hoſtem primi laceſſerent; ac prælium inire prohibiti ſunt, niſi ab hoſte provocarentur. Coram ad teli jactum conſtiterunt acies; & aliquantiſper, quin manus conſererent, hæſere; ſed tandem, cum Perinthii Pæonios eſſent agreſſi, hi pugnam commiſerunt, ac victoriam cumulatiſſimam reportarunt.

℣. 14. IN MEDIA PARTE JUGERI, QUAM PAR BOUM IN DIE ARARE CONSUEVIT.] Ad Geneſ. 35. 16.

1 Toſtat. Cajet. Cornel. Mendoz. Mar.
2 Iſai. 10. 28. *Venit in Ajath, tranſibit in Magron, apud Machmas commendabit vaſa ſua.*
3 ישאול יושב בקצה הגבעה תחת הרמון אשר במגרון
4 Menoch. Tir. Sact. Jun. Piſc.
5 Judic. 20. 47.
6 Ita Eſt. Menoch. Mendoz. Sanct. alii.

16. jam ostendimus, veteres quandoque metiri consuevisse longitudines ex ea agri parte, quam die una taurus arare potest. Varro l. 1. de R. Rust. c. 10. Plinius l. 18. c. 3. Festus, sulci longitudinem centum & viginti pedes constituunt; at Columella non longiorem esse vult pedibus septuaginta [1]. Si priorem metiendi rationem sequi velimus, Ionathas, & armiger illius occiderunt viginti homines in sexaginta pedum spatio; sin Columellæ adhæremus, quinque & triginta solum pedes erunt. Ludovicus de Dieu isthic ab omnibus aliis Interpretibus longius abscedit, quorum sententiam meris conjecturis inniti arbitratus: hoc autem pacto Hebraicum textum reddis [2]: *Occiderunt viginti viros in media ferme parte longitudinis sulci, & in latitudine quæ inter duos agri sulcos interjacet*: ita ut hostes invicem adeo prope essent, ut facile sibi alternatim opem ferre possent; sed in vulgata sententia nil mirum, ait, a duobus viris viginti interfici in sexaginta, vel si mavis triginta quinque pedum extensione. Textus ad litteram: *ferme in media sulci parte inter par agrorum*. Quod nequit intelligi nisi de sulci longitudine ab animantium jugo ducti, qui agros arant, videlicet a jugo boum. Reor igitur Authorem Sacrum ad sulci longitudinem solum advertere, non autem ad agri latitudinem, quod Lodovicus de Dieu contendit.

℣. 15. FACTUM EST MIRACULUM IN CASTRIS PER AGROS.] Hebræus [3]: *factus est pavor*, vel stupor *in castris, in agris, ac in omni populo*. Videlicet ad hujus cladis famam terror ingens, & vertiginis, atque confusionis spiritus effusus est per hostium castra, atque hinc in finitimos agros evasit, quin aliquis tumultus hujus, ac terroris per exercitum sævientis causam agnosceret; cum Philisthiim falso essent rati, totum Israelitarum exercitum in ipsorum castra irruisse.

SED ET OMNIS POPULUS EORUM, QUI IERANT AD PRÆDANDUM OBSTUPUIT, & CONTURBATA EST TERRA, & ACCIDIT QUASI MIRACULUM A DEO.] En Hebraicus textus ad litteram redditus: *Et populus præsidii* (ii scilicet qui erant in Machmas,) *& ea exercitus pars, quæ prædatum ierat, turbati fuerunt; & omnis terra expavit, & hic fuit terror Dei*; videlicet ingens terror, maxima formido; vel terror inanis, & a Deo immissus. In iis terroribus, qui de cœlo immittuntur, Pindarus ait in Nemæis, ipsi etiam Deorum filii fugam capessunt. Nonnulli putant tunc terræ motum accidisse, qui in hostes pavorem injecit: *conturbata est terra*.

℣. 16. SPECULATORES SAUL QUI ERANT IN GABAA.] Quomodonam hi speculatores sunt in Gabaa, cum Saul sit cum militibus suis in petra Remmon prope Magron, quemadmodum superius vidimus? Oportet a Saul speculatores positos fuisse in vertice Gabaa, qui signo quodam illum admonuere de iis, quæ in hostium castris fiebant; vel qui ad illum miserunt, qui Philisthinorum fugam nuntiarent. Perdifficile est, omnes quod satis sit, evolvere difficultates, tum quod perfecte locorum situm non novimus, tum quod historia hæc breviter nimis est exarata.

ECCE MULTITUDO PROSTRATA, & HUC ILLUCQUE DIFFUGIENS.] Hebraice [4]: *Ecce multitudo fine corde, quæ abibat, ac se frangebat*. Exercitus exanimatus, ac terrore correptus præcipiti fuga proripiebatur, ac pedibus se obterebat.

℣. 18. APPLICA ARCAM.] Accede ad Arcam, ut Dominum consulas: Septuaginta [5]: *Affer Ephod*; induere veste hac sacra, ut Dominum consulas. Spencerus lib. 3. dissert. 7. cum Rabbinis intelligit de capsula, ubi credit, clausum fuisse Ephod, & Pectorale, cum ad exercitum deferretur. *Affer capsulam, ubi est Ephod*. Verum quid opus est, ut ad hanc explicationem confugias?

℣. 19. CONTRAHE MANUM TUAM.] Sacerdos indutus Ephod orabat manibus elatis, atque expansis. Saul videns occasionem arridere, & Deum se illis propitium polliceri ex circumstantiis, in qua adductus fuerat, & ex rerum natura, quæ non postulabat, ut diutius deliberando tempus insumeretur, sed ut maturato quidlibet ageretur, Sacerdotem cessare jussit. Oracula pro dubiis rebus tantum instituta sunt, ait Cato. Lucanus Pharsal. l. 9.

Sortilegis egeant dubii, semperque futuris
Casibus ancipites.

Romanus alius asserere non ambigebat, omnia, quæ pro Reipublicæ salute fiebant, ea semper faustissimis auspiciis fieri [6]: *Optimis auspiciis ea geri, quæ pro Reipublicæ salute gerentur*. Hector Polydamanti sapienter respondit [7]: omnium auspiciorum optimum esse pro patria dimicare.

℣. 21. SED & HEBRÆI, QUI ERANT CUM PHILISTHIIM.] Qui cum illis se conjunxerant, qui in illorum exercitu erant. Philisthiim regionis illius erant Domini, ac Israelitas subjectos habebant; qui tempori cedentes, ac extremæ necessitati, in qua versabantur, in castris Philisthinorum aderant, vel sicut transfugæ, vel sicut famuli. Hebraicus textus adfert [8] *ipsos eorum castra circum ivisse*, veluti innuendi gratia, ipsos cum impedimentis circum castra stetisse [9]; vel potius e finitimis locis in castra confluxisse, ut ex depopulantium manu aufugerent, a quibus necati fuissent, si domi suæ constitissent.

℣. 22. ET ERANT CUM SAUL QUASI DECEM MILLIA VIRORUM.] Eorum scilicet qui ad cladis hujus rumorem ad ipsum accesserant; nam antea sexcentos solum habebat milites super petram Remmon [10]. Neque Hebraicus textus, neque Chaldæus, nec Septuaginta, neque plurima Latina Exemplaria isthic horum decem millium virorum meminere. Septuaginta vero de his loquuntur ℣. 24. ubi in Hebraico textu de his nulla fit mentio.

℣. 23. PUGNA PERVENIT USQUE AD BETHAVEN.] Philisthiim perstiterunt sibi invicem necem consciscere quin se mutuo agnoscerent, usque ad Bethaven. Eorum castra Machmas versus extendebantur. Ex decursu liquet, majorem Philisthinorum exercitus partem Ajalon versus fugam corripuisse [11], quæ urbs recto cœlo opposita est Bethaven; videlicet se versus regionem suam recepisse, quo Israelitæ eos persequebantur. Itaque locus hic haud intelligendus est perinde ac Hebræorum pugna adversus Philisthæos ad Bethaven usque processerit; sed explicari potest de cladis illius fama, quæ Bethaven usque pervasit.

℣. 24. ET VIRI ISRAEL SOCIATI SUNT. . . ADJURAVIT AUTEM SAUL POPULUM.] Nonnulli Hebraicum textum ita reddunt [12]: *Et viri Israel elapsi fuerunt die illa*. Saul inconsulto nimis eorum fervorem compescuit; ipse victoriæ eorum obicem opposuit; *populum adjuravit*. Vel Israelitæ accesserunt; & Saul optimum factu existimavit dicere populo. Sed Vulgatæ sensus melior est. Hæc autem est lectio Septuaginta: *Et Israel erat cum Saule, decem hominum millia, & bellum effusum est in omnes civitates montis Ephraim, & Saul lapsus est in magnæ ignorantiæ scelus illa die, & maledixit populum dicens: Maledictus vir, qui comederit panem ante Solis occasum*. Saul procul dubio

1 Columel. de Re Rust. l. 2. c. 2. *Sulcum ducere longiorem quam pedum 70. contrarium pecori est*.
2 בכחצי מענה צמד שדה 3 ותהי חרדה במחנה בשדה 70. Καὶ ἐγένετο ἔκστασις ἐν τῇ παρεμβολῇ, καὶ ἐν τῷ ἀγρῷ. 4 הנה ההמון נמוג וילך והלם 5 הגישה ארון Προσάγαγε τὸ ἐφοὺδ. Ita Abarban. R. Salom. & Kimchi. Vide, si lubet, Buxtorf. hist. Arcæ fœderis, c. 3. 6 Q. Fab. Max. apud Tull. lib. de Senect.
7 Homer. Iliad. 8 עלו עמם במחנה סביב 9 Pisc. Marr.
10 Sups. ℣. 2. *Erat populus cum eo quasi sexcentorum virorum*. 11 Vide ℣. 31.
12 ואיש ישראל נגש ויאל שאול העם

præceps, & inconsulto in jusjurandum est lapsus. Zelo nimis se corripi passus est, neque intellexit, se per inconsideratum hoc sacramentum in semet suumque præcipuum ire consilium, populum ineptum reddens ad hostem persequendum. Ex iis quæ sequuntur, inferri nequit, Deum illud approbasse, Deoque Saulem acceptum fuisse: edocendi erant Subditi, quæ Regi obedientia est præstanda, & scandalum auferendum, quod actio Jonathæ, licet innocens, populo ingerere potuisset; Saul merebatur, ut ob præceps juramentum puniretur: denique populus instruendus erat, ne jusjurandum, & maledictiones contemneret, quibus nomen Domini interponitur, tunc præcipue cum ab eo, qui supremam obtinet authoritatem, dimanant.

ÿ. 25. VENIT IN SALTUM, IN QUO ERAT MEL SUPER FACIEM AGRI.] Hæc videri non debet hyperbole: mel vulgo in Palæstina reperitur; ad hanc quoque diem, si viatoribus fides est, passim ea in regione mellis, & ceræ odor perflat, veluti qui ex proximis alvearibus dimanat [1]. Rara convivia sunt, ubi non adhibeatur, ac paucissima condimenta quibus non immisceatur. Sylvæ apibus frequentes erant, quæ cellulas suas in excesæ arboris antro, vel in pumicibus cavis, aut sub terra sibi comparabant. Virgilius Georg. 4.

Sæpe etiam effossis, [si vera est fama] latebris
Sub terra fovere larem, penitusque repertæ,
Pumicibusque cavis, exesæque arboris antro.

In hoc saltu, qua Israelitæ prætervecti sunt, dum calidior diei fervebat æstus, mel in terram passim diffluere conspiciebatur. Sanctius ait in quibusdam sylvestribus Hispaniæ locis, ubi plurima est apum vis, aliquando videri mellis rivos super terram diffluere; & Maldonatus se vidisse testatur pauperes agricolas in Bætica, seu Vandalitia, qui sibi victum comparant mel in sylvis, cavisque arboribus colligendo. Scriptura sæpius ad hanc mellis copiam alludit, quod in Palæstina, aliisque regionibus passim reperiebatur, ex qua re hæ locutiones proficiscuntur [2]; *terram fluentem lacte, & melle*; & Psal. 70. 17. *de petra melle saturavit eos*; & Deuter. 32. 13. *constituit eum super excelsam terram, ut sugeret mel de petra, & oleum de saxo durissimo*; & Job 20. 17. *Impius non videat rivulos fluminis, torrentes mellis, & butyri*; & apud Profanos Virgilius Eclog. 3.

Mella fluant illi, ferat & rubus asper amomum.

Vide, si lubet, Bochart. de Animal. sacr. par. 4. l. 2. c. 12.

ÿ. 27. ET ILLUMINATI SUNT OCULI EJUS.] Vel oculi ejus vim recepere. Quemadmodum labore, & inedia visus infirmatur; ita esca, & requies illum reficiunt, atque tuentur. Sanctius se vidisse affirmat hominem, qui jejunio penitus oculorum aciem amiserat, & qui eamdem comedendo iterum adeptus est. Jeremias 14. 6. hunc ipsum effectum famis observat: *Et onagri steterunt in rupibus, traxerunt ventum quasi dracones, defecerunt oculi eorum, quia non erat herba*. Hippocrates in lib. de prisca Medicina refert eos, qui cibo hora quadam indigent, si tempus hoc elabi sinunt, viribus deficere, oculis pallere, & quadam stupiditatis, ac vertiginis specie infirmari. Effectus hi naturales penitus sunt; labor, fames, sitis, spiritus, ac humores exhauriunt: nervi destituuntur, humor, qui corneam replet, dissipatur, optici nervi laxantur, & organi hujus perturbata œconomia visus necessario infirmatur.

ÿ. 29. TURBAVIT PATER MEUS TERRAM.] Irreparabile intulit regioni detrimentum. Jonathas loquitur juxta cor suum; potuisset quidem melius patriæ consulere existimationi, magisque Regis authoritatem vereri: Neque enim fas est, palam Principis mandata corripere.

ÿ. 31. A MACHMIS USQUE IN AJALON.] Ajalon erat in tribu Dan, ac prope Philisthinorum fines [2]; hæc vero a Machmis tres, vel quatuor leucas abesse poterat.

ÿ. 32. COMEDIT POPULUS CUM SANGUINE.] Antequam Lex ferretur, jamdudum cautum fuerat, ne sanguis comederetur [3]. Hebræi omnia animantia jugulare consueverant, eaque suspendere, ut sanguis omnino deflueret, qui humo injecta operiebatur [4]. At ea in occasione, de qua hic sermo, populus fame adactus festinanter animantia mactavit, neque passus est sanguinem omnem dimanare, eumque terra obtegere.

ÿ. 35. TUNCQUE PRIMUM COEPIT ÆDIFICARE ALTARE DOMINO.] Hactenus Samuel aras extruxerat, cum id res postulasset; isthic autem Saul pro libidine hos Religionis actus cœpit exercere, qui ad Prophetam solum, vel ad Summum Sacerdotem spectabant. Credidit autem sibi, velut Regi, hæc omnia fas esse; voluitque exercituum Deo victoriæ suæ monumentum consecrare. Asserunt [5] altare super lapide eodem erectum fuisse, super quo animantia fuerant jugulata; quem sensum Hebraica lectio non respuit [6]: *Ædificavit altare Domino, cœpitque erigere hunc lapidem in altare Domino*.

ÿ. 36. ACCEDAMUS HUC AD DEUM.] Accedamus ad Arcam, antequam aliquid aggrediamur; vel eamus consultum Oracula prope Domini Altare.

ÿ. 38. APPLICATE HUC UNIVERSOS ANGULOS POPULI.] Alii vertunt [7]: *Applicate huc primores populi*. Vide, quæ dixerim in Judicum libr. cap. 18. ÿ. 9. & 20. ÿ. 2.

ÿ. 39. AD QUOD NULLUS CONTRADIXIT EI DE POPULO:] Seu ob reverentiam, seu quod nemo credidit id, quod Jonathas fecerat, Dei iram mereri potuisse. Saul isthic etiam se ad jurandum nimis præcipitem probat; & populus obmutescens tacite iis, quæ Rex enuntiat, assentitur, eamque subiturum se legem fatetur, quam ille tulerit. Regis juramentum hoc pacto populum obligat universum.

ÿ. 40. EGO CUM JONATHA FILIO MEO ERO IN PARTE ALTERA.] Saul potuisset quidem jure se ipsum, ac filium suum sorti subtrahere. Interdictum enim, quo caverat, ne quis ante vesperam comederet, militibus solum fuerat inflictum: sed ut aliis exemplo esset, atque ob zeli superabundantiam se ipsum legi voluit subjicere.

ÿ. 41. DOMINE DEUS ISRAEL DA JUDICIUM.] Hebraice ad litteram [8]: *Da puritatem*, vel integritatem. Ostende nunc judiciorum tuorum æquitatem, indica nobis sine ulla voluntatis propensione, studio, personarum acceptione, quis innocens sit, qui secus. Aliter, *ostende nobis, quis innocens sit*, vel quænam est sanctitas tua. Septuaginta [9] legisse videntur *Tummim* pro *Tammim*; ajunt enim consultum fuisse Urim, & Thummim.

ÿ. 42. CAPTUS EST JONATHAS.] Deus punire voluit Saulem ob jusjurandum, quod ediderat inconsulto, permittens, ut Jonathas licet innocens in summum vitæ discrimen adduceretur. Hoc vero Saulis documentum fuit, ne temere umquam juraret; populo autem, ne Principis edicta negligeret.

ÿ. 44. MORTE MORIERIS JONATHA.] Duo hic notatu dignissima occurrunt: prius quidem, qua observantia, qua fide veteres jusjurandum persolverent, quin illud in æquiorem sensum inflecterent, & detorquerent: alterum vero, Saulis cæcitas, ac obduratio, qui æque præceps Jonatham damnat, ac

prius

1 Vide Maundrel. Voyage de Jerusal. pag. 112. & 114. & passim. 2 Exod. 2. 8. & 13. 5. & 33. 3. Levit. 20. 24. 3 Genes. 9. 4. Levit. 17. 14. Deut. 12. 16. 4 Vide Levit. 17. 13.
5 Rab. Levi apud Drus. Malv. Quidam in Var. 6 ויבן שאול מזבח ליהוה אתו החל לבנות מזבח ליהוה
7 גשו הלם כל פנות העם Sym. Τὰς μεγάλας *Magnates populi*. 70. Τὰς γωνίας *Angulos*. Alius Τὰς φυλάς. *Tribus*.
8 הבה תמים 8 Δὸς δῆλα. Vertunt *Urim*, & *Thummim* per δήλωσις, καὶ ἀλήθεια, Exod. 28, 30. Alius Interpr. Δὸς δήλωσιν,

prius juramentum protulerat, & qui se Deo honorem adhibere, & religiosum opus peragere putat, filium suum morti addicendo. Actio Jonathæ profecto culpa vacabat; Domini silentium, & sortium eventus, nequaquam probabant, ipsum morte mereri. Si Saul humilior fuisset, atque intellectus acie longius potuisset perspicere, contra se ipsum quidem, non contra Ionatham Deum irritatum esse agnovisset. A

℣. 45. CUM DEO OPERATUS EST HODIE.] Felici nimis eventu Dei consilium opere implevit; res nimis e voto faustissime cessit quam ut arbitremur, Deum nequaquam eum illo fuisse. Septuaginta [1]: *hodie operatus est misericordiam Dei*, misericordiam magnam; ipse satis palam instrumentum fuit, quo Dominus usus est, ut faceret salutem hanc magnam in Israel. B

LIBERAVIT ERGO POPULUS JONATHAM.] Regem deprecatus est, ne Jonathæ nex inferretur, intercessione sua illius vitam servavit. Fieri non debebat, ut Regis juramentum adimpleretur, quippe quod atrocissimum erat, & cum summa injustitia conjunctum [2].

℣. 47. CONFIRMATO REGNO . . . . . PUGNABAT CONTRA MOAB, ALIOSQUE FINITIMOS POPULOS.] Nullas omnium horum bellorum novimus circumstantias, quæ sane diu Saulis exercitum exercuere. Deus quemcumque Principis hujus conatum læto prosequebatur evento, ex quo licet arguere, de personarum meritis haud esse existimandum ex rerum omnium felicitate, qua Deus illis opitulari videtur. C

REGES SOBA.] Regio Soba in Scripturis *Aram-Zoba*, seu Syria bellatrix vocatur; hæc autem ad Terræ Sanctæ Boream erat posita; ac non procul a magna regione Emath [4]. Inter Adarezer Regem Soba, & Regem Emath bellum ardebat; & Reges Rohob, Damasci, & Macha fœdus percusserant cum Rege Soba contra David 2. Reg. 10. 6. 8. Regio Soba erat referta ære, atque inde maximam metalli copiam hausit David victo Adarezer 2. Reg. 8. 8. Scriptura illius regionis civitates memorat, in libris Regum Beth, & Beroth, in 1. Paralipom. 18. 8. vero Tebath, & Cun. Aphec erat in regione eadem 3. Reg. 20. 26. & 4. Reg. 13. 17. Ex quibus omnibus adducor, ut credam, Syriam Soba complexam fuisse alteram Celesyriæ partem; Rohob vero partem alteram. Hæc autem ad meridiem magis vergebat, & propius terram Chanaan, quæ in boreali plaga urbe, & regione Rohob terminabatur [5]: at Aram-Zoba magis versus Emath, vel Emesam protendebatur. Civitas *Cun* in Paralipomenis memorata, eadem profecto est, atque Cunna in Itinerario Antonini, secus viam, qua Damasco Emesam pergitur Heliopolim inter, & Laodiceam in æqua ab utraque distantia, videlicet triginta duo passuum millia procul ab utraque. Aphec erat inter Heliopolim, & Biblon in Libani montibus [6]. Josephus Antiqu. l. 7. c. 5. fœde lapsus est constituens Syriam Soba in Sophene trans Euphratem in Mesopotamia. Cellarius l. 3 c. 12. p. 280. contendit Syriam Soba prope Euphratem fuisse; & Palmyram ea in regione fuisse ædificatam. At ea, quæ hactenus dicta sunt, non sinunt, ut in illius hac de re sententiam abeamus.

℣. 48. PERCUSSIT AMALEC.] Belli hujus historiam sequenti capite videbimus.

℣. 49. FILII SAUL.] *Isboseth* non memoratur, quia plane tunc erat adolescentulus nimis; verum illorum mentio fit solum, qui cum Saule his bellis interfuerant.

JESSUI.] Hic in Paralipomenis cap. 8. ℣. 33. appellatur *Abinadab*.

---

1 כי עם אלהים עשה היום 70. Ὅτι ἔλεος θεοῦ ἐποίησεν ἐν τῇ ἡμέρᾳ ταύτῃ.
2 Grot. hic & lib. 2. cap. 15. art. 6. de jure Belli & Pac. 3 Hebræus ad litteram: *obtinuit Regnum*. 70. *forte obtinuit regnum*. Alius Interpretes, *opus forte habuit*. לכד המלוכה 70. Ἔλαχε τοῦ βασιλεύειν. Alius, Κατεκληρώσατο ἔργον. Alius, Τὸ ἔργον τοῦ βασιλεύειν. 4 1. Paral. 18. 3. *Percussit David etiam Adarezer Regem Soba, regionis Emath.* 5 Vide Numer. 13. 22. Josue 19. 30. & 2. Reg. 10. 6. 8. 6 Zozim. l. 1. c. 58.

CAPUT XV.

Bellum adversus Amalecitas, qui a Saule delentur. Hi vero parcit Regi Agag, & plurima ex præda reservat. Samuel illum inobedientiæ redarguit, illique Dei detegit voluntatem qui illum abjecerat, sibique alium Regem elegerat. Samuel redit in Galgala, ac deinceps ad mortem usque a Saule secedit.

1. ET dixit Samuel ad Saul: Me misit Dominus, ut ungerem te in regem super populum ejus Israel; nunc ergo audi vocem Domini: 2 Hæc dicit Dominus e-
xercituum: Recensui quæcumque fecit Amalec Israeli, quomodo restitit ei in
viam, cum ascenderet de Ægypto. 3 Nunc ergo vade, & percute Amalec, & demo-
lire universa ejus: non parcas ei, & non concupiscas ex rebus ipsius aliquid: sed in-
terfice a viro usque ad mulierem, & parvulum, atque lactentem, bovem, & ovem,
camelum, & asinum. 4 Præcepit itaque Saul populo, & recensuit eos quasi agnos:
ducenta millia peditum, & decem millia virorum Juda. 5 Cumque venisset usque ad
civitatem Amalec, tetendit insidias in torrente. 6 Dixitque Saul Cinæo: Abite, re-
cedite, atque descendite ab Amalec ne forte involvam te cum eo: tu enim fecisti mise-
ricordiam cum omnibus filiis Israel, cum ascenderent de Ægypto. Et recessit Cinæus
de medio Amalec. 7 Percussitque Saul Amalec, ab Hevila, donec venias ad Sur,
quæ est e regione Ægypti. 8 Et apprehendit Agag regem Amalec vivum: omne autem

vulgus interfecit in ore gladii. 9 Et pepercit Saul, & populus, Agag, & optimis gregi-
bus ovium, & armentorum, & vestibus, & arietibus, & universis, quæ pulchra erant,
nec voluerunt disperdere ea: quidquid vero vile fuit, & reprobum, hoc demoliti sunt.
10 Factum est autem verbum Domini ad Samuel, dicens: 11 Pœnitet me, quod con-
stituerim Saul regem: quia dereliquit me, & verba mea opere non implevit. Contri-
statusque est Samuel, & clamavit ad Dominum tota nocte. 12 Cumque de nocte sur-
rexisset Samuel, ut iret ad Saul mane, nuntiatum est Samueli, eo quod venisset Saul in
Carmelum, & erexisset sibi fornicem triumphalem, & reversus transisset, descendisset-
que in Galgala: Venit ergo Samuel, & Saul offerebat holocaustum Domino, de initiis
prædarum, quæ attulerat ex Amalec. 13 Et cum venisset Samuel ad Saul, dixit ei
Saul: Benedictus tu Domino, implevi verbum Domini. 14 Dixitque Samuel: Et quæ
est hæc vox gregum, quæ resonat in auribus meis, & armentorum, quam ego audio?
15 Et ait Saul: De Amalec adduxerunt ea: pepercit enim populus melioribus ovibus,
& armentis, ut immolarentur Domino Deo tuo, reliqua vero occidimus. 16 Ait au-
tem Samuel ad Saul: Sine me, & indicabo tibi, quæ locutus sit Dominus ad me nocte. Di-
xitque ei: Loquere. 17 Et ait Samuel: Nonne cum parvulus esses in oculis tuis, ca-
put in tribubus Israel factus es? unxitque te Dominus regem super Israel, 18 Et mi-
sit te Dominus in viam, & ait: Vade, & interfice peccatores Amalec, & pugnabis con-
tra eos usque ad internecionem eorum. 19 Quare ergo non audisti vocem Domini: sed
versus ad prædam es, & fecisti malum in oculis Domini? 20 Et ait Saul ad Samue-
lem: immo audivi vocem Domini, & ambulavi in via, per quam misit me Dominus, &
adduxi Agag regem Amalec, & Amalec interfeci. 21 Tulit autem de præda populus
oves, & boves primitias eorum, quæ cæsa sunt, ut immolet Domino Deo suo in Galga-
lis. 22 Et ait Samuel: Numquid vult Dominus holocausta, & victimas, & non potius
ut obediatur voci Domini? MELIOR est enim obedientia, quam victimæ: & auscultare
magis quam offerre adipem arietum. 23 Quoniam quasi peccatum ariolandi est, repu-
gnare: & quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere. Pro eo ergo quod abjecisti sermo-
nem Domini, abjecit te Dominus, ne sis rex. 24 Dixitque Saul ad Samuelem: Pecca-
vi, quia prævaricatus sum sermonem Domini, & verba tua, timens populum, & obe-
diens voci eorum. 25 Sed nunc porta, quæso, peccatum meum, & revertere mecum,
ut adorem Dominum. 26 Et ait Samuel ad Saul: Non revertar tecum, quia projecisti
sermonem Domini, & projecit te Dominus, ne sis rex super Israel. 27 Et conversus
est Samuel, ut abiret: Ille autem apprehendit summitatem pallii ejus, quæ & scissa est.
28 Et ait ad eum Samuel: Scidit Dominus regnum Israel a te hodie, & tradidit illud
proximo tuo meliori te. 29 Porro Triumphator in Israel non parcet, & pœnitudine non
flectetur: neque enim homo est, ut agat pœnitentiam. 30 At ille ait: Peccavi: sed
nunc honora me coram senioribus populi mei, & coram Israel, & revertere mecum,
ut adorem Dominum Deum tuum. 31 Reversus ergo Samuel secutus est Saulem: &
adoravit Saul Dominum: 32 Dixitque Samuel: Adducite ad me Agag regem Ama-
lec. Et oblatus est ei Agag pinguissimus, & tremens. Et dixit Agag: Siccine separat ama-
ra mors? 33 Et ait Samuel: Sicut fecit absque liberis mulieres gladius tuus, sic absque
liberis erit mater tua. Et in frusta concidit eum Samuel coram Domino in Galgalis.
34 Abiit autem Samuel in Ramatha: Saul vero ascendit in domum suam in Gabaa. 35
Et non vidit Samuel ultra Saul usque ad diem mortis suæ: verumtamen lugebat Samuel
Saulem, quoniam Dominum pœnitebat, quod constituisset eum regem super Israel.

℣. 1. ME MISIT DOMINUS UT UNGEREM TE.] Mihi præcepit Dominus olim, ut te consecrarem; at modo mittor ad te verbis illius tibi imperaturum, ut deleas Amalec. Samuel revocat Sauli in mentem unctionem suam, & electionem, qua Deus illum super Israel constituerat, ut eum adigat ad obediendum Domino, ac verbis suis credat, qui hæc Dei nomine illi præscribat.

℣. 2. RECENSUI QUÆCUMQUE FECIT AMALEC ISRAELI.] Amalecitæ populi erant Arabiæ Petrææ, qui in finibus Ægypti, ac Palæstinæ incolebant. No- A vimus quidem Amalec e posteris Esau; sed ambigitur, utrum ille pater fuerit populi, qui jam frequentissimus erat, viribusque præpollebat, cum Israelitæ de Ægypto egressi sunt. Amalecitæ, de quibus hic sermo, ab alio Amalec vetustiori plane deduxerunt originem. Dominus isthic humano more loquitur, cum ait *se recensuisse* [1], in mentem revocasse, ad calculos redegisse rationem crudelissimam, qua Amalecitæ adversus Israelitas sævierant, illis bellum inferentes cum de Ægypto egrederentur fessi, & fatigati [2], atque sævissime in eos impetum facientes, qui retro permanserant, cum reliqui exercitus agmen

1 פקדתי את אשר עשה עמלק 2 Vide Exod. 17. 14. & Deuter. 25. 17.

men sequi non possent. Eorum excidii senteotiam in illos ab eo usque die fuerat inflicta; veruntamen Deus ad Saulis tempus reservarat illius sententiæ effectum; videlicet post annos quadringentos. Lento gradu ad vindictam Dei procedit ira, sed tarditatem supplici gravitate compensat.

QUOMODO RESTITIT.] Hebræus [1]: *quod ille posuit iu via, cum exiret de Ægypto*, velut hostis, qui milites collocat in insidiis [2]. Septuaginta [3]: *quomodo occurrit illi, cum de Ægypto egrederetur*. Illos aggressus est, sed potius per proditionem in ipsos impetum fecit; neque aperte cum ipsis congressus est, verum eus, qui retro remanserat, percussit.

℣. 3. DEMOLIRE UNIVERSA EJUS.] Hebræus [4]: *Subjicies anathemati universa ejus*. Septuaginta [5]: *delebis illum, ac universa illius*. Patet, subjicere urbem, regionem, nationem anathemati, idem esse ac eam diruere, penitusque delere, demoliri, depopulari, igne, ferroque vastare, ni tamen prætmierit Deus, vel exceperit aliquid. Deus lactentes pueros atque animantia eidem addicit supplicio. Israelitæ exequi debebant illius mandata ad litteram, quin ea ad examen vocarent, vel misericordia flecterentur; Deus illis obedientiæ meritum tantummodo relinquebat. Supremus vitæ, bonorumque cujuscumque Dominus ita imperabat, nihilque in ipsius imperio aderat, nisi justissimum.

NON CONCUPISCAS EX REBUS IPSIUS ALIQUID.] Hæc in Hebraico textu non leguntur, neque in Septuaginta; atque in veteribus Manuscriptis Latinis asterisco nutantur.

℣. 4. RECENSUIT EOS QUASI AGNOS.] Hebræi sæpius exercitus suos arietum gregibus comparant. Nomen idem *Zabaoo*, quod exercitus significat, enpratum quoque armenta designat; nihil in Scriptura vulgatius est, quam Israelis populum gregi conferre, cujus Pastor est Deus [6]. Sed plerique Recentiorum Interpretum Hebraicum textum in alio explicant sensu [7]: *Recensuit eos in Telaim* quod loci nomen esse dicitur, idem fortasse ac *Telem*, de quo sermo est in Josue 15. 24. Septuaginta [8]: *Recensuit eos in Galgalis*. Re quidem vera, si locus eligendus erat, ubi hæc fieret recensio, in Galgalis potius, quam alibi id fieri decebat. Quoad Saul regnavit, in Galgalis semper habiti sunt populi conventus, atque illuc quoque omnes convenerunt hoc bello perfecto. Syriaca versio legit *Telia*, & Arabica *Taruilla*, at Chaldæus significationem *Telaim* servavit, quæ vox procul dubio agnos significat; verum arbitratus est, (quin Hebræi viritim recenserentur, quod juxta Rabbinos erat nefas) recensionem factam fuisse agnorum, quos vel attulerant, vel Paschatis die obtulerant; non secus ac ferme diu post, Sacerdotes Templi numerum inierunt eorum, qui Jerusalem ad festivitatem eamdem celebrandam convenerant, ex victimarum numero, quæ oblatæ fuerunt. Sensum hunc Hebræi ac Interpretes quidam sequuntur [9]: quæ universa explicatio falso laborat principio. David cum populi sui censum instituere voluisset [10], ea de causa mulctatus fuit, eo quod jactantia, atque superbia ad id peragendum fuerat adactus, quam Deus sane probare non poterat. At quis audiit umquam Dominum succensuisse Imperatori cuipiam, eo quod copiarum suarum recensionem inierit? Præstat igitur in Hebraico textu legere *Keselaim* cum Sancto *Hieronymo*, pro qua voce hodie legimus *Betlaim*.

DUCENTA MILLIA PEDITUM.] Septuaginta Romanæ editionis [11]: *Quadringentos mille ordines*, vel *quadringentos mille manipulos*, vel cœtus. In Manuscripto Alexandrino habemus decem mille. Aldina Editio, & Complutensis; Ducentos mille ordines, vel Manipulos. Josephus quadringenta virorum millia, tribu Juda non recensita.

℣. 5. AD CIVITATEM AMALEC.] Nullam agnovimus in Arabia Civitatem Amalec nuncupatam; atque fidei pronius est Sacrum Authorem noluisse istic nobis proprium præcipue Amalecitarum urbis nomen tribuere. Fortassis etiam urbs hæc stata non erat: Amalecitæ populi vagi erant, quibus nulla certa sedes. Urbs caput sola forte erat regionis illius civitas; quæ nunc isthic, illic mox aderat; prout enim Rex mansionem immutabat, tabernacula transferebantur, quæ deambulatoriam hanc urbem constituebant. Nunc in Æthiopia nulla esse urbs perhibetur [12]; locus, ubi Rex castra locat, regionis caput est; atque hæc castra in hunc modo, modo in alium locum transferuntur.

TETENDIT INSIDIAS IN TORRENTE;] vel si lubet, in valle; eadem quippe Hebraica vox [13] utrumque significat. Saul igitur noctu cum exercitu suo prope urbem consedit, in exsiccati torrentis ripa, atque stratagematis ope arce potitus est. Nobis haud licet, quo pacto istud assecutus fuerit, divinare; hoc enim Scriptura silentio involvit.

℣. 6. DIXIT SAUL CINÆO: ABITE.] Cinæi plurima benevolentiæ erga Israelitas ediderant signa. Jetro socer Moysis Cinæus erat; Jobab filius illius dux fuit populo in deserti itineribus. Cinæis posteris Jetro hæreditas assignata fuit in Palæstina prope urbem Arad [14]: at locorum propinquitas Cinæos cum Amalecitis commiscuit. Saul admonuit Cinæos, secreto scilicet, ut ab Amalecitis secederent, quos ipse deleturus erat.

℣. 7. AB HEVILA, DONEC VENIAS AD SUR.] Vide quæ dicta fuerint in Genesi cap. 25. 18. & Exod. 15. 22.

℣. 9. ET VESTIBUS.] Hebraica vox ab Interpretibus passim redditur [15]: *animantia opima* [16]: S. Hieronymus de mutatoriis, seu binis vestibus explicavit. Alii de bobus bimis intelligunt [17], vel generatim speciosissimos, & pinguissimos boves [18]; *Secundarios*. Septuaginta [19]: *esculenta*.

℣. 11. POENITET ME, QUOD CONSTITUERIM SAUL.] Deus neque malum patrare, neque prava potest inire consilia, quorum ipsum pœniteat. Neque sententiam mutare potest, nec de malo ad bonum transire; illius cognitio neque augetur, neque imminuitur; homo cum omni libertate sua, Dei decreta nequit invertere, neque aliquid novum efficere, quod Deus non praeviderit. Itaque pœnitentia illi numquam convenire potest: verum accidit sæpe, ut Deus ab illis abscedat, quos sua gratia, & electione prævenerat, & quibus magnifica quæque spoponderat; eo quod ipsi se indignos per scelera sua divino præbuerint auxilio, atque primum gradum fecerint, ut Deum derelinquerent. Mutatio vitæ illorum efficit, ut extrinsecùs mutetur Deus; quod passim in Scripturis pœnitentiæ nomine refertur. Vide Justinum Matt. ad Græc. p. 22. 23.

CONTRISTATUS EST SAMUEL.] Hebræus [20]: *Samuel irritatus fuit*: Ad litteram: facies illius, vel illius nares *inflammatæ fuerunt*. Chaldæus: *Res dura fuit*

1 חשר שם לו בדרך בעלותו ממצרים 2 Ire Chaldæus. 3 Ὡς ὑπήντησεν αὐτῷ ἐν τῇ ὁδῷ ἀναβαίνοντι ἐξ Αἰγύπτου. 4 והחרמתם את כל אשר לו 5 Ἐξολοθρεύσεις αὐτόν, καὶ πάντα τὰ αὐτοῦ.
6 Psal. 77. 52. Isai. 40. 11. Jerem. 13. 17. Ezech. 34. 2. & alibi passim. 7 ויפקדם בטלאים
8 Ἐπεσκέψατο αὐτοὺς ἐν Γαλγάλοις. Alius, Ἐν ἅρματι. In Curribus. 9 Vide Munst. Drus. Vet. Boch. de animal. sacr. par. 1. l. 2. c. 43. 10 2. Reg. 24. 10. 11. 12. 11 Τετρακοσίας χιλιάδας ταγμάτων; καὶ τὸν Ἰούδαν τριάκοντα χιλιάδας ταγμάτων. Τάγμα aliquando in Septuaginta vexillum significat. Num. 2. 17. & 3. 10. 18. 25.
12 Vide Relationes Missionar. Æthiop. 13 וירב בנחל 14 Vide Num. 24. 21. & Judic. 1. 16.
15 המשנים quasi השמנים 16 Ire Jonath. Pagnin. Montan. Syr. Vatabl. 17 Malvenda.
18 Junius. 19 Ἐδέσματα.
20 ויחר לשמואל 70. Ἠθύμησε Σαμουήλ.

Samueli; illi dolorem attulit, & molestiam.

℣. 12. QUOD VENISSET SAUL IN CARMELUM, & EREXISSET SIBI FORNICEM TRIUMPHALEM.] Ex hoc loco satis liquet, quod honores mutant mores, ac summam dignitatem imperii peoitiora hominis præcordia detegere [1]. Saul supra adeo humilis, ac tenuis in oculis suis, ad victoriæ splendorem, quam de manu Dei obtinuit, adeo hallucinatur, ut jactantiæ suæ insigne triumphi erigat monumentum. Hebraicus textus, & Septuaginta hæc habent [2]: *Saul venit in Carmelum, & ecce ibi sibi manum erexit*, vel monumentum. *Manus* quoque monumentum vocatur, quod sibi extruendum curavit Absalon in valle Regis prope Ierusalem [3]. Alii reddunt: *fecit sibi spatium*; locum patentem sibi elegit, ut ibi militibus suis manubias hostium divideret, inquit Ionathan [4]. B *Manum* Hebraice *extensionem* significare satis liquet; exempli gratia Psal. 103. 25. *Hoc mare magnum, & spatiosum manibus*. Denique verti potest: *Ipse fuit in Carmelo, & ibi præsidium ædificavit pro ea terræ tractu*, vel pro ea terræ extensione. Carmelus, de quo hic sermo non est percelebris ille mons nominis ejusdem, qui ad oras Mediterranei maris assurgit. Hic erat in meridionali plaga tribus Iuda, satis prope fines Edom; isthic Nabal vir Abigail suos greges habebat 1. Reg. 25. 2.

℣. 15. PEPERCIT POPULUS MELIORIBUS OVIBUS, ... UT IMMOLARENTUR DOMINO.] Saul facti crimen in populum conatur rejicere; perinde ac istud ipso invito peractum fuisset. Idem etiam magis explicite adhuc repetit ℣. 21. & 24. ac demum fateor C facti evidentia coactus, se peccasse, eo quod exercitui suo nimis velificari studuisset; *Timens populum, & obediens voci eorum*. Perinde ac Princeps, & populi Capita nequaquam reddere rationem tenerentur de sceleribus populi, quæ & potuerunt, & debuerunt præpedire. Quæ enim Regi potest esse excusatio, asserere ipsum populi voluntate adductum fuisse, ut Dei explicita mandata perfringeret?

℣. 18. INTERFICE PECCATORES AMALEC.] Hebraice [5]: *subjice anathemati*, extermina *hos peccatores, hunc Amalec*. Septuaginta [6]: *Extermina Amalec, qui peccavit contra me*.

℣. 20. IMMO AUDIVI VOCEM DOMINI.] Septuaginta legerunt; *audivi vocem populi*.

℣. 21. TULIT POPULUS PRIMITIAS EORUM, QUÆ D CÆSA SUNT.] Hebraice [7]: *primitias anathematis*; meliorem, potioremque partem eorum, quæ erant cædenda.

℣. 22. NUMQUID VULT DOMINUS HOLOCAUSTA,] cum ipsi obediendum est, aliudque a nobis fieri jubet? Oblationes, & sacrificia optima quidem sunt, eo quod sobmissionem nostram, atque observantiam erga Deum testantur; verum obedieotia, quæ Domino debetur, est juris naturalis, quod legibus & sacrificiis quibuscumque præstat.

℣. 23. QUASI PECCATUM ARIOLANDI EST, REPUGNARE; & QUASI SCELUS IDOLOLATRIÆ NOLLE ACQUIESCERE.] Hebraicus textus ad litteram [8]: *Rebellio*, pervicacia, inobedientia *peccatum est divinationis*, seu magiæ; *& resistentia*, vel oppositio, E *sunt vanitates, & Teraphim*. Symmachus reddit [9]: *Irritare Deum est peccatum; & illi non obedire, est injustitia idolorum*. Magiam, Idolulatriam, atque impium, & superstitiosum Teraphim cultum præ cæteris horret, atque abominatur Deus: nihilominus tua inobedientia, tuaque oppositio Domini præceptis sunt adhuc iniquiores. Hebraica vox *Kesem* generatim pro quolibet magiæ genere sumitur, divinatio- A nis, & sortilegiorum. *Vanitas* Idololatriam significat, inanem fallacemque rei creatæ cultum. *Teraphim* sunt Idola, vel magicæ, ac superstitiosæ imagines, de quibus jam locuti sumus in Genesi 31. 19.

Credimus autem, fuisse Teraphim Idolorum genus ex origine Chaldæa. Teraphim Laban Genes. 31. 30. uti quoque Nabuchodonosor Ezech. 21. 21. nomen *Teraphim*, quod fluere potest ex eadem origine, ac Seraphim Hebraice, & quod ardentes significat, ignem, & solem, quem Persæ venerabantur; hæc omnia conjecturæ nostræ possunt opitulari. Oracula tribuuntur Teraphim [10], sed quæ illorum esset figura, ignoratur. Maimonides in More Neboch par. 3. cap. 29. ait Zabios habuisse quasdam aureas imagines, quæ Solem referebant, alias vero argenteas, B quæ Lunam; has in ædiculis quibusdam constituebant, illisque futura divinandi per arcanam Astrorum influentiam tribuebant. Rabbinorum plerique confundunt Teraphim cum Talismanis & syderum imaginibus. Interpres Persa pro Teraphim reddidit astrolabium; & Raboinus Moses Nachman ait, has horologiorum fuisse species, quæ horas ostendebant, & quod futurum erat, detegebant. Ludovicus de Dieu hos Penates Deos fuisse arbitratus est, qui colebantur, ut per eos familiæ bona servarentur, atque augerentur. Deducit enim Teraphim a *Taraph*, quæ vox apud Arabes, atque Æthiopes copiosum reddere significat. Rachel Teraphim patris sui Laban furata est spe adacta cum illis omnem domus felicitatem secum auferendi, qua re fortasse ea cura perstitit Laban, ut C abeuntes persequeretur. Pererius in Genes. 31. 19. Bonfrerius, Rivetus in Oseam 3. aliique plurimi putant nomen Teraphim sæpius idolis tribui, vel imaginibus generatim; quod quidem fidei pronius mihi videtur.

℣. 25. PORTA PECCATUM MEUM.] Alii vertunt [11]; *Aufer peccatum meum*. Deum deprecare, ut illud deleat, mihique parcat. Mihi sceleris hujus veniam impetra, vel tu ipse parce mihi, illud dissimula, neque ullam ipsius rationem habe, dum mecum extrinsecus operatis.

REVERTERE MECUM.] Vel potius: *veni mecum*. Nam Samuel nondum fuerat in Galgalis; sed illuc Saul revertebatur; itaque hoc innuebat, revertamur simul in Galgala.

D UT ADOREM DOMINUM.] Illique coram te offeram sacrificia; omnisque exercitus videat, te a me nullis esse simultate disjunctum. *Adorare* hic, æque ac ℣. 31. sacrificare significat.

℣. 29. PORRO TRIUMPHATOR IN ISRAEL NON PARCET.] Deus Omnipotens, victoriarum Dominus tibi ob hoc scelus non parcet; non enim sicut homines est, ut mentem mutare queat, & affici possit pœnitentia. Vel hæc referendo ad Saulem: Gloriosus princeps, ac triumphator, quemadmodum es tu, qui sibi triomphales arcus extruit, palinodiam non canet, neque se pœnitebit; non enim est sicuti cæteri homines, ut crimen suum confiteri velit, ac veniam deposcere. Saul ironica hac percitus subsannatione, respondet: *Peccavi, sed nunc honora me coram senioribus populi*. En porro Hebraicus textus [12] *Et victor in Israel non mentietur* (vel non revocabit verba sua, fidei suæ non deerit, consilium non mutabit) *neque se pænitebit, non enim est homo, ut se pæniteat*. Septuaginta longe aliter vertunt [13]: *Et Israel bifariam separabitur, & Sanctus Israel non revertetur, neque se pænitebit; non enim est homo, ut se pæniteat*. Postrema hæc denuntiatio reprobationis Saulis fuit effectiva, neque amplius veniam admisit. Samuelis

---

1 Α'ρχὴ ἄνδρα δείκνυσι. Pittacus apud Laert.
2 בא שאול הכרמלה והנה מציב לו יד
3 2. Reg. 18. 18. *Absalom erexerat sibi cum adhuc viveret, titulum, qui est in valle Regis*. Hebr. *Manum*,
4 Ita & Kimchi in Munst. Vatab.
5 והחרמת את החטאים את עמלק
6 Ἐξολόθρευσον τὸν Ἀμαλὴκ, τὰς ἁμαρτάνοντας εἰς ἐμέ.
7 ראשית החרם
8 כי חטאת קסם מרי ואון ותרפים הפצר
9 Ἁμαρτία τοῦ μαντεύεσθαι τὸ παραπικραίνειν, ἡ δὲ ἀνομία τῶν εἰδώλων τὸ ἀπειθεῖν;
10 Judic. 17. 5. & 18. 5. & Zach. 10. 2.
11 שא נא את חטאתי
12 וגם נצח ישראל לא ישקר ולא ינחם כי לא אדם הוא להנחם
13 Καὶ διαιρεθήσεται Ἰσραὴλ εἰς δύο, καὶ οὐκ ἀποστρέψει οὐδὲ μετανοήσει ὁ ἅγιος τοῦ Ἰσραὴλ, ὅτι οὐχ ὡς ἄνθρωπός ἐστι τοῦ μετανοῆσαι. Alius, Καὶ διαιρεθήσεται, καὶ οὐκ ἐπιστρέψει, οὐδὲ μετανοήσει ὁ ἅγιος τοῦ Ἰσραήλ. *Sanctus Israel separabitur, nec revertetur, neque se pænitebit*.

moelis lacrymæ exorare non potuerunt, ut eum Domino Rex ille miser in gratiam reverteretur.

℣. 32. AGAG PINGUISSIMUS, ET TREMENS.] Hebraicus textus reddi potest [1]; *Agag in delitiis*. Ad litteram: *Agag delitiarum*, Agag mollis, ac inter delitias versatus. Aliter, *Agag in vinculis* [2]. Textus non ait ipsum contremuisse; & Interpretes quidam immo contendunt, se se obtulisse cum Regio ornatu, audaci, hilarique facie [3]. Septuaginta simpliciter [4]; *Agag tremens*.

SICCINE SEPARAT AMARA MORS?] Homini, qui voluptatibus deditus est, ac in iis vivens versatur, nihil majorem vel tristitiam, vel terrorem potest inferre, quam mors, veluti eorum omnium finis propter quæ vitam diligimus [5]. *O mors, quam amara est memoria tua, homini pacem habenti in substantiis* B *suis: Viro quieto, & cujus viæ directæ sunt in omnibus* [6]. Hebraice [7]: *Vere amaritudo partis abscessit*; perinde ac Agag irridenda jactantia diceret, mortem nec amaram ipsi, nec terribilem fore: vel potius sperans, futurum ut ipsi parceret Samuel, si nullo mortis metu affici diceret. Quidam vertunt: *Amaritudo mortis effusa est super me*. Septuaginta [8]; *Siccine est, o mors amara!* Chaldæus: *Te oro, Domine mi, quænam est mortis amaritudo?*

℣. 33. IN FRUSTA CONCIDIT EUM SAMUEL [9].] A Zelus, quo hic Propheta effervescebat, illi hac in re gladium ministrat, ut Domini gloriam ulciscatur, ac ruborem injiciat Sauli, qui intempestiva miseratione ductus pepercerat Agag. Creditur Spiritus Sancti impetu abreptus, Levitarum zelum fuisse imitatus, qui de aurei vituli cultoribus ultionem sumserant Exod. 32. 27. nec non Phinees zelum, qui Zambri interfecerat Num. 25. 8. Mors Agag explicite quadringentos ante id tempus annos prædixerat divinator Balaam, qui hoc pacto Regem Moab allocutus est Num. 24. 7. *Tolletur propter Agag Rex ejus, & auferetur regnum illius*.

℣. 35. NON VIDIT SAMUEL ULTRA SAUL.] Nulla fuit amplius cum ipso necessitudine conjunctus; nulla ei palam præstitit amoris, ac observantiæ offi- B cia. Intrinsecus quidem ea flagrabat charitate, qua proximum suum prosequi tenebatur, illum omnibus diebus vitæ suæ est collacrymatus; verum nullam cum ipso iniit amplius consuetudinem. Videbimus infra ad cap. 19. 29. Saulem perrexisse in Najoth Ramatha, ubi erat Samuel cum aliis Prophetis; potuit quidem Rex Samuelem adspicere; verum hoc minimum obest iis, quæ isthic leguntur. Samuel, & Saul non occurrerunt sibi veluti amici, ac mutua benevolentia affecti, quemadmodum ante bellum adversus Amalecitas.

---

1 אגג מערנות. Aq. Ἀγὰγ ἁπὸ τρυφερῶν. Sym. Ἀγὰγ ἁβρός. 2 Ita Kimchi & Cajet. Vide Job. 38. 31.
3 Vide Varab. Munst. 4 Ἀγὰγ τρέμων. 5 Arist. Ethic. ad Nicomac. l. 3. cap. 6.
6 Eccli. 41. 1. 2. 7 אכן סר מר המות. 8 Εἰ οὕτω πικρὸς ὁ θάνατος.
9 וישסף. 70. Ἔσφαξε, eum jugulavit. Aq. Sym. Διέτεμε, in frusta concidit. Th. Ἐστρέψε, torsit.

CAPUT XVI.

Samuel a Deo missus in Bethlehem, ut David Regem inungat. Saul maligni spiritus impetus agitatus accersit David, ut prope illum musica pulsans instrumenta, eum recreet.

1. Dixitque Dominus ad Samuelem: Usquequo tu luges Saul, cum ego projecetim eum, ne regnet super Israel? Imple cornu tuum oleo, & veni, ut mittam te ad Isai Bethlehemitem: providi enim in filiis ejus mihi regem. 2 Et
ait Samuel: Quomodo vadam? audiet enim Saul, & interficiet me. Et ait Dominus:
Vitulum de armento tolles in manu tua, & dices: Ad immolandum Domino veni. 3
Et vocabis Isai ad victimam, & ego ostendam tibi, quid facias, & unges, quemcumque
monstravero tibi. 4 Fecit ergo Samuel, sicut locutus est ei Dominus. Venitque in
Bethlehem; & admirati sunt seniores civitatis, occurrentes ei, dixeruntque: Pacificusne est ingressus tuus? 5 Et ait: Pacificus: ad immolandum Domino veni, sanctificamini, & venite mecum, ut immolem. Sanctificavit ergo Isai, & filios ejus, & vocavit eos ad sacrificium. 6 Cumque ingressi essent, vidit Eliab, & ait: Num coram
Domino est christus ejus? 7 Et dixit Dominus ad Samuelem: Ne respicias vultum ejus, neque altitudinem staturæ ejus: quoniam abjeci eum, nec juxta intuitum hominis
ego judico: homo enim videt ea, quæ parent, Dominus autem intuetur cor. 8 Et
vocavit Isai Abinadab, & adduxit eum coram Samuele. Qui dixit: Nec hunc elegit
Dominus. 9 Adduxit autem Isai Samma, de quo ait: Etiam hunc non elegit Dominus. 10 Adduxit itaque Isai septem filios suos coram Samuele: & ait Samuel ad Isai:
Non elegit Dominus ex istis. 11 Dixitque Samuel ad Isai: Numquid jam completi
sunt filii? qui respondit: Adhuc reliquus est parvulus, & pascit oves. Et ait Samuel
ad Isai: Mitte, & adduc eum: nec enim discumbemus prius, quam huc ille veniat.
12 Misit ergo, & adduxit eum. Erat autem rufus, & pulcher aspectu, decoraque facie.
Et ait Dominus: Surge, unge eum, ipse est enim. 13 Tulit ergo Samuel cornu olei,
& un-

& unxit eum in medio fratrum ejus ; & directus est Spiritus Domini a die illa in David,
& deinceps : Surgensque Samuel abiit in Ramatha. 14 Spiritus autem Domini reces-
sit a Saul, & exagitabat eum spiritus nequam, a Domino. 15 Dixeruntque servi Saul
ad eum : Ecce spiritus Dei malus exagitat te. 16 Jubeat Dominus noster, & servi
tui, qui coram te sunt, quærent hominem scientem psallere cithara, ut quando arripue-
rit te spiritus Domini malus, psallat manu sua, & levius feras. 17 Et ait Saul ad ser-
vos suos : Provideте ergo mihi aliquem bene psallentem, & adducite eum ad me. 18
Et respondens unus de pueris, ait ; Ecce vidi filium Isai Bethlehemitem scientem psal-
lere, & fortissimum robore, & virum bellicosum, & prudentem in verbis, & virum pul-
chrum : & Dominus est cum eo. 19 Misit ergo Saul nuntios ad Isai, dicens : Mitte
ad me David filium tuum, qui est in pascuis. 20 Tulit itaque Isai asinum plenum pa-
nibus, & lagenam vini, & hœdum de capris unum, & misit per manum David filii sui
Sauli. 21 Et venit David ad Saul, & stetit coram eo : at ille dilexit eum nimis, & fa-
ctus est ejus armiger. 22 Misitque Saul ad Isai dicens : Stet David in conspectu meo:
invenit enim gratiam in oculis meis. 23 Igitur quandocumque spiritus Domini malus
arripiebat Saul, David tollebat citharam, & percutiebat manu sua, & refocillabatur Sa-
ul, & levius habebat. Recedebat enim ab eo spiritus malus.

℣. 1. USQUEQUO TU LUGES SAUL ?] Samuel constanti flagrans charitate erga Saulem, non desistit illius excidium lacrymis prosequi, ac a Deo peccati ipsius veniam deprecari, donec Deus illi significat palam, preces illius in inane ferri, & consilium transferendi regnum in manus alterius non simplices esse minas, sed decretum certum, ac immutabile. Immo, ne illi supersit amplius dubitandi locus, ipsum mittit in Bethlehem, ut Saulis successorem inungat.

IMPLE CORNU TUUM.] Veteres olim passim cornibus utebantur, seu ut simpliciter ibi liquores asservarentur, seu ut ex ipsis ad bibendum pocula fierent. Oleum Sacrum Tabernaculi in cornu detinebatur 3. Reg. 1. 39. *Sumpsit Sadoc Sacerdos cornu olei de Tabernaculo, & unxit Salomonem*. Galenus l. 1. B de Compos. medicam. 2. specul. refert, Romæ oleum, vinum, mel, acetumque corneis vasibus pellucidis metiri consuevisse, quæ duas, vel tres libras capiebant. Horatius sane id perspicue asserit Serm. lib. 2. Satyr. 2.

. . . . Cornu ipse bilibri
Caulibus instillat, veteris non parcus aceti.

Pocula vel e cornu erant, vel e metallo in cornu formam elaborato. Julius Cæsar. de Bel. Gal. lib. 6. ait, populos, qui Hercinium saltum incolebant, habuisse crateres ex Uri cornibus confectos, quorum oras argenteis laminis circumornabant, quibusque in officiosis maxime conviviis uti consueverant. *Hæc* (cornua) *studiose conquisita a labris argento circumcludunt, atque in amplissimis epulis pro poculis utuntur*. C Plinius [1] idem generatim refert de Barbaris, qui borealem plagam incolebant, ac addit duo Uri cornua duas usque urnas capere. Consuetudo hæc diutius ea in regione invaluit ; nam Bartholinus asserit in Dania e cornu calices quoque, non secus ac alia ad potandum vascula fieri consuevisse. Xenophon Anabas. Cyr. Jun. l. 6. & 7. idem viguisse ait apud Thracas Asiaticos, Europæosque, nec non apud Paphlagonas. Prior Bacchi crater e cornu fuisse perhibetur [2]. Poetæ veteres, Pindarus, Æschylus, Sophocles. Hermippus nobis Heroas exhibent corneis poculis bibentes. Philippus Rex cum amicis suis munera elargiretur, in id genus poculis propinabat. Pæoniæ Reges tauros alere oblectabantur, quorum cornua adeo erant ingentia, ut alterum dumtaxat, A tres, quatuorve congios caperet ; hæc vero argenteis exornabant labiis, illisque ad bibendum utebantur. Veteres Atticorum cyathi argentei cornuum speciem referebant. Athenæus l. 11. c. 7. hæc omnia plurimorum, quos affert, Authorum testimonio confirmat. Ad hanc quoque diem [3] in Georgia cornibus passim utuntur pro poculis. Hæc autem diversæ magnitudinis sunt ; plerumque vero octo unciarum altitudine præstant, duabus vero unciis in parte superiori patent, admodum nigra, & lævia. Ea vero vulgo boum, vel arietum sunt cornua ; verum & rhinocerontis, aliarumque ferarum cornua non desunt. Porro argento, vel auro exornantur, ac nonnunquam lapidibus pretiosis locupletantur ; ita ut nulla difficultas obsit, quominus ad litteram accipias, quod B isthic dicitur de cornu pleno olei, quod secum attulit Samuel in Bethlehem, ut David consecraret.

℣. 2. VITULUM DE ARMENTO TOLLES IN MANU TUA.] Juxta hebraici textus litteram [4] : *Vitulam de bobus tolles in manu tua*. Duces tecum victimam tuam, velut qui sacrificaturus aliquo pergit. Hostiæ pacificæ ex utroque sexu esse poterant [5]. Samuel adfert vitulam.

AD IMMOLANDUM DOMINO VENI.] Exprimit quidem unam ex rationibus, propter quas venerat in Bethlehem ; at præcipuam dissimulat. Samuel in Bethlehem sacris operatur, quamquam neque Arca, neque Tabernaculum ibi aderat ; verum hoc eo tempore fas esse ducebatur, alioquin Samuel Dei mandatis obtemperabat, qui super quascumque rituales leges est constitutus. Prophetæ ipsi jus habebant sacra C faciendi, ubicumque adessent, inquiunt Hebræi, ac a legibus ritualibus poterant dispensare. *Auctoritas Prophetæ facit, ut sacrificium ubicumque is adest, & imperat, rite fiat. Subsunt enim Prophetæ imperio leges rituales fatentibus Hebræis*. Grotius hic.

℣. 3. VOCABIS ISAI AD VICTIMAM.] In pacificis sacrificiis potior victimarum pars inter amicos manducabatur ; sed carnes die eadem, vel postera erant absumendæ, quodque in diem tertiam reliquum erat, igne comburebatur, Levit. 7. 16. 17. 18.

℣. 4. ADMIRATI SUNT.] Quod hoc pacto venisset, nescientes adventus ipsius causam, Hebræus [6] : *turbati fuerunt*, perterriti ; tremebundi ante ipsum convenere, veriti, ne ob aliquod infortunium apud ipsos coactus fuisset se recipere, vel triste aliquod nun-

1 Plin. l. 11. c. 37. *Urorum cornibus Barbari septentrionales potant, urnasque binas capitis unius cornua implent*. 2 Nonnus Dionys. 12. 3 Chardin. Voyage de Perse p. 238. 4 עגלת בקר תקח בידך. 70. Δάμαλιν βοῶν λήψῃ ἐν τῇ χειρί σου. 5 Levit. 3. 1. *Quod si hostia pacificorum fuerit ejus oblatio, & de bobus voluerit offerre, marem, sive fœminam, immaculata offeret*. 6 ויחרדו. 70. Καὶ ἐξέστησαν.

nuntium adferret : Post Saulis regnum raro palam prodibat.

℣. 5. SANCTIFICAMINI, ET VENITE MECUM.] Si quis vestrum pollutus est, se se abluat, vestimenta mutet, ac puritatem servet, ut particeps esse queat sacrificii, quod sum oblaturus. Scriptura addit, *Samuelem sanctificasse illos*, videlicet, præcepisse illis, ut se sanctificarent [1]; vel eos, qui polluti erant, quibusdam aspersionibus expiasse. Nonnulli putant [2], Prophetam illuc sub vesperam pervenisse, & crastina die solum obtulisse sacrificium; ita purificatio, quam ille petebat, noctem præcipue spectabat. Quisque se mundum contineat hac nocte. Verbum sanctificare sæpe significat simpliciter præparare, disponere; corporis puritas, & continentia [3] erant consuetæ omnium populorum præparationes, ut ad res sanctas accederent.

℣. 6. NUM CORAM DOMINO EST CHRISTUS EJUS?] Hebræus [4]: *profecto unctus Domini est coram ipso*. Samuel adolescentis hujus meritum æstimans ex corporis habitu, statim hæc secum; hic plane ille est, quem Deus ad Regnum elegit. Propheta tunc loquebatur, vel cogitabat juxta propriam mentem suam; non enim actu Spiritu Divino erat afflatus. Dialogus hic, ac in sequenti versiculo relatus, secreto habitus est inter Isai, & Samuelem.

℣. 10. ADDUXIT ISAI SEPTEM FILIOS SUOS CORAM SAMUELE.] David non erat ex numero septem horum filiorum; Isai ergo octo solum filios genuerat, uti explicite sequenti capite ℣. 12. refertur. Nihilominus septem solum, David quoque recensito, enumerantur 1. Paral. 2. 13. 14. Itaque fatendum est, vel Isai coram Propheta aliquem ex nepotibus suis adduxisse, vel aliquem e fratribus David omissum fuisse in recensione Paralipomenon.

℣. 11. ADHUC RELICTUS EST PARVULUS.] Vel superest adhuc minimus natu. David tunc quindecim circiter annos natus erat; atque omnium fratrum suorum minimus.

℣. 12. ERAT RUFUS, ET PULCHER ADSPECTU.] Intelligi potest de colore vivido, ardenti, purpureo, ignito; vel etiam de rubris crinibus, & flavis. Hebræus [5]: *Ruber erat cum pulchritudine oculorum*. Dicitur Alexander Magnus flavam habuisse comam, atque in cincinnorum annulos intortam [6]. Bochartus contendit David fuisse rufum [7]. Canticorum sponsa ait, dilectum suum esse *Candidum, & rubicundum*, vel *candidum, & rubrum* [8], quemadmodum hic David.

℣. 13. UNXIT EUM IN MEDIO FRATRUM EJUS.] Coram universa familia, ac illis omnibus, quos ad cæremoniam hanc, atque ad sacrificium, quod præceperat, invitarat. Hoc autem sane factum est, postquam diligenter præcavit, ut omnes creditam rem summa silentii fide servarent, quod hac in re maxime requirebatur; in summas enim calamitates vocata fuisset Isai familia, si rei hujus Saul certior factus fuisset. Cum unctio hæc esset solemnis actus, ac sola ratio, propter quam David Regnum sibi vindicare poterat, necesse erat, ut coram testibus fieret; neque alii eligi poterant, quorum magis interesset, secreti fidem servare, ac illi opem ferre, cum ageretur de regno ipsius, quam consanguinei sui, atque concives. Cæterum unctio, quam David nunc excipit, tribuit illi quidem jus, non autem possessionem regni Israel; hoc jus, quasi intermortuum, & sine ulla actione manere debebat usque ad Saulis obitum: David hac in re erat velut filius, qui bona patris sui, velut hæreditatem suam intuetur, non autem veluti rem, qua ipse frui possit, & uti.

Non desunt, qui autument hæc verba: *Unxit eum in medio fratrum ejus*; hoc pacto esse intelligenda: Elegit eum de medio fratrum ejus, ut clam eum consecraret, ac solum coram patre illius; vel si inunctus fuit coram fratribus suis, illis haud detectum fuisse unctionis hujus mysterium [9], neque David a Deo electum fuisse, ut regnaret. Josephus Antiqu. l. 6. c. 9. ait, Samuelem hoc dixisse solum Isai, atque secreto in aurem. Liquet sane ex iis, quæ consequuntur, David nullam in familia sua obtinuisse præ aliis honoris speciem, neque fratres suos cum ipso egisse, veluti cum viro, qui Rex esset designatus. Nonnulli ajunt etiam, nec David ipsum intellexisse, quid sibi vellet unctio, qua delibutus fuerat, neque tunc cognovisse, quod Rex esse deberet.

DIRECTUS EST SPIRITUS DOMINI IN DAVID.] Verti potest hebraicus textus [10]: *Spiritus Domini venit cum prosperitate*, vel cum abundantia *super David*, Vel venit cum impetu [11], aut vi super illum. Deus communicavit illi spiritum fortitudinis, consilii, sapientiæ, prudentiæ, magnanimitatis, liberalitatis, atque ut verbo me expediam, illi infudit omnes animi, corporisque virtutes, quæ in optimo Rege requiruntur.

℣. 14. EXAGITABAT EUM SPIRITUS NEQUAM A DOMINO.] Verti potest [12]: *Turbatus fuit*, inflatus, suffocatus [13] a spiritu nequam. Quinam erat hic *spiritus nequam a Domino*? Plerique Patres [14], ac Interpretes credunt Saulem re vera a Dæmone obsessum fuisse. Josephus Antiqu. l. 6. c. 9. ait, ipsum violento laborasse morbo, quem illi Dæmon intulerat, quo subinde suffocabatur, adeo ut nullum aptius invenire possent pharmacum, quam illum soporare, atque musicarum fidium sono incantare. Hic author procul dubio credidit, Saulis ægritudinem ex earum numero fuisse, quibus veteres incantationibus, & musica medebantur. Homerus asserit, filios Autolyci incantationibus sanguinem cohibuisse, qui de Ulyssis vulnere diffluebat [15]. Ajunt [16], ischyadem ad quosdam tibiæ concentus sanari. Varro incantationes maxime pollere ait, ut chiragræ dolores imminuantur. Verum hæc omnia inter Magiæ effectus sunt adscribenda, cui apud Hebræos aqua, & igni interdictum erat.

Judæi Doctores [17], quibus non pauci Christiani Authores adhærent [18], asserunt, Saulis morbum a melancholia, ac atra bile inflammata fuisse profectum; ita ut hypocondriacus, & mania correptus esset potius, quam vere obsessus; crebri morbi hujus accessus, symptomata, quæ eosdem comitabantur, ac medela, quæ illi solamen aliquod afferebat, sententiam hanc probe confirmant. Satis liquet, quinam sint maniæ effectus, & quo eos, qui hoc morbo laborant, proripiat. Cum enim ab atra bile nimis succensa, ac in sanguinem diffusa proveniat; atque ab humoribus melancholicis, qui ad cerebrum missi illius temperiem perturbant; facile est intellectu, lætitiam, ac instrumenta musica plurimum conferre, ut pravi humores illi dissipentur, ac iterum humoribus, & sanguini prior temperies, & æquabilis, ac naturalis motua

1 Vatabl. Vide Levit. 13. 11. 2 Sanct. Lyran. Tirin. Cornel, 3 Vide Exod. 19. 14. 15.
4 אך נגד יהוה משיחו. 5 והוא ארמוני עם יפה עינים. 70. Καὶ αὐτὸς ἦν πυῤῥάκης μετὰ κάλλους ὀφθαλμῶν.
6 Vide Freinshem. l. 1. Addit. ad Q. Curt. 7 Bochart. de animal. sacr. p. 1. l. 2. c. 34.
8 Cant. 5. 10. *Dilectus meus candidus &c. rubicundus*. Heb. צח ואדום. 9 Vide Cajet. Menoch. Sanct. Martyr. 10 ותצלח רוח יהוה אל דוד. 11 70. *Insiluit Spiritus*. Ἐφήλατο πνεῦμα κυρίου ἐπὶ Δαυίδ.
12 ובעתתו רוח רעה מאת יהוה. 13 70. Ἔπνιγεν αὐτὸν πνεῦμα πονηρόν. Aq. Ἐθάμβει. *Eum stupidum, hebetem reddidit*. Sym. Συνεῖχεν αὐτόν. *Illum invasit*. 14 Theodoret. qu. 38. Greg. lib. 2. Moral. Isidor. in libb. Reg. Rupert. lib. 2. in cap. 1. Reg. ibid. Eucherius hic. Lyr. Tost. Dionys. Hugo, Menoch. Sanct. Tir. Serar. alii. 15 Homerus Odyss. T. 16 Theophrast. apud Plin. lib. 28. cap. 2. & Athen. l. 4. cap. 5. p. 624. 17 Apud Geneb. Chronic. an. 1066. 18 Cajet. Cornel. Sanct. &c.

tus accedat. Scriptura sæpius Deo tribuit effectus, qui aliquid supernaturale videntur habere, & quorum causæ obscuræ sunt, ac ignotæ; quapropter isthic ait Saulem agitatum fuisse a spiritu nequam a Deo. Saulis temperamentum plurimum quidem ipsius ægritudini conferebat; videtur enim in rebus omnibus suspiciosus fuisse, diffidens, ultor, crudelis, præceps, quæ vitia ab atrabiliari humore, a quo se quis abripi sinit, proficiscuntur. Conscientiæ stimuli, Samuelis minæ, Domini absentia, perpetuus timor, ne de regni solio deturbatus ad pristinam privatam fortunam redigeretur, vel a regni competitore enecaretur, auxerunt, confirmaruntque naturales habitudines, quibus ad hoc malum impellebatur. S. Joannes Chrysostomus in hom. 1. de Davide, & Saule de Saulis morbo loquens, eum *maniam* appellat, ac arti David, qui coram Rege cithara psallebat, videtur tribuere levamen, quod Rex subinde percipiebat.

Nonnulli [1] asseruere, spiritum hunc, quo Saul vexabatur, Angelum fuisse, cui Deus præceperat, ut hoc illi inferret supplicium [2]. Certum est, Deum Angelorum suorum sæpius uti opera, ut iniquos puniat. Vidimus in Exodo 11. 4. quorumdam Patrum sententiam, qui crediderunt Ægypti plagas ab Angelis a Deo missis inflictas fuisse. Verum isthic adest vocula, quæ nos, ne huic sententiæ subscribamus, deterret; etenim Spiritus hic *nequam* vocatur [3]. Posset equidem hebraicus textus reddi; *spiritus mali*, afflictionis, spiritus ultor; quo in sensu nihil obesset, quominus intelligi posset de Angelo ultionis divinæ adversus Saulem ministro. Verum nihil nos cogit, ut a Vulgata explicatione recedamus.

℣. 17. PROVIDETE MIHI ALIQUEM BENE PSALLENTEM.] Nonnisi summa cum admiratione legi possunt effectus, quos Veteres de musica enarrant. Nisi alia nobis exempla supperterent præter istud, forsitan quis illud negare auderet: plures enim eruditi viri [4] mirabilem effectum cytharæ David in Saulu, supernaturali, ac miraculosæ causæ censent referendum. At Scriptura eadem, quantum valeat musica, plura suggerit argumenta. Saul in Gabaa profectus Prophetarum chorum invenit una cum cytharœdis; & statim novo spiritu [5] correptus, motus, ac enthusiasmum Prophetarum imitatus est, ita ut universa civitas obstupesceret. Elisæus a Rege Josaphat rogatus, ut illi, quo eventu adversus Moabitas pugnaturus esset, detegeret, petit sibi psaltem adduci [6], ut ad illius concentum in se Prophetiæ spiritus excitaretur: *Adducite mihi psaltem. Cumque caneret Psaltes, facta est super eum manus Domini.* Non ideo tamen inferendum ajo, Prophetiæ donum esse naturalem quemdam musicæ effectum; verum hoc inquio, musicam præparasse organa, humores, sanguinem, & denique spiritum Prophetæ, ut supernaturalem impressionem exciperet. Si enim hic naturalis fuisset effectus sonitus instrumentorum, quicumque ea audiere, ejusdem inspirationis participes esse potuissent.

Lacædemones [7], ut sibi animos clerent, ad musicorum instrumentorum sonum in prœlium descendebant. Pythagoræi simulac se violento quopiam affectu abripi intelligebant, vel in aliis similes animorum motus intuebantur, eos tibiarum, vel cytharæ sono lenibant. Pythagoras [8] cum quondam inhonestum juvenem vidisset noctu cum tibicina, & lampadibus vim pudicæ domui inferre molientem, jussit Tibicinam numeros inflectere, ac graviorem, magis-

A que serium edere sonum. Neque diu cecinit, cum jam de impudici adolescentuli manibus arma dilapsa sunt. Timotheus celeberrimus cytharœdus tanta arte, ac facilitate ciebat affectus, ut quondam coram Alexandro Magno fidibus psallente, Dux ille statim ad arma cucurrerit. Terpander [9] Lyræ sonitu Lacædemone seditionem sedavit. Empedocles Pythagoræ discipulus videns adolescentem jam gladio districto alteri necem inferentem, celeriter adeo ac utiliter illius furorem compescuit, ut a cæde desisteret. Xenocratem quoque hac arte lymphaticis quibusdam mentem reddidisse, fama est. Theophrastus apud Apollon. in Hist. de Mirabilib. cap. 48. musicam validum fatetur esse remedium pluribus tum corporis, tum animi morbis, veluti spiritus defectui, ac pavo-
B ri; denique illi virtus adversus ischiadem, & epilepsiam defertur. Galenus alicubi de cantu loquitur, vel incantationibus, quibus vulnera curabantur. Apollonius ait, suis quoque temporibus Thebanos hoc remedio passim uti consuevisse.

Henricus Stephanus [10], cum esset in Anglia, cum quibusdam amicorum suorum periculum facere voluit, utrum verum esset, quod perhibetur, Leonem musicorum instrumentorum sono affici. Adolescentem, qui scite fidibus psallebat, accersivit; qui simul ac ludere cœpit, leo, qui clausus erat, & qui vulgo ferocissimus ferebatur, carnem, qua vescebatur, relinquere visus est, primum quidem arrectis auribus musicum cytharæ sonum percipere, mox vero se commovere, ac circumire; perinde ac voluisset quodam-
C modo ad numeros saltus edere. Statim ac vero cytharœdus pulsare fides desiit, fera ad carnes rediit, ac subinde eam iterum reliquit, ut cytharæ sonum percepit. Henricus Stephanus idem quoque expertus est post aliquot dies pari eventu, verum minori cum spectantium admiratione, eo quod bellua, quemadmodum prius, non comedebat. Videri possunt Bochartus de Animal. Sacr. par. 1. l. 2. c. 44. & Clerici Commentaria in hunc locum.

Post hæc autem mirum cuipiam videbitur, Saulem ex cytharæ sono recreatum fuisse? Seu ægritudo ipsius vere dæmonis obsessio fuerit, seu simplex melancholia, musica, & tibicinum sonus optimus erat, ut illi levamen aliquod afferret. Musica spiritum recreat, humores commovet, affectus moderatur, ideoque
D dissipat melancholiam, & atros, tristesque humores illos, qui ad cerebrum vapores emittunt, doloremque, & molestiam in cor effundunt. Tibiarum, cytharæque sonus nihil directe in dæmonem valent, verum indirecte contra ipsum agit, pravas corporis affectiones, humoresque auferens, quibus spiritus ille nequam utitur adversus illos, quos obsidet. Itaque nihil opus est, ut ad miraculum confugiamus effectum explicaturi, de quo modo sermo est in Saulis persona. Animadvertendum est dumtaxat, Veteres plane sensuum majori, quam nos, facultate fuisse præditos, vel eorum musicam præ nostra aptiorem fuisse ad animi affectus ciendos. Difficile esset hodie paria illis, quæ de musicæ effectibus allata sunt, exempla invenire. Hoc fieri fortasse potest, quod ma-
E jori diligentia nosmet adversus affectus nostros tuemur, atque minus, quam Veteres illi dolore, & gaudio patiamur abripi; a teneris enim, ut ajunt, unguiculis personam ferre discimus, ac ne extrinsecus animi nostri sensus palam prodeant, moderari.

℣. 18. VIDI FILIUM ISAI SCIENTEM PSALLERE.] Judæi apud Sanctium hic docent, Doeg Idumæum, de quo infra erit sermo, Saulem admonuisse, ut accerse-

1 Quidam apud Sanct. & Cornel. a Lapid. 2 Hieron. in Psal. 75. 12. *Suffocabat eum spiritus Dei malus; ergo malum habet spiritum Deus? Nequaquam. Sed ideo recesserat Spiritus Dei, ut postea suffocaret eum spiritus malus.* 3 רוח רעה מאת יהוה. 4 Vide Theodoret. qu. 39. Lyr. Serar. Vide & Bochar. de Animal. sacr. par. 1. l. 2. c. 44. 5 1. Reg. 10. 10.
6 4. Reg. 3. 15. 7 Vide Hermogenem apud Casaub. In Athen. l. 14. c. 5.
8 Quintil. *Pythagoram accepimus, concitatos ad vim pudicæ domui afferendam juvenes, jussa mutare in spondæum modos tibicina composuisse.* 9 Plutarch. lib. de Musica. 10 Vide Præfat. in Poetar. Princip. apud Theodor. Janson. ab Almeloван de Vitis Stephanor. p. 65.

eerferet David, cujus perdendi occasionem quærera maxime optarat, & contre ipsum privatas periequendi inimicitias. At hæc omuia incertis tantummodo traditionibus junituntur. Ia eo difficultas sita est, utrum David e Rege fuerit accersitus ante, an post victoriam da Goliath relatam. Sciptura, quæ huc hanc tetulit historiam, plerosque Interpretes impulit [1], ut post victum Goliath eamdem constituerent, de quo hactenus ne verbum quidem fecit: verum ab ordine narrationis, quem Textus sequitur, numquam est tecedendum, nisi neceffitas eogat. Scripture sequenti capite ℣. 15. palam ait, quod *Abiis David, & reversus est a Saul, ut pasceret gregem patris sui*; fatendum est igitur Philisthinorum bellum, & victoriem, quam David de Goliath teportavit, coatigisse, postquam ille Regis Armiger fuerat.

Verum haud eontemnenda sane huic sententiæ objiciuntur argumenta. Primum quidem, eum David ante Saulem constitit, ut adversus Philisthæum congrederetur, Rex de ipso, veluti de advena quopiam, loquitur, illius nomen, ae genus sciscitetur [2]. Quomodo enim ignorasset Saul nomen, patriam, ae personam David, quem sæpius eoram se eytheta psallentem videret, eudieratque, & quem sibi Armigerum optatat? Secundo; quo jure Saulis eulici laudibus isthic extollerent David, eum *scientem psallere, & fortissimum robore, & virum bellicosum, & prudentem in verbis, & virum pulchrum*, & cum quo *Dominus* esset, celebrantes, si de Bethlehem numquam ante egressus esset, neque ulla in Regis aula virtutis suæ antee præbuisset ergumenta? Vide Junium, Piscat. Malvead. hie, & in cap. 17. 2.

At respondemus, cum David ea esset ætate, qua vultus lineamenta formantur, magisque imprimuntur, & qua genæ barba induuntur, minime esse mirum, si Saul eliis occupatum eutis, eum statim non agnovit; unus tantummodo ennus intersit, satis est, ut facies alia a se ipsa videatur, atque ut adolescens eam eorporis staturam, ec speciem acquirat, quam antea non præsefetebat. Præterea David antea tibialis veste iadutus coram Saul adstabat, nunc vero rudi, ac pastoritie veste involutus se offert; denique Saul maximis, grevissimisque distentus negotiis, ac forte maniæ impetu, qua subinde opprimebatur,

A infirmatus potuit illum non agnoscere. Quoad vero ad alteram rationem, facile est, quod eredas, David viginti annos natum pluriea edidisse in regione sue, ec inter pastores, virtutis suæ specimen, fortitudinis, ac sapientiæ, tunc præsertim, postquam Rex a Samuele fueret inunctus, ac Spiritus Dei infusionem acceperat, qui cum recessisset a Saule, ac super illum requiesset, gratiarum omnium effluentiam illi communicavit, ae in ipso acquisitas, & naturales virtutes perfecit.

℣. 20. TULIT ISAI ASINUM PLENUM PANIBUS.] Hebraice ad litteram [3], *asinum panis*, quemadmodum dicitur saccus panis, lagena vini. Poeta Sosibius apud Casaub. in notis Charact. Theoph. simili penitus locutione usus est: *comedit tres asinos panis*. Septuaginta [4]: *Isai sumpsit asinum, & posuit super eum gomor panis*. Scimus *gomor* mensuram fuisse, quæ tres circiter pintas capiebat. Verum probabile est Interpretes hos in Hebreico textu egisse *chomer*, quæ mensura est, pro *chamor*, quæ vox *asinum* significat. *Chomer* continet 298. pintas cum tribus quadrantibus, quæ longe alia est mensura a gomer Septuaginte. Hinc etiam arguitur de Veterum studiis, & consuetudine numquam adeundi Regem, quin munus aliquod ad ipsum deferretur. Sed munus huie Devidis muneri simile haud ite sane nostris hisce tempotibus magno cuidam Principi esse posset acceptum.

LAGENAM VINI.] Habraice [5]; *utrem vini*, hircinam pellem assutam, ec ad vinum capiendum præparatam. In Oriente passim liquores in utribus servabantur; in Hispania vero ad hane quoque diem vinum utribus transfertur.

℣. 21. FACTUS EST EJUS ARMIGER.] Regis arma deferebat. Dignites hæc haud erat contemnende. Cyrus fuerat Armiger Astiagis avi sui, antequam ed imperium eveheretur [6].

℣. 22. MISIT SAUL AD ISAI.] Verti posset: *Misit quæsitum David*, ad innuendum, initio, & antequam David uxorem duxisset Michol, non permansisse semper in Regis domo; verum sæpius accersebetur, eum identidem Saul ægritudinis suæ eccessu obrueretur.

---

1 Vide Grot. Vatabl. Tirin. Cornel. Sanct. 2 Cap. 17. 55. *Ait ad Abner: De qua stirpe descendit hic adolescens? Dixitque Abner: Vivit anima sua, Rex, si novi.* 3 חמור לחם. 4 Ἔλαβεν Ἰεσσαὶ ὄνον, καὶ ἐπέθηκεν αὐτῷ γόμορ ἄρτων. 5 נאד יין. 70. Ἀσκὸς οἴνου. 6 Athen. l. 14. Dipnos. ex Dinone.

CAPUT XVII.

Bellum Philisthiim adversus Israel. Goliath probra in exercitum Saulis ingerit. David in castra missus, funda ictu vincit Goliath.

1. Congregantes autem Philisthiim agmina sua in prælium, convenerunt in Socho Judæ:
& castrametati sunt inter Socho, & Azeca, in finibus Dommim. 2 Porro Saul,
& filii Israel congregati venerunt in Vallem terebinthi, & direxerunt aciem ad pu-
gnandum contra Philisthiim. 3 Et Philisthiim stabant super montem ex parte hac, & Israel
stabant super montem ex altera parte: vallisque erat inter eos. 4 Et egressus est vir spurius
de castris Philisthinorum, nomine Goliath, de Geth, altitudinis sex cubitorum, & palmi:
5 Et cassis ærea super caput ejus, & lorica squammata induebatur. Porro pondus loricæ
ejus, quinque millia siclorum æris erat: 6 Et ocreas æreas habebat in cruribus: & clypeus
æreus tegebat humeros ejus. 7 Hastile autem hastæ ejus erat quasi liciatorium texentium.
Ipsum autem ferrum hastæ ejus sexcentos siclos habebat ferri: & armiger ejus antecedebat
eum.

eum. 8 Stansque clamabat adversum phalangas Israel, & dicebat eis: Quare venistis pa-
rati ad prælium? Numquid ego non sum Philisthæus, & vos servi Saul? Eligite ex vobis vi-
rum, & descendat ad singulare certamen. 9 Si quiverit pugnare mecum, & percusserit
me, erimus vobis servi; si autem ego prævaluero, & percussero eum, vos servi eritis, &
servietis nobis. 10 Et ajebat Philisthæus: Ego exprobravi agminibus Israel hodie: Date
mihi virum, & ineat mecum singulare certamen. 11 Audiens autem Saul, & omnes Israe-
litæ, sermones Philistæi hujuscemodi, stupebant, & metuebant nimis. 12 David autem
erat filius viri Ephratæi, de quo supra dictum est, de Bethlehem Juda: cui nomen erat Isai,
qui habebat octo filios, & erat vir in diebus Saul senex, & grandævus inter viros. 13
Abierunt autem tres filii ejus majores post Saul in prælium: & nomina trium filiorum
ejus, qui perrexerunt ad bellum, Eliab primogenitus, & secundus Abinadab, tertius-
que Samma. 14 David autem erat minimus. Tribus ergo majoribus secutis Saulem,
15 Abiit David, & reversus est a Saul, ut pasceret gregem patris sui in Bethlehem.
16 Procedebat vero Philisthæus mane, & vespere, & stabat quadraginta diebus. 17
Dixit autem Isai ad David filium suum: Accipe fratribus tuis ephi polentæ, & decem pa-
nes istos, & curre in castra ad fratres tuos, 18 Et decem formellas casei has deferes
ad tribunum: & fratres tuos visitabis, si recte agant, & cum quibus ordinati sunt, disce.
19 Saul autem, & illi, & omnes filii Israel in Valle terebinthi pugnabant adversum Phili-
sthiim. 20 Surrexit itaque David mane, & commendavit gregem custodi: & onustus abiit,
sicut præceperat ei Isai. Et venit ad locum Magala, & ad exercitum, qui egressus ad pugnam
vociferatus erat in certamine, 21 Direxerat enim aciem Israel, sed & Philisthiim ex adver-
so fuerant præparati. 22 Derelinquens ergo David vasa, quæ attulerat, sub manu custodis
ad sarcinas, cucurrit ad locum certaminis, & interrogabat, si omnia recte agerentur erga
fratres suos. 23 Cumque adhuc ille loqueretur eis, apparuit vir ille spurius ascendens,
Goliath nomine, Philisthæus, de Geth, de castris Philisthinorum: & loquente eo hæc eadem
verba audivit David, 24 Omnes autem Israelitæ, cum vidissent virum, fugerunt a fa-
cie ejus, timentes eum valde. 25 Et dixit unus quispiam de Israel: Num vidistis vi-
rum hunc, qui ascendit? ad exprobrandum enim Israeli ascendit. Virum ergo, qui per-
cusserit eum, ditabit rex divitiis magnis, & filiam suam dabit ei: & domum patris ejus
faciet absque tributo in Israel. 26 Et ait David ad viros, qui stabant secum, dicens:
Quid dabitur viro, qui percusserit Philisthæum hunc, & tulerit opprobrium de Is-
rael? quis enim est hic Philisthæus incircumcisus, qui exprobravit acies Dei viventis?
27 Referebat autem ei populus eundem sermonem, dicens: Hæc dabuntur viro, qui
percusserit eum. 28 Quod cum audisset Eliab frater ejus major, loquente eo cum aliis,
iratus est contra David, & ait; Quare venisti, & quare dereliquisti pauculas oves illas in
deserto? ego novi superbiam tuam, & nequitiam cordis tui: quia, ut videres prælium,
descendisti. 29 Et dixit David: Quid feci? numquid non verbum est? 30 Et decli-
navit paululum ab eo ad alium, dixitque eundem sermonem, Et respondit ei populus ver-
bum sicut prius. 31 Audita sunt autem verba, quæ locutus est David, & annuntiata in
conspectu Saul. 32 Ad quem cum fuisset adductus, locutus est ei: non concidat cor
cujusquam in eo: ego servus tuus vadam, & pugnabo adversus Philisthæum. 33 Et ait
Saul ad David; Non vales resistere Philisthæo isti, nec pugnare adversus eum: quia puer
es, hic autem vir bellator est ab adolescentia sua. 34 Dixitque David ad Saul: Pasce-
bat servus tuus patris sui gregem, & veniebat leo, vel ursus, & tollebat arietem de me-
dio gregis: 35 Et persequebar eos, & percutiebam, eruebamque de ore eorum: & il-
li consurgebant adversum me, & apprehendebam mentum eorum, & suffocabam, inter-
ficiebamque eos. 36 Nam & leonem, & ursum interfeci ego servus tuus: erit igitur &
Philisthæus hic incircumcisus, quasi unus ex eis. Nunc vadam, & auferam opprobrium
populi: quoniam quis est iste Philisthæus incircumcisus, qui ausus est maledicere exer-
citui Dei viventis? 37 Et ait David: Dominus, qui eripuit me de manu leonis, & de
manu ursi, ipse me liberabit de manu Philisthæi hujus. Dixit autem Saul ad David: Va-
de, & Dominus tecum sit. 38 Et induit Saul David vestimentis suis, & imposuit ga-
leam æream super caput ejus, & vestivit eum lorica. 39 Accinctus ergo David gladio
ejus super vestem suam, cœpit tentare si armatus posset incedere: non enim habebat con-
suetudinem. Dixitque David ad Saul: Non possum sic incedere, quia usum non habeo.
Et deposuit ea, 40 Et tulit baculum suum, quem semper habebat in manibus: & ele-

gic

git sibi quinque limpidissimos lapides de torrente, & misit eos in peram pastoralem,
quam habebat secum, & fundam manu tulit; & processit adversum Philisthæum. 41
Ibat autem Philisthæus incedens, & appropinquans adversum David, & armiger ejus an-
te eum. 42 Cumque inspexisset Philisthæus, & vidisset David, despexit eum. Erat
enim adolescens: rufus, & pulcher aspectu. 43 Et dixit Philisthæus ad David: Num-
quid ego canis sum, quod tu venis ad me cum baculo? Et maledixit Philisthæus David
in diis suis: 44 Dixitque ad David: Veni ad me, & dabo carnes tuas volatilibus cœ-
li, & bestiis terræ. 45 Dixit autem David ad Philisthæum: Tu venis ad me cum gla-
dio, & hasta, & clypeo: ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum, Dei ag-
minum Israel, quibus exprobrasti 46 Hodie, & dabit te Dominus in manu mea, &
percutiam te, & auferam caput tuum a te: & dabo cadavera castrorum Philisthiim hodie
volatilibus cœli, & bestiis terræ: ut sciat omnis terra, quia est Deus in Israel, 47 Et
noverit universa ecclesia hæc, quia non in gladio, nec in hasta salvat Dominus. Ipsius
enim est bellum, & tradet vos in manus nostras. 48 Cum ergo surrexisset Philisthæus,
& veniret, & appropinquaret contra David, festinavit David, & cucurrit ad pugnam ex
adverso Philisthæi. 49 Et misit manum suam in peram, tulitque unum lapidem, & fun-
da jecit, & circumducens percussit Philisthæum in fronte; & infixus est lapis in fronte
ejus, & cecidit in faciem suam super terram. 50 Prævaluitque David adversum Phili-
sthæum in funda, & lapide, percussumque Philisthæum interfecit. Cumque gladium non
haberet in manu David, 51 Cucurrit, & stetit super Philisthæum, & tulit gladium
ejus, & eduxit eum de vagina sua; & interfecit eum, præciditque caput ejus. Viden-
tes autem Philisthiim, quod mortuus esset fortissimus eorum, fugerunt. 52 Et consur-
gentes viri Israel, & Juda vociferati sunt, & persecuti sunt Philisthæos usque dum veni-
rent in vallem, & usque ad portas Accaron, cecideruntque vulnerati de Philisthiim in
via Saraim, & usque ad Geth, & usque ad Accaron. 53 Et revertentes filii Israel post-
quam persecuti fuerant Philisthæos, invaserunt castra eorum. 54 Assumens autem David
caput Philisthæi, attulit illud in Jerusalem: arma vero ejus posuit in tabernaculo suo.
55 Eo autem tempore, quo viderat Saul David egredientem contra Philisthæum, ait ad
Abner principem militiæ: De qua stirpe descendit hic adolescens, Abner? Dixitque Ab-
ner: Vivit anima tua, rex, si novi. 56 Et ait rex: Interroga tu, cujus filius sit iste
puer. 57 Cumque regressus esset David, percusso Philisthæo, tulit eum Abner, & in-
troduxit coram Saule, caput Philisthæi habentem in manu. 58 Et ait ad eum Saul: De
qua progenie es, o adolescens? Dixitque David: filius servi tui Isai Bethlehemitæ ego sum.

℣. 1. CONGREGANTES PHILISTHIIM AGMINA SUA.] Bellum hoc contigit octo circiter annos, postquam David unctus fuit, & decem, vel duodecim post bellum adversus Amalecitas. Scriptura nos superius cap. 14. 52. admonuit, quod *Erat bellum potens adversus Philisthæos omnibus diebus Saul*; quamobrem non est, cur novas belli hujus causas inquiramus.

INTER SOCHO, & AZECA IN FINIBUS DOMMIM.] *Socho, & Azeca* erant ad meridiem Jerusalem, atque ad occasum Bethlehem, ab hac procul quatuor circiter leucas, quinque vero a Jerusalem. Situs *Dommim* nos fugit; liquet verò in tribu Juda fuisse satis prope Socho, & Azeca. Adest in ea tribu *Dimona* [1], quæ aliquam habet cum *Dommim* similitudinem. Septuaginta legunt *Aphesdommim*; & Hebraicus textus, uti quoque & Vulgata in 1. Paralipom. 11. 13. legunt *Phesdommim*: ex quo licet conjicere, *Aphesdommim*, vel *Phesdommim* verum esse loci hujus nomen. At nihilo secius sub hoc nomine, quam nomine *Dommim* loci situs ignoratur.

℣. 2. IN VALLEM TEREBINTHI.] Recentiores Viatores [2] vallem Terebinthi ad leucam, vel ad tria milliaria procul ab Ierusalem Emmaus versus constituunt; verum nulla ipsis fides potest adhiberi. Hæc enim vallis esse debebat inter Socho, & Azeca ad A meridiem, & satis procul a Ierusalem: Hebraicus textus reddi posset [3]: *in vallem quercus* [4]. Symmachus, *in vallem Ela*.

℣. 3. PHILISTHIIM STABANT SUPER MONTEM EX PARTE HAC, & ISRAEL STABAT SUPRA MONTEM EX ALTERA PARTE.] Inter duos hos igitur montes Terebinthi vallis cubabat, & præterfluebat torrens, ex quo David quinque lapides elegit. In vallem hanc duo exercitus descendebant, ut acie decertarent [1], & isthic se obtulit Goliath, ut aliquem in singulare certamen vocaret. S. Hieronymus huic loco eidem nomen *Magala* videtur tribuere ℣. 20. quod ipsum illic ad examen vocabitur.

℣. 4. EGRESSUS EST VIR SPURIUS DE CASTRIS PHILISTHINORUM.] Eruditi quidam Interpretes hanc B versionem probant; at alii eam rejiciunt, ac inter se pro diversa sententia contendunt. Hebraicus textus ad litteram habet [6]: *Egressus est de castris Philisthinorum vir duorum filiorum*, vel *unus filiorum*, homo obscuræ originis, atque incertæ [7]; aliter, *homo inter duos*, e duobus patribus natus, vel ab ignoto patre genitus [8]. Scriptura numquam loquitur de patre Goliath, matris tantum meminit, *de genere Arapha*: verum præstat asserere de neutro parentum loqui; nam *genus Arapha* innuit simpliciter [9], Goliath, ac alios gigantes, qui inter Philisthiim tempore Da-

1 Josue 15. 22. 2 Doubdan. cap. 7. 3 עמק האלה Aq. Th. Ἐκ τῇ κοιλάδι, τῆς δρυός. *In valle quercus*. 4 Ita Aquila, & Theodot. apud Eusebium in locis. 5 ℣. 19.
6 ויצא איש הבנים ממחנות פלשתים 7 Ita Grot. 8 Cornel. a Lapide.
9 2. Reg. 21. 16.

vid floruerunt, ex veterum Raphaim insignium regionis illius gigantum, progenie fuisse. Sanctius asserit *spurium* idem significare ac gigantem, nam gigantes, æque ac spurii filii terræ vocantur. Persius Satyr. 6.

. . . . Prœsto est mihi maniæ hæres
Progenies terræ.

Ac hæc ratio non satis probat. Castalio: *homo filiorum*, magnus homo, excellens, qui aliis pluribus præstat, inter Philistæos spectatissimus. Junius, & alii quidam: *Homo, qui duellum poscit*, vel qui in singulare certamen provocat. Hebræi, ac major Interpretum frequentia [1]: *homo intermedius*, qui inter utrumque exercitum procedit, & cui hæc provincia demandatur ab exercitu suo, ut pugnæ finem faciat cum altero singulari certamine dimicans. Ita quoque olim Gallus ille ferox se ante Romanorum exercitum obtulit, atque in ponte, quo uterque exercitus sejungebatur, consistens fortissimum quemlibet e Romanis provocavit ad pugnam: verum a Manlio Torquato victus cecidit. Chaldæus [2]: *Egressus est inter illos, de castris Philisthinorum, vir nomine Goliath*. Septuaginta [3]: *Egressus est vir potens de mediis ordinum Philisthiim, nomine Goliath*.

ALTITUDINIS SEX CUBITORUM, & PALMI.] Hoc est pedum circiter duodecim, cum dimidiato in singulos cubitos unciis viginti, & dimidia recensitis, palmo vero ad tres uncias paullo magis redacto. Itaque Goliath altitudo duorum virorum speciosioris formæ proceritatem exæquabat. Qui Gigantum existentiam negant, nihil, reor, afferre poterunt adversum evidens adeo Scripturæ testimonium. Videri potest, quid de Gigantibus in Genesim 6. 4. dictum sit. Septuaginta [4] quinque solum, vel quatuor etiam cubitos legunt.

℣. 5. CASSIS ÆREA SUPER CAPUT EJUS.] Alibi æreorum armorum veterem usum probavimus. Vide nostram Dissertationem de Militia Hebræorum in fronte libri Esther.

LORICA SQUAMMATA INDUEBATUR.] Latina quædam Exemplaria æque ac Septuaginta habent [5]: *Lorica hamata*. Sed Hebraica vox [6] proprie piscium squammas significat. *Pondus loricæ ejus quinque millia siclorum æris erat*, videlicet pondo librarum 150. & quarta libræ parte pro siclis singulis dimidiatam unciam, & pro qualibet libra uncias sexdecim æstimantes. Onus hoc incredibile videretur, nisi Goliath vires habuisset corporis magnitudini pares. Plutarchus in Demetrio describit, velut quidpiam mirum, loricam quadraginta librarum pondo.

℣. 6. OCREAS ÆREAS HABEBAT IN CRURIBUS.] Hebraicus textus verti posset [7]: *& frontale æreum super pedes suos*. Hoc autem non erat femorale, quod ab anteriori thoracis parte descendens femora tuaretur; sed ærea lamina erat, quæ anteriorem crurum partem obtegebat a genibus ad pedes usque. Justus Lipsius de Milit. Rom. l. 3. c. 5. exhibuit Romanorum militum imagines ex veteribus monumentis erutas cum hoc armorum genere, ac animadvertit plerumque alterutrum crus tantummodo illo tueri consuevisse. Vegetius l. 1. c. 15. apud Lipsium l. 3. Dialog. 7. de Milit. Rom. *Pedites scutati etiam ferreas ocreas in dextris cruribus cogebantur accipere*. Titus Livius ait, Samnites læva crura ocreis obtexisse, & Silius idem asserit de Sabinis:

Vertice & implumes, & lævi tegmine cruris
Ibant.

Hæc omnia diversa erant a cothurnis, vel ocreis e metallo, quas Græci in Trojæ obsidione gestabant [8]: & quarum plura apud veteres exempla leguntur; ac ab iis, quæ Galli *greves* vocabant.

CLYPEUS ÆREUS TEGEBAT HUMEROS EJUS.] Hoc pacto veteres clypeos suos deferebant, quemadmodum in Dissert. de veterum Hebræorum Militia ostendimus. Rabbini [9] contendunt authographi nomen [10] armorum genus significare, quo humeri obtegebantur. Verum quænam necessitas id genus armaturæ in eo, qui lorica ærea esset indutus? Bochartus autumat hoc missile fuisse; vel telum hasta, vel lancea brevius. Castalio de lancea explicat, alii vero de clava, aut gladio. Attamen nil video, quo cogar a Septuaginta, atque a Vulgata recedere, qui de clypeo intelligunt. Videri possunt ea, quæ diximus in Josue c. 8. ℣. 18.

℣. 7. HASTILE HASTÆ EJUS ERAT QUASI LICIATORIUM TEXENTIUM;] Videlicet cylindrus ille ligneus, circum quem filum volvitur, ex quo tela fit. Hebraice [11]: *Lignum hastæ erat velut jugum textorum*; Vel, *Hastile lanceæ ejus erat velut lignum textorum*. Alii enim de ligno intelligunt, circum quod tela in textrinis volvitur; alii vero de ligno, circum quod filum glomeratur [12]. Lignum, seu hastile lanceæ ejus hac erat crassitie, sed multo longior. Aquila, & Theodotion [13]: *Erat veluti malum nauticum*. Symmachus [14]: *veluti nauticum velum*. Nequaquam judicium ferre licet de crassitie, aut magnitudine hastilis hujus ex magnitudine instrumentorum, quibus hodie textores utuntur, nam olim textorum instrumenta alia admodum erant a nostratibus.

FERRUM HASTÆ EJUS SEXCENTOS SICLOS HABEBAT FERRI.] Hoc est, libras ferme viginti. Hebræus [15]: *Mucro (apex) lanceæ ejus erat sexcentorum siclorum*. Author quidam [16], qui summa cura pondus armorum Goliath ad examen vocavit, ait (cuique parti pondus aptum tribuens) ducentarum ac septuaginta duarum librarum cum decem, & tribus unciis pondo præstitisse. Etenim ferro hastæ illius duodeviginti libras tribuit cum dodrante; hastili vero lanceæ, quæ sex & viginti pedes oblonga esse debebat, tantumdem ponderis saltem, quantum mucroni, quo erat præfixa; cassidi libras quindecim, clypeo triginta, gladio quatuor cum dimidiata; thoraci demum centum & quinquaginta sex libras cum quadrante. Adde his ocreas æreas, quibus crura obtegebantur, nec non clypeum, vel lanceam, quam armiger ipsius deferebat; ac circiter illud, quod asserit, pondus invenies. Plutarchus in Demetrio ait commune armorum militis pondus esse talentum, vel libras sexaginta; atque in Demetrii exercitu prodigii loco habitum fuisse refert, militem quemdam Alcimum nomine, cujus arma duobus talentis, seu centum, & viginti libris appendabant.

ET ARMIGER EJUS ANTECEDEBAT EUM.] Hebræus [17]: *qui gestabat clypeum ipsius antecedebat ipsum*. Vidimus jam clypeum super humeros Goliath; ille vero, de quo hic sermo, alio nomine nuncupatur; mihique videtur hic ex ingentibus illis fuisse clypeis, quibus bellatores in acie, cum alicubi consistentes dimicabant, obtegebantur. De simili clypeo Scriptura ait [18]: *Domine circumdabis nos, velut scuto*. Et apud Homerum Iliad. Z. Ajax exhibetur *sinistra scutum immane preferens, turris instar, ex septem electorum boum tergoribus, inducta desuper lamina ærea*. Simile prorsus scutum ferebat Armiger Goliath; ipse vero aliud, sed penitus æreum, minusque, humeris gestabat. Vel Scriptura illum, qui antecedebat, armi-

1 Kimchi in Munst. Vatab. Glass. Cleric. 2 ונפק גברא מביניהון 3 Καὶ ἐξῆλθεν ἀνὴρ δυνατὸς ἐκ τῆς παρατάξεως τῶν ἀλλοφύλων. 4 70. Rom. quatuor cristin. quinque. 5 Θώρακα ἁλυσιδωτὸν αὐτὸς ἐνδεδυκώς. 6 שריון קשקשים 7 ומצחת נחשת על רגליו 8 Homer. Χαλκοκνήμιδες Ἀχαιοί, passim. 9 Rabb. Salom. Kim. & Levi apud Boch. de animal. sacr. par. 1. l. 2. c. 28.

10 וכידון נחשת בין כתפיו 11 ועץ חניתו כמנור ארגים 70. Ὁ κοντὸς τοῦ δόρατος αὐτοῦ ὡσεὶ μεσάντιον. Alias, μίτωνλον, seu, μέσακλον, seu, μεσάντιον ὑφαινόντων. Nonnulla exemplaria habent עץ *lignum hastæ*: quæ lectio vulgo obtinet. 12 Vide Brun. l. 1. c. 6. de Vestitu Sacerd. Hebr. 13 Aqu. Theod. Ὡς ἀντίον. 14 Sym. Ὡς ἱστὸν. 15 ולהבת חניתו שש מאות שקלים 16 Hostius in Histor. Monomach. c. 5. 17 ונשא הצנה הלך לפניו 70. Ἄιρων τὸ ὅπλον αὐτοῦ, &c. 18 Psal. 5. 13. כצנה רצון תעטרנו

armigerum ejus vocat non eo quod re ipse clypeum gestaret, sed quod consuetum ipsius munus erat clypeum deferendi, vel alie gigantis hujus arma. Profecto singulare esset, quod Goliath duos in aciem clypeos afferret. Nihilominus in Psalmo 34. 2. David dicit Deo, ut clypeum capiat, & scutum, החזק
וצנה מגן

℣. 8. ELIGITE EX VOBIS VIRUM, & DESCENDAT MECUM AD SINGULARE CERTAMEN.] Hæc singularium certaminum genera apud Veteres satis erant communia. Videmus apud Homerum Iliad. Γ. Paridem, & Menelaum, ac Iliad. H. Hectorem, & Ajacem, qui medii inter utrumque exercitum dimicant alterius triumpho, vel morte bello finem imposituri. Othryadis ævo idem inter Argivos, ac Lacædemones effectum est; ac deinde apud Romanos inter Horatios, & Curiatios. Liv. l. 1. c. 23.

℣. 9. SI PERCUSSERIT ME ERIMUS VOBIS SERVI.] Conditionem hanc neutra pars excepisse ratamque fecisse videtur. Post mortem Goliath Philisthæi non se subjecere; & Hebræi eos persecuti fuderunt, quin ad ea, quæ Gigas proposuerat, animum adverterent [1]. Hæc plane thrasonis illius fuit ostentatio, vel simplex propositio, cui nullum responsum redditum fuit. Servitus, ac submissio communis erat victorum populorum conditio.

℣. 12. QUI HABEBAT OCTO FILIOS.] Vide quid supra dixerim capite 16. ℣. 10.

SENEX, & GRANDÆVUS INTER VIROS.] Hebraice [2]: *senex erat, & veniebat inter viros tempore Saul.* Plures vixerat annos inter homines. Tempus suum transegerat. Septuaginta [3]; *senex erat ac in annos provectus*. Chaldæus; *Senex erat, qui in Virorum numero adscribebatur*, seu electorum. Fruebatur robustis viribus in senectute sua.

Jam Senior, sed cruda Deo, viridisque senectus.

℣. 13. ABIERUNT TRES FILII EJUS MAJORES POST SAUL IN PRÆLIUM.] In id genus præliis omnes, qui ferendis armis erant, quoad fieri poterat, conveniebant.

℣. 15. DAVID REVERSUS EST A SAUL, UT PASCERET GREGEM PATRIS SUI.] Ante hoc bellum David tunc solum in Saulis ædibus immorabatur, cum Rex maniæ accessu obrueretur; cum autem convalescebat, ad munus suum revertebatur. Vivendi ratio, quam susceperat David, plures præbuit eidem occasiones virtutis suæ specimen adversus leones, ac ursos reddendi: erat quippe veluti militaris disciplinæ præludium, in quo deinceps tanta floruit nominis celebritate. Nonnihil alibi attulimus, ut quo in honore antiquitus pastorum ars haberetur, innotesceret. *Ex antiquis illustrissimus quisque pastor erat*; Varro ait lib. 2. de Re Rust. c. 1.

℣. 17. ACCIPE FRATRIBUS TUIS EPHI POLENTÆ.] Ephi libras 80. capiebat. Farinæ [4], quam Isai ad filios suos mittebat, erat potius triticum tusum, & fractum, vel farina ex hordeo humescenti, deinde exsiccato, atque asso, ac demum mola tuso, ex quo pulmentum fiebat cum lacte, vel oleo, aqua, vel melle. Hoc cibi genus tunc temporis vulgatissimum erat præsertim in agris; quemadmodum ex veteribus Authoribus Græcis innotescit. Saulis milites, nec stipendia merebant, nec regis sumptibus alebantur. Hebræi diu, & forsitan semper privatis sumptibus bella gessere. Princeps quidem vectigalia quædam a subditis exigebat [5], verum ea non satis erant, ut frequens exercitus aleretur.

℣. 18. DECEM FORMELLAS CASEI.] Caseos cum formellis suis, recentem casearum. Interpretes quidam Hebraicum textum reddunt [6], *castos lactis*. Septuaginta [7]: *Decem frusta lactis*, vel decem frusta casei mollis. Hic solum occurrit Hebraice vox *Charitz* ad caseum significandum. Munus hoc erat pro castrorum Præfecto, Hebraice pro *Principe millium*.

ET CUM QUIBUS ORDINATI SUNT, DISCE.] Quinam sint illorum contubernales. Hebraicus textus ad litteram [8]: *disce illorum commixtionem*, manipulum. Septuaginta, Symmachus, & Theodotion [9]: *vide, quibus indigeant*. Juxta alios, Symmachus vertit: *accipies illorum remunerationem* [10], mercedem. Aquila, *Videbis*. Syriaca, & Arabica simpliciter: *referes mihi nuncia de illis*; perinde ac diceret: Colliges, quidquid ad ipsos spectabit, commixtionem horum omnium facies, ac ad me referes. Alii vertunt [11]: *redimes illorum pignus*; redimes pretio, si quid pro pignore alicui dederint; Vel juxta Hebræos, ad me illorum pignora referes, seu divortii libellos, ut uxores eorum post tertium annum aliis nubere queant, si in hostium manibus tantumdem temporis captivi permanserint. Nam, ut ipsi docent, hæc erat communis in Israel consuetudo [12], ut Hebræi in bellum abeuntes uxoribus suis divortii epistolas traderent. Chaldæus; quomodo valeant, mihi referes; optimum, quid ab ipsis agatur, nuncium adferes.

℣. 20. VENIT AD LOCUM MEGALA.] Locus hic ignoratur. Interpretum plerique Hebraicam vocem [13] de castris, vel exercitu intelligunt: *Venit in castra*, vel de loco, ubi aderant impedimenta. Ad litteram; *Venit ad currus*, vel ad circulum, quo in sensu reddidere Septuaginta [14]; perinde atque castra, vel impedimenta saltem, in orbem fuissent disposita, ut ea facilius tuerentur. Hoc pacto tentoria sua dicuntur Arabes collocare, cum alicubi castra metantur.

℣. 23. DE CASTRIS PHILISTHINORUM.] Hebraice [15]: *de exercitu in aciem disposito*: Egressus est de ordinibus suis, ac inter utrumque exercitum descendit,

℣. 25. DOMUM PATRIS EJUS FACIET ABSQUE TRIBUTO.] Eximet illum ab universo onere, quod reliqui omnes subditi pendere debent; quod respicit non solum a tributo, verum ab alio quolibet onere immunitatem.

℣. 28. NOVI SUPERBIAM TUAM.] Fateamur, oportet, si ex rerum specie judicium ferendum sit, David ardenter nimis animi sui motus esse secutum: verum Eliab quoque frater illius natu major acribus nimis utitur verbis contra illum, quem revereri debebat, sciens, Regem inunctum fuisse.

℣. 29. NUMQUID NON VERBUM EST.] Quid hoc est mali? Hoc verbum est dumtaxat, ex quo nihil necessario consequitur. Num ea, quæ cogitamus, enunciare nefas est?

℣. 33. QUIA PUER ES.] Duobus, vel tribus supra viginti natus erat annos; numquam ante in prælium descenderat,

℣. 34. VENIEBAT LEO, VEL URSUS.] David duas isthic colligit historias, quæ illi contigerant; ex quibus quantum satis erat, animi ceperat, ut cum Goliath congredi auderet. Belli prælusia, ac tyrocinia in pastoritio munere emiserat, ubi quoque vera Principis munia didicerat. Vide Philonem de Vita Mosis.

℣. 36. NUNC VADAM, & AUFERAM OPPROBRIUM PO-

1 Vide Est. 2 וזקן בא באנשים 3 Ο' ἀνὴρ πρεσβύτερος ἐληλυθὼς ἐν ἔτεσιν.
4 איפת הקלי 5 Vide mox ℣. 25. 6 עשרת חרצי החלב 7 Τὰς δέκα τρυφαλίδας τοῦ γάλακτος. Vide Hesych. &c. 8 ואת ערבתם תקח Aqu. Τὴν σύμμιξιν αὐτῶν λήψῃ. 9 Καὶ ὅσα ἂν χρήζωσι γνώσῃ. 10 Sym. Τὰς μισθοφορίας αὐτῶν λήψῃ. Aqu. juxta nonnullos, Τὸ σύνθημα, seu, ἐρρῶσθαι αὐτῶν λήψῃ, idest, juxta Scoliasten. Τὸ ἐν σχέσει αὐτῶν ἀπαγγελεῖς μοι. καὶ τί διάγουσι πράττοντες. referes mihi quid agant.
11 Jun. Pisc. Cast. Vatab. Hebræi. Vide & Cleric. hic.
12 Vide Tradit. Hebr. in 1. Reg. hic. 13 ויבא המעגלה Quid. Interp. Εἰς τὴν παρεμβολήν.
14 Ἦλθεν εἰς τὴν στρογγύλωσιν. 15 ממערכות Ἐκ τῆς παρατάξεως.

POPULI: QUONIAM QUIS EST ISTE PHILISTHÆUS INCIRCUMCISUS.] Hęc neque in Hebraico textu, neque in Septuaginta extant; atque in Veteribus Manuscriptis veluti additio notantur.

℣. 39. COEPIT TENTARE SI ARMATUS POSSET INCEDERE.] Hebraicus textus [1]; *voluit incedere, quoniam usum non habebat*. Symmachus, & alius vetus Interpres: *Claudicabat incedens, eo quod assuetus non erat*. Septuaginta: *Defessus est semel, & iterum incedendo* &c.

℣. 40. QUINQUE LIMPIDISSIMOS LAPIDES.] Hebræus: *Quinque lapides lubricos*. Contendunt autem lævigatos lapides præ aliis rectius incedere, aerius ferire, celerius e funda discedere. Aer minus ipsorum pernicitati adversatur, eo quod nullæ ipsis scabræ sunt inæqualitates, quæ necessario eorum celeritatem remorentur. Attamen Lodovicus de Dieu in oppositam abiit sententiam; ait enim rudes, impolitosque lapides David consilio aptiores fuisse; (validius enim percutiunt, pervaduntque facilius, quam lævissimi lapides. Hoc autem pacto Hebraicum textum reddit [2]; *quinque frusta lapidis*; scilicet quinque fragmenta petræ fractæ, ac in assulas disruptæ. Fatendum quidem est hunc sensum authographo possu tribui, si a Massoretharum interpunctione recedamus.

MISIT EOS IN PERAM PASTORALEM.] Funditores peram lapidibus semper refertam gestare debebant.

℣. 44. VENI AD ME, & DABO CARNES TUAS VOLATILIBUS COELI.] Dialogus hic inter Goliath, & David, satis ob oculos nobis præbet pietatem David, qui Goliath se se jactantis ampullis nihil aliud ait, quam se divino esse fretum auxilio. Hæc erat veteribus Heroibus consuetudo; antequam singulare prælium inirent semet probris lacessendi [3], ultro citroque convicia ingerendi, hostibus minas intentandi, ac præclara gesta sua jactandi; hoc vero temporibus nostris viluit; neque ultionis desiderio ferretur quispiam, ut adversarii sui carnes canibus, ac coeli volatilibus, dilaniandas objiceret. Moderatiores sunt nostri sensus, saltem extrinsecus.

℣. 47. IPSIUS ENIM EST BELLUM.] Ipse belli arbiter est: bellum hoc Dei proprium est, bellum Religionis: illiusque honor agitur in belli hujus eventu. Tu conviciis tuis Deum lacessis; sciet quidem ille honorem suum contumeliis affectum ulcisci: denique Deus noster est Deus exercituum, ac bellorum; & cui vult victorias impertit.

℣. 48. CUM SURREXISSET PHILISTHÆUS.] Sedens adversarium suum opperiebatur, quemadmodum ex Textu colligitur. Mos hic in plerisque antiquitatis populis dignoscitur. Galli, exempli gratia, & Romani milites, quos *Triarios* vocabant, sedentes prælii tempus expectabant.

℣. 49. INFIXUS EST LAPIS IN FRONTE EJUS.] Veterum funditorum quænam esset peritia, tum ex Scriptura, cum ex Profanis satis liquet. Balearium Insularum incolæ cæteris omnibus hoc præliandi genere præstabant; ita enim edocti erant, ut quem collimassent locum, ab eo ne latum quidem unguem aberrarent: & Titus Livius Decad. 3. l. 4. eos ictus sui adeo certos fuisse dicit, *ut non solum capita hostium vulnerarent, sed quem locum destinassent oris*. Hoc pacto David percussit gigantem Goliath:

Et media adversi liquefacto tempora plumbo
Diffidit, ac multa porrectum extendit arena.

Chaldæus ait, David oculorum aditum elegisse, quem cassidis buccula offerebat, atque illac in Gigantis caput lapidem pervasisse: sed Scriptura palam de fronte loquitur; neque ambages quærendæ sunt, ut explicetur, quemadmodum funda potuerit bucculam perstringere, atque lapidem in gigantis frontem impingere. Similia namque talium fundæ effectuum habemus exempla. Diodorus Siculus l. 5. c. 207. explicite asserit, neque clypeos, neque aliud quodvis armorum genus lapidis funda emissi impetum posse sustinere, atque fundæ vim minimum cedere catapultis, quod bellicum tormentum est maximarum virium. Ajunt quoque tunc cum funda plumbeam glandem ejacularentur, hanc sæpius in aera nimia motus pernicitate fuisse liquefactam.

. . . . Plumbea vero
Glans etiam longo cursu volvendo liquescit.

At difficultas, quæ hac in re objicitur, chimerica forsitan est, namque nullatenus verum est veterum galeis bucculas fuisse, quæ frontem, & faciem obtegerent. Neque enim ullam mihi invenire licuit in galearum descriptionibus, quæ plurimæ in Homero leguntur. Armatura hæc sæpius e corio fiebat [4]; atque tunc sine buccula fuisse inter omnes convenit. Hectoris cassis erat ærea non secus ac galea Goliath; sed ex anteriori parte clausa non erat. Astyanax Hectoris filius cum in nutricis hæreret complexu, splendorem intuitus, qui ex ærea patris sui casside emicabat, & equinas setas verticei illius agitatas, expavit [5]; neque prius patrem osculari voluit, quam galeam pater deposuisset.

℣. 52. IN VIA SARAIM, & USQUE AD GETH, & USQUE AD ACCARON.] Urbem Saraim in Josue 15. 36. inter Juda civitates invenimus: verus situs illius nos fugit; sed esse debebat inter vallem Terebinthi, ac Geth, & Accaron: nec forte alia erat ab *Saraim*, quæ loco eodem Josue ℣. 33. memoratur. Geth, & Accaron duæ sunt insignes Philisthinorum urbes; Geth vero habita ratione Accaronis, magis ad meridiem vergebat. Alibi enim ostendimus Geth omnium Philisthiim civitatum fuisse maxime meridionalem.

℣. 54. CAPUT PHILISTHÆI ATTULIT IN JERUSALEM.] Quinam isthuc; quandoquidem Jerusalem erat adhuc Jebusæorum? Respondetur, partem urbis hujus inferiorem communem fuisse, tribubus Juda, & Benjamin; vel potius caput Goliath tunc demum in Jerusalem allatum fuisse, cum ea David potitus est, ac eo Domini Arcam transtulit. Hoc pacto, non pauci, iique melioris notæ Interpretes [6] intelligunt; qui putant tentorium, vel Tabernaculum *David*, de quo isthic est sermo, nihil esse aliud, quam Tabernaculum, quod in Domini honorem Rex David erexit in Jerusalem.

ARMA VERO EJUS POSUIT IN TABERNACULO SUO,] vel in tabernaculo fratrum suorum, vel in Tabernaculo in Jerusalem. Liquet autem aliquandiu post gladium Goliath fuisse Nobe in Tabernaculo. Apparet hic vetustissima Heroicorum temporum consuetudo arma de hostibus capta in Deorum delubris consecrandi, quorum opem experti fuisse credebantur [7]. Neco Rex Ægypti post relatam de Josia Judæorum Rege victoriam misit Branchidas Milesiorum vestes, quibus eo in prælio fuerat indutus, ut Apollini dicarentur. Vide Herodotum l. 2. c. 159.

℣. 55. DE QUA STIRPE DESCENDIT HIC ADOLESCENS.] Mirum est, quod Saul non agnosceret David, quem sæpe adeo habuerat domi suæ. Vide quæ supra dicta ℣. 18. capitis superioris. Regis hac in re multo magis intererat adolescentis hujus nosse familiam, quod pollicitus fuerat se nuptui daturum filiam suam illi, qui vicisset Goliath.

Postremi quinque capitis hujus versiculi apud Septuaginta non extant, sed in solo Græco Manuscripto Alexandrino inveniuntur. Verum adsunt in Hebraico Textu, Chaldaico, Syriaco, Arabico, omnibusque exemplaribus Latinis; eosque in Græcis exemplaribus legebat Theodoretus, ut liquet ex ipsius quæstione 43. in hunc librum. Demum in aliis Græcis exemplaribus ad hujus Capitis calcem longa legitur additio, vel repetitio certaminis David, & Goliath. Vide Notas in Romana editione, atque Hexaplorum recentiorem editionem.

CAPUT

1 ויאל ללכת כי לא נסה Sym. Καὶ ἐσκάζεν ἀήθης ὤν, Alius. Καὶ ἐχώλανεν ἐν τῷ βαδίζειν. 70. Καὶ ἐκοπίασε περιπατήσας, &c. 2 חמשה חלקי אבנים 3 Vide Homerum passim. 4 Vide Homer. I.
5 Iliad. Θ. 6 Jun. Pisc. alii teste Malvenda. 7 Homer. Iliad. H.

CAPUT XVIII.

Amicitia Jonathæ, & David: Saulis invidia: qui configere admititur David lancea, quam ejaculatur in illum: contra ea, quæ spoponderat, tribuit primogenitam filiam suam uxorem Hadrieli: David vero conjugem ducit Michol ducentis Philisthinorum præputiis emptam.

1. ET factum est, cum complesset loqui ad Saul: anima Jonathæ conglutinata est a-
nimæ David, & dilexit eum Jonathas quasi animam suam. 2 Tulitque eum Saul
in die illa, & non concessit ei, ut reverteretur in domum patris sui. 3 Inie-
runt autem David, & Jonathas fœdus: diligebat enim eum quasi animam suam. 4 Nam
expoliavit se Jonathas tunica, qua erat indutus, & dedit eam David, & reliqua vesti-
menta sua, usque ad gladium, & arcum suum, & usque ad baltheum. 5 Egrediebatur
quoque David ad omnia, quæcumque misisset eum Saul, & prudenter se agebat: posuit-
que eum Saul super viros belli, & acceptus erat in oculis universi populi, maximeque
in conspectu famulorum Saul. 6 Porro cum reverteretur percusso Philisthæo David,
egressæ sunt mulieres de universis urbibus Israel, cantantes, chorosque ducentes in oc-
cursum Saul regis, in tympanis lætitiæ, & in sistris. 7 Et præcinebant mulieres luden-
tes, atque dicentes: Percussit Saul mille, & David decem millia. 8 Iratus est autem
Saul nimis, & displicuit in oculis ejus sermo iste: dixitque: Dederunt David decem mil-
lia, & mihi mille dederunt: quid ei superest nisi solum regnum? 9 Non rectis ergo
oculis Saul aspiciebat David a die illa, & deinceps. 10 Post diem autem alteram, in-
vasit spiritus Dei malus Saul, & prophetabat in medio domus suæ: David autem psalle-
bat manu sua, sicut per singulos dies, tenebatque Saul lanceam, 11 Et misit eam, pu-
tans quod configere posset David cum pariete: & declinavit David a facie ejus secundo.
12 Et timuit Saul David, eo quod Dominus esset cum eo, & a se recessisset. 13 Amo-
vit ergo eum Saul a se, & fecit eum tribunum super mille viros: & egrediebatur, &
intrabat in conspectu populi. 14 In omnibus quoque viis suis David prudenter agebat,
& Dominus erat cum eo. 15 Vidit itaque Saul, quod prudens esset nimis, & cœpit ca-
vere eum. 16 Omnis autem Israel, & Juda diligebat David: ipse enim ingrediebatur,
& egrediebatur ante eos. 17 Dixitque Saul ad David: Ecce filia mea major Merob,
ipsam dabo tibi uxorem; tantummodo esto vir fortis, & præliare bella Domini. Saul au-
tem reputabat, dicens: Non sit manus mea in eum, sed sit super eum manus Philisthi-
norum. 18 Ait autem David ad Saul: Quis ego sum, aut quæ est vita mea, aut co-
gnatio patris mei in Israel, ut fiam gener regis? 19 Factum est autem tempus, cum de-
beret dari Merob filia Saul David, data est Hadrieli Molathitæ uxor. 20 Dilexit autem
David Michol filia Saul altera. Et nuntiatum est Saul, & placuit ei, 21 Dixitque Saul:
Dabo eam illi, ut fiat ei in scandalum, & sit super eum manus Philisthinorum. Dixitque
Saul ad David: in duabus rebus gener meus eris hodie. 22 Et mandavit Saul servis
suis; Loquimini ad David clam me, dicentes: Ecce places regi, & omnes servi ejus di-
ligunt te. Nunc ergo esto gener regis. 23 Et locuti sunt servi Saul in auribus David
omnia verba hæc. Et ait David: Non parum videtur vobis, generum esse regis? Ego
sum vir pauper, & tenuis, 24 Et renuntiaverunt servi Saul, dicentes: Hujuscemodi
verba locutus est David. 25 Dixit autem Saul: Sic loquimini ad David: non habet rex
sponsalia necesse, nisi tantum centum præputia Philisthinorum, ut fiat ultio de inimicis
regis. Porro Saul cogitabat tradere David in manu Philisthinorum. 26 Cumque renun-
tiassent servi ejus David verba, quæ dixerat Saul, placuit sermo in oculis David, ut fie-
ret gener regis. 27 Et post paucos dies surgens David, abiit cum viris, qui sub eo
erant. Et percussit ex Philisthiim ducentos viros, & attulit eorum præputia, & annumera-
vit ea regi, ut esset gener ejus. Dedit itaque Saul ei Michol filiam suam uxorem. 28
Et vidit Saul, & intellexit, quod Dominus esset cum David. Michol autem filia Saul di-
ligebat eum. 29 Et Saul magis cœpit timere David, factusque est Saul inimicus David
cunctis diebus. 30 Et egressi sunt principes Philisthinorum. A principio autem egressio-
nis eorum, prudentius se gerebat David quam omnes servi Saul, & celebre factum est
nomen ejus nimis.

℣. 1. ANIMA JONATHÆ CONGLUTINATA EST ANIMÆ DAVID.] Hebræus: *Anima Jonathæ devincta erat cum anima David.* Dixerat olim sapiens ille Pythagoras amicitiam nihil aliud esse, quam animam in duobus corporibus inhabitantem, & amicum alterum esse semetipsum. Sensuum, studiorumque similitudo necessitudinis hujus causa fuit, ac reciproca meritorum Jonathæ, ac David cognitio eamdem auxit, & inconcussam utroque confirmavit. Arduum, ac difficile penitus esset duas invenire animas, majori virtute, affectu, & liberalitate præditas, quàm duum horum amicorum animæ fuerint. Jonathas erga David præsertim magnanimitatis, constantiæ, ac integritatis specimen edidit præclarum adeo, ut huic simile nullum uspiam Historia profana suggerat exemplum.

B ℣. 2. TULIT EUM SAUL IN DIE ILLA.] Ante id tempus satis Sauli erat David accersere, cum morbo laboraret; sed post relatam a David de Goliath victoriam, domui suæ eum habere voluit.

℣. 4. EXPOLIAVIT SE TUNICA . . . . USQUE AD GLADIUM, ET ARCUM SUUM, ET USQUE AD BALTHEUM.] Dono dedit illi omnes vestes suas generatim, simul cum omnibus armis suis. Tunica est vestis interior; baltheus vero est postremum armaturæ genus. Hæc autem vestium, armorumque munera apud veteres erant vulgatissima.

℣. 5. PRUDENTER SE AGEBAT.] Ipsius vivendi ratio [1] sapientissima erat, atque prudentissima.

C ℣. 6. CUM REVERTERETUR PERCUSSO PHILISTHÆO.] Scilicet Goliath. Nescio, cur Interpretes nonnulli [2] autument hoc alia in occasione contigisse, & Philisthæum hic poni generatim pro Philisthæis.

CANTANTES, CHOROSQUE DUCENTES . . IN TYMPANIS LÆTITIÆ, ET IN SISTRIS] Hebraicus textus verti posset [3]: *Cantantes cum tibiis, tympanis, ac triumphalium instrumentis.* Hebraica vox, quæ choreas significat, significat quoque tibias, vel paria pneumatica musicorum instrumenta: tympanorum vero alibi [4] descriptionem trademus. *Schalischim* denique est, ut perhibetur, instrumentum trichordum, quod Assyrii invenerunt [5]. Septuaginta id de cymbalis explicant. Sistrum, cujus meminit Vulgata, instrumentum erat in Ægypto D vulgarissimum, compositum ex ansa quadam, & ænea lamina recurva, quam transversum secabant virgæ quædam ex eodem metallo, quæ moveri poterant, & acutissimum edebant sonitum, dum sistrum agitaretur.

℣. 7. ET PRÆCINEBANT.] Hebraice [6]: *sibi alternis concentibus respondebant*; canebant, & variis distinctæ choris carmen hoc intercalare sibi respondebant: Percussit Saul mille, & David decem millia. Aliæ priora hujus versiculi canebant verba, aliæ vero succinebant; & *David decem millia*. Hi mulierum chori, qui coram victoribus lætitiæ notas edebant, vel qui luctu devictorum cladem prosequebantur, alicubi præter hunc locum in Scripturis occurrunt. Vide Exod. 15. 20. & 2. Regum 1. 20. E & Judic. 11. 34.

PERCUSSIT SAUL MILLE.] Hebræus [7]: *Saul percussit cum mille, & David cum decem millibus.* Alter quidem mille bellatoribus præstat, alter vero decem millibus; vel Saul hostem invasit cum mille viris; David autem cum decem millibus. At Vulgatæ sensus congruit cum Hebraico: David percussit decem mille viros, occidens Goliath; victoria vero, quam Saul de Philisthiim reportavit, ex priori illo triumpho est profecta.

A ℣. 8. IRATUS EST SAUL NIMIS.] Mulieres hæ præ nimia hilaritate David laudes supra Saulem extollentes, illi obfuerunt [8]. Moleste, atque gravate omnis fert, præsertim Rex, aliquem e subditis suis sibi præponi intelligens. Saul vero præ alio quovis magis suspiciosus esse debebat, eo quod Deus minitatus fuerat, se illi Regnum esse adempturum; agnoscebat quidem in puero hoc virtutes regno dignas; quot laudibus illum a populo audiebat celebrari, tot se conviciis imperi arbitrabatur, atque propter hæc omnia maximis invidiæ stimulis agitabatur [9]. *A malo Principe tamquam successor timetur, quisquis est dignior.* At succensere Davidi debebat ille, atque ab eo petere pœnas de illis, quæ in ipsius laudem prædicabantur?

B ℣. 9. NON RECTIS OCULIS ASPICIEBAT DAVID.] Hebraicus textus, & Septuaginta [10]: *Saul aspiciebat David*; observabat eum, oculos ab illo non avertebat, veluti a viro, de quo aliqua illi suspicio inciderat: & cujus gesta nonnihil timoris illi ingerebant. Chaldæus; *Saul tendebat insidias David*. Omnia illius vestigia explorabat, ut si quando aberrasset, deprehendere posset. Denique Textus verti posset: *Saul admittebat injustitiam contra David*; credens illum ambitionis, ac superbiæ sensus alere, ac Regnum affectantem moliti, ut ipsum de regni solio dejiceret.

℣. 10. PROPHETABAT IN MEDIO DOMUS SUÆ.] Lymphaticus, ac furens, aut veluti homo Divino Spiritu afflatus videbatur; movebat se se, atque C contorquebat, veluti violento agitatus enthusiasmo. Hebraica vox potest quidem significare [11] *prophetare*, Prophetæ motus imitari, absque eo quod re ipsa ullo boni, vel nequam spiritus afflatu concutiatur. At Saul hic spiritu malo torquebatur, vel simpliciter atra bile succensa agitabatur. Seneca in Medea.

Incerta qualis entheos cursus tulit
Cum jam recepto mænas insanit Deo.

℣. 11. DECLINAVIT A FACIE EJUS SECUNDO.] Eodem plane furore correptus bis Saul Davidem transfodere conatus est. Nonnulli vertunt: *Effugit illum secundo*; periode ac antea semel in idem periculum fuisset adductus. Semper Saulem hastam manu quatientem videmus. Hac præcinctus cap. 19. 10. exhibetur. Hanc quoque mensæ assidens habebat, cum D Jonatham filium suum adnisus est transverberare 1. Reg. 20. 33. Eamdem ad cervical appositam tunc quoque habebat, cum David illius castra, ac tentorium ingressus est, infra cap. 26. 7. Antiqui Reges diadematis loco hastam gerebant, ut ait Justinus l. 43. *Per ea tempora Reges hastas pro diademate habebant.* Quare fit, ut Dii, & Heroes hastas manu præferentes nobis exhibeantur: *Ab origine rerum, pro Diis immortalibus veteres hastas coluere, ob cujus Religionis memoriam, adhuc Deorum simulacris hastæ adduntur.*

℣. 13. AMOVIT ERGO EUM SAUL A SE.] Honoris prætextu amplissimæ quidem, sed alea plenæ præfecit illum provinciæ, ut ipsum de medio tolleret. Hæc frequenter (heu nimium!) sors est virorum, qui nimio virtutum emicant fulgore; plenæ sunt hi-E storiæ paribus exemplis.

℣. 17. ESTO VIR FORTIS, ET PRÆLIARE BELLA DOMINI.] Domini partes suscipe, populum ipsius adversus hostes suos defendens. Hebræorum bella, donec Dei paruerunt imperiis, erant vere bella Domini: sed cum ambitio, dominandique cupiditas obrepsere, fuere profana bella, atque bella libidinis.

℣. 18. QUÆ EST VITA MEA, AUT COGNATIO?] Hebraicus textus, & Septuaginta [12]: *Quæ est vita familiæ patris mei in Israel?* Quo in honore versata est ha-

---

1 ושכיל   2 Jun. Pisc. Malv.   3 לשר והמחלות בתפים בשמחה בשלשים
4 In Dissertatione de musicis Hebræorum instrumentis Psalmis præfixa.   5 Pollux l. 4. c. 9.
6 ותענינה.   7 הכה שאול באלפיו ודוד ברבבותיו. 70. Ἐπάταξε Σαοὺλ ἐν χιλιάσιν αὐτοῦ, καὶ Δαυὶδ ἐν μυριάσιν αὐτοῦ.   8 Chrysost. homil. 1. de David. & Saul.   9 Plin. Panegyr. Trajani.
10 ויהי שאול עוין את דוד Καὶ ἦν Σαοὺλ ὑποβλεπόμενος τὸν Δαυίδ.   11 ויתנבא.
12 מי חיי משפחת אבי בישראל Τίς ἡ ζωὴ τῆς συγγενείας τοῦ πατρός μου.

est hactenus familia Patris mei in Israel ? quæ provincia, quæ dignitas illi fuit demandata ? Quidnam præstiti vel Regno, vel regiæ familiæ, ut admitti merear ad fœdus amplissimum tecum, ac Regis filiam ducam uxorem ?

ỳ. 20. DILEXIT DAVID MICHOL FILIA SAUL ALTERA.] Latina quædam exemplaria legebant e contra ; *Dilexit David Michol filiam Saul alteram* ; ita ut non puella Davidis, verum David puellæ amore flagraret. Sed Hebraicus textus, & Septuaginta cum Vulgata conveniunt.

ỳ. 21. IN DUABUS REBUS GENER MEUS ERIS HODIE.] Quænam sunt hæ duæ res ? Nonnulli putant a Saule Davidi optionem fuisse factam, ut vel dotem filiæ dignitati congruam persolveret, vel centum præputia Philisthinorum afferret. David hanc amplexus est conditionem. Alii volunt Saulem spopondisse Davidi filiam suam Michol duabus de causis : primum, eo quod interemisset Goliath ; deinde pro centum Philisthinorum præputiis, quæ ad ipsum afferre debebat [1]. Alii denique contendunt, David bis præputia Philisthiim detulisse Sauli ; semel, ut sibi acquireret Merob, quæ illi promissa fuerat ; secundo vero ut haberet Michol, quam duxit uxorem. Verti quoque potest : *Secunda hac vice, duces filiam meam in uxorem* ; nonnisi particularibus adductus rationibus non dedi tibi Merob primogenitam meam ; sed hac vice, tradam tibi Michol minorem natu, hac secunda vice duces eam in uxorem. Hebraicus textus simpliciter habet [2] : *In duobus, hodie mihi Gener eris*. At patet in hac lingua sæpius unum, duo, tria &c. usurpati pro semel, bis, tertio &c. Alterutram doces, nisi primogenitam, alteram duces. Aliter : *Quoniam nunc secundo unam e filiabus meis nuptum tibi tradi petis* &c.

ỳ. 25. NON HABET REX SPONSALIA NECESSE.] Apud Hebræos vir uxori dotem tribuebat, quemadmodum sæpius alibi notatum est. Vir emere debebat conjugem suam.

CENTUM PRÆPUTIA PHILISHINORUM.] Ut omnia evitaretur fraus, atque ut incircumcisis tantum vis posset inferri. Arabes, qui ab Ismaele deduxerunt originem, & populi, qui ab Esau orti fuerant, Hebræorum more circumcidebantur ; neque Israelitis populus alius incircumcisus propior erat, quam Philisthiim. Convicium hoc ægre, & gravate Philisthiim sibi ingeri patiebantur : Saul vero id unum quærebat, ut eos in dies magis adversus David succenderet. Josephus ait, Saulem ab eo centum Philisthinorum capita petiisse. At hoc illi solemne est Scripturæ veritatem fuco oblinire, cum veretur, ne Lectores aliquem Nationis Judaicæ contemptum concipiant, si res naturali simplicitate referret, vel aliquid nimis incredibile enarraret.

ỳ. 27. POST PAUCOS DIES.] Hebræus [3] : *dies completi non fuerunt* ; Non expectavit, donec prædefiniti temporis finis adesset, ut numerum hunc præputiorum persolveret ; ea itaque maturato attulit, & forte antequam tempus, quod sponsalia inter, & nuptias intercedere consueverat, defluxisset.

PERCUSSIT DUCENTOS.] Pro centum præputiis, quæ ab ipso poposcerat Saul, attulit ducenta. In quibusdam hebraicis Exemplaribus [4] non extat præputiorum numerus ; legunt vero simpliciter : *Rex non petiit aliam dotem pro filia sua, quam præputia Philisthinorum*. Sed centum a Saule petita fuisse ex eo confirmatur, quod David ipse inferius ait [5], se hunc præputiorum numerum tribuisse pro Michol. Ducenta quidem attulerat, sed centum dumtaxat debuerat.

ỳ. 30. EGRESSI SUNT PRINCIPES PHILISTHINORUM.] Plane ut sibi a David illatam injuriam ulciscerentur. Nihil de hoc bello affertur præterea, nisi quod per omne illius tempus David præclara virtutis suæ præbuit argumenta.

1 Rupert. Tost. Menoch. Tirin. Sa, Sanct. &c. 2 בשתים תתחת בי היום.
3 ולא מלאו הימים. 4 Oriental. Heb. legunt כי אם ערלות loco כי מאה ערלות. Vide Capell. Critic. l. 3. c. 17. 5 2. Reg. 3. 14. *Redde uxorem meam Michol, quam despondi mihi centum præputiis Philisthiim*.

CAPUT XIX.

Jonathas dimovet Saulem de consilio Davidis interimendi. Saul iterum mania correptus Davidem transfodere conatur, qui inde aufugit. Saul domum ipsius satellites mittit, sed Michol Davidis uxor illum per fenestram demittit, qui ad Samuelem in Najoth confugit. Qui missi a Saule ad illum capiendum accedunt, prophetant cum Prophetis. Saul ipse eodem veniens, quemadmodum alii prophetat.

1. LOcutus est autem Saul ad Jonatham filium suum, & ad omnes servos suos, ut
occiderent David. Porro Jonathas filius Saul diligebat David valde. 2 Et in-
dicavit Jonathas David, dicens : Quærit Saul pater meus occidere te : qua-
propter observa te, quæso. mane, & manebis clam, & absconderis. 3 Ego autem e-
grediens stabo juxta patrem meum, in agro, ubicumque fueris : & ego loquar de te
ad patrem meum : & quodcumque videro, nuntiabo tibi. 4 Locutus est ergo Jona-
thas de David bona ad Saul patrem suum ; dixitque ad eum : Ne pecces, rex, in ser-
vum tuum David, quia non peccavit tibi, & opera ejus bona sunt tibi valde. 5 Et
posuit animam suam in manu sua, & percussit Philisthæum, & fecit Dominus salutem
magnam universo Israeli ; vidisti, & lætatus es. Quare ergo peccas in sanguine inno-
xio, interficiens David, qui est absque culpa ? 6 Quod cum audisset Saul, placatus
voce Jonathæ, juravit : Vivit Dominus, quia non occidetur. 7 Vocavit itaque Jona-
thas

thas David, & indicavit ei omnia verba hæc : & introduxit Jonathas David ad Saul, &
fuit ante eum, ſicut fuerat heri, & nudiuſtertius. 8 Motum eſt autem rurſum bellum:
& egreſſus David, pugnavit adverſum Philiſthiim : percuſſitque eos plaga magna, & fu-
gerunt a facie ejus. 9 Et factus eſt ſpiritus Domini malus in Saul, ſedebat autem in
domo ſua, & tenebat lanceam : porro David pſallebat manu ſua: 10 Niſuſque eſt Sa-
ul configere David lancea in pariete, & declinavit David a facie Saul: lancea autem caſ-
ſo vulnere perlata eſt in parietem, & David fugit, & ſalvatus eſt nocte illa. 11 Miſit
ergo Saul ſatellites ſuos in domum David, ut cuſtodirent eum, & interficeretur mane.
Quod cum annunciaſſet David Michol uxor ſua, dicens : Niſi ſalvaveris te nocte hac,
cras morieris: 12 Depoſuit eum per feneſtram. Porro ille abiit, & aufugit, atque ſal-
vatus eſt. 13 Tulit autem Michol ſtatuam, & poſuit eam ſuper lectum ; & pellem pi-
loſam caprarum poſuit ad caput ejus, & operuit eam veſtimentis. 14 Miſit autem Saul
apparitores, qui rapetent David : & reſponſum eſt, quod ægrotaret. 15 Rurſumque
miſit Saul nuntios, ut viderent David, dicens : Afferte eum ad me in lecto, ut occi-
datur. 16 Cumque veniſſent nuntii, inventum eſt ſimulacrum ſuper lectum, & pellis
caprarum ad caput ejus. 17 Dixitque Saul ad Michol : Quare ſic illuſiſti mihi, & di-
miſiſti inimicum meum, ut fugeret ? Et reſpondit Michol ad Saul : Quia ipſe locutus
eſt mihi : Dimitte me, alioquin interficiam te. 18 David autem fugiens, ſalvatus eſt,
& venit ad Samuel in Ramatha, & nuntiavit ei omnia, quæ fecerat ſibi Saul : & abie-
runt ipſe, & Samuel, & morati ſunt in Najoth. 19 Nuntiatum eſt autem Sauli a di-
centibus: Ecce David in Najoth in Ramatha. 20 Miſit ergo Saul lictores, ut raperent
David : qui cum vidiſſent cuneum Prophetarum vaticinantium, & Samuelem ſtantem ſu-
per eos, factus eſt etiam Spiritus Domini in illis, & prophetare cœperunt etiam ipſi.
21 Quod cum nuntiatum eſset Sauli, miſit & alios nuntios : prophetaverunt autem &
illi. Et rurſum miſit Saul tertios nuntios, qui & ipſi prophetaverunt. Et iratus iracun-
dia Saul, 22 Adiit etiam ipſe in Ramatha, & venit uſque in ciſternam magnam, quæ
eſt in Socho, & interrogavit, & dixit : In quo loco ſunt Samuel, & David ? Dictum-
que eſt ei : Ecce in Najoth ſunt in Ramatha. 23 Et abiit in Najoth in Ramatha, &
factus eſt etiam ſuper eum Spiritus Domini, & ambulabat ingrediens, & prophetabat
uſque dum veniret in Najoth in Ramatha. 24 Et expoliavit etiam ipſe ſe veſtimentis
ſuis, & prophetavit cum cæteris coram Samuele, & cecidit nudus tota die illa, & no-
cte. Unde & exivit proverbium : Num & Saul inter Prophetas?

℣. 3. STABO JUXTA PATREM MEUM IN AGRO, UBICUMQUE FUERIS, ET EGO LOQUAR DE TE.] Jonathas dicit Davidi, ut in agro quodam deliteſcat, quo poſtera die mane Saul erat iturus ; ut David ipſe, quo pacto patrem ſuum alloqueretur, agnoſceret. Verum multo magis præſtat hebraicum textum hoc pacto intelligere, illum præcedenti verſiculo addendo: *Obſerva te, quæſo mane ; & manebis clam, & abſconderis* : (ac interim : *Ego egrediens ſtabo juxta patrem meum* ;) abſconderis, inquam, *in agro ubicumque fueris, & ego loquar de te ad patrem meum*. Sæpius in Scripturæ textu ſimiles narrationes occurrunt perturbatæ, ac interruptæ.

℣. 6. PLACATUS VOCE JONATHÆ, JURAVIT.] Verene placatus erat, an ſimulavit ? ſi animadvertere velimus, quo pacto cum primum ſe obtulit occaſio, Davidem exceperit, ſane ipſum nihil immutaſſe conſilii innoteſcet : verum ſi obiter omnem Saulis vitam percurramus, in ipſo pravum cor, inconſtantiam in bono, miramque in decernendo infirmitatem licebit intueri. Non igitur a veritate abſonum eſt, quod cum illico Davidi veniam concedere voluerit, præ nimia animi ſui inconſtantia in aliud conſilium abierit, cum ſe ſe illi prima obtuliſſet occaſio. B

℣. 9. FACTUS EST SPIRITUS DEI MALUS IN SAUL.] A Morbo ſuo iterum correptus eſt, mania iterum eſt affectus, plane ad intuitum proſperorum eventuum, quibus Deus Davidis arma fuerat proſecutus in poſtremo adverſus Philiſthinos bello.

℣. 11. UT CUSTODIRENT EUM, ET INTERFICERETUR MANE.] Cur autem nocte eadem ipſum non curavit interficiendum ? Hoc ipſum obſervarunt Philiſtiim adverſus Samſonem in urbe Gaza clauſum [1] : Pharao cum ſub veſperam ad Iſraelitarum caſtra perveniſſet Exod. 14. 20. noluit tunc temporis in illos impetum facere. Ad hanc quoque diem Mahometani, non ſecus ac olim Parthi, nihil noctu peragunt. Neſcio vero, utrum hac in re aliqua eſſet ſuperſtitio; an vereretur Saul, ne ſatellites noctu alterum pro David occiderent ; an plena die ipſe necis illius oculatus voluerit eſſe teſtis, ne pro illo alter ſupponeretur ; an denique mens illi eſſet efficiendi, ut in jus ab aliquo vocatus, aliqua juris formula, capite damnaretur.

℣. 13. TULIT MICHOL STATUAM.] Hebræus [2] : *tulit Teraphim*. De Teraphim non ſemel hactenus locuti ſumus [3]. Hoc in loco videtur eſſe intelligendum de rudi quadam figura e lineis ſcruris compacta; vel e ligno pannis circumveſtito, ac feſtinanter ad hominis magnitudinem properato, ita ut referre poſſet Davidem ſtragulis coopertum ; neque majori cura opus

1 Judic. 16. 2. *Ibi tota nocte cum ſilentio præſtolantes, ut facto mane exeuntem occiderent*.
2 ותקח מיכל את התרפים. 70. Κενοτάφια.
3 Vide Geneſ. 31. 19. & ſupra c. 15. ℣. 23.

opus erat, ut satellites a Saule immissi deciperentur. *Teraphim* nomen generatim omni simulacrorum generi, seu sacra, sive profana sint, cujuscumque formæ, & cujuscumque materiæ tribui potest; atque ideo nihil obest, quo minus hoc nomine appellentur scenta simul contorta, ac veluti ea terriculamenta compacta, quæ in agris ad arcendas aves [1] constituuntur, vel pilæ, quæ in circo tauris objiciebantur, ut in illas primas vires exererent. Septuaginta vertunt, *Cenotaphia*; scilicet, mortui repræsentatio, ac inanis tumulus. Aquila *figuras* reddit. Symmachus *idola*. Qui ajunt Teraphim semper idola significare, credunt a Davide asservari ea potuisse domi suæ, vel simpliciter ad ornatum, vel ut illis illuderet, ut in illos probra congereret [2]. Alii vero nequaquam assentiri possunt, quod vir ea, qua David erat, pietate præditus, idola voluerit domi asservare, propter periculum, ne aliquis e familia in Idololatriam prolaberetur: contendunt autem simulacrum hoc haud veritum fuisse, sed sacram imaginem, vel magni cujuspiam viri fuisse statuam.

PELLEM PILOSAM CAPRARUM POSUIT AD CAPUT EJUS.] Ad id plane, ut pellis hæc cum vellere suo David cæsaries esse putaretur. Hinc vero arguere, capras vulgo rubri velleris fuisse [4], eo quod David rufus esset, hoc sane idem est, ac incertum ex incerto inferre. Neque enim certum est, David rubros habuisse crines, ac incertius capras hoc fuisse colore imbutas. Alii volunt hoc fuisse capillitii genus ex caprarum vellere [5]; certum est ibi gentium, caprarum pilos oblongos esse, ac facile hominis cubantis cæsariem posse referre.

Interpretes quidam hoc pacto hebraicum textum reddunt [6]: *facit illi cervical ex pilis caprarum capiti illius*, vel pro capite. Alicubi in Scriptura [7] videmus, aliquando substratis pellibus homines cubare consuevisse. Bochartus; *Posuit magnum* (pilum) *capræ super caput illius*: vel ad cervical illius. Septuaginta Romanæ editionis, Aquila [8], & Josephus: *posuit jecur capræ ad caput illius*. Aquila addit, *& magnum pili glomus*; perinde ac sub stragulis Michol abscondisset jecur capræ adhuc tepens, quod motu, & palpitatione, quæ adhuc illi supererat, in errorem posset inducere, ut crederent in cubili virum jacere; sed hæc versio pravæ tantum hebraici textus lectioni incumbit. Septuaginta Complutensis Editionis [9]; *posuit caprini pili glomus ad illius cervical*. Aquila eodem pacto verterat, ex quo plane Interprete versio hæc desumpta fuit.

℣. 17. DIMITTE ME, ALIOQUIN INTERFICIAM TE.] Hoc est officiosum Michol mendacium. Dum hoc in periculo versaretur David, Psalmum 58. *Eripe me de inimicis meis* &c. dicitur elucubrasse.

℣. 19. ECCE DAVID IN NAJOTH IN RAMATHA.] Najoth locus erat prope Ramatha, ubi multos Samuel collegerat Prophetas: ibi Prophetiæ lycæum dicitur fuisse [10]: at de Prophetarum gymnasiis in præfatione generali in Prophetas, atque in Dissertatione de Hebræorum scholis ad Jeremiæ frontem loquemur.

℣. 23. AMBULABAT INGREDIENS, ET PROPHETABAT.] Lymphaticus visus est, ut mente, animoque agitatus, velut qui prophetat, a cisterna Socho usque ad Najoth. Qui ab ipso missi fuerant, impetu prophetiæ in Najoth dumtaxat perciti fuerunt. Saul vero spiritu eodem correptus fuit usque a cisterna Socho. Illic vestes suas cœpit rejicere, ac juxta prophetarum stylum loqui, Deum laudibus celebrare, tripudiare, agitari.

℣. 24. EXPOLIAVIT IPSE SE.] Cum tunica, vel subucula tantum remansit; neque enim existimandum est, se indecenter exuisse coram Samuele, aliisque Prophetis. Homo nudus dicitur, cum vestibus consuetis indutus non est iis in locis, in quibus maxime oporteret. Hesiodus Oper. & Dies v. 392. & Virgilius Georg. l. 1. præcipiunt, ut agricola nudus serat, aret, metat, videlicet omnia hæc sereno cælo peragat, ut consuetis vestibus uti queat.

Nudus ara, sere nudus: hyems ignava colono.

Hoc in eodem sensu Micheas 1. 8. ait se nudum, neque expoliatum in luctu suo abiturum: *Vadam spoliatus, & nudus, faciam planctum velut draconum*; & Michol exprobravit Davidem, eo quod se nudasset coram populo, cum Arca in Jerusalem deduceretur 2. Reg. 6. 20. *Nudatus est, quasi nudetur unus ex scurris*. Nudus vulgo vir dicitur, qui male vestitus est; *Qui male vestitum, & pannosum vidit, nudum se vidisse dicit*, ait Seneca de Benefic. l. 5. c. 13.

Sed invitis hisce rationibus, ajunt nonnulli, Saulem omnibus re vera se vestibus exuisse, ac penitus nudatum humi cubasse. Hunc sane sensum primo intuitu Textus inferunt verba. Quod nobis hac in re indecorum videtur, non ad morum nostrorum lancem est perpendendum. In calidis regionibus hodie quoque non adeo raro PseudoProphetæ, vel impostores, qui se Divino Spiritu afflatos jactitant, inveniuntur nudi per urbes incedere; servi nequaquam aliter ire consueverant. Cum dixit Isaiæ Deus [11], ut deposito sacco, quo renes præcinxerat, excalceatus triennio in medio populi ambularet; non aliter profecto, quam de integra nuditate est intelligendum. Josephus [12] innuere videtur, Saulem vestibus suis indutum fuisse, contra explicitum Scripturæ testimonium.

CECIDIT NUDUS.] Non pauci manuscripti legunt *cecinit* pro *cecidit*, sed perperam. Se humi prostravit, vel nudus omnino, vel subucula tantum indutus.

NUM ET SAUL INTER PROPHETAS?] Adagii hujus explicationem vide supra cap. 10. 11. Populus stupore captus, eo quod Saulem inter Samuelis discipulos in Najoth prope Ramatha intueretur, recordatus est proverbii, quod primo fuerat enuntiatum, cum prophetare visus fuerat, illiusque confirmavit usum, atque facto peculiari, quale hoc est, applicationem.

---

1 Vide Bochart. de anim. sacr. par. 1. l. 2. c. 51. 2 Vide Mercer. ad Genes. 31.
3 Geneb. in Chron. ætate 6. & in Psalm. 73. 8. Kimchi, Maimon. 4 Sanct. Menoch. Tirin. alii.
5 Vide Vatabl. Pagnin. & Bochart. de animal. sacr. tom. 1. l. 2. c. 52. Munst. Kimchi.
6 את כביר העזים שמה מראשותיו. Puto כביר idem esse ac מכבר 4. Reg. 8. 15. Significat pulvinar, cervical, vel etiam stragulum. 7 Levit. 15. 17. *Vir, de quo egreditur semen coitus . . . . vestem, & pellem, quam habuerit, lavabit aqua, & immunda erit usque ad vesperum.* 8 70. *Καὶ ἧπαρ τῶν αἰγῶν ἔθηκε πρὸς κεφαλῆς αὐτοῦ*. Legerunt כבד pro כביר. 9 *Καὶ στρογγύλωμα τριχῶν αἰγῶν ἔθηκε πρὸς κεφαλῆς αὐτοῦ*. Aq. *Τὸ ἧπαρ τῶν αἰγῶν, καὶ στρογγύλωμα τριχῶν.* 10 Rabb. Jun. Pisc. alii. 11 Isai. 20. 1. 2. 3.
12 Joseph. Antiqu. l. 6. c. 14. *Καὶ τὰς ἐσθῆτας περιδύσας αὑτὸν, κατακείμενος ἦν δι' ὅλης ἡμέρας*. Gelenius vertit. *Abjectisque vestibus nudus per diem ad noctem jacuit*. Revera Hesychius, & Pollux notant *περιδύω* aliquando idem significare ac *ἐκδύω*.

C A-

CAPUT XX.

David precatur Jonathan, ut quæ Saulis de ipso sint consilia, exploret. Par hoc amicorum fœdus instaurat. Saul in consilio perdendi Davidis persistit. Jonathas eum certiorem facit. Hi vero separantur.

1. FUgit autem David de Najoth, quæ est in Ramatha: veniensque locutus est coram
Jonatha: Quid feci? quæ est iniquitas mea, & quod peccatum meum in patrem
tuum, quia quærit animam meam? 2 Qui dixit ei: Absit, non morieris: ne-
que enim faciet pater meus quidquam grande, vel parvum, nisi prius indicaverit mihi:
hunc ergo celavit me pater meus sermonem tantummodo? nequaquam erit istud. 3 Et
juravit rursum Davidi. Et ille ait: Scit profecto pater tuus, quia inveni gratiam in ocu-
lis tuis, & dicet: Nesciat hoc Jonathas, ne forte tristetur. Quinimo vivit Dominus, &
vivit anima tua, quia uno tantum (ut ita dicam) gradu ego, morsque dividimur. 4
Et ait Jonathas ad David: Quodcumque dixerit mihi anima tua, faciam tibi. 5 Dixit
autem David ad Ionathan: Ecce calendæ sunt crastino, & ego ex more sedere soleo juxta
regem ad vescendum: dimitte ergo me, ut abscondar in agro, usque ad vesperam diei
tertiæ. 6 Si respiciens requisierit me pater tuus, respondebis ei: Rogavit me David,
ut iret celeriter in Bethlehem civitatem suam: quia victimæ solemnes ibi sunt universis
contribulibus suis. 7 Si dixerit, Bene: pax erit servo tuo; si autem fuerit iratus, sci-
to, quia completa est malitia ejus. 8 Fac ergo misericordiam in servum tuum: quia fœ-
dus Domini me famulum tuum tecum inire fecisti: si autem est iniquitas aliqua in me,
tu me interfice, & ad patrem tuum ne introducas me. 9 Et ait Jonathas: Absit hoc a
te: neque enim fieri potest, ut si certe cognovero completam esse patris mei malitiam
contra te, non annuntiem tibi. 10 Responditque David ad Jonatham: Quis renuntia-
bit mihi, si quid forte responderit tibi pater tuus dure de me? 11 Et ait Jonathas ad
David: Veni, & egrediamur foras in agrum. Cumque exissent ambo in agrum, 12 Ait
Jonathas ad David: Domine Deus Israel, si investigavero sententiam patris mei crastino,
vel perendie; & aliquid boni fuerit super David, & non statim misero ad te, & notum
tibi fecero, 13 Hæc faciat Dominus Ionathæ, & hæc addat. Si autem perseveraverit
patris mei malitia adversum te, revelabo aurem tuam, & dimittam te, ut vadas in pace,
& sit Dominus tecum, sicut fuit cum patre meo, 14 Et si vixero, facies mihi miseri-
cordiam Domini: si vero mortuus fuero, 15 Non auferes misericordiam tuam a domo
mea usque in sempiternum, quando eradicaverit Dominus inimicos David, unumquem-
que de terra: auferat Jonathan de domo sua, & requirat Dominus de manu inimicorum
David. 16 Pepigit ergo Jonathas fœdus cum domo David: & requisivit Dominus de
manu inimicorum David. 17 Et addidit Jonathas dejerare David, eo quod diligeret illum:
sicut enim animam suam, ita diligebat eum. 18 Dixitque ad eum Jonathas: Cras ca-
lendæ sunt, & requireris; 19 Requiretur enim sessio tua usque perendie. Descendes er-
go festinus; & venies in locum, ubi celandus es in die, qua operari licet, & sedebis
juxta lapidem, cui nomen est Ezel. 20 Et ego tres sagittas mittam juxta eum, & ja-
ciam quasi exercens me ad signum. 21 Mittam quoque & puerum, dicens ei; Vade,
& affer mihi sagittas. 22 Si dixero puero: Ecce sagittæ intra te sunt, tolle eas: tu ve-
ni ad me, quia pax tibi est, & nihil est mali, vivit Dominus. Si autem sic locutus fue-
ro puero; Ecce sagittæ ultra te sunt; Vade in pace, quia dimisit te Dominus. 23 De
verbo autem, quod locuti sumus ego & tu, sit Dominus inter me, & te usque in sempi-
ternum. 24 Absconditus est ergo David in agro, & venerunt calendæ, & sedit rex ad
comedendum panem. 25 Cumque sedisset rex super cathedram suam (secundum consue-
tudinem) quæ erat juxta parietem, surrexit Jonathas, & sedit Abner ex latere Saul, va-
cuusque apparuit locus David. 26 Et non est locutus Saul quidquam in die illa: cogi-
tabat enim, quod forte evenisset ei, ut non esset mundus, nec purificatus. 27 Cum-
que illuxisset dies secunda post calendas, rursus apparuit vacuus locus David. Dixitque

Saul ad Jonatham filium suum: Cur non venit filius Isai, nec heri, nec hodie, ad vescendum? 28 Respondirque Jonathas Sauli: Rogavit me obnixe, ut iret in Bethlehem,
29 Et ait: Dimitte me, quoniam sacrificium solemne est in civitate, unus de fratribus meis accersivit me: nunc ergo si inveni gratiam in oculis tuis, vadam cito, & videbo fratres meos. Ob hanc causam non venit ad mensam regis. 30 Iratus autem Saul adversum Jonathan; dixit ei: Fili mulieris virum ultro rapientis, numquid ignoro, quia diligis filium Isai, in confusionem tuam, & in confusionem ignominiosæ matris tuæ? 31
Omnibus enim diebus, quibus filius Isai vixerit super terram, non stabilieris tu, neque regnum tuum. Itaque jam nunc mitte, & adduce eum ad me: quia filius mortis est. 32
Respondens autem Jonathas Sauli patri suo, ait: Quare morietur? quid fecit? 33 Et arripuit Saul lanceam, ut percuteret eum. Et intellexit Jonathas, quod definitum esset a patre suo, ut interficeret David. 34 Surrexit ergo Jonathas a mensa in ira furoris, & non comedit in die calendarum secunda panem. Contristatus est enim super David, eo quod confudisset eum pater suus. 35 Cumque illuxisset mane, venit Ionathas in agrum juxta placitum David, & puer parvulus cum eo, 36 Et ait ad puerum suum: Vade, & affer mihi sagittas, quas ego jacio. Cumque puer cucurrisset, jecit aliam sagittam trans puerum. 37 Venit itaque puer ad locum jaculi, quod miserat Jonathas: & clamavit Jonathas post tergum pueri, & ait: Ecce ibi est sagitta porro ultra te. 38 Clamavitque iterum Jonathas post tergum pueri, dicens: Festina velociter, ne steteris. Collegit autem puer Jonathæ sagittas, & attulit ad dominum suum: 39 Et quid ageretur, penitus ignorabat: tantummodo enim Jonathas, & David rem noverant. 40 Dedit ergo Jonathas arma sua puero, & dixit ei: Vade, & defer in civitatem. 41 Cumque abiisset puer, surrexit David de loco, qui vergebat ad Austrum, & cadens pronus in terram, adoravit tertio: & osculantes se alterutrum, fleverunt pariter, David autem amplius.
42 Dixit ergo Jonathas ad David: Vade in pace: quæcumque juravimus ambo in nomine Domini, dicentes, Dominus sit inter me, & te, & inter semen meum, & semen tuum usque in sempiternum. 43 Et surrexit David, & abiit: sed & Jonathas ingressus est civitatem.

℣. 1. FUGIT AUTEM DAVID DE NAJOTH.] Simulac Saul pervenit in Najoth, David se ibidem tuto permanere non posse ratus, celeriter fugam corripuit, adiitque Jonatham in Gabaa, A

℣. 2. NEQUE ENIM FACIET PATER MEUS QUIDQUAM.] Quin me certiorem faciat; vel potius quin mecum sua consilia communicet. Jonathas plane non cognoverat ea, quæ diebus aliquot ante contigerant, cum Saul David domi ipsius capere conatus fuerat; neque audiverat Saulis imperium, quo David in Najoth comprehendi debuerat: verum de patris sui sensibus ad suorum normam judicium ferebat, illique fidem habebat, qui se nihil adversus David se moliturum ante spoponderat. Credebat fortasse, ea, quæ pater hactenus fecerat, maniæ potius effectum fuisse, quam consilium sana mente susceptum: demum arbitrabatur, Saulem nihil umquam tanti momenti esse aggressurum, quin ipsum consuleret, quod semper aliàs facere consueverat. B

℣. 3. UNO TANTUM GRADU EGO, MORSQUE DIVIDIMUR,] Ad Litteram [1]: *Passu tantummodo vita mea abest a morte*. Septuaginta [2]: *Completum est inter patrem tuum, & me usque ad mortem meam*. Sed Vulgata optime Textus sensum expressit. Ita quoque illi, qui mari iter suscipiunt, quatuor tantum digitis a morte dicuntur abesse.

I nunc, & ventis animam committe dolato
Confisus ligno, digitis a morte remotus
Quatuor, aut septem, si sit latissima tæda.

℣. 4. QUODCUMQUE DIXERIT MIHI ANIMA TUA.] C Hebræus [3]: *Quidquid anima tua dicet mihi*; quodcumque tibi in optatis erit. Anima sæpius pro desiderio usurpatur: Exempli gratia Psal. 26. 12. *Ne tradideris me in animas tribulantium me*. Et Iob. 38. 39. *Numquid capies leænæ prædam, & animam catulorum ejus implebis?* illorum famem exsaturabis?

℣. 5. ECCE CALENDÆ SUNT CRASTINO.] Calendæ, vel Neomeniæ dies festi erant apud Judæos. Lex quidem non præcipiebat, ut diebus illis ab opere cessaretur; verum buccinarum sonitum, & particularia quædam sacrificia imperabat. Usus autem obtinuerat, ut sacra fierent, atque ut ad convivium familia omnis, atque amici adhiberentur, quemadmodum ex hoc loco innotescit, ubi Saul Ministris suis isternit epulas; & David in Bethlehem simulat proficisci, ut familiæ suæ sacrificio intersit.

Hebræi Doctores docent, menses ipsorum Lunares fuisse, ac mensem tunc solum incœpisse, cum luna super horizontem apparebat. Primam ipsius apparitionem sollicite scrutabantur per exploratores quosdam ad id conductos, qui summa montium cacumina incolebant, unde litui sono, vel aliter edebant signum, ut quam celerrime nuntium in Jerusalem perferretur. Tunc Neomenia incipiebat. Veriti nihilominus, ne fallerentur, ut omnem in hac celebranda solemnitate errorem effugerent, eadem duobus diebus peragebatur; quod, ut ipsi contendunt, palam ex hoc loco eruitur, ubi Saul bidui convivium instruit, primum mensis diem celebraturus.

Verum nihil est hoc incertius. David, quin animum ad ea adverteret, quæ montium exploratores nuntiare poterant, dicit Jonathæ, crastino calendas fore; ad litteram [4] *cras est mensis*. Hoc autem statum erat, ac vulgo notissimum. Saul quidem duobus diebus deinceps convivium erat apparaturus; David hoc ipsum noverat; sed tunc secunda etiam mensis dies erat festa; dies enim Sabbathi erat, qua die Saul

1 כי כפשע ביני ובין המות
2 Πεπλήρωται ἀναμέσον ἐμοῦ, καὶ ἀναμέσον τοῦ πατρός σου ἕως θανάτου.
3 מה תאמר נפשך
4 הנה חדש מחר 70. Ἰδοὺ δὴ νεομηνία αὔριον.

Saul familiæ suæ, ac ministris suis, non secus ac Neomeniarum diebus convivium instruere consueverat. Inde vero dies hæc secunda Sabbathum fuisse probatur, quod David venit ad statutum locum [1] *die, qua operari licet*, & postridie Sabbathum. Die hac a Jonatha secessit, ac in Nobe profectus, nihil, quod comederet, summi sacerdotis domi invenit, quam panis propositionis, qui pridie de altari fuerant sublati; 1. Reg. 21. 6. *Neque enim erant ibi panes, nisi tantum panes propositionis, qui sublati fuerant a facie Domini, ut ponerentur panes calidi*. At nemo nescit panes hos Sabbatho immutari consuevisse, ut recentes panes apponerentur; Levit. 24. 8 *Per singula Sabbatha mutabantur*. David igitur postridie Sabbathi apud Achimelech pervenit, atque ideo præcedens illi dies, qua cum Rege erat epulaturus, Sabbathum erat.

Ethnici initio cujuscumque mensis solemnitatem quamdam celebrabant eodem ferme pacto, ac Hebræi. Calendæ dies erant festi, ac Junoni sacri, atque diebus illis Reginæ Deorum apud Romanos stata sacrificia celebrabantur [2]. Dies festi Romæ ab aliis diebus per Sacrificia, convivia, ludos, ac ferias distinguebantur. Macrob. Saturn. l. 1. c. 16. *Festis insunt sacrificia, epulæ, ludi, feriæ*. Horatius Judæorum Neomenias *tricesima Sabbatha* appellat, Serm. l. 1. Satyr. 9.

. . . . . Hodie tricesima Sabbatha. Vin' tu
Curtis Judæis oppedere?

Hebræus [3]: *Sedebo juxta Regem epulaturus*.

Ex more sedere soleo juxta Regem.] Veteres mensæ assidebant, quemadmodum ex Scriptura liquet, & ex Profanis. Ægyptii, & Joseph ad mensam sedent Genes. 43. 13. 33. & Hebræi in loco hoc, æque ac in Proverbiis Salomonis 23. 1. *Quando sederis, ut comedas cum principe*. Veteres quoque Græci non discumbebant ad mensam, verum assidebant, ut ex Homero liquet [4]; & primis Italiæ populis eadem erat consuetudo;

Perpetuis soliti Patres considere mensis,

Virgilius ait Æneid. 7. v. 176. alter vero fecus alternam assidebant oblongis mensis; quem morem a Lacædemoniis, atque a Cretensibus didicerant, sicuti Servius post Varronem observat.

At Persæ prope parvulas mensas, humilesque super thoris discumbebant, quod liquido ex Scriptura innotescit. Assuerus quamplurimos fieri jussit lectulos, ut omnibus Regni sui Principibus viris epulas instrueret Esth. 1. 6. *lectuli quoque aurei, & argentei super pavimentum smaragdino & pario stratum lapide, dispositi erant*. Amanus ab Esther conviva adhibitus, cum Regina Regi illius proditionem detexisset, cumque egressus Rex esset, ad Reginæ pedes se se abjecit super mensæ thorum, super quo illa discumbebat [5]: *Reperit Aman super lectulum corruisse, in quo jacebat Esther*. Reor nihilominus tum apud Persas, cum apud Romanos [6] mulieres vulgo mensæ assidere consuevisse; cui sententiæ Nehemias favet; exhibet enim Reginam sedentem ad mensam juxta Artaxerxem 2. Esdr. 2. 6. *Dixitque mihi Rex, & Regina, quæ sedebat juxta eum*; & in allato Esther loco Hebraicus textus non inquit Reginam hanc *jacuisse*; habet enim simpliciter, *erat super lectulum*; & Chaldæus, quo modo illic esset, innuit: *super lectulum sedebat*. Diximus autem lectulos hos fuisse prope parvulas mensas, humilesque, quod facile ostendi potest ex Darii mensa; cum enim Alexander Magnus in sella Regis Persarum consedisset, quæ pro habitu corporis illius multo erat excelsior, neque pedes imum gradum attingerent, mensa [7] pro gradu illis supposita fuit. Hodie quoque apud Turcas spectatissimus quisque rotundam adhibet mensam, cujus fulcrum palmi altitudinem minime excedit, ad quam aulæis insidentes manducant.

Mos super lectulos ad mensam discumbendi Hebræis notus erat tempore Saulis. Pythonissa, quam in Endor consuluit, lectulum ei præbuit, super quo discumbens vesceretur 1. Reg. 28. 23. Rei hujus vestigia etiam in Canticis Canticorum 1. 12. intuemur: *Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum*. Amos, qui sub Oziæ Regis Juda, ac Jeroboam secundi Regis Israel vivebat, divites exprobrat cap. 2. 8. eo quod *super vestimentis pignoratis accumberent juxta omne altare*. Ezechiel. 23. 41. idem refert: *Sedisti in lecto pulcherrimo, & mensa ornata est ante te*. Author Ecclesiastici, qui vixit post captivitatem, utrique consuetudini alludit: aliquando enim assidebant mensæ [8], discumbebant aliquando [9]. Hæc ipsa varietas apud Græcos vigebat; quamquam lectulorum ad mensam insternendorum mos a temporibus usque Platonis, atque ante Alexandrum communis esset; tamen animadvertitur [10], Principes hos post tot victorias relatas aliquando ad comedendum assedisse. Jesus Christus in postrema cœna recumbebat cum Apostolis suis. Joan. 13. 23. *Erat autem recumbens unus ex discipulis ejus in sinu Jesu*.

Usque ad vesperam diei tertiæ.] Usque ad vesperam postridie Calendas, quæ, ut vidimus, erat dies Sabbathi, quo non licebat longum iter suscipere; ante quam diem non poterat David cognoscere, quænam esset Regis mens de ipso. Hæc quidem tertia dies erat, ex qua David Jonatham fuerat allocutus. Sed Jonathas die Sabbathi egressus non est, & crastina die solum, qua licebat operari ℣. 19. cum David locutus est.

℣. 6. Si respiciens requisierit me.] Difficile hæc omnia concipi possunt. Sciebat David, Regem vitæ illius excidium moliri, ipsumque adnisum fuisse, ut illum lancea transverberaret, nec non dimisisse, qui illum persequerentur, atque etiam ipsummet illum in Ramatha usque fuisse persecutum; nihilominus sperat Saul, futurum ut David in ipsius manus imprudens accurrat, & David causas sibi quærendas arbitratur, ut se causetur absentem. Probabile est, Saulem voluisse hæc omnia ægritudinis suæ effectus haberi: facilitas, qua David coram ipso reversus fuerat, postquam illum primo transfodere conatus fuerat [11], ipsum impellebat, ut crederet, futurum ut David neque animum adverteret amplius ad ea, quæ superioribus diebus acciderant.

Rogavit me David, ut iret celeriter in Bethlehem.] Non isthic mendacii Jonathas est insimulandus [12]. Non enim constat, David in Bethlehem minime concessisse, immo e contra ex ℣. 19. liquet ipsum abfuisse a Gabaa post eam diem, qua Jonatham allocutus fuerat, usque ad tertiam mensis diem, qua postremo illum vidit, atque a Saulis regno discessit. Vide ℣. 21.

Victimæ solemnes ibi sunt.] Hebræus [13]: *ibi est sacrificium dierum, universæ tribui*. Sacrificium dierum anniversarium sacrificium plane denotat, quod tota tribus, vel potius tota familia David offerebat in Bethlehem: ut deinde solemne fieret convivium, cui omnes interessent consanguinei. Animadvertimus jam usque ad Salomonis regnum, atque Ierosolymitani templi constructionem, populum sibi fas esse ubicumque procul ab Arca, & Tabernaculo sacris operari, fuisse arbitratum. *Sacrificia*, quæ a Romanis

1 1. Reg. 20. 19. 2 Vide Macrob. Saturn. l. 1. c. 15. *Ut idus omnes Jovi, ita & omnes Calendas Junoni tribuunt*. Vide & Menedemi Vit. apud Laert. & Not. Menag. l. 2. segm. 129. 3 ישב אשב עם המלך
4 Vide Homer. passim, & Athen. l. 1. 5 Esth. 7. 8. על המטה אשר אסתר עליה
6 Valer. Max. l. 2. c. 1. 7 Q. Curt. l. 5. *Alexander consedit in regia sella, multo excelsiore, quam habitus corporis. Itaque pedes cum imum gradum non attingerent, unus ex regiis pueris mensam subdidit pedibus*.
8 Eccli. 9. 12. *Cum aliena muliere ne sedeas omnino, nec accumbas cum ea super cubitum, & non altercetis cum ea in vino*. 9 Eccli. 31. 12. *Super mensam magnam sedisti; non aperias super illam faucem tuam prior*.
10 Athen. lib. 1. Dipnosoph. cap 14. 11 1. Reg. 18. 11. & 19. 7. 12 Vide Est. hic.
13 כי זבח הימים שם לכל המשפחה

his *Charistia* appellabantur, non mediocrem habent cum A iis, de quibus David loquitur, similitudinem. In his enim adhibebantur convivæ tum consanguinei, cum affines: *Convivium solemne majores instituerunt, idque Charistia appellaverunt, cui prater cognatos, & affines nemo interponebatur.* Val. Max. l. 2. c. 1. art. 6.

♈. 7. SCITO, QVIA COMPLETA EST MALITIA EJUS.] Hebræus ad litteram [1]; *scito malum finitum esse ex parte illius*; excidium meum, meamque cladem ab ipso esse statutam. Voluntatem ipsius mei causa explorabis, & quo animo hoc feret. Hoc si damnat, sermo illius animi sui sensus prodet; sin tacet, hoc indicium est ipsum de me nihil amplius cogitare, atque acquiescere absentiæ meæ: sin motu proprio, ac ultro de me sciscitatur, atque erga me benevolentiæ signa ostendit, tunc tuto me coram illo offerre putero. B

♈. 8. FOEDUS DOMINI;] hoc est, arctissimum fœdus; fœdus sanctioribus sacramentis sancitum, ac Dei nomine confirmatum: denique maximum, arctissimum, fœderumque omnium perfectissimum.

♈. 9. ABSIT HOC A TE: NEQUE ENIM FIERI POTEST, UT SI CERTE COGNOVERO .... NON ANNUNTIEM TIBI.] Hebraicus textus brevior est [2]. *Hoc avertat Deus: si enim cognovero malitiam patris mei esse completam, non te commonefecerim?*

♈. 12. CRASTINO, VEL PERENDIE.] Hebræus [3]: *versus tempus diei crastinæ, vel tertiæ diei*; videlicet sub hoc idem tempus, sub hanc eamdem horam cras, vel perendie. Septuaginta [4]: *tempestive, usque ter, patrem interrogabo.* C

♈. 13. HÆC FACIAT DOMINUS IONATHÆ.] Credunt, ipsum expressisse mala, quibus se a Deo peti, precabatur, ni fidem præstitisset. Vide 1. Reg. 3. 17.

SIT DOMINUS TECUM, SICUT FUIT CUM PATRE MEO.] Ionathas prævidebat futurum ut David Sauli ad regnum succederet. Ea igitur amico suo optat bona, quæ patrem suum sub regni initium fuerant prosecuta.

♈. 14. SI VIXERO FACIES MIHI MISERICORDIAM DOMINI.] Ex hujus versiculi, ac subsequentis Hebraico textu videtur Ionathas hoc Davidi innuere: Nisi promissi fidem præstitero, libenter feram, me viventem tibi haud esse cordi; me vero vita functo nullam tibi esse domus meæ curam. Ad litteram [5]. *Si vixero, non facies mihi Domini misericordiam, si obiero, non retrahes benevolentiam tuam de domo mea*; D quod Ionathæ menti contrarium, ac aliquam contradictionem videtur involvere. Adhærendum igitur Vulgatæ sensui, vel illi, quem primum proposuimus.

♈. 15. AUFERAT IONATHAN DE DOMO SUA, & REQUIRAT DOMINUS DE MANU INIMICORUM DAVID.] Verba hæc in Hebraico textu non extant, æque ac in plutibus Latinis Manuscriptis Versionis S. Hieronymi, atque in quibusdam Latinis, Græcisque editionibus.

♈. 16. PEPIGIT ERGO IONATHAS FOEDUS CUM DOMO DAVID: & REQUISIVIT DOMINUS DE MANU INIMICORUM DAVID:] Saul, aliique David inimici, subinde pœnam luerunt; & fœdus inter Ionatham, & David percussum temporis decursu non caruit effectu. Nonnulli sensum hunc Hebraico textui tri- E buunt: Ionathas fœdus iniit cum David, atque per imprecationem addidit: Percutiat Deus omnes inimicos David. Aliter: Duo hi amici sibi invicem fidem jurando jure interposito dedere, omnia illis mala cupientes, qui odissent David.

♈. 19. REQUIRETUR SESSIO TUA USQUE PERENDIE. DESCENDES ERGO FESTINUS.] Hebraica lectio alium infert sensum ab eo, qui a consueta interpungendi ratione proficiscitur [6]: (♈. 18.). *Requiretur sessio tua.* (♈. 19.). *Et perendie festinus descendes.* Videbitur vacua sedes tua, & prima die mensis ad id animus advertetur: sed die tertia festinus aderis hic. Alii reddunt. Videbitur vacua sedes tua: descendes ergo post tres dies, perendie celeriter descendes. Syriaca versio, & Arabica: tertia die ad mensam requireris, percontabuntur, ubi es; veni igitur celeriter. Aliter: Veni omnibus his tribus diebus. Nisi cras Regis mentem detegere potero, perendie detegam: itaque veni quolibet ex his tribus diebus, ne tibi desim [7].

IN QUA DIE OPERARI LICET;] scilicet dies quæ diem festum subsequitur. Authores quidam, quos inter Sanctius, ex hoc loco inferunt, Neomeniæ diebus B non licuisse operibus vacare, sed opposita sententia certior est; cum nulla lege cautum sit, ut ea die ab operibus abstineatur. *Dies, in qua licet operari*, de qua isthic sermo, erat postridie Sabbathi, quemadmodum vidimus, ac tertia mensis dies. Clericus vertit: *dies negotii*, dies qua negotium hoc est complendum, qua te omnium sum admoniturus [8].

IUXTA LAPIDEM, CUI NOMEN EST EZEL.] Non pauci Interpretes hunc esse putant lapidem, qui viam edoceret, illi persimilem, quem Ethnici *Mercurii lapidem* appellabant. At lapis hujus generis aptus nequaquam fuisse videtur illorum consilio, quod secretum requirebat. Septuaginta, Syriaca versio, & Arabica simpliciter habent *juxta lapidem*. Iunius, & Tremellius [9]: *Juxta speculam hunc lapidem*; juxta hunc C lapidem, ex quo eminus prospicitur, juxta hunc tumulum.

♈. 21. ECCE SAGITTÆ INTRA TE SUNT.] David eo in loco delitescere debebat, unde Ionathæ verba percipere posset; ac inter ipsos convenerat, ut si Ionathas puero, qui ad sagittas colligendas mitteretur, diceret: *Ecce sagittæ intra te sunt, veni*, hoc signum esset, quod David tuto posset reverti: sin autem diceret: *Ecce sagittæ ultra te sunt; vade*, isthæc innuerent, Davidi fugam esse corripiendam, ac Saulem illum de medio tollere constituisse.

♈. 24. ABSCONDITUS EST DAVID IN AGRO.] Si ea die absconditus est, fatendum est, Ionatham fuisse mentitum, cum ait, David in Bethlehem fuisse profectum. At die tertia tantummodo David abscon- D di potuit in agro, ac superioribus diebus in Bethlehem potuit immorari. Vide ♈. 6. capitis hujus.

♈. 25. SUPER CATHEDRAM SUAM, QUÆ ERAT JUXTA PARIETEM.] Hic honoratior locus erat. Vide supra cap. 9. ♈. 22.

SURREXIT JONATHAS.] Honoris ergo, cum Rex advenit; vel simpliciter; ut illi locum præberet transeunti; sed mox sedit ad mensam, quod ex ♈. 34. infertur. Septuaginta [10]: *Et Rex præcessit Jonatham, & Abner sedit ad latus Saulis*. Arabica versio ait Jonatham dexterum obtinuisse latus, Abner vero lævum. Rex quidem erat in capite, Jonathas alterum, Abner autem locum tertium occupabat. Itaque verum est, quod innuunt Septuaginta, *Regem præcessisse Jonathæ.*

E ♈. 26. COGITABAT ENIM, QUOD FORTE EVENISSET EI, UT NON ESSET MUNDUS.] Hebraice [11]: *Forte evenit: quia non est mundus, non est mundus.* Aliquid illi contigit, quo pollutus fuit, nec se potuit expiare. Alii ita vertunt: *Illi casus aliquis contigit, præterquamquod purus non est; neque est purificatus.* Aliquid negotium illi obfuit, ne isthic adesset, vel forte ipse purificatus non est. Hoc igitur convivium instructum erat e pacificarum victimarum carnibus,

1 רע כי כלתה הרעה מעמו Confer cum hoc loco Esth. 7. 7. 2 חלילה לך כי אם ידע אדע ... ולא אותה אגיד לך
3 בעת מחר השלישית Αὔριον καὶ ἐν τῇ τρίτῃ. Vide ♈. 19. 4 Ἀνακρινῶ τὸν πατέρα μου κατὰ καιρὸν τρισσῶς.
5 ולא אם עודני חי ולא תעשה עמדי חסד יהוה ולא אמות ולא תכרית את חסדך מעם ביתי Videtur quartum ולא abundare. 6 ונפקדת כי יפקד מושבך ושלשת תרד מאד 7 Cajetan. 8 Pagn. Montan. Pisc. Vatab. 9 אצל האבן האזל 70. Παρὰ τῷ λίθῳ ἐκείνῳ. 10 Καὶ προέφθασε τὸν Ἰωνάθαν. ויקם יהונתן Septuaginta legerunt ויקדם
11 מקרה הוא בלתי טהור הוא כי לא טהור

quorum non nisi purificatus poterat esse particeps. A Vel Saol de casuali immunditia intelligit, quæ ab hominom consuetudine arcebat; verbi gratia, quæ a funere proficiscebatur, vel quod quis immundi animantis cadaver tetigisset, quæ res hominem polluebat, atque oberat, ne usque ad vesperam castra ingrederetur. Levit. 11. 24. Vide pariter Num. 5. 2. & Levit. 15. 2. &c.

℣. 29. Sacrificium solemne.] Hæbræus [1]: *Sacrificium familiæ, vel cognationis*. Hoc est sacrificium, cujus cognatio omnis particeps esse potest, & cui debet interesse.

℣. 30. Fili mulieris virum ultro rapientis.] Hebræus [2]: *Fili injustæ rebellionis*; Fili rebellis, ac in B patrem tuum proditor. Septuaginta [3]: *fili filiorum profugorum*: vel potius mulierum impudentium, quæ viros eunt quæsitum. Sensus hic cum Vulgata congruit. Haud intelligendum est Matrem Jonathæ eam fuisse, quam hic Saol dicit; namque Princeps hic adversus filium ira correptus illom vult contumeliis obruere.

℣. 31. Filius mortis est.] Moriendum est illi. Hoc pacto dicitur filius Gehennæ Matth. 23. filius iræ Ephes. 2. 3. filius lucis Ephes. 5. 8. & 1. Thess. 5. 5. filius tenebrarum 1. Thess. 5. 5. filius Belial Deut. 13. 3. & passim, filius fortitudinis 2. Reg. 2. 7. filius perditionis 2. Thessal. 2. 2. filius diffidentiæ Ephes. 2. 2. filius adoptionis Rom. 8. 15. filius incredulitatis Coloss. 3. 6. filius promissionis Roman. 9. 8. filius carnis Ro- C man. 9. 8. filios obedientiæ 1. Petri 1. 14. Omne Davidis crimen nimis eximium illius meritum erat, ac nimis magna, ac celeberrima gloria. Hæc sæpe summis viris sub principe malo, invido, & diffidenti nocere [4]: *Nec minus periculum ex magna fama, quam ex mala*.

℣. 34. Eo quod confudisset eum pater suus.] Hæc in Hebraico textu [5] tum ad David, cum ad Jonatham referri possunt. Saul in utrumque ingesserat convitia; in David, illum insimulans, quod ipsum de solio ausus esset dejicere; Jonatham vero eum mulieris nequam filium appellans. Septuaginta [6]: *Eo quod pater suus decreverat illum interimere*.

℣. 37. Ecce ibi est sagitta porro ultra te.] In mentem revocandum est, convenisse Jonatham cum Davide, ut si illi fuga esset capienda, in signum hæc verba enontiaret: *Ecce sagittæ sunt ultra te, vade*. Cum igitur in agrum venisset, in quo latebat David, confestim sagittam jaculatus est, dixitque puero, ut eam quæreret; cumque puer non procul esset a jaculo, tunc Jonathas clamavit: *Ecce ibi est sagitta porro ultra te*, de quo signo prius cum amico convenerat. Author Vulgatæ duplicem agnovit a Jonatha sagittam emissam; at Hebraicus Textus, Chaldæus, & Septuaginta de una tantum loquuntur; vel saltem loquuntur indefinite, quin priorem a posteriore distinguant.

℣. 41. De loco, qui vergebat ad austrum.] Chaldæus hunc putat esse locum eumdem, qui Hebraice ℣. 19. *Ezel* vocatur. Vertit autem: *surrexit e latere petræ Asha* (hoc est Ezel,) *quæ vergit ad Austrum*. En tibi Hebraicus textus ad litteram [7]: *surrexit de Ezel ad meridiem*. Verum quidem est Ezel isthic aliter scribi ac ℣. 19. at discrimen parvi est momenti, cum aliunde pateat, prius convenisse, ut David in *Ezel* delitesceret.

---

1 זבח משפחה 70. Θυσία τῆς φυλῆς. *Sacrificium Tribus*. Aqu. Th. Θυσία συγγενείας. Sym. Θυσία πατριᾶς.
2 בן נעות המרדות 3 Υἱὸ κορασίων αὐτομολούντων. Legerunt נערות loco נעות: at & Vulgata. Sym. Ἀπειθοῦς ἀποστάτου. *Rebellee*. Th. Μετακινουμένων. *levis, inconstans*. Alius Γυναικοτραφής, *effeminate*.
4 Tacit. in Vita Agricolæ. 5 כי הכלימו אביו
6 70. Ὅτι ἐβουλεύσατο ὁ πατὴρ αὐτοῦ συντελέσαι αὐτόν. 7 קם מאצל הנגב

CAPUT XXI.

David fugit in Nobe. Ibi accipit panes sanctificatos, & gladium Goliath. Inde se recipit in Geth ad Regem Achis; ubi dementiam simulare cogitur, ut suæ saluti consulat.

1. VEnit autem David in Nobe ad Achimelech sacerdotem: & obstupuit Achime-
lech, eo quod venisset David. Et dixit ei: Quare tu solus, & nullus est te-
cum? 2 Et ait David ad Achimelech sacerdotem: Rex præcepit mihi sermo-
nem, & dixit: Nemo sciat rem, propter quam missus es a me, & cujusmodi præce-
pta tibi dederim, nam & pueris condixi in illum, & illum locum. 3 Nunc ergo si
quid habes ad manum, vel quinque panes, da mihi, aut quidquid inveneris. 4 Et
respondens sacerdos ad David, ait illi: Non habeo laicos panes ad manum, sed tan-
tum panem sanctum: si mundi sunt pueri, maxime a mulieribus? 5 Et respondit Da-
vid sacerdoti, & dixit ei: equidem si de mulieribus agitur, continuimus nos ab he-
ri, & nudiustertius, quando egrediebamur: & fuerunt vasa puerorum sancta. Porro via
hæc polluta est, sed & ipsa hodie sanctificabitur in vasis. 6 Dedit ergo ei sacerdos
sanctificatum panem: neque enim erat ibi panis, nisi tantum panes propositionis, qui
sublati fuerant a facie Domini, ut ponerentur panes calidi. 7 Erat autem ibi vir qui-
dam de servis Saul, in die illa, intus in tabernaculo Domini: & nomen ejus Doeg I-
dumæus, potentissimus pastorum Saul. 8 Dixit autem David ad Achimelech: Si ha-
bes hic ad manum hastam, aut gladium? quia gladium meum, & arma mea non tuli
mecum:

mecum : sermo enim regis urgebat. 9 Et dixit sacerdos : Ecce hic gladius Goliath
Philisthæi, quem percussisti in Valle terebinthi, est involutus pallio post Ephod : si istum
vis tollere, tolle, neque enim hic est alius absque eo. Et ait David : Non est huic al-
ter similis, da mihi eum. 10 Surrexit itaque David, & fugit in die illa a facie Saul :
& venit ad Achis regem Geth : 11 Dixeruntque servi Achis ad eum, cum vidissent
David : Numquid non iste est David rex terræ ? Nonne huic cantabant per choros, di-
centes : Percussit Saul mille, & David decem millia. 12 Posuit autem David sermones
istos in corde suo, & extimuit valde a facie Achis regis Geth. 13 Et immutavit os
suum coram eis, & collabebatur inter manus eorum, & impingebat in ostia portæ, de-
fluebantque salivæ ejus in barbam. 14 Et ait Achis ad servos suos : Vidistis homi-
nem insanum : quare adduxistis eum ad me ? 15 An desunt nobis furiosi, quod in-
troduxistis istum, ut fureret me præsente ? hiccine ingredietur domum meam ?

℣. 1. VENIT DAVID IN NOBE.] Duplicem fuisse Nobe civitatem novimus, alteram quidem citra, trans Jordanem alteram; in quam Interpretes quidam, quos inter Serarius hic, crediderunt, confugisse David; nam infra dicitur hic a Saule nudius tertius discessisse. At a Gabaa Nobe Benjamin non procul abest: igitur intelligendum interunt de Nobe trans Jordanem posita. Verum plerique hanc fuisse tenent Nobe in tribu Benjamin, atque putant, David celasse veritatem, cum Summum Sacerdotem alloqueretur, sed in Nobe eadem pervenisse die, qua reliquerat Jonatham; neque enim Saulem viderat, postquam in Najoth prope Ramatha se se receperat. Nobe Benjamin ad tres circiter parasangas [1], vel quatuor leucas aberat a Gabaa, authore Benjamino Tudelensi ad borealem occasus versus regionem Philisthiim. Vide Cellarium l. 3. cap. 13.

Nobe in Libro Josue cap. 21. non recensetur inter urbes Sacerdotales; neque Scriptura causam affert, propterquam illuc de Silo Tabernaculum fuerit translatum. Hoc patet, Arcam in Cariath-iarim permansisse, & Nobe deinceps urbem Sacerdotalem fuisse habitam; quo nomine sequenti capite ℣. 19. insignitur; *Nobe autem civitatem Sacerdotum percussit gladio*; & post reditum de captivitate, Nobe una fuit ex urbibus Benjamitarum, quæ Levitis assignata fuit 2. Esdr. 11. 32.

AD ACHIMELECH SACERDOTEM.] Hic in Evangelio Marci 2. 32. vocatur *Abiathar*, & supra cap. 14. 3. *Achia*, & *Alimelech* a Septuaginta. Verum duplex habuisse nomen censetur. Profecto in Paralipomenis Summi Sacerdotes Davidici ævi [2] modo *Sadoc*, & *Abiathar*, modo *Sadoc*, & *Achimelech* recensentur [3]. Alii [4] volunt, S. Marcum appellasse Achimelech de nomine patris ipsius Abiathar; propterea quod Abiathar insignior erat, quam Achimelech, qui alioquin erat in Nobe, cum illuc David pervenit.

QUARE TU SOLUS, & NULLUS EST TECUM.] Liquet ex Evangelio Matth. 12. 3. Luc. 6. Marc. 2. David Milites habuisse secum; non autem eo tempore, quo summum adiit Sacerdotem. Comites enim suos alicubi extra civitatem reliquerat, ad quos deinde reversus est cum panibus, quos a Summo Sacerdote accepit. Admodum fidei videtur consonum, ipsum socios suos retro misisse, antequam in Philisthinorum regionem ingrederetur; namque nullis stipatus comitibus se se obtulit coram Rege Achis: Nonnulli putant [5] Summum Sacerdotem dixisse Davidi, illum solum esse, quia cum paucis, præ mo-

A re illius, comitibus adesset; quemadmodum Imperatorem, Ducem solum dicimus, cum paucissimis deducitur sectatoribus: verum nullum opus est, ut ad hanc solutionem confugiamus. David solus venit ad Achimelech; neque enim operæ fore pretium ratus est, socios suos in discrimen adducere, ut e Saulis gratia deciderent, si Rex eos, qui Davidem prosecuti fuerant, agnovisset.

℣. 2. REX PRÆCEPIT.] Hoc omne sane mendacium est; neque enim Davidem errare minime potuisse contendimus. Credidit ille fortasse, non secus ac alii non pauci magni viri [6], fas esse mendacium officiosum interponere, ut saluti suæ consuleretur. At quod natura sua nefas est, numquam fas esse potest.

B IN ILLUM, & ILLUM LOCUM.] Aliquem e finitimis locis designare potuit. Septuaginta [7] Hebraicam vocem sumpserunt, perinde ac proprium loci illius nomen innueret: in locum, cui nomen *pelanni almoni*; sed hæc verba in illum sensum Hebraice adhibentur, quem optime Vulgata latinum fecit.

℣. 4. NON HABEO LAICOS PANES, SED TANTUM PANEM SANCTUM.] Hebraicus textus ad litteram [8]: *Non habeo panem profanum, sed panem sanctum.* Hi sunt panes propositionis, qui postridie de aurea mensa fuerant sublati; quibus Laici vesci non poterant; Deus enim solis Sacerdotibus reservarat. Levit. 24. 9. *Erunt Aaron, & filiorum ejus, ut comedant eos in loco sancto, quia Sancta Sanctorum est.* Et Matth. 12. 4. *Panes Propositionis comedit, quos non licebat ei*
C *comedere, neque his qui cum eo erant, nisi solis Sacerdotibus.*

SI MUNDI SUNT PUERI MAXIME A MULIERIBUS.] Summus Sacerdos plane Dominum consuluit de itinere David, quemadmodum Doeg retulit Sauli [9], ut quid sibi hac in re faciendum esset, intelligeret. Itaque dispensatio hæc veluti a Deo ipso permissa potest considerari. Sed cum nullam peculiarem habuerit Achimelech in re hac revelationem; ad tamen facile consilii capere poterat, Davidis necessitatem intuitus, ac reipublicæ utilitatem supponens, David a Rege missum ad opus aliquod, quod perquam maxime interesset, urgeretque. Jesus Christus in Evangelio unam hanc memorat rationem, ut Davidem excuset. Quod vero Achimelech præsertim e-
D xigit, ut pueri mundi sint a mulieribus, prudenter sane censuit, quemadmodum Deus variis in occasionibus hanc exigit munditiem, sibi quoque esse pro hoc peculiari casu exigendam, qui in lege non erat expressus. Hæc enim generalis est regula, ut in casibus, qui distincte a Legibus non memorantur, ex

 alio-

1 Parasanga vulgo 30. stadiis constabat. 2 1. Par. 15. 11. *Vocavit David sadoc, & Abiathar Sacerdotes*; & 1. Par. 18. 16. *Sadoc autem filius Achitob, & Achimelech filius Abiathar Sacerdotes.* Ita & 2. Reg. 8. 17.
3 Ita Jansen. Tolet. Salmer. Sanct. 4 Ita Beda, Salian. Marian. Sa, &c.
5 Vide Hugon. Tost. Dionys. Menoch. Sanct. 6 Diphilus in Grot. 7 אל מקום פלני אלמני 70. *Εἰς τόπον λεγόμενον φελανὶ ἀλμωνί.* 8 אין לחם חל כי אם לחם קדש 70. *Ἄρτοι βέβηλοι.* Aquil. *Λαϊκοί.*
9 1. Reg. 22. 10.

aliorum casuum, qui expliciti in lege sunt, ac cum illis quamdam habent similitudinem, judicato consulatur.

℣. 5. CONTINUIMUS NOS AB HERI, ET NUDIUS TERTIUS.] Tres abierunt dies, ex quo a mulierum consuetudine abstinuimus. Numerus hic dierum trium pro perfecta corporis purificatione necessarius fuisse videtur. Moyses populum præparaturus ad excipiendam legem, ait illi Levit. 19. 15. *Estote parati in diem tertium, & ne appropinquetis uxoribus vestris.*

FUERUNT VASA PUERORUM SANCTA.] Cum mecum discesserunt, vestes illorum mundæ erant. Nullam contraxerant immunditiam, quæ illos ad abluendas vestes adigeret. De ipsorum corporibus quoque intelligi potest. S. Paulus quandoque nomen *vas* in hunc sensum accipit: exempli gratia 2. Cor. 4. 7. *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus*: & 1. Thessal. 4. 4. *Ut sciat unusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione.* Alii generatim de armis, vestibus, aliaque militis supellectile intelligunt. Auctores Latini quandoque *vasa* in hunc sensum usurpant [1]. Septuaginta [2]: *Socii mei omnes purificati sunt.*

PORRO VIA HÆC POLLUTA EST, SED ET IPSA HODIE SANCTIFICABITUR IN VASIS.] Curabo, ne his panibus vescantur, nisi prius mundi facti fuerint a sordibus, quas hoc in itinere contrahere potuerunt. Hebræus [3]: *Et hæc via impura est, quia hodie sanctificabitur in vasis.* Quamquam susceptum opus, ac iter non sit res munda, nobis curæ erit, nosmet mundos fieri, antequam hos panes comedamus. Vel: Quamquam expeditio hæc in se ipsa munda non est, nosque sordibus contrahendis objicit, Regis hostes interimendo: attamen hodie mundi sumus omnes, ita ut panibus sanctis vesci possimus. Vel denique: Quamquam lege cautum sit, ne Laici sanctificatos panes manducent; tamen eos in puritate, atque summa cum observantia, quæ res sanctas decet, comedemus. Fateamur, oportet, hebraicam locutionem esse obscurissimam.

℣. 7. INTUS IN TABERNACULO DOMINI.] Hebræus [4]: *Vir ligatus coram Domino.* Nonnulli putant ibi propter ægritudinem quamdam fuisse detentum, vel quod energumenus esset, quo pacto explicat Theodoretus. Alii de aliquo voto, quod nuncupaverat, atque tunc in Tabernaculo exsolvebat, intelligunt, vel de peculiari quapiam consecratione, quam contraxerat; ego autem mallem simplicius dicere, hunc ex eorum numero fuisse, qui ea die in Tabernaculum convenerant. Vox *Azar* vulgo in Hebraico textu significat cœtus Tabernaculi; & festivitates, ibi dies cœtus, vel concilii, *Azares*, appellantur.

DOEG IDUMÆUS.] Idumæus appellatur vel propter illius originem, vel propter nativitatem, vel etiam eo quod aliquandiu in Idumæa fuerit immoratus. Septuaginta, & Josephus eum Syrum dicunt; legerunt enim in Hebraico textu [5] *Arami* Syrum, pro *Hedomi* Idomæum; addideruntque eum *mulionem Saulis* fuisse pro eo, quod ait Vulgata, *potentissimum fuisse pastorum Saul*; vel ut alii reddunt, principem pastorum Regis.

℣. 9. ECCE HIC GLADIUS GOLIATH . . . EST INVOLUTUS PALLIO POST EPHOD.] David Domino gladium Goliath consecraverat, velut monumentum, quod ipse victoriam illam Domino referret acceptam. Mos in templum inferendi arma ex hostibus capta, vetustissimus est apud Ethnicos, æque ac apud He-

A bræos. Lacædemon quidam interrogatus, cur hoc ab ipsis, quemadmodum ab aliis populis minime observaretur: Hæc, inquit, arma manubiæ sunt inertium militum, quæ nec Diis accepta esse queunt; neque juventuti velut virtutis monumenta proponenda sunt [6]. Epaminondas Thebanorum Dux noctu auferri clam jussit arma, quæ in templis erant disposita, ac militibus suis persuasit, ea a Diis sublata fuisse, ut in ipsorum præsidium præsto essent armati [7]. Cum justum ingruit bellum se se tuendi causa, fas est, e Templis adducere, quidquid illis est ornamento. *Pro Republica plerumque Templa nudans*, ait Seneca Controv. apud Grotium hic. Vide & l. 3. c. 5. art. 2. de jure Belli, & pacis.

Chaldæus ita vertit: *dixit illi: Ecce hic gladius* B *Goliath Philisthæi . . . . postquam cum Ephod Dominum consuluisset.* Summus Sacerdos non permisit illi, ut gladium arriperet, Domino inconsulto [8]. Doeg sane ad Saulem retulit, a Summo Sacerdote pro David Dominum fuisse consultum [9], quemadmodum adnotatum est.

℣. 10. VENIT AD ACHIS REGEM GETH.] Quomodonam David, quem internecino odio Philisthæi insequebantur, ac sibi præ aliis infestissimum noverant, ausus est se Regi Achis credere? atque etiam gladio Goliath præcinctus, qui propter miram illius magnitudinem Philisthæis ignotus esse non poterat? Dicet quispiam, Deum illi præcepisse, ut in hanc regionem confugeret? At si David Dominum de suo itinere consuluit, quod fidei congruum est, opus est C ipsum generatim solum consuluisse, an iter illius felix futurum esset, & an susceptum opus illi e voto esset cessurum; ac Deum etiam respondisse, quin aliquid specialiter illi præciperet: alioquin Summus Sacerdos, ac ipse Doeg ignorassentne fugam ipsius, & locum, quo se reciperet? Protectio, qua Deus Davidem tutatus est, cum hic in maximo periculo versaretur, satis probat, iter hoc licet periculosæ plenum opus aleæ, haud voluntati ipsius oppositum fuisse. Asserere, quod confideret David se ignotum fore in urbe Geth, hoc est sane illi mentem tribuere, quæ nullam habeat veritatis speciem; sed forte credidit, Achim virtutis specie captum operæ pretium a se fieri existimaturum, si eximium adeo virum sibi benevolum conciliasset, qui omne robur e- D rat exercitus Saulis, omnisque terror Philisthinorum. David profecto tunc sibi ab Achis recedendum est ratus, cum Regis aulicos in se invidia flagrare cognovit, Regique mentem injicere, ut ipsum de medio tolleret, ob Regis oculos præclara Davidis gesta objicientes, & quam ille in universo Israel nominis famam obtineret.

Achis, idem Achis, vel successor illius, quid sua magis interesset, melius alia in occasione cognovit. Cum enim iterum apud ipsum perfugit David 1. Regum 27. 1. 2. ipsum humanissime excepit, illique urbem dedit, quo secederet, eumque in prœlium contra Saulem voluit deducere. Plura suppetunt illustrium virorum exempla, qui apud hostes perfugium quærere coacti fuerunt, ibique liberalissime fuerunt E habiti. Themistocles apud Persas, Alcibiades apud Lacædemonios, Coriolanus apud Volscos se recepere. Hæc vera est victoria de hostibus suis, illis vires, & consilia adimere, partesque suas illorum clade, ac excidio confirmare.

℣. 11. NUMQUID NON ISTE EST DAVID REX TERRÆ?] Hoc est, Rex Israel? David Regem designatum

1 Livius l. 1. *Facito me tu Regium nuncium . . . Vasa, comitesque meos.* 2 Πάντα τὰ παιδάρια ἡγνισμένα. 3 והוא דרך חל ואף כי היום יקדש בכלי. 4 נעצר לפני יהוה. 70. Συνεχόμενος ἐνώπιον κυρίου. Edit. Rom. Νεσσαρὰν ἐνώπιον κυρίου. Innuere videntur eum Nazaræatus votum emisisse, vel authographi vocabulum servare voluerunt. 5 *Haarami* הארמי, *Haedomi* האדומי. Ita & cap. 22. 9. Septuaginta non conveniunt. Editio Romana legit Σύρος, reliquæ editiones Ὁ Ἰδουμαῖος. At vetus quidam Interpres legerat *Syrus*, ut & Josephus Antiq. l. 6. c. 14. Eadem varietas occurrit infra c. 22. ℣. 9. 6 Plut. in Apophteg. Laconic.
7 Frontin. Stratag. l. 1.
8 Ita Jun. Pisc. Rab. Salom. Glass. Villet.
9 1. Reg. 22. 10.

A stitatum esse, non satis adhuc noverant Philisthiim; sed ex tot præclare factis illius inferebant plane, si regium imperium de Saulis domo egrederetur, in familiam David esse inferendum. Forte etiam Saulis reprobatio, ac Davidis electio sensim gliscente in dies fama in populo, ad Philisthiim usque pervaserat. Denique verba hæc: *Numquid non est David Rex terræ?* significare possunt, Saulem per David solum regnare, dimicare, subsistere; atque ab Israel universo David, velut Regionis illius Regem haberi. Nonnulli aliter intelligunt [1]: *Numquid non est David Rex terræ hujus?* urbis Geth, regionis Philisthinorum; ad quem jure hæc spectat regio post relatum de Goliath insignem triumphum, nisi ad David? Philisthiim per Gigantis verba spoponderant, se victoris subditos fore 1. Reg. 17. 9. *Si percusserit me, erimus vobis servi.*

℣. 13. ET IMMUTAVIT OS SUUM.] Hebræus [2]: *Immutavit gustum suum*, vel *sensum suum*, Chaldæus, rationem suam. Se mente captum simulavit. Immutavit faciem, sermonem, adspectum; apparuit elinguis, insipiens, nulla prudentia, nullo ratiocinio, ut antea præditus.

COLLABEBATUR INTER MANUS EORUM.] Non quod præ infirmitate decideret, verum periode ac morbo comitiali laboraret. Hebræus [3]: *se insanum, vel furiis agitatum, simulabat inter manus eorum* [4]. Chaldæus: *apparuit insipiens inter manus eorum.*

ET IMPINGEBAT IN OSTIA PORTÆ.] Hebraicus textus verti potest [5]: *delineabat*, scribebat, lineamenta, vel figuras *in stipitibus januarum* describebat [6] puerorum, vel dementium ritu. Rabbini in Midrasch ajunt, David hæc scripsisse verba: *Achis, Rex Geth, mihi debes centum myriades aureorum.* Septuaginta [7] dicunt, ipsum veluti tympana pulsantem, civitatis januas percussisse. Aquila [8]: *transibat, & impingebat.*

DEFLUEBANT SALIVÆ EJUS IN BARBAM.] Epileptico morbo tactus videbatur spumas emittens ore; cujus generis nonnullos in Evangelio Marc. 9. 17. & Luc. 9. 39. intuemur. Ab id genus hominibus cavebatur; timebatur enim, ne illorum sputum alios eodem morbo inficeret; atque hos veluti rabidos, & furentes habere consueverant, quemadmodum isthic ab Achis excipi videmus Davidem. Plautus in Captivis. B

Hegio. *Hic homo rabiosus habitus est in Alide,*
Nam isthic hastis insectatus est domi patrem, & matrem,
Et illic isti, qui sputatur, morbus interdum venit.

℣. 15. HICCINE INGREDIETUR DOMUM MEAM?] Furentem domi meæ inter famulos meos excipiam? Subditi Achis ad Davidis adventum excitati illum apud Regem in suspicionem vocare adnisi sunt. David prava illorum mente perspecta, se insanum simulavit, ut de Regis manibus effugeret, & Aulicorum laqueos evitaret. Achis obstupescens propter morbum, quo Davidem correptum autumabat, se eum domi suæ negat excipere.

---

1 Vatabl. Piscat. 2 וישנו את טעמו. 3 ויתהלל בידם. 4 Ita Montan. Gror. Jun. Vatabl. Munster. 5 ויתו על דלתות השער. 6 Ita Jonath. Rab. Sal. Munst. Grot. Jun. alii. 7 70. Καὶ ἐτυμπάνιζεν ἐπὶ ταῖς θύραις τῆς πόλεως. Ita Hieron. Præfat. in Ps. 33. *Tympanizabat ad portam civitatis.* 8 Aq. Παρίετο καὶ προσέκρουε. Sym. Th. Καὶ ἐψόφει. *Strepitum ciebat.* 70. Ἔπιπτε, *cadebat* ויתו.

CAPUT XXII.

David in speluncam Odollam se recipit, ac deinde apud Regem Moab. Propheta Gad illi edicit, ut in terram Juda revertatur. Saul omnes Nobe Sacerdotes interimit Abiathar excepto, qui ad Davidem confugit.

1. ABiit ergo David inde, & fugit in speluncam Odollam. Quod cum audissent fratres ejus, & omnis domus patris ejus, descenderunt ad eum illuc. 2 Et convenerunt ad eum omnes, qui erant in angustia constituti, & oppressi ære
alieno, & amaro animo: & factus est eorum princeps, fueruntque cum eo quasi quadringenti viri. 3 Et profectus est David inde in Maspha, quæ est Moab: & dixit ad
regem Moab: Maneat, oro, pater meus, & mater mea vobiscum, donec sciam, quid
faciat mihi Deus. 4 Et reliquit eos ante faciem regis Moab: manseruntque apud eum
cunctis diebus, quibus David fuit in præsidio. 5 Dixitque Gad propheta ad David:
Noli manere in præsidio, proficiscere, & vade in terram Juda. Et profectus est David,
& venit in saltum Haret. 6 Et audivit Saul, quod apparuisset David, & viri, qui erant cum eo. Saul autem cum maneret in Gabaa, & esset in nemore, quod est in Rama, hastam manu tenens, cunctique servi ejus circumstarent eum, 7 Ait ad servos
suos, qui assistebant ei: Audite nunc filii Jemini: numquid omnibus vobis dabit filius
Isai agros, & vineas, & universos vos faciet tribunos, & centuriones: 8 Quoniam
conjurastis omnes adversum me, & non est, qui mihi renunciet, maxime cum & filius
meus fœdus inierit cum filio Isai? Non est, qui vicem meam doleat ex vobis; nec qui
annunciet mihi, eo quod suscitaverit filius meus servum meum adversum me, insidiantem mihi usque hodie. 9 Respondens autem Doeg Idumæus, qui assistebat, & erat
primus inter servos Saul: Vidi, inquit, filium Isai in Nobe, apud Achimelech filium

Achirob sacerdotem. 10 Qui consuluit pro eo Dominum, & cibaria dedit ei: sed & gladium Goliath Philisthæi dedit illi. 11 Misit ergo rex ad accersendum Achimelech sacerdotem filium Achitob, & omnem domum patris ejus, sacerdotum, qui erant in Nobe, qui universi venerunt ad regem. 12 Et ait Saul ad Achimelech: Audi fili Achitob. Qui respondit: Præsto sum, domine. 13 Dixitque ad eum Saul: Quare conjurastis adversum me tu, & filius Isai, & dedisti ei panes, & gladium, & consuluisti pro eo Deum, ut consurgeret adversum me, insidiator usque hodie permanens? 14 Respondensque Achimelech regi, ait: Et quis in omnibus servis tuis sicut David fidelis, & gener regis, & pergens ad imperium tuum, & gloriosus in domo tua? 15 Num hodie cœpi pro eo consulere Deum? absit hoc a me: ne suspicetur rex adversus servum suum rem hujuscemodi, in universa domo patris mei: non enim scivit servus tuus quidquam super hoc negotio, vel modicum, vel grande. 16 Dixitque rex: Morte morieris, Achimelech, tu, & omnis domus patris tui. 17 Et ait rex emissariis, qui circumstabant eum: Convertimini, & interficite sacerdotes Domini: nam manus eorum cum David est: scientes, quod fugisset, & non indicaverunt mihi. Noluerunt autem servi regis extendere manus suas in sacerdotes Domini. 18 Et ait rex ad Doeg: Convertere tu, & irrue in sacerdotes. Conversusque Doeg Idumæus, irruit in sacerdotes, & trucidavit in die illa octogintaquinque viros vestitos ephod lineo. 19 Nobe autem civitatem sacerdotum percussit in ore gladii, viros, & mulieres, & parvulos, & lactentes, bovemque & asinum, & ovem in ore gladii. 20 Evadens autem unus filius Achimelech, filii Achitob, cujus nomen erat Abiathar, fugit ad David; 21 Et annuntiavit ei, quod occidisset Saul sacerdotes Domini. 22 Et ait David ad Abiathar: Sciebam in die illa, quod cum ibi esset Doeg Idumæus, proculdubio annuntiaret Sauli: ego sum reus omnium animarum patris tui. 23 Mane mecum, ne timeas: si quis quæsierit animam meam, quæret & animam tuam, mecumque servaberis.

℣. 1. FUGIT IN SPELUNCAM ODOLLAM.] Odollam, vel Adullam, vel Adollam civitas est ex tribu Juda ad decem passuum millia ab Eleutheropoli Orientem versus [1]. In speluncam, quæ in urbis hujus agro aderat, David recessit. Plerique Palæstinæ montes vastis speculbus frequentes erant, quo belli tempore in tutum se se homines recipiebant.

A

℣. 2. QUI ERANT IN ANGUSTIA CONSTITUTI, ET OPPRESSI ÆRE ALIENO [2].] Si voluisset David asylum aperire, eum Regiæ authoritatis detrimento iis omnibus, qui ægre, atque gravate Regis imperium ferrent, ac illis, qui ære alieno essent obruti cum creditorum jactura, non posset profecto excusari, eo quod & legem justitiæ, atque charitatis, quæ proximo debetur, violasset, & adversos Principem, quem summa decet coli observantia, rebellis insurrexisset. Verum eos tantum in tutelam suam recepisse credendum est, quos injustitia, ac impotentia Saulis perfugium sibi quærere coegerat, ac obæratos, qui præ nimia egestate, cum solvendo non essent, a patria secedere, vel libertatis jacturam subire debuerant. Obedientia, ac disciplina, qua David viros hos compescuit, ac observantia, quam illis semper erga regnum, Regisque personam infudit, satis ostendunt, ipsius animum ab omni perduellionis specie quam longissime abfuisse; quoad debitores vero, eodem tempore, quo illos ab injustis vexationibus protegit, vel a servitutis periculo tuetur, se illis opem laturum pollicetur, statim ac per rerum suarum rationem ipsi licebit: interea vero illis occasionem præbet jure acquirendi bona, quibus æs contractum possint dissolvere, eos adversus Domini hostes, ac imperii ducendo; nec dici potest, ipsi nullum fuisse jus belli inferendi; neque enim negare quis potest jus illud, quo ad Imperium evehebatur.

B

C

℣. 3. IN MASPHA, QUÆ EST MOAB.] Credimus urbem hanc Maspha fuisse in montibus Galaad, patriam Jephte. Quod si verum est, fatendum erit, Reges Moab arce hac fuisse potitos post mortem Jephte. Verum credere mallem, *Maspha Moab*, hic pro loco natura munito, ac alio a Maspha Galaad usurpari. *Maspha* tumulum significat, ubi excubiarum statio esse solet, locum situ admodum æquo. Hæc forte eadem est *Maspha*, quæ infra ℣. 4. [3] *Præsidium* vocatur, hoc est arx, castellum, vel locus, ubi militum præsidium statuitur.

Cæterum David apud Regem Moab se recipit; nam Rex hic Saulis hostis erat, qui illi bellum intulerat 1. Regum 14. 47. David autem apud hunc Principem tutior permansit, quam in aula Achis Regis Geth, eo quod plane minus eum oderant Moabitæ, quibus non adeo, quam Philisthinis obfuerat.

DONEC SCIAM, QUID FACIAT MIHI DEUS.] Deus quamprimum illi per Prophetam Gad significavit, quid ipsum facere oporteret ℣. 5.

℣. 5. VENIT IN SALTUM HARET.] Eusebius, & Sanctus Hieronymus loquuntur de loco quodam, cui nomen *Haret* ad occasum Jerusalem. In saltum prope Haret David confugit. Videtur autem, patrem suum, ac alios e familia sua, qui eum fugientem comitari non poterant, in *Maspha Moab* reliquisse. Septuaginta [4] pro *saltu Haret* legunt *civitatem Haret*.

℣. 6. CUM MANERET IN GABAA, ET ESSET IN NEMORE, QUOD EST IN RAMA.] Mihi persuasum est, *Rama* isthic nequaquam peculiarem locum significare, sed simpliciter collem; ac vertendum esse [5]:

Et

1 Euseb. & Hieron. in locis. 2 Aqu. Πᾶς συνεχόμενος, καὶ πᾶς παρεσχόμενος, πᾶς ὀχλούμενος. *Qui erant in tristitia, vagi, mendicantes.* 70. Ἐν ἀνάγκῃ καὶ πᾶς ὑπόχρεως. *Qui egestate, vel ære alieno premebantur.*
3 מצודה. 70. Περιοχῇ. 4 70. Ἐν πόλει χαρὶθ. Legerunt העיר loco יער.
5 ושאול יושב בגבעה תחת האשל ברמה

Et Saul sedebat in Gabaa sub arbore, quæ est super collem. Liquet autem collem fuisse in urbe Gabaa.

℣. 7. FILII JEMINI.] Vel Beniamin. Fratres mei, consanguinei mei: Saul erat e tribu Beniamin. Exprobrat autem concivibus suis, quod ipsius fortunis minime tangantur.

℣. 8. EO QUOD SUSCITAVERIT FILIUS MEUS.] Falsum crimen. Jonathas erat amicus David; verum propter illius amicitiam numquam adversus patrem suum fuerat aliquid molitus. Verum quidem est, non adhæsisse consiliis patris, ut illum persequeretur; at id innoxie, atque juste facere potuisset? Satis liquet ex his omnibus, Jonatham ab aula secessisse, postquam contumeliose adeo a patre habitus fuerat, atque ab ipso ferme lancea fuerat transfossus 1. Reg. 20. 33.

℣. 9. QUI ASSISTEBAT, ET ERAT PRIMUS INTER SERVOS SAUL.] Vidimus supra c. 21. 7. hunc fuisse principem pastorum Saulis. Septuaginta [1] hic habent, ipsum constitutum fuisse super mulos Saulis.

℣. 10. QUI CONSULUIT PRO EO DOMINUM.] Nonnulli contendunt, hæc falso Doeg fuisse criminatum [2], ut majorem in invidiam Summum Sacerdotem adduceret. Fateor quidem in eo capite, ubi hęc refertur historia, non legi, Achimelech Dominum consuluisse, verum Summus Sacerdos non solum se non tuetur, sed illud perspicue satis confitetur, cum ait: *Num hodie cœpi pro eo consulere Deum?* Hoc Scripturæ est solemne, alibi eas circumstantias supplere, quæ alibi fuerunt omissæ.

℣. 14. FIDELIS EST GENER REGIS ... ET GLORIOSUS IN DOMO TUA.] Ad Num. 12. 7. jam animadvertimus nomen *fidelis*, Hebraice *neeman* sæpius significare dignitatem in aula Principis. Nomen [3] *gloriosus*, vel *honoratus in domo* particularem innuit distinctionem, quam *gloriosi* nomine non adamussim exprimimus: dicitur exempli gratia Genes. 34. 19. *Sichem erat inclytus in omni domo patris sui*; 1. Reg. 9. 6. Samuel *vir Dei in civitate hac vir nobilis*. Milites quidam David præ aliis triginta gloriosi magis dicuntur 2 Reg. 23. 19. & Jabes, *Inclytus præ fratribus suis* nuncupatur, 1. Paralipom. 4. 9. &c.

℣. 15. NUM HODIE COEPI PRO EO CONSULERE DEUM?] Hebraicus textus sine interrogatione reddi posset [4]; *Nunc primum consului Dominum pro eo*. Numquam ante id feceram [5], & nunc feci, quin ipsum Regi inimicum esse cognoscerem.

℣. 17. EMISSARIIS.] Hebræus [6]: *præcursoribus*, famulis, vel satellitibus. Sæpe in Scriptura mentio est *præcursorum*, qui Regem præcedebant. Absalom 2. Reg. 15. 1. & post hunc Adonias 3. Reg. 1. 5. Regnum affectantes *fecerunt sibi quinquaginta viros*,

A *qui præcederent eos*. Præcursores Roboam æreos clypeos ante Principem ferebant, cum in Templum ascenderet 3. Reg. 14. 28. Samuel Israelitis prædixerat, futurum ut Reges filios eorum tollerent, facerentque *sibi equites, & præcursores quadrigarum suarum* 1. Reg. 8. 11. Hi porro Regii ministri in regiis ædibus sedem habebant, atque apud aulicos magno in honore habebantur 3. Reg. 14. 28. & 2. Paral. 12. 10.

INTERFICITE SACERDOTES DOMINI ... NOLUERUNT AUTEM SERVI REGIS.] Hæc inobedientia egregia sane est, ac laudibus celebranda, exequi nolle imperia impia, ac palam injusta. Deo potius, quam hominibus parendum est. Obedientia, quæ debetur Principibus, subordinata est illi, quæ Deo de-B betur. Neque inconsulto Scriptura non semel Doeg vocat Idumæum, veluti ut nos præparet ad impiissimum scelus, quod hic perpetrat, in Domini Sacerdotes cruentas manus inferendo.

℣. 18. OCTOGINTA QUINQUE VIROS VESTITOS EPHOD LINEO.] Qui actu ephod erant induti, rati hoc pacto Saulis reverentiam sibi posse conciliari, illiusque crudelitatem deterreri. Vel, quibus jus erat, quippe Sacerdotibus, Ephod induendi; vel demum, qui per ætatem Ephod gestare, ac Templo poterant inservire. Hinc satis patet Ephod lineum communem fuisse Sacerdotum vestem. Pro octoginta quinque viris, Septuaginta [7] legunt trecentos, & quinque, & Josephus trecentos & octogintaquinque.

℣. 19. NOBE CIVITATEM SACERDOTUM PERCUSSIT C IN ORE GLADII.] Factum hoc nequissimum scelus, atque contra quodvis jus patratum facinus habendum est. Saul a Deo derelictus nullam amplius legem, nullam mensuram sectatur. Probabile est occasione hac Tabernaculum Domini in Gabaon translatum fuisse: atque hoc fortasse tempore Saul Gabaonitas occidit, atque de illorum urbe exterminavit, ut ibi Domini Tabernaculum constitueret.

℣. 20. EVADENS UNUS.] Hic est Abiathar, quem Dominus ex hac familia reservare voluit. Hic Davidem convenit in sylvam Haret, secumque attulit Summi Sacerdotis ornatum, quemadmodum cap. seq. ℣. 6. 9. videbimus.

℣. 22. EGO SUM REUS OMNIUM ANIMARUM PATRIS TUI.] Hebraicus textus ad litteram [8]: *Ego in-D volvi eos omnes, qui de domo patris tui obtruncati fuerunt*. Ego ipse quodammodo illos jugulavi. Alludere videtur ad ea, quæ Saul satellitibus suis ajebat [9]: *Involvite, ac interficite Sacerdotes Domini*. Alii reddunt; *dedi occasionem morti universæ familiæ tuæ*.

1 Ο' παρεστηκὼς ἐπὶ τὰς ἡμιόνους Σαοὺλ. 2 Hugo Card. 3 ונכבד בבית

4 היום החלתי לשאל לו באלהים. 5 Ita Chald. Munst. 6 הרצים. 70. Τοῖς παρατρέχουσι.

7 Τριακοσίους καὶ πέντε. Ita Codd. Vatic. Ald. Alex. Joseph. Antiqu. 6. 14. Πέντε καὶ ὀγδοήκοντα, καὶ τριακοσίους.

8 סבתי בכל נפש בית אביך. 9 17. סבו והמיתו

CAPUT XXIII.

Ceila a Davide de manu Philisthiim liberatur. David de Ceila secedens in desertum Ziph proficiscitur; qua de re Saul certior est factus. David deinde in deserto Maon inter Saulis manus lapsurus, facta a Philisthæis adversus Saulem irruptione, propter quam hic recedere debuit, servatur.

1. ET annuntiaverunt David, dicentes: Ecce Philisthiim oppugnant Ceilam, & diripiunt areas. 2 Consuluit ergo David Dominum, dicens: Num vadam, & percutiam Philisthæos istos? Et ait Dominus ad David: Vade, & percuties Philisthæos; Anno M. 2945. ante J. C. 1059.

listhæos, & Ceilam salvabis. 3 Et dixerunt viri, qui erant cum David, ad eum: Ec-
ce nos hic in Judæa consistentes timemus; quanto magis si ierimus in Ceilam adversus
agmina Philisthinorum? 4 Rursum ergo David consuluit Dominum. Qui respondens,
ait ei: Surge, & vade in Ceilam: ego enim tradam Philisthæos in manu tua. 5 Abiit
ergo David, & viri ejus in Ceilam, & pugnavit adversum Philisthæos, & abegit jumen-
ta eorum, & percussit eos plaga magna: & salvavit David habitatores Ceilæ. 6 Por-
ro eo tempore, quo fugiebat Abiathar, filius Achimelech ad David in Ceilam, ephod
secum habens descenderat. 7 Nuntiatum est autem Sauli, quod venisset David in Cei-
lam: & ait Saul: Tradidit eum Deus in manus meas, conclususque est, introgressus ur-
bem, in qua portæ, & seræ sunt. 8 Et præcepit Saul omni populo, ut ad pugnam
descenderet in Ceilam: & obsideret David, & viros ejus. 9 Quod cum David rescis-
set, quia præpararet ei Saul clam malum, dixit ad Abiathar sacerdotem: Applica e-
phod. 10 Et ait David: Domine Deus Israel, audivit famam servus tuus, quod dis-
ponat Saul venire in Ceilam, ut evertat urbem propter me: 11 Si tradent me viri Cei-
læ in manus ejus; & si descendet Saul, sicut audivit servus tuus? Domine Deus Israel
indica servo tuo. Et ait Dominus: Descendet. 12 Dixitque David: Si tradent me vi-
ri Ceilæ, & viros, qui sunt mecum in manus Saul? Et dixit Dominus: Tradent. 13
Surrexit ergo David, & viri ejus quasi sexcenti, & egressi de Ceila, huc, atque illuc
vagabantur incerti: nuntiatumque est Sauli, quod fugisset David de Ceila, & salvatus
esset: quam ob rem dissimulavit exire. 14 Morabatur autem David in deserto in locis
firmissimis, mansitque in monte solitudinis Ziph in monte opaco: quærebat eum tamen
Saul cunctis diebus: & non tradidit eum Deus in manus ejus. 15 Et vidit Da-
vid, quod egressus esset Saul, ut quæreret animam ejus. Porro David erat in deser-
to Ziph in silva. 16 Et surrexit Jonathas filius Saul, & abiit ad David in silvam, &
confortavit manus ejus in Deo: dixitque ei: 17 Ne timeas: neque enim inveniet te
manus Saul patris mei, & tu regnabis super Israel, & ego ero tibi secundus, sed & Saul
pater meus scit hoc. 18 Percussit ergo uterque fœdus coram Domino: mansitque Da-
vid in silva: Jonathas autem reversus est in domum suam. 19 Ascenderunt autem Zi-
phæi ad Saul in Gabaa, dicentes: Nonne ecce David latitat apud nos in locis tutissimis
silvæ, in colle Hachila, quæ est ad dexteram deserti? 20 Nunc ergo sicut desideravit
anima tua, ut descenderes, descende: nostrum autem erit, ut tradamus eum in manus
regis. 21 Dixitque Saul: Benedicti vos a Domino, quia doluistis vicem meam. 22
Abite ergo, oro, & diligentius præparate, & curiosius agite, & considerate locum,
ubi sit pes ejus, vel quis viderit eum ibi: recogitat enim de me, quod callide insidier
ei. 23 Considerate, & videte omnia latibula ejus, in quibus absconditur: & reverti-
mini ad me ad rem certam, ut vadam vobiscum: quod si etiam in terram se abstruserit,
perscrutabor eum in cunctis millibus Juda. 24 At illi surgentes abierunt in Ziph ante
Saul: David autem, & viri ejus erant in deserto Maon, in campestribus, ad dexteram
Jesimon. 25 Ivit ergo Saul, & socii ejus ad quærendum eum: & nuntiatum est David,
statimque descendit ad petram, & versabatur in deserto Maon: quod cum audisset Saul,
persecutus est David in deserto Maon. 26 Et ibat Saul ad latus montis ex parte una:
David autem, & viri ejus erant in latere montis ex parte altera: porro David despera-
bat se posse evadere a facie Saul: itaque Saul, & viri ejus, in modum coronæ cinge-
bant David, & viros ejus, ut caperent eos. 27 Et nuntius venit ad Saul, dicens: Fe-
stina, & veni, quoniam infuderunt se Philisthiim super terram. 28 Reversus est ergo
Saul desistens persequi David, & perrexit in occursum Philisthinorum: propter hoc
vocaverunt locum illum, Petram dividentem.

℣. 1. PHILISTHIIM OPPUGNANT CEILAM, & DIRIPIUNT AREAS.] Ceila erat in tribu Iuda octo passuum millibus, hoc est leucis tribus cum dimidia procul ab Eleutheropoli, Hebron versus [1]. Ea in regione mos obtinuerat, ut segetum manipuli in areis per agros colligerentur; ubi deinceps tragularum adminicolo, vel animantium opera, quæ super fruges immittebantur, triturare consueverant. Areæ hæ sub dio erant, neque tegmine defensæ. Authores *de re rustica* [2] quo A pacto eæ fierent, perquam diligenter edocuerunt. Amurca immiscebatur humus, ex qua areæ solum sternebatur; cum vero terra olei fæces imbiberat, tundebatur, atque æquabatur. Nec mures, nec formicæ per illam penetrare poterant, herba nequaquam ibi nascebatur, & cum plueret, aqua statim defluebat, neque limum aderat umquam. Hoc satis commune populis est, bellum inferre messes hostium diripiendo, atque agros depopulando: Ita Madianitæ adversus Israelitas grassabantur [3]; neque latet, quam perni-

1 Euseb. & Hieron. in loc. Hebr. 2 Cato de re Rust. c. 91. & 129. &c. Columel. l. 2. c. 20. &c. 3 Judic. 5. 4.

pernicιem Samson Philisthinis intulerit [1], vulpes in A eorum messes, ac areas immittendo.

℣. 2. CONSULUIT ERGO DAVID DOMINUM.] Consuluit Abiathar, qui secum Ephod attulerat. Oraculum hoc magnum præstitit Davidi præsidium eo in statu, in quo tunc versabatur. Nihil enim magnum deinceps aggressus est, quin Summum Sacerdotem consuleret.

℣. 3. ECCE NOS HIC IN JUDÆA CONSISTENTES TIMEMUS, QUANTO MAGIS SI IERIMUS IN CEILAM.] Num Ceila in alia regione aderat, quam in Judæa? haud sane, Sciunt omnes Ceilam æque fuisse in hæreditate tribus Juda, ac Haret, ubi illi tunc erant; verum comites David hoc solum innuere volunt, quod si tunc, cum erant in umbilico regionis Juda, tuti non erant ab impetu Philisthinorum, multo minus fore in Ceila, ubi tunc aderant illorum copiæ. B Vel potius: si tuti non sumus in sylva, atque in abditis locis, quid fiet, si essemus in Ceila, quæ regio hostibus patet, & in urbe muris clausa; ubi nos poterit Saul persequi, & comprehendere.

℣. 4. RURSUM CONSULUIT.] Scilicet pro illis, qui cum ipso aderant, qui haud æquo animo Ceilam proficiscebantur; tunc secundo coram ipsis Dominum consuluisse videtur.

℣. 5. ABEGIT JUMENTA EORUM.] Armenta, vel potius ipsa dossuaria animantia, asinos, & camelos Philisthinorum. Hebraica vox [2] intelligi potest, de armentis generatim, vel etiam de bonis, ac fundis.

℣. 6. EPHOD SECUM HABENS DESCENDERAT.] Pervenerat, antequam expeditio in Ceilam susciperetur. C Dicitur autem secum habuisse Ephod explicandi ergo id, quod dicitur, David Dominum consuluisse. Hebræus [3]: *Ephod cecidit in manus illius*. Felici sane eventu secum attulerat Ephod: permiserat Deus, ut in manus illius veniret. Possumus quoque adhærere Septuaginta, & Vulgatæ: *Descendit habens Ephod in manu sua*.

℣. 8. PRÆCEPIT SAUL OMNI POPULO.] Profecto omnibus finitimis; neque enim fidei congruum est, ab ipse totum Israel excitum fuisse, ut unum hominem persequeretur. Hæc autem convocatio, & hæc jussa frustra cesserunt, eo quod sibi omnia præcaverat David.

℣. 9. APPLICA EPHOD.] Hebraice [4]: *Fac, Ephod accedat*. Infra c. 30. 7. ait: *Fac accedat Ephod super me*: D quod reddidit Vulgata: *Applica ad me Ephod*, indue me Ephod. Eruditi quidam Critici [5] credunt David vere sacra se veste induisse, ac per semet Dominum consuluisse; sane ℣. sequenti verba referuntur, quibus consilium a Domino petiit. At communior Interpretum sententia tuetur, summo Sacerdoti solum induti Ephod, ac oracula magni momenti enunciare licuisse.

℣. 10. AIT DAVID.] Ipse Dominum consuluit: ipse suam consultationem effinxit. Sacerdos Abiathar Dei verbis respondebat. Nonnulli putant, David præivisse verbis Sacerdoti; Sacerdotem vero Ephod indutum ea protulisse [6], ac deinceps Dei nomine respondisse.

℣. 11. SI TRADENT ME .... & SI DESCENDET E SAUL.] Duo hæc simul rogavit: sed cum Deus priori tantum respondisset, secundum repetere debuit, ut responsum exciperet. Dixit illi Dominus, ipsum a Ceilanis proditum iri, & a Saule iri captum; hoc scilicet subintelligens, si illic permanseris, ac ipsis tempus permiseris. Hic oraculi sensus est. Deus loquitur juxta mentem principum Ceilæ, atque Saulis.

℣. 14. ZIPH.] Desertum Ziph erat prope civitatem cognominem in boreali parte Juda. S. Hieronymus situm urbis Ziph octo millibus passuum procul ab Hebron constituit, Orientem versus; & Eusebius ait, Desertum Ziph fuisse prope montem Carmelum, ubi Nabal vir Abigail immorabatur: quod satis congruit cum eo, quod S. Hieronymus asserit; nam Ziph, & Carmelus ad tres tantum leucas invicem aberant.

℣. 15. IN SILVA.] Septuaginta [7]; *In nova*, vel *in novo deserto Ziph*. S. Hieronymus secutus est Aquilam vertendo *in silva*. Eusebius montem Ziph sterilem appellat, atque aridum, & a S. Hieronymo *Mons squalidus, vel caligans, vel nebulosus* [8] vocatur, quod ab aliquo veteri Græco Interprete desumptum videtur. Hebraica vox *Charescha* silentium significat, quod opacissimis silvis late servatur.

℣. 16. CONFORTAVIT MANUS EJUS IN DEO.] Vel per memoriam promissionum Dei, vel per fœderis Dei nomine sanciti instaurationem; vel simpliciter; *valde consolatus est eum*. Dei nomen ad augendum inservit.

℣. 17 ERO TIBI SECUNDUS.] Tibi opitulabor, tibi obsecundabo, quantum erit in me; vel potius: *Secundus ero in regno tuo*. Secundum dummodo locum postulo; novi enim Regnum deberi tibi. Vel denique, tibi *fœderatus ero*; quam postremam sententiam præferre mallem. Similis propemodum in Ec- C clesiaste 4. 8. 11. occurrit locutio: *Unus est, & secundum non habet, non filium, non fratrem, & tamen laborare non cessat*; ut paullo inferius: *væ soli quia cum ceciderit non habet secundum sublevantem se*.

SED & SAUL PATER MEUS SCIT HOC.] Novit ille vinculum, quod est inter nos.

℣. 22. RECOGITAT ENIM DE ME, QUOD CALLIDE INSIDIER EI.] Hebraice [9]: *dixit enim mihi: dolis utetur*: Septuaginta [10]: *nam Saul dixit: versutus, ut fraudator dolis utatur*. Vereor, ut vulpes hæc e manibus meis adhuc elabatur, ni perquam sedulo præcaveo, ut ictus meus tuto evadat. Syriaca versio: *Mihi dictum fuit, hunc virum dolosum esse*. Ita Glassius, & Malvenda.

℣. 23. SI IN TERRAM SE ABSTRUSERIT.] Vel in spe- D luncæ cavitatem, illum deducere illinc sciam, & capere. Virgil. Æneid. 12.

.... *Opta ardua pennis*
Astra sequi, clausumque cava se condere terra.

Hebræus [11]: *Si est in regione; quæram illum in omnibus millibus Juda*: In omnibus urbibus, vel cum omnibus copiis Juda: nam *mille* utrumque sensum pati potest. Septuaginta [12]; *si tutus est super terram, quæram illum in omnibus millibus Juda*.

℣. 24. IN DESERTO MAON.] Urbs, & desertum Maon in interiori boreali parte Juda sita erant. Totus ille tractus montibus frequens erat, ac speluncæ vastæ erant, & crebræ in iis montibus. Maon ad dexteram erat, vel ad meridiem *Jesimon*. Si *Jesimon* eadem est ac *Asemon*, Maon erat in Arabia E Petræa. Non ambigo, quin hæc sit urbs *Maenois*, quam Eusebius in Locis prope Gazam constituit, & *Manoeni Castrum*, quod Codex Theodosianus l. 30. prope Bersabee collocat. Mænois plane Maonitarum caput erat, de quibus frequenter adeo in Scripturis est sermo 1. Par. 4. 40. 41. & 2. Par. 20. 1.

℣. 26. DESPERABAT SE POSSE EVADERE.] Hebraicus

1 Judic. 15. 15. 2 מקניהם את ינהגו 70. Ἀπήλασε τὰ κτήνη αὐτῶν.
3 אפוד ירד בידו Κατέβη ἔχων ἐφοὺδ ἐν τῇ χειρὶ αὐτοῦ. 4 הגישה האפוד
5 Cunæus de Repub. Hebr. l. 2. c. 4. & Spencer. de Urim. 6 Menoch.
7 Ἐν τῷ ἐρήμῳ Ζὶφ, ἐν τῇ καινῇ. Legerunt בחדשה loco בחרשה 8 Ὄρος αὐχμῶδες. Euseb. in locis, & Hieron. ibid. 9 כי אמר אלי ערום יערים הוא 10 Ὅτι εἶπεν ὁ Σαοὺλ μὴ πανούργως πανουργεύσηται. 11 והיה אם ישנו בארץ וחפשתי אתו 12 Εἰ ἔστιν ἐπὶ τῆς γῆς, ἐξερευνήσω αὐτὸν ἐν πάσαις χιλιάσιν Ἰούδα.

braicus textus aliter vertitur [1] : *& David festinabat, ut a Saule effugeret*; vel quærebat se se de manu Saulis eripere. Septuaginta [2]: *David tutus erat, ut a Saule sibi caveret*.

℣. 28. PETRAM DIVIDENTEM:] Locum ubi Saul reverti debuit, neque amplius persequi fugientem A David; vel Petram, quæ separabat Saulem a Davide. Hanc enim transire dumtaxat oportebat, ut caperet Davidem. Aliter *Petram dividentem*; nam isthic Saulis, ac militum illius mens in diversa distracta fuit, deberent ne regioni suæ opem ferre, an satius esset, ut Davidem persequerentur.

---

1 13 ויהי דוד נחפז ללכת מפני שאול

2 Καὶ Δαυὶδ ἦν σκεπαζόμενος πορεύεσθαι ἀπὸ προσώπου Σαούλ.

CAPUT XXIV.

David se recipit in speluncam Engaddi: Saul naturali impulsus necessitate illuc ingreditur, cujus David pallii oram abscindit. Inde e spelunca egressus suam probat innocentiam Sauli; qui pœnitentia ductus precatur David, ne ipsius deleat posteritatem.

1. ASCendit ergo David inde: & habitavit in locis tutissimis Engaddi. 2 Cum-
que reversus esset Saul, postquam persecutus est Philisthæos, nuntiaverunt
ei, dicentes: Ecce, David in deserto est Engaddi. 3 Assumens ergo Saul
tria millia electorum virorum ex omni Israel, perrexit ad investigandum David, & vi-
ros ejus, etiam super abruptissimas petras, quæ solis ibicibus perviæ sunt. 4 Et ve-
nit ad caulas ovium, quæ se offerebant vianti: eratque ibi spelunca, quam ingressus est
Saul, ut purgaret ventrem: porro David, & viri ejus in interiore parte speluncæ late-
bant. 5 Et dixerunt servi David ad eum: Ecce dies, de qua locutus est Dominus ad
te: Ego tradam tibi inimicum tuum, ut facias ei, sicut placuerit in oculis tuis. Surre-
xit ergo David, & præcidit oram chlamydis Saul silenter. 6 Post hæc percussit cor suum
David, eo quod abscidisset oram chlamydis Saul. 7 Dixitque ad viros suos: Propi-
tius sit mihi Dominus, ne faciam hanc rem domino meo, christo Domini, ut mittam
manum meam, in eum, quia christus Domini est. 8 Et confregit David viros suos
sermonibus, & non permisit eos, ut consurgerent in Saul: porro Saul exurgens de spe-
lunca, pergebat cœpto itinere. 9 Surrexit autem & David post eum: & egressus de
spelunca clamavit post tergum Saul, dicens: Domine mi rex. Et respexit Saul post se:
& inclinans se David pronus in terram, adoravit, 10 Dixitque ad Saul: Quare audis
verba hominum loquentium: David quærit malum adversum te? 11 Ecce hodie vide-
runt oculi tui, quod tradiderit te Dominus in manu mea in spelunca: & cogitavi, ut
occiderem te, sed pepercit tibi oculus meus; dixi enim: Non extendam manum meam
in dominum meum, quia christus Domini est. 12 Quin potius pater mi, vide, & co-
gnosce oram chlamydis tuæ in manu mea: quoniam cum præscinderem summitatem chla-
mydis tuæ, nolui extendere manum meam in te: animadverte, & vide, quoniam non
est in manu mea malum, neque iniquitas, neque peccavi in te; tu autem insidiaris ani-
mæ meæ, ut auferas eam. 13 Judicet Dominus inter me, & te, & ulciscatur me Do-
minus ex te: manus autem mea non sit in te. 14 Sicut & in proverbio antiquo dici-
tur: AB IMPIIS egredietur impietas: manus ergo mea non sit in te. 15 Quem per-
sequeris, rex Israel? quem persequeris? canem mortuum persequeris, & pulicem unum.
16 Sit Dominus judex, & judicet inter me, & te: & videat, & judicet causam meam,
& eruat me de manu tua. 17 Cum autem complesset David loquens sermones hujusce-
modi ad Saul, dixit Saul: Numquid vox hæc tua est, fili mi David? Et levavit Saul
vocem suam, & flevit. 18 Dixitque ad David: Justior tu es quam ego: tu enim tri-
buisti mihi bona: ego autem reddidi tibi mala. 19 Et tu indicasti hodie, quæ fece-
ris mihi bona: quomodo tradiderit me Dominus in manum tuam, & non occideris me.
20 Quis enim cum invenerit inimicum suum, dimittet eum in via bona? Sed Dominus
reddat tibi vicissitudinem hanc, pro eo quod hodie operatus es in me. 21 Et nunc
quia scio, quod certissime regnaturus sis, & habiturus in manu tua regnum Israel. 22
Jura mihi in Domino, ne deleas semen meum post me, neque auferas nomen meum de
domo patris mei: 23 Et juravit David Sauli. Abiit ergo Saul in domum suam: &
viri ejus ascenderunt ad tutiora loca.

℣. 1. HA-

℣. 1. HABITAVIT IN LOCIS TUTISSIMIS ENGADDI.] Engaddi sita erat satis prope oram occidentalem maris mortui, non procul a planitie Jericho. Ager illius montibus refertus erat; montes vero vastissimis speluncis frequentes; quo David concessit.

℣. 4. VENIT AD CAULAS OVIUM . . . . ERATQUE IBI SPELUNCA.] Hæ ovium caulæ aliud plane haud erant, quam specus, quo armenta agebantur, & noctu, & interdiu, cum maxime æstus ferveret. In Mesopotamia, ac in Arabia complures sunt pastorum familiæ, qui nullas incolunt domos, sed cum gregibus suis in rupium speluncas se se recipiunt, æque ferme ac Polyphemus in antrum suum cum armentis [1] secedebat; & Cacus apud Virgilium Æneid 8. stabulum, ac domicilium in eadem habebat spelunca. In Syria speluncæ immanes adeo patebant, ut quatuor virorum millia, Strabone Authore l. 16. possent complecti. Itaque non adeo mirum est, quod illic cum sexcentis militibus David potuerit delitescere, atque cum in remotiori specus parte, cujus aditus perangustus erat, consisteret, minime deprehensus fuerit a Saule, qui non adeo intus processerat. Syriaca versio, & Arabica aiunt ipsum illuc introisse dumtaxat, ut somno indulgeret, vel ut requiesceret. Hebraice [2]: *ingressus est, ut suos pedes obtegeret*, quod Interpretes omnes in Vulgatæ sensu intelligunt.

℣. 5. DIXERUNTQUE SERVI DAVID AD EUM: ECCE DIES DE QUA LOCUTUS EST DOMINUS.] Nullibi in Scriptura legimus, quando, aut per quem Dominus pollicitus fuerit David, se in manum ipsius hostes ejus esse traditurum: verum quin hujus rei formalem prædictionem inquiramus, hoc pacto intelligi potest: Ecce dies tibi propitia, qua inimicos tuos de medio tollere tibi licet: non enim, nisi divinitus factum est, ut inimicus tuus in manus tuas prorueret.

Jure ne potuisset David in occasione hac manum in Saulem inferre? Qui ajunt, Deum promisisse Davidi, inimicum ipsius illi traditum iri, asserere quoque debent, ipsum prædictionem hanc exequi potuisse, atque facultate uti, quam illi præbuerat Deus. Immo Dei consiliis haud fecisse videretur satis, Saulem elabi sinens, quem Deus illuc deduxerat interimendum; quemadmodum summum admisit nefas Saul parcens Agag Regi Amalecitarum. Addunt præterea, licere, vim vi repellere, atque inimicum occupare, qui nobis mortem inferre conatur. Denique belli hostis occidi potest. Saul equidem injusto bello opprimebat David: huic proculdubio jus erat ad regnum; Saul nonnisi regni usurpator poterat haberi.

At hæc sententia profecto non erat sententia Davidis. Hoc enim semper facinus horruit, quod illi permissum fuisse volunt; atque semper illius scelero agitatus fuisset, illud non solum illicitum aliquid, & justitiæ oppositum censens, sed fœdissimam socordiam, ac sacrilegii genus in sacram personam perpetratum. Davidi nec imperatum, nec permissum fuerat, ut Saulem occideret. Deus, qui illi regnum spoponderat, atque super inimicos illius evehere, non ideo tamen illi permiserat, ut per sanguinem, & scelus ad solium aditum sibi aperiret. Deus hac re illius virtutem, & clementiam expertus est, illum huic tentationi objiciens; non autem illi tetendit laqueos, ut ipsum in parricidium impelleret. Dei intererat sua consilia super servo suo ad optatum finem perducere, non intererat David eadem prævenire. Quamvis jus ipsius ad regnum reale esset, ac invictum, non licebat illi tamen eodem uti, ac illius possessionem adire per vim; donec Saulem & Dominus passus fuisset, & Regem populus agnovisset. Actio illius nequissimum scelus, & scandalum in Israel universo habitum fuisset. David hactenus privatus erat; neque ullum characterem habebat, quo jure Sauli bellum posset indicere; licebat quidem illi se se contra injustum percussorem tueri, at illum prævenire non licebat; poterat quidem vim vi repellere; ita tamen ut vitæ suæ consuleret, non autem inimico vitam eriperet; & hæc dogmata, quæ inter privatos observari debent, latius multo patent inter subditum, & Regem. Subditus enim patienter ferre debet mala, quibus, licet innocens, a principe afficitur. Si minimum etiam prætexere potuisset colorem Saul persequendi Davidem, veluti rebellem, facinorosum, atque convictum perduellionis reum; ne arma quidem potuisset capere David, & adversus Regem suum se tueri. Promissiones Dei, quæ præcesserant, ac particularia jussa, quæ per Summi Sacerdotis oraculum quotidie accipiebat, hæc, inquam, dumtaxat efficere potuerunt, ut ipsi & fugam corripere, & vim propulsare liceret.

℣. 6. PERCUSSIT COR SUUM DAVID.] Conscientiæ stimulus sensit. Hebraice [3]: *cor David tetigit illum*. David factum erga Saulem erat quædam veluti contumelia Regi illata. David juxta ideas, quas illi Religio suggerebat, ac reverentiæ sensus, quos regionis illius consuetudo erga sacram Regis personam instillabat, facinus se admisisse arbitrabatur, eo quod regii pallii oram absciderat. Orientis populi Reges suos, veluti quædam numina venerabantur. *Regium nomen gentes, quæ sub regibus sunt, pro Deo colunt*, ait Q. Curtius l. 7.

℣. 7. CHRISTUS DOMINI EST.] Nomen Christi Græce illum, qui Unctionem accepit, significat; Christus Domini, illum, qui de mandato, atque electione Domini accepit Unctionem. Principum persona, nomen, & authoritas sacra esse debent, atque intemerata. Ii vero uni Deo rationem sunt reddituri. Horatius:

Regum timendorum in proprios greges;
Reges in ipsos imperium est Jovis.

℣. 11. COGITAVI UT OCCIDEREM TE; SED PEPERCIT TIBI OCULUS MEUS.] Potuissem animi stimulos ultionem exposcentis audire, & tibi vitam eripere. Hebraice [4]: *dixit, ut occideres te, & pepercit tibi, & dixit: non extendam manum meam in Dominum meum*. Videtur modestiæ ergo præsertim in re odiosa, David loqui nolle per personam primam: *dixit, ut occideres te*; pro: *Ego dixi in me ipso: illum interficere volo*. Aliter: *suboriebatur mihi quidem voluntas te occidendi; sed dixi: non extendam manum meam in dominum meum* [5]. Septuaginta [6]: *Nolui occidere te; sed peperci tibi; dixi enim: non extendam manum meam in Dominum meum*.

℣. 14. AB IMPIIS EGREDIETUR IMPIETAS.] Avertat Deus, quod ego ex impiorum numero sim, atque scelestum adeo facinus perpetrem, ac illud, ad quod me ultionis stimuli agebant. Numquam fiet ut tibi iniquorum more malum reddam pro malo [7]. Alii [8] ita explicant: impii, ac nequam carnifices suos in semetipsis invenient; crimen suum erit supplicium suum. Sibi solum tradendi sunt, decident in foveam, quam aliis fecerunt. Novimus *iniquitatem* sæpius in Scripturis pro pœna, ac supplicio, quod illam comitatur, & consequitur, usurpari. David indirecte Sauli Dei vindictam intentat. Judæi quidam apud Munsterum hoc pacto intelligunt: impii non erunt semper impii, ad frugem redibunt, eos scelerum suorum pœnitebit; *ab impiis egreditur impietas*.

1 Homer. Odyss. I.
2 לְהָסֵךְ אֶת רַגְלָיו. Aq. Εἰσῆλθε ἀποκενῶσαι. Alius, Κενῶσαι. Alius, Σχολὴν ἄγειν. Joseph. Φυσικῆς ἐπειγόμενος κατέπεσθαι. 3 וַיַּךְ לֵב דָּוִד אֹתוֹ. 70. Ἐπάταξεν τὸν Δαυὶδ ἡ καρδία αὐτοῦ.
4 וְאָמַר לַהֲרָגְךָ וַתָּחָס עָלֶיךָ וָאֹמַר לֹא אֶשְׁלַח יָדִי וגו׳. 5 Ita Jonath. Pagn. Varabl. Tirin. Syr. Arab.
6 Καὶ οὐκ ἐβουλήθην ἀποκτεῖναί σε, καὶ ἐφεισάμην σου, καὶ εἶπα οὐκ ἐποίσω τὴν χεῖρά μου ἐπὶ τὸν Κύριόν μου.
7 Grot. Vatabl. Erasm. Chil. 1. Cent. 9. Adag. 26. 8 Menoch. Cornel. Sanct.

tae. Denique hoc modo intelligi potest : Cur audis sermones pravos, quos ferunt inimici mei adversum me ; *impiæ linguæ nonnisi malum, & venenum emittere possunt*. Ratio, qua erga te operatus sum, innocentiæ meæ validissimum est argumentum. Si adeo nequam fuissem, ac me tibi obtrudunt, defuissemne mihi, cum præclara adeo se mihi obtulisset occasio? Noscitur arbor ex fructibus illius, & opifex ex operibus ; malus corvus malum ovum parit.

℣. 15. CANEM MORTUUM PERSEQUERIS.] Dignum sane objectum, propter quod tot sollicitudinibus afficiaris, & quod persequi velis! Hominem inermem, sine præsidio, sine fortunis, sine honore, sine vi ; quod scilicet Rex potens cum cane mortuo congrediatur. Virgilius ;

Nullum cum victis certamen, & æthere cassis.

Hebræi, ut hominem innuerent summopere contemnendum, dicebant, *canem mortuum*. Abisai loquens de Siba, qui mille evomebat imprecationes adversum David, dicebat 2. Reg. 16. 9. *Quare maledicit canis hic mortuus Domino meo Regi? vadam, & amputabo caput ejus*. Quæ locutio ad hanc quoque diem apud Orientis populos viget, quemadmodum ex Viatoribus liquet.

℣. 17. ET FLEVIT.] Non desunt, qui has Saulis lacrymas simulatas fuisse putent : sed cur Rex ille A fuco non potuit affici dolore, qui ex oculis fletum eduxerit? Nequissimi peccatores etiam nonnumquam inter flagitia sua lacrymas emittunt.

℣. 22. JURA MIHI IN DOMINO, NE DELEAS SEMEN MEUM.] Saul fretus Davidis æquitate illum flagitat, ut generi suo parcat. David promissi fidem præstitit pro virili ; sed cum Dominus persequi voluerit injustitiam, quam Saul adversus Gabaonitas patraras, David coactus fuit illis totam Saulis familiam tradere, excepto Miphiboset, Jonathæ filio.

NEQUE AUFERAS NOMEN MEUM.] Familiam, filios, genus meum. Hic est horum verborum naturalis sensus : *ne deleas nomen meum* ; eos scilicet, qui filii mei, ac posteri vocantur, & qui nominis mei memoriam perennem efficiunt. Hoc pacto dicimus, B efficere, ut nomen alicujus reviviscat, cum illi tribuuntur hæredes, ac successores. Sanctius subtilius nimis intelligit, cum ait, deleri consuevisse nomen illorum, qui in familias suas dedecus intulerant ; non secus ac Bruti, & Cassii imagines de illustrium Majorum serie dejectæ sunt [1]. Si Saul omittitur in Mardochæi genealogia [2], alii tamen reticentur, qui sane hoc non merebantur. A Beniamin ad Mardochæum quatuor ibi tantum viri memorantur. Scriptura non semper exacte generationes recenset.

1 Tacit. l. 4. in fine de Juniæ funere : *Præfulgebant Cassius, atque Brutus, eo ipso, quod effigies eorum non visebantur*. 2 Esth. 2. 5. *Mardochæus filius Jair, filii Semei, filii Cis, filii Jemini*.

CAPUT XXV.

Mors Samuelis, quam populus luctu prosequitur. Nabal negat Davidi cibaria, quæ per nuntios ab ipso petierat ; cujus bona, & familiam, ut depopularetur profectus David ab Abigaile placatur. Nabal moritur. Abigail Davidi nubit, qui alteram quoque uxorem ducit, nomine Achinoam. Michol traditur Phalti.

1. MOrtuus est autem Samuel, & congregatus est universus Israel, & planxerunt
eum : & sepelierunt eum in domo sua in Ramatha. Consurgensque David
descendit in desertum Pharan. 2 Erat autem vir quispiam in solitudine
Maon, & possessio ejus in Carmelo, & homo ille magnus nimis : erantque ei oves tria
millia, & mille capræ : & accidit, ut tonderetur grex ejus in Carmelo. 3 Nomen
autem viri illius erat Nabal : & nomen uxoris ejus Abigail : eratque mulier illa prudentissima, & speciosa : porro vir ejus durus, & pessimus, & malitiosus : erat autem
de genere Caleb. 4 Cum ergo audisset David in deserto, quod tonderet Nabal gregem suum, 5 Misit decem juvenes, & dixit eis : Ascendite in Carmelum, & venietis ad Nabal, & salutabitis eum ex nomine meo pacifice. 6 Et dicetis : Sit fratribus
meis, & tibi pax, & domui tuæ pax, & omnibus, quæcumque habes, sit pax. 7
Audivi, quod tonderent pastores tui, qui erant nobiscum in deserto : numquam eis
molesti fuimus, nec aliquando defuit quidquam eis de grege, omni tempore, quo fuerunt nobiscum in Carmelo. 8 Interroga pueros tuos, & indicabunt tibi. Nunc ergo
inveniant pueri tui gratiam in oculis tuis : in die enim bona venimus : quodcumque
invenerit manus tua, da servis tuis, & filio tuo David. 9 Cumque venissent pueri
David, locuti sunt ad Nabal omnia verba hæc ex nomine David : & siluerunt. 10
Respondens autem Nabal pueris David, ait : Quis est David? & quis est filius Isai?
hodie increverunt servi, qui fugiunt dominos suos. 11 Tollam ergo panes meos, &
aquas meas, & carnes pecorum, quæ occidi tonsoribus meis, & dabo viris, quos nescio, unde sint? 12 Regressi sunt itaque pueri David per viam suam, & reversi venerunt, & nuntiaverunt ei omnia verba, quæ dixerat. 13 Tunc ait David pueris suis :
Accingatur unusquisque gladio suo. Et accincti sunt singuli gladiis suis, accinctusque

est &

est & David ense suo : & secuti sunt David quasi quadringenti viri : porro ducenti re-
manserunt ad sarcinas. 14 Abigail autem uxori Nabal nuntiavit unus de pueris suis ,
dicens : Ecce David misit nuntios de deserto, ut benedicerent domino nostro: & aver-
satus est eos. 15 Homines isti, boni satis fuerunt nobis , & non molesti : nec quic-
quam aliquando periit omni tempore, quo fuimus conversati cum eis in deserto. 16
Pro muro erant nobis tam in nocte, quam in die, omnibus diebus, quibus pavimus a-
pud eos greges . 17 Quam ob rem considera , & recogita , quid facias : quoniam
completa est malitia adversum virum tuum, & adversum domum tuam, & ipse est filius
Belial, ita ut nemo possit ei loqui. 18 Festinavit igitur Abigail, & tulit ducentos pa-
nes, & duos utres vini, & quinque arietes coctos , & quinque sata polentæ, & cen-
tum ligaturas uvæ passæ , & ducentas massas caricarum, & posuit super asinos. 19
Dixitque pueris suis : Præcedite me : ecce, ego post tergum sequar vos : viro autem
suo Nabal non indicavit. 20 Cum ergo ascendisset asinum, & descenderet ad radices
montis, David, & viri ejus descendebant in occursum ejus : quibus & illa occurrit .
21 Et ait David : Vere frustra servavi omnia, quæ hujus erant in deserto , & non pe-
riit quicquam de cunctis, quæ ad eum pertinebant : & reddidit mihi malum pro bono.
22 Hæc faciat Deus inimicis David, & hæc addat , si reliquero de omnibus , quæ ad
ipsum pertinent usque mane, mingentem ad parietem. 23 Cum autem vidisset Abigail
David, festinavit, & descendit de asino, & procidit coram David super faciem suam ,
& adoravit super terram , 24 Et cecidit ad pedes ejus, & dixit : In me sit , domine
mi, hæc iniquitas : loquatur, obsecro, ancilla tua in auribus tuis : & audi verba fa-
mulæ tuæ. 25 Ne ponat, oro, dominus meus rex cor suum super virum istum ini-
quum Nabal : quoniam secundum nomen suum stultus est, & stultitia est cum eo : ego
autem ancilla tua non vidi pueros tuos, domine mi, quos misisti. 26 Nunc ergo, do-
mine mi, vivit Dominus, & vivit anima tua, qui prohibuit te , ne venires in sangui-
nem, & salvavit manum tuam tibi : & nunc fiant sicut Nabal inimici tui , & qui quæ-
runt domino meo malum. 27 Qua propter suscipe benedictionem hanc , quam attulit
ancilla tua tibi domino meo : & da pueris , qui sequuntur te dominum meum. 28
Aufer iniquitatem famulæ tuæ : faciens enim faciet Dominus tibi domino meo domum
fidelem, quia prælia Domini, domine mi, tu præliaris : malitia ergo non inveniatur in
te omnibus diebus vitæ tuæ. 29 Si enim surrexerit aliquando homo persequens te ,
& quærens animam tuam, erit anima domini mei custodita quasi in fasciculo viventium,
apud Dominum Deum tuum : porro inimicorum tuorum anima rotabitur , quasi in im-
petu , & circulo fundæ. 30 Cum ergo fecerit Dominus tibi Domino meo omnia, quæ
locutus est bona de te , & constituerit te ducem super Israel, 31 Non erit tibi hoc
in singultum, & in scrupulum cordis domino meo, quod effuderis sanguinem innoxium,
aut ipse te ultus fueris : & cum benefecerit Dominus domino meo , recordaberis ancil-
læ tuæ. 32 Et ait David ad Abigail : Benedictus Dominus Deus Israel, qui misit ho-
die te in occursum meum , & benedictum eloquium tuum, 33 Et benedicta tu , quæ
prohibuisti me hodie, ne irem ad sanguinem , & ulciscerer me manu mea. 34 Alio-
quin vivit Dominus Deus Israel , qui prohibuit me, ne malum facerem tibi ; nisi cito
venisses in occursum mihi, non remansisset Nabal usque ad lucem matutinam , mingens
ad parietem. 35 Suscepit ergo David de manu ejus omnia, quæ attulerat ei, dixit-
que ei : Vade pacifice in domum tuam, ecce audivi vocem tuam , & honoravi fa-
ciem tuam. 36 Venit autem Abigail ad Nabal : & ecce erat ei convivium in domo
ejus, quasi convivium regis, & cor Nabal jucundum : erat enim ebrius nimis : & non
indicavit ei verbum pusillum, aut grande usque mane. 37 Diluculo autem cum diges-
sisset vinum Nabal , indicavit ei uxor sua verba hæc, & emortuum est cor ejus in-
trinsecus, & factus est quasi lapis . 38 Cumque pertransissent decem dies , percussit
Dominus Nabal , & mortuus est. 39 Quod cum audisset David mortuum Nabal ,
ait : Benedictus Dominus, qui judicavit causam opprobrii mei de manu Nabal , &
servum suum custodivit a malo, & malitiam Nabal reddidit Dominus in caput ejus .
Misit ergo David, & locutus est ad Abigail , ut sumeret eam sibi in uxorem . 40
Et venerunt pueri David ad Abigail in Carmelum, & locuti sunt ad eam, dicentes:
David misit nos ad te, ut acciperet te sibi in uxorem . 41 Quæ consurgens adoravit
prona in terram, & ait : Ecce famula tua sit in ancillam , ut lavet pedes servorum

domini mei. 42 Et festinavit, & surrexit Abigail, & ascendit super asinum, & quinque puellæ ierunt cum ea, pedissequæ ejus, & secuta est nuntios David : & facta est illi uxor. 43 Sed & Achinoam accepit David de Jezrael : & fuit utraque uxor ejus. 44 Saul autem dedit Michol filiam suam, uxorem David, Phalti filio Lais, qui erat de Gallim.

℣. 1. MORTUUS EST SAMUEL.] Judæi putant, Samuelem quatuor menses obiisse, antequam Saul occumberet [1] : nos vero mortem illius ante hunc biennio, vel circiter, statuimus. Samuel tunc octavum supra nonagesimum annum agebat, ex quibus viginti Israeli præfuerat, antequam Saul ad Regnum fuisset evectus. Saule imperante Prophetarum cœpit ordo, ac successio : antehac Domini verbum, & revelatio infrequens erat in Israel [2] : sed instituit Samuel quasdam veluti Academias, & prophetarum gymnasia, quæ ea in regione usque ad Babylonicam captivitatem perstitere, atque asseri jure potest, nihil adeo Religionis conservationi, & sanæ Doctrinæ propagationi profuisse, quam hæc instituta, quæ sapientissime Samuel proposuit.

Magnus hic vir ab ipsa nativitate egregius, & ante ipsam Domino sacer, Magnus, inquam, coram Deo, & hominibus, fuit temporibus suis maximum Domus Dei jam collabentis fulcrum : per eum namque ad meliorem statum imperium redactum est, revixit pietas, ordo, ac Religio refloruit. Semper enim zelo, ac vi, Dei, ac justitiæ partes tutatus est, ac novit super populum, ac Regem ipsum & comparare, ac tueri semper gravissimam authoritatem. Vidimus enim eum cum Saulo post hujus lapsum ea dignitate, & authoritate loquentem, quæ hominem dumtaxat Deo afflatum decet. Vidimus illum in frequenti populi concione, sapienter quidem, sed acriter illius ingrati animi vitium erga Deum, & erga se ipsum exprobrantem : atque innocentia, & justitia sua fretus universum Israelem, quem rexerat a & per annos viginti judicaverat, adigit, ut diligenter ipsius vita explorata, perspectisque judiciis, num aliquid reprehensione dignum inveniri possit, aperiat. Ubicumque vero ab omni vanitate, corruptione, avaritia alienus effulget; modestus sine ignavia, severus sine asperitate, clemens sine infirmitate, constans sine pertinacia. *Non contumacia, neque inani jactatione libertatis famam, fatumque provocabat*. Tacit. in Vit. Agricolæ.

Samuel contemptus, atque abjectus a populo levi, atque inconstanti, qui Deum habere Regem pertæsus, hominem poscit, a quo regatur, erga ingratum populum paternam semper charitatem servat; illique eadem, qua prius, benevolentia præstare officia non desistit; & Saul, quamvis a Deo desertus est, a Samuele omnino non deseritur. Propheta enim dies, & noctes lacrymas non cessat effundere, ut illi veniam obtineat, ac damnationis illius chirographum deleat. Denique Samuel in omni vitæ suæ ratione proculdubio eximia imago Religiosi Principis nobis a Scriptura exhibetur, qui æque pro virili adnititur, ut per illum reviviscat Religio, atque ut populorum consulat felicitati. Eruditus quidam vir [3] hunc Aristidi confert, satis inter Græcos, tum ob intemeratam æquitatem, ut integerrimam rectitudinem, cum ob divitiarum contemptum celebrato.

Anna Samuelis mater, & Samuel ipse symbola sunt, quæ nobis utrumque Testamentum vetus, & novum ob oculos referunt [4]. Anna, quæ sterilis erat, fœcunda fit, & Samuelem procreat. Samuel ad populi regimen sufficitur Heli. Sterilitas matris prophetæ hujus Synagogam refert, quæ filios sine vita, sine virtute gignit, inde fœcundatur, & Samuelem parit, figuram Jesu Christi, qui in persona sua Regnum, & Sacerdotium conjungit. At alio ad pectu, Samuel ipse, quamvis perfectissimus videbatur, digniori locum debuit concedere, Davidi scilicet viro illi juxta cor Dei, & qui typus erat, ac imago J. C. Unctus, atque Christus Domini. Qua in re Samuel Synagogam referebat, quæ repudiata fuit, licet tot ipsa eximia bona jactaret. Quod autem persona eadem alio, atque alio intuitu modo vetus, modo recens Testamentum exhibeat, inde fit, quod omnia in Scripturis communia sunt.

Ut vero Prophetæ hujus encomio finem imponam, Ecclesiastici verba mutuabor, quæ compendiaria brevitate illius nobis exhibent vitam cap. 46. 16. & seq. *Dilectus a Domino Deo suo Samuel propheta Domini, renovavit imperium, & unxit principes in gente sua. In lege Domini congregationem judicavit, & vidit Deus Jacob, & in fide sua probatus est propheta; & cognitus est in verbis suis fidelis, quia vidit Deum lucis : Et invocavit Dominum omnipotentem, in oppugnando hostes circumstantes undique, in oblatione agni inviolati. Et intonuit de cælo Dominus, & in sonitu magno auditam fecit vocem suam : & contrivit Principes Tyriorum, & omnes duces Philisthiim; & ante tempus finis vitæ suæ, & sæculi testimonium præbuit in conspectu Domini, & Christi; pecunias & usque ad calceamenta ab omni carne non accepit, & non accusavit illum homo. Et post hoc dormivit, & notum fecit Regi, & ostendit illi finem vitæ suæ, & exaltavit vocem suam de terra in prophetia delere impietatem gentis*.

Prisci nonnulli Patres Samueli Summi Sacerdotii honorem, ac dignitatem tribuerunt, ea ratione ducti, quod aliquando etiam extra Tabernaculum obtulerit sacrificia [5]; quod gestarit Ephod [6], quæ particularis erat Sacerdotum vestis; quod duo Reges Saulem [7], & Davidem [8] inunxerit; quod denique Regius Psaltes eum in Sacerdotum album refert, cum illum Moysi, atque Aaroni conjunxerit Psal. 98. 6. *Moyses, & Aaron in Sacerdotibus ejus; & Samuel inter eos, qui invocant nomen ejus*. Josephus quoque Ant. l. 7. c. 15. asserit Samuelem Sacerdotali indutum veste Sauli apparuisse. Nemo post mortem Heli, Ophni, & Phinees dignoscitur in summorum Sacerdotum familia, qui illis succedere potuerit ad Sacerdotis munus; maxime igitur probabile est, Samuelem ad tempus Reipublicæ regimen subiisse, ita ut & civilium, & sacrorum curam gereret, ac simul summum Sacerdotem, & Judicem fuisse, saltem donec filii Ophni, vel Phinees ad eam pervenissent ætatem, qua munere suo fungi valerent. Fatentur quidem ex Aaronis genere non fuisse, atque juxta consuetas leges ad Sacerdotium evehi non potuisse; sed cum illum elegisset Deus, in hoc peculiari casu, communibus legibus non erat amplius obnoxius; atque hæc exceptio, ac dispensatio est, ex qua nihil generatim potest inferri. Pro hac sententia vero afferuntur S. Augustinus in Psalm. 98. & l. 12. contra Faustum c. 31. & l. 17. de Civit. c. 5. S. Ambrosius in Ps. 118. S. Johannes Chrysostomus homil. 1. & 2. de Anna, S. Bernardus [9], Sulpicius Severus lib. 1. Sacr. Hist. S. Gregorius Magnus in libb. Regum, S. Eucherius, Angelomus, Primasius, Haymon, S. Isidorus

1 Hebr. in Seder. Olam. 2 1. Reg. 3. 1. *Sermo Domini erat pretiosus in diebus illis, non erat visio manifesta*. 3 Grot. Præfat. in libb. Regum. 4 Vide S. August. l. 17. c. 1. & 4. de Civit. Dei. 5 1. Reg. 7. 10. & 9. 12. 13. & 16. 5. 6 1. Reg. 2. 18. 7 1. Reg. 10. 1. 8 1. Regum 16. 1. 9 Bern. Sent. *Tres in Sacerdotium assumuntur, Moyses, Aaron, & Samuel*.

dorus, S. Anselmus, vetus Author Commentarii in Epistolas S. Pauli, qui nomine S. Hieronymi sæpius excusus fuit; & alii quidam Scriptores tum veteres, tum recentiores. Vide Mendozam in 1. Reg. c. 1. num. 11. annot. 17. lect. 1. & Sanctium in 1. Reg. c. 1. ℣. 35.

Verum opposita sententia vulgo hodie magis arridere videtur; neque minoribus roboratur argumentis, vel authoritatibus fulcitur, quam ea, quam proposuimus. Samuel simplex erat Levita: quemadmodum omnes fatentur, ideoque nullum ipsi per nativitatem jus erat ad Sacerdotium; nam hæc prærogativa solius familiæ Aaronis erat propria. Non igitur illud nisi per peculiarem electionem consequi potuit, & per Dei explicitum imperium, qui, illius gratia, legibus derogare voluerit, quas per Moysem constituerat pro Sacerdotii successione. At quomodonam electio hæc, atque hoc Domini imperium probatur? Samuel Ephod indutus fuit, sacris operatus est, Reges consecravit. Juxta hoc principium David quoque Summus fuisse Sacerdos probabitur, eo quod Ephod indutus est 2. Reg. 6. 14. Gedeon, Saul, & Elias eamdem obtinuisse dignitatem, eo quod sacra fecerunt [1] Domino extra Tabernaculum; ac evinces Prophetas Elias [2], & Elisæum [3] eodem charactere fuisse initiatos, eo quod ipsi quoque Reges consecrarunt. Ostendi nequit, rerum harum aliquam ita Summi Sacerdoris propriam fuisse, ut nemo alius eodem munere functus sit. Nullo ex Scripturæ loco Samuelem Summum Sacerdotem electum fuisse liquet; & Psalmista, qui Samuelem cum Moyse, & Aarone conjungit, discrimen quoque, quod intererat, innuit, Moyses quidem, & Aaron sacerdotes erant; at Samuel erat *inter eos, qui invocant nomen ejus*, qui laudes illius recinunt, quod ordinarium erat Levitarum officium. Nullo præterea adacti argumento supponunt, Magni Sacerdotii munia certam poposcisse ætatem, atque a filiis Heli nullum relictum fuisse filium, qui per ætatem Sacerdotali munere fungi posset. Novimus sane, Aristobulum, Mariamnæ fratrem, ad hanc dignitatem evectum eamdem exercuisse septemdecim annos natum [4]. Et Samuel ipse, cum Heli ultima passus est, eane erat ætate, ut in Sacerdotum albo posset adscribi? Plures adsunt authores, qui tunc ipsum tricesimum annum egisse putant.

Quoad Patrum, ac Interpretum, quæ adferuntur, authoritates, ut Samuel Summus fuisse Sacerdos probetur, animadvertendum est, primo, nonnullos Sacerdotis nomen in lato, genericoque sensu accepisse [5] pro sancto viro, & qui Domino laudum hostias, vel etiam vera offert sacrificia. Hoc in sensu David ipse quandoque Sacerdos vocatur, & omnis Hebræorum natio *regnum Sacerdotale* dicitur Exod. 19. 6. atque Christiani omnes eadem denominatione participant. Vide 1. Petr. 2. 9. & Apocal. 1. 6. Secundo, plerique illorum, qui hanc Samueli dignitatem tribuere, id aliud agentes, ac non data opera, nec valde huic illius prærogativæ insistentes fecere. Si qui operam impenderunt, ut rationes afferrent, quemadmodum Author Commentarii in Epistolam primam ad Corinthios, sub S. Hieronymi nomine, nullius ferme sunt authoritatis. S. Augustinus, qui id non semel palam, expliciteque asseruit, falso equidem laborabat supposito; Samuelem enim ex Aaronis progenie fuisse arbitrabatur [6]. Demum his omnibus authoritatibus plurimorum aliorum veterum, recentiorumque Authorum objiciuntur authoritates, qui docuerunt, probaveruntque, Samuelem nunquam Israelitarum Summum Sacerdotem fuisse. Eorum antesignani cohortem ducere possunt S. Hieronymus contra Jovinianum lib. 1. & in Psalm. 98. & Author quæstionum in vetus, ac novum Testamentum, qui S. Augustini nomine circumfertur, quæst. 46. & qui oppositam corripit sententiam non solum veluti ignorantiam, sed veluti errorem. Addi possunt Venerabilis Beda, Rabanus Maurus, Dionysius Carthusianus, Cardinalis Hugo, Lyranus, Tostatus, Cajetanus in libb. Reg. Genebrardus in Psal. 98. ac maxima recentiorum Interpretum caterva.

SEPELIERUNT EUM IN DOMO SUA.] Semper apud Judæos ii, qui facultatibus pollerent, sibi tumulos extrui voluere, vel in agris suis, vel in viridariis, vel in montibus, prope quos morabantur. Neque enim ad litteram explicandum est, quod hic legitur, Samuelem domi suæ fuisse tumulatum. Hebræi maxime cavebant, ne in ipsorum ædibus mortuum corpus relinqueretur; non enim illuc ingredi potuissent, quin polluerentur: sed sepeliri potuit in aliquo tumulo prope domum suam, vel in horto suo.

IN DESERTUM PHARAN.] Discessit a deserto Maon, ac ulterius in Arabiam Petræam, ac in desertum Pharan secessit, quod erat inter montes Juda, & montem Sinai. Ex universa hac narratione Maon, & Carmelus magis interiorem Arabiæ Petrææ partem obtinuisse mihi videntur, vel si mavis magis prope Pharan, quam in Geographicis Tabulis exhibeantur.

℣. 2. POSSESSIO EJUS IN CARMELO.] Hebræus [7]; *opus suum in Carmelo*; commercium suum, bona sua [8]. Tunc temporis armenta præcipua erant hominum opulentia; & plerique Palæstinæ montes pastionibus abundabant; quare fit, ut nonnunquam fœnum, ac herba montium memorentur. *Opus* quandoque pro bonis fortunisque ponitur. Proverb. 18. *Qui mollis, & dissolutus est in opere suo, frater est sua opera dissipantis*. Sapiens inquit; videlicet frater prodigi est; fortunæ ipsius citius dissipabuntur.

℣. 3. DE GENERE CALEB.] Hic Caleb filius est Jephone propter fidem erga Dominum celeberrimus. Septuaginta, & Arabica versio: *Hic erat vir caninus* [9]; vel Cynicus, impudens, fœdus, ferox. Syriaca, *furens*. Josephus innuere videtur, ipsum Cynicorum sectam secutum fuisse; quod absurdum est non ferendum.

℣. 6. SIT FRATRIBUS MEIS, & TIBI PAX.] Hebræus [10]. *Et dicetis: Vive, Et pax tibi, & domui tuæ pax*. Te incolumem, vivumque cupio; tu ac familia tua pace, tranquillitate, ac prosperitate fruamini. Chaldæus; *dicetis: Per vitam tuam: tu, ac domus tua frui pace possitis*. Septuaginta [11]: *Dicetis; plures annos, cupio bonam felicemque valetudinem tibi, domuique tuæ*. Pluribus adhuc annis id efficere possis, quod hodie facis.

℣. 7. NUMQUAM EIS MOLESTI FUIMUS.] Hoc satis erat, ut mererentur a Nabal exaudiri, ac modestiæ suæ remunerationem referre. Gratia enim habenda est, cum armati viri, ac potentes in egestatem redacti viribus suis non abutuntur, ut per vim abripiant, quod ne depopulentur, obsistere nequeas. Cum enim liceat illis quodammodo impune grassari, ita illorum habenda ratio est, si tibi pepercerint. At David, ac viri illius, qui ea poterant exaggerare officia, quæ Nabal præstiterant, ea immo elevant, atque eorum, quæ pro illo fecerant, minimam tantum partem commemorant. Non solum enim nullam servis Nabal injuriam intulerant; verum illis etiam profuerunt. *Boni satis nobis fuerunt, & non*

1 Vid judic. 6. 18. & 3. Reg. 18. 1. & 1. Reg. 13. 9. 10. & 15. 12. 2 3. Reg. 19. 14. 15.
3 4. Reg. 9. 1. 2. 4 Joseph. Antiqu. l. 15. c. 2. 5 Vide Mendoz. in 1. Reg. 2. 11. annot. 17. lect. 2. n. 6. 7. 8. 6 Vide August. l. 2. Retract. c. 43. & 53.
7 מעשהו בכרמל 70. Ἐργαζία αὐτοῦ ἐν τῷ Καρμήλῳ. 8 Ita Chald. Syr. Pagn.
9 Καὶ ἄνθρωπος Κυνικός. Joseph. Ἐν Κυνικῆς ἀσκήσεως πεποιημένος τὸν βίον.
10 ואמרתם כה לחי ואתה שלום וביתך שלום 11 Εἰς ὥρας, καὶ σὺ ὑγιαίνων, καὶ πάντα τὰ σὰ ὑγιαίνοντα. Vulgatæ Author legit לחיי loco לחי

mihisti, inquiunt ℣. 15. hi servi ad Abigail; fuernut euim causa, ut uihil amiserimus, quamdiu fuere nobiscum; uobis enim erent veluti propugnaculum iuterdiu, ec uoctu, ne hostes ingruerent; ℣. 16. & 21. *Pro muro nobis erant, tam in nocte, quam in die*. Hæc omnia nonne merebantur, ut eos Nabal quoque modo remuneraretur?

℣. 8. IN DIE ENIM BONA VENIMUS.] Occasio quidem est propitie, quandoquidem tota domus tua in lætitia versatur. Mos euim obtinuerat, ut eum hilaritate, ae exultetione tempus transigeretur, quo pecora tondebantur. In quadam ex his solemnitatibus Absalon eum iuvitasset David patrem suum, ae fratres, sororesque suas, interfecit Ammou, ut ulcisceretur injuriam, quam Thamar sorori suæ ille intulerat 2. Reg. 13. 24. 27.

DA FILIO TUO DAVID.] Ita loquuntur, vel propter ætatem Nabal, qui major erat natu, quam David, vel quod Nabal erat ex tribu Juda, æque ec David.

℣. 10. INCREVERUNT SERVI, QUI FUGIUNT DOMINOS SUOS.] Perinde ae his nunciis David diceret: Vos, & David vester servi profugi estis, qui vosmet e domo domini vestri surripuistis; subditi iu Regem vestrum rebelles. Hoc sane est eddere coutemptui, ac repulsæ opprobrium, & contumeliam.

℣. 11. TOLLAM AQUAS MEAS.] Ut eas dem id geuus hominibus. Aqua pro quovis potus geuere usurpatur, quemadmodum pauis pro quavis esca. Septuaginta [1] redduut *vinum*. Syriaca versio, & Arabica *potum*. Nabal sane viuum hac iu celebritate non deerat, namque se eodem fœdissime ingurgitarat ℣. 36.

CARNES PECORUM.] Quæ pro tonsoribus occidi. Hebræus [2]: *victimam meam*, animantia, quæ immolavi. Eadem vox pecora, tum quæ pro convivio mactantur, tum quæ Domino immolautur, significat. Vide ad Genes. 43. 16.

℣. 14. AVERSATUS EST EOS.] Vel cum rusticitate dimisit. Hebraicus textus ad litteram [3]: *Volavit contra illos*, velut avis, quæ super prædam dilabitur; *ira correptus est*, vel, *eos exprobravit*. Chaldæus: *Eos eum dolore iuruitus est*, cum livore, eum contemptu. Septuaginta [4]: *separavit se ab illis*, secessit, eos evitavit.

℣. 17. COMPLETA EST MALITIA ADVERSUM VIRUM TUUM.] Quamprimum David aderit hanc ulturus injuriam; nec ambigo, quin jam consilium captom sit. Vidimus jam supra similem ferme locutionem, cum de Saule esset sermo 1. Reg. 20. 7. *Scito, quia completa est malitia ejus*. Malum, quod facere decrevit, decretum est, statutum est; idem ferme est, ec si contigisset.

IPSE EST FILIUS BELIAL.] Vel potius ipse est Belial: homo est iners, homo nequam [5].

℣. 18. QUINQUE ARIETES COCTOS.] Hebræus [6]; *quinque pecudes factas*, præparatas, saginatas [7] vel juxta alios coctas, aptas ed comedendum; vel simpliciter mactatas, & quæ celeriter condiri possent, & excoqui.

QUINQUE SATA POLENTÆ.] *Satum* est Modius Romanus vigintisex libras contineus. Polenta erat farina hordeacea, vel triticea, qua præsertim agricolæ utebantur, & quæ cum oleo frigebatur. Hebraica vox [8] *Kali* generatim dicitur de aristis, & de

A quolibet grani genere, de secundario pane, vel de farina fricta, ac tosta [9]. Hoc cibi genere passim utebautur, antequam pneumatica mola, vel hydromila invenirentur.

CENTUM LIGATURAS UVÆ PASSÆ.] Hebraica vox [10] *Zimmukim* significat uvam passam: sed non liquet, significare ligaturam uvæ passæ. David eum in deserto invenisset Ægyptium, qui fuerat e comitatu Amalecitarum, qui depopulati fuerant Siceleg, illi aliquot ficus dedit, & duo *zimmukim* 1. Reg. 30. 12. quæ ille comedit. Ita crederem vocem hanc simpliciter significare magnum racemum, quales esse solent in Palæstina; vulgo enim septem, octo, decem, & duodecim librarum pondere inveniuntur. Viator quidam [11] esserit, auno 1634. in valle Sorec racemum
B uuum excerptum fuisse, qui libras viginti quinque eum dimidia peudebat. Chaldæus [12]; *centum racemos uvæ passæ*. Septuaginta [13]; *uonum gomos uvæ passæ*. Syriaca, & Arabica versioues: *centum caseos*.

DUCENTAS MASSAS CARICARUM.] Hebræus [14]; *ducentas caricas*. Chaldaice: *ducentas libras caricarum*. Aliquid profecto supplendum est Hebraico textui; quid enim sunt *ducentæ caricæ*? Est ne muuus dignum David? Intelligere igitur est, *ducentas massas*, vel sportas *caricarum*.

℣. 19. VIRO AUTEM SUO NABAL NON INDICAVIT.] Uxor quidem, de jure ordinario, de familiæ bonis disponere nequit in re cujusdam momenti, sine assensu, & facultate viri. Sed in casu adeo singulari, atque extraordinario qualis hic est, quis sapientiam
C Abigail auderet arguere, cum domum suam, viruimque suum servarit, parvulam bonorum partem atgiens, viro inscio, atque inconsulto? Cum similis adsit occasio, communes etiam Leges prætergredi licet.

℣. 20. CUM DESCENDERET AD RADICES MONTIS, DAVID & VIRI EJUS DESCENDEBANT IN OCCURSUM EJUS.] Hebraicus textus ad litteram redditur [15]: *Descendebat illa in montis obscuritatem, & ecce David, & viri illius descendebant obviam illi*. David descendebat de montibus Pharau, & Abigail de monte Carmelo. *Obscuritas montis* significare potest viam arboribus obsitam [16]. Chaldæus: *Ad latus montis*.

℣. 22. HÆC FACIAT DEUS INIMICIS DAVID.] Si reliquero hominem vivum. Quid sibi vult hoc jusjurandum? perinde ac hoc Davidi summam illaturum esset perniciem, si Deus inimicos illius acerri-
D me persequeretur. Septuaginta omnino aliter intelligunt [17]: *Hæc faciat Deus Davidi si* &c. At Hebraicus textus, Chaldæus, Vulgata, ac Septuaginta ipsi iu aliis Exemplaribus legunt: *Hæc faciat Dominus inimicis David*. Dicendum igitur hac loquendi ratione, David sibi vere quodvis infortunii genus imprecari, nisi de Nabal ultionem sumpserit; verum quin se ipsum nominet, ad malum quodvis omen, quod suboriri posset, hostes appellat.

SI RELIQUERO DE OMNIBUS, QUÆ AD IPSUM PERTINENT, USQUE AD MINGENTEM AD PARIETEM.] Nonnulli Interpretes [18] putant hac circumlocutione mares tantum designari: *Si reliquero virum ullum vivum*. Miugere ad parietem, ad homines tantum pro-
E prie spectat, juxta nostros, quibus modo assuevimus, mores. Et si similium minarum effectus perpendamus, quæ alibi in Scriptura leguntur, innotescet, eas iu homines tantum intentari. Exempli gratia, Propheta Ahias 3. Reg. 14. 10. Deum immissurum esse in domum

1 Τὸν οἶνόν μου Hebr. מימי 2 את טבחתי τὰ θύματα μου. 3 ויעט בהם
4 Ἐξέκλινεν ἀπ᾽ αὐτῶν. 5 בליעל Aqu. Ἀποστασίας. Sym. Ἀνομος. 70. Λοιμός, Pestilens. Th. Ἀφροσύνης, Insipiens. 6 חמש צאן עשוית Πέντε πρόβατα πεποιημένα. 7 Chald. חמש עאן תכברא
8 חמש סאים קלי Aqu. Φρυκτοῦ κεκομμένης κριθῆς. 9 Vide supra cap. 17. 17. & Levit. 2. 14. & Josue 5. 11. & Ruth 2. 14. Paschius in Latino Tractatu de uuvis post antiquitatem inventis Lipsiæ impresso ann. 1700. contendit inter munera ab Abigail David oblata fuisse Caffè. 10 ומאה צמקים
11 Eugenius Roger. l. 1. c. 2. 12 מאה עתכלין דעינבין יבישין 13 Γόμορ ἀσταφίδων.
14 מאתים דבלים 70. Διακοσίας παλάθας. 15 ירדת בסתר ההר והנה דוד ואנשיו ירדים לקראתה
16 70. Ἐν σκέπῃ τοῦ ὄρους. 17 Τάδε ποιήσει ὁ Θεὸς τῷ Δαυίδ. Ita Ed. Nobil. ac Complur. & Paris. Τοῖς ἐχθροῖς Δαυίδ. 18 Ita Rabbini, Levi, & Elias, Petr. Mart. Boch. de animal. sacr. t. 1. l. 2. c. 53.

mum Ieroboam quodvis infelicitatis genus: *Idcirco ecce ego inducam mala super domum Jeroboam, & percutiam de Jeroboam mingentem ad parietem, & clausum, & novissimum in Israel .... qui mortui fuerint de Jeroboam in civitate, comedent eos canes; qui autem mortui fuerint in agro, vorabunt eos aves cæli*. In sententiæ hujus executionem Basa interfecit Nabab Regem Israel, & universam familiam Ieroboam, quin ullus vivens relinqueretur 3. Reg. 15. 29. *Percussit omnem domum Jeroboam. Non dimisit ne unam quidem animam de semine ejus, donec deleret eum*. Cum Propheta Elias hoc ipsum minatus fuisset Achab 3. Reg. 21. 21. *Interficiam de Achab mingentem ad parietem, & clausum, & ultimum in Israel*; Iehu sententiæ hujus [1] minister omnes Regis impii filios [2], consanguineos, Præfectos, Sacerdotesque jugulavit.

At alii Interpretes [3] majori in numero contendunt, mingentem ad parietem, ad litteram, esse canem; & David hyperbolice, & energice significaturum, se deleturum esse quidquid domi Nabal invenerit, declarare, se omnes ad canem usque interfecturum. Nemo nescit, animal hoc ad parietem mingere; & hæc consuetudo, quæ illi naturalis est, in eo non variat, quemadmodum hominum consuetudines. Aurelianus Imperator teste Vopisco in Aurel. irritatus quod illi Tyanæ ostia clausa fuissent, juravit, se non relicturum canem in urbe illa: *Canem in hoc oppido non relinquam*. Crediderunt omnes, ipsum innuere, omne vivens cæsum iri; sed tot miserorum misertus juramentum suum ad litteram servavit. Generatim enim occidi jussit canes omnes, qui in urbe invenirentur.

Ut hæc sententia confirmetur, animadvertunt, veteres numquam stantes, ac ad parietes minxisse, sed demissos, ac sub vestibus, ritu mulierum. Apud Ægyptios, inquit Herodotus [4], mulieres stantes mingunt, homines vero inclinati. Hesiodus quoque [5] non vult homines stantes mingere. Casaubonus in Characteres Theophrasti observat veteres non minxisse ad parietes. Adfert autem Dionysium Halicarnasseum & Galenum pro hac sententia. Lodovicus de Dieu refert ad hanc quoque diem homines in Oriente lotium reddere eadem ratione, qua mulieres; quod ipsum palam de Turcis asserit Busbequius Ep. 3. *demissis coxis ut apud nos mulieres, lotium reddunt*. Thevenot c. 36. hoc ipsum ait; quod de Persis etiam Ammianus Marcellinus narrat; atque e Tavernerio, l. 4. c. 5. & Chardino l. 2. p. 50. confirmatur. Denique Hebræi ut lotium significent, *pedum aquam* vocant, quæ locutio palam ad ea, quæ modo diximus, refertur.

At Bochartus de Animal. sacr. tom. 1. l. 2. c. 56. adversus hæc omnia testimonia probare annititur, veteres ad parietes minxisse, atque in allato Herodoti loco animadvertit, Historicum hunc asserere, Ægyptios in pleris que agendi rationibus ab omnibus aliis populis abfuisse. Græci & Romani hac in re e nostra consuetudine alieni non erant. De Græcis ex Æsopi, ac Diogenis Cynici apud Laertium vita probat; cui cum quis velut cani ossa projecisset, ille velut canis, illius, qui projecerat illa, vestes comminxit. Pro Romanis vero Lucretium affert. Contendit porro Turcas eosdem stantes lotium emittere, & contra parietem, quod ex Oleario in itin. Pers. l. 5. p. 570. probat. Ea vero, quæ Lodovicus de Dieu de Eois populis asserit, de Persis tantum esse intelligenda contendit. Demum locum affert ex Talmud decerptum, ubi cautum est, ne quis ad accolæ sui parietes mingat, ni tres saltem palmos absit ab illo, de quo sermo est. Ego vero hinc factum reor, quod Turcæ, & Persæ demisso femore, veluti mulieres, mingant, scilicet ne quædam lotii gutta in ipsorum

A calceos decidat, qua ipsi, uti censent, pollueretur. Quod crimen, ut evitetur, fistulam, qua lotium defluit, diligenter exprimunt, illiusque apicem contra parietem abstergunt. At antiquitus, & ante Machumetem ostendi nequit eamdem consuetudinem viguisse.

Syriaca versio, & Arabica longe recedunt ab iis omnibus, quæ hactenus dicta sunt: *Si cras mane minimum aliquid reliquero de pariete pendens*. Omnia delebo, ac quidquid domi Nabal invenero, diripiam. Chaldæus vertit: *Si virum aliquem domi illius reliquero, qui habeat cognitionem*; qui ea sit ætate ut bonum a malo dignoscere queat. At harum neutra

B explicatio verum mihi videtur loci sensum detegere. Alterutri earum, quas primum retulimus, adhærere potes: ea vero, quæ de canibus explicat, mihi potius arridet.

℣. 24. IN ME SIT ISTA INIQUITAS.] vel pœna hujus iniquitatis decidat super me. Mihi hoc verte crimini, a me pœnas exposce. *Iniquitas* & malum, & supplicium æque significare potest; quo in eodem sensu ℣. 28. Abigail ait: *Aufer iniquitatem ancillæ tuæ*. Hunc mihi facinus remitte, neque justo, quod illud meretur, supplicio exolve.

℣. 25. DOMINUS MEUS REX.] Nomen *Regis* non legitur Hebraice, neque in Chaldaica paraphrasi, nec apud Septuaginta. Nondum dignitatem hanc David fuerat consecutus.

C NE PONAT COR SUUM SUPER VIRUM ISTUM INIQUUM NABAL, QUONIAM SECUNDUM NOMEN SUUM STULTUS EST.] Hebræus [6]: *Non ponat cor suum super hunc hominem Belial, super Nabal; nam qualis nomen ipsius, talis ipse est: Nabal*; quæ vox stultum significat. *Ponere cor suum super aliquid* juxta Hebræorum stylum idem est, ac animum advertere, ad illud incumbere. *Homo Belial* significat hominem improbum, & *Nabal* insanum. Abigail, quantum in se est, Nabal scelus imminuit, illud potius in insipientiam, ac dementiam rejiciens, quam in improbitatem: ac pressius loquendo, nullam illi inferre injuriam, actionem ipsius dementiæ insimulans.

℣. 26. VIVIT DOMINUS, ET VIVIT ANIMA TUA, QUI PROHIBUIT TE, NE VENIRES IN SANGUINEM.]

D Prudenti consilio commendat Davidem, eo quod minime opere compleverit, quod fuerat molitus. In alium quoque sensum reddi potest. Quemadmodum verum est Dominum vivere, ac te ipsum vivere, ita verum est, Deum hodie tibi præbuisse occasionem, qua clementiæ tuæ præclarum ederes argumentum, noxio parcens, & manus tuas sanguine illius non inficiens.

FIANT SICUT NABAL INIMICI TUI.] Fiant adeo infirmi, & contemptibiles sicut Nabal, eosque pedibus tuis obvolutos intuearis, quemadmodum hodie ego pro Nabal te deprecor; ille profecto inimicus est, at non dignus, in quem ira succenseas. Fatendum est, Abigail artificiose Davidis iram lenire; in his enim naturalis effulget facundia, sed venusta

E admodum, ac ad persuadendum accommodata.

℣. 27. SUSCIPE BENEDICTIONEM HANC.] Hoc nomine Hebræi munera, quæ elargiebantur, vocabant ob id plane, quod benedictionibus, & gratiarum actionibus ea illi, quibus offerebantur, solebant excipere, vel quod officiis, & felicitatis ominibus ea illi comitabantur, qui afferebant. S. Paulus *Eulogiam* [7], seu benedictionem vocat eleemosynas, quæ pro pauperibus erogabantur; & hoc ipsum nomen in eodem sensu apud Ecclesiasticos Authores passim reperitur.

℣. 28. FACIET DOMINUS TIBI DOMUM FIDELEM.] Hoc est domum tuam constituet stabilem, firmam, quæ non interibit, non delebitur. Hæc autem ait

1 4. Reg. 9. 8. 9. 2 4. Reg. 5. 6. 11. 3 Rabb. Jarchi, Kimchi, Isai Aquinas, Varab. Sanct. Est. Castal. Cornel. Menoch. Jon. Pisc. Lud. de Dieu, Delrio Adagial. sacr. Adag. 184. Cajet. Sa, Cleric. &c.

4 Herodot. l. 2. c. 35. Vide & Henric. Steph. Apolog. Herodoti, ubi Sophocl. & Nymphod. adducit, idem cum Herodoto dicentes. 5 Hesiod. Opera & dies.

6 אל נא ישים אדני את לבו אל איש הבליעל הזה על נבל כי כשמו כן הוא נבל

7 2. Cor. 9. 5. 6. 6. Ἵνα προκαταρτίσωσι τὴν προεπηγγελμένην εὐλογίαν ὑμῶν.

illum Sauli opponens, cujus dignitas ad posteros suos non erat abitura.

PROELIA DOMINI PROELIARIS.] Illius Dux, & Imperator es. Vide supra c. 18. ℣. 16. 17.

MALITIA NON INVENIATUR IN TE.] Te semper a quovis crimine insontem præstes, vel juxta hebraicam lectionem [1]: *nondum crimen aliquod in te fuit repertum*. In justitia permansisti, ac irreprehensibilis fuisti. Denique a te Deus, quoad vixeris, omne malum averrat.

℣. 29. ERIT ANIMA DOMINI MEI CUSTODITA QUASI IN FASCICULO VIVENTIUM APUD DOMINUM. PORRO INIMICORUM TUORUM ANIMA ROTABITUR, QUASI IN IMPETU, ET CIRCULO FUNDÆ.] *Custodiri quasi in fasciculo viventium* significat esse e numero animarum electarum, prædestinatarum; & earum, quæ magis quam aliæ Deo curæ esse videntur. Colligat eas in fasciculum, quemadmodum olim servabatur argentum, antequam formis, quo pacto hodie usuvenit, cuderetur. Fiebant enim argenteæ ligulæ, vel virgulæ, quæ simul vinciebantur, & ex quibus fasciculus struebatur. *Non est vir in domo mea*, mulier ait in Proverbiis 7. 20. *abiit via longissima; fasciculum pecuniæ secum tulit*. Quod plane Chaldæus significare voluit, reddens; *Anima domini mei erit in thesauris vitarum sæculi coram Domino Deo*.

At improborum anima, opposita ratione, quasi lapis in funda immissus defertur, semper agitatus, quoad manet in funda, ac eminus ejaculatus, cum ex illa egreditur. Impiorum vita semper inconstans est, semper in motu inquieto, ac injucundo. Propheta Zacharias 9. 15. inimicos populi Dei fundæ lapidibus confert, *subjicient lapidibus fundæ*. Israelitas vero pretiosis coronæ lapillis comparat.

Levissime loci hujus textum immutando, commodus sane tribui sensus potest [2]; *Anima domini mei servabitur velut lapis vivus prope Dominum Deum; sed anima inimicorum tuorum erit velut agitata in funda*. Opponit animam justorum animæ improborum, velut lapidem vivum lapidi, qui funda emittitur: lapidem bonum, firmum, utilem, lapidi reprobato, ac inutili, qui aptus est solum, ut fundæ inserviat. Hoc pacto utrumque comparationis membrum apertam habet oppositionem, semperque in eadem petræ collatione consistit.

Vel aliter, anima domini mei erit *velut lapis vivus servatus in pera* Dei mei, dum anima inimicorum tuorum erit *velut lapis funda agitatus*, ac procul emissus. *Lapis vivus* isthic significat lapidem solidum, lævem, durum, ac aptum, quem periti funditoris manus ejaculetur. Pretium, in quo posita erat apud Hebræos funda, & honor, quem hac David adeptus fuerat Gigantem interimens, comparationem hanc nobiliorem reddunt, ac subjecto congruam.

Generatim *lapis vivus*, vel lapis vitæ locutio est communis non in Scriptura solum, verum etiam apud probatos Authores. Exempli gratia S. Petrus in epistola prima c. 2. 4. ait J. C. esse *lapidem vivum*, ac vult nos *tamquam lapides vivos* ingredi in ædificium spirituale; *Ad quem accedentes lapidem vivum .... & vos tamquam lapides vivi superædificamini*. Lapides, qui in ædibus extruendis adhibentur, lapides vitæ vocantur, & *dare vitam* nonnumquam ædificare significat [3]. *Joab dedit vitam reliquæ civitatis parti*, hoc est, eam ædificavit. Et in Esdra 4, Samaritani per illusionem sciscitantur, num Judæi *vivificare lapides* poterunt, qui in veteris Jerusalem ruderibus jacebant, scilicet, num eos ite-

A rum in opus redigere poterunt ædificando. Denique Authores optimi hoc eodem utuntur loquendi genere, *lapis vivus*. Virgilius Æneid. 1. v. 171.

.... Vivoque sedilia saxo.

Et Æneid. 3. v. 688.

... Vivo prætervehor ostia saxo.

Et Ovidius Fastor. l. 2.

Antra subit tophis laqueata, & pumice vivo.

Et Fastor. lib. 5.

Hactenus ut subiit vivo rorantia saxo
Antra.

℣. 30. CUM CONSTITUERIT TE DUCEM SUPER ISRAEL.] Tunc nemini dubium erat, quin David a Deo designatus esset, ut Sauli succederet. Hic ipse Rex minime id ignorabat, quemadmodum videre po-

B tuimus supra. 1. Reg. 24. 21.

℣. 31. IN SINGULTUM, ET IN SCRUPULUM CORDIS.] Hebræus [5]: *Hoc non erit tibi sollicitudinis causa*, vel dubii, *& scandali*, vel lapsus; non te pœnitebit hoc fecisse; non obnoxius eris scandalo, vel periculo succumbendi huic tentationi. David, cum nondum esset Rex, se quidem tueri poterat, non autem bellum inferre, ac se velut Regem ulcisci, Grot. ad ℣. 26.

QUOD EFFUDERIS SANGUINEM INNOXIUM.] Crimen Nabal supplicio quidem erat dignum, atque in illius ingrati animi vitium erat animadvertendum; at mortem non merebatur, & illi, quos simul cum Nabal David percussisset, erant innoxii. Hebraicus textus hæc habet [6]; *Quod effuderis sanguinem sine*

C *nulla ratione*, gratuito, temere.

℣. 32. BENEDICTUM ELOQUIUM TUUM.] Hebræus [7]: *Sententia tua*, discretio, judicium, sapientia tua, *sit benedicta*. Septuaginta [8]: *consilium tuum*, ratio tua, *sit benedictum*.

℣. 35. HONORAVI FACIEM TUAM.] Vel præsentiam tuam, vel habita tui ratione id egi. Hebræus [9]: *elevavi faciem tuam*. Septuaginta [10]: *rationem habui propter faciem tuam*. David præcipiti, levique nimis actus furore juraverat, nunc prudenter consilium mutat. Aliquot enim casus adsunt, inquit S. Ambrosius Offic. l. 1. cap. ult. in quibus justitiæ officia violares, si promissi præstares fidem, & rem juratam persolveres: *Est enim contra officium nonnumquam solvere promissum*, juramentum custodire.

D ℣. 36. NON INDICAVIT EI VERBUM.] Mirabilem Abigail prudentiam, & excellens exemplum modi, quo utiles fieri debeant reprehensiones. Sæpius cum intempestive vulneri medelam afferre cupis, illique violenta adhibere pharmaca, malum exasperatur, & increbescit. Plinius l. 17. c. 27. *Cavendum ne ex remediis vitia fiant, quod evenit nimia, aut intempestiva medicina*. Olim dicebat quidam Cleostrato: Non te puduit inebriari? Et te non pudet, reddidit ille, ebrium reprehendere?

℣. 39. BENEDICTUS DOMINUS, QUI JUDICAVIT CAUSAM OPPROBRII MEI.] Ex his verbis videretur David lætitia affectus fuisse ex malis Nabal; at fidei pronius est, sapientissimum, optimumque virum potius divinæ justitiæ, ac providentiæ effectus admi-

E rari, qui manus ipsius cohibuerat, ne sanguine Nabal inficerentur, & qui non idcirco istum impunem abire permiserat. In hoc eodem sensu scriptum est, Psalm. 57. 10. *Lætabitur justus, cum viderit vindictam, manus suas lavabit in sanguine peccatoris*. Venerabitur justitiam Dei, & improbi infelicitatem intuitus justus, semper mundior erit, atque innocentior.

℣. 41. ECCE FAMULA TUA.] Alloquitur nuntios Davidis, ac si David ipsum alloqueretur.

ACHI-

---

1 ורעה לא תמצא בך מימיך. 2 והיתה נפש ארני צרורה בצרור vel [כצרור] החיים את יהוה
3 1. Paral. 11. 8. יואב יחיה את שאר העיר. 4 2. Esdr. 4. 2. היחיו את האבנים
5 לפוקה ולמכשול. 70. Βδέλυγμός καὶ σκάνδαλον. *Abominatio, & scandalum*.
6 לשפך דם חנם. 7 ברוך טעמך. 8 Εὐλογητὸς ὁ τρόπος σου.
9 נשאתי פניך. 10 70. seu Sym. Ἐπεστράφην τὸ πρόσωπόν σου. Aqu. ἦρα, *tuli*. Sy. Ἐτίμησα, *honoravi*. Th. Ἔλαβον, *accepi*. 70. Ἡρέτισα, *suscepi*.

℣. 43. ACHINOAM.] Creditur David prius uxorem duxisse Achinoam, quam duceret Abigail. Achinoam prior semper adnumeratur, cum Davidis uxores recensentur. Amon primogenitus David filius erat Achinoam.

DE JEZRAEL.] Insignior hujus nominis civitas erat in tribu Issachar, ac de nomine illius oblonga vallis appellabatur, quæ ab Oriente in Occidentem patebat, inter montes Gelboe ad Meridiem, & Thabor ad Septentrionem. At altera aderat ejusdem nominis urbs in tribu Juda, ut constat ex Josue 15. 56. cujas fuisse perhibetur Achinoam.

℣. 44. PHALTI.] Aliter Phaltiel 2. Reg. 3. 15. Saul contra omnia justitiæ jura ademit Davidi Michol, sine illius consensu, ut alio marito traderet.

A Cum enim Michol nullum a David repudii libellum accepisset, cum alio connubium inire non poterat, quin viro infidelis in adulterium prorueret. David autem nullam rationem habuit conjugii hujus Michol cum Phaltiel; sed simulac imperium obtinuit, eam sibi uxorem recepit 2. Reg. 3. 14. quod ipsi minime licuisset, si vere prius fuisset repudiata. Deut. 24. 4.

GALLIM.] Civitas hæc fortasse erat e Beniamin tribu, quandoquidem Isaias 10. 30. eamdem cum Laisa, & Anathot, quæ tribus ejusdem erant, conB jungit. Septuaginta Romanæ Editionis legunt *Romma*; at in Complutensi editione *Gallim*. Vide Ezech. c. 47. ℣. 10.

CAPUT XXVI.

Ziphæi iterum Saulem admonent, quo in loco delitesceret David, qui donec Saul, omnesque stationes illius somno obruti sunt, castra ingressus lanceam, & scyphum Regis aufert. Inde ex montis vertice clamat; & Saul illius voce cognita se ipsum condemnare cogitur.

1. ET venerunt Ziphæi ad Saul in Gabaa, dicentes: Ecce, David absconditus est
in colle Hachila, quæ est ex adverso solitudinis. 2 Et surrexit Saul, & descendit
in desertum Ziph, & cum eo tria millia virorum de electis Israel, ut
quæreret David in deserto Ziph. 3 Et castrametatus est Saul in Gabaa Hachila, quæ
erat ex adverso solitudinis in via: David autem habitabat in deserto. Videns autem, quod
venisset Saul post se in desertum, 4 Misit exploratores, & didicit, quod illuc venisset certissime.
5 Et surrexit David clam, & venit ad locum ubi erat Saul: cumque vidisset locum,
in quo dormiebat Saul, & Abner filius Ner, princeps militiæ ejus, & Saulem dormientem in
tentorio, & reliquum vulgus per circuitum ejus, 6 Ait David ad Achimelech Hethæum,
& Abisai filium Sarviæ, fratrem Joab, dicens: Quis descendet mecum ad Saul in castra? Dixitque
Abisai: Ego descendam tecum. 7 Venerunt ergo David, & Abisai ad populum
nocte, & invenerunt Saul jacentem, dormientem in tentorio, & hastam fixam in terra
ad caput ejus: Abner autem, & populum dormientes in circuitu ejus. 8 Dixitque Abisai
ad David: Conclusit Deus inimicum tuum hodie in manus tuas, nunc ergo perfodiam
eum lancea in terra semel, & secundo opus non erit. 9 Et dixit David ad Abisai:
Ne interficias eum: quis enim extendet manum suam in Christum Domini, & innocens
erit? 10 Et dixit David: Vivit Dominus, quia nisi Dominus percusserit eum,
aut dies ejus venerit, ut moriatur, aut in prælium descendens perierit: 11 Propitius
sit mihi Dominus, ne extendam manum meam in Christum Domini: nunc igitur tolle
hastam, quæ est ad caput ejus, & scyphum aquæ, & abeamus. 12 Tulit igitur David
hastam, & scyphum aquæ, qui erat ad caput Saul, & abierunt: & non erat quisquam,
qui videret, & intelligeret, & evigilaret, sed omnes dormiebant, quia sopor Domini
irruerat super eos. 13 Cumque transisset David ex adverso, & stetisset in vertice montis
de longe, & esset grande intervallum inter eos, 14 Clamavit David ad populum,
& ad Abner filium Ner, dicens: Nonne respondebis Abner? Et respondens Abner, ait:
Quis es tu, qui clamas, & inquietas regem? 15 Et ait David ad Abner: Numquid
non vir tu es? & quis alius similis tui in Israel, quare ergo non custodisti dominum tuum
regem? ingressus est enim unus de turba, ut interficeret regem, dominum tuum. 16
Non est bonum hoc, quod fecisti: vivit Dominus, quoniam filii mortis estis vos, qui
non custodistis dominum vestrum, Christum Domini: nunc ergo vide, ubi sit hasta regis,
& ubi sit scyphus aquæ, qui erat ad caput ejus. 17 Cognovit autem Saul vocem
David, & dixit: Numquid vox hæc tua, fili mi David? & ait David: Vox mea, domine

thine mi rex. 18 Et ait: Quam ob causam dominus meus persequitur servum suum?
Quid feci? aut quod est malum in manu mea? 19 Nunc ergo audi, oro, domine mi
rex, verba servi tui: Si Dominus incitat te adversum me, odoretur sacrificium: si au-
tem filii hominum, maledicti sunt in conspectu Domini: qui ejecerunt me hodie, ut non
habitem in hæreditate Domini, dicentes: Vade, servi diis alienis. 20 Et nunc non ef-
fundatur sanguis meus in terram coram Domino: quia egressus est rex Israel, ut quærat
pulicem unum, sicut persequitur perdix in montibus. 21 Et ait Saul: Peccavi, rever-
tere fili mi David: nequaquam enim ultra tibi malefaciam, eo quod pretiosa fuerit ani-
ma mea in oculis tuis hodie: apparet enim, quod stulte egerim, & ignoraverim multa ni-
mis. 22 Et respondens David, ait: Ecce hasta regis: transeat unus de pueris regis,
& tollat eam. 23 Dominus autem retribuet unicuique secundum justitiam suam, & fi-
dem: tradidit enim te Dominus hodie in manum meam, & nolui extendere manum meam,
in Christum Domini, 24 Et sicut magnificata est anima tua hodie in oculis meis, sic
magnificetur anima mea in oculis Domini, & liberet me de omni angustia. 25 Ait ergo
Saul ad David: Benedictus tu, fili mi David: & quidem faciens facies, & potens po-
teris, Abiit autem David in viam suam, & Saul reversus est in locum suum.

℣. 1. ZIPHÆI.] Ziphæi cum semel se Davidi infensos prodidissent, veriti sunt, nisi eum perdidissent, futurum ut sævissimus iræ illius merito experirentur effectus. Nihil igitur omissum ab illis fuit, ut Davidem Sauli proderent. A

IN COLLE HACHILA.] Vel *in Gabaa Hachila*, sicuti Hebraicus textus habet, & quomodo Vulgata legit ℣. 3. Collis hujus verus situs nos fugit, at non procul a Ziph abesse debebat. Scriptura ait, illum fuisse *ex adverso solitudinis*, vel *ad dexteram deserti*; profecto deserti Ziph; nam Ziphæi hoc ajebant. Hebraicus textus [1], & Septuaginta, ad dexteram *Jesimon*. Vide supra caput 23. 19. in Hebraica lectione. B

℣. 4. QUOD ILLUC VENISSET CERTISSIME.] Hebræus [2]: *quod venisset in certum locum, & determinatum*. Statim admonitus fuit, Saulem in aciem descendisse, ut ipsum persequeretur; deinde misit exploratores, ut ubi locorum esset, agnosceret. Septuaginta [3]: *audivit, Saulem præparatum illuc venisse*. Chaldæus: *Saulem venisse in veritate*. Nonnulli vertunt: *venisse pro negotio certo*. Author Vulgatæ eamdem vocem superius cap. 23. ℣. 23. reddidit; *Revertimini ad me ad rem certam*. Ad me revertimini, cum liquido locum, ubi ipse est, agnoveritis.

℣. 5. CUMQUE VIDISSET . . . . SAULEM DORMIENTEM IN TENTORIO,] vel cum dubitasset, nam hoc certo scire non poterat; nondum enim castra illius fuerat ingressus. Hebraica vox [4], quæ hic *Tentorium* vertitur, *currum* significare potest; & satis probabile est, Saulem plaustra habuisse tecta, quibus Arabes aliique errantes populi, & quibus nulla stata sedes erat, utebantur. Iustinus de Scythis ait lib. 2. *Uxores, liberosque secum in plaustris vehunt, quibus coriis imbrium, hiemisque causa tectis, pro domibus utuntur*. Septuaginta quoque [5] de curru explicant, vel lectica; at lecticam potius fuisse, vel tentorium gestatorium inde argui potest, quod Saulis lancea humi fixa erat prope Regis cervical, quod non adeo commode intellexeris, si currum simplicem mente conspicias. Alii vertunt [6]: *Saul dormiebat in vallo*. Contendunt autem castra plaustris, exterisque impedimentis in orbem dispositis circumsepta fuisse, & Saulem in Tabernaculo suo in medio hoc vallo jacuisse. Aquila [7] *in orbe*. Lucifer Calaritanus apud Nobilium legebat; *in stragulis pretiosis*. C D

℣. 6. ACHIMELECH HETHÆUM.] Quis hic esset Achimelech, latet; videtur sane Iudæus fuisse, sed qui Hethæus, vel propter domicilium vocaretur quemadmodum Caleb Cinæus dicebatur, vel propter originem; poterat enim ad Iudæorum religionem migrasse. Abisai erat filius Sarviæ sororis David, qui deinceps eximium obtinuit decus in hujus Regis aula, parti copiarum illius præfectus. Hic autem semper *filius Sarviæ* vocatur, patris illius vero nomen ignoratur.

℣. 9. QUIS EXTENDET MANUM SUAM IN CHRISTUM DOMINI, & INNOCENS ERIT?] Licet injustus esset Saul, atque Davidi occasionem tribuisset potius, ut illum non amore, sed odio hic prosequeretur; nequaquam tamen sibi fas esse David arbitratus est in ipsum manus inferre. David privatus erat, Saul Rex. Habenda semper est summa observantia erga Reges, quibus tantam Deus contulit authoritatem: ipsorum character eos sacros efficit, licet tyranni sint, raptores, injusti, atque æque ac Saul improbi. Populi Orientis ea veneratione suos Reges colunt, ut inconsulto illis obediant, neque adeo rarum aliquid ibi est, quam populorum defectiones, & Regibus illatæ cædes, quarum tot in Romana Historia, in Anglicana, non secus ac in Gallica exempla intuemur.

℣. 10. VIVIT DOMINUS, ... NISI DIES EJUS VENERIT.] Supplendum est: numquam eum de medio tollam. *Dies ejus* significat diem mortis naturalis. Dicitur quispiam ante diem suum obire, qui dies suus non complevit, qui dimidium dierum suorum non excessit [8], ad immaturam mortem significandam. Sanctus Ioannes sæpius ait, Iesum Christum nondum fuisse captum, quia nondum venerat hora illius.

℣. 11. SCYPHUM AQUÆ.] Ad litteram Hebraica vox redditur [9]: *Vas aquæ*. Vasculum aqua plenum ad potandum, ad se se refrigerandum, juxta calidæ regionis consuetudinem; vel ad se per ablutionem purificandum [10], Hebraicum nomen dicitur de vasculis, quibus vel aqua, vel oleum continetur 3. Reg. 18. 12. 14. 16. Nec desunt [11] qui putent hanc lattinam fuisse, rem in castris satis inusitem. Alii vero magis acuunt, ac putant clepsydram fuisse, sive horologium aquarium, perinde ac tunc temporis hoc belli uterentur.

℣. 12. SOPOR DOMINI IRRUERAT SUPER EOS.]
Nequa-

1 הישימן 70. Γεσσεμᾶς. Aqu. Τῆς ἠφανισμένης, *regionis vastatæ*. Sym. Ἐρήμου. *Deserti*.
2 כי בא אל נכון 3 Ἔγνω ὅτι ἥκει Σαοὺλ ἕτοιμος ἐκεῖσε. 4 שאול שכב במעגל
5 Ἐν λαμπήνῃ. Sym. Σκηνῇ. *Tentorium*. Λαμπήνη juxta Scholiasten Græcum, currus erat magnificus, uti rheda. Λαμπήνη, εἶδος ὀχήματος λαμπρᾶς ἔχον καλυμμα. 6 Jonath. בכרקום io Vallo. Ita Iun. Munst. Pisc.
7 Ἐν γαυλῷ. 8 Psal. 54. 28. *Non dimidiabunt dies suos*. 9 את צפחת המים Aqu. Ἀγγεῖον. *Vas*. Sym. Νυκτερινόν. *Vas qua nocte bibitur*. 70. Φακόν. Vas in lentis formam extructum. 10 Vide Clement Alexand. Strom. l. 4. 11 Vide Castal. in Strat.

Nequaquam ad miraculum confugiendum est, neque ad soporem divinitus extra ordinem immissum, ut res facilius Davidi e voto contingat. Textus significare potest simpliciter profundum somnum, somnum Dei, quemadmodum dicitur monte Dei, cedri Dei, jumentum Dei, vir Dei; quæ locutiones, quælibet in sensu suo amplificant, & exaggerant.

℣. 15. NUMQUID NON VIR TU ES?] Hoc est ironice dictum: præclarus quidem Dux es; ita enim castra sine vigiliis, Regis tentorium sine satellitibus deseris.

℣. 16. FILII MORTIS.] Vide supra caput 22. 16. Hoc sane peccatum est postremo supplicio plectendum juxta Romanorum Leges, Prætorium excubiis destituere [1].

℣. 19. SI DOMINUS INCITAT TE ADVERSUM ME, ODORETUR SACRIFICIUM;] scilicet sacrificium tuum, vel illud, quod meæ vitæ offerre cupis; egomet me subjicio, ac libenter mortem subibo [2]. Hebraicus textus non exprimit, cujus sit istud sacrificium, de quo loquitur David; ita porro mallem reddere [3]: *si Dominus incitat te adversum me, odor sacrificii acceptus sit*. Si meis iniquitatibus meritus sum, ut me Deus tuæ traderet iræ, atque ultionis illius victima essem; esto quidem, dummodo sacrificium hoc illi acceptum sit. Aliter: Si Deus me vult punire, mihi liceat ipsum lenire sacrificiis [4], neque de regione mea ejiciat, neque a sacrorum communione semoveat. Denique sensum hunc præferrem: *Si Dominus incitat adversum me, sacrificium tuum acceptum sit*; Deus ea, quæ cupit, tibi concedat, scilicet ut in manus tuas decidam. Cupere, ut alicujus sacrificium acceptum sit, idem est ac optare, ut ille voti damnetur. *Memor sit omnis sacrificii tui*, ajebat David Psal. 19. 4. *& holocaustum tuum pingue fiat. Tribuat tibi secundum cor tuum, & omne consilium tuum confirmet.*

MALEDICTI SUNT.] Sævissimas quasque sibi maledictiones promererent. Voluit sane Vulgatæ author imprecationem effugere vertens [5]; *Maledicti sunt*; at hujus partis ad priorem oppositio, poscere videtur, ut reddatur: *Maledicti sint*. Ecquidem vera, quid non merebantur illi, qui quodammodo cogere voluissent David, ut relicto Domino Idola veneraretur?

VADE, SERVI DIIS ALIENIS.] Volunt quodammodo me in necessitatem vocare deficiendi a Religione mea, me persequentes, ac cogentes, ut deseram patriam meam. Reliquæ omnes regiones abominatione, & idololatria repletæ sunt: eo ne concedere potero, quin ulla mihi sit cum illis pars, quin illorum sordibus ipse quoque sordescam? Qui me hoc pacto persequuntur, nonne tacite dicunt: *Vade, servi Diis alienis?* David alibi etiam, quàm ægre a Domini Tabernaculo abesset, ostendit, ubi in Psalm. 83. 11. ait: *Melior est dies una in atriis tuis super millia; elegi abjectus esse in domo Dei mei magis quam habitare in tabernaculis peccatorum*. Lex nullum in exilium abire jubet extra terram Israel; & de alia quapiam regione velut immunda, & abominabili loquitur. Assignat vero urbes asyli in regione eadem, pro illis qui inconsulto alicui necem intulissent. Mater quædam, quæ alloquebatur David, simulans alterum e filiis suis amisisse, dum in se alternis uterque convitia congererent, Regi huic gratias agit, eo quod non permisisset ipsam, & filium suum *de hæreditate Dei* exterminari. 2. Reg. 14. 16.

℣. 20. ET NUNC NON EFFUNDATUR SANGUIS MEUS IN TERRAM CORAM DOMINO.] Te deprecor, ne diutius me persequaris, ac manus tuas cruore meo velis imbuere. Ultor mihi Dominus erit, ipse testis innocentiæ meæ, ipse ultor necis meæ. Hæ sunt minæ judiciorum Dei, sed modeste, ac reverenter intentatæ.

SICUT PERSEQUITUR PERDIX IN MONTIBUS.] Verbum *persequitur* hic passivorum more usurpatur, sicut aucupes perdicem in montibus persequuntur. Hebraica vox [6] *Kore*, quam Vulgata post Aquilam, Symmachum, & Theodotionem *perdicem* reddidit, juxta Rabbinos [7] avem significat oblongo rostro, brevibus cruribus, viridi penna, quæ sane nostra perdix non est. Avis hæc peculiaris est Palæstinæ. Authores Arabes eam *Karia* vocant, quæ species est attagenis. A Septuaginta redditur *nycticorax*.

℣. 21. EO QUOD PRETIOSA FUERIT ANIMA MEA.] Pretiosum id est, quod magno pretio habetur, & cum rebus raris, & pretiosis asservatur. Vita dulcis, & pretiosa ea est, cui parcitur, & quæ sedula cura, & extraordinaria diligentia conservatur. Talis erat Saulis vita coram David. Scriptura sæpius hac utitur ratione loquendi. Cum Ochozias Rex Israel unum e ducibus suis misisset ad capiendum Eliam, Propheta elicuit ignem de cœlo, qui ducem cum quinquaginta militibus suis statim combussit 4. Reg. 1. 13. 14. tunc alterum Rex ad eum misit, quem similiter flamma corripuit; denique & tertium misit, qui ad Prophetæ pedes se abjecit, dixitque illi; quæso anima mea, & animæ istorum qui mecum sunt pretiosæ sint in oculis tuis. Regius vates de violenta justorum morte loquens, dicit Psal. 48. 9. pretium redemptionis eorum, & Psal. 71. 14. sanguinem illorum *pretiosum esse in oculis Dei*, qui ea ulciscetur, quemadmodum ob pretiosæ ac ditissimæ rei furtum ulciscimur. Prophetæ, ut ostendant, quo in pretio Deus habeat populum suum, qua cura illius studeat incolumitati, & quo dolore ex ipsius jactura afficiatur; dicunt populum hunc pretiosum esse coram illo [8], Ephraim illi filium pretiosum esse [9], & filios Sion illi dilectos esse, & pretiosos [10].

STULTE EGERIM, & IGNORAVERIM MULTA NIMIS.] Nihil Saule inconstantius, infirmius nihil; agnoscit errorem suum, ut illi vires non sufficiunt, ut eum queat superare. Cum animi perturbationibus subigi patimur, eas cohibere amplius haud integrum est. Stultitia, & ignorantia, quas in semet Saul damnat [11], non sunt aliquid involuntarium, quod illum excusare possit, ac veniam mereri. In Scripturæ stylo, cum de criminibus sermo est, stultitia, & ignorantia vera peccata significant. Vide 2. Reg. 24. 10. & 2. Par. 16. 9. & Eccle. 7. 26.

℣. 23. DOMINUS RETRIBUET UNICUIQUE SECUNDUM JUSTITIAM SUAM, & FIDEM.] Deus semper justus, fidelis, verus, & æquus est in retributionibus, quas largitur, & in suppliciis, quæ infligit; Vel, Deus metitur præmia, & supplicia ex hominum meritis; rationem habet illorum justitiæ, ac in bono perseverantiæ.

1 L. qui excubias D. de Re Milit. apud Grot. hic. 2 Sanct. Menoch. 3 אם יהוה הסיתך בי ירח מנחה 70. Ὀσφρανθείη ἡ θυσία σου. 4 Jonath. *Accipiatur sacrificium meum in beneplacito*. Ita Vatab. Mar. 5 ארורים הם לפני יהוה 6 קרא 70. Νυκτικόραξ. Alii. Πέρδιξ. 7 Vide Bochar. de animal. sacr. tom. 2. l. 1. c. 12. 8 Isai. 43. 4. 9 Jerem. 31. 20. 10 Thren. 4. 2. 11 הנה הסכלתי ואשגה הרבה מאד

CAPUT

CAPUT XXVII.

David se recipit apud Achis Regem Geth, qui dat illi urbem Siceleg incolendam. Plures excursiones facit in regiones Gessuri, Gerzi, & Amalecitarum, simulans se Israelitis bellum inferre.

1. ET ait David in corde suo: Aliquando incidam una die in manus Saul: nonne
melius est, ut fugiam, & salver in Terra Philisthinorum, ut desperet Saul,
cesseque me quærere in cunctis finibus Israel? fugiam ergo manus ejus. 2
Et surrexit David, & abiit ipse, & sexcenti viri cum eo, ad Achis filius Maoch re-
gem Geth. 3 Et habitavit David cum Achis in Geth, ipse, & viri ejus; vir, &
domus ejus; & David, & duæ uxores ejus, Achinoam Jezrahelitis, & Abigail uxor
Nabal Carmeli. 4 Et nuntiatum est Sauli, quod fugisset David in Geth, & non
addidit ultra quærere eum. 5 Dixit autem David ad Achis: Si inveni gratiam in ocu-
lis tuis, detur mihi locus in una urbium regionis hujus, ut habitem ibi: cur enim
manet servus tuus in civitate regis tecum. 6 Dedit itaque eis Achis in die illa Sice-
leg, propter quam causam facta est Siceleg regum Juda, usque in diem hanc. 7 Fuit
autem numerus dierum, quibus habitavit David in regione Philisthinorum, quatuor
mensium. 8 Et ascendit David, & viri ejus, & agebant prædas de Gessuri, & de Ger-
zi, & de Amalecitis: hi enim pagi habitabantur in terra antiquitus, euntibus Sur us-
que ad Terram Ægypti. 9 Et percutiebat David omnem terram, nec relinquebat vi-
ventem virum, & mulierem; tollensque oves, & boves, & asinos, & camelos, & ve-
stes, revertebatur, & veniebat ad Achis. 10 Dicebat autem ei Achis: In quem ir-
ruisti hodie? Respondebat David: Contra meridiem Judæ, & contra meridiem Jera-
meel, & contra meridiem Ceni. 11 Virum, & mulierem non vivificabat David, nec
adducebat in Geth, dicens: Ne forte loquantur adversum nos. Hæc fecit David: &
hoc erat decretum illi omnibus diebus, quibus habitavit in regione Philisthinorum.
12 Credidit ergo Achis David, dicens: Multa mala operatus est contra populum suum
Israel: erit ejus mihi servus sempiternus.

℣. 2. ABIIT AD ACHIS FILIUM MAOCH, REGEM GETH.] Achis tertio Regum libro 2. 39. *filius Maacha* vocatur. Jam aliquot annis ante apud Achis Regem Geth David confugerat, ubi maximum vitæ periculum subierat, ex quo nonnisi se fatuum simulans ereptus est 1. Reg. 21. 12. 13. Probabile est hunc eundem esse Regem Achis, de quo isthic sermo, ad quem per internuncios post fugam suam David locutus fuerat, & a quo illi permissum fuerat, ut tuto in ipsius ditione vitam duceret, si illuc iterum concedere voluisset. Achis haud aspernatus petentem est; satis enim Davidis virtutem noverat, eum valida militum manu stipatum audiebat, atque Philisthæis haud abs B re fore arbitrabatur, si virum hunc a Saule sejungeret, atque pro virili adniteretur, ne umquam posthac ille cum Rege, ac populo suo in gratiam posset reverti. Achis enim sperabat, David potius servaturum esse fidem Regi, qui eum tueretur, & cum quo fœdus iniisset, quam inimico irreconciliabili, ac Regi, qui illum persequeretur. Achis, & David uterque rem suam hoc in fœdere agebant. David se omni cura, ac metu liberabat, & spem Sauli adimebat illum ulterius persequendi; Achis vero non parum virium Israelitis eripiebat, Davidem in Philisthinorum partes alliciens.

A At David poteratne integra conscientia pacisci, ac fœdus percutere cum hostibus populi, ac Dei sui? Poteratne, quin imprudentiæ insimulandus sit, se Philisthæis credere? quidnam pignus certum adeo, & firmum accipere poterat a natione infida, ac semper Judæis infestissima? in quod discrimen fidem suam, ac Religionem vocabat? Nonne hoc erat, abdicare Domini hæreditatem, ac hostium suorum sequi consilia, qui illum pellicere studebant, ut alienis Diis serviret, ut in patriam non posset amplius reverti, neque ex calamitate sua posset amplius emergere? Ubinam est confidentia, quam bonus Israelita in Deo suo debet collocare, & quæ inter præcipuos Davidis characteres semper fuit recensita? Si hac in re humanæ politicæ rationem sequebatur, desideratur in ipso consilium hominis illius, qui secundum cor Dei factus erat. Si Dei spiritum sectabatur, quomodo se se objiciebat tentationi, ac periculo fidei suæ jacturam faciendi? Sane simulac in aulam Regis Achis pervenit, in ipsius vivendi ratione non mediocris immutatio deprehenditur; personam etenim induit apud Achis, qui in ipso fidem suam collocarat; propria authoritate populos Gessuri, & Cerai, ac Amalecitas bello lacessit; quamplurimos bellatores egregios a suo Rege avertit, atque ad se allicit [1]; demum cum Philisthæis copias conjungit, jamjam in Re-

1 Vide 1. Par. 12. c. 2. & seq.

in Regem populumque suum arma illaturus. Hi sunt effectus itineris David, quod isthic narratur, nosque ad examen vocamus.

Fatendum quidem est non parvi esse negotii omnem Davidis agendi rationem probare, quoad apud Philisthiim vixit: at neque est æquum illum iis de rebus coarguere, quas Scriptura non reprehendit, & quarum peculiares circumstantiæ nos fugiunt. Si David propria actus fuit voluntate, ut apud Achis Regem confugeret Dei voluntate haud perspecta, ipse quidem, & Religionem, & vitam suam in discrimen adduxit. Verum quis credet, hominem adeo sapientia, ac pietate præstantem, qui nihil, Domino inconsulto, aggrediebatur, hac in re magni adeo momenti defecisse, neque satis cavisse, ut satis fidem Achis erga se exploratam, & perspectam haberet? Quoad personam, qua indutus fuisse insimulatur, ac bellum adversus Gessuri, & Gerzi, atque ipsius dispositionem cum Philisthiim adversus Israel congrediendi, hæc singula suis quæque locis ad examen vocabuntur.

℣. 3. Vir, & domus ejus.] Videri potest in duodecimo libri primi Paralipomenon capite recensio fortium virorum, qui cum David vires suas conjunxere, donec ille apud Regem Achis fuit, & in urbe Siceleg est immoratus. Horum quilibet secum suam uxorem, liberos, fortunasque illuc abduxerat, ut Saulis impotentiam effugerent, qui satis ingenium suum prodiderat in cæde Sacerdotum Nobe.

℣. 5. In una urbium regionis hujus.] Hebræus; *in una urbium agri*: dictum per antithesim ad urbes prope oram maritimam sitas, ac civibus magis frequentes.

Cur manet servus tuus in civitate Regis tecum?] Non decet advenam, & profugum tecum in regia urbe permanere, cum ipse Principis instar, multos habeat sectatores, ac militum copias. David omne effugere volebat idololatriæ periculum, & ne comites sui in vitia proruerent; omnemque adimere jurgiorum causam, inter suos, ac Regis milites.

℣. 6. Dedit ei Siceleg.] Urbem alterius in meridionali tribus Juda plaga sitam non procul ab Horma, vel Herma [1], ubi Israelitæ fusi fuerunt, dum per desertum agerent iter. Hæc urbs deinceps Regibus Juda successoribus Davidis paruit, seu quod proprium ejus dominium illi dicatum fuisset, seu quod cum in Davidis esset imperio, cum bellum inter Philisthinos, ac Israelitas exarsit, hi noverint servare civitatis illius possessionem, quam turbarum initio obtinebant. Nam secundum belli jura, qua quilibet civitate hoc tempore fruitur, illius possessor esse perseverat [2].

Siceleg primitus quidem tribui Juda fuerat assignata; deinde vero Simeoni concessa [3]. Sed Philisthiim ea potiti usque ad David servarant. Tunc vero tribui Juda fuit reddita. Quod isthic author addit, hanc urbem fuisse *Regum Juda usque in diem hanc*; ostendit ipsum satis diu post Samuelem vixisse, qui, cum hæc obtigernnt, jam ad plures abierat.

℣. 7. Quatuor mensium.] Hebræus [4]: *dierum, & quatuor mensium*. Interpretum plerique [5], de anno, & quatuor mensibus explicant. Neque minus temporis requirebatur spatium ad ea exequenda, quæ David apud Philisthiim patravit. Alii [6] vertunt *quatuor menses, & dies aliquot*: vel *dies aliquot, hoc est, quatuor menses*, vel *quatuor menses & hebdomadam*. Ego vero distinguere mallem tempus, quod David inter Philisthinos in Geth transegit, ab eo, quo in Siceleg permansit. Reor autem ipsum quatuor mensibus in Geth mansisse, in Siceleg vero anno, vel paullo magis. Quidquid in hoc legimus capite, contigit donec David erat in Geth, quod palam ea versiculis 9. 10. & 11. liquet, ubi dicitur David de expeditionibus suis reversus ad Achis, illi rationem itineris sui reddidisse, neque ullum unquam ex iis, quos capiebat, vivum reliquisse, ne de illo male ad Regem loquerentur. Vide infra caput 29. 3.

℣. 8. Agebant prædas de Gessuri, & de Gerzi, & de Amalecitis.] Quinam fuerint hi populi Gessuri, & Gerzi, non satis constat. Id unum patet, ipsos meridionalem Palæstinæ plagam incoluisse in ea terra, quæ Nilum inter, ac Philisthinorum regionem interjacet [7], a Sur usque ad Ægyptum. Hi populi a Chananæis originem duxerant; quod ipsum satis validum suggerit argumentum, ut probemus ea bella, quæ David illis sua privata intulit authoritate. Chananæi anathemati devoti erant, cosque Israëlitæ quocumque persequi poterant; cum enim similis occurrit occasio, quilibet homo miles est, ac sine ulla alia ratione Domini hostes lacessere potest, atque delere.

Quoad Amalecitas, de quibus hic sermo, eorum erant reliquiæ, qui de Saulis manu, a quo illis bellum illatum fuerat, effugerant. Ipsi quoque ex iis populis erant, qui anathemati devoti fuerant [8], ut penitus everterentur.

Hi pagi habitabantur in terra antiquitus euntibus Sur, usque ad terram Ægypti.] Ex hoc quoque loco arguere licet Authorem, qui huic operi manum addidit, diutius post Davidis tempora vixisse, eo tempore, quo hi pagi, qui sunt inter Philisthiim, & Ægyptum, erant inculti. Reor autem regionem hanc penitus deletam fuisse dumtaxat a Regibus Assyriæ, & Ægypti, qui Judæam, & finitima illius loca vastarunt. Temporibus Moysis, & Josue tractum illud satis excultum fuisse liquet. Josue enim quamplures locorum illorum memorat civitates, quarum Geographi non meminerunt, eo quod ante illorum ævum corruerant.

℣. 10. In quem irruisti hodie?] Hebræus [9]: *contra quem hodie effusus es?* Vel simpliciter: ullam ne hodie excursionem fecisti?

Contra meridiem Jerameel.] Jerameel parvulus est tractus hæreditatis Juda in plaga magis meridionali, quam possidebant posteri Jerameel, qui primogenitus fuerat Esdron 1. Par. 2. 9. 25.

Contra meridiem Ceni.] Hæc est regio Cinæorum, cujus erat Jethro, & quam deinceps Cinæi posteri Jethro ejusdem possederunt, qui una cum Israelitis in promissa sedem terra sibi statuerant [10]. Dissimulare non possumus in his omnibus David veritati offecisse, vel saltem eam fucasse per æquivoca, & reticentias, quas non bona fides, non veritas patitur. Pro meridie Juda, Jerameel, & Ceni regiones Gessuri, & Gerzi intelligebat, quæ profecto ad terræ Juda meridiem erant positæ; at Achis aliud animo concipiebat, neque id David ignorabat, qui captiosis his utebatur verbis, ut Regi os sublineret; qua in re haud sane imitandus.

℣. 12. Multa mala operatus est.] Hebræus [11]; *male olere fecit populum suum*. Locutio satis vehemens, de qua alibi superius quædam exempla sumus intuiti [12]. Septuaginta [13]; *repletus est confusione in populo suo*, vel inter suos.

1 Vide Josue 19. 4.
2 Grot. hic, ubi citat. L. paragr. 5. D. de acquisit.
3 Vide Josue 15. 31. & 19. 5.
4 ימים וארבעה חדשים
5 Ita Hebr. Jun. Castal. Arab. Syr. Strigell. alii.
6 Munst. Pagn. Vatab. Sanct. &c.
7 Vide Josue 15. 8.
8 Exod. 17. 14.
9 אל פשטתם היום
10 Vide Judic. 1. 16.
11 הבאש הבאיש בעמו
12 Genes. 34. 30. Exod. 5. 21. & 1. Reg. 13. 4.
13 ᾔσχυνται αἰσχυνόμενος ἐν τῷ λαῷ αὐτοῦ.

CAPUT

CAPUT XXVIII.

Ultimum Philisthinorum bellum adversus Saul. David promittit se cum Rege Geth in prælium descensurum. Saul Pythonissam consulit, quæ Samuelem excitat. At Propheta imminens Regi excidium minatur.

1. FActum est autem in diebus illis, congregaverunt Philisthiim agmina sua, ut præ-
pararentur ad bellum contra Israel: dixitque Achis ad David: Sciens nunc sci-
to, quoniam mecum egredieris in castris tu, & viri tui. 2 Dixitque David ad
Achis: Nunc scies, quæ facturus est servus tuus. Et ait Achis ad David: Et ego cu-
stodem capitis mei ponam te cunctis diebus. 3 Samuel autem mortuus est, planxitque
eum omnis Israel, & sepelierunt eum in Ramatha urbe sua. Et Saul abstulit magos, &
hariolos de terra. 4 Congregatique sunt Philisthiim, & venerunt, & castrametati sunt
in Sunam: congregavit autem & Saul universum Israel, & venit in Gelboe. 5 Et vi-
dit Saul castra Philisthiim, & timuit, & expavit cor ejus nimis. 6 Consuluitque Do-
minum, & non respondit ei, neque per somnia, neque per sacerdotes, neque per pro-
phetas. 7 Dixitque Saul servis suis: Quærite mihi mulierem habentem pythonem, &
vadam ad eam, & sciscitabor per illam. Et dixerunt servi ejus ad eum: Est mulier py-
thonem habens in Endor. 8 Mutavit ergo habitum suum, vestitusque est aliis vesti-
mentis, & abiit ipse, & duo viri cum eo, veneruntque ad mulierem nocte, & ait illi:
Divina mihi in pythone, & suscita mihi, quem dixero tibi. 9 Et ait mulier ad eum;
Ecce, tu nosti, quanta fecerit Saul, & quo modo raserit magos, & hariolos de terra;
quare ergo insidiaris animæ meæ, ut occidar? 10 Et juravit ei Saul in Domino, di-
cens: Vivit Dominus, quia non eveniet tibi quidquam mali propter hanc rem. 11
Dixitque ei mulier: Quem suscitabo tibi? Qui ait: Samuelem mihi suscita. 12 Cum
autem vidisset mulier Samuelem, exclamavit voce magna, & dixit ad Saul: Quare im-
posuisti mihi? Tu es enim Saul. 13 Dixitque ei rex: Noli timere; quid vidisti?
Et ait mulier ad Saul: Deos vidi ascendentes de terra. 14 Dixitque ei: Qualis est
forma ejus? Quæ ait: Vir senex ascendit, & ipse amictus est pallio. Et intellexit Saul,
quod Samuel esset, & inclinavit se super faciem suam in terra, & adoravit. 15 Dixit
autem Samuel ad Saul: Quare inquietasti me, ut suscitarer? Et ait Saul: Coarctor
nimis: siquidem Philisthiim pugnant adversum me, & Deus recessit a me, & exaudire
me noluit, neque in manu prophetarum, neque per somnia: vocavi ergo te, ut osten-
deres mihi, quid faciam. 16 Et ait Samuel: Quid interrogas me, cum Dominus re-
cesserit a te, & transierit ad æmulum tuum? 17 Faciet enim tibi Dominus, sicut locu-
tus est in manu mea, & scindet regnum tuum de manu tua, & dabit illud proximo tuo
David. 18 Quia non obedisti voci Domini, neque fecisti iram furoris ejus in Amalec,
Idcirco, quod pateris, fecit tibi Dominus hodie. 19 Et dabit Dominus etiam Israel
tecum in manus Philisthiim: cras autem tu, & filii tui mecum eritis: sed & castra Is-
rael tradet Dominus in manus Philisthiim. 20 Statimque Saul cecidit porrectus in ter-
ram: extimuerat enim verba Samuelis, & robur non erat in eo, quia non comederat
panem tota die illa. 21 Ingressa est itaque mulier illa ad Saul (conturbatus enim erat
valde) dixitque ad eum: Ecce obedivit ancilla tua voci tuæ, & posui animam meam
in manu mea: & audivi sermones tuos, quos locutus es ad me. 22 Nunc igitur audi
& tu vocem ancillæ tuæ, & ponam coram te buccellam panis, ut comedens convalescas,
& possis iter agere. 23 Qui renuit, & ait: Non comedam. Coegerunt autem eum ser-
vi sui, & mulier, & tandem audita voce eorum surrexit de terra, & sedit super lectum.
24 Mulier autem illa habebat vitulum pascualem in domo, & festinavit, & occidit eum,
tollensque farinam, miscuit eam, & coxit azyma. 25 Et posuit ante Saul, & ante
servos ejus. Qui cum comedissent, surrexerunt, & ambulaverunt per totam noctem
illam.

Mecum

℣. 1. MECUM EGREDIERIS.] Achis deceptus iis omnibus, quæ David adversum populum suum fecisse arbitrabatur, in eo spes suas collocat, cumque secum in prœlium deducit. Ex decursu liquet, singulos Philisthinorum Principes copias suas seorsim habuisse, quæ simul omnes unum tantummodo exercitum conficiebant, qui communi Principum omnium consensu regebatur.

℣. 2. NUNC SCIES, QUÆ FACTURUS EST SERVUS TUUS.] Tibi fidei meæ, atque amoris præclara præbebo argumenta; hoc in prœlio virtutis, atque submissionis meæ eximiam exhibebo speciem. Hic naturalis est horum verborum sensus; hoc pacto Achis illa intelligit, atque intelliget, quicumque præjudicio ullo carebit. At hanc Davidis mentem fuisse, B atque tunc sincere locutum quis dixerit? Si æquivocis, & restrictione utebatur, atque per has verborum ambages nihil Regi polliceri volebat, verum simpliciter illi fucum facere fallaci officio, ea mente se nihil ex iis facturum, quæ ipsi arbitrabantur, sed opperiturum, donec divinitus sibi aliqua se ferret occasio semet subtrahendi, honoremque suum servandi, quin conscientiæ suæ vulnus infligeret; si hæc, inquam, fuit mens illius, ubi nam Davidis bona fides est, ubi rectitudo? Sin autem per ea, quæ Regi Achis ille spoponderat, se illi nempe ostensurum, quid facturus esset, nihil aliud intellexisse dixeris, nisi quod ipse populi partes, a Philisthiim deficiendo susciperet; vel demum ipsum in neutram partem vires suas inclinaturum in prœlio; C illi sane honesto viro indignos sensus ingesseris, illique consilium apposueris, ex quo omnibus præclaris illius gestis turpitudinis nota offunderetur. Liberalitas, & confidentia Achis merebanturne, ut talia pro meritis referrentur? Denique asserere David pro Philisthiim adversum populum suum arma fuisse illaturum, neque justitiam ab eo læsam fuisse, namque pro fœderato in prœlio justo dimicaturus erat, atque repetiisse jus, quod in Regnum Israël obtinuerat, contra Saulem, qui injuste ipsum persequebatur; hoc profecto idem est, ac dicere a Davide leges maxime naturales fuisse perfractas, ut ultionis libidini faceret satis; idem ac velle, ipsum pedibus obtrivisse, quidquid patriæ suæ, fratribus, Regi, ac propriæ conscientiæ deberet, ut illi fidelitatis erga D fœderatum suum honos servetur. Videtur igitur hac in re David haud culpa vacare, atque fatendum esse, ipsum inconsulto nimis fidem suam Regi Achis obligasse, ut in bellum pro ipso cum Israel congrederetur.

CUSTODEM CAPITIS MEI PONAM TE CUNCTIS DIEBUS.] Septuaginta [1]: *Te prætoriæ cohortis ducem constituam*; quod ipsum satis innuit; quantum in Davide spei Achis collocaret.

℣. 3. SAMUEL AUTEM MORTUUS EST.] Mors illius supra cap. 25. refertur ℣. 1. hic vero repetitur, atque illi adjicitur historia exilii, quo magi, ac divinatores mulctati fuerunt, ut præparetur Lector ad historiam Samuelis per Pythonem exsuscitati, ac Saulis Pythonissam consulentis versiculo septimo, & E sequentibus.

SAUL ABSTULIT MAGOS, ET ARIOLOS DE TERRA.] Ut legi Moysis pareret [2], qua cautum est, ne quis id genus hominum consuleret, immo qua illi extremo capitis supplicio addicuntur. Creditur autem de Samuelis consilio, ac sub initium regni illius, cum Divinæ Legis zelo flagraret, ejecisse has pestes, quorum fallax virus superstitionem, ac flagitia in terras invexit.

A ℣. 4. IN SUNAM.] Urbs hæc sita est in tribu Issachar. Eusebius, & Sanctus Hieronymus eam ad quinque passuum millia a montibus Hermon meridiem versus constituunt. Non aberat autem longius a torrente Cisson, qui in vallem Jezrael defluebat.

VENIT IN GELBOE.] Hi sunt montes ad meridiem vallis, in qua *Sunam* est posita.

℣. 6. CONSULUIT DOMINUM, ET NON RESPONDIT EI, NEQUE PER SOMNIA, NEQUE PER SACERDOTES, NEQUE PER PROPHETAS.] Saul nullum non movit lapidem, omnemque artem, qua uti fas erat, expertus est, ut futurum detegeret, ac Domini voluntatem agnosceret. Apud Hebræos divinatores quidam aderant, qui *somniatores* nuncupabantur, de quibus palam in libris suis loquitur Moyses [3]. Deus B etiam crebro voluntatem suam *per somnia*, & noctu Prophetis, ac Sacerdotibus explicabat; at in hac occasione nihil expressit. Quinam *Sacerdotes* in Gabaon Tabernaculo Saule regnante inservirent, nos fugit. Abiathar cum Ephod ad David confugerat 1. Reg. 22. 20. At credibilene est, per omne illud tempus, quo David abfuit, nullum fuisse vel Sacerdotem, vel Ephod in Cariath-iarim, ubi erat Arca, vel in Gabaon, ubi Tabernaculum aderat? Immo oppositum ex hoc loco licet eruere; nam Hebraicus textus affert, Dominum non respondisse illi per *urim* [4]. Aderat igitur etiam in partibus Saulis Ephod: nam *urim*, & *thummim* erant veluti partes Ephod ejusdem; atque ideo aderat quoque Summus Sacerdos; nam huic uni Ephod gestare licebat, ac Dominum C per *urim* consulere. Denique *Prophetæ*, quos Saul consulere potuit, sunt successores, ac discipuli Samuelis, quorum non pauci erant in Najoth prope Ramatha, & in Gabaa.

℣. 7. QUÆRITE MIHI MULIEREM HABENTEM PYTHONEM.] Miram Saulis cæcitatem! e ditione sua ariolos, & Magos expulerat, veluti perniciosos, & qui inutilem, captiosamque artem profiterentur; & nihilominus eos inquirit, ac in illis spem suam collocat; perinde ac illorum vaticinia, eorumque diabolica ars illi solatium inter tot curas distracto afferre possent, eumque consilii compotem reddere, atque a periculo, in quo versabatur, tueri.

PYTHON.] Apud Græcos Authores Apollinis oraculum significat, qui *Pythius* vocatus fuit, eo quod D Pythonem serpentem occiderat. Satis liquet oracula, quæ magis apud Ethnicos celebrarentur, Apollinis fuisse. Saul pythonissam quærebat, quæ illi Samuelis animam ab inferis evocaret; hæc vero alia erat a simplici divinatrice, vel etiam a maga: sed Scriptura non exacte hoc innuit; & forrasse hæc divinatrix necromantiæ quoque artem profitebatur.

Hebraicus textus ad litteram [5]: *Quærite mihi mulierem habentem ob*, vel quomodo in aliis locis legitur, *habentem oboth*; quæ vox sæpius utrem significat, vel saccum e corio, ubi liquores asservabantur; perinde ac innueretur, divinatrices se se inflasse loquendo, non secus ac aliquid ventre gestarent. Septuaginta [6]: *quærite mihi mulierem, quæ e ventre voces emittat*, vel e stomachi cavitate. Magi hoc paE cto loqui affectabant.

Profani in præstigiorum, ac inanium Numinum oraculorum descriptionibus cæcos nobis mugitus semper exhibent, qui e tellure, & specubus egredi videbantur. Virgil. Æneid.

. . . totusque moveri
Mons circum, & mugire adytis cortina reclusis.
Summissi petimus terram, & vox fertur ad aures.

Recentiores quidam [7] se vidisse narrant energumenas mulieres, e cujus imo pectore dæmon loquebatur,

1 Ἀρχισωματοφύλακα θήσομαί σε. שמר לראשי אשימך כל הימים.
2 Levit. 19. 31. Deuter. 18. 11. 3 Deuter. 13. 3. Vide quoque Jerem. 23. 9. & Zach. 10. 2. Joel. 2. 28.
4 גם באורים. 5 אשת בעלת אוב. Vide Deuter. 18. 11.
6 Ζητήσατέ μοι γυναῖκα ἐγγαστρίμυθον.
7 Vide August. Eugub. in c. 19. Levit. Cœli Rhodig. Antiqu. Lect. l. 5. c. 10. Oleast. in Isai. 29. c. 4. Vide & Allat. de Engastrimytho, c. 5.

tur, & articulatas proferebant voces, sed tenuissimo sonitu, & acutissimu. Horat. Satyr. 8. l. 1.

Umbræ cum Sagana resonarent triste, & acutum.

Alii [1] asserunt, se vidisse quosdam, qui naturaliter, ac sine ullis magiæ præstigiis de cavitate stomachi voces edebant modis adeo miris, ut qui prope adessent, vocem sibi audire viderentur, quæ eminus ad ipsorum aures pertingeret. Hippocrates hac de re veluti de morbo quopiam locutus est in lib. de morbis popular. Turnebus apud Foes. in Oeconom. Hippocr. se circulatorem vidisse testatur, qui ex ima stomachi parte verba emittebat, quin os, vel labra clauderet, aperiretque. Energumenus quidam, cui nomen Jacobus Rodoginus in Italia fuit anno circiter 1513. qui e ventris latebris enuntiabat verba, etiamsi os, & nares illi perquam sedulo obstruerentur [2]. Probabile est, voces has, quæ ex interiori pectoris parte emittuntur, efformari per aeris morum per inspirationem in pulmonem attracti, non secus ac vox ab aere per gutturis aspirationem agitato producitur. Medicus quidam, cui nomen Conradus Amonanus in Dissertatione *de loquela*, se anum vidisse testatur Amstelodami, quæ secum ipsa dialogorum more voce nunc e gutture, nunc e ventre prolata colloquebatur. Semet interrogabat, sibique respondebat, ita ut jurasses te duos inter se colloquia miscentes audire. De Farming quodam [3], qui in Anglia anno 1645. narratur ventriloquum fuisse, ita ut illi, inter quos erat, & cum quibus loquebatur, se eminus interpellari putabant, quamquam ipse cominus loqueretur. Brodæus meminit cujusdam poeti, qui Francisco I. Gallorum Regi inserviebat: huic Ludovicus Brabantius nomen erat, eademque pollebat arte, ex qua non mediocrem aliquando quæstum occœpit, nonnullorum jam vita functorum voces simulans, a quibus id, quod ipsi in votis erat, præcipiebatur; hoc astu ut sibi conjugem adolescentulam maximis affluentem divitiis traderent, assecutus est; atque ab argentario quodam Lugduni auri vim non mediocrem extorsit.

ENDOR.] Urbs est in valle Jezrael ad radices montium Gelboe, in quibus exercitus Saulis fuerat castrametatus.

℣. 8. MUTAVIT HABITUM SUUM.] Ne huic mulieri timorem immitteret, atque copiis suis omnem spem, animumque adimeret, si illum abesse, ac ea præsertim de causa, agnovissent.

℣. 11. SAMUELEM MIHI SUSCITA.] Hinc necromantiæ paret antiquitas, quæ sane orta est ex opinione immortalitatis animæ. Magi se jactabant evocare ab inferis posse manes, ut hominibus apparerent, illisque futura prædicerent. Horatius lib. 1. Satyr. 8.

.... Cruor in fossam confusus, ut inde
Manes elicerent, animas responsa daturas.

℣. 12. CUM AUTEM VIDISSET MULIER SAMUELEM.] Rabbini contendunt mulierem hanc fuisse matrem Abner, filii Ner. Viditne illa vere Samuelem, vel se illum videre simulavit: an dæmon illi sub Samuelis imagine apparuit? Hoc videri potest in Dissertatione nostra de Samuelis apparitione. *Exclamavit*, vel quod antequam invocationes suas obmurmuraret, illi Samuel apparuit [4]; vel quod Propheta eo splendore, ac majestate præfulgens prodiit, ut illi terror incesserit; vel forte se videre Samuelem, atque terrore abripi simulavit, ut melius scænam luderet. Theodoretus qu. 62. in 1. Reg. & Rabbini inde perterritam fuisse volunt, quod Samuel illi stans, velut homo vivens apparuerit; cum plerumque mortui magis appareant, vel pedibus elatis, vel supini, veluti in feretris positi.

℣. 13. DEOS VIDI ASCENDENTES DE TERRA.] Saul stupore captus ob mulieris hujus clamores, ab ea petiit, quidnam vereretur; illa vero respondit, se vidisse deos [5], *Elohim*, de terra ascendentes. Hic autem *Elohim*, ut ipsa dicebat, erat Samuel. Nomen *Elohim* significat verum Deum, vel falsos deos, Judices, Angelos, Magistratus. Plurali vero utitur numero, ut solum Samuelem majoris honoris gratia significet. Video divinum hominem, Judicem augustiori forma, gravi, ac terribili specie.

℣. 14. VIR SENEX ASCENDIT, ET IPSE AMICTUS EST PALLIO.] Pallium hoc eratne signum, quod Samuelem posset denotare? Haud proculdubio; nam patet, Hebræos passim pallium gestasse. Sed cum Saul ex Pythonissa petiisset, ut Samuelem evocaret; Rex hunc Samuelem esse credidit ex notis, quas illi ostendit, quamquam illum nequaquam viderat. Deinde ille, qui apparuerat, se satis prodidit Sauli, ad ipsum locutus; hoc tamen supposito, quod hæc omnia non fuerint hujus divinatricis præstigia.

℣. 15. QUARE INQUIETASTI ME, UT SUSCITARER?] Videretur Samuel revixisse, atque evocatus fuisse divinatricis hujus incantationum vi; at præstat asserere, Scripturam isthic loqui juxta populorum præjudicia. Credunt enim vulgo, evocationibus eorum animas turbari, qui in pace quiescunt, quæ vel oblationibus placandæ sunt, vel præstigiis cogendæ. Seneca in Oedipo.

Carmenque magicum volvit, & rapido minax
Decantat ore, quicquid aut placat leves,
Aut cogit umbras.

Propter quam veterum opinionem Patres Concilii Eliberitani can. 31. cavent, ne interdiu cerei in cœmeteriis accenderentur, ne mortuorum manes inquietarentur: *Cereos per diem placuit in cœmeterio non incendi; inquietandi enim spiritus Sanctorum non sunt.* Isaias 14. 9. nobis, Inferos usquequaque perturbatos, & commotos exhibet ad Regis Babylonici adventum. *Infernus subter conturbatus est, suscitavit sibi gigantes: Omnes principes terræ surrexerunt de soliis suis, omnes principes nationum &c.* Locutiones hæ figuratæ sunt, & metaphoricæ.

℣. 17. FACIET TIBI DOMINUS, SICUT LOCUTUS EST.] Hebræus [6]: *Faciet illi Dominus, sicut locutus est.* Excipiet Davidem inimicum tuum, quemadmodum illi pollicitus est, conferet illi regnum. Aliter: *Deus fecit sibi, sicut locutus est.* Promissiones suas adimplevit propter gloriam nominis sui, propter se ipsum.

SCINDET REGNUM TUUM.] Dividet illud inter David, & Isboseth, sed deinde illud iterum in Davide conjunget. Si dæmon loquitur, permittit Deus, ut veritatem dicat, quemadmodum alibi sæpius [7]. Nullum opus erat ad id nova revelatione; namque hæc tantum est repetitio eorum, quæ olim coram frequenti populo Sauli dixerat Samuel, cum Rege per pallium Samuelem detinente, pallium scissum est, ac Propheta inquit 1. Regum 15. 28. *Scidit Dominus regnum Israel a te hodie, & tradidit illud proximo tuo meliori te.*

℣. 19. CRAS TU, ET FILII TUI MECUM ERITIS.] Duplex isthic difficultas exurgit. Prior quidem, an prœlium, in quo Saul occubuit, postridie post hujus apparitionis diem consertum fuerit; altera vero, an Saul damnatus fuerit, ac in Infernum cum dæmone actus, qui ad ipsum locutus fuisse perhibetur. Quoad primam, certum est, vocem *cras* non semper in rigoroso, atque stricto sensu usurpari; sed crebro futu-

1 Melanges d'Hist. tom. 2. p. 129.
2 Vide Casserium Tract. de Vocis organo.
3 Vide Diki sen Delphi phœnicizantes c. 9.
4 Menoch. Cornel.
5 אלהים ראיתי עלים מן הארץ
6 ויעש יהוה לו כאשר דבר. 70. Ἐποίησε Κύριος αὐτῷ καθὼς ἐλάλησεν ἐν χειρί μου.
7 Vide Matth. 8. 29.

futurum, ac indefinitum tempus significare. Exempli gratia [1]: *Cumque interrogaverit te filius tuus cras, quid est hoc, respondebis ei; in manu forti eduxit nos Dominus de terra Ægypti*; & Josue 4. 6. *quando interrogaverint vos filii vestri cras dicentes, quid sibi volunt lapides isti? respondebitis eis; defecerunt aquæ Jordanis ante arcam fœderis Domini, cum transiliret eam.* At hoc quem explicamus, in loco credibile est *cras* ad litteram esse intelligendum [2]; nihilque nos cogit, ut aliter intelligamus. Saul iter vespere suscepit, ut veniret in Endor, qui locus satis castris illius proximus erat; consulere pythonissam potuit, domi illius manducare, ac plena die in castra reverti. Philisthiim prælium inferunt, Saul vincitur; fusamque videns aciem suam se suo gladio confodit; hæc omnia facile evenire potuerunt postridie diei, vel noctis, qua Pythonissam consuluit.

Altera vero difficultas, quæ Saulis respicit salutem, haud est difficilior explicatu. Si Rex hic sibi mortem conscivit, quod ait Scriptura cap. 31. ℣. 4. damnatio illius in dubium revocari non potest, quoniam nex sibimet illata crimen est, quod Deus inferorum suppliciis persequitur. Sin autem Saul sibi ab Amalecita, qui illum suo gladio confodisse gloriatur cap. 1. ℣. 10. libri sequentis, voluit interfici, salus ipsius nihilo incertior est; nam crimen ferme par est, & sibi necem infligere, ac per alterius manum sibi inferri jubere. Præterea sententia, quæ Saulem damnatorum suppliciis adscribit, Patribus, ac Interpretum plerisque arridet [3]. Verum quin isthic quæstionem hanc de salute, vel damnatione Saul subtilius pertractemus, de qua infra prolixius erit sermo [4], dici potest, Samuelem, vel dæmonem, cum ajunt Saulem cras cum ipsis futurum, loqui

A solum de futura illius morte. Cras morieris, ad plures abibis, inter mortuos adnumeraberis.

℣. 21. POSUI ANIMAM MEAM IN MANU MEA.] Vide, quæ dixerim in libro Judicum cap. 12. ℣. 3.

℣. 23. SEDIT SUPER LECTUM.] Veteres vulgo super lectulis in cubiculo discumbebant, quemadmodum nos capsis insidere consuevimus. Illi vero vel simpliciter ad quiescendum, vel ad vescendum adhibebantur [5], qui lectuli fortasse ex tabula erant confecti. Vide supra caput 20. ℣. 5. Virgilius Æneid. 2. nobis exhibet Æneam toro insidentem, ac quidquid illi contigerat enarrantem.

Inde toro Pater Æneas sic orsus ab alto.

℣. 24. HABEBAT VITULUM PASCUALEM.] Vitulum ad hoc in stabulo innutritum, ut in sacrificio

B mactaretur, & cum amicis comederetur. Ex quibusdam Scripturæ locis innotescit in familiis ali consuevisse *vitulos pingues*, ut religionis convivia in Templo celebrarentur diebus solemnitatis, & cœtus. Reor autem animantia hæc ita saginata a Moyse Deuter. 15. 19. *primogenita* nuncupari, & quæ in agrorum operam adhiberi vetat, vel tonderi, si oves fuerint. Filii prodigi pater pinguem vitulum occidi jubet ad filii adventum Luc. 15. 23. Sapiens [6] ait melius esse *vocari ad olera cum charitate, quam ad vitulum saginatum cum odio*. Septuaginta pro *vitulo pascuali* legunt [7] *vitulum lactis*, seu vitulum lactentem. Sæpe Author Vulgatæ hebraicam vocem [8] reddidit *vitulum de armento*. Bochartus de Animal. sacr. p. 1. lib. 2. cap. 31. *vitulum de vinculo*, vitulum, qui in

C stabulo detinebatur ad saginandum. Hic verus est Authographi sensus. Alii: *vitulum submissum ad excutiendum triticum*, hoc est triturandum. Vide Malac. 4. 2.

1 Exod. 13. 14. Vide & Deut. 6. 20. 2 Usserius aliter hoc cras intelligit; censet enim aliquot dies effluxisse a consultatione Pythonissæ ad certamen Gelboe. Illum adi ad an. M. 1949.
3 Vide Tostat. Cajet. Sanct. Tirin. Cornel. Grot. Serar. Mart. 4 Vide cap. 31. ad ℣. 4.
5 Vide Casaub. in Sueton. Domit. p. 187. & Sanct. hic. 6 Prov. 15. 17. Vide Jerem. 46. 21. Amos 6. 4. & Malach. 4. 2. 7 70. Edit. Complut. Μοχάριον γαλαθηνόν. At Rom. Edit. Δάμαλιν νομάδα. *Vitulum pascualem*. 8 עגל מרבק *Vitulum de armento*, perinde ac si legisset עגל מבקר

CAPUT XXIX.

David cum militibus suis in Achis exercitu pugnaturus, Philisthiim Principes verentur, ne in prælio adversus ipsos sua arma detorqueat, illumque Siceleg abire jubent.

1. Congregata sunt ergo Philisthiim universa agmina in Aphec: sed & Israel ca-
strametatus est super fontem, qui erat in Jezrael. 2 Et satrapæ quidem Phi-
listhiim incedebant in centuriis, & millibus: David autem, & viri ejus erant
in novissimo agmine cum Achis. 3 Dixeruntque Principes Philisthiim ad Achis: Quid
sibi volunt Hebræi isti? Et ait Achis ad principes Philisthiim: Num ignoratis David,
qui fuit servus Saul regis Israel, & est apud me multis diebus, vel annis, & non inve-
ni in eo quidquam, ex die, qua transfugit ad me, usque ad diem hanc? 4 Irati sunt
autem adversus eum principes Philisthiim, & dixerunt ei: Revertatur vir iste, & se-
deat in loco suo, in quo constituisti eum, & non descendat nobiscum in prœlium, ne
fiat nobis adversarius, cum prœliari cœperimus: quomodo enim aliter poterit placare
dominum suum, nisi in capitibus nostris? 5 Nonne iste est David, cui cantabant in
choris, dicentes: Percussit Saul in millibus suis, & David in decem millibus suis?
6 Vocavit ergo Achis David, & ait ei: Vivit Dominus, quia rectus es tu, & bonus
in conspectu meo: & exitus tuus, & introitus tuus mecum est in castris: & non inve-
ni in te quidquam mali, ex die, qua venisti ad me, usque in diem hanc: sed satrapis

non places. 7 Revertere ergo, & vade in pace, & non offendas oculos satraparum Philisthiim. 8 Dixitque David ad Achis: Quid enim feci, & quid invenisti in me servo tuo, a die, qua fui in conspectu tuo usque in diem hanc, ut non veniam, & pugnem contra inimicos domini mei regis? 9 Respondens autem Achis, locutus est ad David: Scio, quia bonus es tu in oculis meis, sicut Angelus Dei: sed principes Philisthinorum dixerunt: Non ascendet nobiscum in prœlium. 10 Igitur consurge mane tu, & servi domini tui, qui venerunt tecum: & cum de nocte surrexeritis, & cœperit dilucescere, pergite. 11 Surrexit itaque de nocte David ipse, & viri ejus, ut proficiscerentur mane, & reverterentur ad terram Philisthiim: Philisthiim autem ascenderunt in Jezrael.

℣. 1. IN APHEC.] Aphec, de qua hic sermo, alia prorsus est a celebri Aphec in tribu Aser posita. Hæc erat inter montes Thabor, & Gelboe, in valle Jezrael. Conferentibus ℣. 4. capitis 28. cum ℣. 11. capitis hujus, liquet; Philisthiim primum statim consedisse in Aphec, mox Sunam versus profectos, inde vero in Jezrael contendisse. Saul castra fuerat metatus ad fontem Jezrael, hoc est, prope fontem vallis, vel urbis Jezrael, ubi plane dimicatum est.

Ea, quæ isthic referuntur, diebus aliquot ante prœlium contigerunt, & antequam Saul adiisset pythonis oraculum in Endor consultum. Aphec locus videtur fuisse, quò Philisthinorum copiæ convenire debebant, ubi simulac Satrapæ in exercitu suo agnovere David, ac milites illius, coegerunt Achis, ut illum dimitteret. Author, qui libros hos exaravit, in ea, quæ ad David spectant, semper intentus, semper in illius factis versatur, & Saulis historiam eo tantum consilio ennarrat, quod ad præcipuum finem confert, ut nos ad Davidis regnum deducat. Postquam nos edocuit, quæ gesta fuerint usque ad diem, quæ prœlium præcessit, quo necessario prius docendi eramus, ad heroem suum nos revocat, ac intersecat narrationem facti, quod toto cœlo spectabilius videtur, ut ea referat, quæ in se quidem minus referre videntur, sed quæ propius ad præcipuum authoris scopum collimant.

℣. 2. SATRAPÆ PHILISTHIIM INCEDEBANT IN CENTURIIS, ET MILITIBUS.] Hebraicus textus ad litteram [1]: *Principes Philisthiim transibant centum, & millia*. Recensentes efficiebant, ut transirent centeni, ac milleni. Copiæ Philisthinorum eodem ferme pacto divisæ erant, ac Hebræorum exercitus in quinquagenos, centenos, millenosque, & singuli sive manipuli, sive centuriæ, sive cohortes proprio duci obtemperabant, qui Principibus, vel Satrapis morem gerebat. David, & milites illius cum Achis novissimum claudebant agmen. Hebraice [2]: *transibant novissimi cum Achis*. Postremi cum Achis in recensione exercitus subiere; vel simpliciter: Satrapæ Philisthiim copias suas in ordinem cogebant in diversa corpora divisas, in centurias, ac millium militum manus; David, & milites illius novissimi pertransierunt post Achis agmen, sed ab eo distincti, ac sejuncti.

℣. 3. DAVID EST APUD ME MULTIS DIEBUS, VEL ANNIS.] Textus ad litteram [3]: *David mecum est post dies, vel annos*. Aliquandiu, vel etiam aliquot annis mecum permansit. Septuaginta [4]: *His jam alter est annus, ex quo mecum est*. At Romana Editio habet; *Aliquamdiu mecum fuit, ecce jam duo sunt anni*. Syriaca versio: *Duo anni, & aliquot menses*. Arabica; *Annus unus, & aliquot menses*. Nonnulli Interpretes [5] putant, Achis mentitum fuisse Sarra-

A pis Philisthiim, ac auxisse temporis spatium, quo David apud illum permanserat, dicentem, ipsum aliquot annis ibi esse immoratum, quamvis quatuor menses ibi dumtaxat permanserit, quemadmodum superius dictum est cap. 27. ℣. 7. At ego malim credere, David duos circiter annos apud Achis fuisse, ex quibus quatuor menses in Geth habitavit, reliquum vero tempus in *Siceleg*.

℣. 4. REVERTATUR . . . . NE FIAT NOBIS ADVERSARIUS.] Hebraice [6]: *Revertatur ne sit nobis Satan*, quæ postrema vox hostem, accusatoremque significat [7], & nonnumquam pro dæmone sumitur [8] qui communis est humani generis hostis. Principes Philisthiim prudenter judicant, David ut cum Saulo in gratiam redeat, posse in ipso prælio in illius par-
B tes cedere, atque adversus Philisthiim arma convertere. Deus mirabili Providentiæ suæ effectu Davidi tutam præbet occasionem, qua honeste se se subduceret ab eo discrimine, in quod temere nimis fortasse descenderat. Si enim in Philisthinorum acie fuisset, etiamsi neque gladium adversus Israelitas distrinxisset, maximos tamen Regno suo obices opponebat. Quomodo enim Hebræi Regem excepissent virum, qui arcto adeo fœdere cum hostibus populi sui esset conjunctus? quomodo Philisthiim passi fuissent, ut ille ab ipsis secederet eo potiturus Imperio, cum quo perenne bellum sæviebat?

℣. 6. VIVIT DOMINUS.] Achis jurat per Deum *Jehovah* [9], vel ut se se Religioni David aptet, vel ut illi magis eorum fidem faciat, quæ profitetur;
C vel quod agnoscebat Deum *Jehovah*, non autem veluti solum Deum, sed velut aliud numen, aliis simile, quæ plurima erant apud Ethnicos. Sophonias 1. 5. Judæos exprobrat, eo quod per *Jehovah*, & per *Melchom* jurarent; qui postremus erat Deus Ammonitarum. Ethnici crebro per exteros Deos jurabant, illorum Deos scilicet, cum quibus res erat. Fieri quoque potest, ut Scriptura isthic Achis jusjurandum referens, illud his exprimat verbis: *Vivit Jehovah*, ut ostendat, Regem hunc ritu suo jurasse, ac juris jurandi fidem adeo sacram sanctamque interposuisse, perinde ac si Hebræus juraret per nomen *Jehovah* [10].

℣. 8. QUID ENIM FECI?] David personam, quam primum induerat, nunc agere perseverat. Simulat
D autem dolorem, eo quod sibi abripiatur occasio testandi, quid pro Achis esset perpetraturus; atque se veluti injuria affici dolet, quod dimittatur, atque ægre, gravateque ad id impelli fingit, quod alioquin summa debebat esse votorum. Si enim revertendi conditionem facile, & quin dolorem testatus esset, excepisset, fides illius haud suspicione vacasset.

℣. 9. BONUS ES TU IN OCULIS MEIS SICUT ANGELUS DEI.] Nulla tui me incessit suspicio: immo te æque mihi prodendo imparem tuor, ac si Angelus esses

1 סרני פלשתים עברים למאות ולאלפים
2 ודוד ואנשיו עברים באחרנה עם אכיש
3 אשר היה אתי זה ימים או זה שנים
4 Οἳ γέγονε μετ' ἐμοῦ ἤδη δεύτερον ἔτος ἡμερῶν.
5 Tostat. Sanct. Menoch. Tir.
6 השב . . . ולא יהיה לנו לשטן.
7 1. Esdr. 4. 6. & Psalm. 109. 6.
8 Job 1. 6. & 2. 6. &c. Item Zach. 3. 1. 2.
9 חי יהוה
10 Capell. Not. Critic. ad Exod. 6. 2. apud Cleric. hic.

esses a Deo missus. At unde nam Achis Angelos noverat? Ethnici non secus ac Hebræi bonos, malosque spiritus agnoscunt [1]; hæc opinio in Oriente latius percrebuerat. Locutio hæc, *ut sicut Angelus Dei*, in aliis Scripturæ locis invenitur, ad innuendam observantiam, venerationem, æstimationem, qua colitur quispiam, nec non sapientiam, bonitatem, & æquitatem illius, cum quo sermo est. Jacob ait, se vidisse Esau [2] non secus ac vidisset Deum, vel Angelum. Mulier a Joab missa, ut pro Absalonis reditu deprecaretur, ait Davidi [3] ipsum esse veluti Angelum Domini, qui nec blanditiis, nec injuriis commovetur, qui omnem possidet Angeli sapientiam, & A quidquid est super terram agnoscit. Miphiboseth hæc eadem illi ait 2. Reg. 19. 27. En Orientis populorum ingenium, qui in suis loquendi rationibus adeo exaggerare consueverunt.

℣. 10. TU, & SERVI DOMINI TUI;] Cujusnam Domini? Nonnulli [4] putant sermonem esse de Saule, qui cum esset Rex Israel, erat quoque dominus David, ac militum illius. Certum enim in ipsos jus habebat; atque propter Saulis impotentiam solum David licuit illius imperium detrectare, atque armatos milites cogere. Alii [5] de Achis eodem explicant; perinde ac David apud hunc Regem confugiens semet eum militibus suis illi tradidisset.

1 Vide, si lubet, Sanctium hic. 2 Genes. 33. 10. Vide Esther 20. 16. 3 2. Reg. 14. 17. 20.
4 Vatabl. Marsyr. 5 Piscat.

CAPUT XXX.

Amalecitæ depopulantur Siceleg, eamque succendunt, antequam David revertatur. Hic illos persequitur. Ægyptius captivus illum in Amalecitarum castra deducit, qui illos obtruncat, & præda, quam abstulerant potitus, eam æqualiter militibus suis dividit.

1. CUmque venissent David, & viri ejus in Siceleg die tertia, Amalecitæ impetum
fecerant ex parte australi in Siceleg, & percusserant Siceleg, & succenderant eam
igni. 2 Et captivas duxerant mulieres ex ea, a minimo usque ad magnum: &
non interfecerant quemquam, sed secum duxerant, & pergebant itinere suo. 3 Cum ergo
venissent David, & viri ejus ad civitatem, & invenissent eam succensam igni, & uxores suas,
& filios suos, & filias ductas esse captivas, 4 Levaverunt David, & populus, qui erat
cum eo, voces suas, & planxerunt, donec deficerent in eis lacrymæ. 5 Siquidem & duæ u-
xores David captivæ ductæ fuerant, Achinoam Jezrahelites, & Abigail uxor Nabal Carme-
li. 6 Et contristatus est David valde; volebat enim eum populus lapidare, quia amara erat
anima uniuscujusque viri super filiis suis, & filiabus: confortatus est autem David in Domino
Deo suo. 7 Et ait ad Abiathar sacerdotem filium Achimelech: Applica ad me ephod. Et
applicavit Abiathar ephod ad David, 8 Et consuluit David Dominum, dicens: Persequar
latrunculos hos, & comprehendam eos, an non? Dixitque ei Dominus: Persequere: ab-
sque dubio enim comprehendes eos, & excuties prædam. 9 Abiit ergo David ipse, & sex-
centi viri, qui erant cum eo, & venerunt usque ad torrentem Besor: & lassi quidam substite-
runt, 10 Persecutus est autem David ipse, & quadringenti viri: substiterant enim ducen-
ti, qui lassi transire non poterant torrentem Besor. 11 Et invenerunt virum Ægyptium in
agro, & adduxerunt eum ad David: dederuntque ei panem, ut comederet, & biberet a-
quam, 12 Sed & fragmen massæ caricarum, & duas ligaturas uvæ passæ. Quæ cum come-
disset, reversus est spiritus ejus, & refocillatus est: non enim comederat panem, neque bi-
berat aquam, tribus diebus, & tribus noctibus. 13 Dixit itaque ei David: Cu-
jus es tu? vel unde? & quo pergis? Qui ait: Puer Ægyptius ego sum, servus viri
Amalecitæ: dereliquit autem me dominus meus, quia ægrotare cœpi nudiustertius. 14 Si-
quidem nos erupimus ad australem plagam Cerethi, & contra Judam, & ad meridiem Caleb,
& Siceleg succendimus igni. 15 Dixitque ei David: Potes me ducere ad cuneum istum?
Qui ait: Jura mihi per Deum, quod non occidas me, & non tradas me in manus domini mei,
& ego ducam te ad cuneum istum. Et juravit ei David. 16 Qui cum duxisset eum, ecce illi
discumbebant super faciem universæ terræ, comedentes, & bibentes, & quasi festum cele-
brantes diem, pro cuncta præda, & spoliis, quæ ceperant de Terra Philisthiim, & de Ter-
ra Juda. 17 Et percussit eos David a vespere usque ad vesperam alterius diei, & non evasit
ex eis quisquam, nisi quadringenti viri adolescentes, qui ascenderant camelos, & fugerant.
18 Eruit ergo David omnia, quæ tulerant Amalecitæ, & duas uxores suas eruit. 19 Nec
defuit quidquam a parvo usque ad magnum, tam de filiis, quam de filiabus, & de spoliis, &

quæcumque rapuerant, omnia reduxit David. 20 Et tulit universos greges, & armenta
& minavit ante faciem suam: dixeruntque: Hæc est præda David. 21 Venit autem David
ad ducentos viros, qui lassi substiterant, nec sequi potuerant David, & residere eos jusserat
in torrente Besor, qui egressi sunt obviam David, & populo, qui erat cum eo. Accedens
autem David ad populum, salutavit eos pacifice. 22 Respondensque omnis vir pessimus,
& iniquus, de viris, qui ierant cum David, dixit: Quia non venerunt nobiscum, non dabimus eis quidquam de præda, quam eruimus: sed sufficiat unicuique uxor sua, & filii:
quos cum acceperint, recedant. 23 Dixit autem David: Non sic facietis, fratres mei,
de his, quæ tradidit nobis Dominus, & custodivit nos, & dedit latrunculos, qui eruperant
adversum nos, in manus nostras: 24 Nec audiet vos quisquam super sermone hoc: æqua
enim pars erit descendentis ad prælium, & remanentis ad sarcinas, & similiter divident. 25
Et factum est hoc ex die illa, & deinceps constitutum, & præfinitum, & quasi lex in Israel
usque in diem hanc. 26 Venit ergo David in Siceleg, & misit dona de præda senioribus Juda proximis suis, dicens: Accipite benedictionem de præda hostium Domini: 27 His,
qui erant in Bethel, & qui in Ramoth ad meridiem, & qui in Jether, 28 Et qui in Aroer,
& qui in Sephamoth, & qui in Esthamo, 29 Et qui in Rachal, & qui in urbibus Jerameel,
& qui in urbibus Ceni, 30 Et qui in Arama, & qui in lacu Asan, & qui in Athach, 31
Et qui in Hebron, & reliquis, qui erant in his locis, in quibus commoratus fuerat David,
ipse, & viri ejus.

℣. 1. Cumque venissent . . . die tertia.] Scilicet die tertia ab eorum discessu de Aphec. Triginta enim, atque ultra ab Aphec ad Siceleg intererant leucæ.

Amalecitæ percusserant Siceleg.] Ad litteram [1]: *ceperant, diripuerant*; neminem enim occiderant. Hi populi cum bellum inter Israelitas, ac Philisthiim ardere comperissent, id tempus idoneum rati sunt, ut in Hebræorum regiones excurrerent; at præcipue odio prosequebantur David, qui toties in eorum agros fecerat irruptionem.

℣. 2. Non interfecerant quemquam.] Eos servare volebant, ut lucrum caperent, vel illos sub corona vendentes, vel eorum servitio utentes.

℣. 4. Planxerunt, donec deficerent in eis lacrymæ.] Quoad potuerunt, donec lacrymarum fons exhaustus fuit. Hyperbolica loquendi ratio, qua utuntur Hebræi; hoc enim passim per *deficientes oculos* innuunt: *Videntibus oculis tuis, & deficientibus*, Deuter. 28. 32. & ibidem 65. *Dabit tibi Dominus cor pavidum, & deficientes oculos*; & Jeremias Thren. 2. 11. *Defecerunt præ lacrymis oculi mei*. Cicero quoque eodem loquitur modo Philipp. 2. *Hei mihi! consumptis enim lacrymis, infixus tamen hæret in corde dolor*.

℣. 6. Volebat eum populus lapidare.] Veluti calamitatum suarum originem. Se enim servitio Achis addixerat; Amalecitas irritarat, Siceleg sine præsidio reliquerat, quibus adde levitatem, ac desperationem populi inconstantis, atque irritati, qui se se dederat in manus David, atque credebat, David ipsi omnes fortunas suas debere.

℣. 7. Applica ad me Ephod [2].] Indue me hac sacra veste, ut Dominum consulam; hic sensus primum se se legentibus offert, illique omnis decursus favet; David loquitur, directe ipse per se Dominum consulit, illique Deus immediate respondet. Eruditi quidam viri [3] arbitrantur officium hoc Dominum consulendi cum Ephod haud Reges dedecuisse, ac Reges etiam sæpe Sacerdotali munere functos fuisse. Vide, quæ hac de re dicta sint in cap. 13. ℣. 12. libri hujus.

At plerique Interpretes [4] asserunt, David isthic simpliciter præcepisse, ut Abiathar semet Ephod indueret, ac pro illo Dominum consuleret. *Applica ad me Ephod*; scilicet, induere pro me Ephod; vel ut Grotio placet, convertere ad me cum Ephod, ut ex lapillorum Rationalis fulgore Dei voluntatem agnoscam. Liquet Sacerdotibus Summis tantum jure, ac rite Ephod indui, & Dominum per Urim consulere licuisse. Quo autem pacto per Ephod consuleretur, latius in Exodo 28. 30. enarratur.

℣. 8. Latrunculos hos.] Hebraice [5]: *Persequar manum hanc*.

℣. 9. Ad torrentem Besor.] Torrens hic originem hauriebat, vel potius fiebat ex aquarum colluvie, quæ ex Idumææ montibus defluebant; se vero in Mediterraneum ultra Gazam exonerabat. Hic forte Torrens est Deserti, qui falso Ægypti torrens nuncupatur. Utrum semper aquas veheret, ambigitur; at tunc satis intumuerat.

℣. 10. Qui lassi transire non poterant.] Hebraicus textus reddi potest [6]: *qui segnes fuerunt ad transeundum*. Septuaginta [7]: *qui trans torrentem sederunt*. Chaldæus: *qui vetiti fuere, ne torrentem traducerent*. Authographi vox *piger* proprie significat cadaver, corpus inanime, ac sine sensu; ac dicitur de inertibus, segnibus, ac de illis, qui proprie lassi sunt, ac deficientes. Syriaca versio, & Arabica adferunt ducentos hos homines ad torrentis vada permansisse, ut transitum intercluderent. Quæ si vera sunt, cur alii voluissent illos parte exuviarum fraudare?

℣. 12. Duas ligaturas uvæ passæ.] Septuaginta [8]: *Duos racemos uvæ passæ*. Hebraice [9]: *duo zimmukim*. Vide, quæ dixerim in caput 25. ℣. 18.

℣. 14. Ad australem plagam Cerethi.] Mihi persuasum est, nomen *Cerethim* isthic usurpari velut synonymum Philisthiim. Sophonias 2. 5. hos in littore maris constituit: *Væ, qui habitatis funiculum maris*

---

1 ויחי את צקלג.
2 הגישה נא לי האפוד, Aqu. Ἐγγίσον μοι τὴν ἐπωμίδα. Sym. Σύνθου πρός με τὴν ἐπωμίδα.
3 Cunæus de Rep. Heb. l. 1. c. 24. Spencer. de Urim. Vide & 1. Reg. 18. 9.
4 Menoch. Est. Pisc. &c.
5 ארדף הגדוד הזה. 70. Ὀπίσω τοῦ γεδδούρ. Legitur גדוד hic & ℣. 23. Aquil. Μετὰ τοῦ ἀζώνου τούτου. Sym. Ἐπὶ τὸν λόχον τοῦτον. Alius: Στρατεύματος hic exercitus. Th. Συστέμματος hoc agmen.
6 אשר פגרו מעבר.
7 Οἳ τινες ἐκάθισαν πέραν τοῦ χειμάῤῥου.
8 Δύο σταφίδας.
9 שני צמקים

morie gens perdiserum, vel juxta hebraicam legendi rationem, gens *Cerethorum*. Ezechiel 25. 26. iisdem ferme vocibus eos designat: *Extendam manum meam super Palæstinos, & interficiam interfectores* (Hebraice *Cerethos*) *& perdam reliquias maritimæ regionis*. In libro secundo Regum 15. 18. scriptum est: *Et universi servi ejus* (David) *ambulabant juxta eum, & legiones Cerethi, & Phelethi, & omnes Gethæi pugnatores validi, sexcenti viri, qui secuti eum fuerant de Geth pedites, præcedebant Regem*; ex quo infertur Cerethos fuisse Philisthæos. In Dissertatione de origine Philisthinorum ostendimus, nomen Cerethi idem esse, ac nomen Cretensium, atque populos hos a Creta originem deduxisse. Amalecitæ ad australem usque regionis Philisthinorum partem processerant.

AD MERIDIEM CALEB.] Prope *Cariath-arbe*, vel Hebron, & *Cariath-sepher*, quas urbes posteri Caleb, & Othoniel generi illius in tribu Judæ obtinebant. Amalecitæ commode hæc omnia percurrerunt loca, cum illorum abessent incolæ bello adversus Philisthiim impediti.

℣. 15. EGO DUCAM TE AD CUNEUM ISTUM.] Noverat ille deserti locum, quo erant concessuri; & quo recedere consueverant. Alibi jam animadvertimus populos hos plerumque in agris, ac sub tabernaculorum pellibus, nullas habentes domos, neque statas sedes permansisse. Captivus hic a Domino derelictus suam acquirebat libertatem: *Servus in gravi morbo dimissus a Domino liber esto*, Romanæ leges inquiunt [1]; itaque David nequit redargui, eo quod servum hunc impulerit in perfidiæ facinus adversum dominum suum, petens ab eo, ut ipsum ille deduceret illuc, ubi tunc Amalecitæ consederant. Agit enim cum ipso, veluti cum homine libero; vel potius id ab illo exigit, veluti a servo suo, nam illum jure fuerat adeptus, illi vitam esca servando, quam illi eradi jusserat. *Si herus negaverit servo sua alimenta, & aliu suppeditet, fit occupantis*.

℣. 17. A VESPERA, USQUE AD VESPERAM ALTERIUS DIEI.] Persecutus est eos tota nocte illa, ac tota die, quæ secuta est. Irruit igitur in eos sub vesperam. Hebraicus vero textus longe aliter explicari potest [2]: *a crepusculo usque ad vesperam alterius eorum diei*. Cum illis congressi sunt a crepusculo matutino, ac diei primordio, usque ad vesperam crastinæ diei ab ea, qua illos fuerant persecuti. David totius diei spatio eos quæsivit, demum crastina die invenit illos, ceciditque eos a diei crepusculo usque ad vesperam. Vatablus arbitratur, David triduo hostes fuisse persecutum; a vespera diei unius ad vesperam alterius, ac etiam die crastina. Sanctius brevius hoc bello ipsum perfunctum putat; dimicasse enim censet a priori vespera ad nocturnam; ab hora diei nona ad undecimam; atque pro nostra horas enumerandi ratione ab hora vigesima prima ad tertiam supra vigesimam; crastina vero die iterum eos persequi perseveravit. At fidei mihi videtur pronius, David eos die integra fuisse persequutum a mane ad vesperam. Quod autem huic sententiæ objicitur, David scilicet eos invenisse *comedentes, & bibentes, & quasi festum celebrantes diem*, circumstantiæ, quæ crepusculo haud convenire videntur; respondere possumus, populos hos adhuc in hesterna comessatione versari potuisse, postquam in ea totam noctem transegissent, cum David in illos sub primum lucis fulgorem impetum fecit. Quod vero hebraicus textus addit, *usque ad vesperam eorum alterius diei*, signat dumtaxat vesperam diei, quæ illam est consecuta, qua David irruit in illos. Mane aggressus est eos, atque ad vesperam usque illos est persecutus: Vespera hæc initium erat diei alterius, seu diei sequentis; nam Hebræi diem a vespera inchoabant; Vel vespera eorum alterius diei denotabit noctem, quæ subsecuta est postridie illius diei, qua David eos perquirere occœpit, Ægyptio duce, quemadmodum ante explicuimus. Septuaginta simpliciter legunt [3]: *Fudit illos a mane ad vesperam, & usque ad alteram diem*.

℣. 20. MINAVIT ANTE FACIEM SUAM, DIXERUNTQUE: HÆC EST PRÆDA DAVID.] Hebraice ad litteram [4]: *Afferebant* (quidquid ceperant) *ante alias res* (quas receperant) *& dicebant: hæc est præda David*. Separarunt ea, quæ Amalecitarum fuerant, ab iis, quæ ad ipsos sigillatim spectabant. Quisque recepit uxorem suam, filios, armenta, & separatim agebant ante se spolia ex hostibus capta, veluti in quemdam victoriæ cantum, clamantes: *Hæc est præda David*: Hæc David de hostibus victor spolia reportavit. Vel fortasse prædæ pars, quæ Davidi, veluti victoriæ duci [5] destinata erat, seorsim seponebatur. Grotius de jure Belli, & Pacis l. 3. cap. 9. art. 9. putat, generatim armenta omnia, quæ ex Amalecitarum manu capta fuere, tum quæ pridem Israelitarum fuerant, cum quæ Amalecitarum, ex æquo fuisse divisa, quin ulla haberetur ratio eorum, qui antea pecorum domini fuerant: nam id genus res belli captæ minime restituuntur, & dominii jacturam subit absolute, qui eas primum possederat. Verum huic rationi haud acquiescimus.

℣. 22. OMNIS VIR PESSIMUS, ET INIQUUS.] Hebraicus textus [6]: *Omnis vir pessimus, & Belial*. Vide Deut. 13. 13.

℣. 24. ÆQUA PARS ERIT DESCENDENTIS AD PROELIUM, ET REMANENTIS AD SARCINAS.] Attulimus ad Num. 31. 27. explicationem, quam huic legi tribuunt Judæi; volunt enim, Regi dimidiam totius prædæ partem cedere; alteram vero ex æquo inter eos dividi, & qui descenderunt in prœlium, & qui remanserunt ad sarcinas [7]. Verum quin nobis hæc negotium explicatio facessat, quæ non Legum innititur textui, non Hebræorum veterum consuetudini; hoc Davidis edictum in simplici, ac naturali sensu intelligimus; illud vero hoc adimpletum capite videmus, ac alibi, ubicumque se se obtulit occasio; nihil enim illo justius est, nihil sapientius. Sapientius quidem, quia eorum tollit questus, qui ad impedimenta relinquuntur, nec non occurrit malo, quod inde contingeret, si nemo ad sarcinarum custodiam vellet remanere. Justius autem; nam qui impedimenta tutantur, bellici periculi haud sunt expertes; namque in ipsos vis fieri potest, atque res, quarum cura illi est demandata, etiam vitæ periculo tueri tenentur, & commilitonum suorum victoriæ participes sunt; illos enim rerum suarum impedimento, atque cura liberant, easque tuto custodiunt; demum cum utrique Imperatoris nutibus pareant, qui manus non conseruere, nequaquam optione facta prœlio abstinuerant, verum legitima rebus aliis impediti distinebantur, neque ullo pacto obedientiæ suæ merito privandi sunt.

Æquitas naturalis alios omnes fere excultos populos docuit sensus eosdem, eosdemque mores, quos in Hebræis intuemur. Homerus Iliad. I. nobis Achillem exhibet graviter nimis conquerentem de consuetudinis hujus injustitia, quæ præcipit, ut æqualiter dividatur præda, & illis, qui fortiter decertarunt, & illis, qui ad sarcinas quieverunt, eo quod hac in re homo fortis ab inerti nequaquam præmio distinguitur. Eadem erat veteribus Romanis disciplina. Vide Lipsium de Milit. Rom. lib. 5. Dialog.

---

1 Vide Martyr. hic.
2 מהנשף ועד הערב למחרתם
3 Ἐπάταξεν αὐτοὺς ἀπὸ ἑωσφόρου καὶ ἕως δείλης καὶ τῇ ἐπαύριον.
4 נהגו לפני המקנה ההוא ויאמרו זה שלל דוד.
5 Ita Heb. apud Munster.
6 כל איש רע ובליעל
7 Vide Rabb. apud Selden. de jure Nat. & Gent. l. 6. c. 16. & Grot. hic.

Dialog. 15. Coriolanus apud Dionysium Halicarnassæum lib. 7. ita milites alloquitur : „ Nemo vestrum ignorat bellicis legibus cautum esse, ut prædam, ac exuviæ omnes ex hostibus captæ in medium conferantur, atque non milites solum, sed ne Imperator quidem ullum jus habeat peculiare ; verum omnia ad Quæstorem esse deferenda, qui allata sub hasta venumdat, atque inde acceptam pecuniam infert in ærarium ; qui mos ab urbe condita hactenus fideliter servatus est, quin aliquis, non dicam, violarit, sed ne adversari quidem ausus fuerit. At deinceps apud Romanos consuetudo hæc immutata fuisse videtur, atque singulis militibus prædæ pars æqua tradita fuisse tum iis, qui in aciem descenderant, tum iis, qui ad sarcinas remanserant, vel infirma erant valetudine, vel etiam aberant. Polybius de Milit. Rom. lib. 16. testatur, singulos milites juramento adactos fuisse, fideliter se ad Tribunos delaturos esse, quid quilibet ceperit ; at post prœlium a Tribunis prædam omnem æqualiter in capita militibus divisam fuisse.

℣. 25. FACTUM EST HOC EX DIE ILLA, ET DEINCEPS . . . QUASI LEX IN ISRAEL, USQUE IN DIEM HANC.] Hinc non inferre licet, morem hunc antea in Israel nequaquam fuisse observatum ; hoc ipsum enim contigisse perspeximus Numer. 31. 27. duce Moyse in bello adversus Madianitas. Josue [1] jubet Israelitas, quibus trans Jordanem hæreditas cessit cum fratribus suis, qui in ipsorum regione remanserant, prædam partiri, quam citra fluvium hunc fuerant consecuti. Verum ante David hoc observatum fuisse videtur, potius veluti pro laudabili consuetudine, ac bona victoris voluntate, quam quod lege ulla tenerentur. Hebræi Legis hujus, quam David tulerat, aliquando severi adeo observatores fuerunt, ut majora, quam quæ David præceperat, patrarint. Macchabæi [2] æquales prædæ partes debilibus pupillis, & viduis, ac senioribus miscere. Hebraico Textui alius tribui sensus potest ab eo, quem Septuaginta, & Vulgata secuti sunt [3]. *Et hæc lex observata fuerat in Israel ex die illa, & ante ; & David eam proposuit Legem, atque Edictum usque in diem hanc.* Hic Rex restituit, confirmavitque Legem, quæ jam antiquitus lata fuerat in Israel. Apud Hebræos nulla sunt verba composita ; pro reædificare, restituere, remittere, absolute dicunt ædificare, statuere, mittere.

℣. 26. MISIT DONA DE PRÆDA SENIORIBUS JUDA.] Veluti ut ea damna repararet, quæ propter ipsum illis fuerant illata, vel ut animi sui gratitudinem illis testaretur, eo quod ipsum in regione sua libere immorari essent passi, cum calamitate sua ille obrueretur.

℣. 27. IN BETHEL.] In urbem Bethel tribus Ephraim, vel *in domum Dei* [4], hoc est in Cariathiarim, ubi erat arca, vel in Gabaon, ubi tabernaculum.

IN RAMOTH AD MERIDIEM.] Hoc est in meridionali plaga [5] ad distinctionem Ramoth Galaad, quæ erat trans Jordanem. Josue 19. 8. Ramoth ad meridiem positam tribui Simeon assignat.

JETHER.] Eusebius, & Sanctus Hieronymus in Locis Hebraicis loquuntur de urbe quadam, cui nomen *Jethira*, in meridionali Palæstinæ parte posita prope *Malatham* viginti passuum millibus procul ab Eleutheropoli. Urbs hæc erat Sacerdotalis [6], & ad tribum Juda spectabat. In Josue vero cap. 15. 42. *Ether* nuncupatur.

℣. 28. IN AROER.] Quæ sita est trans Jordanem ad torrentem Arnon in tribu Gad. David aliquantisper immoratus fuerat in regione Moab, & satis prope urbem Aroer, ubi forte quosdam e consanguineis suis reliquerat, ac ubi aliquod illi officium præstitum fuerat. Parentes illius aliquamdiu in Regione Moab sub Regis protectione permanserant. Vide cap. 22. ℣. 3. 4. 5.

SEPHAMOTH.] Hæc eadem fortasse est, ac Sepham, cujus Numerorum liber 34. 10. meminit. Sed hæc longius nimis ultra Jordanem erat posita.

ESTHAMO.] Urbs est in tribu Juda [7], & Sacerdotalis [8] in finibus Eleutheropolis.

℣. 29. RACHAL.] Civitas hæc penitus ignoratur ; hic solum invenitur. Essetne Achila in deserto Ziph, de qua superius est sermo, 1. Regum 23. ℣. 19. & 26. 1. 3. quo David bis concesserat ?

JERAMEEL.] Vide supra cap. 27. ℣. 10.

CENCI.] Parvula Cinæorum regio ad Asphaltitis meridiem.

℣. 30. ARAMA.] Hæc est urbs Horma, ubi Hebræi regionem Arad anathemati devoverunt. Num. 21. 1. 2. 3.

IN LACU ASAN.] Hebræus [9] : in *Chor-Aschan*. Videri potest Josue capite 15. ℣. 42. & 19. ℣. 7. ubi simpliciter *Asan* vocatur. Hæc primum tribui Juda tradita fuit, deinde vero tribui Simeon cessit.

ATHACH.] Eadem fortasse ac Athar, cujus mentio est in Josue cap. 19. vers. 7. ubi civitati *Asan* adjecta est, non secus ac isthic eidem Athach [10] adjicitur.

℣. 31. HEBRON.] Est satis cognita. Ex hac recensione intueri possumus magnificentiam, ac magnanimitatem David, qui cum in exilio, summaque rerum versaretur inopia, tamen viam quærit, qua liberalitatem suam prodat. Nullius loci obliviscitur, quo ante confugerat, & unde aliquam opem acceperat. Prædam ex Amalecitis captam ingentem sane fuisse oportet.

---

1 Josue 22. 8. *In multa substantia, atque divitiis revertimini ad sedes vestras . . . Dividite prædam hostium cum fratribus vestris.* 2 2. Macchab. 8. 28. *Æquam portionem debilibus, pupillis, & viduis, sed & senioribus facientes.* 3 ויהי מהיום ההוא ומעלה וישמה לחק ולמשפט לישראל עד היום הזה

4 Jun. Tremell. Pisc. 5 ברמות נגב

6 Josue 21. 14. & 1. Paral. 6. 58. 7 Josue 15. 50. & 1. Par. 4. 19.

8 Josue 21. 14. 9 בור עשן. 10 Eusebr. in Onomast.

CAPUT XXXI.

Prælium Philisthinorum adversus Israel. Mors Saulis, ac filiorum ejus. Eorum corpora de Muris Bethsan suspenduntur; inde vero ab incolis Jabes ablata cremantur.

1. PHilisthiim autem pugnabant adversum Israel: & fugerunt viri Israel ante faciem
Philisthiim, & ceciderunt interfecti in monte Gelboe. 2 Irrueruntque Phi-
listhiim in Saul, & in filios ejus, & percusserunt Jonatham, & Abinadab, &
Melchisua, filios Saul, 3 Totumque pondus prælii versum est in Saul: & consecuti
sunt eum viri sagittarii, & vulneratus est vehementer a sagittariis. 4 Dixitque Saul
ad armigerum suum: Evagina gladium tuum, & percute me: ne forte veniant incircum-
cisi isti, & interficiant me, illudentes mihi. Et noluit armiger ejus: fuerat enim ni-
mio terrore perterritus. Arripuit itaque Saul gladium, & irruit super eum. 5 Quod
cum vidisset armiger ejus, videlicet, quod mortuus esset Saul, irruit etiam ipse su-
per gladium suum, & mortuus est cum eo. 6 Mortuus est ergo Saul, & tres filii e-
jus, & armiger illius, & universi viri ejus in die illa pariter. 7 Videntes autem viri
Israel, qui erant trans vallem, & trans Jordanem, quod fugissent viri Israelitæ, &
quod mortuus esset Saul, & filii ejus, reliquerunt civitates suas, & fugerunt: vene-
runtque Philisthiim, & habitaverunt ibi. 8 Facta autem die altera, venerunt Phili-
sthiim, ut spoliarent interfectos, & invenerunt Saul, & tres filios ejus jacentes in
monte Gelboe. 9 Et præciderunt caput Saul, & spoliaverunt eum armis, & mise-
runt in terram Philisthinorum per circuitum, ut annuntiaretur in templo idolorum, &
in populis. 10 Et posuerunt arma ejus in templo Astharoth, corpus vero ejus suf-
penderunt in muro Bethsan. 11 Quod cum audissent habitatores Jabes Galaad, quæ-
cumque fecerunt Philisthiim Saul, 12 Surrexerunt omnes viri fortissimi, & ambula-
verunt tota nocte, & tulerunt cadaver Saul, & cadavera filiorum ejus, de muro Be-
thsan: veneruntque Jabes Galaad, & combusserunt ea ibi: 13 Et tulerunt ossa eo-
rum, & sepelierunt in nemore Jabes, & jejunaverunt septem diebus.

℣. 1. PHILISTHIIM AUTEM PUGNABANT ADVERSUM ISRAEL.] Belli adversus Philisthiim, cujus initium capite 28. fumus intuiti, nunc enarratur eventus. Israelitæ castra metati fuerant in montibus Gelboe, cum Philisthæi in ipsos arma intulerunt. Prœlium a sagittariis cœptum est, qui Israelitarum exercitum in fugam verterunt. Primo impetu filii Saul cecidere; Saul vero cum militibus suis restitit, atque omnes prœlii vires in ipsum effusæ sunt: Pondus prœlii versum est in Saul.

℣. 3. CONSECUTI SUNT EUM VIRI SAGITTARIS, ET VULNERATUS EST VEHEMENTER A SAGITTARIIS.] Sagittarii impetum fecerunt in eam militum manum, qui cum Saule erant, ac nondum fugam corripuerant, & Saul vehementer vulneribus confossus fuit. Hebraicus textus [1]: *Et sagittarii invenerunt illum cum arcubus suis, & vehementer vulneratus fuit a sagittariis*. Vel: *Sagittarii aggressi sunt illum, & ipse ab illis summopere perterritus fuit*; quam versionem complures sequuntur Interpretes [2], qui ad litteram ea explicantes verba, quæ Amalecita ait ad David 2. Reg. 1. 9. *tota anima mea in me est*, credunt, Saulem nondum ullo vulnere læsum fuisse, cum se A suo gladio confodit. At ille Amalecita tot mendaciis immiscuit ea, quæ Davidi retulit, ut nulla haberi possit fides sermoni illius. Immo longe probabilius est, Saul tunc demum sibi necem conscivisse, cum se lethali vulnere percussum sensit, nullaque superfuit illi spes, fore ut infortunio suo superstes viveret. Septuaginta reddunt [3]: *Sagittarii invenerunt illum*, deprehenderunt, aggressi sunt, *cumque in hypocondriis confoderunt*, hoc est, in imo ventre. Theodotion similiter [4]: *in partibus, quæ sunt prope jecur*.

℣. 4. DIXIT AD ARMIGERUM SUUM.] Judæi hunc Doeg Armigerum Saulis fuisse putant. Rex districtum ensem non gerebat manu; hostes adhuc telorum ictibus dumtaxat certabant [5]; nondum manibus B consertis dimicabatur. *Evagina gladium tuum*; hoc est meum, quem geris. Saul vero eodem tempore eum corripuit, ac sibi mortem conscivit: *Arripuit gladium suum, & irruit in eum*.

NE INTERFICIANT ME ILLUDENTES MIHI.] Verebatur, ne forte hostes illum vivum servarent, ut illuderent ei, atque in urbe, ac regione sua ipsum in ludicrum verterent; quod olim cum Samsone peregerant, irrisionem crudelitati immiscentes. Communis

1 וימצאהו המורים אנשים בקשת ויחל מאד מהמורים
2 Ita Jonath. Syr. Arab. Jun. Munst. Pagnin.
3 Καὶ εὑρίσκουσιν αὐτὸν οἱ ἀκοντισταί· ἄνδρες τοξόται; καὶ ἐτραυμάτισαν αὐτὸν εἰς τὰ ὑποχόνδρια.
4 Μέρος τὸ ἐγγὺς τοῦ ἥπατος,
5 Vide ℣. 3.

munis erat iis temporibus, atque apud eos populos consuetudo Regum, quos belli ceperant, conviciis afficiendorum, atque corporum eorumdem post illatam necem contumeliose habendorum. Vidimus quomodo Josue exceperit Reges Hai Josue 8. 29. Jerusalem ibid. 10. 24. Hebron, Jerimot, Lachis, & Eglon; & quid Gedeon fecerit adversus Zebee, & Salmana Judic. 8. 21. nec non quomodo Rex Besec septuaginta Reges, quos devicerat, injuriose multaverit Jud. 1. 7.

ARRIPUIT SAUL GLADIUM SUUM, ET IRRUIT SUPER EUM.] Minimum dubio locum esse reor, quin hæc sit vera de mortis Saulis historia, & ea, quæ Amalecites Davidi enarrat, primo Libri sequentis capite, plurimis sint mendaciis involuta. Itaque frustra adnituntur Judæi [1], ut suum primum Regem homicidii crimine in semet perpetrati excusent, atque contendunt salutem æternam fuisse promeritum, Providentiæ decreta submisse excipiendo, atque audiendo, quin conquererentur, sententiam, quam adversus illum Samuel protulerat, dicens 1. Reg. 28. 19. *cras tu, & filii tui mecum eritis*. Ipsius vero obedientiam extollunt, eo quod in prælium descenderit, quamquam moriendi certus, velut victima, quæ se ipse sacrificio offerebat. Animadvertunt etiam ab ipso neque filios admonitus fuisse, ut a prœlio secederent, in quo erant interituri, sed eos maluit ultionis Divinæ pœnas subire. Nonnulli præterea his rationibus addunt, potuisse Saulem sibi necem inferre, ut ignominiam, ac dedecus evitaret, quod in ipsum Deum recidisset, si brevem servaturus vitam in manus hostium Domini incidisset, qui Dominum ipsum illusissent, illiusque infirmitati, ac imbecillitati populi ipsius cladem, excidiumque vertissent. Si Samson ob similes causas semet cum hostibus suis sub templi lapsu potuit interimere, cur non licuit Sauli sibi mortem consciscere, vel ut ab alio confoderetur, curare? Cives Jabes tanto ne animi studio virum nequam, æternisque suppliciis addictum essent prosecuti, quomodo se se morte Saulis affectos prodidere, qui corpus illius honorifice cremarunt, ac cineribus illius parentarunt? Davidne eorum commendasset facinus, Saulemque ipsum luctu fuisset prosecutus, virtutemque illius celebrasset, si illum calamitosum humanis opprobriis, æternisque pœnis dignum existimasset? Author ulterius Macchabæorum libri c. 14. 37. & seq. Senioris Raziæ mortem laudibus effert, qui fortiter in semet cruentas intulit manus, ne in patriæ suæ hostium manus laberetur. Philo Judæus satis ostendit, quæ ipsius esset de iis, qui semet ipsos confodiunt, sententia, cum Judæos Petronio, qui Imperatoris simulacrum collocare volebat, hoc pacto loquentes inducit. „ Effundemus, inquiunt,
„ sanguinem nostrum nobismet ipsis mortem infe-
„ rentes; neque Deus nobis vitio illud facinus ver-
„ tet; in eam enim mentem tantummodo adduce-
„ mur, ne muneribus nostris desimus, quibus exsol-
„ vi non possumus; alteri quidem Imperatoris edi-
„ cta verendi, alteri vero leges nostras servandi;
„ quibus sane facere satis non possumus, quam ex
„ hac vita discedentes, cujus jampridem pertæsum
„ est. Josephus de Bello lib. 1. cap. 4. laudat Phasaelem, Herodis fratrem, qui caput suum in lapidem impegerat, ut sibi vitam eriperet; & apud Christianos quoque nonne Martyres quidam commendantur, qui spontanea morte Tyrannorum sævitiam præoccuparunt?

Verum hæc argumenta infirma satis sunt, quam ut Saul queat excusari. Numquam licuit mala patrare, ut inde existerent bona. Saul profecto sibi mortem conscivit, ac scelus admisit, quod naturæ, legibus, ac rationi adversatur. Ethnici quoque velut dementes, furentesque eos damnarunt, qui in se-

A met manus intulere; ac sapienter censuere facinus hoc non animi, ac fortitudinis, sed potius imbecillitatis, ac infirmitatis esse argumentum. Vera animæ magnitudo in eo posita est, ut adversitatis mala perpeti noverit [2]; neque sibi mortem inferendo ex illis effugerit.

Rebus in adversis facile est contemnere mortem:
Fortiter ille facit, qui miser esse potest.

Leges civiles cavent, ne tumuletur, qui scelus istud in se patrare ausus fuerit; & Josephus lib. 3. de Bello cap. 25. testatur, morem hunc apud Judæos ævo suo obtinuisse. Vita nihil est, quam depositum nobis a Deo commendatum; ea nostri juris non est, neque pro libidine fas est illam exuere; hoc enim Deo est injuriam inferre, ipsius injussu creditam
B stationem deserere. Nullam pœnitentiæ notam edidit Saul; neque ad Deum respexisse videtur postremo vitæ suæ tempore, sed tantum adnisus est, ut proprium dedecus evitaret, non ut opprobria præverteret, quibus hostes Domini in sanctissimum illius nomen potuissent ingerere. Si Jabitas David commendat, ac Saulis virtutem laudibus celebrat, num inde licet inferre, ipsum & cædem sui ipsius, & desperationem probasse? Jabitarum actio humanitatis, ac grati animi officium fuit. Saul quidem fortitudinis, virtutisque specimen non semel præbuerat; quod, non aliud, laudibus David extollit. Denique Scriptura nullum relinquit ambigendi locum de Saulis salute, cum ait 1. Par. 10. 13. *Mortuus est Saul propter iniquitates suas, eo quod prævaricatus sit mandatum
C Domini, quod præceperat, & non custodierit illud, sed insuper etiam pythonissam consuluerit, nec speraverit in Domino; propter quod interfecit eum, & transtulit regnum ejus ad David filium Isai.*

℣. 6. MORTUUS EST SAUL, ET UNIVERSI VIRI EJUS.] Ii scilicet, qui prope illum erant; nam reliquus populus fugam corripuerat. Vide 2. Reg. 1. 4. Author Libri primi Paralipomenon in loco, qui cum isto convenit, ait c. 10. 6. *Interiit ergo Saul, & tres filii ejus, & omnis domus illius pariter concidit*; scilicet, servi, familiares, satellites &c.

℣. 7. VIDENTES AUTEM VIRI ISRAEL, QUI ERANT TRANS VALLEM, ET TRANS JORDANEM . . . RELIQUERUNT CIVITATES SUAS, ET FUGERUNT; VENERUNTQUE PHILISTHIIM, ET HABITAVERUNT IBI.]
D Naturale admodum erat, Israelitis, qui erant *trans vallem* Jezrael ad meridiem, ac boream vallis ejusdem, terrorem incedere, ita ut fugam capessentes suas urbes, domosque relinquerent. Ratio, qua tunc temporis bella fiebant, non permittebat illis ibi permanere, nisi vel vitæ, vel libertatis jacturam subirent. At curnam viris trans Jordanem positis urbes erant deserendæ? Philisthiim numquam Jordanem traduxere, quod sciamus; neque forrasse illum tuto traducere potuissent. Credendum igitur nuntium cladis Saulis tantum formidinis in eorum animos incussisse, ut ipsi quoque, qui trans Jordanem erant, nequaquam se tuto immorari potuisse domi suæ existimaverint. Ingenti terrore fuere correpti; & quia animum, viresque adverterent, ut transitum flumi-
E nis prohiberent, arripuere fugam, & ad montes se recepere; quod sane haud singulare est insani adeo terroris exemplum. Populus perterritus, perturbatusque primo tantum timoris sui rapitur impetu. Demum potuissent quidem Philisthiim Jordanem transmittere, cum præsertim Bethsan potiti essent, ac frequentem, victoremque exercitum agerent. Israelitæ vero sine duce, sine copiis palati, fusique agerentur, ut Deus illorum victoriæ fines proposuit.

Interpretes quidam [3], cum ægre impelli possint, ut credant Israelitas trans Jordanem positos aufugisse, Hebraicum textum [4] reddunt, *citra Jordanem*, vel *qui erant ad Jordanis transitum* [5]. Alii [6] ea verbu

1 Vide Hebr. in Lyran. & Grot. l. 2. de jure Belli & Pac. c. 19. ar. 5. 2 Vide Sanct. hic, Aug. lib. 1. de Civit. c. 17. Cicer. in somnium Scipion. Macrob. in idem, Platon. l. 9. de Legib. Arist. l. 5. Ethic.
3 Ita Jun. Tirin. Joan. Cleric. 4 בעבר הירדן. 5 Montan. Pisc. 6 Malvend.

A ba *trans Jordanem* esse autumant intelligenda ratione habita ad viros Iabes, de quibus sermo est ad capitis calcem, atque hoc pacto Israelitas illos trans Iordanem, vere esse extra hunc fluvium habita Saulis, & Davidis ratione. At hæc solutio nimis subtilior est, prior vero parum probabilis. Nihil nos cogit, ut credamus, Philisthaim pertransisse Iordanem, & Israelitas trans hoc flumen fugam arripuisse, ac Philisthinis urbes suas reliquisse. In eo Paralipomenon loco [1], ubi hæc Philisthiim victoria refertur, simpliciter Hebræi, qui planitiem incolebant, urbes suas reliquisse dicuntur, atque ibi Philisthiim habitasse. Quod nequit naturaliter intelligi, nisi de finitimis locis Iezrael, & Gelboe.

Nescio vero, an hoc in prœlio Philisthæi potiti fuerint Bethsan urbe prope Iordanem sita, satis ab eorum regione remota. Aderat illa in extremitate vallis Iezrael. Chananæi ea in urbe usque ad Iudicum tempus substiterant [2]; isthic vero urbis illius dominos Philisthiim intuemur, quin agnoscamus, quo tempore ibi cœperint dominari. David eos inde expulit; nam Salomonis tempore [3], Bethsan Regibus Joda parebat.

℣. 9. PRÆCIDERUNTQUE CAPUT SAUL.] Ac veluti tropœum in omnia delubra, civitatesque circumtulere eodem ferme pacto, quo David Gigantis Goliath caput reportarat, quod abscissum in Jerusalem servatum est 1. Reg. 17. 54.

℣. 10. POSUERUNT ARMA EJUS IN TEMPLO ASTAROTH.] Hinc intelligimus eamdem apud Idololatras invaluisse consuetudinem, quam superius cap. 21. 9. in Judæia deprehendimus arma ex hostibus capta in delubris suspendendi. Tercenta suppetunt apud Græcos, & Romanos exempla. De Astaroth vero consule Dissertationem nostram de Diis Philisthiim.

CORPUS VERO SUSPENDERUNT IN MURO BETHSAN.] In Paralipomenis refertur caput in Templo Dagon fuisse appensum [4]; hoc est in Templo urbis *Azothi*. Corpus autem de muro suspensum est, vel elatum in cruce super muro Bethsan erecta; vel, ut habemus ex secundo Regum libro cap. 21. ℣. 12. in civitatis illius platea suspenderunt [5]. Ut varietas hæc concilietur, dici potest, cadaver hoc primum de urbis muro suspensum, mox in platea fuisse positum, unde viri Jabes illud abstulerunt; vel potius, cum urbis platea in ipso aditu esset, ac prope muros, quemadmodum ea in regione usitatissimum est, Saulis corpus, quod in muri interiori parte suspensum fuerat, in platea quoque fuisse suspensum. Ita & in platea, & in muro suspensum esse unam, eamdemque rem significat.

℣. 11. QUOD CUM AUDISSENT HABITATORES JABES.] Vix allatum ad Iabitas nuntium fuit, indigne adeo Saulem exceptum fuisse, cum agmine facto profecti sunt, ut corpus illius refigerent, auferentque in grati animi argumentum, propterea quod de illis perquam optime Saul regni sui primordiis meritus fuerat, eos de Naas Ammonitarum Regis manu eruendo 1. Reg. 11. 11.

℣. 12. COMBUSSERUNT EA IBI.] Combusserunt carnes, quæ jam corruptæ fuerant, nimioque diffluebant tabo, quam ut opobalsamis condiri possent: ossa vero servarunt. Chaldæus [6] ait, super, vel prope hæc corpora aromata fuisse cremata; non autem corpora eadem in ignem fuisse conjecta; quæ sententia satis communis est apud Interpretes, ac Rabbinos, qui ut concilient Scripturæ locos, ubi de
B Principum virorum corporibus cremandis est sermo [7], cum aliis, ubi ea tumulata fuisse dicuntur, contendunt, corpus quidem flammis comburi non consuevisse, sed simpliciter aromata circum fuisse apposita, quæ prope illa adolebantur, ut deterrimus odor, qui ex cadaveribus exhalabat, dissiparetur [8]. Quoad corpora Saul, filiorumque illius Sanctius autumat, Jabitas ea comburere debuisse prope Bethsan, carnes enim nimis infectæ lue manabant, quam ut in Iabes possent transferri. Hoc vero, cum similis adesset occasio, fieri consuevisse probat ex Amos cap. 6. 10. qui ait, si decem viri in una domo occubuerint, propinquum eorum corpora cremare debere, ac ossa humo injecta recondere.

Verum quin Scripturæ loci torqueantur, qui palam
C afferunt Regum corpora post certum tempus combusta fuisse [9]; potestne aliquid simplicius afferri, quam asserere eorum carnes tantummodo igni absumptas fuisse, ossa vero, & cineres fuisse collectos, ut in tumulum inferrentur, quemadmodum Græci [10], ac Romani assueverant [11]? Hoc pacto commode satis omnis varietas explicatur.

℣. 13. SEPELIERUNT IN NEMORE.] Hebraice [12]: *sub arbore*, vel sub arboribus. In Paralipomenis [13], *sub quercu*. Hic insignis quidam locus erat prope urbem illorum.

JEJUNAVERUNT SEPTEM DIEBUS.] Iejunium, & luctus quodammodo erant inseparabiles. Luctus plerumque septem diebus fiebat [14]; at non liquet Sauli in Israel luctu parentatum fuisse; tempus enim,
D quod mortem illius consecutum est, nimis agitatum fuit, ac perturbatum. David, ac milites illius die una tantum fleverunt [15]. Nulla aderat peculiaris obligatio, qua omnes communi luctu Regis mortem prosequi tenerentur; nihilominus credibile est, in regia urbe saltem, ac finitimis illius hoc Regi novissimum pietatis officium numquam fuisse denegatum. Vide Ierem. 34. 5. & 2. Par. 35. 25.

---

1 1. Par. 10. 7. *Viri Israel, qui habitabant in campestribus, fugerunt &c.* 2 Judic. 1. 27. 3 3. Reg. 4. 12.
4 1. Par. 10. 10. *Caput affixerunt in Templo Dagon.* 5 2. Reg. 21. 12. *Abiit David, & tulit ossa Saul, & ossa Jonathæ a viris Jabes Galaad, qui furati fuerant ea de platea Bethsan, in qua suspenderant ea Philisthiim.*
6 Jonath. *Cremaverunt super illos, sicut cremant super Reges.* 7 2. Paral. 16. 4. & 21. 19. 8 Vide, si placet, M. Gejerum de luctu Hebræorum. 9 Vide nostrum Commentarium in Genesim c. 50. ℣. 3. 10 Vide Iliad. Φ. 21 Persius Satyr. 6.

. . . . *Sed cœnam funeris hæres.*
Negliget, iratus quod rem curtaveris; urna
Ossa inodora dabit.

12 תחת האשל. 13 1. Par. 10. 12. תחת האלה. 14 Eccli 22. 13. *Luctus mortui septem dies.*
15 2. Reg. 1. 12. *Planxerunt, & fleverunt, & jejunaverunt usque ad vesperam super Saul.*

FINIS LIBRI PRIMI

REGUM.

COM-



COMMENTARIUM
LITTERALE
IN
LIBRUM SECUNDUM
REGUM.

CAPUT PRIMUM.

David interfici jubet Amalecitam, quo nuntium attulerat cadis Saul, ac Jonatha, quique se illos occidisse gloriabatur. Ille vero in cæsorum honorem luctus Canticum pangit.

1. FActum est autem, postquam mortuus est Saul, ut David reverteretur a cæde A-
malec, & maneret in Siceleg duos dies. 2 In die autem tertia apparuit homo
veniens de castris Saul, veste conscissa, & pulvere conspersus caput : & ut ve-
nit ad David, cecidit super faciem suam, & adoravit. 3 Dixitque ad eum David : Un-
de venis ? Qui ait ad eum : De castris Israel fugi. 4 Et dixit ad eum David : Quod
est verbum, quod factum est ? indica mihi. Qui ait : Fugit populus ex prælio, & mul-
ti corruentes e populo mortui sunt : sed & Saul, & Jonathas filius ejus interierunt. 5
Dixitque David ad adolescentem, qui nuntiabat ei : Unde scis, quia mortuus est Saul,
& Jonathas filius ejus ? 6 Et ait adolescens, qui nuntiabat ei : Casu veni in montem
Gelboe, & Saul incumbebat super hastam suam : porro currus, & equites appropin-
quabant ei, 7 Et conversus post tergum suum, vidensque me vocavit. Cui cum re-
spondissem : Adsum : 8 Dixit mihi : Quisnam es tu ? Et ajo ad eum: Amalecites ego
sum. 9 Et locutus est mihi : Sta super me, & interfice me : quoniam tenent me an-
gustiæ, & adhuc tota anima mea in me est. 10 Stansque super eum, occidi illum :
sciebam enim, quod vivere non poterat post ruinam : & tuli diadema, quod erat in ca-
pite ejus, & armillam de brachio illius, & attuli ad te dominum meum huc. 11 Ap-
prehendens autem David vestimenta sua scidit, omnesque viri, qui erant cum eo, 12
Et planxerunt, & fleverunt, & jejunaverunt usque ad vesperam super Saul, & super Jo-
nathan filium ejus, & super populum Domini, & super domum Israel, eo quod cor-
ruissent gladio. 13 Dixitque David ad juvenem, qui nuntiaverat ei : Unde es tu ?
Qui respondit : Filius hominis advenæ Amalecitæ ego sum. 14 Et ait ad eum Da-
vid : Quare non timuisti mittere manum tuam, ut occideres Christum Domini ? 15
Vocansque David unum de pueris suis, ait : Accedens irrue in eum. Qui percussit il-
lum, & mortuus est. 16 Et ait ad eum David : Sanguis tuus super caput tuum : os
enim tuum locutum est adversum te, dicens : Ego interfeci Christum Domini. 17
Planxit autem David planctum hujuscemodi super Saul, & super Jonathan filium ejus,
18 (Et præcepit, ut docerent filios Juda arcum, sicut scriptum est in libro Justorum)

Et ait:

Et ait : Considera Israel, pro his, qui mortui sunt super excelsa tua vulnerati. 19
Inclyti Israel super montes tuos interfecti sunt : quomodo occiderunt fortes ? 20 No-
lite annuntiare in Geth, neque annuntietis in compitis Ascalonis : ne forte lætentur fi-
liæ Philisthiim, ne exultent filiæ incircumcisorum. 21 Montes Gelboe, nec ros, nec
pluvia veniant super vos, neque sint agri primitiarum : quia ibi abjectus est clypeus for-
tium, clypeus Saul, quasi non esset unctus oleo. 22 A sanguine interfectorum, ab a-
dipe fortium, sagitta Jonathæ numquam rediit retrorsum, & gladius Saul non est rever-
sus inanis. 23 Saul, & Jonathas amabiles, & decori in vita sua, in morte quoque
non sunt divisi ; aquilis velociores, leonibus fortiores. 24 Filiæ Israel super Saul
flete, qui vestiebat vos coccino in deliciis, qui præbebat ornamenta aurea cultui ve-
stro. 25 Quomodo ceciderunt fortes in prœlio ? Jonathas in excelsis tuis occisus est ?
26 Doleo super te, frater mi Jonatha decore nimis, & amabilis super amorem mu-
lierum. Sicut mater unicum amat filium suum, ita ego te diligebam. 27 Quo modo
ceciderunt robusti, & perierunt arma bellica ?

℣. 6. CASU VENI IN MONTEM GELBOE.] Tot A mendaciis hæc Amalecitæ narratio est involuta, ut nulla ferme illi fides haberi queat. Illi si aures præbere velis, videretur, casu prope Saulem fuisse, ac ubi confertum magis sæviebat prœlium, quin vel Israelitarum, vel Philisthinorum signa secutus esset. Paullo superius ℣. 3. ait, se de castris Israel fugisse, ac inferius versic. 13. se filium advenæ Amalecitæ fatetur : scilicet se Amalecitæ filium esse, qui in Israelitarum regione immorabatur. Hebræi apud Lyranum mordicus asserunt, filium Doeg fuisse, qui Amalecita vocatur, eo quod Amalec Amalecitarum pater filius erat Esau Genes. 36. 12. Hæc omnia prorsus incerta sunt, non secus ac ratio, qua diadema, & Saulis armillæ in manus illius devenere. Si hac de B re quasdam conjecturas afferre liceret, dici posset, virum hunc Amalecitæ cujusdam filium esse, qui in Israel habitaret, qui cum Sauli in bello adhæsisset, ac mortem illius fuisset intuitus, nocturnarum tenebrarum ope usus est, ut Saulem regiis exueret insignibus. Vidimus autem supra lib. 1. cap. 31. 8. postridie dumtaxat Philisthinos in arenam, ubi manus consertæ fuerant, descendisse, ut cæsorum exuvias auferrent.

SAUL INCUMBEBAT SUPER HASTAM SUAM.] Vel gladii sui, vel teli [1] mucronem. Textus explicite memorat ensem, eo in loco, ubi vere hæc historia narratur [2].

PORRO CURRUS, ET EQUITES APPROPINQUABANT EI.] Hactenus telorum conjectu dumtaxat pugna- C tum fuerat [3], & Saul etiam sagitta fuerat percussus. Hebraice [4] : *Et ecce currus, & magistri equorum, qui appropinquabant ei.* Intelligi potest simpliciter de curribus ab aurigis actis ; nescio enim, an ibi equitatus adesset. Super currum miles ascendebat ; & auriga, vel *equorum magister*, erat ipse quoque miles egregius. Ea consulere potes, quæ de bellicis curribus diximus 1. Reg. 13. 5. & in Dissertatione de Militia Hebræorum.

℣. 9. QUONIAM TENENT ME ANGUSTIÆ.] Rex & vulnere, & dolore confectus erat, exercitum suum pulsum, fugatumque intuitus, & semet jam jam in hostium manus dilapsurum intelligens. Hebraice habetur [5] : *quoniam thorax tenet me*. Mihi necem consciscere nequeo propter thoracem meum. Credi- D tur autem hæc linea fuisse lorica, qua Veteres passim belli utebantur. Hæ vero crassiores fiebant, ac linum, vel lana, unde contexebantur, primum aceto excoquebatur, ut difficilius tela pervaderent. Leve earum pondus præ æneis loricis maxime expeditis militibus eas commendabat. Galli quoque iis thoracibus usi sunt, atque haud fidei absonum est, morem hunc, non secus ac nomen ab Orientis populis didicisse, cum illuc iter instituerint. Hi namque ab illis *Gambison*, vel *Ganbais* appellantur, quæ vox sane ab Hebraica *Chabaz*, non multum recedit. Hic autem thorax erat infartus tomento, vel lana aceto simul densatis, ac tusis, veluti coactilis panni genus. Videri possunt adnotata a Cangio ad Villarduinum [6], & Joanvillæum [7] ; uti quoque & Nicetas in vita Isaaci Imperatoris. Id operis genus *coactile* ab Ulpiano appellatur lib. 25. §. D. de Auro Argeo. Hebræi ad ferreas, æneasque loricas significandas [8] alio nomine utuntur ab eo, quod isthic adhibetur. Septuaginta [9] : *involutus sum in profundis tenebris* ; perinde ac mortis horrorem innueret.

℣. 10. SCIEBAM, QUOD VIVERE NON POTERAT.] Ipsum mortem effugere non posse, neque enim illi Philisthiim pepercissent ; vel potius ipsum decrevisse vitæ suæ, quam perosus erat, finem imponere, ne in hostium suorum manus laberetur. Amalecita hoc refert, veritus, ne facinus suum a David non probaretur.

TULI DIADEMA.] Hebræus [10] : *coronam, quæ erat super caput illius*. Hæc simplex linea vitta erat, vel candida, vel colore aliquo imbuta. Hæc propria est diadematis significatio. Coronæ e metallo confectæ jam usum obtinuerant [11] ; sed tunc Saul diademate tantum erat redimitus. Ex aliis Scripturæ locis [12] constat, Reges in prœlium processisse quibusdam insignibus præcincti, ex quibus dignoscerentur. Non desunt, qui hunc Amalecitam, quem nullo adacti argumento filium Doeg fuisse putant, asserant, ipsum a patre suo Saulis diadema accepisse ferendum ad Davidem, cujus ultionem ipse verebatur, atque falsum esse credunt, ipsum post Saulis obitum huic coronam ademisse [13]. Sed minime absurdum est asserere, Saulem eo in prœlio diadema gestasse. Philisthæi Regem sane in media acie pugnam cientem agnoverant ; & Scriptura ait 1. Reg. 31. 3. omnem belli impetum in illum fuisse conversum : *Totumque pondus prælii versum est in Saul*.

ET ARMILLAM DE BRACHIO ILLIUS.] Armillas passim viri etiam gestabant, iique præsertim, qui præ cæteris dignitate effulgerent. Harum maximam

1 נשען על חניתו Ἐπεστήρικτο ἐπὶ τὸ δόρυ αὐτοῦ. 2 1. Reg. 31. 4. ויקח את החרב
3 Ibid. ℣. 3. 4 והנה הרכב ובעלי הפרשים הדביקהו. 5 כי אחזני השבץ Creditur שבץ idem esse ac שבץ Vide Exod. 28. 39. Aqu. Σφιγκτὸς Stringens. 6 Observat. ad Villarduinum n. 88.
7 Observ. p. 74. 75. in pag. 46. Historiæ S. Ludovici. 8 1. Reg. 17. 5. שריון
9 Ὅτι κατέσχεν με σκότος δεινόν. 10 הנזר אשר על ראשו. 11 1. Par. 20. 2. & Exod. 28. 36.
12 3. Reg. 22. 30. 13 Vide Tost. & Salian. & Menoch.

vim de Madianitis Israelitæ ceperunt Num. 31. 50. Romani quoque aliquando armillis, aureisque coronis strenuos milites donabant, quorum virtus in prælijs emicuisset. Vide Plinium lib. 33. c. 2. Livium Decad. 1. l. 10. Valer. Maximum l. 3. c. 2.

℣. 11. APPREHENDENS DAVID VESTIMENTA SUA SCIDIT.] Doloris nota apud omnes populos in more posita. Virgilius Æneid. 5.

Tum pius Æneas humeris abscindere vestem,
Auxilioque vocare Deos, & tendere palmas.

℣. 16. SANGUIS TUUS SUPER CAPUT TUUM.] Sanguis, quem effudisti, damnatio tua est. Pœna, & supplicium sanguinis hujus recidit hodie super caput tuum. Vel: Sanguis, ac mors tua in te unum referatur authorem. Judæi de Jesu Christo loquentes dicebant Matth. 27. 25. *Sanguis ejus super nos, & super filios nostros.* Nos subimus ob illius mortem supplicii onus; hæc nobis crimini vertatur, si innocens est. Amalecita hic videtur quidem minime interfecisse Saulem; sed hac de re se jactitarat; potuitque David illius verbo adhibere fidem, quin aliud inquirere adniteretur. Crimen illius merito morte erat afficiendum, ac simili in casu David jam Israelis Rex inunctus, atque a populi parte hoc in honore recognitus Reipublicæ Hebræorum, ac societatis humanæ nomine ulcisci poterat Saulis cædem, præsertim ab Amalecita patratam, populo anathemati devoto: verum peculiares quoque aderant rationes ita agendi, propria nempe securitas, & fama, ac exemplum pro militibus suis, quibus ad hoc ipsum indigebatur. Tacitus narrata ultione, quam Vitellius de Galbæ interfectoribus sumpserat, ait lib. 1. *Non honore Galbæ, sed tradito Principibus more, munimentum in præsens, in posterum ultionem.* Davidis honor poscebat, ne ipse ob Saulis interitum lætatus fuisse crederetur; ac ipsius intererat, Israelem universum nosse, ipsum non solum cædis illius expertem fuisse, verum etiam pœnas ea eo poposcisse, qui in Saulem nefarias manus intulerat.

℣. 18. PRÆCEPIT, UT DOCERENT FILIOS JUDÆ ARCUM.] Huic luctus cantico, quod in Saulis, & Jonathæ honorem cecinerat, Arcum nomen imponit, eo quod præcipue arcum, & sagittas Principum istorum laudibus celebrat [1]: *sagitta Jonathæ numquam rediit retrorsum* &c. Apud veteres Poetas carmina quædam inveniuntur, quibus paria huic nomina indidere; exempli gratia *Clypeus* vocatur Carmen, in quo Herculis clypeum describit Hesiodus. Apud Theocritum eodem nomine poesis quædam inscribitur, uti alia *Avena* appellatur. Simmias Rhodius *Alam, Ovum, & Securim* ediderat.

Interpretes quidam [2] aliter hunc locum intelligunt: *David præcepit militibus suis, ut docerent filios Israel jaculari*, ut Philisthinis resistere possent, & cladem ab illis postremo illatam prœlio repararent. At mihi prior sensus magis arridet. Grotius credit, Davidem hoc Israelitis dedisse Canticum, ut eo belli uterentur. Septuaginta [3] isthic arcus nomen præteriere: *& præcepit, ut docerent filios Juda, sicut scriptum est in libro Justorum.*

SICUT SCRIPTUM EST IN LIBRO JUSTORUM.] Locus hic probat, Authorem, qui hæc scripsit, nequaquam tunc temporis vixisse, cum hæc agerentur; non enim antiquiorem Authorem produxisset, nullus enim existere poterat. Alibi ad examen vocatum est, quinam esset hic liber Justorum [4]. Cæterum consuetudo lugubres pangendi cantiones in illustrium virorum vita functorum honorem in Scriptura communis est. Hoc tamen primum est exemplar,

A quod occurrat. David ipse non multo post alterum, sed solemne minus in honorem Abner composuit 2. Reg. 3. 33. & Jeremias 3. Reg. 13. 29. simili cantico Josiæ funus est prosecutus. Extant ad hanc quoque diem Prophetæ ejusdem lamentationes; & alias quoque de Moabitarum edidit calamitatibus Jerem. 48. 31. Ezechiel 19. 1. Israelitarum deflet infortunia, uti quoque Tyriorum c. 27. 1. ac Regis Tyri c. 28. 11. Homerus Iliad. Ψ. funebre nobis reliquit elogium, quo Achilles Patroclo parentavit, atque Iliad. X illud, quo Hecuba, & Andromacha Hectorem celebrarunt. Carminis hujus a Davide compositi stilus adeo elatus est, poeticisque imaginibus, pigmentisque adeo exornatum, ut ægre apud melioris notæ poetas augustius exemplar inveneris.

B ET AIT: CONSIDERA, ISRAEL, PRO NIS, QUI MORTUI SUNT SUPER EXCELSA TUA VULNERATI.] Hoc neque in Hebraico texto, neque in Chaldaico adest; neque legitur in textu Versionis Sancti Hieronymi [5], nec in Septuaginta. Hæc autem est versio eorum, quæ legimus in versiculi sequentis initio.

℣. 19. INCLYTI ISRAEL SUPER MONTES TUOS INTERFECTI SUNT: QUOMODO CECIDERUNT FORTES.] Hebraice [6]: *Pulchritudo Israel*, vel gloria Israel, vel *capreolus Israel vulneratus est*, vel *confossus super excelsa tua: quomodo ceciderunt fortes?* Nomen capreoli Israel isthic Regem significat, ac filios illius, qui in montibus Gelboe interierunt. Aquila [7]: *Et dixit: Considera, Israel, mortuos, quos amisisti: quomodo ceciderunt fortes?* Septuaginta [8]: *erige mo-*
C *mentum*, vel columnam *in memoriam mortuorum tuorum, qui interfecti sunt in collibus; quomodo ceciderunt fortes?* Potest quoque Hebraico textui hæc tribui explicatio: *O pulchritudo Israel! Rex mortuus est super excelsa tua; quomodo ceciderunt fortes?* Per apostrophen oratio convertitur vel ad regionem, vel ad filias Israel. Chaldæus: *restiterunt super Israel; bellicosi hi viri elevaverunt se super domum virium vestrarum: quomodo ceciderunt fortes?* denique explicari potest cum Syriaca versione, & Arabica: *O cerve Israel! interfecti sunt super excelsa tua.* Saulis cum cervo, aut capreolo comparatio nobilis est juxta Veterum stylum. David quoque Psal. 17. 34. Deo gratias agit, quod ipsi cervi agilitatem, ac pernicitatem tribuerit. Canticorum Sponsa dilectum
D suum sæpius hinnulo cervorum confert Cant. 2. 9. 17. & 8. 13.

℣. 20. NOLITE ANNUNTIARE IN GETH . . . . NE FORTE LÆTENTUR FILIÆ PHILISTHIIM.] David prævidet injurias, ac ludibria, quibus corpus, & memoria Saulis erat afficienda in regione Philisthiim, & gaudium, quod mulieres, ac virgines præ se ferre debebant, cum nuntium hoc illuc afferretur. Mirus profecto ornatus, quo effert hoc mentis adinventum, egregie animi sui dolorem exhibet, quo ob Saulis, & Jonathæ mortem conficiebatur. Laus, & pretium id genus carminum oritur sane ex cogitandi, loquendique audacia, splendore, ac vehementia.

℣. 21. MONTES GELBOE, NEC ROS, NEC PLUVIA
E VENIANT SUPER VOS.] Nihil melius significare potest horrorem, atque indignationem, quam verba hæc vivida adeo, & acri spiritu concitata. Quod autem tradidere quidam [9] montes hos, qui mira primum ubertate florebant, mox sterilitate effætos fuisse propter has imprecationes, inter fabulas recense. Liquet enim illos, quemadmodum alios finitimos, vel uberes esse, vel steriles pro soli natura, ac apricitate. Generatim tractus ille terrarum regionis . . . illius

1 Serar. Sanct. Mart. 2 Vatabl. Munst. Jun. Cornel. Menoch. Est.
3 Καὶ εἶπε τοῦ διδάξαι τοὺς υἱοὺς Ἰούδα. Ἰδοὺ γέγραπται ἐπὶ Βιβλίου τοῦ Εὐθοῦς.
4 Vide Josue 10. 13. 5 Vide tom. 1. nov. Edit. S. Hieron. p. 365.
6 הצבי ישראל על במותיך חלל איך נפלו גבורים. 7 Καὶ εἶπεν, ἀκρίβασαι Ἰσραὴλ ὑπὲρ τῶν τεθνηκότων σοῦ τραυματιῶν πῶς ἔπεσον δυνατοί. 8 Στήλωσον Ἰσραὴλ ὑπὲρ τῶν τεθνηκότων ἐπὶ τὰ ὕψη σου τραυματιῶν· πῶς ἔπεσον δυνατοί. 9 Vide Raban. & Gloss. ordin.

illius uberrimus esse perhibetur. Vide Brochardum, Jacobum de Vitriaco, Menochium.

Neque sint agri primitiarum.] Colles illi excolebantur, ferebantque fructus, uvas, olivasque. Nullos umquam tellus hæc fructos edat, neque, si quos illa tulerit, Domino umquam offerantur. Alius quoque sensus Hebraico totius hujus versiculi textui tribui potest [1]: *Montes Gelboe nec ros, nec pluvia decidant super vos; neque super vos, o agri excelsi*. At Vulgatæ sensus præstat, quem Septuaginta etiam sequuntur.

Quia ibi abjectus est clypeus fortium, clypeus Saul, quasi non esset unctus oleo.] David non exprobrat Saulem, quod abjecisset, ac reliquisset clypeum suum; hoc enim armorum genus emittere militi erat turpissimum; at deflet Regis infortunium, qui clypeum suum in Philisthinorum manu reliquerat; hoc enim illius amicis doloris erat argumentum. Scutum relinquere apud Germanos veteres summum habebatur nefas, & cuicumque ea contigisset calamitas, interdictum erat, vel in populi cœtu interesse, vel sacris assistere. Tacitus de Morib. German. *Scutum reliquisse præcipuum flagitium; nec sacris adesse, aut concilium inire ignominioso fas*. Mulier Lacædemonia filio suo in bellum proficiscenti clypeum tradens hæc ajebat: *Aut cum hoc, aut in hoc*; scilicet ad me cum hoc clypeo revertere, vel super hoc te vita functum efferant; hæc enim erat consuetudo super scutum referendi eos, qui in prœlio ciciderant. Virgilius Æneid. 10.

. . . . At socii multo gemitu, lacrymisque
Impositum scuto referunt Pallanta frequentes.

Nonnulli ita reddunt [2]: *quia ibi abjectus est clypeus fortium, clypeus Saul, quasi* clypeus hic *non esset unctus oleo*. Liquet olim clypeos inungi consuevisse, cum pellibus obtegerentur [3]; verum hæc animadversio hoc in loco satis exilis est. David majoribus, majorique attentione dignis, oratione extollendis operam navat. *Esse unctus oleo*, est circumlocutio, quæ Regem significat. Tristius erat, ac turpius Regis parmulam, quam simplicis cujusdam militis, in hostium manus cecidisse; quod ipsum David innuere vult. Denique probe etiam hoc pacto intellexeris: *clypeus fortium, Saul, qui est hic clypeus, perinde ac non esset unctus oleo sancto*. Reges nonnumquam clypei vocantur, præsidium, ac populorum suorum defensio. Vide Psalm. 46. 9. Oseam 4. 18.

℣. 22. A sanguine interfectorum, et ab adipe fortium, sagitta Jonathæ numquam rediit retrorsum.] Hoc est semper mortuorum sanguine imbuta fuit, ac fortiorum cæde infecta. *Adeps fortium* delectos militum significare posset; *adeps* quandoque usurpatur, pro eo, quod quacumque in re melius est, ita adeps frumenti dicitur [4], adeps terræ; verum ego intelligere malim de partium nobilium visceribus, quæ Jonathæ spicula perfodiebant, & in quorum abditissimos recessus pervadebant.

Gladius Saul non est reversus inanis.] Ille terrorem intulit, & necem, ubicumque gladium distrinxit; non frustra auras diverberavit. Virgilius Æneid. 12. v. 50.

Et nos tela, pater, ferrumque haud debile dextra
Spargimus, & nostro sequitur de vulnere sanguis.

℣. 23. Decori in vita sua, in morte quoque non sunt divisi.] David hic celebrat sanctissimum fœderis vinculum Jonathæ cum patre ipsius, ut amici virtutem altius extollat. Jonathas æque & boni filii, & fidelis amici munere functus est, quin alterum alteri officeret; præstitit quidem patri, quod debebat, officium, quin injustitiæ illius erga David particeps fieret, & fideliter Davidi adhæsit, quin pro illo patri suo adversaretur. In iis, quæ pro amico patravit, animi sui studia secutus est; patri vero ea non denegavit, quæ ab ipso ratio, ac natura exposcebant. Hebraicus textus ita verti potest [5]: *Saul, & Jonathas amici, & gratiosi in vita sua, in morte quoque non sunt divisi*. Naturalis antithesis, quam versio hæc inter utrumque membrum efficit, ad hanc me potius inflectit.

℣. 24. Qui vestiebat vos coccino in deliciis.] Hebraice [6]: *Qui induebat vos schani cum deliciis*. In Exodo 25. 4. ostendimus *schani* vermiculum fuisse, quo coccineo colore vestes inficiebantur. Saul victoriis, quas referebat, ac rerum omnium affluentia, divitiisque, quas in regionem inducebat, virginibus quoque Israel commodiorem comparabat osum nobilium, ac ditissimarum vestium. David sedulo operis sui characterem semper tuetur. Milites quidem urget per ea, quæ ipsis sunt propria, e virginibus vero lacrymas elicit per ea, quæ ab ipsis in deliciis sunt habita, ac muliebrem mundum constituunt.

℣. 25. Amabilis super amorem mulierum.] Majore tui amore flagro, quam quo amatores amicas suas deperennt: vel, quam quo mulieres, & viros, & filios suos prosequuntur. Hebraicus textus [7]; & Septuaginta: *Amor tuus mihi admirabilior est, quam amor mulierum*. Chaldæus; *mihi admirabilior est præ duorum conjugum amore*. Eo magis afficior, pluris facio, amor, quo me complecteris, me rapit, me extra me transfert: ad illum animi aciem advertere nequeo, quin animum admirer tuum.

Sicut mater unicum amat filium suum, ita ego te diligebam.] Hæc est explicatio eorum, quæ præcesserunt, quæ tamen neque in Hebraico textu, neque in Græco Septuaginta, neque in S. Hieronymi versione invenitur.

Quicumque in Saulem intendit oculos fidei, intuetur in ipso horrendum sane justitiæ Divinæ exemplum, atque explicitam Judaicæ reprobationis imaginem. Saul a Deo electus, ut populo ipsius præsideretur, a Propheta sacro delibutus oleo, ipse quoque identidem Dei spiritu, ac Prophetiæ munere afflatus, ob tot relatas de hoste victorias gloriosus, nihilominus a Deo derelinquitur, inque omnia proruit flagitia, quæ animus ambitione elatus, superbia, & credulitate potest comminisci: Davidem ipsum de se perquam optime meritum, generum suum, Israelis propugnaculum, hostiumque terrorem persequitur, ac eo usque persequitur, ut universum Israel contra illum in arma cogat, ac manu propria illi necem inferre conetur. Nonne iis in omnibus quædam eorum apparent vestigia, quæ Judæis Jesu Christi ævo contigere? Populus hic a Deo electus, summisque illius muneribus cumulatus super quemvis alium terrarum populum, per Prophetas edoctus, divinorum mysteriorum depositarius, atque ob tot tantaque præclara dona insignis, demum inobedientia, ac ambitione sua a Deo reprobari, ac derelinqui meretur. Jesus Christus, qui in Davide exhibetur, vix inter illos versatur, cum virtutum, miraculorumque ipsius fulgor eorum ciet simul, & invidiam, & admirationem; ea vero acti animi ægritudine Divinum hunc hominem pertinaci nequitia insectantur, nec ante desistunt, quam de cruce pendentem intueantur. Atque sicuti pace frui, & summam votorum obtinuisse arbitrabatur Saul, cum Davidem adegit, ut patria relicta solum verteret, atque apud exteros confugeret; ita Judæi Jesum Christum morti traditum, ac discipulos illius palatos, dispersosque videntes, minime amplius veriri sunt, ne eorum

1 הרי הגלבע אל טל ואל מטר עליכם ושדי תרומות. 2 Vide Rabb. Salom. Munst. Vatabl. Pisc. 3 Vide Isai. 21. 5. 4 Psalm. 80. 17. 147. 14. 5 שאול ויהונתן הנאהבים והנעימים בחייהם ובמותם לא נפרדו. 70. Ἀγαπημένοι, καὶ ὡραῖοι, οἱ διακεχωρισμένοι ἐν τῇ ζωῇ αὐτῶν, καὶ ἐν τῷ θανάτῳ αὐτῶν οὐ διεχωρίσθησαν. 6 המלבשכם שני עם עדנים
7 נפלאתה אהבתך לי מאהבת נשים. 70. Ἐθαυμαστώθη ἡ ἀγάπησίς σου ἐμοὶ ὑπὲρ ἀγάπησιν γυναικῶν.

Respublica, & Religio collabesieret; qui sane eorum fuit error, eritque æterna ipsorum pernicies, ac desperatio. Romani divinitus adsunt, ut de illorum scelere pœnam exposcant, Templum diruunt, nationem dissipant, & miseras illius reliquias in miserrimam redigunt conditionem, quo nullus umquam populus redactus fuit. David in exilio suo Rex fit; Saul persecutor illius a Deo, ac subditis suis derelictus, sibi necem consciscere cogitur, ac posteri illius ad Davidis clementiam confugere tenentur.

Omnia fere, quæ nobis vetus exhibet Testamentum, duplici adspectu videri possunt, quorum alter ad vetus, alter ad novum fœdus refertur; alter quidem Jesum Christum, alter vero Judæos repræsentat. Saul, quamquam præsertim Synagogæ reprobatæ typus esse videatur, quadam tamen præsefert cum Jesu Christo similitudinis lineamenta. Hæc autem sedula cura Venerabilis Beda lib. 2. in Samuel cap 3. collegit. Saul a patre ad quærendas asinas missus, Rex nationis suæ designatur; Jesus Christus in terras dilapsus, ut homines, qui errore, & scelere perierant, quæreret, ac redimeret, a Deo recipit Nationum omnium imperium, ex quibus suam Ecclesiam construit. Saul in populo præcæteris toto vertice sublimior existit; Jesus Christus infinite super hominum filios, quorum naturam sumserat, elevatur. Denique Saul modestiæ ergo delitescens, cum, ut ad Regnum eveheretur, perquirebatur, exhibet Redemptorem, qui latebras quærit, cum Judæi illi

A Regnum deferre volunt Joan. 6. 15. ac ex eorum aspectu dilabitur, quia Regnum ipsius non erat de hoc mundo Joan. 18. 36.

Jonathæ comitas, facilesque mores, omnium, quibus notus est, amorem sibi conciliant: nihil amicitia, qua Davidem prosequebatur, generosius, constantius, fidelius, ardentius, integriusve potest excogitari. Nullius præter illum magis intererat Davidis excidium, qui Regni aderat competitor; & cujus gloria, & incolumitas sane erat necessaria Jonathæ depressio, atque pernicies. Attamen vix Davidis virtutem agnovit, ut cum ipso intemerandum amicitiæ fœdus inierit; atque simulac illum a Deo ad Regnum deposci cognoscit, omnem ipse spem dejicit, ne lapidem quidem movet, ut æmulum de gra-
B do deturbet; & res tanta, tantique momenti, quanta regnum est, ne minimum quidem de illius amore erga Davidem imminuit. Neque inde factum putes, quod Jonathæ animus, virtus, cæteræque Principis dignæ dotes decssent; cum enim hæc maxime emicarent, magis adhuc tamen in eo justitia, ac religio effulgebat. Neminem hoc gratiosiorem, neminem officiosiorem inveneris; noverat ille perfecte ea omnia præstare, quæ patriæ, quæ patri, quæ amico, quæ Religioni deberet. Grotius in 1. Reg. 14. 1. hunc Germanico confert; illius fortitudinem, comitatem, facilitatemque præseferebat omni ambitione procul, quæ sæpius summos viros in nequissima scelera præcipites egit.

CAPUT II.

David Dominum consulit, a quo venire in Hebron jubetur, ubi Rex Juda consecratur. Isboseth ab aliis Israel tribubus Rex excipitur. Prælium inter exercitus David, cui præest Joab, & Isboseth duce Abner. Moritur Asael.

1. IGitur post hæc consuluit David Dominum, dicens: Num ascendam in unam de civitatibus Juda? Et ait Dominus ad eum: Ascende. Dixitque David: Quo ascendam? Et respondit ei: in Hebron. 2 Ascendit ergo David, & duæ uxores ejus, Achinoam Jezraelites, & Abigail uxor Nabal Carmeli: 3 Sed & viros, qui erant cum eo, duxit David singulos cum domo sua: & manserunt in oppidis Hebron: 4 Veneruntque viri Juda, & unxerunt ibi David, ut regnaret super domum Juda. Et nuntiatum est David, quod viri Jabes Galaad sepelissent Saul. 5 Misit ergo David nuntios ad viros Jabes Galaad, dixitque ad eos: Benedicti vos a Domino, qui fecistis misericordiam hanc cum domino vestro Saul, & sepelistis eum. 6 Et nunc retribuet vobis quidem Dominus misericordiam, & veritatem: sed & ego reddam gratiam, eo quod fecistis verbum istud. 7 Confortentur manus vestræ, & estote filii fortitudinis: licet enim mortuus sit dominus vester Saul, tamen me unxit domus Juda in regem sibi. 8 Abner autem filius Ner, princeps exercitus Saul, tulit Isboseth filium Saul, & circumduxit eum per castra, 9 Regemque constituit super Galaad, & super Gessuri, & super Jezrael, & super Ephraim, & super Beniamin, & super Israel universum. 10 Quadraginta annorum erat Isboseth filius Saul, cum regnare cœpisset super Israel, & duobus annis regnavit: sola autem domus Juda sequebatur David. 11 Et fuit numerus dierum, quos commoratus est David, imperans in Hebron super domum Juda, septem annorum, & sex mensium. 12 Egressusque est Abner filius Ner, & pueri Isboseth filii Saul, de castris in Gabaon. 13 Porro Joab filius Sarviæ, & pueri David egressi sunt, & occurrerunt eis juxta piscinam Gabaon. Et cum in unum convenissent, e regione sederunt: hi ex una parte piscinæ: & illi ex altera. 14 Dixitque Abner ad Joab: Surgant pueri, & ludant coram nobis: Et respondit Joab: Surgant. 15 Surrexerunt ergo, & transierunt numero duodecim de Beniamin, ex parte Isboseth filii Saul, & duode-

duodecim de pueris David. 16 Apprehensoque unusquisque capite comparis sui
defixit gladium in latus contrarii, & ceciderunt simul : vocatumque est nomen loci
illius : Ager robustorum, in Gabaon. 17 Et ortum est bellum durum satis in die
illa : fugatusque est Abner, & viri Israel, a pueris David. 18 Erant autem ibi tres
filii Sarviæ, Joab, & Abisai, & Asael : porro Asael cursor velocissimus fuit, quasi
unus de capreis, quæ morantur in silvis. 19 Persequebatur autem Asael Abner: &
non declinavit ad dexteram, neque ad sinistram omittens persequi Abner. 20 Respexit
itaque Abner post tergum suum, & ait : Tune es Asael ? Qui respondit: Ego
sum. 21 Dixitque ei Abner : Vade ad dexteram, sive ad sinistram, & apprehende
unum de adolescentibus, & tolle tibi spolia ejus. Noluit autem Asael omittere,
quin urgeret eum. 22 Rursumque locutus est Abner ad Asael : Recede, noli me
sequi, ne compellar confodere te in terram, & levare non potero faciem meam ad
Joab fratrem tuum. 23 Qui audire contempsit, & noluit declinare : percussit ergo
eum Abner aversa hasta in inguine, & transfodit, & mortuus est in eodem loco :
omnesque, qui transibant per locum illum, in quo ceciderat Asael, & mortuus erat,
subsistebant. 24 Persequentibus autem Joab, & Abisai fugientem Abner, sol
occubuit : & venerunt usque ad collem aquæductus, qui est ex adverso vallis itineris
deserti in Gabaon. 25 Congregatique sunt filii Beniamin ad Abner : & conglobati
in unum cuneum, steterunt in summitate tumuli unius. 26 Et exclamavit
Abner ad Joab, & ait : Num usque ad internecionem tuus mucro desæviet ? an
ignoras, quod periculosa sit desperatio ? usquequo non dicis populo, ut omittat
persequi fratres suos ? 27 Et ait Joab : Vivit Dominus, si locutus fuisses, mane
recessisset populus persequens fratrem suum. 28 Insonuit ergo Joab buccina, & stetit
omnis exercitus, nec persecuti sunt ultra Israel, neque iniere certamen. 29 Abner
autem, & viri ejus abierunt per campestria tota nocte illa : & transierunt Jordanem,
& lustrata omni Bethoron venerunt ad castra. 30 Porro Joab reversus, omisso
Abner, congregavit omnem populum : & defuerunt de pueris David decem,
& novem viri, excepto Asaele. 31 Servi autem David percusserunt de Beniamin,
& de viris, qui erant cum Abner, trecentos sexaginta, qui & mortui sunt. 32
Tuleruntque Asael, & sepelierunt eum in sepulchro patris sui in Bethlehem : &
ambulaverunt tota nocte Joab, & viri, qui erant cum eo, & in ipso crepusculo
pervenerunt in Hebron.

℣. 1. NUM ASCENDAM IN UNAM DE CIVITATIBUS JUDA ?] Post Saulis obitum David censuit tempus adesse eorum, quæ ipsi promissa fuerant, sibique omnes nervos esse intendendos, ut suo ad Sceptrum Juda uteretur jure, eos præoccupans, qui cum ipso peterent regnum, ac in partes suas primum contribules suos, mox vero cæteras tribus alliceret Israel. Deus, qui illum Regem populi sui elegerat, neque tempus, neque viam illi revelaverat, per quæ id fieri deberet : confidentia, qua ille Domini promissiones exceperat, haud lentior effectus est. sed credidit, Providentiæ consiliis sibi esse cooperandum ; verumtamen nihil umquam aggressus est Domino per Ephod, quo Abiathar indutus erat, inconsulto.

IN HEBRON.] Hebron tunc erat munitissima, & maximi momenti præ aliis omnibus Tribus Juda civitatibus ; in Tribus illius veluti umbilico sita erat ; in Jerusalem Jebusæi adhuc dominabantur.

℣. 3. MANSERUNT IN OPPIDIS HEBRON ;] In locis nempe, qui civitati Hebron erant subjecti.

℣. 4. VENERUNT VIRI JUDA, & UNXERUNT IBI DAVID.] Viri Juda Tribus alias prævertерunt, optaveruntque sibi David Regem, quod civilis belli originem præbuit partes inter Isboseth, & David. Omnia Davidis jura illegitimum Tribus hujus consilium probare nequeunt ; nisi hæc Davidem Regem salutarit, postquam cæteræ tribus elegissent Isboseth, quod ex historia non liquet. Populi totius consensus expectandus erat, ut illum consecrarent, cui Deus universum populi sui imperium spoponderat. Quicumque rei hujus eventus fuerit, fatendum est, pernicioso fuisse in Rebuspublicis exemplo. Cæterum

A nunc secundo Regia unctione David confirmatur. Ea, quam a Samuele acceperat, *jus ad regnum*, hac vero *jus in regno* illi collatum fuit.

NUNTIATUM EST DAVID, QUOD VIRI JABES SEPELISSENT SAUL.] Forte hoc illi nuntium allatum est eo animo, ac mente eadem, quæ Amalecitam induxerat, ut ipsum Davidem remuneraturum arbitraretur, eo quod Saulem interfecisset : vel David sciscitatus est, quid factum fuisset de corporibus Saulis, & Jonathæ, ut illorum manibus justa persolveret. Se autem debere id censuit, & Sauli propter dignitatem, & Jonathæ propter amicitiam.

℣. 6. RETRIBUET VOBIS DOMINUS MISERICORDIAM, & VERITATEM.] Hoc est ; Dominus vos remunerabitur pro sua misericordia, & veritate ; Vel, retribuet vo-
B bis ob misericordiam, & veritatem, quam erga Regem vestrum exercuistis ; qui sensus ad litteram videtur magis accedere. Deus vobis referet paria propter fidele, & constans officium, justamque gratitudinem, quam Saoli præstitistis *Misericordiam, & veritatem*, hoc est, verum, & reale benefactum ; vel generatim fidele muneris sui complementum. Vide similes loquendi rationes Genes. c. 24. 27. 49. ; c. 47. 29. Josue 2. 14. 2. Reg. 15. 20. &c.

ET EGO REDDAM GRATIAM ;] vel etiam nunc reddo, hanc ad vos mittens legationem. Ita Ludovicus de Dieu.

℣. 7. ME UNXIT DOMUS JUDA IN REGEM SIBI.] Si viri Jabes jam agnovissent Isboseth in Regem, David proculdubio non loqueretur ad illos hoc pa-
C cto. Igitur simulac Rex fuit unctus in Hebron, ad Jabitas legatos misit, qui isthæc afferrent. Conatur autem illos in suas partes pellicere, ratus futurum

us, si illi, qui præ cæteris domui Saulis adhæserant, A voluissent tandem ipsum in Regem assumere, reliqui trans Jordanem Israelitæ in ipsorum exemplum facile abirent. Aa hæc Davidis præcautio in irritum cessit; etenim io Mahanaim, oon procul a Jabes, Isboseth regni sui sedem constituit, & Jabitæ primi fotte fuerunt, qui illius imperium non detrectarunt.

℣. 8. ABNER CIRCUMDUXIT EUM PER CASTRA.] Abner, Dux copiarum Saul [1], assueverat imperio; quapropter noluit Davidem Regem agnoscere; atque in rem suam probe vettere novit reliquarum tribuum indignationem, quæ in tribum Juda exarserant, quæ ona Davidem sibi Regem elegerat. Abner autem nomine Isboseth exercebat imperia; qoi (neque enim virtute ulla, quæ Regem apprime decet, præditus videtur fuisse) ab nutu Abner pendebat. Hic B illum in castra deduxit, cumque populo universo ostendisset, Isboseth Regem acclamaverunt, atque ad Regni sedem evexere.

Interpretum plerique [2] isthic Hebraicum textum reddunt [3]: *Accepit Isboseth, ac traduxit illum in Mahanaim*. Mahanaim urbs erat trans Jordanem posita, prope torrentem JabocK. Videras quidem Abner, Philisthiim citra hunc fluvium nimium viribus præpollere; neque in re futurum censebat, si ipsis Regni primordiis difficili adeo bello Isboseth impediretur. Hunc igisur in Mahanaim deduxit, Regemque tribuum trans Jordanem constituit. Benefacta, quibus Saul olim de viris Jabes Galaad adversus Ammonitarum Regem, cæterisque regionis illius Israelitis in eo bello, quod Regi Moab intulit, su- C binde perquam bene meritus fuerat, eorum fidem, officiumque erga domum ipsius; conciliaverant. Versiculus 29. hujus capitis palam huic sententiæ suffragari videtur. Abner eum Gabaon usque eum exercitu accessisset, repulsus fuis a Joab duce exercitus David, atque coactus fuit iterum Jordanem transmittere, ut io Mahanaim, unde profectus fuerat, reverteretur.

℣. 9. SOPER GALAAD, & SUPER GESSURI.] Galaad sæpius pro tora trans Jordanem regione usurpatur; quod plane hic etiam significatur. Gessuri regio haud erat io Israelitarum ditione. Duplex terra Gessur invenitur; altera de qua superius fuit sermo, ad Palæstinæ meridiem posita [4], inter Israelitarum regionem, ac Ægyptum; trans Jordanem altera pro- D pe montei Hermoo [5]; quæ posterior Syriæ oonnumquam tribuitur [6]; illius enim eras finitima. David uxorem duxit filiam Regis Gessur, quæ genuis Absalonem 2. Reg. 3. 3. De bac profecto regione Gessur isthic est sermo. Rex Tholmai forte vectigal pendebat Regi Isboseth; quamobrem fotsasse, ut illum ab Isboseth fœdere abstraheret, Regis hujus filiam David uxorem duxit [7].

Pro *Gessuri* Hebraice habetur [8] *Assuri*, quam alii [9] esse putant regionem tribus Aser, quæ maximam ioter Terræ Sanctæ boreales plagas partem occupabat; alii vero Assuriorum regionem fuisse credunt, de qoibus in Genesi sermo fuit [10], & qui Arabiam desertam incolebant. Septuagiota legunt A- E seri, vel Thasiri [11].

JEZRAEL.] Significat plane vallem omnem eogoominem, ac finitimas civitatis.

ET SUPER ISRAEL UNIVERSUM.] Noo statim adeo fortasse uoiversus Israel paruit Isboseth; at Abner invenit tandem viam, qua illi omnes tribus, excepta tribu Juda subjiceret. Interim Philistiim victoriæ partæ fructu lætabantur, ac plures Israelis orbes possidebant: quapropter Isboseth minime optimum factu est arbitratus imperii sedem citra Jordanem statuere.

℣. 10. DUOBUS ANNIS REGNAVIT.] Quomodonam istud cum Historia conciliari potest, quæ refert, Isboseth tandiu regnasse, quamdiu David permansit in Hebroo? qui cum ibi septem cum dimidio annos regnaverit, sequitur iode, & Isboseth totidem annos regnasse. At respondemus, Isboseth, biennio regnasse in Mahanaim, eum nondum inter ipsum, ac David bellum exarsisset; tertio autem anno Aboer Jordanem traduxisse, atque armata manu contra Davidem in Gabaoo usque venisse. Hæc ea est bujus expedisionis, quam isthic Scriptura enarrat, Epocha, noo autem illa annorum, quibus regnavit Isboseth. Ita Estius, Serarius, Tirious, Mart. Menoch. Corocl. Piscat. Vatabl.

℣. 12. EGRESSUS EST . . . . DE CASTRIS IN GABAON.] Vel potius egressus est de Mahanaim, & transmisis Jordanem, ut veniret in Gabaon. Urbs hæc erat e tribu Benjamin ad duas leucas, vel circites procul ab Jerusalem.

℣. 14. SURGANT PUERI, & LUDANT CORAM NOBIS.] Nondum ferox sæviebat bellum inter Isboseth, ac David. Abner, & Joab ultro citroque mutuis certabaot officiis. Joab simpliciter obsistere adnitebatur, ne Abner in eas terras, quæ Davidi parebant, irrueret. Uterque exercitus juxta veterem populorum illorum consuetudinem, quam supra 1. Reg. 17. 48. adnotavimus, prope consedit. Abner proponit Joab militare spectaculum, nempe quorumdam militum utrimque ex exercitu delectorum velitationem. Hoc autem certamen ludum appellat; C nam profecto istud posius umbratile quodam spectaculum erat, (saltem juxta primam illorum mentem) quam serium, ordinatumque certamen. Militum virtutem vicissim experiri voluerunt, ne illoc accessisse, ut se mutuo respicereot, dicereotur. Strenui hi viri totis viribus pugnam subiere, atque ultro citroque vuloera, necemque iotulere. As hoc ipsum nihil a ludo abhorrere ii censebant, qui sanguini, cædiousque assueverant. Majora gladiatorum edita fuere spectacula, quæ diu Quiritum præcipui ludi fuere.

℣. 16. APPREHENSO UNUSQUISQUE CAPITE COMPARIS SUI, DEFIXIT GLADIUM IN LATUS.] Milites hi, ut videtur, nec galea, neque lorica protegeban- D tur, sed leviter erant armati. Ii statim comam arripuerunt, gladiumque mutuo quisque in adversarii sui corpus defixere, ita ut simul omnes interirent. Nonnulli putaot [12] milites omnes ex partibus Abner fuisse confossos, quio ne unus quidem caderet ex partibus Joab; qui sensus equidem authographo textui tribui potest: *Descenderunt in prælium duodecim viri ex parte Isboseth, & duodecim de pueris David* [13]. *Atque hi* (scilicet Joabitæ) *unusquisque adversarii sui capite apprehenso, defixit gladium in latus antagonistæ sui, & ceciderunt simul*. At sensus, quem post Vulgatam, melioreque notæ Interpretes, secuti sumus, æquior est.

AGER ROBUSTORUM.] Hebræus [14]: *Hæreditas robustorum*; vel *lubricus lapidum locus in Gabaon*. Lapides, quos secum attulit in pera David, ut cum Gi- E gante confligeret, io textu eodem, quod hic adhibetur, nomine nuncupantur 1. Reg. 17. 40. Verti quoque posset: *Acies mucronum*, ad significandos gladiorum mucrones, jam exacutos, ac ad perfodiendum idoneos. Septuaginta [15]: *pars tendentium insidias*.

℣. 18. VELOCISSIMUS FUIT, QUASI UNUS DE CAPREIS.] Velocitas non erat minima in strenuo milite virtus. David Saulem, Jonathamque celebrans 2. Reg. 1. 23. ait ipsos fuisse *aquilis velociores, leonibus fortiores*. Homerus Achillem suum crebro celerem

1 1. Reg. 14. 50. 2 Jonath. Syr. Arab. Pagn. Munst. Jun. Pisc.
3 ויעבירהו מחנים 4 Vide 1. Reg. 27. 8. & Josue 13. 2. 5 Deuter. 3. 14. Josue 12. 5. & 13. 11.
6 Vide 2. Reg. 15. 8. & 1. Par. 2. 23. 7 Tirin. 8 האשורי
9 Ita Jonath. Jun. Pisc. 10 Vide Genes. 25. 3. 11 Edit. Romana Θασιρὶ.
12 Ita Raban. & Angelom. apud Cornel. Vide & Sanct. cui hic sensus non displicet.
13 ויחזיקו איש בראש רעהו וחרבו בצד רעהו ויפלו יחדיו 14 חלקת הצרים 15 Μερὶς τῶν ἐπιβούλων

rem cursu vocat; atque Veteribus Romanis curæ erat, ut tyrones quammaxime fieri posset cursu exercerentur.

℣. 21. APPREHENDE UNUM DE ADOLESCENTIBUS, & TOLLE TIBI SPOLIA EJUS.] Nisi recedere velis, quin prius aliquem ex hostibus perimas, ac illius exuviis insignis redeas, primum, qui tibi obvius miles erit, aggredere, illique spolia detrahe: at me persequi desine, ne sibi necem cogat inferre. Hebræi aliter explicant [1]: redi ad tuos; nolumus tibi manum inferre, quamquam sis in medio nostri. Si vereris, sume tibi militem, qui te comitetur; & si militi non te credis, accipe arma illius, eaque serva, donec te in tutum receperis. At Hebraicus textus ad litteram habet: *Apprehende unum de militibus, & tolle spolia ejus.*

B ℣. 22. LEVARE NON POTERO FACIEM MEAM AD JOAB.] Abner nolebat cum Joab inimicitias graves subire. Privata necessitudine erant conjuncti, quamvis publica necessitate essent semoti: poterant quidem ultro citroque bellum inferre, ac propulsare, quisque pro Rege suo, quin tamen inter ipsos odia sævirent.

℣. 23. PERCUSSIT EUM ABNER AVERSA HASTA.] Ajunt, ipsum percussisse non cum hastæ cuspide, sed cum altera extremitate, quam acutam, ferroque præfixam dicunt fuisse, non autem ferro adeo acuto, ac illud erat, quo vulnera infligebantur. Hebraicus textus huic favet explicationi [2]: *Percussit eum posteriori parte hastæ.*

C IN INGUINE.] Hebraice ad litteram [3]: *super quintam*; hoc est, ut credunt, costam, vel ubi costæ deficiunt ad stomachum; sub diaphragmate, in ima ventris regione, vel subter ventriculum, & jecur [4]. Septuaginta; in lumbis [5], vel in latere.

℣. 24. VENERUNT USQUE AD COLLEM AQUÆDUCTUS.] Hebraice: *venerunt ad collem Ama, qui est e regione Giah, secus viam deserti Gabaon.* Hoc desertum Gabaon nihil aliud erat, quam incultum solum, quod propter armentorum pabula, herbescere relinquebatur; neque enim est cur tibi animo fingas, quotiescumque de deserto sermo est, semper intelligi de sylvestri, invio, sterilique loco. Hebræi desertum vocant, quemvis inaratum locum; sed ubi arbores sylvescere, ac pabula virescere permittuntur.

℣. 26. NUM USQUE AD INTERNECIONEM TUUS MUCRO DESÆVIET.] Hebræus [6]: *Semperne gladius tuus devorabit?* Septuaginta [7]: *Gladius consumet ne, donec victoriam retuleris?* Hoccine apertum est bellum? usque ad integram internecionem grassaberis? Chaldæus [8]: *occidetne gladius usque ad separationem?* Nos trucidare cupis, penitusque delere?

AN IGNORAS, QUOD PERICULOSA SIT DESPERATIO.] Hebræus [9]: *An nescis* (gladium, vel bellum) *postremo amarum fore?* Nonne sentis rem hanc, quam per ludum incæpimus, in odium, irasque tandem esse abituram? Aliter: *Nescis, in finem venturam amaritudinem?* si me persequi perseveraveris, milites meos in agmen tuum exarsuros, neque nos amplius mali hujus compescendi compotes futuros? Vel; milites mei irritati animos recipient, atque furor, ac desperatio ad finem ea perducent, quæ tu longius nimis provexeris.

℣. 27. SI LOCUTUS FUISSES, MANE RECESSISSET POPULUS.] Hic sensus Hebraico textui tribui potest [10]; *Nisi locutus fuisses*, dicens, surgant pueri, & ludant coram nobis, *populus mane recessisset* [11]. Aliter: *Nisi locutus fuisses*, actum de te fuisset; sed si verbum dixisses, *jam diu populus recessisset* [12].

℣. 28. INSONUIT JOAB BUCCINA.] Receptui cecinit. Non erat inglorium Imperatori suo, vel tuba clangere, ut prælii, vel receptus signum ederet [13]. Hoc autem officium apud Hebræos Sacerdotibus passim conferebatur.

℣. 29. LUSTRATA OMNI BETHORON, VENERUNT AD CASTRA.] Vel potius transmisso Jordane rediit in Mahanaim, unde discesserat, ac ubi imperii sedem Isboseth obtinebat. Bethoron, de qua isthic sermo est, ea non est hujus nominis in Scripturis celebrata; sed tractus terræ Gabaon inter, & Jordanem. Hebraice legimus *Bithron* pro *Bethoron*. Novimus autem montes *Bether*, vel *Bither* [14]. Septuaginta legunt [15]: *planitiem*.

---

1 Vide Kimchi in Munst. Vatab. Mar. 2 ויכהו מאחרי החנית 70. Καὶ ἐπάταξεν αὐτὸν ἐν τῷ ὀπίσω τοῦ δόρατος. 3 אל החמש 4 Hebræi & Grot. Fuller. Miscell. 5 Ἐπὶ τὴν ψόαν. 6 הלנצח תאכל חרב 7 Μὴ εἰς νῖκος καταφάγεται ἡ ῥομφαία. 8 הלא פרש תקטול חרבא 9 הלא ידעת כי מרה תהיה באחרונה 70. Ὅτι πικρὰ ἔσται εἰς τὰ ἔσχατα. 10 כי לולא דברת כי אז מהבקר נעלה העם 11 Εἰ μὴ ἐλάλησας διότι τότε ἐκ πρωΐθεν ἀνέβη ὁ λαὸς ἕκαστος κατόπισθεν τοῦ ἀδελφοῦ αὐτοῦ. Ita Jonat. Mont. Munst. Jun. Glass. 12 Ludov. de Dieu. 13 Vide 1. Reg. 13. 3. & 2. Reg. 18. 16. & 20. 1. 14 Cant. 2. 17. Super montes Bether. 15 Τὴν παρατείνουσαν. כל הבתרון

CAPUT III.

Abner Regi Isboseth infensus, eo quod ab ipso correptus fuerat, a partibus illius in Davidis partes migrat. Hunc Joab interficit. David luctus ob mortem Abner.

1. Facta est ergo longa concertatio inter domum Saul, & inter domum David: David proficiscens, & semper se ipso robustior, domus autem Saul decrescens
quotidie. 2 Natique sunt filii David in Hebron, fuitque primogenitus ejus
Ammon de Achinoam Jezraelitide. 3 Et post eum Cheleab de Abigail uxore Nabal Carmeli: porro tertius Absalon, filius Maacha filiæ Tolmai regis Gessur. 4 Quartus autem Adonias, filius Haggith: & quintus Saphathia, filius Abital. 5 Sextus quoque
Jethraam, de Egla uxore David: hi nati sunt David in Hebron. 6 Cum ergo esset
prælium inter domum Saul, & domum David, Abner filius Ner regebat domum Saul.
7 Fuerat autem Sauli concubina nomine Respha, filia Aja. Dixitque Isboseth ad Abner: 8 Quare ingressus est ad concubinam patris mei? Qui iratus nimis propter verba

ba Isboseth ait: Numquid caput canis ego sum adversum Judam hodie, qui fecerim mi-
sericordiam super domum Saul patris tui, & super fratres, & proximos ejus, & non
tradidit te in manus David, & tu requisisti in me, quod argueres pro muliere hodie?
9 Hæc faciat Deus Abner, & hæc addat ei, nisi quomodo juravit Dominus David, sic
faciam cum eo, 10 Ut transferatur regnum de domo Saul, & elevetur thronus David
super Israel, & super Judam, a Dan, usque Bersabee. 11 Et non potuit respondere
ei quidquam, quia metuebat illum. 12 Misit ergo Abner nuntios ad David pro se di-
centes: Cujus est terra? Et ut loquerentur: Fac mecum amicitias, & erit manus mea
tecum, & reducam ad te universum Israel. 13 Qui ait: Optime: ego faciam tecum
amicitias: sed unam rem peto a te, dicens: Non videbis faciem meam, antequam ad-
duxeris Michol filiam Saul: & sic venies, & videbis me. 14 Misit autem David nun-
tios ad Isboseth filium Saul, dicens: Redde uxorem meam Michol, quam despondi mi-
hi centum præputiis Philisthiim. 15 Misit ergo Isboseth, & tulit eam a viro suo Phal-
tiel, filio Lais. 16 Sequebaturque eam vir suus, plorans usque Bahurim: & dixit ad
eum Abner: Vade, & revertere. Qui reversus est. 17 Sermonem quoque intulit Ab-
ner ad seniores Israel, dicens: Tam heri, quam nudiustertius quærebatis David, ut
regnaret super vos. 18 Nunc ergo facite: quoniam Dominus locutus est ad David,
dicens: In manu servi mei David salvabo populum meum Israel de manu Philisthiim,
& omnium inimicorum ejus. 19 Locutus est autem Abner etiam ad Benjamin. Et abiit
ut loqueretur ad David in Hebron, omnia, quæ placuerunt Israeli, & universo Benja-
min. 20 Venitque ad David in Hebron cum viginti viris: & fecit David Abner, &
viris ejus, qui venerunt cum eo convivium. 21 Et dixit Abner ad David: Surgam,
ut congregem ad te dominum meum regem omnem Israel, & ineam tecum fœdus, &
imperes omnibus, sicut desiderat anima tua. Cum ergo deduxisset David Abner, & ille
isset in pace, 22 Statim pueri David, & Joab venerunt, cæsis latronibus cum præda
magna nimis: Abner autem non erat cum David in Hebron, quia jam dimiserat eum,
& profectus fuerat in pace. 23 Et Joab, & omnis exercitus, qui erat cum eo,
postea venerunt: nuntiatum est itaque Joab a narrantibus: Venit Abner filius Ner
ad regem, & dimisit eum, & abiit in pace. 24 Et ingressus est Joab ad regem, &
ait: Quid fecisti? Ecce venit Abner ad te: quare dimisisti eum, & abiit, & recessit?
25 Ignoras Abner filium Ner, quoniam ad hoc venit ad te, ut deciperet te, & sciret
exitum tuum, & introitum tuum, & nosset omnia, quæ agis? 26 Egressus itaque Joab
a David, misit nuntios post Abner, & reduxit eum a cisterna Sira, ignorante David.
27 Cumque rediisset Abner in Hebron, seorsum adduxit eum Joab ad medium portæ,
ut loqueretur ei in dolo: & percussit illum ibi in inguine, & mortuus est in ultionem
sanguinis Asael fratris ejus. 28 Quod cum audisset David rem jam gestam, ait: Mun-
dus ego sum, & regnum meum, apud Dominum, usque in sempiternum, a sanguine
Abner filii Ner, 29 Et veniat super caput Joab, & super omnem domum patris ejus:
nec deficiat de domo Joab fluxum seminis sustinens, & leprosus, & tenens fusum, &
cadens gladio, & indigens pane. 30 Igitur Joab, & Abisai frater ejus interfecerunt
Abner, eo quod occidisset Asael fratrem eorum in Gabaon, in prælio. 31 Dixit autem
David ad Joab, & ad omnem populum, qui erat cum eo: Scindite vestimenta vestra,
& accingimini saccis, & plangite ante exequias Abner: porro rex David sequebatur
feretrum. 32 Cumque sepelissent Abner in Hebron, levavit rex David vocem suam,
& flevit super tumulum Abner, flevit autem & omnis populus. 33 Plangensque rex,
& lugens Abner, ait: Nequaquam ut mori solent ignavi, mortuus est Abner. 34 Ma-
nus tuæ ligatæ non sunt, & pedes tui non sunt compedibus aggravati: sed sicut solent
cadere coram filiis iniquitatis, sic corruisti. Congeminansque omnis populus flevit su-
per eum. 35 Cumque venisset universa multitudo cibum capere cum David, clara ad-
huc die juravit David, dicens: Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, si ante occasum
solis gustavero panem, vel aliud quidquam. 36 Omnisque populus audivit, & placue-
runt eis cuncta, quæ fecit rex in conspectu totius populi. 37 Et recognovit omne vul-
gus, & universus Israel in die illa, quoniam non actum fuisset a rege, ut occideretur
Abner filius Ner. 38 Dixit quoque rex ad servos suos: Num ignoratis, quoniam prin-
ceps, & maximus cecidit hodie in Israel? 39 Ego autem adhuc delicatus, & un-
ctus rex: porro viri isti filii Sarviæ duri sunt mihi: retribuat Dominus facienti malum
juxta malitiam suam.

℣. 1. FACTA EST LONGA CONCERTATIO INTER DOMUM SAUL, ET INTER DOMUM DAVID.] Post secundum annum regni Isboseth ad septimum usque, quo ipse e vivis excessit, nonnumquam dimicatum est inter utramque partem virorum, qui Israelis regnum consequi cupiebant. Scriptura isthic [1], & alibi [2] eo loquitur pacto, ut sæpius manus consertæ fuisse videantur: at nullam horum bellorum exhibet circumstantiam.

℣. 2. NATI SUNT FILII DAVID IN HEBRON.] Hoc probat, quæ supra dicta sunt, scilicet Davidis domum quotidie magis convaluisse. Augebatur illa sensim, prout Davidis apud populum existimatio increbescebat; at præsertim confirmabatur propter filiorum numerum, quos illi largitus est Deus. *Non legiones, non classes, æque firma imperii munimenta, quam numerus liberorum*, inquit Tacitus Histor. l. 5. apud Grotium.

℣. 3. CHELEAB.] Aliter Daniel 1. Paralipomen. 3. 1. Septuaginta: *Dalnia*. Alii Græci Interpretes: *Abia*.

ABSALOM, FILIUS MAACHA, FILIÆ THOLMAI REGIS GESSUR.] Creditur Tholmai Rex esse regionis Gessur in finibus Syriæ, Damascum versus. David plane iis omnibus paruit, quæ Lex præcipiebat quoad externas uxores; Maacham tum demum duxit, cum jam Religioni Judaicæ fuisset initiata. Scriptura perquam raro minuta adeo persequitur.

℣. 5. EGLA.] Nomen hoc *vitulam* significat. Hebræi apud Lyranum hanc eamdem esse ajunt, ac Michol Saulis filiam: sed Michol nullum genuit filium; Egla vero peperit Jetraam. Denique Sacer Historicus de Michol palam loquitur infra ℣. 13. 14.

℣. 7. QUARE INGRESSUS ES AD CONCUBINAM PATRIS MEI.] Nonnulli putant, Isboseth simplici suspicione, nullo vero satis valido argumento adactum isthæc Abner exprobrasse. Sed cum Abner haud negaverit factum, fidei pronius est, ipsum crimine fuisse convictum. Quodnam tunc temporis esset judicium de viro, qui defuncti Regis viduam duxisset; satis innotescit. Adonias, eum per Bethsabeam Salomonis matrem petere ausus fuisset Abisag, minimum hæsit Salomon, quin illum, licet proprium fratrem, de medio tolli juberet 1. Reg. 2. 21. 22. Dicet quispiam hoc fuisse factum, quod Adonias regnum adfectaret, cui si Abisag tradita fuisset, Salomon aditum illi aperuisset, ut se sublato, ille ad regium apicem perveniret. Verum hæc generalis erat consuetudo non apud Hebræos tantum [3], verum etiam apud alios populos, ut Regis vidua nemini privato nuberet. Hoc enim regnum appetere fuisset, ac Regis ipsius actu regnantis se competitorem profiteri. Vide, quæ dicentur infra cap. 12. 8.

NUMQUID CAPUT CANIS EGO SUM ADVERSUS JUDAM HODIE?] Numquid adeo despectus sum, ut habear hodie, velut canis, ego, qui bellum indixi adversus Judam? Ad literam: *sum ego caput canis*, vel caput canum adversus Judam [4]? Num meritus sum, ut haberer velut calamitosus quidam, & servus, qui canum est custos? Aliter: Ostendam brevi, an sim Dux exercitus, an caput canum hodie adversus Judam, & an vires meas cum David adversus te conferens habitus fuero ab hostibus tuis velut infelix homo, ac nullus, & qui isthæc sibi objicienda mereatur. Agnoscetur hodie, an tibi inutilis fuerim adversus Judam, atque an apud te præclara beneficia posuerim; an canis sim, immundum animal, atque despectum. Hebraice [5]: *Numquid caput canis ego sum, ego, qui hodie feci misericordiam domui Saul adversus Judam*. Vel aliter: *Numquid sum canis Judæ ego, qui hodie misericordiam feci domui tuæ?* Caput canis sumi potest pro cane, non secus ac dicimus viginti hominum capita, vel boum, pro viginti hominibus, vel bobus. Canis in Scriptura pro animantium vilissimo usurpatur [6]; & canem hostium nostrorum magis adhuc despicimus, atque horremus. Ita, *Numquid caput canis Juda ego sum?* significat; *Numquid canis sum hostis tui*; ut me hoc pacto lacessas? Septuaginta [7] non legerunt *Judam* isthic: *Numquid caput canis ego sum? & feci misericordiam erga domum Saulis patris tui*. Nec desunt, qui Hebraicum textum reddere mallent: *Numquid caput canis ego sum, ut hodie abjiciar* [8]?

℣. 11. ET NON POTUIT RESPONDERE EI.] Non tanta Regi authoritas erat, ut Ducis sui impotentiam coerceret, ac scelus puniret. Tacitus de Othone locutus in lib. 1. Hist. *Nondum authoritas inerat ad prohibendum scelus*.

℣. 12. MISIT NUNTIOS PRO SE.] Hebraicus textus [9] verti posset: misit nuntios *illico* [10]; vel *ex loco, ubi erat* [11], vel *clam* [12]. Ex decursu satis patet omnia, quæ acta, transactaque sunt inter Abner, ac David, secreto fuisse peracta.

℣. 13. FACIAM TECUM AMICITIAS.] Poterat ne David proditorem Regis sui excipere, atque cum ipso fœdus inire? Abner quidem artibus ingenuo viro minime dignis utebatur; David ipse plane haud ignorabat, quapropter dux ille regi suo esset infensus, illique aditum aperiebat, ut quam proditionem molitus fuerat, opere compleret. Hæc fieri ne licet? Respondemus, Abner numquam excusari potuisse, eo quod constituisset Isboseth Regem super Israel, quippe qui noverat, Deum Davidi regnum fuisse pollicitum; quamobrem illi accepta ea omnia mala sunt referenda, quæ ex civili bello inter domum Saulis, ac David orta fuere; ipsum quoque nocentissimum fuisse, eo quod Regem Isboseth prodidit; at nullæ erat iis omnibus in rebus Davidis pars. Regnum ad hunc pertinebat; utiturque jure suo, illud etiam de scelestissimi viri manu accipiens, cujus non ideo vel scelus, vel proditionem probat: verum haud nefas illi erat, opera proditoris uti, illumque honore, ac benevolentia prosequi propter utilitatem, quam ipse hauriebat, ac propter naturales quasdam, vel politicas virtutes, quas in ipso poterat admirari.

ANTEQUAM ADDUXERIS MICHOL.] Hebraicus textus ad litteram: *nisi coram me adduxeris Michol*. Nisi tu ipse eam ad me reduxeris. David plane eos, qui studio, ac benevolentia domui Saulis adhæserant, credidit facilius David Regem suum habituros, si Regis illius filiam uxorem sibi adjunxisset. Gener Regis minus a Regia familia est alienus. Lege quidem cautum erat Deuteron. 24. 4. ne quis, quam repudiasset uxorem, quæ alteri viro nupsisset, eam repeteret: at David numquam repudiaverat Michol.

℣. 14. MISIT AD ISBOSETH . . . . DICENS: REDDE UXOREM MEAM MICHOL.] David tueri vult existimationem Abner, illi offerens occasionem, qua ad ipsum posset accedere, deducens illi Michol; atque occupat Ducis hujus violenta consilia, quæ adhibere potuisset, ut mulierem hanc eriperet, ipse eam sibi reddi ab eodem Isboseth rogitans.

℣. 15. PHALTIEL FILIO LAIS.] Septuaginta; *filio Sellem*, vel *Sellee*.

℣. 18. DOMINUS LOCUTUS EST AD DAVID:] Vel loquens de David dixit [13]. Ita quoque S. Paulus ait

1 ותהי המלחמה ארכה. 2 Vide ℣. 6. hujus capitis.
3 Vide ad 2. Reg. 12, 8. 4 Ita Rabb. Kimch. Jarchi, alii, Vatabl. Munst.
5 הראש כלב אנכי אשר ליהודה היום אעשה חסד עם בית שאול
6 1. Reg. 24. 15. & 2. Reg. 9. 8. 16. 9. Job 30. 1. Eccle. 9. 4. 7 Μὴ κεφαλὴ κυνὸς εἰμι, καὶ ἐποίησα ἔλεος μετὰ οἴκου Σαούλ. 8 Legi vellent לירות, loco ליהודה. 9 וישלח תחתיו. 10 Piscat.
11 Jonath. 12 Kimchi. 13 Ita Jun. Saad. Castal. Syr. Arab. 70. Κύριος ἐλάλησε περὶ Δαυίδ.

uit ad Hebr. 1. 7. *Ad Angelos dixit*, pro, dixit *locutus de Angelis*. Et ad Hebr. 4. 13. *Ad quem nobis sermo*, pro, *De quo nobis sermo*. Nuspiam in Scripturis invenimus vel locum, vel occasionem, ubi Dominus hæc Davidi promiserit. At quot nam omissa fuere in libris sanctis? A

℣. 21. INEAM TECUM FOEDUS.] Hebraicus textus [1], non secus ac Latina quædam exemplaria [a] habent; *Ineant tecum fœdus*.

℣. 26. REDUXIT EUM A CISTERNA SIRA.] Joab misit, qui vocarent Abner, regio nomine; qui redire de cisterna, vel puteo Sira. Novimus locum quemdam nomine Sira, vel Seira in tribu Ephraim in meridionali plaga, hujus tribus quo Aod se recepit, Eglon interfecto. At locus iste aliter scribitur ab eo, qui isthic memoratur. Vide quæ in Judicum libro 3. B 26. dicta fuerint. Josephus Antiqu. l. 7. c. 1. cisternam Sira ad Hebron viginti stadiis abesse dicit.

℣. 27. AD MEDIUM PORTÆ.] Fortasse in loco, ubi cœtus populi habebatur, ad civitatis ostium. Septuaginta [3]: *ad latus ostii*. Seorsim, inter utrumque ostium.

UT LOQUERETUR EI IN DOLO.] Hebraice [4]: *ut loqueretur ei in requie*, secreto: aliter; *ut loqueretur illi in errore*; quin aliquid vereretur. Proditorie affatus est eum.

IN INGUINE.] Eodem in loco, ubi Abner confoderat Asael. Vide supra Cap. 1. ℣. 23. Hinc patet, quale fuerit Joab ingenium; hoc ipso pacto aliquanto post Amasam etiam excepit 2. Reg. 20. 10. Nulla ipsi erat existimationis suæ cura, nulla religio; C sed ambitio ipsius suus erat Deus.

℣. 28. MUNDUS EGO SUM, & REGNUM MEUM.] Testis mihi Deus est, me cædis hujus insontem esse, me nolle mihi Regnum comparare per proditionem, & sanguinem. Scelus hoc nequaquam mihi ambitioni vertatur, neque criminis hujus Regnum, vel subditi mei pœnas luant.

℣. 29. FLUXUM SEMINIS SUSTINENS.] Id genus homines secundum legem Levit. 15. 3. erant immundi, atque apud populum Infames. Steriles erant, neque filios gignere poterant; magna sane iis temporibus calamitas. Aquila Hebraicam vocem *Zab* vertit *cœcum* [5].

TENENS FUSUM.] Adagialis locutio, quæ effœminatum hominem, ac fuso potius volvendo, quam D armis distringendis idoneum significat. Nonnulli Hebraicum textum reddunt [6]. *Tenens baculum* [7], quod claudos, languentesque significat, qui nonnisi baculo suffulti progredi possunt; vel cœcos, qui pedetentim incedunt cum baculis [8]; vel leprosos, qui olim instrumento quodam, ut ait Hugo Card. tympanizabant, ut a populo internoscerentur; vel Eunuchos, qui nendo, texendoque operam navant [9].

INDIGENS PANE.] Qui scilicet ad calamitosissimam pauperiem redigatur; hæc enim veluti Dei maledictio habebatur. In Psalmo 58. ℣. 15. Regius Psaltes famem improbis, velut maximum Dei flagellum, imprecatur: *Convertentur ad vesperam, & famem patientur, ut canes*; prædicitque impiu futurum, ut filii ipsius ostiatim panem mendicent Psal. 108. 10. E *Nutantes transferantur filii ejus, & mendicent*. Hic sane David ostendit, quam Joab scelus odisset. Hæ imprecationes non minus fuere eorum, quæ acciderunt Joab, vaticinia, quam illius indignationis effectus.

℣. 31. DIXIT AD JOAB, & AD POPULUM . . . . ACCINGIMINI SACCIS.] David sua utitur authoritate præcipiens Joab, & militibus suis, ut enim justa persolverentur Abner, omnes interessent. Hoc enim pacto funebrem pompam condecorare cupit, atque in dies magis populo persuadere, se illius cædis expertem fuisse. Volebat ipse, ut Joab speciem quamdam reparationis corpori Abner præberet funeris exequias prosecutus. Quilibet scidit vestes suas, induitque fu saccis, videlicet pannosis vestibus, ea caprarum, asinorum, vel camelorum pilis contexeis, quæ ad hanc quoque diem in Oriente passim adhibentur. Persæ appellabant saccum vestem, qua luctus tempore induebantur.

REX DAVID SEQUEBATUR FERETRUM.] Heb aice [10]: *sequebatur lectum*. Ajunt, fœminas præcedere, viros autem subsequi feretrum consuevisse [11]. Reges vulgo funebri pompæ non aderant; at David voluit hsu honoris specie prosequi Abner. Quædam editiones Septuaginta [12] referunt, David funeris pompam præcessisse.

℣. 33. NEQUAQUAM UT MORI SOLENT IGNAVI MORTUUS EST ABNER.] Hebraice [13]: *Abner mortuus esse eo modo, quo mortuus est Nabal?* Vel: *Mortuus esse veluti fatuus?* Chaldæus: *Mortuus est ne, sicuti moriuntur impii?* Vel; oportebatne, strenuum adeo virum mori, velut impium, veluti nefario quem? Ignavene mortuus esset, nisi deceptus fuisset?

℣. 34. MANUS SUÆ LIGATÆ NON SUNT.] Neque enim in captivitate, vel inter victrices manus hostium obiisti. Nequaquam victus fuisti, neque hostibus tuis traditus, neque propter crimina vinctus.

SICUT SOLENT CADERE CORAM FILIIS INIQUITATIS.] Mortuus est, quin impetum propulsare posset, proditorie enim deprehensus est. David profecto minime pepercit Joab in hoc cantico, quod populus cecinit universus.

CONGEMINANS OMNIS POPULUS FLEVIT SUPER EUM;] Hoc est, cum David carmen præiret, populus omnis canticum cecinit, atque super Abner ploravit. Septuaginta [14]; *& omnis populus ploraturus convenit*. Hebraicus textus verti potest [15]: *& omnis populus persistit lacrymari*.

℣. 35. CUM VENISSET UNIVERSA MULTITUDO CIBUM CAPERE CUM DAVID.] Post funus Abner, cunctus populus comitatus est David sperans futurum, ut Rex lectisternium populo instrueret, quod post funebres exequias sterni consueverat: sed cum plena adhuc esset dies, ille comedere noluit, et jejunium suum ad vesperam usque perduxit juxta temporum illorum consuetudinem. De conviviis, quæ post funera parabantur, in Genes. c. 50. ℣. 3. locuti sumus.

℣. 39. EGO AUTEM ADHUC DELICATUS, & UNCTUS REX.] Nihil accidere poterat, quod præ morte Abner Davidi magis posset officere. Dux hic animos principum aliarum tribuum præparaverat, ut Davidi adhærerent. Mors illius animos irritare, ac avertere poterat, ideoquo removari pacem, ac perennem reddere divisionem, & schisma. David nihil fere præter Regis titulum possidebat; vel ut ipse ait, nihil aliud ferme quam unctionem, & cæremoniam habuerat. *Tener* [16] adhuc, & *delicatus* erat veluti parvulus, qui resistere non potest, neque magnum aliquid aggredi. Regnum ipsius recens erat, potentia illius infirma adhuc, atque inermis, solium labans

---

1 ויכרתו אתך ברית a Edit. Antverp. Polyglot. 3 Ἐν πλαγίῳ τῆς πύλης.
4 לדבר אתו בשלי 70. Λαλῆσαι πρὸς αὐτὸν ἐν παραλογισμῷ. 5 זב Aq. Τυφλός. 70. Γονοῤῥυής.
6 מחזיק בפלך 7 70. Κρατῶν σκυτάλης. 8 Ita Aquil. apud Theodor. qu. 12. Σκυτάλῃ δὲ χρῶνται οἱ σῶμα πεπηρωμένοι; ὅθεν ὁ Ἀκύλας τυφλὸν τὸν τοιοῦτον ὠνόμασεν.
9 Delrio Adag. 190. Claudian. de Eutrop. *Tu telas non sola pati, tu stamina nosse*, &c.
10 הלך אחרי המטה 11 Grot. Mattyr. 12 Ἐμπροσθεν τῆς κλίνης. Edit. Antverp.
13 הכמות נבל ימות אבנר 70. Εἰ κατὰ θάνατον Ναβὰλ ἀποθανεῖται Ἀβεννήρ. Alius: Ὡς ἀποθνήσκει ἄφρων.
14 Καὶ συνήχθη πᾶς ὁ λαὸς τοῦ κλαῦσαι αὐτόν. 15 ויספו כל העם לבכות עליו
16 רך ומשוח מלך Aqu. Sym. Ἁπαλὸς καὶ κεχρισμένος. *Tener, & unctus*.

Isbaal: Septuaginta [1] : *hodie sum proximus cognatus, & Rex constitutus*. Perinde ac innuere vellet se propter reditum Michol factum fuisse Saulis cognatum, atque constitutum successorem illius.

DURI SUNT MIHI.] Violenter agunt in me. Hebraice [2] : *sunt duriores me* ; potentiores me, at magis nominis æstimatione pollentes. Vel ferre nequeo illorum impotentiam. David satis ostendit, se non ulcisci facinus Joab, eo quod vires illi non supperterent. Tergiversari præstat, quam præcipiti supplicio malum exasperare.

---

1 Ὅτι ἐγὼ σήμερον συγγενὴς καθεσταμένος ἦν βασιλεύς.

2 קשים ממני 70. Σκληρότεροί μου.

CAPUT IV.

Baana, & Rechab per proditionem Isboseth interfecto, caput illius ad Davidem afferunt, qui pro sceleris mercede eos jubet occidi.

1. AUdivit autem Isboseth filius Saul, quod cecidisset Abner in Hebron : & dis-
solutæ sunt manus ejus , omnisque Israel perturbatus est . 2 Duo autem
viri principes latronum erant filio Saul, nomen uni Baana , & nomen alte-
ri Rechab, filii Remmon Berothitæ de filiis Beniamin : siquidem & Beroth reputata
est in Beniamin. 3 Et fugerunt Berothitæ in Gethaim , fueruntque ibi advenæ us-
que ad tempus illud. 4 Erat autem Jonathæ filio Saul filius debilis pedibus : quin-
quennis enim fuit, quando venit nuntius de Saul, & Jonatha ex Jezrael. Tollens ita-
que eum nutrix sua, fugit : cumque festinaret, ut fugeret, cecidit, & claudus effe-
ctus est : habuitque vocabulum Miphiboseth, 5 Venientes igitur filii Remmon Be-
rothitæ, Rhecab, & Baana, ingressi sunt fervente die domum Isboseth ; qui dormie-
bat super stratum suum meridie. Et ostiaria domus purgans triticum , obdormivit .
6 Ingressi sunt autem domum latenter assumentes spicas tritici , & percusserunt eum
in inguine Rechab, & Baana frater ejus, & fugerunt. 7 Cum autem ingressi fuis-
sent domum, ille dormiebat super lectum suum in conclavi, & percutientes interfe-
cerunt eum : sublatoque capite ejus, abierunt per viam deserti tota nocte , 8 Et
attulerunt caput Isboseth ad David in Hebron ; dixeruntque ad regem : Ecce ca-
put Isboseth filii Saul inimici tui, qui quærebat animam tuam : & dedit Dominus
domino meo regi ultionem hodie de Saul, & de semine ejus . 9 Respondens au-
tem David Rechab, & Baana fratri ejus, filiis Remmon Berothitæ , dixit ad eos :
Vivit Dominus, qui eruit animam meam de omni angustia, 10 Quoniam eum, qui
annuntiaverat mihi, & dixerat : Mortuus est Saul : qui putabat se prospera nuntia-
re, tenui, & occidi eum in Siceleg, cui oportebat mercedem dare pro nuntio. 11
Quanto magis nunc, cum homines impii interfecerunt virum innoxium, in domo sua,
super lectum suum, non quæram sanguinem ejus de manu vestra , & auferam vos de
terra? 12 Præcepit itaque David pueris suis, & interfecerunt eos ; præcidentesque
manus, & pedes eorum, suspenderunt eos super piscinam in Hebron ; caput autem
Isboseth tulerunt, & sepelierunt in sepulchro Abner in Hebron,

℣. 1. DISSOLUTÆ SUNT MANUS EJUS.] scilicet animis despondit. Cur id ? eum Abner relictis partibus illius ad David transiisset ? Quin immo lætandum potius erat Isboseth, quam dolendum ob mortem illius. Consilia, & fœdus Abner cum David Regem hactenus fefellisse oportet, atque Ducem illum causam itineris in Hebron prætexisse, Michol ad David deducendæ occasionem, ne ulla Regi incederet suspicio. Abner hactenus fuerat fulcrum firmissimumque præsidium domus Saul.

℣. 2. DUO VIRI PRINCIPES LATRONUM.] Hebræus [1] : *Principes copiarum*, vel turmarum. Seu quod eorum opera Isboseth uteretur, ut hostium regionem diriperet, se popularetur, quemadmodum militum manus in terras eorum, cum quibus bellum geritur, immittuntur ; seu quod latronum essent capita, qui ab hac vivendi ratione recesserant, ut sequerentur Isboseth. Tunc temporis ibi gentium latrocinium scelus erat non adeo invisum, ac hodie sit. Isaac prædixit Esau Genes. 27. 40. futurum ut *viveret in gladio*, hoc est rapto, ac bellorum proventu ; Quæ ad hanc quoque die plurimorum Arabum, atque Ismaelitarum est consuetudo. *Latrones* milites olim,

---

1 שרי גדודים 70. Ἡγούμενοι συστρεμμάτων. Aq. Εὔζωνοι. *Accincti*. Sym. Ἀρχηγοὶ *Capita factionis, & agminis*.

olim, ac Principum satellites appellabantur [1]. Virgilius Æneid. 12. v. 7.

. . . . Fixumque latronis
Impavidus frangit telum.

℣. 3. FUGERUNT BEROTHITÆ IN GETHAIM.] Beroth una erat ex quatuor civitatibus, pro quibus Gabaonitæ cum Josue fœdus percusserant. Liquet, Saulem persecutum fuisse Gabaonitas, sed certo nequit affirmari tunc Berothitas in Gethaim confugisse. Neque secius patet, ubi urbs hæc sita esset, ni eadem fuerit ac Geth, vel locus aliquis in agro illius. Quasdam legimus in Scriptura civitates, quæ & plurali, & singulari numero efferuntur. Rama, Ramatha, Ramathaim unum tantum sunt: Ita quoque Geth, & Gethaim una tantum civitas esse posset; Geth quidem numero singulari, Gethaim vero & duali numero, & multitudinis. Author notat Berothitas ævo suo adhuc in Gethaim fuisse. Nominis hujus civitas aderat in tribu Benjamin, uti liquet ex Nehemia [2].

℣. 4. ERAT AUTEM JONATHÆ . . . . FILIUS DEBILIS PEDIBUS.] Versiculus hic nihil ad rem istthic videtur positus; nullam habet cum iis, quæ vel præcedunt, vel subsequuntur, connexionem. Creditur [3], sacer historicus istum inseruisse, ut intelligeremus post obitum Isboseth nullum fuisse ex progenie Saulis, qui regnum adfectare posset, nam Miphiboseth Jonathæ filius regno erat ineptus. Præcipuus eorum, qui Libros hos conscripsere, scopus fuit nobis tradendi domus David Historiam. Reliqua vero obiter dumtaxat attingunt, ut nos ad præcipuum finem perducant.

℣. 5. DORMIEBAT SUPER STRATUM SUUM MERIDIE.] Hæc ubique invaluit consuetudo, ut dum fervidior diei æstus desævit, in regionibus præsertim calidis, dormitum eant; quod *Diem meridie dividere*, Varro esse ait l. 3. de re Rust. c. 2.

ET OSTIARIA DOMUS PURGANS TRITICUM OBDORMIVIT.] Nihil ex iis adest neque in Hebraico textu, neque in veteribus versionis S. Hieronymi manuscriptis [4]. Hæc est additio ex Septuaginta desumpta, qui textum perperam intellexere. Huic vero additioni id locum præbuit, quod sequenti legitur versiculo, Baanam, & Rechab Domum Regis ingredientes *spicas tritici* assumpsisse. Crediderunt autem, ipsos triticum surripuisse ad ostium, cum obdormiret Ostiaria. Vel potius, Septuaginta Hebraicas voces, *assumentes spicas tritici*, explicuerunt, perinde ac legissent *purgantes*, eligentes *spicas tritici*. Hinc eruere possumus, quæ veterum temporum illorum esset simplicitas; illis satis erat, si mulier præ foribus vigilasset. Mulieres quoque ad Tabernaculi Dominici templum excubabant [5]; & in Evangelio Matth. 26. 69. celebris est Ostiaria Principis Sacerdotum propter ea, quæ dixit Divo Petro. Janitores vero nonnumquam pila, vel triticum purgando vacabant [6]. *In aditu ipso stabat Ostiarius prasinatus, cerasino succinctus cingulo, atque in lance argentea pisum purgabat.*

℣. 6. INGRESSI SUNT LATENTER, ASSUMENTES SPICAS TRITICI.] Forte ob id unum, re adhuc integra, ingressi fuerant, ut triticum surriperent, inventum autem Regem sopore obrutum, se maximum operis pretium relaturos esse censuerunt, si illum interimerent. Vel Rege interfecto abiere, ac surreptum triticum obtulerunt. Alii vertunt [7]: *in medium domus venere, ut triticum emerent.* Processere in penetrale domus Isboseth, quin ulli eorum suspicio suboriretur; tritici enim mercatores existimati sunt [8]. Aliter; Ingressi sunt manu triticum gerentes, perinde ac munus Regi deferre voluissent [9]. Juxta alios, sese bastulerunt tritico onustos, veluti homines triticum bajulantes [10]. Vel denique [11]: accesserunt tanquam triticum accepturi, quod veluti satellitibus Regiis debebatur; nam tunc, ac diu post militibus victus in tritico distribuebatur.

℣. 7. IN CONCLAVI.] Hebræus: *in aula cubilis* [12], in cubiculo, ubi dormiebat.

ABIERUNT PER VIAM DESERTI TOTA NOCTE.] Frequentes vias evitarunt, ne a quoquam agnoscerentur. De Mahanaim in Hebron quadraginta ferme intersunt leucæ. Hoc iter nocte una absolvere non potuerunt; quod nec Scriptura affirmat; neque enim negat, interfectores hos iter suum sequentibus diebus fuisse prosecutos.

℣. 11. VIRUM INNOXIUM.] Talis erat, saltem ratione illorum. Nullum enim ipsis jus erat ultionem ab ipso exposcendi ob injuriam, quam prætexere potuissent, ab illo, vel patre illius Davidi illatam. Isboseth regnum capere bona fide potuit. Jus David non adeo liquido patebat, ut nulli obnoxium esset difficultati. Ut verbo me expediam, facinorosorum horum minime intererat litem hanc disceptare.

℣. 12. PRÆCIDENTES MANUS, & PEDES EORUM, SUSPENDERUNT EOS.] Primum quidem occisi sunt, mox pedes, manusque illis abscissæ, veluti ut hæ parricidæ manus punirentur, quæ innoxium Regem jugularant, ac pedes, qui fugæ illorum fuerant instrumenta. Pari supplicio affectum vidimus Adonibezec Regem Bezec, qui simili pœna septuaginta captivos Reges percusserat. At Reges hi vivebant adhuc, colligebantque sub mensa Principis illius micas, pedum, manuumque extremitatibus tantum præcisis. Manus, ac pedes Baanæ, & Rechab patibulo plana fuerunt appensæ, quod factum fuit de manu, & capite Cyri junioris, quæ Artaxerxes frater illius de cruce suspendit [13].

---

1 Vide sup. in Judic. 11. 3. & Plaut. Milit. glor. act. 1. scen. 1. 2 2. Esdr. 11. 33. *Asor, Rama Gethaim.* 3 Grot. Cornel. Sanct. Mari. 4 Vide nov. Edit. S. Hieron.
5 Vide Exod. 38. 8. & 1. Reg. 2. 22. 6 Petron. Arb. Satyr. 7 באו עד תוך הבית לקחי חטים
8 Ita Jonath. כיבני חיטין Ita & Pag. Tir. Vat. Est. Menoch. Munst. Cast. Osiand. &c.
9 Lyran. Serar. Cornel. 10 Jun. Tremell. Will. 11 Clericus hic. 12 בחדר משכבו
13 Vide Xenoph. Ἀναβάσ. l. 3. Plutarch. in Cyro.

CAPUT V.

David agnoscitur, & consecratur Rex totius Israel. Jerusalem de Jebusæorum manu capitur. Ibi David sibi domum ædificat. Victoria de Philisthiim relata.

Anno M. 2956. ante J. C. 1045. 1. ET venerunt universæ tribus Israel ad David in Hebron, dicentes: Ecce nos, os tuum, & caro tua sumus: 2 Sed & heri, & nudiustertius, cum esset Saul rex super nos, tu eras educens, & reducens Israel: dixit autem Dominus ad

te:

te : Tu pasces populum Israel, & tu eris dux super Israel. 3 Venerunt quoque & se-
niores Israel ad regem in Hebron , & percussit cum eis rex David fœdus in Hebron co-
ram Domino : unxeruntque David in regem super Israel. 4 Filius triginta annorum e-
rat David, cum regnare cœpisset, & quadraginta annis regnavit. 5 In Hebron regna-
vit supra Judam septem annis , & sex mensibus : In Jerusalem autem regnavit triginta
tribus annis super omnem Israel, & Judam. 6 Et abiit rex, & omnes viri, qui erant
cum eo , in Jerusalem, ad Jebusæum habitatorem terræ : dictumque est David ab eis :
Non ingredieris huc , nisi abstuleris cœcos, & claudos dicentes : Non ingredietur Da-
vid huc. 7 Cepit autem David arcem Sion , hæc est civitas David . 8 Proposuerat
etenim David in die illa præmium, qui percussisset Jebusæum , & tetigisset domatum fi-
stulas , & abstulisset cœcos , & claudos odientes animam David . Idcirco dicitur in pro-
verbio : Cœcus , & claudus non intrabunt in templum . 9 Habitavit autem David in
arce , & vocavit eam Civitatem David. Et ædificavit per gyrum a Mello, & intrinse-
cus . 10 Et ingrediebatur proficiens , atque succrescens , & Dominus Deus exerci-
tuum erat cum eo. 11 Misit quoque Hiram rex Tyri nuntios ad David , & ligna ce-
drina , & artifices lignatorum , artificesque lapidum ad parietes : & ædificaverunt do-
mum David , 12 Et recognovit David, quoniam confirmasset eum Dominus regem su-
per Israel , & quoniam exaltasset regnum ejus super populum suum Israel . 13 Acce-
pit ergo David adhuc concubinas , & uxores de Jerusalem , postquam venerat de He-
bron : natique sunt David & alii filii, & filiæ ; 14 Et hæc nomina eorum , qui nati
sunt ei in Jerusalem , Samua , & Sobab , & Nathan , & Salomon , 15 Et Jebahar,
& Elisua , & Nepheg , 16 Et Japhia , & Elisama , & Elioda , & Eliphaleth . 17
Audierunt ergo Philisthiim , quod unxissent David in regem super Israel : & ascende-
runt universi, ut quærerent David: quod cum audisset David, descendit in præsidium .
18 Philisthiim autem venientes diffusi sunt in valle Raphaim . 19 Et consuluit David
Dominum, dicens : Si ascendam ad Philisthiim ? & si dabis eos in manu mea ? Et di-
xit Dominus ad David : Ascende , quia tradens dabo Philisthiim in manu tua. 20
Venit ergo David in Baal Pharasim: & percussit eos ibi, & dixit : Divisit Dominus
inimicos meos coram me , sicut dividuntur aquæ . Propterea vocatum est nomen lo-
ci illius , Baal Pharasim . 21 Et reliquerunt ibi sculptilia sua : quæ tulit David , &
viri ejus . 22 Et addiderunt adhuc Philisthiim , ut ascenderent , & diffusi sunt in
valle Raphaim . 23 Consuluit autem David Dominum : Si ascendam contra Phili-
sthæos , & tradas eos in manus meas ? Qui respondit : Non ascendas contra eos ,
sed gyra post tergum eorum , & venies ad eos ex adverso pyrorum . 24 Et cum
audieris sonitum gradientis in cacumine pyrorum , tunc inibis prælium : quia tunc
egredietur Dominus ante faciem tuam , ut percutiat castra Philisthiim . 25 Fecit
itaque David sicut præceperat ei Dominus, & percussit Philisthiim, de Gabaa, usque
dum venias Gezer.

ỳ. 1. VENERUNT UNIVERSÆ TRIBUS AD DAVID.] Isboseth , atque Abner de viventium numero sublatis , nemo supererat , qui cum David de regno decertare valeret . Miphiboseth filius Jonathæ propter infirmam corporis valetudinem [1] ineptus erat imperio. Omnes tribus , jampridem ad agnoscendum David in Regem dispositæ , tum propter ea , quæ illi Dei verbis promissa fuerant , cum propter virtutis famam , quam sibi toties conciliarat , denique proptereaquod magnam regni partem ditione obtinebat ; nam una tribus Juda pluribus simul tribubus erat par ; & quod unus ille collabentem Israelis rem publicam restituere , ac Philisthinorum imperium poterat propulsare : Omnes tribus , inquam , simul venerunt in Hebron , ac illum iterum totius nationis Regem consecrarunt . David felici adeo occasione uti volens , ac regni sui primordia insigni quodam facinore

A

B

decorare , copias , quæ illum convenerant, contra Jerusalem deduxit , eamque cepit , quemadmodum infra videbimus. Ex 1. Paralipomenon 12. 23. recensione patet, milites , qui hac in occasione accesserunt ad David , fuisse 34822. simul recensitis sex millibus atque octingentis viris Juda . Illinc etiam [2] , juxta Vulgatæ verba , major tribus Benjamin pars adhuc familiæ Saul adhæsisse videtur , atque tria tantum ex hac tribu millia ad David venisse . Hæc omnis multitudo triduo in Hebron apud Davidem permansit inter commessationes , compotationesque , cum undique a fratribus suis missa cibaria confluerent.

OS TUUM , & CARO TUA SUMUS .] Præceperat Deus , ut Israelitæ sibi Regem ex natione sua , atque ex fratrum suorum numero cooptarent Deuter. 17. 15. Hebræi igitur profitentur se David sibi Regem assumere , eo quod ex ipsorum esset natione , atque ex fratribus suis [3] ; hoc autem pacto mederi quo-

1 2. Reg. 4. 4. 2 Ibid. ỳ. 29. *De filiis Benjamin fratribus Saul , tria millia : Magna enim pars eorum adhuc sequebatur domum Saul* . At Hebr. potest aliter intelligi , ut in Paralipom. ostendemus.
3 Vide Genes. 29. 14. & Judic. 9. 2.

quodammodo student recessioni, quæ inter tribus hactenus obrepserat.

℣. 2. TU PASCES POPULUM MEUM.] Communis loquendi ratio apud veteres ad Regem significandum. *Pater Populorum*.

℣. 3. VENERUNT & SENIORES ISRAEL.] Qui tribus suas praecedebant. Hi Seniores sunt Principes tribuum, capita societatum, qui convenerunt, ut Regi se, suaque submitterent. Rex tunc tertio regia unctione est delibutus, atque totius nationis Regni adiit possessionem [1].

PERCUSSIT CUM EIS DAVID FOEDUS CORAM DOMINO.] Rex se populo imperaturum juxta Legum Divinarum normam professus est [2]; & Seniores totius populi nomine se Regi obedientiam præstituros jurarunt. Hæc omnia proculdubio rite ac recte, & cum solemnibus sacrificiis fuere sancita; quare credi potest Arcam Domini illuc allatam fuisse, ibique aram extructam. Summus Sacerdos Abiathar, veluti mediator Regem inter & populum ultro citroque juramenta excipiebat; reliqui vero Sacerdotes, qui frequentes illuc convenerant, quod liquet ex 1. Paralipom. 12. 26. 27. 28. sacrificia obtulere. Neque velut divinando hæc tenor conjicere; hi enim solemnes ritus erant, quotiescumque similis adfuisset occasio; deinceps haud cessatum est, quin sacra fierent in Hebron, & Absalom quadam die a Rege parente suo petiit, ut sibi de Jerusalem illuc proficisci liceret sacris operaturo 2. Reg. 15. 7.

℣. 4. QUADRAGINTA ANNIS REGNAVIT.] Si calculum ineamus ab eo tempore, quo in Hebron septem ante hanc solemnitatem annos regnare occœpit, in qua eum Israel universus Regem agnovit; quod satis palam sequenti versiculo asseritur.

℣. 6. ABIIT REX . . . IN JERUSALEM.] Anno, qui consecrationem illius est subsecutus, Jerusalem obsidione vallavit; quæ civitas nondum penitus subacta fuerat; cum arx semper in Jebusæorum ditione perstitisset. Hæc autem una erat in eo terræ tractu, quæ exteris adhuc Dominis obtemperaret; neque aliunde majorem sibi poterat initio regni sui nominis gloriam David comparare, quam magni adeo momenti victoriam referendo.

NON INGREDIERIS HUC, NISI ABSTULERIS COECOS, & CLAUDOS.] Latet ratio, cui *dictum* istud innititur; nos fugit, quinam sint hi *cæci, & claudi*, de quibus Jebusæi loquuntur. Suntne simulacra, & limites super mœnibus eorum constituti [3]? Suntne illorum Numina, quæ his nominibus per jocum ab Hebræis vocabantur [4]? An Patriarchæ Isaac, & Jacob, quorum alter cœcus fuerat, claudus alter [5]? An cœci, & claudi civitatis, quos Jebusæi super muros advexerint, ut Hebræis illuderent, atque illis se parum adeo illorum oppugnationem vereri ostenderent, ut nonnisi id genus milites pro muris objicere vellent [6]? Postrema hæc sententia videtur æquior; at ego mallem hoc pacto juxta Hebraicum textum intelligere [7]: *& dixerunt David: Non ingredieris huc quin cæci, & claudi te arceant*; non ingredieris, sed ipsi repellent te; satis enim fortes, ac strenui ad id sunt, scilicet ut inermem populum, veluti Israelitas propulsent. Hæc autem irridentes jaciebant dicentes: *Non ingredietur David huc*.

℣. 8. PROPOSUERAT DAVID PROEMIUM, QUI PERCUSSISSET JEBUSÆUM, & TETIGISSET DOMATUM FISTULAS, & ABSTULISSET COECOS, & CLAUDOS.] David, quod jecerant opprobrium Jebusæi, in ipsos retorquet; militibus suis munera proponit, si de muris Jebusæos dejicerent, quos per ludibrium cœcos, & claudos appellat. Quandoquidem hostes gloriantur, se nobis cœcos, & claudos objicere velle, ut arcem suam propugnent, me exercitus mei imperatoriam dignitatem [8] illi delaturum recipio, qui hos cœcos, & claudos ejiciet, & qui primus mœnia, ac stillicidia conscendet. En autem Hebraicus textus ad litteram [9]: *Qui percusserit Jebusæum, & attigerit stillicidium* [10], *atque cæcos, claudosque intriverit, &c.* Stillicidii nomine intelligit, vel simpliciter superiorem muri partem, unde aquæ defluunt; vel turrium, quæ ad angulos arcis consurgebant, intelligit stillicidia. Bochartus totum hunc locum ita reddit: *Quicumque occiderit Jebusæum, de muri vertice in imam foveam demittat hos cæcos, & claudos, quos David horret*.

ODIENTES ANIMAM DAVID.] Inimicos David. Hebraicus textus e contra: *Quos David* internecino *odio prosequitur*. Cajetanus autumat, Davidem hæc adjecisse verba, ut distingueret Jebusæos amicos a Jebusæis inimicis. Inferior Jerusalem pars dicitur a Jebusæis occupata fuisse, qui cum Israelitis fœdus inierant; at arx Sion ab Jebusæis hostibus tantum habitabatur.

IDCIRCO DICITUR IN PROVERBIO: COECUS, & CLAUDUS NON INTRABUNT IN TEMPLUM.] Plures sensus huic proverbio appinguntur: Jebusæi, qui se ipsos cœcos, claudosque vocarunt, non intrabunt in Templum, hoc est in concilium Domini; non secus ac inde Moyses Deuter. 23. 1. 2. 3. excludit eunuchos, nothos, Ammonitas, & Moabitas. Hoc autem supplicium merebantur propter ipsorum impotentiam, & contumelias, quas in universum Israelis Exercitum ingesserant. Aliter, cœci, & claudi ex Sacerdotum ordine, atque ex progenie Aaron nullam ad sacra munia partem habebunt. Hoc nequaquam novum est edictum, at nova eorum consuetudo, quæ Lege fuerant sancita Levit. 21. 18. illudque in adagium abire voluerunt, ut rem impossibilem, illicitamque notarent. Alii volunt, David in odium probrorum, quæ a Jebusæis jactata fuerunt, Templi aditum omnibus cœcis, & claudis interdixisse. Verum cur hæc pœna in Israelitas debebat recidere, qui his corporis partibus capti essent; & quo jure eos David a Templi aditu prohibuisset, cum a Lege minime prohibeantur? Jesu Christi tempore cœci, & claudi libere Templum ingrediebantur; nam ibi Divinus hic Redemptor, ac Apostoli ipsius nonnullos curavere Matth. 21. 14. Act. 3. 2. Si hoc interdictum ad eos tantum coarctatur, qui ex Jebusæis cœci, claudique essent, inane prorsus est, quandoquidem Ethnicis, & Chananæis præ cæteris nefas erat Templum introire.

Nonnulli credunt [11], capta Sion arce, David edicto cavisse, ne umquam cœci, vel claudi illuc ingrederentur. Inania Commenta. Miphiboseth qui claudus erat, nonne cum David mensæ assidebat? Simplicius hoc intelligi potest, Hebraico textui adhærendo [12]: *quapropter dicitur: Cæcus, & claudus non ingredietur huc*, ut adagialiter aliquid, quod impossibile ducitur, ostendatur. Nomen *domus*, quod in Hebraico textu adest, & de templo explicari potest cum Septuaginta, & Vulgata, & de alio quopiam loco.

℣. 9. ÆDIFICAVIT PER GYRUM A MELLO, & INTRINSECUS.] Superiorem urbem ædificavit, quæ *Civitas*

1 Vide 1. Reg. 16. 13. & 2. Reg. 2. 4. 2 Deuter. 17. 14. 15. & seq. 3 Castal.
4 Abenezra, Burgensis, Clericus. 5 Rab. Salom. Lyran.
6 Vatab. Est. Grot. Sanct. Cornel. Tirin. Pisc. Boch.
7 ויאמר לדוד לאמר לא תבוא הנה כי אם הסירך העורים והפסחים לאמר לא יבוא דוד הנה Vide Boch. Phaleg. lib. 4. cap. 36. 8 1. Par. 11. 6. *Caput, & principem militiæ meæ*.
9 כל מכה יבוסי ויגע בצנור ואת הפסחים ואת העורים שנאי נפש דוד
10 Aqu. *Καὶ ἅψηται ἐν κρουνισμῷ*. Sym. Καὶ ἐπιλαμβανέτω ὑπάλξεως. 70. Ἁπτέσθω ἐν παραξιφίδι. *Illum feriat suo pugione*. 11 Grot. Salian. Mart. 12 על כן יאמרו עור ופסח לא יבוא אל הבית

tas David appellata fuit, eamque muris circumdedit, ædibusque replevit. Joab vero reliquam partem Jerusalem restauravit, quemadmodum in 1. Paralipom. 11. 8. narratur; muros restituit, domosque reædificavit, quæ obsidionis tempore, & post captam civitatem corruerant. Textus ait, quod David ædificavit urbem a *Mello*. *Mello* significat *repletum*. *Mello* vocata fuit quædam vallis, quæ Salomonis opera repleta fuit inter inferiorem Jerusalem, & montem Sion posita; quo eodem nomine platea, atque Ædificia, quæ super solum illud extructa fuere, appellantur. Opus istud a David inceptum fuisse videtur [1]; sed a Salomone perfectum fuit; neque satis constat, utrum locus hic *Mello* esset in Civitate David, antequam a Salomone repleretur, an deinde illi additus fuerit. Hujus loci textus difficultatem non adimit; namque intelligi potest, perinde ac David in hac urbe, atque in ædibus, quas extruxit, *Mello*, etiam fuisset complexus. *Mello* non semel ædes, vel domum a Salomone ea in area, vel super hoc aggere extructum significat [2]. Creditur locus hic in 1. Macchab. 14. 27. *Asar-mel* vocari, quo in loco cœtus populi haberi consueverat. *In Asar-mel in conventu magno Sacerdotum, & populi, & Principum gentis, &c.*

Operæ pretium censeo isthic imaginem quamdam situs Jerusalem tradere, de qua sæpius adeo imposterum erit sermo [3]. Hæc urbs, ex quo Israelitis cessit, duobus insidebat collibus, altero quidem ad boream, ad meridiem altero. Ille Sion dicebatur, hic a Josepho sæpius *Acra* appellatur. Vallis inter duas hasce civitates posita, & quæ utramque discriminabat, David, & Salomonis opera oppleta fuit, ita ut duo colles unam tantum urbem efficerent. Regiæ Davidis ædes extructæ sunt super montem Sion, de quo locuti sumus; & Rex ille Jebusæorum ædificiis, quæ forte in hoc monte aderant, alia addidit complura, quæ *civitatem David* composuere. Vetus Jerusalem sita erat in meridionali colle colli Sion opposito, de quo sermo fuit, eaque erat vetus urbs, quam olim Josue [4], mox vero tribus Juda ceperant, & ubi Israelitæ satis diu perstiterant, antequam David urbem, atque arcem Sion expugnasset, & omnem Jerusalem, civitatemque David Israelitis frequentasset.

Cum Salomon Domino Templum extruere molitus est, elegit collem, cui nomen *Moria*, proximum monti Sion, satis elatum, sed in summo vertice nimis arctum pro ædificii extruendi magnitudine. Hic explanandus fuit, atque exæquanda area sexcentorum saltem cubitorum in quadrum; ad quam ex quatuor lateribus per montis declive erat adscensus. Ædes Regiæ Occiduam Templi oram obtinebant. Urbs auctior deinceps effecta est, ac ævo Josephi quatuor ferme colles in urbe erant conclusi præter illum, ubi Templum assurgebat. At hi potius diversi erant montis ejusdem colles; nam Tacitus, ac Josephus ipse duos tantum montes urbis circuitu clausos memorant. Tacit. hist. l. 5. *Duos colles immensum editos, claudebant muri per artem obliqui*. Altior quidem erat Sion, quo etiam Moria, seu mons Templi comprehendebatur; alter vero erat *Acra*, cui Asmonæi alium collem adjecerant [5], & qui deinceps auctior adhuc evasit adjuncta *Bezeta*, quam Josephus *novam urbem* appellat [6]. Cum Hebræorum jamjam labaret Respublica, & paullo ante ejus excidium Jerusalem *longe clarissima urbium Orientis, non Judææ modo habebatur*, Plinius ait l. 5. c. 14. & Tacitus quoque *urbem famosissimam* vocat. Herodes Magnus maximopere illam exornaverat, ac monumentis tum publicis, cum privatis locupletaverat.

℣. 11. MISIT HIRAM REX TYRI NUNTIOS AD DAVID.] Latet, utrum Rex hic prævenerit David, an David prior ad illum miserit, qui peterent ligna, & artifices ad domum suam ædificandam. Hoc tunc domum plane contigit, cum David sibi confirmavit imperium, omnesque Philisthiim coegit, ut penitus a terris Israel secederent. Hiram erat filius Abibal, Rex Tyri [7], magnificus sane Princeps, qui urbem Tyrum pluribus, pulcherrimisque operibus exornavit. Semper etiam cum Salomone amicitiæ fœdus servavit, illique plures conscripsit epistolas, quæ Josephi tempore in Archiviis Tyri una cum responsionibus Salomonis asservari putabantur.

℣. 12. COGNOVIT DAVID, QUONIAM CONFIRMASSET EUM DOMINUS REGEM SUPER ISRAEL.] Ea omnia, quæ illi prospere contigerant, ac visibilis benedictio, qua Dominus universos illius conatus prosequutus fuerat, persuaserunt illi, Regnum suum jam confirmatum esse, & se a Domino, veluti Saulem nequaquam abjectum fuisse, atque futurum, ut ea, quæ illi promissa fuerant, adimplerentur. Pro his verbis: *super Israel*; Hebræus legit [8]: *propter populum suum Israel*; perinde ac Deus singulari favore populo suo tribuere voluisset hunc optimum Regem. Rex equidem pro populo tantum constituitur.

℣. 13. ACCEPIT ADHUC CONCUBINAS, & UXORES.] Octo illi fuerunt uxores, concubinæ vero decem. Polygamia apud Judæos erat tolerata. Poterat David quasdam politicæ regiminis rationes habere, propter quas hæc iniret conjugia, verbi gratia ut sibi adjungeret præcipuas nationis familias, vel etiam ut in rem suam externum aliquem Regem vocaret. At ipsius hac in re consilium probare haud tenemur, cum præsertim Moyses lege Deuter. 17. 17. sanciverit, ne Rex *uxores plurimas* haberet. Concubinarum ratio haud alia erat a conditione uxorum legitimarum, Matronarumque, nisi quod cum priores nuberent, nullæ solemnitates observabantur, neque ullum connubii contractum stipulabantur, ut cautione interposita suæ doti consulerent.

℣. 14. 15. & 16. Septuaginta pro undecim filiis, quos David genuisse isthic asserit Scriptura, viginti enumerant, quorum nomina hæc sunt: *Ebear, Elisus, Naphec, Jephiee, Elisama, Elidae, Eliphalet, Samae, Jessibath, Nathan, Galamaan, Jebaar, Theesus, Eliphalet, Naged, Naphec, Jonathan, Leasamys, Baalimath, Eliphaat.*

℣. 17. ASCENDERUNT PHILISTHIIM, UT QUÆRERENT DAVID.] Post Saulis in montibus Gelboe cladem, Philisthiim plurimis urbibus, quas Israelitæ deseruerant, dominabantur. Vires Israel inter domum David, & Saulis divisæ, donec vixit Isboseth, nullam ipsis suspicionem, & metum incusserant. David in tribu Juda clausus opperiebatur, donec Deus promissa exequeretur, illique aditum aperiret, quo totius Israelis thronum conscenderet. Isboseth veritus, ne omnes simul, & Davidem, & Philisthiim in se converteret, in Mahanahim trans Jordanem quodammodo delituerat. Sed Isboseth, ac Abner fato functis cum David totius Nationis Rex renunciatus regni sui initio cepisset Jerusalem, Philisthæi sibi maxime cavendum esse censuerunt a Rege adeo strenuo, & cujus virtus satis jam innotuerat. Rati igitur minime expectandum, donec viribus in dies magis convalesceret, atque majores referret victorias, simul convenere, atque in eam regionem ingressi sunt cum eo bello dimicaturi.

QUOD CUM AUDISSET DAVID, DESCENDIT IN PRÆSIDIUM.] Quodnam hoc esset præsidium, vel arx, quo David concessit, non memoratur. In 1. Paralipom. 14. 8. dicitur, quod David, explorato Philisthinorum adventu, *Egressus est obviam eis*. Sed tunc plane indixit illi Deus, ne manus cum hoste consereret; quapropter in munitum locum concessit, qui erat sane spelunca *Odollam*, quemadmo-

1 1. Par. 32. 5. & Joseph. Antiqu. l. 7. c. 3. 2 Vide dicta ad 3. Reg. 9. 15. & 4. Reg. 12. 20.
3 Vide Joseph l. 6. c. 6. & Cellar. Grogr. Antiqu. l. 3. c. 13. 4 Josue 10. 25. 5 Judic. 1. 8.
6 Joseph. de Bel. l. 6. c. 6. 7 Id. ibid. ad finem 6. cap. 8 Vide Lud. D. apud Joseph. l. 6. contra Appionem. 9 בעבור עמו ישראל 70. Διὰ τὸν λαὸν αὐτοῦ Ἰσραήλ.

dum 2. Reg. 23. 13. & 1. Par. 11. 15. 16. narratur. Pbilisthiim ergo se se effuderant in vallem Raphaim, & illorum *statio* erat in Bethlehem; David autem erat in monte Odollam magis adhuc meridiem versus. Vallis Raphaim nomen hauserat a veteribus regionis illius Gigantibus [1], qui Raphaim appellabantur (Septuaginta [2] eos *Titanes*, vel gigantes vocant); hæc vero vallis ad Meridiem Jerusalem usque prope Bethlehem late patebat.

℣. 19. CONSULUIT DAVID DOMINUM.] Consuluit illum per Urim, & Ephod. Delituit aliquandiu in spelunca Odollam, neque inde Domino inconsulto egressus est. Dum isthic maneret, celebre illud trium strenuorum militum ex ipsius exercitu contigit, qui hauserunt aquam de cisterna Bethlehem, quamquam ibi Philisthæi in armis copias, ac stationem suam haberent. Vide 2. Reg. 23. 15. 16.

℣. 20. VENIT IN BAAL-PHARASIM.] De arce sua descendit, atque se se in Philisthinorum agmina effudit per eam vallis Raphaim partem, quæ deinceps [3] *Baal-Pharasim* fuit nuncupata, scilicet dominus divisorum, dispersorum, vel dispersionis, veluti in monumentum victoriæ de Philisthiim relatæ, qui statim ad illius adventum, signis vix collatis fugam arripuere. Vel *Baal-Pharasim* significare potest *Deum*, Dominum *dispersionis*; nam Philisthiim numina, quæ illic inventa, & capta fuere, erant vere numina fugitiva, ac Dii populi palari, atque in fugam conjecti.

℣. 21. RELIQUERUNT IBI SCULPTILIA SUA.] Præcipiti adeo se se dedere fugæ, ut Deos etiam cum impedimentis desererent. Hinc argui potest vetustus mos, quem etiam 1. Reg. 4. 3. fusius intuiti, Deos suos in aciem deferendi. Deus isthic quodammodo injuriam persequitur, quam Philisthini Arcæ intulerant, eam in regionem suam asportantes. Permittit, ut externi hostium Dii in manus Hebræorum decidant; atque ad ostendendum infinitum discrimen, quod inter verum Deum, atque Idola interest, Philisthiim numina igne cremantur [4], quin se a flamma sæviente tueri possint; dum Arca Domini Dagonem in proprio ipsius delubro prostravit, plaga fœdissima Philisthinos omnes percussit, terrorem in ipsorum regionem immisit, eosque coegit tandem, ut eam summo honore prosecuti dimitterent.

℣. 23. SI ASCENDAM CONTRA PHILISTHÆOS.] Hæc consultatio Hebraice non extat, verum ibi solum adest Domini oraculum: *David consuluit Dominum; qui respondit: non ascendas contra eos* &c.

VENIES AD EOS EX ADVERSO PYRORUM.] Ita quoque Aquila Hebraicum textum reddidit. Impossibile est, de peculiaribus his locis decernere; hoc autem dici potest, has fauces fuisse montium, qua ingressus in vallem Raphaim patebat. Plerique Interpretum [5] vertunt, *ex adverso mororum*. At Septuaginta legunt [6]; *ex adverso fletuum*, vel loci fletuum. Nonnulli putant bono eumdem esse, ac *locum fletuum*, cujus mentio fit secundo Judicum capite; quod mihi quidem probatur [7]. Alii servant [8] Hebraicum nomen *Bochim*, ex adverso Bochim.

℣. 24. ET CUM AUDIERIS SONITUM GRADIENTIS IN CACUMINE PYRORUM, TUNC INIBIS PRÆLIUM.] Hoc perspicuum est supposito, quod *Bochim* pyros significet, vel moros, vel alias quaslibet arbores. At si *Bochim* loci nomen esse dixeris, hic sensus Hebraico textui posset tribui [9]: *Et cum audieris strepitum veluti virorum gradientium in collibus Bochim, tunc inibis prælium*. Magis naturale procul dubio est animo concipere exercitum, vel militum manum ferri super juga montium, quam super agrestium arborum cacumina. Isaias palam ad hanc alludit historiam: at id, quod dictum est, confirmat, de montium jugis, de quorum vertice sonitum edidit Deus, cum ait c. 28. 21. *Sicut enim in monte divisionum* (Hebraice *Pharasim*) *stabit Dominus* adversus impios, & incredulos, *&* *sicut in valle, quæ est in Gabaon irascetur*. In illos sæviet, quemadmodum olim adversus Philisthæos in Baal-Pharasim, & Chananæos in Gabaon Josue imperante [10]. Locus Isaiæ allatus, ac Psalmi XVII. 9. 10. 11. &c. verba innuunt tunc temporis procellam detonuisse, & Philisthiim terrore a Deo immisso fuisse perculsos. Septuaginta [11] quodammodo utrumque sensum complectuntur: *Cum audieris strepitum arborum agitatarum in loco, cui fletuum nomen, tunc descendes*. Theodoretus qu. 18. legit: *Cum videris arbores ex semet nutare, quin vento agitentur* &c. Creditur, Cœlestium Angelorum exercitus præcessisse David, atque terrorem in hostium castra incussisse.

℣. 25. DE GABAA, USQUE DUM VENIAS GEZER.] Gabaa ea forte est, ubi Saul morabatur; & Gezer, vel Gazer, vel Gadera, vel Geder civitas ex tribu Ephraim regioni Philisthinorum finitima [12]. Verum quomodonam David fudit Philisthinos a Gabaa usque ad Geber, cum Gabaa procul adeo a valle Raphaim abesset, & a loco, cui nomen Bochim, ubi victoriam retulerat? Nonnulli intelligunt hanc vocem *Gabaa* de colle quodam simpliciter. Eos persecutus est a colle *Bochim*, usque ad Gezer. Verum ego asserere malim, David post hanc victoriam pepulisse Philisthiim de locis omnibus, quos obtinebant, a Gabaa usque ad Gezer; scilicet illis omnes ademisse civitates, quibus post Saulis obitum potiti fuerant, eosque in veteres ipsorum limites coegisse. Vel potius cum eos in Bochim satis prope Jerusalem fudisset, eosque Gabaa versus fugientes fuisset insectatus, eos ab hac postrema civitate ad Gazer circiter usque persecutum fuisse. A Jerusalem ad Gabaa duæ tantum leucæ intererant, a Gabaa vero ad Gazer quatuor. Paralipomenon libri legunt [13] Gabaon pro Gabaa. Duæ hæ civitates erant finitimæ. Et hæc legendi ratio eorum sententiam evertit, qui *Gabaa* simpliciter de colle quopiam vellent intelligi.

---

1 Vide Josue 12. 4. & 15. 8. & 18. 16. 2 עמק רפאים 70. Ἐν τῇ κοιλάδι τῶν Τιτάνων. 3 בעל פרצים 70. Ἐπάνω διακοπῶν. 4 1. Par. 14. 12. *Dereliquerunt ibi Deos suos, quos David jussit comburi*. 5 Pagn. Mont. Jun. Munst. Grot. alii. 6 Πλησίον τοῦ κλαυθμῶνος. 7 Vide Judic. 2. 1. 8 Ita Syr. & Arab. 9 ויהי בשמעך את קול צעדה בראשי הבכאים אז תחרץ 10 Josue 10. 10. 11. 12. 11 Καὶ ἔσται ἐν τῷ ἀκοῦσαί σε τὴν φωνὴν τοῦ συσσεισμοῦ τοῦ ἄλσους τοῦ κλαυθμῶνος, τότε καταβήσῃ. 12 1. Macch. 14. 34. Γάζαρα τὴν ἐπὶ τῶν ὁρίων Ἀζώτου. Joseph. Antiq. lib. 8. c. 6. Γάζαρα τὴν τῆς Παλαιστινῶν χώρας. 13 1. Par. 14. 16.

CAPUT VI.

Populi Concilium ut Arca de Cariath-iarim Jerusalem transferatur. Hanc vero in domo Obededom seponere tenentur propter Oza mortem. David vero deinceps eam in Jerusalem transfert: qui a Michol uxore sua irridetur eo quod ante Arcam saltasset.

Anno M. 2959. ante J. C. 1045.

1. CONGREGAVIT autem rursus David omnes electos ex Israel triginta millia. 2
Surrexitque David, & abiit, & universus populus, qui erat cum eo de viris Juda, ut adducerent arcam Dei, super quam invocatum est nomen Domini exercituum, sedentis in cherubim super eam. 3 Et imposuerunt arcam Dei super

plaustrum

Plaustrum novum: tuleruntque eam de domo Abinadab, qui erat in Gabaa: Oza au-
tem, & Ahio filii Abinadab minabant plaustrum novum. 4 Cumque tulissent eam de
domo Abinadab, qui erat in Gabaa, custodiens arcam Dei Ahio præcedebat arcam.
5 David autem, & omnis Israel ludebant coram Domino, in omnibus lignis fabrefa-
ctis, & citharis, & lyris, & tympanis, & sistris, & cymbalis. 6 Postquam autem
venerunt ad aream Nachon, extendit Oza manum ad arcam Dei, & tenuit eam: quo-
niam calcitrabant boves, & declinaverunt eam. 7 Iratusque est indignatione Domi-
nus contra Ozam, & percussit eum super temeritate, qui mortuus est ibi juxta arcam
Dei. 8 Contristatus est autem David, eo quod percussisset Dominus Ozam, & voca-
tum est nomen loci illius, Percussio Ozæ, usque in diem hanc. 9 Et extimuit Da-
vid Dominum in die illa, dicens: Quomodo ingredietur ad me arca Domini? 10 Et
noluit divertere ad se arcam Domini in civitatem David: sed divertit eam in domum
Obededom Gethæi. 11 Et habitavit arca Domini in domo Obededom Gethæi tribus
mensibus, & benedixit Dominus Obededom, & omnem domum ejus. 12 Nuntiatum-
que est regi David, quod benedixisset Dominus Obededom, & omnia ejus, propter ar-
cam Dei. Abiit ergo David, & adduxit arcam Dei de domo Obededom in civitatem
David cum gaudio: & erant cum David septem chori, & victima vituli. 13 Cumque
transcendissent qui portabant arcam Domini sex passus, immolabat bovem, & arietem.
14 Et David saltabat totis viribus ante Dominum. Porro David erat accinctus ephod
lineo. 15 Et David, & omnis domus Israel ducebant arcam testamenti Domini, in ju-
bilo, & in clangore buccinæ. 16 Cumque intrasset arca Domini in civitatem David,
Michol filia Saul prospiciens per fenestram, vidit regem David subsilientem, atque sal-
tantem coram Domino: & despexit eum in corde suo. 17 Et introduxerunt arcam Do-
mini, & imposuerunt eam in loco suo, in medio tabernaculi, quod tetenderat ei Da-
vid, & obtulit David holocausta, & pacifica coram Domino. 18 Cumque complesset
offerens holocausta, & pacifica, benedixit populo in nomine Domini exercituum. 19
Et partitus est universæ multitudini Israel, tam viro, quam mulieri, singulis collyridam
panis unam, & assaturam bubulæ carnis unam, & similam frixam oleo: & abiit omnis
populus, unusquisque in domum suam. 20 Reversusque est David, ut benediceret do-
mui suæ: & egressa Michol filia Saul in occursum David, ait: Quam gloriosus fuit ho-
die rex Israel, discooperiens se ante ancillas servorum suorum, & nudatus est, quasi si
nudetur unus de scurris. 21 Dixitque David ad Michol: Ante Dominum, qui elegit
me potius quam patrem tuum, quam omnem domum ejus: & præcepit mihi ut essem
dux super populum Domini in Israel, 22 Et ludam, & vilior fiam plus quam factus
sum: & ero humilis in oculis meis, & cum ancillis, de quibus locuta es, gloriosior ap-
parebo. 23 Igitur Michol filiæ Saul non est natus filius usque in diem mortis suæ.

℣. 1. CONGREGAVIT RURSUM DAVID OMNES ELECTOS EX ISRAEL.] Hebraicus textus reddi potest [1]: *Et David rursus congregavit omnem juventutem* (omnes milites) *Israel*. Primum concilium, ad quod hoc alterum refertur, illud procul dubio est nationis totius, quod in Hebron habitum fuit, ut David solemni celebritate Rex renuntiaretur. In 1. Paralipom. 13. 1. adnotatur, David, cum de Arca in Jerusalem asportanda consilium iniisset, illud copiarum suarum Ducibus, mox vero toti Israelis concilio communicasse; cui cum omnes calculos adjecissent, dicuntur inquirendi fuisse Sacerdotes, ac Levitæ, ac reliquus populus, ut rite hæc solemnitas perageretur. David ergo, Sacerdotes, omnisque Israel simul in Cariath-iarim, ubi Arca erat, convenere.

TRIGINTA MILLIA.] In nonnullis exemplaribus Septuaginta [2] legimus, *Septuaginta millia*. Grotius, & Capellus in Critic. credunt tercenta hominum millia pro triginta millibus adfuisse. Re quidem vera quemadmodum credibile est in generalem totius Israel cœtum a Nilo, vel Sihor usque ad ingressum

A Hemath [3] indictum, triginta millia hominum dumtaxat convenisse, cum aliquot annis ante, in Hebron ut David Rex Israel inungeretur, quadringenta, & quadraginta virorum millia confluxerant [4]? Major sane horum argumentorum vis esset, si ex aliquo textu illis robur accederet; sed omnia Hebraica exemplaria triginta tantummodo hominum millia isthic memorant, & Paralipomenon liber populi numerum præterit. Posset ne hæc sententiarum varietas conciliari, dicendo triginta millia militum delectorum fuisse ad solemnitatis hujus securitatem; at multo majorem populi inermis numerum, qui unice ad celebritatis pompam exornandam accesserit?

℣. 2. SURREXIT DAVID, & POPULUS QUI ERAT CUM EO DE VIRIS JUDA, UT ADDUCERENT ARCAM
B DEI.] Hebraicus textus hoc pacto reddi potest [5]: *Surrexit David, & omnes e primoribus Juda, ut adducerent Arcam* [6]. At quo profectus est, & unde discessit? Cur isthic non memorantur aliæ tribus, quæ procul dubio huic solemnitati interfuere, quod ex Paralipomenis liquet? Ad hæc respondetur, Hebraicam vocem, Baalim Juda, quam viros Juda,

1 ויסף עוד דויד את כל בחור בישראל
2 Edit. Rom. Ἑβδομήκοντα χιλιάδας.
3 1. Par. 13. 5.
4 Vide ad 2. Reg. 5. 1.
5 ויקם וילך דוד וכל העם אשר אתו מבעלי יהודה
6 Ita 70. Καὶ ἀνέστη καὶ ἐπορεύθη Δαυὶδ καὶ πᾶς ὁ λαὸς ὁ μετ᾽ αὐτοῦ, ἀπὸ τῶν ἀρχόντων Ἰούδα. Jonathan. *Ex civitatibus Juda*.

vel primores Juda reddidimus, significare urbem *Cariath-iarim*, quæ Josue 15. 60. *Kiriat Baal* nuncupatur, vel *Bala* simpliciter Ibid. ℣. 9. Iraque vertendum est: *Surrexit David, & cum omni populo, qui erat cum eo, profectus est de Cariath-Baalim*, vel de urbe Baalim, *sita in tribu Juda, ut Domini arcam adducerent*. Arca ablata fuit de Cariath-iarim, vel Cariath-Baalim, quo convenerat populus, atque in Jerusalem fuit asportata. Nulla hac explicatione potest esse simplicior, quam 1. Paralipom. liber 13. 6. confirmat, ubi dicitur, David petiisse Cariath-iarim Juda, ut inde Arcam in Jerusalem transferret.

SUPER QUAM INVOCATUM EST NOMEN DOMINI ;] Quæ appellatur Arca Domini. Eodem pacto dicitur Isai. 4. 1. *invocetur nomen tuum super nos* : Sponsæ tuæ agnoscamur : & Eccli. 36 14. *Miserere plebi tuæ, super quam invocatum est nomen tuum* ; quæ populus tuus nuncupatur : & Jacob loquens de Ephraim, & Manasse, quos adoptabat, ait Genes. 48. 16. *invocetur nomen meum super eos* ; vocentur filii Jacob. Hebraicus textus ad litteram [1] : *super quam invocatum est nomen, nomen Dei*, nomen illud observantia, atque cultu dignissimum.

SEDENTIS IN CHERUBIM.] Vide, quæ superius dicta fuerint, 1. Reg. 4. 4.

℣. 3. SUPER PLAUSTRUM NOVUM,] Majoris ergo reverentiæ ; quod ipsum antea Philisthiim fecerant 1. Reg. 6. 7. Plaustrum, quo nemo umquam fuerat usus, præ alio quovis magis mundum esse censebatur. At Deo præcautio hæc haud suffecit ; volebat enim, ut Arca Sacerdotum humeris gestaretur, uti in lege præceperat Num. 4. 15. cujus cæremoniæ contemptus morte Ozæ punitus fuit, atque omnis celebritas fuit retardata, ac perturbata ad casum adeo terribilem. David autem diligenter cavit, ne idem accideret cum Arcam de domo Obededom in suas ædes transtulit : *Sanctificamini*, Sacerdotibus dixit 1. Par. 15. 12. 13. *& afferte Arcam Domini Dei Israel ad locum, qui ei præparatus est : ne ut a principio quia non eratis præsentes, percussit nos Dominus ; ne & nunc fiat illicitum quid nobis agentibus*.

TULERUNT ARCAM DE DOMO ABINADAB, QUI ERAT IN GABAA,] Vel potius qui erat in colle Cariath-iarim [2]. *Gabaa* elatum locum significat ; & vidimus ad 1. Reg. 7. 1. Arcam depositam fuisse domi Abinadab, qui immurabatur in colle urbis memoratæ.

℣. 5. IN OMNIBUS LIGNIS FABREFACTIS.] Hebræus ad litteram [3] : *ex omnibus lignis abiegnis* : forte quod instrumenta musica ex hoc ligni genere fiebant.

CYTHARIS.] Hebraica vox [4] *cinnor* significat, ut perhibetur, lyram veterem, quæ longe alia erat a Cythara. De his prolixius sermo erit in Commentariis in Psalmos.

LYRIS.] Hebraice [5] : *Nablis*.

TYMPANIS ;] Forte cymbalis.

SISTRIS.] Hebraica vox [6] *menaanim* oritur a נע, quod *movere, agitare* significat : forte quoddam tympani genus significat, quod plurimo motu pulsabatur. Septuaginta *cymbalis*. Aquila, Symmachus *Sistris*.

CYMBALIS.] Hebraice [7] *zelzelim*. Septuaginta, *tibiis*. Hoc autem potius est Sistrum instrumentum apud Ægyptios vulgarissimum.

℣. 6. POSTQUAM VENERUNT AD AREAM NACHON.] Quid esset area, scimus ; superius enim ad 1. Reg. 23. 1. de hac locuti sumus. Nachon juxta Vulgatam, & Septuaginta esse debebat [8] nomen hominis, cujus erat hæc area : at Hebraicus textus sensum alium pati potest [9] : *usque ad aream præparatam*. Chaldæus : *ad locum præparatum* ; satis prope locum, ubi Arca erat collocanda. Certum est, Obededom in Jerusalem habitasse, & satis prope civitatem David, vel Sion [10] ; atque hic intelligimus, Arcam in domo illius fuisse repositam statim post Ozæ interitum, quin ulterius progrederetur. In Paralipomenis area hæc vocatur [11] *area Chidon*. Aliqui vertunt etiam *area interitus*, vel *mortis* Ozæ.

QUONIAM CALCITRABANT BOVES.] Vocis Authographi verum sensum ignoramus [12]. Septuaginta [13] : *quia boves eam de via deducebant*. Chaldæus : *Quia boves eam impulerant*. Alii quia a via recesserant. Bochartus credit, boves se in lutum immersisse. In Paralipomenon loco, qui huic respondet, dicitur bos alter calcitrans eam prope excussisse : *Bos quippe lascivians inclinaverat eam* 1. Par. 13. 9. Septuaginta [14] in hoc quoque loco similiter legunt : at Hebraicus textus ne minimum quidem differt. Verti potest : *Boves relaxabant eam*, eam cadere sinebant. Fecerunt plane, ut plaustrum inclinaretur.

℣. 7. PERCUSSIT EUM SUPER TEMERITATE.] Hebraice [15] ; *pro ignorantia*, errore, imprudentia, scelere. Ignorantia in Scripturis sæpius pro crimine usurpatur. Quæritur quodnam esset hoc scelus Ozæ? Nonnulli putant deliquisse, eo quod Arcam nudatam [16], & irreverenter tetigisset ; vel quod hac actione pravam fidem testatus esset, perinde ac non potuisset Deus Arcam sustinere, atque prohibere, ne, sine illius ope decideret [17] ; vel quod plaustro imposuisset, eamque bobus vectandam tradidisset, cum Sacerdotum humeris esset gestanda [18]. Quidam Ozam hujus consilii authorem ferunt ; quapropter in illum animadvertit Deus, cæterisque pepercit. At David liquido calamitatis hujus originem detegit, cum ait, id accidisse, quod nulli aderant Sacerdotes, qui illam deferrent [19]. Oza, qui ex Aaronis progenie non erat, cum Arcæ manum admovere ausus fuerit, a Deo percussus fuit, quomodo isthic refertur. Supponunt vulgo [20], Ozam Levitam fuisse ; quamquam rei hujus certum nullum adest argumentum. Neque enim Levitis omnibus licebat, sed tantum illis e familia Caath, arcam ferre, at eam triplici integumentorum genere involutam [21] : & postquam Israel in terram promissam ingressus est, videtur hic honor Arcæ gestandæ, Levitis exclusis, Sacerdotibus tantum reservatus fuisse. Sacerdotes in Jordanis transitu eam tulere [22], & circum Iericho [23], & in castra Israelitarum sub Heli [24], & in regias Davidis ædes, cum de domo Obededom fuit asportata [25]. Creditur porro crimen suum Oza expiasse hac morte, qua in ipsum Deus animadvertit. Bona illius fides, ac zelus protexere ante oculos Dei temeritatem rem adeo sacram, qualis erat Arca Domini, attingendi. At voluit Deus terribili hoc exemplo in populum, ac Ministros suos Majestatis suæ sacrum timorem, atque pro suis mysteriis maximam venerationem immittere.

℣. 8. QUOD PERCUSSISSET DOMINUS OZAM.] Hebraice [26] : *Quod divisisset Dominus divisionem*, vel fre-

1 אשר נקרא שם שם יהוה Legi potest *Scham*, *ibi*, pro שם *Schem*, *nomen*. 2 Ita 70. Ἐξ οἴκου Ἀβιναδὰβ τοῦ ἐν τῷ βουνῷ. 3 בכל עצי ברושים 4 כנרות 5 נבלים 70. Νάβλαις. 6 במנענעים 70. Κυμβάλοις. 7 בצלצלים 70. Ἐν αὐλοῖς. 8 Ἕως τῆς ἅλω Ναχώρ. 9 עד גרן נכון Aqu. Ἕως ἅλω ἑτοίμης. 10 Vide infra c. 6. 13. 11 1. Par. 13. 9. *Cum pervenissent ad aream Chidon*. 12 כי שמטו הבקר 13 Ὅτι περιέσπασεν αὐτὴν ὁ μόσχος. 14 Ἐξέκλινεν αὐτήν. 15 ויכהו על השל Aqu. Ἐπὶ τῇ ἀγνοίᾳ, *pro ignorantia*, vel *insania*. Alius, ... *temeritate*. 16 Serar. 17 Hebr. in Sanct. 18 Ita Lyran. Grot. Men. ad ℣. 3. Malv. Mart. Tirin. Est. ad 1. Par. 13. 19 1. Par. 15. 13. *Ne ut a principio, quia non eratis præsentes, percussit nos Dominus* &c. Vide & Joseph. l. 7. c. 4. Antiq. & Theodoret. qu. 19. in 2. Reg. 20 Joseph. Antiqu. l. 6. c. 2. Abinadab patrem Oza vocat *Levitam æquitate illustrem*. Vide pariter Theodoret. q. 19. ubi Josephum dixisse asserit Ozam non fuisse Levitam. Joseph solummodo ait illum Sacerdotem non fuisse. 21 Vide Num. 4. 15. & 18. 3. 22 Josue 3. 14. 23 Josue 6. 6. 24 1. Reg. 4. 4. 25 1. Par. 15. 3. 26 על אשר פרץ יהוה פרץ בעזה 70. Διέκοψε διακοπήν.

fregisset fracturam *in Oza*. Hebræi [1] sæpius hac utuntur locutione, ut violentam mortem, atque excidium significent. Exempli gratia, Judic. 21. 15. scriptum est; *fracta fuit tribus in Israel*, cum tribus Benjamin fere deleta fuit; atque latrones *Effractores* vocantur, Psal. 16. 4. Jerem. 7. 11. Mich. 2. 13.

℣. 11. IN DOMUM OBEDEDOM GETHÆI.] Obededom procul dubio erat Levita [2]. Cur ergo Gethæus appellatur? forte, quod diu in urbe Geth, Philisthinorum regione permanserat; vel ibi natus fuerat, cum ibi David constiterat; vel potius erat e *Gethremmon* Levitarum urbe, trans Jordanem, Josue 21. 24. 25.

℣. 12. ET ERANT CUM DAVID SEPTEM CHORI, & VICTIMA VITULI.] Hoc neque in Hebraico textu est, neque in Græco Septuaginta Complutensium, neque in veteribus Exemplaribus Versionis S. Hieronymi. Septuaginta editionis Nobilii longe differunt ab Hebraica, atque item a vulgata lectione. Ita porro habent: *David adduxit arcam Dei de domo Obeddara* (ita vocant Obededom) *in civitatem David, & erant cum David septem chori, qui ferebant Arcam, & victima, vitulus, & agni. Et David psallebat fidibus coram Domino.*

℣. 13. CUMQUE TRANSCENDISSENT, QUI PORTABANT ARCAM DOMINI SEX PASSUS, IMMOLABAT BOVEM, & ARIETEM.] Post senos passus, Altare erat extructum, prope quod bos, & aries immolabantur, dum transiret Arca, vel dum ante hæc Altaria subinde morabatur. Ex 1. Paralipom. 15. 26. viderentur septem dumtaxat boves, septemque Arietes fuisse immolati; unde argui posset septem dumtaxat Altaria erecta fuisse, ac septem fuisse spatia senorum passuum a domo Obededom ad locum, quem Arcæ collocandæ præparaverat David. At Paralipomenon libri septem tantummodo victimarum meminere, quas obtulerunt Sacerdotes in actionem gratiarum, eo quod illis Deus pepercisset; de victimis autem, quas nomine suo Rex mactari jusserat, ne sermo est quidem. Grotius putat, Altaria, de quibus loquimur, cespititia fuisse, ac festinanter congesta.

Erexit subitas congestu cespitis aras.

Alii putant unam [3] tantum aram fuisse, quo excisarum victimarum sanguis ferebatur. Re quidem vera, minime opus erat, ut ubicumque animalia immolabantur, illic adessent altaria; verum major sane magnificentia fuisset, ubi plures aræ consurgerent.

Hebraica vox [4] *meri*, quam Vulgata, ac Septuaginta *arietem* reddidere, juxta Rabbinos significat bovem, aut vitulum, vel generatim animal de industria saginatum: juxta alios bubalum, vel taurum sylvestrem. Symmachus vertit *ovem*. Septuaginta *agnos*. Aquila *animal saginatum*. At Bochartus de Animal. t. 1. l. 2. c. 28. tuetur, hoc fuisse genus boum e Syria maximopere pinguium, ac celerrimo cursu præstantium.

Ethnici nonnumquam Numinibus suis, atque adeo Imperatoribus eumdem præbuere honorem, quo David excepit Arcam Dei Israel. Hoc pacto excepere Othonem tradente Suetonio: *cum per omne iter dextra, sinistraque oppidatim victimæ cæderentur*; & Caligulam, ut ait idem Suetonius: *Ut a Miseno movit inter altaria, & victimas, ardentesque tædas densissimo, ac lætissimo obviorum agmine iverit*. Ovidius ita Paridem Helenæ loquentem inducit in Epist. Parid. & Helen.

Ibis Dardanias ingens Regina per urbes,
Teque novam vulgus credet adesse Deam.
Quaque feres gressus, adolebunt cynnama flammæ
Cæsaque sanguineam victima planget humum.

℣. 14. DAVID SALTABAT TOTIS VIRIBUS.] Hebraicus textus [5] innuere videtur, ipsum arietum more subsiluisse, vel etiam choreas egisse. Septuaginta [6]: *fidibus psallebat*. Chaldæus: *laudabat Deum* &c. Spiritus, quo David afflatus erat, & circumstantia, in qua aderat, non solum permittebat, verum commendabat etiam in Principe factum, quod alioquin viro tantæ dignitatis palam salienti pudorem debuisset incutere.

DAVID ERAT ACCINCTUS EPHOD LINEO [7].] In hac solemnitate vestem induit, quæ Sacerdotes solum regulariter decebat; verum nulla aderat lex, quæ Regi illius usum interdiceret. Ephod autem hoc nihil aliud erat quam zona linea, qua vestis inferior præcingebatur. David præterea pallium byssinum gestabat, quemadmodum videre est ex 1. Paralipom. 15. 27. Hæc tamen minimum obfuere, quin Michol Regem exprobrarit, quod se se indecenter nudasset, quemadmodum infra videbimus. Patres nonnulli, cum legissent David propositionis panes manducasse, & Ephod indutum fuisse (quod isthic narratur) eum veluti Sacerdotem admirati sunt, qui ad novæ Legis Sacerdotium spectaret, vel sicuti imaginem Sacerdotum novi fœderis: quo in sensu a S. Irenæo l. 4. contra hæres. Sacerdos vocatur: *Sacerdos scitus erat David.*

℣. 16. SUBSILIENTEM ATQUE SALTANTEM.] Hebraicus textus verti potest [8]: *saliebat cum conatu*, subsultim. Ajunt autem priorem vocem arietum, alteram vero caprarum saltum referre. Aquila: *se se agitabat, saliebatque*. Symmachus: *choreas agebat, ludebatque fidibus*. Septuaginta. *Saltabat, psallebatque fidibus.*

℣. 17. IN MEDIO TABERNACULI, QUOD TETENDERAT EI DAVID.] David novum tentorium, vel novum Tabernaculum fecit, quod erectum fuit in civitate David. Vetus autem Tabernaculum in Gabaon permansit.

℣. 18. BENEDIXIT POPULO.] Dei nomine quodvis felicitatis genus illi ominatus est. Hoc erat munus Sacerdotibus, ac Regibus reservatum, populo in Solemnitatibus benedicendi. Salomon post Templi dedicationem idem, quod isthic David, peregit, ac populo universo benedixit; cujus benedictionis formula in tertio Regum libro videtur cap. 8. 55. 56. David postquam populo benedixit, profectus est, ut benediceret domui suæ [9], ac præsertim mulieribus, quæ huic celebritati minime interfuerant. Hæ sunt veluti veteris gentium juris reliquiæ, quo quilibet paterfamilias Sacerdotis munere in propria domo fungi debebat.

℣. 19. COLLYRIDAM PANIS UNAM.] Hebraica vox [10] *chalas* significat placentam, vel panem subactum, vel inunctum melle, vel oleo, & plerumque azymum [11]. Reor autem Gallicam vocem *galette*, quæ hoc ipsum significat, ex Hebræa *chalas* proficisci. Illorum panes vulgo exiles erant, quemadmodum ad hanc quoque diem ea in regione assolent fieri.

ASSATURAM BUBULÆ CARNIS UNAM.] Tantum obsonii, quantum viro uno saturando sufficeret.

SIMILAM FRIXAM OLEO.] Hæc profecto nobis invisa esset esca, Simila oleo frixa; sed veteres passim farina utebantur [12]; neque vile erat condimentum, si oleo frigeretur. Non pauci recentiorum Interpretum [13] putant hebraicam vocem significare *lagenam vini*. Septuaginta [14]: *pastillos in patella frixos*. Chaldæus: *portionem*.

℣. 20. DISCOOPERIENS SE.] Vel ante ancillas servorum suorum, vel ante uxores, & filias subditorum suorum.

1 Vide Exod. 19. 22. & 24. 2 1. Par. 15. 18. 21, 24. & 16. 5. 38. & 26. 4. 3 Clericus hic.
4 ויזבח שור ומריא 5 ודוד מכרכר בכל עז 6 70. Ἀνεκρούετο ἐν ὀργάνοις ἡρμοσμένοις, &c. Chald.
7 אפוד בד משבח Aqu. Ἐπένδυμα ἐξαίρετον. *pallio magnifice*. Sym. Ἐπένδυμα λινοῦν. *habitu lineo*. Septuaginta, Στολὴν ἔξαλλον, *pulcherrima veste*. 8 מפזז ומכרכר Aqu. Διακρουόμενον, καὶ ὀρχούμενον. Sym. Σκιρτῶντα καὶ ἀγκαλίζοντα. 70. Ὀρχούμενον καὶ ἀνακρούμενον. 9 Mox. ℣. 20. 10 חלת לחם
11 Vide Exod. 29. 2. 23. Levit. 2. 4. 7. 12. 8. 26. &c. 12 Vide, quæ adnotavimus in Levitic. c. 2. 1.
13 אשישה אחת Munst. Kimchi, Vat. Jun. Pisc. Cleric. 14 Λάγανον ἀπὸ τηγάνου.

suorum. Michol hoc proprio Marte addit; neque enim credibile est David aliquid indecorum, & contra honestatem commisisse. Michol exaggerat; sorte innuere vult simpliciter, quod David omni conatu subsiliens periculum subierat se se discooperiendi. Alioquin *se discooperire* non semper integram nuditatem significat; nam ad 1. Reg. 19. 24. diximus, quod esse nudum significat sæpe, minime indutum esse juxta consuetudinem; atque vel male, vel parum vestibus esse obtectum. David Ephod lineo erat præcinctus, quemadmodum dicitur ℣. 14. præterea pallio byssino erat indutus, quod ex Paralipomenis liquet; probabile quoque est tunica fuisse tectum; nam Ephod nihil aliud erat, quam zona, atque vulgo super vestem, aut tonicam præcingebator. Itaque Michol objurgatio decidere potest super quosdam vividos nimis, violentosque motus, quos se credidit observasse in David, qui saliendo lætitiam suam coram Arca Domini testabatur.

QUASI SI NUDETUR UNUS DE SCURRIS.] Michol dictis suis nimium progreditur, neque ulla Regis reverentia deterretur. Textus ad litteram [1]: *Velut fatuus*, veluti homo iners, ac ignavus, qui inanibus spectaculis populum detinet. Septuaginta [2]: *veluti saltator*.

℣. 23. IGITUR MICHOL .... NON EST NATUS FILIUS.] Caput 21. ℣. 18. libri hujus meminit quinque filiorum Michol, & Adriel: at si nomen Michol illuc minime obrepit pro Merob, dicendum est, quod Michol sororis suæ Merob, quæ nupserat Adrieli[3], filios adoptarit: nam vir Michol Phaltiel appellabatur. Non desunt, qui putent, Eglam uxorem David, & matrem *Jetraan* camdem esse ac Michol: verum sententiæ hujus nullum suppetit argumentum. Itaque nullos genuisse filios Michol dicendum est (quos noverimus), vel ex Phaltiel, vel ex David. Et Scriptura innuere videtur, ipsam in pœnam eorum, quæ Davidi objecit, numquam peperisse.

---

1 עחר הרקים. Aq. Ε'ις κενῶν, *inanium*. Sym. Ε'υτελῶν, *vilium*. 70. Ο'ρχουμένων, *saltantium*.
2 Καθὼς ἀποκαλύπτεται εἷς τῶν ὀρχουμένων.
3 Supra c. 3. 5.

CAPUT VII.

David proponit Prophetæ Nathan consilium ædificandi Templum Domino. Propheta, qui primum illius mentem commendarat, mox illi prodit, honorem hunc a Deo alicui e filiis ipsius servatum esse. Plurima David, ac domui illius promittuntur. Oratio David, qua gratias agit Domino ob ea, quibus cumulatus fuerat beneficia.

Anno M. 2960. Ante J. C. 1044.

1. FActum est autem, cum sedisset rex in domo sua, & Dominus dedisset ei requiem
undique ab universis inimicis suis, 2 Dixit ad Nathan prophetam: Videsne,
quod ego habitem in domo cedrina, & arca Dei posita sit in medio pellium?
3 Dixitque Nathan ad regem: Omne, quod est in corde tuo, vade, fac: quia Domi-
nus tecum est. 4 Factum est autem in illa nocte: & ecce sermo Domini ad Nathan,
dicens: 5 Vade, & loquere ad servum meum David: Hæc dicit Dominus: Num-
quid tu ædificabis mihi domum ad habitandum? 6 Neque enim habitavi in domo, ex
die illa, qua eduxi filios Israel de terra Ægypti, usque in diem hanc: sed ambulabam
in tabernaculo, & in tentorio. 7 Per cuncta loca, quæ transivi cum omnibus filiis Is-
rael, numquid loquens locutus sum ad unam de Tribubus Israel, cui præcepi, ut pa-
sceret populum meum Israel, dicens: Quare non ædificastis mihi domum cedrinam?
8 Et nunc hæc dices servo meo David: Hæc dicit Dominus exercituum: Ego tuli te
de pascuis sequentem greges, ut esses dux super populum meum Israel: 9 Et fui te-
cum in omnibus, ubicumque ambulasti, & interfeci universos inimicos tuos a facie tua:
fecique tibi nomen grande, juxta nomen magnorum, qui sunt in terra. 10 Et ponam
locum populo meo Israel, & plantabo eum, & habitabit sub eo, & non turbabitur am-
plius: nec addent filii iniquitatis, ut affligant eum sicut prius, 11 Ex die, qua con-
stitui judices super populum meum Israel: & requiem dabo tibi ab omnibus inimicis
tuis, prædicitque tibi Dominus, quod domum faciat tibi Dominus. 12 Cumque com-
pleti fuerint dies tui, & dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post te,
quod egredietur de utero tuo, & firmabo regnum ejus. 13 Ipse ædificabit domum no-
mini meo, & stabiliam thronum regni ejus usque in sempiternum. 14 Ego ero ei in
patrem, & ipse erit mihi in filium: qui si inique aliquid gesserit, arguam eum in vir-
ga virorum, & in plagis filiorum hominum. 15 Misericordiam autem meam non aufe-
ram ab eo, sicut abstuli a Saul, quem amovi a facie mea. 16 Et fidelis erit domus
tua,

tua, & regnum tuum usque in æternum ante faciem tuam, & thronus tuus erit firmus
jugiter. 17 Secundum omnia verba hæc, & juxta universam visionem istam, sic locu-
tus est Nathan ad David. 18 Ingressus est autem rex David, & sedit coram Domino,
& dixit: Quis ego sum, Domine Deus, & quæ domus mea, quia adduxisti me hucus-
que? 19 Sed & hoc parum visum est in conspectu tuo, Domine Deus, nisi loquereris
etiam de domo servi tui in longinquum: ista enim est lex Adam, Domine Deus. 20
Quid ergo addere poterit adhuc David, ut loquatur ad te? tu enim scis servum tuum,
Domine Deus. 21 Propter verbum tuum, & secundum cor tuum fecisti omnia magna-
lia hæc, ita ut notum faceres servo tuo. 22 Idcirco magnificatus es, Domine Deus,
quia non est similis tui, neque est Deus extra te, in omnibus, quæ audivimus auribus
nostris. 23 Quæ est autem, ut populus tuus Israel, gens in terra, propter quam ivit
Deus, ut redimeret eam sibi in populum, & poneret sibi nomen, faceretque eis magna-
lia, & horribilia super terram, a facie populi tui, quem redemisti tibi ex Ægypto,
gentem, & deum ejus? 24 Firmasti enim tibi populum tuum Israel in populum
sempiternum: & tu, Domine Deus, factus es eis in Deum. 25 Nunc ergo, Do-
mine Deus, verbum, quod locutus es super servum tuum, & super domum ejus,
suscita in sempiternum; & fac, sicut locutus es, 26 Ut magnificetur nomen tuum
usque in sempiternum, atque dicatur: Dominus exercituum, Deus super Israel. Et
domus servi tui David erit stabilita coram Domino. 27 Quia tu, Domine exercitu-
um Deus Israel, revelasti aurem servi tui, dicens; Domum ædificabo tibi; propte-
rea invenit servus tuus cor suum, ut oraret te oratione hac. 28 Nunc ergo, Do-
mine Deus, tu es Deus, & verba tua erunt vera: locutus es enim ad servum tuum
bona hæc. 29 Incipe ergo, & benedic domui servi tui, ut sit in sempiternum co-
ram te: quia tu, Domine Deus, locutus es, & benedictione tua benedicetur domus
servi tui in sempiternum.

℣. 1. CUM DOMINUS DEDISSET EI REQUIEM UNDIQUE.] Hoc accidit, postquam David pacem constituerat in Israel, eaque repararat mala, quæ novissimo Saulis bello adversus Philisthiim passa fuerat Respublica; sed antequam signa inferret contra Moabitas, Syros, & Idumæos, & antequam ipsos Philisthiim in eorum regione bello lacessisset, Vide 1. Par. 18. 1. collat. cum 17. 1.

℣. 2. DIXITQUE AD NATHAN PROPHETAM.] Quo tempore hic Propheta in Israel primum prodierit, non satis liquet. Nunc primum illius memorat Scriptura. Vir hic modestus erat, prudens, elegans, noveratque comitate, ac sapientia miscere austeritatem, cum illi aliquis corripiendus esset; quare in summorum virorum consuetudine apprime sciebat versari, ac Regum uti necessitudine. Hoc de ipso judicium tulit Grotius scriptor eruditissimus, quod perfectè iis omnibus respondet, quæ de illius agendi ratione loquitur Scriptura. Ipse enim æque & amorem, & observantiam Davidis meritus est, instititque *inter abruptam contumaciam, & deforme obsequium pergere iter ambitione, & periculis vacuum*. Tacit. Annal. lib. 4.

EGO HABITEM IN DOMO CEDRINA.] Cedrus lignum erat solidum, speciosum, incorruptibile, & quod in Libano crescebat prope Biblum, & Tripolim. Hiram Rex Tyri miserat ad David ligna, & artifices, ut domum suam ædificaret, quæ, ut iis temporibus, magnifica profecto erat. Modus, quo hic Rex de illa loquitur, & quidquid infra legimus de Salomonis Æsponsæ ipsius ædibus, satis innuunt maximam earum domuum partem ex ligno extructam fuisse. In regionibus calidis, præsertim illis temporibus, non ea erat murorum soliditas, & crassities, quæ in nostratibus ædibus fieri solet his in regionibus, ubi pluviæ, ac frigora desæviunt. Po-
A lybius hist. lib. 10. describens Palatium Regis Persarum Ecbatanis, quod jure inter maxime præclara antiquitatis opera recensebatur, ait illud ex cupressu, & cedro fuisse compactum. Hoc autem maxime pretiosum illis temporibus erat.

IN MEDIO PELLIUM.] Tabernacula olim ex pellibus fieri consuevisse nemo nescit, uti quoque patet peculiariter Tabernaculum, vel tentorium, quod arcam Domini cooperiebat, e pellibus fuisse, saltem quoad extima integumenta. Vide Exod. 26.

℣. 3. OMNE, QUOD EST IN CORDE TUO, VADE, FAC.] Nathan non loquitur hic veluti Propheta. Consilium hoc speciosum adeo, & commendabile videtur illi, ut minime credat ulla particulari opus esse revelatione, qua ductus illud probaret; & for-
B te David illum, non veluti Prophetam, consuluit. Ita quoque Joseph in aliam sententiam abierat a patre suo Jacob quoad Ephraim, & Manasse Genes. 48. 19. & Samuel credidit Eliab primogenitum Isai eum esse, quem Dominus Regem exposceret 1. Reg. 16. 6. & Eliseus fatetur, Deum sibi abscondisse causam, propter quam hospita sua mœrore conficeretur 4. Reg. 4. 27.

℣. 7. NUMQUID LOCUTUS SUM AD UNAM DE TRIBUBUS ISRAEL, CUI PRÆCEPI, UT PASCERET POPULUM MEUM?] In Paralipomenis [1] legimus: *Numquid locutus sum saltem uni Judicum Israel, quibus præceperam, ut pascerent populum meum*; qui sane commodus est sensus. Unius tantum litteræ immutatio in textu varietatem hanc gignere potuit.
C Videmus ibidem aliquid amplius, quam quod isthic legitur; sed ad eamdem redit sententiam. Deus ut bonam Davidis voluntatem remuneraturus, qui vult illi Templum extruere, promittit ipsi, se domum illius ædificaturum. *Annuntio tibi*, inquit Nathan, *quod ædificaturus sit tibi Dominus domum*. Scriptura non refert semper eodem in loco quidquid dictum, vel

1 1. Par. 17. 6. שפטי pro שבטי, ut legitur isthic. Vide pariter 3. Reg. 8. 16. 18. & 25. & 1. Paral. 22. 8. 9. & 28. 6.

vel factum fuerit ; & cum factum idem duobus in locis enarrat, non semper iisdem vocibus utitur, & fere semper aliquod discrimen intereſt ; sed nulla occurrit oppoſitio. Docemur 1. Paralipomenon 22. 7. 8. Deum non permiſiſſe Davidi, ut ipſi Templum ædificaret, hac explicite de cauſa, quod nimium ſanguinis effudiſſet, atque nimis crebro cum hoſtibus conflixiſſet. His enim quodammodo pollutus fuerat, vel ſaltem hæc eum puritatis candorem ademerant, qui ad opus adeo pium, atque ſanctum exquirebatur.

℣. 10. NON TURBABITUR AMPLIUS.] Iſrael te, ac ſucceſſore tuo imperantibus diuturna pace fruetur, atque in eo poſitum erit ſempiterna frui, ſi legibus meis fidelis eſſe voluerit. Promiſſa hæc ſunt dumtaxat conditionalia.

℣. 12. SUSCITABO SEMEN TUUM POST TE.] Deus in Salomonis gratiam [1], qui nondum natus fuerat, naturalem ordinem ad Regnum ſucceſſionis invertit. Excludit enim filios omnes, quos hactenus genuerat David, ut ad naſciturum filium transferat ; veluti ob Meſſiam ſignificandum verum filium, ac ſucceſſorem David, ac promiſſorum ſuorum hæredem, cum repulſa filiorum carnis, Judæorum ſcilicet reprobatorum, ac derelictorum.

℣. 13. STABILIAM THRONUM REGNI EJUS USQUE IN SEMPITERNUM.] Promiſſio hæc ad litteram ſumpta de Jeſu Chriſto [a] ſolum explicari poteſt, qui præcipuum erat omnium promiſſionum objectum. Convenit etiam Salomoni, ac poſteris illius, verum minus exacte, ac minus preſſe ; nam regnum illius revera nequaquam ſempiternum permanſit ; ſed ſatis diuturnum fuit, ut hæc locutio *in ſempiternum* probari queat, ſi hæc minus ſtrictim, atque proprie accipiatur. In id genus prophetiis ſemper typus, & figura diſtinguendus eſt a prototypo, ac re figurata, id quod ſecundum litteram dicitur, ab eo, quod dictum eſt ſecundum figuram. Duo adſunt ſcopuli æque fugiendi, ne Jeſu Chriſto omnia, ne omnia Salomoni tribuantur : atque tribuantur Jeſu Chriſto ſecundum litteram, ea quæ ſolum Salomonem ſpectant ; vel e contra de Salomone dicantur, quæ ad litteram de Jeſu Chriſto dumtaxat ſunt intelligenda.

℣. 14. ARGUAM EUM IN VIRGA VIRORUM.] Non plectam illum, ita ut eum omnino perdam : neque in illum animadvertam iis vulneribus, ac terribilibus ſuppliciis, quibus in illos deſævio, quos delere ſtatutum eſt, veluti Chananæos, Amalecitas &c. Filium tuum vulgatis dumtaxat, aſſuetiſque pœnis percutiam, quibus juſtitia mea eos populos punit, quorum excidium minime decretum eſt. Verum in ipſum ob id unum animadvertam, ut ſapientior fiat, fidelior, atque ideo felicior. Propheta de his hominum pœnis alibi his verbis diſſerit [3] : *In labore hominum non ſunt, & cum hominibus non flagellabuntur, ideo tenuit eos ſuperbia.*

℣. 16. FIDELIS ERIT DOMUS TUA . . . ANTE FACIEM TUAM.] Fidelis, hoc eſt ſtabilis. Poſteritas tua non delebitur, numquam excidet. Ubi nunc eſt domus David ? Et ubi inveniri poteſt litterale prophetiæ hujus complementum, niſi in Jeſu Chriſto, cujus domus, quæ eſt Eccleſia viſibilis, numquam interibit, donec terrarum orbis ſubſtiterit ?

REGNUM TUUM USQUE IN ÆTERNUM ANTE FACIEM TUAM.] Videbis Salomonem filium tuum in ſolio tuo, antequam moriaris. David Meſſiæ regnum in ſpiritu vidit. Septuaginta [4] : *Regnum tuum uſque in æternum confirmabitur coram me.* Quod 88. pſalmo ℣. 38. conforme eſt : *Thronus ejus ſicut Sol in conſpectu meo.*

℣. 18. DAVID SEDIT CORAM DOMINO [5].] Regibus tantum, immo Regibus ſolis e progenie David fas erat in atrio templi ſedere, inquiunt Judæi [6] ; Sacerdotes ibi ſemper ſtabant, neque ſedere, vel diſcumbere poterant, niſi in illorum ſedibus, quæ erant in porticibus alarum templi. Hæc pervulgata eſt opinio. Verum a Joſepho de Bello lib 7. cap. 11. plumbeas ſedes memorari ſcio, quas in Templo fuiſſe ait in uſum Sacerdotum. Ad quid enim illic poſitæ fuiſſent, ſi Sacerdotibus illic ſedere fuiſſet nefas. Scriptura loquitur de æreo Tribunali, quod Salomon ſibi extrui in Templo curavit, ut ibi conſideret.

Interpretes nonnulli ægre ferentes locutionem hanc, David ſediſſe coram Domino, perinde ac ſtatus ille minime decuiſſet pietatem ipſius, ſummamque erga ſupremam Dei Majeſtatem obſervantiam, aliam hebraico textui quærunt ſententiam appingere. *Sedere* ſæpe ſignificat aliquandiu quieſcere : exempli gratia Oſee 3. 4. *Dies multos ſedebunt filii Iſrael ſine Rege, & ſine Principe, & ſine ſacrificio, & ſine altari.* Itaque Textus verba ſignificare poſſunt dumtaxat diuturnitatem, ac perſeverantiam Orationis David, non autem poſituram illius. Alii vertunt : *Manſit*, vel ſtetit, vel ſedit in pulvere coram Domino ; quem ſenſum Hebraicus textus poteſt quidem admittere. Joſephus Antiquit. lib. 7. cap. 4. ait, ipſum procubuiſſe coram Arca. Verum ad quid hæ ambages ? Ubinam vetat Deus, ne quis ſedens oret ? Nonne ſufficit, animam coram Deo in humilitate proſterni, illum, quemadmodum opus eſt, exoratura ? Num corpus vota nuncupat ? Num externus oris habitus Deum allicit ? Videri poteſt Sanctus Auguſtinus in reſponſionibus ad Simpliciani quæſita lib. 2. quæſt. 4. Heroicis temporibus, cum Homerus, ac Pythagoras florerent, nequaquam genibus flexis, ſed vel ſtantes, vel ſedentes orabant ; & Pythagoras ait, illum, qui adorare vult, ſedere debere, Καθῆσθαι προσκυνοῦντα. Homerus Iliad. A. deſcribit Thetidem ſupplicis habitu coram Jove ſedentem, illius genua amplectentem, ac manu mentum illius tenentem.

℣. 19. ISTA EST ENIM LEX ADAM, DOMINE DEUS.] Mecum agis, quemadmodum in ipſo rerum primordio egiſti cum Adam. Illi immortalitatem ſpondiſti, ſi tibi fidem ſervaſſet ; hac ipſa ratione, quodammodo mecum agis : mihi enim æternam poſterorum ſeriem polliceris [7] : Vel id per interrogationem dictum cenſendo : *Hæccine eſt lex Adam ?* Hoccine pacto cum Adam egiſti ? Nonne illum cum omni ipſius poſteritate morti addixiſti ? quomodo mihi æternum regnum promittis ? Videtur Propheta innuere velle Verbi Incarnationem, per quam prioris Adam mala reparata fuere. Alii nomen *Adam* pro homine generatim intelligunt : *Iſta eſt lex*, vel conſuetudo *hominum* ; hic mos eſt, atque hominum votum. Quiſque cupit progeniem ſuam felicem, atque florentiſſimam ad poſteros amandare [a] ; quod ipſum pro tua benignitate mihi pollicitus es. Vel ſimpliciter : *Iſta eſt lex*, vel *hominum* conſuetudo inter ſe [9]. Mecum quodammodo veluti cum æquali agis, quemadmodum amicus cum amico ſuo loqueretur. Aliter : Hæc eſt ratio ſummorum virorum ; videlicet mecum agis, veluti cum ſpectatiſſimo, ampliſſimoque viro, cum pulvis ſim. Locus 1. Paralipomenon 17. 17. qui huic reſpondet, hæc habet : *ſpectabilem me feciſti ſuper omnes homines.* Vel cum interrogatione : Hæccine ratio eſt, qua vulgo cum hominibus agis ? Homone mereri poteſt, ut tanti illum facias ? Quis ego ſum, ut me hac benevolentia proſe-

a 3. Reg. 2. 15. *Tu noſti, quia meum erat regnum . . . ſed tranſlatum eſt regnum, & factum eſt fratris mei : a Domino enim conſtitutum eſt ei.* a Auguſt. l. 7. de Civit. c. 8. 9. Angelom. Eucher. Ruper. Lyran. Dionyſ. Hugo, &c. Vide Hebr. 1. 5. 3 Pſal. 72. 5. Confer pariter Pſal. 88. 33.
4 Ἡ βασιλεία σου ἕως αἰῶνος ἐνώπιον Κυρίου. 5 וישב לפני יהוה 70. Ἐκάθισεν ἐνώπιον Κυρίου.
n Vide Maimon. Halac. Mel. Med. c. 2. Vat. &c. 7 Menoch. a Lyran. Toſt. Corn. Tir.
8 Jun. Grot. Menoch. Malv.

prosequaris? Nonnulli de Messia intelligunt: *Ista est Lex hominis, Domini Dei* [1]. Hodie mihi prodis mysterium ineffabile, quo humilitas cum Divinitate conjungitur. Harum explicationum delectus fieri potest: ex optimæ, quæ simplicissimæ. Hæc nobis magis arridet: ea enim hominum vota sunt, ut felices in se ipsis, atque in posteris suis esse concupiscant.

℣. 20. QUID ADDERE POTERIT?] Quibus verbis animi sensus exprimere poterit? vel potius, quid ulterius a te deprecabitur David?

℣. 21. PROPTER VERBUM TUUM, ET SECUNDUM COR TUUM FECISTI.] Textus Paralipomenon huic respondens [2]: *Domine propter famulum tuum, juxta cor tuum fecisti*. Ex Septuaginta versione videtur, olim isthic eadem legi consuevisse; nam vertunt isthic quemadmodum in Paralipomenis. B

℣. 23. UT PONERET SIBI NOMEN.] Elegisti Israel propter gloriam tuam, ut in gratiam illius tui nominis gloria usquequaque enitesceret. Ut hominibus potentiam, ac magnitudinem tuam ostenderes, aliquod subjectum requirebatur, in quo virtutem tuam exerceres. Ad hoc autem elegisti populum Israel.

A FACIE POPULI TUI, QUEM REDEMISTI TIBI EX ÆGYPTO, GENTEM, ET DEUM EJUS.] Scilicet, coram quo terribilia adeo prodigia patrasti, ut illum de Ægypto educeres. Ægyptios vero, ac Deos illorum mulctares, adversus quos Deus Israel *exercuit ultionem suam* in Ægypto, juxta rationem loquendi Moysis Numer. 33. 4. vel adversus Ægyptios, & C Pharaonem illorum Regem, qui vocatur quoque illorum Deus, non eo quod venerarentur illum, sed quod in Hebræorum stylo, nonnumquam Dii appellantur, *Elohim*, illi, qui ad summum dignitatis apicem in populis evecti sunt, ac in terris suprema pollent authoritate. Hæc verba *Gentem, & Deum ejus* referri quoque possunt ad Hebræos: Eduxisti de Ægypto *Israelitas, & illorum Deos*, illorum capita, Principes; Moysen, Aaronem, & Capita nationis; vel eduxisti Hebræos de Ægypto, de populo illo, ac de illius Diis; electum hunc populum evulsisti de medio regionis illius, ubi oppressus erat: separasti ab A eo populo, in cujus mores abire inceperat: denique eduxisti illum de cultu inanium deorum Ægypti, quibus jam assuescebat [3]. Tandem alius sensus textui Hebraico tribui potest [4]: Quinam populus similis est illi, quem tu per tot prodigia redemisti de Ægypto, ut illum constitueres in terra tua, *unde nationes ejecisti, & deos earum coram ipso*. Authographi constructio impeditior sane est; sed Paralipomenon locus, qui huic respondet [5], nos in hanc adigit sententiam: *Quis enim est alius; ut populus tuus Israel, gens una in terra, ad quam perrexit Deus, ut liberaret, & faceret populum sibi, & magnitudine sua, atque terroribus, ejiceret Nationes a facie ejus, quem de Ægypto liberarat*. Vide Ludovicum de Dieu hic.

B ℣. 27. REVELASTI AUREM SERVI TUI.] Veluti cum quis secreto, ac in auriculam alterius loquitur; hoc est, revelasti servo tuo. Locutionis hujus alia superius scrutati sumus exempla. Vide Ruth 4. 4. & 1. Reg. 20. 2.

INVENIT SERVUS TUUS COR SUUM, UT ORARET TE.] Interiori motu me agi sensi, atque cordis impetu rapi, ut de hoc te orarem. Credidi me in gratiarum actionem ad id teneri [6]. Aliter: spes, atque fiducia in me accensa est, ut auderem accedere coram te, atque propter collata in me summa beneficia gratum animum testari [7]. Habere cor, cor deficere, invenire cor suum &c. aliquam habent inter se similitudinem. Cor etiam nonnumquam attentionem, mentem, & cogitationem significat: Ego C dixi in corde meo, ego cogitavi. David in Psalm. 107. 1. *Paratum cor meum, Deus; paratum cor meum: cantabo, & psallam in gloria mea*. Ponere in corde suo, animum advertere; hæc omnia ad locutionem hanc referri possunt *invenire cor suum*; sequi gratiæ impulsum, quo ad orationem Deo fundendam adigimur; donum hoc pretiosum tueri; cor suum coram Domino effundere; nullum alienis cogitationibus aditum recludere, quæ spiritum dissipare possent, ac efficere, ut *cor nostrum amitteremus*.

℣. 29. INCIPE ERGO, ET BENEDIC.] Hebraice [8]: *Velis, & benedic*. Dignare benedicere domui servi tui.

---

1 Osiand. 2 1 Par. 17. 19. בעבור עבדך hic vero legitur בעבור דברך 70. Διὰ γὰρ δοῦλόν σου, καὶ κατὰ τὴν καρδίαν σου. 3 Josue 24. 14. Ezech. 16. 28.
4 לעשות לכם הגדולה ונוראות לארצך מפני עמך אשר פדית לך ממצרים גוים יהוה
5 1. Par. 17. 21. 6 Jun. Syr. Arab. Corn. Var. 7 Menoch. Mar. Sanct.
8 הואל וברך 70. Ἄρξαι καὶ εὐλόγησον. Nna secus ne Vulgata, ac Junathan.

CAPUT VIII.

Davidis victoria de Philisthiim, Moabitis, & Adarezer Rege Syriæ. Thou Rex Emath ad illum mittit filium suum gratulatum. Victoria de Idumæis relata, Præcipui Duces David recensentur.

1. FActum est autem post hæc, percussit David Philisthiim, & humiliavit eos: &
tulit David frœnum tributi de manu Philisthiim. 2 Et percussit Moab, &
mensus est eos funiculo, coæquans terræ: mensus est autem duos funiculos,
unum ad occidendum, & unum ad vivificandum: factusque est Moab David serviens
sub tributo. 3 Et percussit David Adarezer filium Rohob regem Soba, quando pro-
fectus est, ut dominaretur super flumen Euphratem. 4 Et captis David ex parte e-
jus mille septingentis equitibus, & viginti millibus peditum, subnervavit omnes ju-
gales curruum: dereliquit autem ex eis centum currus. 5 Venit quoque Syria Da-
masci, ut præsidium ferret Adarezer regi Soba: & percussit David de Syria viginti
duo

duo millia virorum. 6 Et posuit David præsidium in Syria Damasci: factaque est Syria
David serviens sub tributo: servavitque Dominus David in omnibus, ad quæcumque
profectus est. 7 Et tulit David arma aurea, quæ habebant servi Adarezer, & detu-
lit ea in Jerusalem. 8 Et de Bete, & de Beroth, civitatibus Adarezer tulit rex Da-
vid æs multum nimis. 9 Audivit autem Thou rex Emath, quod percussisset David
omne robur Aderezer. 10 Et misit Thou Joram filium suum ad regem David, ut sa-
lutaret eum congratulans, & gratias ageret, eo quod expugnasset Adarezer, & per-
cussisset eum. Hostis quippe erat Thou Adarezer, & in manu ejus erant vasa aurea,
& vasa argentea, & vasa ærea: 11 Quæ & ipsa sanctificavit rex David Domino cum
argento, & auro, quæ sanctificaverat de universis gentibus, quas subegerat, 12
De Syria, & Moab, & filiis Ammon, & Philisthiim, & Amalec, & de manubiis A-
darezer filii Rohob regis Soba. 13 Fecit quoque sibi David nomen, cum reverte-
retur capta Syria in valle Salinarum cæsis decem, & octo millibus: 14 Et posuit in
Idumæa custodes, statuitque præsidium, & facta est universa Idumæa serviens David,
& servavit Dominus David in omnibus, ad quæcumque profectus est. 15 Et regna-
vit David super omnem Israel: faciebat quoque David judicium, & justitiam omni
populo suo, 16 Joab autem filius Sarviæ erat super exercitum; porro Josaphat filius
Ahilud erat a commentariis. 17 Et Sadoc filius Achitob, & Achimelech filius A-
biathar, erant Sacerdotes: & Sarajas, scriba: 18 Banajas autem filius Jojadæ,
super Cerethi, & Phelethi: filii autem David sacerdotes erant.

A ✠ 1. TULIT DAVID FROENUM TRIBUTI DE MANU PHILISTHIIM.] Quodnam erat hoc tributum? Quandonam, & a quonam impositum fuerat? Hoc equidem nos latet. Neque probabile est, Israel ad hoc usque tempus populis illis persolvisse tributum, videlicet usque ad vigesimum, circiter regni Davidis annum. Hebraicus textus aliter vertitur [1]; *David cepit frenum Amma de manu Philisthiim*. Hoc frenum Amma, ut quibusdam placet [2], erat adscensus, vel fauces montis Amma, vel Amani, unde David ejecit Philisthiim, illisque ademit urbem Geth [3] in eorum regione. Alii legunt: *Cepit Meteg ama de manu Philisthiim*. Hoc nomen est loci, quem minime novimus. Junius credit, hunc esse montem Amgar,

B quem Plinius l. 5. c. 13. prope Anthedonem, & Gazam constituit. Denique verti potest: *Cepit frænum cubiti de manu Philisthiim*; ac reor S. Hieronymum reddidisse *frenum cubiti* cum Aquila, pro *frenum tributi*, quæ correctio fuit alicujus librarii.

Verum cum hæc omnia haud difficultati enucleandæ sufficiant, aliam viam scrutari debemus nodum hunc evolvendi. In Paralipomenis legimus [4], David cepisse Geth, & filias illius. Isthic litteræ adest transpositio. Pro *Getim* [5] legitur *Meteg*. Itaque vertendum est. David cepit *urbem Geth*, *matrem*, vel metropolim de *manu Philisthiim*: quod æquivalet iis, quæ in Paralipomenis legimus. *Cepit Geth*, *& filias ejus*, hoc est pagos illius. Aliter: in Numer. 33. 28. legitur *Metca*, vel *Metre*, quæ est statio Hebræorum

C in deserto prope Geth, & Asmonam. Metca eadem forte est ac Meteg. Itaque hic legi posset: *David cepit Meteg*, *& Matrem ejus*; hoc est *Meteg*, *& Geth*, quod Regum libros cum Paralipomenis conciliat; ibi legimus ipsum cepisse Geth, & filias illius; hic vero filiam, & matrem cepisse, quæ eadem profecto est sententia. Septuaginta [6]: Cepit *partem separatam de manu Philisthiim*. Chaldæus [7]: *ademit illis fluvii commoditatem*, quæ posterior sententia, licet incerta valde, & obscura, non paucos Interpretes sectatores jactat.

℣. 2. PERCUSSIT MOAB, & MENSUS EST EOS FUNICULO, COÆQUANS TERRÆ; MENSUS EST AUTEM DUOS FUNICULOS; UNUM AD OCCIDENDUM, & UNUM AD VIVIFICANDUM.] Cum regionem eam subegisset, captivos omnes simul collegit, cumque eos humi prosterni jussisset, veluti morti destinatos, eos bifariam divisit, atque sortitus est, utra illorum pars morte esset afficienda. Ea vero, quam sortes damnavere, plaustris, traheisque super inductis, atque super ipsorum corpora abreptis, contrita fuit, aliis vero pepercit, ut terram excolerent; ac tributum penderent. Horrendum sane supplicii genus; verum bellicæ leges tum temporis permittebant servos belli captos vel interfici, vel eo servitutis jugo obrui [8], quod sane haud levius erat ipsa morte supplicium. Seneca in Troad.

Lex nulla capto parcit, aut pœnam impedit.

Non desunt [9], qui putent, a David Moabitas trifariam fuisse divisos, eosque omnes peremptos, qui in duabus harum partium erant, illos vero ad excolendos agros servatos fuisse, qui in tertia parte adfuissent. Septuaginta [10] ajunt, David duas fecisse illorum partes, qui erant interficiendi, eorum autem, qui servandi, itidem duas; ita sane eorum dimidium morti addixisset. Ecce Hebraicus textus ad litteram [11]: *delevit Moabitas, & mensus est eos funiculo, illos humi prosternens; & mensus est duos funiculos ut eos interficeret, & plenitudinem funiculi, ut vivificaret, ut vita frui fineret*. In Paralipomenis rei hujus nulla fit mentio; dicitur dumtaxat David subjecisse Moabitas, atque ab his illi tributum persolutum fuisse. Rabbini [12] ajunt, ideo hoc bellum a Davide illatum fuisse, ut ultionem sumeret de Moabitis illis, qui consanguineos, fratresque David occiderant; quod sine ulla veritatis specie comminiscuntur.

℣. 3. ADAREZER .... REGEM SOBA.] In Hebraico loci hujus textu [13] *Adadezer* appellatur; in Pa-

1 ויקח דוד את מתג האמה מיד פלשתים 2 Grot. hic. 3 1. Par. 18. 1.
4 1. Par. 18. 1. ויקח את גת ובנותיה 5 *Getim*, vel *Geraim* vidimus supra c. 4. 3.
6 Ἔλαβε τὴν ἀφωρισμένην ἐκ χειρὸς τῶν ἀλλοφύλων. Aqu. Τὸν χαλινὸν τοῦ πήχεως. *Frænum cubiti*. Sym. Τὴν ἐξουσίαν τοῦ φόρου, *Potestatem tributi*. 7 ונסיב דוד ית תיקון אמתא Vide Strab. Varab. Cornel. Glass.
8 Vide Grot. de jure Belli, & Pac. l. 3. c. 4. ar. 20. 9 Vide Sym. Ἐμέτρησε δὲ δύο σχοινία εἰς τὸ θανατῶσαι. Εἰς δὲ ἐν τῷ περισῶσαι. 10 70. Ἐγένετο τὰ δύο σχοινίσματα τοῦ θανατῶσαι, καὶ τὰ δύο σχοινίσματα ἐζώγρησε. 11 ויך את מואב וימדדם בחבל השכב אותם ארצה וימדד שני חבלים להמית ומלא החבל להחיות
12 Vid. Rab. Salom. Munst. Lyr. 13 הדדעזר

Paralipomenis vero vocatur *Adarezer* [1]. At verum illius nomen erat Adadezer. Nomen Adad erat commune omnibus Regibus Syriæ; vel saltem illorum nomini immiscebatur; exempli gratia, *Ben-adad*, de quo inferius est sermo. Adad nomen erat præcipui ipsorum Numinis; quo Solem nuncupabant [2]. Josephus refers Nicolai Damasceni [3] fragmentum, ubi narratur bellum, de quo sermo est. Dicit autem, Adad toti Syriæ, & Damasco, excepta Phœnicia imperitasse; huic bellum a Davide illatum fuisse, atque post multa prælia, in quibus eximium edidit virtutis suæ specimen, tandem ad Euphratem victum fuisse; nomen vero illius hæreditario veluti jure in successores illius descendisse, quemadmodum Ptolomæi nomen in Ægypti Regibus permansit; eos vero toti Syriæ dominatos fuisse usque ad decimam quintam generationem; atque Adad tertium ab hoc, cum delere vellet turpitudinis notam a Davide per victoriam de illius abavo relatam, illius inustam imperio, Samariæ infesta arma intulisse, ac regionem omnem diripuisse. Hic autem est Adad ille, a quo Achab Rex Samariæ bello est lacessitus.

UT DOMINARETUR SUPER FLUMEN EUPHRATEM;] Hoc enim Deus populo suo pollicitus fuerat futurum, ut ditione eam omnem regionem teneret, quæ ad Euphratem usque parebat [4]. Hebraice ad litteram [5]: *quando profectus est ad firmandam manum suam super flumen Euphratem*.

℣. 4. CAPTIS MILLE SEPTINGENTIS EQUITIBUS.] Vel equis. Septuaginta [6]: *Mille curribus, & septem mille*; quod 1. Paralipom. 18. 4. textui conformis est. Varietates has conciliare adnisi sumus supra 1. Reg. 13. 5.

SUBNERVAVIT OMNES JUGALES CURRUUM.] Deus præceperat Josue [7], ut hoc ipsum faceret de equis Regum Chananæorum, qui fœderati erant cum Jabino Rege Asor. David credidit Moysis edictum, quo caverat, ne Reges plurimos alerent equos [8], ad litteram esse intelligendum. Utrum vero eo subnervarit pacto, ut deinceps nulli usui inservire possent, an eos vulnerarit, ita ut bello inepti, agrorum cultui, aliisque operibus addici possent, non liquet. Si eos ad omne opus absolute inutiles reddere voluisset, interimendi sane potius erant, quam subnervandi. Aquila [9] dicit, eos exterminasse. Septuaginta, illia vires ademisse. Symmachus eos subnervasse.

℣. 5. VENIT SYRIA DAMASCI, UT PRÆSIDIUM FERRET ADAREZER.] Ex Nicolai Damasceni superius allata narratione adnotari potuit, regionem Damasci paruisse Adarezer. Hæc regio plane peculiarem habebat Regulum, qui tributum pendebat Regi Adarezer, & qui illi suppetias misit. David seorsim fudit, & Regem Adarezer, & qui illi opitulatum accesserant.

℣. 7. ARMA AUREA.] Hæc eadem Hebraica nomina [10] in 1. Paralipom. 18. 7. reddita fuere *pharetras aureæ*. Septuaginta [11]: *armillas aureas*; Syrus; *pharetras aureas*. Arabica versio: *baltheos aureos*; Chaldaica: *clypeos aureos*. Aquila; *torques aureos*, Alius Interpres: *Arma aurea*.

℣. 8. BETE, & BEROTH.] Prior forsitan est urbs Bathe, vel Bathnæ in Syria inter Beræam, & Hierapolim ab hac procul unum supra viginti milliarium juxta itinerarium Antonini. Beroth plane eadem est ac Beroe Syriæ, Cyrum inter, & Chalcidem, a Chalcide vero duodeviginti passuum millibus procul [12]. Plinius l. 5. c. 23. eam statuit inter Arethusam, & Epiphaniam.

℣. 9. THOU, REX EMATH.] Alibi jam dictum est Emath Syriæ fuisse celeberrimam urbem Emesam ad Orontem in Syria. Regi Thou finitimus, atque infestus erat *Adarezer* superbus Rex, & qui soli Syriæ dominari cupiebat. Cum ergo David subegisset Adarezer, illique vectigal quotannis solvendum indixisset, Thou perniciosi adeo hostis timore discusso filium suum cum muneribus ad Davidem misit, qui partam victoriam gratularetur, illiusque societatem, ac præsidium exposceret.

℣. 10. JORAM.] Aliter, *Hadoram*, 1. Paralipom. 18. 10.

℣. 11. QUÆ SANCTIFICAVIT REX DAVID.] Victores plerumque hostilium manubiarum partem Domino consecrabant; qua in re nemo unquam Davide fuit religiosior. Legimus enim in 1. Paralipom. 26. 27. ab eo virum præfectum fuisse thesauris Domino consecratis, in quos David, Tribuum Principes, Capita, & Duces copiarum illius plurima, eaque locupletissima ex hostilibus exuviis intulerant. Ibi etiam munera servabantur, quæ Propheta Samuel, Saul, Abner, & Joab Domino dicaverant.

℣. 13. FECIT QUOQUE SIBI DAVID NOMEN, CUM REVERTERETUR CAPTA SYRIA IN VALLE SALINARUM, CÆSIS DECEM, & OCTO MILLIBUS.] Septuaginta isthic *Idumæam* pro *Syria* legerunt; quæ lectio a sequenti versiculo probatur, nam dicitur, David præsidium posuisse in Idumæa, atque eam omnem regionem in ditionem suam redegisse. In Paralipomenis, ubi hæc narratur Historia, de Idumæa tantum est sermo. Titulus Psalmi 59. huc ipsum adfert. Plura adsunt in Hebraico textu exempla, ubi *Aram* Syriæ pro *Edom* Idumææ usurpatur. Litteræ ex quibus duo hæc nomina componuntur, maximam habent inter se in autographo similitudinem.

Vallis Salinarum esse perhibetur ad australem maris mortui extremitatem: hoc autem nomine appellatur vel propter magnam nitri vim, quæ ibi adest, vel forte propter bitumen, quod inde hauriebatur; vel demum propter asphaltitis propinquitatem, qui lacus *mare Salis* ab Hebræis nuncupatur, non secus ac hæc vallis [13], *vallis salis*. Verum cum jam alibi docuerimus Idumæam, qua David victor de Syria revertens potitus est, esse debuisse ad Terræ Sanctæ orientalem plagam, ibi quoque salinarum vallis nobis est inquirenda. In Palmyrene, quæ est in Syria Soba [14] ad leucam circiter ab urbe Palmyra, vel Thadmor, meridiem versus, qua regio Idumæam spectat, invenimus magnam salis planitiem, unde maxima Salis copia pro Syria universa eruebatur. In hac planitie profecto David delevit Idumæos, qui occurrerant illi de Syriaco bello redeunti. Vallis hæc duorum circiter dierum itinere abest a Bozra Idumææ Orientalis Metropoli. Hæc erat Davidis via de Syria Soba Jerosolymam revertentis. Victoria, de qua hic sermo, relata fuit a Davidis exercitu, cui præerat Abisai, *qui percussit Edom in valle Salinarum, decem, & octo millia* 1. Par. 18. 12. Si Psalmi 59. titulum verum esse dixeris, dicendum quoque erit Joab ex hoc numero duodecim millia, Abisai vero sex millia dumtaxat cecidisse. Verum nihil nos cogit, ut Psalmi illius titulo adhæreamus, qui nuspiam a Scriptura probatur; ni saltem distinguere velis illos qui ab Abisai in acie ad duodeviginti millia percussi fuere, ab illis, quos occidit Joab post aliquot menses, cum in Idumæam adiit, mortuos tumulaturus. Vide 3. Reg. 11. 15. Videtur autem David ipsum priori in expeditione adfuisse.

℣. 14. POSUIT IN IDUMÆA CUSTODES.] Ut ibi nomine

1 1. Par. 18. 3. הדרעזר 2 Macrob. Saturn. l. 1. c. 23. 3 Nicol. Damascen. l. 4. hist. apud Joseph. l. 7. c. 6. 4 Genes. 15. 18. Num. 24. 17. 5 להשיב ידו In 1. Par. 18. 3. legitur להציב ידו *ad firmandum manum suam*. 6 Χίλια ἅρματα, καὶ ἑπτὰ χιλιάδας ἱππέων. 7 Josue 11. 6. *Equos eorum subnervabis, & currus igne combures*. 8 Deuter. 17. 16. 9 ויעקר Aqu. Ἐξήρωσε. Sym. Ἐνευροκόπησε. 70. Παρέλυσε. 10 שלטי הזהב 11 Χλιδῶνας χρυσοῦς. Aqu. Κλοιοὺς χρυσοῦς. Alius, Ὅπλα τὰ χρυσᾶ, &c. 12 Vide Itinerarium Antonini, & Strabonem l. 16. 13 גיא מלח 14 Vide Relationem de Palmyra insertam itin. de Brun. p. 343.

nomine suo præssent; illuc præfectos misit, qui jus populis dicerent. Post cladem decem & octo millium Idumæorum, de quibus locuti sumus, Joab in eam regionem profectus quoscumque invenire potuit morte affecit sex mensium spatio, quo ibi commoratus est 3. Reg. 11. 15. *Et occidisset omne masculinum in Idumæa; sex enim mensibus ibi moratus est Joab, & omnis Israel, donec interimeret omne masculinum in Idumæa.*

℣. 15. Faciebat David judicium, & justitiam omni populo suo.] Hoc est e præcipuis muniis Regum populis jus dicere. Hos olim per se ipsos judicabant; quapropter Veteres in Inferno Judices esse commenti sunt Radamanthum, Minoem, & Eacum, qui in Creta insuls imperitarant.

℣. 16. Joab filius Sarviæ erat super exercitum.] Joab propinquus erat David; etenim erat filius Sarviæ sororis illius 1. Paralip. 2. 15. Hic ambitiosus erat, ultionis cupidus, audax, callidus, bellator egregius, qui omnia viribus, & armis tribuebat, quin illi justitia, ac honos negotium facesserent; Achilli, tum propter animi bona, tum propter mala simillimus. Horatius:

Jura negat sibi nata, nihil non arrogat armis.

Hic porro de Davide perquam bene meritus fuerat, atque asseri potest, neminem præter illum profuisse, ut David ad Regis solium eveheretur, evectusque servaretur. Verum Rex ille hujus impotentiam, atque duritiem pati non poterat 2. Reg. 3. 39. *Viri isti filii Sarviæ duri sunt mihi*. Imperium, quod sibi in exercitu comparaverat, Regi eidem terrorem injecerat; præfuerat enim totis Judæ viribus, ex quo David in Hebron regnare occœperat, atque meritus fuerat, ut in ea provincia confirmaretur, adderetur que illius imperio universus exercitus Israel propter eximium virtutis specimen, quod præbuerat, cum prior Jerusalem muros conscendit [1], cum David regni sui primordio urbem illam obsidione circumdedit.

Josaphat a commentariis.] Hic libellos supplices Principi datos accipiebat, offerebatque. Hebraice ad litteram [2]: *reminiscens*, vel monumenta servans, vel rationes, & calculos putans, vel fastos, seu quotidiana Regis acta conscribens. In Esther [3], & in Esdra, commentarii, vel libri, ubi singulis diebus exarabatur, quidquid in Aula Persarum Regis memoria dignum accideret, nomen habent, ex eadem radice profluens, ac *Maskir*, quod isthic legimus. Reges Persarum [4], non secus ac Reges Juda habebant *Scribam*, atque Historicum, qui *a Commentariis erat*, atque ea, quæ quotidie fiebant, scriptis mandabat; quibus in illorum Principum aula summus honor erat, ac summa auctoritas. *Sobna* Scriba, & *Joahe a Commentariis* ab Ezechia ad Rapsacen legati mittuntur 4. Reg. 18. 18. De Scribis sermo fuit Judic. 5. 14.

℣. 17. Sadoc filius Achitob, & Achimelech filius Abiathar, erunt Sacerdotes.] Quare duo simul in Israel constituti fuerint summi Sacerdotes, Scriptura non adfert: verum satis liquet, Saulem in odium familiæ Ithamar, ex qua Sacerdotes omnes interfecerat [5], dedisse Sacerdotium Sadoc ex familia Eleazari [6]; cum interim a Davide habitus fuerit legitimus successor Achimelechi, Abiathar filius ipsius, qui apud ipsum confugerat. Quoad Saul, & Isboseth, nec non David in Hebron regnarunt, uterque summus Sacerdos seorsim sacro munere functi sunt, quilibet ea in regione, ubi Rex, cui adhæserant, imperitabat. At cum David solus regnum Israelis obtinuit, Sadoc, & Abiathar dignitate incolumi haud loco cesserunt, sed Sacerdotali munere fungebantur, Abiathar quidem in Jerusalem; Sadoc vero in Gabaon [7], quod ad finem usque regni Davidis permansit. Tunc enim Abiathar, cum in Adoniæ partes abiisset, adversus Salomonem, de gradu dejectus fuit; & Sadoc solus Sacerdos summus habitus fuit Salomone imperante. Hoc pacto adimpleta fuit Samuelis [8] Prophetia, qua Heli summo Sacerdoti prædixerat, futurum ut Sacerdotium de domo illius auferretur; nec non simul completum est, quod olim Phinees promissum fuerat fore ut Sacerdotii dignitas in ipsius familia in ævum persisteret. Num. 25. 12. *Erit tam ipsi* (Phinees) *quam semini ejus, pactum Sacerdotii sempiternum*.

Achimelech filius Abiathar hic, & libro primo Paralipomenon cap. 18. 16. memoratus idem est, ac Abiathar filius Achimelec [9]. Duo hi summi Sacerdotes eadem habebant nomina, ac uterque indiscriminatim vel Achimelech, vel Abiathar appellabantur.

℣. 18. Banajas super Cerethi, & Phelethi.] Hi erant milites prætoriæ cohortis David. Cerethi, & Phelethi erant Philisthiim ea origine, atque nativitate [10]; hi vero David secuti fuerant quo tempore apud Achis Regem Geth permansit, illique semper summa officii fide paruerant. Vulgatæ Textus memorat quoque Cerethi, & Phelethi Joas imperante [11]; verum eorum Hebraicus textus non meminit. David sub regni sui finem electas ex Israel universo copias habebat, de quibus sermo est in 1. Paralipom. 27.

Filii autem David Sacerdotes erant.] Sacerdotum nomen in propria significatione isthic presius accipi nequaquam potest; liquet enim Sacerdotium soli familiæ Aaronis adhæsisse, ideoque filii David proprie loquendo Sacerdotes esse non poterant. At nomen Hebræum [12], quod Sacerdotem significat, Principem quoque denotat, quo in sensu vulgo Scriptores interpretantur [13]. Septuaginta [14]: *Erant aularchæ*, vel principes in aula Regis, vel primi præfecti Regis in aula. Rabbini loquuntur Absalonem adversus Patrem suum arma ob id unum cepisse, quod ipsi pater minime contulisset eam dignitatem, qua reliquos fratres illius decorarat. Author Paralipomenon nobis explicat quid isthic sibi velit Sacerdotis nomen [15]; *primi ad manum Regis*, primi, qui Regis imperata faciendo exercerentur. Rex illos prope se habebat, illisque negotia illorum viribus, ac ingeniis apta mandabant. Nonnulli [16] vertunt: *Erant veluti Sacerdotes*, honore a populo excepti, atque apud Regem occupati, veluti Sacerdotes in Templo. Bertramus de Repub. Hebr. c. 10. credit, ipsos Regis Legatos fuisse, vel Ministros, *legatos in exequendis mandatis*, atque post Absalonis defectionem, David ab hoc munere filios suos semovisse, atque illis substituisse Iram Jairitem 2. Reg. 20. 26.

---

1 2. Reg. 5. 8. & 1. Par. 11. 6. 2 מזכיר Aqu. Ὁ ἀναμιμνήσκων. Sym. Ἐπὶ τῶν μνημῶν 70. Ὁ ἐπὶ τῶν ὑπομνημάτων, 3 1. Esdr. 4. 15. בספר דכרניא & 6. 2. דכרונה בגוה וכן כתוב Est. 6. 1. ספר הזכרונות
4 Vide Joseph. l. 11. Antiqu. c. 2. Vide Brisson. de Reg. Pers. 5 1. Reg. 22. 16.
6 1. Par. 6. 50. 7 Vide 1. Par. 16. 39. *Sadoc autem Sacerdotem, & fratres ejus Sacerdotes, coram Tabernaculo Domini in excelso quod erat in Gabaon.* 8 1. Reg. 2. 35. 36.
9 1. Reg. 21. 2. & 22. 20. & 3. Reg. 4. 4. 10 2. Reg. 15. 18. *Legiones Cerethi, & Phelethi omnes Gethæi, pugnatores validi, qui cum secuti fuerant de Geth.* 11 4. Reg. 11. 19.
12 ובני דוד כהנים Vide 3. Reg. 4. 5. & 1. Par. 27. 5. 13 Jonath. Syr. Arab. Kimchi.
14 Υἱοὶ Δαυὶδ αὐλάρχαι ἦσαν, Sym. Σχολάζοντες. *Vacantes.*
15 1. Par. 18. 17. הראשונים ליד המלך 16 Sanct.

CAPUT

CAPUT IX.

David benigne excipit Miphiboseth Jonathæ filium: bona quæcumque Saulis fuerunt, illi reddit; præcipitque Sibæ, ut illius res procuret, illumque sibi semper mensæ vult assidere.

Circa primordia Regni David; annus incertus est.

1. ET dixit David: Putasne est aliquis, qui remanserit de Domo Saul, ut faciam
eum eo misericordiam propter Jonathan? 2 Erat autem de domo Saul, ser-
vus nomine Siba; quem cum vocasset rex ad se, dixit ei: Tune es Siba? &
ille respondit: Ego sum servus tuus. 3 Et ait rex: Numquid superest aliquis de
domo Saul, ut faciam cum eo misericordiam Dei? Dixitque Siba regi: Superest filius
Jonathæ, debilis pedibus. 4 Ubi, inquit, est? Et Siba ad regem: Ecce, ait, in
domo est Machir filii Ammiel, in Lodabar. 5 Misit ergo rex David, & tulit eum de
domo Machir filii Ammiel, de Lodabar. 6 Cum autem venisset Miphiboseth filius
Jonathæ filii Saul ad David, corruit in faciem suam, & adoravit. Dixitque David:
Miphiboseth? Qui respondit: Adsum servus tuus. 7 Et ait ei David: Ne timeas,
quia faciens faciam in te misericordiam propter Jonathan patrem tuum, & restituam
tibi omnes agros Saul patris tui, & tu comedes panem in mensa mea semper. 8
Qui adorans eum, dixit: Qui ego sum servus tuus, quoniam respexisti super canem
mortuum similem mei? 9 Vocavit itaque rex Sibam puerum Saul, & dixit ei: Om-
nia quæcumque fuerunt Saul, & universam domum ejus, dedi filio domini tui: 10 O-
perare igitur ei terram, tu & filii tui, & servi tui: & inferes filio domini tui cibos,
ut alatur: Miphiboseth autem filius domini tui comedet semper panem super mensam
meam. Erant autem Sibæ quindecim filii, & viginti servi. 11 Dixitque Siba ad re-
gem: Sicut jussisti, domine mi rex, servo tuo, sic faciet servus tuus: & Miphiboseth
comedet super mensam meam, quasi unus de filiis regis. 12 Habebat autem Miphibo-
seth filium parvulum nomine Micha: omnis vero cognatio domus Sibæ serviebat Miphi-
boseth. 13 Porro Miphiboseth habitabat in Jerusalem: quia de mensa regis jugiter
vescebatur: & erat claudus utroque pede,

℣. 2. ERAT DE DOMO SAUL SERVUS NOMINE SIBA.] Auctores Judæi cum plurimorum Interpretum caterva [1], credont Sibam fuisse servum Chananæum, quod manumissus non fuerat post Saulis interitum. At hæc ratio infirma est: nam primo nullam tulit legem Moyses, quæ asserat in libertatem Hebræum servum post Domini obitum; immo e contra maxime fidei consonum est, servos quoque filiis hæreditatis jure cessisse. II. Servi poterant etiam non uti Legis privilegio, quæ illos anno Sabbathico servitutis jugo exsolvebat; cur autem minime licuisset iisdem eodem uti privilegio post mortem Domini, etiamsi consuetudo illos libertate donasset, quod ipsum incertissimum est? Rabbinis solemne est Leges pro libidine comminisci, atque idcirco vim Scripturis inferre, ut eum commentitiis Legibus easdem concilient.

Siba esse debebat Hebræus Saulis servus, verum loco digniori, ac inter conservos cæteros sublimiori habitus: atque in familia Saulis eumdem forte gradum obtinebat quem in domo Abrahæ Eliezer Genes. 24. 2. & in domo Putipharis Genes. 39. 4. Josephus. Denique erat veluti apud Romanos villici, de quibus loquuntur Auctores, qui agrorum colendorum rationem edocuere. Hi servi summam habebant in Dominorum suorum domibus auctoritatem,

A super illorum bona, cæterosque servos, quorum cura illis erat demandata. Siba, de quo sermo est, cum quindecim filiis, ac viginti domini sui servis, quibus ille præerat [2], agros colebat; atque ut verbo me expediam, erat veluti villicus ille, de quo Jesus Christus loquitur Luc. 12. 42. quem Dominus constituerat super familiam suam, ut conservis suis triticum metiretur, quod servis tribui consueverat.

℣. 4. IN DOMO MACHIR . . . . IN LODABAR.] Creditur *Lodabar*, vel *Ladabar* fuisse trans Jordanem in ea regione, quam insignis Machir possedit. At verus illius situs ignoratur, atque fortuito in Geographorum Tabulis describitur [3]. Neque est, cur potiori jure rationem scruteris, propter quam Miphiboseth in domum Machir filii Ammiel secesserit;
B isthæc enim nosse haud multum refert.

℣. 7. RESTITUAM TIBI OMNES AGROS SAUL PATRIS TUI.] Omnia Saulis bona publicata fuisse, atque in Regis utilitatem cessisse [4] perhibentur [5] propter defectionem Isboseth; Siba igitur Davidis erat; at Rex illum reddit Miphiboseth cum iis omnibus, quæ ex veteri Saulis patrimonio possidebat. Vide mox ℣. 11. & 2. Reg. 19. 28.

COMEDES PANEM IN MENSA MEA SEMPER.] Hic sane amplissimus erat honor, quo subditus a Rege suo excipi posset. Jesus Christus, ut discipulis suis osten-

1 Jonath. Vatab. Tostat. Menoch. 2 ℣. 10. 3 Vide Bonfrer. Onomast. in Lodabar.
4 Vide 2. Reg. 12. 8. *Dedi tibi domum Domini tui, & uxores Domini tui in sinu tuo &c.*
5 Vatab. Grot. Menoch. Tirin.

ostendat, quam illis gloriam traditurus est, sit, se A illis præparare Regnum sibi a Patre suo paratum, atque fore, ut Mensæ illius in ipsius regno assideant Luc. 22. 30. Romani inter cæteras servorum manumittendorum rationes, illos in libertatem asserebant convivas suos faciendo, quæ *Manumissio per mensam* appellabatur. Instit. 1. tit. 5. Theophil. Antecessor.

℣. 9. OMNIA QUÆCUMQUE FUERUNT SAUL, DEDI FILIO DOMINI TUI.] Reddidi Miphiboseth omnia patris sui bona. Vel juxta alios: dedi Michæ filio Miphiboseth omnia Saulis bona [1]; Miphiboseth vero dedi mensam meam; verum prior sensus melior est.

℣. 10. INFERES FILIO DOMINI TUI CIBOS, UT ALATUR.] B Tibi curæ sit alere Micham filium Miphiboseth de redditibus agrorum, quos reddidi patri illius, vel quos illi ipsi reddidi. Videtur Siba haud Regis mentem intellexisse, ac credidisse, sibi fuisse præceptum, ut & Miphiboseth, & Micham aleret, perinde ac ad Regis mensam vescerentur.

℣. 11. MIPHIBOSETH COMEDET SUPER MENSAM MEAM, QUASI UNUS DE FILIIS REGIS.] Hoc profecto David non dixerat illi; verum Siba observantiæ ergo, atque ut Regem cura liberaret accersendi in ædes suas Miphiboseth, respondet, sibi curæ futurum, ut ille quasi unus de filiis Regis domi suæ aleretur. Vel: Si Miphiboseth vult domi suæ comedere, veluti filius Regis excipietur. Non solum alam Micham, ut mihi præcipis, verum Miphiboseth quoque eo pacto excipiam, quod illius decet dignitatem. Septuaginta [a]: *Miphiboseth comedebat super mensam Regis, quasi unus de filiis Regis*. Syriaca, & Arabica versiones similiter legunt.

---

1 Munster. Vatab. Jun. Sanct. a Καὶ Μεμφιβοσθὲ ἤσθιεν ἐπὶ τῆς τραπέζης Δαυὶδ καθὼς εἷς τῶν υἱῶν αὐτοῦ τοῦ βασιλέως. Legerunt שלחנו *ejus mensa sua, mensa Regis*, loco שלחני *mensa mea*.

CAPUT X.

David legatos mittit ad Reges Ammonitarum, qui illum ob patris sui interitum consolentur, Rex Ammonitarum injuriosius hos excipit legatos, ipsisque barbæ, ac vestium dimidium abscindit. David illi bellum indicit, eumque delet, cæterasque copias, quæ illi suppetias attulerant.

Anno M. 2967. Ante J. C. 1037.
1. FActum est autem post hæc, ut moreretur rex filiorum Ammon, & regnavit Ha-
non filius ejus pro eo. 2 Dixitque David: Faciam misericordiam cum Hanon
filio Naas, sicut fecit pater ejus mecum misericordiam. Misit ergo David con-
solans eum per servos suos super patris interitu. Cum autem venissent servi David in
terram filiorum Ammon, 3 Dixerunt principes filiorum Ammon ad Hanon dominum
suum: Putas, quod propter honorem patris tui miserit David ad te, consolatores, &
non ideo ut investigaret, & exploraret civitatem, & everteret eam, misit David servos
suos ad te? 4 Tulit itaque Hanon servos David, rasitque dimidiam partem barbæ eo-
rum, & præscidit vestes eorum medias usque ad nates, & dimisit eos. 5 Quod cum
nuntiatum esset David, misit in occursum eorum: erant enim viri confusi turpiter val-
de, & mandavit eis David: Manete in Jericho, donec crescat barba vestra, & tunc re-
vertimini. 6 Videntes autem filii Ammon, quod injuriam fecissent David, miserunt,
& conduxerunt mercede Syrum Rohob, & Syrum Soba, viginti millia peditum, & a
rege Maacha mille viros, & ab Istob duodecim millia virorum. 7 Quod cum audisset
David, misit Joab, & omnem exercitum bellatorum. 8 Egressi sunt ergo filii Ammon,
& direxerunt aciem ante ipsum introitum portæ: Syrus autem Soba, & Rohob, &
Istob, & Maacha, seorsum erant in campo. 9 Videns igitur Joab, quod præparatum
esset adversum se prœlium, & ex adverso, & post tergum, elegit ex omnibus electis
Israel, & instruxit aciem contra Syrum. 10 Reliquam autem partem populi tradidit
Abisai fratri suo, qui direxit aciem adversus filios Ammon. 11 Et ait Joab: Si præ-
valuerint adversum me Syri, eris mihi in adjutorium: si autem filii Ammon prævalue-
rint adversum te, auxiliabor tibi. 12 Esto vir fortis, & pugnemus pro populo no-
stro, & civitate Dei nostri: Dominus autem faciet, quod bonum est in conspectu suo.
13 Iniit itaque Joab, & populus, qui erat cum eo, certamen contra Syros, qui sta-
tim fugerunt a facie ejus. 14 Filii autem Ammon videntes, quia fugissent Syri, fu-
gerunt & ipsi a facie Abisai, & ingressi sunt civitatem: reversusque est Joab a filiis
Ammon, & venit Jerusalem. 15 Videntes igitur Syri, quoniam corruissent coram Is-
rael, congregati sunt pariter. 16 Misitque Adarezer, & eduxit Syros, qui erant
trans fluvium, & adduxit eorum exercitum: Sobach autem, magister militiæ Adare-
zer,

zer, erat princeps eorum. 17 Quod cum nuntiatum esset David, contraxit omnem Israelem, & transivit Jordanem, venitque in Helam: & direxerunt aciem Syri ex adverso David, & pugnaverunt contra eum. 18 Fugeruntque Syri a facie Israel, & occidit David de Syris septingentos currus, & quadraginta millia equitum; & Sobach principem militiæ percussit: qui statim mortuus est. 19 Videntes autem universi reges, qui erant in præsidio Adarezer, se victos esse ab Israel, expaverunt, & fugerunt quinquaginta & octo millia coram Israel. Et fecerunt pacem cum Israel: & servierunt eis, timueruntque Syri auxilium præbere ultra filiis Ammon.

℣. 2. FACIAM MISERICORDIAM CUM HANON FILIO NAAS, SICUT FECIT PATER EJUS MECUM MISERICORDIAM.] Hic *Naas* idem esse videtur ac ille, adversus quem præliatus est Saul, ut Jabes Galaad liberaret 1. Reg. 11. 11. David cum de Geth egrederetur, ubi vitæ suæ periculum subierat, apud Regem Moab confugit 1. Reg. 22. 3. & quemadmodum Naas Rex Ammonitarum fuirimus erat, atque Sauli infestus, creditur, in odium Regis Israel ab eo David benigne, ac liberaliter habitus fuisse, quamdiu ea in regione permansit.

℣. 4. RASIT DIMIDIAM PARTEM BARBÆ EORUM, & PRÆCIDIT VESTES EORUM MEDIAS USQUE AD NATES.] Israelitæ vulgo oblongis vestibus utebantur; barbam vero non nisi summo in luctu præcidebant, in quo etiam vestes suas lacerabant. Itaque videntur Ammonitæ, ut illuderent Legatis David, voluisse, ut vel inviti luctus ederent signa ob illius mortem, propter quam filium, ac successorem accesserant consolaturi. Moabitæ, ac Ammonitæ in luctu, æque ac Hebræi, barbam sibi abscindere consueverant. Vide Isai. 15. 2. Herodotus lib. 2. c. 121. narrat de Ægyptio quodam, qui cum milites aliquot inebriasset, qui fratris illius corpus de cruce suspensum custodiebant, illis dimidiam barbam præcidit, veluti ipsis illusurus, nec non fratris cadaver subripuit; & Plutarchus in Agesil. ait, apud Lacedæmones, quicumque inertiæ miles coarguebatur, damnari consuevisse, ut in ignominiæ argumentum alterius mystacis superiorem partem abrasam gestaret, alterum vero integrum deferret. Qua cura quidam populi barbam alant, & quo dedecore effici se putarent, si quis eam ipsis præscinderet, nemo nescit. Apud Arabes alicui barbam abradere haud minoris injuriæ habetur loco, quam si apud nos quis flagris cædatur, vel turpis ignominiæ nota illius fronti inuratur; atque inter illos plurimi quamvis mortem huic supplicii generi præferrent. Cum jam ex ephæbis excesserint, neque amplius barbam sibi abradere cœperint, ab omnibus urbanitatis officia illis præstantur, neque amplius illis integrum est barbam secare Religione, ac illorum honore incolumi; quin immo in ipsos veluti in noxios Judices animadverterent, si quis umquam consuetudinem hanc infringeret. Darvieux de moribus Arabum cap. 7. pag. 175. 176.

Legatorum quoque vestes, hoc est tunica, quæ oblonga vestis est, atque corpus totum contegit, præcisæ fuerunt; atque eo modo præcisæ, ut quidquid pudor celari jubet, detegeretur; nam tunc temporis femoralia, vel latæ zonæ, quæ ad genua usque defluerent, gestari minime consueverant; nisi tunc forte, cum quis omnino nudus erat, neque tunica indutus. Forte etiam dimidium palliorum abscissum fuit, ne illis uti possent, ut nudos artus obtegerent; quod vestis genus nequaquam erat, veluti pallia, quibus utimur, sed oblongus, quadratusque pannus, cujus pars ante pectus, altera vero post humeros pendebat, cum lemniscis, & flocculis in inferiori parte quatuor angulorum appositis. Septuaginta credidisse videntur Legatorum pallia præfecta fuisse; nam Hebraica vox [1] *Madevim* ab ipsis redditur Mandua, quod erat militaria vestis genus apud Persas. Hebraicum vero nomen ad litteram significat vestem ad corporis mensuram elaboratam. Aquila de *tunica* intelligit.

℣. 5. MANETE IN JERICHO.] Hæc igitur urbs iterum e ruderibus excitata fuerat, quamvis in restauratorem tot maledicta jecerit Josue [2]; vel potius altera urbs Jericho ædificata fuit prope veterem, ac in agro eodem, ubi prior posita fuerat. Vide, quæ dixerim in Josue cap. 6. ℣. 26.

℣. 6. SYRUM ROHOB, & SYRUM SOBA.] Primi quidem Metropolim habebant Rohob sitam ad extremitatem vallis Libanum inter, atque Antilibanum. Syrii Soba subditi erant Adarezer, de quo supra locuti sumus cap. 8. 3.

MAACHA.] Regio *Maacha* haud procul erat a monte Hermon trans Jordanem in Trachonitide.

ISTOB.] Novimus regionem Tob in montibus Galaad, quo Jephte se recepit [3]; quæ regio Tubim in 1. Macchabæorum 5. 13. vocatur. *Is tob* [4] ad litteram *formosum*, vel bonum *hominem* significat; vel virum, *Dominum Tob*, regulum, qui ea in regione imperitabat.

℣. 7. DAVID MISIT JOAB, & OMNEM EXERCITUM.] Injuria, qua Legati David fuerant lacessiti, ratio legitima erat belli inferendi: etenim in illorum persona jus gentium perfregerant. Cicero in Verrem Orat. 2. *Legatorum jus divino, humanoque vallatum præsidio, cujus tam sanctum, & venerabile nomen esse debet, ut non modo inter sociorum jura, sed & hostium tela incolume versetur*. Si Regi Ammon aliqua suberat legitima simultatis causa adversum David, poterat quidem non admittere legatos, illisque interdicere, ne in ditionis ipsius terras pedem inferrent; sed cum eos admisisset, nefas fuit, eosdem afficere injuria. Romani sæpius bellum susceperunt, ut Legatorum suorum jura ulciscerentur. Vide Grotium de jure Belli & Pacis l. 2. c. 18.

℣. 8. DIREXERUNT ACIEM ANTE IPSUM INTROITUM PORTÆ.] Urbis Medabæ, ubi manus conserta fuit, uti ex 1. Paralipom. 19. 9. liquet. Ammonitæ censuerunt optimum factu, si neque se obsidione vallari finerent, neque in æquum descenderent; verum pro mœnibus aciem instruxerunt. In 1. Paralip. 19. 6. 7. legimus ipsos præter tria, ac triginta virorum millia, quorum versiculus sextus meminit, ac indigenarum Ammonitarum copias, duos, ac triginta mille bellicos currus habuisse, qui ex regione trans Euphratem sita fuerant advecti.

℣. 16. MISIT ADAREZER, & EDUXIT SYROS, QUI ERANT TRANS FLUVIUM;] Euphratem scilicet. *Adarezer* a Davide victus, subactusque, quemadmodum superius dictum est cap. 8. 5. 6. 7. 8. non ausus palam cum Ammonitis fœdus percutere, clam misit in Mesopotamiam cum Legatis Regis Ammon; cumque ibi milites conscripsisset, illis præfecit Sobac Ducem suum. At cum validum hoc esset subsidium, David operæ pretium facturum se ratus est, si ipse in aciem descenderet. Vide 1. Par. 19. 16.

℣. 17. DAVID TRANSIVIT JORDANEM, & VENIT IN

1 מדוים 70. Ἀπέκοψε τῶν Μανδύων αὐτῶν τὸ ἥμισυ. Aqu. Χιτῶνας αὐτῶν. 2 Josue 6. 26.
3 Judic. 3. 3. 4 איש טוב Judic. 11. 3. 5.

IN HELAM.] Hanc urbem non satis novimus. Ptolomæus loquitur de quodam loco *Alamaca* in Syria ad Euphratem, quod admodum congruit civitati, de qua sermo est. Alii Hebraicam vocem reddunt [1]: *venit ad exercitum*; verum fidei pronius est, hoc librarii mendum fuisse (vide locum Paralipomenon, qui huic respondet l. 1. c. 19. 17.) atque vertendum esse; *venit, ut se se effunderet super illos*, pro venit in Helam, legendo Hebraice *Lehem*, pro Heilam.

℣. 18. OCCIDIT DAVID DE SYRIS SEPTINGENTOS CURRUS, & QUADRAGINTA MILLIA EQUITUM.] In 1. Paralip. 19. 18. legimus: *Interfecit David de Syris septem millia curruum, & quadraginta millia peditum*. Quinam hæc conciliari queunt. De septingentis, & septem millibus curribus asseri potest, quod supposito, quemlibet septingentorum curruum denis hominibus stipatum fuisse eo modo, quo dictum est ad 1. Reg. 13. 5. difficultas evanescit. Sed quoad quadraginta millia peditum, & quadraginta equitum millia fatendum est, errorem Librario obrepsisse in loco alterutro; vel dicendum libros Paralipomenon supplere numerum quadraginta millium peditum, qui in Regum libris omissus fuerat; ita ut clades Syrorum fuerit peditum quadraginta millium, totidem equitum, ac septem millium virorum, qui ascendebant, vel comitabantur bellicos currus septingentos.

℣. 19. VIDENTES UNIVERSI REGES, QUI ERANT IN PRÆSIDIO ADAREZER.] Hebraicus textus, Chaldæus, & Septuaginta [2]: *Reges servi Adarezer, videntes se victos ab Israel fugerunt in regionem suam, & se submiserunt*. Hi Reges servi Adarezer, sunt Reges Syriæ, qui illi parebant; nam nullum suppetit argumentum, quo probari queat, Regem hunc habuisse Reges sibi subditos trans Euphratem; sed si quis illi subditus ibi erat, cum cæteris se se Davidi subjecerat, illique tributum persolverunt. Vulgata addit, quod Syri *expaverunt, & fugerunt quinquaginta, & octo millia coram Israel*, quod neque in Hebraico textu adest, neque in Septuaginta, neque in Veteri S. Hieronymi versione. Hinc liquet David habuisse populos subditos, ac vectigales usque trans Euphratem, quod notatu dignum est, Vide titulum Psalmi 59.

1 ויבאו חילם Septuaginta Romanæ editionis ℣. 16. *Congregavit Syros Chalamac, trans amnem, & venerunt in Elam.* 2 ויראו כל המלכים עברי הדרעזר

CAPUT XI.

Dum Joab obsidet Rabbath, David peccat cum Bethsabee, Uriæ conjuge: præcipitque Joab, ut Uriam, ubi majus adesset periculum, objiciat; qui moritur. Bethsabee post luctum, nubit Davidi, atque ex eo filium parit.

Anno M. 2969. Ante J. C. 1035.
1. FActum est autem, vertente anno, eo tempore, quo solent reges ab bella procedere, misit David Joab, & servos suos cum eo, & universum Israel, & vastaverunt filios Ammon, & obsederunt Rabba: David autem remansit in Jerusalem.
2 Dum hæc agerentur, accidit, ut surgeret David de stratu suo post meridiem, & deambularet in solario domus regiæ: viditque mulierem se lavantem, ex adverso suo per solarium suum: erat autem mulier pulchra valde.
3 Misit ergo rex, & requisivit, quæ esset mulier. Nuntiatumque est ei, quod ipsa esset Bethsabee filia Eliam, uxor Uriæ Hethæi.
4 Missis itaque David nuntiis, tulit eam; quæ cum ingressa esset ad illum, dormivit cum ea: statimque sanctificata est ab immunditia sua,
5 Et reversa est in domum suam concepto fœtu. Mittensque nunciavit David, & ait: Concepi:
6 Misit autem David ad Joab, dicens: Mitte ad me Uriam Hethæum. Misitque Joab Uriam ad David.
7 Et venit Urias ad David. Quæsivitque David, quam recte ageret Joab, & populus, & quomodo administraretur bellum.
8 Et dixit David ad Uriam: Vade in domum tuam, & lava pedes tuos. Et egressus est Urias de domo regis, secutusque est eum cibus regius.
9 Dormivit autem Urias ante portam domus regiæ cum aliis servis domini sui, & non descendit ad domum suam.
10 Nuntiatumque est David a dicentibus: Non ivit Urias in domum suam. Et ait David ad Uriam: Numquid non de via venisti? quare non descendisti in domum tuam?
11 Et ait Urias ad David: Arca Dei, & Israel, & Juda habitant in papilionibus, & dominus meus Joab, & servi domini mei super faciem terræ manent: & ego ingrediar domum meam, ut comedam & bibam, & dormiam cum uxore mea? per salutem tuam, & per salutem animæ tuæ, non faciam rem hanc.
12 Ait ergo David ad Uriam: Mane hic etiam hodie, & cras dimittam te. Mansit Urias in Jerusalem in die illa, & altera.
13 Et vocavit eum David, ut comederet coram se, & biberet, & inebriavit eum: qui egressus vespere, dormivit in strato suo cum servis domini sui, & in domum suam non descendit.
14 Factum est ergo mane, & scripsit David epistolam ad Joab: misitque per manum Uriæ,
15 Scribens in epistola: Ponite Uriam ex adverso belli, ubi fortissimum est prælium: & derelinquite eum, ut percussus

percussus intereat. 16 Igitur cum Joab obsideret urbem, posuit Uriam in loco, ubi
sciebat viros esse fortissimos. 17 Egressique viri de civitate, bellabant adversum
Joab, & ceciderunt de populo servorum David, & mortuus est etiam Urias Hethæus.
18 Misit itaque Joab, & nuntiavit David omnia verba prælii. 19 Præcepitque nun-
tio, dicens: Cum compleveris universos sermones belli ad regem, 20 Si eum vi-
deris indignari, & dixerit: Quare accessisti ad murum, ut præliaremini? an ignora-
batis, quod multa desuper ex muro rela mittantur? 21 Quis percussit Abimelech filium
Jerobaal? nonne mulier misit super eum fragmen molæ de muro, & interfecit eum in
Thebes? quare juxta murum accessistis? dices: Etiam servus tuus Urias Hethæus oc-
cubuit. 22 Abiit ergo nuntius, & venit, & narravit David omnia, quæ ei præce-
perat Joab. 23 Et dixit nuntius ad David: Prævaluerunt adversum nos viri, & egres-
si sunt ad nos in agrum: nos autem facto impetu persecuti eos sumus usque ad por-
tam civitatis. 24 Et direxerunt jacula sagittarii ad servos tuos ex muro desuper: mor-
tuique sunt de servis regis, quin etiam servus tuus Urias Hethæus mortuus est. 25
Et dixit David ad nuntium: Hæc dices Joab: Non te frangat ista res: varius enim
eventus est belli: nunc hunc, & nunc illum consumit gladius: conforta bellatores
tuos adversus urbem, ut destruas eam, & exhortare eos. 26 Audivit autem uxor
Uriæ, quod mortuus esset Urias vir suus, & planxit eum. 27 Transacto autem
luctu, misit David, & introduxit eam in domum suam, & facta est ei uxor, pepe-
ritque ei filium, & displicuit verbum hoc, quod fecerat David, coram Domino.

℣. 1. VERTENTE ANNO, EO TEMPORE, QUO SOLENT REGES AD BELLA PROCEDERE.] Anno post bellum contra Syros, de quo præcedenti capite sermo fuit; & vere, qua anni tempestate Reges in aciem prodeunt, ut bella cieant. Chaldaica Versio, Syriaca, Arabica, & nonnulli Interpretes textum reddunt [1]; *sub anni exitum*, quod bifariam intelligi potest, vel de fine anni revoluti post præcedens bellum, vel de fine anni civilis, qui inchoabat, & desinebat in autumni æquinoctio. In regionibus calidis bis in anno in aciem descendunt, primum quidem antequam magni calores sæviant, iterum vero cum jam deferbuerint. At quod Scriptura addit, *eo tempore, quo solent Reges ad bella procedere*, nos cogit, ut de verno tempore intelligamus.

VASTAVERUNT FILIOS AMMON.] Injuria, quam Davidi in legatis ipsius intulerant Ammonitæ, nondum satis expiata fuerat superiori bello, quo duobus ante id tempus annis illos fuerat persecutus. Omnis belli impetus super auxiliares copias, quæ de Syria, & finitimis locis accesserant, detonuerat. Ammonitæ in urbem suam confugerant [2], ac illata illis clades non magni adeo fuerat momenti. Sequenti anno David operæ se facturum pretium duxit, si Syriam penitus subigeret, quæ defecerat, & cujus vires præ Ammonitarum copiis multo erant validiores. Verum haud oblitus est illorum, qui primi has turbas conciverant; atque simul ac tempus advenit ex hybernis milites educendi, misit Joab adversus Ammon, qui crimen juris Gentium violati alio crimine C cumulaverat, eo quod Syros, & Mesopotamiæ populos adversus David concitasset. Hæc ratio est, propter quam bellum, quod modo visuri sumus, infertur.

℣. 2. ACCIDIT, UT SURGERET DAVID DE STRATO SUO POST MERIDIEM.] Jam adnotavimus ad 2. Reg. 4. 7. alia consuetudinis hujus apud Hebræos exempla, post meridiem dormiendi, quæ ad hanc quoque diem in calidioribus regionibus viget.

VIDIT MULIEREM LAVANTEM SE EX ADVERSO SU- A PER SOLARIUM SUUM.] David cum ascendisset tectum, vel solarium domus suæ, vidit super solarium alterius domus, Bethsabee in domestico balneo se se lavantem, juxta Hebræorum morem, qui balneis uti sæpius tenentur, ut a legalibus sordibus se se purificent. Hebraicus textus non ait, Bethsabee se abluisse super solarium suum [3]; hoc solum ait, David de solario ædium suarum eam vidisse lavantem se; poterat autem esse vel in viridario, vel in area domus; nam Hebræorum balnea fere sub dio patent.

℣. 3. BETHSABEE FILIA ELIAM UXOR URIÆ HETHÆI.] Pater Bethsabee in 1. Paralipomenon 3. 5. *Ammiel* vocatur per literæ transpositionem, quæ minimum officit literali vocis hujus significationi; utrumque enim Eliam, & Ammiel idem significat, *populus* B *meus est Dei*. Judæi putant [4], Achitophel fuisse patrem Ammielis, atque ideo avum Bethsabee, quod a Scriptura confirmatur [5], quæ vocat Eliam filium Achitophel. Nec desunt [6], qui conjectando asserant, Achitophel, ut ulcisceretur injuriam, quam David pudori Bethsabee intulerat, deinceps in Absalonis partes contra David abiisse.

UXOR URIÆ HETHÆI.] Urias Hethæus appellatus fuit, vel propter illius originem, forte quod abdicata Chananæorum Religione, Hebraicæ nomen dedisset, vel eo quod aliquandiu ipse, vel quidam ex majoribus illius cum Hethæis fuerint commorati; vel denique propter præclarum aliquod factum, quo in illos dimicans nomen sibi comparaverit. Hoc pacto Romanis quibusdam *Africani*, *Germanici*, *Parthici*, nomen adjectum est ob relatos de Afris, Germania, Parthisque triumphos.

℣. 4. STATIMQUE SANCTIFICATA EST AB IMMUNDITIA SUA.] Juxta legem [7], quæ imperabat, ut mulier, quæ cum viro concubuisset, ablueretur, ac immonda, atque a sacrorum usu secreta ad vesperam usque permaneret.

Dedecus hoc sumpta dissimulavit aqua.

Alii hebraicum textum reddunt [8]; *Expiavit se per ablutionem a sordibus suis*, ab incommodo scilicet muliebri sexui proprio [9], *Hoc ideo additum*, Gro-

1 ויהי לתשובת השנה. 2 2. Reg. 10. 14. *Filii autem Ammon videntes quod fugissent Syri, fugerunt & ipsi a facie Abisai.* 3 ויתהלך על גג בית המלך וירא אשה רחצת מעל הגג 4 Vide Author. Tradit. Heb. in Libb. Reg. Cornel. Menoch. 5 2. Reg. 23. 14. *Eliam filius Achitophel.* 6 Tir. Cornel. 7 Levit. 15. 16. *Vir, de quo egreditur semen coitus, lavabit aqua omne corpus suum, & immundus erit usque ad vesperum.* 18. *Mulier, cum qua coierit, lavabitur aqua, & immunda erit usque ad vesperum.* 8 והיא מתקדשת מטמאתה. 9 Theod. Ἀπὸ ἀφεδρευούσης. Sym. Ἀπὸ μιαρᾶ αὐτῆς. 70. Ἀπὸ ἀκαθαρσίας αὐτῆς.

Grotius ait, *ne miraremur illico tam concepisse*.

℣. 8. LAVA PEDES TUOS.] Hoc vulgo fieri consueverat, cum quis de itinere quopiam reverteretur, quod ipsum officium cum advenis, qui hospitio exciperentur, præstabatur. Nullus erat plerumque tibialium usus; & sudor, ac pulvis necessario requirebant, ut pedes identidem abluerentur. Hac loquendi ratione David innuebat Uriæ, ut quietem caperet [1], se se post tot labores remitteret, domum suam descenderet, noctem cum uxore transigeret, ut filius, qui ex ea nasciturus erat, Uriæ filius putaretur. Nondum moliebatur David Uriæ necem, neque nuptias Bethsabee; verum id illi cordi erat, ut mulieris illius pudorem obtegeret, suumque scelus celaret.

℣. 9. DORMIVIT ANTE PORTAM DOMUS REGIÆ.] Ante portam domus Regum in Oriente aderat atrium, ubi excubiæ interdiu, noctuque vigiliæ agebantur. Vide Athenæum l. 5. cap. 2. & Ctesiam de Persis.

℣. 11. ARCA DEI, ET ISRAEL, ET JUDA HABITANT IN PAPILIONIBUS.] Arca erat in castris contra Rabbath, atque probabile est, eam in omnibus prœliis magni momenti consuevisse deferri.

℣. 13. DORMIVIT IN STRATO SUO CUM SERVIS DOMINI SUI.] Videtur [2] hic inter Regis excubias cubile suum habuisse, atque locum statum; hinc profecto nonnulli crediderunt ipsum fuisse ex copiis Phelethi, vel Cerethi. Certum est ipsum fuisse inter robustos milites David, atque distinctum inter Duces copiarum illius, quemadmodum infra videbimus cap. 23. 39. Josephus ipsum armigerum fuisse Joab refert.

℣. 14. SCRIPSIT DAVID EPISTOLAM AD JOAB.] Calamitosum Uriam propriæ necis mandatis onerat; illi epistolam deferendam tradit, qua Joab jubebatur in apertum mortis periculum ipsum adducere. Hoc pacto Prætus castum Bellerophontem perdidit [3], a Regina *Antia* falso accusatum, quod vim illi inferre ausus esset. Prætus hunc ad *Jotabetum* Regem Syriæ socerum suum cum literis misit, quibus falsis criminibus addebantur preces, ut illum de viventium numero tolleret. Jotabeti nomen cum Joab manifestam habet similitudinem; Uriæ vero, & Bellerophontis casus nimium palam similes deprehenduntur, eorumque epistolæ in adagium abiere. Plautus in Bacchide.

Chrys. *Aha Bellerophontem jam tuus me fecit filius,*
Egomet tabellas detuli, ut vincirer.

℣. 15. PONITE URIAM EX ADVERSO BELLI.] Nequaquam isthic agnoscimus amplius Davidem clementissimum illum virum, qui Sauli pepercerat, cum divinitus factum fuerat, ut ille, qui ipsum persequeretur, in ipsius manus decideret. Eheu quinam turpis, atque infandæ libidinis æstu anima illius perturbatur! atque quomodo plerumque abyssus abyssum invocat, ut qui primum in sceleribus gradum occœperit, in nequissima quæque flagitia præceps ruat! Quodnam jus prætexere poterat David in discrimen adducendi viri cujuspiam e sibi fidissimis subditis, ut illum de medio tolleret, atque impurissimæ libidini suæ liberius indulgeret? Quod vero fuit crimen Joab, qui injustis adeo parere mandatis non renuit, hoc supposito, quod rei hujusce rationes eum minime fallerent? Nihil usitatius est, quam illos odisse, quem affeceris contumelia. *Proprium humani ingenii est odisse, quem læseris*, Tacitus inquit. Non poterat David coram se illum intueri, cui omnium maximum dedecus intulerat.

℣. 21. ABIMELECH FILIUM JEROBAAL.] Vel Gedeonis; scimus enim Gedeoni duplex fuisse nomen. Hebraicus textus pro Jerubaal legit *Jerobeset*; quippe Judæi horrebant nomen Baal enuntiare, quod nomen erat idoli, illique nomen *Beset* surrogabant, quod confusionem, dedecus, ac ignominiam significat. Miphiboset, & Isboseth vocabantur *Miphibaal*, & *Isbaal*; verum nomina hæc immutata fuere, non secus ac *Jerobeset*.

℣. 26. UXOR URIÆ PLANXIT EUM.] Bethsabee nequissimum scelus cum Davide patrarat conjugii fidem infringens; sed post Uriæ obitum, quin novo se obstringeret crimine, potuit nubere Davidi, quod plane particeps nequaquam fuerat necis, qua David virum illius afficiendum curarat. Nimium ambitione correpta fuit, neque illi injuriam inferre reor luctui ipsius has Lucani voces appingens;

Lacrymas non sponte cadentes
Effudit, gemitusque expressit pectore læto.

℣. 27. DISPLICUIT VERBUM HOC CORAM DOMINO.] Plura insunt in David facinore crimina: adulterium cum Bethsabee; Uriæ mors, ut illi uxorem abriperet, & cum hac muliere connubium. Quod novissimum scelus acriter illi Propheta Nathan exprobravit 2. Reg. 12. 9. 10. *Uriam Hethæum percussisti gladio, & uxorem illius accepisti in uxorem tibi, & interfecisti eum gladio filiorum Ammon. Quamobrem non recedet gladius de domo tua usque in sempiternum, eo quod despexeris me, & tuleris uxorem Uriæ Hethæi, ut esset uxor tua. Itaque hæc dicit Dominus: Ecce ego suscitabo super te malum de domo tua, & tollam uxores tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo, & dormiet cum uxoribus tuis in oculis solis hujus.* Canonicæ leges nulla hæc esse conjugia declarant, quæ inter adulterum, ac mulierem flagitii participem contrahuntur; & quamvis Lege Moysis minime illis interdictum sit, non inde inferre licet, Judæis fuisse permissa. Interpretes nonnulli videntur innuere, Davidis nuptias cum Bethsabee nullas fuisse; at alii [4] rectius mea quidem sententia putant, etiamsi justitiæ contrariæ fuerunt, ac Deo minime placuere; non ideo tamen nullas fuisse, ac sine effectu esse dicendum. Deus improbavit rationem, qua David illas contraxit, damnavitque improbam libidinem, qua adactus fuit ad contrahendum; verum eas minime dissolvit; neque asseri potest, filium in adulterio conceptum nothum fuisse; filio enim favit subsequens matrimonium, licet plurimis affluens flagitii, quo factum est, ut legitimus haberetur.

Rabbini [5] hoc omne Davidis facinus culpa vacare contenderunt; quamobrem Leges, & consuetudines commenti sunt, quarum ne minimum quidem extat vestigium neque in ipsorum jure, neque in historia. Asserunt enim Regi nupsisse Bethsabee, Uria adhuc inter vivus degente, a quo fuerat repudiata; hoc enim in more positum fuisse dicunt, ut quicumque miles in castra se se conferret, discedens uxori repudii libellum traderet, ut illi esset integrum, cui vellet nubere. Verum ad quid atrum adeo, & nequam facinus excusare opus est, cum illud Scriptura damnarit, & acriter adeo punierit [6], & David ipse insignem adeo illius pœnitentiam ediderit. Vide Psalmum 50.

---

1 Jun. Pisc. Malv. Mart.
2 לשכב במשכבו
3 Homer. Iliad. Z.
4 Grot. hic, Serar. Cornel. Villet.
5 Vide apud Tostat. Sanct. Grot. ad ℣. 4.
6 Vide caput 12 ℣. 1. 2. & seq.

CAPUT

CAPUT XII.

A Nathan David propter ipsius scelus correptus pœnitentiam agit, ac veniam obtinet, Supplicia, quibus Deus hoc crimen puniturus est. Filius Bethsabee ægrotat. David maximo dolore afflictatur; verum post illius mortem, illico lacrymas abstergit. Salomonis nativitas. Rabbath Ammonitarum caput expugnatur.

1. MIsit ergo Dominus Nathan ad David, qui cum venisset ad eum, dixit ei:
Duo viri erant in civitate una, unus dives, & alter pauper: 2 Dives ha-
bebat oves, & boves plurimos valde. 3 Pauper autem nihil habebat om-
nino, præter ovem unam parvulam, quam emerat, & nutrierat, & quæ creverat apud
eum cum filiis ejus simul, de pane illius comedens, & de calice ejus bibens, & in sinu
illius dormiens: eratque illi sicut filia. 4 Cum autem peregrinus quidam venisset ad
divitem, parcens ille sumere de ovibus, & de bobus suis, ut exhiberet convivium pe-
regrino illi, qui venerat ad se, tulit ovem viri pauperis, & præparavit cibos homini,
qui venerat ad se. 5 Iratus autem indignatione David adversus hominem illum nimis,
dixit ad Nathan: Vivit Dominus, quoniam filius mortis est vir, qui fecit hoc. 6 O-
vem reddet in quadruplum, eo quod fecerit verbum istud, & non pepercerit. 7 Di-
xit autem Nathan ad David: Tu es ille vir. Hæc dicit Dominus Deus Israel: Ego
unxi te in regem super Israel, & ego erui te de manu Saul, 8 Et dedi
tibi domum domini tui, & uxores domini tui in sinu tuo, dedique tibi do-
mum Israel, & Juda: & si parva sunt ista, adiiciam tibi multo majora. 9 Qua-
re ergo contempsisti verbum Domini, ut faceres malum in conspectu meo? Uriam
Hethæum percussisti gladio, & uxorem illius accepisti in uxorem tibi, & interfecisti
eum gladio filiorum Ammon. 10 Quam ob rem non recedet gladius de domo tua
usque in sempiternum, eo quod despexeris me, & tuleris uxorem Uriæ Hethæi, ut
esset uxor tua. 11 Itaque hæc dicit Dominus: Ecce, ego suscitabo super te malum
de domo tua, & tollam uxores tuas de oculis tuis, & dabo proximo tuo, & dor-
miet cum uxoribus tuis in oculis Solis hujus. 12 Tu enim fecisti abscondite: ego
autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israel, & in conspectu Solis. 13 Et
dixit David ad Nathan: Peccavi Domino. Dixitque Nathan ad David: Dominus quo-
que transtulit peccatum tuum: non morieris. 14 Verumtamen quoniam blasphemare
fecisti inimicos Domini, propter verbum hoc, filius, qui natus est tibi, morte morie-
tur. 15 Et reversus est Nathan in domum suam. Percussit quoque Dominus parvu-
lum, quem pepererat uxor Uriæ David, & desperatus est. 16 Deprecatusque est Da-
vid Dominum pro parvulo: & jejunavit David jejunio, & ingressus seorsim, jacuit su-
per terram. 17 Venerunt autem seniores domus ejus, cogentes eum, ut surgeret
de terra: qui noluit, nec comedit cum eis cibum. 18 Accidit autem die septima,
ut moreretur infans: timueruntque servi David nuntiare ei, quod mortuus esset par-
vulus: dixerunt enim: Ecce cum parvulus adhuc viveret, loquebamur ad eum, &
non audiebat vocem nostram; quanto magis, si dixerimus, Mortuus est puer, se af-
fliget? 19 Cum ergo David vidisset servos suos mussitantes, intellexit, quod mor-
tuus esset infantulus: dixitque ad servos suos: Num mortuus est puer? Qui respon-
derunt ei: Mortuus est. 20 Surrexit ergo David de terra: & lotus, unctusque est:
cumque mutasset vestem, ingressus est domum Domini: & adoravit, & venit in do-
mum suam, petivitque, ut ponerent ei panem, & comedit. 21 Dixerunt autem ei
servi sui: Quis est sermo, quem fecisti? propter infantem, cum adhuc viveret, jeju-
nasti, & flebas: mortuo autem puero, surrexisti, & comedisti panem. 22 Qui ait:
Propter infantem, dum adhuc viveret, jejunavi, & flevi: dicebam enim: Quis scit,
si forte donet eum mihi Dominus, & vivat infans? 23 Nunc autem quia mortuus
est,

est, quare jejunem? Numquid potero revocare eum amplius? ego vadam magis ad eum: ille vero revertetur ad me. 24 Et consolatus est David Bethsabee uxorem suam, ingressusque ad eam, dormivit cum ea: quæ genuit filium, & vocavit nomen ejus Salomon, & Dominus dilexit eum. 25 Misitque in manu Nathan prophetæ, & vocavit nomen ejus, Amabilis Domino, eo quod diligeret eum Dominus. 26 Igitur pugnabat Joab contra Rabbath filiorum Ammon, & expugnabat urbem regiam. 27 Misitque Joab nuntios ad David, dicens: dimicavi adversum Rabbath, & capienda est Urbs aquarum, 28 Nunc igitur congrega reliquam partem populi, & obside civitatem, & cape eam; ne, cum a me vastata fuerit urbs, nomini meo ascribatur victoria. 29 Congregavit itaque David omnem populum, & profectus est adversum Rabbath: cumque dimicasset, cepit eam. 30 Et tulit diadema regis eorum de capite ejus, pondo auri talentum, habens gemmas pretiosissimas, & impositum est super caput David. Sed & prædam civitatis asportavit multam valde: 31 Populum quoque ejus adducens servavit, & circumegit super eos ferrata carpenta: divisitque cultris, & traduxit in typo laterum: sic fecit universis civitatibus filiorum Ammon. Et reversus est David, & omnis exercitus in Jerusalem.

℣. 1. MISIT DOMINUS NATHAN AD DAVID.] A David in flagitii sui sordibus ullus anni intervallo versatus est. Propheta ad eum missus fuit solum post pueri nativitatem, qui fructus erat adulterii. Interim Prophetiæ spiritus in ipso jacuerat, illiusque una cum pietate, & gratia jacturam subierat. Sceleris sui vi de sana mente dejectus fuerat; & vir ille perspicax adeo & æquus, ut aliena peccata detegeret, castigaretque, quibus in sordibus volutaretur, tunc tandem solum intellexit, cum Nathan detexit illius turpitudinem.

DUO VIRI ERANT IN CIVITATE UNA.] Nathan ad instar medici eximii non porrigit ægro cum omni acredine pharmacum, verum dulcedine immixta sapienter temperat; & quin dignitatem suam Domi- B nici ountii in discrimen adducat, quin ægrotum exasperet, illique vel violentis, vel ardentibus nimium consiliis invisam veritatem, inutilemque reddat reprehensionem, Davidem adigit, ut se ipsum condemnet, antequam ab illo condemnaretur. Verum simul ac Regem humiliatum agnovit, & veritati, de qua illum admoniturus erat, excipiendæ dispositum, iterum Prophetæ gravitatem induit, atque ea loquitur sermonis auctoritate, quæ Domini legatum maxime decet. Creditur vulgo Nathan hæc Davidi dixisse remotis arbitris; at Sanctus Chrysostomus arbitratur ipsum hæc protulisse coram principibus Aulicis; quæ circumstantia non parum adhuc conducit ad celebrandam, tum Prophetæ sapientiam, cum Regis pœnitentia ducti hu- C militatem.

℣. 3. OVEM, QUÆ CREVERAT APUD EUM CUM FILIIS EJUS SIMUL, DE PANE ILLIUS COMEDENS, ET DE CALICE ILLIUS BIBENS.] Nequeunt sane jure hæ omnes loquendi rationes ad literam explicari, neque fas est illinc pressius sumptam veritatem extorquere, seu in ove, quæ subjectum est parabolæ, seu in Bethsabee, quæ sub hac sermonis similitudine designatur. Sufficit tantum ostendere nequaquam fuisse Nathan prætergressum regulas verisimilitudinis, & Davidem capere potuisse veluti historiam veram illud, quod ipsi dicebatur. Cum dicitur ovis requiescere in sinu domini sui, ac de illius pane comedere, & de calice ejus bibere, hoc innuit dumtaxat ovem mansuefactam, quæ familiariter per domum vagatur, at- D que de manu Domini escam accipit; quod ipsum hodie quoque in Arabia Judææ finitima usuvenit; formosissima ex grege ovit mansuefit, ctm aliis in pascua non dimittitur, sed cum filiis domi inoutritur. Vide Bochartum de Animal. sacr. tom. 1. l. 2. cap. 46.

℣. 4. PARCENS ILLE SUMERE DE OVIBUS.] Hæc circumstantia maxime erat in rem; & hac profecto adductus David, illum, qui hoc fecerat, dignum morte judicavit; nam fur quadruplum tantummodo reddere tenetur, non capite damnatur. Crimina, in quæ quis nimia labitur fragilitate, quodammodo veniam merentur: sed cordis hilaritate, atque unice, ut propriæ cupiditati satisfiat, quodlibet scelus patrare, flagitium est nulla dignum excusatione.

℣. 5. FILIUS MORTIS EST.] Hoc est morte plectendus. Non autem ob furtum simpliciter; Lex enim tantum imperat, ut ablata restituantur Exod. 22. 1. sed propter gravissimas sceleris hujus circumstantias. Quemadmodum enim circumstantiis ducti nonnumquam de Legum severitate Judices aliquid imminuunt; ita quoque nonnumquam iis adducuntur, ut propter pravas noxiorum affectiones aliquid eorum addant severitati. Legum latores omnia nequeunt prævidere.

℣. 6. OVEM REDDET IN QUADRUPLUM.] Juxta legem Exod. 22. 1. *Si quis furatus fuerit bovem, aut ovem, & occiderit, vel vendiderit: quinque boves pro uno bove restituet, & quatuor oves pro una ove.* David quatuor filios amisit [1] in sui sceleris pœnam, ac filiam suam a filio Ammon [2] inaudito incœstu temeratam vidit, ac deinde uxores ipsius palam ab Absalone constupratas 2. Reg. 16. 22 Septuaginta [3] *Ovem reddet in septuplum.*

℣. 8. DEDI TIBI UXORES DOMINI TUI IN SINU TUO.] Nullam ex uxoribus Saulis Davidi nupsisse cognovimus. Nonnulli hoc dictum putant de *Egla*, & *Achinoam*; quas a Saule viduas relictas autumant; verum istud incertius est, quam ut fidem mereatur. Non desunt, qui de Michol filia Saulis intelligant; perinde ac Textus simpliciter diceret: *dedi tibi Regias mulieres in uxores tibi.* Verum intelligere præstat de facultate, quam habebat David ducendi in uxores Saulis viduas; quæ potestas unius Regis erat [3]: *Dedi tibi Saulis regnum, & omnia, quæ erant illius.* Mulieres, & reliqua omnia, quæ victi Regis fuerant, victori cedebant. Vide ea, quæ dicta fuerint ad cap. 2. Reg. 3. 7. Vide etiam caput 16. ℣. 21.

ADJICIAM TIBI MULTO MAJORA.] Hebraicus textus verti posset [4]: *Et si hoc parum esset adjiciam tibi illud, & illud*; alia scilicet, quæ illi designavit; veluti

1 Idest, primogenitum e Bethsabea, Ammon, Absalon, & Adoniam.
2 2. Reg. 13. 14.
3 Grotius hic.
4 ואם מעט ואוסיפה לך כהנה וכהנה

veloti diuturnum vitæ ſpatium, regni felicitatem, ſapientiam, bona &c. Septuaginta 1 : *adjiciam tibi ſimilia*.

℣. 10. NON RECEDET GLADIUS DE DOMO TUA USQUE IN SEMPITERNUM.] Regnum David fuit bellis agitatum : Familia ipſius ex parte filiorum ſuorum cruorem manare conſpexit. Num unus e ſucceſſoribus illius ſine bellis, & ſine tumultu regnavit? Salomon ipſe ſub finem vitæ ſuæ Jeroboami defectione turbatus fuit 3. Reg. 11. 26. atque proprio fratri ſuo Adoniæ intulit necem 3. Reg. 2. 24. 25.

℣. 11. SUSCITABO SUPER TE MALUM DE DOMO TUA.] Abſalonem ſcilicet filium tuum, qui capiet arma contra te. Deus ſe ſuſcitare, ciere dicit : nam permittit, ut adoleſcens hic prava conſilia exequatur, ac res e voto cedant ad eum uſque finem quoad Divinum conſilium fuerat, ut David affligeretur.

℣. 13. DOMINUS TRANSTULIT PECCATUM TUUM, NON MORIERIS.] Vix criminis ſui pœnitentia ducitur David, ut Deus illi veniam pollicetur. Hujus *peccavi* longe aliud fuit ab eo, quod Saul protulerat 2. Saul obtinere nequit, ut reprobationis ſuæ rogatio antiquetur, eo quod illius pœnitentia neque humilis fuit, neque ſincera. Eodem tempore, quo ſe peccaſſe fatetur, Samuelem rogat, ut ipſum coram populo honoret ; in inobedientia ſua perſeverat, atque opus eſt, ut Samuel Divino zelo correptus ex ſemet Agag Regem Amalecitarum conſodiat. David e contra omnia humilitatis argumenta præbet, plorat, gemit, atque in quinquageſimo Pſalmo pœnitentiæ ſuæ publicum, ac perenne monumentum conſtituit. Hinc *Dominus tranſtulit peccatum* illius, ſcilicet, pepercit illi, neque in illum omni ſeveritate animadvertet. Peccatum iſthic pro ſcelere, & pro ſceleris pœna uſurpatur. Scelus quidem penitus deletur, pœna vero, & æterna tibi remittitur, & temporalis valde imminuitur : *Non morieris* ; Tibi gladium intenderam 3 ; verum non accedet ad te, vitæ tuæ annos in pace complebis ; te puniam, quin te interficiam.

℣. 14. BLASPHEMARE FECISTI INIMICOS DOMINI 4.] Crimen David, quod primo ſecretum fuerat, demum detectum eſt, ac rumor ad exteros quoque pervaſit. Syri, Ammonitæ, Moabitæ, Idumæi, Philiſthiim, quos David ſubegerat, & qui ira, atque invidia in ipſum flagrantes, omnia illius conſilia perſcrutabantur, obmurmurare cœperunt. Quomodonam poteſt Deus favere interfectori, atque adultero? Ubinam illius eſt juſtitia, ubinam providentia? Hiccina igitur Deus eſt tantopere æquus, Deus ultor iniquitatum? Hanc labem, hoc portentum elegit ipſe, ut populo ſuo præficeretur? Hiccine David eſt, vir ille juxta Dei cor, Sauli præpoſitus, benedictionum, atque ingentium adeo promiſſorum tantopere cumulatus? Quid huic ſimile auſus eſt umquam Saul! Hæc, & ſimilia jactitare poterant externi ; Iſraelitæ vero exemplo adeo nequam commoti ſunt. Impii, atque libidinoſi hinc arripuere occaſionem Divinas leges ſpernendi, cum eas impune conteri, & conculcari ab illo agnoverunt, qui earumdem firmiſſimum eſſe debebat præſidium, & columen. Denique ubique gentium ſermones cum illius Religionis contemptu commiſcebantur, in qua enormia adeo, & flagitioſa ſcelera patrabantur.

℣. 15. ET DESPERATUS EST.] Hebraica vox ſimpliciter innuit 5, *ipſum ægrotaſſe*, infirmatum fuiſſe doloribus obrutum.

℣. 16. INGRESSUS SEORSUM JACUIT SUPER TERRAM.] Hebraica 6 : *tranſegit noctem, & requievit ſuper humum*.

℣. 18. DIE SEPTIMA.] Filius mortuus eſt die ſeptima vel a nativitate, vel a die ægritudinis. Filius hic obiit, non autem in peccati ſui pœnam (neque enim illi ulla fuerat pars in parentum ſuorum ſcelere) ſed in genitorum ipſorum ſupplicio.

℣. 25. VOCAVIT NOMEN EJUS AMABILIS DOMINO.] Hebraice 7, *Jedidiah*. Hoc eſt nomen, quod Deus illi impoſuit, David enim Salomonem appellarat, neque ſub alio, præter hoc, illum nomine agnoſcimus. Hic amor, atque prædilectio Dei erga Salomonem, omnino equidem eſt gratuita ; verum aſſeri nequit, eam eſſe ipſius prædeſtinationis ad gloriam, atque ad æternam ſalutem argumentum : quoniam de ſalute ipſius locus eſt ambigendi. Hebraicus textus ad litteram habet 8 : *Dominus miſit per manum Nathan propheta, & appellavit illum nomine Jedidiah, propter Dominum*. Theodotion 9 ; *appellavit illum Jedidiah in verbo Domini*, vel illius juſſu, vel quemadmodum vocaverat illum Dominus.

℣. 26. PUGNABAT JOAB CONTRA RABBATH, ET EXPUGNABAT URBEM REGIAM.] Hebraice 10 : *pugnavit contra Rabbath, & cepit urbem Regiam*. Sed creditur iſthic poſitum fuiſſe *cepit*, pro, *jam jam capturus erat*, actum inceptum pro completo. Hæc quoque civitas *Regia* alia fortaſſe erat a Rabbath, vel potius pars erat urbis ejuſdem, quam ceperat Joab, ita ut ipſe confideret, ſe brevi reliqua civitatis parte potiturum.

℣. 27. DIMICAVI ADVERSUS RABBATH, ET CAPIENDA EST URBS AQUARUM.] En aliud adhuc nomen, quod urbi Rabbath tribuitur. Hæc præcedenti verſiculo *urbs Regia*, iſthic vero *urbs Aquarum* vocatur. Hebraice habemus 11 : *cepi urbem Aquarum*, ſed hoc veluti ℣. 26. eſt intelligendum. Urbs Aquarum erat plane inferior urbs ad Jabok ſita, quæ hoc torrente alluebatur. Hanc quidem cepit Joab, verum Davidi reſervavit honorem ſuperioris urbis Rabbath capiundæ, quæ longe erat munitior. Junius hunc locum ita reddit : *Præcidit aquas, quæ in urbem influebant*. Joſephus Antiqu. l. 7. c. 7. huic verſioni ſuffragatur ; ait enim, Joab, cum præcidiſſet aquæ ductus, quibus aqua in urbem inferebatur, atque obſeſſis omnem intercluſiſſet aditum, quà commeatus importari poterant, oppidanos ea annonæ, & aquarum caritate oppreſſiſſe, ut nullam aliam haberent aquam, quam quæ ex uno tantum puteo, qui erat in urbe, poterat hauriri. Polyb. Hiſt. l. 5. de urbe eadem ab Antiocho Rege obſeſſa loquens, ait, Regem per transfugam certiorem factum ſubterranei cujuſdam cuniculi, qua obſeſſi ad aquam hauriendam egrediebantur, locum obſtruxiſſe, eoſque adegiſſe, ut propter ſitim dederentur.

Obſidio Rabbath incepit ante peccatum Davidis cum Bethſabee. Si urbs capta non fuit ante Salomonis nativitatem, quemadmodum Textus, & narrationis a ſacro Scriptore contextæ decurſus videntur innuere, dicendum erit, in hac urbe expugnanda duos circiter annos fuiſſe tranſactos. Non deſunt, qui autument, relatam de hac urbe victoriam iſthic extra naturalem locum adferri, atque paullo poſt Uriæ

1 Προσθήσω σοι κατὰ ταῦτα. 2 *In ſimili voce diſſimile pectus erat, quod divinus oculus diſcernebat*. Auguſt. lib. 22. contra Fauſt. c. 27. 3 ℣. 10. *Non recedet gladius de domo tua*.

4 70. Edit. Rom. Παροργίζων παρώργισας τοὺς ἐχθροὺς Κυρίου. *Irritaſti inimicos Domini*. Editio Hexaplorum : Παροξύνων παρώξυνας. *Excitaſti*. Aqu. Διασύρων διέσυρας, *impuliſti, ut nomen Domini blaſphemarent*. Sym. Βλασφημῆσαι ἐποίησας. 5 ויאנש. 70. Καὶ ἠρρώστησε.

6 ולן ושכב ארצה. 70. Καὶ ηὐλίσθη ἐπὶ τῆς γῆς. Alius : Ηὐλίσθη καὶ ἐκοιμήθη ἐν σάκκῳ ἐπὶ τῆς γῆς.

7 ידידיה. 8 וישלח ביד נתן הנביא ויקרא את שמו ידידיה בעבור יהוה. 70. & Aqu. Ἐκάλεσε τὸ ὄνομα αὐτοῦ Ἰεδεδιὰ ἕνεκεν Κυρίου . . . . Sym. Ἐκάλεσεν τὸ ὄνομα αὐτοῦ ἠγαπημένον Κυρίου ἕνεκεν Κυρίου.

9 Καὶ ἐκάλεσε τὸ ὄνομα αὐτοῦ Ἰεδεδιὰ ἐν λόγῳ Κυρίου. 10 וילחם ברבת וילכד את עיר המלוכה

11 לכדתי את עיר המים

Uriæ mortem fuisse referendam. Qua de re nihil certum suppetit, quod in medium afferamus.

℣. 30. ET TULIT DIADEMA REGIS EORUM DE CAPITE EJUS, PONDO AURI TALENTUM.] Talentum Hebraicum erat centum, & viginti quinque librarum pondo. Reor autem talentum aureum, & argenteum æqui fuisse ponderis; ideoque difficile est, quod credas, Regem Ammonitarum gestare potuisse coronam ingentis adeo ponderis; verum credibile est hanc supra Regis ipsius thronum pependisse. Veteres plurium id genus coronarum meminere, quæ ad speciem tantummodo servabantur. Juvenalis Satyr. 10.

Magnæ coronæ
Tantum Orbem, quanto cervix non sufficit ulla.

Athenæus lib. 5. cap. 8. aureum diadema describit octoginta, aliud vero sexdecim cubitorum circuitu; tum aliud duorum cubitorum altitudine, & alia quædam cubitorum quatuor, vel quinque. Plinius lib. 33. cap. 2. aliquot memorat novem librarum pondo. Beniaminus Tudelensis ait, Imperatorem Comnenum suspendisse de throni sui vertica coronam auream pretiosissimis lapillis distinctam. Rabbini ajunt, Davidem quoque suspendisse diadema illud, quod Regi Ammonitarum ademerat, Magnetis vi, quæ, inquiunt, illud suspensum in aere detinebat; perinde ac Magnes ita aurum, uti ferrum attraheret. Eruditi quidam viri [1] arbitrantur Scripturam isthic innuere non reale pondus, sed pretium coronæ Regis Ammonitarum. Aurea erat, & consuetæ magnitudinis, verum talenti pretio æstimabatur propter lapillos, quibus exornata effulgebat. Paralipomenon liber [2] hanc lapillorum circumstantiam, de qua hic ne verbum quidem fit, aperte commemorat.

Ibidem quoque legimus coronam hanc fuisse *Melchom*: *Tulit David coronam Melchom de capite ejus*. Liquet *Melchom* idem esse ac Moloch; ideoque cum dicitur David tulisse coronam Regis Ammonitarum, explicari potest de corona illorum idoli, quod ipsorum Rex appellatur. Nomen *Moloch* Regem significat. At Interpretes nonnulli hoc refellunt, dicentes, Lege cautum esse, ne quis cupiat, vel servet aurum, vel argentum, quo Idola vel exornata sunt, vel conflata: *Sculptilia eorum igne combures, & non concupisces aurum, & argentum, de quibus facta sunt*; hoc idcirco dicunt, hoc absolute esse intelligendum de Regis Ammonitarum corona. Verum lex allata Chananæos tantum spectabat.

℣. 31. POPULUM EJUS ADDUCENS SERRAVIT, ET CIRCUMEGIT SUPER EOS FERRATA CARPENTA.] Alibi de hoc supplicii genere sermo fuit [3]. Non desunt exempla hominum sectorum ferreis serris, quibus lignum secatur. Svecorum, Turcarum, ac Neapolitanæ historiæ plurima exhibent experimenta. Hebraice [4]: *posuit illos in serra, & tribulis ferreis*. Prior vox adhibetur nonnumquam ad significandum lapides secare, vel lævigare [5]; sed nusquam lignum serrare, quod sciam, vox illa significat; neque satis est certum, an serram significet, qua vulgo uti solet ad lapides, vel marmor secandum; verum optimo significare posset instrumenta ad lapides cædendos. Posterior autem vox procul dubio trahear significat, quibus triticum trituratur; quæ hoc pacto a Varrone describuntur lib. 1. de Re Rust. c. 52. *Tribulum. Id fit e tabula lapidibus, aut ferro asperata, quæ imposito auriga, ut pondere grandi trahitur jumentis junctis, ut discutiat e spica grana. Aut ex assibus dentatis cum orbiculis, quod vocant plostellum Pœnicum. In eo quis sedeat, atque agitet, quæ trahant jumenta*. De his ferreis carpentis ad granum triturandum idoneis isthic plane sermo est. Erant quidem ferrea, videlicet ferro præfixa, vel saltem rotæ erant ferreæ.

DIVISITQUE CULTRIS, ET TRADUXIT IN TYPO LATERUM.] Hoc est in lateritiam fornacem dejecit. Hebræus [6]: Misit illos *in culteis ferreis*, vel in serris, vel generatim in instrumentis ad secandum, & dividendum idoneis, & *traduxit illos in locum, ubi fiunt*, vel ubi excoquuntur *lateres* [7]. Nonnulli contendunt hos contritos fuisse in loco quodam, ubi terra tundebatur ad lateres compingendos; alii; primum prostratos fuisse, deinde vero contritos in solo asperso, & lateribus, vel tegularum fragminibus obsito. Sed hoc naturalius videtur, eos in ardentem fornacem dejectos fuisse. Vide Psalmum 20. ℣. 9. 10. & Muis, Vatablum, Gejerum in Psalmi illius locum: *Pones eos, ut clibanum ignis* &c. Hi enim Authores illic Davidem loqui putant de supplicio quodam haud absimili ab eo, quod isthic adversus Ammonitas exercet. Supplicium hoc haud ignotum erat in Oriente; immo scimus, Danielem, & socios illius eodem in Chaldæa affectos fuisse. Daniel. 3. 6. 11. & seq. Vide pariter nostrum Commentarium in Esth. 13. 7.

Quidam Hebraice legunt *Malchen* pro *Malben*; atque ajunt *Malchen* significare locum, ubi humanæ victimæ Deo Moloch cremarentur. Hæc omnia tormenta adeo a nostra consuetudine abhorrent, nobisque immania adeo, & crudelia videntur, eo in bello præsertim, ubi tantum ultio exposcebatur ob contumeliam ab adolescente Rege, pravorum quorumdam Consiliariorum hortatu, Legatis irrogatam, ut eruditi quidam viri [8] hanc exaggerationem esse censuerint, vel effectum depravati Davidis animi eo tempore, quo in flagitiis abditus, omnem pietatem, & clementiam amiserat, cujus hactenus eximia præbuerat argumenta.

Verum haud probabilitate vacat, David has ideo pœnas de illis sumpsisse, quod iidem similiter in captivos Hebræos desævire consueverant. Si Ammanitæ ex acie victores discessissent, crudelius adhuc fortasse eos cruciatibus enecassent. Non fugit, qua impotentia Naas Ammonitarum Rex viris Jabes Galaad deditionem molientibus responderit; dixit enim se ea tantum conditione proposita in deditionem accepturum fuisse, ut cuilibet dexterum oculum erueret 1. Reg. 11. 2. Amos hunc populum exprobrat, eo quod prægnantium mulierum alvum secuissent, fetus illarum interfecturi, illudque iis in bellis, ubi de finium dilatatione tantummodo agebatur [9]. Supponendum est, David hac in re temporum illorum communes belli leges secutum fuisse, vel Ammonitas præcedentibus injuriis, quæ quidem latent, id supplicii genus fuisse promeritos. Id autem certum est, a Scriptura Davidem hac de re nuspiam redargui; immo illam palam testari præter Uriæ factum, Davidem omni culpa vacasse [10]. Non igitur temere damnandum est, quod non satis constat, ut certum, exactumque judicium ferre possimus.

1 Sanct. hic, Bochartus de Animal. Sacris tom. 1. l. 2. c. 38. Nold. Concord. particul. p. 1043.
2 1. Par. 20. 2. *Invenit in ea (corona) pretiosissimas gemmas, fecitque sibi inde diadema*.
3 Vide in Deuter. Dissertationem de Suppliciis.
4 וישם במגרה ובחרצי הברזל.
5 3. Reg. 7. 9.
6 ובמגזרות הברזל והעביר אותם במלכן.
7 Διὰ τοῦ πλινθίου.
8 Vide Sanct. ad ℣. 26. Tirin. ad 1. Par. 20. 3. *Probabilius est peccasse hic Davidem, & quidem gravissime* &c.
9 Amos 1. 13. *Eo quod dissecuerit prægnantes Galaad, ad dilatandum terminum suum*.
10 3. Reg. 15. 5. *Eo quod fecisset David rectum in oculis Domini, & non declinasset ab omnibus, quæ præceperat ei cunctis diebus vitæ suæ, excepto sermone Uriæ Hethæi*.

CAPUT

CAPUT XIII.

Amnon filius David Thamar Absalonis sororem constupratur. Amor illius in odium adversus illam vertitur. Absalon Amnoni necem infert, & se recipit ad Tholmai Regem Gessur,

1. FActum est autem post hæc, ut Absalom filii David sororem speciosissimam, vo- Anno M.
cabulo Thamar, adamaret Amnon filius David, 2 Et deperiret eam valde, 2972. An-
ita ut propter amorem ejus ægrotaret: quia cum esset virgo, difficile ei vide- te J. C.
batur, ut quippiam inhoneste ageret cum ea. 3 Erat autem Amnon amicus, nomine 1032.
Jonadab, filius Semmaa fratris David, vir prudens valde. 4 Qui dixit ad eum: Qua-
re sic attenuaris macie, fili regis, per singulos dies? cur non indicas mihi? Dixitque
ei Amnon: Thamar sororem fratris mei Absalom amo. 5 Cui respondit Jonadab:
Cuba super lectum tuum, & languorem simula: cumque venerit pater tuus, ut visitet
re, dic ei: Veniat, oro, Thamar soror mea, ut det mihi cibum, & faciat pulmentum,
ut comedam de manu ejus. 6 Accubuit itaque Amnon, & quasi ægrotare cœpit: cum-
que venisset rex ad visitandum eum, ait Amnon ad regem: Veniat, obsecro, Thamar
soror mea, ut faciat in oculis meis duas sorbitiunculas, & cibum capiam de manu ejus.
7 Misit ergo David ad Thamar domum, dicens: Veni in domum Amnon fratris tui, &
fac ei pulmentum. 8 Venitque Thamar in domum Amnon fratris sui: ille autem ja-
cebat: quæ tollens farinam commiscuit: & liquefaciens, in oculis ejus coxit sorbitiun-
culas. 9 Tollensque quod coxerat, effudit, & posuit coram eo, & noluit comedere:
dixitque Amnon: Ejicite universos a me. Cumque ejecissent omnes, 10 Dixit Am-
non ad Thamar: Infer cibum in conclave, ut vescar de manu tua. Tulit ergo Thamar
sorbitiunculas, quas fecerat, & intulit ad Amnon fratrem suum in conclave. 11 Cum-
que obtulisset ei cibum, apprehendit eam, & ait: Veni, cuba mecum, soror mea. 12
Quæ respondit ei: Noli, frater mi, noli opprimere me, neque enim hoc fas est in Is-
rael: noli facere stultitiam hanc. 13 Ego enim ferre non potero opprobrium meum,
& tu eris quasi unus de insipientibus in Israel: quin potius loquere ad regem, & non
negabit me tibi. 14 Noluit autem acquiescere precibus ejus, sed prævalens viribus
oppressit eam, & cubavit cum ea. 15 Et exosam eam habuit Amnon odio magno ni-
mis; ita ut majus esset odium, quo oderat eam, amore, quo ante dilexerat. Dixitque
ei Amnon: Surge, & vade. 16 Quæ respondit ei: Majus est hoc malum, quod nunc
agis adversum me, quam quod ante fecisti, expellens me. Et noluit audire: 17 Sed
vocato puero, qui ministrabat ei, dixit: Ejice hanc a me foras, & claude ostium post
eam. 18 Quæ induta erat talari tunica: hujuscemodi enim filiæ regis virgines vestibus
utebantur. Ejecit itaque eam minister illius foras: clausitque fores post eam. 19 Quæ
aspergens cinerem capiti suo, scissa talari tunica, impositisque manibus super caput su-
um, ibat ingrediens, & clamans. 20 Dixit autem ei Absalom frater suus: Numquid
Amnon frater tuus concubuit tecum? sed nunc soror tace, frater tuus est: neque af-
fligas cor tuum pro hac re. Mansit itaque Thamar contabescens in domo Absalom fra-
tris sui. 21 Cum autem audisset rex David verba hæc, contristatus est valde, & no-
luit contristare spiritum Amnon filii sui, quoniam diligebat eum, quia primogenitus e-
rat ei. 22 Porro non est locutus Absalom ad Amnon nec malum, nec bonum: ode-
rat enim Absalom Amnon, eo quod violasset Thamar sororem suam. 23 Factum est au-
tem post tempus biennii, ut tonderentur oves Absalom in Baalhasor, quæ est juxta E-
phraim: & vocavit Absalom omnes filios regis. 24 Venitque ad regem, & ait ad
eum: Ecce tondentur oves servi tui: veniat, oro, rex cum servis suis ad servum su-
um. 25 Dixitque rex ab Absalom: Noli, fili mi, noli rogare, ut veniamus omnes,
& gravemus te. Cum autem cogeret eum, & noluisset ire, benedixit ei. 26 Et ait
Absalom: Si non vis venire, veniat, obsecro, nobiscum saltem Amnon frater meus.
Dixitque ad eum rex: Non est necesse, ut vadat tecum. 27 Coegit itaque Absalom
eum.

eum, & dimisit cum eo Amnon, & universos filios regis. Fecetatque Absalom convi-
vium, quasi convivium regis. 28 Præceperat autem Absalom pueris suis, dicens:
Observate, cum temulentus fuerit Amnon vino, & dixero vobis: Percutite eum, &
interficite: nolite timere; ego enim sum, qui præcipio vobis; robotamini, & estote
viri fortes. 29 Fecerunt ergo pueri Absalom adversum Amnon, sicut præceperat eis
Absalom. Surgentesque omnes filii regis ascenderunt singuli mulas suas, & fugerunt.
30 Cumque adhuc pergerent in itinere, fama pervenit ad David, dicens: Percussit
Absalom omnes filios regis, & non remansit ex eis saltem unus. 31 Surrexit itaque
rex, & scidit vestimenta sua: & cecidit super terram, & omnes servi illius, qui as-
sistebant ei, sciderunt vestimenta sua. 32 Respondens autem Jonathas filius Semmaa
fratris David, dixit: Ne æstimet dominus meus rex, quod omnes pueri filii regis
occisi sint: Amnon solus mortuus est, quoniam in ore Absalom erat positus, ex die,
qua oppressit Thamar sororem ejus. 33 Nunc ergo ne ponat dominus meus rex su-
per cor suum verbum istud, dicens: Omnes filii regis occisi sunt, quoniam Amnon
solus mortuus est. 34 Fugit autem Absalom: & elevavit puer speculator oculos su-
os, & aspexit: & ecce populus multus veniebat per iter devium ex latere montis.
35 Dixit autem Jonadab ad regem: Ecce filii regis adsunt: juxta verbum servi tui
sic factum est. 36 Cumque cessasset loqui, apparuerunt & filii regis: & intrantes
levaverunt vocem suam, & fleverunt: sed & rex, & omnes servi ejus fleverunt plo-
ratu magno nimis. 37 Porro Absalom fugiens, abiit ad Tholomai filium Ammiud
regem Gessur. Luxit ergo David filium suum cunctis diebus. 38 Absalom autem
cum fugisset, & venisset in Gessur, fuit ibi tribus annis. 39 Cessavitque rex David
persequi Absalom, eo quod consolatus esset super Amnon interitu.

℣. 1. FACTUM EST UT SORORECM . . . ADAMARET AMNON.] Thamar filia erat Davidis, & Maachæ, eodem quidem patre, ac Amnon, non autem eadem matre genita.

℣. 2. QUIA CUM ESSET VIRGO &c.] Difficile videbatur Amnoni, sororem allici posse, ut illius pudori nota inferretur. Virgines seorsim a viris clausæ morabantur, neque aditus non dicam exteris, verum neque consanguineis alieni sexus patebat; itaque Amnon sperare non poterat fore, ut sorori amorem suum testaretur, ac minus adhuc ut libidini suæ satisfaceret; quare languore confectus fuit, qui quamprimum in faciem se prodidit. Attamen opus est, ab ipso prius Thamar visam fuisse, quandoquidem eam deperibat. Virgines nonnumquam in quibusdam solemnitatibus, sed magna semper stipatæ B caterva egrediebantur.

℣. 3. PRUDENS VALDE.] Hebræus [1]: *Valde sapiens.* Sapientis ac prudentis nomen non semper in æquiorem sensum accipitur; & prudentia, qua hac in re usus est Jonadab, nequior esse non poterat. Hic *Jonadab* filius *Semmaa* idem forte est ac Jonathan filius ejusdem *Semmaa*, de quo inferius est sermo cap. 21. 21.

℣. 5. FACIAT PULMENTUM, UT COMEDAM DE MANU EJUS.] Hebraicus textus, & Septuaginta [2]: *faciat coram me aliquod esculentum, ut eam videam, & comedam.* Simulat sibi nihil eorum, quæ ipsi parabantur, sapere; aliquid poscit de manu Thamar; verum quemadmodum poterat esca de sororis domo ad ipsum afferri, ita ait se cupere, videre illam ci- C bum præparantem, ut comedere posset.

℣. 6. FACIAT IN OCULIS MEIS DUAS SORBITIUNCULAS,] duo fercula, vel duos alicujus liquoris, vel jusculi haustus. Hebraice ad litteram [3]: *duas sorbitiones cor permulcentes.* Chaldæus [4]: *duas placentas.* Septuaginta [5]: *duas exiles placentulas ad instar offularum.* Vox authographi ex origine fluit, quæ cor significat; quare illam sorbitiones cor permulcentes reddidimus. Præstaret forte intelligere de aliqua re ad refovendum apta, vel generatim potius, A quæ blande saporem, atque appetitum cieat. Nam ex decursu liquet Thamar subegisse panem, quem in patella excoquit [6]. Apud Græcos erat exilium quoddam genus placentularum, quæ *collabos* [7] vocabantur, nomine haud multum ab Hebraico *Lebabot*, vel *Lebabos* abhorrente. Juxta nostrorum temporum consuetudinem, mirum admodum esset Reginam videre, quæ escas condire, & panem coquere nosset; verum alia penitus erant veterum studia. Sara per se ipsam & epulas instruit, & panes hospitibus subigit Genes. 18. 6. & Herodotus l. 8. c. 137. ait, Reginam quamdam Macedoniæ Perdicæ Regis conjugem panem pro tota domo subigere consuevisse.

℣. 9. TOLLENS, QUOD COXERAT, EFFUDIT, & POSUIT CORAM EO.] Hæ omnes loquendi rationes cum iis, quæ in Vulgata præcesserunt, liquidæ alicujus rei, vel oxypori, vel pultis imaginem præbent: verum Hebraicus textus [8] placentæ, vel panis genus quoddam videtur innuere, cujus potior pars sit farina. *Tulit farinam*, inquit Scriptura, *& subegit eam coram illo, atque ex ea fecit placentas, & sumpsit patellam, & effudit coram illo.* Vidimus in Levitico plura fuisse placentarum genera, quæ in patella coquebantur.

℣. 10. INFER CIBUM IN CONCLAVI.] Ex his verbis videtur Amnon de strato surrexisse, atque e cubiculo, ubi viderat eam epulas instruentem, deduxisse Thamar in penetrale, quo illam secutus est: sed fortasse intelligendus est simpliciter cubiculi locus, ubi erat cubile; qui, ut videtur, a reliqua cubiculi parte tenui muro divisum erat, vel per separationem quamdam, quæ ad hanc quoque diem in Hispania usum dicitur obtinere. Nam ex universa hac narratione certum videtur Amnonem e cubili haud surrexisse. Sororem ergo simpliciter ad cubile suum accersivit. Hoc quoque certum est Hebraicum nomen *Cheder* secretiorem significare locum, ubi thorus insternitur. Vide Exod. 8. 3. Judic. 15. 1. & 2. Reg. 4. 7. & 4. Reg. 11. 2. Eccle. 10. 20. Cant. 1. 4. Joel. 2. 16.

℣. 13. LOQUERE AD REGEM, & NON NEGABIT ME TIBI.] Ignorabat ne Thamar conjugia inter fratres,

1 איש חכם מאד 2 ועשתה לעיני את הבריה למען אשר אראה ואכלתי מידה 70. Ποιησάτω ἐνώπιόν μου βρῶμα, ὅπως ἴδω καὶ φάγω. 3 שתי לבבות 4 תרתין חליטתא 5 Δύο κολλυρίδας. 6 Vide ad vers. 9. Ioseph. Antiqu. l. 7. c. 7. 7 Athen. l. 3. c. 38. 8 ותקח את הבצק ותלש ותלבב לעיניו ותבשל את הלבבות ותקח את המשרת ותצק לפניו

ttes, ac sorores lege prohiberi [1]? Non desunt eruditi viri [2], qui putent, ipsam vere hoc ignorasse. At plerique majori veritatis specie asserunt, ipsam tali fratris libidine perturbatam, dixisse, quidquid ipsa animi turbatio suggessit, ut se ex Amnonis manibus eripere adniteretur, rata futurum ut spes hec, qua illi blandiebatur, eumdem de flagitioso consilio dejiceret. Rabbini quidam docent Thamar a Davide non fuisse genitam, sed Regem illum duxisse in uxorem Maacham matrem puellæ, cum jam ventrem ferret ex alio viro. Alii Judæi putant Maacham factam fuisse uxorem David juxta leges [3], quæ victori permittunt cum muliere belli capta primæ indulgere libidini, sed non patiuntur, hanc in uxorem duci, nisi postquam proselyta facta fuerit. Thamar erat, inquiunt illi, primæ illius libidinis fructus; ethnica matre concepta, & ita juxta illorum dogmata nullo consanguinitatis gradu cum Amnone erat conjuncta. Judæi sibi nullos esse cognatos putant, qui de Judæa matre nati non fuerint. At cum hæc nullo confirmentur argumento, ita ab ea minime recedendum opinione reor, quam primum proposui.

℣. 15. EXOSAM EAM HABUIT.] Haud insuetum est ab animi perturbatione violenta nimis, atque inordinata ad aliam penitus oppositam repente abripi. Pudor, qui comitatur, consequiturque facta quælibet inhonesta, conscientiæ stimuli, ac pænitentia facti, nec non fastidia, quæ tale crimen consequi solent, tantopere in Amnonis pectore simul omnia affectuum turbam excitarunt, ut objectum, quod illum tot furiis agitabat, perosus ferre amplius non posset. Similia suppetunt [4] nobis exempla in historia cum veteri, tum recentiori. Flagitiosi quidam postquam libidini suæ indulgentes se voluptatibus ingurgitarunt, in ipsas, quæ libidinum suarum instrumenta fuerant, primos furoris sui, atque desperationis impetus effuderunt, illis necem inferentes. Aristoteles Problem. Sect. 4. atque Philosophi naturales hujus rei causas afferunt, præcipue in adolescentulis.

℣. 18. QUÆ INDUTA ERAT TALARI TUNICA.] Hebræus [5]; *tunica passim*. Posterior hæc vox pugnum significat, perinde ac diceret tunicam, cujus manicæ ad pugnum usque pertingebant; id genus tunicæ semper talares erant; sed quæ sine manicis erant, erant quoque vulgo breviores. *Passim* significat etiam varios colores in vestibus; seu quod hac varietate colorum tunica esset contexta, seu quod illa in fimbriis, atque ora consisteret, qua inferior tunicæ, & manicarum pars prætexebatur. Arabes hodie tunicas multicolores discoloribus distinctas lineis gestare consueverunt. Consulere potes, quid in Genesi 38. 3. dixerim de tunica, quam Jacob fecerat Joseph filio suo.

℣. 19. QUÆ ASPERGENS CINEREM CAPITI,] In luctus, atque doloris signum. Qui te hac obrutam calamitate viderint, inquit Ezechiel 27. 30. Tyri civitatem alloquens, *ejulabunt super te voce magna, & clamabunt amare, & superjacient pulverem capitibus suis, & cinere conspergentur*. Achilles audita Patrocli nece pulverem duplicatis manibus sumit, atque super suum caput effundit [6]. Virgilius describens Mezentium, cum Lausi filii sui in prælio cæsi cadaver intuetur, ait Æneid. 10.

Canitiem immundo deformat pulvere, & ambas
Ad cœlum tendit palmas.

IMPOSITISQUE MANIBUS SUPER CAPUT SUUM,] velut ut suum caput post tantum dedecus obnuberet. Jeremias 2. 37. Judæam alloquens, quæ omnem fiduciam in Ægypto collocarat: *ab ista egredieris*, ait, *& manus tuæ erunt super caput tuum; quoniam obtrivit Dominus confidentiam tuam*.

℣. 20. TACE: FRATER TUUS EST.] Frustra ab Rege poposceris, ut honorem tuum ulciscatur! Amnon est frater tuus; Rex, quemadmodum in alium, non ita in ipsum animadvertet. Vel ne prodas hæc; hujus enim dedecoris nota universa Regis familia aspergetur.

℣. 21. NOLUIT CONTRISTARE SPIRITUM AMNON &c.] Hoc neque in Hebraico textu extat, neque in Versionibus, quæ super hunc Textum elaboratæ fuerunt; neque ipse Divus Hieronymus istud posuit in Versione sua. Græci in quibusdam Exemplaribus suis hoc addiderunt [7], ac Josephus in suis id ipsum legebat; qui forte & Græcis occasionem præbuit, ut illud ipsi quoque adjicerent. Davidis silentium, atque dissimulatio hac in re culpa non vacat; præsertim nisi alia adferatur causa, quàm amor peculiaris, quo unico Amnonem prosequebatur. Cum ille se quoque sontem nosset, haud vires illi suppetebant, ut scelus persequeretur, cui suum fortasse flagitium occasionem præbuerat. Vide Sanctium hic.

℣. 23. FACTUM EST POST TEMPUS BIENNII, UT TONDERENTUR OVES ABSALOM.] Absalom simultatem adversus Amnonem aluit biennio, quin illi odium suum testaretur. Tempus, quo tondebantur oves, erat ver: atque cum hæc fierent, convivia atque comessationes [8] haberi consueverant, quibus amici omnes invitabantur Reges; ac Regum filii tunc temporis per se œconomicas res procurabant; atque inter præcipuas eorum curas erat, numerosa, atque speciosa armenta possidere, ac ex illis quæstum facere. *Cato senex interrogatus, quid in re familiari esset primum; respondit: bene pascere*. Cicero apud Grotium hic.

IN BAAL-HASOR, QUÆ EST JUXTA EPHRAIM;] Prope urbem, quæ Ephraim, vel Ephrem vocatur; hujus meminit S. Johannes [9] qui ait, fuisse juxta desertum; quod intelligi potest de deserto Bethel, vel Jericho; nam Josephus l. 5. c. 13. de Bello simul ponit Ephrem, & Bethel, veluti duo loca satis prope Jerusalem. Baal-Hasor erat juxtam Ephrem; nihil præterea liquet.

℣. 26. VENIAT, OBSECRO, NOBISCUM SALTEM AMNON.] De Amnone præsertim urget, & quod primogenitus erat filiorum Regis, atque ut Davidi os sublimiret, ostenderetque se nullo adversus fratrem odio exardescere. De aliis Regiis filiis non loquitur; eos tamen constat huic adfuisse convivio.

℣. 29. ASCENDERUNT SINGULI MULAS SUAS.] Id genus jumentis ea in regione Principes, Nobilesque viri ad equitandum utebantur. Rex ipse mulo vehebatur [10]. Nunc primum mulas, vel mulos memorat Scriptura [11]; hactenus Judices Israel asinos conscenderant [12]. At ne arbitreris, mulos, de quibus loquimur, & quibus Reges, Principesque viri ea in regione insidebant, & quibus pro equis belli utebantur, quemadmodum Absalon fatali in prælio, ubi propter mulæ pernicitatem de arbore suspensus relictus est, ne arbitreris, inquam, nostratibus mulis pares fuisse, quos non nisi vires ad majora onera gestanda commendant. Muli Syriæ haud gignebantur ex asini, & equæ concubitu, verum e mulo geniti, mulam parentem ferebant [13]; nam mulæ ea in regione non secus ac equæ apud nos fœtus edunt; & muli, qui ex illis oriuntur, sunt in medio quadam specie equum inter, & mulum; robustiores quidem equis, consuetis vero mulis velociores, quamquam his forma haud multum absimiles [14].

℣. 32. IN ORE ABSALOM ERAT POSITUS, EX DIE, QUA OPPRESSIT THAMAR;] Scilicet eum perdere decreverat. Consilium suum dissimulabat; verum decreverat; consilium erat in ore, veluti verbum, quod est enunciandum. Chaldaica, Syriaca, & Ara-

1 Levit. 18. 11. *Turpitudinem filiæ uxoris tui, quam peperit patri tuo; & est soror tua; non revelabis*.
2 Menoch. Grot.
3 Vide Deuter. 21. 11. 12.
4 Vide, si lubet, Grot. Tirin. Cornel.
5 וְעָלֶיהָ כְּתֹנֶת פַּסִּים
6 Homer. Iliad. Σ.
7 Ita Edit. Nobilii. Abest a Complut. Joseph. l. 7. c. 7.
8 Vide Genes. 38. 12. & 1. Reg. 25. 8.
9 Joan. 11. 54. *Abiit in regionem juxta desertum in civitatem, quæ dicitur Ephrem*.
10 3. Reg. 1. 33.
11 איש על פרדו
12 Judic. 5. 10. & 10. 4. & 12. 14.
13 Aristot. lib. 6. cap. 24. Hist. animal.
14 Idem l. 6. c. 36.

bita versiones hebent: *positus erat super cor*, vel in corde. In Scriptura locutio hæc *in ore*, sæpius significet, jussum, imperium [1]. *Israelitæ discedebant in ore Domini*; scilicet cum Dominus præcipiebat. Absalon imperavit, ut Amnon occideretur; hoc ed illius nutum factum fuit [2]. Aquila, & Symmachus [3]: *Absalon conservabat iram adversus illum a die &c.*

℣. 34. PER ITER DEVIUM EX LATERE MONTIS.] Hebraice [4]: *Per iter retrorsum, & ex latere montis.* Veniebant a tergo montis Oliverum, atque secus hunc montem incedebant. Supponimus autem eos e Bethel venisse, hoc est ex boreali Oriente Jerusalem; traduxisse Cedron, et in urbem pervenisse.

℣. 37. AD THOLOMAI.] Princeps hic erat Avunculus Absalom. Vide supra cap. 3. 3.

℣. 39. CESSAVIT DAVID PERSEQUI ABSALOM.] A Non legimus, Davidem illum antee fuisse persecutum. Hæc autem verba interpretari possemus, perinde ac innuerent, Davidem neglexisse, non curasse fugientem Absalom, ut illum persequeretur. At Hebraicus textus [5] duos, eosque admodum oppositos sensos potest edmittere; verbi gratie: *Reliquit persecutiones suas adversus Absalom*; non diutius quæsivit illum e Tholomei socero suo. Vel *secreto accipiendi filii desiderio conficiebatur*. Vel etiem, interiori affectu rapiebatur, ut illum inviseret. Reditum illius ardentius optabat. Quæ loci explicatio plurimis iisque eruditissimis viris arridet [6]: immo illi totius historiæ decursus penitus suffragatur. Caput, B quod sequitur, ab iis verbis orditur: *Intelligens autem Joab filius Sarviæ, quod cor Regis versum esset ad Absalom &c.*

1 Num. 3. 16. & 9. 18. 20. & passim. 2 Jun. Piscat. Malv. 3 Aqu. Sym. Ὅτι ἐν ὀργῇ ἦν αὐτῷ Ἀβεσσαλὼμ ἀπὸ τῆς ἡμέρας &c. 4 מדרך אחריו מצד ההר 5 ותכל דוד המלך לצאת אל אבשלום
6 Jonath. Gros. Jun. Forster. Glass. Vatab. Melv. alii in Synops.

CAPUT XIV.

Joab opera mulieris, quæ Regem alloquitur, curat, ut Absalom revocetur. Absalonis species, & filii. Hic succendit messem Joab, illum ut ad se accederet coacturus. Joab loquitur ad Regem, atque impetrat, ut Absalom coram Patre procedat.

Anno M. 2977. Ante J.C. 1027.

1. INtelligens autem Joab filius Sarviæ, quod cor regis versum esset ad Absalom,
2 Misit Thecuam, & tulit inde mulierem sapientem: dixitque ad eam: Lugere te simula, & induere veste lugubri, & ne ungaris oleo, ut sis quasi mulier jam plurimo tempore lugens mortuum: 3 Et ingrederis ad regem, & loqueris ad
eum sermones hujuscemodi. Posuit autem Joab verba in ore ejus. 4 Itaque cum ingressa fuisset mulier Theucitis ad regem, cecidit coram eo super terram, & adoravit, & dixit: Serva me, rex. 5 Et ait ad eam rex: Quid causæ habes? Quæ
respondit: Heu, mulier vidua ego sum: mortuus est enim vir meus. 6 Et ancillæ
tuæ erant duo filii: qui rixati sunt adversum se in agro, nullusque erat, qui eos
prohibere posset: & percussit alter alterum, & interfecit eum. 7 Et ecce consurgens
universa cognatio adversum ancillam tuam, dicit: Trade eum, qui percussit fratrem
suum, ut occidamus eum pro anima fratris sui, quem interfecit, & deleamus hæredem: & quærunt extinguere scintillam meam, quæ relicta est, ut non superisit viro
meo nomen, & reliquiæ super terram. 8 Et ait rex ad mulierem: Vade in domum
tuam, & ego jubebo pro te. 9 Dixitque mulier Thecuitis ad regem: In me, domine mi rex, sit iniquitas, & in domum patris mei: rex autem, & thronus ejus sit
innocens. 10 Et ait rex: Qui contradixerit tibi, adduc eum ad me, & ultra non
addet, ut tangat te. 11 Quæ ait: recordetur rex Domini Dei sui, ut non multiplicentur proximi sanguinis ad ulciscendum, & nequaquam interficiant filium meum.
Qui ait: Vivit Dominus, quia non cadet de capillis filii tui super terram. 12 Dixit ergo mulier: Loquatur ancilla tua ad dominum meum regem verbum: Et ait: Loquere. 13 Dixitque mulier: Quare cogitasti hujuscemodi rem contra populum Dei,
& locutus est rex verbum istud, ut peccet, & non reducat ejectum suum? 14 Omnes morimur, & quasi aquæ dilabimur in terram, quæ non revertuntur: nec vult
Deus perire animam, sed retractat cogitans ne penitus pereat, qui abjectus est. 15
Nunc igitur veni, ut loquar ad dominum meum regem verbum hoc, præsente populo.
Et dixit ancilla tua: Loquar ad regem, si quomodo faciat rex verbum ancillæ suæ.
16 Et audivit rex, ut liberaret ancillam suam de manu omnium, qui volebant de
hæreditate Dei delere me, & filium meum simul. 17 Dicat ergo ancilla tua, ut fiat
verbum

verbum Domini mei regis ficut facrificium. Sicut enim Angelus Dei, fic eft dominus
meus rex, ut nec benedictione, nec maledictione moveatur: unde & Dominus Deus
tuus eft tecum. 18 Et refpondens rex, dixit ad mulierem: Ne abfcondas a me ver-
bum, quod te interrogo. Dixitque ei mulier; Loquere, domine mi rex: 19 Et ait
rex: Numquid manus Joab tecum eft in omnibus iftis? Refpondit mulier, & ait: Per
falutem animæ tuæ, domine mi rex, nec ad finiftram, nec ad dexteram eft, ex omnibus
his, quæ locutus eft dominus meus rex: fervus enim tuus Joab, ipfe præcepit mi-
hi, & ipfe pofuit in os ancillæ tuæ omnia verba hæc. 20 Ut verterem figuram fer-
monis hujus, fervus tuus Joab præcepit iftud: tu autem domine mi rex, fapiens es,
ficut habet fapientiam Angelus Dei, ut intelligas omnia fuper terram. 21 Et ait rex
ad Joab: Ecce placatus feci verbum tuum: vade ergo, & revoca puerum Abfalom.
22 Cadenfque Joab fuper faciem fuam in terram, adoravit, & benedixit regi: & di-
xit Joab: Hodie intellexit fervus tuus, quia inveni gratiam in oculis tuis, domine mi
rex; fecifti enim fermonem fervi tui. 23 Surrexit ergo Joab, & abiit in Geffur,
& adduxit Abfalom in Jerufalem. 24 Dixit autem rex: Revertatur in domum fuam,
& faciem meam non videat. Reverfus eft itaque Abfalom in domum fuam, & faciem
regis non vidit. 25 Porro ficut Abfalom vir non erat pulcher in omni Ifrael, & de-
corus nimis: a veftigio pedis ufque ad verticem non erat in eo ulla macula. 26 Et
quando tondebat capillum (femel autem in anno tondebatur, quia gravabat eum
cæfaries) ponderabat capillos capitis fui ducentis ficlis, pondere publico. 27 Nati
funt autem Abfalom filii tres: & filia una nomine Thamar, elegantis formæ. 28 Man-
fitque Abfalom in Jerufalem duobus annis, & faciem regis non vidit. 29 Mifit ita-
que ad Joab, ut mitteret eum ad regem: qui noluit venire ad eum. Cumque fecun-
do mififfet, & ille noluiffet venire ad eum, 30 Dixit fervis fuis: Scitis agrum Joab
juxta agrum meum, habentem meffem hordei: ite igitur, & fuccendite eum igni.
Succenderunt ergo fervi Abfalom fegetem igni. Et venientes fervi Joab, fciffis ve-
ftibus fuis, dixerunt: Succenderunt fervi Abfalom partem agri igni. 31 Surrexitque
Joab, & venit ad Abfalom in domum ejus, & dixit: Quare fuccenderunt fervi tui
fegetem meam igni? 32 Et refpondit Abfalom ad Joab: Mifi ad te obfecrans, ut
venires ad me, & mitterem te ad regem, & diceres ei: Quare veni de Geffur? me-
lius mihi erat ibi effe: obfecro ergo, ut videam faciem regis: quod fi memor eft iniqui-
tatis meæ, interficiat me. 33 Ingreffus itaque Joab ad regem, nuntiavit ei omnia:
vocatufque eft Abfalom, & intravit ad regem, & adoravit fuper faciem terræ coram
eo: ofculatufque eft rex Abfalom.

℣. 1. JOAB MISIT THECUAM.] Urbs Thecua eft in tribu Juda ad meridiem Jerufalem duodecim paffuum millibus ab hac urbe procul [1]. Joab data opera ex agris mulierem ignotam accerfit, ut melius fuum confilium obtegat.

℣. 6. ANCILLÆ TUÆ ERANT DUO FILII.] Hæc hiftoria ne eft, an fimplex parabola? Nonnulli tuentur hanc effe veram hiftoriam, & ℣. 16. huic fententiæ non parum fuffragatur; nam poftquam hæc mulier narraffet ea, quæ ad filios ipfius fpectabant, Regemque oraffet, ut populo fuo permitteret pro Abfalone, quod ipfi pro filio ejus concefferat, ait: *Et audivit Rex, ut liberaret ancillam fuam de manu omnium, qui volebant de hæreditate Dei delere me, & filium meum fimul.* Sed plerique putant hanc parabolam fuiffe, quam Joab una cum hac muliere fuerat commentus; quod palam innotefcit ex ℣. 19. Noverat Joab mulieris hujus calliditatem, eamque confulto quæfivit, ut hanc fabulam luderet.

℣. 7. TRADE EUM, QUI PERCUSSIT FRATREM SUUM . . . , & DELEAMUS HÆREDEM.] Mulier hæc potius exprimit fenfus, ac prava accolatorum filii fui confilia, quam illorum verba; neque enim palam dicere aufi fuiffent, velle fe adolefcentem hunc per-A dere, ut patris hæreditas illis cederet. Igitur occifi erant confanguinei, qui viventem perfequebantur, ac agebant in illum lege, quæ capite damnat illum, qui fciens, ac volens occiderit [2], atque arctiori cognationis jure devinctum adigit, ut pœnas cædis depofcat.

QUÆRUNT EXTINGUERE SCINTILLAM MEAM.] Homo, & fucceffores fæpius in Scriptura *lucerna* vocantur; *extinguere lucernam in Ifrael* [3]; videlicet delere, ac extinguere memoriam alicujus; *parare lucernam* alicui, hoc eft tradere illi pofteritatem [4]. *Extinguere fcintillam* ifthic fignificat, efficere, ut intermoriatur ea fpes, quæ reliqua eft, fore ut viri nomen revivifcat. Hebraicus textus ad litteram habet [5]: *extinguere carbonem, qui mihi reliquus eft*; B Carbonem cinere fepultum, atque fervatum ad accendendum ignem meum, ut lucerna mea lucere poffit in Ifrael.

℣. 9. IN ME SIT INIQUITAS . . . . REX AUTEM, & THRONUS EJUS SIT INNOCENS.] Si Rex veretur mihi filium meum condonare, ac arbitratur fe debere illum litare juftitiæ, ac fratris fanguini, quem effudit; fi metuit, ut ipfi, ac Reipublicæ damno cedat, eo quod de interfectore pœnas non fumpferit;

1 *Thecuam viculum effe in monte fitum, & duodecim millibus ab Jerofolymis feparatum, quotidie oculis cernimus.* Hieron. in Ifai. 6. 1. 2 Numer. 35. 18. 21. 3 2. Reg. 21. 17. *Ne extinguam lucernam Ifrael.* 4 Pfal. 131. 17. *Paravi lucernam Chrifto meo.* 5 וכבו את גחלתי אשר נשארה 70. Σβεσθήσεται ὁ σπινθήρ ὁ ὑπολελειμμένος μου.

ego libenter injustitiæ, ac damni, quod hinc existere potest, pondus subibo; ac Deus in me animadvertat propter scelus, cujus veniam exoro. Hæc pervulgata erat apud Hebræos in judiciis, cum de capite ageretur, consuetudo, ut Judex sanguinis, quem effundi jubebat, supplicium in accusatoris, vel sontis caput retorqueret [1], vel ut accusatores ipsi palam, ac clara voce se pœnam illius subire profiterentur [2]. Hoc innuebat, quam longe abesset Judex a quavis injustitiæ specie, atque ipsum ægre, & gravate alios capite plectere.

Hebraicus textus hoc pacto reddi potest [3]: *Ego, Domine mi Rex, obnoxia sum erroi damno, neque illud Regi, aut Regno ipsius verto*. Mulier hæc non acquiescit generali promissioni, qua David illi spopondit, se jussa editurum in illius gratiam; aliquid ulterius quærit; vult autem, ut ipse se sacramento adstringat, atque absolute gratiam filio concedat. Ait igitur: Periculum urget, atque maximum est; celeri ope indigeo. Attamen, mi Rex, si quid mali filio meo accideret, illud nequaquam tibi acceptum referrem; quid enim clementiæ tuæ debeam, satis scio.

℣. 11. UT NON MULTIPLICENTUR PROXIMI SANGUINIS [4] AD ULCISCENDUM.] Ne cognati illius, qui interemptus est, & qui filii mei sanguinem exposcunt, multiplicentur, vel prævaleant adversum me, veluti hostes, qui plures sunt illis, quos ipsi aggrediuntur. Aliter, ut authoritas tua reprimat inimicos meos, neque amplius augeantur, ac multiplicentur in dies adversum me, sed de spe opprimendi mei dejiciantur; tu me in rebus omnibus tuere; jura mihi, neminem fore, qui mihi negotium ausit facessere. Denique sapientiæ, atque clementiæ tuæ, Rex, est, vim moderari, ac nimiam illorum impotentiam, qui proximi sui sanguinem quærunt ulcisci. Si illis ansam præbueris, ubique grassabuntur in hac regione, odio suo Legum observationem prætexentes.

℣. 13. QUARE COGITASTI HUJUSCEMODI REM CONTRA POPULUM DEI, & LOCUTUS EST REX VERBUM ISTUD UT PECCET, & NON REDUCAT EJECTUM SUUM?] En scopus, quo mulieris hujus collimabat historia. Tu mihi largiris filium licet fratris sui parricidam, neque populo tuo concedere vis, ut revertatur Absalom, qui non majori culpa obstrictus est, ac filius meus, [illegible] interfecerit simpliciter fratrem suum, atque id cum iisdem circumstantiis. Absalom Amnonem occidit ruri, quin ullus adesset, qui eos sejungeret, ac pacem conciliaret; injuste profecto, si libere loqui per te mihi licet, agis adversus populum, ac filium tuum, ni ab eo consilio dimoveris, quo decrevisti, numquam filium tuum exulem, atque extorrem in patriam revocare. Potest jure conqueri Absalom patrem suum severius in ipsum, quam in humillimum quemque ex popello animadvertere, & populus universus haud injuria queri potest, Regem facilius privatæ mulieris precibus, quam totius nationis votis, atque cupiditatibus moveri. Mei filii mors particulare detrimentum est meæ familiæ, & reipublicæ; at salus Absalonis interest totius Israel, qui illum Regni veluti successorem venerantur. Hebraicus textus ad litteram [5]: *Quare cogitasti hujuscemodi rem contra populum Dei, & cur Rex locutus est velut homo qui peccat, ut non revocet exulem ejus?*

℣. 14. OMNES MORIMUR [6], & QUASI AQUÆ DILABIMUR IN TERRAM.] Memento, Rex, nos omnes morti esse obnoxios. Mors Amnonis malum est irreparabile: Absalon neque luctu suo, neque exilio, neque morte ipsa illum potest ab inferis revocare. Deus non vult excidium nostrum; verum opera sua conservare desiderat; tuum est, Rex, illius clementiam imitari, atque scrutari consilia. Summa severitas, atque internecina odia minime mortales decent. Quisque sortis suæ debet reminisci.

NON VULT DEUS PERIRE ANIMAM.] Chaldæus: *Judex æquus sumere nequit argentum iniquitatis*. Clericus: Num princeps homini parcere nequit, ac viam invenire, ne diutius filius illius in exilii squallore contabescat? Hebraica vox *Elohim*, nonnumquam Principem significat, vel Judicem, ac orationis decursus hunc sensum videtur inferre. Alter: *Omnes morimur, & quasi aqua dispergimur, quæ deciduut super terram, neque colliguntur; Deus non excipit animam ullam*. Nemo excipitur ab hac lege omnibus hominibus communiter irrogata.

℣. 15. VENI, UT LOQUAR VERBUM HOC PRÆSENTE POPULO.] Mulier hæc ad Davidem accessit, veluti aliæ omnes, quibus aliquod esset negotium: ipsum coram aulicis alloquitur, & coram populo, qui aderat. Videbimus infra ℣. 22. Joab huic fabulæ spectatorem non defuisse, & plane ibi solus non erat. Immo proderat, plurimos interesse, ita ut si David mulieris oratione haud flecteretur, supplicis vocibus vota quoque sua, precesque præsentes addere possent. Hebræus ad litteram [7]: *Veni, ut loquar verbum, eo quod populus perterruit me*. Populus me coegit: vel potius, accessi coram Te, quamquam perterruerunt me dicentes, me incassum laboraturam. Vel: Non ausa sum loqui tecum nisi per parabolam, nam cavi populum, qui circumstat; non ausa sum loqui palam, verita ne nimiæ licentiæ notarer. Sed Vulgatæ sensus magis commodus est, ac perspicuus. Septuaginta [8] legerunt eodem pacto, quo D. Hieronymus; & Hebraicus textus belle admittere potest sensum, quem illi tribuerunt.

℣. 17. DICAT ERGO ANCILLA TUA, UT FIAT VERBUM DOMINI MEI REGIS SICUT SACRIFICIUM.] Hoc est: Permitte igitur ancillæ tuæ te deprecari, ut quod Dominus meus Rex præceperit, exequatur tamquam sacrificium Domino promissum. Vel potius: Ancilla tua desiderat mi Rex, ut quod mihi pollicitus es, sit adeo acceptum Deo, ac sacrificium panis, ac libaminis. Deus eam, quam mihi confers gratiam, æque remuneretur, ac sacrificium, quod ipsi offertes. Hebraicus textus eo modo, quo a Massorethis puncta præfixa fuere, hoc pactu verti potest [9]: *Liceat ancillæ tuæ dicere; Verbum Regis Domini mei sit tranquillitas mea*, & consolatio: Acquiescere possim verbo, quod ille promisit, atque mandata illius nequeant revocari.

SICUT ENIM ANGELUS DEI, SIC EST DOMINUS MEUS REX, UT NEC BENEDICTIONE, NEC MALEDICTIONE MOVEATUR.] Qui jura perfecte, atque integre dicit, perinde ac homo non esset, oblatæ causæ justitiam tantummodo considerat, non blanditiis, non terroribus, non subdolis laudibus, non injustis questubus de sententia dejicitur. En Hebraicum textum ad litteram [10]: *Dominus meus, & Rex meus est veluti Angelus Domini, ut intelligat bonum & malum*. Rex a Deo super populos con-

---

1 Num. 20. 9. *Sanguis ejus sit super eum*. Josue 21. 19. *Sanguis ipsius erit in caput ejus*. 2. Reg. 1. 16. *Sanguis tuus super caput tuum*. 2. Reg. 3. 28. *Mundus ego sum, & regnum meum a sanguine Abner*.

2 Matth. 27. 25. *Sanguis ejus super nos, & super filios nostros*.

3 עלי העון ועל בית אבי והמלך וכסאו נקי

4 גאל הדם 70. Ἀγχιστεῖς τοῦ αἵματος. Alius: Ἀγχιστεύοντες τὸ αἷμα. *Vindicis sanguinis*.

5 ולמה חשבת כזאת על עם אלהים ומדבר המלך הדבר הזה כאשם לבלתי השיב את נדחו

6 Theod. *Filii tui morti occurri nulla ratione potest*. Ὅτι τέθνηκεν ὁ υἱός σου.

7 באתי לדבר את הדבר הזה כי יראני העם Deduxerunt vocem יראני a ראה *vides*.

8 Ἦλθον λαλῆσαι τὸν λόγον τοῦτον, ὅτι ὄψεταί με ὁ λαός.

9 ותאמר שפחתך יהיה נא דבר אדני המלך למנחה 70. Γενηθήτω δὴ ὁ λόγος τοῦ Κυρίου μου τοῦ Βασιλέως εἰς θυσίαν. Legerunt *Mincha* pro *Menucha*. Ita quoque legit S. Hieronymus.

10 כי כמלאך האלהים כן אדני המלך לשמע הטוב והרע

constituitur, veluti cœlestis Angelus, qui eudit ea omnia, quæ ipsi dicuntur, bonum, & malum, ut ea æqua judicii trutina æstimet, etque unicuique juxta meritum ipsorum, erque negutiorum naturam, & qualitatem retribuat. Vel aliter; De re quavis, mi Rex, summa tuto judicium ferre potes, atque præstas sapientia æquali sapientiæ Angelorum. *Intelligere bonum, & malum*, significat intelligere omnia; quod ipsum hæc mulier ℣. 20. repetit; *sapiens es, sicut habet sapientiam Angelus Dei, ut intelligas omnia super terram*. Aliter: Sapientia, & perspicacitate Angelica polles, perfecte inter æquum, & iniquum dijudicas, inter bonam, sequioremque causam, inter justos questus, improbasque criminationes.

℣. 19. PER SALUTEM ANIMÆ TUÆ .... NEC AD SINISTRAM, NEC AD DEXTERAM EST EX OMNIBUS HIS, QUÆ LOCUTUS EST DOMINUS MEUS;] Nam Joab hoc mihi dedit consilii. Hebraice: *Per salutem animæ tuæ, Domine mi Rex, si quispiam* (ne verbum quidem dixit mihi) *neque ad dexteram, neque ad sinistram; ex iis, quæ Dominus meus dixit mihi: sed tantum Joab servus tuus hoc præcepit mihi*. Aliter: Per salutem animæ tuæ, Domine mi, nemo est, qui tibi haud parere ausit, neque præcedere te vel ad dexteram, vel ad sinistram: Joab unus ad me locutus es de iis, quæ modo dixi tibi. Denique, inquirere minime debeo ambages coram te; tu uno ictu oculi omnia deprehendis; hic est ipse Joab.

℣. 20. UT VERTEREM FIGURAM SERMONIS HUJUS [1].] Hic locus plane omnem dubio locum edimit, ad ostendendum, illud, quod mulier hæc hactenus de suis duobus filiis retulit, haud veram historiam fuisse. Joab illam edocuerat, quo pacto similitudinem ad Absalonem sensim traduceret, ne Rex artem deprehenderet; quamobrem in duobus his factis nonnullæ adsunt circumstantiæ, in quibus deest similitudo. Ea vero data opera dissimiles has immiscuit circumstantias, ut callidius artem obtegeret.

℣. 24. REVERTATUR IN DOMUM SUAM.] Moretur quidem in Jerusalem, sed private in domo sua cum uxore, & filiis suis, neque in aulam prodeat, neque me coram accedat.

℣. 26. ET QUANDO TONDEBAT CAPILLUM, SEMEL AUTEM IN ANNO TONDEBATUR, QUIA GRAVABAT EUM CÆSARIES; PONDERABAT CAPILLOS CAPITIS SUI DUCENTIS SICLIS PONDERE PUBLICO;] Vel juxta Hebraicum textum, *pondere Regis*. Plures occurrunt uno hoc in loco difficultates, quæ singulæ subinde sunt ad examen revocandæ. Primo, utrum Absalon semel tantum in anno sibi comam præcideret. Secundo, utrum totam simul cæsariem, vel partem dumtaxat sibi tonderet. Tertio; utrum pondus ducentorum siclorum esset totius cæsariei, an partis illius, quæ secabatur. Quarto, quodnam sit pondus Regis. Vide Pelleterii dissertationem super hoc argumento in Diariis Trevoltianis an. 1702. August. art. 1. p. 275.

SEMEL IN ANNO.] Hebraice ad litteram [2]: *a dierum fine usque ad dies*. OnKelos; *a temporis commoditate, usque ad temporis commoditatem*. Hoc est a tempore idoneo ad aliud tempus idoneum. Septuaginta [3] Hebraico textui ad litteram hærent. Josephus id intelligit de octo dierum spatio. Auctor hebraicarum quæstionum in libros Regum reddit: *Statuto tempore tondebatur*; hoc est juxta illius explicationem, post tricenos dies, semel in mense. Bochartus; *subinde*, cum optimum factu judicabat, atque capillorum pondus illi erat incommodo. Vulgatæ versio melior videtur; namque similes in Scripturis locutiones inveniuntur, quæ intelligi nequeunt, nisi de anno in annum, vel semel in anno. Exempli gratia; *Custodies hujuscemodi cultum a diebus in dies*; hoc est quotannis. Exod. 13. 10. Vide & Judic. 11. 4.

Israelitæ magnam nutriebant cæsariem, uti liquet ex Scriptura, & Josepho, qui Antiqu. l. 8. c. 2. refert adolescentes Salomonis tempore promissas gestasse comas, quas odoriferis delibutas unguentis aureo pulvere aspergebant. Non igitur credibile est, Absalonem sibi totam præsecuisse cæsariem, in qua præcipuus illius decor positus erat. Experientia docemur, capillos per annum haud ultra quatuor unciarum longitudinem crescere. Non igitur ea quantitas, quæ veluti superflue quotannis abscindebatur, ponderare debebat ducentis siclis; dicendum enim esset, reliquos capitis etiam quadruplo, vel quintuplo pondere præstitisse, quod fieri nequaquam potuisse palam liquet. Itaque Scripturæ non ait, Absalonis capillorum segmenta ducentis siclis ponderasse, sed dumtaxat capillos capitis illius ducentis siclis appendisse: *Ponderabat capillos capitis sui ducentis siclis*; Verum quinam eos ponderabat? Pondus illorum, qui relinquebantur, æstimabatur ex illorum pondere, qui secti erant; atque rem circiter ad calculos redigebant utrorumque habita ratione, quid simul possent appendere; pondus centum siclorum erat forte tum capillorum, qui abscindebantur, tum eorum, qui reliqui erant; quorum utrumque collectum constituit pondus, de quo sermo est.

PONDUS REGIS.] Vel uti Hebraice est, *lapis Regis* majorem hic astruit difficultatem. Pelleterius, cujus nos isthic compendium afferimus, hoc fundamentum jacit, sub Regibus Juda, pondera numquam apud Hebræos variasse; neque ullum fuisse Regis pondus a vulgato pondere distinctum, cujus norma in Templo sub Sacerdotum custodia asservabatur [4]: *Sacerdotes autem super omne pondus, atque mensuram*. Tunc vero demum Regium pondus a vulgato discrepavit, cum Chaldæi in Judæos dominari cœperunt. Auctor qui Regum libros castigavit, quique sub finem Babylonicæ captivitatis degebat, vel paullo post, eo tempore, quo Judæi Babylonicis ponderibus assueti per sexaginta, vel septuaginta annos, ignorabant, vel ignorare poterant Hebraicorum ponderum rationem, quæ jam erant obsoleta; Auctor ille, inquam, ut facile ab omnibus intelligeretur, substituit pondus vulgatum ponderi, quod in suis monumentis invenerat, atque ait, capillos Absalonis ducentos siclos appendisse, admonens tamen, hos siclos esse Babylonicos, ac ad pondus Regis Babylonii, cui tunc temporis Judæi parebant. Ante captivitatem, Auctor noster ait, in Palæstina argentei sicli quatuor drachmis pares fuerant; at Babylonii sesqui drachma constabant. Ut autem omne adimeretur æquivocum, quod oriri poterat ex hac siclorum varietate, per explicationis modum additum est, siclos, de quibus sermo erat, fuisse pondere Regio. Hoc eodem intuitu Ezechiel 40. 5. qui Babylone scribebat tempore eodem, admonet cubitum, quo de templi dimensionibus loquens utitur, esse cubiti unius, & palmi, scilicet par magno, cubito Regio Babylonis; quemadmodum ab Herodoto l. 1. appellatur.

Porro in eo res nunc posita est, ut justum Babylonici sicli pondus constituamus. Xenophon. l. 1. de Exped. Cyri junior. illi tribuit septem obolos cum dimidio. Pelleterius vero putat, olim in illius exemplaribus legi consuevisse, obolos octo; quandoquidem in Hesychio, Photio, vel potius Sophocle ellaro ab hoc Auctore, atque in Philosopho Antonio inveniuntur siclos octonis obolis constitisse. Conjecturam suam ex Babylonici sicli pretio confirmat; dictum enim

---

1 לבעבור סבב את פני הדבר Ad literam. *Servus tuus præcepit, ut verterem faciem sermonis hujus*. Sym. *Ut verterem prosopopæiam sermonis hujus*. Ὑπὲρ τοῦ περιενεγκεῖν τὴν προσωποποιίαν τοῦ ῥήματος τούτου. Alius. Ὅπως περιενέγκω τὸ πρόσωπον τὸ ῥήματος τούτου.

2 ויגלח את ראשו והיה מקץ ימים לימים אשר יגלח כי כבד עליו וגלחו ושקל את שער ראשו מאתים שקלים באבן המלך

3 Ἀπὸ τέλους ἡμερῶν εἰς ἡμέρας.

4 1. Par. 23. 29.

enim est in secundo Esdræ 10. 32. Judæos sibi in capita tertiam sicli partem dissolvendam imposuisse, ut Templum instauraretur. Hæc tertia pars Hebraici sicli omnino erat siclus Babylonios, qui octo obolis appendebat, cum Hebraicus siclus viginti quatuor obolis ponderaret, vel drachmis quatuor, vel gorath viginti, pondere Sanctuarii. Vetus hic argenteus, quem isthic Babylonium siclum vocamus, idem est, ac *misKala* Arabum, quod nomen invenitur in Chaldaica paraphrasi loci, quem explicamus, & *mitigal* Italorum, quod fluit ex Hebraico *mischal*; *MisKala* pondus est, quo utuntur dumtaxat ad gemmas, ac pretiosa Orientis aromata appendenda.

Siclus Babylonicus pondere par erat tertiæ parti sicli Hebraici; at hic appendebat 219. grana Anglica; Babylonius igitur 73. granis Anglicis appendebat, quæ ad Parisiorum grana redacta æquivalent ferme 89. granis Gallici ponderis ad marcum: ita ut juxta hanc hypothesim capilli Absalonis, qui ducentorum siclorum Babylonii pondere præstabant, ad Gallicum redacti pondus æquassent uncias 30. gros. 7. gran. 16. Verum si non desunt mulieres, quæ capite duas, & triginta capillorum uncias gestent, quemadmodum ii fatentur, qui fictitias cæsaries concinnant, incredibile habebitur, Absalonem 31. ferme unciarum comas gestasse?

Pelleterius opinionem suam ex Sancti Epiphanii opinione confirmat, qui in libro suo de ponderibus, ac mensuris ait, capillos Absalonis fuisse pondo 125. siclorum, vel duarum librarum, & unciæ dimidiæ, super siclum. Et Heron Alexandrinus, qui forte S. Epiphanium exscripserat, ipse quoque ait capillos Absalonis appendisse 125. siclis, vel 30. unciis super siclum. S. Epiphanius in singulos siclos obolos septem cum dimidio recensebat, qua in re fallebatur, inquit allatus Auctor.

Josephus Antiqu. l. 7. c. 8. capillis Absalonis, quos, ut ille ait, quotidie præcidebat sibi, ducentorum siclorum, vel minarum quinque pondus tribuit; quinque scilicet Alexandrinarum minarum, quarum singulæ vicenas uncias, vel 160. drachmas æquabant. At hæc sententia probari nequit; immensum etenim Absalonis comæ pondus assignat.

Qui Regis pondus a pondere Sanctuarii distinguunt, censentque hoc duplum fuisse ponderis Regii, ajunt, capillos Absalonis 200. Regios siclos appendisse, longe minus duplo, quam sicli Sanctuarii ponderent; verum hæc siclorum distinctio in Scriptura minime probatur.

Rabbini, aliique [a], qui hos ducentos siclos, de Absalonis capillorum pretio, non de pondere intelligunt, asserunt, Principem hunc, vel servos illius capillos suos mulieribus Jerusalem venditasse, ut inde ficta capillitia elaborarent, perinde ac fictitia hæc capillamenta, præsertim pro mulieribus tunc in more fuissent posita; & Principem virum, qualis Absalon erat, minime puduisset ex vili adeo re quæstum capere.

Nec desunt, qui commenti fuerint, Absalonem, cum pluries sibi cæsariem totondisset, collectos crines servasse ad 200. siclorum pondus; quæ sententia puerilem sane reddit Scripturæ circumstantiam: neque enim aliquid mirum assereret.

Bochartus in Epist. de cæsarie Absalon inter ejus opera edit. Lugd. Batav. rejecit illos qui contendunt, a Librariis *Daleth* in *resch* immutata littera 200. pro quatuor siclis obrepsisse. Re quidem vera ubi miraculum esset, si cæsaries Absalonis quatuor tantum siclis appendisset? Hic author opinatur, aliam in textum accidisse potuisse litteram, pro qua posita fuerit *resch*; at quænam hæc fuerit, non audet asserere. Alii subrogant *caph* quæ significat 20. pro *resch* 200. Alius quispiam, quam ipsi libitum fuerit affiget; Vetus quidam Græcus Interpres centum dumtaxat siclus legit, verum hæc omnia nihil probant; non enim persuasum est, Hebræos veteres litteris pro numericis notis usos fuisse; si enim hoc verum esset, quædam in Scriptura textu superessent vestigia.

Bochartus aliam conjecturam proponit, hoc est, capillos Absalonis appendisse 200. siclos simul cum aureo pulvere, quo eos aspergebat pro temporum illorum consuetudine. Juxta ipsius calculos, cæsaries Absalonis quatuor Romanas libras pondere æquare debebat, quæ duodecim habet uncias; vel tres Gallicas, quarum singulæ in uncias sexdecim dividuntur. At Scriptura loquitur de reali, & essentiali capillorum Principis hujus pondere, non autem de illo, quod accidentale dumtaxat fuisset.

Septuaginta ducentorum siclorum pondus dimidiarunt; legunt dumtaxat siclos centum, quod congruit cum eorum sententia, qui asserunt hos aureos siclos, vel Regios fuisse longe duplo minores, quam sicli Sanctuarii fuerint. Verum probandum est hoc interfuisse discrimen inter publicum pondus, & pondus Sanctuarii, inter siclum aureum, & argenteum. Itaque, donec aliquid melius adferatur, hærere possumus sententiæ 200. siclorum Babyloniorum, qui ad Gallicum redacti pondus 31. ferme reddant uncias.

℣. 27 NATI SUNT ABSALOM FILII TRES.] Hi filii non diu vixerunt; nam inferius dicitur Absalom nullos reliquisse filios 2. Reg. 18. 18. *Dixerat enim: Non habeo filium, & hoc erit monimentum nominis mei.*

ET FILIA UNA NOMINE THAMAR.] In quibusdam Græcis, Latinisque exemplaribus isthic legimus: *Thamar nupsisse Roboam Salomonis filio, ex qua Abias natus est.* At hæc additio neque in Hebraico textu, neque in Vulgata, neque in Complutensi Editione Septuaginta invenitur, ideoque nullius auctoritatis est, ac difficile eum Chronologia conciliaveris. Legimus in 2. Paralip. 11. 20. Roboam duxisse uxorem *Maacham filiam Absalom*; at hæc *Maacha* alia forte penitus est a Thamar, & nomen filiæ illic pro nepte usurpatur; *Maacha* forte filia fuerat Thamar.

℣. 29. NOLUIT VENIRE AD EUM.] Noverat forte Regis mentem, neque adhuc satis pro Absalone animum illius affectum intelligebat. Nolebat iterum sua conatus exercere, neque Aulicis suspicionem ingerere, nimia propter adolescentem hunc tangi cura ostendens. Joab scitus profecto Aulicus sua postulata metitur, neque vota expromit, nisi certo sciat, se voti compotem fore. Prævidebat enim fore ut, si Absalonem convenisset, illius gratiam a se averteret, renuens pro ipso verba facere, vel semet adstringeret ad aliquid abs Rege petendum, quod illi displiceret, cujus gratiam haud ipsi erat abutendum.

[a] Sanctius, Salazar, Emanuel Sa.

CAPUT

CAPUT XV.

Absalon conciliato sibi populi favore, se Regem acclamari jubet in Hebron. David cum domo sua de Jerusalem aufugit; quo remittit Summos Sacerdotes cum arca, atque Chusai ad evertenda consilia Achitophel.

1. IGitur post hæc fecit sibi Absalom currus, & equites, & quinquaginta viros, qui præcederent eum. 2 Et mane consurgens Absalom stabat juxta introitum portæ, & omnem virum, qui habebat negotium, ut veniret ad regis judicium, vocabat Absalom ad se, & dicebat: De qua civitate es tu? Qui respondens ajebat: Ex una tribu Israel ego sum servus tuus. 3 Respondebatque ei Absalom: Videntur mihi sermones tui boni, & justi. Sed non est qui te audiat constitutus a rege. Dicebatque Absalom: 4 Quis me constituat judicem super terram, ut ad me veniant omnes, qui habent negotium, & juste judicem? 5 Sed & cum accederet ad eum homo, ut salutaret illum, extendebat manum suam, & apprehendens, osculabatur eum. 6 Faciebatque hoc omni Israel venienti ad judicium, ut audiretur a rege, & sollicitabat corda virorum Israel. 7 Post quadraginta autem annos, dixit Absalom ad regem David: Vadam, & reddam vota mea, quæ vovi Domino in Hebron. 8 Vovens enim vovit servus tuus, cum esset in Gessur Syriæ, dicens: Si reduxerit me Dominus in Jerusalem, sacrificabo Domino. 9 Dixitque ei rex David: Vade in pace. Et surrexit, & abiit in Hebron. 10 Misit autem Absalom exploratores in universas tribus Israel, dicens: Statim ut audieritis clangorem buccinæ, dicite: Regnavit Absalom in Hebron. 11 Porro cum Absalom ierunt ducenti viri de Jerusalem vocati, euntes simplici corde, & causam penitus ignorantes. 12 Accersivit quoque Absalom Achitophel Gilonitem consiliarium David, de civitate sua Gilo. Cumque immolaret victimas, facta est conjuratio valida, populusque concurrens augebatur cum Absalom. 13 Venit igitur nuntius ad David, dicens: Toto corde universus Israel sequitur Absalom. 14 Et ait David servis suis, qui erant cum eo in Jerusalem: Surgite, fugiamus; neque enim erit nobis effugium a facie Absalom: festinate egredi, ne forte veniens occupet nos, & impellat super nos ruinam, & percutiat civitatem in ore gladii. 15 Dixeruntque servi regis ad eum: Omnia, quæcumque præceperit Dominus noster rex, libenter exequemur servi tui. 16 Egressus est ergo rex, & universa domus ejus, pedibus suis: & dereliquit rex decem mulieres concubinas ad custodiendam domum. 17 Egressusque rex, & omnis Israel pedibus suis, stetit procul a domo. 18 Et universi servi ejus ambulabant juxta eum, & legiones Cerethi, & Phelethi, & omnes Gethæi, pugnatores validi, sexcenti viri qui secuti eum fuerant de Geth pedites, præcedebant regem. 19 Dixit autem rex ad Ethai Gethæum: Cur venis nobiscum? revertere, & habita cum rege: quia peregrinus es, & egressus es de loco tuo. 20 Heri venisti, & hodie compelleris nobiscum egredi? ego autem vadam, quo iturus sum: revertere, & reduc tecum fratres tuos, & Dominus faciet tecum misericordiam, & veritatem, quia ostendisti gratiam, & fidem. 21 Et respondit Ethai regi, dicens: Vivit Dominus, & vivit Dominus meus rex, quoniam in quocumque loco fueris, domine mi rex, sive in morte, sive in vita, ibi erit servus tuus. 22 Et ait David Ethai: Veni, & transi. Et transivit Ethai Gethæus, & omnes viri, qui cum eo erant, & reliqua multitudo. 23 Omnesque flebant voce magna, & universus populus incedebat contra viam, quæ respicit ad desertum. 24 Venit autem & Sadoc sacerdos, & universi Levitæ cum eo portantes arcam fœderis Dei, & deposuerunt arcam Dei; & ascendit Abiathar, donec expletus esset omnis populus, qui egressus fuerat de civitate. 25 Et dixit rex ad Sadoc: Reporta arcam Dei in urbem: si invenero gratiam in oculis Domini, reducet me, & ostendet mihi eam, & tabernaculum suum. 26 Si autem dixerit mihi: Non places: præsto sum, faciat quod bonum

Anno M. 2980. Ante J. C. 1024.

bonum est coram se. 27 Et dixit Rex ad Sadoc Sacerdotem: O Videns, revertere in
civitatem in pace: & Achimaas filius tuus, & Jonathas filius Abiathar, duo filii vestri,
sint vobiscum. 28 Ecce ego abscondar in campestribus deserti, donec veniar sermo a
vobis indicans mihi. 29 Reportaverunt ergo Sadoc, & Abiathar Arcam Dei in Jeru-
salem, & manserunt ibi. 30 Porro David ascendebat clivum Olivarum, scandens &
flens, nudis pedibus incedens, & operto capite: sed & omnis populus, qui erat cum
eo operto capite, ascendebat plorans. 31 Nuntiatum est autem David, quod & Achi-
tophel esset in conjuratione cum Absalom, dixitque David: Infatua, quæso, Domine,
consilium Achitophel. 32 Cumque ascenderet David summitatem montis, in quo a-
doraturus erat Dominum, ecce occurrit ei Chusai Arachites, scissa veste, & terra ple-
no capite: 33 Et dixit ei David: Si veneris mecum, eris mihi oneri. 34 Si autem
in civitatem reverteris, & dixeris Absalom: Servus tuus sum, Rex: sicut fui servus
patris tui, sic ero servus tuus: dissipabis consilium Achitophel. 35 Habes autem te-
cum Sadoc & Abiathar Sacerdotes: & omne verbum quodcumque audieris de domo Re-
gis, indicabis Sadoc & Abiathar Sacerdotibus. 36 Sunt autem cum eis duo filii eo-
rum, Achimaas filius Sadoc, & Jonathas filius Abiathar: & mittetis per eos ad me,
omne verbum quod audieritis. 37 Veniente ergo Chusai amico David in civitatem,
Absalom quoque ingressus est Jerusalem.

℣. 1. FECIT SIBI ABSALON CURRUS, & EQUITES, & QUINQUAGINTA VIROS.] Ex capitibus superioribus adnotari jam potuit, quodnam esset Absalonis ingenium. Erat hic adolescens audax, violentus, ultor, superbus, ad quodvis aggrediendum paratus, magnificus, eloquens, popularis; præterea locuples, ambitiosus, specie decorus, & qui post Amnonis interitum, & reparatam cum Davide gratiam, nihil sibi obesse censebat, quo minus regni solium ascenderet. Salomonem tum propter maternas sordes, cum propter infirmam ætatem contemnebat: ipse vero regia stirpe editus erat ex utroque parente, atque ea florebat ætate, quæ regno par erat. Davidis senectus, ac summa illius ergo filios indulgentia pepererunt cupiditatem naturæ ordinem prævertendi, patrem de regni solio dejiciendi, ut illius regnum invaderet. Incipit igitur Regiam sibi cohortem comparando; collegit sibi currus, equos, & satellites; ut ex Textu non satis liquet, utrum haberet equites diversos ab illis, qui ascendebant currus, & curruum equos regebant. Eo Textum ad literam [1]: *Fecit sibi currum, & equos, & quinquaginta viros, qui præcurrebant ei.* Habebat currum, veluti Rex, habebat equos; quæ res insueta erat in Israel, atque veluti Rex satellitio stipatus erat. Satellites Regum Juda vulgo *cursores* vocantur. Ex Historia Romana liquet Romulum elegisse sibi tercentos viros, qui corpus illius tuerentur, illiusque facerent imperata; quos *celeres* appellavit, quod nomen cum *cursoribus* facile congruit.

℣. 3. NON EST, QUI TE AUDIAT CONSTITUTUS A REGE.] Regem desidiæ insimulat, ac eorum, qui juri dicundo præerant, infirmitatem. Non veretur asserere, quod ipse pro patre suo regnare vellet; optaretque simpliciter ab ipsis constitui principem, ut populi rationes audire posset, ac de illorum controversiis disceptare. Nihil equidem in speciem laudabilius, nihil integrius.

℣. 5. EXTENDEBAT MANUM SUAM, & APPREHENDENS OSCULABATUR EUM.] Humilia sane, ac popularia officia ad populorum auram captandam accommodata. Ita quoque Otho consueverat. Tacitus l. 1. Hist. *Protendens manum, adorare vulgum, jacere oscula, & omnia serviliter pro dominatione...*

℣. 6. SOLLICITABAT CORDA VIRORUM ISRAEL.] vel potius sensim disponebat eos ut a Davide recederent, atque ipsius secreta inirent consilia; eos quodammodo alienabat, atque illis odii rationes obtrudebat adversus Regem. Hebraica vox magis exprimit [2]: *Furabatur corda virorum Israel.* Eos inani specie alliciebat, illorum corda vaniloquis dicteriis conciliabat, quorum rationes, & consilia populum fallebant. Plebs in illius partes abiit, quin prava ipsius consilia cognosceret. In Genesi 31. 20. dicitur Jacob *furatum fuisse cor Laban*, cum eo inscio de Mesopotamia aufugit; ac infra c. 19. 3. legimus populum post Absalonis cladem se met furatum, ut in urbem ingrederetur, non enim, nisi furtim introibant, vel secreto dissipabantur, quin ingrederentur. Septuaginta [3] *sibi tamquam propria conciliabat corda omnium virorum Israel*; iisdem potiebatur, ea alliciebat. S. Bernardus in Salve Reg., vel alius quispiam sub D. Bernardi nomine, Sanctam virginem *cordium prædatricem* vocat, eo quod castum amorem inspiret illis, qui agnoscunt illam, & quod secretis illecebris, & quas nemo capere potest, sui amorem in aliis accendat. Quotidie dicimus, Oratoris facundiæ nos abripi, ipsum suada mentis nostræ, atque attentionis imperium obtinere. Hebræi dicerent: *ipsum cor nostrum furari.*

℣. 7. POST QUADRAGINTA ANNOS DIXIT ABSALOM.] Negotium facessit Auctoribus ephoca initii horum quadraginta annorum. Nonnulli hos numerare incipiunt ab eo tempore, quo Israelitæ Regem a Samuele petierunt [4]; quidam vero a Davidis unctione per Samuelem primum peracta [5]; alii a regni illius initio super Tribum Juda; alii denique, ex quo super universum Israel cæpit dominari. At hæ postremæ duæ sententiæ nequaquam probari queunt: e prioribus duabus ea tantum, quæ initium a priori Davidis unctione ducit, cum ea Chronologia, quam instituimus, potest congruere. Verum pronius fidei est *quadraginta* in textum obrepsisse pro quatuor [6]. Septuaginta quidem in Exemplaribus, quæ præ manibus habemus, habent quadraginta, quemadmodum & Hebraicus textus; sed Josephus, & Theodoretus qu. 28. quatuor tantum legebant; non secus ac plurimi veteres M. S. Latini [7]. Alii sex annos ponunt, alii quinque, alii denique duos. Auctor quæstionum Hebraicarum in Libros Regum hanc Exemplarium animadvertit varietatem. Syriaca, & Arabica pro quatuor annis, non secus ac plurimi, iique eruditissimi Criti-

1 ויעש לו מרכבה וסוסים וחמשים איש רצים לפניו 2 ויגנב את לב אנשי ישראל 3 Καὶ ἰδιοποιεῖτο τὰς καρδίας πάντων τῶν ἀνδρῶν τοῦ Ἰσραήλ. 4 Ita Rabb. Kimchi, Vat. Tost. Tirin. Sanct. 5 Ita Usser. Salian. Cornel. Osiand. 6 ערבים pro ערבה 7 Vide novam edit. S. Hieron. hic p. 381.

Critici [1] pugnant; & re ipsa magis probabile mihi videtur, Absalonem, eum quatuor annos insumpsisset, ut sibi populorum alliceret studia, in partes suas discessisse, atque defectionem illius erupisse eo pacto, quo isthic describitur.

℣. 10. MISIT ABSALOM EXPLORATORES IN UNIVERSAS TRIBUS . . . DICITE: REGNAVIT ABSALOM IN HEBRON.] Ambitiosus hic Princeps emissarios suos in omnem regionem diffundit, qui novum Absalonis regnum annuntient. Hi procul dubio pro virili adlaboraverunt, ut Absalonis defectionem cohonestarent, atque ambitionem illius speciosissimo quolibet colore fucarent. Potuerunt quoque populis edicere hoc, David consentiente, factum fuisse. Demum nihil intentatum relictum est, ut Israelitas in primum hoc facinus impellerent, novum hunc regem agnoscerent, illique omnia servitutis officia profiterentur. Priora hac in re verba præ cæteris maxime difficilia sunt, atque simul maximi momenti; *In tali re difficillimum prima vox*, inquit Tacitus lib. 2. Hist. Haud amplius integrum est ab iis partibus secedere, in qua semel impegisti.

℣. 11. CUM ABSALOM IERUNT DUCENTI VIRI SIMPLICI CORDE.] Ducenti hi viri ex eorum erant numero, quorum corda *Absalom surripuerat*, & qui honoris, & studii ergo illum secuti fuerant, quin illius consilia perspexissent. Hi ducenti viri ab aliis distinguuntur, qui erant in Principis hujus comitatu; nam his probe perspecta erant illius consilia, dum hæc illos omnino fefellerant.

℣. 12. ACCERSIVIT ACHITOPHEL.] Hominis calliditatem, atque odium contra Davidem agnoverat. Achitophel autem avus Bethsabeę fuisse perhibetur supra cap. 11. ℣. 3. quem in Davidem odio succensum propter illatum familiæ dedecus in persona Bethsabeæ haud ægre Absalom in suas partes pellexit.

℣. 13. TOTO CORDE UNIVERSUS ISRAEL SEQUITUR ABSALOM.] Vel juxta Hebraicum textum [2]: *Cor totius Israel erat post Absalom*. Quomodonam populus leviter adeo potuit Davidem deserere, Principem illum adeo felicem, fortem, justum, manu Dei electum, a Samuele, quem Prophetam semper tantopere Israelitæ coluerunt, constitutum. Quam potuerunt causam prætexere, ut tot egregiæ Davidis virtutes, ac erga Nationem benefacta oblivione obruerentur? Deum sane his interfuisse consiliis, haud fallit. Ultrix manus illius palam satis in rerum decursu, ac Davidis humiliatione dignoscitur. At nec fucatæ in speciem rationes defuere, qua de causa ab eo deficerent. Plurimi semper inveniuntur in populis, qui præsentia fastidiunt, & facinorosi, seditiosique rebus novis student, ac regiminis agitatione oblectantur. Saulis partes nondum penitus interierant. Joab primus Davidis dux superbe, ac impotenter se se gerebat. Hujus crimina, quæ impune abierant, in Regem ipsum decidebant, qui pœnas minime ausus erat exposcere. David ipse ansam præbuerat inimicis suis, & ob constupratam Bethsabee, & propter Uriam interfectum; duo flagitia maxime fœda, ac invisa in regis persona. At Absaloni maxime profuerat Judicum negligentia in jure populis dicundo; neque enim Absalom tantopere questus esset, nisi quædam illi in speciem ratio fuisset.

℣. 14. SURGITE, FUGIAMUS.] Quodnam consilium bellicoso viro, qualis erat David, indignum, quem nulla umquam pericula perterruerant, & qui ea in arce aderat, quæ collectis Juda, ac Israel viribus diutius posset obsistere, & quam *cæci, & claudi propugnare potuissent*, quemadmodum Jebusæi jactitabant 2. Reg. 5. 6. Denique tot fortibus viris, quorum singuli olim adversus integras hostium acies pugnarant, stipatus David fugam corripit, & pedibus e Sion egreditur, oculis fletu suffusis, facie involuta. Nequit sane asseri hunc inanem fuisse metum, ac agitatæ mentis perturbationem, quæ illi periculum in majus auxerit. Eum enim sub mutis Jerusalem, antequam torrentem Cedron transmittat, omnia metiri consilia intuemur, quæ humana ratio ea in occasione possit suggerere. Si fugiens saluti suæ consulere cupiebat, atque per itineris diligentiam ex hostis manibus elabi, cur pedibus, nudisque pedibus egreditur? Etiamsi de ipsius regno actum esset, pessimum sane omnium consiliorum erat a Jerusalem secedere, quod ille agebat. Credendum igitur est, Principem hunc flagitiorum suorum pœnitentia correptum Dei mandatis per humilitatem se se submisisse. Credidit autem, nec immerito, hac in re se videre sententiæ illius effectum, quam illi Propheta Nathan indixerat. Mavult fugæ se dare, quam plurimorum bonorum vitam pro sui præsidio in discrimen adducere. Parcere vult sanguini subditorum suorum, atque plusquam civile bellum effugere. Denique cedere vult primæ torrentis vi, ac dum primus filii, ac partium illius impetus detonuerit, sperans futurum ut tempus, ac minor vis eorum furorem retardarent, sapientiores se se colligerent, & Absalom ipse facti sui pœnitentia duceretur.

ET IMPELLAT SUPER NOS RUINAM.] Velut ille, qui sub propriæ domus suæ ruinis occumbit. Hebraice [3]: *ne impellat super nos malum*: ne nos sævissimo obruat infortunio, ne opprimamur, quin possimus umquam e malis emergere.

℣. 17. STETIT PROCUL A DOMO.] Forte ut ad arma viros cieret, ac milites suos recenseret. Constitit in urbis ingressu, & antequam torrentem Cedron traduceret. Hebraicus textus ad literam [4]: *Constiterunt domus hæc fugæ*, vel secessionis; hoc est universa familia, ac satellites David, domus fugitiva, familia hæc, quæ solum vertebat, constiterunt. Alii: *Constiterunt in domo secessionis*, in loco procul ab Jerusalem. Sed ex decursu liquet, ipsos præ urbis foribus constitisse.

℣. 18. CERETHI, ET PHELETHI.] Hi erant satellites David exteræ nationis; erant quippe Philisthæi propter natale solum. Vide cap. 8. ℣. 18.

ET OMNES GETHÆI.] Qui se submiserant Davidi, postquam Rex est constitutus; cum Cerethi, & Phelethi adhæsissent illi, ex quo apud Achis confugerat. Omnis adest veritatis species, Ethai Gethæum ducem illorum fuisse, atque etiam hos illo auctore Davidem fuisse secutos. Hoc notatu dignum est, Davidem fugientem nullum ferme habuisse, qui eum sectaretur, præter familiam ipsius, & externos hos milites; ille in urbem Sacerdotes, ac Levitas cum arca remittit, veluti ut referret Jesum Christum a Synagoga cum discipulis suis ejectum; sed qui vicissim Judaicos ritus, & Aaronis sacerdotium rejicit, & qui se tradit Gentilibus, exteris quidem populis, sed magis fidelibus, quam subditi indigenæ.

QUI SECUTI EUM FUERANT DE GETH PEDITES.] Hoc est, sexcenti pedites, qui secuti fuerant eum de urbe Geth, vel sexcenti viri de Geth, qui pedibus eum secuti fuerant: vel qui secuti fuerant eum, pedes illius, ejus vestigia, cum de urbe Geth egrederetur [5].

℣. 19. HABITA CUM REGE.] Ne objicias te in meæ calamitatis pericula: Nonnulli hebraicum textum reddunt [6]; *Revertere de comitatu Regis*; ne illum sequi perseveres [7].

℣. 20. DOMINUS FACIET TECUM MISERICORDIAM, ET VERITATEM, QUIA OSTENDISTI MIHI GRATIAM, ET FIDEM.] Hebraica lectio brevior est [8]: *Misericordia*,

1 Grot. Capel. Castal. &c.
2 היה לב איש ישראל אחרי אבשלום
3 והדיח עלינו את הרעה.
4 ויעמדו בית המלך. 70. Ἔστησαν ἐν οἴκῳ τῷ μακρῷ.
5 אשר באו ברגלו. 70. Ἥκοντες ἐκ Γὲθ πεζοί.
6 שב עם המלך
7 Ita Syr. Arab.
8 עמך חסד ואמת

cordia, & veritas tecum fiat. Faxit Deus, ut parem fidei tuæ mercedem invenias; vel, Deus tibi remuneretur pro ipsius promissionum fide. Crebro occurrit [1] hæc locutio *facere misericordiam, & æquitatem*, pro paria referre, bene mereri, gratificari, tum cum sermo est de Divinis erga homines beneficiis, cum de iis, quæ ultro, citroque sibi homines conferunt. *Misericordia, & veritas* in authographo idem est ac *gratia, & fides*.

ỷ. 23. TORRENTEM CEDRON.] Traduxit illum in orientali Jerusalem plaga inter muros urbis illius, & montem Olivarum. Hic torrens hyeme tantum fluctus agit, & postquam pluviæ deciderint, & tunc quoque trium passuum latitudinem non excedit [2]. Nomen Cedron Hebraice [3] *umbrosum* significans, umbrisque coopertum, plerosque fefellit, qui perperam crediderunt a cedris torrenti nomen inditum, *torrens cedrorum*. Josephus lib. 5. de Bello cap. 16. illum tantummodo *vallem cedron* vocat, & Hebraicus hujus loci textus optime huic nomini potest congruere.

CONTRA VIAM, QUÆ RESPICIT AD DESERTUM.] Quemadmodum David Mahanahim versus procedebat, & ex Jordanis latere; ita desertum, de quo isthic est sermo, nihil aliud est, quam agri ad borealem orientem Jerusalem, qui hunc fluvium petentibus occurrunt. Hoc plane erat desertum Bethel. Ita fuga David in omnibus suis circumstantiis figura est mortis Domini.

ỷ. 24. DEPOSUERUNT ARCAM DEI, ET ASCENDIT ABIATHAR.] Sacerdotes, & Levitæ cum arca Davidem consecuti cum reliquo agmine constiterunt, collocaruntque arcam in loco decenti opperientes, donec agmen procederet; David enim præstolari voluit omnes, qui eum sequebantur, prope civitatem, quemadmodum supra animadvertimus [4]. Abiathar quoque venit cum Sadoc, aliisque Levitis; nam hic sensus tribui potest verbo *ascendit*; De urbe egressus est, ut fugientem Regem comitaretur. Aliter: *Ascendit expectans, donec populus, qui de urbe egrediebatur, præteriisset*. Ivit in urbem, illuc rediit, ut eorum accelleraret iter, qui Regem comitari desiderabant. Denique simpliciter: *ascendit*, ivit prope arcam opperiens, donec populus torrentem transmisisset; ita ut arca nequaquam reversa fuerit in civitatem, nisi postquam universa Davidis manus torrentem traduxisset.

ỷ. 25. REPORTA ARCAM DEI IN URBEM.] David hic ostendit confidentiam, fidem, humilitatem longe illis præstantes, quas in carnalibus Judæis veteris Testamenti animadvertere consuevimus. Cum enim se indignum arbitraretur, qui Domini arcam possideret, sponte eam consolationem respuit, quæ maxima ex arcæ præsentia ipsum poterat sustentare; & hoc pacto meretur vere Domini ipsius præsidium, cujus arca fluxa tantum erat imago. Ab Absalonem Deum hunc irritatum remittit, atque oculis fidei deprehendit, Deum Israel non locis, non temporibus adhærere; atque si illi libuerit, æque a periculis erepturum fore, tam cum arca adsit, quam cum ea procul absit. *Si invenero gratiam in oculis Domini, reducet me, & ostendet mihi eam, & tabernaculum suum; si autem dixerit mihi: non places: præsto sum*, ut regno me abdicem, *faciat, quod bonum est coram se*. Paratus sum, ut patiar, faciamque, quidquid a me Divina petierit Justitia, ut criminis mei maculas eluam.

ỷ. 27. O VIDENS REVERTERE IN CIVITATEM IN PACE.] Summus Sacerdos, qui Dominum consulebat, & illius nomine edebat oracula, merito *Videns*, vel Propheta poterat nuncupari; quo in sensu David Summum Sacerdotem Sadoc *Videntem* appellat. Hebraice [5]: *Nonne es Videns? revertere in civitatem in pace*. Ego te veluti Videntem, ac Domini Oraculum colo; haud nescius sum, quod ope tua hoc fugæ meæ tempore egerem; sed revertere in civitatem. Aliter: Es Videns, Summus Sacerdos, cui publica est auctoritas; redi in urbem, nec deseras Tabernaculum, & arcam Domini; præsentia tua in urbe magis, quam isthic utilis esse potest. Denique: *Nonne vides?* quo in statu res meæ versentur, & rationes, quibus ad hoc agendum impellor [6]: *revertere igitur in civitatem*. Septuaginta: *Vide, & revertere in civitatem*. Animum adverte ad ea, quæ dico, neque ad examen revoces, utrum meum consilium sequaris. Vel revertere, si e re fore putas.

ỷ. 30. NUDIS PEDIBUS INCEDENS, ET OPERTO CAPITE.] Veluti reus, & qui in luctu, & squalore versatur. Liquet faciem obtegi consuevisse illis, qui ad supplicium trahebantur [7]: *I, Lictor, caput obnubito*; Eam vero operiebant etiam, qui confusione, ac dolore obruebantur [8]. Nudis incedebat pedibus, veluti servus, vel aliquis, qui luctus signa præseferret. Isaias 20. 4. *Minabit Rex Assyriorum captivitatem Ægypti . . . . nudam, & discalceatam*. Et jubetur Ezechiel nulla edere luctus signa: *calceamenta tua erunt in pedibus tuis, nec amictu ora velabis*. Ezech. 24. 17.

ỷ. 31. INFATUA CONSILIUM ACHITOPHEL.] Hoc est, dirue consilium Achitophel. Hebraica lectio, Vulgata, Symmachus, Aquila ad literam [9]; *Fatuum redde consilium Achitophel*. Perturba judicium illius, ita ut pravum suggerat consilium; vel, non patiaris, consilio, quod ille attulerit, Absalonem acquiescere; [10] *dissipa* illud, *vanum redde*, ac inutile.

ỷ. 32. IN SUMMITATE MONTIS, IN QUO ADORATURUS ERAT DEUM.] Arca fortasse illum fuerat prosecuta usque ad Olivarum collem, ubi postquam Dominum adorasset, eam remisit; vel in superiori montis vertice, unde Jerusalem adhuc prospiciebatur, Dominum adoravit; perinde ac quamprimum ab urbis sanctæ conspectu, ubi arca Domini residebat, sibi esset discedendum.

ỷ. 34. DISSIPABIS CONSILIUM ACHITOPHEL.] Hac in re modo poteris de me perquam bene mereri. David nunc suadet amico suo Chusai, ut eam personam induat, quæ honestum hominem haud ita decere videtur. Officia tua homini exhibeas, quem proditurus es, illique prava allaturus consilia! Esto quidem homo hic proditor sit, filiusque adversus parentem optimum rebellis; verum fas estne malum vel facere, vel suadere, ut inde bonum aliquod existat? Licetne proditorem prodere, & adversus mendacem damno veritatis mentiri? scelus illius potestne probare malum, quod facimus? Hic respondemus, Davidem non suadere Chusai, ut prodat Absalonem, atque illius habita ratione amicitiæ, ac veritatis leges infringat. Verum hoc illi dumtaxat ait, ut scilicet Absalonem sequatur dissipaturus, ac eversurus consilia Achitophel; non secus ac Imperator in hostium castra clam exploratores dimittit, ut quæ illic transigantur, intelligat; vel quemadmodum Principes in aliorum Regum aula clam amicitias alunt, ut hostium consilia sibi pateant, vel ut ea diruant, quæ in ipsorum damnum cedere possent. Ad Absalonem spectabat, sibimet cavere: injustum bellum,

1 Vide Genes. 24. 27. 49. & 47. 29. Josue 2. 14. & 2. Reg. 2. 6. Prov. 3. 3.
2 Doubdan. cap. 27. 3 נחל קדרון
4 Vide ỷ. 27. 5 הראה אתה שבה העיר בשלום
6 Βλέπε σὺ, ἐπίστρεφε εἰς τὴν πόλιν. 7 Vide & Quint. Curt. lib. 6. de Philota.
8 Jerem. 14. 3. *Confusi sunt, & afflicti, & operuerunt capita sua*. Et ỷ. 4. *Confusi sunt agricolæ, operuerunt capita sua*. 9 סכל. Aqu. Ἀφρόνισον. Sym. Ἀσύνετον ποίησον.
10 ᾿פר. Διασκέδασον, *Dissipa*. Theod. Ματαίωσον, *Vanum redde*.

bellum; quod patri intulerat, huic jus præbebat adversum eum, velut hostem agendi, atque astu, & viribus utendi. Vetitumne est belli, quæ vere inietis consilia, dissimulare? Nonne inde omnia profluxere stratagemmata, quibus numquam fuit interdictum? Cæteroquin haud tenemur ostendere Davidem omnibus in rebus gestis culpa vacasse.

CAPUT XVI.

Siba affert cibaria ad David, qui illi dat bona Miphiboseth. Insolentia Semei, ac patientia David. Absalom publice constupratur concubinas patris sui. Chusai simulat, se Absaloni adhærere. Consilia Achitophel in pretio.

1. CUmque David transisset paululum montis verticem, apparuit Siba puer Miphi-
boseth in occursum ejus cum duobus asinis, qui onerati erant ducentis pani-
bus, & centum alligaturis uvæ passæ, & centum massis palatharum, & utre
vini. 2 Et dixit rex Sibæ: Quid sibi volunt hæc? Respondítque Siba: Asini, do-
mesticis regis, ut sedeant: panes, & palathæ, ad vescendum pueris tuis: vinum au-
tem ut bibat, si quis defecerit in deserto. 3 Et ait rex: Ubi est filius domini tui?
Respondítque Siba regi: Remansit in Jerusalem, dicens: Hodie restituet mihi domus
Israel regnum patris mei. 4 Et ait rex Sibæ: Tua sint omnia, quæ fuerunt Miphibo-
seth. Dixitque Siba: Oro, ut inveniam gratiam coram te, domine mi rex. 5 Venit
ergo rex David usque Bahurim; & ecce egrediebatur inde vir de cognatione domus
Saul, nomine Semei, filius Gera, procedebatque egrediens, & maledicebat, 6 Mitte-
batque lapides contra David, & contra universos servos regis David; omnis autem po-
pulus, & universi bellatores, a dextero, & a sinistro latere regis incedebant. 7 Ita
autem loquebatur Semei, cum malediceret regi: Egredere, egredere, vir sanguinum,
& vir Belial. 8 Reddidit tibi Dominus universum sanguinem domus Saul; quoniam
invasisti regnum pro eo, & dedit Dominus regnum in manu Absalom filii tui; & ecce
premunt te mala tua, quoniam vir sanguinum es. 9 Dixit autem Abisai filius Sarviæ
regi: Quare maledicit canis hic mortuus domino meo regi? vadam, & amputabo ca-
put ejus. 10 Et ait rex: Quid mihi, & vobis est, filii Sarviæ? dimittite eum, ut
maledicat. Dominus enim præcepit ei, ut malediceret David; & quis est, qui audeat
dicere, quare sic fecerit? 11 Et ait rex Abisai, & universis servis suis: Ecce filius
meus, qui egressus est de utero meo, quærit animam meam; quanto magis nunc filius
Jemini? dimittite eum, ut maledicat juxta præceptum Domini, 12 Si forte respiciat
Dominus afflictionem meam, & reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac ho-
dierna. 13 Ambulabat itaque David, & socii ejus per viam cum eo. Semei autem per
jugum montis ex latere, contra illum gradiebatur, maledicens, & mittens lapides adver-
sum eum, terramque spargens. 14 Venit itaque rex, & universus populus cum eo las-
sus, & refocillati sunt ibi. 15 Absalom autem, & omnis populus ejus ingressi sunt Je-
rusalem, sed & Achitophel cum eo. 16 Cum autem venisset Chusai Arachites amicus
David ad Absalom, locutus est ad eum: Salve rex, salve rex. 17 Ad quem Absa-
lom, Hæc est, inquit, gratia tua ad amicum tuum? quare non ivisti cum amico tuo?
18 Respondítque Chusai ad Absalom: Nequaquam, quia illius ero, quem elegit Do-
minus, & omnis hic populus, & universus Israel, & cum eo manebo. 19 Sed ut &
hoc inferam, cui ergo serviturus sum? nonne filio regis? sicut parui patri tuo, ita pa-
rebo & tibi. 20 Dixit autem Absalom ad Achitophel: Inite consilium, quid agere de-
beamus. 21 Et ait Achitophel ad Absalom: Ingredere ad concubinas patris tui, quas
dimisit ad custodiendam domum, ut cum audierit omnis Israel, quod fœdaveris patrem
tuum, roborentur tecum manus eorum. 22 Tetenderunt ergo Absalom tabernaculum
in solario, ingressusque est ad concubinas patris sui coram universo Israel. 23 Con-
silium autem Achitophel, quod dabat in diebus illis, quasi si quis consuleret De-
um: sic erat omne consilium Achitophel, & cum esset cum David, & cum esset cum
Absalom.

℣. 1. SIBA PUER MIPHIBOSETH.] Vidimus supra cap. 9. 1. quinam esset hic Siba in domo Miphiboseth. Satis prodit ingenii sui improbitatem iis in calumniis, quas profert adversus dominum suum. Satis perspicax erat, ut prævideret, futurum ut David iterum regnum confirmaret suum, ac Absalonis partes pessum irent. Si credidisset, omnia Absaloni e voto cessura, nequaquam Davidem secutus esset; atque rex ipse eo pacto eum Siba se gerit, perinde ac nihil mali ipsi obtigisset. Regia auctoritate de Miphiboseth bonis disponit, eaque servo propria dicat. Verum si Siba malitiæ, ac infidelitatis in dominum suum calumniis suis præbuit argumenta, David profecto prudentia caruit, judicans, & condemnans Miphiboseth causa indicta, eumque bonis ipsius cavens, servi adductus testimonio, quem Leges in dominum testem minime patiuntur.

IN OCCURSUM EJUS.] Unde veniebat? Ab Jerusalem procul dubio; ait enim, dominum suum ibi permansisse, spe ductum, ut iterum in familiam ipsius Regnum reverteretur. Igitur dici nequit ipsum venisse in occursum David, qui ante ipsum de urbe fuerat egressus. Mallem igitur vertere [1]; *venit Siba, ut se se conjungeret*, ut consequeretur, *David*; ni asseras, Sibam cum asinis suis aliam instituisse viam, ac prævertisse David, qui cum comitatu suo pedes incedebat.

CENTUM ALLIGATURIS UVÆ PASSÆ.] Hebraice [2]: Centum *Zimmukim*. Vide, quæ dicta fuerint superius 1. Reg. c. 25. 18.

CENTUM MASSIS PALATHARUM.] Hebraice [3]: *Centum æstatis*; centum libras, vel centum mensuras fructuum, vel ficuum, vel racemorum æstatis; nam neque fructuum, neque mensuræ nomen in textu exprimuntur. Nomen *Kaiz*, quod significat æstatem, sumitur etiam pro racemis recentibus, vel etiam præcocibus, quales descripsimus locuti de racemo, quem exploratores a Moyse dimissi in terra Chanaan præciderunt Num. 13. 21. Varios Scripturæ locos, ubi hoc nomen occurrit, conferentibus videtur hic fructus fuisse, qui vindemiæ tempore, & post messem colligebatur. *Colligite vindemiam*, inquit Jeremias 40. 10. 12. *&* *Kaiz*; & 48. 32. *super Kaiz, & super vindemiam tuam prædo irruit*. Potest quoque optime intelligi generatim de omnibus fructibus, qui autumno sub æstatis finem colliguntur. Michæas 4: *Factus sum velut qui colligit Kaiz, velut qui vindemias agit tempore vindemiæ, non invenio racemos, quos comedam, præcoquas ficus desideravit anima mea.*

℣. 2. ASINI DOMESTICI REGIS, UT SEDEANT: PANES, ET PALATHÆ AD VESCENDUM.] Hebraice habemus [5]: *Asini sunt pro domo Regis ad equitandum, & pugnandum; & Kaiz ad vescendum*. Una tantum litera mutat nomen, quod panem significat, & illud, quod significat pugnare. Septuaginta [6], & Vulgata literam hanc non legerunt, sed supervacaneam esse censuerunt. Judæi quoque eam signant, veluti literam, quæ non legitur; idque quia rati sunt, asinum haud esse belligerum animal, ac inauditum putarunt, quod asinis belli quondam usi fuissent. At ex hac eadem historia nonne liquet Absalonem de mula prœlium iniisse? Bochartus de Animal. sacr. tom. 1. lib. 2. cap. 3. ostendit, Persas, ac Arabes crebro asinis insidentes dimicasse. Ælia-

A nus lib. 12. cap. 34. ait, Saracenos ita asinis, uti Græcos equis insidentes armis decertasse. Mervanus, vigesimus primus Calipha, Mesopotamiæ asinus [7] vocatus fuit, eo quod in prœlio numquam cessisset retro, ad instar asinorum in bello, qui numquam retro gradiuntur.

Siba dicit Regi, asinos, quos ipse advexerat, & cibaria, quæ ipsi obtulerat, fore in usum servorum Regis ipsius. Hæc loquendi ratio communis est inter Orientales [8]. Ajunt enim pretiosissimas uniones *dignas esse thesauro servorum Regis*, & Legatum, qui Regem venerabundus adierit, *osculatum fuisse pedes servorum Regis* &c. Vide supra Abigailis officia erga David 1. Reg. 25. 27.

℣. 4. TUA SUNT OMNIA.] Vide ℣. 1. In Oriente
B se calamitates, ac præcipue perduellionis scelera omnium bonorum jactura consequitur.

℣. 5. USQUE AD BAHURIM.] Hic locus erat ad septemtrionem Jerusalem in tribu Beniamin. Phaltiel vir Michol, huc usque plorans eam deduxerat, cum Abner illam ad Davidem reduxit 2. Reg. 3. 16. Hebraica vox [9] *Bahurim* delectos adolescentes significat. Loco eidem tribuitur nomen *Almus* [10], vel *Almat*, vel *Almon*, quod *adolescentiam* significat.

℣. 8. ECCE PREMUNT TE MALA TUA, QUONIAM VIR SANGUINUM ES.] Hebraice: *Ecce te in malo suo* [11], *quia vir sanguinum es*, interfector, homicida. Ecce tibi tandem ob impotentiam tuam digne par redditum; omnia mala, quæ aliis intulisti, in caput tuum relapsa sunt.

C ℣. 10. DOMINUS PRÆCEPIT EI, UT MALEDICERET DAVID.] Hebraice: *Dominus dixit illi: Maledic David*. Me quodvis contumeliæ genus promeritum fuisse vere scio, atque nunc merito me a Deo plecti cognosco. Quidquid mihi accidit, de ultrice illius manu procedit. Ego vero secreta illius consilia veneror, & colo. David considerat Semei velut instrumentum, quo Deus ad ipsius humilitatem utitur; flagitiosi autem viri, a quo conviciis impetitur, iniquo animo mentem non adjungit. Deus quidem nec præcipere, neque probare posset facinus Semei; nimis enim indignum est, ac injustum: sed crebro Scriptura dicit, Deum facere id, quod permittit, vel prædicit, vel cujus faciundi occasionem præbet, vel quod ne fiat, minime vetat. Non enim semper im-
D perium a permissione distinguit [12]. Hoc pacto dicitur, Deus immisisse spiritum malum adversus Saul, vel in Saul [13]. David hac in re palam exhibet Jesu Christi de cruce pendentis imaginem, qui Judæorum conviciis, ac probris appetitur, quin queratur, imo pro inimicis suis veniam a Deo Patre deposcens.

℣. 11. FILIUS JEMINI.] Vir e tribu Beniamin. Tribus hæc numquam ex animo Davidem fuerat secuta. Tria tantum millia virorum ex ea in Hebron descenderunt, ut illum Regem agnoscerent, reliqui vero adhuc erga Saulis familiam, quæ erat ex eadem tribu, alebant studia.

℣. 12. SI FORTE RESPICIAT DOMINUS AFFLICTIONEM MEAM.] Offert Deo patientiæ suæ sacrificium; illi dolorem, ac ultionis cupiditatem sacrificat hoc
E animo volvens, quod alibi testatus est, cor contritum, & humiliatum a Deo non despici [14], & præter quæcumque holocaustomata acceptum esse Deo sacrificium, spiritum contribulatum [15].

℣. 13. TERRAM SPARGENS.] Hebraicus textus ad lit-

1 הנה ציבא לקראתו. 2 מאה צמוקים
3 מאה קיץ. 4 Mich. 7. 1. כאספי קיץ כעוללת בציר אין אשכול לאכל בכורה אותה נפשי
5 החמורים לבית המלך לרכב והלחם והקיץ לאכל
6 Septuaginta, & Vulgata legerunt והלחם loco ולהלחם
7 Elmacin Hist. Saracen. lib. 1. cap. 21. 8 Chardin. Voyage en Perse p. 214.
9 בחורים. 10 Vide 1. Paralipomenon 6. 60. & 7. 8. & Josue 21. 18. Vide Vat. Hebr. Mart,
11 הנך ברעתך כי איש דמים אתה. 12 Vide Est. Mart. Sanct. Cornel.
13 1. Reg. 16. 14. *Exagitabat Saul spiritus nequam a Domino.*
14 Psal. 50. 19. *Cor contritum, & humiliatum Deus non despicies.*
15 Ibid. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus.*

litteram [1]: *Pulverem ciebat in pulvere*. Velut demens pulverem, ac terram in aerem spargebat. Hoc satis vulgatum erat apud eos populos. S. Paulus loquens ad Judæos Jerusalem, simulac ea verba protulit, quæ illi dixerat Deus Act. 22. 2. 3. *Vade: quoniam ego in nationes longe mittam te; ad hoc verbum levaverunt vocem suam . . . vociferantibus autem eis, & projicientibus vestimenta sua, & pulverem jactantibus in aere* &c.

ỳ. 16. CHUSAI AMICUS DAVID.] Hic illi acceptus erat, amicus David, quodammodo officii nomine. Vide 2. Par. 27. 33.

CHUSAI AMALECITES.] Hebraice [2]: Aracheus. Hic forte erat ex genere veterum *Aracæorum*, quos memorat Moyses Genes. 10. 17. inter posteros Chanaan. Hi Aracæi morabantur in *Araca*, vel *Arca* Phœniciæ inter Arad, vel Anthosiam, & Tripolim. Vide Antonini itinerarium. Non procul ab hac urbe Sabbathicum flumen ajunt dilabi. Josephus de bello lib. 12. cap. 13. *Aurelius* Imperator hac in urbe natus est, ac Alexandri nomen assumpsit, eo quod in lucem editus est in templo Alexandri. *Arca*, vel *Arce* vocatur quoque *Cæsarea*. Difficultas autem hac in re potest occurrere, scilicet, quod *Aracæi* aliter scribuntur [3], Itaque mallem asserere, *Arachi* fuere a civitate Arach, vel Arachi, quæ in finibus est tribuum Beniamin, & Ephraim ad occasum Bethel versus Bethoron [4]. Ita Chusai fuisset ex tribu Beniamin.

ỳ. 18. ILLIUS ERO, QUEM ELEGIT DOMINUS.] Quomodonam hæc queunt conciliari cum sinceritate, & rectitudine Chusai? Poterat ne vere dicere Absalonem a Deo electum fuisse? Verum quidem est, quod est in adagio, *vox populi, vox Dei*; & plerumque his in rebus haud interesse privatorum de Regibus judicium ferre, ac de populorum rationibus disceptare. Sed in Absalonis facto res omnino erat alia. Israel Regem habebat jam constitutum, ac diuturna regni possessione confirmatum; Absalom palam usurpator erat, ac rebellis. Hoc autem præ cæteris Chusai intellexerat; nihilominus turpi assentatione huic novo Principi blanditur, atque istud, ut eum fallat. Hoc ægre conciliari potest cum sinceri, justique viri idea, quam nobis & ratio suggerit, & Evangelium. Vide cap. 15. ỳ. 34.

ỳ. 21. INGREDERE AD CONCUBINAS.] Ut reconciliatio tua cum Patre impossibilis fiat, atque ut omnes, qui tibi adhæserunt, intelligant te non posse amplius cum David in gratiam reverti, ac inimicitias vestras esse irreconciliabiles. Achitophel probe noverat Hebræorum inconstantiam, ac levitatem; Eos vero in partibus Absalom confirmare voluit, illis hac consideratione proposita, sibi nullum amplius fore locum veniæ a Davide obtinendæ, ipsisque vitæ suæ periculo servandum esse Principem, quem ad regnum evexerint, vel hoc in perniciem vocato ipsis subeundam esse Regis victoris ultionem, si umquam regno iterum potitus fuerit. Dedecus, quo Absalom Davidem afficit, præ omnibus fœdissimum est, quæ filius patri inferre queat. Jacob ad extremum usque vitæ spiritum ob similem contumeliam in Ruben filium suum justum dolorem exercuit Genes. 49. 4. Phœnix cum incestum patrasset cum Amyntoris patris sui concubina, illi Princeps bis maledixit, eumque omnibus furiis devovit [5]. Armais frater Sesostris, eodem pacto fratris sui absentis conjuges constupratus est, quo isthic Absalom patris sui concubinas. Hoc unum Sesostris discedens illi interdixerat, & Armais tunc solum insigne adeo flagitium patravit, cum voluit omnibus rebellionem suam innotescere [6].

ỳ. 22. INGRESSUS EST AD CONCUBINAS PATRIS SUI CORAM UNIVERSO ISRAEL.] Populus universus testis fuit tabernaculorum illorum, quæ in solario domus regiæ evecta fuere, illucque Absalonem cum secundi ordinis conjugibus, quas David reliquerat, (cæteras enim secum abduxerat) subire prospexit. Tunc adimpleta est prophetia Nathan 2. Reg. 12. 11. *Tollam uxores tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo, & dormiet cum uxoribus tuis in oculis solis hujus*. Uxores victi Regis victori servabantur. Vide supra cap. 12. ỳ. 8. Smerdis Persarum regno potitus post Cambysis obitum, duxit omnes decessoris sui conjuges, teste Herodoto l. 3. c. 68. & 83.

ỳ. 23. QUASI SI QUIS CONSULERET DEUM.] Achitophel eam sibi nominis famam comparaverat, ut illius consilia oraculorum loco haberentur. Hæc est hyperbole. Verum homo ille magna edoctus fuerit, oportet, rerum experientia, & summæ sapientiæ vir, ac ad maxima quæque idoneus; nam David in calamitate sua unius callidi, infestique inimici consilia veritus fuisse, iisque solum præcavisse videtur. Monita equidem illius maximi fuisse momenti opus est, cum celeriter adeo probata fuerint in re maxime atroci, atque gravi, quale fuerat consilium Absaloni traditum, ut uxores patris sui tali dedecore afficeret.

1 ועפר בעפר. 70. Χ[illegible]. 2 חושי הארכי. 3 Genes. 10. 17. הערקי 2. Reg. 16. 16. הארכי
4 Josue 16. 2. 5 Iliad. I.
6 Apud Joseph. lib. 1. contra Appion.

CAPUT XVII.

Chusai diruit consilium Achitophel, illiusque Davidem certiorem facit per Jonatham, & Achimaan. Achitophel se laqueo suspendit. David traducit Jordanem, & pervenit Mahanaim. Absalom quoque fluvium transmisit, & in regione Galaad castrametatur.

1. DIxit ergo Achitophel ad Absalonem: Eligam mihi duodecim millia virorum,
& consurgens persequar David hac nocte. 2 Et irruens super eum (quip-
pe qui lassus est, & solutis manibus) percutiam eum: cumque fugerit o-
mnis populus, qui cum eo est, percutiam regem desolatum. 3 Et reducam univer-
sum populum, quomodo unus homo reverti solet: unum enim virum tu quæris, &

omnis populus erit in pace. 4 Placuitque sermo ejus Absalom, & cunctis majori-
bus natu Israel. 5 Ait autem Absalom: Vocate Chusai Arachitem, & audiamus,
quid etiam ipse dicat. 6 Cumque venisset Chusai ad Absalom, ait Absalom ad
eum: Hujuscemodi sermonem locutus est Achitophel: facere debemus, an non? quod
das consilium? 7 Et dixit Chusai ad Absalom: Non est bonum consilium, quod
dedit Achitophel hac vice. 8 Et rursum intulit Chusai: Tu nosti patrem tuum, &
viros, qui cum eo sunt, esse fortissimos, & amaro animo, veluti si ursa raptis ca-
tulis in saltu sæviat: sed & pater tuus vir bellator est, nec morabitur cum populo.
9 Forsitan nunc latitat in foveis, aut in uno, quo voluerit, loco: & cum cecide-
rit unus quilibet in principio, audiet quicumque audierit, & dicet: Facta est pla-
ga in populo, qui sequebatur Absalom: 10 Et fortissimus quisque, cujus cor est
quasi leonis, pavore solvetur: scit enim omnis populus Israel fortem esse patrem
tuum: & robustos omnes, qui cum eo sunt. 11 Sed hoc mihi videtur rectum es-
se consilium: Congregetur ad te universus Israel, a Dan usque Bersabee, quasi a-
rena maris innumerabilis: & tu eris in medio eorum. 12 Et irruemus super eum
in quocumque loco inventus fuerit: & operiemus eum, sicut cadere solet ros super
terram, & non relinquemus de viris, qui cum eo sunt, ne unum quidem. 13 Quod
si urbem aliquam fuerit ingressus, circumdabit omnis Israel civitati illi funes, & tra-
hemus eam in torrentem, ut non reperiatur ne calculus quidem ex ea. 14 Dixit-
que Absalom, & omnes viri Israel: Melius est consilium Chusai Arachitæ consilio
Achitophel: Domini autem nutu dissipatum est consilium Achitophel utile, ut indu-
ceret Dominus super Absalom malum. 15 Et ait Chusai Sadoc, & Abiathar sa-
cerdotibus: Hoc, & hoc modo consilium dedit Achitophel Absalom, & senioribus
Israel; & ego tale, & tale dedi consilium, 16 Nunc ergo mittite cito, & nuncia-
te David, dicentes: Ne moreris nocte hac in campestribus deserti, sed absque di-
latione transgredere: ne forte absorbeatur rex, & omnis populus, qui cum eo est.
17 Jonathas autem, & Achimaas stabant juxta fontem Rogel: abiit ancilla, & nun-
ciavit eis: & illi profecti sunt, ut referrent ad regem David nuntium: non enim po-
terant videri, aut introire civitatem. 18 Vidit autem eos quidam puer, & indi-
cavit Absalom: illi vero concito gradu ingressi sunt domum cujusdam viri in Bahu-
rim, qui habebat puteum in vestibulo suo, & descenderunt in eum. 19 Tulit au-
tem mulier, & expandit velamen super os putei, quasi siccans ptisanas, & sic la-
tuit res. 20 Cumque venissent servi Absalom in domum, ad mulierem dixerunt:
ubi est Achimaas, & Jonathas? Et respondit eis mulier: Transierunt festinanter,
gustata paululum aqua. At hi, qui quærebant, cum non reperissent, reversi sunt in
Jerusalem. 21 Cumque abiissent, ascenderunt illi de puteo, & pergentes nunciave-
runt regi David, & dixerunt: Surgite, & transite cito fluvium: quoniam hujusce-
modi dedit consilium contra vos Achitophel. 22 Surrexit ergo David, & omnis
populus, qui cum eo erat, & transierunt Jordanem, donec dilucesceret: & ne u-
nus quidem residuus fuit, qui non transisset fluvium. 23 Porro Achitophel videns,
quod non fuisset factum consilium suum, stravit asinum suum, surrexitque, & abiit
in domum suam, & in civitatem suam: & disposita domo sua, suspendio interiit,
& sepultus est in sepulchro patris sui. 24 David autem venit in castra, & Absa-
lom transivit Jordanem, ipse, & omnes viri Israel cum eo. 25 Amasam vero con-
stituit Absalom pro Joab super exercitum. Amasa autem erat filius viri, qui voca-
batur Jetra de Jezraeli, qui ingressus est ad Abigail filiam Naas, sororem Sarviæ,
quæ fuit mater Joab. 26 Et castrametatus est Israel cum Absalom in Terra Ga-
laad. 27 Cumque venisset David in Castra, Sobi filius Naas de Rabbath filio-
rum Ammon, & Machir filius Ammihel de Lodabar, & Berzelai Galaadites de Ro-
gelim, 28 Obtulerunt ei stratoria, & tapetia, & vasa fictilia, frumentum, & hor-
deum, & farinam, & polentam, & fabam, & lentem, & frixum cicer, 29
Et mel, & butyrum, oves, & pingues vitulos, dederuntque David, & populo,
qui cum eo erat, ad vescendum: suspicati enim sunt, populum fame, & siti fati-
gari in deserto.

℣. 1. CONSURGENS PERSEQUAR DAVID HAC NOCTE.] Ex celeritate, ac diligentia plerumque in rebus militaribus victoriæ summa dependet, atque pars est victoriæ hostem suum præoccupasse. *Nihil in discordiis civilibus festinatione tutius, ubi facto potius, quam consulto opus est*. Tacit. hist. l. 1. Achitophel censuit, hac in re mature facto opus esse; si enim & deficienti populo tempus tribueretur animo revolvendi conatum suum adversus suum legitimum Regem, & Davidi conscribendorum militum spatium, & copiis illius facultatem se se colligendi ex eo primo terrore, quem illis novus tumultus repente incusserat, prænoscebat futurum, ut procul dubio Absalonis partes ex se met conciderent; David vero auctis in dies viribus, magis, magisque convalesceret. B *Dabit malorum pœnitentiæ, dabit bonorum consensui spatium; scelera impetu, bona consilia mora valescere*. Tacit. hist. l. 1. apud Grot. Hac de causa suadet, ut ocius contra David arma moveantur, neque illi semet colligendi spatium permittatur. At non permisit Deus, ut ipsius consilium placeret.

℣. 3. REDUCAM UNIVERSUM POPULUM, QUOMODO UNUS HOMO REVERTI SOLET; UNUM ENIM VIRUM TU QUÆRIS, & OMNIS POPULUS ERIT IN PACE.] Hebraicus textus ad literam hæc habet [1]; *Reducam universum populum ad te, quemadmodum reversus est universus populus quem quæris; & omnis populus erit in pace*. Aliqua adest in textu obscuritas, quam gignere videtur quorumdam verborum transpositio. Hic illi sensus tribui potest: Reducam ad C te omnem populum, quem quæris, quemadmodum reversi sunt omnes, qui fuere tecum; & tunc omnis Israel erit in pace. Vel, quin aliqua transferantur: *Reducam ad te universum populum; & tunc omnis populus reversus erit, & homo, quem quæris, omnis populus erit in pace*. Vel juxta Vatablum: *Reducam ad te omnem populum; & tum reliqui omnes reversi erunt ad te, ille quem quæris, decidet ex semel in manus tuas*. Vel: Simul ac ceperimus hominem quem quæris, reliqui omnes nullo negotio revertentur. Vel denique: *Reducam ad te universum populum; & cum hi omnes, quos reverti cupis, redierint, omnis populus erit in pace*. Postrema hæc versio Hebraico textui magis conformis mihi videtur. Septuaginta [2]: *reducam ad te universum populum, veluti conjux revertitur ad virum suum; cæterum quæris animam viri unius, & omnis populus erit in pace*. Chaldæus. *Reducam ad te universum populum*; omnes revertentur ad te, simulac ille, quem quæris, de viventium numero sublatus erit, & omnis populus erit in pace.

℣. 8. AMARO ANIMO, VELUTI SI URSA RAPTIS CATULIS IN SALTU SÆVIAT [3].] Pulchra equidem sententia. Hostis nequaquam in desperationem impellendus est, neque dimicandum cum iis, qui desperato animo aguntur in prælium. Ursæ propter raptos catulos sævientis comparatio vim maximam addit. Martialis:

. . . . rabido nec perditus ore
Fumantem nasum vivi tentaveris ursi,
Sit placidus licet, & lambat digitosque, manusque. E
Si dolor, & bilis, si justa coegeris ira,
Ursus erit.

Scriptura non semel hac utitur similitudine. Dominus minitatur populo suo se venturum adversus illum, velut leonem, & leopardum, & ursam, cui catuli nuper fuerint abrepti, atque se eorum viscera dilaniaturum [4]. Et Sapiens ait, melius esse offendere sævientem ursam, cui rapti fuerint catuli, quam A dementem, qui in sua dementia confidit. Proverb. 17. 12. Vide, si lubet, & Prov. 28. Eccli. 25. 14. Thren. 3. 10.

NON MORABITUR CUM POPULO.] Hebraice [5]: *non transiget noctem cum populo*, non manebit in medio multitudinis sine præsidio; & veritus, ne irruptio noctu fiat, se se aliquo in tutum recipiet. Mallem vero reddere: *haud permittet populo noctem transigere*. Nequaquam credibile est, ipsum pati, ut populus noctem quiescendo transigat, neque illum alicubi consistat, nisi prius in tutum se se receperit.

℣. 9. ET CUM CECIDERIT UNUS QUILIBET IN PRINCIPIO &c.] Si quis e militibus tuis statim ceciderit, vulgabitur, Absalonis aciem fuisse profligatam. Primi eventus magnopere solent animos populorum B afficere; nihil in ipso principio in discrimen adducendum est. Hebraica lectio hoc pacto reddi potest [6]: *& si ceciderit super illos*, si properas irruere in copias David *in hoc principio*, causa tua quocumque victa fuisse feretur.

℣. 11. CONGREGETUR AD TE UNIVERSUS ISRAEL.] Hoc unum curat Chusai, ut temporis spatium lucretur, quo David se communire possit, & copias undequaque colligere, vel saltem, ut priores Absalonis impetus defervescant.

TU ERIS IN MEDIO EORUM.] Tu exercitum tuum duc, milites tuos hortare, eosque præsentia tua in officio coerce [7]: *Et facies tua in prælium procedat*. Milites tuos hortamentis confirma, inter eorum primos ordines versare, dux esto, tumet bel- C lum infer: quo in sensu Deus Moysi dixit Exod. 33. 14. *Facies mea præcedet te*; ego dux ero vester, ego vobis adero.

℣. 12. OPERIEMUS EOS, SICUT CADERE SOLET ROS SUPER TERRAM.] Omnis hæc Oratio Chusai elatior est, atque exaggerationibus referta, ut magis adolescentis Principis ambitioni, ac superbiæ velificetur; horrenda quidem loquitur solùm, irruere, conterere, opprimere, hostem & præsentiæ suæ terrore, & maximo copiarum numero obruere. Exercitus, qui in hostem effunditur, cum rore, qui decidit super terram, collatio haud satis apta, atque rei magnitudini par nobis videbitur, nam in nostra regione ros non tanta in copia depluit, & lapsus adeo sensibilis est, ac in Palæstina, ubi pluviæ perraro æstatis tempore D esse perhibentur, sed ros singulis noctibus labi, ex ferme vehementia, & copia, qua nostris hisce in regionibus pluviæ dilabuntur [8]. Romani *rorarios* vocabant milites leviter armatos, qui primi pugnam inibant, nam illi super hostem decidebant, veluti ros super terram. Plautus in Frivolar. *Ubi Rorarii estis? D. en sumus*.

℣. 13. CIRCUMDABIT OMNIS ISRAEL CIVITATI ILLI FUNES, & TRAHEMUS EAM IN TORRENTEM.] Locutionem hanc, si mavis, capere potes, velut hyperbolem nimis vehementem. Nulla arx erit, nulla mœnia quæ vim nostram ferre queant. Funes, atque uncos turrium pinnis, ac mœnium vertici injiciemus, trahemusque lapides in torrentem. Alibi docuimus [9] olim uti consuevisse quibusdam uncis ad E murorum lapides evellendos. Intelligi quoque potest hic locus de tormentis bellicis, quibus ad urbes oppugnandas utebantur; hæc vero instrumenta funibus, & machinis quibusdam constabant, quarum adminiculo lapides, ac missilia in hostes ejaculabantur. Denique Hebraica vox [10], quæ rudentes, ac funes significat, pro copiis militum nonnumquam usurpatur; ataque verti potest [11]: *Omnis Israel sumet copias, & nos trahemus illam usque in torrentem*. Sed prior explica-

1 ואשיבה כל העם אליך כשוב הכל האיש אשר אתה מבקש כל העם יהיה שלום 2 Ἐπιστρέψω πάντα τὸν λαὸν εἰς σέ. καθὼς ἐπιστρέφει ἡ νύμφη πρὸς τὸν ἄνδρα αὐτῆς, πλὴν ψυχὴν ἀνδρὸς ἑνὸς σὺ ζητεῖς, καὶ παντὶ τῷ λαῷ ἔσται εἰρήνη. 3 כדוב שכול בשדה *veluti ursa sine catulis in agro*. 70. Ὡς ἄρκτος ἠτεκνωμένη, *veluti ursa, cui rapti sunt catuli*. Alius, Ὡς ἄρκτος παροξυμμένη ἐν ἀγρῷ, *veluti ursa furibunda in agris*. 4 Osee 13. 7. 8.
5 ולא ילין את העם 70. Οὐ καταπαύσει τὸν λαόν. 6 והיה כנפל בהם בתחלה 7 ופניך הלכים בקרב Τὸ πρόσωπόν σου πορευόμενον ἐν μέσῳ αὐτῶν. 8 Vide Deuter. 33. 28. Judic. 6. 37. Cantic. 5. 2 Isai. 26. 17.
9 In Dissert. de Veterum Hebræorum militia. 10 ישיאו כל ישראל חבלים וסחבנו אותו עד הנחל
11 Jonath. Mart. Vide 2. Reg. 10. 5. 10.

plicatio magis naturalis videtur.

℣. 14. DOMINI NUTU DISSIPATUM EST CONSILIUM ACHITOPHEL.] Hebraice [1]: *Dominus præcepit, ut consilium Achitophel dissiparetur*. Deus inspiravit Chusai consilium, quod prælatum fuit consilio Achitophel; *Præcepit*, hoc est disposuit mentes, & corda, ita ut monitum Chusai anteferretur. Scriptura semper ad Deum nos deducit; omnia Deo tribuit; hominum facta, & res, quæ nobis indifferentes videntur, ea tantum facie exhibet, qua ad Deum, ac divina consilia referuntur. Sæpius permittit Deus, homines nequam proponere, vel sequi ea consilia, quæ ipsos in perniciem, ac excidium impellunt. *Plerumque, qui fortunam mutaturus est, consilia corrumpit, efficitque, quod miserrimum est, ut quod accidit, etiam merito accidisse videatur, & casus in culpam transeat*. Vellejus Paterc. lib. 2.

B ℣. 15. HOC, & HOC MODO CONSILIUM DEDIT ACHITOPHEL.] Chusai nonne secretum servare tenebatur erga Absalom, qui illum in consilium adhibuerat? Secretum est de jure naturali, illudque prodere nefas est, nisi major urgeat obligatio indissolubilis, & cui satisfieri nequeat, nisi crediti consilii silentium effringas. Chusai consilii Absalonis particeps cum eo fœdus inierat, quo silentium servare tenebatur, sed fœdus, quod cum patria sua, legitimoque Rege, reque publica obierat, prius erat, ac magis solemne. Regem suum servare non poterat, neque civile bellum, & patriæ excidium evitare, quam Absalonis causam evertens, eamque evertere minime poterat, nisi consilia ipsius Davidi prodidisset.

C ℣. 16. NE MORERIS NOCTE HAC IN CAMPESTRIBUS.] Chusai veretur, ut in Achitophel sententiam Absalom abeat, atque noctu in Davidem nil tale expectantem irrumpat; illud igitur suadet, ut trans Jordanem secedat, quem veluti vallum objiciebat inter Absalonem, & David.

℣. 17. JUXTA FONTEM ROGEL.] Videlicet fontem Fullonis situm in agro fullonis, de quo alibi est sermo [2]; hic erat satis prope Jerusalem in orientali plaga.

NON ENIM POTERANT VIDERI, AUT INTRDIRE CIVITATEM.] Hebræus [3]: *Non enim poterant videri, dum ingrederentur civitatem*. Illis interdictum fuerat introire, ne viderentur.

D ℣. 18. QUI HABEBAT PUTEUM IN VESTIBULO SUO.] Hæc erat cisterna, cujus os minime a soli pavimento assurgebat. Juvenes duo in cisternam hanc, quæ aruerat, descenderunt, & mulier super os illius aliquid tritico onustum extendit, quod se radiis solaribus exsiccandum objecisse simulabat. Hoc pacto quisnam divinare potuisset illic cisternam delitescere? In simili cisterna arenti Joseph demissus fuerat Genes. 37. 24.

℣. 19. QUASI SICCANS PTISANAS.] Triticum, vel hordeum pila tusum [4], & cui gluma fuerat detracta. In Levitico adnotavimus id genus frumenti iis in regionibus maximopere in usu fuisse positum. Ad solem, vel ignem siccabatur, inde in patella torrebatur, ac superius oleo perfundebatur. Theodotion E [5]: *Quasi siccans ficus*.

℣. 20. TRANSIERUNT FESTINANTER GUSTATA PAULULUM AQUA.] Hebraice [6]: *aquæ rivum traduxerunt*; vel *traduxerunt rivum*. Septuaginta [7]: *transierunt parum aquæ*.

℣. 22. TRANSIERUNT JORDANEM DONEC DILUCESCERET, & NE UNUS QUIDEM RESIDUUS FUIT.] A Jerusalem ad Jordanem, qua spectat Mahanaim, viginti circiter intersunt leucæ. David, & milites illius iter hoc absolverunt diei unius, & noctis spatio, quod discessum ipsorum de Jerusalem consecutum est. En Hebraicum textum ad litteram: *Traduxerunt Jordanem usque ad diem mane, usque dum ne unus quidem reliquus fuit, qui illum non transmisisset*.

℣. 23. DISPOSITA DOMO SUA, SUSPENDIO INTERIIT.] Hebræus [8]: *Disposita domo sua, præcluso spiritu se interemit*. Non desunt, qui putent angina suffocatum fuisse [9]; vel dolore, ac rabie extinctum fuisse, jornitum Absalonis partes ire pessum propter inexperti hujus Principis imprudentiam. Alii putant, ad illius imperium ab aliquo ex domesticis suis jugulatum fuisse. Sed communior Interpretum est sententia, semet suspendio enecasse desperatione adactum, cum videret futurum ut, si Davidi vires recipiendi spatium daretur, Absalom interiret. Proditor hic Judam Iscariotem sectatorem habuit, cujus in proditione typus exstiterat. Mirum est, virum adeo industrium, qualis erat Achitophel, sibi suspendio mortem conscivisse; verum Deus Sapientum hujus mundi Sapientiam confundit, ac eam dementiam esse demonstrat. Notari isthic potest tunc temporis Hebræos haud sepultura privare, vel infami turpitudinis vitio notare consuevisse illos, qui in se cruentas manus immitterent; nam Achitophel pacate fuit in patris sui sepulchro tumulatus. Josephus l. 3. c. 11. de Bello inquit, illos, qui sibi mortem intulere, invisos esse & Deo, & hominibus, ac a Moyse usque ad Solis occasum tumulo privari, licet permittat, hostes quoque in prælio cæsos sepeliri. Nullam tamen hac de re Moysis Legem invenimus. Itaque juxta Josephum, illi, qui sibi vitam eripuerant, pœna eadem afficiebantur, ac illi, qui in supplicio affecti in crucem acti, vel de patibulo suspensi fuerint, propter eorum flagitia, Deuter. 21. 22.

℣. 24. DAVID VENIT IN CASTRA,] hoc est in *Mahanaim* urbem trans Jordanem ad torrentem Jaboc positam. Vulgatæ Auctor [10] crebro civitatis hujus nomen reddit *castra*, quæ est Hebraicæ vocis Mahanaim litteralis significatio.

ABSALOM TRANSIVIT JORDANEM.] Dici nequit, quandonam ille fluvium transiverit; sed plane aliquot diebus distulit, donec copiæ, quas opperiebatur, adfuissent: David interim auxiliares collegit manus; & Rex idem Ammonitarum cum exercitu suo illum invisit [11].

℣. 25. AMASA FILIUS JETRA DE JESRAELI, QUI INGRESSUS EST AD ABIGAIL FILIAM NAAS SORORREM SARVIÆ, QUÆ FUIT MATER JOAB.] Hoc pacto Amasa Davidis consanguineus erat in eodem gradu, quo Joab, hoc est illius erat nepos; nam illi duarum sororum filii erant Abigail, & Sarviæ. At hæc Genealogia difficultate non caret. Jetra, qui isthic Jesraelita dicitur ex tribu Issachar, in 1. Paralip. 2. 17. *Ismaelita* vocatur, nec non in Hebraico, & Septuaginta loci hujus textu [12] scribitur *Israelita*. Varietates hæ haud sunt inauditæ. At quemadmodum Abigail, & Sarvia sorores sunt, cum Abigail filia fuerit Naas, Sarvia vero filia Isai? Duo huic difficultati respondemus. Primum quidem Naas, & Isai eumdem esse; quod nequaquam rarum est inter Hebræos. Septuaginta [13] isthic legunt Isai pro Naas, atque isthic eamdem tribuit Genealogiam Naas; quam primus Paralipomenon liber. 2. 13. 15. 16. tradunt Isai. Secundo vero, *Naas* nomen esse unius uxoris Isai, quæ duas peperit filias, alteram quidem Sarviam matrem Joab, alteram vero Abigail Matrem Amasæ, utramque sororem David. At opinio, quæ affert, Naas, & Isai unum esse, & eumdem, probatior est, ac plures asseclas jactat.

℣. 27. SOBI FILIUS NAAS DE RABBATH.] Hic fuisse perhibetur Rex Ammonitarum, filius Naas illius,

1 ויהוה צוה להפר את עצת אחיתופל 2 4. Reg. 18. 17. Isai. 7. 3. & 36. 2. 3 כי לא יוכלו להראות לבוא העירה 4 הריפות 5 Ἐψύχει ἐπ' αὐτῷ παλάθας. Aqu. Sym. Πτισάνην. *Grana contusa*. 6 עברו מיכל המים Forte. מיכל המים 7 70. Παρῆλθον μικρὸν τοῦ ὕδατος. 8 ויצו אל ביתו ויחנק 70. Ἀπήγξατο. 9 Quidam Hebr. ap. Sanct. Vide Differtat. Gronov. de Juda proditore. 10 Vide supra 2. Reg. 2. 29. 11 Mox ℣. 27. 12 ישראלי 70. Ἰσραηλίτης. 13 70. Edit. Complut. Ἰεσσαί. Aliæ Edit. Ναάς,

lius, qui amicus fuerat David, & frater *Hannon* illius, qui in se bellum illud converterat, de quo superius locuti sumus [1]. Judæi putant, *Sobi* Israelitam fuisse, qui sedem suam posuerat in Rabbath, ex quo civitas hæc a David capta fuerat. A

MACHIR.] Hic est idem *Machir* filius *Ammiel*, qui domi suæ habebat Miphiboseth, antequam hunc David in Jerusalem accerseret 2. Reg. 9. 4.

BERZELLAI.] De hoc sermo erit cap. 19. 31.

℣. 28. STRATORIA [2].] Ea omnia, quæ ad cubandum sunt necessaria, cubilia, pelles, stragula, vestes &c. Septuaginta Editionis Romanæ, *decem cubilia ex duplici latere villosa*; vel stragula villosa utrimque.

TAPETIA.] Hebraicum nomen [3] a Chaldæo [4], pluribusque Interpretibus recentioribus *lagenæ* redditur, vel pocula, aut vasa ad liquores capiendos. Sed Septuaginta, Symmachus, Syriaca versio, & Arabica non secus ac Vulgata pro tapetis stant. Editio vero Romana habet: *decem lebetes*. B

VASA FICTILIA.] Vile munus quolibet alio tempore, sed in præcipiti adeo fuga, in qua omnibus indigebant, nihil aptius, neque acceptius esse poterat. Nulla hic apparent magnificentiæ vestigia; at hanc tempus illud non requirebat; cæteroquin vasa e pretiosis metallis conflata tunc temporis parato inveniebantur, quibus in mensa & culina uterentur.

FARINAM, & POLENTAM.] Prior authographi vox [5] farinam generatim significat, altera vero [6] triticum, hordeum, vel aliud grani genus, aut leguminis tosti. Nomen hoc bis occurrit in hoc loco: isthic redditur *polenta*, secundarium hordei, vel alius C grani exsiccati, ac tosti; at inferius paullo redditur *frictum cicer*. Viatores, qui Orientis regiones peragrarunt, docent, in Æthiopia, cum quis iter ingreditur, hordei aliquantum cum sibi comparare solere [7]. Turcæ vulgo orizam præparatam, & folliculis exutam, vel farinam deferunt [8]. In Ægypto cicer in patella frictum afferunt [9]. Athenæus l. 2. Dipnosoph. c. 13. 14. quoque palam ostendit, quomodo Veteres his leguminibus frequenter uterentur; hæc enim & recentia adhuc, & assa manducabant. Vide quæ dixerim in caput 2. ℣. 14. libri Ruth. Hebraica vox *Kali* proprie *tostum* dumtaxat significat; at additur hordeo, orizæ, tritico, ciceri, fabis; quoniam hæc omnia torrebantur, atque in itinere deferebantur. Vide Mart. Malvend. Bochart. de Animal. sacr. tom. 2. l. 1. c. 9.

B ℣. 29. ET PINGUES VITULOS.] Hebraice [10]; *elevationes boum*, quod explicari potest de bobus forma præstantibus, pulcherrimis, atque e grege pinguissimis. Plerique recentiorum Interpretum [11] reddunt *caseos bubalos*, qui vocantur *elevationes boum* vel vaccarum ab ipsorum elata forma, vel quod percolantur, depurantur, ac separantur a sero lactis. Hebraica vox *schapha* inter alia *colare* significat.

SUSPICATI SUNT POPULUM FAME, & SITI FATIGARI IN DESERTO.] Populus non erat amplius in deserto; nam David cum manu virorum suorum in Mahanaim pervenerat ℣. 24. 27. Itaque vertendum esset: *Suspicati sunt, populum fame, & siti fatigatum in deserto*: vel isthic extra proprium locum refertur, C quod contigerat, dum adhuc in Deserto David permaneret.

1 2. Reg. 10. Vide Sanct. Tirin. Men. Mar. 2 משכב 70. Κοίτας. Edit. Nobil. Δέκα κοίτας ἀμφιτάπους. 3 ספות 70. Ἀμφιτάπους. Sym. Ὑποστρώματα. 4 קילין 5 קמח 6 קלי Aqu. Sym. φρυκτόν. 70. Ἄλφιτον. 7 Relatio Æthiopiæ. 8 Busbequ. Ep. 3. 9 Bellon. l. 2. c. 53. Prosper. Alpin. de Medic. Ægypt. l. 1. c. 10. 10 שפות בקר Theod Γαλαθηνὰ μοσχάρια, vitulos adhuc lactantes; vitulos pingues. 11 Pag. Munst. Castal. Malv. Jonath. Boch. de animal. sacr. tom. 2. l. 1. c. 32.

CAPUT XVIII.

Victoria exercitus David contra Absalonem. Absalom fugiens de arbore suspenditur, & a Joab confoditur. David mortem illius luget.

1. IGitur considerato David populo suo constituit super eos tribunos, & centuriones, Anno M. 2985.
2 Et dedit populi tertiam partem sub manu Joab, & tertiam partem sub manu
Abisai filii Sarviæ fratris Joab, & tertiam partem sub manu Ethai, qui erat de
Geth: dixitque rex ad populum: Egrediar & ego vobiscum. 3 Et respondit populus:
Non exibis: sive enim fugerimus, non magnopere ad eos de nobis pertinebit: sive media
pars ceciderit e nobis non satis curabunt: quia tu unus pro decem millibus computaris:
melius est igitur, ut sis nobis in urbe præsidio. 4 Ad quos rex ait: Quod vobis
videtur rectum, hoc faciam. Stetit ergo rex juxta portam: egrediebaturque populus
per turmas suas, centeni, & milleni. 5 Et præcepit rex Joab, & Abisai, & Ethai,
dicens: Servate mihi puerum Absalom. Et omnis populus audiebat præcipientem
regem cunctis principibus pro Absalom. 6 Itaque egressus est populus in campum
contra Israel, & factum est prælium in saltu Ephraim. 7 Et cæsus est ibi populus Israel
ab exercitu David, factaque est plaga magna in die illa, viginti millium. 8 Fuit autem
ibi prælium dispersum super faciem omnis terræ, & multo plures erant, quos saltus
consumpserat de populo, quam hi, quos voraverat gladius in die illa. 9 Accidit autem,
ut occurreret Absalom servis David, sedens mulo: cumque ingressus fuisset mulus
subter condensam quercum & magnam, adhæsit caput ejus quercui; & illo suspenso

inter

inter cœlum, & terram, mulus, cui infederat, pertranfivit. 10 Vidit autem hoc
quifpiam, & nunciavit Joab, dicens: Vidi Abfalom pendere de quercu. 11 Et ait
Joab viro, qui nuntiaverat ei: Si vidifti, quare non confodifti eum cum terra, &
ego dediffem tibi decem argenti ficlos, & unum balteum? 12 Qui dixit ad Joab:
Si appenderes in manibus meis mille argenteos, nequaquam mitterem manum meam
in filium regis: audientibus enim nobis præcepit rex tibi, & Abifai, & Ethai, di-
cens: Cuftodite mihi puerum Abfalom. 13 Sed & fi feciffem contra animam meam
audacter, nequaquam hoc regem latere potuiffet, & tu ftares ex adverfo. 14 Et
ait Joab: Non ficut tu vis, fed aggrediar eum coram te. Tulit ergo tres lanceas in
manu fua, & infixit eas in corde Abfalom: cumque adhuc palpitaret hærens in quer-
cu, 15 Cucurrerunt decem juvenes armigeri Joab, & percutientes interfecerunt eum.
16 Cecinit autem Joab buccina, & retinuit populum, ne perfequeretur fugientem If-
rael, volens parcere multitudini. 17 Et tulerunt Abfalom, & projecerunt eum in
faltu, in foveam grandem, & comportaverunt fuper eum acervum lapidum magnum
nimis: omnis autem Ifrael fugit in tabernacula fua. 18 Porro Abfalom erexerat fi-
bi, cum adhuc viveret, titulum, qui eft in Valle regis: dixerat enim: Non habeo fi-
lium, & hoc erit monimentum nominis mei. Vocavitque titulum nomine fuo, & ap-
pellatur Manus Abfalom, ufque ad hanc diem. 19 Achimaas autem filius Sadoc,
ait: Curram, & nunciabo regi, quia judicium fecerit ei Dominus de manu inimico-
rum ejus. 20 Ad quem Joab dixit: Non eris nuntius in hac die, fed nuntiabis in
alia: hodie nolo te nuntiare, filius enim regis eft mortuus. 21 Et ait Joab Chufi:
Vade, & nuntia regi, quæ vidifti. Adoravit Chufi Joab, & cucurrit. 22 Rurfus au-
tem Achimaas filius Sadoc dixit ad Joab: Quid impedit, fi etiam ego curram poft
Chufi? Dixitque ei Joab: Quid vis currere, fili mi? non eris boni nuntii bajulus.
23 Qui refpondit: Quid enim fi cucurrero? Et ait ei: Curre. Currens ergo Achi-
maas per viam compendii, tranfivit Chufi. 24 David autem fedebat inter duas por-
tas: fpeculator vero, qui erat in faftigio portæ fuper murum, elevans oculos, vidit
hominem currentem folum. 25 Et exclamans indicavit regi: dixitque rex: Si folus
eft, bonus eft nuntius in ore ejus. Properante autem illo, & accedente propius, 26
Vidit fpeculator hominem alterum currentem, & vociferans in culmine, ait: Apparet
mihi alter homo currens folus. Dixitque rex: Et ifte bonus eft nuntius. 27 Spe-
culator autem, Contemplor, ait, curfum prioris, quafi curfum Achimaas filii Sadoc.
Et ait rex: Vir bonus eft, & nuntium portans bonum venit. 28 Clamans autem
Achimaas, dixit ad regem: Salve, rex. Et adorans regem coram eo pronus in ter-
ram, ait: Benedictus Dominus Deus tuus, qui conclufit homines, qui levaverunt ma-
nus fuas contra dominum meum regem. 29 Et ait rex: Eftne pax puero Abfalom!
Dixit Achimaas: Vidi tumultum magnum, cum mitteret Joab fervus tuus, o rex,
me fervum tuum: nefcio aliud. 30 Ad quem rex: Tranfi, ait, & fta hic. Cumque
ille tranfiffet, & ftaret, 31 Apparuit Chufi: & veniens ait: Bonum apporto nuntium,
domine mi rex: judicavit enim pro te Dominus hodie de manu omnium, qui furrexe-
runt contra te. 32 Dixit autem rex ad Chufi: Eftne pax puero Abfalom? cui refpon-
dens Chufi, Fiant, inquit, ficut puer inimici domini mei regis, & univerfi, qui con-
furgunt adverfus eum in malum. 33 Contriftatus itaque rex, afcendit cœnaculum por-
tæ, & flevit: Et fic loquebatur vadens: Fili mi Abfalom, Abfalom fili mi: quis mihi
tribuat, ut ego moriar pro te, Abfalom fili mi, fili mi Abfalom?

℣. 1. CONSIDERATO DAVID POPULO SUO CONSTITUIT SUPER EOS TRIBUNOS.] Conftituit capita millium, inquit Hebraicus textus. Hinc liquet, exercitum illius plurimis militibus abundaffe; divifit enim illum tribus Imperatoribus, quorum fingulis duces alii fuberant, qui & millibus, & centum militibus imperabant. Jofephus Antiqu. l. 7. c. 9. quatuor millia tantum in illius acie virorum fuiffe tradit; verum [1] creditur exercitus illius longe major fuiffe; & procul dubio numquam minus conferuiffet, fi adeo viribus inferior præ hofte fuiffet. Vide ℣. 4. Debuit autem plures Duces in eorum fubrogare locum, qui in partibus Abfalonis dimicabant.

℣. 3. QUIA TU UNUS PRO DECEM MILLIBUS COMPUTARIS.] Hebraice [2]: *Et modo tu es, veluti nos decem mille*. Tu vales tamquam decem mille fimiles nobis. Vel juxta alios [3]: fe nihil profeciffe putabunt, *nifi ceciderint decem mille, fimiles noftri*. Aliter: *In urbe remanens, effe nequis tanto præfidio nobis, quam fi nobis*

1 Grot. Sanct. 2 כי עתה כמנו עשרה אלפים Vulgata & Septuaginta legerunt אתה *tu* pro עתה *nunc*. Symmach. Σὺ ὡς ὑμεῖς δέκα χιλιάδες. 3 Jun. Pifc. Buxtorf. Hebr. in Vatab.

si nobis decem millium virorum auxiliares copias tribueres. Chaldæus intelligit de precibus David, quæ pro illorum causa ad instar decem millium virorum valebant. Verti quoque potest: *Et modo sumus circiter decem virorum millia*.

℣. 4. STETIT REX JUXTA PORTAM.] Hebraice [1]: *Stetit ad manum portæ*. Septuaginta [2]: *ad latus portæ*, in loco ad latus portæ, ubi jus dicebatur. Infra ℣. 24. liquet ipsum sedisse *inter duas portas*, atque in superiori parte, aulam fuisse, quo ascendit ut Absalonis mortem lacrymis prosequeretur. David igitur cessit ducum suorum consilio, & cum quorumdam militum præsidio perstitit in Mahanaim, ut si exercitus illius fusus, fugatusque esset, non ideo spes omnia interiret, seque ad meliorem occasionem reservaret: *Dubiis præliorum exemptus, summæ rerum, & imperii se ipsum reservaret*, inquit Tacitus Annal. 1. de Othone scribens.

℣. 5. SERVATE MIHI PUERUM ABSALOM.] Hebraice [3]: *Leniter, quæso, erga filium meum Absalom*. Illum clementer excipite [4], vitæ illius parcite, sanguinem haud effundite, oro vos, atque obtestor. Versiculo 12. ubi reperitur illud idem, quod isthic legimus: *Custodite mihi puerum Absalom*. Servate mihi Absalom, cavete, ne ab ullo confodiatur. Hebraice [5]: *cavete ne quis illum illic petat* &c.

℣. 6. FACTUM EST PRÆLIUM IN SALTU EPHRAIM.] Hic saltus haud procul aberat a Mahanaim; vocatur autem saltus Ephraim, non quod in cognomine tribu esset, sed propter victoriam quam de Zeb, & Zebee retulit Gedeon [6] Ephraimitarum ope; vel propter aliud quid, quod ibi contigit in eo certamine inter Ephraimitas, & Jephte, Judic. 12.

℣. 8. FUIT IBI PRÆLIUM DISPERSUM;] Hoc est: Milites Absalom in fugam acti post pugnam undique dispersi fuere. Ad literam [7]: *Prælium dispersum fuit super faciem universæ terræ*. Textus autem duplicem inferre sensum potest: Utraque acies manus conseruit, ac prælium edidit, qua late patet ea regio: ubique pugnatum est. Vel cædes generalis fuit; exercitus Absalom ubique cæsus, ubique fusus, fugatusque est.

MULTO PLURES ERANT, QUOS SALTUS CONSUMSERAT, QUAM HI, QUOS VORAVERAT GLADIUS.] Alii quidem periere in præcipitibus locis, ac in præruptis nemoris rupibus; alii vero capti, & enecati fuerunt in sentibus, ad instar ferarum, quos venatores capiunt; alii fugientium pedibus pertracti, atque obtriti in clausis, impeditisque saltus ambagibus. Denique alii vel vulnere inflicto, vel fame, & siti perierunt in saltu, quin illis opem quis ferre posset. Josephus quoque l. 7. c. 9. asserit longe plures in fuga, ac præcipiti recessu in hoc saltu, inhospitisque, ac deviis locis, periisse, quam qui in prælio ceciderant. Chaldaica versio, Syriaca, Arabica, & Rabbini, inquiunt plures a feris in saltu, quam gladio in pugna absumptos fuisse. Quod intelligi de illis tantum potest, qui temere in nemora delapsi, ac errore viarum decepti a feris vorati fuerunt.

℣. 9. ACCIDIT, UT OCCURRERET ABSALOM SERVIS DAVID.] Davidis copiæ eos insectantes, qui fugerant, Absalonem de arbore pendentem invenere. Dicitur [8] autem capillis suis suspensus fuisse, qui cum promissi, ac densi forent, in quercus ramis irretiti diutius pendentem Absalom detinuere. Verum haud ita fidei consonum videtur, virum armorum pondere gravem diutius hoc pacto pendere posse, atque capillos ipsius ita implicari, ut diutius corporis pondus ac armorum, & ejusdem motum, quo præ nimio dolore agitabatur, sustinerent. Itaque Scriptura non ait ipsum capillis, sed *capite* pependisse: *Adhæsit caput ejus quercui*. Currens caput inter duos ramos illisit, qui ad collum ipsius ita in arctum coacti sunt, ut inde nequiverit se exsolvere, neque manibus uti, ut se liberaret [9].

MULUS CUI INSEDERAT PERTRANSIVIT.] Veteribus neque stapedes erant, neque ephippia ad equitandum, neque firmi adeo equis poterant insidere. Absalom forte muli habenas dimisit, ut se exsolveret, cum se captum sensit, atque interim mulus aufugit.

℣. 10. VIDI ABSALOM PENDERE DE QUERCU.] Ibi igitur aliquandiu pependit; namque nuntium afferri potuit ad Joab, atque ille illuc proficisci, ut ipse suo illum jaculo transverberaret.

℣. 11. DEDISSEM TIBI DECEM ARGENTI SICLOS, & UNUM BALTEUM.] Decem argenti sicli Gallicæ monetæ libræ sunt circiter sexdecim (quatuor sc. Romana scutata.) Balteus erat inter arma pars ferme præcipua, ac locupletissima. Jonathas suum balteum Davidi dedit in amicitiæ pignus [10]: Ajax vero Hectori suum [11]. Deus *balteum Regum dissolvit*, inquit Job 12. 18. *& præcingit fune renes eorum*. Dedecus erat, ac militare supplicium balteo exui. Parthi balteorum pretio, ac luxu insignes erant. Claudianus de Raptu Proserp. lib. 2.

Parthica quæ tantis variantur cingula gemmis.

Romani quoque prisci nobiles deferebant balteos, & bullis laminisque argenteis distinctos [12].

Balteus & notis fulserunt cingula bullis.

℣. 13. SI FECISSEM CONTRA ANIMAM MEAM AUDACTER.] Hebraice [13]: *fecissem mendacium contra animam illius*. Illi vitam ademissem noxæ reus, & contra Regis imperium, quem certo sciebam, hoc prohibuisse. Vel juxta aliam legendi rationem, quam Septuaginta, & Vulgata secuti sunt: *Voluissem ne mendacium admittere contra animam meam?* Ego ne tale scelus patrarem, ut me in vitæ discrimen adducerem, si Rex hoc audivisset? Septuaginta [14]: *Quomodonam facerem injustitiam contra animam meam?*

TU STARES EX ADVERSO.] Vel cum interrogatione: *causam meam suscepisses adversus illum?* Hebraica lectio verti potest [15]: *eris procul a me*. Me in periculo impeditum deseres.

℣. 14. NON SICUT TU VIS; SED AGGREDIAR EUM CORAM TE.] Hebraice [16]: *Ego neque coram te cessabo*. Non tantum mihi erit indulgentiæ, ac tibi; cum te coram confodiam. Septuaginta [17]: *hac de causa ego ipse incipiam coram te*. Chaldæus: *Credis ne, me illic coram te cunctaturum?*

CUMQUE ADHUC PALPITARET.] Hebraicus textus superioribus adjungi potest: *Tribus telis illum confodit, cum adhuc viveret*, cum nondum, ex quo suspensus fuerat, vita excessisset. Quæritur utrum Joab noxie occiderit Absalonem contra explicitum Davidis edictum. Respondetur autem [18] Joab hac in re debuisse potius illud animo reputare, quod Reipublicæ, ac Regis ipsius intererat, quam Principis hujus voluntatem, atque jussa, quæ palam justitiæ severitati, ac salutis ipsius bono adversabantur. Absalom perfidus erat, rebellis, & perniciosissimus Reipublicæ hostis. Dei legibus capite damnabatur, tum quod filius adversum Patrem rebellis [19], tum quod incesti Reus [20]. Regis imperata nequaquam fieri debebant hac in re, in qua se majorem habere testabatur

rationem

1 ויעמד על יד השער 2 Παρὰ τὸ κλίτος τῆς πύλης. 3 לאט לי לנער לאבשלום
4 Φείσασθέ μοι τοῦ παιδαρίου Ἀβεσσαλώμ. 5 שמרו מי בנער באבשלום
6 Judic. 7. & 8. 7 ותהי שם המלחמה נפצת על פני כל הארץ 8 Ita interp. passim.
9 Chrysost. sive quis alius Auctor Homil. de Absalom. persequ. Theodoret. qu. 25. Vide Sanct. hic.
10 1. Reg. 18. 4. *Dedit ei usque ad balteum*. 11 Homer. Iliad. H. 12 Virgil. Vide Lips. Analect. ad Milit. Rom. Dialog. 1. 13 או עשיתי בנפשו שקר 14 Καὶ πῶς ποιήσω ἐν τῇ ψυχῇ μου ἄδικον. Alia Exemplaria. Ἐν ψυχῇ αὐτοῦ. *Contra animam suam*. 15 ואתה תתיצב מנגד
16 לא כן אחילה לפניך 17 Διὰ τοῦτο ἐγὼ ἄρξομαι ἐνώπιόν σου, 18 Vide Grot. hic & in ℣. 9.
19 Deuter. 21. 18. 20 Levit. 18. 29

rationem privatis ipsius studiis, quam communi sub- A ditorum utilitati. Laudibus semper celebrati fuere patres, qui patriam charitatem reipublicæ bono litarunt. His rationibus impelli debuit Joab, ut Absaloni inferret necem, tamquam & Regis, & patriæ proditori. Adolescens hic regius mortem meritus fuerat, ex quo Amnonem interfecerat; quamvis summa Regis indulgentia, quæ umquam fingi potest, in ipsius gratiam redierat, tamen in ipsum arma distrinxerat, atque ad summum iniquitatis apicem pervenerat. Quid boni ex simili ingenio poterat expectari? Quænam aderat spes, fore ut ad bonam frugem revocaretur?

℣. 15. DECEM JUVENES ARMIGERI JOAB.] Cur tot armigeros haberet Joab, non video. Abimelech [1], Jonathæ [2], Sauli [3], & Goliath [4] unus tantum ar- B miger præsto erat. Scriptura quidem Armigerorum Joab [5] nomina prodit; verum numeri hujus Armigerorum decem aliud in Scriptura, quod sciam, exemplum non suppetit.

℣. 17. COMPORTAVERUNT SUPER EUM ACERVUM LAPIDUM.] Hoc ipsum super corpus Achan, qui in valle Achor lapidibus obrutus fuerat, effectum est [6]. Absalom nequaquam elatus est in tumulum, qui illi paratus fuerat. Quocumque consilio acervus hic lapidum congestus fuerit super eum, hoc semper in æternum illius dedecus cedit, quandoquidem hoc defectionis illius, ac ultionis Divinæ perenne extitit monumentum. In sacra, & prophana historia paucos inveneris adeo facinorosos, ac impios, qualis fuit Absalom; & si prava historiæ exempla inservire præ- C sertim debent, ut a vitio abhorrere discamus, ac funestos illius effectus effugere, Absalom equidem suppeditabit, & unde horrore afficiamur, & unde edoceamur. Princeps hic filius patris inter cæteros suavissimi, atque elementissimi, Davidis lenitate, ac indulgentia abutitur, ut contra illum arma capiat, illi bellum indicat, illum de regno deturbet, illumque summo dedecore afficiat. At Deus, qui scelera impune abire non patitur, Absalonis mentem perturbat, ita ut meliora sequioribus consilia posthabeat. Hic temere prælium init; & postquam exercitum suum cædi, fundique intuitus est, Dei manu vivus adhuc arbori infelici suspenditur inter cœlum, & terram, æque utrique perosus. Hostes illius ipsi manum inferre cunctantur, ut majori cum dolore intereat; & D summa parentis charitas, quæ obtestatur, ut filio vita servetur, ad id unum valet, ut illius perfidia, ac scelus magis elucescat, atque ut illum per omne ævum omnes magis oderint, & perhorrescant.

Persecutio, ac defectio filii hujus a natura abhorrentis adversus parentem suum, est fortasse inter figuras Judaicæ persecutionis adversum Jesum Christum maxime insignis. David ejicitur a filio, quem benefactis cumulaverat, & qui juxta ordinem naturæ ipsi in Regnum successurus erat, pro illo deprecatur, imperat, ne ipsi parcatur, ob illius interitum dolore afficitur, vitam suam pro ipso effundere postulat: quæ omnia nobis exhibent Jesum Christum E ejectum, agitatum, cruci affixum a Judæis, qui se Regni Cœlorum hæredes ferebant. Pro illis orat, pro eorumdem redemptione sanguinem, & vitam impendit. At hic ingratus impiusque populus, cum jam ad cumulum sua flagitia provexerit, tandem propter inobedientiam, ac perduellionem mulctatur. Cæsus, fusus, deletus, dissipatus, exagitatus ubique, ad hanc quoque diem est veluti cœlum inter & terram suspensus, æque & iræ cœli, & Nationum contemptus objectum.

℣. 18. ABSALOM EREXERAT SIBI TITULUM, QUI EST IN VALLE REGIS.] Scriptura nos admonet Absalonem monumentum hoc extruentem id cogitasse, ut nomini suo immortalitatem compararet, eo quod filios non haberet. Tunc forte tres illius filii, quos capite 14. ℣. 27. vidimus, decesserant; hoc pacto Divina providentia humanæ illudit superbiæ. Hodie quoque in valle Josaphat ostenditur monumentum, quod Absalonis fuisse perhibetur [7]. Hoc autem in cubiculi formam scalpro incisum est in solida rupe penitus a monte semota, ac disjuncta octo passibus in quadrum extrinsecus. Interior cubiculi pars lævis est; at exterior facies columnis quibusdam ex eodem marmore ornata est; superior vero, vel tectum in formam altæ lateque pyramidis ad modum vasis exurgit; altitudo vero operis totius quatuor, vel quinque est expedatum. Omnes, qui prætergrediuntur, tam infideles, quam Christiani, viri, mulieres, & pueri lapidem in hunc tumulum injiciunt in odium defectionis Absalom. Josephi ævo [8] Absalonis monumentum conspiciebatur ad duo stadia, vel trecentos passus ab Jerusalem. Hoc autem unica erat marmorea columna, ideoque omnino alia ab eo, quod hodie viatoribus ostenditur, monumento. Hic autem Historicus credit, tres Absalonis filios adhuc vixisse, ac eorum patrem dum columnam hanc poneret, dixisse; licet filii sui interirent, nomen tamen ipsius æternum eo in monimento fore duraturum. Alii [9] putant, eam ipsum erexisse, cum nondum genuisset filios.

C MANUS ABSALOM.] Opus illius; opus manuum suarum. Aliter, locus illius [10], monumentum suum; vel locus, ubi specimen ediderat virtutis suæ, magnificentiæ suæ, manus suæ. Legimus in Hebraico textu cap. 15. ℣. 12. primi Regum libri [11], *Saulem sibi erexisse manum in monte Carmelo*, quod Vulgaræ Auctor de arcu triumphali intellexit, vel de monumento victoriæ illius adversus Amalecitas. Hebræi [12] putant Absalonem de quercu, unde pependerat, solutum, tempus obtinuisse, ut hoc monumentum extrueret, quod vocatum fuit *Manus Absalom*, quia ibi manum jusserat insculpi.

℣. 21. AIT JOAB CHUSI: VADE.] Hic non est *Chusi*, vel *Chusai* Arachites, amicus David. Hic erat homo quidam sine nomine, sine distinctione, vel D forte Arabs, aut Æthiops [13]; nam *Cuschi* Æthiopem significat.

℣. 22. NON ERIS BONI NUNTII BAJULUS.] Haud decere putabatur, quod honestus homo funestum nuntium afferret. Hæc fuit omnium populorum, omniumque temporum sententia [14]. Hebraicus textus ad litteram [15]; *nihil tibi proderit hoc nuntium*. Nullam remunerationem accipies, operam perdes. Vel: *Hoc nuntium non te decet; occasio haud opportuna est*.

℣. 24. DAVID SEDEBAT INTER DUAS PORTAS.] Quemadmodum populi conventus habebatur ad portam civitatis; ita aderat spatium tectum non ita modicæ magnitudinis, ut capere posset populum, qui illuc coi- E bat; & consequenter duo aderant portæ, altera interior, quæ urbem, exterior altera, quæ agrum spectabat. Hoc spatium Sacer Auctor *porta manum* ℣. 4. appellat, & *portæ medium* 2. Reg. 9. ℣. 18. & 3. Reg. 3. 27. Prope hanc portam aderat forum, *platea portæ* 2. Paralip. 32. 6. & Job 29. 7. *Quando procedebam ad portam civitatis, & in platea parabam cathedram mihi*.

SPECULATOR IN FASTIGIO PORTÆ SUPER MURUM.] Super portam aderat aula, vel cubiculum, super quod solarium humili muro circumseptum, quemadmodum in aliis regionis illius ædificiis. In hoc solario,

---

1 Judic. 9. 54. 2 1. Reg. 14. 1. 3 1. Reg. 16. 21.
4 1. Reg. 17. 7. 5 2. Reg. 23. 37. & 1. Par. 11. 39. 6 Josue 7. 26.
7 Doubdan Itiner. Terræ Sanctæ pag. 15. 8 Joseph. Antiqu. l. 7. c. 9.
9 Sanct. & Tirin. 10 Vide Deuter. 23. 12. in ℣. 4. Jonath. Gror. &c.
11 מציב לו יד 12 Author. Tradit. Hebr. in lib. Reg. hic. 13 Grot. Jun. Vatab.
14 Vide 3. Reg. 2. 42. 43. 15 ולכה אין בשרה מצאת 70. Καὶ ἐστι ἂν ἐστιν εὐαγγέλιον εἰς ὠφέλειαν πορευομένῳ.

lario; vel forte in statione super hunc murum posita aderat speculator.

℣. 25. SI SOLUS EST, BONUS EST NUNTIUS.] Si enim victi fuissent, turmatim, ac palati rediissent.

℣. 29. VIDI TUMULTUM MAGNUM ... NESCIO ALIUD.] Hoc est mendacium; noverat enim mortem Absalonis ℣. 19, 20. 22. &c.

℣. 33. ASCENDIT COENACULUM PORTÆ.] Vide ℣. 24.

QUIS MIHI TRIBUAT, UT EGO MORIAR PRO TE.) David cogitabat æternam Absalonis calamitatem, qui eo in statu occubuerat, qui nonnisi maximas,

A certissimasque ingerere poterat sollicitudines huic patri pro salute sui filii. David statim ac intellexit primum filium, quem illi pepererat Bethsabee, interiisse, lugere desiit; certus enim erat salutis illius; sed plorat Absalonis cædem; scit enim, quænam supplicia maneant animam tot criminibus obrutam [a]. Hoc vero illum præsertim angit, quod se ipsum, velut primam originem, vel saltem veloci occasionem considerat tot malorum, quæ suæ familiæ contigerant; ea namque effectus erant, & suorum flagitiorum supplicia.

a Theodor. qu. 35. August. l. 3. de Doctrina Christ. & lib. 22. c. 66. contra Faust. & Ambros. de obitu Valent. Vide Sanct. hic.

CAPUT XIX.

David commotus verbis Joab se se populo ostendit. Tribus Juda adit illum, ut eum in Jerusalem reducat; qui parcit Semei, redditque Miphiboseth dimidium bonorum ipsius, quæ prius dono dederat Sibæ. Valedicit Berzellai. Contentio inter decem tribus Israel, & tribum Juda circa Regis reditum.

1. NUntiatum est autem Joab, quod rex fleret, & lugeret filium suum: 2 Et
versa est victoria in luctum in die illa omni populo: audivit enim populus in
die illa diei: Dolet rex super filio suo. 3 Et declinavit populus in die illa
ingredi civitatem, quomodo declinare solet populus versus, & fugiens de prælio. 4
Porro rex operuit caput suum, & clamabat voce magna: Fili mi Absalom, Absalom fili mi. 5 Ingressus ergo Joab ad regem in domum, dixit: Confudisti hodie vultus o-
mnium servorum tuorum, qui salvam fecerunt animam tuam, & animam filiorum tuorum, & filiarum tuarum, & animam uxorum tuarum, & animam concubinarum tuarum.
6 Diligis odientes te, & odio habes diligentes te: & ostendisti hodie, quia non curas
de ducibus tuis, & de servis tuis: & vere cognovi modo, quia si Absalom viveret,
& omnes nos occubuissemus, tunc placeret tibi. 7 Nunc igitur surge, & procede, &
alloquens satisfac servis tuis: juro enim tibi per Dominum, quod si non exieris, ne
unus quidem remansurus sit tecum nocte hac: & pejus erit hoc tibi, quam omnia ma-
la, quæ venerunt super te, ab adolescentia tua usque in præsens. 8 Surrexit ergo rex,
& sedit in porta: & omni populo nuntiatum est, quod rex sederet in porta: venitque
universa multitudo coram rege: Israel autem fugit in tabernacula sua. 9 Omnis quo-
que populus certabat in cunctis tribubus Israel, dicens: Rex liberavit nos de manu ini-
micorum nostrorum, ipse salvavit nos de manu Philisthinorum: & nunc fugit de terra
propter Absalom. 10 Absalom autem, quem unximus super nos, mortuus est in bel-
lo: usquequo siletis, & non reducitis regem? 11 Rex vero David misit ad Sadoc, &
Abiathar sacerdotes, dicens: Loquimini ad majores natu Juda, dicentes: Cur venitis
novissimi ad reducendum regem in domum suam? (Sermo autem omnis Israel pervene-
rat ad regem in domo ejus.) 12 Fratres mei vos, os meum, & caro mea vos, qua-
re novissimi reducitis regem? 13 Et Amasæ dicite: Nonne os meum, & caro mea es?
Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, si non magister militiæ fueris coram me omni tem-
pore pro Joab. 14 Et inclinavit cor omnium virorum Juda, quasi viri unius: mise-
runtque ad regem, dicentes; Revertere tu, & omnes servi tui. 15 Et reversus est
rex: & venit usque ad Jordanem, & omnis Juda venit usque in Galgalam, ut occurre-
ret regi, & traduceret eum Jordanem. 16 Festinavit autem Semei filius Gera, filii Je-
mini de Bahurim, & descendit cum viris Juda in occursum regis David. 17 Cum mil-
le viris de Beniamin, & Siba puer de domo Saul: & quindecim filii ejus, ac viginti

servi

servi erant cum eo : & irrumpentes Jordanem, ante regem. 18 Transierunt vada, ut
traducerent domum regis, & facerent juxta jussionem ejus : Semei autem filius Gera
prostratus coram rege, cum jam transisset Jordanem, 19 Dixit ad eum : Ne reputes
mihi, Domine mi, iniquitatem, neque memineris injuriarum servi tui in die, qua egres-
sus es, domine mi rex, de Jerusalem, neque ponas rex in corde tuo. 20 Agnosco e-
nim servus tuus peccatum meum : & idcirco hodie primus veni de omni domo Joseph,
descendique in occursum domini mei regis. 21 Respondens vero Abisai filius Sarviæ,
dixit : Numquid pro his verbis non occidetur Semei, quia maledixit christo Domini ?
22 Et ait David : Quid mihi, & vobis, filii Sarviæ ? cur efficimini mihi hodie in sa-
tan ? ergone hodie interficietur vir in Israel ? an ignoro hodie me factum regem super
Israel? 23 Et ait rex Semei : Non morieris. Juravitque ei. 24 Miphiboseth quo-
que filius Saul descendit in occursum regis, illotis pedibus, & intonsa barba, vestesque
suas non laverat a die, qua egressus fuerat rex, usque ad diem reversionis ejus in pace.
25 Cumque Jerusalem occurrisset regi, dixit ei rex : Quare non venisti mecum, Miphi-
boseth? 26 Et respondens ait : Domine mi rex, servus meus contempsit me : dixi-
que ei ego famulus tuus, ut sterneret mihi asinum, & ascendens abirem cum rege :
claudus enim sum servus tuus. 27 Insuper & accusavit me servum tuum ad te do-
minum meum regem : tu autem, domine mi rex, sicut angelus Dei es, fac, quod pla-
citum est tibi. 28 Neque enim fuit domus patris mei, nisi morti obnoxia domino meo
regi : tu autem posuisti me servum tuum inter convivas mensæ tuæ : quid ergo habeo
justæ querelæ ? aut quid possum ultra vociferari ad regem? 29 Ait ergo ei rex: Quid
ultra loqueris ? fixum est, quod locutus sum : tu, & Siba dividite possessiones. 30
Responditque Miphiboseth regi : Etiam cuncta accipiat, postquam reversus est domi-
nus meus rex pacifice in domum suam. 31 Berzellai quoque Galaadites, descendens
de Rogelim, traduxit regem Jordanem, paratus etiam ultra fluvium prosequi eum. 32
Erat autem Berzellai Galaadites senex valde, idest, octogenarius, & ipse præbuit alimen-
ta regi, cum moraretur in Castris : fuit quippe vir dives nimis. 33 Dixit itaque rex
ad Berzellai : Veni mecum, ut requiescas securus mecum in Jerusalem. 34 Et ait Ber-
zellai ad regem : Quot sunt dies annorum vitæ meæ, ut ascendam cum rege in Jerusa-
lem? 35 Octogenarius sum hodie ; numquid vigent sensus mei ad discernendum sua-
ve, aut amarum ? aut delectare potest servum tuus cibus, & potus ? vel audire pos-
sum ultra vocem cantorum, atque cantatricum ? quare servus tuus sit oneri domino
meo regi? 36 Paululum procedam famulus tuus ab Jordane tecum : non indigeo hac
vicissitudine, 37 Sed obsecro, ut revertar servus tuus, & moriar in civitate mea, &
sepeliar juxta sepulchrum patris mei, & matris meæ. Est autem servus tuus Chamaam,
ipse vadat tecum, domine mi rex, & fac ei, quidquid tibi bonum videtur. 38 Dixit
itaque ei rex : Mecum transeat Chamaam, & ego faciam ei, quidquid tibi placuerit,
& omne, quod petieris a me, impetrabis. 39 Cumque transisset universus populus,
& rex Jordanem, osculatus est rex Berzellai, & benedixit ei : & ille reversus est in
locum suum. 40 Transivit ergo rex in Galgalam, & Chamaam cum eo, omnis au-
tem populus Juda traduxerat regem, & media tantum pars adfuerat de populo If-
rael, 41 Itaque omnes viri Israel concurrentes ad regem dixerunt ei : Quare te fu-
rati sunt fratres nostri viri Juda, & traduxerunt regem, & domum ejus Jordanem,
omnesque viros David cum eo ? 42 Et respondit omnis vir Juda ad viros Israel :
Quia mihi propior est rex : cur irasceris super hac re ? numquid comedimus ali-
quid ex rege, aut munera nobis data sunt ? 43 Et respondit vir Israel ad viros
Juda, & ait : Decem partibus major ego sum apud regem, magisque ad me per-
tinet David, quam ad te : cur fecisti mihi injuriam, & non mihi nunciatum
est priori, ut reducerem regem meum ? Durius autem responderunt viri Juda
viris Israel,

℣. 1. DECLINAVIT POPULUS INGREDI CIVITATEM [1].] Hebraicus textus : *Et furatus se se est populus, ut ingrederetur civitatem*. Ingressus est, sed furtim. Aliter ; se se furatus est, neque est ausus ingredi civitatem. Quilibet domum suam dilapsus est, quin ad regem accederet. At prior sensus magis est litteralis. Ex decursu liquet, populum quidem introiisse in

1 ויתגנב העם לבוא העיר. 70. *Διεκλέπτετο*. Alius ; *Διεσώζετο*. *Se sejunxit*.

ſe in urbem, ſed ſilenter, ſine ſtrepitu.

℣. 4. OPERUIT CAPUT SUUM.] Velut in luctu. Supra cap. 15. 30.

ABSALOM FILI MI.] Hebraice: *Abſalom fili mi, fili mi Abſalom, fili mi*. Vide ſupra caput 18. 30. Hæ repetitiones funebrium Canticorum ſunt propriæ. Virgilius Eclog. 5.

Daphnimque tuum tollemus ad aſtra
Daphnim ad aſtra feremus, amavit nos quoque Daphnis.

℣. 5. CONFUDISTI VULTUS OMNIUM SERVORUM TUORUM.] Pudore operuiſti omnes ſervos tuos affligens te, atque te clauſum detinens; perinde ac officium, quod tibi præſtiterunt, tibi minime acceptum fuerit, illorumque fidea inviſa. Dum eos cum hilaritate deberes excipere, & gratum animum teſtari, illis videndi vultus tui denegas conſolationem. Hebræi ſæpius utuntur verbo confundendi, ut ſignificent res aliter, quam quomodo quis exiſtimabat, cedere. *Confuſi ſunt agricolæ*, inquit Joel 1. 11 *ululaverunt vinitores ſuper frumento, & hordeo, quia periit meſſis, vinea confuſa eſt, & ficus elanguit . . . confuſum eſt gaudium a filiis hominum*. Joab ex eorum numero erat, qui maxima benefacta nimis ſuperba jectatione corrumpunt; & dum quantum ipſis debeatur, conantur oſtendere, beneficii gratiam amittunt [1]. Hic loquitur Davidi ea animi elatione, quæ non dicam ſubditum erga Principem, ſed neque amicum erga amicum decet [2]. *Odioſum eſt ſane genus hominum officia exprobrantium, quæ meminiſſe debet is, in quem collata ſunt; non commemorare, qui contulit*.

℣. 7. ALLOQUENS SATISFAC SERVIS TUIS.] Hebraice [3]: *loquere ad cor ſervorum tuorum*. Gratioſe, humaniter coram illis alloquere; teſtare gratiam tuam erga illorum officium; ac pollicere, te illorum memorem fore.

℣. 8. ISRAEL AUTEM FUGIT.] Qui Abſalonem ſecuti fuerant, poſt cladem illius fugam corripuerunt.

℣. 10 USQUEQUO SILETIS?] Quid expectatis, quid inertes nullum conſilium capitis? *Tacere* ſæpius ſignificat quieſcere: *Sol tace*, dicebat Juſue 10. 12. *Ne ſileas, Domine*, inquit Pſalmiſta Pſal. 34. 22. *Ne diſcedas a me*.

℣. 11. CUR VENITIS NOVISSIMI?] David, ſcitus quidem politicus, diſſimulat crimen, quod tribus Juda patrarat, temere Abſalonis partes ſecuta: vult tamen quædam illis innuere, ut ſibi ipſos reconciliet. Eos autem ab honeſto redarguit, *Cur venitis noviſſimi?* Sinetis ab aliis tribubus, vos præverti, quæ præſto ſunt, ut me in Jeruſalem deducant?

℣. 13. ET AMASÆ DICITE: NONNE OS MEUM, ET CARO MEA ES?] Amaſa erat nepos David, & filius Abigail ſororis ipſius. Abſalom eum copiarum ducem conſtituerat. Haud ignorabat David, quanti eſſet momenti, ut omnes rebellionis reliquias extingueret, illi caput adimere, quo ali potuiſſent. Amaſæ igitur pollicetur, ſe illum exercitui ſuo præfecturum pro Joab. Hic enim ob nimiam impotentiam ferri non poterat. Credidit David, Amaſam mitiorem fore, præſertim poſt ſcelus, quod admiſerat, & poſt ſceleris veniam, quam Rex illi conceſſerat. Minime dubio locus eſſe poteſt, quin ſincere voluntas fuerit Davidi promiſſorum fidem præſtandi. Amaſæ provinciam mandavit cogendi copias Juda, eaſque agendi adverſum Seba, filium Bocri [4]. Sed cum Joab per proditionem [5] illum enecaſſet, et-

A que ipſe exercitus regundi munus ſubiiſſet, David nequit amplius illi abrogare imperium, præſertim poſt recens meritum, quo in ditionem illius univerſum Iſrael redegerat; quod ſequenti capite videbimus.

℣. 14 INCLINAVIT COR OMNIUM VIRORUM JUDA.] Amaſa Davidis illectus humanitate, & oblationibus captus, quas illi Rex fecerat, univerſum Judam conciliavit Regi. Hic naturalis eſt ſenſus. Nonnulli hæc verba Davidi referunt, qui ad ſe inclinavit cor omnium virorum Juda per ſummam clementiam, qua eoſdem fuerat elloquutus; alii vero ea ad Deum referunt hujus immutationem auctorem.

℣. 15. OMNIS JUDA VENIT USQUE IN GALGALAM.] B Illic ex omnibus civitatibus tribus convenere, ac deinde Jordanem verſus proceſſere, qua Rex flumen erat traducturus; nam illi tranſeunti tulerunt opem, quemadmodum infra verſic 40. videbimus.

℣. 16. FESTINAVIT SEMEI . . . . . (17.) CUM MILLE VIRIS DE BENIAMIN.] Hic eſt ille Semei, qui mille imprecationes in David evomuerat, cum Rex hic aufugerat. Ut crimen ſuum delere adniteretur, feſtinavit, ut coram Rege accederet, prior Jordanem tranſmittit, & ducit ad illum mille viros e tribu ſua; ex quo conjicere licet non mediocrem fuiſſe hominis dignitatem, ac fuiſſe unum ex capitibus tribus, vel magnæ cujuſdam familiæ; *Principem mille*.

C ℣. 18. TRANSIERUNT VADA, UT TRADUCERENT DOMUM REGIS.] Plures Interpretes Hebraicum textum reddunt [6]: *traduxerunt ratem, ut domum Regis tranſmitterent*. Egerunt ratem ad ulteriorem fluminis ripam, ut Regem, omnemque illius catervam trajicerent.

℣. 20. PRIMUS VENI DE OMNI DOMO JOSEPH.] Semei nequaquam erat de familia Joſeph; neque enim erat ex tribu vel Ephraim, vel Manaſſe; cur igitur Davidi jactitat, *ſe primum veniſſe de omni domo Joſeph?* Reſponderi poteſt, ipſum domum Joſeph pro toto Iſrael accipere, veluti a Juda diſtincto, qui plerumque ſeorſum unum efficit corpus. Itaque verum eſt, poſt tribum Juda ipſum primum fuiſſe ex reliquis tribubus Iſrael, quæ Regem convenD iſſent. Negari profecto nequit [7] *Joſeph* in hoc ſenſu ſæpe uſurpari. Verum ego ita Hebraicum textum reddere mallem [8]: *Veni ante totam domum Joſeph* [9], antequam aliæ tribus Iſrael acceſſerint, ut te ad regnum revocarent. Sic præſagiunt Romanæ Editionis [10], *ante totam domum Iſrael, & Joſeph*. At Complutenſis Editio habet ſimpliciter. *Ante domum Joſeph*.

℣. 22. CUR EFFICIMINI MIHI HODIE IN SATAN.] Vel in hoſtes mihi? Ita quoque Chriſtus Jeſus dicebat Petro eum detinenti, ne evolaret ad crucem Matth. 16. 23. *Vade poſt me Satana*. Vox hæc Hebraice adverſarium ſignificat, eum proprie loquendo, qui adverſus alium perorat, qui in jus vocat, qui ei dicam intendit [11]; atque inde nomen hoc Dæmoni inditum fuit, qui Juſtorum omnium accuſator E eſt, atque adverſarius. Apocal. 12. 10. *Projectus eſt accuſator fratrum noſtrorum, qui accuſabat illos ante conſpectum Dei noſtri*.

AN IGNORO HODIE ME FACTUM REGEM SUPER ISRAEL.] Diem hanc nullius ſupplicio funeſtari volo. Hæc eſt veluti prima dies, qua ad Regni ſolium evectus ſum. Antiquitus carceres vacui fieri ea die conſueverant, que Reges imperium adibant.

1 Tacit. de primo Antonio lib. 4. Hiſt. *Immodicus linguæ, obſequii inſolens, nimius commemorandis quæ meruiſſet*. 2 Cicero de Amicitia. 3 דבר על לב עבדיך
4 Vide cap. 20. verſic. 14. 5 Ibid. ℣. 9. 10. 6 ועברה העברה לעביר את בית המלך. 70. Καὶ διέβη ἡ διαβάσις τοῦ διαβιβάσαι τὸν οἶκον τοῦ βασιλέως. 7 Vide Pſal. 79. 1. 80. 6. 76. 16. Zach. 10. 6.
8 הנה באתי היום ראשון לכל בית יוסף
9 Ita Jonat. Syr. Arab. Jun. Malv. 10 Πρότερος παντὸς Ἰσραὴλ καὶ οἴκου Ἰωσήφ.
11 Vide 2. Par. 22. 1. & 1. Eſdr. 4. 6. Pſal. 108. 6. Zach. 3. 1. 2.

Noxios ad eædem trahi diebus solemnitatum, religio erat; & novimus in Paschatis festivitate Prætorem Judææ flagitiosi cujusdam viri populi arbitrio vitam donasse Matth. 27. 15. Ita quoque in Augusti Imperatoris gratiam *observatum est, ne quoties inveheret urbem, supplicium de quoquam sumeretur*; Sveton. in Augusto c. 57.

℣. 23. NON MORIERIS.] David summa religione juramenti fidem servavit. Nullas umquam de Semei pœnas sumpsit. Verum quidem est, antequam diem obiret, Salomoni dixisse, ne crimen Semei impune abire pateretur [1]; sed Salomon ipse hanc rationem habuit iis, quæ David fuerat pollicitus Semei, ut nequaquam hujus sanguinem effuderit; sed dumtaxat illum coegerit in Jerusalem morari, quin illic egrederetur. Semei Regi minime paruit, & occisus fuit. At hoc neque ex mandato, neque ex consilio David effectum est; sed eo quod Salomonis imperium contempserit; & licet hic Princeps illum sustulisset statim post patris decessum, non ideo tamen pravæ fidei, vel injustitiæ esset insimulandus. Patris juramentum ad hæredem non transit, saltem ni peculiaris aliqua adsit causa, propter quam obligatio a jurantis persona migret in posteros [2]. *Juramentum, ubi alia causa non subest, personam jurantis non egreditur, neque hæredem obligat*. Verum quidem est, quemadmodum hæres obtinet jura, & fruitur bonis illius, a quo scriptus est hæres, ita illi esse onera subeunda, ad quæ scriptor tenebatur. At hoc de illis tantum oneribus est intelligendum, quæ bonis ipsius adhærent, non autem de illis, quæ personam respiciunt, & quæ Dei causa, & pietatis ratione contraxerat [3].

℣. 24. ILLOTIS PEDIBUS, ET INTONSA BARBA.] Balneis abstineri, ac præcipue pedum ablutione magnæ erat species mortificationis, ac luctus nota. Hebræi barbam abradebant a labro superiori ad genas; non autem barbam menti, & a mento ad aures. Hanc igitur partem, quam Judæi abscindere consueverant, Miphiboseth haud præsecuerat. Alioquin patet, Lege cautum [4], ne sibi barbam in luctus signum abraderent, tunc præsertim cum istud in inanium Deorum honorem fieret. Ita hoc tum apud Hebræos, cum apud Romanos æque lugubre erat, & barbam, capillosque penitus secare, & utrumque negligenter promittere, quin comeretur.

Hebraice ad litteram [5]: *Non fecerat pedes suos, neque habebat labrum suum*. Auctor Traditionum Hebraicarum in libros Regum, post Rabbinos ait, Miphiboseth haud habuisse pedes suos fictitios, vel ligneas tibias per illud temporis spatium, quo abfuit a David. Alii [6] putant, Principem hunc abstinuisse tantummodo a pedibus suis abluendis; quod crebro Judæi facere consueverant propter putorem, qui ipsis naturalis est, veluti effectus quidam corporum ipsorum affectionis, non secus ac Arabum, aliorumque quorumdam populorum. Quare apud Veteres vocantur *fætentes* [7]; & quidam Patres credidere putorem hunc illi baptismate ademptum fuisse [8].

Septuaginta Romanæ Editionis habent [9]: *unquaquam sibi pedes abluerat, neque ungues præsecuerat, nec mystaces abraserat*, hoc est labrum superius. Hebraicus textus, Vulgata, & Septuaginta Complutensis editionis unguium non meminere.

℣. 25. CUMQUE JERUSALEM OCCURRISSET REGI.] Hinc videretur Miphiboseth aliunde accessisse Jerusalem, ut Regem venerabundus adiret; liquet tamen ipsum plerumque hac in urbe commoratum fuisse, ac a Siba fuisse accusatum, eo quod Davidem fugientem prosequi noluerit [10]. Vertendus igitur esset hoc pacto textus Hebraicus [11]: *Et cum egressus esset de Jerusalem, ut occurreret Regi*. Vel, *& cum Regi occurrisset Jerusalem ingredienti*.

℣. 27. TU AUTEM SICUT ANGELUS DEI.] Tu sapientiæ, ac prudentiæ numeris omnibus absolutus; & ita mihi non licet conqueri de iis, quæ præcepisti.

℣. 28. NEQUE ENIM FUIT DOMUS PATRIS MEI, NISI MORTI OBNOXIA.] Propter rationem, qua avus meus egit adversus te; vel quod domus mea caput fuerit inimicorum tuorum, tuum erat, belli jure, omnem Saulis domum perdere, veluti perduellionis noxiam adversum te.

℣. 29. TU, ET SIBA DIVIDITE POSSESSIONES.] Rectumne est hoc judicium? David Sibæ criminationibus deceptus temere nimia illi domini ipsius bona tribuerat; nunc facti veritatem intelligit, vel saltem causam habet suspicandi Sibam calumniæ reum, illum præsertim videns nihil ad ea respondentem, neque ausum refellere dicta Miphiboseth: tamen quin ulterius diligentiori examine rem scrutaretur, relinquit Sibam possessorem dimidii, quod illi dono dederat, dum illum capite debebat plectere, si convictus fuisset falso nomine dominum suum detulisse. Nequit ergo excusari David de tribus criminibus erga Miphiboseth. Primum, quod inconsulto nimis crediderit delatum crimen contra illum; secundo, quod omnia accusati bona calumniatori donaverit; tertio, quod servum minime punierit, ac Sibæ reliquerit dimidium eorum, quæ primum illi tribuerat [12]. Nonnulli [13], ut Davidem crimine absolvant, arbitrantur, ipsum alia reposuisse Miphiboseth bona pro illis, quæ Sibæ dono dederat: alii [14] volunt Davidem hoc in loco antiquasse cessionem, quam Sibæ fecerat, atque iterum dedisse Miphiboseth hæreditatis suæ omnimodam possessionem; ita tamen ut de procuratoris munere Siba minime dejiceretur [15]. At hæc verba: *Tu, & Siba dividite possessiones*, possuntne hoc pacto naturaliter explicari?

℣. 31. BERZELLAI TRADUXIT REGEM JORDANEM PARATUS ETIAM ULTRA FLUVIUM PROSEQUI EUM.] Bonus hic senex traduxit fluvium, quemadmodum refertur ℣. 39. atque ulterius paruper etiam prosecutus est: tunc a Rege discedendi facultatem obtinuit, atque mirabili sinceritate dixit, se nullam habere amplius posse partem, atque nimis ævo confectum esse, quam ut Aulæ voluptatibus frui possit.

℣. 37. SERVUS TUUS CHAMAAM.] Creditur hic filius fuisse Berzellai; at Scriptura hoc nomine eum minime appellat.

℣. 40. MEDIA TANTUM PARS ADFUERAT DE POPULO ISRAEL.] David haud operæ pretium censuit opperiri, donec tribus omnes ad illum accessissent, verum iter suscepit, simulac Amasa ad ipsum tribum Juda deduxit. Studium, quo Rex præ cæteris hanc tribum est prosequutus, reliquarum suscitavit invidiam, & prope fuit, ut acrior civilis iniretur pugna, quam quæ mox fuerat depugnata.

℣. 42. QUARE TE FURATI SUNT?] Perinde ac ipsorum dumtaxat Rex esses? Cur eum citra Jordanem traduxerunt, quin certiores fieremus & nos, vel

1 3. Reg. 2. 8. 9. *Tu noli pati eum esse innoxium .... deducesque canos ejus cum sanguine ad inferos*.
2 Grot. hic. 3 Idem de jure Belli, & Pacis lib. 2. cap. 13. ar. 17.
4 Levit. 21 5. Vide, quæ diximus in Dissertatione de Chamos.
5 ולא עשה רגליו ולא עשה שפמו 6 Vide Sanct. hic. 7 Martial. l. 4. e. 4. *Quod siccæ redolet palus lacunæ .... Quod jejunia Sabbatariorum ...., Mallem quam quod oles, olere, Bassa*, Ammianus l. 2. de Marco Imp. *Cum Palæstinam transiret, fætentium Judæorum, & tumultuantium sæpe tædio percitus*, &c.
8 Vide Basnag. hist. Jud. 2. l. p. 194. 195. 9 Καὶ οὐκ ἐθεράπευσε τοὺς πόδας αὐτοῦ, οὐδὲ ὠνυχίσατο, οὐδὲ ἐποιήσατο τὸν μύστακα αὐτοῦ. 10 Supra c. 16. 3. 11 ויהי כי בא ירושלם לקראת המלך
12 Vide, si lubet, Lyr. Menoch. Est. Grot. Cornel. 13 Sanct. 14 Jun. Malv. 15 ℣. 9. 10.

vel saltem quin nos expectarent? Commendabilis fane æmulatio ab eorum amore, & benevolentia erga suum Regem profecta.

℣. 42. NUMQUID COMEDIMUS ALIQUID EX REGE, AUT MUNERA NOBIS DATA SUNT?] Num propter utilitatis spem venimus, ut Regem quæreremus? Cur invidetis iis, quæ fecimus; perinde ac aliquid inde fructus percepissemus? Quid hæc res vobis obest? Quid inde emolumenti cessisset vobis, si ocyus adfuissetis? Num aliquid præ vobis profecimus?

℣. 43. DECEM PARTIBUS MAJOR EGO SUM APUD REGEM.] Sumus decem tribus adversus unam. Potuissent etiam dicere, se duodecim esse tribus adversus unam, atque ideo honorem deducendi Regem ad ipsos potiori jure, quam ad unam tribum Juda A spectasse. Re quidem minime verum est, decem tribus Israel ad tribum Juda, habita virium, ac multitudinis ratione fuisse, velut decem ad unum. Juda dumtaxat pluribus prævalebat tribubus; verum confitendum est, tribum Juda longe minorem fuisse reliquis aliis simul sumptis: quam ob rem Israelitæ conquerebantur.

ET NON MIHI NUNTIATUM EST PRIORI?] Hebraicus textus verti potest [1]: *Nonne ego primus locutus sum, ut reducerem Regem?* Verum quidem est, decem tribus Israel incœpisse miscere sermones de Rege reducendo, antequam Juda ad officium rediisset; quapropter David misit, qui huic tribui dicerent: *Cur venitis novissimi ad reducendum Regem in domum suam?*

---

1 ולא היה דברי ראשון לי להשיב את מלכי

CAPUT XX.

Seba filius Bochri sollicitat Israel contra David. Amasa præficitur delectui habendo militum Juda. Joab, & Abisai contra Sebam movent castra. Amasa a Joab interficitur. Abela obsidetur, Seba occiditur, & caput illius per murum dejicitur.

1. Accidit quoque, ut ibi esset vir Belial, nomine Seba, filius Bochri, vir Jeminæus, & cecinit buccina, & ait: Non est nobis pars in David, neque hæreditas in filio Isai: revertere in tabernacula tua, Israel. 2 Et separatus est omnis Israel a David, secutusque est Seba filium Bochri: viri autem Juda adhæserunt regi suo a Jordane super Jerusalem. 3 Cumque venisset rex in domum suam
in Jerusalem, tulit decem mulieres concubinas, quas dereliquerat ad custodiendam
domum, & tradidit eas in custodiam, alimenta eis præbens: & non est ingressus ad
eas, sed erant clausæ usque in diem mortis suæ in viduitate viventes. 4 Dixit autem rex Amasæ: Convoca mihi omnes viros Juda in diem tertium, & tu adesto
præsens. 5 Abiit ergo Amasa, ut convocaret Judam, & moratus est extra placitum, quod ei constituerat rex. 6 Ait autem David ad Abisai: Nunc magis afflicturus est nos Seba filius Bochri quam Absalom: tolle igitur servos domini tui, &
persequere eum, ne forte inveniat civitates munitas, & effugiat nos. 7 Egressi sunt
ergo cum eo viri Joab, Cerethi quoque, & Phelethi: & omnes robusti exierunt de
Jerusalem ad persequendum Seba filium Bochri. 8 Cumque illi essent juxta lapidem
grandem, qui est in Gabaon, Amasa veniens occurrit eis. Porro Joab vestitus erat
tunica stricta ad mensuram habitus sui, & desuper accinctus gladio dependente usque ad ilia, in vagina, qui fabricatus levi motu egredi poterat, & percutere. 9
Dixit itaque Joab ad Amasam: Salve, mi frater. Et tenuit manu dextera mentum Amasæ, quasi osculans eum. 10 Porro Amasa non observavit gladium, quem habebat Joab, qui percussit eum in latere, & effudit intestina ejus in terram, nec secundum vulnus apposuit, & mortuus est. Joab autem, & Abisai frater ejus, persecuti sunt Seba filium Bochri. 11 Interea quidam viri cum stetissent juxta cadaver
Amasæ, de sociis Joab, dixerunt: Ecce, qui esse voluit pro Joab comes David. 12
Amasa autem conspersus sanguine, jacebat in media via. Vidit hoc quidam vir, quod
subsisteret omnis populus ad videndum eum, & amovit Amasam de via in agrum,
operuitque eum vestimento, ne subsisterent transeuntes propter eum. 13 Amoto
ergo illo de via, transibat omnis vir sequens Joab ad persequendum Seba filium Bochri. 14 Porro ille transierat per omnes tribus Israel in Abelam, & Bethmaacha:
omnesque viri electi congregati fuerant ad eum. 15 Venerunt itaque, & oppugnabant eum in Abela, & in Bethmaacha, & circumdederunt munitionibus civitatem,
& obsessa est urbs: omnis autem turba, quæ erat cum Joab, moliebatur destruere muros,

muros. 16 Et exclamavit mulier sapiens de civitate : Audite, audite, dicite Joab :
Appropinqua huc, & loquar tecum. 17 Qui cum accessisset ad eam, ait illi : Tu
es Joab ? Et ille respondit : Ego. Ad quem sic locuta est : Audi sermones ancillæ
tuæ. Qui respondit : Audio. 18 Rursumque illa, Sermo, inquit, dicebatur in ve-
teri proverbio : Qui interrogant, interrogent in Abela : & sic perficiebant. 19 Non-
ne ego sum, quæ respondeo veritatem in Israel, & tu quæris subvertere civitatem,
& evertere matrem in Israel ? Quare præcipitas hæreditatem Domini ? 20 Respon-
densque Joab, ait : Absit, absit hoc a me : non præcipito, neque demolior. 21
Non sic se habet res, sed homo de monte Ephraim Seba, filius Bochri cognomi-
ne, levavit manum suam contra regem David : tradite illum solum, & recedemus a
civitate. Et ait mulier ad Joab : Ecce caput ejus mittetur ad te per murum. 22
Ingressa est ergo ad omnem populum, & locuta est eis sapienter : qui abscissum ca-
put Seba filii Bochri projecerunt ad Joab, & ille cecinit tuba, & recesserunt ab ur-
be, unusquisque in tabernacula sua : Joab autem reversus est Jerusalem ad regem.
23 Fuit ergo Joab super omnem exercitum Israel : Banajas autem filius Jojadæ super
Cererhæos, & Phelethæos. 24 Aduram vero super tributa : porro Josaphat filius
Ahilud a commentariis. 25 Siva autem, scriba : Sadoc vero, & Abiathar, sacerdo-
tes. 26 Ira autem Jairites erat sacerdos David.

℣. 1. SEBA .... VIR JEMINÆUS.] Quis fuerit hic Seba ex hac tantum historia didicimus ; summa alioquin præditum fuisse decet auctoritate in Israel, ut repente populum adversus Davidem concitaret.

NON EST NOBIS PARS IN DAVID.] Formula consueta in his occasionibus ad innuendum, nos nullam habere velle partem, vel nihil commune cum aliquo. Vide 3. Reg. 12. 16. Act. 8. 21.

℣. 2. A JORDANE USQUE JERUSALEM.] Certamen primum exarserat paullo post Jordanis transitum inter tribum Juda, aliasque ; verum inde alio secesserant ; Juda deduxit Regem usque in Jerusalem ; aliæ vero tribus seorsim dilapsæ sunt ; præter electorum militum manum, quæ secuta est Sebam usque in Abelam.

℣. 3. ERUNT CLAUSÆ USQUE IN DIEM MORTIS SUÆ.] Eas repudiare noluit, eo quod invitæ peccassent ; neque eas habuit amplius veluti uxores, B nam pollutæ erant habita illius ratione, atque censebantur veluti nurus ipsius, eo quod Absalom iisdem fuisset abusus [1] ; itaque eas seorsim in tuto clausit, quin usque in diem mortis illarum egredi ipsis liceret. Hæc procul dubio erat pœna, sed levis sane mulieribus, & ea in regione ubi nonnisi parraro prodeunt. Judæi docent Reginas viduas Regum Hebræorum ad alteras nuptias migrare minime potuisse [2] ; quod ipsum minime licuisse constat veterum Hispaniæ Regum viduis. Concilio decimo tertio Toletano can. 3. cavetur, ne iterum nubant, & Concilium Cæsaraugustanum can. 5. eas sæcularibus ornamentis exuit, atque in cœnobium aliquod eas secedere cogit. Tanta erat Regum reverentia, vel metus, ne qui viduam Regis duceret, aliquid contra C Reipublicæ pacem moliretur.

℣. 4. DIXIT REX AMASÆ : CONVOCA MIHI OMNES VIROS JUDA IN DIEM TERTIUM.] David nunc eoram, quæ supra Amasæ pollicitus fuerat, se illum exercitui suo præfecturum, fidem præstat. At Deus minime passus est, ipsum hoc munere fungi. Rex videns ipsum statuto tempore nequaquam adesse, misit Abisai, & Joab contra defectionis auctorem, quos cum Amasa consecutus esset in Gabaon, ibi per proditionem a Joab fuit interfectus.

℣. 8. JOAB VESTITUS ERAT TUNICA STRICTA AD MENSURAM HABITUS SUI, &c.] Hebraice [3] : *Joab cinctus erat veste, qua indutus erat, & super vestem accinctus erat gladio, qui pendebat ad latus illius.* Reor autem hoc significare, Joab præter consuetas ve- D stes zona præcinctum fuisse, unde gladius ad renes pendebat, Hebræi vulgo super femur gladium gestabant ; at in hac occasione Joab ensem altius, & ad renes præcinxerat. Hic autem minime adnexus erat, ac insertus magno illi balteo, quem de humeris demittebant ; verum super zonam erat, & super latera. Ob id fortasse hoc adnotat Scriptura [4], ut causam innuat, quæ gladium de vagina emisit ; quod modo videndum est.

IN VAGINA, QUI FABRICATUS LEVI MOTU EGREDI POTERAT, & PERCUTERE.] Gladius hic in vagina ampla quiescebat, ut haud ægre posset educi, Hebraice [5] ; *Egressus est, & cecidit*, Gladius de theca exiit, & cecidit eodem momento, quo Joab se inclinavit, ut Amasæ officiosus occurreret. Joab illum de terra sustulit, eumque manu tenens ad Amasam accessit, illius mentum mulcet, amplectiturque, ac simul, pugione quem manu tenebat, illum confodit. Chaldæus autumat Joab ipsum cecidisse, *offendit, & cecidit*. Alii vertunt : Joab *egressus est*, & gladius *cecidit*. Prius sane verbum Hebraice in masculino, alterum in muliebri est genere, uti gladius quoque. Sed quoties Hebræi exactam hanc generum distinctionem negligunt ? Narrationis decursus nos ad priorem sententiam deducit. Quomodo enim Abasa fidem habuisset Joab, si eum intuitus esset gladium distringentem, ac nudato pugione accedentem ? At supposito, quod ensis ceciderit, ipsumque, sine ullo consilio in speciem, sustulerit, potuit Amasa ad hoc animum non advertere, neque aliquid suspicari.

℣. 9. TENUIT MANU DEXTERA MENTUM AMASÆ.] Hæc vetus erat consuetudo mentum ac barbam mulcendi illius, qui rogabatur [6] : Genua manu læva amplectebatur, mentum vero tenebant dextera. *Antiquis Græciæ in supplicando mentum attingere mos erat*, inquit Plinius l. 11. c. 45. Sin autem mulier erat, illius tangebantur genæ [7]. Ad hanc quoque diem apud Turcas, manu barbam amplexantur eam deosculaturi. Vide Thevenot cap. 22. Arabes summa reverentia barbam venerantur, & uxores virorum suorum, & filii patrum osculantur barbam, cum ad eos accedunt salutaturi : viri sibimet mutuo illam, & duobus e lateribus deosculantur, cum sibi in via occurrunt, vel cum ex aliquo itinere revertuntur. Oscula vero subinde inter officia mutua instaurantur. Darvieux de moribus Arabum cap. 7. pag. 176. Cicero loquitur de Herculis statua, cujus aenea barba jam erat attrita, quia nimium attrectata fuerat ab illis, qui numen hoc venerabantur. Apud He-

1 Lyran. Sanct. Est. &c. 2 Selden, Uxor Hebr. l. 1. c. 10. Grot. & Menoch.
3 יואב חגור מדו לבשו ועליו חגור חרב מצמדת על מתניו 4 Vide Psal. 44. 4. & Cantic. 3. 8.
5 והוא יצא ותפל 70. Καὶ ἡ μάχαιρα ἐξῆλθε καὶ ἔπεσε. 6 Homer. Iliad. A. 7 Euripid. Hecub.

Hebræos læva mulierum mento supponebatur, dextera vero eas complexebatur: *Læva ejus sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me*, ajebat Canticorum Sponsa..

℣. 10. PERCUSSIT EUM IN LATERE.] Septuaginta [1], *in inguine*. Vulgatæ Auctor nonnunquam similiter reddunt Hebraicam vocem; quam recentiorum plerique vertunt, pro *quinta costa*. Vide supra 2. Reg. 2. 23. & 3. 27. & 4. 6.

℣. 11. ECCE, QUI ESSE VOLUIT PRO JOAB COMES DAVID.] Vel Dux copiarum David. Hebraice [2]: *Quinam ille est, qui amat Joab? & quis est Davidis? eat post Joab*; *sequatur illum*. Hæc sunt militum verba, qui Joab favebant; perinde ac dicerent: Nullus est præter Joab alius copiarum Imperator; qui Davidi gratificari cupiunt, sub imperio Joab in aciem descendant. Hic quoque sensus Textui tribui potest: *Quinam voluit supplantare Joab? & quinam voluit esse Davidis post Joab?* Hic sarcasmus est militis Joab super Amasæ interitu.

℣. 14. ILLE TRANSIERAT PER OMNES TRIBUS ISRAEL IN ABELAM, & BETH-MAACHA.] De Seba plane sermo est. Hic rebellis post ea, quæ ad Regis transitum prope Jordanem erat transacta, rebus novis studentium collecta manu, omnibus tribubus citra Jordanem peragratis, cum electis copiis suis in *Abelam* concesserat, quæ civitas sita est inter Damascum, & Paneadem [4], eadem ferme ac *Abyla Lysaniæ* [5], & caput Abylinæ, cujus meminit S. Lucas 3. 1. Hæc posita est inter Heliopolim, & Damascum ab exteris Geographis [6]; ego vero hanc eamdem esse ac *Hobam* Moysis [7] reor. Scriptura [8] hic adjungit *Abelam domus Maacha*, vel *Bet-Maacha*. At *Maacha*, *Maachati*, *Beth-Maacha*, terra Maacha erant in maxime boreali Terræ Sanctæ plaga, & Syriæ [9] finitimæ, atque ad tribum Nephtali spectabant; omnis igitur veritatis species adest, *Abelam*, de qua loquimur, esse urbem, quam Eusebius inter Paneaden, & Damascum constituit; quæ simpliciter *Abel* in quarto Regum libro appellatur.

OMNES VIRI ELECTI CONGREGATI FUERANT AD EUM.] Seba tribubus peragratis omne militum robur, quod invenire potuerat, collegerat. Hebraice [10]: *& omnes Berim se se collegerant, & venerant cum illo*. Quinam sint hi *Berim*, non liquet. Septuaginta legerunt *Hirim*; vertunt enim [11]: *& omnes civitates convenerant, & secutæ fuerant illum*. S. Hieronymus deduxit *Berim*, ex Hebraica voce *Bara*, eligere. Alii putant hanc vocem intelligendam de viris *Beroth*; verum num potius de civibus *Bahurim* esset explicanda? Ratio, qua duo hæc nomina scribuntur, parum differt [12]. Bahurim erat civitas Benjamin, cujas erat nequissimus Semei [13]. Hæc civitas Saulis posteritati studuisse videtur, nec non ibi nonnullæ aderant familiæ, veluti familia Semei, quæ erant ex illius cognatione. Seba filius Bochri erat Benjamita, & fortasse de Bahurim; in unum igitur cogere potuit concives suos una cum viris Abelæ.

℣. 15. ET CIRCUMDEDERUNT MUNITIONIBUS CIVITATEM, & OBSESSA EST URBS.] Hebraice [14]: *Et duxerunt aggerem contra civitatem, & extitit stetit in antemurali*. Nec desunt [15] qui putent, ingesta humo oppletas fuisse civitatis fossas, ut facilius urbem possent oppugnare. At ego malim, juxta veterem urbium obsidendarum rationem asserere, ipsos contra muros aggeres elevasse, ut ibi sagittarios statuerent, qui in propugnatores ejaculabantur, atque simul obsidentibus præbebant viam, ut ad mœnia descenderent. Vel aggeribus, & fossis tota civitas circumdata fuit, ne aliquis egredi, vel ingredi posset, & copiæ David erant in interiori hujus fossæ parte, quæ illis propugnaculi erat loco adversus eos, si qui exterius accederent hostes. Exercitus Joab jam antemurali potitus fuerat, atque admirebatur, ut interiorem murum caperet; ita ut non multum abesset, quin jam civitas caperetur.

OMNIS AUTEM TURBA .... MOLIEBATUR DESTRUERE MUROS,] S. Hieronymus arbitratur Joab crebro arietis ictu mœnia pulsasse [16], *& Dux exercitus Joab muros ariete quatiens*. At arietis usus longe recentior est, quam Davidis sæculum. Tunc obsessi periculo suo edocti miserunt mulierem sapientia sua nobilem, quæ de muri vertice cum Joab loqueretur.

℣. 18. QUI INTERROGANT, INTERROGENT IN ABELA, & SIC PERFICIEBANT.] Hoc ea in regione vetus erat adagium, sed quænam huic locum præbuerit historia, non satis liquet. Abela plane celebris erat civium sapientia. Hæc mulier ex illis erat, quas consultum ex longinquis regionibus homines confluebant; hoc utitur procemio, ut animum Joab præparet ad ea, quæ dictura est. Alii [17] hoc pacto explicant [18]: Lex præcepit [19], ut oppugnatæ urbi statim pax exhibeatur. Si hoc pacto cum Abela actum fuisset, jam diutius ante res fuisset perfecta. En Hebraicus textus ad litteram: *Dictum est verbum initio: interrogent Abelam, atque ita perficient*. Plura huic textui supplenda sunt, ut inde sensus, quem attulimus, extorqueatur. Denique simpliciter hoc pacto potest intelligi: *Dicebatur antiquitus; quod qui plura interrogarent, irent quæsitum Abelam; ita ipsi sermonem suum terminabant*.

℣. 19. NONNE EGO SUM, QUÆ RESPONDEO VERITATEM IN ISRAEL.] Hæc mulier ait se nobilem esse in Israel propter consilia veritatis plena, quæ dare consuevit. Sed plerique hoc explicant; perinde ac mulier veritatis nomine loqueretur. Nonne sum ego civitas illa adeo celebris in Israel propter salutaria, ac sapientiæ plena consilia? Vel juxta Hebraicum textum [20]: *ego sum civitas pacifica, & fidelis Israel*. Ego sum in universo Israel una ex iis, quæ maxime pacem diligunt, ac Regi parent.

TU QUÆRIS EVERTERE MATREM IN ISRAEL.] Urbes magnæ *matres* appellantur, & oppiduli circum *filiæ*. Sæpius dicitur in Scriptura, *captam fuisse urbem, & filias ejus*, hoc est, urbem, & pagos qui illi subjiciuntur. Nos vero diceremus. Evertere vis *Metropolim*, urbem matrem. Hebræi [21] putant in Abela fuisse vetustam quamdam matrem Israel; hoc est, Zaram filiam Aser, quæ adhuc vivebat; at aliquid ne ridiculum magis afferri potest?

℣. 21. HOMO DE MONTE EPHRAIM.] Seba erat de tribu Benjamin, quemadmodum supra vidimus ℣. 1. verum morabatur in monte Ephraim prope Benjamin. Si Seba erat de Bahurim, quam supra attulimus conjecturam ℣. 14. hic locus urbis illius locum nobis præfinit, qui revera esse debebat prope montes Ephraim.

LEVAVIT MANUM SUAM CONTRA REGEM;] Hoc est, defecit a Rege. Elevavit vexillum, & se Ducem declaravit conjurationis contra David; vel simpliciter: ipse quasi levavit manum, ut percuteret David. Hinc intelligere est, vetustum jus, quo noxii dedendi sunt, nisi qui eorum criminis compos haberi velit.

1 ויכהו אל החמש 70. Ἐπὶ τὴν ψόαν. 2 כי אשר חפץ ביואב ומי אשר לדוד אחרי יואב
3 70. Τίς ὁ βουλόμενος Ἰωάβ, καὶ τίς τοῦ Δαυὶδ ὀπίσω τοῦ Ἰωάβ. 4 Euseb. & Hieron. in Abela.
5 Joseph. Antiqu. 20. 5. 6 Itiner. Anton. Tabul. Augustana. 7 Genes. 14. 15.
8 אבלה ובית-מעכה 9 Josue 12. 5. & 4. Reg. 15. 29. 10 וכל הברים ויקלהו ויבאו אף אחריו
11 Καὶ πᾶσαι αἱ πόλεις ἐξεκκλησιάσθησαν, καὶ παρεγένοντο ὀπίσω αὐτοῦ. Legerunt עירים
12 Berim בררים Bahurim בחורים 13 2. Reg. 16. 5. 14 וישפכו סללה אל העיר ותעמד בחל
15 Vat. Grot. Malv. 16 Hieron. Ep. ad Principium. 17 Ita Hebr. Jonath. Lyr. Munst. Est. Man. Castal. 18 דבר ידברו בראשון שאל ישאלו באבל וכן התמו 19 Deuter. 20. 10. *Si quando accesseris ad expugnandam civitatem offeres ei primum pacem.* 20 אנכי שלמי אמוני ישראל
21 Auth. Tradit. Hebr. in Libb. Reg.

℣. 23. FUIT JOAB SUPER OMNEM EXERCITUM ISRAEL.] Post pugnam hanc feliciter adeo depugnatam David necessitate compulsus fuit eam illi ratam auctoritatem facere, quam antea concesserat. Neque enim eam ipsi potuisset provinciam abrogare, quin novum civile bellum emergeret.

℣. 24. JOSAPHAT .... A COMMENTARIIS.] Vel a Secretis Regis. Vide 2. Reg. 8. 16.

℣. 25. SIVA SCRIBA.] Ibidem ℣. 17.

℣. 26. IRA JAIRITES ERAT SACERDOS DAVID.] Hic erat Magnus Regis Eleemosynarius, extraordinarius sacrificiorum minister, nec non aliorum sacrorum, quibus privatim Rex assueverat. Verum si A res ita se habet, Ira esse non poterat e familia celeberrimi illius Jair, qui erat ex tribu Manasse. Nonnulli [1] putant hunc Regi familiarem fuisse, primum Davidis consiliarium, necessarium illius. Judæi [2] illi Magistri, vel Præceptoris David deferunt dignitatem. Sed David cane erat ætate, ut Præceptore indigeret? Nusquam alibi in Regum historia legimus, alium præter Davidem habuisse inter ministros *Cohen*, vel Sacerdotem. Chaldæus innuit, Iram fuisse *Rab* Regis, Rabbinum, Præceptorem illius. Nequaquam constat, Iram fuisse de progenie Aaronis. Nomen *Jairites*, quod illi additur, ostendit potius ipsum fuisse e posteris Jair filii Manasse.

1 Vatab. Sanct. Menoch. Cornel. &c. 2 Auth. Tradit. Hebr. in Libb. Regum.

CAPUT XXI.

Trium annorum fames in pœnam crudelitatis, quam Saul adversus Gabaonitas exercuit. David Gabaonitis tradit septem viros e familia Saul Miphiboseth reservatur. Pietas Respha erga horum Principum corpora. David ea tumulari jubet cum Saulis, & Jonathæ cineribus. Bella adversus Philisthæim.

1. FActa est quoque fames in diebus David tribus annis jugiter: & consuluit David oraculum Domini. Dixitque Dominus: Propter Saul, & domum ejus sanguinum, quia occidit Gabaonitas. 2 Vocatis ergo Gabaonitis rex, dixit ad
eos: (Porro Gabaonitæ non erant de filiis Israel, sed reliquiæ Amorrhæorum: filii
quippe Israel juraverant eis, & voluit Saul percutere eos zelo, quasi pro filiis Israel,
& Juda.) 3 Dixit ergo David ad Gabaonitas: quid faciam vobis? & quod erit vestri piaculum, ut benedicatis hæreditati Domini? 4 Dixeruntque ei Gabaonitæ: Non
est nobis super argento, & auro quæstio, sed contra Saul, & contra domum ejus;
neque volumus, ut interficiatur homo de Israel. Ad quos rex ait: Quid ergo vultis,
ut faciam vobis? 5 Qui dixerunt regi: Virum, qui attrivit nos, & oppressit inique,
ita delere debemus, ut ne unus quidem residuus sit de stirpe ejus in cunctis finibus
Israel. 6 Dentur nobis septem viri de filiis ejus, ut crucifigamus eos Domino in
Gabaa Saul, quondam electi Domini. Et ait rex: Ego dabo. 7 Pepercitque rex Miphiboseth filio Jonathæ filii Saul, propter jusjurandum Domini, quod fuerat inter David, & inter Jonathan filium Saul. 8 Tulit itaque rex duos filios Respha filiæ Aia,
quos peperit Sauli, Armoni, & Miphiboseth: & quinque filios Michol filiæ Saul,
quos genuerat Hadrieli filio Berzellai, qui fuit de Molathi, 9 Et dedit eos in manus Gabaonitarum: qui crucifixerunt eos in monte coram Domino: & ceciderunt hi
septem, simul occisi in diebus messis primis, incipiente messione hordei. 10 Tollens
autem Respha filia Aia cilicium, substravit sibi supra petram, ab initio messis, donec
stillaret aqua super eos de cœlo: & non dimisit aves lacerare eos per diem, neque
bestias per noctem. 11 Et nuntiata sunt David, quæ fecerat Respha, filia Aia, concubina Saul: 12 Et abiit David, & tulit ossa Saul, & ossa Jonathæ filii ejus, a viris
Jabes Galaad: qui furati fuerant ea de platea Bethsan, in qua suspenderant eos Philisthiim, cum interfecissent Saul in Gelboe: 13 Et asportavit inde ossa Saul, & ossa
Jonathæ filii ejus: & colligentes ossa eorum, qui affixi fuerant, 14 Sepelierunt ea
cum ossibus Saul, & Jonathæ filii ejus in terra Benjamin, in latere in sepulchro Cis
patris ejus: feceruntque omnia, quæ præceperat rex, & propitiatus est Deus terræ
post hæc. 15 Factum est autem rursum prælium Philisthinorum adversum Israel, &
descendit David, & servi ejus cum eo, & pugnabant contra Philisthiim. Deficiente
autem David, 16 Jesbibenob, qui fuit de genere Arapha, cujus ferrum hastæ trecentas uncias appendebat, & accinctus erat ense novo, nisus est percutere David.

17 Præ-

17 Præsidioque ei fuit Abisai filius Sarviæ, & pereussum Philisthæum interfecit. Tunc
juraverunt viri David, dicentes: Jam non egredieris nobiscum in bellum, ne extin-
guas lucernam Israel. 18 Secundum quoque bellum fuit in Gob contra Philisthæos;
tunc percussit Sobochai de Husathi, Saph de stirpe Arapha, de genere gigantum. 19
Tertium quoque fuit bellum in Gob contra Philisthæos, in quo percussit Adeodatus
filius Saltus polymitarius Bethlehemites Goliath Gethæum, cujus hastile hastæ erat
quasi liciatorium texentium. 20 Quartum bellum fuit in Geth: in quo vir fuit ex-
celsus, qui senos in manibus, pedibusque habebat digitos, idest, viginti quatuor,
& erat de origine Arapha. 21 Et blasphemavit Israel: percussit autem eum Jonathan fi-
lius Samaa fratris David. 22 Hi quatuor nati sunt de Arapha in Geth, & ceciderunt
in manu David, & servorum ejus.

ỳ. 1. FACTA EST FAMES IN DIEBUS DAVID.] Quoad tempus hojus famis variæ suot Interpretum sententiæ. Verum nullum satis validum extat argumeotum, quamobrem illam ante Absalonis, & Sebæ, filii Bochri defe-ctionet constituere tencamur.

PROPTER SAUL .... QUIA OCCIDIT GABAONITAS.] Quo tempore cædem hanc Saul patrarit, non liquet. Alibi [1] conjecturam proposuimus, huc accidisse post excidiom civitatis Nobe, cum Rex ille Tabernaculum in Gabaon transferendum curavit.

ỳ. 2. GABAONITÆ ERANT RELIQUIÆ AMORRHÆORUM.] Gabaonitæ erant Hevæi [2]; sed Amorthæi nuncupantor ex nomine, quod sæpius Chananæis generatim tribuitur Genes. 15. 16. Amos 2. 9. & alibi sæpius.

ZELO, QUASI PRO FILIIS ISRAEL, ET JUDA.] Veluti ut suppleret defectui Josue, & Israelitarum, qui omnino Gabaonitas delere noluerant, qui obnoxii erant edicto, propter quod Chananæi omnes erant exterminandi [3]. Verum ignorabat oe Gabaonitas vixisse publica fide fretos, atque per solemne fœdus a Josue, & Principibus Israel ictum, sancitumque periculo liberatos? Poteratne ille, injussu Dei, illud infringere, quod magis sanctum, & sacrum est inter homines?

Illud vero magis negotium facessit, quod Deus in totius populi caput vertit, personale Saulis scelus. Non vult Deus, filios pro patribus, neque pro filiis patres plecti [4]; & tamen hic non solum in familia Saul, verum in universum Israel propter hujus Regis crimen animadvertit. Ad hæc respondemus, Deo semper esse jus dandi, vel adimendi, negandi, vel concedendi mortalibus quædam externa bona; quorum ipse Dominus est, & quæ ipse nemini debet. Vita, temporalia bona, pax a Deo nobis æque permitti possunt, & abnui, quin ulla injustitiæ nota afficiatur. Justus quoque sæpius a bonorum illorum copia, quam eorumdem charitate, a proposito dimovetur; impius vero iisdem meretur carere, eo quod iisdem abutitur. Cum igitur Dominus jus suum exercet in mortales illis vel vitam adimens, vel bona, non est, cur quis conqueri possit. Sed si æquitatem veris suppliciis persequeretur, vel scelera veris benefactis remuneraretur, tunc Deus in semet, naturamque suam operaretur. Præterea infinitæ interest sapientiæ Dei, semper generale bonum Rerumpublicarum procurare, quamvis hoc quorumdam privatorum detrimentum consequeretur. Privatum totius domus Saulis, ac generale omnium tribuum Israel supplicium longe majus bonum gignebat, hoc est reparationem injuriæ Divino nomini per fœderis fractionem illatæ, in quo sacratum Dei nomen interpositum fuerat, cum fides Gabaonitis data fuit; nec non omnium gentium documentum, quæ illine intelligere debebant, qua fide, ac religione Regibus, ac privatis fœdera, ac juramenta essent servanda.

ỳ. 3. UT BENEDICATIS HÆREDITATI DOMINI.] Ut precibus, ac benedictionibus vestris super universum Israel Dei beneficia eliciatis. Eorum maledictioni, atque justis questubus tribuere videtur malum, quod populo contigerat. Hoc altius persuasum veteribus erat, Deum aures præbere imprecationibus innocentium, quos immerito quis persecutus fuisset.

ỳ. 6. DENTUR NOBIS SEPTEM VIRI DE FILIIS EJUS.] Vel nepotibus ejus. Primum quidem professi fuerant, nequaquam futurum ut acquiescerent, nisi tota familia Saul ipsis ad supplicium dederetur, ita ut ne unus quidem superesset: sed plane David eis persuasit, ut septem taotummodo ipsis satis essent; vel potius Gabaonitæ eum primum impotentius locuti fuissent, atque deinde animo reputassent, quantum populorum odium sibi essent conflaturi, si totam Saulis progeniem funditus evertere voluissent, voti se compotes fore dixerunt, si septem tantum homines ex illa ipsis traderentur. Videmus isthic morem, qui viget adhuc apud Orientis populos interfecti consanguineis interfectores tradendi, ut ipsi per se pœnas pro crimine exposcant, & effusum cruorem ulciscantur.

UT CRUCIFIGAMUS EOS DOMINO IN GABAA SAUL, QUONDAM ELECTI DOMINI.] Elegeruot urbem Gabaa propter majus familiæ Saulis dedecus, qui ibi olim regnaverat. Pro his verbis, *quondam electi Domini*, nonnulli vertont hebraicum textum [5]; O David *electe Domini* [6]! Alii putaot textum haud menda vacare, atque legendum: *in monte Domini* [7]; & equidem ỳ. 9. ubi narratur rei hujus, quam isthic petunt, eventus, videmus in crucem actos fuisse [8] *in monte coram Domino*. Re vera minime probabile est, quod hac in occasione Gabaonitæ vocarint Saulem *Electum Domini*. In textum non habemus *quondam*, sed simpliciter *Saul electi Domini*, quod mendosi in hoc loco Textus conjecturam confirmat.

ET AIT REX: EGO DABO.] David procul dubio iterom per Prophetas, vel per Summum Sacerdotem Dominum consuluit, utrum ille Gabaonitis permitteret, quod flagitabant, vel illi a Domino, ex quo primum consuluerat ipsum, imperatum fuerat, ut quæ Gabaonitæ vellent, efficeret. Alioquin quodnam invidiæ pondus ille subiisset? Nonoe credidissent Israelitæ, ipsum causam hanc prætexendo voluisse omnem simul Saulis familiam de medio tollere? David igitur isthic Dei voluntatem dumtaxat executus est [9].

ỳ. 8. QUINQUE FILIOS MICHOL, FILIÆ SAUL, QUOS GENUERAT HADRIELI.] Probabile est, nomen Michol isthuc pro Merob sorore illius

1 1. Reg. 22. 19. 2 Josue 6. 19. 3 Exod. 23. 31. Deuteronom. 1. 20.
4 Deut. 24. 16. 5 שאול בחיר יהוה. 6 Ita Jun. & Tremel. 7 בחיר יהוה. Ita Castal.
8 בהר לפני יהוה. 9 Vide Est. & Grot. hic, & Joseph. Ant. l. 7. c. 10. Ita.

illius obrepsisse [1]. Michol non Hadrieli, sed Phalziel [2] nupserat; neque alibi legimus, ipsam sex filios genuisse. Chaldæus, quem Judæi, ac plerique Interpretes sequuntur, putat, sex hos filios, fuisse quidem filios Merob, & Hadrielis, sed a Michol sorore Merob deinde adoptatos. Re quidem vera hæc una suppetit evolvendæ difficultatis via, nisi Librarium mendi velimus insimulare.

℣. 9. CRUCIFIXERUNT EOS IN MONTE CORAM DOMINO.] In monte profecto, qui erat prope Gabaa, & coram Altari, quod in eo monte aderat. Vidimus ad 1. Regum 8. 4. 13. vel intra, vel prope Gabaa collem fuisse, quo Prophetæ aliquando conveniebant. Vel, *Crucifixerunt eos coram Domino*, velut hostias Expiationis ad iram suam expiandam.

IN DIEBUS MESSIS PRIMIS.] Prior messis erat hordei, incipiebat vero sub veris æquinoctium.

℣. 10. DONEC STILLARET AQUA SUPER EOS DE COELO.] Donec Deus hoc placatus sacrificio dedit pluviam super terram, ac terræ pristinam ubertatem restitueit [3]. Famem siccitas genuerat; ideoque statim ac Deus pluviam demisit, haud ulterius laboratum est. Nonnulli putant, Respham per solidam æstatem prope hæc cadavera consedisse usque ad Octobris mensem [4], quo tempore ea in regione autumnales pluviæ dilabi incipiunt. At prior sententia mihi magis probatur.

NON DIMISIT AVES LACERARE EOS PER DIEM, NEQUE BESTIAS PER NOCTEM.] Hebraice ad litteram [5]; *haud passa est aves eorum corporibus insidere.* Lege cautum erat, ne damnatorum corpora ultra diem de cruce penderent; at Lex hæc pro vulgatis casibus erant; non autem pro hoc, qui omnino erat singularis. Præterea Gabaonitæ lege hac minime tenebantur, nisi Mosaicis legibus fuissent initiati; quibus nomen ipsos dedisse, non satis perspicuum suppetit argumentum. Hinc patet cruces, vel patibula, quibus fontes antiquitus affigebantur, haud ita proceras fuisse; namque feræ carnivoræ ad carnes illorum vorandas nonnumquam accurrebant; quod ipsum agnosci potest ex Martyrum suppliciis, qui aliquando viventes crucibus suffixi feris objiciebantur. Quo cruciatus genere affecta fuit Sancta Blandina Lugduni teste Eusebio lib. 5. cap. 1. Martialis quoque de ethnico quodam, cui nomen Laureolus, loquitur, qui de cruce pendens urso objectus fuit. Martialis lib. 10.

Nuda Caledonio sic pectora præbuit urso
Non falsa pendens in cruce Laureolus.

Notandus pariter est vetus mos damnatorum de cruce pendentium corpora custodiendi. Sanctæ mulieres, quæ secutæ fuerant Jesum Christum, numquam recesserunt, donec e cruce pependit. Venus apud Homerum Iliad. 23. Hectoris corpus tuetur. Ephesinæ Matronæ Historia omnibus patet.

℣. 14. IN LATERE IN SEPULCHRO CIS.] In eodem specu, sed in diversis thecis, atque in latere. Vel ad latus montis Gabaa, in quadam ex montis hujus speluncis, ubi erant tumuli Majorum Saul. Nonnulli [6] putant, Hebraicam vocem *Sela*, quæ vertitur in *latere*, hic proprium loci nomen significare. Sane extat urbs nomine Sela in tribu Beniamin, quæ non procul abesse debebat a Gabaa patria, & sede Cis, & Saul. Josue 18. 18.

℣. 15. FACTUM EST RURSUM PRÆLIUM PHILISTHINORUM ADVERSUM ISRAEL.] Quandonam hæc bella contigerint, non certo liquet. Ea vero fortasse primis regni David annis acciderunt; quandoquidem

A Rex hic tunc roboris plenus erat, atque ipse exercitum suum ducebat. Pars hæc narrationis cum iis, quæ sequuntur, haberi potest velut aliquid a Davidis historia disjunctum: hæ enim sunt narratiunculæ, quas haud e re fore visum est historiæ decursui interserere. Verum cum hæ conjecturæ dubio non vacent, nihil extra ordinem miscere malim; & hæc prœlia post triennium circiter ab Absalonis bello statuere.

℣. 16. JESBINENOB, QUI FUIT DE GENTE ARAPHA.] Verti posset [7]: *Jesbi filius Ob de genere Raphaim*, vel Gigantum. Septuaginta [8]; *Jesbi de Nob de genere Gigantum*. Raphaim erant veteres regionis illius Gigantes. Constructio Hebraici textus ℣. 18. 20. 22. capitis hujus innuere videtur, *Rapha* Gigantem
B fuisse tunc temporis insignem, qui plures habuerit filios; vel saltem olim celeberrimum fuisse Gigantem nomine *Rapha*, de cujus nomine Gigantes alii appellati fuerunt.

CUJUS FERRUM HASTÆ TRECENTAS UNCIAS APPENDEBAT.] Hebræus [9]; *cujus lancea trecentos æris siclos appendebat*; hoc est libras octo, & aliquot uncias (*Romanas libras duodecim cum dimidia*) [10]. Versiones Syriaca, & Arabica intelligunt de thorace. Vulgata, cui nonnulli adhærent Interpretes, de ferro hastæ dumtaxat intelligit. At Hebraicus textus, Chaldæus, & Septuaginta de tota simul lancea. Reor autem *æs* isthic denotare materiam, ex qua lanceæ cuspis erat conflata; nam Hebræis nulla fuerat æris moneta ante captivitatem; sed æs quoque, uti alia,
C ad sicli pondus appendebatur. Itaque vertere mallem: *& pondus lanceæ, quæ erat ex ære, erat siclorum trecentorum*; & juxta hanc conjecturam, necessario de hastæ mucrone esset intelligendum.

ACCINCTUS ERAT ENSE NOVO.] Quo nondum usus fuerat, vel gladio [11] adeo præstanti, perinde ac novus esset. Aliter: Ille tyro, seu novus miles erat, tunc primum descendebat in prœlium [12]. Hebraice ad litteram [13]: *& ille accinctus erat recens*; quod explicari potest, vel de armis, vel de baltheo, vel de vestibus recentibus, uti etiam de milite nunc primum armato. Septuaginta [14]: *accinctus erat baltheo*. In Romana editione [15]: *gestabat clavam*. Symmachus, *gladium*; Theodotion, *baltheum*.

℣. 17. NE EXTINGUAM LUCERNAM ISRAEL.]
D Gloriam, honorem, ornamentum, robus, decus, felicitatem Israel. Achilles sibimet succenset, eo quod minime fuerit *lucerna* Patrocli, atque amicorum suorum, & passus fuerit, ut cum Hectore decertarent [16]. In Scriptura lampadis nomen modo posteritatem, modo felicitatem, diuturnamque vitam significat.

℣. 18. BELLUM FUIT IN GOB.] Locus hic in 1. Paralipomenon 20. 40. ubi eadem recurrit historia, *Gazer* vocatur. Gazer erat inter Azotum, & Accaronem in regione Philisthiim. *Gob* autem librarii Hebræi error fortasse fuit.

USATI.] Vel *Husathi*. Loci hujus situs ignoratur. *Saph* vocatur *Saphai* 1. Par. 20. 4.

℣. 19. PERCUSSIT ADEODATUS FILIUS SALTUS POLYMITARIUS BETHLEHEMITES, GOLIATH GETHÆ-
E UM.] Hic Hebraica nomina latine reddita sunt contra regulam, quæ vult, ut ordinaria ipsorum pronunciatione efferantur. Posset igitur legi [17]: *Elchanam filius Jarim, textor Bethlehemites occidit Goliath Gethæum*. Nonnulli [18] putant, hunc *Elchanam* eumdem esse ac David: at plerique oppositum censent, & merito; nam primo, nulla adfuit necessitas isthic adeo fœde nomen David, ac patris illius deformandi,

---

1 Ita Capel. Cajet. Salian. Canus, Osiand. 2 Vide 1. Reg. 25. 44. 3 Grotius, Estius, Vat. Munst. Pisc. Menoch. Sanct. 4 Rabb. in Sanct. 5 לא נתנה עוף השמים לנוח עליהם. 70. Οὐκ ἔδωκε ... καταπαῦσαι. Alius: Οὐκ εἴασε καθίσαι. 6 Pagn. Varab. Menoch. Salian. Montan.
7 ישבי בנב אשר בילדי הרפה 8 Ἰεσβὶ καὶ Νὼβ ὃς ἦν ἐκ τῶν ἐκγόνων τῶν γιγάντων.
9 ומשקל קינו שלש מאות משקל נחשת 10 Siclus semunciam pendit, seu quatuor drachmas Romanas.
11 Varabl. 12 Sanct. 13 והוא חגור חדשה. 14 Καὶ αὐτὸς περιεζωσμένος παραζώνην.
15 Περιεζωσμένος κορύνην. Sym. Μάχαιραν. 16 Homer. Iliad. Σ.
17 ויך אלחנן בן יערי ארגים בית הלחמי את גלית הגתי 18 Ita Chald. & Hebr. Rupert. Raban. alii,

Cti, ut minime agnosci posset. Secundo, liber primus Paralipomenon cap. 20. 5. erroris hujus nobis originem detegit. Ibi enim legimus: *Elchanan filius Jair occidit Lechem fratrem Goliath Gethæi*. *Elchanan* igitur non est David, & ille, qui occisus fuit, haud est verus Goliath, sed frater illius, cui nomen erat *Lechem* [1]. Fatendum est tamen, quoad hoc nomen *Lechem* Textum libri Regum castigatiorem videri, quam textum Paralipomenon; atque postremum hunc ex primo restituere mallem [2] hoc pacto: *Elchanan filius Jair de Bethlehem occidit fratrem Goliath*. Infra legimus cap. 23. 24. inter electos milites David, *Elchanan filium patrui Joab, de Bethlehem*; neque ambigo, quin de hoc isthic sit sermo. Fratris nomen vel sumi potest in propria significatione, vel significare potest Gigantem, parem Goliath viribus, & magnitudine. Fratris nomen nonnumquam posteriori hoc in sensu usurpatur: *Qui mollis, & dissolutus est in opere suo, frater est sua opera dissipantis*, ait Salomon Proverb. 18. 9. Quamprimum summa laborabit inopia.

QUASI LICIATORIUM TEXENTIUM.] Vide supra 1. Reg. 17. 7.

℣. 20. VIR EXCELSUS.] Gigas. Hebraice [3]: *vir mensuræ*; vel juxta alios [4]: *vir rixæ*, qui quærit jurgia. Septuaginta [5]: *Vir Madon*. Josue loquitur de Rege Madon [6], verum hujus urbis situs latet. Capellus legere mallet: *vir Madian*.

QUI SENOS IN MANIBUS, PEDIBUSQUE HABEBAT DIGITOS.] Monstri loco habebatur tum propter nimiam corporis proceritatem, tum eo quod viginti quatuor digitos haberet. In historiis nonnullos invenimus, qui similiter senos habuerint in singulas manus, pedesque digitos [7]. Filiæ Caii Horatii ex Patritia gente *Sedigitæ* propter senos digitos appellatæ fuere. Volcatius arte poetica insignis *Sedigitus* eadem de causa vocatus fuit.

℣. 22. CECIDERUNT IN MANU DAVID, & SERVORUM EJUS.] Hoc est, occisi fuerunt in prœliis, quibus ipse David interfuit, vel in illis, quæ per Imperatores suos prœliatus est: non enim liquet, horum aliquem propria illius manu confossum interiisse.

1 Amanuensis scripsit את גלית pro אח גלית, & ארגים, quod in fine esse deberet, posuit in medio phrasis, Verbo, ex homine *Jair* appellato Sylvam effecit. Locum hoc corruptiorem vix invenies, & sine Paralipomenis castigare frustra tentaveris. 2 את לחמי pro בית לחמי

3 איש מדין. Massorethæ legunt איש מדון *Vir rixæ*. 4 Aqu. Ἀνὴρ ἀντιδικίας. *Vir adversarius*, Symm. Ἀνὴρ ὑπέρμετρος, *Vir proceræ staturæ*. 5 Ἀνὴρ ἐν Μαδών.

6 Josue 11. 1. *Ad Jobab Regem Madon*. Vide & 12. 17.

7 Plin. l. 11. c. 43. *Digiti quibusdam in manibus seni. Q. Horatii ex Patritia gente filias ob id Sedigitas appellatas accepi. Volcatium Sedigitum illustrem in poetica.*

CAPUT XXII.

Canticum gratiarum actionis ob omnes victorias a Davide de hostibus relatas.

1. LOcutusque est autem David Domino verba carminis hujus, in die, qua libera-
vit eum Dominus de manu omnium inimicorum suorum, & de manu Saul. 2
Et ait: Dominus petra mea, & robur meum, & salvator meus. 3 Deus for-
tis meus, sperabo in eum: scutum meum, & cornu salutis meæ, elevator meus, & re-
fugium meum: salvator meus, de iniquitate liberabis me. 4 Laudabilem invocabo
Dominum: & ab inimicis meis salvus ero. 5 Quia circumdederunt me contritiones
mortis: torrentes Belial terruerunt me. 6 Funes inferni circumdederunt me: præve-
nerunt me laquei mortis. 7 In tribulatione mea invocabo Dominum, & ad Deum meum
clamabo, & exaudiet de templo suo vocem meam, & clamor meus veniet ad aures e-
jus. 8 Commota est, & contremuit terra: fundamenta montium concussa sunt, & con-
quassata, quoniam iratus est eis. 9 Ascendit fumus de naribus ejus, & ignis de ore
ejus vorabit: carbones succensi sunt ab eo. 10 Inclinavit cœlos, & descendit: & ca-
ligo sub pedibus ejus. 11 Et ascendit super cherubim, & volavit, & lapsus est super
pennas venti. 12 Posuit tenebras in circuitu suo latibulum: cribrans aquas de nubi-
bus cœlorum. 13 Præ fulgore in conspectu ejus: succensi sunt carbones ignis. 14
Tonabit de cœlo Dominus: & excelsus dabit vocem suam. 15 Misit sagittas, & dissi-
pavit eos; fulgur, & consumpsit eos. 16 Et apparuerunt effusiones maris, & revela-
ta sunt fundamenta orbis, ab increpatione Domini, ab inspiratione spiritus furoris ejus. 17 Misit de excelso,
& assumpsit me: & extraxit me de aquis multis. 18 Liberavit me ab inimico meo po-
tentissimo, & ab his, qui oderant me; quoniam robustiores me erant. 19 Prævenit
me in die afflictionis meæ, & factus est Dominus firmamentum meum. 20 Et eduxit me
in latitudinem: liberavit me, quia complacui ei. 21 Retribuet mihi Dominus secun-
dum justitiam meam: & secundum munditiam manuum mearum reddet mihi. 22 Quia
custodi-

custodivi vias Domini, & non egi impie a Deo meo. 23 Omnia enim judicia ejus in
conspectu meo : & præcepta ejus non amovi a me. 24 Et ero perfectus cum eo : &
custodiam me ab iniquitate mea. 25 Et restituet mihi Dominus secundum justitiam me-
am : & secundum munditiam manuum mearum: in conspectu oculorum suorum. 26
Cum sancto sanctus eris : & cum robusto perfectus. 27 Cum electo electus eris : &
cum perverso perverteris. 28 Et populum pauperem salvum facies, oculisque tuis ex-
celsos humiliabis. 29 Quia tu lucerna mea, Domine : & tu, Domine, illuminabis te-
nebras meas. 30 In te enim curram accinctus : in Deo meo transiliam murum. 31
Deus, immaculata via ejus, eloquium Domini igne examinatum : scutum est omnium
sperantium in se. 32 Quis est Deus præter Dominum, & quis fortis præter Deum no-
strum? 33 Deus, qui accinxit me fortitudine : & complanavit perfectam viam meam.
34 Coæquans pedes meos cervis, & super excelsa mea statuens me. 35 Docens ma-
nus meas ad prœlium, & componens quasi arcum æreum brachia mea. 36 Dedisti mi-
hi clypeum salutis tuæ : & mansuetudo tua multiplicavit me. 37 Dilatabis gressus me-
os subtus me : & non deficient tali mei. 38 Persequar inimicos meos, & conteram :
& non convertar, donec consumam eos. 39 Consumam eos, & confringam, ut non
consurgant : cadent sub pedibus meis. 40 Accinxisti me fortitudine ad prœlium : in-
curvasti resistentes mihi subtus me. 41 Inimicos meos dedisti mihi dorsum : odientes
me, & disperdam eos. 42 Clamabunt, & non erit, qui salvet ; ad Dominum, & non
exaudiet eos. 43 Delebo eos, ut pulverem terræ : quasi lutum platearum comminuam
eos, atque confringam. 44 Salvabis me a contradictionibus populi mei ; custodies me
in caput gentium : populus, quem ignoro, serviet mihi. 45 Filii alieni resistent mi-
hi, auditu auris obedient mihi. 46 Filii alieni defluxerunt, & contrahentur in angu-
stiis suis. 47 Vivit Dominus, & benedictus Deus meus : & exaltabitur Deus fortis sa-
lutis meæ. 48 Deus, qui das vindictas mihi, & dejicis populos sub me. 49 Qui e-
ducis me ab inimicis meis, & a resistentibus mihi levas me : a viro iniquo liberabis
me. 50 Propterea confitebor tibi, Domine, in gentibus : & nomini tuo cantabo. 51
Magnificans salutes regis sui, & faciens misericordiam christo suo David, & semini ejus
in sempiternum.

CAput hoc minimum differt a Psalmo decimo septimo : quapropter literalem hujus explicationem in libro Psalmorum inquire.

CAPUT XXIII.

Novissima verba David ; ac illustrium militum ipsius nomenclatura.

1. HÆc autem sunt verba David novissima. Dixit David filius Isai : Dixit vir,
cui constitutum est de christo Dei Jacob, egregius psaltes Israel : 2 Spi-
ritus Domini locutus est per me, & sermo ejus per linguam meam. 3 Di-
xit Deus Israel mihi, locutus est fortis Israel, Dominator hominum, justus domina-
tor in timore Dei : 4 Sicut lux auroræ, oriente sole, mane absque nubibus rutilat,
& sicut pluviis germinat herba de terra. 5 Nec tanta est domus mea apud Deum,
ut pactum æternum iniret mecum, firmum in omnibus, atque munitum. Cuncta e-
nim salus mea, & omnis voluntas, nec est quidquam ex ea, quod non germinet.
6 Prævaricatores autem quasi spinæ evellentur universi : quæ non tolluntur mani-
bus, 7 Et si quis tangere voluerit eas, armabitur ferro, & ligno lanceato, igne-
que succensæ comburentur usque ad nihilum. 8 Hæc nomina fortium David. Se-
dens in cathedra sapientissimus princeps inter tres, ipse est quasi tenerrimus ligni
vermiculus, qui octingentos interfecit impetu uno. 9 Post hunc Eleazar filius pa-
trui ejus Ahohites inter tres fortes, qui erant cum David, quando exprobraverunt
Philisthiim, & congregati sunt illuc in prælium, 10 Cumque ascendissent viri Is-
rael, ipse stetit, & percussit Philisthæos, donec deficeret manus ejus, & obrigesce-
ret

ret cum gladio : fecitque Dominus salutem magnam in die illa : & populus , qui fu-
gerat , reversus est ad cæsorum spolia derrahenda . 11 Et post hunc , Semma filius
Age de Arari , & congregati sunt Philisthiim in statione : erat quippe ibi ager lente
plenus . Cumque fugisset populus a facie Philisthiim , 12 Stetit ille in medio agri ,
& tuitus est eum , percussitque Philisthæos , & fecit Dominus salutem magnam . 13
Necnon & ante descenderant tres , qui erant principes inter triginta , & venerant tempore
messis ad David in speluncam Odollam : castra autem Philisthinorum erant posita in Valle
gigantum , 14 Et David erat in præsidio : porro statio Philisthinorum tunc erat in
Bethlehem . 15 Desideravit ergo David , & ait : O si quis mihi daret potum aquæ
de cisterna , quæ est in Bethlehem juxta portam ! 16 Irruperunt ergo tres fortes ca-
stra Philisthinorum , & hauserunt aquam de cisterna Bethlehem , quæ erat juxta por-
tam , & attulerunt ad David : at ille noluit bibere , sed libavit eam Domino , 17
Dicens ; Propitius sit mihi Dominus , ne faciam hoc : num sanguinem hominum isto-
rum , qui profecti sunt , & animarum periculum bibam ? Noluit ergo bibere . Hæc fe-
cerunt tres robustissimi , 18 Abisai quoque frater Joab filius Sarviæ , princeps erat
de tribus . Ipse est , qui levavit hastam suam contra trecentos , quos interfecit , nomi-
natus in tribus , 19 Et inter tres nobilior , eratque eorum princeps , sed usque ad
tres primos non pervenerat , 20 Et Banajas filius Jojadæ viri fortissimi , magnorum
operum , de Cabseel : ipse percussit duos leones Moab , & ipse descendit , & percus-
sit leonem in media cisterna in diebus nivis : 21 Ipse quoque interfecit virum Ægy-
ptium , virum dignum spectaculo , habentem in manu hastam : itaque cum descendisset
ad eum in virga , vi extorsit hastam de manu Ægyptii , & interfecit eum hasta sua ,
22 Hæc fecit Banajas filius Jojadæ . 23 Et ipse nominatus inter tres robustos , qui
erant inter triginta nobiliores ; verumtamen usque ad tres non pervenerat : fecitque
eum sibi David auricularium , a secreto , 24 Asael frater Joab inter triginta , Ele-
hanan filius patrui ejus de Bethlehem , 25 Semma de Harodi , Elica de Harodi ,
26 Heles de Phalti , Hira filius Acces de Thecua . 27 Abiezer de Anatoth , Mo-
bonnai de Husati , 28 Selmon Ahohites , Maharai Nerophathites , 29 Heled fi-
lius Baana , & ipse Netophathites , Ithai filius Ribai de Gabaath filiorum Benjamin ,
30 Banaja Pharathonites , Heddai de torrente Gaas , 31 Abialbon Arbathites , Az-
maveth de Beromi , 32 Eliaba de Salaboni . Filii Jassen , Jonathan , 33 Semma
de Orori , Aiam filius Sarar Arorites , 34 Eliphelet filius Aasbai filii Machati , E-
liam filius Achitophel Gelonites , 35 Hesrai de Carmelo , Pharai de Arbi , 36
Igaal filius Nathan de Soba , Bonni de Gadi , 37 Selec de Ammoni , Naharai Be-
rothites armiger Joab filii Sarviæ , 38 Ira Jethrites , Gareb & ipse Jethrites , 39
Urias Hethæus , Omnes triginta septem.

℣. 1. HÆC SUNT VERBA DAVID NOVISSIMA.] Hoc est veluti testamentum ipsius ; ac novissima publica monumenta grati animi sui ob tot a Deo accepta beneficia , tradere voluit posteritati . Vel : Hæc sunt novissima verba , quæ divino afflatus spiritu protulit [1] , cum ea , quæ de ipso deinceps dicuntur , politicæ potius sint dispositiones , quam effectus Spiritus Dei . Hic sermo David esse posset Psalmorum ipsius apta conclusio [2] ; illumque ad calcem psalmi 71. subdere minime dedeceret , illic ubi ea adsunt verba : *Defecerunt laudes David filii Jesse* . Denique in sublimiori sensu vocari possent *novissima verba David* ratione subjecti ; hic enim Propheta agit de sæculorum consumatione , ac Messiæ adventu . Hæc est explicatio Chaldæi , & Hebræorum . B

Nec desunt [3] , qui ambigant , an parvum hoc opus pedibus metricis ligatum sit ; atque id putant , minime lorer Psalmos fuisse relatum . Verum nihil video , quin isthic agnoscere debeamus veterem illam , ac naturalem A poesim , quæ apud Hebræos in more erat posita ; stylus sane omnino poeticus est , sed illius obscuritas obfuit , quo minus partes ejus distinguerentur . Ea vero ex Hebraico textu ita latina reddo .

Hæc sunt , quæ dixit David filius Isai :
Hæc sunt , quæ dixit vir constitutus a Domino
(*elevatus*) ,
Unctus Dei [4] Jacob ,
Suavis cantor Israel .
Spiritus Dei locutus est per me ,
Et verbum illius fuit super linguam meam :
Deus Israel ad me locutus est :
Ipse locutus est ad me , Petra Israel ,
Ille Dominator hominis ,
Justus ille dominator timentis Deum [5] ,
Quemadmodum matutina lampas emicat ,
Et *veluti* sol matutinus sine nubibus ;
Veluti herba terræ *germinat* calore *fota* , & *irrigata* pluvia ,

Talis

1 Sanct. Grot. Menoch. 2 Varab. Est. Munst. 3 . Sanctius .
4 Lego אל pro על quod commodam sententiam non reddit . Septuaginta pariter legerunt *ἐν ἀνάστει ὁ Θεὸς* , Vel על positum est loco עליון . Vel denique על חקם *ChuKam al* significat *Constituti elati* .
5 מושל יראת אלהים ad litteram *Dominator timoris Dei* ,

Talis erat splendor regni mei, & domus mea felicitas [1].
Nam domus mea non est talis coram Domino
Ut merear, ipsum mecum perenne fœdus icere;
Fœdus firmum in omni re, & observatum fideliter.
Nam *ipsum est* tota salus mea, meum desiderium [2],
Nihilque adest *in me*, quod minime floreat.
Sed penitus, velut spinæ, evelletur impius.
Neque arripientur manu;
Sed quicumque illas evellere voluerit, replebit manum suam ferro, & lancea armabitur [3];
Easque comburet igni, quin aliquid sit reliquum.

DIXIT VIR, CUI CONSTITUTUM EST DE CHRISTO DEI JACOB.] David semet designat per hanc prærogativam, quæ ipsi in maximum honorem cedit, scilicet venturum de ipsius progenie Messiam, Unctum promissum a Deo Jacob. Aliter: *ille, cui Deus promisit, se daturum regnum populi sui*. Septuaginta [4]: *ille, quem Dominus constituit Christum Dei Jacob*. Hebraicus textus ad litteram [5]: *Ille, qui constitutus est supremus Christus Dei Jacob*. Jonathan: *Ille, qui elevatus est ad regnum, Unctus verbo Dei Jacob*. Syriaca, & Arabica: *Ille, qui tulit jugum Christi, Dei Jacob*. Et litera immutata legimus: *Ille, qui constitutus est a Deo Christus Dei Jacob*. Verbo, ille qui constitutus est Rex populi Dei.

EGREGIUS PSALTES ISRAEL.] Hebraice ad literam [6]: *Suavis in canticis Israel*. Auctor mirabilium canticorum, quæ sunt omnis voluptas Israel; deliciæ sacræ poeseos Israel Spiritus sanctus hic effert laudes David per os David ipsius. Palam adeo liquet, Divinum hunc spiritum lingua Davidis sensus suos expromere, ut nulla jactantiæ suboriri suspicio possit.

℣. 2. SPIRITUS DOMINI LOCUTUS EST PER ME.] Nihil hoc magis validum ad probandum Sacrorum Auctorum afflatum; tribuit Spiritui sancto non solum interiorem inspirationem, verum etiam motum labiorum ipsorum; *sermo ejus per linguam meam*.

℣. 3. MIHI LOCUTUS EST FORTIS ISRAEL.] Epithetum *fortis* ex iis nominibus est, quæ frequentius Deo tribuuntur; *non est fortis sicut Deus noster*, dicebat Anna Samuelis Mater 1. Reg. 2. 2. Hebraice isthic [7]: *Petra Israel locuta est ad me*, quæ locutio elevationem, soliditatem, robur, immobilitatem Dei Israel significat. Hæc collatio in Hebræorum stylo elegans erat. Regionis arces in rupibus erant positæ; loci, quo secedebant, dum desævirent bella, perrupta erant, ac inaccessa montium.

JUSTUS DOMINATOR IN TIMORE DEI.] Hebraice: *Dominator timoris Dei*, quæ postrema verba palam significant Sanctos, qui pleni sunt timoris Domini [8]. Hebræi crebro abstractis his loquendi rationibus oblectantur. Dicunt enim [9]: *timorem Isaac* pro eo quem Isaac metuit, ac veretur [10]; *filium captivitatis* pro captivo; *Hominem belli* pro bellicoso milite; *virum divitiarum* pro locuplete [11]. Alii explicant de Messia, qui verus est *dominator in timore Dei*, qui fidelibus suis filialem metum inspirat, & cujus inter præcipuos characteres, ille est, ut repleatur sit [12], *Spiritu timoris Domini*. Denique intelligi quoque potest de David, qui fuit *Dominator hominum, & justus dominator, & rexit populos suos in timore Domini*. Sensus magis naturalis ille est, quem primum explicuimus, & qui hoc de Deo intelligit, Petra Israel, generis humani Dominatore, sed præcipue illorum, qui timent ipsum.

℣. 4. SICUT LUX AURORÆ ORIENTE SOLE MANE, ABSQUE NUBIBUS RUTILAT.] Hebraicus hujus loci textus maximopere obscurus est [13]; ita porro ad litteram redditur: *Sicut lux matutina apparet, sol mane sine nubibus, per radiorum splendorem, & per pluviam educit herbam de terra; nam haud similiter est de domo mea*. Domus mea haud habebit exitum similem diebus istis; in quibus solem oriri videmus, cum innube cœlum est, & his herbis, quas tellus germinat. Dies hi transeunt, & rutilus splendor desinit; herbæ adeo formosæ, ac suaves visu decidunt, & elanguent; at Domus mea non interibit; Deus cum ipsa perenne fœdus percussit.

Verum mallem in hoc sensu vertere: Veluti Sol in ortu suo, cum dies serena est, ac sine nubibus, & sicuti herbæ terræ calore repefactæ, & pluvia irrigatæ germinant; talis erit domus mea, vel tale fuit regnum meum, vel talis Dei benignitas erga me. Regnum David Soli, & Lunæ confertur Psal. 88. 38. *Thronus ejus sicut sol in conspectu meo, & sicut luna perfecta in æternum*. Et David in spiritu loquens de felicitate regni Salomonis eodem ferme pacto loquitur Psal. 71. 5. *Permanebit cum Sole & ante Lunam*. Et Debora petit a Deo, ut *Qui diligunt illum, sicut Sol in ortu suo splendet, ita rutilent*, Judic. cap. ult. Quis umquam crediderit, David post descriptionem orientis solis, cum formosior est dies, inde inferre velle, hæc omnia nihil esse collata splendori domus suæ? nonne e contra expectas, ipsum dicturum, talem esse domus suæ, ac regni decorem, & lucem? Quid umquam insignius, quid grandius, quid magnificentius fingi potest collatione hac, atque his vocibus? Verum quidem est ipsum minime complere comparationem suam; sed omnem simul domus suæ humilitatem intuitus, atque huic cogitationi penitus occupatus, relinquit elogium quod incœperat, ut humillime fateatur, se per se ipsum nihil domui suæ contulisse, & huic nullam esse tantam prærogativam, quæ mereri potuerit, ut a Deo, quod ille facere voluerat, adeo insigniretur. Fatentur Interpretes in libris Sanctis [14] nonnumquam alterum comparationis membrum esse supplendum, alioquin sermonis sententiam mutilam fore, atque imperfectam.

℣. 5. CUNCTA SALUS MEA, & OMNIS VOLUNTAS, NEC EST QUIDQUAM EX EA, QUOD NON GERMINET.] Hebraicus textus ad literam [15]: *Ipse est cuncta salus mea, & totum desiderium meum; quia minime florebit*. Deus est, qui servat me, & adimplet vota mea: sed hæc verba, *quia minime florebit*, evertere videntur, quidquid hactenus dictum est. Num significant, Deum minime permissurum, ut compleantur hujus Prophetæ desideria, & spes illius ad successores transeant? Nonne e contra hoc gratiarum canticum David pangit propterea quod Deus pollicitus fuerat, se beneficia sua in omnem illius familiam, ac posteritatem large effusurum? Igitur Vulgatæ sensui adhærendum est, atque vertendum: *nihil est in familia mea, quod per ipsum non germinet*, & floreat. Vel addita interrogatione: *Num familia mea minime florebit?* Quod liquido relationem habet ad ea, quæ superius dicta fuerant, conferendo familiam, vel regnum ipsius arbustis probe innutritis, irrigatisque, & ad felicem Solis adspectum consitis; ubi omnia germinant, omnia florent, omnia gignunt. Septuaginta [16] hæc sequentibus addunt: *Et impius non germinabit*. Hæc est mala arbor, cui cum desit humor, quamprimum elanguescet, arescetque; at Hebraica lectio ad sensum hunc minime detorqueri potest; namque ante Belial, vel impium adest conjunctio [17]. *Nam minime florebit, & Belial &c.*

℣. 6. PRÆ-

1 Supplevimus secundam comparationis partem, quam aliquando Hebræi omittunt; at nostrum idioma non patitur, ut ita suspensa reliquatur sententia. 2 *Mihi salutem parat, explet vota mea.* 3 Ad literam: *hastile lanceæ.*
4 Ὃς ἀνέστησε ὁ Θεὸς Χριστὸν Θεοῦ Ἰακώβ. 5 הקם על משיח אלהי יעקב 6 נעים זמרות ישראל
7 לי דבר צור ישראל 8 משל יראת אלהים 9 Genes. 31. 42. 10 Exod. 12. 29. 11 Psal. 75. 6.
12 Isai. 11. 3. 13 באור בקר יזרח שמש בקר לא עבות מנגה ממטר דשא מארץ 14 Plura extant exempla in veteri Testamento, & in S. Pauli epp. 15 כי כל ישעי וכל חפץ כי לא יצמיח
16 Ὅτι ὁ μὴ βλαστήσει ὁ παράνομος. 17 כי לא יצמיח ובליעל

℣. 6. PRÆVARICATORES AUTEM QUASI SPINÆ EVELLENTUR.] Alludere videtur ad ea, quæ Sauli contigerant, qui isthic prævaricatoris nomine designati videtur, Hebraice *Belial*; ipse enim, & progenies illius evulsi fuerunt, velut spinæ. Præpropera, ac violenta morte interierunt; quod exprimitur per eam securim, quam ille distringit, qui evellit, & dissipat spinas. Intelligi quoque potest de impiis generatim, quorum flagitia impune abire non patitur Deus.

℣. 8. SEDENS IN CATHEDRA SAPIENTISSIMUS PRINCEPS INTER TRES, IPSE EST QUASI TENERRIMUS LIGNI VERMICULUS.] Vulgatæ author, præter morem, quædam Heroum istorum propria nomina traduxit, qui sub Davidis regno floruerunt; Nos vero subinde propria nomina substituemus. Ita porro Hebraicus textus ad litteram vertitur [1]; *Ille, qui sedet super sedem sapientiæ, princeps inter tres, Adino Hesni*, qui octingentos viros occidit. In Paralipomenon loco, qui huic referri videtur, legimus [2]: *Jesbaam filius Hachmoni, princeps triginta, elevavit lanceam suam super trecentos viros, quos uno occursu interfecit*. Magnum, quod inter utrumque locum interest discrimen, eas parit difficultates, quæ ægre queunt conciliari. Expeditius quidem esset fateri, duos hosce viros esse penitus alios; sed hæc ipsa confessio absurdo non caret. Dicendum enim erit juxta hanc sententiam, *Adino*, qui princeps erat inter tres magnos Regni David ministros, in Paralipomenis præteriti, vel *Jesbaam* triginta principem in libris Regum non memorari. Præterea nomen *Iesch*, *sedens*, invenitur in *Iesbaam*; pater *Adins* videtur *Tachemoni*, Jesbaam vero Chachmoni: quæ sane quædam vestigia sunt, ex quibus *Iesbaam*, & *Adino* unum tantummodo & eumdem fuisse liceat inferre.

Verum *Iesbaam*, & *Adino* sunt duo nomina longe diversa: Jesbaam est *caput triginta*, & Adino *caput trium*. Hic octingentos occidit, ille trecentos; quæ simul conciliari minime posse videntur. Nihilominus mihi persuasum est, hunc Regum locum ex eo Paralipomenon esse castigandum, & nomen *Adino* Librarii errore obrepsisse. Vide notam 1. Isthic legimus: *Iesbaam filius Chachmoni caput trium, levavit lignum hastæ suæ super trecentos homines, quos uno tantum occursu interfecit*. Septuaginta nostram hanc correctionem confirmant [4]: *Iesbaab filius Thechemani erat primus trium. Adino Asonæus eduxit gladium suum contra octingentos homines, quos occidit*. Palam liquet, quod *Adino Asonæus* est inutilis additio: quandoquidem primum vocatur, *Iesbaab filius Thechmuni*; cur deinceps *Adino Asonæus* appellatur; & undenam Interpretes desumpserunt, ipsum *eduxisse gladium*, si hoc in Hebraico suorum temporum textu, minime aderat; namque neque hodie quoque invenitur?

PRINCEPS INTER TRES.] Diligenti hic opus est distinctione inter tres primos, tres secundos, ac Ministros, qui simpliciter *Triginta*, vel *Schalischim* vocantur. Jesbaam, Eleazar, & Semaa erant tres primi. Banaias, Abisai, & alius quidam, cujus nomen non extat, erant secundi tres; vel, si mavis, tres priores ordinis secundi. Post hos plerique ministri virtute spectabiles, sed de quibus nihil peculiariter liquet. Omnes *Schalischim* vocabantur, ex quovis essent ordine, quod nomen generale erat ducibus quibuslibet in Regis hujus exercitu. Scriptura hic refert nomina septem, ac triginta *Schalischim*; in Paralipomenis vero illis sexdecim alios addit. Videri possunt ea, quæ diximus in Exodo 14. 7. cum loqueremur de Schalischim Pharaonis. Libri Paralipomenon inquiunt, Isbaam fuisse *caput triginta*, sed hic manifestus est error: legendum est enim, *caput trium*.

℣. 9. POST HUNC ELEAZAR FILIUS PATRUI SUI AHOHITES.] Hebraice [5]; *Eleazar filius Dodi, filius Ahohi*. Seu quod *Ahohi* nomen sit patriæ, vel patrui illius, æque vocari potest filius *Ahohi*. Quoad *Dodi*; S. Hieronymus legit *Dodo*, sed Septuaginta *Dudi*. *Dod* Hebraice nonnumquam patruum significat; at potest quoque esse nomen proprium. Ego quidem non ambigo, quin ipse, vel pater ipsius ille sit, qui in 1. Paral. 27. 4. appellatur *Dudai Ahohites*, ac Dux alterius legionis viginti quatuor mille virorum, qui vicissim per mensem, David imperante, jussa faciebant.

INTER TRES FORTES, QUI ERANT CUM DAVID, QUANDO EXPROBRAVERUNT PHILISTIIM.] Hoc est prælium illud, in quo Gigas Goliath exercitui Domini illusit 1. Reg. 17. 1. Circumstantia, quæ hic memoratur, non extat eo in loco, ubi hæc historia describitur; ibi enim nulla fit mentio Eleazari, qui præclarum virtutis suæ specimen peculiariter ediderit. At prior Paralipomenon liber c. 11. 13. omnem hac de re dubitandi adimit locum; ait enim, hoc in Phes-dommim contigisse, vel ut in primo Regum libro legimus, *in finibus Dommim*. Sub belli hujus initium Eleazari virtus enituit, antequam David occidisset Goliath.

℣. 10. CUMQUE ASCENDISSENT VIRI ISRAEL IPSE STETIT, & PERCUSSIT PHILISTHÆOS.] Factum istud parum aliter in 1. Paralip. 11. 13. enarratur; ibi enim legimus, cum Philisthiim convenissent in Phesdommim prope agrum hordeo fluitantem, Israelitas corripuisse fugam; sed Jesbaam, & Eleazarum se se in medium agmen proripuisse, fugientes milites cohibuisse, & cæsis Philisthiim, Israelitas Dei ope insignem retulisse victoriam.

DONEC DEFICERET MANUS EJUS, & OBRIGESCERET CUM GLADIO.] Seu quod manus adhæresceret gladio magna cruoris coacti copia, qui illuc diffluxerat conglutinata [6]; seu quod veluti siderata manus propter cædendi vim, ac digitorum nervi, quodammodo arescentes, & succo exhausti cum gladii capulo stricti rigescerent: ita ut post prælium ægre manum ipsius aperuerint, digitosque solvere potuerint [7].

℣. 11. POST HUNC SEMMA.] Nomen hujus in Paralipomenis ibi minime invenio, ubi maxime esse deceret, quamvis omnis sermonis decursus supponere videatur, antea jam de illo verba facta fuisse. Verum fortasse hic ille est, qui *Sammot Arorites* l. 1. Paral. c. 11. 27., & *Sammae de Jezer* libro eodem cap. 27. ℣. 8. appellatur.

CONGREGATI SUNT PHILISTIIM IN STATIONE.] Hebraice [8]: *Philisthiim congregati sunt in Cajah*; vel *ad bestiam*; vel potius [9], *in loco cui nomen Lechi*, vel *Maxilla*, ubi Samson cum asini maxilla percussit Philisthæos. Nonnulli vertunt: *Convenerunt in pagis* [10]. Syriaca versio, & Arabica: *Congregati sunt, ut sylvestres feras venarentur*. Versio, quæ legit *maxillam*, æquior mihi videtur.

ERAT IBI AGER LENTE PLENUS.] In 1. Paralip. 11. 13. legimus: *Erat ibi ager plenus hordeo*. Ubinam mendum adsit, dici nequit, tamen parvum est. Duarum vocum similitudo *Searim* [11] hordeum, & *Adasim* [12] lens, quæ Hebraice literis omnino similibus scribuntur, erroris causa fuit Librariis. Nec

1 ישב בשבת תחכמני ראש השלישי הוא עדני העצני על שמנה מאות חלל
2 1. Par. 11. 11. ישבעם בן חכמוני ראש השלישים הוא עורר את חניתו על שלש מאות חלל בפעם אחד
3 Textum Regum ita lego: ישבעם חכמני ראש השלישי הוא עורר את חניתו על שלש מאות חלל Amanuensis legit עדינו, loco עורר & העצני pro העץ חניתו Numerus 300. ab uno tantum in uno occursu interemptorum, credibilior est, quam 800.
4 Ἰεσβαὰλ υἱὸς Θεκεμανὶ πρῶτος τῶν τριῶν ἦτον. Ἀδινὼ ὁ Ἀσωναῖος, ὃς ἐσπάσατο τὴν ῥομφαίαν αὐτοῦ ἐπὶ ὀκτακοσίους, Edit. Rom. Ἰεβοσθὲ ὁ Χαναναῖος ἄρχων τῶν τριῶν ἐστί.
5 אלעזר בן דודי בן אחחי
6 Menoch. Marr. Joseph. Antiqu. l. 7. c. 10.
7 Vatab. Sanct.
8 ויאספו פלשתים לחיה
9 Ita 70. Edit. Complut. Ἐπισυνήχθησαν ἐπὶ σ[illegible]ιν. Vide Bochar. de Animal. sacr. par. 1. l. 2. c. 5.
10 Pagn. Mont. Vatab. Clesic.
11 שערים
12 ערשים

desunt [2] qui afferant utrumque textum menda carere, & agrum altera extremitate hordeo satum fuiſſe, ac lente in altera : vel in agro hoc ariſtatum faſciculas in altero fuiſſe loco, lentium vero cumulos in altero [3]. Philiſthiim hæc vel diripere, vel succendere cupiebant; at Semma, cui Eleazar comes aderat, & forte etiam Jesbaam, illos deterruit. Vide Paralipomenon locum, ubi factum hoc Eleazaro defertur. Verum ſicuti diximus, verſiculus, qui de Semma loquebatur, interiit.

℣. 23. NEC NON & ANTE DESCENDERANT TRES, QUI ERANT PRINCIPES INTER TRIGINTA.] Hoc eſt [1] : hi tres iidem Heroes, Jesbaam, Eleazar, & Semma, convenerant David in ſpeluncam Odollam, cum Rex illuc conceſſit, dum Philiſthiim illi bellum intulerant, paullo poſtquam Jeruſalem potitus fuerat [4]. Auctor Vulgatæ credidiſſe videtur, tres hos Duces ſecutus fuiſſe David in ſpeluncam Odollam, antequam Rex ille [5] imperium obtinuiſſet; quandoquidem ait, ipſos *ante* deſcendiſſe in hanc cavernam, quo præcedens certe tempus innuitur. Verum ſermonis decurſus hanc ſententiam penitus evertit. Bellum, de quo iſthic eſt ſermo, certo certius peractum fuit poſt Jeruſalem captam; & illud, quod præcedentibus verſiculis memoratur, accidit ante victoriam Davidis adverſus Goliath. Textus etiam Hebraicus ſimpliciter habet [6] : *Et tres inter Schaliſchim, venerunt ad Meſſem, ad David in cavernam Odollam*. Pro his vocibus *ad Meſſem* in Paralipomenis [7] habemus, *ad Petram*, quod caſtigatius videtur. Namque obvium eſt, ut dicantur conveniſſe David *ad petram, atque in ſpeluncam Odollam*, ſeu in ſpeluncam petræ Odollam. At ſi Textus innuere vellet tempus meſſis, alia ſane ratione illud exprimeret. Plurimi Interpretes [8] putant, tres illos duces, qui convenerant Davidem in ſpeluncam Odollam, eos eſſe qui proxime deinceps memorantur. Verum nullum ſatis validum ſententiæ hujus argumentum invenio, neque enim naturale eſt, ut de illorum rebus geſtis ſermo habeatur, quorum nondum nomina protuleris.

℣. 14. ET DAVID ERAT IN PRÆSIDIO : PORRO STATIO PHILISTHINORUM TUNC ERAT IN BETHLEHEM.] David haud in rem fore cenſuit, ſi primum ſtatim manus cum Philiſthiim conſeruiſſet [9]. Receſſerat ergo in ſpeluncam Odollam ad meridiem Jeruſalem, ubi & copias ſuas, & Dei nutum opperiebatur, ut in aciem deſcenderet. Philiſthiim, qui caſtrametati fuerant in valle Gigantum inter Jeruſalem, & Bethlehem, validum præſidium poſuerant in Bethlehem, ut exercitum ſuum ex eo latere, ubi erat David, tuerentur.

℣. 15. DESIDERAVIT . . . . POTUM AQUÆ DE CISTERNA.] Sanctius putat, Davidem figurato modo fuiſſe locutum, atque hoc unum innuere voluiſſe : Faxit Deus ut quam primum Bethlehem liberam intueri poſſimus, & aquas de ciſternis illius bibere! Bibere aquas regionis alicujus, ſæpius ſignificat ibi habitare. Virgilius Eclog. 1.

Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim.

At fortes hi viri iſtud nequaquam hoc pacto intellixerunt, quod neque reor eſſe intelligendum : David æſtu, ac ſiti vexatus, obiter, ac inconſiderate, ait: *O ſi quis mihi daret potum aquæ de ciſterna, quæ eſt in Betlehem!* aquæ illius perfectionem noverat; Ea enim erat patria ipſius. Tres hi ſtrenui milites, quin ulterius aliquid deliberarent, eumque admonerent, diſcedunt, & recto iti-

A nere per medios hoſtes ad ciſternam pervadunt.

℣. 16. AT ILLE NOLUIT BIBERE, SED LIBAVIT EAM DOMINO.] Singulari actus devotione fecit, quod minime conſuetum erat in Hebræorum Religione aquam, velut oblationem Domino, ac libationem effundens. Se enim luxurioſe agere, ac Deo diſplicere credidiſſet, aquam bibens, quæ tanti ſteterat; maluitque ſacrificium ex ea Domino offerre, ac ſitim, qua fauces exacuerant, ferre. Aliud jam libationum aquæ coram Domino exemplum in primo Regum libro 7. 6. conſpeximus. Aliquos ibi Ethnicorum uſus, qui aliquam ad hæc rationem habere poſſunt, attulimus. Hic vero addi poteſt, Veteres in conviviis ſuis antequam biberent Diis libare conſueviſſe [10]. Aqua vero, ubi deerat vinum, effundebatur. Virgilius Æ-

B neid. 1. v. 740.

Dixit, & in menſa laticum libavit honorem.

Hoc ipſum in ſacrificiis uſuveniebat. Aquæ libationes fiebant, cum vinum deeſſet. Vide Homerum Odyſſ. M.

℣. 17. NUM SANGUINEM HOMINUM ISTORUM BIBAM?] Bibam ex hac aqua, quam viræ ſuæ periculo comparaverunt? Simili loquendi ratione dicitur, bibere ſanguinem, vel ſudores populorum, pro eorum bonis, laboribuſque diteſcere, illis diripere, quæcumque vitæ pretio acquiſiverint, aut manuum ſuarum labore. Alexander Magnus, teſte Q. Curtio l. 7. noluit bibere aquam, quam ad eum miles quidam detulit, cum reliquus exercitus ſiti urgeretur; eamque reddidit illi, qui ipſam attulerat, di-

C cens, ſe nec ſolum eam guſtare velle, neque eam ſatis eſſe, ut in ſingulos milites divideretur; *Tum poculo pleno, ſicut oblatum eſt, reddito: nec ſolus, inquit, bibere ſuſtineo, nec tam exiguum dividere omnibus poſſum*. Arrianus lib. 6. ait, Principem hunc eam aquam effudiſſe coram univerſo exercitu, ita ut omnes extremam, qua angebantur, ſitim haud gravate deinceps ferrent.

℣. 18. ABISAI . . . PRINCEPS ERAT DE TRIBUS.] Caput erat alterius turmæ virorum fortium, ſub tribus prioribus, ſuper duos alios, quorum ipſe tertius erat. Hi duo vero erant *Banajas*, & *Aſael*. Nonnulli putant, tertium iſthic non innui, utì quoque, nec in Paralipomenis, & Aſael nequaquam ex horum trium numero fuiſſe. Alii [11] credunt, pri-

D mum fuiſſe Abiſai, alterum *Sobael*, qui inauditæ magnitudinis gigantem interemit, & tertium Jonathan, filium Semma, de quo ſermo eſt capite 21. libri hujus ℣. 22. & qui gigantem occidit ſenos in ſingulas manus pedeſque digitos habentem. At tertius hic eſſet ne *Iojada* pater Banajæ, de quo ſermo ℣. 20.? an Joab, Imperator exercitus David?

℣. 20. BANAJAS, FILIUS JOJADÆ, VIRI FORTISSIMI, MAGNORUM OPERUM, DE CABSEEL.] In Paralipomenis dicitur Jojadas multa præclare, eximieque geſſiſſe [12]. Sed Hebraicus textus [13] æque de utroque poteſt intelligi. Reddi autem poteſt; *Banajas, filius Iojadæ, filius ſtrenui viri, inſignis ob præclare geſta, de Cabseel*. Alibi legimus, Banajam Sacerdotem fuiſſe. Vide primum Paralipomenon 27. 5.

E IPSE PERCUSSIT DUOS LEONES MOAB.] Quinam erant hi duo leones? Non deſunt [14], qui putent hos duos reales leones fuiſſe, quos Banajas occiderat, dum una cum Davide in regione Moab immoraretur; quæ ſententia, vel inde probari poteſt, quod immediate ſtatim dicitur unum in ciſterna occidiſſe, dum terra nivibus eſſet obducta. Alii volunt, duos gigan-

2 Buxtorf. Vindic. 3 Rab. David, Hugo, Cajet. Vatab. Sanct.
5 Joseph. l. 2. c. 10. Vatab. Mar. Jun. Malv. &c. 4 2. Reg. 5. 17. 5 2. Reg. 22. 1.
6 ויורו שלשה מהשלישים ראש ויבאו אל קציר אל דוד על מערת עדלם 7 על הצור
8 Auth. tradit. Hebr. Libb. Reg. Tostat. Hugo, Cajet. Sanct.
9 Vide quæ diximus ad 2. Reg. 5. 10 Homerus Iliad. H. Virgil. Æneid. 7. v. 279. *In menſam lati bibunt, divoſque precantur.* 11 Author. Tradit. Libb. Reg. Lyr. &c.
12 1. Par. 11. 22. *Banajas filius Jojadæ viri fortiſſimi: qui multa opera perpetrarat, de Cabſeel.*
13 ובניהו בן יהוידע בן איש חי רב פעלים מקבצאל הוא הכה את שני אריאל מואב loco איש חי Maſorethæ legi volunt איש חיל *viri fortes* 14 Toſt. Sanct.

gigantes ab ipso fuisse enecatos [1], qui *Ariel*, vel *Leones Dei*, leones potentes, vocari volebant, propter vires suas, atque animi robur inauditum. Septuaginta hoc pro nomine hominis proprio intellexerunt [2]; *Interfecit duos filios Ariel*. Vatablus censet, Banajam duabus arcibus fuisse potitum, quæ *Ariel* appellabantur; qui sane verus est hujus loci sensus [3]. Duæ Ariel Moab sunt duæ civitates Ar, vel civitas Ar, seu Areopolis, caput Moab, ad Arnon sita, quam fluvius ille bifariam secabat; & quæ ab Eusebio, & S. Hieronymo *Ariela* vocatur.

℣. 21. CUM DESCENDISSET AD EUM IN VIRGA.] Hoc pacto David quoque *cum baculo* in aciem contra Goliath descendit 1. Reg. 18. 43. seque ursos, ac leones occidisse dicebat Sauli 1. Reg. 17. 34. non alia habentem arma, quam quæ pastor gestare consuevit. Non desunt, qui baculo tantum armati minime vereantur adversarium optime quovis armorum genere instructum. Vide certamen Dioxippi, & Horrati apud Q. Curtium l. 9. c. 7.

℣. 23. NOMINATUS INTER TRES ROBUSTOS, QUI ERANT INTER TRIGINTA NOBILIORES; VERUMTAMEN USQUE AD TRES NON PERVENERAT.] Æquare non poterat virtutem Jesbaam, Eleazari, & Semma, sed nobilis erat inter tres viros ordinis secundi, in quo Abisai erat prior, & qui superiores erant aliis triginta, qui his & nominis celebritate, & virtute decedebant. Vel potius insignis erat inter tres ordinis secundi, atque magni nominis inter *Schalischim*, seu ministros David. Vox hæc *Schalischim* significat, & triginta, & militiæ præfectum apud Ægypti Reges, vel etiam apud Hebræos.

FECIT EUM SIBI DAVID AURICULARIUM A SECRETO.] Videlicet familiarem sibi, & consiliarium. Hebraice [4]; *Constituit eum David super audientiam suam*. In Paralipomenis S. Hieronymus vertit: *Posuit eum ad auriculam suam* [5]: & Septuaginta ibidem reddunt [6]: *posuit illum in familia sua*. Alii volunt, eum Consiliariis suis adscripsisse [7]; sed alii [8] animadvertentes, virtutem, & fortitudinem militaribus dignitatibus decorari, credunt a Davide hunc regiæ cohorti fuisse præfectum. Vertunt autem: *Constituit eum super obedientiam suam*, super eos, qui obediebant illi, qui mandata illius exequebantur, qui semper illi præsto aderant, ut quo juberentur currerent.

Regis Persidis habebant ministros, qui Regis auriculæ vocabantur, per quos omnia, quæ contingerent, intelligebant [9]; *Aures Regiæ, & imperatorum oculi, quidam homines vocabantur; per quæ officiorum genera, Rex ille ab hominibus Deus esse credebatur, cum omnia, quæ ubicumque gererentur, iste Oraculorum delatione discebat*. Fabula quoque ob id magnas adeo Midæ auriculas finxit, eo quod plerosque delatores haberet, qui ipsi quæcumque fierent, diligenter referrent [10].

℣. 24. ASAEL . . . . INTER TRIGINTA.] Malim Hebraicum textum reddere [11]: *Asael erat e numero Schalischim*, vel inter principes ministros copiarum David, ex eorum numero, quorum nomenclaturam isthic videmus. Hic est Asael, qui interfectus fuit ab Abner 2. Reg. 2. 23.

℣. 25. SEMMA DE HARODI.] Reor hunc eumdem esse ac *Semma de Arari* tertium inter primos Heroas ℣. 11. Nomen patriæ ipsius diversimode scribitur. Vide locum eumdem.

℣. 26. HELLES DE PHALTI.] Vel *Helles Phalonites* 1. Par. 11. 27.

℣. 27. MOBONNAI DE HUSATI.] Vel *Sobbochai Husatites* 1. Par. 11. 29.

℣. 28. SELMON AHOHITES.] Vel *Ilai Ahohites* 1. Par. 11. 29.

℣. 29. HELED.] Hebraice: *Cheleb*. Sed *Cheled* vocatur 1. Par. 11. 30.

℣. 30. HEDDAI.] Aliter, *Hurai* 1. Par. 11. 32.

℣. 31. ABIALBON.] Aliter *Abiel* 1. Par. 11. 32.

AZMAVETH DE BEROMI.] Aliter *Asmot Bauramites*; ibidem.

℣. 32. FILII JASSEN;] vel filii Assen Jezonitis 1. Par. 11. 33.

JONATHAN.] Primus Paralipomenon liber addit, hunc fuisse *filium Sage Arari*. Hic *Sage Arari* erat quoque pater *Semma*, supra ℣. 11.

℣. 33. AJAM FILIUS SARAR AROBITES.] In 1. Paralipom. 11. 30. *Abiam filius Sachar Araritès*. *Semma Orarites*; vidimus jam ℣. 11. *Semma filius Age de Arari*, & ℣. 25. *Semma de Harodi*; vereor autem, aliqua reperi in his capitibus. In Paralipomen. cap. 11. 27. legimus: *Sammoth Arorites*, vel *Aroditee*, quemadmodum est in textu Hebraico, & ℣. 44. *Samma, & Jehiel filii Hotham Arorites*, vel *Aroerites* juxta Hebraicam legendi rationem, & ℣. 34 *Ionathan filius Sage Ararites*. Satis liquet *Sage*, & *Age* unum esse, & eumdem; & videtur nomen *Semma* intercidisse ℣. 34. Paralipomenon, & ℣. 34. legendum est sicut ℣. 44. ni castigare velis *Hotham* ℣. 34. pro eo surrogando Jonathan ℣. 34. Quoad locum *Irari*, vel *Oeri*, vel *Orodi*, reor eumdem esse; modo enim scribitur, ההרר *Hahavari*, modo ההרר *Hacharari*, & modo הערערי *Havari*, vel *Haori*, vel ההררי *Haharadi*.

Nominum horum situs ignoratur, ni deducantur ab *Arade* in Phœnicia, vel *Aroer* trans Jordanem.

℣. 34. ELIPHELET,] *filius Aasbai*. Aliter, *Eliphal, filius Ur* 1. Par. 11. 35.

℣. 35. HEZRAI.] Vel *Hezro* 1. Par. 11. 37.

PHARAI DE ARBI.] Vel *Naharai*, *filius Aasbai* 1. Paral. 11. 37.

℣. 36. IGAAL FILIUS NATHAN.] Aliter, *Joel filius Nathan* 1. Par. 11. 38. Joel, vel Igaal, nutritus fuerat, vel etiam fortasse adoptatus a fratre suo Nathan; ideoque per adoptionem factus est filius ejus, cujus frater fuerat per naturam. Vel Joel aliquam ex neptibus suis, filiam Nathan, uxorem duxerat, qui nullum fortasse virilis sexus filium reliquerat. Cum hæc adesset causa, filiæ hæredes nubebant viro cuipiam e familia sua; & lege nequaquam cautum est, ne patruus neptem uxorem ducat.

BONNI DE GADI.] Aliter, *Mibahar, filius Agarai* 1. Par. 11. 38.

℣. 39. URIAS HETHÆUS.] Hic est vir Bethsabee.

OMNES TRIGINTA SEPTEM.] Recensitis prioribus tribus, tribus secundis, ac deinceps aliis omnibus Schalischim, quorum gesta ignorantur, isthic sex tantum, ac triginta virorum nomina enumerantur; nam quemadmodum adnotatum est ad ℣. 28. Scriptura præteriit nomen tertii fortis viri alterius ordinis, tum hoc in loco, cum in Paralipomenis. Præter hos septem ac triginta Schalischim Davidis sexdecim alii in Paralipomenis recensentur. Cur autem isthic omissi fuerint, ratio latet. Joab Imperator summus copiarum David, & Amasa, qui illi subrogatus fuerat eadem in provincia, isthic non memorantur: illi vero superioris erant ordinis præ cæteris omnibus Ministris.

1 Joseph. Antiqu. l. 7. c. 10. Author Tradit. Hebr. Gloss. Lyr. Cajet. &c.
2 Ἐπάταξε τοὺς δύο υἱοὺς Ἀριὴλ. 3 Isai. 29. 1. 4 וישמהו דוד אל משמעתו 70. Κατέστησεν αὐτὸν Δαυὶδ πρὸς τὰς ἀκοὰς αὐτοῦ. Aqu. Ἐπὶ τὴν ὑπακοὴν αὐτοῦ, *super obedientiam suam*, vel *super eos, qui illi parebant*. Sym. Ἐπὶ τῶν ὑπηκόων αὐτοῦ. *Super subditos suos*. 5 1. Par. 11. 25. 6 70. Κατέστησεν αὐτὸν . . . ἐπὶ τὴν πατριὰν αὐτοῦ. 7 Munst. Hebr. Cast. Strigel. Mart. 8 Jun. Tremel. Belg. & Angl. Vers.
9 Apul. lib. de Mundo. Vide Brisson. de Regno Persarum lib. 1. 10 Cononis Narrat. narrat. 1.
11 עשהאל בשלשים

CAPUT XXIV.

Census totius Israel Davidis jussu habitus. Hujus curiositas peste mulctata. Propheta Gad illi imperat, ut Domino extruat Altare, & pestis cessat.

Anno M. 2987. Ante J. C. 1017.

1. ET addidit furor Domini irasci contra Israel, commovitque David in eis dicen-
tem : Vade, numera Israel, & Judam. 2 Dixitque rex ad Joab principem e-
xercitus sui : Perambula omnes tribus Israel a Dan usque Bersabee, & numera-
te populum, ut sciam numerum ejus. 3 Dixitque Joab regi ; adaugeat Dominus Deus
tuus ad populum tuum, quantus nunc est, iterumque centuplicet in conspectu domini
mei regis ; sed quid sibi, dominus meus rex, vult in re hujuscemodi ? 4 Obtinuit au-
tem sermo regis verba Joab, & principum exercitus, egressusque est Joab, & principes
militum, a facie regis, ut numerent populum Israel, 5 Cumque pertransissent Jorda-
nem, venerunt in Aroer ad dexteram urbis, quæ est in valle Gad: 6 Et per Jazer
transierunt in Galaad, & in terram inferiorem Hodsi, & venerunt in Dan silvestria. Cir-
cumeuntesque juxta Sidonem. 7 Transierunt prope mœnia Tyri, & omnem terram He-
væi, & Chananæi, veneruntque ad meridiem Juda in Bersabee; 8 Et lustrata universa
terra, affuerunt post novem menses, & viginti dies in Jerusalem. 9 Dedit ergo Joab
numerum descriptionis populi regi, & inventa sunt de Israel octingenta millia virorum
fortium, qui educerent gladium : & de Juda quingenta millia pugnatorum. 10 Per-
cussit autem cor David eum, postquam numeratus est populus : & dixit David ad Do-
minum. Peccavi valde in hoc facto ; sed precor, Domine, ut transferas iniquitatem
servi tui, quia stulte egi nimis. 11 Surrexit itaque David mane, & sermo Domini fa-
ctus est ad Gad prophetam, & videntem David, dicens: 12 Vade, & loquere ad Da-
vid : Hæc dicit Dominus ; Trium tibi datur optio, elige unum, quod volueris ex his,
ut faciam tibi. 13 Cumque venisset Gad ad David, nuntiavit ei, dicens: Aut septem
annis veniet tibi fames in terra tua ; aut tribus mensibus fugies adversarios tuos, & il-
li te persequentur ; aut certe tribus diebus erit pestilentia in terra tua. Nunc ergo de-
libera, & vide, quem respondeam ei, qui me misit, sermonem. 14 Dixit autem Da-
vid ad Gad : Coarctor nimis : sed melius est, ut incidam in manus Domini (multæ e-
nim misericordiæ ejus sunt) quam in manus hominum. 15 Immisitque Dominus pesti-
lentiam in Israel, de mane usque ad tempus constitutum, & mortui sunt ex populo, a
Dan usque ad Bersabee, septuaginta millia virorum, 16 Cumque extendisset manum
suam Angelus Domini super Jerusalem, ut disperderet eam, misertus est Dominus super
afflictione, & ait Angelo percutienti populum ; Sufficit ; nunc contine manum tuam ;
erat autem Angelus Domini juxta aream Areuna Jebusæi. 17 Dixitque David ad Domi-
num, cum vidisset Angelum cædentem populum : Ego sum, qui peccavi, ego inique
egi ; isti, qui oves sunt, quid fecerunt ? vertatur, obsecro, manus tua contra me, &
contra domum patris mei. 18 Venit autem Gad ad David in die illa, & dixit ei ; A-
scende, & constitue altare Domino in area Areuna Jebusæi, 19 Et ascendit David jux-
ta sermonem Gad, quem præceperat ei Dominus. 20 Conspiciensque Areuna, animad-
vertit regem, & servos ejus transire ad se ; 21 Et egressus adoravit regem prono vul-
tu in terram, & ait : Quid causæ est, ut veniat dominus meus rex ad servum suum ?
Cui David ait : Ut emam a te aream, & ædificem altare Domino, & cesset interfectio,
quæ grassatur in populo. 22 Et ait Areuna ad David ; Accipiat, & offerat Dominus
meus rex, sicut placet ei : habes boves in holocaustum, & plaustrum, & juga boum
in usum lignorum. 23 Omnia dedit Areuna rex regi, dixitque Areuna ad regem; Do-
minus Deus tuus suscipiat votum tuum. 24 Cui respondens rex, ait : Nequaquam ut
vis ; sed emam pretio a te, & non offeram Domino Deo meo holocausta gratuita. Emit
ergo David aream, & boves argenti siclis quinquaginta : 25 Et ædificavit ibi David
altare Domino, & obtulit holocausta, & pacifica : & propitiatus est Dominus terræ, &
cohibita est plaga ab Israel.

Addi-

℣. 1. ADDIDIT FUROR DOMINI IRASCI CONTRA ISRAEL, COMMOVITQUE DAVID IN EIS.] Domini ira succensa est contra Israel, & permisit Deus, ut David, quod illi male verteret, imperaret, ut universus Israel conscriberetur. Hebraicus textus [1], & Vulgata majorem habent vim: *Ira Domini iterum accensa est adversus Israel, & incitavit David in populum suum*; pravum hoc illi consilium infudit: sed quemadmodum hæc dicendi ratio pressius sumpta impiam blasphemiam continet, Deo acceptum referens malum, cujus ille est impos, etiam cum ira exardescit, præstat vertere: *Deus persistit irasci contra populum suum; nam David, quod illis damno futurum erat, commotus fuit, ut diceret: Vade, recense universum Israel*. Vel, quemadmodum scriptum est in 1. Paral. 21. 1. *Consurrexit Satan contra Israel, & concitavit David, ut numeraret Israel*. Hic *Satan* ab aliis dæmon esse intelligitur; alii vero de pravo, ac ambitioso consiliario explicant.

℣. 3. QUID SIBI DOMINUS MEUS REX VULT IN RE HUJUSCEMODI?] Joab acrius loquitur in Paralipomenis: *quare hoc quæris Dominus meus, quod in peccatum reputetur Israel?* Dux hic, alioquin non adeo religiosus, tamen funestos recensionis hujus veretur effectus, & pro virili conatur hanc Regi mentem adimere. Scriptura quidem non adfert argumenta, quæ ipse, aliique proceres in consilium David protulere; sed hoc tantum dicit, Regem, invitis omnium rationibus, effecisse, ut census institueretur.

℣. 5. VENERUNT IN AROER, AD DEXTERAM URBIS, QUÆ EST IN VALLE GAD.] Hebraicus textus hoc pacto reddi potest [2]: *Castra metati sunt in Aroer ad dexteram urbis, quæ est in media valle Gad*. Aroer est trans Jordanem ad Arnon in tribu Gad, sita in valle, quæ secus Arnon extenditur. Ideo Legati David censum inire occæperunt in partibus magis orientalibus trans Jordanem.

℣. 6. IN TERRAM INFERIOREM HODSI.] Nullum hoc nomine locum agnovimus. Chaldæus, *in terram meridionalem Hodsi*. Septuaginta [3] *in regionem Tabasi, quæ est Adasa*, vel *in terram Chettim Chadeo*. Nonnulli Hebraicum textum ita reddunt [4]: *In regionem recens captam* [5]; ad litteram, *in terram recentium subditorum*, quod ad Agarenorum terminos spectare videtur, qui Saulis tempore fuerant ejecti. En autem ea, quæ dicuntur in 1. Paralip. 5. 10. & quæ loco huic pro commentario esse possunt: *In diebus autem Saul prœliati sunt contra Agarenos, & interfecerunt illos, habitaveruntque pro eis in tabernaculis eorum, in omni plaga, quæ respicit ad Orientem Galaad*. Regionis hujus situs optime huic sententiæ convenit.

VENERUNT IN DAN SYLVESTRIA.] In Dan nemorum, in urbem Dan ad radices montis Libani prope Jordanis originem, quæ adeo crebro in Scripturis memoratur velut postrema civitas Hebræorum plagæ Septentrionalis. Auctor Vulgatæ in Hebraico textu aliter legit, ac modo legamus. Hoc vero habetur in textu [6], *venerunt in Dan, Jaan*. Quis fuerit hic locus Jaan penitus ignoratur; & varietas, quæ in Septuaginta animadvertitur [7], palam probat, textum hoc in loco esse mendosum. Ego vero litera tantum transposita legere vellem [8]: *In Dan fontem*; ibi enim unus e Jordanis fontibus prope Dan manabat.

℣. 7. TRANSIERUNT PROPE MÆNIA TYRI.] Veteris nempe Tyri, quæ in continenti erat ædificata a nova Tyro, quæ in insula posita est, triginta circiter stadia procul, hoc est leucam, & aliquid amplius, vel quatuor ferme passuum millia [9]. Hebraicus textus [10]: *Venerunt ad arcem Tyri*.

℣. 8. LUSTRATA UNIVERSA TERRA.] Verum neque tribus Levi, nec tribus Beniamin recensio habita est [11]; immo novissimæ hujus tribus neque fines peragrasse videntur. In aliis vero tribubus haud ita diligenter census est institutus; neque usquequaque absolutus est.

℣. 9. INVENTA SUNT DE ISRAEL OCTINGENTA MILLIA, ET DE JUDA QUINGENTA MILLIA.] Theodotion *nongenta* habet Israel *millia*; Juda vero *quadringenta*. At in 1. Paralip. 21. 5. res longe aliter narratur. Joab enim mandato functus in Jerusalem rediisse dicitur, ac dedisse Regi censum, quem ipse habuerat, in quo undecim centena millia de Israel, quadringenta vero & septuaginta millia de Juda censa fuere: *inventus est omnis numerus Israel mille millia, & centum millia virorum educentium gladium; de Juda autem quadringenta septuaginta millia bellatorum*. Inter diversos hos numeros tanta est disparitas, ut præstare videatur, alterutrum deserere, quam utrumque violentis explicationibus conciliare, quæ sane plerumque difficultatem magis augent, quam minuant. At si hoc tibi consilium arrideat, uter erit posthabendus? profecto hic Regum numerus præferendus est. Interpres Arabs hunc secutus est in versione Paralipomenon. Numerus hic nequaquam immodicus est; ac facile agnosci potest regionem, quæ sexaginta leucas in longitudinem, triginta vero in latitudinem pateat, soli ubertate lætam, atque optime excultam alere posse sex, vel septem hominum myriades; nam pauciores nequaquam erant in Palæstina, hoc supposito, quod tercenti supra myriadem armis ferendis fuissent idonei, cum experientia doceat, numerum illorum, qui militari in ætate versantur, haud umquam quintam illorum partem excedere, qui in regione immorantur. Si præterea addideris tribus Beniamin, & Levi, exteros, & servos, quorum in censu habita ratio non fuit, fatendum erit in Judæa tempore David septem fuisse capitum myriades. At si Paralipomenon recensionem sequi velis, ubi 1570000. virorum educentium gladium numerantur, quin tribus Levi, & Beniamin, nec plane servi, atque exteri, nec mulieres, filii, ac senes censeantur, inde profecto immodica adeo exisset summa, ut omnem prope fidem excedat.

Cæterum nequaquam singulare est, mendas inveniri in Hebraici textus & numeris, & propriis nominibus: omnes Interpretes id fatentur; & oppositum mordicus affirmare, hoc sane idem esset, ac indirecte in Spiritum Sanctum, atque in Auctores eodem afflatos numine, eos errores vertere, quorum culpa in temporum longitudinem, ac Librariorum incuriam dumtaxat est rejicienda.

At ne credas, hæc nos generatim adnotasse, ut particularia asserendi argumenta laborem effugeremus, quibus hæc varietas conciliari solet; præcipuas hac de re sententias in medium proferam. Dicunt igitur [12], Joab, qui nonnisi gravate regiis parebat imperiis [13], nequaquam dedisse David fideliter, integreque summam illorum, qui censi fuerant. Verum eam data opera imminuit vel propter odium, vel, ne Regi terrorem immitteret, quem jam facti sui cœperat pœnitere; hoc autem ipsum in 1. Paralipomen. 27. 24. innui videtur, ubi scriptum est, quod *numerus eorum, qui fuerant recensiti, non est relatus in fa-*

1 ויסת את דוד בהם 2 ויחנו בערוער ימין העיר אשר בתוך הנחל הגד 3 Εἰς γῆν Θαβασὼν ἥ ἐστιν Ἀδασαί. Edit. Complur. Εἰς γῆν Χεττιεὶμ Χαδὲς. 4 אל ארץ תחתים חדשי 5 Ita Jun. Tremel. Pisc. Malv. 6 ויבאו דנה יען. S. Hieronymus legit יער loco יען 7 Edit. Complut. simpliciter Παραγίνονται εἰς Δάν. Edit. Rom. Εἰς Δανιδὰν καὶ οὐδὰν. 8 עין Fons, pro יען, cujus nulla significatio.
9 Strabo l. 16. Vide, quæ de urbe Tyro diximus in Comment. in Josue 19. 29.
10 ויבאו מבצר צר 11 1. Par. 21. 6. *Cæperat numerare, nec complevit: nam Levi, & Beniamin non numeravit.* 12 Sanct. Menoch. 13 1. Par. 21. 6. *Eo quod Joab invitus exequeretur Regis imperium.*

in factor Regis David. Haud igitur a fide abhorret Auctorem Paralipomenon hunc supplesse numerum ex privatis monumentis, institutis fortasse a Principibus Israel, qui rei huic una cum Joab præfecti, curiosius id quæsiverunt, & seorsim, ac diligentius privatim monumenta inscripserunt.

Cornelius a Lapide putat, numerum Paralipomenon ideo majorem esse numero, qui in libro Regum legitur, quod ibi recenseantur tribus Beniamin, & Levi, & fortasse gentes aliorum locorum Israel, quæ cum primum censæ non fuerint, mox recensitæ fuerunt. Verum quinam in duabus his tribubus, aliquibusque regionis illius angulis inveniri potuerunt ducenta, & septuaginta virorum millia? quomodo præterea probari potest, commentitium hunc duarum tribuum censum fuisse habitum, postquam Joab Regi sua monumenta obtulisset? Hoc sane omni veri specie caret. Alii vero [1] acriori ingenio viri dixere, Joab in censu a se peracto, nequaquam ad calculos revocasse viginti quatuor virorum millia, quæ David in singulis tribubus duodecim subjecerat Ducibus, quod explicite in Paralipomenis memoratur [2]. Hi autem viginti quatuor mille viri in quslibet e duodecim tribubus efficiunt ducenta, atque octo super octuaginta virorum millia, quæ satis, superque sunt, ut repleant numerum, qui in Regum libri recensione deest. Auctor Paralipomenon copiarum harum habere potuit rationem ea in summa, quam affert; Auctor vero libri Regum nequaquam operæ duxit pretium hanc facere accessionem: hoc enim illis integrum erat. Verum si systematis hujus argumenta petas, vereor, ut ullum e Scripturarum fide satis probatum afferatur; ideoque hoc semper historicorum systematum ordini erit adscribendum.

℣. 10. PERCUSSIT COR DAVID EUM.] Quæ umquam esse potuit causa, ut his ageretur stimulis David? Quod ipse fecerat, nulla profecto lege erat interdictum. Deus hoc præcipit Moysi Exod. 30. 12. *Quando tuleris summam filiorum Israel, juxta numerum dabunt singuli pretium pro animabus suis Domino, & non erit plaga in eis, cum fuerint recensiti*. Verum præceptum hoc ad Moysen tantummodo spectabat, atque pro ea tantum vice: volebat Deus, ut quivis Israelita ad constructionem Tabernaculi Fœderis aliquid conferret; atque minas intentat in eum, quicumque hemisiclum tribuere renuerit: at quænam aderat ratio inter illud, & factum Davidis? licet etiam fateremur, Deum intellexisse, ut ipsi in capita tot hemisicli solverentur, quoties census populi instruebatur [3], quis affirmare ausit, imperatam pecuniam minime fuisse persolutam? ubinam Deus hoc omissum fuisse queritur.

Asserere vero cum quibusdam [4], David contra Domini mentem fuisse operatum, censum populi sui habendo, eo quod promiserat Deus, se illos adeo multiplicaturum, ut populus fieret innumerabilis; hoc sane est puerile argumentum afferre facti gravissimi. Ad hæc nonne palam Scriptura [5] ait, David his Dei promissis erga populum suum actum jussisse, ut eorum tantummodo census haberetur, qui viginti annorum majores natu erant, perinde ac si venerabundus, ac religiosus verbi Domini observator, noluerit exactum populi sui numerum nosse, sed virorum dumtaxat, quos in arma cogere potuisset, si bellum exarsisset?

Fatendum igitur est, Davidis crimen omnino internum fuisse [6], hoc est superbiam, ambitionem, cordis jactantiam, dementem cupiditatem noscendi numerum subditorum suorum, magnitudinem virium, imperii extensionem, perinde ac omnia hæc gloriæ, majestati, ac nomini suo non mediocrem accessionem facere potuissent: & ipse hæc omnia sibi uni accepta referre, ac in iis spes omnes collocare, potiusquam in Dei præsidio, voluisset.

℣. 11. AD GAD PROPHETAM, ET VIDENTEM DAVID.] Propheta hic multo ab hinc tempore Davidi adhæserat [7], ac videbatur, a Deo illi additus, veluti ordinarius propheta, quem Rex consulere deberet subinde, cum aliqua se se illi offerret occasio. Paralipomenon libri [8] Davidi alios quoque Prophetas adjungunt, Asaph, Heman, & Idithun; at reor, Prophetæ nomen aliud ibi, quam isthic significare.

℣. 13. AUT SEPTEM ANNIS VENIET TIBI FAMES [9].] In 1. Paralipom. 21. 3. 2. triennium tantummodo memoratur; neque isthic vel Septuaginta, vel Arabica Exemplaria aliud legunt. Nonnulli tuentur [10] lectionem Paralipomenon; nam triennium famis majorem habet rationem ad tres menses belli, ac triduum pestilentiæ, quam septem anni. Deus forte per Prophetam suum proposuit Davidi flagella præter propter similia, ac congruæ diuturnitatis. Qui vero loci hujus textum [11] propugnant, eumque cum Paralipomenis conciliare volunt, credunt quidem Deum Davidi triennium tantum famis proposuisse in noxiæ curiositatis supplicium; at hoc triennium tribus annis additum, quibus egestatem passi fuerant propter Saulis injustitiam adversus Gabaonitas, atque septimo, qui erat annus Sabbathicus, qui illos consequebatur, & quo nulla messis fieri poterat, hos omnes simul annos septenarium numerum adimplere. Hypothesis hæc speciosa quidem est, sed pluribus innititur suppositionibus, neque ullo fulcitur argumento.

℣. 14. MELIUS EST, UT INCIDAM IN MANUS DOMINI .... QUAM IN MANUS HOMINUM.] Quibus verbis David respuit bellum, & potestatem, quam minitabatur Deus, se hostibus ejus traditurum, per trium mensium spatium in terram Israel; verum integrum Deo reliquit, ut vel peste, vel fame, qua potius vellet, deseviret; hoc Dei optioni, ac voluntati reliquit. Vel potius, prætulit pestem, quam *manum Domini* vocavit, eo quod manus, & potestas Domini apertius, ac immediate magis sentiatur, cum pestilentia, ac morbi grassantur, quam cum mala ab hominibus, aliisque extrinsecis causis, veluti instrumentis proficiscuntur. Ægritudo æque obnoxios Reges habet, ac privatos, locupletes æque, ac pauperes. Deus in quemcumque vult, morbos immittit. Bellum, & fames non æque in omnes desæviunt. Hostis vitari potest, fames superari; divites enim, ac potentes plerumque hæc mala non sentiunt; at pestis nemini patet.

℣. 15. DE MANE USQUE AD TEMPUS CONSTITUTUM.] Hoc est de mane diei illius, quæ Davidis deliberationem est consecuta, usque ad triduum deinceps [12], quemadmodum & Propheta proposuerat, & David subscripserat. Verum hoc supplicium haudquaquam severe adeo in Israelitas detonuit: incœperat quidem, & per triduum erat perseveraturum; at Deus populi sui miseratus calamitatem, antequam triduum compleretur [13], *pænitentia ductus*, [14] ait Scri-

1 Vide Jun. Grot. Malv. Boch. de animal. sacr. par. 1. l. 2. c. 37. 2 1. Par. 27. 1. *Principes familiarum, Tribuni, Centuriones .... viginti quatuor millibus singuli praerant*. 3 Ita Hebræi, Cajet. Tostat. Munst. Grot. Tirin. Est. Ita Joseph. Antiq. l. 7. c. 10. 4 Oleast. in Exod. 30. 12. 5 1. Par. 27. 23. *Noluit autem David numerare eos a viginti annis, & inferius, quia dixerat Dominus, ut multiplicaret Israel sicut stellas cœli*. 6 Ita Ambros. l. de Pœnit. c. 9. Aug. l. 22. c. 66. contra Faust. Interpp. passim.
7 1. Reg. 17. 5. 8 2. Par. 35. 15. 9 Ita Hebr. Chald. Vulg. Joseph. Antiq. l. 7. c. 10.
10 Boch. de Animal. sacr. par. 1. l. 3. c. 38. 11 Vatabl. Jun. Malv. Usser. Munst. 12 Tostat. Menoch. Cornel. Jun. Malv. Salian. 13 Dionys. Cajet. Vill. Sanct. Lyran. Tirin. Hebræi.
14 וינחם יהוה אל הרעה. Theodor. Καὶ μετεμελήθη Κύριος ἐπὶ τῇ κακίᾳ. 70. Aq. Sym. Παρεκλήθη. *Revocatus est*,

Scripturis, vel juxta Vulgatam. *misertus est Dominus super afflictione, & ait Angelo percutienti populum, sufficit*. Difficultas aliqua Interpretibus suboritur propter hæc verba *tempus constitutum*. Bochartus de Animal. facr. p. 1. l. 2. c. 28. credidit, tempus hoc intelligendum esse de certa hora diei ejusdem, veluti vespere, vel meridie, vel hora, qua ad preces fundendas cœtus habebatur; ita ut pestis nequaquam diei unius spatium fuerit prætergressa. Septuaginta [1]: *De mane usque ad tempus prandii*. Chaldæus: *De tempore, quo sacrificium perpetuum immolatur, usque ad tempus, quo thus offertur*. Syrus, & Arabs: *usque ad horam sextam*, vel usque ad meridiem. Verum minime recesserim a priori explicatione, quæ simplicior, ac literalior mihi videtur.

℣. 16. ERAT ANGELUS DOMINI JUXTA AREAM B ARUNA JEBUSÆI.] Areunæ, aliter *Ornan* [2], vel *Araniah* [3], Jebusæus appellabatur, forte quod erat ex veteribus Jerusalem incolis, qui se se converterat, & bona sua, domumque servarat; morabatur autem in monte Moria, ubi deinde Templum Jerosolymitanum extructum est [4]; quem montem sane, vel inde incolis infrequentem fuisse licet suspicari, quod ibi Areuna aream habebat, ubi triticum trituraret. Hæ areæ, uti liquet, in apertis agris fiebant, quo ex finitimis arvis manipuli ad triturandum afferebantur; Moria vero tunc urbis muro minime continebatur. David vidit Angelum in monte hoc, cœlum inter, & terram, jam jam percussurum novam civitatem Sion, veteremque civitatem Jerusalem, quam audivit vocem de cœlo, quæ Angelo dicebat: *suf-* C *ficit*, non percutias amplius; vel ille censuit, Deum Angelo dixisse ne percuteret amplius; nam vidit hunc gladium in vagina condentem.

℣. 17. EGO SUM, QUI PECCAVI.] Dixit hæc, antequam videret Angelum ensem in vagina sua recondentem. *Dixit* positum est pro *dixerat*. Populus rei hujus innocens erat, & hoc supposito, poteratne Deus in illum ob Regis sui peccatum animadvertere? Respondetur primo, Israel potuisse haud expertem esse superborum Regis consiliorum, atque inde gloriari, æque ac illum ob vires, & nationis suæ frequentiam, quin Deo gloriam referret acceptam: verum cum ipsum peccasse, numquam liquido probari possit, nobis nequaquam integrum est, ut ipsum ea de culpa redarguamus, cujus ipsum Scriptura nuspiam D insimulat. Secundo, sufficit, David unum errasse, ut Deus justum iræ suæ supplicium in universum Israel immitteret. Rex numquam majori afficitur pœna, quam cum Divina flagella in ipsius populum detonuere, atque numerum, ac vires ejusdem imminuunt. Respublicæ, & Regna sunt velut corpora organica; Simulac patitur caput, cætera quoque membra pati debent; neque vel leve malum membris cæteris infligi potest, quin caput ipsum dolore afficiatur. Si populi scelera in semet Domini ultionem lacessunt, quinam magis Principe percipit detrimentum. Sin autem Regis flagitia cœlestem iram irritant, nonne terribiles magis effectus in populos ipsos desæviunt? Horatius Epist. l. 1. ep. 2.

Quicquid delinquunt Reges, plectuntur Achivi. E

℣. 18. CONSTITUE ALTARE DOMINO IN AREA ARUNÆ.] Duæ adsunt sententiæ circa tempus, quo David hanc Aram extruxit. Qui putant, Angelum jam a Deo jussum fuisse cædibus temperare, quemadmodum supra ℣. 16. refertur, credunt, Aram ex- A structam fuisse, postquam pestis desiit, in gratiarum actionem, quod hoc flagello populus liberatus fuisset. At qui contendunt pestem post sacrificii oblationem cessasse, & id, quod ℣. 16. enarratum, ibi per prolepsim referri, arbitrantur sacrificium hoc expiatorium fuisse, atque a Deo destinatum ad veniam ejus criminis obtinendam, in cujus pœnam pestis sævierat. Posterior hæc sententia æquior videtur; nam David loquens cum Areuna, inquit illi ℣. 21. *Veni ad te, ut emam a te aream, & ædificem altare Domino, & cesset interfectio, quæ grassatur in populo*; nondum ergo cessaverat. Ante primum hoc sacrificium David viderat vastatorem Angelum minitari Jerusalem, & tunc eam effudit precem, quæ ℣. 17. memoratur: *Ego sum, qui peccavi: ego inique egi; isti, qui oves* B *sunt, quid fecerunt?* Ultoris hujus Angeli adspectus adeo Regem perterruit, ut pergere non posset in Gabaon, ut ibi sacrificia gratiarum actionis offerret, postquam desiisset pestis [5]; sed tantum in eamdem aream Areunæ ire potuit, ubi primum sacris fuerat operatus. Duo igitur diligenter distinguenda sunt sacrificia, de quibus locuti sumus, si Regum textum cum Paralipomenis velis conciliare.

Cæterum mirum nequaquam videatur, si isthic Altare in area Areunæ constitui vides, ac in loco, ubi neque Arca aderat, nec Tabernaculum. Hæc omnia Dei jussu acta, transactaque sunt; & tunc temporis magna adhuc libertas erat offerendi sacrificia in excelsis, in Sion, in Nobe, in Gabaon, & alibi, dummodo vero Deo offerrentur.

C ℣. 22. HABES BOVES IN HOLOCAUSTUM, & PLAUSTRUM, & JUGA BOUM IN USUM LIGNORUM.] Hebraice [6]: *Habes boves in holocaustum, trabeas ad triturandum granum, & boum instrumenta pro lignis*. Septuaginta [7]: *habes vitulos in holocaustum, rotas, & instrumenta boum pro lignis*. Josephus Antiqu. l. 7. cap. 10. *aratra, & boves*. In 1. Paralipom. 21. 23. additur, ipsum obtulisse quoque triticum, ut faceret oblationem segetis, vel farinæ, quæ cum sacrificiis fieri consueverat. Hæc omnia messis tempore contigerunt, & Areuna erat in area sua, cum quatuor filiis suis, qui frumentum cribrabant, cum vastatorem Angelum perspexerunt. Ex quo judicium ferre licet, non a solo David, sed plane a tota Jerusalem civitate perspectum fuisse.

D ℣. 23. OMNIA DEDIT AREUNA REX REGI.] Omnia obtulit illi, atque ut ea acciperet, obtestatus est: sed David nonnisi numerato pretio voluit accipere. Verum quid significat hæc Regis dignitas modo Areunæ affixa? Nonnulli putant [8], hunc Jebusæorum Regem fuisse, antequam Jerosalem caperetur, vel fuisse ex progenie Regum apud eos populos [9]; vel denique divitiis, & regia auctoritate inter suos præstitisse. Verum possibile ne esset, Scripturam toties de Areuna, & hic, & in Paralipomenis verba facientem, hoc uno in loco ipsi nomen regium detulisse, hoc supposito, quod vere Rex esset [10]? Septuaginta, Syriaca versio, & Arabica, ac non pauca Latina exemplaria, & typis cusa, & manu exarata hujus Regiæ dignitatis in Areuna non memine- E re, quam neque Chaldæi Paraphrastes habebant tempore Kimchi [11]; quæ denique nec in Paralipomenis memoratur. Hæc omnia persuadere possunt Regis nomen librarii cujuspiam incuria obrepsisse. At præstat Hebraicum textum sine ulla immutatione legere [12]: Habes boves in holocaustum, & ligna ad illud combure-

1 Ἀπὸ πρωΐθεν καὶ ἕως ὥρας ἀρίστου. Ita Theodor. qu. 37. Ambros. in Psalm. 37. Joseph. l. 7. c. 10. Origen. homil. 16. in Num. 2 1. Par. 21. 18. 3 Hic v. 18. in Heb. ארנוה

4 Vide 2. Par. 3. 1. *Cœpit Salomon ædificare domum Domini in monte Moria, in loco, quem paraverat David in area Ornan Jebusæi.* 5 1. Par. 21. 28. *Videns, quod exaudisset eum Dominus, in area Ornan Jebusæi, immolavit ibi victimas (30.) & non prævaluit ire ad altare, ut ibi obsecraret Dominum, nimio enim fuerat pavore perterritus, videns gladium Angeli Domini.* 6 ראה הבקר לעלה והמרגים וכלי הבקר לעצים

7 Ἴδε οἱ μόσχοι εἰς ὁλοκαύτωσιν, καὶ οἱ τροχοὶ, καὶ τὰ σκεύη τῶν βοῶν εἰς ξύλα.

8 Vatabl. 9 Grotius. 10 Boch. de Animal. facr. p. 1. l. 2. c. 38.

11 Sæculo duodecimo. 12 הכל נתן ארונה המלך למלך

butendum : *Areuna, o Rex, omnia dono dat Regi* [1]; Omnia tibi Regi permittit. Hebræi officii ergo sæpius tertia pro prima persona utuntur.


℣. 24. EMIT DAVID AREAM, & BOVES, ARGENTI SICLIS QUINQUAGINTA.] Pro his omnibus dedit Gallicas libras circiter 80. & solidos quinque, triginta duobus solidis, & denariis quinque Gallicæ monetæ in singulos siclos recensitis. In 1. Paralipomenon 21. 25. habemus David dedisse pro area *siclos auri justissimi ponderis sexcentos*; hoc est libris undecim, undecimque solidis, ac denariis novem cum $\frac{1}{4}$ in aureum siclum æstimatis, dedisse illi libras circiter sex mille, nongentas, ac triginta. Qui vero siclo aureo duplum pondus, quam argenteo tribuunt, summæ hujus dimidium augere debent. Sed quocumque modo hoc intelligatur, discrimen inter utramque summam erit gravissimum. Melior ratio hac in re conciliandi Regum libros cum Paralipomenis [2] est, asserere, Davidem primum quidem emisse dumtaxat aream, & boves Areunæ, atque pro illis solvisse quinquaginta siclos argenti. Sed mox cum intellexisset hoc in monte velle Dominum, ut sibi templum ædificaretur, emisse deinde omne solum, quod erat Areunæ, totum montem, pro quo sexcentos aureos siclos appendit. Judæi volunt, aream hanc emptam fuisse sumptibus communibus duodecim tribuum, quarum singulæ contulerint quinquaginta siclos aureos, qui collecti sexcentorum summam constituunt. At Scriptura nonne passim ait, Davidem omnem sumptum suppeditasse? Bochartus de Animal. sacr. par. 1. l. 2. c. 38. credidit, in Regum libris sermonem esse de siclis aureis; in Paralipomenis vero de argenteis. Valor auri argenti pretio comparatus erat olim velut duodecim ad unum [3]. Ita quinquaginta sicli aurei per duodecim multiplices effecti, sexcentorum siclorum argenti pretio congruent. Verum quidem est in Textu Regum quinquaginta argenti siclos haberi, sexcentos auri in textu Paralipomenon: verum hoc illi minime negotium facessit. Tuetur enim *argentum* in libris Regum non significare metallum; sed pretium, perinde ac legeremus; *emit aream, & boves Ornam argenti pretio*; hoc est, *quinquaginta siclis* aureis, *qui sunt sexcenti* argentei. Paralipomenon libri metalli nomen supplevere, ac posuere pretium quinquaginta siclorum auri, collatum monetæ argenti. Verum nulla opus est ratione, ut hæc explicatio corruat, præter violentam nimis rationem, qua fuit concepta. Nobis enim plures obtrudit difficultates, quam eæ sint, e quibus nos studet eruere.

℣. 25. OBTULIT HOLOCAUSTA, & PACIFICA.] In gratiarum actionem, eo quod Dominus populi sui fuisset misertus. Hoc vero secundum est sacrificium, quod obtulit David in eo loco [4]. In 1. Paralipom. 21. 26. memoratur circumstantia, quæ isthic non extat, scilicet ignem de cœlo dilapsum super victimas, eas consumpsisse.

1 Clericus in hunc locum. 2 2. Par. 3. 1. *Cœpit Salomon ædificare domum in monte Moria, qui demonstratus fuerat David patri ejus, in loco, quem paraverat David.* 3 Plato in Hipparcho. 4 Vide supra ℣. 18.

FINIS LIBRI SECUNDI REGUM.

IN



NOUVS CONSPEC

IN TERTIUM ET QUARTUM
LIBROS REGUM
P R Æ F A T I O.



Uo postremi Regum Libri olim apud Hebræos perpetua contextus serie juncti in unum singularem coalescebant; sed cum prolixior videretur Liber, ideò successu temporis Judæis ex uno duos reddere, bipartito Opere ad nostram imitationem visum est. Priori parti nomen mansit: *primus Regum*; alteri inditum: *secundus Regum*; apud Septuaginta verò inscribuntur *tertius & quartus Regum*. Origeni laudatur sub nomine *Librorum Regum*; quamquam à Judæis in fronte Operis posita animadvertit priora verba Textus tertii Libri *Vammelech David* (1). Ex qua Origenis relatione duo colligimus; 1. Ambos hosce Libros unum adhuc constituisse in Exemplaribus Hebræis. 2. Nondum apud Judæos inscriptum Opus Libri Regum. Ipsa etiam S. Hieronymi ætate ex quatuor Libris Regum Judæi duo tantùm constituebant (2); sicut & in hodiernis Hebraicis Bibliis duo isti postremi perpetua Textus serie junguntur; quamquam ad initium quarti novæ cifræ marginales capitulis recensendis appositæ sunt, sicut & in suprema paginarum ora scriptum legitur; *Primus Regum*, & deinde *secundus Regum* (3). In Græcis vetustis Scholiis animadvertitur (4), correctissima Septuaginta Exemplaria eundem, quem nos, terminum secundo Regum Libro constituere, ducto tertii exordio ab historia Abisag Sunamitidis; sed Diodorus & Theodoretus post Davidis obitum instituunt.

Utriusque Libri Author ignoratur; futilibus tantùm conjecturis res agitur, quibus nihil magis quàm evidentia desideratur. Sunt qui Davidem rerum à se gestarum Scriptorem credant, cui sanè historiæ in ipso tertii Regum exordio finis imponitur. Malunt alii variis totum Opus Scriptoribus tribuendum, uti Prophetis Jeremiæ, Isaiæ, Regi Ezechiæ, quorum singuli coævam scripserint historiam. Laudant in eam rem illud 2. Par. 32. 32. (5): *Reliqua sermonum Ezechiæ, & misericordiarum ejus scripta sunt in visione Isaiæ filii Amos Prophetæ, & in Libro Regum Juda, & Israel.* Leguntur etiam capita quædam in Isaia (6), & Jeremia (7) quæ simul recurrunt in quarto Libro Regum, unde conjectura ducitur, ambo hæc unius esse ejusdemque Scriptoris fœtum genuinum.

Nos verò in ea sumus persuasione, ea quæ apud Isaiam de historia Ezechiæ leguntur, aliena manu & ex quarto libro Regum suppleta fuisse, quemadmodum in Commentariis in eundem Prophetam demonstrabimus. Nec tamen facilè negaverim, scripsisse Jeremiam Commentarios quosdam Regni Ezechiæ, juxta ac in Paralipomenis expressum legimus. Sed historia illa, sicut & Annales Regum Juda, & Israel, in eodem Scripturæ loco laudati, interciderunt. Idem ferendum judicium de postremo capite Jeremiæ è postremo quarti Regum deducto. Historiam refert enim nulla contextus serie cum superioribus ejusdem Prophetæ continuatam. Quin & ante illam hæc leguntur verba: *Hucusque verba Jeremiæ*; quibus finis impositus Operi hujus Prophetæ, & alienum inde continuari satis apertè demonstratur.

Vulgò creditur Esdras historiam hanc scriptis redegisse: namque unius ejusdemque Scriptoris Opus esse multis argumentis demonstratur. 1. Stilo exarata est constanti; perpetuaque rerum gestarum series per totum Opus regnat. 2. Scriptori ad manus erant veteres Commentarii, quos & laudat frequenter, & lectores non rarò ad illos remittit, professus se compendio retulisse, quæ fusiùs ibi narrantur; unde phrases non rarò occurrentes; *Reliqua verborum &c. scripta sunt in Libro sermonum dierum Regum Juda*, vel *Israel*. 3. Scribebat vel ipsa stante captivitate, vel post; quippe qui in postremo capite quarti Regum illam apertissimè exprimat. Alibi etiam narrat (8) ea ætate adhuc decem Tribus in Assyria captivas teneri, pœnas luentes criminum, & Oracula Prophetarum ea de re implentes. 4. Nonnulla observat quandoque, sicut & repetit summatim, quæ omnia indicia sunt Authoris non coævi, sed qui veterum monumentorum fidem secutus, quæ scribat priùs meditatur. Vide 4. Reg. 17. 6. &c.

---

(1) Origen. apud Euseb. Præp. l. 6. c. 11. Et apud eundem Euseb. Hist. Eccles. l. 6. c. 25.
(2) Hieron Prologo Galeato: *Tertius sequitur Samuel, quem nos Regnorum primum, & secundum dicimus. Quartus Malachim, qui tertio, & quarto Regum volumine continentur.*
(3) Vide Bibl. edit. Rabbinic. Venet. impressarum a. 1564.
(4) Vide nov. edit. Hexapl. t. 1. pag. 348. 349. & Theodoret. q. in 3. Reg. p. 299.
(5) Vide, si placet, Theodoret. Præfat. in quæst. Libri Regum.
(6) Isai. 31. & 38. collata cum 4. Reg. 19. & 20.
(7) Jerem. 52. 1. collatum cum 4. Reg. 24. 16. & 25. 1. &c.
(8) 4. Reg. 17. 23.

&c. usque ad 24. ubi post narratam eversionem Regni decem Tribuum per Salmanasarem, sicut & translatas in Assyriam easdem Tribus, ubi sua etiam ætate captivæ tenebantur, observat populum illum refractarium jam inde à facta è Juda divisione, numquam ab idololatria, cæterisque criminibus cessasse; frustra summissos identidem à Deo Prophetas, quorum persuasionibus ad saniora consilia revocarentur. Quare, inquit, cum in impietate animum haberent obfirmatum, neque sceleri modum aliquem imponerent, id commiserunt, ut tandem rejecti à Deo in potestatem hostium permitterentur; hinc unum tantùm in Palæstina Regnum Juda Hebræis mansit. Sed, addit, nec Juda melior fuit in Deum fides; namque pessimum Israelis exemplum secutus, meruit tandem, ut simili pœnæ subjiceretur; ex quo factum ut Israelitarum genus omne Deus tandem abjecerit. Hæc sanè omnia meditamenta sunt Authoris, post captivitatem Juda, & decem Tribuum scribentis, cui tota rerum catastrophes sub oculis versaretur. 5. Scriptor ille munere Sacerdotis quantùm conjicimus, fungebatur; quare historiam politicam aliquanto negligens, sicut & breviori tradens compendio ea, quæ expeditionum granditatem, militum virtutem, atque penitiorem politicæ artem relevarent; fusiùs prosequitur ea, quæ ad Templum, Religionem, cæremonias, Solemnia, cultum Domini, pietatem Principum, constantiam Prophetarum, punitionem criminum, & retributionem Justorum pertinent. Gloriæ domus David studet inprimis. De Regibus Israel veluti per transennam & in decursu agens, curas suas omnes vertit rebus Regni Juda narrandis. Hæc observatione digna in eo Opere occurrunt, quantum ad capiendam de Scriptore conjecturam pertinet.

Porrò characteres hi omnes nemini meliùs, quàm Esdræ conveniunt, cui sanè nullus non quadrat; quare Operis Scriptor non improbabiliter haberi potest. Fatemur quidem, occurrere quædam ab ætate Esdræ aliena, uti quæ 3. Reg. 8. 8. narrantur de Arca Domini adhuc in Templo manente; quæ 3. Reg. 12. 19. leguntur de separatione duorum Regnorum Juda, & Israel, quasi utraque adhuc subsisterent; sicut & 3. Reg. 6. 1. 38 duo mensium nomina Sif, & Bul occurrunt, neque Hebræa illa, neque Chaldaica, ac tandem a sermone Esdræ ætate vernaculo aliena. Tandem Author suæ ætatis historiam scribere videtur, ac rarò personam coævi Scriptoris deponit. Quid hæc porrò ad Esdram?

Sed hæc facilè conciliantur, si ita digestum Opus ab Esdra dixerimus, ut non rarò ex veteribus monumentis non historiam tantùm, sed & verba desumpserit, atque in suum Commentarium transtulerit. Quæ indoles est sinceri Scriptoris, & veracitatis argumentum apertissimum; tanta enim religione fidem historiæ in vetoribus monumentis narratæ servavit, ut ne verba quidem immutare sustinuerit.

Tertius Liber Regum historiam complectitur 119. annorum, nempe ab A. M. 2989. usque ad 3108. Post narratum ibi Davidis obitum, & Regni Salomonis historiam, fusiùs exponuntur ea, quæ ad constitutionem Templi, ædiumque Regalium pertinent; sicut nec silentio premitur mira Regis sapientia, cum regia planè magnificentia conjuncta; quemadmodum & lapsus sanè miserabilis. Secundùm hæc, Regnum sub Roboamo diffinitur; decem Tribus Jeroboamo adhærentes, Idololatriæ se dedunt. Juda, Benjamin, & Levi in fide Roboami manserunt. Succedit invasio Sesac Regis Ægypti, qui Templum diripit. Nec Jeroboami res quietas esse permisit Baasa, Regnum Israel occupans. Excidium Baasæ Jehu prædicit. Achab conjugem sibi adsciscit impiam Jesabelem, totusque in persecutionem Prophetarum vertitur. Sub eo Rege Elias apparet, gloria miraculorum in toto Israele clarus. Jesabelis furorem declinat; regreditur tandem, atque trucidandorum Pseudo-Prophetarum Baal in Monte Carmelo populo est author. Benadad Rex Syriæ copias in obsidionem Samariæ adducit; sed mox reducere cogitur. Nabot justus impia Jesabele moliente neci traditur. Achabus commisso cum Syris prælio, mutatis licèt vestibus ut lateret, gravi tamen vulnere confoditur. Hæc summa tertii Regum.

DISSER-

DISSERTATIO
DE THESAURIS A DAVIDE SALOMONI RELICTIS.

Quicumque Judæos Principes Reges fuisse humiliores arbitrantur, rati nihil esse potuisse magnificum illis, qui in populo regnarent obscuri nominis, & census, cujus solæ opes ex proventibus terræ, & gregum constarent, nihil sentirent magnificum, nihil voluptuosum, nihil nisi humile, insignium gestorum gloria ratò se distinguendos præberent, nec nisi cum tota ditione sua in prælium armata expeditiones susciperent, ac tandem Regnum haberent augustissimis finibus contractum, magnis agendis, sivè præstandis impar; quicumque, inquam, ita de Regibus Juda senserunt, falli illos certissimis argumentis in hac Dissertatione adductis demonstrabimus. Immensæ planè divitiæ à Davide cumulatæ, ut Templo ædificando servirent, res sunt, quæ præ omnibus historiis priscis, & recentioribus Lectorum admirationem extorquent; ut doctissimi quique Scripturæ Interpretes, ii maximè, qui ad studium ponderum & mensurarum, sicut & rei nummariæ veterum, totos se contulerunt, admirationem ea de re suas continere vix possint (1). Incredibilis adeo visa res est nonnullis, ut rei granditate exterriti rationes inverint sanè ingeniosas, quibus immanis hic divitiarum thesaurus ad captum Lectorum reformaretur.

Autumarunt nonnulli exaggerationis aliquid in verbis Scripturæ haberi. Sed qui fieri potuisset, ut David per exaggerationem loqueretur, cum etiam atque etiam oblatiunculam suam extenuare conatus sit? *Ecce ego in paupertate mea præparavi impensas*. 1. Par. 22. 14. An fortè cum per exaggerationem loquitur quispiam, numerum unquam certum fixumque, pondus divitiarum, & auri determinat? Alii verò mendum irrepsisse in numero talentorum suspicantur. Sed quàm illi conjecturæ suæ rationem afferunt? an Textum aliquem, an Versiones, an Exemplaria proferunt ulla, quibus suspicionem suam fulciant? Ad libitum mendum suspicari, & non potiùs expressa necessitate premente, quisque permittitur? Actum esset de integritate Sacri Textus, si cum maximè extraordinarium aliquod occurrat, mendum suspicari licuerit. Plerique tandem, relicto talentorum numero, manus inferunt in valorem, thesauri pretium extenuantes; autumant enim, ea quæ David Salomoni legavit talenta, minoris æstimanda fuisse, quàm reliqua quæcumque. Horum nos opinionem in examen revocandam modò suscipimus.

Fatis cessurus David, Salomoni filio suo, Scriptura narrante 1. Par. 22. 14. legavit *Auri talenta centum millia, & argenti mille millia talentorum*. Præter hæc de cumulatis à se pecuniis reliquit *tria millia talenta auri de auro Ophir, & septem millia talentorum argenti probatissimi*. 1. Par. 29. 4. Insuper Principes Aulæ David in opus illud contulerunt *auri talenta quinque millia, & solidos decem mille, argenti talenta decem millia*. 1. Par. 29. 7.

Portò argenti talentum præcisè valebat 3000. siclis, quemadmodum ex testimonio Exod. 38. 25. 26. apertissimè constat. Narratur enim ibi, Israelitas 603550. numero semisiclum viritim pendisse; quod summam conficiebat 300 talentorum argenti, & 1775. siclorum. Siclus autem reddit 32. solidos, 5. denarios, & 3. denarii quadrantes, cum octava denarii parte. Valet igitur argenti talentum ad nostram monetam supputatum 4867. libris, tribus solidis, 9. denariis. Talentum auri ascendit ad 69531. libras, 5. solidos monetæ nostratis. Ita 100000. auri talenta à Davide relicta, summam conficiunt 6953125000. librarum ex auro. Adde his summam 3000. talentorum auri ab eodem Davide comparatam, quæ refert 208593750. libras monetæ nostratis.

Ex argento legavit 1000000. talentorum nempe 4867187500. librarum monetæ nostratis. Præter hæc, donavit ex residuis sibi pecuniis 7000. talenta argenti, scilicet 34070312. Hæc negotium conficiunt; an nempe fieri potuisset, ut David tantum argenti, & pecuniæ vim cumularet, immanisque adeo divitiarum thesaurus totus profundendus esset in ea, quam animo complexus fuerat, ædificii mole.

Parasse Davidem omnia, quæ ad destinatum opus necessaria arbitrabatur, neminem in dubium revocaturum credo; ipse enim sæpiùs mentem de re suam expresserat 1. Par. 22. 5. & 28. 2 & 29. 2. 19. & 2. Par. 8. 16. Schemma etiam, atque totius ædificii modulum in manibus Salomonis reliquit, quem sane respondisse conceptæ de Deo opinioni, cujus Numini æquam, quantum fieri posset, domum construere parabat, ne ambigimus quidem. Supremi illius Numinis majestatem respicere se David ipse protestatus est, cùm ea se parare significavit, quæ tenuitatis suæ modulus pateretur; qua verborum phrasi satis expressit, nulla ædis majestate, quæcumque tandem illa futura esset, immensi Numinis majestatem illam fore assequuturum.

Paternas hasce ideas expressisse Salomonem, atque operis exequutione conceptam à Davide magnificentiam æquasse satis constat. Quin & multò excessit; namque erecti ædificii moles multò fuit augustior, quàm moduli, & schemmatis à Davide relicti ratio exigeret. Nihil est in tota antiquitate sumptuosius, nihil augustius, quàm Salomonis Templum. In hoc pretiosissima metalla, ligna, & marmora rarissima profusa sunt; non sumptibus parcebatur, quò peritissimi Artifices conducerentur, ut exquisitissimi artificii excellentia materiam ipsam vinceret, atque ad invidiam certarent & metalli & artificii præstantia. Verùm his ita constitutis, Eruditi nostrates nunquam tamen in animum possunt inducere, tantam divitiarum vim cumulasse Davidem, neque totam in opere Salomonem profudisse. Superat, inquit Clericus hìc, opulentiam omnem, & thesauros ditissimorum Regum, quorum sit apud Historicos mentio: *Suffecisset in aliquot centena splendidissima Templa ædificanda*. Nullæ quidem suppetebant Davidi avitæ relictæ à Parentibus divitiæ; nec tam immanes sufficere poterat ditionis illius angustus sanè tractus. Interim cumulasse dicitur tantam auri, argentique vim, quantam nunquam possederunt avidissimi quique Reges Persarum, Græcorum, & Romanorum. (2) Et quidem, inquit

(1) Vide si placet *Budæum de Asse, L. 4.* Fidem res illa habitura non videtur hominum quidem sensu, etiam si auctoritati Sacrosanctæ id creditur.

(2) *Brerewood. de Ponderib. c. 4.*

inquit Brerevoodus; opus, quod meditabatur, minus erat, quàm tot immensos sumptus efflagitaret. Quando muri omnes è fuso argento constarent, quando eodem metallo totum Templi pavimentum sterneretur, quando ædificii tectum totum esset aureum, eodemque metallo vestirentur interiores Templi parietes, conflarentur vasa in usum Templi necessaria, adjectis etiam sumptibus in Artifices, adhuc tamen reliqui multum superesset. Ego quanta potui sedulitate, addit ille, atque animi contentione dimensiones omnes Templi expendi, tum & facta comparatione cum auri, & argenti thesauro, qui in opus insumendus esset, si omnia auro, argentoque constarent, post hæc, inquam, omnia, thesauros à Davide relictos superfluere animadverti. Itaque, concludit ille, fateamur oportet aliud in hoc loco significare talentum quàm quod vulgò usurpatur apud Moysem, & reliquos Scripturæ Libros. Ita Brerevoodus in suo Opere de Comparat. veterum, atque recent. monetarum.

Vehementiùs idem argumentum inculcans Mariana 12. tract. de Pond. insigni stultitiæ elogio donandos censet eos, qui Davidis talenta Mosaicis æquare præsumerent: *Furor profecto furor, Davidis talenta Mosaicis æquare*. Summam ille reformat ad 127500000. auri, & totidem forte argenti, quod in unum collectum, summam conficit 255000000. Josephus Antiq. l.7. cap 11. difficultatem extorquendæ à Lectoribus fidei ea de re sentiens, relictam à Davide ingentem auri vim, ac 100000. talenta argenti adnotans, cætera omittit. Eupolemus apud Euseb. Præpar. l. 9. c.34. redigit talenta illa ad siclorum valorem, ut pro 100000. talentis auri & 1000000. talentorum argenti, par numerus siclorum auri argentique supputandus sit. Nec sanè major summa, juxta quosdam Interpretes, ædificando Templo exigebatur.

Maluerunt alii pondus Sanctuarii, de quo apud Moysen, duplo pondus illud, de quo impræsentiarum, excessisse. Addunt, talento auri aliud esse pondus quàm argenti; sicut & argenti siclum duplo aureum excedere. Jacobus Capellus distinxit talentum *Statmicum*, nempe Mosaicum à *Numismatico*, quod vocat, minori sanè pondere, & pretio inferiori. Stanislaus Gieserpsius de diversis siclis non duo tantùm talentorum genera invehit, nempe commune, & numismaticum, quod sextam tantùm partem prioris, & duodecimam Talenti Sanctuarii continere censet; sed & alia plura distinguit, nempe publicum, privatum, Regale. Addit insuper, decimam, quandoque duodecimam, centesimam, & millenam talenti partem talentum sine addito nuncupari. Ita planè augustam sibi viam instruit variis variorum conjecturis, summam auri Davidici supputantium, adoptandis.

Inter omnes constat, talenti nummum non æquabilem semper habuisse valorem apud varios populos, penès quos obtinebat. Ægyptium 80. librarum pondus retulisse scribunt (1); Romanum 70. Siculum 2400. drachmis valebat; Etruscum 120. libris; Syrum pondere erat 15. librarum, cum 7. unciis, & 4. drachmis; Æginetum 10. drachmarum; Alexandrinum 31. librarum, cum 3. unciis; Atheniense 60. minis valebat, vel 600. drachmis. D. du Cange observat, nomen talenti usurpari interdum pro 100. libris, quandoque pro 50. & adhuc pro Marcho 20. solidorum. Homerus Iliad. ψ tradit, proposita ab Achille pro ludis Patrocli in præmium fœminam, & tripodem; deinde secundum præmium erat equa mulo fœta; in tertium novum ahenum; quarto loco duo auri talenta. Erat igitur horum talentorum (ultimo quippe loco propositorum) minor, quàm cæterorum omnium valor. Ibidem etiam in præmium cursus donat 1. ingentem argenti craterem exquisiti artificii, & capientem 6. mensuras; 2. vitulum saginatum; 3. hemitalentum auri, quod sanè minùs valebat quàm bos. Virgilius Æneid. 5. duo talentorum genera, majus nempe, & minus distinguit: *Argenti magnum dat ferre talentum*. Vox Hebræa ככר *KiKKar* exprimit massam, sive tortulam auri, argentive. Legimus 2. Reg. 12. 30. & 1. Par. 20. 2. Davidem imposuisse sibi diadema, è capite Regis vel Dei Moabitarum detractum, quod talenti erat pondere. Quis autem facilè credat sustinuisse Regem in capite 125. libras Romanas? Merito igitur cum Judæo inferendum videtur (2), talentum Hebraicum, quemadmodum & cætera aliarum gentium, non sibi semper constare. Hæ potissimæ afferuntur rationes pro minuendis Davidis thesauris, & ad æquiorem summam pecuniis illius omnibus redigendis.

Sed eas nihil morati vulgò Commentatores omnes, totam Sacri Textus Historiam ad literam recipiendam censent. Verum quidem est, plures inter illos perfunctorie tantùm rem totam tractasse, neque id contulisse sedulitatis, & curæ, quod cæteri de ponderibus, & re nummaria scribentes; sed alii vicissim plures huic sententiæ accesserunt, non planè imparati; & rei nummariæ licèt instructissimi, adhuc tamen literam Textus excipiendam censuerunt, absque eo quod prodigiorum numero tantam divitiarum vim crederent adscribendam. Villalpandus, quem sanè virum imprudentem rem effutiisse accusaverit nemo, non tantùm expressas in Scriptura pecuniarum summas recipit omnes; sed multum etiam adjecisse de suo Salomonem in ædificio ejus Templi autumavit (3); Impendisse namque credit Salomonem 108000. talentorum auri (4), & 1000000. talentorum argenti (5); quæ tanta auri summa erogata statuitur in uno Templi ædificio, omissis pecuniis ad mercedem & convictum artificum, sicut & impensis exoticis. Quare si totum illud aurum in massam conflatum in quadratum cubicum redigeretur, tanta ejus esset moles, ut vix eam caperet conclave 10. cubitorum in quadrum, & 5. in altum; argentum verò in similem massam redactum, facilè totum Sanctuarium occupasset, quod 20. cubitis quaquaversum porrigebatur. Addit idem Author, adhibitos ad structuram Templi 401900. Artifices ex Israelitis, Tyriis, Sidoniis, Ægyptiis conductos, quibus post absolutum opus, atque congruam mercedem solutam, 10. sicli auri in munus adjecti sunt (6). Præter hæc, Tyriis Opificibus annuatim solvebantur 602850. *cori* (7) frumenti, totidem hordei & mensuræ vini (8), sicut & totidem olei *sata* (9). Eadem data proportione Sidoniis, & Ægyptiis assignata, sive in auro, sive quacumque demum ratione solvenda. Men-

(1) Vide *Plin. l. 33. cap. 3. & Bud. de Asse.*

(2) *Bud. de Asse l. 2. fol. 11. Edit. Ascensian.* Talenti significationem non unam fuisse apud Hebræos puto, quomodo & apud alias gentes nonnullas. Vide, si placet, *Brerewood de Ponderib. c.6.*

(3) *Villalp. t.3. p.2. de pond. & mens. 33.*

(4) Reducta, juxta ejus supputationem, 1817654084. aureos Monetæ Romanæ.

(5) Reddunt 1464480000.

(6) Decem Sicli auri summam conficiunt circiter 116. librarum.

(7) Corus capit 298. pintas, cum dimidia, semisextarium, & plus aliquid.

(8) Mensura sive Bathus continet 29. pintas cum dimidia, semisextarium, & plus aliquid.

(9) Satum continet 9. pintas, ac dimidiam, quartam pintæ partem, & plus aliquid.

Mensę Regia Tyri conferebat 20000. mensuras frumenti, & olei totidem 2. Par. 2. 10. & 3. Reg. 5. 11. Singula fusè prosequitur Villalpandus, quę nos ultro prætetimus, metu ne ab argumento plus nimio abducamur. Monendum tamen censemus, nihil legi in Scriptura de Opificibus Ægyptiis, neque de siclis aureis post absolutum opus singulis Operariis adjectis. Hæc ab Eupolemo apud Eus. Præpar. l. 9. narrantur.

Quæ de inæqualitate talentorum apud varias gentes adducta sunt, nihil pro Hebræorum talentis probant; neque enim vestigium ullum deprehenditur, sive in Scriptura, sive in Historia, varia apud eas gentes, saltem ante captivitatem Babylonicam obtinuisse talenta, & apertissimo Librorum Mosaicorum testimonio probatur Exod. 38. 25. 26. Hebraicum illud talentum valuisse 3000. siclis. Exemplum Davidis, qui capiti imposuit diadema talenti pondere, nihil probat, cùm fortè diadema illud in aere supra thronum suspensum teneretur; vel saltem valore erat talenti, quippe quod diviti gemmarum thesauro ornaretur. Cætera omnia loca, ubi sermo est de talento, ingentem eo nomine summam exprimi demonstrant. Amasias Rex Juda exercitum sibi emit à Rege Israel 100000. hominum, soluto pretio 100. talentorum 2. Par. 25. 6. Profectò si talentum minùs valuisset quàm 3000. siclis, quantum viritim singuli milites obtinuissent? Ammonitæ pro conductis 32000. curribus, seu facilè 32000. equis currus trahentibus, simulque copiis Mesopotamiæ in regionibus Maacha, Rohob, & Soba collectis, solverunt 1000. argenti talenta 1. Par. 19. 6. 7. & 2. Reg. 10. 6. Amri Rex Israel duobus auri talentis montem emit, in quo urbem Samariam ædificavit 3. Reg. 16. 24. Cum Sennacheribus ab Ezechia exegisset 300. talenta argenti, & totidem auri 4. Reg. 18. 15. pius ille Rex ingenti summæ conficiendæ non Æraria tantùm omnia Regia, & Sacra excussit, sed laminas etiam aureas evulsit, Templi fores vestientes. Giezi postulatum venit è Naamo, falsò obtento Elisei nomine, duo argenti talenta 4. Reg. 5. 22., quæ Naaman deferenda tradidit duobus domesticis suis, geminis saccis onustis. Profectò si ea pecuniæ summa, & pondus minora fuissent, quàm quę Giezi sustinere potuisset, conducebat sanè viro illi secum omnia ferre, metu ne fortè res in cognitionem Elisei veniret. Captæ à Nechao Rege Ægypti Judęæ tributum impositum est 100. talentorum argenti, & 1. auri 4. Reg. 23. 33. 35., quam summam ut conficeret Joachim, extraordinarium vectigal imponere populo, ut pro viribus quisque solveret, coactus est. An & Scriptura hæc narrare, & Rex ad eas angustias redigi sustinuisset, si talentum multò minus valeret, quàm Mosaica? Manahem Rex Israel annuale tributum 1000. talentorum Phul Regi Assyriæ soluturus, 50. siclis ditissimos quosque suæ ditionis, cæteros verò singulos pro datis facultatibus censuit. Talentum igitur Hebraicum modicam illam summam profectò non conficiebat, quam adversæ sententię Authores comminiscuntur; neque varii apud illos fuisse valoris, vel legimus unquam, vel conjectura assequimur, cum semper ingentem pecuniæ summam reddant.

At enim talentorum Davidicorum summa immanis erat, & multò, quàm quæ ædificando Templo exigeretur, major. Grandem fuisse pecuniam fatemur, sed impensis non sanè minoribus æquanda erat. Profectò si totum illud aurum, argentumque authore Villalpando pro interioribus Templi ornamentis, sacrisque vasis erogatum fuit, tantùm abfuit, ut David majora sumptibus præstaret, ut multo etiam minora reliquerit. Sed esto, concedamus Brerevoodo hanc auri argentique immensam vim ex auro, argentove conflato Templo æquè, ac Salomonico augusto satis futuram: nonne ex illo merces pendenda erat infinitis propemodum Artificibus, integro septennio in opus insudantibus? Quantum plane solvendum pro rebus transvehendis, pro lignorum strue, lapidibus, marmore, gemmis, aliisque, quæ nonnisi experti omnia scire potuissent? Si dimidium hujus thesauri hisce erogatum dixerimus, minus fortè, quàm res tulerit, concederemus; tunc autem negotium duplo minoris difficultatis Authori fiet, atque æquioribus oculis summam duplo minorem respiciet.

Reponunt, fieri nunquam potuisse, ut David, nullis avitis facultatibus locuples, in angustissimo Regno tantam auri vim cumularet. Sed animadvertisse oportuit, diutiùs virum regnasse, longè latèque & terrorem sui nominis, & arma, & victorias, ac tandem ditionem suam prorogasse. Ditissimos populos habebat tributarios, nec sanè multùm suis commodis insumebat, ac vicissim multa retrahebat ex gregibus, agris, vineis, olivetis. Regnum prorogavit ad 4. annos post obitum Saulis; tum & superstite adhuc Saule ipse valida sibi manu adlecta, hostilem regionem non sine reducta ingenti præda excurrebat 1. Reg. 27. 8. 9.. Jura dedit deinde Tribui Juda in Hebron integro sexennio; successit Regnum in universum Israelem 34. annorum. Toto eo temporis spatio nihil sibi permisit reliquum cogendis pecuniis, quibus tunc maxime se totum impendit, ex quo ædificandi Templi Domini consilium assumpserat; quamquam honorem illum reservari filio, Domino revelante, didicisset. Bellum intulit Syris, Philisthæis, Ammonitis, Moabitis, Idumæis, & nunquam adversam fortunam expertus est. Regrediebatur enim semper non gloria tantùm, sed spoliis devictorum Regum direptis, raptisque eorum thesauris ovans. Hæc enim constituta tunc temporis belli lex, ut devicti Regis thesauri, sicut & tota hostilis regionis prę da, quin & captivi ipsi, victori Regi manerent. Victos enim hostes veluti captivos habebant, quibus ea tantùm conditione vita servabatur, si tributa nec modica planè solvere non renuissent. Sed quænam regiones illę victori tributariæ? opulentissimæ illæ, & plerumque metallifodinarum feracissimæ. Arabiam totam sibi fecerat vectigalem: quis autem regionis illius, ac maximè Arabiæ felicis divitias ignoret? Plin. l. 6. c. 28. *In universum gentes ditissimæ, ut apud quas maximè opes Romanorum, Parthorumque subsistant*. In Idumæa celebrantur apud Prophanos etiam usque post Jesu Christi ætatem fodinæ Phinon Vide nost. Comment. in Num. 33. 43.. Celebrantur & Phœniciæ à Moyse indicatę Deut. 33. 25., & successu temporis SS. Martyribus frequentatæ Eus. Hist. Eccle. Cùm tandem devicto Rege Adarezer totam Syriam ditioni suę David adjecisset, immanem ex illa metallorum vim retraxisse Scriptura testante intelligimus 2. Reg. 8. 7. 8. Eodem fato subjecti sunt populi Transeuphratæ, fœdere juncti Syris, & Ammonitis 2. Reg. 1. 16. 29. & 8. 3. & 3. Reg. 2. 24. & 1. Esd. 4. 20.

Profectò si omnia hæc cumulentur, tributa nempè subjectarum gentium, spolia Regum, Regni sui jura & Israelitarum vectigalia, rei familiaris parsimonia, cui per eam ætatem non privati tantùm, sed Principes ipsi studebant, si, inquam, hæc omnia simul spectentur, monstri loco facilè non habebitur, si immanes hosce thesauros comparasse David asseratur. Si quis conferat inter se tributa in Scriptura descripta, tum & illa, quæ à devictis gentibus Rex exegisse creditur, is facilè intelliget, ea sola ratione divitias in immensum crescere potuisse. Manahem Rex Israel argenti talenta mille Phul Regi Assyriorum pendebat 4. Reg. 15. 20.. Arabes, ea nempe Arabiæ portio, quæ ad oram meridionalem maris Mortui pertinet, tributum solvebant Josaphat 7700. arietes, & hircos totidem 2. Par. 17. 11.; Ammonitæ Joathan Regi Juda 100. talenta argenti, & 10000. mensuras frumenti, sicut & hordei totidem 2. Par. 27. 5. Rex Assyriæ tributum imposuit Ezechiæ 300. talenta argenti, & 30. auri 4. Reg. 16. 7. 14. Rex Moab tributum dabat Regi Israel 100000. agnos, & totidem lanigeros arietes 4. Reg. 3. 4. Quid autem Ammonitarum, Moabitarum, Israel etiam & Juda seorsum spectatæ ditiones cum latissimo Davidis Regno? Sub eo etenim Principe promissæ à Deo ditionis fide soluta Gen. 15. 18., totum habuit tractum inter mediterraneum, & Nilum; ut ipsa hostium Judaici nominis confessione post plura sæcula adhuc fama Davidis, & Salomonis, tanquam potentissimorum Regum, fines Regni sui usque ad Euphratem proroganttium maneret 1. Esd. 4. 20. *Nam*

& Reges fortissimi fuerunt in Jerusalem, qui & dominati sunt omni Regioni, quæ trans flumen est; tributum quoque, & vectigal, & redditus accipiebant. Scimus etiam ex 2. Reg. 10. 16. 19. & Psalm. 59. 1. Mesopotamiam ipsam habuisse tributariam; qua etiam de re conveniunt Rabbini in *Siphre* fol. 38. & Maimon. *Hilchot Jerumoth.* c. 1. *Halac.* 4

Recitantur in Scriptura nomina Præfectorum David, quibus regiarum facultatum œconomia commissa erat; unde non futilis conjectura ducitur immanium redituum ditissimi illius Regis 1. Par. 27. 2.... 32. Erant enim Præfecti, qui agriculturam curabant; erant & super greges boum, caprarum, ovium, camelorum, asinorum; super vineas etiam, oliveta, & ficus. Præstabant autem illi, ut agrorum cultura procederet, stata nempè servarentur tempora, & maturi fructus colligerentur, vinum, & oleum probè servarentur, ac tandem suo venderentur tempore. Diutinis operis colebantur à subditis agri; quod unum erat ex juribus Regum à Propheta Samuele diductis 1. Reg. 8. 12. Præter hæc diurna subditorum servitia, pendebantur Regi decimæ fructuum & frumenti. Eupolemo etiam authore apud Eus. Præp. l. 9. c. 30. scimus, Davidem instructas classes misisse *Urphen* in mari Rubro, unde aurum referebat. Tandem Rex ille nunquam thesauros suos aliò distraxit, frugi enim erat, & modestus: *Magnum est vectigal parsimonia.*

Quò autem exactiorem ideam de redditibus Davidis concipiamus, thesauros Salomonis, de quibus in Scriptura nonnulla, mente versare oportet. Porrò Rex ille neque potentia erat majori, neque parsimonia: Regnum quale à Patre acceperat, servabat; singulis autem trienniis classem mittebat in Ophir, quæ dives revertebatur 450. talentis auri, lignorum, avium, & rarissimorum animalium 3. Reg. 10. 11. &c. Sed hæc Salomonis Præfecti non gratis comparabant, at pretio auri, sive mercium permutatione.

Si autem fides sit Eupolemo, paria saltem David præstabat, cum & ipse classes suas mitteret in Ophir, aurum tantùm referentes, neque enim ipse curiosis aliis mercibus studebat. Si verò huic Authori ex Scripturæ silentio fides denegetur, æquum est tamen fateamur, Davidem mercaturam earum rerum in sua regione exercuisse, quarum Salomon in aliena faciebat. Si quis immanem illum frumenti, vini, & olei copiam, quam Salomon Tyriis, cæterisque Opificibus Templi solvebat, venditioni exposuisset, quos sanè non retulisset thesauros? Pronum erat Davidi Mediterraneum, unde tutum, commodumque detineret commercium cum Phœnicibus, Ægyptiis, Syris, & Philisthæis, ex quo facilis data via vendendis non infimo pretio camelis, asinis, bobus, ovibus, vino, frumento, oleo, fructibus, non de suo fundo tantùm, sed etiam ex tributis collectis.

Irrefragabili Scripturæ testimonio compertum est, tantùm opes Israelitarum sub Salomone crevisse, ut *argentum in diebus illis pro nihilo reputaretur* 1. *Par.* 9. 20.; *& tanta esset abundantia argenti in Jerusalem, quanta & lapidum* 2. *Par.* 10. 27. Sint autem hæc per exaggerationem & hyperbolicè dicta, re tamen immanem Regni opulentiam produnt, satisque demonstrant satis fuisse tunc temporis vulgare in eadem regione argentum. Sed nec obscuro sunt hæc indicio, Davidem tantam comparasse divitiarum vim, quæ Regni miram illam opulentiam detineret. Qui enim fieri potuisset unquam, ut Salomoni omnia suppeterent, quæ nempe profunderet in ædificiis, exercitibus cogendis, curribus domesticis, utensilibus, hortis, equis, pro mensa item Regia, uxorum copia, quas totidem Reginas dixisses (1), & in quas adeò inclinabat; qui inquam, fieri potuisset, ut post ingentes adeò sumptus, adhuc tamen tot tantique superessent thesauri, nisi immensi penè ex patria hæreditate filio provenissent? Neque enim filio major erat præ David ditio, ampliora lati fundia, & proventus. Quanta quanta autem esset Regis opulentia, adhuc tamen vastissimo operi impraia fuerunt Regis Æraria, cum in ipso ædificandi ardore 120. talenta ab Hiram Rege Tyri mutuo acceperit 3. Reg. 9. 14., & post obitum Salomonis immodicis vectigalibus gravatos se ab illo Israelitæ conquererentur 3. Reg. 12. 4

Sed eja ad proventus Salomonis explorandos propiùs accedamus. 3. Reg. 10 14. hæc legimus: *Erat autem pondus auri, quod offerebatur Salomoni per annos singulos, sexcentorum sexaginta sex talentorum, excepto eo, quod offerebant viri, qui super vectigalia erant, & negotiatores, universique scruta vendentes, & omnes Reges Arabiæ Ducesque terræ.* Hæc 666. auri talenta reddunt 46297802. libras. Autumat autem Villalpandus de Templ. tantum auri ex tributis devictarum gentium collectum; quare, inquit, præter hæc in Æraria Regia inferebantur singulis annis ex vectigalibus duodecim Tribuum 1440. auri talenta, insuper singulis trienniis ex classe Ophiretica accedebant 450. sivè 420 talenta auri. Quid verò portoria Israelitici, cæterorumque subjectorum Regnorum, argenti ærisque fodinæ; mercium decimæ, proventus ex Arabia, atque ex Præfectis Provinciarum, qui sanè multum hæc omnia superabant? Quę cum ita se haberent, non planè inviti crederemus, Davidem solido 40. annorum Regni spatio potuisse 100000. auri talenta & 1000000. argenti in Regios Thesauros inferre, cum & æquos haberet redditus, quos Salomon, & minores planè sumptus. Confert ad eam rem testimonium Eupolemi apud Eus. Præp. l. 9. c. 34. tradentis, impensa à Salomone in opere duarum ænearum columnarum, & Templi 4600000. talentorum auri, in clavis verò aliisque operibus 1232. talentorum argenti, quæ planè summa multùm relictos à Davide thesauros superat. Sed Villalpandus de Ponder. disput. 4. l. 2. c. 33. utramq; & Scripturæ, & Eupolemi authoritatem conciliat, adnotans Eupolemum Græcum Scriptorem talentum quidem argenti probè nosse, nescire verò quid rei esset aureum talentum, cujus nulla est apud Historicos Græcos mentio. Quare cum de aureo talento agit, prę oculis habet talentum argenteum Atticum, ad aurei valorem redigens totum id, quod in fabricam Templi erogatum est. Talentum Atticum duplo minus Hebraico, atque duodecim argentea talenta aureum unum reddebant. Ita 1000000. talenta Hebraica reddit Attica 2000000. & 100000. talenta auri per duodecim multiplicata, quò summa talentorum argenti reddatur, deinde tota summa duplicata, quò talentis Atticis respondeat, refert 2400000.; quod cum Eupolemi calculo quadrat. Si quis exactius aliquid voluerit, Authorem adeat.

Quò ultima Dissertationi manus imponatur, reliquum est, ut exempla non imparium, quin & majorum divitiarum afferantur. Quidni enim potuerit David, quod alios potuisse, nihilo majores habentes proventus, constat? Sardanapalus Rex Assyriæ, authore Ctesia fragment. in Urbe Metropoli obsidione arctissima clausus, cum ad ultimas angustias redactum se intelligeret, ingentem pyram incedit, cui quidquid divitiarum haberet, totum igne absumendum tradidit, ne quidquam in manus hostium veniret; deinde se in pretiosissimum rogum conjecit. Absumpta sunt eo igne 150. lecti aurei, totidem aureę mensę, 1000000 talentorum auri, & decies totidem argenti, cum vestibus pretiosissimis, purpureis pannis, aliisque id generis. Præter hæc, ineunte obsidione, filios suos è Nioive subduxerat, dato illis commeatu 3000. talentorum auri. Exaggeret quis modò pro arbitrio ditionis hujus Regis, & Imperii Assyrii amplitudinem; contendimus enim nihilo angustiorem fuisse Davidicam ditionem, quæ insuper exquisitiori cultura soli, & incolarum numero, Assyriæ præstabat. Consentit Josephus Antiq. l. 7. c. 12., neminem unquam Orbis Principem, sivè apud Hebræos, sivè apud exteros, Davidicis locupletiores thesauros reliquisse. Illatas insuper testatur in sepulchrum ipsius divitias planè ingentes, quas deinde effossas & ipse narrat, & nos alibi in examen revocabimus Vide 3. Reg. 2. 10.

Thesauri, quos inventos narrant in altero orbe,

(1) Cant. 6. 7. 8. Sexaginta sunt Reginæ, octoginta concubinæ.

orbe, fidem sanè adstruunt iis, quæ de thesauris Davidis in Scriptura narrantur. In Urbe Peruana parietes (1) Templi aureis laminis obductæ nitebant, quibus fulgor accedebat ea insertis smaragdis & cyanis. Solis simulacrum fulgore pretiosi metalli oculos perstringebat; fontes juxta Templum spectabantur, quorum canales, & urnæ solido auro conflatæ erant. Hortus Templi in Cusco auro totus, & argento consitus; iisdemque nitebant metallis horti Regiæ domus in eadem regione. Namque infinitis propemodum arboribus, plantis, floribus, ex solido auro argentoque dispositi erant, nec viliori metallo expressa reptilia, aves, & cujuscumque generis animantia. Patebant campi aureis legumiuibus disseminati; totam verò ambiebant messem aureæ sepes ex virgis ejusdem metalli intextæ. Spectabantur statuæ proceræ hominum utriusque sexus, sicut & infantium; horrea quin etiam aureum triticum recondentia; omnia ex solido auro. Vasa Templi cetero cultui respondebant; nec sanè vi- liora instrumenta in usum agricolarum. Ceterùm Fana omnia Urbis Peruanæ nihilo huic concedebant, si cut & parùm aberant Regiæ Yncarum ædes; ubi illud singulare spectabatur, nempè continendis lapidibus pro cemento fuisse aurum, argentum, & plumbum simul fusa.

Atabalipa Peruanus Rex obtulit Pizarro Hispanorum militum Imperatori stipendium, tot auri, argentique vasa, quot continere posset aula illa, quò venerant collocuturi, vel juxta alios, quot caperet atrium quadratum Palatii *Caxamalca*, ad eam usque altitudinem cumulata, quà manus extenta pertingeret. Promptè acceptavit Pizarrus, nec promissis quidquam defuit Atabalipa; quamquam nec his contentus Hispanus Urbe Cusco direpta, tantam auri prædam retraxit, quanta ipsum Regis stipendium superaret.

Ædes magni Mogolis, teste Mandeslo, 4. circiter leucis girabant, nec Regis Ærario minùs, quàm 1500000000. nummorum scutatorum æstimabantur; proventus annui, juxta Hebertum, ad 250000000. pertingunt. Sinarum Regi annui census assignant 150000000. scutorum; ac memoriæ proditum est à P. Gruber in obitu Principis eodem cum illo rogo cremari thesauros ipsius omnes, quos in obitu cujusdam è novissimis Regibus ascendisse perhibet ad 4000000000. igne consumpta. Quæ si vera sint, apertissimè planè demonstrant, potuisse Davidem 40. annorum spatio 100000. talentorum auri, & 1000000. talentorum argenti cumulasse in amplissimo planè Regno, eoque ditissimo, tum incolarum numero frequentissimo, post relatas maximè tot de hostibus victorias, & opima spolia, adjectis tributis, & in tanta Regis parsimonia.

Nihil nunc divitias tota antiquitate celebratas Midæ, & Cresi; facilè enim fabulosa vetustas adjicien- dum aliquid veritati censuit. Narrant tamen Cyrum, post domitam Asiam, retulisse 34000. pondo auri, *præter vasa aurea* (verba sunt Plinii l.33. c.3.) *aurumque factum, & in eo folia, ac platanum, vitemque. Qua victoria, argenti quinque millia talentorum asportavit, & craterem Semiramidis, cujus pondus 15. talenta colligebat*. Apud eundem Authorem legimus de solariis, seu fornicibus concameratis, argenteisque trabibus, columnis, & pilis, omnibus ex solido auro in ædibus Salaucis Regis Colchidis.

Quale ferendum sit judicium de thesauris Regum Persarum, ex Athenæi relatione pronum est. Assurgebat in Regiis ædibus aurea vitis, & platanus; & in cubiculo ad Regii cubilis caput, servabantur 5000. talentorum auri; sicut & in alio conclavi infra cubile 3000. argenti continebantur. Quotidie in aula Regis impensis, ac mensa detinebantur 15000. virorum, erogatis in eam rem 400. talentis in singulos dies, nempe 337781950. libris in singulos annos & 925430. in singulos dies (2). Rex Artaxerses vota nuncupans pro sanitate Atossæ uxoris (3) coram Junone, solemniter fidem suam tacta terra, quæ jurisjurandi solemnis est formula, obligavit, tantum se auri, argenti, purpuræ, & equorum per manus amicorum, & Satraparum in sacra Templi æraria illaturum, quantum interjectum inter Templum, & Regias ædes spatium caperet; porrigebatur autem spatium illud ad 11. stadia, nempe 1375. passus.

Angustior est hæc divitiarum idea præ illa, quam de Alexandri Magni thesauris ingerunt Scriptores. Invictus ille Rex ex Damascena regione retulit 26000. talentorum argenti signati, & 500. pondo talentorum rudis argenti, cum 7000. equis, sive mulis onustis (4). Cum autem Susas venisset, oblata Regi narrat Arrianus 1500. talenta argenti cusi; addit Q. Curtius par argenti gravis pondus; sed Diodorus Siculus ascendisse hanc summam tradit argenti gravis ad 40000. talentorum, & auri in Daricos cusi ad 9000.; Plutarchus verò habet 40000. talentorum argenti, & purpuræ ad 5000. talentorum.

Occupata Persepoli, in fiscum Regium illata sunt 120000. talentorum, juxta Diodorum, & Curtium l.5. cap.13. Ex Perside, & Susis retulisse illum 40000. talentorum, author est Strabo l. 16. vel juxta alios 50000. Sunt etiam qui scriptum reliquerint, totam argenti summam Ecbatana redactam, ascendisse ad 180000. talentorum, præter id, quod Babylonem asportatum est, sicut & 8000. talenta à Darii interfectoribus sublata.

Post prælium ad Arbelam oblata sunt Alexandro 3000. talentorum argenti, juxta Arrianum, vel 4000. juxta Curtium, quot nempe in castris Darii inventa sunt. Diodorus l.17. testatur, in Ærariis Ecbatanis non minùs quàm 120000. talentorum auri fuisse, cum Alexander Urbem invasit. Plura etiam invenisse in thesauris Babylonis indè colligimus, quòd ex occupato ibi thesauro, singulis equitibus exercitus sui Rex sex minas, externis verò equitibus 5. peditibus duas viritim distribuerit (5). His omnibus thesauris inspiciendis 30. vel 40. dies insumptos narrant. Accesserunt his 6000. talentorum argenti ex Paserga derecepta. Erant Dario præter hæc omnia 7000. vel 8000. talentorum, ab interfectoribus ipsius Regis sublata; quanquam ea summa imminuta adhuc tamen Æraria victori reservarunt 13000. talentorum, ab Alexandro inter copias suas distributa. Præfectus Ægypti opima hæc spolia 800. talentis, & omnibus supellectilibus Darii cumulavit. Hæc omnia in unum collecta summam excedunt 185000 talentorum argenti, non computatis thesauris Babylone inventis, & inter milites distributis; & 129000. talentorum auri. Stilus deficit Polybio l.10. magnificentiam pariter & superbiam Regum Ecbatanæ descripturo. Cedro omnia, & cipresso induebantur; auro quin etiam vel argento obducti erant trabes, solaria, concamerati fornices, columnæ porticuum, & peristylia, aureæ & tegulæ culminis. Harum laminarum pleræque ætate Alexandri Magni avulsæ, plures etiam sub aliis post ipsum Regibus manserunt; & Antiochus Epiphanes in Templo Deæ Anneæ, sive Anaidis columnas adhuc spectavit auro obductas, tegulas argenteas, lateres aureos, & argenteos longè plures, quæ omnia in monetam, summa 4000. talentorum, excudit.

Talenta illa Attico erant valore, nempe 2400. librarum monetæ Gallicæ. Porrò omnia hæc exempla, adjecta insuper amplitudine ditionis Davidicæ, aliisque, quæ Regi suppetebant, cogendarum divitiarum commodis, Lectores revocant ad fidem Davidicæ opulentiæ, omnemque removent à Sacris Libris suspicionem corruptionis, & exaggerationis.

(1) *Vide* Chevreau Histoir. du Monde to.4.l.8.chap.3.pag.138. (2) Athen.l.4.c.10.& Herod.l.7.c.17.18.19.
(3) Plut in Artaxer. (4) Q.Curt.l.3. (5) *Mina valor ascendebat ad 97.l.6.sol.10.den.& dim.dinm moneta nostratis.*

NOVÆ ICHNOGRAPHIÆ VETERIS *JERUSALEM EXPLANATIO.*

URbs Jerusalem super duos excelsos montes erat ædificata. *Josephus lib* 5. *de Bello Judaico c.*6. *p.*912. *& Tacit. Hist. l.*5.

Horum montium alter meridiem spectabat; ibi aderat arx Jebus, vel antiquæ Jerusalem a David ex Jebusæorum manu capta. 2. *Reg.* 5. 6. *&c.*

Mons alter ad boream vergebat. Hic est mons Sion, ubi David novam exstruxit civitatem, quam Civitatem David appellavit: ibi Templum aderat in colle quodam cui nomen Moria. Vide *Psalm.* 47. 3. *Isai.* 14. 13. *&* 2. *Reg.* 5. ℣. 7. 9. *&* 1. *Par.* 11. 5. *&* 3. *Reg.* 8. 1. *&* 2. *Par.* 5. 2

Templum ædificatum erat in colle Moria, qui pars erat montis Sion. Illud verò positum erat ad Orientem aulæ regiæ, & ad boream antiquæ Jerusalem. *Isai.* 14. 13. *Psal.* 47. 3.

Mello erat vallis, quæ olim antiquam Jerusalem a Monte Sion dividebat, a Davide, ac Salomone oppleta, ut utraque civitas conjungeretur. Regis Ædes, Saltem partim, super *Mello* assurgebant. 3. *Reg.* 9. ℣. 15. 24. *&* c. 11. 27. *&c.*

Regis Palatium ad Templi occasum extructum erat. Alterum quoque palatium suo conterminum Ægyptii Regis filiæ Salomon jussit ædificari; verum situs illius non satis liquet.

Regis Horti non aberant a Palatio, neque a fonte Siloe. Vide 4. *Reg.* 25. 4. & 2. *Esd.* 3. 15. Regum etiam monumenta non procul abfuisse ab Hortis Regiis, immo in ipso Templi monte eacilà fuisse videntur. Vide 4. *Reg.* 21. *v.* 18. 26. *& Ezech.* 43. 7.

Secunda civitas muris circumdata fuit a Manasse. 2. *Par.* 33. 14. neque eorum ulla nisi post illius Regnum mentio fit. Vide 4. *Reg.* 22. 24. *Par.* 24. 22. *Sophon.* 1. 20.

Civitas post Machabæos ædificata a Josepho descri itur lib. 5. c. 6. pag. 913. de Bello Judaico. Loquitur etiam de aliis murorum septis, quorum nequaquam meminimus, non enim ad veterem spectant Historiam.

Torrens Cedron ad orientem a borea in meridiem defluit inter civitatem ad ortum, ac montem olivarum ad occasum. Parvulus hic est fluviolus, qui nonnumquam per æstatem aqua caret.

Fons Gehon, vel Gihon erat ad occasum Jerusalem. 2. *Par.* 33. 14 *&* 32. 30. Confer 3. *Reg.* 1. 9. *cum* ℣. 33. *capitis ejusdem.*

Fons Siloe, vel Fullonis, vel Rogel, vel Piscina superior (hæc enim nomina unum dumtaxat, atque idem significant) erat ad orientem Jerusalem, meridiem versus. Hic insignis est in libris tum veteris cum novi Testamenti. Vide 4. *Reg.* 18. 17. *Isai.* 7. 3. 25. 2. *&* 2. *Reg.* 17. 17. *Vide quoque Josephum de bello l.*6. *c.*6. *in Latino p.*913.

Mons Calvariæ erat ad occidentem veteris Jerusalem, non procul a portis illius. Sanctum Redemptoris nostri sepulcrum in eodem erat monte. *Joban.* 19. 41.

Mons Olivarum erat ad orientem Jerusalem. Hic e tribus collibus erat compositus, quorum medius præ cæteris eminebat.

Vallis Hennon, vel filiorum Hennon, vel Tophet, erat ad civitatis meridiem. *Josue* 15. 8. *&* 18. 16. Hæc erat Cloaca Jerusalem, quò cadavera, & sordes conjiciebantur. Vide 4. *Reg.* 23. 1. *Isai.* 30. 33. *&* 66. 24. *Jerem.* 7. ℣. 31. 32. 19. 12. 23. 35.

Ibi humanis victimis Idolo Moloch litabatur. *Jesus Christus* in Novo testamento ad hanc vallem alludit, infernum *Ge-bennam* vocans, vel vallem Hennon.

Plures Jerusalem portas invenimus, verum non satis liquidò earum situm novimus. Videntur immo nomina earum mutata, ac uni, eidemque portæ plura nomina fuisse imposita; cumque plurima essent murorum septa, quorum singulis suæ erant portæ, fidei consonum est, non ex omnibus portis extra civitatem iter fuisse.

Portæ vallis, cloacæ, & fontis eodem erant in latere, ad urbis orientem. 2. *Esd.* 2. ℣. 13. 14. & 3. 13. *&* 12. 31. A porta vallis ad cloacæ portam mille intererant cubiti. 2. *Esdr.* 3. 13.

Porta Ephraim, porta vetus, & porta piscium, omnes in occidentali urbis parte patebant. Vide 2. *Esd.* 3. 13.

A porta Ephraim ad portam anguli quadringenti aderant cubiti. 4. *Reg.* 14. 13. *&* 2. *Par.* 25. 23.

A porta gregis ad turrim Hananeel quadringenti intererant cubiti. 2. *Esd.* 3. 1.

Porta fontis immiebat fonti Siloe, nec aberat a visidariis Regum. 2. *Esd.* 2. 14. 12. 35. *&* 3. 15. *Jerem.* 52. 7.

Porta equorum erat ad orientem, non procul a Templo, & Palatio. 4. *Reg.* 11. 16. *Jerem.* 31. 40. 2. *Esd.* 3. 28.

Beniamin quoque porta Templo erat proxima. Vide *Jerem.* 20. 2. 28. 12. *&* 38. 2.

Porta piscium invenitur 2. *Par.* 33. 14. *&* 2. *Esd.* 3. 7. 12. 38. *Sophon.* 1. 10.

Porta anguli 4. *Reg.* 14. 13. *Jerem.* 31. 38. *Zach.* 14. 10.

Porta verò *Judicii* 2. *Esd.* 3. 30. *& portam primam Zach.* 14. 10. non memoravimus; non enim novimus, ubi sint constituendæ.

Quoad civitatis aream, atque terræ distributionem id consuluimus, quod Viatores nobis majori fide, ac diligentia tradiderunt de situ montium, de fluviis, & fontibus, qui ad hanc quoque diem extant, & quorum locus minimè mutatus est. His autem innixi graphidem nostram concinnavimus.

D I S-

DISSERTATIO
DE TEMPLIS VETERUM.

NULLA apud homines Religio sub- A fistere unquam potest sine cultu aliquo sensibili, externarumque cæremoniarum ritu, cujus exercitio, veluti tesserâ quadam, veræ religionis cultores inter se convenientes ab exteris discernantur (1). Quare non immeritò credimus Templa, & loca religiosa, quò simul homines ejusdem Religionis coirent, ipsi Mundo æquæva, pares cum illo natales sortita fuisse; quippe quæ portio sunt Religionis naturalis, atque supremi, & indispensabilis hominum officii necessariæ quædam consequutiones.

Templorum tamen necessitas non quidem ex B Dei natura, sive indigentia aliqua, neque ex ipsius aliquo præcepto consequitur. Namque ea licet loca Numinis majestas insideat maximè, & clementiæ atque præsentiæ suæ majora ibi exhibeat documenta; detrahunt cæteroqui aliquid majestati, & gloriæ, qua simul omnia Numine suo implet, cum nullis alioqui limitibus clausum ad certos quosdam limites redigere, quique omnia simul unico intuitu lustrans ubique præsto est, intra certi loci angustias continere videantur. Quare construendorum Templorum, & nominis illis imponendi, Domus scilicet Dei, primus Author non satis augustæ Numinis Majestati con- C suluisse non tantùm nobis, sed & Prophanis ipsis creditur (2): *Non opus est, Fana ædificare. Fanum enim quod non sit magni pretii & sanctum, nihil est existimandum. Nullam autem magni pretii & sanctum est ædificatorum opus, & illiberalium opificum.* O stupidi profectò mortales, inquit Heraclitus, dicite, quid Numen illud fuerit, quod vos intra murorum angustias clauditis? Laterne vos Deum neque corpore constare, neque opus esse manuum hominis, sed totum sibi Mundum in Templum dedicasse? Privata illa Templa omnia interdixit Plato de Legib. l. 12. namque ait: totus Mundus Diis omnibus commune D est Templum. Si quæ autem ille ædificanda Diis Templa permitteret, ab iis volebat aurum, argentum, ebur, ferrum, æs omne abesse. Veteres PP. quibus vitio vertebant Pagani nulla habuisse Dei Templa, reponebant se peculiaribus carere, quod unicum haberent verum Dei Templum Mundum universum; sicut & deliciæ Numinis non loca muris clausa fuisse, sed hominum pectus. *Nonne*, addit Arnobius l. 6. contra Gentes, *prima, & maxima contumelia est, habitationibus Deos habere districtos?* Salomon post excitatum Numini Templum longè, quàm cætera quæcumque, augustissimum, ultro fatetur 3. Reg. 8. E 27. *Cælum & Cæli Cælorum te capere non possunt; quanto magis Domus hæc, quam ædificavi?* Deus ipse Isai. 66. 1. 2. hanc de Templis ideam ingerit: *Cælum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum; quæ est ista Domus, quam ædificabitis mihi? & quis est iste locus quietis meæ?* David consilium inivit augusti Domino Templi excitandi; Salomon pium illud opus exequutioni mandavit: *Sed non Excelsus in manufactis habitat*, ait S. Steph. Act. 7. 47. 48.

Nostræ igitur indulgens tenuitati Deus nostrisque commodis serviens, orationis loca sibi consecrari permisit, ubi à mortalibus oblata sacrificia acceptans & vota, dum nostrorum nos memores sumus officiorum, beneficiorum est ille non immemor (3). Non ità nos Templa excitamus, quo à temporum injuriis, pluviis, ventis, procellis Deus in tuto ponatur (4); neque Ministrorum atque Sacerdotum indigens eos à nobis reposcit. Nos ea ratione debitis consuluimus nostræ religionis officiis; nos ibi ad illum erigimus; insitamque erga Numen reverentiam & obsequium altiùs imbibimus. Uno verbo totus cæremoniarum apparatus, & extrinseca Religionis gloria internæ Religioni servit; atque visibile istud Templum ædificationis intimi in cordibus nostris Templi confert; ubi sanè in spiritu & veritate Deus, quo unico delectatur obsequio, colitur.

Primi illi mortales in Religionis exercitio minùs externam pompam fastumque curabant: cultus erat illis simplex, & purus; sincerior etiam illis, quantùm conjicimus, religio, atque in intimo cordis recessu se continens, minùs in externum effluebat. Pii illi & religiosi viri paucis externæ Religionis summam complexi, intimis cordis obsequiis se totos addixerunt. Rara tum temporis loca religiosa, ubi Altissimo litaretur; neque usu adhuc probata Templa, successu temporis dedicata (5). Externarum cæremoniarum affluentia nondum intimum, quod caput est, Religionis obruerat; neque monstri illud adhuc apparuerat, ut quod inferiùs est, potissimum locum obtineret. Ante diluvium Aris tantùm erectis totum conficiebatur; nec major fuit Religionis apparatus diu post ea tempora. Abel, Noe, Abraham, Jacob, viri illi profectò religiosissimi, nulla tamen adhuc Templa norant. Altare simplex, in loco puro, & seorsum posito, erectum absque simulacris, ornamentis, divitiis Deo statuebatur; circum habebat sive lucum vel horrorem aliquem religiosum; vel saltem in edito quodam colle eminebat: eò fideles redigebantur officiis suis Domino præstandis.

Nec magis constat, un victimarum immolandarum ritus ante diluvinm obtinuerit; facilè enim res dilata usque post permissam Noemo escam ex

(1) August. l. 19. contra Faust. *In nullum nomen Religionis, seu verum, seu falsum coagulari possunt homines, nisi aliquo signaculorum, seu sacramentorum visibili consortio colligantur.*

(2) Zeno apud Clem. Strom. l. 5.

(3) *Non propter locum gentem, sed propter gentem locum Deus elegit.* 2. Macc. 5. 19. Vide etiam 2. Par. 6. 19.

(4) *Non idcirco attribuimus Diis Templa, tanquam humidos ab his imbres, ventos, pluviasque arceamus aut soles, sed ut eos possimus coram & cominus intueri, affari de proximo, & cum præsentibus quodammodò venerationum colloquia miscere.* Arnob. l. 6. cont. Gent.

(5) Eus. Præp. l. 1. c. 9.

animantibus. Ex tunc concessam sibi etiam facultatem offerendi sanguinis, & carnem victimarum vir ille Sanctus autumavit. Ante hæc tempora ex annuis proventibus aliquid Domino dedicabatur, huic primitiæ fructuum, huic lac, adeps, & armentorum lanæ. Hæc Scriptura de Religione ejus ætatis. Hæc veteres tradunt, primævam illam Religionem celebrantes, veluti cujus sanctitati, simplicitati, & innocentiæ nihil esset reliquum (1). Altaria olim, canit vetus Poeta, nullo taurorum sanguine cruentabantur. Pecus aliquod de grege neci tradere, ut carnes in escam parentur, nefas habebatur; aberant thura, procul victimæ cruentæ; oleribus litabatur priùs in altum elevatis, veluti ut essent in oblationem Authori naturæ, deinde ignibus impositis. Religio hæc adeò frugi facilè sine Templorum, & ingentium molium lastu ministrorumque satellitio transigebatur. Aræ ipsæ simplices, & sola religione ornatæ. Quam Jacob, visione recreatus in Bethel, cum iret in Mesopotamiam, erexit, rudi constabat lapide, quem ille capiti suo jam supposuerat. Ex lapide in Altare statim transivit, cùm simplici oleo dedicaretur Gen. 28 18. E Mesopotamia verò rediens locum repetiit voti antea nuncupati reus, ibique decimas omnium bonorum persolvit. E rudi pariter lapide Altaria Domini fabricanda Moyses edixit, Exod. 20. 25. Deut. 27. 5.

Abraham venerationem conciliaturus Altari à se excitato in Bersabee, lucum implantavit Gen. 21. 33. quod ejus ætatis moribus veluti Templi quoddam genus habebatur; cumque locum religionis, atque sacrificiorum causa, una cum tota familia frequens adibat. An hæc vir ille pius è Chananæorum, quibuscum habitabat, religione derivarit, vel potiùs intimum animi ductum, Deique intimè monentis suggestionem in eo luco conserendo secutus fuerit, incertum. Sed planè constat, nihil post Aras vetustiùs occurrere, quam lucos religiosos. Nihil apertum in Moyse de Templis; frequenter verò de lucis, Idolis consecratis. Jubet Israelitas Aras omnes subvertere, vastare lucos, destruere monumenta sacra, sive Chananæorum statuas; nihil tamen uspiam habet de Templis; habuisset autem, si frequentia in regione fuissent. Et quidem nunquam legimus, in devictis citra Jordanem regionibus Templa ulla ab ipso eversa, quanquam totus ille tractus cultui Numinum Phegor, Moloch, & Chamos addictissimus esset.

Profectò Idola illa nulla habuisse Templa videntur præter lucos, sive Ædiculas vel Tabernacula, quibus eorum statuæ circumferebantur, juxta ac Amos describit 5. 26. *Portastis Tabernaculum Moloch vestro, & Imaginem Idolorum vestrorum, sydus Dei vestri, quæ fecistis vobis*. Sunt etiam, qui in dubium revocaverint, an statuæ ipsæ moribus earum gentium receptæ fuissent. Veteres agentes de primis illis Idolis Arabum, inter quos Moabitæ, & Ammonitæ censebantur, illa depingunt tanquam lapidibus rudibus, sive ferro expolitis, sed non in simulacrum humanum constarent. Vetustissima Phœnicum Numina virgæ erant, vel hastæ, & columnæ in honorem Deorum erectæ, ait Sanchoniato seu Porphyr. apud Euseb. Præp. lib. 1. cap. ult. Idcirco, ait Trogus lib. 48. nostra ætate obtinet, ut hastæ sive sceptra manibus Numinum imponantur: *Nam ab origine rerum pro Diis immortalibus Veteres hastas habuere*. Apud Josephum contra Appion. lib. 1. mentio inducitur de columnis pretiosis in veteri Templo Tyri consecratis. Septuaginta plerumque reddunt vocem Hebræam *Matzeba*, quam alii statuas interpretantur, reddunt, inquam, columnas, quod sanè melius vim originalis nominis exprimere videtur.

Satis etiam constat de vetustate cultus sacris lucis, non minùs quàm Idolis in iisdem locis erectis exhibiti. Gedeon lucum Baal vastavit Judic. 6. 27. & Reges Israel, & Juda vicissim plures Numinibus consecraverunt (2) quos tandem ab aliis Regibus succisos, eversis simul Aris & Idolis, scimus. Non aliunde sanè derivabantur scelera illa, & abominationes, quas non raro Prophetæ Judæis exprobrant. De lucis pro Templis ab Ægyptiis implantatis sermo est apud S. Clementem Alexandrinum. Templum Jovis Ammonis circum ambiebat lucus, sicut & Templum aliud Carthaginis, de quo Virgilius:

Lucus in Urbe fuit media ......

Quidam etiam luci sacri in Arabia à Geographis describuntur, inter quos celebratur lucus palmarum, qui ipsissimus esse lucus Elim, ubi Israelitæ castrametati sunt post transfretatum Erythræum, vulgò creditur. Locum certo Numini sacrum custodiebant Sacerdos duplex, mas nempè & fœmina (3). Celebrantur & lucus Daphnes in Suburbiis Antiochiæ, ubi oraculum Apollinis, & Dianæ (4). Apud Indos religiosæ erant arbores, quarum sanctitatem nemo non maximè impius violasset (5.). Apud Græcos par erat cultus in quercus, & in Oraculum Dodonæum. In monte Vaticano, ait Plinius (6), vetustior erat Urbe Ilex ante inaugurationem Urbis sacra. Erant & veternosæ arbores vittis redimitæ, quibus ipse de se Arnobius testatur, ante ejurata Idololatriæ sacra cultum impendisse (7). Priscis Gallis, quantùm scimus, pro Templis luci tantummodo erant, in quibus erectæ rudi opere statuæ super arborum truncos, pro basibus constitutos. Lucanus.

...... Simulacraque mœsta Deorum
Arte carent, cæsisque extant informia truncis.

Germani crassior olim gens, sapienter tamen nec *cohibere parietibus Deos, neque in ullam humani oris speciem assimilare ex magnitudine Cœlestium arbitrantur*, ait Tacitus de morib. Germ. Nec tamen deerant genti Numina, & statuæ, sed *ex stipitibus rudibus & impolito lapide*. Hæc autem signa, sequitur idem Tacitus, *detracta lucis in*

(1) Vide Theophrast. apud Porphyr. de Abstin. l. 2. & 4.
(2) 3. Reg. 14. 15. 23. & 15. 13. & 16. 33. & 4. Reg. 13. 6. & 18. 10. & passim.
(3) Strab. l. 16.
(4) Idem l. 16.
(5) Q. Curt. l. 5.
(6) *Vetustior Urbe in Vaticano Ilex, in qua titulus æreis literis Hetruscis, religione arborem jam tum dignam fuisse significat*. Plin. l. 16. cap. 11.
(7) Arnob. l. 5. pag. 22. *Picturatas veternosis in arboribus tænias, si quando conspexerant &c.*

in prælium ferunt. Templis carebant, defectum supplentibus sylvis, quarum horror, & silentium pro Deo ab ea gente habebatur. Quot insuper florentissimi populi diutiùs sine Templis, Aris, & Statuis manserunt? Cum Celsus in Christianos scriberet, Sæculo nempè Christi secundo, omnis Scytharum, & Nomadum-Africanorum, ac Serum religio veterem hanc disciplinam referebat. Vide Orig. contra Cels. l. 7 pag. 373. Eodem jure censebantur olim Persæ, qui sub dio in editis collibus non statuis, sed Cœlo, aut Lunæ, aut Soli, quin & ventis, aquæ, igni, terræ litabant; ratique Deum anima & vita animantis tantùm delectari, reliquam victimam inter se dividebant (1). Xerses & Cambyses asserendo Numinum honori, quibus irrogatam injuriam dictitabant, quòd præpostera religione in Templo clausa detinebantur, omnia subrui Templa alter in Græcia, alter in Ægypto jusserunt.

Persarum Templa satis respondent *Chamanim* Scripturæ (2), quæ loca erant sub dio, murorum tantùm ambitu clausa, ubi in honorem Solis ignis perpetuus alebatur: unde apud Strabonem l. 15. *Pyreiorum* nomine designata sunt. Extant autem in Oriente ex iis ædificiis quædam, veteris superstitionis documentum, Soli, ut vulgò creduntur, consecrata.

Post arbores & lucos nihil, quantùm scio, in Pagana religione vetustius Ædiculis gestatoriis, & laribus. Ex his laribus creduntur Teraphim Labani. Ad ædiculas referenda censeo Tabernacula Moloch, quas Israelitæ per desertum secum in itinere portarunt Amos 5. 26 & Ephod Gedeonis, Judic. 8. 27. & Michæ Ibid. 17. 4. Frequens erat in Ægypto mos. Quotannis ædicula Jovis trans Nilum devecta in Lybiam comportabatur, tum & post aliquod temporis in Ægyptum restituebatur (3). Narrat Q. Curtius l. 4. Sacerdotes Jovis Ammonis Numen aureæ navi, ad utrumque latus plurimis lancibus argenteis appensis ornatæ, imponere consuevisse. Isidis simulacrum gestabant humeris Sacerdotes, umbella serica super caput pendente; nec aliter quàm super humerum ministri vehebatur Vacca illa Sacra, ministri, inquam, gravi interim passu, quasi Numinis majestatem æmularetur, procedentis (4). Apud Baruc cap. ult. 3. sermo est de Numinibus quibusdam Babylonis, quæ velo tecta purpureo, solemni apparatu circumferebantur. Eustathius in Iliad. 1. tradit, consuevisse apud Veteres Templa plaustris imposita transferri. An hæc ad imitationem Arcæ & Tabernaculi Domini Paganorum moribus usurparentur, vel Deus genio, indoli, & habitudini Judæorum indulgens, consecrari sibi veterem hanc Ægyptiorum superstitionem voluerit, cujus scilicet superstitionis in Ægypto acceptæ memoriam altè retinerent, incertum.

Ex more deferendi Numina in plaustris, equis, sivè humeris imposita, tum & ex domesticis illis Sacellis, sensim obtinuit ingens ille Templorum numerus, seu potiùs ædicularum, thecarum, vel sellarum gestatoriarum, quas in tota antiquitate frequentes legimus. Act. 19. 24. mentio inducitur de ædiculis argenteis Dianæ Ephesinæ, quarum ingens instituta erat Ephesi negotiatio. De ædiculis Plinius lib. 36. 5. de thecis aureis ab Osiride dedicatis Jovi, aliisque Numinibus adeas Diodorum Siculum Bibliot. l. 1. Apud Herodotum l. 2. c. 63. sermo est de statua Solis plaustro devecta

Tom. I.

A in urbe Papremide, jumentorum officio viris fungentibus. Pro veteri Jani Templo stabat angustum sacellum, binis æneis januis angustis oppidò instructum; claudebantur autem fores illæ, cum pacatum esset Imperium. Porrò ænei hujus sacelli & quadrati tam sublime erat fastigium, quantum Numinis simulacrum stans, ad quinque pedes tantummodò assurgens contineret. Julio Cæsari *aurata ædes ad simulacrum Templi Veneris genitricis collocata est*, ait Sveton. in Jul. c. 84. Memoriæ etiam proditum de ænea Jovis ædicula (5) Spartæ, sicut & de alia Delphis (6); ac tandem de Minerveo Romæ ejusdem operis & materiæ.

Frustrà verò quis certam ædificandorum Templorum epocham quærat. Jam inde à vetustissi-
B ma ætate cæpisse morem constat: sed ea est antiquissimarum consuetudinum indoles, ut originem habeant obscuram, cujus inductæ honorem variæ sibi gentes vindicent. Planè si eo nomine designatum voluerimus lucum quemcumque Deo sacrum, vel ille cancellis sepiretur, vel muris, vel coriaceis ligulis, vel sub dio expositus pateret, vel culmine tegeretur; si, inquam, ea omnia nomine Templi usurpentur, ipsi coæva Religioni Templa credi par est: Luci circum Altare implantati; loca Cæli injuriis patentia, & circumsepta, ubi in honorem Solis perpetuus ignis detinebatur; claustra cancellata, uti de Templo Gaditarum in honorem Herculis memoriæ proditum est (7) & Junonis in insula Samo ad
C amnem Imbrasum (8), Templi nomine jure censentur; non secùs ac Tabernaculum Dei Israel, junctis simul asseribus constans, atque velamentis opertum (9). S. Clemens Alexandrinus Strom. l. 5. obtinuisse refert apud Sacerdotes Ægyptios, ut Minervea ædificarent omni remoto tecto patentia, & absque simulacris. Hæc omnia sub uno Templi nomine constant. Sed nobis impræsentiarum origo Templorum exquirenda est, quæ ad modum ædium ædificata suo teguntur culmine, ut ab injuriis Idola constituerentur in tuto, & populi in religiosis cœtus coirent. Templa sanè ita usurpata suam facilè debent originem simulacris & Idolis, quibus spiritale Numen caducis velarum exuviis, in sensibilium rerum censum ita
D redactum est, ut culmine Templis imposito laborandum esset mortalibus, ne injurias ab illo aeris, & temporis propulsarent. Porrò viri illi rudiores aspectu se tantillorum materialium Numinum solabantur, quare visum est certo aliquo in loco Deum detinere, quò semper hominum indigentiis præsto esset, & pervius obsequiis. Quandiu alia de Numine idea mansit, quod nempè immensum, infinitum, omnia replens loca, & nullibi non præsto haberetur; tunc nec Templa, neque religiosas ædes condere homines laborarunt. Ubique Dei Majestas & sentiebatur, & colebatur.

Cautiorem ea de re populum suum fieri Deus Israel voluit, cum sibi Templum ædificari postulantibus, permitteret. Professus est enim se Cæ-
E lum, & Terram suo Numine implere, longeque proinde abesse, ut in constructis humana industria ædificiis contineretur, indulgere se tamen voluisse instabili rudioris gentis ingenio, ut scilicet fixum aliquod haberet, certumque Templum, neque pro arbitrio per alia finitimarum gentium Numina vagaretur. Unicum tamen sibi erigi statuit, quo Numinis singularitas magis magisque insinua-

Rr 4 retur.

(1) Herod. l. 1. & Strab. l. 15.
(2) Levit. 26. 30. & 2. Par 14. 4. & 34. 4. Isai. 17. 8. & 27. 9. Ezech. 6. 4. 9.
(3) Diod. Sicul. apud Eus. Præpar. l. 10. c. 8.
(4) Apul. lib. 11. Asini aurei.
(5) *Vide Paus.* in Lacon. (6) Idem lib. 10.
(7) Sil. Italic. l. 3. (8) Strab. l 3.
(9) *Templum non solùm quod potest claudi, verùm etiam quod palis, aut aliqua tali re, & lineis, aut loris, aut simili re septum est*. Serv. in 4. Æneid.

retur. Eò venire jussit populum, semel, iterum, & tertiò singulis annis, tanquam præstandis vero & legitimo Domino obsequiis. Cavit tandem, ne alibi quàm in Templo sacrificia offerrentur, etiam atque etiam contra Deorum pluralitatem, atque Idololatriam populum suum præmuniens. Quare Templum illud velut aula Regis, & summi totius Israelis Moderatoris habendum erat, quò convenire Populi in obsequia Regis jubebantur.

Antequam tamen condendi Templi vero Deo consilium caperetur, plura jam sibi construi Dæmon curaverat, in Ægypto maximè, constitutæ primùm Idololatriæ sede. Sunt etiam qui ante diluvium ædificata quædam in honorem astrorum crediderint, quem sanè cultum ab Enos invectum ferunt (1). Templi Deæ Syriæ originem ad Deucalionem, cujus ætate diluvium contigit, referri à nonnullis Lucianus, de Dea Syra, est author. Porrò Deucalion non raró cum Noemo confunditur; quare vir iste pius Templorum primus author crederetur. Sed quid Noë deputandum sit, ex Gen. 8. 20. intelligimus; *Ædificavit Noe Altare Domino*, post diluvium: nihil hic profectò de Templo. Constitutorum Templorum in Ægypto honor Osiridi tributus à Diodoro l. 1. videtur; narrat enim Principem illum, deinde inter primores regionis Deos habitum, Templum erexisse augustum, & magnificum utrique parenti, Jovi nempè, & Junoni; geminas insuper ædiculas aureas Jovi consecrasse, ampliorem Jovi Cœlesti, minorem alteram Jovi Ammoni; adjecisse insuper alias aureas aliis Numinibus. Arnobius adversi. Gentes l. 6. mavult à Phoroneo, sive Merope Templa Ægyptia repetenda. Porrò Phoroneus Abrahamo coævus creditur Eusebio, qui Apim ejus successorem circa Isaaci tempora consignat. Artapanus apud Eus. l. 9. Præp. c. 23. & 29. Lysimachus, Josephus, & Rabbini sustinent, Templa jam inde à Moysis ætate familiaria in Ægypto fuisse; ex quibus Templa Athos, & Heliopolis ab Hebræis, cogentibus Ægyptiis, ædificata Artapanus est author. Addit insuper, in ipso secessionis Israelitarum ab Ægypto articulo omnia simul religionis Templa corruisse; sicut & in obsequium Virgæ Mosaicæ, de qua mira ferebantur, plures non dissimiles virgas Ægyptios in omnibus Templis consecrasse. Lysimachus apud Josephum contra Appion. l. 1. narrat, Moysem una cum Hebræorum exercitu omnia, quæcumque obvia habuerunt in itinere, subruisse. Illud Exod. 12. 12. *In cunctis Diis Ægypti faciam judicia* (2), ita interpretantur Judæi, quasi omnia Ægyptiorum Templa Israelitæ in sua ab Ægypto secessione subverterint. Josephus Antiq. l. 4. cap. 8 p. 120. ita *Deum* Israelitas alloquentem inducit: Jubeo vos igne, & ferro vastare lucos, Aras, & Templa Chananæorum, ut ne vestigium quidem supersit. De Templo, vel æde Phegor sermo est Deut. 34. 6. & Josu. 15. 41. ibidem etiam mentio injicitur *Bethsames*, quæ facilè sibi nomen à Templo Solis accivit Josu. 13. 20. Plura sub Judicibus occurrunt in Chananitide Templa, ut Baal-Berit Judic. 9. 46. Dagon 1. Reg. 5. 2., & alterum à Samsone in Urbe Gaza subversum Judic. 16. 27.

Quamquam hæc ita se habeant, illud tamen constat, nunquam apertam Templorum mentionem apud Moysem legi; namque vocem *Betphegor*, seu Templum Phegor, in Deuteronomio adjectam constat, cum Opus post obitum Legislatoris recenseretur. Sermo apud ipsum tantùm occurrit de lucis, aris, collibus, monumentis, & Chamanim, nempe claustris Soli dicatis, ubi ignis perpetuus detinebatur; quemadmodum ex Levit. 26. 30. intelligitur. Faciles etiam credimus nulla fuisse in Ægypto ea ætate Templa, exceptis ædiculis, vel gestatoriis thecis, plurimum quidem & forma, & usu ad Tabernaculum Domini accedentibus. Nec inviti quidem suspicamur, eos, qui vetustissimam Templis originem asseruerunt, vulgarum secutos fuisse errorem, quo Religioni, Regno, Urbi, Templo, totam vetustatem conciliant, rebus debitam, quibus ipsa substituta sunt. Exemplum succurrit in Templo Deæ Syriæ, quod, teste Luciano, alii à Deucalione repetebant, alii à Semiramide, vel Atte, vel Baccho; quamquam ipse oculatus testis affirmat, Templum illud, quale spectavit, vetustius non fuisse Combabo, viro sanè præ illis omnibus recentiori. Sed hæc tamen, inquit ipse, nihil de vetustate hujus Templi præ cæteris omnibus totius Orientis detrahebant, cum super rudera constructum diceretur, vel saltem juxta vetus aliud Templum; forte gestatoriis ædiculis Deæ Syriæ successerat. Quidquid tamen sit, faciles concedimus Ægyptiis primum ædificatorum Templorum Diis honorem, quem ipsi sibi apud Herodotum l. 2. cap. 4. vindicant; qua de re nos contentiosum cum illis funem trahere recusamus.

Fateamur tamen oportet, Chaldæorum, Phœnicum, & Syrorum Templa antiquitatis gloria nihilo Ægyptiis concessisse; quemadmodum de Templo Deæ Syriæ nuper observavimus. Parem cum priori illo jactitat antiquitatem Templum Astartis in Phœnicia, seu Ascalone, quod vetustissimum esse omnium hujus Deæ ex fama in ea regione constanti asserit Herodotus l. 1. c. 105. Templum Herculis Senioris in urbe Tyro inter primora ejusdem regionis celebratur (3). Huic jungas Jovis Templum in monte Casio à Nepotibus Castoris, & Pollucis, uti ferunt, dedicatum (4). Pseudo-Sanchoniato agit etiam de ædiculis gestatoriis Dei Agrotis, cui maximi omnium Numinis titulum vetera Phœnicum monumenta tribuunt (5). Circumferebatur ejus simulacrum æneum in plaustro, quod plura boum juga trahebant. Alterum occurrit apud Lucianum de Dea Syr. Templum Veneris, à Cynira in monte Libano constructum. Templum Beli Babylone pari cum reliquis antiquitatis gloria certabat. Ex his omnibus pleraque eodem antiquitatis gradu cum Templis Ægyptiis procedere poterant.

Frequentia erant apud Græcos Templa belli Trojani ætate; cum jam inde, & duodecim magni Dii, & plures Heroes inter Deos relati, ejus gentis Religionem omnibus numeris absolvissent. Porrò inventorum Templorum gloriam inter Græcos tribuendam credit Arnobius l. 6. contra Gentes, *Æaco* filio Jovis; alii malunt Epimenidi inter primores Cretæ Philosophos (6). Sed Philosophus iste multò est Æaco & Trojano bello recentior. Sanè Pythagoras Epimenide vetustior sæpè de Templis agit (7); atque traditione acceptum narrant, Aborim Philosophum Hyperboreum noctem in his locis religiosam ducere consuevisse. Narrant etiam alii (8) Cretem, primum Insulæ ejus nominis Regem, Templum in sua ditione Cybeli Deorum matri dedicasse; quem sanè virum Epimenide multò antiquiorem fateri cogimur, si Philosophus iste circa Olympiadem 47. floruisse credatur. Memoriæ etiam proditum legimus, Templi Apollinis in Insula Delo authorem fuisse Erisicthonem, filium Cecropis Regis Athenarum; Cecrops autem mille fermè annis Epimeni-

(1) Maimonid. de Idolol. c. 1. §. 2. apud Spencer. de Legib. ritual. l. 3. dissert. 6. c. 1.
(2) *Vide* etiam Num. 33. 4.
(3) Herod. l. 2. c. 44.
(4) Eus. Præp. l. 1. c. 10.
(5) Sanchon. apud Euseb. loc. cit.
(6) Laert. l. 7.
(7) *Vide* Jamblic. vita Pythag.
(8) *Vide* Euseb. Chronic.

monide vetustior est. Hæc de vetustate Templorum apud Græcos, quos sanè plurima, sicut in aliis rebus, ita & in religione potissimum ex Ægyptiis derivasse Herodotus animadvertit l.2. cap.49. 50. 51. 52. . Ex eo fonte deductum in Græciam Oraculum Dodonæum vetustissimum omnium in ea regione; ex eo nomina duodecim Deorum: an ex illis etiam consuetudo Altarium, & Templorum?

Macrobius Saturn. l. 1. cap. 9. ex Zenone narrat, *Janum in Italia primum Diis Templa fecisse, & ritus instituisse Sacrorum*. Ferunt Romanos vacuam habuisse à simulacris religionem non modico temporis spatio; donec sub Tarquinio Prisco circa annum 170. ab U.C. in vacuis Templis simulacra constitui primò cœpta sunt (1). Romulus Templum statuerat Jovi Feretrio; Numa religionem Romanam formaverat; sed religionem frugi, & simplicem, nudis scilicet Templis contentam, & simplicibus sacrificiis sine fastu, impietate, & dissolutione.

Cum Numinum Paganorum ferè omnia ex mortalibus fuissent consecrata, quos sanè mortales in censum Deorum superstitio transtulerat; ita potior Templorum pars Mausolæa veriùs referebat, supra eorum sepulchra erecta, quàm Templa; quod sanè documentum erat apertissimum cultus recenter invecti, simulque ejusdam cultûs prodebat vanitatem, cum sæpè Divinis honoribus colerentur homines corruptissimi, quorum ne memoriam quidem mansisse par erat. Quam enim in superstites habebant observantiam, hanc ne post mortem quidem deponentes, transferebant in cineres, & exutos corpore spiritus; quare minùs ferentes errare illas animas sine laribus & sedibus vagantes; illas, inquam, animas, quas subtili quodam corpore constantes, arctoque amicitiæ fœdere exuvns corporeis conjunctas, atque pristinarum sedium amore detentas opinabantur; consulendum illis autumarunt, ædium quarumdam ædificio, quas illæ incolerent, & sacrificiis, atque aromatum odoramentis tædium levare moraſque dulces trahere possent. Vide Spencer. de Legib. Ritual. l.3. cap.1. Dissert.6. sect 5.

Quæ jam innuimus de monumentis virorum clarissimorum, præposterà religione in Templa consecratis, redditisque in loco sepulturæ Divinis honoribus, authoritate veterum Patrum Ecclesiæ fulciuntur, utì S. Clementis Alexandrini in Protreptico pag. 29 Eusebii Præp. l. 2. cap. 5. Arnobii adversùs gentes l. 6. S. Cysilli Alexandrini contra Julianum; assentiuntur & recentiorum Authorum plerique: longam Templorum hujus generis seriem diducentes. Templum Minervæ Larissæum, monumentum erat Acrisii; alterum in arce Athenarum, monumentum Cecropis. Templum Peliadis, Erichtonii, & Eleusinæ, Ismari sepulchrum habebantur. Duæ illæ mulieres Hyperboreæ, scilicet Hyporoche & Laodicee sua habebant Mausolæa in æde Dianæ intra Templum Apollinis Delphici. Hæc ex Clemente Alexandrino delibavimus. Arnobius etiam asserit, horum Templorum partem non modicam, quorum superbirent auro solaria, atque culmina adeò erigerentur, nonnisi humiles condidisse cineres, & ossa, nec nobiliori excitata esse officio, quam ut essent cadaverum sepulchra; quemadmodum, ait idem ad Paganos conversus, ex vestris ipsorum scriptis convincere possumus. Argumentum inde trahit apertissimum contra Paganorum cultum; quippe qui inexpiabilis sceleris rei essent, mortales homines Divinis honoribus colentes, atque crimen in Deos inferrent, quorum excitata Templa super tumulos mortalium voluissent. Ita fermè & Eusebius

A philosophatur; contendens si ipsi repetantur Idololatriæ fontes, atque superstitio ad suam revocetur originem, facilè demonstrari posse, primos invectæ religionis Paganorum authores, fuisse homines perditissimos, qui metu quodam & avaritia, vel etiam præpostera quadam in patronos suos observantia, eorum memoriam perennatam voluerunt; qua in re, inquit ipse, excusatione digni fuissent, si eousque furoris non processissent, ut è mortalium conditione translatos viros, sibi vel Patriæ beneficos, in ipsas Deorum immortalium Sedes invehere non ausi fuissent. Acceptæ à patribus suis religionis, sequitur idem Eusebius, cum filios puduisset, quò se ab omni crimine ponerent in tuto, novam
B invexerunt Theologiam, qua omnia ad figuras, & mysteria pertraherent; obtendentes, sub ementito Deorum nomine nihil quidem mortale designatum fuisse, sed naturales maximorum in tota natura effectuum causas, uti Solem, terram, aera, ventos &c. Celebris illa turris à Belo Babylone constructa, inter Orbis portenta olim habita, ejusdem Beli monumentum erat, authore Strabone l. 16. De Templis verò Romanorum universis hæc Prudentius l. 1. contra Symmach.

Et tot Templa Deum Romæ, quot in Urbe Sepulchra
Heroum numerare licet.

C Nec alia erat Ægypti disciplina, apud quos nulla facilè Templa carebant Sepulchris, sive Deum, sivè animalium quorumdam Sacrorum. De his tumulis sermo est apud Herodotum, & Diodorum; quamquam subobscurè Herodotus loquitur; quippe qui mysterium silentio premendum sibi in ea re autumaverit.

Ex his omnibus fusiùs à nobis hucusque digestis facilè intelligimus, omnium Templorum, quorum ad nos cognitio certa devenit, vetustatem præ Moyse minorem fuisse; quamquam ambigendi locus de Templis Ægyptii manet; cum nec de Phoroneo tamquam primo conditorum in Ægypto Templorum authore constet, neque,
D si constaret, de ætate ejusdem Principis certi aliquid habemus. Reliqua omnia Templa Chaldaica, Syriaca, Phœnicia, Græca, Insularum Italiæ, & populorum, quos Barbaros appellant, vetustate Moysi concedunt. Quando enim ædificati Templi Deæ Syriæ author Deucalioo haberetur, non tamen Moyse vetustius esset; cum diluvii Deucalionei epocham circa secessum Israelitarum ex Ægypto constituamus. Celebratissimum illud Babylonis Templum Belo sacrum, de quo nos infra, ante Nabuchodonosorem quidem, incertum tamen quo Authote, conditum erat: sunt qui à Semiramide credant, nempè multo post Moysem tempore. Jupiter, cæterique Dii coævi, sicut & ejus filii, ut Æacus, authores Templorum in Græcia &c. 100.
E annis à Moyse superantur. Janus suppar erat Saturno patri Jovis. Templum Herculis Tyrii non sanè majorem jactare poterat vetustatem, quàm Urbs post obitum Moysis condita. De reliquis Templis Phœniciæ, & Philisthæorum, in ea qua sumus obscuritate, nihil certi afferimus. Apud Strabonem l.11. celebratur Templum Leucotheæ in Colchide, quod à Phryxo repetit; scitum est autem Phryxum paulò ante Argonautas in regionem venisse; & Argonautarum expeditio ad ætatem Gedeonis circiter refertur. Apud Ovidium de Ponto 3. eleg. 2. celebre est Templum Dianæ in Taurica, in quod cælitus delapsum, uti ferebatur, simulacrum. Quo tempore Pylades, & ejus amicus Orestes eò adoraturi

(1) *Vide* Plut. in Numa Dion. Halycarnass. Tertull. Apolog. cap. 25. Aug. de Civit. l.4. cap.31.

ratuti venerunt. Iphigenia Orestis soror sacris præerat. Porrò hi omnes viri bello Trojano posteriores fuut; quare etiamsi ante ducentos annos Templum illud couditum habeatur; adhuc tamen Moysis ætate inferius esset. Itaque id ratum haberi potest & firmum, oullum nobis Templom Moyse vetustius innotuisse.

Non abs re ducimus modò aliquid de forma & habitudine veterum Templorum, quò Salomonico compareutur, afferre. Hæc de Templis Ægyptiis apud Strabonem leguntur (1). Obvia primùm occurrit quadrata, & instrata lapidibus area, jugero circiter patens, & quadruplo vel saltem triplo porrectior, quam augusta tria vestibula, alterùm post alterum, excipiebant. Ex his aditus in atrium amplum satis & magnificum, in cujus fronte Templum assurgebat, mediocre illud mole, atque simulacris omnibus vacuum, nisi fortè figuras quorumdam sacrorum apud Ægyptios animalium exhibuerit. Omnia itaque religionem & magnificentiam spirabant, luci sacri, atria, porticus, aræ, cæremoniæ mysticæ. Ministri religiosa quadam gravitate rebus sacris operabantur.

Io tanto religionis apparatu Templum demùm ingressis offerebatur felis, canis, simia, hircus, crocodilus, vel quid simile. Similem Templorum structuram describens S. Clemens Alexandrinus Pædag. l.3. cap.2., magnificentiam lucorum, atriorum, & porticuum celebrat; atria & vestibula ornari testatur magnificis columnis, parietes lapidibus raris & pretiosis incrustari; interiora Templi oculos præstringere fulgore auri, argenti, & pretiosi illius metalli, quod *Electrum* appellant. Penetralia verò, ait, à reliquo ædificio separaot aulæa intexta. Sed cum locum ingressi de Deo quærunt, tuoc Sacerdos ad majestatem composita gravitate velum reducens, felem, vel crocodilum, vel cicuratum aliquem anguem super ditissimum purpureum tapetem reptantem exhibet.

Simandius Rex Ægyptii rerum à se gestarum perpetuum mooumentum posteris relicturus, Templum construxit, sive magnificum ad miraculum usque sepulcrum, ita à Diodoro descriptum l.2. cap.1. Totum ædificium in quadro positum, spatium 10. stadiorum habebat. Primus ad illum aditus lapide variegato ornatos jugeris 2. porrigebatur, & 45. cubitis assurgebat. Succedebat atrium 4. jugeiorum in quadro, quem fastigiatum peristylium ambiebat; cujus peristylii columnæ singulæ altæ 16. cubitis, & prisco opere in animantium figuram insculptæ perpetuo lapide coustabaot. Excipiebat deinde aliud atrium ejusdem amplitudinis, sed ditius sculpturis, & pretioso columnarum lapide, ac artificio. Ibi expressis ad magnitudinem colossi statuis bellum Simandii contra Bactrianos exhibebatur. Succedebat Templum, ubi expressa in ligno sculptura cœtus Judicum spectabatur, inter quos medius assidebat Præses, imaginem veritatis è collo suspensam gestans. Indè egressis occurrit ejusdem structuræ magnum aliquod ædificium, imminens vasto atrio, quod peristylium ornat. Longiùs aliquanto surgit Bibliotheca, haoc habens in fronte inscriptam epigraheo: *Anima medicamentum*. Succedit Bibliothecæ Templum, ubi ad 20. usque enumerantur pulvinaria Jovis, & Junoois, spectandumque se Regis hujus ædificii conditoris simulacrum exhibet. Non unam etiam Templorum Ægypti descriptionem habet Herodotus l.1. c.138. 155. 170. 175. 176. ubi Latonæ, Vulcani, Minervæ, & Dianæ, sed nihil ab ea, quam supra ex Diodoro retulimus, differunt. Unius Serapii Alexandrini afferemus, quod cum ad ætatem usque Theodosii Magni staret, ejus-

[A] dem Principis jussu in Christianorum Templum consecratum est. Hæc de illo Rufinus Hist. l.2. cap.23. *Non natura, sed manu & constructione per centum aut amplius gradus in sublime suspensus, quadratis & ingentibus spatiis omni ex parte distensus. Cuncta vero quo ad summum pavimentorum evadatur, opere forniceo constructa, quæ immensis desuper luminaribus, & occultis aditibus invicem distinctis, usum diversis ministeriis & clandestinis officiis exhibebant. Jam vero in superioribus extrema totius ambitus spatia occupant exhedræ, & pastophoria, domusque in excelsum porrecta, in quibus vel æditui, vel hi quos appellabant agneuontas, idest qui se castificant, commanere soliti erant. Porticus quoque post hæc omnem ambitum quadratis ordinibus distincta intrinsecus circumibant.*

[B] *In medio totius spatii ædes erat, pretiosis edita columnis, & marmoris saxo extrinsecus amplè magnificèque constructa, interiores delubri parietes laminis primà æreis vestiti. Super has argenteis, ad postremum æreis habebant, quæ munimento pretiosioribus metallis forent.* Congesta superconcamerato fornice non modicis sumptibus terra, in amplam aream porrigebatur, cujus medium insidebat Templum. Hujus Templi pretium augebat iusigois Ptolomæorum Bibliotheca. Sacro quodam horrore, quemadmodum ferè omnia Veterum Templa, locus tenebatur; tenuis enim lux ea forulo ad orientem patenti ita admittebatur, ut orientis solis radii ipsum Idoli os è regione in capite Templi positi ferirent. Ex hac descriptione intelligimus hujus ædificii structuram Græci fuisse saporis, alteriusque à priscis Ægyptiorum

[C] ædificiis architecturæ. Hoc planè fuit Ptolomæorum opus.

Ægyptiacis Templis alterum non absimile, & in viciniis positum, Jovis nempe Ammonis, jungimus. Erigebatur illud in medio sacri luci, Templum simul, & arx pro finitimis circum populis. Tribus totum ædificium ambiebatur muris, quorum prior ambitus claudebat veteres Regis ejus regionis ædes, secundum Gynecæum fæminarum, ubi & sedes filiorum ejus Principis. Ibi etiam assurgebat Templum, & Oraculum Dei Ammonis. Intrà tertium tandem ambitum continebantur ædes militum & aliorum Aulæ custodum. Templa Syriæ, & Arabiæ ejusdem erant cum Ægyptiis architecturæ. Priscis Arabibus, quemadmodum cæteris fermè omnibus gentibus,

[D] Templa omnia deerant. Maaimus Tyrius Dissert. 38. vidisse se tradit ejusdem gentis simulacrum oullo exquisitiori artificio, quàm lapidis quadrati, elaboratum. Sed altam prorsùs ideam de majestate Templorum Arabiæ, & Numinum ejusdem gentis Diodorus ingerere conatur l. 6. c. 10. Hæc ille de Templo Jovis Triphylii in Insula Panchæa. Ædificium est, inquit, in medio agri læti, & fertilis, quem fruteta, & arbores ornant. Templum non antiquitate minus, quàm divitiis, magnificentia, & loci situ præstat. Duobus jugeris in quadro patet. Niveis lapidibus constat structura, quam fulciuot immanes quædam columnæ, sculptura insignes. Simulacris Deorum nihil est reliquum, sivè statura spectetur, sivè

[E] sculpturæ artificium. Sacerdotibus servitiis ejusdem Templi destinatis ædes circa Templum positæ sunt. Templo succedit Circus quatuor stadiis iu longum, & jugero in latum: duo Circi latera ornant æneæ gigaoteæ statuæ supra quadratas bases constitutæ. Hoc magoifici Templi Ædificium. Ejusdem architecturæ gustum aliquem servat Templum Mechæ hodie usque manens. Templum, quod *Beitullah*, Domus Dei, dicitur, ædificium est 15. circiter passibus in longitudine 11. vel 12. latum, & 5. brachiis circiter assurgens. Regnat circum turris in quadro, quam am-

(1) Strab. l.17. *Vide* Herod. l.2.

ambiunt parietes cum triplici columnarum ordine, fastigiatisque internè patentibus porticibus, quatuor Mahometanorum lectis ad orationem seorsum destinaris. Scitum est, Abrahamum ædificii hujus authoram à Mahometanis reputari. Ejusdem structuræ aliquid referunt splendidissima illa Templi Palmyreni vestigia (1)

Apud Veteres celebrantur Templa Ascalonis, & Herculis Tyrii, quorum nulla superest satis exacta, & fidelis descriptio. Sermo in Scriptura occurrit de Templo Dagonis in Urbe Philisthæa Azoto; sed astum de eius structura silentium, nisi siquid in historia Samsonis legatur, quod conjecturam præbet ejusdem suisse cum Ægyptiis architecturæ; amplo etenim atrio peristylio ornato imminebat, uamque populus ad spectaculum Samsonis accitus, & porticus omnes occupabat & tecta Templi, & peristylii, quæ omnia vir ille insigni robore præstans subvertit.

Neque silentio nobis premendum Templum Hierapolis Deæ Syriæ inter primora totius Orientis habitum. In colle modicè quidem assurgente, ait Lucianus de Dea Syr. medium totius Urbis tenet. Duplici muro totum ædificium ambitur. Templi vestibula seorsum ad borcam directa sunt, centum ulnarum magnitudine. Templum ad orientalem plagam, quemadmodum Joniæ Templa omnia, vergit. In solo 2. passibus prominenti, unde per gradus ascensus, ædes collocatur. Vestibulum statim intuentium rapit admirationem, derinent etiam accedentes aureæ januæ, & templum fulvo metallo coruscans. Imum Templi spatium conclave aliquanto promineos semper clausum, & numquam pateus tenet. Intima Templi nonnisi Sacerdotibus pervia; neque Sacerdotibus indiscriminatim omnibus. Erant in loco sacro geminæ aureæ statuæ, Junonis hæc, altera Jovis; quamquam diverso designarentur nomine. Juno exhibebatur Leonibus assidens, Jupiter tauris; tertius alter Deus nulli similis Numini, sed ex omnibus aliquid præleferens, geminis illis accedebat. Huic Numini Assyrii nullum aliud nomen assignant, quàm quod statuam, sive figuram exprimit (2). In Templum ingredientes ad lævam offendunt thronum vacuum, Solis dicunt; vacuum autem, quòd astrum illud per se notissimum nullo indigeat alio quo exprimatur simulacro. Succedebat thronus Apollinis, cujus aliud erat apud illos, quàm apud Græcos simulacrum; barbatum enim, & vestitum Numen præferebat; cum apud Græcos & Numen sit nudum, & imberbe. Hæc Lucianus de Templo Deæ Syriæ celebratissimo.

Ab his omnibus recedebat structura Templi Beli Babylone. Quadratum enim erat ædificium, teste Herodoto l. 1. c. 181. 182., spatium tenens ex omni latere 2. stadiorum, seu 250. passuum. In medio hujus spatii surgebat turris basim habens stadio patentem in quadro. Porrò turris illa septem aliis turribus minoribus, altera super alteram imposita, constabat. In suprema, & eminentissima turri Templum erat, in quo magnificum pulvinar cum tabula aurea, nullum autem simulacrum. In ima turri ad porticus solarium aurea Jovis assidentis figura 12. cubitis procera spectabatur; accedebat & amplior aurea mensa cum sede, & scabello ejusdem metalli; accedebat & aureum Altare, sicut & augustius aliud perfectis sacrificiis, sive majoribus victimis offerendis. Persæ, qui nec Templa norant, nec simulacra, cum sibi armorum jure Babylonem subegissent, everso Templo thesauros omnes abripuerunt. Id factum Xersi tribuunt Herodotus, & Arrianus. Alexander Magnus eversum jam ædificium restituendum suscepit, sed morte intercedente ab opere desistere coactus est (3).

Aliam ejusdem Templi ideam subjicit Diodorus l. 3. c. 10. uamque à Semiramide ædificatum autumat, ejusque altitudinem neminem ad id usque satis exactè definisse contendit. Sed, inquit, tam altè porrigitur ædificium, ut in eius culmen ascendentes Chaldæi observationes suas astronomicas ad Orientem, & Occidentem perficiant. In vertice ejusdem Templi tria surgunt aurea simulacra, Jovis, Junonis, Opis, quorum prius & postremum mille talentorum Babyloniorum pondus æquabant. Supererat adhuc Diodori ætate Jovis simulacrum 40. pedibus procerum. Opis throno aureo assidebat, habens ad genua duos Leones, penes quos sequebantur immanes totidem argentei serpentes. Junonis simulacrum 800. talentorum pondere, serpentis caput dextra tenebat, altera sceptrum lapideum. Ante Numina posita aurea mensa 40. pedibus in longum, & 12. in latum, 500. talentorum pondere. Communis erat tribus; quemadmodum & gemini ampli crateres, naviculæ figuram eshibentes, ac duo vasa adolendis aromatibus destinata. Præter hæc, tres positi erant crateres, quorum unus Jovi dicatus, pondere erat 1200. talentorum.

Templum Dianæ Ephesinæ inter celeberrima totius antiquitatis jure meritoque habetur. Hujus ædificii structura, neque ad Ægyptiacam, neque ad Syriacam accedens, quatuor ad latera exteriora alis, geminis utrinque, distinguebatur; nempè duplici columnarum ordine circum regnante, octo ad geminas frontes ante, & retro replicabantur (4). Porrigebatur totum opus ad 425. pedes, in latitudine verò excurrebat ad 22. Viginti septem supra centum Reges singuli singulas columnas donaverant 60. pedibus altas, inter quas 36. anaglyphico opere insculptæ.

Januas habebat cypressinas, cujus arboris lignum, neque corrumpi unquam, neque à pristino nitore decedere contigit. Quæ fabri lignarii opere constabant, omnia è cedro erant; atque ad superiora ascensus patebat per gradus ex fuste quodam vitis, è Cipro advecto. Longum essem si rara & pretiosa singula ornamenta celebratissimi hujus Templi recenserem. Sumptus universa Asia conferente, 220. annorum spatio tandem torum opus absolutum est.

Græcorum Templa, quod ad figuram pertinet, satis ad Ephesinum accedebant. Plerumque fastigiatis porticibus, vel saltem peristyliis ambiebantur; alia simplex peristylium, vel porticum, alia duplex peristylium habebant.

Quamquam Templorum structura varia fuerit apud varias gentes, communes quædam regulæ æque ab omnibus in ea re servabantur. Scimus enim plurium Historicorum testimonio Ægyptiorum Templa plerumque januas habuisse ad Orientem, adeoque & Templum & Sanctuarium ad Occidentem. Porticus Vulcani ab Asychi Rege Ægypti constructa orientem respiciebat (5); sicut & ad eamdem Cœli plagam patebat Templum Memphis (6), opus Psammetichi. Idem servatum & in cæteris veterum Templis Porphyrius cum aliis nonnullis est author (6); utpotè quia singulorum aditus ad Orientem patebat; orantes verò in Templo spectabant Occiden-

(1) Theven. Vayage Levant. 1. part. cap. 21.
(2) Ξοανον.
(3) Arrian. l. 3. & Strab. l. 16.
(4) Vitruv. l. 3. cap. 10.
(5) Herod. l. 2. cap. 136.
(6) Diod. l. 1.
(6) Porphyr. de antro Nympharum: Item Dion. Thras l. 3. de Pharis, apud Spencer. de Legib. Ritual. l. 3. cap. 2. Dissert. 6. sect. 4.

eidentem. Nec Templum Deæ Syriæ ab aliis ea in re distinguebatur.

Sensim tamen morem illum obsolevisse ex Hygino Augusti Liberto intelligimus (1); ille enim ad Occidentem Templi ingressum statuit, ut Numinis Simulacrum in caput Templi erectum ad Orientalem plagam spectet; sicut & ad eandem plagam Numen in Templo adoraturi respiciant. Ex quo Vitruvius de Architect. l.5. c.5. *Signum quod erit in cella collocatum, spectet ad vespertinam Cæli regionem, ut qui adierint ad aram immolantes, aut sacrificia facientes, spectent ad partem Cæli orientis, & simulacrum, quod erit in Æde ... ipsaque simulacra videantur ex oriente contueri supplicantes*. Hanc structuræ habitudinem in priscis Christianorum Templis spectari constat; semper enim fores habent ad occidentem patentes, ut Ara, & Sanctuarium in adversam partem respiciant. Hujus autem moris vetustas in altero paris antiquitatis more elucet; cum apud veteres Christianos obtinuisset, Deum adoraturos orientem spectare: ex quo vetus Paganorum calumnia de cultu Soli à Christianis præstito.

Nihil ea traditione vetustius in Ecclesia Occidentali, unde facilis conjectura trahitur, morem illum ex gentibus ad Christianos transisse; cum prisci illi Fideles ejuratis Paganorum sacris ad fidem accedentes, ritum hunc ex Paganismo receptum ad meliorem usum retinere maluissent. Favet huic opinioni, quòd contraria planè disciplina apud Judæos servetur, quorum mores facilius adoptassent Apostoli, nisi huic alteri assuevisse Fideles animadvertentes, noluissent in re minimè mala consuetudini adversari.

Nihil planè simile in Ecclesiis Orientalibus, apud quas Judæorum mores invaluerunt, sicut & veteres servatæ sunt regulæ Templorum Ægypti, & Syriæ. Aditum illæ statuebant Templorum ad Orientem, Aras ad Occidentem. Extat hujus moris vestigium in Templo Tyri consecrato, latè ab Eusebio Cæsariensi descripto l. 10. c.4: extat & in aliis recentioris ævi in eadem regione Templis. Nulla enim à constituta illa regula recedunt, quam ex altiori fonte repetiisse eorundem Templorum Authores facilè credimus. Amplo murorum claustro locus Sanctus ambiebatur; ad orientem patebat amplior & fastigiata porta, cujus longè lateque prospectus. Datus hinc aditus in atrium ingens, & quadratum, perpetuo quadruplici porticuum columnatarum ambitu ornatum. Medium ejus atrii è regione Templi duo tenebant ditibus aquis fontes, quò puri Fideles Templum subirent. Tres amplæ fores ad Orientem, quarum mediæ ampliores, laterales duæ inferiores; singulæ repagulis æneis ferreis manicis obstrictis non sine sculpturis ornabatur. Ex majori porta aditus dabatur in navem Basilicæ; ex duabus aliis in latera. In capite erigebatur Episcopi thronus, aliique pro Sacerdotibus, qui semicirculo unà cum Episcopo circum Altare in medio hujus spatii positum assidebant. Sanctuarium à reliqua Ecclesia separabant transennæ quædam sive cancellata lignea, sculpturis exquisitissimè ornata. Hæc Ecclesiæ Tyri, & Orientalium omnium structura.

Sed non ita constituendum est, ut certæ quædam regulæ in Templis omnibus condendis servandæ statuerentur. Plerumque certè, non verò necessariò iis se conformabant, tunc maximè, cum nullam haberent variandæ architecturæ occasionem. Namque testatur Vitruvius l. 4. c. 5. *Sin loci natura interpellarit, tunc convertenda sunt earum Ædium constitutiones, uti quamplurima pars mænium è Templis Deorum conspiciatur*. Si verò in ripa amnis Templum excitandum fuisset, ædificium fluenti alveum sicut & vestibulum spectabant. Ita apud Ægyptios, ubi Templa potissimum in ripa Nili ædificabantur, eo artificio Sacræ illæ ædes constructæ erant, ut vestibulum haberent ad flumen; adeoque quæ in ripa essent orientali Templa orientem anteriori fronte, occidentem posteriori spectabant; sicut & vicissim quæ in adversa ripa ædificata essent, Occidentem habebant in fronte, Orientem à tergo. Si tandem viæ imminerent, vestibulum patebat in via, quò scilicet facilis daretur transeuntibus aditus, & Numina per transitum salutarentur. Hæc Vitruvius. Scholiastes Pindari hanc regulam in universum constituit de ea, quam orantes servent, situs habitudine: Numina adoraturi, inquit, ad Orientem convertuntur; qui verò Heroas, ad Occidentem.

Quare pro Deorum varietate varia etiam servabatur Templorum architectura. Sacræ Jovi Ædes in longum magis, quàm in latum protogabantur; sæpè erant sub dio (2), & elatis muris sublimes; quò scilicet magis magisque Numinis amplitudo, & super cæteros præstantia eluceret. Templa etiam Cœli, Solis, Lunæ, Fulguris, sine culmine plerumque patebant; quòd scilicet luci hæc omnia pateant. Idem fortè significatum voluerunt Israelitæ, cum Solem, Lunam, & Astra super tecta adorarent (3). Ceres, Vesta, Sol, Bacchus, cæterique Dii, quorum Numen ad terram refertur, terræ rotunditatem in Templis affectabant; quippe quæ sive rotunda essent, sive 6. vel 7. vel 8. lateribus angulata. Janus quadrato ædificio gaudebat; Pluto, cæterique Dii Inferni subterraneis fornicibus, sicut etiam Aris in terra defossis. Numina Urbis tutelaria in edititissimo ejusdem loco erecto Templo præsidebant; quemadmodum ex Templis Trojæ, Minerveo Athenarum, & Capitolio Romano intelligimus. Dei etiam artibus, virtutibus, paci præsides in locis frequentissimis Urbis erecto Templo colebantur. Mercurio, Isidi, Serapidi Templum stabat in foro. Voluptatum Numina, e. gr. Venus; belli, uti Mars, & Bellona; ignis & incendii, uti Vulcanus, extra Urbem suas habebant constitutas sedes; Neptuni Templum mari imminebat; Æsculapii in loco Urbis vel ruris amœnissimo (4); Apollinis & Bacchi Theatro continuabantur; Herculis à Circo non remota, Cereris in agro, quòd scilicet hujus religio locum purissimum exigat (5).

Præscribit etiam Vitruvius l. 1. cap. 2. suam variis Numinibus architecturam: *Minervæ*, ait, *Marti, Herculi ædes Dorica fient; his enim Diis propter virtutem sine deliciis ædificia constitui decet. Veneri, Floræ, Proserpinæ, fontium Nymphis, Corynthio genere constituta, aptas videbuntur habere proprietates, quod deliciosa sint magis & fastosa*. Jonico delectabantur Juno, Diana, & Liber; quòd is ordo medius sit inter austeritatem Doricam, & luxum Corinthium. Plerumque unica tantùm porta instructa erant Templa illa, ante quam erectum stabat Altare, & cum Templa culmine tegerentur, Altare sub dio manebat; quemadmodum & in Templo Domini Jerosolymæ animadvertimus.

Apud Scriptores Græcos sermo est de alio Templorum genere, atrio tantùm seu claustro constantium, quod perpetuò peristylii ambitu ita cingebatur, ut undique subeuntibus aditus in Templum

(1) De Agrorum limit. constituen. l. 1. *Antiqui Architecti in occidentem Templa spectare rectè scripserunt, postea placuit omnem religionem eò convertere, ex qua parte Cœli terra illuminatur*.

(2) Vitruv. l. 2. cap. 2. *Jovi, Fulguri, & Cœlo, & Soli, & Lunæ ædificia sub divo hypætraque constituentur, horum enim Deorum, & species, & effectus in aperto mundo, atque lucenti præsentes videmus*.

(3) Sophon. 1. 5. *Eos qui adorant super tecta militiam Cœli*.

(4) Vitruv. l.1. cap. 2.

(5) *Vide* eund. l.1. cap. 7.

plum pateret. Templum Junonis ejusdem structuræ occurrebat secus viam, euntibus Phalero Athenas. Vide Pausan. in Atticis. Idem & in Eliac. alterum describit nullis septum parietibus, quod forum urbis Elææ occupaverat. Legimus etiam de Temploquodam nostræ ætatis Athenis, non parietibus, sed tantum peristylio septum: templum est Jesu Christo Crucifixo sacrum (1). Quibusdam apud Vitruvium Templis duplex est aditus in utraque fronte (2), cujus structuræ nulla, inquit ille, sunt Romæ exempla; Athenis verò in Templo Jovis Olympii occurrunt; occurrunt etiam nostra ætate in elegantissimo Templo, quod vocant, Invalidorum Parisiis.

Si quis modò structuram Templorum Ægyptiacorum, Syriacorumque cum Jerosolymitano à Salomone constructo comparare voluerit, plura sanè ejusdem saporis utrimque deprehendet. Paucis hic totam hujus Templi œconomiam dabimus, qualem nobis Ezechiel, & Libri Regum, & Paralipomenon servarunt. Variat Josephus; qui non Salomonicum, sed ab Herode reædificatum Templum describit; quod sanè alterius erat à Salomonico, & Templo post captivitatem restituto, gustus, & structuræ magnificentioris; quanquam Salomonicum divitiis longè præstaret. Immanes illi muri totum ambientes montem, cui Templum insidebat, ad eandem cum monte altitudinem pertingentes, ac aggestam terram continendam ædificati opus erant Salomone multò recentius (3). De atrio Gentium nihil satis exploratum habemus ante captivitatem (4). Quæ apud Rabbinos legimus de assignatis certos ad quosdam usus variis Templi partibus, sicut & de singulari aularum structura, aliisque, & apud Ezechielem & apud Scripturam reliquam prorsus desiderantur: quare cum solum habeant authorem servatam apud eas gentes traditionem, possent eodem apud nos loco haberi, quo multa planè eorum ab eodem fonte derivata. Tandem quam exhibet Villalpandus ejusdem ædificii œconomiam, paulò exaggeratam judicamus. Vir enim ille in ea, qua tenebatur, persuasione, nihil Salomonico ædificio quoad magnificentiam & gustum reliqui fuisse, ideam subjicit ædis ad omnes veteris architecturæ regulas conformatæ, ut exquisitissimum sit opus, & totius architecturæ prodigium. Videsis censuram Ludovici Capelli Senioris in Templum Willalpandi in Præfat. Versionis suæ Operis Maimonidis de Templo. Fabric. Bibliograph Antiq. cap. 9. pag. 285.

Complanatus in aream 500. cubitorum in quadro Moriæ clivus, aptum excipiendo Templo spatium exhibuit. Non ita tamen ad libellam locus æquatus, quin aliquantò molliter ascendens, aditum in atrium per gradus exigeret. Patebant ad quatuor latera, orientem, occidentem, septentrionem, & meridiem januæ. Atrium Sacerdotum suas habebat ad orientem, septentrionem, & meridiem portas, è regione aditus in atrium Populi, rectaque omnes deducebant ad vestibulum loci sancti, ferè altari holocaustorum obversæ.

Ædificii hujus pars, quæ Templi nomine potissimùm designatur, tanquam sedes Dei peculiaris habita, supernam fermè ædificii partem, & Sacerdotum atrio occidentalem, tenebat. Patens ab oriente vestibulum, ut adoraturi ad occidentem spectare cogerentur. Tres distribuebatur in partes; Sanctuarium, Sanctum, & Vestibulum. Sanctuarium 20. cubitos dimetiebatur in quadrum; Sanctum 20. in latum, 40. in longum, & 20. in altum; Vestibulum oblongum habebat 10. cubitos in latum, bis totidem tam in longum, quàm in altum. Totius hujus ædificii mensura 70. cubitorum in longum; latitudo in corpore ædis 20 cubitorum, & altitudo 30. Lateralibus parietibus adhærebant conclavia 5. cubitorum altitudinis, triplici solariorum ordine disposita. Trabes solaria illa sulcientes hinc lateralibus Templi parietibus, inde parieti extimo conclavium incumbebant. Primus ordo 5. cubitos quaquaversùm dimetiebatur; secundus uno cubito latior, quòd tantundem spatii parietes Templi sensim recedentes permitterent; qua pariter ratione septem latitudinis cubiti tertio ordini relicti.

Porrò conclavia circum Templum ad Meridiem, Occidentem, & Septentrionem regnabant. Quare totum hoc ædificium unà simul cum aliis adhærentibus, aream tenebat 70. pedum ab Oriente in Occidentem; in latitudinem verò, unà simul computata murorum crassitudine, 40. cubitorum circiter. Altitudo in media æde 30. cubitorum; 15. verò in lateralibus ordinibus. Reliqua ædificii altitudo, media scilicet, quæ supra laterum altitudinem erigebatur, fenestris luci demittendæ in Sanctum, & Sanctuarium dabat. Scalæ in scrobis modum fabricatæ ad extremas solariorum oras, aditum dabant è vestibulo in conclavia. Porrò laterales illæ fabricæ alatis Græcorum Templis non ineptè compararentur; quanquam Græcorum illæ porticibus fastigiatis, & columnis instructis ipsam æquantibus Templi altitudinem, triplici aliquando, modò duplici, vel etiam simplici columnarum geminatione constabant; hæ verò Salomonis, licèt triplæ essent in altitudine, simplices tamen erant in latitudine. Ex his Templo, nudis alioqui lateribus minùs augusto, majestas conciliabatur.

Sanctum, locus erat clausus, & à reliquo Templo distinctus, quem Sacerdos destinatus bis in singulos dies manè, & vespere adire tum offerendo thymiamati, tum incendendis extinguendisque lampadibus, tenebatur. Sanctuarii aditus cæteris præclusus Sacerdotibus, uni tantùm Pontifici die Expiationis solemnis semel in anno patebat. Atrium ex anteriori parte reclusum duas habebat ante se positas ingentes, & magnificentissimas æneas columnas, quarum habetur descriptio in Scriptura.

Templum ambiebant duo vasta atria, quorum intimum, & angustius, in exteriori ambitu habens 200. cubitos in quadrò, Sacerdotibus destinatum erat. Cæterùm eo uno excepto, quòd peristylium in latere occidentali nullum, sed murum tantùm (5) haberet, cætera, quod ad ornamenta, & structuram pertinet, nihil cedebat extimo, & ampliori atrio, populo reservato. Erant autem hæc atria lapidibus elegantissimè strata, magnificis porticibus, quas columnæ non infimi pretii fulciebant, ornata. Cellulæ pro Sacerdotibus, servandisque rebus in usum Templi, uti vino, oleo, frumento, & vestibus, alia occupabant ædificia circum atria disposita. Tandem si quid erat vel ad ornamentum, vel ad usum, vel ad splendorem, & magnificentiam Domus Dei, hujus sanè nihil in eo ædificio desiderabatur. Vestes ipsæ, cellæ, cibi Ministrorum, pro Numinis Majestate sufficiebantur.

Neque ii sumus, qui singula hæc impræsentiarum prosequi statuerimus, satis habentes demonstrasse, quantùm fuerit affinitatis inter Templa gentium Judæis finitimarum, & Templum Domini. Nihil fermè inter utraque hæc discriminis, nisi quòd multùm religione Numinis simul & structuræ magnificentia Salomonicum illud præstaret. Cæterùm utrinque recurrit Sanctuarium inaccessibile, inviolabile, in ipsis ædificii penetralibus abditum, atriis uno vel pluribus non sine ambitu columnarum cinctum, & ædes in usum Sacerdotum.

T A-

(1) Vide Palæogr. Græc. l.2. c.4. (2) Vitruv. l.3. c.1. ad fin. (3) Joseph. de Bel. l.6. c.14. in Græc.
(4) Ezech. 42. 20. (5) Vide Joseph. de Bel. l.6. c.14.

TABULA CHRONOLOGICA

TERTII REGUM LIBRI.

2989. DAvid Abisag uxorem ducit: Adonias Regnum affectat. Unctio Salomonis. Huic
commendat David extructionem Templi. 3. *Reg.* 1. & 1. *Par.* 28. 19.
2990. David moritur 70. annos natus. 3. *Reg* 2. & 1. *Par.* 29.
2991. Connubium Salomonis cum filia Regis Ægypti. Gabaonem se confert. A Deo Sapien-
tiam obtinet. Lis inter duas fœminas, sapientia Solomonis decisa. 3. *Reg.* 5. 8. & *seq.*
2992. Hiram ad Salomonem Legatos, ligna, & artifices ad ædificium Templi mittit. 3.
Reg. 5. 8. & *seq.*
Templi fundamenta jaciuntur medio circiter hoc anno. 2. *Par.* 3. & 3. *Reg.* 6.
2993. Fuga Semei. 3. *Reg.* 2. 39.
3001. Templum absolvitur anno 3000. & an. 3001. dedicatur. 3. *Reg.* 8. & 2. *Par.* 5. 6. 7.
A 3001. Salomon regales ædes construit. 3. *Reg.* 9 & 2. *Par.* 7.
ad 3012. Tribuit Hiramo urbes, Terras Chabul dein appellatas. 3 *Reg.* 9. & 2. *Par.* 8.
Eodem Iter Reginæ Sabæ. 3. *Reg.* 10. & 2. *Par.* 9.
cir.tem. Solomonis in Idololatriam lapsus. 3. *Reg.* 2. 4.
3029. Salomonis obitus. 3. *Reg.* 2. 2. *Par.* 9. Ei succedit Jeroboamus.

REGES JUDA.


3030. ROboam Jeroboamo bellum infert.
3. *Reg.* 12. 2. *Par.* 11.
3033. Sesac Ægypti Rex Hierosolymam, &
templum diripit. 3. *Reg.* 14. & 2. *Par.* 12.
3046. Roboam moritur. *ibid.*
3049. Abias in Jeroboamum arma suscipit.
Vincit. Moritur. 3. *Reg.* 15. 2. *Par.* 13.
A 3049. Asa prospere, & pacifice regnat. 2.
ad 3063 *Par.* 14. usque ad bellum in Zaram, anno
15. ejus regni. 2. *Par.* 15. 10.
Zara Æthiopiæ, seu potius Arabiæ Rex
Asam aggreditur; sed Asa victoriam con-
sequitur. 2. *Par.* 14.
3066. Asa arma Benadad Regis Syriæ in
Regnum Israelis concitat, ut Baasam
Regem Israelis ab ædificatione Ramæ
avertat. 3. *Reg.* 15. 16. 17. 18. anno 16.
Asæ; 36. a duorum regnorum divisione.
3090. Moritur Asa, ab an. 3087. podagra
excruciatus. 3. *Reg.* 15. & 2. *Par.* 16.
Josaphat Asæ succedit.
3092. Josaphat per totam ditionem suam mit-
tit, qui populos erudiant, 2. *Par.* 17.
3107. Josaphat inopportune fœdus icit cum
Achabo. 3. *Reg.* 22. & 2. *Par.* 18.
3108. Bellum Ammonitarum, Moabitarum,
& Idumæorum in Josaphat, a quo vin-
cuntur. 2. *Par.* 20.
Josaphat fœdus cum Ochozia sancit,
cum quo classem in Tharsim mittit.
3115. Josaphat obit. 3. *Reg.* 22. 51. & 2. *Par.* 21.

REGES ISRAEL.

JEroboam ædificat Sichem, & vitulo- 3030.
rum aureorum cultum constituit. Ar-
guitur a Deo per Prophetam e Tribu
Juda; hujus Prophetæ historia. 3.
Reg. 12. & 13.
Prophetam Ahiam consulit super filii Anno
suo ægritudine. 3. *Reg.* 14. incerto.
Jeroboam moritur. 3. *Reg.* 14. 20. & 3050.
2. *Par.* 13. 20.
Nadab filius & successor Jeroboami a 3051.
Baasa interficitur. 3. *Reg.* 15.
Baasa bellum infert Asæ Regi Juda. 3064.
3. *Reg* 15. & 2. *Par.* 16. Ejus regno decen-
nium addere oportet, ut concilietur
cum 2. *Par.* 15. & 16. 1.
Baasæ obitus. 3. *Reg.* 16. 8. 3074.
Ela rerum potitur. *ibid.* Zamri, occiso 3075.
Ela, regnum invadit. *ibid.*
Amri ab exercitu eligitur adversus
Zamri, qui in regia se incendio tradit.
ibid.
Thebni in Amri insurgens prælio ab 3079.
eodem vincitur. Moritur Thebni ann.
3079. 3. *Reg.* 16.
Amri fatis concedit. *ibid.* 3086.
Achab Jezabelem ducit. Eo regnante
reædificatur Jericho. 3 *Reg.* 16.
Elias tricennii siccitatem prædicit. 3. 3092.
Reg. 17. Sareptam adit. Ad Achabum re- 3093.
dit an. 3096. *ibid.* 17. Fugit, ut Jezabelis 3097.
furorem evitaret. 3. *Reg.* 19.
Elias Elisæum sibi adjungit.
Benadad bellum in Regem Israelis. 3. 3103.
Reg. 20.
Secundum bellum Syris æque ac pri- 3104.
mum adversum. 3 *Reg.* 20.
Historia vineæ Naboth. 3. *Reg.* 21. 3105.
Achabi bellum in Ramoth Galaad. 3107.
Josaphat Rex Juda Achabum secutus in
grave discrimen adducitur, & Achab in-
terficitur. 3. *Reg.* 22. & 2. *Par.* 18. 19.
Ochozias biennio regnat. 3. *Reg.* 22. Ab an.
ab an. 3106. ad 3108. partim solus, par- 3106.
tim cum patre. ad 3108.

EXPLI-




herubim
Meridies
Septentrio
Typus duarum columnarum ante vestibulum extantium

Nova Templi Jerosolymitani Ichnographia.

Occidens

Meridies

Septentrio

Oriens

Scala centum cubitorum.



EXPLICATIONES ET RATIONES

Recentioris Graphidis Templi Salomonici.

Cubitus Hebraicus erat unciarum viginti, & $\frac{44}{80}$ mensuræ Parisiensis; videlicet unciarum viginti cum ferè dimidia.

AAAA Primum septum, vel murus sexcentorum cubitorum, hoc est mille & viginti quinque pedum Regalium secundum longitudinem, in singulis e quatuor lateribus. *Ezech.* 45. 2. Altitudinem habens cubitorum sex, vel pedum decem cum quadrante, latitudinis verò tantumdem. *Ezech.* 40. 5.

BBBB. Atrium Gentilium, vel primum atrium quinquaginta cubitis latum, vel 80. pedibus, & quincunce. *Ezech.* 45. 2.

CCCC. Murus exterior atrii Israel, vel claustrum quingentorum cubitorum in quadrum, scilicet octingentorum quinquaginta quatuor pedum, cum unciis duabus. Murus hic triginta fortasse cubitis assurgebat super priorem recessum, quem a januæ libella incipimus recensere.

DDDD. Atrium Israel cubitorum centum, vel centum, & septuaginta pedum, atque unciarum decem in latitudinem. *Ezech* 40. 19.

EEEE. Murus exterior, vel septum atrii Sacerdotalis ducentorum cubitorum, vel pedum trecentorum & quadraginta unius cum unciis octo in quadrum; cui triginta altitudinis cubitos, vel pedem unum supra quinquaginta cum quadrante tribuimus.

FFF. Atrium Sacerdotale cubitorum centum, vel centum septuaginta pedum cum dextante in quadrum. *Ezech.* 40. 47. & *Ezech.* 41. 4.

G. Sanctuarium viginti cubitorum in quadrum, vel pedum quatuor, & triginta cum sextante. 3. *Reg.* 6. 2. & *Ezech.* 41. 4.

A. Sanctum quadraginta cubitorum longitudinis, latitudinis verò viginti, hoc est, pedibus octo & sexaginta cum triente longum, latum vero pedibus quatuor & triginta cum sextante. *Ezech.* 41. a. & 3. *Reg.* 6. 3.

I. Vestibulum viginti cubitorum latitudinem habens, decem verò (vel juxta Ezechielem, undecim) longitudinem; videlicet pedibus quatuor, & triginta cum unciis duabus latum, longum verò pedibus septemdecim, & uncia. *Ezech.* 40. 48. & 49. Janua illius latitudinem habet cubitorum quatuordecim. *Ezech.* 40. 48. & 3. *Reg.* 63.

K. Altare Holocaustorum duodecim habens cubitos, vel pedes viginti cum semisse in quadrum juxta Ezechielem 43. *v.* 12. 13. & seq. vel cubitorum decem altitudinem, & latitudinem viginti; hoc est, altum pedibus septemdecim cum uncia, latum vero pedibus quatuor, & triginta cum sextante, juxta 2. *Par.* 4. 1.

LLL. Murus divisionis, qui Templum, atque Altare Holocaustorum circumdabat. Hujus dimensiones in Scriptura non afferuntur. Aberat autem viginti cubitis ab ædificiis Atrii Sacerdotalis, cubitis verò quinque à Templo. *Ezech.* 41. 9. 10. Josephus illius altitudinem ait fuisse cubitorum trium. *Antiq. lib.* 8. c. 2. *pag* 262.

MMMMMM. Januæ atrii Israel, atque atrii Sacerdotum, singulæ easdem dimensiones habentes. Vide Ezechielem 40. 1..... 22. usque ad 36. Quodlibet ex his vestibulis cubitorum quinquaginta longitudinem habebat; hoc est, pedes 85. cum quincunce, quæ etiam erat alarum profunditas, *Ezech.* 40. 15. latitudinem verò cubitorum quinque, & viginti, vel pedum duorum, & quadraginta cum unciis octo, ac dimidia; & altitudinem cubitorum sexaginta, hoc est, pedum 102. cum semisse. *Ezech.* 40. 14. In utroque vestibuli latere tria erant cubicula, singula sex cubitos in quadrum habentia. *Ezech.* 40. 6. & separationes inter tria hæc cubicula, quarum crassities erat cubitorum quinque. *Ezech.* 4 . 6.

NNNNNNNN. Porticus circum atrium Israel Vide *Ezech.* 40. Triginta ibi defuisse credimus columnas in ducentorum cubitorum longitudine, pro ratione ad numerum columnarum in centum cubitorum longitudine dispositarum, 3. *Reg.* 7. *v.* 2. 3. 4. in atrio ædium Salomonis.

OOOOOOO. Cubicula, vel conclavia circum atrium Israel; hæc duo erant ac triginta in utroque latere januæ, vel quindecim in quolibet. Vide *Ezech.* 40. 17.

PPPP. Templi Culinæ cubitorum quadraginta, vel octo & sexaginta pedum cum triente longitudinem habentes, latitudinem verò cubitorum triginta, vel pedum quinquaginta, & unius cum quadrante. *Ezech.* 45. *v.* 21. 22. 23. 24.

Q. Janua Septentrionalis atrii Sacerdotum, ubi præparabantur victimæ, & ubi animalia pro sacrificiis jugulabantur. *Ezech.* 40. *v.* 38. 39.

RRRR. Porticus circum atrium Sacerdotum. *Ezech.* 42. 3.

SSSSSS. Conclavia circum atrium Sacerdotale disposita. Ala, quæ erat ad meridiem portæ orientalis, pro Sacerdotibus erat, Templi custodibus. *Ezech.* 40. 45. Ala, quæ ad boream Portæ ejusdem assurgebat, & locus, qui septentrionalem portam respiciebat, Cantoribus inserviebant. *Ezech.* 40. 44. Ala ad orientem portæ Meridionalis posita erat pro Sacerdotibus, qui Altari ministrabant. *Ezech.* 40. 46. Alæ vero ad occasum portæ Septentrionalis, & Meridionalis eas complectebantur cellas, ubi Sacerdotes epulabantur. *Ezech.* 42. 13.

TT. Culinæ Atrii Sacerdotalis, ubi carnes sanctificatæ, & pro peccato oblatæ coquebantur. Hæ quadraginta cubitis erant longæ, vel pedibus duo de septuaginta cum triente, latæ verò cubitis triginta, vel pede uno supra quinquaginta, cum quadrante. *Ezech.* 46. 20. (Loquitur solum de boreali.)

VVVV. Gradus, vel podiola, quæ in atrium populi deducebant. In singulis Scalis septem erant gradus. *Ezech* 40. 22.... 26.

XXX. Scalæ, qua patet aditus in Atrium Sacerdotum, octonos singulæ gradus habentes. *Ezech.* 40. *v.* 31. 34. 37.

YY. Scala in Vestibulum Templi adducens, octo gradus habens. *Ezech.* 40. 49.

aaa. Cubicula circa templum numero tria, ac triginta; quibus Ezechiel 40. 5. quatuor cubitorum latitudinem tribuit. Sed in tertio Regum 6. 5. in primo quidem tabulato cubitis quinque, sex in altero, septem in tertio lata fuisse dicuntur.

bb. Scalæ cochlides, per quas ascensus fit ad cubicula circa Templum disposita. *Ezech.* 41. 7. & 3. *Reg.* 6. 8.

c. Gradus

c. Gradus Altaris holocaustorum, qui orientem spectant. *Ezech*. 43. 15. 16.

dddd. Tabulæ marmoreæ in porticu Septentrionalis portæ atrii Sacerdotalis positæ, ubi victimæ jugulabantur, deglubebantur, secabantur. Hæ vero sesquicubitali erant magnitudine in quadrum. *Ezech*. 40. ℣. 38. 39. 40. 41.

Magni parietes Templi sex cubitorum, vel decem pedum cum quadrante crassitiem habent. Hi verò sunt, murus, qui primum septum efficit, murus atrii Israel, murus atrii Sacerdotalis, ac muri Templi. Sed paries exterior trium ac triginta cubiculorum, quæ Sanctum, ac Sanctuarium ambibant, quinque tantum latitudinis habebat cubitos, altitudinis verò quindecim; hoc est pedes octo, uncias sex cum dimidia in crassitiem, in altitudinem verò pedes quinque & viginti, uncias septem, atque dimidiam. Vide *Ezechielem* 40. ℣. 1. 9. 12.

Omnes januæ atrii utriusque, tum Israel, tum Sacerdotum juxta eamdem mensuram sunt concinnatæ. Paries ubi hiatus est, sex habet cubitorum vel decem pedum cum quadrante crassitiem. Porta verò octo habet cubitorum, vel tredecim pedum, ac unciarum octo latitudinem, ac portæ canaliculus cubitum unum. Altitudo autem portæ tredecim est cubitorum, vel pedum duorum, ac viginti cum unciis duabus, & dimidiata. Vide *Ezechielem* 40. ℣. 9. 11.

Occidentalis portæ Templi non meminit Ezechiel; juxta enim eam quam delineabat, graphidem, Ædes Regiæ prope Templum esse non poterant; ideoque Occidentalis janua, qua Rex ingrediebatur, tunc forte non amplius aderat. Verùm illius dispositio neqnaquam excepta fuit. Post reditum de Babylone non defuerunt januæ in occidentali Templi latere, teste Josepho, & ante captivitatem occidentalis porta aderat proculdubio, quemadmodum liquet ex *Ezechiele* 43. 8. *&* 2. *Reg*. 10. 32. 11. 6. 16. 18. 23. 11. *&* 1. *Par*. 9. 24. *&* 26. ℣. 16. 18.

Sancti Vestibulum januam habebat quatuordecim cubitis, hoc est, tres ac viginti pedibus cum deunce latam. *Ezech*. 40. 48. & 3. *Reg*. 6. 3.

Porta Sancti decem erat cubitorum, videlicet pedum septemdecim, & unciæ unius latitudine. *Ezech*. 4. ℣. 1. 2.

Porta Sanctuarii sex habebat cubitorum latitudinem, vel pedum decem, & quadrantis. Murus divisionis duos tantùm babebat cubitos. *Ezech*. 41. ℣. 1. 3.

Orientalis porta Atrii Sacerdotalis per totam hebdomadam obsignata esse debebat, Sabbatho dumtaxat aperienda, ut ait Ezechiel. Hic Regis thronus assurgebat. *Ezech*. 44. ℣. 2. 3. 4. & 46. ℣. 1. 2. *& seq*.

Conclavibus circum Israelis Atrium dispositis duo tantùm fuisse tabulata censemus; Ea verò, quæ Sacerdotale Atrium ambiebant, triplici tabulatorum ordine constabant. *Ezech*. 42. ℣. 3. 56. Aliud quoque aderat discrimen inter ædificium Atrii Israelitici, ac Sacerdotalis, quod hujus parietes non nisi lignis lapidi intermixtis erant ædificati. 3. Reg. 6. 36. *Ædificavit Salomon atrium interius tribus ordinibus lapidum politorum, & uno ordine lignorum Cedri*.

In Veteri Testamento nullibi *Atrii Gentilium*, quod sciam, mentio occurrit; de duobus tantum atriis est sermo, Sacerdotum videlicet, ac populi, quorum primum interius, exterius alterum appellatur. Verùm certum est, primam aream, quam atrium Gentilium nuncupavimus, substitisse.

Nullibi Scriptura meminit altitudinis conclavium, vel alarum, quæ utrumque atrium circumdabant. Nos eorum altitudinem cubitorum triginta statuimus; non enim Templi Ædificium, neque Salomonis Ædes majori altitudine assurgebant. 3. *Reg*. 1. 2.

COMMEN-

COMMENTARIUM LITERALE IN TERTIUM LIBRUM REGUM.

CAPUT PRIMUM.

Abisag Sunamitis eligitur, ut famuletur David, eumque in senectute foveat. Adonias Regnum adfectans turbas ciet: Salomon in successorem Davidis eligitur, ac Rex consecratur. Adonias ad Altaris asylum confugit; illique Salomon parcit.

1. ET rex David senuerat, habebatque ætatis plurimos dies: cumque operire- Anno M. 2989. Ante J. C. 1015.
tur vestibus, non calefiebat. 2 Dixerunt ergo ei servi sui: Quæramus
Domino nostro regi adolescentulam virginem, & stet coram rege, & foveat
eum, dormiatque in sinu suo, & calefaciat dominum nostrum regem. 3 Quæsie-
runt igitur adolescentulam speciosam in omnibus finibus Israel, & invenerunt Abi-
sag Sunamitidem, & adduxerunt eam ad regem. 4 Erat autem puella pulchra ni-
mis, dormiebatque cum rege, & ministrabat ei, rex vero non cognovit eam. 5
Adonias autem filius Haggith elevabatur, dicens: Ego regnabo. Fecitque sibi cur-
rus, & equites, & quinquaginta viros, qui currerent ante eum. 6 Nec corripuit
eum pater suus aliquando, dicens: Quare hoc fecisti? erat autem & ipse pulcher
valde, secundus natu post Absalom. 7 Et sermo ei cum Joab filio Sarviæ, & cum
Abiathar sacerdote, qui adjuvabant partes Adoniæ. 8 Sadoc vero sacerdos, & Ba-
najas filius Jojadæ, & Nathan propheta, & Semei, & Rei, & robur exercitus Da-
vid non erat cum Adonia. 9 Immolatis ergo Adonias arietibus, & vitulis, &
universis pinguibus, juxta Lapidem Zoholeth, qui erat vicinus Fonti Rogel, voca-
vit universos fratres suos filios regis, & omnes viros Juda servos regis. 10 Na-
than autem prophetam, & Banajam, & robustos quosque, & Salomonem fratrem
suum non vocavit. 11 Dixit itaque Nathan ad Bethsabee matrem Salomonis: Non
audisti, quod regnaverit Adonias filius Haggith, & dominus noster David hoc igno-
rat? 12 Nunc ergo veni, accipe consilium a me, & salva animam tuam, filiique
tui Salomonis. 13 Vade & ingredere ad regem David, & dic ei: Nonne tu, do-
mine mi rex, jurasti mihi ancillæ tuæ, dicens: Salomon filius tuus regnabit post
me, & ipse sedebit in solio meo? quare ergo regnat Adonias? 14 Et adhuc ibi
te loquente cum rege, ego veniam post te, & complebo sermones tuos. 15 In-
gressa est itaque Bethsabee ad regem in cubiculum: rex autem senuerat nimis, & Abi-
sag Sunamitis ministrabat ei. 16 Inclinavit se Bethsabee, & adoravit regem. Ad
quam rex, Quid tibi, inquit, vis? 17 Quæ respondens, ait: Domine mi, tu ju-
rasti per Dominum Deum tuum ancillæ tuæ, Salamon filius tuus regnabit post me, &

ipse sedebit in folio meo. 18 Et ecce nunc Adonias regnat, te, domine mi rex, ignorante. 19 Mactavit boves, & pinguia quæque, & arietes plurimos, & vocavit omnes filios regis, Abiathar quoque sacerdotem, & Joab principem militiæ: Salomonem autem servum tuum non vocavit. 20 Verumtamen, domine mi rex, in te oculi respiciunt totius Israel, ut indices eis, qui sedere debeat in solio tuo, domine mi rex, post te. 21 Eritque cum dormierit dominus meus rex cum patribus suis, erimus ego, & filius meus Salomon, peccatores. 22 Adhuc illa loquente cum rege, Nathan propheta venit. 23 Et nunciaverunt regi dicentes: Adest Nathan propheta: Cumque introisset in conspectu regis, & adorasset eum pronus in terram. 24 Dixit Nathan: Domine mi rex, tu dixisti: Adonias regnet post me, & ipse sedeat super thronum meum? 25 Quia descendit hodie, & immolavit boves, & pinguia, & arietes plurimos, & vocavit universos filios regis, & principes exercitus, Abiathar quoque sacerdotem: illisque vescentibus, & bibentibus coram eo, & dicentibus: Vivat rex Adonias: 26 Me servum tuum, & Sadoc sacerdotem, & Banajam filium Jojadæ, & Salomonem famulum tuum, non vocavit. 27 Numquid a domino meo rege exivit hoc verbum, & mihi non indicasti servo tuo, quis sessurus esset super thronum domini mei regis post eum? 28 Et respondit rex David, dicens: Vocate ad me Bethsabee: Quæ cum fuisset ingressa coram rege, & stetisset ante eum, 29 Juravit rex, & ait; Vivit Dominus, qui eruit animam meam de omni angustia, 30 Quia sicut juravi tibi per Dominum Deum Israel, dicens: Salomon filius tuus regnabit post me: & ipse sedebit super solium meum pro me: sic faciam hodie. 31 Summissoque Bethsabee in terram vultu, adoravit regem, dicens; Vivat Dominus meus David in æternum: 32 Dixit quoque rex David: Vocate mihi Sadoc Sacerdotem, & Nathan prophetam, & Banajam filium Jojadæ. Qui cum ingressi fuissent coram rege, 33 Dixit ad eos: Tollite vobiscum servos domini vestri, & imponite Salomonem filium meum super mulam meam: & ducite eum in Gihon. 34 Et ungat eum ibi Sadoc sacerdos, & Nathan propheta, in regem super Israel: & canetis buccina, atque dicetis: Vivat rex Salomon. 35 Et ascendetis post eum, & veniet, & sedebit super solium meum, & ipse regnabit pro me: illique præcipiam, ut sit dux super Israel, & super Judam. 36 Et respondit Banajas filius Jojadæ, regi dicens: Amen: sic loquatur Dominus Deus domini mei regis. 37 Quomodo fuit Dominus cum domino meo rege, sic sit cum Salomone, & sublimius faciat solium ejus a solio domini mei regis David. 38 Descendit ergo Sadoc sacerdos, & Nathan propheta, & Banajas filius Jojadæ, & Cerethi, & Pelethi: & imposuerunt Salomonem super mulam regis David, & adduxerunt eum in Gihon. 39 Sumpsitque Sadoc sacerdos cornu olei de tabernaculo, & unxit Salomonem: & cecinerunt buccina, & dixit omnis populus; Vivat rex Salomon, 40 Et ascendit universa multitudo post eum, & populus canentium tibiis, & lætantium gaudio magno, & insonuit terra a clamore eorum. 41 Audivit autem Adonias, & omnes, qui invitati fuerant ab eo, jamque convivium finitum erat: sed & Joab, audita voce tubæ, ait: Quid sibi vult clamor civitatis tumultuantis? 42 Adhuc illo loquente, Jonathas filius Abiathar sacerdotis venit: cui dixit Adonias: Ingredere, quia vir fortis es, & bona nuntians, 43 Responditque Jonathas Adoniæ: Nequaquam: Dominus enim noster rex David regem constituit Salomonem: 44 Misitque cum eo Sadoc sacerdotem, & Nathan prophetam, & Banajam filium Jojadæ, & Cerethi, & Phelethi, & imposuerunt eum super mulam regis, 45 Unxeruntque eum Sadoc sacerdos, & Nathan propheta regem in Gihon: & ascenderunt inde lætantes, & insonuit civitas; hæc est vox, quam audistis. 46 Sed & Salomon sedet super solium regni. 47 Et ingressi servi regis benedixerunt domino nostro regi David, dicentes; Amplificet Deus nomen Salomonis super nomen tuum, & magnificet thronum ejus super thronum tuum, Et adoravit rex in lectulo suo: 48 Et locutus est: Benedictus Dominus Deus Israel, qui dedit hodie sedentem in solio meo, videntibus oculis meis. 49 Territi sunt ergo, & surrexerunt omnes, qui invitati fuerant ab Adonia, & ivit unusquisque in viam suam. 50 Adonias autem timens Salomonem, surrexit, & abiit, tenuitque cornu altaris. 51 Et nuntiaverunt Salomoni, dicentes; Ecce Adonias timens regem Salomonem, tenuit cornu altaris dicens;

cens : Juret mihi rex Salomon hodie, quòd non interficiat servum suum gladio. 52
Dixitque Salomon : Si fuerit vir bonus, non cadet ne unus quidem capillus ejus in
terram : sin autem malum inventum fuerit in eo, morietur. 53 Misit ergo rex Sa-
lomon, & eduxit eum ab altari : & ingressus adoravit regem Salomonem : dixitque ei
Salomon : Vade in domum tuam.

℣. 1. REX DAVID SENUERAT.] Septuagesimum agebat annum, cum ad plures abiit. Ad Regnum evectus est natus annis triginta ; & quadraginta regnavit annos [c]. Anno autem, qui mortem ipsius præcessit, illi adjuncta fuisse perhibetur Abisag ad eum fovendum.

CUMQUE OPERIRETUR VESTIBUS NON CALEFIEBAT.] David robusto fuerat corpore, vivido sanguine, ac felici penitus valetudine. Virtus, cujus toties præclarum specimen exhibuit, ac tot diu exantlati labores, robustam corporis illius habitudinem satis probant ; verum diuturna ipsius mala, ac præsertim domesticæ turbæ, quibus posterioribus vitæ suæ annis domus ipsius est exagitata, & morbi quidam, quibus affectus fuit, & de quibus loquitur in Psalmis, maximopere valetudinem ipsius imminuerant, vires exhauserant, ac naturalem calorem ferme extinxerant, ea in ætate, quæ nondum capularis erat, tunc temporis præsertim cum plurimi adhuc iisdem annis nati viribus pollerent. Rabbini [2] docent terribilem Angeli adspectum, qui illum una cum regione tota percutere minitabatur, post populi censum, non parum contulisse, ut viribus David destitueretur. Immo non desunt ex eorum schola, qui asserant, Davidem effœtum viribus fuisse in audaciæ pœnam, eo quod Saulis pallii oram præsecuisset. Anicularum plane deliramenta, quæ ne negotium nobis quidem facessunt, ut iisdem diluendis tempus teramus.

℣. 2. DIXERUNT EI SERVI SUI.] *Medici*, inquit Josephus Antiquit. lib. 7. cap. ult. & post hunc aliqui Interpretes, censuerunt illi adjungendam esse adolescentulam, quæ eum foveret, quandoquidem ex nulla externa ope levamentum aliquod percipere poterat. Re quidem vera, vestes, & ignis, vel solis calor, minime prosunt, uti Franciscus Valesius de sacra Philosoph. cap. 19. animadvertit, nisi quod conferunt ad fovendum, alendum, intus compellendum, vel suscitandum naturalem calorem, reddendo, vel servando sanguinis, ac humorum motum, temperiem, unionem, ac, ut verbo me expediam, æquilibrium illud mirabile, quo vita hominis conservatur. Sed simulac naturalis hic calor evanuit, vel effœtus elanguit : cum sanguis spiritu suo caret, humores consumpti sunt, vel exhausti, organa attrita, vasa rigentia, vel obstrusa, ac viæ naturales, quibus hæ dissipationes, jacturæ, ac defectus reparari solent, deficiunt, nequicquam ignis, cæteraque adjumenta ad calorem gignendum adhibentur. Hæc enim adjumenta extrinsecus agunt dumtaxat, nihilumque conferre poterunt, nisi ut malum augeatur, omnia dissipentur, exhauriantur. Arte adscitus hic calor nullam sanguini vim, nullum humoribus motum addere potest ; turbabit potius, quam reparare queat humorum, ac spirituum œconomiam, fibrarum, organorumque contextum, fietque perniciosus, ac lethifer, potius quam opem afferat, atque utilitatem. Eruditi in arte Medica viri, cum hoc pacto vires effœtæ sint, similem suadent illi, de qua hic sermo est, medicinam [3]. Imperator Ænobarbus sub vitæ suæ exitum a Judæo Medico admonitus est, ut semper pectori suo adolescentulos admoveret, quibus foveretur. Catuli etiam eodem consilio nonnumquam adhibentur [4].

Tom. II.

STET CORAM REGE.] Hoc est, Regi ancilletur. At ℣. 4. & 15. & Chaldæus hujus loci ajunt, ipsam Regi in ipsius infirmitate servitutem præstitisse, poculenta, esculentaque illi præbendo, cæteraque munia obeundo, quæ Regis ætas, ac valetudo exquirere poterant. Inferius ℣. 47. videbimus, David tunc in cubili suo jacuisse : *Et adoravit Rex in lectulo suo*.

ET FOVEAT EUM.] Hebraicus textus [5] ; & *soletur eum*, vel *serviat illi*. Chaldæus : & assidue apud illum maneat. Alii ; & sit uxor illius, vel concubina. Nam Interpretes hac de re in diversa discedunt ; cum alii asserant, eam re vera conjugem fuisse David, alii vero e contra contendant, ipsam vel simpliciter ancillam fuisse, vel certe numquam concubinæ, vel uxoris secundi ordinis dignitatem excessisse. Primi [6] adnotant ; primo, Scripturam asserere, quod David non cognovit eam, eamque virginem reliquit : potuisset igitur cum ipsa rem habere libertate eadem, qua vir cum uxore sua. Secundo, cum Adonias eam sibi conjugem exoptasset, Salomon ipsum Regni appetentem ratus est, perinde ac defuncti regis viduam uxorem petens se Regni studiosum esse ostentasset. Tertio, voluissetne David, vel semet, vel adolescentulam hanc in criminis vel periculum, vel suspicionem vocare cum ea cubans, nisi uxorem duxisset ?

At Rabbini apud Seldenum Uxor. Hebr. l. 3. c. 19. Tostatus, Estius, aliique nonnulli, eam Davidis uxorem fuisse negant. Eam vero sibi adjunxit, ut ipsi illa inserviret, vel ad summum, ut concubinæ nomine illi præsto esset. Si Regi nupsisset, quo pudore eam sibi conjugem Adonias depoposcisset ? Num ignorabat, lege cautum, ne noverca privigno nuberet [7], & se talia petentem maximas Salomoni ingerere suspiciones, atque se in ipsius indignationis, ac mortis periculum venturum, quod satis superque ex eventu compertum est ? Responderi potest, Adoniam vel ambitione, vel amore excæcatum, ne animum quidem ad legem hanc advertisse, cujus forte vim, atque extensionem minime noverat ; & alioquin arbitrari potuit, Abisag, cum a Patre nequaquam virginitatis flos delibatus fuisset, Legis imperio minime obnoxiam [8]. Denique credidit Salomonem adhuc juvenem, & recens ad solium evectum, nequaquam hoc ipsi negaturum, vel quod inde consequeretur, minime intellecturum. Itaque minimum ambigo, quin Abisag vere Davidis uxor fuerit ; sed ipsa virginitatem semper servavit. Quare fit perfecta Ecclesiæ imago, Jesu Christi sponsæ, quemadmodum Adonias est symbolum Hæreticorum, Ecclesiam persequentium, qui semper castæ hujus sponsæ thalamum fœdare, ac polluere adnisi sunt, ut deinde verum Davidis regnum invaderent.

℣. 3. ABISAG SUNAMITIDEM.] Sunam civitas erat in tribu Issachar non procul a monte Thabor. Hæc

Sss a autem

c 2. Reg. 5. 4. *Filius triginta annorum erat David, cum regnare cœpisset, & quadraginta annis regnavit.*
2 Vide Lyran. Munst. & Saost. 3 Galen. l. 7. Method. apud Vales. *Hujusmodi frigiditati subveniri posse docet Galenus* (loco citato,) *si cum eo, qui ejusmodi patitur caloris defectum, assidue cubet boni habitus puellus.* Vide & Grot. hic. 4 Bartholin. de Morb. Bibl. art. 9. 5 ותהי לו סכנת. 70. *Καὶ ἔσται αὐτῷ θάλπουσα*. Scholiast. Σύγκοιτος. 6 Theodor. q. 7. Procop. Hieron. ep. 2. ad Nepotian. Lyran. Dion. Cajet. Tirin. &c. 7 Levit. 18. 8. *Turpitudinem uxoris patris tui non discooperies*. 8 Ita tenet Kimchi apud Martyr. in ℣. 21. c. 2.

autem historia ad id præsertim hic referri videtur, ut via sternatur ad Adoniæ interitum, ac primas Salomonici regni circumstantias.

℣. 5. ADONIAS FILIUS HAGGITH ELEVABATUR, DICENS: EGO REGNABO.] *Haggith* Adoniæ mater nullo plane avitæ nobilitatis jure insignis erat. Scriptura neque originis ipsius, neque nativitatis meminit. Adonias tunc erat natu maximus inter filios David; erat autem Princeps specie decorus, Aulicis apprime carus, & quem Rex ipse peculiari studio complectebatur. Absalom, qui illo major fuerat natu, jam fato functus fuerat, Salomon erat adhuc adolescens; David senio, ac infirma valetudine confectus videtat Adoniam eo satellitio stipatum, quod illum tantummodo decebat, qui se Regni hæredem ferret; verum illi ne verbum quidem fecerat, & silentium ipsius plerique, immo ipse Adonias interpretabantur, velut tacitum Regis consensum. Quæ omnia naturali Adoniæ ambitioni addita adolescentem hunc impulere nimia jam fortunæ aura gaudentem, ut eos contemneret Aulicos, quos ipsi minime favere arbitrabatur, adeoque flocci faceret, ut nequaquam ad solemne convivium invitarit, ubi se Regem salutari passus est, utque ea verba personare haud gravate tulit: *Vivat Rex Adonias* [1]: qua re Prophetæ Nathan excitata est vigilantia, eaque inire consilia ille debuit, quæ magis apte forent, ut Salomonem alumnum suum juxta David promissa, Deique mandata ad regnum eveheret.

Hactenus successionis ordo apud Hebræorum Reges nondum fuerat constitutus; præceperatque Deus, ut nemo Rex, nisi quem ipse elegisset, agnosceretur, Deuter. 17. 15. *Eum constitues, quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum suorum.* Hoc sane pacto Saul, & deinceps David Reges inuncti fuerant; nulla affinitatis ratio habebatur, sed hominis meritum, & Dei voluntas dumtaxat perpendebatur. Peculiariter vero in domus David gratiam Dominus priori derogaverat edicto, Principi huic pro ipso, posterisque ipsius in omnem sæculorum seriem regnum pollicitus [2]. Hoc Dei mandatum, atque consilium minime fugiebat universum Israel; verum quoad hujus successionis ordinem nihil hactenus constitutum erat, neque denuntiaverat Deus, utrum primogenitus patri esset in regnum successurus. Attamen, quemadmodum ordo hic quodammodo naturalis erat, utque apud omnes terrarum populos invaluerat, ut majoribus natu imperium deferretur [3], Adonias palam se Davidis successorem jactitabat, regiamque auctoritatem cum insignibus dignitatis sibi vindicaverat, seu quod ignoraret, seu quod dissimularet Regis Patris sui promissionem, qua spoponderat Bethsabee, se regnum Salomoni filio ipsius relicturum; quam promissionem Dominus ipse ratam fecerat, atque confirmarat, qui filium hunc sibi dilectum esse aperte fuerat testatus 2. Reg. 12. 25. *Vocavit nomen ejus, Amabilis Domino, eo quod diligeret eum Dominus.*

Populus inter Adoniam, ac Salomonem fluitans, opperiebatur, donec Rex sibi regni hæredem palam scriberet, ut alterutrum, quem Rex elegisset, ipse quoque veneraretur. *In te oculi respiciunt totius Israel,* ajebat Davidi Bethsabee ℣. 20. *ut indices eis qui sedere debeat in solio tuo, Domine mi Rex post te.* Adeo minor nativitatis ordini, quam Regis electioni, & voluntati tutio habebatur. In omni Regum Juda serie idem ferme contigisse cognovimus. Plerumque primogenitus ad Regnum evehebatur, cum Rex diem suum obiret, quin voluntatem esset testatus; at sæpius Reges diu antequam fato abriperentur, designabant, quemnam e filiis suis sibi successorem optassent.

℣. 7. SERMO EI CUM JOAB, FILIO SARVIÆ.] Joab dux exercitus David, ut sibi auctoritatem, quam obtinuerat, perpetuam servaret, operæ pretium censuit se facturum, si Regem ipse fecisset. Copiarum imperium amittere verebatur, neque aliud consilio suo aptius videbatur, quam si propria manu ad regnum eveheret Principem, qui semper ab illius ore penderet. Vicissim Adonias, qui noverat Joab audacem, fortem, & ad quælibet suscipienda idoneum, qui virtutem ipsius, auctoritatem in exercitu, ac existimationem in populo non ignorabat, nihil aliud sibi profuturum magis ratus est, quam si tanti momenti, tantæque dignitatis hominem sibi conciliaret.

ET CUM ABIATHAR SACERDOTE.] Cujus auctoritas haud minor erat in Sacerdotes, atque Levitas quam auctoritas Joab in exercitum. Sacerdotes apud Hebræos maximo in honore habebantur, atque in Republica quoddam veluti corpus amplissimum, atque distinctum propter ipsorum dignitatem, ac munera constituebant. Adoniæ intererat in partes suas societatis adeo potentis caput allicere.

℣. 8. SADOC SACERDOS NON ERAT CUM ADONIA.] Abiathar, & Sadoc Summi Sacerdotis munere simul fungebantur. Erant ex diversa familia, quamvis ex eadem Aaronis progenie. Abiathar erat e familia Ithamar, Sadoc vero e familia Eleazari. Prior quidem Davidi adhæserat, cum Saule imperante affligeretur, ac fugeret; alter vero Pontificatum exercuerat in Tabernaculo, Saule eodem regnum obtinente. David ea dispositione, cujus nullum hactenus extiterat umquam exemplum, utrumque Summum Sacerdotem munere suo fungi permisit. Haud abhorret a fide, ipsos minime perfecto consensu vixisse, atque in ipsos invidiam, ac simultatem obrepsisse; quandoquidem alter Adoniam, Salomonem alter secutus est. Sadoc felicior fuit; ut enim Salomon Regni habenas cepit, de Sacerdotii dignitate dejecit Abiathar, Sadoc vero in ea confirmavit.

BANAJAS FILIUS JOJADÆ.] Banajas virtute sua erat insignis 2. Regum 23. 20. David eum Ducem præfecerat copiis Cerethi, & Phelethi 2. Regum 8. 18. & 20. 23. quos credimus regiæ cohortis milites fuisse. Salomon vero ipsi universi exercitus imperium pro Joab detulit 3. Regum 2. 35. Hi duo Imperatores Joab, ac Banajas sibi mutuo, velut æmuli invidebant; quod profecto obstitit, ne uterque iisdem in partibus conjungerentur.

NATHAN.] Quemadmodum nemo ignorat, Propheta erat in summo honore a David habitus. Non pauci opinantur [4], Regem hunc illi filium suum Salomonem instituendum credidisse, ac Salomonem ad Regi solium evectum maximam ipsi in tota domo sua contulisse auctoritatem; ita ut hic Propheta vulgo *Regis Pater* appellaretur. Sententia hæc, quæ tribuit Nathan gloriam Salomonis instituti, innititur loco cuidam ex secundo Regum 12. 25. ubi legebatur olim, David misisse filium suum Salomonem in manibus Nathan, a quo vocatus ille fuit Amabilis Domino: *Misit eum in manu Nathan Prophetæ, & vocavit eum Amabilis Domino*; vel quemadmodum legebat Petrus Comestor: *Commisit eum in manu Nathan.* At Vulgata castigatior habet simpliciter: *Misitque in manu Nathan*, quod & Hebraico textui & Septuaginta est conforme. Hæc interim opinio fundamento destituta corruit. Salomon ipse in Proverbiis

---

1 ℣. 25. *Illis vescentibus, & bibentibus coram eo, & dicentibus: Vivat Rex Adonias.*

2 2. Reg. 7. 12. . . . & 26. *Suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo, & firmabo regnum ejus.*

3 Herod. l. 7. c. 2. Vide & Justin. l. 2. *Artabazenes maximus natu, ætatis privilegio regnum sibi vindicabat, quod jus, & ordo nascendi, & natura ipsa gentibus dedit.*

4 Lyran. Hugo Cardin. Petr. Comestor. Genebrar. lib. 1. Chronol. Pineda de Reb. Salomon. cap. 19. Menoch.

Verbiis 31. ea nobis effert præcepta, quæ puer a matre didicerat.

SEMEI.] Nonnulli [1] putant, hunc eumdem esse ac Nabat, patrem Jeroboam, qui super decem tribus regnavit. Hunc eumdem, ajunt, fuisse præceptorem, ac Pædagogum Salomonis. Verum nihil hoc incertius. Illud vero certum est, hunc alium omnino fuisse ab illo Semei, qui maledictis Davidem oppetiit 2. Regum 16. 5. 6. & qui Salomonis jussu enecatus est.

REI.] Auctor Traditionum Hebraicarum in libros Regum vult hunc eumdem esse, ac Iram Jaireitem antiquo amicitiæ fœdere Davidi conjunctum, qui *Sacerdos David* vocatur 2. Regum 20. 26. *Ira Jaireites erat Sacerdos David*.

ROBUR EXERCITUS DAVID.] Exercitus David plane significat regiam cohortem illius, Cerethi, & Phelethi, qui erant validum robur copiarum Regis hujus, & fortasse etiam soli, qui in armis semper essent, & continue mererent stipendia. Copiæ, quibus præerat Joab, fiebant ex omni populo ad arma ferenda idoneo. Earum magnus sane erat numerus; verum non semper sub signis erant, atque justum exercitum constituebant.

En autem recentes conjecturas in hæc verba novissima: *Et Semei, & Rei, & robur exercitus*. Septuaginta legerunt: *Semei, & amici illius; potentes, vel fortes David* [2]; Syrus, & Arabs: *Semei, & Daja Heros, vel Gigas David* [3]. Vertere vellem [4]: *Neque audientes, neque videntes, neque fortes David*, erant in partibus Adoniæ. Audientes, & videntes significant publicum consilium; vide infra ℣. 20. illos, qui Regis mentem exploratam habebant, qui Dei voluntatem noverant; vel forte Prophetas, & filios Prophetarum, præceptores, atque discipulos, quorum magna erat in Israel auctoritas.

℣. 9. IMMOLATIS ADONIAS . . . UNIVERSIS PINGUIBUS.] Hebraicus textus verti potest [5]: *Immolavit oves, & capras*, vel arietes, & hædos, *& boves*, vel vitulos, *& animantia ad id saginata*. Septuaginta [6]: *Oves, vitulos, & arietes*. Pro certo affirmari nequit, Principem hunc vere obtulisse Domino in sacrificium *hæc animalia; nam sæpius Scriptura utitur verbo sacrificandi*, ut simpliciter significet, in convivium animalia mactare: licet alioquin minime lateat, cum Regis recens ad solium evecti cæremoniæ peragebantur, Domino sacrificia offerri consuevisse [7]. Verum æque constat, in iisdem celebritatibus maxima lætitiæ signa edi, atque Imperii Principibus viris, uti etiam populo, qui aderat, convivia insterni, quemadmodum factum est, cum David Rex Israel ab universa Natione fuit salutatus 1. Par. 12. 23. & seq.

JUXTA LAPIDEM ZOHELETH, QUI ERAT VICINUS FONTI ROGEL.] Lapis Zoheleth, inquiunt Rabbini, quibusdam adolescentum ludis inserviebat, qui virium suarum periculum faciebant, illum vel jaculando, vel potius rotando, vel elevando. Alii vero autumant, hoc fullones usos fuisse, ut vestes jam ablutas super illum tunderent. Inanes conjecturæ. Fons Rogel erat prope Jerusalem, ac Regis viduaria, ut Josephus ait, ad orientem montis Sion.

℣. 12. SALVA ANIMAM TUAM, FILIIQUE TUI SALOMONIS.] Si umquam Adonias pacatus fuerit Regni possessor, omnia tibi timenda erunt pro vita tua, ac filii tui. Jam in vulgus editum est, David Salomoni regnum spopondisse. Si Adonias voti sui compos sit, non deerit, quin illi, veluti pernicioso

A competitori vitam eripiat: neque est, cur tu tibi meliorem exitum expectes.

℣. 13. NONNE JURASTI MIHI . . . . DICENS: SALOMON FILIUS TUUS REGNABIT POST ME?] Quandonam David istud Bethsebee fuerat pollicitus? hoc enim liquido nuspiam in Scriptura patet. Interpretum plerique putant [8], David post mortem primi filii, quem ipsi genuerat Bethsabee, filii defuncti matrem consolatum fuisse [9], ac illi spopondisse futurum; ut si Deus alterum ex illa filium daret, ipsum in regni successorem eligeret. Verum crederem potius, David hoc promisisse Bethsabee tunc solum, cum Deus illi revelaverat, filium ipsi nasciturum, cui ille honorem servabat & in patrium Regnum succedendi, & in Domini honorem templum ædifi-B candi [10]. Davidi tunc omnino persuasum fuit Salomonem eum esse, qui divinarum promissionum effectu fruiturus erat, cum post illius nativitatem accersitus Propheta Nathan puero Salomoni *Amabilis Domino* nomen imposuit. Tunc forte David pollicitus fuit Bethsabee, se pro virili adnisurum, ut felix filii sui horoscopus minime falleret, ipsum sibi successorem designans. Adonias ipse noverat, Divinæ voluntatis effectum fuisse, quod Salomon patri successerat [11]. David igitur electio pro Salomone, & promissio, quam ille fecerat Bethsebee, nequaquam præcesserunt prophetias Nathan; sed has subsecutæ sunt, ac harum effectus fuere.

℣. 16. INCLINAVIT SE BETHSABEE, & ADORAVIT REGEM.] Hebraice [12]: *inclinavit se, & prostravit* C *se in terram coram Rege*. Primum quidem venerabunda humillime demisit caput, deinde depressit faciem suam in terram, cum propius ad Regem accessit.

℣. 20. IN TE OCULI RESPICIUNT TOTIUS ISRAEL.] Omnes soliciti tuam novissimam voluntatem nosse desiderant. Hoc unum obstat, quo minus Adonias totius Israel Rex habeatur. Hic juvenis Princeps capite sequenti gloriatur, se ab universo Israel Regem constitutum fuisse 3. Reg. 2. 5. *Me præposuerat omnis Israel sibi in Regem*. Innuit autem, populum universum paratum fuisse, ut eum sibi Regem præponeret, immo illum jam veluti Regni hæredem agnoverat; nisi David electione sua naturalem prævertisset ordinem, regnumque in Salomonem transtulisset.

℣. 21. ERIMUS EGO, & FILIUS MEUS SALOMON D PECCATORES.] Hoc est in nos, tamquam in noxios sævietur. Adonias nobis, veluti perduellionis reis, propter appetitum Regnum necem inferet [13]. Cum Salomon jus ostentare possit ad Regnum, quod & tuis, & Dei promissis innititur, inanes quærentur causæ, ut hic, velut seditiosus homo de medio tollatur, atque ego quoque una cum filio huic obnoxia ero infortunio. Hebraicus textus ita quoque verti potest [14]: Ego, & filius meus Salamon nostra spe frustrabimur [15]. Peccare, errare, in hoc sensu nonnunquam sumuntur. Denique non desunt, qui in alio explicent sensu [16]; Ego & filius meus traducemur veluti sontes; ego quidem velut adultera, filius vero veluti natus ex adulterio.

℣. 28. VOCATE AD ME BETHSABEE.] Egressa fuerat de regio cubiculo, simulac Nathan fuerat ingres-E sus; similiter Nathan ipse egreditur, statim ac Bethsabee revocatur. Hinc liquet quod quivis cum Rege, solo, remotis arbitris loquebatur. David nihil respondit Prophetæ Nathan; saltem Scripture non exprimit ea, quæ Rex ille respondit.

℣. 33. TOLLITE VOBISCUM SERVOS DOMINI VESTRI.] Copias, quæ tunc in regiis ædibus, ac in

S s 3 urbe

---

1 Auth. Tradit. Hebr. in Libb. Reg. & Salom. apud Tostat. 2 Perinde ac si legeretur in Hebr. שמעי ורעיו והגבורים 3 Legebant רעי pro רעי 4 Lego: שמעי ורעי והגברים 5 ויזבח צאן ובקר ומרי 6 70. Ἐθυσίασεν πρόβατα καὶ μόσχους, καὶ ἄρνας. Vel juxta alia exemplaria: πρόβατα, καὶ βόας, καὶ ἄρνας. 7 Vide 1. Reg. 11. & 1. Par. 19. 21. 8 Auth. Tradit. Hebr. in Reg. Tost. Menoch. Tirin. &c. 9 2. Reg. 12. 24. 10 1. Par. 22. 10. & 28. 5. & 2. Reg. 7. 2. 11 3. Reg. 2. 15. *Translatum est Regnum, & factum est fratris mei; a Domino constitutum est ei.* 12 ותקד ותשתחו 13 Grot. hic. 14 והיתי אני ובני שלמה חטאים 15 Ita Vatab. Est. 16 Tirin. & alii apud Vatab.

urbe aderant, Regiem cohortem, Cerethi, & Pelethi, qui Banajæ imperiis parebant.

IMPONITE SALOMONEM FILIUM MEUM SUPER MULAM MEAM.] Mulæ insidere plerumque Rex consueverat, & capitis supplicio cautum erat, ne subditus iis uteretur, quæ in Principis usum erant destinata. Ideoque David imperante, ut mula sua Salomoni substerneretur, hoc satis erat, ut Regis voluntas in illius gratiam pateret.

DUCITE EUM IN GEHON.] Chaldæus, ac Interpretum non pauci [1] putant, Gihon eumdem esse fontem, ac Siloe. Verum hæc sententia probari nequit. Gihon enim erat ad occasum, Siloe vero ad ortum Jerusalem, ideoque duo erant fontes penitus diversi; cujus rei argumentum esse potest narrationis hujus decursus. Hebræi [a] docent antiquitus in ipsorum gente Reges numquam inunctos fuisse, nisi prope aquas, vel fontes; nam hæc sunt publice loca. Nonnulli contendunt, Salomonem haud urbe egressum fuisse: alii contrarium tenent [3]. Certum est, Gihon esse fontem, unde Ezechias ex occidentali Civitatis David parte aquas deduxit [4]; ideoque Salomon de Jerusalem liquido egressus est.

℣. 36. RESPONDIT BANAJAS .... DICENS: AMEN. SIC LOQUATUR DOMINUS DEUS DOMINI MEI REGIS.] Fiat quod vis, idque placeat Domino Deo tuo. Hoc felix, faustumque sit, ac bene vertat: sequatur juxta mentem tuam, ac Domini voluntatem.

℣. 37. SUBLIMIUS FACIAT SOLIUM EJUS A SOLIO DOMINI MEI REGIS DAVID.] Princeps quamquam suæ magnitudinis, & gloriæ cupidus, patitur tamen, ut pro majori filii sui gloria, ac felicitate vota nuncupentur. Claudianus in IV. Consul. Honorii.

.... Jam natus adæquat
Te meritis, & quod magis est optabile, vincit.

℣. 39. SUMPSIT SADOC SACERDOS CORNU OLEI DE TABERNACULO, & UNXIT SALOMONEM.] Liquores olim ac oleum præsertim corneis vasculis servabantur, ut ostendimus ad 1. Reg. 16. 1. Oleo eodem quo Summi Sacerdotes inungebantur, & quod asservabatur in Tabernaculo, utebantur etiam in Regum inauguratione. At hæc cæremonia nonnisi perraro deinceps peracta, ex quo Regnum hæreditario jure ad posteros David descendit; eaque tunc solum adhibebatur, cum in successione aliqua difficultas occurreret. Salomon, Joas, & Joachaz delibuti fuere, eo quod ipsos alii competitores urgebant. Salomon autem a Summo Sacerdote Sadoc, cui aderat Propheta Nathan, inunctus est.

℣. 40. POPULUS CANENTIUM TIBIIS .... & INSONUIT TERRA A CLAMORE EORUM.] Authographi verba [5], juxta Septuaginta interpretationem [6] hoc pacto verti queunt: *In orbem choreas agebant, & terra eorum vocibus disrumpebatur*. Chaldæus: *Populus saliens canebat, & terra eorum clamoribus commovebatur*. Nonnulli, cum Syriaca versione, de sistris, quibus psallebatur, intelligunt; Arabice vero de quadratis quibusdam tympanis explicant; quæ in numerum pulsabantur.

℣. 41. AUDIVIT AUTEM ADONIAS, & OMNES, QUI INVITATI FUERANT AB EO.] Nihil in rem magis conferre poterat, quam summa, & celeritas, & prudentia, qua Nathan negotium tanti momenti, tantæque solicitudinis transegit. Quædam adsunt præclare gesta, quæ tamen ex fine, ac felici eventu dumtaxat commendari queunt: Nathan omnia in discrimen vocabat; & si res, vel segnius, vel levius peracta fuisset, in civile bellum Rempublicam adduxisset, & Salomon, Sadoc, Nathan, Banejas, cæterique, qui illis adhærebant, capite essent periclitati.

℣. 43. RESPONDIT JONATHAS ADONIÆ: NEQUAQUAM.] Alibi jam animadvertimus honestum virum effugere consuevisse, ne triste nuntium adferret [7]. Hebraicus textus verti potest [8]: *Respondit Jonathas, Adoniæ: Væ*; seu lugubre nuntium. Vel potius: *Respondit Adoniæ: Rex vere declaravit* Regem Salomonem.

℣. 47. INGRESSI SERVI REGIS BENEDIXERUNT DOMINO NOSTRO REGI DAVID, DICENTES: AMPLIFICET DEUS NOMEN SALOMONIS.] David, qui, quemadmodum dictum est, in lectulo suo cubabat, & adesse non potuerat solemnitati, qua filius suus Rex fuerat consecratus, excipiebat subditorum officia, qui ob tantam felicitatem gratulabantur, eo quod vivens adhuc filium suum in Regni solio constitutum videret.

ADORAVIT REX IN LECTULO SUO.] Nonnulli putant David in omne obsequium compositum, ac venerabundum excepisse filium suum Salomonem, cum ad illum accessit, ferme quemadmodum Jacob e cubili suo adoravit filium suum Joseph [9]. Alii [10], quorum longe major est numerus, ajunt, David adorasse Deum, sicuti erat stratus in lectulo. Simpliciter quoque verti potest [11]: *Et David recubuit super lectulo suo*. Sed ex decursu patet, Regem hunc quin de strato consurgeret, se se ad Deum convertisse, ut ipsum adoraret, & ob præstitit favorem gratias ageret.

℣. 49. TERRITI SUNT.] Agnoverunt se perduellionis esse noxios, Regem sibi pro libidine, & contra imperantis Principis voluntatem constituere cupientes; atque sibi cavendum esse censuerunt, cum a David, tum a Salomone, quandoquidem æque utrumque læserant.

℣. 50. ADONIAS .... ABIIT TENUITQUE CORNU ALTARIS.] Alii [12] putant, Adoniam recessisse in Gabaon, ubi tunc aderat altare holocaustorum. Alii [13] simpliciter credunt ad Altare Tabernaculi, quod erat in Sion, confugisse, quæ sententia magis naturalis videtur. Quomodocumque sit, per Legem minime licebat illi, qui sciens, & volens scelus aliquod patrarat, ad Altaris asylum se se recipere. Sed hoc privilegium illis dumtaxat patebat, qui inviti aliquem occidissent; sed voluntarii interfectores ab altari avellebantur, atque absque veniæ spe ad necem rapiebantur, Exod. 21. 14. *Si quis per industriam occiderit proximum suum, & per insidias, ab Altari meo evelles eum, ut moriatur*. Joab quoque ad Altare confugit, ut audiit, Salomoni compertum esse, ipsum quoque in Adoniæ partes abiisse. Consuetudo omnium ferme nationum Asyli jus Templis, ac Altaribus detulit. Virgilius Æneid. 6.

Talibus orabat dictis, Arasque tenebat.

Et Plautus Mostel. Act. 5. Sect. 1.

Ego interim hanc Aram occupabo.

Reverentia, qua sacra delubra colebantur, causa erat nonnunquam, ut ne flagitiosiores quidem noxii inde eriperentur. In quibusdam occasionibus, ut ab Aris arcerentur, qui perperam illuc confugerant, ignis circum illas accendebatur; hoc vero generatim persuasum erat, innoxios tantum asylo debere frui.

---

1 Theodoret, Procop. Lyran. Clar. Sa, Pineda, Menoch. Tirin. a Vide SchifKard. in Reg. Theorem. 4. c. 1. & Tost. hic.
3 Vide Pinedam de Reb. Salom. l. 2. c. 5. ar. 2.
4 2. Par. 32. 30.
5 והעם מחללים בחללים ותבקע הארץ בקולם
6 Καὶ ἐχόρευον ἐν χοροῖς, . . . καὶ ἐῤῥήγνυτο ἡ γῆ ἐν τῇ φωνῇ αὐτῶν.
7 2. Reg. 18. 25. 26. 27. &c.
8 ויאמר לאדניהו אבל
9 Genes. 47. 31. Vide Sanct. hic.
10 Vatab. Grot. Menoch. alii.
11 וישתחו המלך על המשכב
12 Menoch. Malv.
13 Vatab. Mart.

CAPUT

CAPUT II.

Novissima Davidis monita Salomoni tradita, & illius mors. Adonias, cum sibi uxorem depoposcisset Abisag, interficitur. Abiathar relegatur, ac Sacerdotali munere fungi prohibetur. Mors Joab ad Altare interfecti. Banajas pro illo exercitus Imperator eligitur. Semei, contra Regis imperium, e Jerusalem egressus, occiditur.

1. APpropinquaverunt autem dies David, ut moreretur, præcepitque Salomoni fi-
lio suo, dicens : 2 Ego ingredior viam universæ rerræ : confortare, & esto
vir. 3 Er observa custodias Domini Dei tui, ut ambules in viis ejus, ut cu-
stodias cæremonias ejus, & præcepta ejus, & judicia, & testimonia, sicut scriptum est
in lege Moysi : ut intelligas universa, quæ facis, & quocumque te verteris : 4 Ut
confirmet Dominus sermones suos, quos locutus est de me, dicens ; Si custodierint fi-
lii tui vias suas, & ambulaverint coram me in veritate, in omni corde suo, & in omni
anima sua, non auferetur tibi vir de solio Israel. 5 Tu quoque nosti, quæ fecerit mi-
hi Joab filius Sarviæ, quæ fecerit duobus principibus exercitus Israel, Abner filio Ner,
& Amasæ filio Jether : quos occidit, & effudit sanguinem belli in pace, & posuit cruo-
rem prælii in baltheo suo, qui erat circa lumbos ejus, & in calceamento suo, quod e-
rat in pedibus ejus. 6 Facies ergo juxta sapientiam tuam, & non deduces canitiem e-
jus pacifice ad inferos. 7 Sed & filiis Berzellai Galaaditis reddes gratiam, eruntque
comedentes in mensa tua ; occurrerunt enim mihi, quando fugiebam a facie Absalom
fratris tui. 8 Habes quoque apud te Semei filium Gera filii Jemini de Bahurim, qui
maledixit mihi maledictione pessima, quando ibam ad castra : sed quia descendit mihi in
occursum, cum transirem Jordanem, & juravi ei per Dominum, dicens : Non te in-
terficiam gladio : 9 Tu noli pati eum esse innoxium. Vir autem sapiens es, ut scias,
quæ facies ei, deducesque canos ejus cum sanguine ad inferos. 10 Dormivit igitur
David cum patribus suis, & sepultus est in civitate David. 11 Dies autem, quibus
regnavit David super Israel, quadraginta anni sunt : in Hebron regnavit septem annis ;
in Jerusalem triginta tribus. 12 Salomon autem sedit super thronum David patris sui,
& firmatum est regnum ejus nimis. 13 Et ingressus est Adonias filius Haggith ad
Bethsabee matrem Salomonis. Quæ dixit ei ; Pacificusne est ingressus tuus ? Qui re-
spondit : pacificus. 14 Addiditque ; Sermo mihi est ad te. Cui ait : Loquere. Et
ille : 15 Tu, inquit, nosti, quia meum erat regnum, & me præposuerat omnis Is-
rael sibi in regem : sed translatum est regnum, & factum est fratris mei : a Domino e-
nim constitutum est ei. 16 Nunc ergo petitionem unam precor a te ; ne confundas
faciem meam. Quæ dixit ad eum : Loquere. 17 Et ille ait : Precor, ut dicas Salo-
moni regi (neque enim negare tibi quidquam potest) ut det mihi Abisag Sunamitidem
uxorem. 18 Et ait Bethsabee : Bene, ego loquar pro te regi. 19 Venit ergo
Bethsabee ad regem Salomonem, ut loqueretur ei pro Adonia : & surrexit rex in
occursum ejus, adoravitque eam, & sedit super thronum suum : positusque est thro-
nus matri regis, quæ sedit ad dexteram ejus. 20 Dixitque ei : Petitionem unam
parvulam ego deprecor a te ; ne confundas faciem meam. Et dixit ei rex : Pete,
mater mea ; neque enim fas est, ut avertam faciem tuam. 21 Quæ ait : Detur A-
bisag Sunamitis Adoniæ fratri tuo uxor. 22 Responditque rex Salomon, & dixit
matri suæ : Quare postulas Abisag Sunamitidem Adoniæ ? postula ei & regnum :
ipse est enim frater meus major me, & habet Abiathar sacerdotem, & Joab filium
Sarviæ. 23 Juravit itaque rex Salomon per Dominum, dicens ; Hæc faciat mihi
Deus, & hæc addat, quia contra animam suam locutus est Adonias verbum hoc.
24 Et nunc vivit Dominus, qui firmavit me, & collocavit me super solium David
patris mei, & qui fecit mihi domum, sicut locutus est, quia hodie occidetur A-
donias. 25 Misitque rex Salomon per manum Banajæ filii Jojadæ, qui interfecit

eum

eum, & mortuus est. 26 Abiathar quoque sacerdoti dixit rex: Vade in Anathoth
ad agrum tuum: equidem vir mortis es: sed hodie te non interficiam, quia por-
tasti arcam Domini Dei coram David patre meo, & sustinuisti laborem in omnibus,
in quibus laboravit pater meus. 27 Ejecit ergo Salomon Abiathar, ut non esset
Sacerdos Domini, ut impleretur sermo Domini, quem locutus est super domum
Heli in Silo. 28 Venit autem nuncius ad Salomonem, quod Joab declinasset post
Adoniam, & post Salomonem non declinasset: fugit ergo Joab in tabernaculum Do-
mini, & apprehendit cornu altaris. 29 Nuntiatumque est regi Salomoni, quod fugis-
set Joab in tabernaculum Domini, & esset juxta altare: misitque Salomon Banajam fi-
lium Jojadæ, dicens: Vade, interfice eum. 30 Et venit Banajas ad tabernaculum Do-
mini, & dixit ei: Hæc dixit rex: Egredere. Qui ait: Non egrediar, sed hic moriar.
Renunciavit Banajas regi sermonem, dicens: Hæc locutus est Joab, & hæc respondit
mihi. 31 Dixitque ei rex: Fac, sicut locutus est: & interfice eum, & sepeli, & a-
movebis sanguinem innocentem, qui effusus est a Joab, a me, & a domo patris mei.
32 Et reddet Dominus sanguinem ejus super caput ejus, quia interfecit duos viros ju-
stos, melioresque se, & occidit eos gladio, patre meo David ignorante, Abner filium
Ner principem militiæ Israel, & Amasam filium Jether principem exercitus Juda. 33
Et revertetur sanguis illorum in caput Joab, & in caput seminis ejus in sempiternum.
David autem, & semini ejus, & domui, & throno illius sit pax usque in æternum a Do-
mino. 34 Ascendit itaque Banajas filius Jojadæ, & aggressus eum interfecit: sepultus-
que est in domo sua in deserto. 35 Et constituit rex Banajam filium Jojadæ pro eo su-
per exercitum, & Sadoc sacerdotem posuit pro Abiathar. 36 Misit quoque rex, &
vocavit Semei, dixitque ei: Ædifica tibi domum in Jerusalem, & habita ibi: & non
egredieris inde huc, atque illuc. 37 Quacumque autem die egressus fueris, & tran-
sieris torrentem Cedron, scito te interficiendum: sanguis tuus erit super caput tuum.
38 Dixitque Semei regi: Bonus sermo, sicut locutus est dominus meus rex, sic faciet
servus tuus. Habitavit itaque Semei in Jerusalem diebus multis. 39 Factum est autem
post annos tres, ut fugerent servi Semei ad Achis filium Maacha regem Geth: nuntia-
tumque est Semei, quod servi ejus issent in Geth. 40 Et surrexit Semei, & stravit a-
sinum suum: ivitque ad Achis in Geth ad requirendum servos suos, & adduxit eos de
Geth. 41 Nuntiatum est autem Salomoni, quod isset Semei in Geth de Jerusalem, &
rediisset. 42 Et mittens vocavit eum, dixitque illi: Nonne testificatus sum tibi per
Dominum, et prædixi tibi: Quacumque die egressus, ieris huc, et illuc, scito te esse
moriturum? Et respondisti mihi: Bonus sermo, quem audivi. 43 Quare ergo non
custodisti jusjurandum Domini, et præceptum, quod præceperam tibi? 44 Dixitque
rex ad Semei: Tu nosti omne malum, cujus tibi conscium est cor tuum, quod feci-
sti David patri meo: reddidit Dominus malitiam tuam in caput tuum. 45 Et rex
Salomon benedictus, et thronus David erit stabilis coram Domino usque in sempiter-
num. 46 Jussit itaque rex Banajæ filio Jojadæ, qui egressus, percussit eum, et mor-
tuus est.

℣. 1. INGREDIOR VIAM UNIVERSÆ TERRÆ [1].] Ad eum perveni terminum, in quem omnes homines debent impingere. Ad mortem pergo ea via, quam omnes homines ingrediuntur. In hac vita, quisque peculiarem sequitur viam: Alii enim aliis rebus dant operam, aliis alii. At in morte omnes conjunguntur: ad tumulum omnes eadem insistentes via perveniunt. Petronius Satyr.

Omnium idem exitus est, sed & idem domicilium.

℣. 3. OBSERVA CUSTODIAS DOMINI.] Ad literam [2]: *observa observantias Domini*. Observa, quod Dominus præcepit tibi. Serva Domini mandata, ea præsertim, quæ tibi veluti Regi [3], & populi sui capiti imposuit. Verbo: nihilum ex his omnibus contemne, quæ Dominus edixit. Illius cæremoniæ, præcepta, leges, mandata, testimonia semper sint coram mentis tuæ oculis, ut illa custodias, atque adimpleas.

UT INTELLIGAS UNIVERSA, QUÆ FACIS.] Divinarum Legum observantia erit tibi fons luminis, sapientiæ, ac intellectus. Si consulueris præcepta Domini, ibi sapientiæ fontem invenies. Hæc certa erit ratio, per quam sapientissimi, atque oculatissimi Principis laudem mereare. Hebraicus textus verti posset [4]: *Observa Leges Domini, & universa, quæ facis, e voto cedant.*

℣. 4. QUOS LOCUTUS EST DE ME.] Scilicet, quod spopondit mihi. At Hebraicus textus verti potest [5]: *Quos locutus est mihi*, quod in mei gratiam dixit,

1 אנכי הלך בדרך כל הארץ. 2 ושמרת את משמרת יהוה
3 Deut. 17. 16. 4 למען תשכיל את כל אשר תעשה. 70. Ἵνα συνίῃς, *ut intelligas*. Alius; ἵνα εὐοδωθῇ πάντα ἃ ποιεῖς. *Ut prospere cedant omnia, quæ facies.*
5 דברו אשר דבר עלי

dixit, qnod de ma loquens dixit.

AMBULAVERINT CORAM ME IN VERITATE.] In fida, sincerirate, cordis sui rectitudine; si fideles, ac diligentes io serviture mibi præstanda fuerint, atque par est.

℣. 5. NOSTI, QUÆ FECIT MIHI JOAB.] Scis quam impotenter mecum egerit io bello adversus Absalom, contra explicitum imperium filium meum interficiens [1], atqua mox minitabundus, atque imperiosus mecum loquens [2]; quin Regia majestas, ne hilum quidem eum deterreret. Noo te fugit, qnid egarit adversus Amasam, quem pro illo exercitui ducem præficere meditabat [3], & contra Abner filium Ner, qui summis viribus adnitebatur, nt in meas partes vocaret eos omnes, qui adhuc domui Saulis favebant [4]. Injuria, qua duo strenui illi duces affecti fuere, ego quoque lacessitus fui, quandoquidem ad meam auctoritatem confugerant, eosque fœde adeo Joab de medio tulit, invidia correptus, quod illos benevolentia singulari complecterer. Illorum cædes quodammodo vitio Davidi vertebatur, donec ipsius ultionem minime repoposcit. Injuria est illata Regi Leges infringere, & gentium jura contemnere, dum ille regni habenas moderatur. Cum Salomon Banajæ præcipit, nt interficiat Joab, ait illi hic ℣. 31. *Interfice eum, & sepeli, & amovebis sanguinem innocentem, qui effusus est a Joab, a me, & a domo patris mei.* Rex David nefariæ adeo noxæ ultionem debebat populo suo, eamdem familiæ Abner, & Amasæ debebat, eam denique debebat posteritati. Si vivens obligationi huic facere satis minime potuit propter nimiam, quam sibi Joab conciliaverat, auctoritatem, non debuit moriens negligere, quin Salomoni commendaret, ot ipsum ulcisceretur. Asseri nequit, postremis his vitæ momentis Regem hunc adeo clementem, ac religiosum privato odio abreptum fuisse. Si fuisset abreptus, culpa certe minime vacaret; at a contra vacaretne culpa injustitiæ, si nefaria adeo, ac publica scelera impune abire passus fuisset? Conscientiam suam exonerat per hæc mandata, quæ Salomoni committit. Iis satisfacere haud potui, quæ ex me jus postulabat; at amor justitiæ petit, nt tibi ea adimplenda committam, quæ ipse adimplere nequivi [5]. David loquitur velut Rex, & Judex, qui punit scelera, non autem velut privatus homo, qui ultionis propriæ libidine flagrat.

EFFUDIT SANGUINEM BELLI IN PACE.] Effudit io pace cruorem, quemadmodum facere potuisset, dum bellum arderet; vel, effudit sanguinem ea crudelitate, quæ bello tantum convenit, qnamquam minime ignoraret, ipsos mecum in gratiam rediisse, atque mea fide fretos fuisse. Aliter, eos veluti hostes occidit, illos in fraudem sub pacis, & amicitiæ specie impellens. Liquet autem utrumque a Joab interfectum fuisse per proditionem, dum illos osculo simularet excipere.

POSUIT CRUOREM BELLI IN BALTHEO SUO . . ., ET IN CALCEAMENTO SUO.] Trophæum quodammodo sibi constituit ex eo sanguine, quem nefarie adeo fuderat. Sceleris sui, veluti præclari facti notas deferre voluit, meæ illudens imbecillitati, meamque justitiam contemnens. Vel: Abner, & Amasa inter brachia illius mortui sunt; eorum cruor super baltheum ipsius, & usque ad calceamenta diffluxit. Hæc acerba est & crudelitatis, & ignaviæ exaggeratio.

℣. 6. NON DEDUCES CANITIEM EJUS PACIFICE AD INFEROS.] Scandalum fuisset io Israel, si vir tot

A cædibus, ac sceleribus inquinatus, qualis erat Joab, in extrema, & felici senectute pacato, & naturali fine dies suos clausisset. David igitur Salomoni præcipit, ne hoc contingere patiatur; sed illum turpi, ac violenta nece de medio tollat, cum se se obtulisset occasio, & eum ipse pro singulari sapientia accommodam viam invenisset. Mirum est, David, qui minime ausus fuerat, dum ipse regnaret, meritas expetere pœnas a Joab ob sua scelera, nunc Salomoni, adhuc adolescenti, & præterea nondum sibi confirmato imperio commendasse, ut de hoc Duce justissimam ultionem expeteret. Verum adnotandum est, Joab non amplius fuisse tunc viribus suis timendum; Davidi saltem coævus esse debebat, quadraginta per annos jam exercitui Israel præfuerat. At tunc Regnum tranquilla pace fruebatur [6], & Joab tunc solum timeri poterat, cum esset in acie, cum tumul-
B tus, atque bellum ingrueret. De Davide optime sane meritus fuerat Joab, & impunitas, quam illi diutius adeo permiserat, erat veluti quædam ob diutinos exantlatos labores remuneratio. At hoc grati animi officium nequaquam exsolvebat Regem onere persequendi sceleris, atque justitiam adversus Joab exercendi. Demum gratitudinis rationes minime subsistebant in Salomone, immo Principi huic peculiaris suppetebat ratio interficiendi Joab; eo quod conjurasset, ut Salomone repulso Adoniam ad Regnum eveheret.

℣. 7. FILIIS BERZELLAI GALAADITIS REDDES GRATIAM.] Nemo ignorat, Berzellai supellectiles, & quodvis cibariorum genus obtulisse Davidi effuse in Mahanaim fugienti, dum illi Absalom bellum in-
C tulisset 2. Regum 17. 27. David imperat, ut Salomon ob hæc merita gratiam rependat filiis Berzellai, eosque secum in mensa comedentes habeat: *Eruntque comedentes in mensa tua.* Hebraicus textus, & Septuaginta ad literam [7]: *Eruntque inter comedentes in mensa tua.* Iis vescentur, quæ in mensam tuam afferuntur. Reor autem apud Hebræos eamdem ferme, quam apud Persas, consuetudinem invaluisse. Coram Rege in mensa statuebatur primum, quidquid deinde toti familiæ dividebatur; ita ut *comedere in mensa Regis*, nequaquam significet una cum Rege ad cœnam discumbere, sed vesci illis, quæ ad regiam mensam allata fuere. Ita quoque Daniel, & duo socii illius alebantur epulis de mensa Regis Nabuchodonosor Dan. 1. 5.

D ℣. 8. MALEDICTIONE PESSIMA.] Hebraice [8]: *Valida maledictione.* Septuaginta [9]: *Maledictione afflictionem inferente*: Nequissimis conviciis, turpissimisque contumeliis.

JURAVI EI: NON TE INTERFICIAM GLADIO.] Promissio David successorum ipsius haud obligabat, in re præsertim hujus generis. Pietatis, & clementiæ David fuit, Deo, quoad ipse vixit, relinquere injuriarum, quibus impetitus fuerat, ultionem; at non ideo justitiæ obesse poterat, & pati, ut scelus publicum, atque facinorosum abiret impune. Ultionem vero illius commendat in id tempus, quo non ira, non vindictæ libido io nimium furorem adversus inimicos ipsum agere possent.

℣. 9. VIR AUTEM SAPIENS ES.] Plerique vete-
E res [10], ac recentiores Interpretes credidere, Salomonem duodecim natum annos regno fuisse potitum; at reor tunc undevigesimum, vel vigesimum annum egisse, quæ eorum sententia est, qui inter Chronologos sapientissimi habentur. Deus jam illum sua gratia prævenerat, & jam enitebat io ipso supra ætatem longe major sapientia. Auctor libri Sapientiæ Prin-

1 2. Reg. 18. 5. 14. 2 2. Reg. 19. 5. 6. 7. 3 2. Reg. 20. 4. 5.
4 2. Reg. 3. 20. 21. 5 Vide Ambros. Apolog. 1. c. 17.
6 Vide cap. 5. 4. 7 ויהיו באכלי שלחנך. 70. ἔσονται ἐν τοῖς ἐσθίουσι τὴν τράπεζάν σου.
8 קללה נמרצת. 9 Κατάραν ὀδυνηρὰν.
10 Ignat. Ep. ad Magnes. Hieron. Ep. 132. ad Vital. Euseb. lib. 9. Præp. c. 4. Isidor. de vita, & morte SS. c. 34. Cedren. Zonar. Rabb. apud Lyran.

Principem hunc hoc pacto loquentem inducit cap. 8. 19. *Puer eram ingeniosus, & sortitus sum animam bonam, & cum essem magis bonus, veni ad corpus coinquinatum*. Verum Regis hujus sapientiæ maxima tunc facta fuit accessio, cum Deus infusionem donorum suorum, ac sapientiæ suæ plenitudine illum donavit 3. Reg. 3. 12.

℣. 10. DORMIVIT CUM PATRIBUS SUIS.] Hoc pacto fato functus est magnus hic, & Princeps, & Sanctus, qui simul virtutes omnes regias, religiosas, politicasque possedit; Strenuus, atque imperterritus in periculis, justus, clemens, & sapiens in Imperio; summo timore, ac observantia, nec non simul eximia, solidaque charitate Dei cultor egregius, populi sui laboribus, atque ærumnis adeo affectus, ut vitæ jacturam subire mallet, dummodo illum e cæde subriperet [1]; Vir hic juxta cor Dei effictus [2], aliorum Regum exemplar, qui a viis Domini numquam recessit [3], & illius mandatis corde perfecto obtemperavit [4]; de quo Scriptura testatur 3. Reg. 15. 5. *numquam declinasse ab omnibus, quæ præceperat ei Dominus cunctis diebus vitæ suæ excepto sermone Uriæ Hethæi*. At etiam quomodonam scelus illud expiavit? Quo pœnitentiæ affectu illud confessus est, & coram toto terrarum orbe semet ipse redarguit? Nonne cum Divo Chrysostomo hom. 77. ad pop. Antioch. asseri potest Davidis meritis, ac virtuti injuriam inferre, qui crimen illius celare velit; quandoquidem tantum inde fructum percepit Religio pro Domini gloria, iniquorum probro, & David ipsius sanctitate? Quid magis mirari licet, quam clementiam, quæ adversus Saulem toties effulsit, & qua semper inter sævissimas, iniquissimasque persecutiones usus est [5]? Cum nondum Evangelicæ legis fulgor enituisset, nonne Evangelicæ perfectionis, Christianæ Philosophiæ apicem assecutus est? Nonne Martyris lauream, idque non semel est meritus, inimici sui vitæ parcens, cum Deus in ipsius manum illum tradiderat?

Verum fructus, quem ex Principis hujus persona, ac vita percipere Christiani possint, is potissimum est, quod plurimæ, eæque admirabiles occurrunt cum Jesu Christo similitudines, atque ibi inveniuntur non solum promissiones nativitatis, ac Regni Redemptoris, verum illius affabre adeo expressæ imagines, ut illum plane nobis ob oculos exhibeant. David natus in Bethlehem, & forma insignis, qua illius facies micabat, eligitur de medio fratrum suorum, ut de manu Samuelis regio chrismate delibutus regat Israel pro Saul, quem propter inobedientiam, atque superbiam Deus reprobaverat. Jesus dilectus Patris sui, speciosus forma præ filiis hominum, in eadem civitate Bethlehem ortum ducit, & super fratres suos inungitur, hoc est Messias, & Unctus Domini, & Primogenitus ex multis fratribus declaratur, designatus Rex, & caput Ecclesiæ suæ, atque populi electi, illudque per veteris Israel repulsam, atque primi fœderis abrogationem, quod Jesu Christi morte antiquatum est.

Victoria David de Goliath relata, fratrum suorum invidia, persecutiones, quas ab Saule passus est, nonne exhibent nobis Christum Jesum per crucem de morte, dæmone, & peccato triumphum agentem, quem mox, & in persona ipsius Hebræi, & in illius discipulis Gentes sunt persequutæ? Verum quemadmodum David divino suffultus auxilio, omnia superat pericula, hostium suorum laqueos effugit, ac denique ipsis invitis ad populi sui regnum evehitur; ita Generis humani Salvator victoriam de iis omnibus refert, qui & ipsum, & servos ipsius lacessere ausi sunt, atque regnum suum super illorum regni reliquias constituit; qui Imperium ipsius conabantur evertere.

Absalom adversus David consurgit, qui cogitur pedibus lacrymarum imbre suffusis oculis, atque involuto capite, de Jerusalem se se proripere, a suorum plerisque desertus. Achitophel quodammodo illum inimico suo tradit, perniciosum contra illum consilium Absaloni tribuens; quod tamen obesse nequit, quin David hostibus superatis rursus regni sui possessionem consequatur, majori, quam ante nominis gloria, ac virium robore pollens. Ita quoque Redemptor terrarum Orbis ab uno e Discipulis suis proditus, ac inimicis traditus de Jerusalem egreditur cruce onustus, ut Calvarium petat, ibi turpissima morte interiturus; verum supplicium hoc, quod excidium ipsius esse arbitrabantur inimici, suumque ipsorum triumphum, factum est victoria, & decus Jesu Christi, qui inde in Regnum suum ingressus est, populum sibi fidelem, atque electam hæreditatem adeptus, hoc est Christianam Ecclesiam, quæ ipsius voluptatum, atque amoris objectum est.

ET SEPULTUS EST IN CIVITATE DAVID.] Josephus lib. 7. cap. ult. ait, Salomonem illi justis persolutis parentasse, atque in Jerusalem tumulasse. Præterea addit, Regem hunc in patrio sepulchro maximas opes condidisse, atque post trecentos ab hinc annos, Summum Sacerdotem Hircanum, cum civitas obsidione vallata esset ab Antiocho, cui nomen Pius, neque ille sciret, unde aurum mutuari posset, ut Regem ab urbis oppugnatione dimoveret, tria millia talenta de Davidis tumulo eduxisse, quorum parte Regi tradita, periculo defunctus est. Plurimis adhuc ab hinc annis Herodes Rex in sepulchro eodem humo defossa magnam auri vim hausit; verum neuter attigit loculum, quo cineres illius continebantur, quod adeo injecta humo defossus esset, ut illum detegere numquam valuerit. Certum est Jesu Christi ævo Davidis tumulum adhuc substitisse, atque Judæos minime fefellisse. S. Petrus hoc ipsum palam innuit ea in concione, quam habuit ad Judæos Act. 2. 29. *Viri fratres*, ajebat ille, *liceat audenter dicere ad vos de patriarcha David, quoniam defunctus est, & sepultus, & sepulchrum ejus est apud nos usque in hodiernum diem*. Chaldæi ergo, qui juxta Jeremiæ vaticinium [6] effossuri erant, atque sub dio exposituri ossa Regum Juda, Davidis ossibus pepercerant, seu in tanti Principis obsequium, seu quod hoc divinitus contigerit. Hoc autem extat apud S. Epiphanium de vita, & morte Prophet. p. 239. & in Chronic. Pascal. p. 155. de horum tumulorum introitu, qui erat admodum abditus viginti procul ab Jerusalem stadiis. Romani, capta a Tito Jerusalem, servarant adhuc sepulchrum David; & Dion in Adriani vita refert hujus mausolæi partem Adriani tempore ex semet fuisse collapsam.

Sanctus Hieronymus ep. ad Marcel. narrat, se ad sancti hujus Prophetæ tumulum ventitasse, ut ibi preces funderet; & viator Beniamin, qui scribebat circiter annum 1173. in suo Itinerario ait quindecim, præter propter, ante id tempus annos, cum murus de monte Sion cecidisset, Sacerdotes, ut illud instaurarent viginti ferme artifices conduxisse. Cum ex hoc numero duo quadam die ad perpotandum tempus insumsissent, & nonnisi serius, quam cæteri, ad operam rediissent, operum redemptori promisere, se post socios suos per horæ spatium laborem minime intermissuros. Cum cæteri ab opere recesserunt, duo artifices lapidem movetunt, qui illis subterranei loci aditum aperuit; quo ingressi palatium invenerunt marmoreis suffultum columnis, aureis, argenteisque laminis convestitum. In aditu ipso mensa aderat, super qua corona, & sceptrum aureum. Hoc autem fuisse ait memoratus Auctor Davidis sepulchrum, e regione cujus aderat sepulchrum Salomonis eadem pompa instructum. Homines illi

urnas

1 Vide 2. Reg. 24. 17. 2 1. Reg. 13. 14. 3 3. Reg. 3. 14.
4 3. Reg. 11. 4. 5 Vide Chrysost. hom. de David, & Saule, & Ambros. Apol. 1. David.
6 Jerem. 8. 1. *Ejicient ossa Regum Juda, & ossa Principum ejus . . . de sepulchris suis*. Vide & Baruc. 2.

ternas etiam viderunt; verum quid ea caperent, A nosse non licuit. Cum vero penitiora pervadere voluissent, violentus turbo illos prostravit, atque in eo aditu ad vesperam usque elingues, & sine sensu permanserunt, cum ex adyto vox illis reddita est, qua surgere, atque abire jubebantur. Beniamin se historiam hanc ex Pharisæo quodam audisse testatur, cui nomen Abraham, & qui hac de re se consultum fuisse ajebat a Patriarcha Hierosolymitano, cui ille declaraverat hunc esse tumulum David. Verum hæc universa historia nimium fabulam redolet, quam ut nos illi diutius refellendæ operam impendere mereatur.

Recentiores Viatores [1] nobis describunt sepulchra Regum Juda, quæ sane vetusta sunt ædificia. Verum quis pro certo ausit asserere sepulchrum Regis B David liquido posse inter cætera dignosci? Sebastianus Serlius [2] nobis graphidem exhibuit sepulchri Regis hujus, a Cardinale Grimano Aquilejensi Antistite, oculari testimonio, delineatam. Haud ægre quidem fatebimur, hoc esse illud, quod Davidis sepulchrum Hierosolymitani jactitant: at qui non ignorant, quantum auctoritatis habere debeant populares hæ traditiones, haud profecto fidem adjungent, sed pro suspecto illud habebunt.

Quod autem Josephus ait de opibus a Salomone in Davidis tumulo sepultis, ratio, qua hanc refert circumstantiam, & id quod ipse inquit de Hircano, & Herode, qui subinde tantam auri vim hauserunt, illis probari possent, qui res incuriosius scrutantur. Liquet aliunde, antiquitus morem hunc apud plerosque C populos obtinuisse, ut in Regum, summorumque virorum tumulis pretiosum aliquod conderetur, quod illis maxime in vita placuisset. Ægyptii hoc ipsum nonnumquam agebant, & Mumiæ aliquot cum pretiosis ornamentis repertæ fuerunt. Alexander Magnus, cum Cyri tumulum aperiri jussisset, prope Regis cadaver aureum cubile, & mensam maximopere opulentam, cum poculis, ac pluribus pretiosis vestibus invenit. At hæc omnia minime persuadere valent Eruditos quosdam viros [3], qui omnem Josephi narrationem velut commentum pro libidine effictum intuentur. Historicus ille mille ac trecentos fluxisse tantum putat annos a Davidis obitu ad Hircani principatum, qua in re quadringentorum annorum errore lapsum contendunt. Præterea ad quid ea inservire potuisset argenti vis defossa, cum Salomon omnia peragraret maria, novis vectigalibus populum oneraret, ut inde aurum in immodicos sumptus sup- D peteret? Quin perhibetur etiam a Rege Tyri centum & viginti talenta fuisse mutuatus 3. Reg. 9. 14. Quomodo vero Reges Juda, qui sæpius vel ipsum Domini templum diripuere, ut se ab hostium manu subriperent, minime ausi sunt hunc thesaurum attingere? Quomodonam elabi potuit de Chaldæorum, aliorumque Judaici nominis hostium avidissimis manibus? Quomodo tandem Hircanus sacrum illud depositum violare ausus est, quod magis sacrum, ac sanctum a decessoribus suis habitum fuerat, quam sacra Domini vasa? At quod absolute magis præ his omnibus probat; quartus Machabæorum liber, unde Josephus hanc eruit circumstantiam, minime asserit ab Hircano Sepulchrum David violatum fuisse, neque ab eo aurum eductum? Habet autem simplici- E ter [4]: *Fertur autem Hircanum aperuisse thesaurum, qui fuerat quibusdam Regibus de filiis David (cui pax) qui protulit inde pecuniam plurimam, & tantumdem reliquit, restituens illum pristinæ occultationi. Tunc construxit, quod dirutum erat ex muro, & reparavit.* Hinc sane patet ibi de magni illius Principis tumulo agi.

Verum si minime permisit Deus, ut Sancti Regis monumentum nobis hodie innotesceret; si illius cineres homines latuere, ejus spiritus sane monumenta æternum vivent, & gloriam nominis sui nulla umquam de hominum mentibus obruet oblivio. Psalmorum liber, quos majori ex parte ipse elucubratus est, Auctoris sui laudes prædicat, melius quam cultiora celebrarent summorum ingeniorum elogia; & Auctor Ecclesiastici cap. 47. 2. illi epitaphion, marmore, utque ære perennius dedicavit „ *Sicut adeps separatus a carne*, inquit ille, *sic David a filiis Israel*. „ Cum leonibus lusit, quasi cum agnis, & in ursis „ similiter fecit sicut in agnis ovium, in juventute „ sua. Numquid non occidit gigantem, & abstulit „ opprobrium de gente? .... Sic in decem milli- „ bus glorificavit eum, & laudavit eum in benedi- „ ctionibus Domini, in offerendo illi coronam glo- „ riæ: Contrivit enim inimicos undique, & extirpa- „ vit Philisthiim contrarios .... Sin omni tempo- „ re dedit confessionem Sancto, & Excelso in ver- „ bo gloriæ .... Et stare fecit cantores contra al- „ tare, & in sono eorum dulces fecit modos; & de- „ dit in celebrationibus decus, & ornavit tempora, „ usque ad consummationem vitæ .... Dominus „ purgavit peccata ipsius, & exaltavit in æternum „ cornu ejus, & dedit illi testamentum Regni, & „ sedem gloriæ in Israel „.

Ex 1. Paralip. 29. 29. intelligimus primas, novissimasque actiones David, & quidquid ipso regnante, C vel etiam vivente cum in Israel universo, tum in cæteris terrarum imperiis gestum est, scriptum fuisse in Libris Samuelis, Nathan, & Gad. Quod nobis reliquum est ex hujus Regia historia minima sane pars est tot Voluminum, quæ plane nullam rerum circumstantiam præteriisse pronius fidei est, quandoquidem ab coævis, doctissimis, sinceris, & quibus apprime ea, quæ transacta fuerant, comperta erant, exarata fuere.

℣. 11. IN HEBRON REGNAVIT SEPTEM ANNIS.] In 2. Regum cap. 2. 11. legimus annos septem, & menses sex.

℣. 12. SALOMON AUTEM SEDIT SUPER THRONUM DAVID PATRIS SUI.] Jam thronum ascenderat, & regnare cœperat, antequam Pater ultima pateretur, quod & ex præcedenti capite ℣. 46. & seq. liquet, & ex suprema authoritate, quam ex eo tempore exercere cœpit, & ex Josephi Antiqu. l. 7. c. 9. & commu- D ni Patrum [5] consensu probatur. Itaque cum hic Scriptura ait, tunc Salomonem super thronum patris sedisse, intelligendum est, tunc plenam pacatamque obtinuisse regni sui possessionem, ac ipsum solum per patris obitum impetasse.

℣. 15. TU NOSTI QUIA MEUM ERAT REGNUM.] Cum essem major natu inter filios David. Populo acceptus eram, & iis pollebam viribus, ut cum Salomone partium mearum robore suffultus de regni summa possem decertare. Verum quiescere malui, videns Deum Salomoni favere. Complures [6] putant Joab Principi huic suasisse, ut sibi Abisag Sunamitidem uxorem deposceret ea spe, ut Salomonem de solio deturbaret, & sibi Regnum posset comparare. Adoniæ partes adhuc integræ erant; Joab, & Abia- E thar, & quicumque illi adhæserant, adhuc viribus præpollebant, adnitique poterant, ut illi regnum appetenti non exiguam ferrent opem. Adonias natu erat major, decorus specie, populo dilectus; si ad hæc uxorem duxisset Abisag, quæ Regia conjux fuerat, hæc omnia procul dubio prodesse plurimum poterant,

---

1 Vide Doubdan. c. 26. p. 226. 228. Morizon. Itin. Hierosol.
2 Serlius de Architect. l. 3. apud Sanct. hic; & apud Pinedam de Reb. Salom. l. 8. c. 13. p. 582.
3 Sanct. hic & in Act. c. 11. & Salian. an. M. 3021. ac. 113. 114. Tirin. hic.
4 4. Mach. c. 2. ut est in Bibl. Max. de la Haye, sed cap. 21. ut in edit. Polyglot. Paris. & Anglic. cum Arab. textu. 7 August. l. 17. de Civit. c. 8. Hieron. Ep. ad Vital. Vide Salian. & Pinedam.
6 Vide Theodoret. qu. 7. Abul. qu. 20. Dionys. Carth. Hug. Card. Sanct. hic ad ℣. 17.

terant, ut votorum summam consequeretur. Verom hanc illius mentem fuisse nulla satis aperta ratione probari potest. Æque enim amore actus esse poterat, ac ambitione.

ỳ. 16. SURREXIT REX IN OCCURSUM EJUS, ADORAVITQUE EAM.] Hebræorum sapientes sæpius erga parentes observantiam, & obsequium commendant. *Stultus homo*, ait Salomon Prov. 15. 20. *despicit matrem suam*. Et Auctor Ecclesiastici 3. 18. *est maledictus a Deo, qui exasperat matrem*; & Tobias moriturus filio suo hæc præcipit 4. 3. 4. *honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ ejus; memor enim esse debes, quæ, & quanta pericula passa sit pro te in utero suo*. Apud Persas non licebat filio sedere coram matre sua, quin facultas illi facta fuisset: & Alexander Macedo, qui venerabatur Sisigambim Darii Matrem, veluti parentem suam, stabat coram ipsa, donec illa annuens ipsi permisisset, et coram illa discumberet. Q. Curtius l. 5. *Quoties ad te veni, donec, ut considerem, annueres, restiti*.

SEDIT AD DEXTERAM EJUS.] In digniori loco post locum Regis. Dei filius sedet ad dexteram Patris Psalm. 109. 1. Joseph statuit Manasse primogenitum suum ad dexteram patris sui Jacob, ut ipsius benedictionem accipiat Genes. 48. 13. Apud Turcas, læva pars est locus dignior, ad dexteram vero eos sibi adhibent, quos se minus dignos existimant. Prisci Persæ auctore Xenophonte, similiter lævam partem nobiliorem censebant [1]. Hic vero mos contrarius erat apud Hebræos.

ỳ. 20. NEQUE FAS EST, UT AVERTAM FACIEM TUAM.] Nefas est te nequaquam voti compotem dimittere: faciem tuam repulsa rubore suffundere. Non licet mihi, haud petitioni tuæ subscribere, dummodo, quod petis, concedi queat: ea enim est in jure regula [2]. *In generalia juris concessione non veniunt ea, quæ quis non esset verisimiliter concessurus*.

ỳ. 22. POSTULA EI, & REGNUM.] Hebræorum, & plerorumque Orientis Regum consuetudo minime permittebat, ut ea, quibus defunctus Rex usus fuerat, alii præterquam successori illius inservirent. Uxores vero nonnisi Regi nubere poterant [3]. Itaque Adonias uxorem sibi postulans Abisag, una Regnum appetebat, atque se morte luendo crimini obligabat. Versiculos hic juxta Hebraicum textum [4] ita verti potest: *Postula quoque pro ipso regnum, quoniam meus est major, postula illud pro ipso, & pro Summo Sacerdote Abiathar, & pro Joab filio Sarviæ*. Petere pro illo defuncti Regis uxorem, idem est ac si petas ut ille regnet, & Abiathar, ac Joab cum illo, qui sunt partium suarum capita.

ỳ. 24. VIVIT DOMINUS ..... QUI FECIT MIHI DONUM.] Hæc locutio in Scripturæ stylo [5] plerumque significat habere familiam, & filios. Salomon viginti natus annos filios jam poterat genuisse. Certum est Roboam filium ipsius hoc anno natum esse. Patres quidam [6] hujus nativitatem miraculo adscripsere, supponentes Salomonem eum undecimum, vel duodecimum annum ageret, regno fuisse potitum. Hic Princeps in occasione adeo prospera nativitati filii hujus animum advertere poterat, eamque Divinæ Misericordiæ erga se effectum censere, & veluti argumentum Divinæ voluntatis, quæ regnum ipsius erat confirmatura, atque ad posteros illius traducturа. Asseri quoque potest, Salomonem se respexisse populo suo præpositum, veluti patrem familiæ, quod innuebat dicens. *Dominus fecit mihi domum*.

HODIE OCCIDETUR ADONIAS.] Salomon nonne præcipiti nimis judicio hoc jurat? Adonias perduellionis reus eratne deprehensus? Nonne erga ipsum consuetæ justitiæ leges erant observandæ? Certumne erat, ipsum petiisse Abisag eo consilio, ut a Rege deficeret, ac Regnum appeteret? Non poterat Salomon alia ratione, quam necem inferendo, fratrem suum a defectione deterrere? Interpretes quidam minimum verentur, hac in re Salomonem crudelitatis [7], ac præcipitis judicii insimulare: at plerique illius factum probant [8]. Rex in judiciis ferendis non semper perfectionis Ethicæ legibus hærere potest; regiminis ratio, ac Reipublicæ bonum sæpius ea fieri postulant, quæ Evangelicis consiliis adversari videntur. Luce clarius erat, Adoniam regni cupidum esse; illud occupare antea adnisus fuerat contra Davidis voluntatem, & cum Salomonis detrimento, cui Regnum divinitus promissum fuisse haud ignorabat. Ipsius postulatum, ut sibi Abisag permitteretur, prioris illius consilii effectus videbatur; & quamvis re ipsa fieri poterat, ut Adonias hanc minime mentem haberet, neque quid inde consecuturum foret agnosceret, nequaquam tenebatur Salomon de rei veritate cognoscere, neque rem in fratris sui commodum interpretari. Satis erat, quod factum in se noxium esset, & quod perniciosos in Republica eventus gignere posset. Sontes non ex eorum mente, sed opere damnantur. In simili occasione quævis mora nimium periculosa erat; & quædam adsunt scelera, quæ sine tergiversatione, atque consultatione celeriter punienda sunt; *ubi facto magis, quam consulto opus*. Tacit. l. 1. Hist. Grot. ad ỳ. 25.

ỳ. 25. MISIT REX PER MANUM BANAJÆ ..... QUI INTERFECIT EUM.] Principes sæpius ad hoc opus eorum ministerio utebantur, quorum fides magis erat explorata. Apud Romanos, milites plerumque noxios enecabant, in vincula conjiciebant, torquebantque; & Tertullianus hoc utitur argumento [9], ut Christianos a bello dimoveat, ne teneantur in carcerem trudere, cruciatibus plectere, & capite damnatos occidere. Persis quoque hoc ipsum in more positum erat. Arioch Princeps, vel Dux copiarum Nabuchodonosor mittitur ad tollendos Sapientes Babylonios, qui Regis somnium explicare non poterant. Dan. 2. 24. Vide nostram dissertationem de veterum Hebræorum suppliciis.

ỳ. 26 VADE IN ANATHOTH AD AGRUM TUUM.] Anathoth urbs erat Sacerdotalis [10]. Summus Sacerdos Abiathar in urbis hujus agro fundum possidebat, seu quod successionis jure a patribus pervenisset in filium, seu quod aliquo affinitatis vinculo ad ipsum pertineret, eum uxorem, exempli gratia, duxisset virginem ex alia tribu, ad quam ea spectaret hæreditas [11]: seu demum, quod fundus ille ipsi assignatus fuerat in spatio cubitorum duum millium, quod circa Sacerdotales civitates publici juris patebat [12]. Salomon punit Abiathar velut Adoniæ criminis conscium. Eum relegat, de honoribus, & dignitatis munere dejicit, edicitque, se illius vitæ parcere dumtaxat propter officia, quæ patri ipsius, calamitatis suæ tempore præstiterat.

Factum hoc Salomonis adversus Abiathar difficultate non caret apud Interpretes [13]. Principi huic jus eratne summum Sacerdotem de gradu deturbandi, illique vitam adimendi, quod per ea verba innuit: *hodie non interficiam, quod portasti Arcam Domini Dei coram David patre meo, & sustinuisti laborem in omnibus, in quibus laboravit Pater meus?* Nemo diffitetur [1]. Ordinem Sacerdotalem de explicito Domini decreto adeo Aaronis domui adhæsisse, ut nec Regis, neque dignitatis cujuspiam tanta esset auctoritas,

1 Xenoph. de Inst. Cyri l. 8. 2 Vide Serar. hic.
3 Vide Grot. ad vers. 17. Vatab. ad vers. 24.
4 שאלי לו את המלוכה כי הוא אחי הגדל ולו ולאביתר הכהן וליואב בן צרויה
5 Vide Exod. 1. 21. 6 Hieron. Ep. 132. ad Vital. 7 Vide & Cajet. & Menoch.
8 Theodoret. qu. 7. Procop. & alii. 9 Tertul. de Corona Milit. c. 11.
10 Josue 22. 18. 11 Vide Jerem. 32. 7. 12 Vide Num. 35. 3. 4.
13 Vide Estium hic, & Grot. Item Cornel. & Menoch.

tas, ut istud posset immutare. 2. Cum Sacerdotalis A dignitas hæreditatis jure in statas familias descenderet, nequaquam de jure hoc successionis dejici poterant ii, ad quos spectabat, nisi hoc efficiendi legitimæ intercfuissent causæ. 3. Aliud est privare hominem Sacerdorio, aliud interdicere illi Sacerdotii ministerium. Salomon quidem servat in familia Aaron Sacerdotium, illud relinquens Sadoc; neque banc adimit dignitatem Abiathar, verum ne munere suo fungatur, fruaturque reditibus dignitatis, cavet; alioquin inferius etiam [1], æque ac supra summus Sacerdos vocatur. Denique hoc illi sopplicium justissimis de causis infligit. Conjuratio Abiathar, & illius studia pro Adonia ad id satis erant, & soper. Cæterum cum David illum auctoritate sua [2] ad Summi Sacerdotii dignitatem evexisset, cur nefas erat Salo- B moni eundem de gradu dimovere, cum justæ causæ subessent? Salomoni vero, ut hoc ageret, auctoritas accesserat ex prophetia Samuelis [3], qui prædixerat Heli futurum, ut Sacerdotium de ipsius familia egrederetur, ut in aliam domum rediret. Quod quidem in Sadoc perfectum est, qui erat ea familia Eleazar, dum Abiathar esset ex Ithamar familia. Denique cum Reges fuerint Capita Reipublicæ Hebræorum, illisque subditi essent Summi Sacerdotes, videntur hi obnoxii fuisse illorum correctioni in iis, quæ res civiles spectarent: ideoque Summus Sacerdos, qui dignitatis suæ potestate contra Reipublicæ auctoritatem abuteretur, vel etiam contra Regis personam in re gravi, & magni momenti, videtur meruri, ut honore, ac dignitatis suæ emolumento pri- C vetur, & fortasse in casu quodam, de Principis jussu morti addicatur.

℣. 28. VENIT AUTEM NUNTIUS AD JOAB, QUOD JOAB DECLINASSET POST ADONIAM, & POST SALOMONEM NON DECLINASSET.] Omnes fere veteres manuscripti Latini 4, & vetustæ omnes Latinæ Editiones 5 legunt: *Venit autem nuntius ad Salomonem, quod Joab &c.* Hebraicus textus adhuc a Vulgata in eo differt, quod Absalonem pro Salomone constituit: *Venit autem nuntius ad Joab, quod Joab declinasset post Adoniam, & post Absalom non declinasset.* Syriaca Versio, & quædam exemplaria Septuaginta, legunt; *nuntiatum est hoc Joab, qui Adoniæ partes, non autem Salomonis secutus fuerat.* At alia Exemplaria Græca legunt Absalonem pro Salomone, quæ va- D rietas re ipsa parvi est momenti. Parum enim interest Absalom ne legatur, an Salomon; constat enim Joab neutri favisse. Ac similiter non adeo refert, utrum nuntietur Salomoni, Joab in Adoniæ partes abiisse, an Joab admoneatur, Abiathar a Salomone relegatum fuisse.

APPREHENDIT CORNU ALTARIS.] Aram, vel aræ cornu occupavit. Liquet, Holocaustorum altare quatuor species cornuum habuisse, quæ in quatuor angulis eminebant 6. Nequaquam ignorabat Joab, Adoniæ hoc perfugium minime profuturum fuisse 7, nisi illi Salomon pepercisset. Altaris asylum minimum prodest æque noxiis ac Joab. Cum ea omnia fœdissime polluisset, quæ inter homines maxime sacrosancta sunt, æquum ne erat, ut ad Altaris pedes inveniret impunitatem?

℣. 34. AGGRESSUS EUM INTERFECIT.] Licet aram tenentem, & in illius hærentem amplexu. Hanc enim nobis ideam scripturæ exhibet narratio. Nonnulli putant 8, Banajæ imperio Joab ab altari divulsum, atque de Tabernaculo eductum, ab eodem fuisse interfectum. Moyses jubet ab altari divelli impium, qui illuc confugerit Exod. 21. 14. Summus Sacerdos Jojada ex Templo Athaliam trahi jussit antequam capite plecteretur 4. Reg. 11. 15. Nimis aperta irreverentia est Tabernaculum humani sanguinis effusione polluere; atque facillimum erat regiis parere mandatis, quin adeo fœde Tabernaculum inquinaretur. At alii 9 rem ad litteram intelligunt; illisque Textus minime adversatur. Nonne reverentia, quæ Altari debetur, polluebatur, inde noxium evellendo ut ad necem alio traheretur? Hoc nihilominus lege minime vetitum est. Cur autem minime licuisset ibidem nefarium hominem jugulare, qui aræ mordicus adhæsisset, atque illic non potuisset avelli? Ego vero nihilominus nollem criminis expertem judicare, nec Salomonem, qui præcepit, nec Banajam, qui fœdam adeo cædem exequutus est in loco adeo sacro, & venerabili.

℣. 35. SADOC SACERDOTEM POSUIT.] Vel potius illum confirmavit in ea dignitate, quam a tempore Saul possederat. Vide dicta ad 2. Reg. 8. 17.

℣. 36. ÆDIFICA TIBI DOMUM IN JERUSALEM.] Urbem carceris loco illi tribuit. Ipse plerumque in Bahurim morabatur, modo vero illi interdicit torrentis Cedron transitum, qui necessario traducendus erat, ut Bahurim versus reverteretur, quæ erat ad orientem Jerusalem. Verum non ideo illi permittit, ut per aliam partem egrediatur: patet enim Semei enecatum fuisse, eo quod profectus fuisset in Geth; quæ sane in parte aderat torrenti Cedron penitus opposita.

℣. 37. SANGUIS TUUS ERIT SUPER CAPUT TUUM.] Si imperata non feceris, tibi acceptam refer sanguinis tui effusionem. Satis sit te admonitum fuisse; tibi cave. David pepercerat Semei 10 particularem injuriam, qua fuerat affectus; at Salomon nequaquam tenebatur pati, ut nefarii hujus hominis convicia pœna vacarent 11. Si Rex quamprimum illum interficere noluit, distulit sane habita ratione David, & fidei, quam illi pater juraverat; & maluit coarctare veniam, quæ illi concessa fuerat, per eas conditiones, quibus alligavit Semei, quam absolute patris promissionem antiquare. At Semei, cum fregisset Salomonis imperium, quod capitis periculo illi propositum fuerat, jure morte mulctatus fuit, atque exemplo suo veterem illam Sapientum sententiam probavit, nempe Dei ultionem tamquam furem accedere, sed tamen accedere, & tandem deprehendere impios, quin illam valeant effugere.

1 3. Reg. 4. 4. *Sadoc & Abiathar Sacerdotes.* 2 2. Reg. 22. 22. & 23. 9.
3 1. Reg. 2. 31. & seq. Vide Theodor. & Procop. hic.
4 *Omnes MSS. uno excepto*, ait Author nov. Edit. S. Hieron.
5 Gothicæ editiones passim, & Sixtina, & Antverpiana in Ariæ Mont. & Paris. Jajana.
6 Vide Exod. 27. 2. 7 3. Reg. 5. 50. 51. 8 Tirin. Martyr.
9 Menoch. Sanct. Tost. Vide & Rupes. l. 3. c. 37. 10 2. Reg. 16. 10. 11.
11 Vide supra vers. 8.

CAPUT III.

Salomon uxorem Ducit Pharaonis filiam; in Gabaon Deus illi in somniis apparet. Salomon a Deo petit Sapientiam, quam Deus illi concedit, & veluti in corollarium divitias, & gloriam, quas minime poposcerat. Sapientissimum illius judicium inter duas meretrices.

Anno M. 2991. Ante J. C. 1013. 1. Confirmatum est igitur regnum in manu Salomonis, & affinitate conjunctus est
Pharaoni regi Ægypti: accepit namque filiam ejus, & adduxit in civitatem
David, donec compleret ædificans domum suam, & domum Domini, & mu-
rum Jerusalem per circuitum. 2 Attamen populus immolabat in excelsis: non enim
ædificatum erat templum nomini Domini usque in diem illum. 3 Dilexit autem Sa-
lomon Dominum, ambulans in præceptis David patris sui, excepto quod in excelsis
immolabat, & accendebat thymiama. 4 Abiit itaque in Gabaon, ut immolaret ibi:
illud quippe erat excelsum maximum: mille hostias in holocaustum obtulit Salomon su-
per altare illud in Gabaon. 5 Apparuit autem Dominus Salomoni per somnium no-
cte, dicens: postula, quod vis, ut dem tibi. 6 Et ait Salomon: Tu fecisti cum
servo tuo David patre meo misericordiam magnam, sicut ambulavit in conspectu tuo in
veritate, & justitia, & recto corde tecum: custodisti ei misericordiam tuam grandem,
& dedisti ei filium sedentem super thronum ejus, sicut est hodie. 7 Et nunc, Do-
mine Deus, tu regnare fecisti servum tuum pro David patre meo: ego autem sum
puer parvulus, & ignorans egressum, & introitum meum. 8 Et servus tuus in me-
dio est populi, quem elegisti, populi infiniti, qui numerari, & supputari non potest
præ multitudine. 9 Dabis ergo servo tuo cor docile, ut populum tuum judicare
possit, & discernere inter bonum, & malum: quis enim poterit judicare populum
istum, populum tuum hunc multum? 10 Placuit ergo sermo coram Domino, quod
Salomon postulasset hujuscemodi rem. 11 Et dixit Dominus Salomoni: Quia postu-
lasti verbum hoc, & non petisti tibi dies multos, nec divitias, aut animas inimico-
rum tuorum, sed postulasti tibi sapientiam ad discernendum judicium: 12 Ecce fe-
ci tibi secundum sermones tuos, & dedi tibi cor sapiens, & intelligens, in tantum,
ut nullus ante te similis tui fuerit, nec post te surrecturus sit. 13 Sed & hæc, quæ
non postulasti, dedi tibi: divitias scilicet, & gloriam, ut nemo fuerit similis tui in
regibus cunctis retro diebus. 14 Si autem ambulaveris in viis meis, & custodieris
præcepta mea, & mandata mea, sicut ambulavit pater tuus, longos faciam dies tuos.
15 Igitur evigilavit Salomon, & intellexit, quod esset somnium: cumque venisset
Jerusalem, stetit coram arca fœderis Domini, & obtulit holocausta, & fecit victimas
pacificas, & grande convivium universis famulis suis. 16 Tunc venerunt duæ mu-
lieres meretrices ad regem, steteruntque coram eo, 17 Quarum una ait: Obsecro
mi domine: ego, & mulier hæc habitabamus in domo una, & peperi apud eam in
cubiculo. 18 Tertia autem die postquam ego peperi, peperit & hæc: & eramus
simul, nullusque alius nobiscum in domo, exceptis nobis duabus. 19 Mortuus est
autem filius mulieris hujus nocte: dormiens quippe oppressit eum. 20 Et consurgens
intempestæ noctis silentio, tulit filium meum de latere meo ancillæ tuæ dormientis, &
collocavit in sinu suo: suum autem filium, qui erat mortuus, posuit in sinu meo.
21 Cumque surrexissem mane, ut darem lac filio meo, apparuit mortuus: quem di-
ligentius intuens clara luce, deprehendi non esse meum, quem genueram. 22 Res-
ponditque altera mulier: Non est ita, ut dicis, sed filius tuus mortuus est,
meus autem vivit, E contrario illa dicebat: Mentiris: filius quippe meus vi-
vit, & filius tuus mortuus est. Atque in hunc modum contendebant coram
rege, 23 Tunc rex ait: Hæc dicit, Filius meus vivit, & filius tuus mor-
tuus est. Et ista respondit, Non, sed filius tuus mortuus est, meus autem vi-
vit. 24 Dixit ergo rex: Afferte mihi gladium. Cumque attulissent gladium coram
rege, 25 Dividite, inquit, infantem vivum in duas partes, & date dimidiam par-
tem uni, & dimidiam partem alteri: 26 Dixit autem mulier, cujus filius erat vivus,
ad

ad regem (commota sunt quippe viscera ejus super filio suo:) Obsecro, domine, date illi infantem vivum: & nolite interficere eum. E contrario illa dicebat: Nec mihi, nec tibi sit, sed dividatur. 27 Respondit rex, & ait: Date huic infantem vivum, & non occidatur: hæc est enim mater ejus. 28 Audivit itaque omnis Israel judicium, quod judicasset rex, & timuerunt regem, videntes sapientiam Dei esse in eo ad faciendum judicium.

℣. 1. CONFIRMATUM EST IGITUR REGNUM IN MANU SALOMONIS.] Per mortem illorum, qui turbas serere, ac insidias illi struere poterant, nec non per dissipationem partium Adoniæ.

AFFINITATE CONJUNCTUS EST PHARAONI.] Filiam ipsius uxorem ducens. Credidit autem, ut semper magis in regno suo se confirmaret, quærendam sibi esse amicitiam, atque affinitatem Regum finitimorum. Coluit impensius amicitiam, quam inierat pater suus David, cum Hiram Rege Tyri, atque conjugem sibi adjunxit Ægyptii Regis filiam; qui duo inter finitimos maxime opibus florebant. Sanctus Clemens Alexandrinus lib. 1. Strom. profert locum Alexandri Polyhistoris narrantis, Salomonem litteras scripsisse ad Vaphrem Ægypti Regem, qui ad eum miserat octuaginta Ægyptiorum millia, qui in opus Hierosolymitani Templi illi inservirent. Quæritur, num fas fuisset Salomoni hoc inire connubium. Lege cautum est, ne Hebræi alienigenas uxores ducant [1]: *Ne ineas pactum cum hominibus illarum regionum*, ait Moyses loquens de Chananæis, *nec uxorem de filiabus eorum accipies filiis tuis, ne postquam ipsæ fuerint fornicatæ, fornicari faciant & filios tuos in deos suos*. Hoc interdictum non ad Chananæas tantum, sed ad omnes alienigenas mulieres spectabat. Esdras l. 1. cap. 10. t. 10. & l. 2. cap. 13. 2. Judæos exprobrat, quod uxores sibi duxissent Chananæas, Ammonitas, Moabitidas, & Ægyptias. Denique Scriptura 3. Regum 11. 1. 2. Salomonem accusat, quod *adamasset mulieres alienigenas multas, filiam quoque Pharaonis, & Moabitidas, & Ammonitidas, Idumæas, & Sidonias, & Hethæas, de gentibus, super quibus dixit Dominus filiis Israel: Non ingrediemini ad eas* &c. Nehemias 2. Esdr. 13. 26. de hoc eodem illum redarguit, & satis liquet hoc ipso sapientis hujus Principis cor fuisse corruptum, atque ideo in flagitia proruisse.

Attamen contra has rationes Interpretum [2] plerique censent, ea in occasione Salomonem culpa vacasse. Sancti libri initium Regni ipsius laudibus celebrant, hoc excepto, quod in collium vertice immolaret 3. Reg. 3. 3. Conjugium hoc consecratum etiam est per Epithalamia, quibus inter sacra Biblia locus concessus est; perhibetur enim hac in celebritate, & Canticum Canticorum, & Psalmus quadragesimus quartus fuisse elucubrati. Demum fidei maxime congruum est, Reginam hanc patrum suorum Religionem deseruisse, ac Israelitarum sacris fuisse initiatam; quod innuunt ea Psalmi 44. 11. 12. verba: *Audi filia ..., & obliviscere populum tuum, & domum patris tui; & concupiscet Rex decorem tuum, quia ipse est Dominus Deus tuus*. Verum creditur mox a fide defecisse, & præter cæteras plurimum contulisse ad flagitia, & lapsum Salomonis novissimis annis illius.

Variæ adhuc sententiæ auctores distinent quoad conjugii tempus. Non desunt, qui putent ipso Regni sui primordio, & antequam David occumberet, eam duxisse. Alii has nuptias in annum primum post David obitum differunt; alii vero post annum tertium. Scriptura innuere videtur, hoc contigisse, dum Salomon Templum Domini, domum suam, ac mœnia Jerusalem ædificaret: *Adduxit eam*, Textus ait, *in civitatem David, donec compleret ædificans domum suam, & domum Domini, & murum Jerusalem per circuitum*. Hæc ædificia igitur erant incœpta. At Salomon altero tantum regni sui anno ædificare cœpit. Verum Hebraico textui sensus longe alius a Vulgata tribui potest [3]: *Introduxit eam in civitatem David*, ubi permansit, *donec ædes regiæ, Templum Domini, ac urbis mœnia completa fuerunt*; post quæ magnificæ domui extruendæ manum admovit pro hac Regina, quemadmodum videbimus cap. 8. ℣. 8. quod minimum probat, ædificia illa jam incœpta fuisse. Ex Canticis Canticorum 3. 4. & 8. 2. Sponsa hæc adducta primum fuisse videretur in conclave Bethsabee matris Salomonis.

℣. 2. ATTAMEN POPULUS IMMOLABAT IN EXCELSIS; NON ENIM ÆDIFICATUM ERAT TEMPLUM.] Non liquet, ad quid particula illa adversativa *attamen* referatur. Hebraicus textus reddi posset [4]: *cæterum populus immolabat in Excelsis; non enim ædificatum erat Templum*. Non religioni id tunc temporis sibi vertebant, quemadmodum ad 1. Reg. 17. 12. demonstratum est. Prophetæ, Reges Salomonis decessores, Judices Israel, Salomon ipse, & cunctus populus illius Domino in collium regionis illius vertice sacris operabantur, veluti in Gabaon, Galgal, Silo, Gabaa, Hebron, & Cariath-iarim; neque usquam a Scriptura corripiuntur: & quod sequenti versiculo legimus, *ambulasse Salomonem in præceptis David patris sui, excepto quod in excelsis immolabat*, juxta Hebraicum textum reddi potest [5], æque ac in præsenti versiculo: *Cæterum sacrificabat*; ita ut hæc minime sit virtutis ipsius, ac pietatis exceptio, sed potius laus religionis illius, vel simplex narratio eorum, quæ facere consueverat, antequam Templum construeretur, quin nihilominus velut perperam factum redarguat, vel damnet [6].

Sed Interpretum plerique [7] censent, Scripturam isthic innuere velle, quamquam Salomon, ac populus ipsius Domino fideles erant, eorum fidem nihilominus haud omnibus absolutam fuisse numeris, & illorum cultum aliqua imperfectionis nota haud caruisse, eo quod in excelsis Domino sacra facerent. Tunc solum, cum sapientiæ spiritu donatus fuit, errorem, quem admiserat, intellexit, & cognovit necessitatem hanc populo erroris occasionem auferendi Templum ædificando. Constat Scripturis cautum esse, ne alicubi, quam in Tabernaculo sacrificia offerantur [8], & in omni temporis decursu Reges fideles, ac Legum Domini sedulos observatores, ab iis distingui, quorum pietas haud esset ita perfecta, quod illi aras in excelsis extructas evertebant, hi vero vel tolerabant, vel etiam ibi sacra faciebant.

Verum duabus hisce rationibus responderi potest. Primo, legem, quæ vetat sacrificia alibi offerri, quam in Tabernaculo, esse intelligendam dumtaxat de eo tempore, quo Tabernaculum fixum, & firmum erat, atque de casibus ordinariis: de extraordinariis vero non item; neque de tempore, quo Taber-

1 Exod. 34. 16. Deut. 7. 3.
2 Rabb. Lyr. Est. Menoch. Grot. Sanct. Jun. Pisc. Serar. Cornel. &c.
3 ויביאה אל עיר דוד עד כלתו לבנות את ביתו וגו
4 רק העם מזבחים בבמות.
5 רק בבמות הזל לזבח
6 Vatabl. Grot. Lyran. Hebræi.
7 Sanct. Salian. Menoch. Tirin. Tost. alii.
8 Levit. 17. 4. Deut. 12. 13.

Tabernaculum vagum erat, & modo huc, modo illuc transferebatur. Secundo, Scripturis nequaquam prohiberi cultum Domino in excelsis præstitum, nisi post Templi extructionem; tunc enim nullæ amplius aderant legitimæ causæ pro illis, qui ad oblationes, & sacrificia sua offerenda minime accederent.

Quoad *excelsa*, de quibus hic sermo, ea erant altaria in montibus, in rupibus, vel in lucis regionis illius constituta. Pleræque Palæstinæ civitates, vel in montibus positæ erant, vel prope illas aliqui assurgebant colles, in quibus veteres incolæ Idolorum cultui vacabant, & quo Hebræi concedebant nonnumquam, ut sacrificia Domino offerrent; ii vero colles præsertim cultorum frequentia affluebant, ubi Prophetæ, & florentes sanctitate viri, & Patriarchæ sæpius immolaverant, uti quoque ii loci, ubi Domini Arca constiterat. Ita Bethel, Sichem, Hebron, Gabaon, Ramatha &c. majori in veneratione habebantur. Arbitrabantur enim hæc omnia loca Arcæ præsentia, vel sacrificiorum, quæ Domino oblata fuerint, cruore consecrata, permanentem adepta fuisse sanctitatem; ideoque majori animi pietate illuc venerabundi undequaque confluebant. Locorum altitudo, silentium, lucorum umbra, ac rupium extantia quamdam religionem habere, & peculiarem afflare sanctitatem videbantur. Salomonis tempore excelsum Gabaon majori in veneratione erat, ac frequentiori confluentium studio celebrabatur; *Illud quippe erat excelsum maximum*. Ibi aderat Altare vetus holocaustorum ab eodem Moyse extructum, & elaboratum, quod Rex David, quo tempore Fœderis arcam in Jerusalem transtulerat, eodem noluerat transferre; & illuc quoque gratiarum actionis victimas concessisset immolaturus, postquam a Domino erroris veniam ob populi censum fuerat consecutus, si per valetudinem ipsi licuisset 1. Paralipomenon 21. 30. huc etiam accessit Salomon sub regni sui initium, ut a Deo gratiam Provinciæ bene regundæ obnixis precibus flagitaret.

℣. 5. APPARUIT AUTEM DOMINUS SALOMONI PER SOMNIUM NOCTE, DICENS: POSTULA, QUOD VIS.] Nocte scilicet, quæ sacrificium illius est consecuta, quemadmodum liquet ex 2. Paralip. 1. 7. & juxta omnes veritatis species, post preces, quas coram Domino post holocaustum effuderat. Auctor Sapientiæ 7. 7. loquitur de precibus, ac votis, quæ hic Princeps Domino nuncuparat, ut Sapientiæ spiritum obtineret: *Optavi, & datus est mihi sensus, & invocavi, & venit in me spiritus sapientiæ*. Sequenti nocte Dominus apparuit Salomoni, eumque extatico, propheticoque somno captum hortatus est, ut quamremcumque mallet, exposceret. Salomon sapientiam petiit, quam Deus illi large, effuseque donavit; atque misericordia motus in additamentum promisit illi etiam divitias, & gloriam. Hæc omnia per somnum transacta sunt; ita tamen ut promissio nequaquam effectu caruerit, minimeque dubitatum sit, utrum tantum munus apparitionis istius fuerit effectus.

Novum hoc sane, inauditumque est, & quod vix capere possis, dormientem hominem preces effundere posse, preces vero tanti meriti, tantarumque virium, quales Salomonis fuere. Somnus quoad animam ad instar mortis est, ubi sensus omnes sopiti sunt, & ratio caret exercitio munium suorum, intellectus, atque optionis, ita ut neque mereri queat, nec demereri. Quidam nihilominus casus existunt, in quibus obdormiens probam, vel improbam actionem quamdam vel suscipere, vel saltem persequi possis. Illi, exempli gratia, qui vigilans cor suum, atque imaginationem cogitationibus nequam, pravisque cupiditatibus repleverit, & qui ideo nefariis hisce dispositionibus affectus est, si dormienti malum aliquod, vel quædam sordes contigerint, quis ambigit, an peccatum sit, quandoquidem præcedentis, ac determinatæ voluntatis effectus est, & quam nullis in contrarium actibus umquam interrupit?

Ita ex æquo, cum Salomon diu sapientiæ desiderio distentus fuisset, qua ad populum regundum egebat, & enim ob id obnixius fudisset preces, antequam somno obrueretur, cur minime eas dormiens persecutus fuisse censendus est, atque interim mereri supernaturalem Domini apparitionem, qua in superiorem statum, atque extasim raptus ea nuncuparit vota, quæ isthic referuntur, atque a Deo votorum summam fuerit consecutus? Hoc innuere voluisse D. Thomas videtur 1. 2. qu. 113. ar. 2. & 2. 2. qu. 152. ar. 5. ad 5. cum ait: *non meruisse* Salomonem *in dormiendo sapientiam a Deo, sed fuisse signum præcedentis desiderii; propterea dicitur talis petitio Deo placuisse*, Quæ etiam S. Augustini de Genes. ad lit. l. 12. c. 15. fuisse videtur sententia: *Propter illam ergo affectionem animæ bonam, etiam in somnis, quædam ejus merita clarent; nam etiam dormiens Salomon sapientiam præposuit omnibus rebus* &c. S. Gregorius Nyssenus in lib. de Opif. hom. cap. 13. de vario somniorum genere loquens, belle animadvertit, organa nostra, atque cerebrum esse præter propter veluti fides musici instrumenti. Donec hæ optime distentæ sunt, armonicum reddunt sonum, cum pulsantur, sed statim ac laxantur, & remittuntur, nullum amplius sonum reddunt. Dum vigilas, sensus a ratione excitati, concentum, egregiumque numerum edunt; at simul ac obdormis, instrumentum non est amplius idoneum ad sonum aliquem emittendum; nisi forte eorum, quæ vigilans feceras, memoria redit, & per somnum spiritui exhibetur, & somnia parit; non secus ac fides, cum pulsari desierint, aliquem adhuc sonum emittunt. S. Basilius Orat. 2. de Orat. non vult, ut totum somni tempus inutiliter teramus; sed illud interpellari cupit, ut orationi vacemus, ita ut somnus ipse piis cogitationibus occupetur; nam somnia plerumque imagines sunt eorum, quibus vigiliæ tempore spiritus noster impensius adverterat.

Haud operosum est hæc omnia Salomonis somnio applicare. Ille superiori die vehementius in preces incubuerat, petieratque a Deo sapientiæ donum. Noctu Deus illi in somnis apparet, illique dicit, ut quæ velit, efflagitet. Salomon semper sapientiæ desiderio flagrans de hac Deum orat, exoratque. Hæc oratio, vel hoc votum, quod dormiens effundit, effectus est orationis, cui die superiori vacaverat.

℣. 7. EGO SUM PARVULUS, IGNORANS EGRESSUM, ET INTROITUM MEUM.] Ignorans scilicet, quo mihi vertendum sit, quid agendum, quid consilii capiendum. Vel quomodo in 2. Par. 1. 10. ait: *Da mihi sapientiam, & intelligentiam, ut ingrediar, & egrediar coram populo tuo*, veluti pastor, qui pecus agit. *Ingredi, & egredi* apud Hebræos plerumque omne agendi consilium, vitæque instituendæ rationem significat.

℣. 9. DABIS SERVO TUO COR DOCILE, UT . . . . POSSIT DISCERNERE INTER BONUM, ET MALUM.] Hebraicus textus ad litteram [1]: *Cor obediens servo tuo, ad dignoscendum bonum a malo*. Cum Salomon animo concepisset maximam prudentiæ necessitatem, quæ ad populum regundum requiritur, atque ætatem suam adhuc tot, tantisque rebus imparem considerasset, a Deo pueri docilitatem exposcit, perfectamque cognitionem boni, ac mali, quæ maxime illi necessaria est, qui populis juri dicundo præest.

℣. 12. DEDI TIBI COR SAPIENS, ET INTELLIGENS.] Quod Deus Salomoni concedit, apertam habet rationem ad ea, quæ hic supra efflagitaverat. Largitur autem illi Deus cor docile, ac Domini mandatis, & legibus obtemperans; spiritum, qui omnia intelligit, & bonum a malo, verumque a falso dijudicat.

---

[1] נתת לעבדך לב שמע . . . . להבין בין טוב לרע

ficat. En autem, quod præsertim Principi requirendum est. Deus illi præterea spiritus extensionem [1] tribuit, quo omnia complecti, omnia aggredi posset; cognitionis extensionem, qua quidquid in Philosophiæ, ac Theologiæ naturalis penitioribus adytis reconditum, remotumque est, perciperet [2]; mirabilem intelligendi vim, qua abdita quæque retegeret, & confusissima ænigmata, ac problemata explicaret; ordinis, & œconomiæ spiritum, quo Rempublicam, domum, subditosque suos optime administraret. Ut verbo me expediam; Deus illi omnes scientias, quæ tunc apud Orientales vel utilitate, vel honestate florerent, eas absolutissimas, perfectissimasque concessit [3]: Salomon felici ingenio a natura donatus fuerat. Deus vero gratia sua, amplissimas, pulcherrimasque illius animi dotes longe infusis, ac supernaturalibus scientiarum luminibus cumulavit. Demum sapientissimus Rex solertia, ac rerum periculo [4], quidquid in ipsum large, effuseque Dei manus effuderat, perfecit. Parvulum mirabilis hujus sapientiæ extat adhuc vestigium in Salomonis libris, qui nobis supersunt.

IN TANTUM, UT NULLUS ANTE TE SIMILIS TUI FUERIT, NEC POST TE SURRECTURUS SIT.] Pauci Interpretes isthæc sine ullo limite intelligunt. Alii [5] hoc pacto supplendum putant. Nullus umquam vel fuit, vel erit Rex in Israel, qui sapientia sit similis tibi. Vel [6], nemo eorum, qui acquisita, & naturali tantum sapientia præditi fuere, tibi par esse poterit. Vel denique: Tu rerum naturalium, ac politicarum cognitione iis omnibus præstas, qui ante te floruere, vel post te florebunt. Sed non ideo dicendus est superasse, exempli gratia, Moysen, Prophetas, & Apostolos Mysteriorum, ac supernaturalium rerum cognitione.

℣. 13. DEDI TIBI DIVITIAS, ET GLORIAM, UT NEMO FUERIT SIMILIS TUI IN REGIBUS, CUNCTIS RETRO DIEBUS.] In Paralipomenis additur [7], neque imposterum aliquem illi similem futurum. Hoc etiam coarctatur, dicendo, hic sermonem esse de Regibus Israel dumtaxat, quos Salomon re ipsa, & opibus, & gloria superavit [8]. Alii vero ajunt nullum umquam in terris extitisse Regem, qui simul tot, tantasque opes, gloriam, cum tanta scientia, ac sapientia conjunctas possederit [9]. At in Dissertatione de divitiis, quas David Salomoni reliquit, ostendimus Regem hunc profecto plures possedisse thesauros, quam Assyriæ, & Chaldææ Reges, quam Nabuchodonosor, Cyri, Alexandri, & Cæsares possederunt.

℣. 14. LONGOS FACIAM DIES TUOS.] Deus hoc illi spondet, ea tamen conditione proposita, si fidelis ipsius fecerit imperata. Verum cum ille perpetam huic conditioni fecerit satis, nec Deus passus est ipsum diutius ævum protrahere. Ipsius libido, & voluptates, quibus se se ingurgitavit, vitam ejus breviorem fecere.

℣. 15. EVIGILAVIT, ET INTELLEXIT, QUOD ESSET SOMNIUM.] Hebraice [10]: *Evigilavit, & ecce somnium*. Hoc quoque pacto Scriptura claudit narrationem de Somniis Pharaonis Genes. 41. 7. Verti potest: Evigilavit, atque intellexit, sibi divinitus mysticum somnium immissum fuisse. Cognovit, se perfusum fuisse somnio longe aliter a somniis consuetis. Lucretius l. 4.

Somnia, quæ ludunt mentes volitantibus umbris.

℣. 16. VENERUNT DUÆ MULIERES MERETRICES.] Promissius in primum Josue caput ad examen vocavimus, utrum Hebraica vox *Zona* זונה, quæ isthic occurrit, & alibi, revera meretricem significet. Ego sane censerem, isthic significare solum duas mulieres, quæ hospitibus locarent ædes; vel etiam quæ alii cuipiam negotio operam darent [11]. Lege scorta, ac lupanaria severe prohibentur apud Israelitas [12], & si hæ quæstum corporis palam fecissent, ausæ ne essent coram Rege prodire? Ea ne est meretricum consuetudo, ut filios pariant, eos alant, ac ea sollicitudine angantur pro illorum incolumitate, quemadmodum has affectas fuisse innotescit? Nonne liquet, libidinosas, perditasque mulieres, cum filios pariunt, quod perrarum est, nulla eorum cura tangi; immo eos crudeliter perhorrescere, atque in id unum adniti, ut quantocyus dispereant, tollanturque? Nulla ergo verisimilitudinis species adest has meretrices fuisse. Grotius autumat, eas fuisse alienigenas, ideoque Deuteronomii legibus minime obnoxias; at aliæ, quas attulimus, rationes æque in alienigenas, ac in indigenas valent.

℣. 19. DORMIENS QUIPPE OPPRESSIT EUM.] Mulier hæc istud conjectando asserit: ignorabat, quo pacto æmula filium suffocasset. Adnotari potest matres has filios suos recens natos nequaquam in cunabulis collocare, sed eos prope se in thalamo suo aptare consuevisse.

℣. 25. DIVIDITE INFANTEM VIVUM IN DUAS PARTES.] En unum e celeberrimis, atque admirabilibus exemplis altissimæ Salomonis sapientiæ. Statim intellexit, notam certiorem, qua vera mater dignoscitur, affectum esse, misericordiam, atque erga filium suum effusissimam charitatem; atque ut alterutra mulierum, quæ viventis pueri mater esset, dignosceretur, id tantum opus esse, scilicet aliquod maternæ hujus benevolentiæ periculum facere. Periculum vero, quod faciendum excogitavit, apprime singulare est; ideoque magis sapientia illius admirationem excivit. Quædam inveniuntur in Historia singularis prudentiæ exempla ad occulta, & quæ numquam detegi posse videbantur, aperienda; verum fatendum est hæc omnia, quam longissime cedere facto, quod isthic narratur. Claudius Imperator teste Svet. in Claud. c. 15. agnoscit, mulierem quamdam matrem fuisse adolescentis cujuspiam, quem filium suum negabat, eam damnando, ut illi nuberet. Incestus horror a matre veritatem extorsit. Ariophatnes Thracum Rex [13], cum Judex electus foret inter tres viros, quorum quilibet se Cimmerii Regis filium jactabat, & qui Regnum hæreditario jure petebat; eis præcepit, ut in defuncti Regis cadaver telum torquerent. Cum autem verus filius ad id adigi minime potuerit, ut in patris corpus desæviret, filius esse, & Regis hæres deprehensus est. Iberus quidam per viam [14] cum quadam die Mexicanum nescio quem coegisset, ut secum permutaret equum, & re ad civitatis, quæ primum occurrit, Magistratus delata, hæreret Judex, nam factum in agro sine ullis arbitris, ac testibus pera-

Tom. II. Tt 3 ctum

[1] 3. Reg. 4. 29. *Dedit illi prudentiam multam nimis, & latitudinem cordis, quasi arenam, quæ est in littore maris.* [2] Vide Sap. 7. 17. *Dedit mihi horum, quæ sunt, scientiam veram, ut sciam dispositionem orbis terrarum, & virtutes elementorum, initium, & consummationem, & medietatem temporum &c.*

[3] 3. Reg. 4. 30. *Præcedebat sapientia Salomonis sapientiam omnium Orientalium, & Ægyptiorum, & erat sapientior cunctis hominibus.* [4] Eccle. 1. 13. *Proposui in animo meo quærere, & investigare sapienter de omnibus, quæ fiunt sub sole.* [5] Lyran. Glas. Vat. Marr.

[6] Tost. Serar. Cornel. [7] 2. Paralipom. 1. 12. *Ita ut nullus in Regibus, nec ante, nec post fuerit similis tibi.* [8] Vide Eccle. 2. 7. *Possedi servos, & ancillas . . . . ultra omnes, qui fuerunt ante me in Jerusalem.* Vide & Sanct. & Marr. hic. [9] Lyran. Serar.

[10] ויקץ שלמה והנה חלום. [11] Vide Sanct. & Vatabl.

[12] Deut. 23. 17. *Non erit meretrix de filiabus Israel.* [13] Diodor. Sicul. apud Grotium hic.

[14] Jean de Palafox, Remontrances au Roi d'Espagne.

ctum fuerat ; repente Mexicanus equi sui caput involvit pallio ; & ad Iberum, qui equum suum esse clamabat , conversus ; Quonam oculo captus est , ait, equus iste ? Iberus , quin hæreret aqua , dextero respondit . Tunc vero Mexicanus remoto pallio ostendit , equum utroque oculo satis nitenti præstare ; atque ita lationis fraudem detexit.

℣. 28. VIDENTES DEI SAPIENTIAM ESSE IN EO.] A Insueta , ac admirabilis sapientia vocatur *Sapientia Dei*, non secus ac *somnus Dei*, somnus illius, qui in utramque aurem stertit [1] : *Subversio Dei* Amos 4. 11. integra subversio, similis Sodomorum , & Gomorrhæ excidio ; *terror Dei* 1. Reg. 11. 7. *supplicium Dei*, *flatus Dei* &c. Isai. 40. 7. Intelligi quoque simplicius potest de sapientia a Deo immissa, de intelligentia infusa, atque supernaturali.

1 Genes. 2. 21. & 31. 12. & 1. Reg. 26. 12.

CAPUT IV.

Principes Præfecti Salomonis . Fines ditionis ipsius . Pax ipso imperante . Illius mensa , & equi . Sapientia ejus ubique celebris ; ejus parabolæ , & carmina .

1. ERat autem rex Salomon regnans super omnem Israel : 2 Et hi principes, quos
habebat: Azarias filius Sadoc sacerdotis: 3 Elihoreph, & Ahia filii Sisa scribæ : Josaphat filius Ahilud a commentariis; 4 Banajas filius Jojadæ super exercitum : Sadoc autem, & Abiathar sacerdotes. 5 Azarias filius Nathan, super eos,
qui assistebant regi ; Zabud filius Nathan sacerdos, amicus regis: 6 Et Ahisar præpositus domus : & Adoniram filius Abda super tributa. 7 Habebat autem Salomon duodecim præfectos super omnem Israel, qui præbebant annonam regi, & domui ejus; per
singulos enim menses in anno, singuli necessaria ministrabant ; 8 Et hæc nomina eorum;
Benhur, in monte Ephraim. 9 Bendecar, in Macces, & in Salebim, & in Bethsames,
& in Elon, & in Bethanan. 10 Benhesed in Aruboth : ipsius enim erat Socho, & omnis terra Epher. 11 Ben-Abinadab, cujus omnis Nephathdor, Tapheth filiam Salomonis habebat uxorem, 12 Bana filius Ahilud regebat Thanac, & Mageddo , & universam Bethsan, quæ est juxta Sarthana subter Jezrahel, a Bethsan usque Abelmehula e
regione Jecmaan. 13 Ben-gaber in Ramoth Galaad: habebat Avothiair filii Manasse in
Galaad, ipse præerat in omni regione Argob, quæ est in Basan, sexaginta civitatibus
magnis, atque muratis, quæ habebant seras æreas. 14 Abinadab filius Addo præerat
in Manaim. 15 Achimaas in Nephthali : sed & ipse habebat Basemath filiam Salomonis in conjugio. 16 Baana filius Husi, in Aser, & in Baloth. 17 Josaphat filius Pharue, in Issachar. 18 Semei filius Ela, in Beniamin, 19 Gaber filius Uri , in terra
Galaad , in terra Sehon regis Amorrhæi, & Og regis Basan , super omnia , quæ erant
in illa terra, 20 Juda, & Israel numerabiles, sicut arena maris in multitudine : comedentes, & bibentes, atque lætantes. 21 Salomon autem erat in ditione sua , habens
omnia regna a flumine terræ Philisthiim usque ad terminum Ægypti : offerentium sibi
munera, & servientium ei cunctis diebus vitæ ejus . 22 Erat autem cibus Salomonis
per dies singulos, triginta cori similæ, & sexaginta cori farinæ. 23 Decem boves pingues, & viginti boves pascuales, & centum arietes, excepta venatione cervorum , caprearum, atque bubalorum, & avium altilium. 24 Ipse enim obtinebat omnem regionem, quæ erat trans flumen, a Thaphsa usque ad Gazan, & cunctos reges illarum regionum ; & habebat pacem ex omni parte in circuitu. 25 Habitabatque Juda , & Israel absque timore ullo, unusquisque sub vite sua, & sub ficu sua, a Dan usque Bersabee, cunctis diebus Salomonis. 26 Et habebat Salomon quadraginta millia præsepia
equorum currilium, & duodecim millia equestrium. 27 Nutriebantque eos supradicti
regis præfecti : sed & necessaria mensæ regis Salomonis cum ingenti cura præbebant in
tempore suo. 28 Hordeum quoque, & paleas equorum , & jumentorum , deferebant
in locum, ubi erat rex, juxta constitutum sibi. 29 Dedit quoque Deus sapientiam Salomoni, & prudentiam multam nimis, & latitudinem cordis, quasi arenam, quæ est in
littore maris. 30 Et præcedebat sapientia Salomonis sapientiam omnium orientalium ,
& Ægyptiorum, 31 Et erat sapientior cunctis hominibus ; sapientior Ethan Ezrahita,
& He-

& Heman, & Chalcol, & Dorda, filiis Mahol : & erat nominatus in universis gentibus
per circuitum. 32 Locutus est quoque Salomon tria millia parabolas : & fuerunt car-
mina ejus quinque, & mille. 33 Et disputavit super lignis, a cedro, quæ est in Li-
bano, usque ad hyssopum, quæ egreditur de pariete : & disseruit de jumentis, et volu-
cribus, et reptilibus, et piscibus. 34 Et veniebant de cunctis populis ad audien-
dam sapientiam Salomonis, et ab universis regibus terræ : qui audiebant sapien-
tiam ejus,

℣. 2. HI PRINCIPES, QUOS HABEBAT.] Ad litteram [1] : *hi erant principes, quos habebat*. Adnotanda est hoc in capite species quædam Summorum Regis Præfectorum, non qualis erat regni Salomonis initio; sed talis, quæ deinceps fuit. Nonnulla adsunt, quæ nonnisi in florentissimum celeberrimi hujus regni tempus referri possunt; videlicet ea, quæ respiciunt numerum equorum, & equilium Salomonis, illius imperium in eos omnes, qui vel cis, vel trans Euphratem ad Gozan usque habitarent; Salomonis filiæ quibusdam ex his præfectis nuptui traditæ.

AZARIAS FILIUS SADOC SACERDOTIS.] Erat Scriba una cum Elihoreph, & Ahia, qui sequenti versiculo memorantur. Nonnulli vertunt [2] : *Azarias nepos Sadoc*, & filius Achimaas, *erat Sacerdos* Salomonis. Regi peculiariter præsto aderat, non secus ac *Ira Jairites* erat peculiaris Sacerdos David 2. Reg. 20. 26. Alii : *Azarias filius Sadoc* (non autem Sadoc Summi Sacerdotis, sed alterius) *princeps erat*, Caput, primus inter præfectos Regis. *Cohen*, quæ vox passim *Sacerdotem* significat, significare quoque potest Principem, potentem virum : quo in sensu filii David Sacerdotes fuisse dicuntur. Denique dici potest Azariam Sacerdotem fuisse una cum patre suo. Illi sacris ministeriis occupato ferebat opem, erat veluti illius coadjutor.

℣. 3. ELIHOREPH, ET AHIR, FILII SISA, SCRIBÆ.] Una cum Azaria, quemadmodum superiori versiculo dictum est. Utrum tres hi scribæ simul omnes munere suo fuerint functi, non satis liquet. Tres quoque tempore David Scribas fuisse, compertum est; verum nuspiam eos simul omnes invenimus, ex quo judicium ferri potest, ipsos sibi met deinceps successisse. Idem fortasse de his sentiendum. Sub aliis Regibus Juda, qui Salomonem consecuti sunt, singulos tantum Scribas memorari, non fugit. *Sisa* pater *Ahia* forte idem est, ac Siva, qui hoc ipso munere David imperante functus est. De nomine, ac muniis *Scribarum*, vel eorum, qui Regibus a secretis essent, plura locuti sumus in Josue ℣. 14.

JOSAPHAT A COMMENTARIIS.] Vel potius [3] Historiographus Regis, ut mavult Vatablus, vel *Magister libellorum supplicum*, authore Grotio. Adiri possunt ea, quæ diximus in 2. Reg. 8. 16.

℣. 4. BANAJAS SUPER EXERCITUM.] Antea fuerat Regiæ cohortis Præfectus, vel Dux Cerethi, & Phelethi; nos vero in locum Joab Summi Imperatoris provinciam obtinuit.

SADOC, ET ABIATHAR SACERDOTES.] Sadoc sacerdotio fungebatur, at Abiathar relegatus fuerat domum suam rure, neque amplius in Templum prodire poterat; amplissimæ hujus dignitatis nomen illi tantummodo reliquum erat, veluti Episcopis, qui Episcopatu se abdicarunt. Nonnulli [4] putant, a Salomone revocatum fuisse Abiathar, ac Templo restitutum, postquam pacatam regni possessionem se jam obtinere cognovit; verum sententia hæc nullo argumento probatur.

℣. 5. AZARIAS SUPER EOS, QUI ASSISTEBANT REGI.] Super eos, qui immediate Regi famulabantur, super familiam Regis. Aliter juxta hebraicam lectionem : [5] *super curatores Regis* [6]. Azarias erat Caput duodecim virorum, quibus mensæ Regiæ cura erat demandata. Vide infra ℣. 7. Consiliariis præerat; Caput erat, vel Præses Regii consilii [7].

ZABUD FILIUS NATHAN, SACERDOS, AMICUS REGIS.] Hebraicus textus reddi potest [8] : *Zabud filius Sacerdotis Nathan*; vel : *Zabud Princeps*, vel caput Consilii, vel primus Minister Regis erat *Amicus Salomonis*. Vidimus jam ℣. 2. æquivocum Hebraicæ vocis *Cohen*, quæ modo Summum Sacerdotem, Principem modo significat.

℣. 6. AHISAR PRÆPOSITUS DOMUS.] Qui aliis Regiæ domus ministris præerat. Fieri nequit, ut præcise horum omnium singillatim officia notentur.

ADONIRAM SUPER TRIBUTA [9].] Hic tributa excipiebat, tum quæ populo erant imposita, tum quæ ex subjectis, ac vectigalibus Provinciis subinde mittebantur. Verum hæc licet litteralis explicatio, difficultate non vacat : nam sequenti capite legimus, Adoniram illis præfectum fuisse, qui ad opus in Libanum montem [10] dimittebantur, ubi Hebraice eadem vox adhibetur, quæ isthic de *tributis* explicatur. Itaque minimum ambigo, quin vera provincia Adoniram fuerit, in quotidiana artificum opera, & ille triginta millibus artificum præfuerit, qui Regiis sumptibus in monte Libano lapides effodiebant, cædebantque ligna in Templi ædificium; & deinceps in alia subinde opera, quæ Rex vel in domus suæ, vel in civitatis Jerusalem ornamentum suscepit.

℣. 7. DUODECIM PRÆFECTOS PER SINGULOS MENSES IN ANNO.] Qui censent, Hebræorum annos Lunares fuisse, ac proinde per quodlibet triennium mensem intercalarem fuisse, atque tertium quemlibet annum decem, & tribus constitisse mensibus, hic duodecim Præfectorum numerus negotium facessit. Quid enim fieri consueverat annis, quibus tresdecim erant menses? Tostatus qu. 5. hic illis se se exsolvendi rationem suggerit, dicens semper duodenarium numerum mensium in orbem circumactum fuisse, quin aliquid præterea addat. Qui rursus primo debuisset mense incipere, decimo tertio mense annonam præbebat, & qui illum consequebatur alterius anni primo mense onus subibat, ac sic deinceps: ita ut nullum umquam tempus vacuum esset, quin aliquis ex eorum ordine ministraret. Verum quorsum hæc omnia? Nonne simplicius, & verius diceres, Salomonis ævo annum lunarem nondum in more positum fuisse apud Hebræos, & nonnisi diu post ipsum incæpisse, quod in Dissert. de Chronol. monstratum est?

℣. 8. BEN-HUR.] Scilicet, *filius Hur*, non secus ac paullo post, *Ben-Decar*, *Ben-Hesed*. *Ben-Aminadab*, *Ben* Hebraice *filium* significat.

℣. 9. MACCES.] Vel *Maces*, vel *Makaz*. Urbis hujus situs nos fugit; verum omnis verisimilitudinis spe-

1 אלה השרים אשר לו 2 בן צדוק הכהן
3 מזכיר 4 Estius hic. 5 על הנצבים
6 Munst. Pagn. Montan. Jun. Vat. &c. 7 Menoch.
8 זבוד בן נתן כהן רעה מלך 9 ואדנירם על המס
10 3. Reg. 10. 14. . . . . ויהי המס שלשים אלף איש ואדנירם על המס

species adest hanc fuisse prope Dan, & in finibus Philisthiim, quandoquidem additur Salebim, & Bethsames, quæ ibi terrarum adfuisse constat. Reor autem civitatem *Macces*, cujus meminit tertius Regum liber 4. 9. nihil aliud esse, quam *Machets* Judic. 15. 29. & Sophon. l. 11. in Hebraico. Situs Macces in tribu Dan illi apprime congruit.

IN ELON, ET IN BETHANAN.] Hebræus legit *in Elon Bethanan*; in Elon sita in Bethan, vel quæ pertinet ad domum Anan; vel si mavis, ad Quercetum Bethanan.

ŷ. 10. BEN-HESED IN ARABOTH.] Creditur *Arabeth* fuisse in tribu Juda, nam ibi quoque aderat *Soccs, & terra Epher*. *Ephes* est filius Assur, de quo in 1. Paralip. 4. 6. fit mentio. Vide Junium hic. Parvulam hanc regionem, quæ a posteris ipsius occupata fuit, de suo nomine nuncupavit.

ŷ. 11. NEPHATH-DOR.] Terra finitima Dor. Vide, quod dictum fuerit in Josue 17. 11.

ŷ. 12. THANAC, ET MAGEDDO &c.] Videri potest Josue 21. 25. & Judic. 1. 27.

BETHSAN.] Infra Jordanis ostia in Tiberiadis mare defluentis.

SARTHANA.] Vide Josue 3. 16.

ABELMEHULA.] Chaldæus: *vallis*, vel ager *Mehula*. Vide Judic. 7. 22.

ŷ. 13. AVOT-JAIR.] Vide Num. 32. 41. & Deut. 3. 14. & Josue 13. 30.

QUÆ HABEBANT SERAS ÆREAS [1].] Portæ harum urbium vectes, vel pessulos ex ære solido, vel simpliciter laminis æreis obductos habebant. Hæc olim erat consuetudo, ut urbium januæ ferreis laminis munirentur, atque ex metallo eodem postes, ac vectes haberent. Virgil. Æneid. 8.

Belli ferratos rupit Saturnia postes.

Et Æneid. 2.

Limina perrumpit, postesque a cardine vellit
Æratos.

Euripides quoque in Pheniss. loquitur de vectibus, ubicumque æreis, qui januas urbis Amphionis claudebant. Videri possunt ea, quæ diximus Deut. 33. 25. & Jud. 3. 24. ac Dissertationem nostram de Veterum Hebræorum ædibus.

ŷ. 18. IN BALOTH.] Hebraice [2]: *In Haloth*, vel in excelsis locis. In 2. Paralipomenon 8. 6. *Balaat* recensetur inter urbes, quas Salomon ædificavit.

ŷ. 19. IN TERRA GALAAD.] Videlicet, quod ex ea terra reliquum erat post urbes Jair, superius ŷ. 13. memoratas.

ŷ. 21. SALOMON ERAT IN DITIONE SUA, HABENS OMNIA REGNA A FLUMINE TERRÆ PHILISTHIIM, USQUE AD TERMINUM ÆGYPTI.] Quæritur, quodnam sit hoc flumen terræ Philisthiim? Nonnulli putant esse fluvium Rinocoruræ; alii vero Jordanem; aliique hoc mare Mediterraneum esse vellent asserere. Verum quomodo hæc omnia assignari possunt velut duo termini regionis Hebræorum, qui plura Regna Salomoni subjecta complectebantur? Num latet inter Philisthiim, & fines Ægypti nullas adesse Provincias, nec Regna? Confugiendum igitur est ad Textum authographum, legendumque [3]: *Salomon dominabatur super omnia regna, quæ sunt a fluvio* Euphrate, & *terra Philisthiim, usque ad fines Ægypti* [4]. Euphrates, qui vulgo *fluvius* sine addito vocabatur, erat ad orientalem plagam Regni Salomonis; Philisthiim erant ad mediterraneum, in plaga Occidentali; Ægyptus vero ad meridiem. Salomon vectigalia sibi fecerat Regna Syriæ, Damasci, Moab, & Ammon, quæ Euphratem inter, ac Mediterraneum

A erant posita. Paralipomenon textus l. 2. cap. 9. ad huic explicationi omnino similis est. Sed conferendo versiculum hunc 21. cum ŷ. 24. hujus capitis, mihi videntur alterutri ex alterutro esse explicandi. ŷ. 24. dicitur, Regnum Salomonis late fines posuisse a *Taphsa usque ad Gazam*: hic vero dicitur non patuisse tantum ad Gazam usque, verum etiam usque ad *fluvium*, vel torrentem *Philisthiim*, qui est vel Gazæ, vel Besor, ultra Gazam usque ad brachium Nili magis orientale.

ŷ. 22. ERAT CIBUS SALOMONIS PER DIES SINGULOS TRIGINTA CORI SIMILÆ.] *Corus* continebat libras 800. Præter 30. coros similæ insumebatur duplum farinæ. Ea in regione quotidie vulgo panis fiebat, & ratio, qua ipsi panem subigebant, & exeo-B quebant, longe alia erat ab ea, cui nos assuevimus. Quot homines in Salomonis domo alerentur, ex magna vi panis, qui ibi comedebatur, licet conjicere. Villalpandus t. 2. p. 2. l. 5. c. 51. autumat eos fuisse 48600. Calvisius vero 54000.

ŷ. 23. BUBALORUM.] Hebraica vox [5] *Jachmor*, significat, ut perhibent [6], damæ speciem, vel capræ sylvestris, quæ non multum a cervo differt. Videri possunt, quæ de hac re dicta fuerint in Deuteron. 14. 5.

AVIUM ALTILIUM.] Hebraice: *Avium saginatarum*, quemadmodum Prisci Interpretes [7], & recentiorum eruditissimus quisque intelligit [8]. At Rabbini non pauci, quibus Interpretes quidam adhærent, putant hebraicam vocem *Barburim* [9] signifi-C care capum, vel aves, quæ a Barbaria fuerint allatæ, perinde ac nomen Barbariæ eo in sensu, quem hodie intelligimus, Salomonis ævo usum obtinuerit. Vetus quidem aderat Barbaria Æthiopica ad sinum Persicum, quemadmodum ostendit Bochartus; at ea profecto Rabbinis nostratibus erat ignota; & cum etiam de nomine *Barburim* divinassent, id fortuito tantum in id Andabatarum more impegissent.

ŷ. 24. OMNEM REGIONEM, QUÆ ERAT TRANS FLUMEN A TAPHSA USQUE AD GAZAM.] Scilicet, trans flumen Euphratem. *Taphsa*, de qua hic sermo est, insignis est Taphsaca ad Euphratem. Ptolemæus, Strabo, Plinius, Xenophon, & plurimi alii de hac locuti sunt. Regio omnis transEuphratæa ad Gazam usque, vel potius Gozan, Salomoni parebat.
D Gozan civitas est, & fluvius in Scriptura satis celebris [10] trans Euphratem, & in veteri Medorum regione: ita ut juxta hanc explicationem, Salomon in Mesopotamia magno terrarum tractui a Taphsaca ad Gozan usque imperitasset. Id unum vero huic sententiæ objici potest, quod Gaza, & Gozan hebraice longe aliter scribuntur [11]. At hæc diversitas in nominibus, quæ eodem ferme pacto enuntiantur, non adeo negotium facessere debet. Satis enim, & super liquet, quantum sibi hac in re licere voluerint librarii. Verum quin ullam immutationem admittamus in nominibus Textus, haud difficile erit locum hunc de Taphsaca, & Gaza explicare; altera quidem ad Euphratem in plaga Orientali, ad Mediterraneum altera in opposita parte ditionis Salo-E monicæ. Hic Rex universæ regioni dominabatur, quæ ab Euphrate, & Taphsaca ad Gazam, & Mediterraneum patet. In primo Deuteronomii capite ostendimus Hebraicam præpositionem, quæ significat *trans*, quandoque etiam significare *cis*, vel potius id, quod in alterutra parte positum est indiscriminatim. Sermonis decursus nos palam cogit, ut in postremo, quem explicuimus, sensu intelligamus; & in Paralipomenis cap. 9. ŷ. 26. aperte legimus, Salomo-

---

1 בריח נחשת 2 בעלות 3 מן הנהר ארץ פלשתים ועד גבול מצרים
4 Ita Vat. Gior. Menoch. Tirin. Pisc. Ita & Jonathan, & Joseph. Antiq. l. 8. c. 2.
5 יחמור 6 Bochart. de Animal. sacr. par. 1. l. 3. c. 22.
7 Ita Jonath. Chald. Syr. Arab. Vulgar. 70. Ὀρνίθων ἐκλεκτῶν σιτευτῶν.
8 Bochart. Ion. Pisc. & alii. 9 ברברים אבוסים
10 Vide 4. Reg. 17. 6. & 18. 11. & 19. 12. 11 Gaza עזה, Gozan גוזן

lomonem universæ regioni imperitasse, quæ ab Euphrate ad Philisthiim regionem, & ad Ægypti fines usque patebat.

℣. 25. HABITABAT UNUSQUISQUE SUB VITE SUA, & SUB FICU SUA.] Vulgata in Scripturis locutio [1], ad tranquillissimam pacem innuendam, cum nec foris hostes, nec domi seditiones timentur. Innoxiæ ruris voluptates, copia, pax, tranquillitas, in Libris Sanctis nobis exhibentur, velut votorum summa, & ambitio felicium temporum illorum, quæ longe alia a nostris erant, ubi plerique omnes nequissimis voluptatibus efflictim student, & ubi ambitio toto cœlo diversa bona sectatur.

℣. 26. HABEBAT SALOMON QUADRAGINTA MILLIA PRÆSEPIA EQUORUM CURRILIUM, & DUODECIM MILLIA EQUESTRIUM.] Locus hic summis difficultatibus est præpeditus. 1. Quia contrarius videtur alteri loco 2. Paralipom. 1. 4. ubi scriptum est; *facti sunt ei mille quadringenti currus, & duodecim millia equitum*. Magnum est discrimen inter *quadraginta millia præsepia* ubi rhedarii equi ponerentur, & *mille quadringentos currus*. 2. Si in singula præsepia singuli currus essent recensendi, res adhuc minus esset difficilis, non ideo tamen omni difficultate vacaret. Equile sitne, pro duobus, vel quatuor, vel sex equis? Quorsum autem equilia multiplicanda erant ad numerum quadraginta mille, ut ibi collocarentur equi, qui pro mille, & quadringentis curribus sunt necessarii? 3. In 2. Paralipomenon 9. 25. scriptum est; *habuit quoque Salomon quadraginta millia equorum in stabulis, & curruum, equitumque duodecim millia*. En autem alia non mediocris diversitas, ubi quadraginta millia equorum pro quadraginta mille stabulis habentur. 4. Denique Hebræus [2] postremi hujus loci textus differt a Vulgata. Habet vero; *Habebat Salomon quatuor millia præsepia equorum, & currus, & equitum duodecim millia*; vel cum Septuaginta, *quadraginta equarum millia, quæ pulles alebant, pro curribus, & duodecim equitum millia*.

Immensi propemodum operis est profecto hos omnes simul conciliare locos, quin aliquid immutetur; & via quæ præ ceteris magis commoda mihi videtur, esset equidem, hærendi postremo Paralipomenon loco juxta Hebraicam legendi rationem; quæ habet quatuor millia stabulorum pro equis currilibus. Denis in singula equilia recensitis equis, quadraginta millium equorum summa fiet, quod congruet cum Vulgata loci ejusdem. Quoad vero locum Regum, quem præ manibus nobis versatur, asseri potest, Librariorum fortasse vitio duas litteras irrepsisse, ita ut *quadraginta* pro quatuor fieret [3]; quæ solutio a quibusdam eruditis Scriptoribus proposita fuit. [4]

Quoad *equestres equos, qui equites* [5] utrobique in Paralipomenis vocantur, haud ita operosa est explicatio. Usus enim Veterum recentiorumque notæ melioris Auctorum sæpius equitem pro equo indiscriminatim usurpat. Duodecim equorum millia, pro duodecim equorum millibus passim dixere. Virgilius etiam [6] non semel *equitem* posuit pro equo.

.... Atque equitem docuere sub armis
Insultare solo, & gressus glomerare superbos.

Et alibi.

It equus, & plausu cava concutit ungula terram.

Cæterum quædam occurrunt in Scriptura civitatum nomina, quæ ab equilibus Salomonis orta fuisse videntur. Novimus exempli gratia *Rephiam* urbem non procul ab Ægypto positam, quæ cum *Ravath*, stabulum, potest congruere, *Beth-susim*, domus equorum, & *Beth-Ham marcheba*, domus curruum, & *Hazar-susa*, vel *Hazar-susim* atrium equorum; quæ omnia loca erant in finibus Ægypti, & Palæstinæ, nec non in tribu Simeon. Vide Josue 19. 5.

Quæritur an Salomon perfregerit Deuteronomii legem [7], qua cautum est, ne Principes Israel magnum habeant equorum numerum? Non desunt qui illi patrocinentur. Hæc æquorum multitudo illi necessaria erat pro equestri acie, pro curribus, pro rebus vehendis, quas tot tantaque illius ædificia postulabant. Ex tanto equorum numero haud unquam ambitione elatus est, & a Scriptura propter istud nuspiam insimulatur. Quin ipse testatur se spes suas non in equis, sed in Domino collocare [8]. Populus illius nullum habuit extraordinarium cum Ægypto commercium; neque captus unquam fuit cupiditate illuc redeundi per occasionem equos emendi. Magna horum equorum pars redibat illi ex vectigalibus, quæ imposuerat [9]. Inferri igitur potest, si Salomon hac in re litterali sensui Legis refragatus est, non ideo tamen Legislatoris menti esse adversatum [10].

At Hebræi, & complures Christiani Auctores censent, Salomonem minime noxæ expertem fuisse, eo quod tantam equorum copiam collegisset. Litterali Legis edicto minime paruit, quod nemo ibit inficias; egit quoque adversus Legis mentem, namque causa fuit, ut populi sui nimium cum Ægyptiis propter commercia se se immiscerent; & ipse ut in immodicos sumptus opes suppeterent, recentia subinde vectigalia subditis suis irrogaret, quæ tantam Regno perniciem intulere. Denique cur non ad litteram observanda lex erat adeo perspicua, & aperta? Cur populus, atque adeo ipsemet Princeps in periculum vocandus erat, per expliciti adeo interdicti contemptum? Denique cur non potius Josue [11], & Davidis [12] Religionem imitatus est, qui equos bellicaptos subnervarunt, veriti, ne Legem infringerent? Vide si lubet Serarium in Josue 11. q. 7. Pinedam de reb. Salom. l. 7. c. 14. Sanct. hic; item alios in Deuteron. 17.

℣. 27. NUTRIEBANTQUE EOS SUPRADICTI REGIS PRÆFECTI.] Præfectis, quos supra Textus memoravit, cura demandata erat, equos alendi, de quibus modo locuti sumus. Itaque & panem, & obsonium in Regis mensam, & simul paleas, & hordeum ad equos alendos suppeditabant. Hic est Vulgatæ sensus, Septuaginta, & Josephi. At Hebraica lectio parum differt [13]: *Et Præfecti hi alebant Regem Salomonem, & eos omnes, qui ad mensam illius accedebant, & ne quid deesset, cavebant. Suppeditabant quoque paleas, & hordeum pro equis, & dromedariis, qui ibi aderant, ubi erat Rex*; ita ut ipsorum cura esset dumtaxat, ut in Regis servorumque illius, & equorum, quibus actu Rex utebatur, non autem aliorum, qui in pluribus Regni equilibus servabantur, victum, operam collocarent.

℣. 28. HORDEUM, & PALEAS EQUORUM, & JUMENTORUM.] In Turcia, in Perside, ac in omni ferme Oriente avena non extat, equis vero paleæ solum, & hordeum tribuitur. Hebraica vox *RaKesch* רכש, quæ isthic *jumentum* redditur, significat animal

1 4. Reg. 18. 31. Mich. 4. 4. Zach. 3. 10.
2 2. Par. 9. 25. ארבעת אלפים אריות סוסים ומרכבות ושנים עשר אלף פרשים Τεσσαράκοντα χιλιάδες θήλειαι ἵπποι εἰς ἅρματα, καὶ δώδεκα χιλιάδες ἱππέων. 3 Quadraginta ארבעים; quatuor ארבע
4 Bochart. de animal. sacr. t. 1. l. 2. c. 9. Capel. Polus, Grot. &c. 5 פרשים
6 Virg. Georg. 3. Vide Sanctium in hunc locum, & Agellium l. 8. c. 2. 7 Deuter. 17. 16. *Non multiplicabit sibi equos, nec reducet populum in Ægyptum, equitatum numero sublevatus.*
8 Prov. 21. 31. *Equus paratur in diem belli, Dominus autem salutem tribuit.* 9 2. Par. 9. 24. *Deferebant ei munera .... equos, & mulos per singulos annos.* 10 Tost. Bochar. de animal. sacr. t. 1. l. 2. c. 9.
11 Josue 11. 4. 12 1. Par. 18. 4. 13 וכלכלו את המלך שלמה ואת כל הקרב אל שלחן המלך .... לא יעדרו דבר והשערים והתבן לסוסים ולרכש יבאו אל המקום אשר יהיה שם

mal quoddam, quod currui jungebatur, vulgaribus equis longe velocius [1]. Alii putant esse equum cursorium, alii dromedarium, alii mulum. Bochartus de animal. sacr. t. 1. l. 2. c. 6. quem libenter hisce in rebus, quas impensius tractavit, sequimur, de miræ pernicitatis equo mavult intelligi. Junius vero, & Piscator de equis veredis.

℣. 29. LATITUDINEM CORDIS, QUASI ARENAM, QUÆ EST IN LITTORE MARIS.] Non secus ac minutissima arenæ maris grana nequeunt numerari, ita latitudo, & magnitudo sapientiæ illius comprehendi nequit. Vel: Quemadmodum arena maris innumerabilis est, ita ingenii illius immensa vastitas infinita, eaque diversa objecta capere poterat, quin aliquid indigestum esset, & perturbatum. Nihil erat, quod ille consequi minime posset; ipsum vel etiam maritimæ arenæ numerum recensere. Ænomaus apud Eusebium Præpar. l. 5. c. 34. Apollini irridens dicebat; *Tu qui nosti numerum arenæ, & maris amplitudinem: qui mutum intelligis, & sensus cordis scrutaris, quin verbis efferantur*. *Latitudo cordis* sumi quoque potest pro animæ magnitudine, magnanimitate, generositate, liberalitate. Etiam Ambitio nonnunquam *latitudo cordis* vocatur [2]; nam vile hoc vitium, atque contemptu dignum veram animi magnitudinem vult imitari.

℣. 30. PRÆCEDEBAT SAPIENTIA SALOMONIS SAPIENTIAM OMNIUM ORIENTALIUM, & ÆGYPTIORUM.] Qui soli tunc propter Sapientiæ laudem florebant. *Orientalium* nomine intelliguntur Chaldæi, Persæ, Arabes. Nihil vel in Scripturis, vel apud Prophanos insignius est Orientalium sapientia. Daniel 2. 2. & 11. 3. loquitur de Sapientibus, & Divinatoribus Chaldææ. Abdias ℣. 8. de Sapientibus Idumææ; *Perdam Sapientes* de Idumæa. Job, & amici illius erant Sapientes Orientis, non secus ac Propheta Balaam qui venerat de Petor, quæ est ad Euphratem Numer. 22. 5. Græci fatebantur ex Orientis regionibus Philosophiam in Pyræum appulisse [3]: illinc enim primi divinæ hujus scientiæ Magistri ea præcepta didicerant. Celebrantur vero ab ipsis *Magi* apud Persas; *Chaldæi* inter Babylonios, vel Assyrios; *Gymnosophistæ* inter Indos.

Ægyptii adhuc ut majori nominis celebritate ob scientiam, ac sapientiam suam præ cæteris Orientalibus floruere. Cum eorum regio propior esset Græciæ, & iter magis esset aptum, illuc Græci frequentius adnavigarunt, & frequentissime, ac summa cum voluptate de Ægyptiis locuti sunt. Ægyptii rerum suarum perpetui jactatores, maximopere extulerunt veram ipsorum antiquitatem, & scientiam; & ratio mysteriis referta, qua scientias involvebant suas, majorem illis adhuc venerationem promeruit. Contendebant Sapientiam, vel Philosophiam in Chaldæam pervasisse, eo quod illuc ex Ægypto colonia deducta fuisset. Re quidem vera Diodorus Siculus lib. 1. Biblioth. loquitur de Colonia Ægyptiorum a Belo in Chaldæam conscripta. At Chaldæi e contra asserunt, Ægyptum præcipuas scientias ab ipsis didicisse; nec desunt, qui autument, per Abraham Astronomiam, aliasque scientias in Ægyptum descendisse. Quomodocumque sit, Salomon a Deo donatus fuerat perfectissima rerum omnium cognitione, quæ maxime utiles, & necessariæ ferebantur in iis, quas Orientales, & Ægypti docebant [4]; Astronomiæ, Astrologiæ, Chronologiæ, Arithmeticæ, Universorum constitutionis, Elementorum scientiæ, animantium naturæ, herbarum vis, OEconomiæ, Architecturæ, Magiæ naturalis; ut verbo omnia complectar, omnium Physicæ arcanorum.

℣. 31. SAPIENTIOR CUNCTIS HOMINIBUS.] Hoc pacto explicatur: omnium hominum ævi sui [5], ac suæ Nationis [6] sapientissimus, eruditissimus omnium, qui tunc temporis tum in Judæa, tum alibi degebant. At cur Scripturæ locutiones coarctandæ sunt?

SAPIENTIOR ETHAN EZRAHITA.] Hic plane est idem *Ethan*, cujus nomen Psalmis quibusdam præfixum est [7], & qui in 1. Paralipom. 15. 19. appellatur veluti celeberrimus cantor inter Levitas, qui in Templo psallebant. Legimus in 1. Paral. 2. 6. inter posteros Juda quatuor fratres, *Ethan*, *Eman*, *Calchal*, & *Dara*, qui erant filii Zara. At eum hoc minime licet confundere, quemadmodum eo in loco ostendimus. *Machol* forte erat mater Ethan Ezrahitæ, & fratrum illius: ni mavis asserere *filius Machol* significare artem quatuor fratrum illorum, qui erant *filii Chori*, Musicæ operam dantes, & ea omnia, quæ ad musicos numeros spectant, apprime callentes. *Machol* [8] significat choræam, chorum, & etiam musicum quoddam instrumentum. Sanctius hinc infert, Salomonem eximium fuisse & Poetam, & Cantorem; quandoquidem Scriptura, eum præstitisse ait iis omnibus, qui iisdem in artibus maximopere excellere ferebantur, cum comparatio in ejusdem naturæ qualitatibus soleat institui.

Ethan Ezrahita plane est idem, ac Ethan filius Chusi, vel Casiah e tribu Levi, & familia Merari [9], de quo sæpius sermo est in Paralipomenis. Erat autem ex præcipuis Cantoribus Templi dum David, & Salomon imperarent, atque præerat uni ex tribus Musicorum choris, qui circum Altare erat dispositi. Heman præerat choro, qui in medio stabat; Asphah vero illi, qui lævam partem obtinebat. Ethan idem est ac Idithun.

Heman erat filius Johel ex tribu Levi, ex genere Caath 1. Par. 15. 17. 19. Hic erat ex principibus, vel fortasse princeps cantorum Templi. Scriptura 1. Par. 25. 5. hunc fuisse ait *Videntem*, vel Prophetam *Regis in sermonibus Dei, ut exaltaret cornu*.

Calchol, & Dorda quinam essent, nos fallit; nullibi præterea de illis meminit Scriptura. Locus hic perturbatior videtur, & aliquid vel additum, vel immutatum Librariorum vitio. Cognomen *Ezrahitæ*, quod tribuunt Ethan, illi nequaquam convenit. *Chalchol*, & *Dorda* huc translati fuisse videntur ex 1. Paralipom. 2. 6. ubi legimus: *Ethan*, *Heman*, *Chalchal*, & *Dara*.

℣. 32. LOCUTUS EST TRIA MILLIA PARABOLAS.] Harum nonnullæ extant adhuc in libro Proverbiorum. Verum plurimas intercidisse oportet [10], nam liber ille nongentos & quindecim versiculos duntaxat continet, recensitis etiam ducentis & quinquaginta sex novem priorum capitum Versiculis, quæ nonnulli a Salomone scripta non autumant. Eo in libro quidam sexcentos, & quinquaginta octo Salomonis Parabolas tantum enumerant [11]; alii vero octingentas [12]. Munsterus, & Grotius arbitrantur id, quod reliquum est, esse veluti Excerpta quædam ex libris Salomonis. Id inde haustum fuit, quod utilius erat, & melius. Verum quid potius seligendum erat, cum omnia Spiritus Sancti afflatu dictata fuissent? Videri potest Præfatio in librum Proverbiorum. Josephus autem exaggerare censendus est, cum ait ipsum tria millia Parabolarum volumina condidisse.

FUERUNT CARMINA EJUS QUINQUE, & MILLE.] Jose-

1 Vide Mich. 1. 13. & Esth. 8. 10. 2 Prov. 21. 4. *Exaltatio oculorum est dilatatio cordis*; vel, *latitudo cordis*. 3 Vide Diogen. Laert. in Proœmio init. Τὸ τῆς Φιλοσοφίας ἔργον, ἔνιοί φασιν ἀπὸ βαρβάρων ἄρξαι. *Græcorum optimus quisque ita semper sensit, & veteres illi nostræ Religionis defensores adversus gentes, veritatem hanc in parte, ita defenderunt* &c. Casaubon. in hunc Laert. locum.
4 Sap. 7. 17. & Joseph. Antiqu. l. 8. c. 2. 5 Lyran. Marr.
6 Munster. 7 Psalm. 88. *Intellectus Ethan Ezrahitæ*. 8 מחול
9 1. Par. 6. 44. 10 Ita Hebr. Munst. Vatab. 11 Cornel. a Lapide.
12 Isidor. Clar.

Josephus ait ipsum composuisse mille & quinque libros Odarum, & Carminum. Hebraice quoque hunc eumdem numerum mille, & quinque habemus [1]: at Septuaginta, & plurimi Interpretes hic legunt quinque mille carmina, vel Odas, vel id genus opera. Nobis Canticum Canticorum tantommodo superest, nisi tamen aliquid inter Psalmos insertum fuerit, exempli gratia Psalmus 126., qui Hebraice Salomonis nomen præsefert. Verum hi tituli parum certi sunt, quam ut fidem facere possint, ab hoc Rege aliquid eorum elaboratum fuisse.

℣. 33. DISPUTAVIT SUPER LIGNIS A CEDRO, QUÆ EST IN LIBANO, USQUE AD HYSSOPUM, QUÆ EGREDITUR DE PARIETE.] Disseruit de omnibus arboribus, plantis, de earum virtute, natura, qualitate a minimis ad maximas. Cedrus est inter maximas arbores, quas novimus, nec ea alia major extat in Judæa, ac locis finitimis. Ajunt enim [2] hodie quoque in summo Libani montis vertice aliquas esse cedros, quæ sex & triginta pedum excedunt ambitum, & ramos suos circum late dimittunt ad centum, & undecim pedum longitudinem. Earum truncus in quatuor, vel quinque partes diducitur, quarum quæque crassæ arbori par est. Rami illarum non simul omnes e stipite prodeunt, sed quodam subinde tabulatorum instar intervallo interposito.

Quoad Hyssopum Interpretes quidam [3] ægre adducuntur, ut credant Hebraicam vocem *Esob* [4], hyssopum significare. Hæc planta non crescit prope muros. At respondetur, Hebræis notas esse quatuor hyssopi species. Auctor quidam Arabs apud Bochartum loquitur de quadam hyssopi specie, quæ in montibus oritur. Dioscorides, & Matthiolus hyssopum hortensem a montana distinguunt. Sanctius asserit in tractu quodam Hispaniæ, ubi ille aliquantisper commoratus est montanam hyssopum crescere inter lapides, super petras, atque etiam in siccis parietibus, quibus vineæ circumsepiontur. Nihil ultra opus est, ut quod isthic affcrit scriptura, probemus. Hyssopus in Palæstina oriri poterat super mœnia, vel ad mœnium pedes; nam Textus non innuit necessario hanc parietariam herbam fuisse [5]. Cæterum hyssopus tam montana, quam hortensis [6] est arbustum, quod plurimos emittit surculos ex una tantum radice dura ad instar ligni, & sesquipedali altitudine. Subinde ex utroque totius calami latere oblongiuscula emittit folia, dura, odora, calida, & ad gustum subamara. Flos ex calami hujus vertice prodit cæruleus in spicæ formam.

Eusebius [7] docet, Regem Ezechiam, cum intelligeret Salomonicis Libris populum abuti, nimium medicaminibus, quæ illic docebantur, & pluribus cognitionibus, quæ inde ad varia pharmaca eruebantur, fretum, optimum factu censuisse, si hæc volumina de

A medio tollerentur. Diutius etiam posthac quidam magiæ, & incantationum libri Salomonis nomine circumferebantur. Josephus Antiqu. l. 8. c. 2. asserit Principem hunc incantationes quasdam composuisse ad morbos curandos, & quasdam conjurationis formulas ad Dæmones ejiciendos. Asserit autem, Judæum Eleazarum nomine plurimos Energumenos coram Vespasiano, filiis ipsius, pluribusque ducibus, & Militibus exercitus, saluti restituisse. Energumeni naribus annulum adnectebat, intra quem radix quædam erat inserta, quam Salomon docuerat; & incantamenta recitans, quæ a Salomone reperta fuerant, & Regis hujus nomen enuncians, obsessum sanabat; atque in potentiæ suæ argumentum dæmoni imperabat, ut egrediens effunderet vas aqua plenum, quod non

B procul aberat. Kimchi [8] de veteri quodam Salomonis Libro loquitur, cui titulus: *De morborum medicina*, quem Genebrardus putat fuisse Librum incantationum Salomonis, de quo Josephus loquitur. Origenes [9] loquitur etiam de adjurationibus, quibus ævo suo uti consueverant ad dæmones ejiciendos, & quæ excerptæ fuerant ex libris Salomonis, qui apud Judæos servabantur. At satis ostendit, quam parum huic rei fidem haberet. Videmus in Apostolorum Actibus 12. 13. Judæos, qui exorcistarum munera fungebantur. Papa Gelasius librum damnavit, cui titulus; *Contradictio Salomonis*. Denique alii quoque libri huic Regi tribuuntur accepti; veluti *Salomonis Incantamenta, Clavicula, Annulus, Hygromantia Salomonis*, quæ omnia sunt perniciosa opera, quibus

C Magi, & præstigiatores Salomonis nomen addidere, ut illis famam compararent [10]. Celebrantur etiam *Neomeniæ Salomonis, & Judæorum Umbra*, nec non epistolæ, quas ille misit ad Vaphrem, & Hiram. Verum istbæc omnia inter apocrypha recensemus.

℣. 34. VENIEBANT AB UNIVERSIS REGIBUS TERRÆ.] Ut Salomonis sapientiam intelligerent. Quænam fuerint hæc præclaræ adeo Salomonis disputationes, nos penitus latet. Reginæ Sabæ historiam dumtaxat Scriptura reliquit, quam inferius videbimus cap. 10. Auctor Ecclesiastici 47. 16. hujus Principis sapientiam magno fluvio confert, qui omnem terram inundat. Olim aliquid simile in Titi Livii honorem Romæ visum est, quem ut inviserent, ve-

D lut miraculum quodpiam, ab extremis Hispaniæ, & Galliæ finibus viri confluebant. *Ad Titum Livium lacteo eloquentiæ fonte manantem, de ultimis Hispaniæ, Galliarumque finibus quosdam venisse Nobiles legimus: & quos ad contemplationem sui Roma non traxerat, unius hominis fama perduxit. Habuit illa ætas inauditum omnibus sæculis, celebrandumque miraculum, ut urbem tantam ingressi aliud extra urbem quærerent.* Vide Hieronymum Ep. ad Paulin.

1 ויהי שירו חמשה ואלף 2 Maundrel. Voyage de Jerusalem pag. 219.
3 Kimchi, Pisc. Pineda l. 3. c. 22. Levinus Lemnius de Herb. Bibl. c. 16. Tostat. qu. 8.
4 אזוב אשר יצא בליר 5 Vide Bochart. de animal. sacr. tom. 1. l. 2. c. 50. & Sanct. hic.
6 Matthiolus. 7 Eusebius citatus ab Anastasio Nicæno apud Sanct. in lib. 4. Reg. c. 18. Vide & Pinedam l. 3. c. 20. Rabb. quosdam apud Munst. in Exod. 15. 25.
8 Kimchi in 3. Reg. 4. Vide Genebrard. Chronol.
9 Origen. in Matth. homil. 35. *A Salomone scriptis adjurationibus, solent dæmones adjurari, sed ipsi qui utuntur adjurationibus illis, nec idoneis constitutis libris utuntur, quibusdam autem de Hebræo acceptis adjurant dæmonia.* 10 Vide Pinedam l. 3. c. 29. de Reb. Salom.

CAPUT

CAPUT V.

Amicitia, & Fœdus inter Hiram Tyri Regem, & Salomonem. Hiram Salomoni suggerit Fabros ad præparanda ligna, quæ necessaria erant ad Templum ædificandum. Cibaria, quæ Salomon suppeditat Hiram. Numerus opificum in Opus Templi.

Anno M. 2992. Ante J. C. 1012.

1. MIsit quoque Hiram rex Tyri servos suos ad Salomonem: audivit enim,
quod ipsum unxissent regem pro patre ejus: quia amicus fuerat Hiram
David omni tempore. 2 Misit autem Salomon ad Hiram, dicens: 3
Tu scis voluntatem David patris mei, & quia non potuerit ædificare domum nomini
Domini Dei sui propter bella imminentia per circuitum, donec daret Dominus
eos sub vestigio pedum ejus. 4 Nunc autem requiem dedit Dominus Deus meus
mihi per circuitum: & non est satan, neque occursus malus. 5 Quamobrem cogito
ædificare templum nomini Domini Dei mei, sicut locutus est Dominus David patri
meo, dicens: Filius tuus, quem dabo pro te super solium tuum, ipse ædificabit
domum nomini meo. 6 Præcipe igitur, ut præcidant mihi servi tui cedros de
Libano, & servi mei sint cum servis tuis: mercedem autem servorum tuorum dabo
tibi quamcumque petieris: scis enim, quomodo non est in populo meo vir, qui
noverit ligna cædere sicut Sidonii. 7 Cum ergo audisset Hiram verba Salomonis,
lætatus est valde, & ait: Benedictus Dominus Deus hodie, qui dedit David filium
sapientissimum super populum hunc plurimum. 8 Et misit Hiram ad Salomonem,
dicens: Audivi quæcumque mandasti mihi: ego faciam omnem voluntatem tuam in
lignis cedrinis, & abiegnis. 9 Servi mei deponent ea de Libano ad mare: & ego
componam ea in ratibus in mari, usque ad locum, quem significaveris mihi, & applicabo
ea ibi, & tu tolles ea: præbebisque necessaria mihi, ut detur cibus domui
meæ. 10 Itaque Hiram dabat Salomoni ligna cedrina, & ligna abiegna, juxta omnem
voluntatem ejus. 11 Salomon autem præbebat Hiram, coros tritici viginti
millia, in cibum domui ejus, & viginti coros purissimi olei: hæc tribuebat Salomon
Hiram per singulos annos. 12 Dedit quoque Dominus sapientiam Salomoni,
sicut locutus est ei: & erat pax inter Hiram, & Salomonem, & percusserunt ambo
fœdus. 13 Elegitque rex Salomon, operarios de omni Israel, & erat indictio
triginta millia virorum. 14 Mittebatque eos in Libanum, decem millia per menses
singulos vicissim, ita ut duobus mensibus essent in domibus suis: & Adoniram
erat super hujuscemodi indictione. 15 Fuerunt Salomoni septuaginta millia eorum,
qui onera portabant, & octoginta millia latomorum in monte. 16 Absque præpositis,
qui præerant singulis operibus, numero trium millium, & trecentorum, præcipientium
populo, & his, qui faciebant opus. 17 Præcepitque rex, ut tollerent
lapides grandes, lapides pretiosos, in fundamentum templi, & quadrarent eos. 18
Quos dolaverunt cæmentarii Salomonis, & cæmentarii Hiram: porro Giblii præparaverunt
ligna, & lapides ad ædificandam domum.

℣. 1. MISIT HIRAM AD SALOMONEM.] Sub initium regni Salomonis Hiram misit ad illum Legatos, ad fœdus, & amicitiam instaurandam, quæ semper fuerat inter ipsum, & David; atque haud a fide abhorret, ad id præcipue impulsum fuisse propter summam sapientiæ celebritatem, quam Salomon statim ferme ac ad solium evectus fuit, merito sibi comparavit. Quapropter cum Hiram excepisset Legatos, quos vicissim ad illum Salomon miserat, Deo gratias egit, eo quod Davidi eum filium, & Regni hæredem tanta repletum sapientia donasset [1]. Josephus l. 8. c. 2. & l. 1. contra Appion. asserit ævo suo adhuc asservari consuevisse in Tyriorum Archiviis Epistolas, quas ultro citroque Hiram, & Salomon sibi miserant; & profert *Dium*, qui Phœnicum Historiam scripserat, & Menandrum, quorum uterque de duobus his Regibus loquuntur. Historici isti narrant, Hiram, & Salomonem sibi mutuo misisse ænigmata exsolvenda; & cum quondam Salomon ad Hiram misisset problema, quod ille solvere non potuerit, Hiram magnam auri vim pro hac re debuisse persolvere; sed postea Tyrium quemdam, cui nomen Abdemon illud explicasse; ac vicissim alia Salomoni proposuisse, quæ extricare ipsi non licuit; ita ut ille coactus fuerit ingentes pecunias Regi Tyrio persolvere. Hiram hic illius erat filius, qui fuerat amicus David [2], hoc supposito, quod inquit Josephus Antiqu. l. 7. c. 2. Tem-

1 ℣. 7. 2 2. Reg. 5. 11. & 1. Par. 14. 1.

Templum extructum fuisse anno undecimo, quo Rex iste imperabat, quarto vero, quo Salomon.

℣. 3. PROPTER BELLA IMMINENTIA PER CIRCUITUM.] Salomon veram dissimulat causam, quæ patrem suum a Templo Domino ædificando deterruerat. Non enim fuere solum bella gerenda, quam quæ gesta hactenus fuerant [1]. Non desunt tamen eruditi Interpretes [2], qui nullam aliam agnuscere videantur causam, quæ Davidem a Templo ædificando prohibuerit, quam quod continentibus belli distractus esset curis.

℣. 4. NON EST SATAN, NEQUE OCCURSUS MALUS.] Ad litteram [3]: *Non habeo neque Satan, neque occursum malum*. Nullus est adversarius, qui vel intus, vel foris obsistere possit, ne consilium hoc opere compleam. *Satan* significat *adversarium*, & nonnumquam Dæmonem. Sub finem Regni sui Salomon hostes habuit Adad Regem Syriæ, & Jeroboam filium Nabath 3. Reg. 11. 25. 26.

℣. 6. PRÆCIPE, UT PRÆCIDANT MIHI SERVI TUI CEDROS DE LIBANO.] Salomon de his cedris Libani velut bonis suis statuit, quin ab Hiram nihil aliud poscat, quam fabros ad illos cædendos, dolandosque. Post victoriam, quam retulit David de *Adarezer* 2. Reg. 10. 18. montes hi Regibus Juda in dominium cessisse videntur. Alioquin erant in hæreditate Israelitarum; Libanum enim intra fines Israel assurgit in plaga septentrionali. Cedri præcipue dominantur, qua mons ille Phœniciæ mare spectat supra Biblum. Salomon semper his montibus dominatus est, ibique arces quasdam ædificavit 3. Reg. 9. 19. Vide & 2. Par. 8.

Cæterum cedrus Libani haud longe abhorret ab abiete. Procera est arbos, & summopere crassa. Cortex illius lævis est, & albus, si eam partem demas, quæ ab radicibus ad priores ramos intercst, ubi cortex est scaber. Color vero loro similis est. Rami e stipite nonnisi per intervalla quædam existunt, semperque decrescunt, ita ut in pyramidis speciem assurgant. Folia exigua sunt, & pini frondibus similia, sed breviora, nec pungunt. Lignum durum est, quamobrem Auctores quidam illum incorruptibile crediderunt. Veritas tamen ea est, quod cum amarum sit, & vermes dulcia tantum ament, illi minime adhærent. Hujus gemmæ rubræ sunt, duræ, atque odoræ. Cedrus fert poma, quæ piceæ pomis similia sunt, sed oblongiora, duriora, crassioraque. In Templo Ephesi tabulata, & laquearia erant cedrina, non secus ac in omnibus aliis majoribus Templis. Vitruvius l. 2. c. 9. *Ephesi in æde, simulacrum Dianæ, & etiam lacunaria ex ea, & ibi, & in cæteris nobilibus fanis propter æternitatem sunt facta*.

SICUT SIDONII.] Videntur Reges Tyri tunc Sidoniis imperitasse, vel saltem Phœnices omnes tum Tyrii, cum Sidonii *Sidoniorum* nomine appellati fuisse.

℣. 7. BENEDICTUS DOMINUS DEUS.] Benedictus Deus Jehovah [4]: Hiram, non secus ac Ethnicorum plerique haud ira zelo propter Deos suos corripiebantur. Non enim putabant, Dei unius cultum alterius observantiam excludere debere [5]. Princeps hic venerabatur Baal, Astartem, & Herculem: illis etiam Templa, & aras extruxit, conflavitque simulacra, quemadmodum palam testantur historici [6], non ideo tamen omnino a Deo Israel abhorrebat. Forte vero credebat, quemlibet Deum populo suo præesse, & vicissim quemlibet populum subesse numini suo, ita ferme ut quodlibet Regnum Regem suum habet, quilibet vero Rex regnum suum [7]. Scriptura etiam quandoque hæc pietatis præjudicia in Israelitis supponit; velut cum ait Deuter. 29. 26. *Servierunt Diis alienis . . . quos nesciebant, & quibus non fuerant attributi*.

℣. 8. IN LIGNIS CEDRINIS, ET ABIEGNIS.] Septuaginta, & S. Hieronymus has Authographi voces in Paralipomenis [8] reddunt ligna cedrina, & Archeutina. De cedro locuti sumus ℣. 6. Abies satis nota est. Plures Interpretes [9] abietem a Templi ædificio rejiciunt; hoc enim lignum est, ajunt, nimis leve, corruptibile, ac igni concipiendo aptum; cæterum nimis fragile, neque operibus satis idoneum. Malunt vero hebraicam vocem de alia quapiam [10] arboris specie explicare, veluti pino, cyparisso, larice, vel alia cedri specie, quæ ab ea, de qua locuti sumus, differt, & quæ in Phœnicia invenitur. Verum cur ab hoc ædificio abies est rejicienda? Hoc lignum est leve admodum, rectum, firmum, tensum, & quod sub oneribus nequaquam curvatur, ideoque maxime aptum, ut tabulata, & lacunaria recta, & æqualia contineat. Meliores sane Architecti hoc uti non respuont. Vide Vitruvium l. 2. c. 9.

℣. 9. COMPONAM EA IN RATIBUS IN MARI [11].] De summo montis vertice ligna dolata in fluvium Adonim usque demittebantur, vel etiam usque in agrum Biblos. Inde vero ad portum vehebantur, ubi in rates compacta mari usque in portum Joppe deducebantur, qui præ cæteris est propior Jerusalem 2. Paral. 2. 16.

ET APPLICABO EA TIBI.] Mittam ea ad te. Hebraice [12]: *dissolvam illa*; dissipabo, frangam rates, & tibi tradam ligna, ubicumque jusseris. Menander Ephesius apud Joseph. Antiqu. l. 8. c. 2. circumstantiam hanc vitæ Hiram veluti rem magni momenti affert, *ipsius jussu præcisam fuisse lignorum vim, ad templa tegenda*.

UT DETUR CIBUS DOMUI MEÆ.] Tyrii parum, vel nihil penitus agris excolendis vacabant. Vulgata ipsorum studia erant navigatio, piscatus, commercium. Olim, Servius in Æneid. 1. ait, alias in terras frumentatum communibus impensis mittebant. Israelitæ uberiores regionis agros possidebant, iisque colendis impensius operam navabant; quamobrem finitimis populis annonam suppeditare poterant. Hiram a Salomone triticum, & oleum petit in opificum, quos illi commodat, mercedem; & Salomon pollicetur se non solum victum illis artificibus præbiturum, qui actu illi operam suam locarent, quemadmodum patet ex 2. Paralip. 2. 10. sed præterea large, effuseque Regi Tyrio gratis donabat ea, quæ in domus illius alimenta sufficerent. Josephus loco citato ait, Salomonem suggessisse illi triticum, vinum, & oleum; at Scriptura non loquitur de vino pro familia Hiram. Ait dumtaxat in cibum illorum, qui lignis cædendis adlaborabant, ipsum erogasse triticum, hordeum, vinum, & oleum 2. Paralip. 2. 10.

Haud abs re isthic in memoriam revocare potuid, quod jam superius admonuimus, Orientis Reges universam domum suam alere consuevisse [13], & stipendium merce quapiam, non autem numerata pecunia persolvere. Quapropter maximam annonæ vim in eorum escam comparare tenebantur.

1 2. Reg. 7. & 1. Par. 22. 8.
2 Tostat. qu. 6. Pineda de Rab. Salom. l. 5. c. 5. Salian. & Menoch. ad 1. Par. 22.
3 אין שטן ואין פגע רע
4 ברוך יהוה
5 Vide 1. Reg. 4. 8. Dan. 6. 16. & 4. Reg. 17. 27. & 2. Macchab. 3. 5.
6 Dius, & Menander apud Joseph. Antiqu. l. 8. c. 2. & l. 1. contra Appion.
7 3. Reg. 20. 28.
8 ξύλα ἀρκεύθινα Hieron. Archeutina.
9 Hebr. Marc. Castal. alii.
10 בעצי ברושים
11 אני אשימם דברות בים
12 ונפצתים שם
13 Vide Athen. l. 4. de Persis, & supra 2. Reg. 4. 22.

℣. 11. Coros tritici viginti millia .] *Corus* contineb at libras 800. Locum hunc conferendo cum iis, quæ diximus de Salomonis domo, judicium ferri poteſt, quam frequentior eſſet hujus domus, quam ea Regia Hiram. Domui enim Salomonis nonaginta *cori* farinæ in ſingulos dies opus erant, Hiram vero in ſingulos annos Cori tritici viginti mille ſufficiunt. In Paralipom. [1] legimus hoc triticum fuiſſe tuſum, vel mola fractum.

Viginti coros olei .] Videtur vox *millia* ex ſuperiori verſiculo mutuanda, legendumque *viginti millia coros olei*, quæ plurimorum Interpretum eſt ſententia [2]; profecto proportio inter viginti mille *coros* tritici, & viginti olei, nequaquam juſta videtur. In 2. Paralip. 11. 10. ubi recenſetur annonæ copia, quam ſuppeditabat Salomon opificibus, qui in B Libano monte operam impendebant, invenimus viginti mille corus tritici, totidem hordei, olei vero bathos viginti, ac totidem vini. *Bathus* minor eſt coro; continet enim libras 80. at ſaltem aliqua ratio eſt inter viginti mille bathos vini, & olei, & coros viginti mille tritici, & hordei.

Olei purissimi .] Hebraice [3]: *olei tuſi*, vel fractis oleum, quod prius diffluit, cum olivæ in torculari poſitæ ſunt, oleum protropum.

℣. 13. Erat indictio triginta millia virorum .] Hebraicus textus verti ad litteram poteſt [4]: *Hoc tributum*, hoc erat diurnum opus *triginta millia virorum*. Triginta mille viri fuerant imperati, ſed diviſi fuerunt, ita ut uno menſe ex tribus, operibus vacarent; namque decem mille ſolum per vicem, C & unius menſis ſpatio tantum adlaborabant, ibique uno tantum menſe morabantur. Itaque duobus menſibus deinceps quieſcebant. Hi viri erant Iſraelitæ, illiſque præerat *Adoniram*. Hi autem dumtaxat operam poſuiſſe videntur, ut ex lapidicinis lapides effoderent; nam ligna Tyrii, & Sidonii cædere debebant, ac ad mare deducere, inde rates compingere, atque ad portum propiorem Jeruſalem devehere.

A ℣. 15. Octoginta millia latomorum in monte .] Hebraicus textus verti poteſt [5]: *Octoginta millia cædentium* lapides, vel ligna *in monte*. Authographi vox vulgo pro *latomis* uſurpatur, quamquam & fabros lignarios ſignificat. Sed hic intelligitur de iis ſolum, qui in lapidicinis inſudabant, lapideſque cædebant, expoliebantque. Conſtat autem e monte Libano eruta fuiſſe non ligna ſolum, ſed & lapides in opus Templi Salomonici. Hi omnes artifices erant proſelyti, vel advenæ. Vide 2. Paral. 2. 17. 18.

℣. 16. Numero trium millium, et trecentorum præcipientium populo.] In 2. Paral. 2. 18. tres mille, & ſexcenti numerantur. Verum trecenti Præfecti nobiliores cum his recenſentur, qui tribus millibus, & ſexcentis curatoribus præerant. Vel B Præfectorum numero trecenti ex primoribus artificibus adſcribuntur, qui ſociorum ſuorum operibus, quodammodo invigilabant.

℣. 17. Lapides grandes lapides pretiosos .] Scripturæ iſthic palam aſſerit pulcherrimos, ac prægrandes lapides electos fuiſſe pro Templi fundamentis, eoſque cæſos, expolitoſque ſumma cura fuiſſe, ut Salomonis zelus, & magnificentiæ in univerſo hoc opere magis eluceat. Lapides ipſi, qui extrinſecus non apparebant, politi erant, cæſi, miræ pulchritudinis, magnitudinis, & pretii.

℣. 18. Giblii præparaverunt ligna.] Giblii inſignes erant lapidum, ac lignorum cædendorum arte. Ezechiel eos quoque navium celeberrimos ædificatores commendat c. 27. 9. Perhibetur Giblos, C vel Gebal, Phœniciæ urbs eadem eſſe, ac Biblos ad montis Libani radices, ad Sidonis Boream, ad Mediterraneum poſita. A Prophanis Biblos nuncupatur, tum exquiſitiſſimo vino, cum aliis rebus apprime nobilis. Ptolemæus, & Stephanus loquuntur de urbe Gebala ad orientem Tyri in Phœnicia, quæ longe alia eſt a Biblos. Michael Glycas Chronol. par. 11. p. 114. *loquitur de lapidibus*, qui de Libani vertice eruebantur ad ædes extruendas.

---

1 2. Paralipomenon. 2. 10. חטים מכות 2 Buxtor. Glaſſ. Piſc. Ita & Syr. & 70. & Arab. & Aquila. 3 שמן כתית 4 ויהי המס שלשים אלף איש
5 שמונים אלף חצב בהר

CAPUT VI.

Deſcriptio Templi a Salomone ædificati.

1. FActum eſt ergo quadringenteſimo, & octogeſimo anno egreſſionis filiorum Iſrael
de terra Ægypti, in anno quarto, menſe Zio (ipſe eſt menſis ſecundus) regni
Salomonis ſuper Iſrael, ædificari cœpit domus Domino. 2 Domus autem,
quam ædificabat rex Salomon Domino, habebat ſexaginta cubitos in longitudine, & viginti cubitos in latitudine, & triginta cubitos in altitudine. 3 Et porticus erat ante
templum viginti cubitorum longitudinis, juxta menſuram latitudinis templi: & habebat
decem cubitos latitudinis ante faciem templi. 4 Fecitque in templo feneſtras obliquas.
5 Et ædificavit ſuper parietem templi tabulata per gyrum, in parietibus domus per circuitum templi, & oraculi, & fecit latera in circuitu. 6 Tabulatum, quod ſubter erat,
quinque cubitos habebat latitudinis, & medium tabulatum ſex cubitorum latitudinis,
& tertium tabulatum ſeptem habens cubitos latitudinis. Trabes autem poſuit in domo
per circuitum forinſecus, ut non hærerent muris templi. 7 Domus autem cum ædificaretur, de lapidibus dolatis, atque perfectis ædificata eſt: & malleus, & ſecuris, &
omne ferramentum non ſunt audita in domo, cum ædificaretur. 8 Oſtium lateris medii
in parte erat domus dexteræ: & per cochleam aſcendebant in medium cœnaculum, &
a me-

a medio in tertium. 9 Et ædificavit domum, & consummavit eam: texit quoque do-
mum laquearibus cedrinis. 10 Et ædificavit tabulatum super omnem domum quinque
cubitis altitudinis, & operuit domum lignis cedrinis. 11 Et factus est sermo Domini
ad Salomonem, dicens: 12 Domus hæc, quam ædificas, si ambulaveris in præceptis
meis, & judicia mea feceris, & custodieris omnia mandata mea, gradiens per ea: fir-
mabo sermonem meum tibi, quem locutus sum ad David patrem tuum. 13 Et habita-
bo in medio filiorum Israel, & non derelinquam populum meum Israel. 14 Igitur ædi-
ficavit Salomon domum, & consummavit eam. 15 Et ædificavit parietes domus intrin-
secus tabulatis cedrinis, a pavimento domus usque ad summitatem parietum, & usque
ad laquearia, operuit lignis cedrinis intrinsecus: & texit pavimentum domus tabulis a-
biegnis. 16 Ædificavitque viginti cubitorum ad posteriorem partem templi tabulata
cedrina, a pavimento usque ad superiora: & fecit interiorem domum oraculi in San-
ctum sanctorum. 17 Porro quadraginta cubitorum erat ipsum templum pro foribus o-
raculi. 18 Et cedro omnis domus intrinsecus vestiebatur, habens tornaturas, & jun-
cturas suas fabrefactas, & cælaturas eminentes: omnia cedrinis tabulis vestiebantur:
nec omnino lapis apparere poterat in pariete. 19 Oraculum autem in medio domus,
in interiori parte fecerat, ut poneret ibi arcam fœderis Domini. 20 Porro oraculum
habebat viginti cubitos longitudinis, & viginti cubitos latitudinis, & viginti cubitos
altitudinis: & operuit illud, atque vestivit auro purissimo: sed & altare vestivit cedro.
21 Domum quoque ante oraculum operuit auro purissimo, & affixit laminas clavis au-
reis. 22 Nihilque erat in templo, quod non auro tegeretur: sed & totum altare ora-
culi texit auro. 23 Et fecit in oraculo duos cherubim de lignis olivarum, decem cu-
bitorum altitudinis. 24 Quinque cubitorum ala cherub una, & quinque cubitorum a-
la cherub altera: id est, decem cubitos habentes, a summitate alæ unius usque ad alæ
alterius summitatem. 25 Decem quoque cubitorum erat cherub secundus: in mensura
pari, & opus unum erat in duobus cherubim, 26 Id est, altitudinem habebat unus
cherub decem cubitorum, & similiter cherub secundus. 27 Posuitque cherubim in me-
dio templi interioris: extendebant autem alas suas cherubim, & tangebat ala una pa-
rietem, & ala cherub secundi tangebat parietem alterum: alæ autem alteræ in media
parte templi se invicem contingebant. 28 Texit quoque cherubim auro, 29 Et om-
nes parietes templi per circuitum sculpsit variis cælaturis, & torno: & fecit in eis che-
rubim, & palmas, & picturas varias, quasi prominentes de pariete, & egredientes:
30 Sed & pavimentum domus texit auro intrinsecus, & extrinsecus. 31 Et in ingres-
su oraculi fecit ostiola de lignis olivarum, postesque angulorum quinque. 32 Et duo
ostia de lignis olivarum, & sculpsit in eis picturam cherubim, & palmarum species, &
anaglypha valde prominentia: & texit ea auro: & operuit tam cherubim, quam pal-
mas, & cætera, auro. 33 Fecitque in introitu templi postes de lignis olivarum qua-
drangulatos: 34 Et duo ostia de lignis abiegnis altrinsecus, & utrumque ostium du-
plex erat, & se invicem tenens aperiebatur. 35 Et sculpsit cherubim, & palmas, &
cælaturas valde eminentes: operuitque omnia laminis aureis opere quadro ad regulam.
36 Et ædificavit atrium interius tribus ordinibus lapidum politorum, & uno ordine li-
gnorum cedri. 37 Anno quarto fundata est domus Domini in mense Zio. 38 Et in
anno undecimo, mense Bul (ipse est mensis octavus) perfecta est domus in omni ope-
re suo, & in universis utensilibus suis: ædificavitque eam annis septem.

℣. 1. QUADRINGENTESIMO, ET OCTOGESIMO ANNO.] Post exitum de Ægypto. Plures Interpretes rem plurimis difficultatibus obsitam putantes epocham hanc cum suis calculis conciliare adnitentes, & cum iis, quæ habemus in Actis 13. 20., ubi asseri videtur, Judices quadringentis, & quinquaginta annis imperasse, denique cum summis, quæ in Judicum libro explicite afferuntur, supputationem hanc reliquerunt, ac Templi originem rejecere, alii quidem [1] post trecentesimum, & trigesimum, alii [a] post quingentesimum nonagesimum annum ab Israelitarum exitu de Ægypto. Septuaginta [3] quadringentos, quadraginta annos recensent. Josephus Antiqu. l. 8. c. 2. quingentos nonaginta duos, vel juxta versionem Rufini duos supra quingentos. Sulpicius Severus quingentos octoginta octo: S. Clemens Alexandrinus quingentos sexaginta sex. Cedrenus sexcentos septuaginta duos, Serarius sexcentos octoginta, Vossius, & Capellus quingentos octoginta, Pater Petavius quingentos & viginti, Codomanus quingentos nonaginta octo, Nicolaus Abraham quingentos, & vigin-

1 Glycas. a Canus lib. 11. loc. Theol. cap. 5.
3 Τῷ τεσσαρακοστῷ, καὶ τετρακοσιοστῷ ἔτει τῆς ἐξόδου.

ei feprem, Mæstlinus quingentos nonaginta duos, Johannes Valtherus quingentos & viginti. Verum quin hos omnes calculos ad examen vocemus, nos herebimus summæ, quam Hebraicus Textus, & Vulgata afferunt, & quam meliores Chronologi sequuntur, quorum in operibus videri possunt argumenta. Vide in primis Usserium Chronol. sacr. c. 12.

Mense Zio, ipse est mensis secundus.] Anni sacri, sed octavus anni civilis. Fere vero Aprili nostro respondebat [1]. Usserius primum Templi lapidem jactum constituit die lunæ vigesima prima Maii ab orbe condito anno 2992. Hebræi primitus nullis nominibus propriis menses suos notarant; sed ex eorum ordine tantum vocabant, primum, secundum, tertium &c. At post Salomonem quorumdam mensium proprium nomen invenimus; exempli gratia *Sio*, vel *Sif* in hoc loco; *Bul* ℣. 38. & *Ethanim* cap. 8. 2. hujus libri. De horum nominum origine variæ adsunt sententiæ. Scaliger censet hæc a Sidoniis, vel Phœniciis Israel fuisse mutuatum, cum quibus tunc Salomon inire commercia consueverat. Grotius hic autumat nomina hæc ex origine Chaldæa manare: at ea Ægyptia fluxisse P. Harduinus in Chronol. Vet. & Nov. Testam. ad an. M. 2993. contendit. Cum Salomon uxorem duxisset Pharaonis filiam, ex Ægypto in Judæam Ægyptios Astronomos accersivit, ut Judæorum Kalendarium castigaret, atque ab illis ea accepit nomina, quæ isthic legimus. Post hujus Principis regnum Ægyptiorum mensium nomina neglecta fuere, atque rursus in veterem abiere consuetudinem menses nuncupandi solum ex ordine, quem ii inter se servarent. Tandem vero sub tempus, quo de Babylonica captivitate reversi sunt, mensium nomina, quæ apud Persas, vel Chaldæos adhibebantur, excepere. Hoc autem Patris Harduini est systema. Hoc vero certum est, diligentius distinguenda esse nomina mensium, quæ Salomone imperante vigebant, ab illis, quæ usum obtinuere post captivitatem. Judæi ad hanc usque diem retinent Chaldæorum mensium nomina, longe diversa ab iis, quæ Salomone imperante usurpata cognovimus. En autem duodecim Judæorum menses; *Tisri*, qui respondet parti Septembris, ac Octobris: *Marshevan*, *Caslen*, *Thebet*, *Schebet*, *Adar*, *Nisan*, *Jar*, *Sivan*, *Tammus*, *Ab*, *Elul*.

℣. 2. Domus . . . . habebat sexaginta cubitos in longitudine, et viginti cubitos in latitudine, et triginta cubitos in altitudine.] Ægyptiorum Templa, Phœnicum, & illud Hebræorum longe alia erant a nostratibus forma [2]. Erant autem atriis, peristiliisque composita, ubi populus convenire poterat, ut vota sua nuncuparet, & sacris interesset, quin sub dio essent expositi. Hæc atria circum ambibant Templum, vel locum sacrum, quo solis Sacerdotibus ingredi erat fas. Postrema hæc pars sæpius *Domus* appellabatur, vel Templum, *Hecal* Hebraice, quæ vox *ædes*, Regis, vel Numinis mansionem significat. Sæpius per hoc Templi nomen totum Templi compositum intelligitur, areæ, atria, ambulationes, cubicula, conclavia, cellæ, & penitiora etiam, ac magis sacra adita; & sæpius etiam Templi significatio coarctatur ad *Templum* ipsum, vel *domum*, Sanctuariam, & Sanctum; ut verbo me expediam, ad ædem eam, quæ veluti domicilium, ac sedes Dei Israel habebatur. Posteriori hoc in sensu *Templi*, & *domus* nomina hoc in loco usurpantur.

Domus igitur Domini *habebat sexaginta cubitos in* A *longitudine* [3] ab ortu in occasum; *viginti cubitos in latitudine* de borea in austrum, & triginta cubitos in altitudine a soli superficie ad parietum, quibus tectum incumbebat, cacumen. Cubitus, quemadmodum in Genes. 6. 15. ostendimus, erat unciarum viginti, & $\frac{44}{89}$; vel digitorum quatuor, & viginti, vel regii pedis, & unciarum octo paullo minus. Ita Templum in longitudinem patebat centum, & duobus pedibus cum seu unciis Regiis; uno supra quinquaginta pede ac unciis tribus in altitudinem assurgebat, & pedibus quatuor ac triginta in latitudinem intrinsecus protendebatur.

℣. 3. Porticus erat ante Templum viginti cubitorum longitudinis . . . et habebat decem cubitos latitudinis.] Hoc vestibulum erat B contiguum, & ex eodem corpore, ac Templum, vel domus, cujus dimensiones superiori versiculo intuiti sumus. Huic eadem ac Templo a borea in meridiem erat latitudo, at ab ortu in occasum decem cubitis dumtaxat, vel septemdecim pedibus patebat. Altitudo vero Templo erat par. In Paralipomenis legimus, hanc centum, & viginti cubitorum, vel pedum ducentorum fuisse [4]. Verum haud a fide abhorret, locum hunc mendosum esse, atque vocem aliam pro alia fuisse positam. Salomon ad utramque hujus vestibuli portæ partem immanes illas æreas columnas constituit, de quibus inferius erit sermo; Quæ Salomonici templi portæ esset magnitudo, nos fugit; sed in Templo, quod de Babylonica captivitate reversi extruxerunt, septuaginta cubitorum erat C altitudo, latitudo vero viginti quinque, neque valvæ aderant, nec velum, quo clauderetur. Altera vero janua, tempore Josephi, quadraginta cubitorum altitudine, viginti latitudine præstabat, atque tenuissimo velo cæruleis, purpureisque floribus intertexto claudebatur. Super hanc januam Salomon auream aquilam affixerat, quæ a religiosis quibusdam hominibus divulsa fuit [5]. Intra hoc vestibulum, & prope Sancti portam aurea vinea serpebat, cujus racemi magnitudinem hominis exæquabant, & quorum grana pretiosi erant lapilli. Hæc autem a magno Herode dedicata fuit [6], & pretium illius fuit mille talentorum, hoc est, juxta quosdam quatuor, & viginti auri myriadum. At hæc omnia nequaquam illius temporis sunt, de quo loquimur. In Templo D ab Ezechiele descripto cap. 41. 1. secunda hæc janua decem cubitorum, vel septemdecim pedum cum uncia latitudine patebat, altitudine vero congrua.

℣. 4. Fecitque in Templo fenestras obliquas.] Plures plura conjiciunt de obliquis his fenestris, de quibus isthic, & in Ezechiele 41. 16. & 12. 16. 26. est sermo. Hebraice ad litteram [7]: Fenestras speculatorias clausas: Hiatus, per quos prospicitur, clausos. Fenestræ hæ, vel hiatus cancellis erant obstructi, ita ut oblique videri posset, quin tamen intus videretur [8], Chaldæus, Arabs, Theodoretus, ac plures Interpretes, putant intrinsecus latiores fuisse, extrinsecus vero arctiores. Verum quin tot ambages quæramus, erant quales sunt vulgo in calidis regionibus fenestræ, vel cancellis E munitæ, vel velaminibus clausæ; nam vitri consuetudo nondum obtinuerat.

Lucem vero super conclavia, quæ e lateribus Templi aderant, & ad quindecim cubitorum altitudinem circum undique consurgebant [9], admittebant in templum. Cum Sanctuarium viginti cubitis, seu pedibus triginta quatuor cum unciis duabus altitudine præstaret,

---

1 Pagn. Var. Manst. Syr. Arab.

2 Vide nostram Dissertationem de Templis Veterum.

3 Septuaginta 40. cubitos tantum legunt.

4 2. Paralipomenon 3. 4. *Porro altitudo centum viginti cubitorum erat, & deauravit eam intrinsecus auro mundissimo*. Vide, quæ in hunc locum observavimus.

5 Joseph. Antiqu. l. 17. 7.

6 Idem l. 6. de Bello cap. 14.

7 חלוני שקפים אטמים.

8 Ezech. 40. 41. aliquando habes אטמות, & aliquando מכסות. Utrumque significat *clausas*. Septuaginta in Ezech. 41. 16. vertunt: Θυρίδες δικτυωταί, *Fenestræ cum cancellis*. Ita & a quib. Gr. hic. Διδικτυωμένας. Sym. Θυρίδας καὶ ἐκθέτως ἐστενωμένας.

9 Vide mox ℣. ℣. 5. 6. & 10.

staret ; a conclavium tecto ad Sanctuarii coronidem quinque cubitorum spatium reliquum erat pro fenestris : tecta enim ibi locorum plana fiebant , neque aliquid de hac summa subducendum est pro declivi tectorum conclavium , quæ utrinque ad Templi latus erant extructa. Super Cherubim, & palmas , quæ erant intra Templum ad viginti cubitorum [1] , hoc est pedum triginta quatuor cum unciis duabus altitudinem , coronides aderant , Zophori , aliaque architecturæ ornamenta , quibus suberant fenestræ , de quibus hic sermo , quæ altæ erant quinque cubitis , vel pedibus octo cum dimidio .

℣. 5. ÆDIFICAVIT SUPER PARIETEM TEMPLI TABULATA PER GYRUM .] Secundum duo longitudinis murorum latera , atque in posteriori Templi parte extrinsecus conclavia ædificata fuere , quæ secundum altitudinem tria habebant tabulata , & quorum laquearia ex Templi parte innitebantur recessibus in crassitie muri relictis , ex altera vero extimo parieti incumbebant , qui extructus fuerat ad quinque cubitorum ab interiori distantia . Inferior ordo quinque tantum cubitorum latitudine patebat , medius cubitorum sex propter muri recessum , de quo locuti sumus , tertius denique septem cubitorum eadem de causa . Hæc inferiora latera aliquam habebant similitudinem cum aliis , quæ vetusta Græcorum Templa circum ambiebant .

℣. 6. TRABES POSUIT IN DOMO PER CIRCUITUM FORINSECUS , UT NON HÆRERENT MURIS TEMPLI .] His muri recessibus, de quibus locuti sumus , innitebantur , sed in muri crassitie minime erant insertæ . Hæc autem omnia facta fuere , ad majorem erga Omnipotentis Domum observantiam , atque ut lacunaria poni possent , & adimi , quin vel parietes , vel structuræ œconomia aliquid pateretur . Ezechiel in tribus Templi lateribus tria , & triginta cubicola fuisse ait c. 41. 6. Josephus vero Antiqu. l. 8. c. 2. triginta dumtaxat . S. Hieronymus videtur intellexisse , hæc fuisse sex supra sexaginta , vel bis triginta tria .

℣. 7. DE LAPIDIBUS DOLATIS , ATQUE PERFECTIS.] Vel potius [a] : *de lapidibus integris , & allatis* ; hoc est , in opus lapides compacti fuere , quin ulterius scalpro tangerentur , quales e lapidicina fuerunt allati . Lapides ubi effodiebantur , ibi dolabantur , poliebantur , perficiebanturque , ita ut non essent ullo pacto cædendi , cum in opus redigebantur .

MALLEUS, ET SECURIS, ET OMNE FERRAMENTUM NON SUNT AUDITA .] Nam omnia cæsa erant , & præparata , & antea ita adamussim metiti omnia fuerant , ut nullum opus esset , ut manus iterum vel lapidibus , vel lignis admoveretur . Nescio vero utrum hoc intelligendum sit etiam de clavis , qui ad tabulas connectendas , configendasque adhibiti fuerunt , easque aureis laminis convestiendas , vel alio quopiam metalli genere communiendas . Vel enim clavi in helicis formam elaborati erant , vel istud hyperbolice , & per exaggerationem dictum existimandum est . Hæc autem omnia testantur , tum summam Salomonis observantiam erga Dei sui majestatem , & ideam , quam populo suo instillare cupiebat , tum admirabilem Principis hujus sapientiam , & solertissimam opificum diligentiam in tanto , & tam operoso ædificio .

Romani veteres operi aptabant lapides , ex quibus coronides , columnæ , & columnarum capita fieri debebant , quin ante elaborati fuissent ; eos vero tunc solum cælabant , cum quilibet locum suum erant sortiti . Id genus opus ego quoque Augustæ Trevirorum vidi in Sancti Simeonis Ecclesia . Nunc vero alia omnino est consuetudo . Sacer author minimum adnotaret in Salomonis Templo nec malleum , nec securim adhibitam fuisse , si hoc fuisset tunc temporis Architectorum ratio .

Rabbini hinc fabulæ venditandæ occasionem arripiunt . Ajunt enim , Salomonem nec malleum , nec ferrum adhibuisse ad cædendum , vel dolandum lapides , quibus ad Templum extruendum est usus . Verum usum fuisse tantum vermiculo quodam , vel lapide , cui nomen *schamir* , qui cædebat , findebat , lævigabat lapides mirabili facilitate , atque istud ullo sine strepitu , vel labore . At quoad hujus vermiculi , vel lapidis originem abeunt in diversa . Alii ab Asmodæo dæmone , ac Inferorum Principe Salomoni allatum putant . Alii narrant , parvulis upupæ pullis a Salomone vitro conclusis , matrem abiisse hunc lapidem quæsitum , quo vitrum fregit , natosque eduxit . Alii denique comminiscuntur Salomonem misisse in terrestrem Paradisum Aquilam , quæ illic hunc vermiculum quæreret , ac ad ipsum afferret . Verum haud interire passi sunt rem pretiosam , adeo ac utilem . Vermem plumbo inclusum diutius aluere ; ast Templo a Chaldæis direpto vermis interiit . Rabbinus Maimonides librum de hoc celeberrimo vermiculo edidit [3] ; cujus meminit etiam in Doctrinali suo Vincentius Bellovacensis l. 16. cap. 223. Ego vero alibi [4] ostendi , Schamit nihil esse aliud , quam lapidem *smirim* , quo lapidarii utuntur ad pretiosos lapillos lævigandos . Theodoretus quoque qu. 23. 24. factum penitus apocryphum narrat , dicens in lapidicinis inventus fuisse lapides præparatos , & ea forma proditos , quæ erat necessaria , neque opus fuisse , nisi ut ii expolirentur , atque lævigarentur .

℣. 8. OSTIUM LATERIS MEDII IN PARTE ERAT DOMUS DEXTRÆ .] Vel potius [5] : *Ostium , quo per scalam ad mediam contignationem ascendebatur , erat in dextera parte domus* ; hoc est ad boream Templi , si dexteram intelligimus habita ratione introeuntium in Templum ; nam vulgo apud Hebræos dextera meridiem significat . Hæc ostia neque intra Sanctum , neque intra Sanctuarium aperiebantur . Reverentia , quæ sacros adeo locos decebat , non patiebatur , ut illac transirent ingredientes , vel egredientes de illis contignationibus ; sed his sui erant aditus , alteri quidem ad dexteram partem porticus , seu vestibuli , ad sinistram alteri , vel etiam extra templum . Hæ vero scalæ ad conclavium extremitatem erant positæ , & in muri crassitie excavatæ . Hebraicus textus [6] innuit eas , vel rotundas fuisse , vel in cochleatum speciem . Septuaginta sensum satis perspicuum habent . Legunt autem *inferiorem* pro *media* contignatione . *Ostium , quo aditus patebat in inferiorem contignationem , inde vero per cochleam ad contignationem mediam* &c.

℣. 9. TEXIT DOMUM LAQUEARIBUS CEDRINIS .] Anthographus textus [7] ait , ipsum texisse Templum fornice , & cedrinis tabulis . Templi lacunar non adeo alte concameratum erat , & lignis cedrinis compactum .

℣. 10. ÆDIFICAVIT TABULATUM SUPER OMNEM DOMUM QUINQUE CUBITIS ALTITUDINIS .] In memoriam revocandum est , Templi altitudinem fuisse cubitorum triginta e solo usque ad parietum verticem [8] . Salomon nolebat omnem hanc Templi altitudinem intrinsecus servare , ubi Sanctum aderat , & Sanctuarium , verum illam viginti tantum cubitis assurgere meditabatur [9] . Decem igitur cubitis , quos altitudini adimere volebat , bifariam divisis , horum

1 3. Reg. 6. 23. collat. cum Ezech. 41. 25. 26.
a אבן שלמה מסע
3 Vide Gior. hic.
4 Vide Jerem. 17. 1. Ezech. 3. 9. Zach. 7. 12. Bochart. de Animal. sacr. par. 2. l. 5. c. 11.
5 פתח הצלע התיכונה אל כתף הבית הימנית Septuaginta legerunt התחתונה , loco התיכונה
6 ובלולים יעלו על התיכונה
7 ויספן את הבית גבים ושדרות בארזים
8 Supra vers. 2.
9 Mox vers. 20. *Oraculum habebat viginti cubitos longitudinis , & viginti cubitos latitudinis , & viginti cubitos altitudinis.*

quinque in testudinis cavitatem quæ Sancto, & Sanctuario simul imminebat, insumpti fuere. Alii vero quinque vacui relicti sunt fornicem inter & tectum. Hoc autem consilio eodem factum fuit, quoad utrumque Templi latus ædificia adjecta fuere, scilicet ob majorem numinis reverentiam, majoremque decorem. Hujus enim præcautionis opera interior Templi pars ab immodico æstatis calore, & hyemali humiditate immunis erat, cum nec Sol, nec pluviæ immediate vel parietes, vel tecti testudinem peterent. Alii intelligunt locum hunc de conclavibus, quæ circa Templum extrinsecus erant posita. Vertunt autem [1] : *Fecit contignationes totius Templi altitudinis quinque cubitorum*; quæ sane explicatio magis litteralis videtur. Quælibet contignatio quinque cubitorum altitudinem habebat; omnes vero simul quindecim cubitos, vel pedes quinque, & viginti cum dimidio; quod erat dimidium altitudinis Templi. Eorum intrinsecus latitudo inæqualis erat. Prior enim quinque, sex altera, septem vero tertia cubitis in latitudinem patebant. Vide ✠. 5.

OPERUIT DOMUM LIGNIS CEDRINIS.] Templi tectum erat ex tabulis, vel optimis e cedro laquearibus. Illud autem planum erat forma, non secus, ac alia regionis illius tecta. Textus magis exprimit [2] : *carpit*, conjunxit, clausit, *Domum lignis cedrinis*. Parietes simul laquearibus ligavit, quæ utrique parieti erant inserta.

✠. 11. FACTUS EST SERMO DEI AD SALOMONEM.] Credimus hoc post Templi dedicationem santummodo contigisse, & hanc eamdem apparitionem prolixius infra referri Cap. 9. ✠. 2. & sequentibus.

✠. 15. ÆDIFICAVIT PARIETES DOMUS INTRINSECUS TABULATIS CEDRINIS.] Lacunar, & tectum Templi e cedro compactum fuerat, quemadmodum vidimus. Domus autem eodem ligno erat convestita ab imo ad summum, a pavimento ad tectum, atque illud non in Sanctuario solum, verum etiam in Sancto: verbo, per omnem longitudinem, ac latitudinem Templi. Pavimentum autem non cedrinum erat, sed abiegnum, vel fortasse ex quadam cedri specie, quæ in Phœnicia [3], & Lycia invenitur, & quæ non multum a junipero abhorret. Videtur autem lignum, quo pavimentum stratum est, solidius fuisse illo, quo vel domus convestita fuit, vel laquearia contexta. Utrum vero Sanctuarium pavimentatum fuerit, ut reliqua, ambigitur; in Paralipomenis enim [4] scriptum est pavimentum e marmore, vel juxta Hebraicam lectionem *ex lapidibus pretiosis* factum fuisse: verum hoc minime obstat, quo minus hi lapides contegi potuerint tabulis speciosis, namque & parietes contecti fuere, quorum lapides neqnaquam minori in pretio habebantur. Fundamentorum etiam lapides *pretiosi* vocantur [5]. Scriptura has circumstantias extollit, ut Salomonis magnificentiam ob oculos ponat, qui pulcherrimos adhibuit lapides ibi etiam, ubi minime erant conspiciendi, veluti in fundamentis, ac subter tabulata. Videbimus [6] infra pavimentum, vel e tabulis stratum, aureis laminis convestitum fuisse.

✠. 16. ÆDIFICAVITQUE VIGINTI CUBITORUM AD POSTERIOREM PARTEM TEMPLI.] Vel potius ædificavit hæc tabulata cedrina a pavimento usque ad superiora Sanctum inter, & Sanctuarium, cubitorum viginti, vel pedum quatuor, & triginta cum unciis duabus, ad posteriorem partem Templi. Hebraicus textus ad litteram [7] : *Et ædificavit viginti cubitos*; vel fecit ædificium viginti cubitorum, *ab uno Templi latere ad alterum*. Ut verbo me expediam, fecit diatichisma, seu medianum parietem, qui totam Templi latitudinem obtineret a pariete, qui ad meridiem

A vergebat, ad illum, qui erat in parte septentrionali. In medio hoc pariete magna patebat janua, cujus descriptionem videbimus ✠. 31. Hoc opus iisdem condecoratum erat ornamentis, ac Sanctum, & Sanctuarium; contectum erat cedro, & auro undequaque.

ET FECIT INTERIOREM DOMUM ORACULI IN SANCTUM SANCTORUM.] Spatium, quod a mediano pariete, & posteriorem Templi partem vacuum interjacebat, destinatum fuit parti illi, quæ Oraculum, Sanctuarium, vel Sanctum Sanctorum vocatur. Locus hic sacratior est, augustior, atque penitior in Templo, ubi posita fuit Arca fœderis, quo nemini fas erat ingredi, nisi Summo Sacerdoti, atque huic etiam semel in anno dumtaxat.

B ✠. 17. PORRO QUADRAGINTA CUBITORUM ERAT IPSUM TEMPLUM PRO FORIBUS ORACULI.] Sanctum, vel ea pars Templi, quæ erat ante Sanctuarium, quadraginta habebat cubitos in longitudinem, in latitudinem vero viginti, videlicet longitudinem pedum sexaginta octo cum unciis quatuor, latitudinem vero quatuor & triginta pedum, ac unciarum duarum. *Sanctum a Sanctuario*, vel *Oraculo* dividebatur a mediano pariete, de quo modo locuti sumus.

✠. 18. HABENS TORNATURAS, ET JUNCTURAS SUAS FABREFACTAS, & CÆLATURAS EMINENTES.] Hebraicus textus ita verti potest [8] : *reticula ornata cucurbitis*, vel pomis, *& floribus expansis*. Tabulata, & lacunar totius ædificii in quadrata, vel rhomboa distributa erant. Ad litteram, *veluti maculas*, & *plagas* retis; atque in his quadratis, vel maculis poma

C colocynthidis anaglyptico opere cælata aderant, atque alternis aperti, expansique flores. Hæc totum Sanctuarium intrinsecus contegebant, ita ut, nusquam paries videretur.

✠. 19. ORACULUM AUTEM IN MEDIO DOMUS.] Non autem in medio geometrice sumpto; sed in interiori, ac penitiori Templi parte. Oraculum, vel Sanctuarium maxime intimum erat, ut vidimus Vers. 16.

✠. 20. ORACULUM HABEBAT VIGINTI CUBITOS . . . ALTITUDINIS.] Nam decem cubiti ab interiori Templi altitudine abscissi fuerant tectum inter, & lacunar. Vide ✠. 10.

OPERUIT ILLUD AURO PURISSIMO.] Auro contexit tabulas cedrinas, quibus parietes erant circum-

D vestiti, atque coronides omnes, nec non anaglyptica opera, de quibus locuti sumus ✠. 18. Itaque aurum hoc ductum fuerat in complicatiles laminas, in ligni formam redactas, cui adnectebatur. Hebraicus textus habet [9] : *Operuit illud auro clauso*, auro pretioso, quod clausum diligenter servatur; vel auro, quod David multo ante servarat in Templi opificium. 1. Par. 28. 14. & 2. Par. 3. 6.

SED ET ALTARE VESTIVIT CEDRO.] Altare profecto lapideum præparatum fuerat, ut ibi Arca Fœderis collocaretur. Salomon hoc cedro circumdedit, eamque auro purissimo, uti reliquum Sanctuarium, convestivit. Hoc Altare liquido duabus de causis probatur fuisse ab Altari thymiamatis distinctum: 1. quia Altare thymiamatis erat in Sancto, hoc vero in

E Sanctuario: 2. Si hujus libri Auctor loqui vellet de simplici ligneo Altari laminis aureis obducto, diceretne, *sed & altare vestivit cedro*; & ✠. 22. *sed & totum Altare Oraculi texit auro*?

✠. 21. DOMUM QUOQUE ANTE ORACULUM OPERUIT AURO PURISSIMO, & AFFIXIT LAMINAS CLAVIS AUREIS.] Hæc omnia satis perspicua sunt, si explicentur de Sancto, quod erat ante Sanctuarium, & cujus tabulata, & lacunar, æque ac Sanctuarium erant

1 ויבן את היציע על כל הבית חמש אמות קומתו
2 ויאחז את הבית בעצי ארזים
3 Vide supra c. 5. vers. 8.
4 2. Par. 3. 6. ויצף את הבית אבן יקרה לתפארת
5 3. Reg. 5. 17. *Præcepit ut tollerent lapides, grandes, lapides pretiosos in fundamentum Templi*.
6 Vide vers. 30. & 2. Par. 3. 5.
7 ויבן את עשרים אמה מירכתות הבית
8 מקלעת פקעים ופטורי ציצים הכל ארז
9 זהב סגור Vide etiam infra c. 7. 49. & 10. 21.

rant circumvestita. At Hebraicus Textus difficultate non caret [1]: *Salomon operuit Templum, interius auro clauso, & traduxit catenas, vel vectes aureos ante Sanctuarium, & obduxit illos auro*. Videtur Auctor hic de mediano pariete, qui Sanctum a Sanctuario sejungebat, luqui. Omnis hic paries auro vestitus fuit, æque ac circuitus omnis Sanctuarii; & fecit Salomon catenas aureas ad claudendas valvas, de quibus sermo erit ℣. 31. & 32. Olim pro seris vectes quidam adhibebantur, qui vel catenulis, vel funibus alligabantur [2]. In id opus planu destinabat Salomon catenas, vel vectes aureos, de quibus hic sermo.

℣. 23. FECIT IN ORACULO DUOS CHERUBIM DE LIGNIS OLIVARUM.] Hebraice: *de lignis olecsis* [3], vel resinaceis, veluti pinus est [4], & cyparissus [5]. B Olivarum lignum, vel rami palam distinguuntur *a lignis olcosis* 2. libro Esdræ [6]. Quosd Cherubim [7] sententiam nostram alibi protulimus. Eorum figura neque certa erat, neque uniformis. Ii Cherubim, de quibus hic agitur, longe alii erant a duobus illis Cherubim ex auro cuso, quos Moyses Arcæ Fœderis superposuerat, vel capsulæ, quæ Tabulas Legis servabat. Duo Salomonis Cherubim *positi erant in medio Templi* interioris, qui alis expansis totam metiebantur latitudinem, cum quilibet ab unius alæ extremitate ad alterius alteram, decem cubitos occuparet. At altitudinis Sanctuarii nonnisi dimidium occupabant; namque decem cubitorum tantummodo altitudine præstabant, hoc est septendecim pedum Regalium, cum una uncia. C

℣. 27. POSUIT CHERUBIM IN MEDIO TEMPLI INTERIORIS.] Posuit illos in Sanctuario medios in latitudine, ac longitudine illius, ita ut alis espansis, & Arcam, & parvos Cherubim Moysis obtegerent.

℣. 29. SCULPSIT VARIIS CÆLATURIS EX TORNO, & FECIT IN EIS CHERUBIM, & PALMAS, & PICTURAS VARIAS QUASI PROMINENTES DE PARIETE, & EGREDIENTES.] Præter duos Cherubim, quorum descriptionem superioribus versiculis legimus, alii quoque aderant in Sanctuario. Ezechiel 41. 17. 18. 19. interiorem templi partem describens, alternis vicibus palmam, inde Cherubim, & sic deinceps constituit. Itaque Templum undique per circuitum exornatum erat palmarum figuris, vel etiam columnis in palmarum speciem elaboratis, atque Cherubim D subinde in quadam inter se distantia dispositis; qui Cherubim, uti eos Ezechiel 41. 18. 19. describit, duas præseferebant facies, alteram quidem hominis, Leonis alteram; utramque vero hinc inde palmam spectantem. Hebraicus porro Textus hæc ad litteram habet [8]: *Omnes Templi parietes erant undequaque vestibus circumdati, cælaturis, & corniicibus, Cherubim, & palmis, floribusque gemmantibus*, vel espansis, *intrinsecus, & extrinsecus*; hoc est tum intra Sanctuarium, cum in Sancto. Quoad palmas autem haud abs re hic fuerit adnotare, Ægyptios in Ædificiis suis quasdam columnas in palmarum speciem adhibuisse. Herodotus harum quarumdam meminit l. 2. c. 169. Villalpandus tom. 2. l. 5. c. 5. ascendendum curavit epystilium marmoreum, quod Romæ extat, in quo folia quædam pal- E marum videntur, quæ sola totius epystilii sunt ornamentum. Hæc autem immediate ex columnæ stipite exsistunt sine annulis, aliisque ornatibus, qui in Architecturæ Græcis ordinibus inter epystilii cælaturas, & columnæ truncum intersunt. Quæ omnia adamussim respondent iis, quæ in ornamentis tabulæ Isidis observamus, & quæ scripsit Athenæus l. 5. c. 9. quem ad Exod. 26. 32. attulimus. Hæ igitur palmæ, de quibus isthic sermo est, nihil aliud fuisse videntur, quam columnæ, quarum superior pars palmarum foliis erat decorata ferme in morem Corinthii perystilii, quod helicibus, frondibusque condecorarur. In 2. Paralipom. 3. 5. memorantur autem catenæ se invicem complectentes, quæ Sanctuarium exornabant, non secus, ac duas columnas, quæ in Templi aditu erant positæ: *Sculpsitque in ea palmas, & quasi catenulas se invicem complectentes*. Vide pariter ℣. 26. ejusdem capitis.

℣. 30. SED ET PAVIMENTUM DOMUS TEXIT AURO INTRINSECUS, & EXTRINSECUS.] Scilicet tam intra Sanctuarium, quam intra Sanctum. Hæ duæ partes æque exornatæ erant, & auro undequaqu circumvestitæ.

℣. 31. FECIT OSTIOLA DE LIGNIS OLIVARUM, POSTESQUE ANGULORUM QUINQUE.] Hæc est descriptio januarum, qua de Sancto in Sanctuarium aditus erat. Hæ vero ex lignis olivarum, vel alio quopiam oleoso ligno, & resinaceo [9] erant compactæ, & singuli postes ex quinque partibus erant compositi, quarum quæque unius plane cubiti altitudinem habebat; ita ut ostium decem haberet latitudinis cubitos, & dimidium longitudinis mediani parietis occuparet, de quo supra ℣. 26. sermo fuit. Janua vero Sancti non adeo patebat, nam portæ ex octo oleaginis tabulis erant compactæ; quarum singulas cubiti unius latitudinem habuisse putamus. Verum fatendum est mensuras has incertas esse, atque majorem adhuc obrepere suspicandi causam, quod Ezechiel 41. 2. 3. decem cubitos tribuit Ostio Sancti, Sanctuarii vero sex. Hæ januæ duplices erant, quemadmodum patebit ℣. 34. coronis, & cælaturis, Cherubim, & Palmarum figuris ornatæ, omniaque auro obducta, quemadmodum reliqua omnia in Sancto, & Sanctuario. Vide ℣. 31.

Textus ad litteram simpliciter habet [10]: *Fecitque in aditu Sanctuarii portas e pingui ligno, limen superius ostii, & stipites, quintum*, vel partis quintæ, perinde ac innueret latitudinem, atque altitudinem hujus ostii fuisse quintam partem totius extensionis muri mediani, quo in sensu porta ad quatuor cubitos esset redigenda; paries enim viginti pedum solummodo habebat longitudinem.

Versiculus 33. qui de Sancti ostiis loquitur, nihil minus obscurius est [11]: *Fecit in aditu templi postes*, vel stipites, *ex lignis oleaginis quartæ partis*. Locus ust præ aliis hujus capitis majoribus tenebris involutus; nam minime liquet ad quid quarta hæc, vel quinta pars referatur. Signare potest mensuram altitudinis, vel latitudinis ostii, vel potius figuram, & formam illius. Qui posteriori huic sensui adhærent, contendunt Sanctuarii januam pentagonam fuisse, Sancti vero quadratum. Ezechiel 41. 21. ait, ostium Sanctuarii quadratum fuisse; scilicet illud fuisse quemadmodum vulgo fieri consueverunt, quadrata oblongiora secundum altitudinem. Certum est Authographi vocem *Rebiit*, nonnumquam quadrata significare; cur autem & *Chamischit* pentagonum significatu non posset?

℣. 32. SCULPSIT IN EIS PICTURAM CHERUBIM, ET PALMARUM SPECIES, ET ANAGLYPHA VALDE PROMINENTIA.] Hebraice legimus simpliciter [12]: fecit in ostiis *sculptiles Cherubim*, vel admodum prominentes, *& palmas, & flores expansos*, eaque omnia

auro

---

1 ויצף שלמה את הבית הפנימה זהב סגור ויעבר ברתיקות זהב לפני הדביר ויצפהו זהב
2 Vide nostram dissertationem de ædibus Veterum Hebræorum. 4 עצי שמן
4 Vatab. *Lignis pineis*. 5 Castal. *Cypressinis*. Ita & Interpres quidam Græc. in nov. edit. Hexapl.
6 2. Esdr. 8. 15. עלי זית ועלי עץ שמן 7 Genes. 3. 24. & Exod. 25. 18.
8 וכל קירות הבית מסב קלע פתוחי מקלעות כרובים ותמרות ופטורי ציצים מלפנים ולחיצון
9 Vide supra vers. 23. 10 ואת פתח הדביר עשה דלתות עצי שמן האיל מזוזות חמישית Φλιάς πενταπλᾶς. *Posts quentuplia*. 11 ועשה לפתח ההיכל מזוזות עצי שמן מאת רביעית
12 וקלע עליהם מקלעות כרובים ותמרות ופטורי ציצים

CAPUT VII.

Descriptio ædium Salomonis, cui nomen Saltus Libani, & ædium Filiæ Pharaonis. Hiram peritus opifex, Tyro accersitus, columnas æreas, æneum mare, & decem bases ad sustinendos decem luteres æreos conficit. Vasa, & alia Templi supellex aurea.

1. DOmum autem suam ædificavit Salomon tredecim annis, & ad perfectum usque
perduxit. 2 Ædificavit quoque domum saltus Libani centum cubitorum
longitudinis, & quinquaginta cubitorum latitudinis, & triginta cubitorum
altitudinis: & quatuor deambulacra inter columnas cedrinas: ligna quippe cedrina ex-
ciderat in columnas. 3 Et tabulatis cedrinis vestivit totam cameram, quæ quadra-
ginta quinque columnis sustentabatur. Unus autem ordo habebat columnas quinde-
cim 4 Contra se invicem positas, 5 Et e regione se respicientes, æquali spatio
inter columnas, & super columnas quadrangulata ligna in cunctis æqualia. 6 Et por-
ticum columnarum fecit quinquaginta cubitorum longitudinis, & triginta cubitorum
latitudinis: & alteram porticum in facie majoris porticus, & columnas, & epysti-
lia super columnas. 7 Porticum quoque solii, in qua tribunal est, fecit: & texit
lignis cedrinis a pavimento usque ad summitatem. 8 Et domuncula, in qua sedeba-
tur ad judicandum, erat in media porticu, simili opere. Domum quoque fecit filiæ
Pharaonis (quam uxorem duxerat Salomon) tali opere, quali & hanc porticum.
9 Omnia lapidibus pretiosis, qui ad normam quamdam, atque mensuram tam intrin-
secus quam extrinsecus serrati erant: a fundamentis usque ad summitatem parietum,
& extrinsecus usque ad atrium majus. 10 Fundamenta autem de lapidibus pretiosis,
lapidibus magnis decem sive octo cubitorum. 11 Et desuper lapides pretiosi æqualis
mensuræ secti erant, similiterque de cedro. 12 Et atrium majus rotundum, trium
ordinum de lapidibus sectis, & unius ordinis de dolata cedro: necnon & in atrio
domus Domini interiori, & in porticu domus. 13 Misit quoque rex Salomon, &
tulit Hiram de Tyro, 14 Filium mulieris viduæ de tribu Nephtali, patre Tyrio,
artificem ærarium, & plenum sapientia, & intelligentia, & doctrina ad faciendum o-
mne opus ex ære. Qui cum venisset ad regem Salomonem, fecit omne opus ejus.
15 Et finxit duas columnas æreas, decem, & octo cubitorum altitudinis columnam
unam, & linea duodecim cubitorum ambiebat columnam utramque. 16 Duo quo-
que capitella fecit, quæ ponerentur super capita columnarum, fusilia ex ære: quin-
que cubitorum altitudinis capitellum unum, & quinque cubitorum altitudinis capi-
tellum alterum. 17 Et quasi in modum retis, & catenarum sibi invicem miro opere
contextarum. Utrumque capitellum columnarum fusile erat: septena versuum retiacula
in capitello uno, & septena retiacula in capitello altero. 18 Et perfecit columnas,
& duos ordines per circuitum retiaculorum singulorum, ut tegerent capitella, quæ e-
rant super summitatem melogranorum: eodem modo fecit & capitello secundo. 19
Capitella autem, quæ erant super capita columnarum, quasi opere lilii fabricata e-
rant in porticu quatuor cubitorum. 20 Et rursum alia capitella in summitate colu-
mnarum desuper juxta mensuram columnæ contra retiacula: melogranatorum autem
ducenti ordines erant in circuitu capitelli secundi. 21 Et statuit duas columnas in porti-
cu templi: cumque statuisset columnam dexteram, vocavit eam nomine Jachin: si-
militer erexit columnam secundam, & vocavit nomen ejus Booz. 22 Et super ca-
pita columnarum opus in modum lilii posuit: perfectumque est opus columnarum. 23
Fecit quoque mare fusile decem cubitorum a labio usque ad labium, rotundum in cir-
citu: quinque cubitorum altitudo ejus, & resticula triginta cubitorum cingebat illud
per circuitum. 24 Et sculptura subter labium circuibat illud decem cubitis ambiens
mare; duo ordines sculpturarum striatarum erant fusiles. 25 Et stabat super duode-
decim boves, e quibus tres respiciebant ad Aquilonem, & tres ad Occidentem, &

tres

tres ad Meridiem, & tres ad Orientem, & mare super eos desuper erat: quorum poste-
riora universa intrinsecus latirabant. 26 Grossitudo autem luteris, trium unciarum
erat: labiumque ejus, quasi labium calicis, & folium repandi lilii: duo millia bathos
capiebat. 27 Et fecit decem bases æneas, quatuor cubitorum longitudinis bases
singulas, & quatuor cubitorum latitudinis, & trium cubitorum altitudinis. 28 Et
ipsum opus basium, interrasile erat: & sculpturæ inter juncturas. 29 Et inter co-
ronulas, & plectas, leones, & boves, & cherubim: & in juncturis similiter desu-
per, & subter leones, & boves, quasi lora ex ære dependentia. 30 Et quatuor
rotæ per bases singulas, & axes ærei, & per quatuor partes quasi humeruli sub-
ter luterem fusiles, contra se invicem respectantes. 31 Os quoque luteris intrinse-
cus erat in capitis summitate: & quod forinsecus apparebat, unius cubiti erat to-
tum rotundum, pariterque habebat unum cubitum, & dimidium: in angulis autem
columnarum variæ cælaturæ erant: & media intercolumnia, quadrata non rotunda.
32 Quatuor quoque rotæ, quæ per quatuor angulos basis erant, cohærebant sibi
subter basim: una rota habebat altitudinis cubitum & semis. 33 Tales autem rotæ
erant, quales solent in curru fieri: & axes earum, & radii, & cathi, & modio-
li, omnia fusilia. 34 Nam & humeruli illi quatuor per singulos angulos basis unius,
ex ipsa basi fusiles, & conjuncti erant. 35 In summitate autem basis erat quædam ro-
tunditas dimidii cubiti, ita fabrefacta, ut luter desuper posset imponi, habens cæla-
turas suas: variasque sculpturas ex semetipsa. 36 Sculpsit quoque in tabulatis illis,
quæ erant ex ære, & in angulis, cherubim, & leones, & palmas, quasi in simili-
tudinem hominis stantis, ut non cælata, sed apposita per circuitum viderentur. 37
In hunc modum fecit decem bases, fusura una, & mensura, sculpturaque consimi-
li. 38 Fecit quoque decem luteres æneos, quadraginta bathos capiebat luter unus,
eratque quatuor cubitorum: singulos quoque luteres per singulas, idest, decem ba-
ses posuit. 39 Et constituit decem bases, quinque ad dexteram partem templi, &
quinque ad sinistram: mare autem posuit ad dexteram partem templi contra Orien-
tem ad Meridiem. 40 Fecit ergo Hiram lebetes, & scutras, & hamulas, & per-
fecit omne opus regis Salomonis in templo Domini. 41 Columnas duas, & funi-
culos capitellorum super capitella columnarum duos: & retiacula duo, ut operirent
duos funiculos, qui erant super capita columnarum. 42 Et malogranata quadrin-
genta in duobus retiaculis: duos versus malogranarorum in retiaculis singulis, ad
operiendos funiculos capitellorum, qui erant super capita columnarum. 43 Et ba-
ses decem, & luteres decem super bases. 44 Et mare unum, & boves duodecim
subter mare. 45 Et lebetes, & scutras, & hamulas, omnia vasa, quæ fecit Hi-
ram regi Salomoni in domo domini, de auricalco erant. 46 In campestri regione
Jordanis fudit ea rex in argillosa terra, inter Sochot, & Sartham. 47 Et posuit Salo-
mon omnia vasa: propter multitudinem autem nimiam non erat pondus æris. 48 Fecitque
Salomon omnia vasa in domo Domini: altare aureum, & mensam, super quam poneren-
tur panes propositionis, auream: 49 Et candelabra aurea, quinque ad dexteram,
& quinque ad sinistram contra oraculum, ex auro puro: & quasi lilii flores, &
lucernas desuper aureas, & forcipes aureos. 50 Et hydrias, & fuscinulas, & phia-
las, & mortariola, & thuribula, de auro purissimo, & cardines ostiorum domus
interioris Sancti sanctorum, & ostiorum domus templi, ex auro erant. 51 Et per-
fecit omne opus, quod faciebat Salomon in domo Domini, & intulit, quæ sancti-
ficaverat David pater suus, argentum, & aurum, & vasa, reposuitque in thesauris
domus Domini.

℣. 1. DOMUM SUAM ÆDIFICAVIT SALOMON A TREDECIM ANNIS.] Pressius loquendo, duodecim tantum annos cum dimidio insumpsit: sed Scriptura humano loquitur modo, & minorem numerum negligit, ut rotundum adferat. Horum tredecim annorum spatio Salomon ædificavit quoque ædes Reginæ uxoris suæ, Pharaonis filiæ, prope domum, quæ vocatur *Saltus Libani*, & alia quædam ædificia, quæ ad eam spectabant.

℣. 2. DOMUM SALTUS LIBANI.] Hoc illi nomen inditum, vel propter maximam vim columnarum e cedro de monte Libano educta, vel quod, nemore stipitum, & umbrarum, veluti Libanus mons, esset circumsepta. Hoc autem nequaquam aliud erat palatium ab eo, cujus meminit ℣. 5. erat autem in Jerusalem [1], & ad Templi occiduam partem. Chaldæus credidit has fuisse voluptuarias ædes ad id extructas, ut dum æstus magis ferveret, illuc ad fri-
gus

1. Isai. 22. 8. Ita & Vatab. Munst. Sanct. Tirin. & alii passim.

gus captandum secederetur. Salomon plerumque in his ædibus morabatur, ibique trecentos collocavit clypeos aureos, quos fecerat [1]. Omnis supellex, qua hac in domo utebatur, erat aurea.

CENTUM CUBITORUM LONGITUDINIS.] Quinquaginta latitudinis, & triginta altitudinis. Hoc erat ingens ædificium, cujus longitudo erat pedum centum, & septuaginta cum unciis decem, latitudo vero pedum octoginta quinque cum quincunce, & altitudo pedum quinquaginta cum quadrante; quatuor columnarum ordinibus suffultum, vel potius triplici columnarum ordini, atque pilarum uni, qui tres efficiebant porticus tectas ante conclavia. Quilibet ordo erat columnarum quindecim, ac tres simul quinque & quadraginta columnas habebant, quod hoc & sequentibus duobus versiculis refertur. Ædibus his duæ utrinque adnexæ erant alæ, quæ iisdem, ac ædes, ornamentis erant condecoratæ.

QUATUOR DEAMBULACRA INTER COLUMNAS CEDRINAS; LIGNA QUIPPE CEDRINA EXCIDERAT IN COLUMNAS.] Hebraice [2]: *Domus innitebatur quatuor ordinibus columnarum e cedro, atque super columnas erant ligna e cedro cæsa*. Quamvis quatuor adessent columnarum ordines, tamen inter has columnas tres tantum erant deambulationes, nam unus pilarum ordo positus erat e regione parietis conclavium. Laquearia, quæ ab una ad alteram columnam posita erant, non secus ac columnæ erant e cedro cæsa, & elaborata. Sin autem quatuor columnarum ordines seorsim positarum fuisse dixeris, aliqua aderit oppositio inter locum hunc, & versiculos tertium, & quartum, qui ajunt quadraginta quinque solum columnas fuisse, vel tres pilarum ordines, quorum singuli quindecim columnas habebant.

℣. ℣. 4. 5. CONTRA SE INVICEM POSITAS, ET E REGIONE SE RESPICIENTES.] Author Vulgatæ aliquid omisit; en autem ℣. 4. & 5. juxta Hebraicam lectionem [3]: *fecitque tres fenestrarum ordines sibi ex e regione respondentes, Ostia quæcumque, & stipites, æque ac fenestræ quadratam formam referebant. Fenestræ autem contra fenestras erant positæ sibi invicem a conspectu*. Palatium hoc tres habebat cubiculorum, vel conclavium contignationes; at porticus, quæ ante hæc conclavia circumquaque ambiebant, ædificii totius altitudinem æquabant, quin uspiam intermitterentur; tres contignationes extrinsecus non videbantur, nisi per triplicem fenestrarum parallelarum ordinem, quæ sibi e regione, & alia super aliam respondebant; atque ab una ad aliam contignationem per interiores scalas patebat adscensus, & *omnes januæ quadratæ erant*, inquit Sacer Author. Veteres ostia quævis quadrata forma eo in sensu, quem alibi docuimus, extruebant, exceptis tamen majoribus civitatum ostiis, triumphalibus fornicibus, aliisque publicis locis.

℣. 6. ET PORTICUM COLUMNARUM FECIT . . . ET ALTERAM PORTICUM IN FACIE MAJORIS PORTICUS.] Etiam versiculo septimo sermo est de porticu, ubi thronus erat, vel tribunal: *Porticus solii*. His positis, tres fuissent porticus, vel tria atria porticibus septa. At duas tantum Hebraicus textus memorat [4]: *Et fecit porticum columnarum . . . . & porticum ante illas, & columnas, & laquearia ante illas. Fecit quoque porticum solii*.

Ante magnum ædium corpus, de quo locuti sumus, & prope porticum, atque columnas, quibus suffulciebatur, ædificavit Salomon atrium, vel aream quinquaginta cubitorum longitudine, latitudine vero triginta, quæ ipsa quoque columnis, porticibus, & conclavibus erat circumdata, ita ut columnæ, & porticus, laquearia, & cætera ornamenta essent e regione, & conspectu eorum magnæ porticus. Atrium solii easdem dimensiones habebat, eodemque Architecturæ ordine erat fabrefactum.

℣. 7. PORTICUM SOLII, IN QUA TRIBUNAL EST.] Veteres Orientis Reges per se jus dicebant, atque illud plerumque prope ædium suarum portam. Huc vero conveniebant populi, ut decreta, & mandata Regum exciperent; unde contigit, ut ad hanc quoque diem Othomani Imperatoris palatium *Porta* appelletur.

℣. 8. DOMUNCULA, IN QUA SEDEBATUR AD JUDICANDUM, ERAT IN MEDIA PORTICU, SIMILI OPERE.] Regium tribunal ædiculæ formam referebat satis elatum, atque post tergum, & in utrumque latus clausum; ita ne ibi tuto sederet Rex. Hæc erat forma solii apud veteres Latinos Reges, uti Servius animadvertit in Æneid. 7. hæc verba; *Solio medius consedit avito: Solium est veluti armarium de uno ligno ad Regum tutelam factum*. Solium hoc Salomonis erat lapideum, sed cedro obductum, quæ cedrus ebore, & auro quibusdam locis interspersso erat operta. Ea videnda sunt, quæ inferius de eburneo Salomonis throno dicentur cap. 10. ℣. 18. 19. Recentior quidam viator vetustissimi cujusdam throni edidit descriptionem, qui sane olim Idoli cujusdam fuerat sacellum. Quatuor autem immanibus lapidibus constat, quorum duo latera efficiunt, tertius vero posteriorem, quartus denique superiorem partem in cubi similitudinem construunt [5]. Hebraice habemus [6]: *Domuncula, in qua sedebat, erat veluti alterum atrium intra vestibulum, & erat eodem opere elaborata, ac reliqua*. Videlicet locus, ubi Tribunal positum erat, speciem referebat atrii sejuncti, & distincti a magno ædium atrio; Reservarat locum intra atrium majus, qui haberi poterat veluti parvulum atrium. Vel hic sensus textui tribui potest: *Fecit aliud atrium intra ædes, ubi morabatur, penitus simile operi, quod hactenus descriptum est*. Poterat hoc esse atrium interius, ac in posteriori Regiæ domus parte [7]. At præstat Vulgatam sequi. Idea, quam isthic nobis Scriptura tradit de Palatio Salomonis, haud multum abludit ab iis, quæ tum Historici veteres, cum viatores recentes de Regum Orientis ædibus referunt. Nihil enim aliud sunt, quam magnum aliquod ædificium duobus, vel tribus atriis adnexis, quæ columnis, atque porticibus circumsepiuntur. In atriis autem, quæ ante ædes patent, milites in alas dispositi sub porticibus adstant; per ea, quæ vero intrinsecus recedunt, aditus patet ad alias ædium partes, præsertim vero ad mulierum conclavia, quæ penitiora sunt, ac penitus exteris invia.

DOMUM QUOQUE FECIT FILIÆ PHARAONIS.] Ubique in Oriente mulierum sedes sejunctæ erant, & procul a virorum ædibus, Sara, Rebecca, Rachel, & Lia [8] tabernacula sua habebant a tentoriis Abrahæ, Isaac, & Jacob seposita. Esther suum conclave seorsim habebat [9], atque seorsim cum ancillis Assueri vescebatur. Herodias nequaquam in eodem triclinio, ac Herodes Rex mensæ accumbebat [10], quæ consuetudo ad hanc quoque diem observatur. Salomon

1 3. Reg. 10. 17. Vide & vers. 18.
2 על ארבעה טורי עמודי ארזים וכרתות ארזים על העמודים
3 ושקפים שלשה טורים ומחזה אל מחזה שלש פעמים וכל הפתחים והמזוזות רבעים שקף ומול מחזה אל מחזה שלש פעמים
4 ואת אולם העמודים עשה . . . . ואולם על פניהם ועמודים ועב על פניהם ואולם הכסא
5 Maundrel. Voyage de Jerusal. p. 3.
6 וביתו אשר ישב שם חצר האחרת מבית לאולם כמעשה הזה היה
7 וביתו אשר ישב שם חצר האחרת מבית לאולם כמעשה הזה
8 Vide Gen. 24. & 31. 9 Esth. 2. 11. 12.
10 Matth. 14. 8. & Marc. 6. 23. 24.

non primum quidem Pharaonis filiæ ædes tribuit in civitate David; non vero magnificum illi palatium extruxit a Regiis ædibus non procul; cujus opus simile erat omnino illi, quod hactenus descriptum est. Parietes cedrinis tabulis erant circumvestiti, & quoscumque pulcherrimos lapides comparare potuis, in hoc ædificium impendit.

℣. 9. EXTRINSECUS USQUE AD ATRIUM MAJUS.] Hebraice [2]: *ab exteriori parte usque ad atrium majus*. Atrium majus est prima area, quæ circumquaque porticibus, vel peristyliis erat circumdata, cujus descriptionem ℣. 2. 3. 5. 6. fuimus intuiti. Ædificii hujus parietes tam intra conclavia, quam extrinsecus, qua spectabant areas; vel tam exterius atrium, quam interius, æque optima structura erant ædificata. Nulli enim sumptui pepercit Salomon, ut maxima esset illius species, atque firmitas.

℣. 10. DECEM, SIVE OCTO CUBITORUM.] Alia quidem decem, alia vero octo cubitorum longitudinem habentia, hoc est pedum quatuordecim, vel duodeviginti, eam autem crassitiem ipsorum magnitudini congruam. Tunc temporis in ædificiis nihil erat antiquius, quam ingentes adhibere lapides, optime lævigatos, ac scite inter se connexos, & quæ supersunt ex Ægyptiorum, Græcorum etiam, & Romanorum vetustissimis molibus reliquiæ, hoc veterum studium satis probant. Immanis magnitudinis lapides multo cum labore, atque arte in opus redacti, adhuc conspiciuntur; quod sane tecti illorum judicii perspicuum extat argumentum. Ad id enim ædificas, ut commoda habites, parumque firmarum ædium sumptus evitare debes, ne subinde manum admovere, easque instaurare tenearis. Tibi enim, posterisque tuis ædificia struere debes.

℣. 12. ET ATRIUM MAJUS ROTUNDUM, TRIUM ORDINUM DE LAPIDIBUS SECTIS, ET UNIUS ORDINIS DE DOLATA CEDRO.] ℣. 9. adnotavimus, quid *Atrium majus* significaret, uti quoque ℣. 36. capitis superioris, quid sibi vellent hæc verba: *tres ordines lapidum politorum, & unus ordo lignorum cedri*; modo superest, ut videamus, quomodo Atrium majus rotundum esset. Observatur antiquitus plateas publicas circularis formæ fuisse [a]. Homerus eas *sacratum orbem* appellat; neque aliter ab aliis priscis auctoribus nuncupantur. Re quidem vera nequaquam impossibile est, quatuor ædificii alas, porticibus circumseptas perfectum orbem referre potuisse, vel ellipsim, vel hemicyclum, media in longitudine se flectentes. Atrium sane magis speciosum fuisset, & magis amplum. Verum non isthic agitur, ut quod pulchrius, sed quod verius inquiratur, & ex authographo textu atrium hoc simpliciter per omne latus peristyliis circumdatum fuisse videtur. Hoc sane innuere Vulgata voluit, cum ipsum rotundum fuisse dixit. Ecce autem Textum ad litteram [3]: *& atrium majus circumundique habebat triplicem sectorum lapidum ordinem, unum vero cedri dolatæ*. Videlicet Atrium hoc ex quatuor ipsius lateribus circumseptum erat conclavibus, & porticibus, quarum parietes hoc pacto erant extructi, ut priores tres ordines e sectis lapidibus essent compacti, quartus vero ex tabulis cedrinis; & sic deinceps usque ad ædium cacumen. Eadem ratione parietes fuerant ædificati in Atrio Sacerdotum in Templo, ac in Templi vestibulo. Tabulæ cedrinæ subinde lapidum ordinibus interpositæ fuerunt.

℣. 14. HIRAM FILIUM MULIERIS VIDUÆ DE TRIBU NEPHTALI, PATRE TYRIO.] In 2. Paralipom. u. 14. hic opifex, cui nomen Hiram, dicitur fuisse *pater*, videlicet Dominus Regis, vel caput alicujus societatis artificum, quæ ad Regem spectabat; ac fuisse *filius mulieris de filiabus Dan, cujus pater fuit Tyrius*. Duplex isthic difficultas occurrit: prior quidem, quomodo hæc mulier esse posset simul e tribubus & Dan, & Nephtali: altera vero, quomodonam Israelita mulier Tyrio, ac Idololatræ nupserit? Quoad postremum hoc, cum de facto agatur, quod certum videtur, quid illi objici possit, non video. Mihi persuasum est hæc conjugia vetita fuisse [4], quæcumque dicat Grotius in u. Paralipomenon u. 14. qui putat Israelitarum mulierum nuptias cum alienigenis minime prohiberi, dummodo Religionis libertus minime iis adimatur. At inauditumne antehac est, Hebræos a legibus suis defecisse? Quoad priorem vero objectionem, multifariam responderi potest. Nonnulli [5] putant, Regem Tyri lapsum fuisse, dicendo, matrem Hiram fuisse e tribu Dan, cujus originem ignorabat. Fides autem potius Historico Sacro, quam externo Regi est habenda. Alii [6] censent, mulierem hanc originem duxisse quidem e tribu Nephtali, sed migrasse deinde in tribum Dan propter priorem virum, cui ex tribu eadem nupserat; vel etiam propter virum, cui tunc nupta erat, qui Tyrius vocabatur, eo quod in urbem Tyri recesserat, ibique permanserat, licet ab Israelitarum Religione numquam recessisset. Denique non desunt [7], qui credant, mulierem hanc originem e tribu Nephtali, nativitatem vero in urbe *Dan* duxisse. At verba Regis Tyrii solutionem hanc videntur evertere *filium mulieris de filiabus Dan*.

℣. 15. DECEM, ET OCTO CUBITORUM ALTITUDINIS COLUMNAM UNAM.] In Paralipomenis scriptum est [8] duas hasce columnas habuisse triginta, & quinque cubitos altitudinis; quod indicio est, isthic *decem & octo* pro septemdecim cum semisse positum fuisse, nulla fractorum numerorum, quod satis vulgatum est [9], habita ratione [10]. Alii putant, duas columnas re ipsa habuisse tantum triginta, & quinque cubitos altitudinis, præter *plinthum*, vel columnæ basim, quæ solida erat, & cubiti unius altitudine [11]. Hoc autem certum est, Jeremiam duabus hisce columnis altitudinem duodeviginti cubitorum tribuere cap. 52. 21. æque ac isthic refertur. Erant autem intus vacuæ, & crassities earum erat quatuor digitorum, Propheta eodem teste.

LINEA DUODECIM CUBITORUM AMBIEBAT COLUMNAM UTRAMQUE.] Singularum columnarum ambitus erat duodecim cubitorum, ideoque quatuor circiter cubitorum erat diameter illarum. Parvam sane animadvertimus proportionem inter columnarum harum crassitiem, & altitudinem, verum duo sunt consideranda. Primum quidem hos duodeviginti altitudinis cubitos nec basim, nec epistylia columnarum comprehendere, quæ ipsa non mediocris erant altitudinis, cum epistylium solum quinque cubitis exsurgeret. Alterum vero columnarum, & generatim totius architecturæ Templi Salomonici dimensiones, nequaquam ad Græcorum, vel Romanorum, quorum Salomon nec ingenium, nec præcepta noscere potuit, lucernam esse æstimandas. Si enim quasdam architectonicæ artis regulas secutus est, eas ab Ægyptiis potius, quam ab ullo quopiam didicisse crediderim. Hierosolymitani templi forma non longe abfuisse paret ab Ægyptiorum Templis, palam enim ratio quædam ad-

2 ומחוץ עד החצר הגדלה u Casaub. in Theoph. Charact. cap. de Adulatione.
3 והצר הגדלה סביב שלשה טורים גזית וטור כרתת ארזים
4 Exod. 34. 16. & Deut. 7. 3. *Neque sociabis cum eis conjugia. Filiam tuam non dabis filio ejus, nec filiam ejus accipies filio tuo.* 5 Sanct. hic. 6 Grot. Cornel. Mar.
7 Menoch. 8 2. Par. 3. 15. *Duas columnas, quæ triginta, & quinque cubitos habebant altitudinis.*
9 Supra 3. Reg. 6. 38. & 2. Reg. 5. 5. & Judic. 20. 46.
10 Vat. Grot. Sanct.
11 Jon. Pisc. Cornel.





Columnæ Iachin et Booz

E Veterum Sententia — *juxta Auctoris mentem*

5. Cubiti

4. Cubiti

16. Cubiti

4. Cubiti

3 Cubiti

17 ½ Cubiti

4. Cubiti

4. Cu B biti

4. Cu A biti

A — B

3 6 9 12. Cubiti



dam adesse deprehenditur inter columnas Templi, ac ornatus earum, & inter ea, quæ apud veteres Scriptores legimus, qui de Ægyptiis monumentis disseruere, & quæ nobis Recentiores de reliquiis, quæ adhuc in Thebaide conspiciuntur, enarrant. Crassæ enim adeo columnæ visæ fuere [1], ut sex ingenti corpore viri vix ea circumambire potuerint, cum tamen sex & triginta, vel quadraginta duorum pedum altitudinem non excederent; ac aliæ, quarum crassities quinque majores ulnas æquaret, cum aulæ cujusdam laquearia tantum fulcirent.

Hebraicus textus habet [2]: *Et linea cubitorum duodecim ambiebat columnam alteram*, ex quo colligitur idem antea de priori dictum fuisse; sed in Textu non legitur. Hæc verba, *lineam duodecim cubitorum*, plane significant circulum, vel annulum, qui ad æqualia intervalla ambiebat columnas eo modo, quo in Exodo explicuimus cap. 26. ℣. 32. Hæc autem ratio erat, qua Ægyptii rotundas columnas exornabant, quemadmodum refert Athenæus l. 5. c. 9.

℣. 16. DUO CAPITELLA FECIT, QUÆ PONERENTUR SUPER CAPITA COLUMNARUM . . . . QUINQUE CUBITORUM ALTITUDINIS CAPITELLUM UNUM.] Nomine *capitelli* hoc loco intelligitur opus universum, quod superiorem columnarum partem complebat, quod quinque cubitorum habebat altitudinem. At hoc opus plures habebat partes, quæ cum modo simul, modo seorsim accipiantur, gignunt dimensionum varietatem, quæ diversis in locis his epistyliis tribuitur, quorum modo quinque [3], modo trium [4], quatuor modo [5] fuisse dicitur altitudo. Epistylii corpus simul cum ornamentis, quæ illud columnæ stipiti conjungebant, quatuor erat cubitorum; iis vero ademptis, trium, & rosa, vel lilium, quod super epistylium eminebat, unius cubiti altitudinem habebat; atque hoc pacto totius epistylii longitudo erat cubitorum quinque. Athenæus loco citato, Ægypti columnas describens, tres in iis partes distinguit. Primo, superiorem partem in similitudinem rosæ folia pandere incipientis elaboratam. Secundo, illud, cui rosa hæc incumbebat, vel unde veluti germinabat, quod loti floribus, palmæque foliis, cum fructibus illius erat condecoratum. Tertio id, quod epistylium columnæ trunco nectebat, & floribus, & colocasiæ foliis erat intertextum.

℣. 17. QUASI IN MODUM RETIS, ET CATENARUM SIBI INVICEM MIRO OPERE CONTEXTARUM . . . SEPTENA VERSUUM RETIACULA IN CAPITELLO UNO.] Hæc est descriptio ornatus epistyliorum in columnis. Quælibet columna habebat rete fusile, septem macularum ordinibus compositum; quod sane nobis nequaquam sublimem ingerit horum epistyliorum magnificentiæ ideam; at contendunt retiacula hæc floribus, fructibusque oppleta fuisse, qui per maculas, atque etiam extra illas conspiciebantur. Auctores quidam duo ponunt retia secundum altitudinem super quamlibet columnam; At Scriptura de uno tantum loquitur; addit vero malogranata, & sequenti versiculo ait, fuisse duos ordines malogranatorum circum retiacula. Hæc vero malogranata ducenta erant in singulis, quadringenta vero in columna utraque, infra ℣. 42. centena in singulos ordines 1. Par. 3. 16. Vide etiam Jerem. 52. 23. Hæc vero in torquium speciem erant disposita, duoque eorum erant ordines in epistylio quolibet, alter quidem infra, alter supra retis maculas positi.

Hebraici textus versiculis 17. 18. 19. & 20. qui in authographo impeditiores sunt, quemadmodum eos hodie legimus, hoc pacto lucem addere conamur, quarumdam vocum transpositione [6]. ℣. 17. *Fecit retiacula* (vel ramos simul connexos) *in contextus modum, opere in fimbriarum, vel catenularum similitudinem elaborato* (vel radicum intertextarum.) *Hæc vero opera fecit pro columnarum epistyliis, septem in singula epistylia.*

℣. 18. *Et fecit malogranata* [7], *duos ordines circum quodlibet retis opus ad conficiendum epistylium, quod erat super columnam; & totidem fecit pro columna altera.*

℣. 19. *Et epistylium, quod erat super columnas atrii* [8] *quatuor cubitorum altitudine. Et fecit ordines ducentarum malogranatorum circumundique, ut obtegeret alteram columnarum coronam*, & totidem fecit *pro corona altera.*

℣. 22. *Fecit quoque epistylium in rosæ formam*, (vel lilii) *in capite columnarum super illas, & e regione ventris, qui erat ultra retiacula.* Hoc est, hæc rosa, vel hoc lilium existere videbantur ex epistylii corpore, atque exsurgere super malogranata, & rete, quæ epistylium condecorabant. Hæc epistylia supponere debemus, rotunda fuisse, non autem quadrata, veluti in Græcorum columnis. Hoc perspicue a Scriptura notatur per eos malogranatorum ordines, qui illa circumundique ambiunt, & per epitherum [9] *Gulloth, circularia*, quod illis hebraice adnectitur ℣. 41. & 42. hujus capitis, atque in iis Paralipomenon locis, qui huic gemini respondent [10]. Pelleterius autumat [11] Hebræorum veterum Architecturam a veteri Græcorum minime abhorruisse, atque ait has ænearum columnarum dimensiones ad Doricum ordinem referri. Denique super has columnas abacos quosdam fuisse arbitratur, catenulis ornatos, e quibus trecenta, & octogintaduo penderent tintinnabula, quæ malogranata vocantur, centum & nonaginta sex in quolibet epistylio ad summovendas aves horum crepitaculorum sonitu. Quod longe a nostra abhorret sententia.

In versiculorum 19. & 20. castigatione, quam attulimus, ne unum quidem verbum ab uno in alium versiculum transferimus, nam hoc pacto levi sane negotio quemcumque velles Libro cuipiam sensum posses obtrudere; sed tantum versiculo 19. reddidimus phrasim, quæ in versiculo 20. translata fuerat, & e contra versiculo 20. restituimus, quod suum erat. Rerum, & materiæ ordo hanc flagitat restitutionem. Certum vero est de toto epistylio intelligi nequaquam posse ea, quæ ℣. 20. dicuntur. *Fecit quoque epistylium in rosæ*, vel lilii *formam*; ea igitur verba ei parti sunt referenda, quæ cæteris supereminebat, atque complebat epistylium.

℣. 21. STATUIT DUAS COLUMNAS IN PORTICU TEMPLI.] In vestibulo plane, quod erat ante aditum

1 Vide Itinerar. Sayde p. 1.

2 וחוט שתים עשרה אמה יסב את העמוד השני

3 In hoc vers. *Quinque cubitorum altitudinis capitellum unum.* Et Jerem. 52. 22.

4 4. Reg. 25. 17. *Capitellum æreum super se, altitudinis trium cubitorum.*

5 3. Reg. 7. 19. *Capitella, quæ erant super capita columnarum . . . . quatuor cubitorum.*

6 17. שבכים מעשה שבכים גדולים מעשה שרשרות לכתרות אשר על ראש העמודים שבעה לכתרת האחת ושבעה לכתרת השנית

18. ויעש את הרמונים ושני טורים סביב על השבכה האחת לכסות את גלות הכתרת אשר על ראש העמודים וכן עשה לכתרת השנית

19. וכתרות אשר על ראש העמודים באולם ארבע אמות והרמונים מאתים טורים סביב על הכתרת השנית

20. וכתרות על שני העמודים מעשה שושן גם ממעל מלעמת הבטן אשר לעבר השבכה

7 Pono רמונים loco עמודים. Sermonis contextus id aperte postulat: atque hæc transpositio textum clarum reddit.

8 אולם adnectimus עמודים: aliàs omnia in authographo erunt confusa.

9 כתרות גלות

10 2. Par. 4. 12. הגלות והכתרות על ראש העמודים

11 Melanges d'histoire & de Litterature t. 1. p. 117.

rum Sancti. Hæ autem positæ fuere ad utrumque latus ostii in vestibulo, & facile parieti adhærentes [1]. Nomen *Jachin* [2], quod earum alteri impositum fuit, innuebat, a Deo erectas fuisse, & nomen *Booz* [3] significabat Deum ipsum illis tribuere stabilitatem, & firmitatem in loco suo. Nihil ipsis innitebatur, sed erant ad simplicem ostii ornatum. Quinque cubitis pro epistylio, totidemque pro basi recensitis eorum altitudo duodetriginta cubitorum fuisset.

℣. 22. SUPER CAPITA COLUMNARUM OPUS IN MODUM LILII POSUIT.] Hæc corona in lilii, vel rosæ speciem elaborata, nam Hebraica vox *Susan* utrumque significare potest, opus fuisse seorsim fusum, atque a reliquo epistylio seorsim conflatum. Hujus vero altitudinem cubiti unius fuisse censemus, quemadmodum superius ℣. 16. ostendimus.

℣. 23. FACIT QUOQUE MARE FUSILE.] Hoc vas æneum erat; illius diameter ab una ora ad alteram decem erat cubitorum, & ambitus cubitorum circiter triginta, namque diameter nequaquam adamussim trienti circumferentiæ respondet. Illud autem rotundum erat, & cubitorum quinque profunditatis. Ora vero fascia quadam ornata erat pomis, spherulisque anaglyptico opere insculptis decorata. Bathos vero 3000. uti habemus in Paralipomenis [4], vel 2000. ut isthic ℣. 26. refertur, capiebat, quod ipsum conciliatur dicendo, quod licet capere posset 3000. bathos, si usque ad labia repletum fuisset, vulgo tamen 2000. bathos infundi consuevisse [5]. Alii [6] putant, bathos, de quibus in Paralipomenis est sermo, minores esse illis, qui in Regum libris memorantur. Verum quomodonam hæc mensuratum varietas probari potest? Ego vero cum eruditissimo viro [7] malim asserere, „ æreum mare duplex fuisse vas, ex cratere, vel urna, & plintho, vel basi compositum. „ Crater quidem nonnisi cylindri forma esse poterat, „ & trecentos, ac triginta tres cubitos cubicos continere, & partem tertiam, vel bathos 2000. Basis vero erat parallelipeda excavata decem cubitorum in „ quadrum, altitudinis duum cubitorum, capiebatque centum & septuaginta cubicos cubitos, atque „ partem tertiam, vel bathos mille. Ita duplex hoc „ vas, quod unum tantummodo erat intrinsecus, „ quamvis extrinsecus duplex videretur, simul continebat cubitos cubos quingentos, vel 3000. bathos, hoc est trecentos, & undecim modios cum „ quadrante, heminis 27. & unciis cubicis sex ad „ Lutetiæ Parisiorum mensuræ normam. Hoc autem „ pacto Auctor libri Regum, qui 2000. tantum bathos capi a mari æneo ait, cum auctore Paralipomenon conciliatur, qui illi 3000. bathos tribuit.

„ Mare autem duodecim bobus æneis innitebatur „ in ternos, & ternos quadrifariam dispositis, & „ quatuor terrarum plagas spectantibus, ita ut quadruplex ad vas aditus pateret Sacerdotibus, ut se „ lustrali aqua expiarent. Medius in hoc vase æneus, „ cavusque tubus ingens surgebat ex plinthi medio, „ ut aqua ex longinquo vase, ubi asservabatur, in „ æneum mare ascenderet, quæ inde per quatuor epistomia hauriebatur, quæ ad tubum illum e regione quadruplicis aditus referebantur.

„ Quoad plinthi ornamenta similia erant illis tabulatorum Sanctuarii, atque intervallis, vel catenatum cancellis, quæ circum de duobus abacis „ quadratis supra æreas columnas positis pendebant. En autem idea, quam doctissimus ille vir de Salomonis æneo mare animo sibi finxit.

℣. 24. ET SCULPTURA SUBTER LABIUM CIRCUIBAT ILLUD, DECEM CUBITIS AMBIENS MARE.] Quinam conciliari istud potest cum diametri maris hujus latitudine, quæ triginta erat cubitorum. Variæ afferuntur explicationes ob commentitiam hanc contradictionem tuendam. Alii [8] vertunt: Fecit cælaturas huic mari, quod habebat decem cubitorum diametrum. Alii [9] putant hæc ornamenta nequaquam omnem vasis ambitum circumivisse a summo ad imum, sed tantum ab imo ad eum usque locum, ubi ad decem cubitorum latitudinem coarctatur. Alii [10] denique hoc pacto Hebraicum textum reddunt [11]: *Fuit poma*, vel colocynthides, *subter labium illius, quæ circuibant omnem ambitum ejus. In cubiti unius intervallo decem aderant poma*. Hæc autem posterior sententia ad litteram magis videtur accedere. Itaque fascia aderat ex trecentis pomis, vel colocynthidis composita; quoniam de Hebraicæ vocis *Phekaim* significatione non satis convenit. Hanc enim vertunt poma colocynthidis, vel sylvestres cucurbitas, spherulas, ovorum, pomorumve species; verbo, aliquid rotundum forma, & ad spheræ speciem accedens. In Paralipomenis [12] palam scriptum est, hæc ornamenta boum speciem retulisse, quod articulo sequenti ad examen vocabitur.

DUO ORDINES SCULPTURARUM STRIATARUM ERANT FUSILES.] Ornamenta, de quibus sumus locuti, & quæ esse poterant, & poma, & boum capita anaglyptico cælata opere, & alternatim sub labiis disposita, ex eadem erant materia, eodemque opere, ac reliquum vas, & una cum eodem simul conflata. Cæterum nequaquam dissimulandum est, si alternis & boum capita, & poma subter maris oram posueris, non admodum commodum fore, decem ex utroque genere & capita, & poma in decem cubitorum spatio interserere. Itaque asserere præstat, hebraicam vocem *Phekaim* generatim significare ornamenta, quibus id genus opera exornari consueverant, & Paralipomenon textum peculiariter docuisse ornatuum eorumdem speciem, dicendo, hos fuisse boves, vel boum capita; vel nomen *Phekaim* mendosum esse, atque in textum pro *Bekarim* obrepsisse, quæ vox boves significat.

℣. 25. SUPER DUODECIM BOVES.] Mare basi suæ, quam vacuam supponimus fuisse, incumbebat; boves autem, de quibus hic sermo, ad ornatum erant dumtaxat, atque ut immane hoc vas circumundique fulciretur. Non desunt Interpretes, qui autument, in ore boum epistomia fuisse, ex quibus aqua hauriretur in varios Sacerdotum usus; at hoc incertum est omnino. Crederem potius aquam emitti consuevisse per basim in pelves, in quibus Sacerdotes manus, & pedes abluerent. Josephus Antiqu. l. 8. c. 2. & Hebræi asserunt, Salomonem in legem peccasse, eo quod boves hos mari æneo supposuerit; atque lapsus sui hoc initium fuisse, cum Deus permisisset, ut mox & leones conflaret ad throni, in quo ipse sedebat, ornatum; atque demum in Jerusalem conspectum Idolis delubra statueret. Verum Scriptura numquam Salomonem redarguit pro his boum imaginibus; immo Deus, qui Salomonis oblationes, & preces in Templi dedicatione benignis excepit auribus, satis probat, illum adhuc in officio se se contennis-

---

1 Vide Jerem. 52. 23. 2 *Statuet* יכין *diriget*.
3 *In eo robur*, בועז. *seu firmitas*. 4 2. Par. 4. 5. *Capiebatque tria millia metretas*. Heb. *Bathos*. Bathus capiebat 29. pintas cum dimidio, semisextarium, & pollicis partes $\frac{475158}{704969}$
5 Grot. Jun. Pisc. Riber. Menoch. Sanct. 6 Villalp. Alcasar. Cornel. Mariana.
7 Pelletier Melanges d'histuir. tom. 1. p. 215. 8 Strig. Osiand.
9 Tost. Cajet. Sanct. Menoch. Cornel. 10 Jun. Vat. Munst. Pagn. Cast. Malv.
11 ופקעים מתחת לשפתו סביב סבבים אתו עשר באמה
12 2. Paralip. 4. 3. ודמות בקרים תחת לו סביב סביב סובבים אתו עשר באמה מקיפים את הים סביב שנים טורים הבקר יצוקים

tinuisse, neque Divinæ gratiæ jacturam subiisse.

℣. 26. GROSSITUDO LUTERIS TRIUM UNCIARUM ERAT.] *Tres unciæ* est quarta pars pedis Romani, & cum pes Romanus sexdecim constaret digitis, inde sequitur tres uncias quatuor æquari digitis, vel palmo, quæ vera est Hebraicæ vocis טפח *Tephac* significatio, videlicet gallicæ mensuræ tres unciæ, & $\frac{17}{49}$

QUASI LABIUM CALICIS, ET FOLIUM REPANDI LILII.] Tale erat labium maris ænei. Sensim se se pandebat, ac extrinsecus exporrigebatur. Chaldæus credidit labium liliis circum ornatum fuisse. Hebraica lectio habet [1] : *Labium illius erat velut opus labii crateris, lilium expansum*. De maris intercapedine vide supra ℣. 23.

B ℣. 27. FECIT DECEM BASES ÆNEAS.] *Polimbi* vocantur bases quædam, vel stylobatæ, quibus ærea vasa insistebant, & quæ aqua repleta in Templi usus asservabantur. Horum longitudo erat cubitorum quatuor, totidem latitudo : trium vero cubitorum altitudo; his vero æreæ rotæ erant suppositæ, ut huc, illuc transferri ad majorem possent commoditatem.

℣. 28. IPSUM OPUS BASIUM INTERASILE ERAT, ET SCULPTURÆ INTER JUNCTURAS.] Hebraici loci hujus versiculus maxime obscurus est. Hoc pacto ad litteram verti potest [2] : *Hæ bases habebant clausuras, & hæ clausuræ erant in juncturis*. Fatendum est sane, nonnisi divinando assequi posse, quid hæc verba sibi velint. Sequens autem versiculus multo magis auget obscuritatem [3] : *Et super has clausuras,* C *quæ erant in juncturis, aderant leones, boves, & Cherubim. Idem vero opus & supra, & infra juncturas cernebatur*. Ego vero hunc sensum loco isti mallem tribuere : Totum corpus basium harum undique clausum erat quatuor æneis laminis, quæ constituebant quadratum corpus. Hæ vero laminæ connexæ erant, & simul junctæ ad extremitates suas, ita ut alia in aliam insereretur per quamdam compagum speciem. Hæc autem a Textu *junctura* appellantur, & a quibusdam Interpretibus *scalæ*; nam dentes alii in alios invicem excipiebantur, veluti scalæ gradus. Leonum, boum, & Cherubim imagines, scilicet imagines animalium ignotorum replebant spatium, quod erat inter juncturas, & quatuor basium facies circumundique decorabant. Nonnulli putant etiam imagines has D super juncturas fuisse, non secus ac in plana ærearum laminarum facie.

Pelleterius idem [4], cujus descriptionem Salomonici maris superius attulimus, hoc pacto opus, de quo isthic est sermo, describit : „ Erant hæ moles „ quatuor rotis impositæ, ut circumagi possent, e „ quadrata pelvi compositæ, pilis, abacisque Dori- „ cis, atque anaglyphis Cherubim imagines referen- „ tibus exornata. Ad utramque pelvis extremitatem „ brachia existebant, quibus attrahi posset, & gra- „ dus, vel scabella, et perveniri posset ad vas qua- „ tuor Cherubim super pelvis hujus os impositis in- „ cumbens. Venter hujus vasis parallelipedum refe- „ rebat duum cubitorum in quadrum, & sesqui cu- „ bitali altitudine, ac ea magnitudine, ut sex cu- E „ bitos cubicos caperet : collum vero cylindri for- „ ma præditum erat, cujus tam diameter, quam „ altitudo unius erat cubiti, & duas tertias partes „ cubiti cubici unius continebat. Totum vas qua- „ draginta capiebat bathos, hoc est modios quatuor, „ heminas quadraginta, & unam; uncias vero qua- „ draginta $\frac{2}{3}$ cubicas juxta Parisiorum metiendi con- „ suetudinem. Hoc vas mundam continebat aquam

A „ quæ per epistomia emittebatur ad victimarum pu- „ rificationem : pelvis autem, quæ subter erat, a- „ quam immundam, & victimarum excrementa reci- „ piebat.

℣. 29. DESUPER, ET SUBTER LEONES, ET BOVES, QUASI LORA EX ÆRE PENDENTIA.] Leonum, Boum, & Cherubim imagines non cernebantur solum in plana facie quatuor laminarum ænearum per latera, verum etiam in ea, cui pelvis, seu luter insistebat. *Desuper*, hoc est in hac superiori facie; & *subter*, hoc est ad latera, vel etiam sub juncturis, & super rotas; & præterea *quasi lora ex ære pendentia*. Hebraice [5] : *lora opere descendenti*, hoc est opere extenso, & fuso. Apud Interpretes parum adeo constat de earum vocum significatione, quæ in his B omnibus versiculis occurrunt, ut ferme impossibile videatur eorum sententias conciliare, atque inutile penitus easdem referre.

℣. 30. ET QUATUOR ROTÆ . . . . ET PER QUATUOR PARTES, QUASI HUMERULI.] Hi humeruli nihil aliud fortasse erant, quam bovis, vel leonis species ad singulos angulos in superiori parte positæ, quæ pelvim, seu luterem sustinerent [6]. Vel etiam fortasse nihil aliud erant, quam simplices spherulæ, vel poma; vel aliud quodpiam id genus ornamentum superius ad basis angulos positum. Hoc autem ornamentum, non secus ac rotæ fusiles erant.

℣. 31. OS QUOQUE LUTERIS INTRINSECUS ERAT IN CAPITIS SUMMITATE.] Cavitas hæc erat rotunda, habebatque cubitalem diametrum, sesquicubitalem C vero profunditatem; eratque circum undique convestita. Aliter; cavitas, in qua luter inserebatur, cubiti unius diametrum habebat, & luter, cum insertus erat, extabat adhuc cubiti unius cum dimidio altitudine. Vide ℣. 35. ex quo major huic loco lux potest accedere.

IN ANGULIS COLUMNARUM VARIÆ CÆLATURÆ ERANT.] Nondum in hoc opere *columnarum* mentio facta est. Omnis autem veritatis species adest, basis angulos hic appellari columnas. Hi porro anguli variis cælaturis erant ornati, & laminæ, quæ basis latera constituebant, *quadratæ erant, non autem rotundæ*. Ornamenta vero, quæ cooperiebant angulos, vel compages nequaquam in latera extendebantur, neque minimum de quadrata laterum facie deperibat, quæ D aliis decoranda erat ornamentis, de quibus supra sermo fuit.

℣. 32. QUATUOR ROTÆ COHÆREBANT SIBI SUBTER BASIM.] Non ideo tamen simul junctæ erant, & simul connexæ. Hoc enim pacto immobiles factæ fuissent, & idcirco penitus inutiles. Hebraicus textus hæc habet [7] : *Quatuor rotæ erant sub angulis*, vel compagibus, *& manus* (axes) *rotarum erant subter basim*. Hoc pacto rotæ a basi minime erant impeditæ, poterantque munere suo fungi veluti in curru. Axis non cernebatur, sed sub basi delitescebat. Quilibet axis duabus rotis inserviebat; atque in hoc sensu *rotæ sibi cohærebant*.

℣. 35. IN SUMMITATE BASIS ERAT QUÆDAM ROTUNDITAS DIMIDII CUBITI, UT LUTER DESUPER POSSET IMPONI.] Hæc est repetitio ℣. 31. Ibi dictum E est, cavitatis, in qua luter inserebatur, profunditatem sesquicubitalem fuisse, hoc est superiorem etiam oram cubiti dimidiati comprehendendo, quæ ℣. 31. nime exprimitur.

℣. 36. SCULPSIT QUOQUE IN TABULATIS IPSIS, QUÆ ERANT EX ÆRE, & IN ANGULIS CHERUBIM, & LEONES, & PALMAS.] Hic repetuntur superius dicta ℣. 28. 29. isthic vero *palmæ* memorantur, quæ superius expressæ non fuere, & boum imagines omittuntur,

1 שפתו כמעשה שפת כוס פרח שושן 2 מסגרות להם ומסגרות בין השלבים
3 ועל המסגרות אשר בין השלבים אריות בקר וכרובים ועל השלבים כן ממעל ומתחת לאריות
4 Melanges d'Histoires t. 1. p. 128.
5 לויות מעשה מורד 6 מתחת לכיר
7 וארבע האופנים למתחת למסגרות וידות האופנים במכונה

guntur, quarum superiores versiculi meminerant. A Mediæ igitur facies, & compages basium fusilibus decoratæ figuris erant, Leonibus, Cherubim, palmis, & bobus; atque omnia anaglyptico, vel diaglyptico opere erant conflata.

QUASI IN SIMILITUDINEM HOMINIS STANTIS.] Velut homo stans, veluti statua, quæ extrinsecus prodit, non autem velut pictura, vel cælatura simplex. Hebraicus textus hoc pacto verti potest [1]: *secundum hominis nuditatem*; vel, *quodlibet in nuditate sua*. Quodcumque ad vivum erat elaboratum. Leo, Bos, Cherubim, quicumque in ea positura, ac forma, quæ illis propria est. Hæc etiam omnia ad priorem sensum referri possunt; quodlibet anaglyptico opere insculptum.

℣. 38. DECEM LUTERES ÆNEOS.] Qui super his basibus statuerentur, quarum a ℣. 27. & infra descriptionem sumus intuiti. Hi luteres quadraginta bathos capiebant, singuli vero bathi aut pintas cum dimidia semisextarium, quadrantem, & aliquid amplius. B Porro luteres quatuor habebant cubitos: Scriptura non exprimit, utrum hi in profunditate essent, an in diametro. Verum supra docuit, hiatus, in quo luter inserebatur, cubitalem dumtaxat diametrum habuisse; ideoque hic luter esse debebat forma, præter propter, tympani, hoc est hemisphærica.

℣. 39. QUINQUE AD DEXTERAM PARTEM TEMPLI, & QUINQUE AD SINISTRAM. MARE AUTEM POSUIT AD DEXTERAM PARTEM TEMPLI.] Dextera apud Hebræos meridiem plerumque significat, læva autem septentrionem juxta hominis dispositionem ortum spectantem. Quinque igitur luteres cum basibus suis ad septentrionem aditus Templi collocantur, non autem intus, neque etiam in vestibulo, sed tem- C plum inter, ac Altare Holocaustorum in Atrio Sacerdotali, quod alio nomine Atrium interius vocatur. Luterum omnium usus erat ad victimas abluendas, quæ in holocaustum debebant offerri [2], ad tergendos cultros, aliaque instrumenta, quibus in sacris peragendis utebantur; uti etiam ad victimarum partes sordibus abstergendas, ut ex excoquerentur, quæ elixæ erant comedendæ. Sacerdotes se se abluebant in æneo mari. Vinum in Templo potare illis nefas erat; sed forte ad eorum sitim pellendam, aqua fontis, vel cisternæ illis suppetebat, quæ frigidior esset, quam quæ in pelvibus continebatur.

Ethnicorum in Templis prope ostium lustralis erat aqua, ut sibi manus abstergerent, antequam sua offerrent sacrificia. Aliquando vero ex eadem super D adstantes vel lauri, vel olivæ ramo aspergebant. Ovidius Fast. l. 5.

Spargit & ipse suos lauro rorante capillos,
Incipit, & solita fundere voce preces.

Et Virgilius Æneid. 6.

Idem ter socios pura circumtulit unda,
Spargens rore levi & ramo felicis olivæ.

Vide Spencerum de Leg. Hebr. Ritual. Dissert. 3. de Lustrat. & Purificat.

S. Justinus Martyr. Apolog. 2. contendit, dæmonem in his Ethnicorum lustrationibus imitari voluisse Judæorum ritus. Christiani has Ethnicas superstitiones perhorrescebant, ac in Historia legimus [3] Valentinianum, antequam ad imperii apicem eveheretur, cum quadam die esset e stipatoribus Imperatoris Idoli E cujusdam fanum ingredientis, cumque Sacerdos super illum æque ac super alios lustralem effudisset aquam, adeo succensuisse, ut iram temperare non potuerit, quominus in Idololatram Sacerdotem suam indignationem evomeret. Ajunt etiam ipsum statim eam vestium partem abscidisse, quæ lustralibus aquis fuerat irrorata. Sed deinceps opere pretium factum iri censuere, si ritus hi sanctificarentur, atque abstergerentur ab superstitionum sordibus, quas in Ethnicorum religione contraxerant, atque in sanctas Christianæ Fidei cæremonias converterentur. Igitur in Ecclesiarum aditu aquæ lustralis Hamulæ collocatæ fuerunt, vel vasa aqua munda repleta, qua Christiani sibi oculos, & faciem abluerent; neque fontes defuere, cum commode perfici potuerunt. Demum ea invaluit consuetudo, ut ante solemne officium adstantes lustralibus aquis aspergerentur, veluti ut illis in mentem vocaretur interior munditics, quæ preces, & sacrificium debet comitari.

MARE AUTEM POSUIT AD DEXTERAM PARTEM TEMPLI, CONTRA ORIENTEM AD MERIDIEM.] Hoc est, ad Orientem luterum, qui positi erant in meridionali parte Templi. Mare æneum magis orientem B spectabat, ac ad Altare accedebat magis, quam quinque luteres lateris illius. Sanctius, & Menochius hoc æneum mare constituunt prope orientalem portam atrii Sacerdotalis ad meridiem portæ, ut introeuntibus in Templum Sacerdotibus aquam, qua se expiarent, invenirent.

℣. 40. LEBETES, & SCUTRAS, & HAMULAS.] Latina vox *scutra* a scuto fluit, quod clypeum significat; illique *scutra* nomen impositum fuit ob similitudinem. *Scutella* est diminutivum a *scutra*, quo nomine Grammatici inquiunt æreum vas significari in superiori parte apertum, & cujus ima pars superiori est æqualis. *Hamula*, vel *Amula* est quodam lustralis aquæ vas, quo deferebatur aqua propter lustrationes, atque expiationes. Columella:

C *Aut habilem lymphis hamulam, Bacchove lagenam.*

Authographi textus voces [4] & in Exodo [5] occurrunt, ubi ostendere adnisi sumus, eas significare lebetes, batilla, pateras, vel crateres ad excipiendum, & mox effundendum victimarum cruorem. Hebræi docent ex vasibus ejusdem speciei tria saltem numero fuisse, ut semper suppeteret, quod pro alio adhiberi posset, si quod pollutum fuisset.

℣. 41. FUNICULOS CAPITELLORUM . . . . DUOS, & RETIACULA DUO; UT OPERIRENT DUOS FUNICULOS, QUI ERANT SUPER CAPITA COLUMNARUM.] De *funiculis super capita columnarum* nondum mentio facta fuit, & Hebraici textus verba [6] vel simpliciter epistyliorum rotunditatem significant, vel ipsa epistylia, quorum, quemadmodum supra dictum D est, circularis erat forma. Duo *retiacula* ad id instituta erant, ut circulare hoc epistylium obducerent, illudque circum undique ambirent. En autem textum ad litteram: *Fecit columnas duas, & epistylia rotunda, quæ erant super capita columnarum, & duo retiacula, quæ duo hæc epistylia cooperirent.*

℣. 42. ET MALOGRANATA QUADRAGINTA IN DUOBUS RETIACULIS &c.] Textus hoc pacto ad litteram vertitur [7]: *Et quadraginta malogranata pro duobus retiaculis, duos malogranatorum ordines pro quovis retiaculo, ad obducendas duas sphærulas, quæ super columnas erant.* Hæc omnia nihil aliud sunt, quam eorum repetitio, quæ supra ℣. 16. 17. 18. 19. 20. explicata fuere. Inde vero difficultas oritur, quod eadem Textus voces non eodem pacto semper a Vulgata vertuntur.

E ℣. 45. DE AURICHALCO ERANT.] Latini *aurichalci* nomine quamdam æris speciem vocabant, cui aurum immixtum fuisse arbitrabantur. At ex Plinio l. 34. c. 2. liquet verum *aurichalcum*, vel *orichalcum* e fodinis erui consuevisse purissimum, & quod inter æra omnia optimum esse censebatur. Hebraice

1 כמער איש ולֹיות סביב 2 Vide 2. Par. 4. 6. *Ut lavarent in eis omnia, quæ in holocaustum oblatura erant. Porro in mari Sacerdotes lavabantur.* Joseph. Antiqu. l. 8. c. 2.
3 Sozom. l. 6. hist. c. 6. 4 הכירות ואת היעים ואת המזרקות ; In Exodo legitur חסירות יעים מזרקות ar סירות idem significat, ac כירות 5 Exod. 27. 3. היעים Aqu. Sym. *ἀγκιστρα* 70. Φιαλας.
6 וגלות הכתרות אשר על ראש העמודים
7 ואת הרמנים ארבע מאות לשתי השבכות שני טורים רמנים לשבכה האחת לכסות את שתי גלות הכתרות וגו

ce habemus [1], *æs politum*, purificatum, perfectumque.

℣. 46. INTER SOCHOTH, & SARTHAN.] Urbes has alii quidem citra, alii trans Jordanem constituunt. At plerique ponunt Sochoth ad orientem, & Sarthan ad occasum fluminis illius prope Bethsan; quod probabilius mihi videtur. Vide 3. Regum 4. 12.

℣. 48. ALTARE AUREUM, & MENSAM, SUPER QUAM PONERENTUR PANES PROPOSITIONIS.] Nonnulli putant [2] hanc eamdem esse aram, de qua jam supra sermo fuit ℣. 20. & 22. cap. 6. & Salomonem, cum censuisset, nequaquam sibi adhibendam esse aram ex ligno Sethim aureis laminis convestitam, quam Moyses fieri jusserat, novam e cedro extruxisse aram, eamque auro obduxisse. Ego vero altare aureum superiori capite ℣. 20 & 22 memoratum ab altare thymiamatum aliud fuisse reor; ad hanc enim sententiam nos Scriptura cogit, ita ut ne ambigendi quidem locus nobis reliquus sit. At non ausim affirmare isthic Altare aureum minime significare thymiamatum aram. Salomon plane minime est ratus, Aram thymiamatum, & mensam panum propositionis a Moyse constructas, satis pro templi, quod ædificabat, magnitudine, ac majestate congruere, easque in Templi thesaurum intulit, ut Rabbini ajunt. Paralipomenon auctor loquitur de aureis mensis decem, quas Salomon in Sancto constituit, ita ut alterutra candelabrum aureum, & mensa collocaretur 2. Par. 4. 8.

℣. 49. CANDELABRA AUREA, QUINQUE AD DEXTERAM, & QUINQUE AD SINISTRAM CONTRA ORACULUM.] Moyses unum tantummodo aureum candelabrum in Sancto posuerat; Salomon vero decem illic & ex eodem metallo, & secundum eamdem formam, candelabra constituit. Horum descriptionem petere est ex cap. 25. ℣. 31. Exodi. Horum candelabrorum fumus per fenestras, quæ non vitro, sed cancellis tantum clausæ erant, dissipabatur.

℣. 50. HYDRIAS, & FUSCINULAS, & PHIALAS, & MORTARIOLA, & THURIBULA.] Hebraicus textus [3] longe aliter, atque aliter vertitur: exempli gratia: *lagenas*, vel phialas, & vasa ad liquorem capiendum idonea; & *instrumenta musica*, vel cultros, forfices, emunctoria; *pateras*, vasa ad potandum, libandumque; *cochlearia*, vel batilla; *thuribula*, vel foculos mensarios.

CARDINES OSTIORUM.] Interpretes de vocis Hebraicæ significatione haud conveniunt [4]. Villalpandus non credit proprie cardinem significari, verum ornamenta quædam, quæ superiores, ac inferiores ostiorum cardines sustinent. Alii intelligunt polos, super quos ostia vertebantur, vel etiam omnia ferramenta, quæ ad sustinendam, claudendam, reserandamque januam inserviunt.

Hæc omnia, quæ hactenus dicta sunt de opibus Templi, parva sunt, si cum iis conferre velis, quæ Josephus l. 8. c. 2. narrat: Præter majorem mensam auream, super quam panes propositionis ponebantur, aliæ aderant decem mille mensæ, super quas varia constituebantur vasa, veluti lances, & pateræ, aureæ viginti mille, argenteæ vero, quadraginta mille. Fecit præterea decem millia aurea candelabra, ex quibus unum posuit in Sancto; crateres ad effundendum vinum octoginta mille, pelves aureas centum mille, argenteas vero ducentas mille, octoginta mille aureos lances, in quibus super Altare offerebatur pollen subactum, & duplum ex argento conflavit; crateres aureos in quibus pollen cum oleo subigebatur sexaginta mille, argenteos autem centum & viginti mille perfecit. Mensuras magnitudinis Hin, & Assaron viginti mille ex auro, & quadraginta mille ex argento: aurea thuribula, quibus thus in Templum ferebatur, viginti mille, & quinquaginta mille, quibus ignis de Altare holocaustomatum ad aureum altare gestabatur: Ornamenta porro pro summo Sacerdote, vestes, ephod, aliosque huic adnexos ornatus, mille; pro cæteris vero Sacerdotibus tunicas byssinas decem mille, totidemque zonas purpureas. Tubarum illis similium, quas præceperat Moyses, ducenta millia; ducenta quoque millia tunicarum e bysso pro Musicis, & Levitis. Instrumenta musica ex pretioso eo metallo, quod veteres *Electrum* vocabant, quadraginta millia. Hæc autem ea ferme sunt, quæ de Salomonis magnificentia Josephus enarrat.

Ad hæc adjiciunt, si quod aureum, vel argenteum vas læsum, vel fractum fuerat, iterum conflari debuisse; si Sacerdotum vestes scissæ erant, vel si macula quappiam licet minima, aspergebantur, nequaquam fuisse fas, vel resarciri, vel ablui, ut iis iterum uterentur, sed novas alias suscipiendas fuisse, & ex veteribus lychnos pro lampadibus fieri debuisse; laminas aureas, quibus Templum intrinsecus usquequaque circumdatum erat, habere debuisse saltem trium aureorum nummorum crassitiem.

Rabbini præterea novis isthæc miraculis cumulant, quæ perpetuo in Templo vetusto observata fuisse narrant; eaque decem ferme recensent. Primo: Prægnantem mulierem, quæ ad Templum accesserit, numquam abortum edidisse, eo quod immolatarum carnium odorem percepisset, & carnes has numquam tabo obnoxias fuisse. Secundo: nullas umquam muscas ad cæsarum victimarum carnes advolasse. Tertio: nocte ea, quæ Indulgentiarum festivitatem præcessit, numquam summo Pontifici illud accidisse, quod memoratur in Levitico [5], & Deuteronomio [6], quod illum Templum ingredi vetuisset. Quarto: Altaris ignem, licet detectum, ac sub dio expositum numquam imbrium, licet summopere ingruentium vi extinctum fuisse. Quinto: Ventum quamvis vehementiorem numquam fumum, qui de altaris igne egrediebatur, de recta via, qua ad cœlum, velut columna nubis ascendebat, deturbasse. Sexto, Septimo, & Octavo: Nullum umquam irrepsisse vitium, vel in hordei recentis mensura, quæ in templum secunda Paschatis die offerebatur, neque in duobus panibus fermentatis, qui fiebant ex fermentata farina segetis novæ, & offerebantur in Templo Pentecostes festivitate, nec denique in panibus propositionis, qui super auream mensam statuebantur. Hæc omnia semper opportuna affuere, nec ea umquam reptile immundum tetigit. Nono: Israelitæ, quocumque in numero ad Templum confluerent, commode tamen in atrio, quod illis destinatum erat, morabantur; & cum etiam sese humi prosternerent, tantum loci aderat, quantum omnibus satis esset, quin sibi invicem essent impedimento. Decimo: Numquam serpens, vel virulentum animal cuiquam nocuit in Jerusalem, neque ulli umquam defuit domicilium.

Molestum esset isthic omnes Templi referre ministros, juxta Judæorum mentem. Hoc tantum dicam, tot Sacerdotes fuisse, ut licet quotidie perenne sacrificium offerretur, & thymiama, neque fas esset Sacerdoti bis in toto vitæ suæ curriculo thymiama adolere, numquam tamen opus fuisse, ut Pontifex bis hoc munere fungeretur. Singulis noctibus ducenti & quadraginta tam ex Sacerdotibus, quam ex Levitis in Templo excubiis agendis distinebantur. Tanta vero veneratione Sanctum hunc locum prosequebantur, ut nemini fas esset montis illius terram attingere, vel manu scipionem gerenti, vel calceatis pedibus, vel iis pulvere immundis, vel nummo in zona, aut alibi afferre. Nemo audebat alia porta ingredi, & alia egredi, ut viam breviorem expedirent.

1 נחשת ממרט

2 Lyran. Menoch. Jun. alii passim.

3 הספות והמזמרות והמזרקות והכפות והמחתות

4 והפתות לדלתות

5 Levit. 15. 16. *Vir de quo egreditur semen coitus &c.*

6 Deuter. 23. 10. *Si fuerit inter vos homo, qui nocturno pollutus sit somnio, egredietur extra castra.*

dirent. Quo quisque ostio ingrediebatur, pedetentim ad dexteram pergere debebat ad eum usque locum, quo ire licebat; at excommunicati, & qui in luctu versabantur, ad lævam iter flectere debebant, ut agnoscerentur. In templo nemo expuebat, & quicumque egrediebantur, tam Sacerdotes, & Levitæ, quam reliqui e populo, numquam Templo vertebant terga; sed capite obstipo, inclinato corpore reverenter recedebant, retrocedebantque, donec penitus extra Templum fuissent egressi.

CAPUT VIII.

Anno M. 1001. Ante J. C. 1003.

Dedicatio Templi Jerusalem. Salomon post effusas preces populo benedicit. Numerus victimarum, quæ hac in solemnitate cæsæ fuerunt.

1. TUnc congregati sunt omnes majores natu Israel cum principibus tribuum &
duces familiarum filiorum Israel, ad regem Salomonem in Jerusalem, ut deferrent arcam fœderis Domini de civitate David, id est, de Sion. 2 Con-
venitque ad regem Salomonem universus Israel in mense Ethanim, in solemni die,
ipse est mensis septimus. 3 Veneruntque cuncti senes de Israel, & tulerunt arcam
sacerdotes. 4 Et portaverunt arcam Domini, & tabernaculum fœderis, & omnia vasa Sanctuarii, quæ erant in tabernaculo; & ferebant ea sacerdotes, & Levitæ. 5
Rex autem Salomon, & omnis multitudo Israel, quæ convenerat ad eum, gradiebatur cum illo ante arcam, & immolabant oves, & boves absque æstimatione, & numero. 6 Et intulerunt sacerdotes arcam fœderis Domini in locum suum, in oraculum templi, in Sanctum sanctorum, subter alas cherubim. 7 Si quidem Cherubim
expandebant alas super locum arcæ, & protegebant arcam, & vectes ejus desuper. 8
Cumque eminerent vectes, & apparerent summitates eorum foris Sanctuarium ante oraculum, non apparebant ultra extrinsecus, qui & fuerunt ibi usque in præsentem diem. 9 In arca autem non erat aliud, nisi duæ tabulæ lapideæ, quas posuerat in ea Moyses in Horeb, quando pepigit Dominus fœdus cum filiis Israel, cum egrederentur de terra Ægypti. 10 Factum est autem, cum exissent sacerdotes de Sanctuario, nebula implevit domum Domini, 11 Et non poterant sacerdotes stare, & ministrare propter nebulam: impleverat enim gloria Domini domum Domini. 12 Tunc ait Salomon:
Dominus dixit, ut habitaret in nebula. 13 Ædificans ædificavi domum in habitaculum tuum, firmissimum solium tuum in sempiternum. 14 Convertitque rex faciem suam, & benedixit omni ecclesiæ Israel; omnis enim ecclesia Israel stabat. 15 Et ait
Salomon: Benedictus Dominus Deus Israel, qui locutus est ore suo ad David patrem meum, & in manibus ejus perfecit, dicens; 16 A die, qua eduxi populum meum Israel de Ægypto non elegi civitatem de universis tribubus Israel, ut ædificaretur domus, & esset nomen meum ibi: sed elegi David, ut esset super populum meum
Israel. 17 Voluitque David pater meus ædificare domum nomini Domini Dei Israel,
18 Et ait Dominus ad David patrem meum: Quod cogitasti in corde tuo ædificare domum nomini meo, bene fecisti, hoc ipsum mente tractans. 19 Verumtamen tu non ædificabis mihi domum, sed filius tuus, qui egredietur de renibus tuis, ipse ædificabit domum nomini meo, 20 Confirmavit Dominus sermonem suum, quem locutus est: steterique pro David patre meo, & sedi super thronum Israel, sicut locutus est Dominus; & ædificavi domum nomini Domini Dei Israel, 21 Et constitui ibi locum arcæ, in qua fœdus Domini est, quod percussit cum patribus nostris, quando egressi sunt de terra Ægypti, 22 Stetit autem Salomon ante altare Domini in conspectu ecclesiæ Israel, & expandit manus suas in cœlum, 23 Et ait: Domine Deus Israel, non est similis tui, Deus, in cœlo desuper, & super terram deorsum; qui custodis pactum, & misericordiam servis tuis, qui ambulant coram te in toto corde suo, 24 Qui custodisti servo tuo David patri meo, quæ locutus es ei;
ore locutus es, & manibus perfecisti, ut hæc dies probat. 25 Nunc igitur, Domine Deus Israel, conserva famulo tuo David patri meo, quæ locutus es ei, dicens;
Non auferetur de te vir coram me, qui sedeat super thronum Israel: ita tamen si custodierint filii tui viam suam, ut ambulent coram me, sicut tu ambulasti in conspectu

spectu meo, 26 Et nunc, Domine Deus Israel firmentur verba tua, quæ locutus
es servo tuo David patri meo. 27 Ergone putandum est, quod vere Deus habitet
super terram? si enim cœlum, & cœli cœlorum te capere non possunt, quanto magis
domus hæc, quam ædificavi? 28 Sed respice ad orationem servi tui, & ad preces
ejus, Domine Deus meus: audi hymnum, & orationem, quam servus tuus orat coram
te hodie: 29 Ut sint oculi tui aperti super domum hanc nocte, ac die: super do-
mum, de qua dixisti: Erit nomen meum ibi: ut exaudias orationem, quam orat in
loco isto ad te servus tuus, 30 Ut exaudias deprecationem servi tui, & populi tui
Israel, quodcumque oraverint in loco isto: & exaudies in loco habitaculi tui in cœlo,
& cum exaudieris, propitius eris. 31 Si peccaverit homo in proximum suum, & ha-
buerit aliquod juramentum, quo teneatur adstrictus, & venerit propter juramentum co-
ram altari tuo in domum tuam, 32 Tu exaudies in cœlo, & facies, & judicabis ser-
vos tuos, condemnans impium, & reddens viam suam super caput ejus, justificansque
justum, & retribuens ei secundum justitiam suam. 33 Si fugerit populus tuus Israel
inimicos suos (quia peccaturus est tibi) & agentes pœnitentiam, & confitentes nomi-
ni tuo venerint, & oraverint, & deprecati te fuerint in domo hac; 34 Exaudi in cœ-
lo, & dimitte peccatum populi tui Israel, & reduces eos in terram, quam dedisti pa-
tribus eorum. 35 Si clausum fuerit cœlum, & non pluerit propter peccata eorum,
& orantes in loco isto, pœnitentiam egerint nomini tuo, & a peccatis suis conversi fue-
rint propter afflictionem suam: 36 Exaudi eos in cœlo, & dimitte peccata servorum
tuorum, & populi tui Israel; & ostende eis viam bonam, per quam ambulent, & da
pluviam super terram tuam, quam dedisti populo tuo in possessionem. 37 Fames si ob-
orta fuerit in terra, aut pestilentia, aut corruptus aer, aut ærugo, aut locusta, vel ru-
bigo, & afflixerit eum inimicus ejus portas obsidens, omnia plaga, universa infirmitas.
38 Cuncta devoratio, & imprecatio, quæ acciderit omni homini de populo tuo Israel:
si quis cognoverit plagam cordis sui, & expanderit manus suas in domo hac, 39 Tu
exaudies in cœlo in loco habitationis tuæ, & repropitiaberis, & facies, ut des unicui-
que secundum omnes vias suas, sicut videris cor ejus (quia tu nosti solus cor omnium
filiorum hominum;) 40 Ut timeant te cunctis diebus, quibus vivunt super faciem ter-
ræ, quam dedisti patribus nostris. 41 Insuper & alienigena, qui non est de populo
tuo Israel, cum venerit de terra longinqua propter nomen tuum (audietur enim nomen
tuum magnum, & manus tua fortis, & brachium tuum. 42 Extentum, ubique) cum
venerit ergo, & oraverit in hoc loco, 43 Tu exaudies in cœlo, in firmamento habi-
taculi tui, & facies omnia, pro quibus invocaverit te alienigena: ut discant universi
populi terrarum nomen tuum timere, sicut populus tuus Israel, & probent, quia no-
men tuum invocatum est super domum hanc, quam ædificavi. 44 Si egressus fuerit
populus tuus ad bellum contra inimicos suos, per viam, quocumque miseris eos, ora-
bunt te contra viam civitatis, quam elegisti, & contra domum, quam ædificavit nomi-
ni tuo. 45 Et exaudies in cœlo orationes eorum, & preces eorum, & facies judi-
cium eorum: 46 Quod si peccaverint tibi (non est enim homo, qui non peccet)
& iratus tradideris eos inimicis suis, & captivi ducti fuerint in terram inimicorum
longe, vel prope, 47 Et egerint pœnitentiam in corde suo in loco captivitatis: &
conversi deprecati te fuerint in captivitate sua, dicentes: Peccavimus, inique egimus,
impie gessimus: 48 Et reversi fuerint ad te in universo corde suo, & tota anima
sua, in terra inimicorum suorum, ad quam captivi ducti fuerint: & oraverint te con-
tra viam terræ suæ, quam dedisti patribus eorum, & civitatis, quam elegisti, & tem-
pli, quod ædificavi nomini tuo: 49 Exaudies in cœlo, in firmamento solii tui, o-
rationes eorum, & preces eorum, & facies judicium eorum, 50 Et propitiaberis
populo tuo, qui peccavit tibi, & omnibus iniquitatibus eorum, quibus prævaricati
sunt in te; & dabis misericordiam coram eis, qui eos captivos habuerint, ut mi-
sereantur eis. 51 Populus enim tuus est, & hæreditas tua, quos eduxisti de terra
Ægypti, de medio fornacis ferreæ. 52 Ut sint oculi tui aperti ad deprecationem ser-
vi tui, & populi tui Israel, & exaudies eos in universis, pro quibus invocaverint te.
53 Tu enim separasti eos tibi in hæreditatem de universis populis terræ, sicut locutus
es per Moysen servum tuum, quando eduxisti patres nostros de Ægypto, Domine
Deus. 54 Factum est autem, cum complesset Salomon orans Dominum omnem oratio-
nem,

nem, & deprecationem hanc, surrexit de conspectu altaris Domini: utrumque enim
genu in terram fixerat, & manus expanderat in cœlum. 55 Stetit ergo, & benedixit
omni ecclesiæ Israel voce magna, dicens: 56 Benedictus Dominus, qui dedit requiem
populo suo Israel, juxta omnia, quæ locutus est: non cecidit ne unus quidem sermo,
ex omnibus bonis, quæ locutus est per Moysen servum suum. 57 Sit Dominus Deus
noster nobiscum, sicut fuit cum patribus nostris, non derelinquens nos, neque proji-
ciens. 58 Sed inclinet corda nostra ad se, ut ambulemus in universis viis ejus, & cu-
stodiamus mandata ejus, & cæremonias ejus, & judicia, quæcumque mandavit patribus
nostris. 59 Et sint sermones mei isti, quibus deprecatus sum coram Domino, appro-
pinquantes Domino Deo nostro die, ac nocte, ut faciat judicium cum servo suo, & po-
pulo suo Israel per singulos dies. 60 Ut sciant omnes populi terræ, quia Dominus ip-
se est Deus, & non est ultra absque eo. 61 Sit quoque cor nostrum perfectum cum
Domino Deo nostro, ut ambulemus in decretis ejus, & custodiamus mandata ejus, sicut
& hodie. 62 Igitur rex, & omnis Israel cum eo, immolabant victimas coram Domi-
no. 63 Mactavitque Salomon hostias pacificas, quas immolavit Domino, boum vi-
ginti duo millia, & ovium centum viginti millia: & dedicaverunt templum Domini
rex, & filii Israel. 64 In die illa sanctificavit rex medium atrii, quod erat ante do-
mum Domini: fecit quippe holocaustum ibi, & sacrificium, & adipem pacificorum:
quoniam altare æreum, quod erat coram Domino, minus erat, & capere non pote-
rat holocaustum, & sacrificium, & adipem pacificorum. 65 Fecit ergo Salomon in
tempore illo festivitatem celebrem, & omnis Israel cum eo, multitudo magna ab in-
troitu Emath usque ad rivum Ægypti, coram Domino Deo nostro, septem diebus,
& septem diebus, id est, quatuordecim diebus. 66 Et in die octava dimisit popu-
los, qui benedicentes regi, profecti sunt in tabernacula sua lætantes, & alacri corde
super omnibus bonis, quæ fecerat Dominus David servo suo, & Israel popu-
lo suo.

℣. 2. IN MENSE ETHANIM IN SOLEMNI DIE.] A Tabernaculorum solemnitate [1], quæ celebratur septimo anni sancti mense. Mensis hic primus est anni civilis, & respondet Octobri partim, & partim Novembri. Usserius primam Dedicationis Templi diem Veneris fuisse ait, Octobris trigesimam, quæ octava erat septimi mensis. Populus in conventu Jerusalem ab hac die permansit usque ad vigesimam tertiam mensis ejusdem. Septem diebus celebrata fuit Templi Dedicatio, in quibus contigit solemnis Expiationis festivitas, quæ die Lunæ prima Novembris peracta fuit. Denique post perfectam Dedicationis festivitatem die Jovis Novembris quinta, septimi vero mensis decima quinta Tabernaculorum Festivitas, quæ septem adhuc obtinuit dies n Veneris die sexta Novembris usque ad Veneris diem B
decimam tertiam mensis ejusdem. Postridie vero die 22. septimi mensis sub vesperam, paullo antequam Sabbathum desineret, Rex Salomon cœtum dimisit; atque facultatem fecit, ut quilibet in domum suam dilaberetur. Crastina vero die 23. mensis septimi omnes in domum suam rediere. Hic annus erat Jubilæi, & quietis. Salomon consulto dedicationis Templi cæremoniam in hoc tempus distulerat, ut populo commodum suppeteret tempus in diuturnum adeo, ac insignem conventum. Alioqnin sine Templi dedicatione, vi Legis, adesse tenebantur, in eo loco, quem elegerat Deus, solemnis Expiationis, ac Tabernaculorum festivitates celebraturi.

℣. 3. TULERUNT ARCAM SACERDOTES.] Eduxerunt eam de Tabernaculo, quod erexerat David in C
Sion, vel in civitate David [2]. Sacerdotes ea in occasione Arcæ ferendæ subierunt, quod forte denudatam eam tulere, quemadmodum in Jordanis transitu, circum Jericho, & cum Arca in Civitatem David translata fuit, fecerant. At in deserto, cum Tabernaculi integumentis involuta deferebatur, tunc Levitæ oneri illius subibant. In II Paralip. 5. 4. scriptum est hac ipsa in celebritate, Levitas gestasse Arcam Domini. At nonne & Sacerdotes Levitæ sunt? Locus hic plane præfinit locum Paralipomenon indefinitum, & indeterminatum.

℣. 4. ET TABERNACULUM FOEDERIS.] Ubi Arca Fœderis servabatur. Duo tunc aderant Tabernacula; alterum in Gabaon, ubi Arca aliquandiu fuerat, & ubi Altare Holocaustorum permanserat; in Civitate David alterum, ubi David velut in depositum Arcam collocarat expectans, donec Templum ædificaretur. Interpretes haud unius sententiæ sunt, quoad alterutrum horum Tabernaculorum tunc fuerit translatio, nec quo consilio in Templum allatum fuerit, quandoquidem nullus illius esse usus poterat. Nonnulli [3] putant illuc utrumque fuisse translatum, & quod in Gabaon, & quod in David civitate aderat, ut omne tolleretur Idololatriæ, ac superstitionis periculum, atque ut Israelitæ omnes eodem Dominum adoraturi confluerent. At plerique [4] putant, Scripturam isthic præcipue loqui de translatione veri Tabernaculi Fœderis a Moyse extructi, quod multo ab hinc tempore in Gabaon fuerat collocatum. Nomen *Tabernaculi Fœderis* ad illud solum proprie spectat: Tabernaculum, quod David erexerat Domi suæ, ut ibi Arcam Domini constitueret, non erat verum Tabernaculum, sed fluxum, & perfunctorium domicilium. Arca ibi *sub pellibus* fuerat [5], in simplici quodam tentorio in aula Regiæ domus extructo; quamobrem noluit Salomon, ut uxor sua Pharaonis filia iis in ædibus habitaret, quas Arca Do-

1 Joseph. Antiqu. l. 8. c. 2.
2 Vide vers. 1. hujus Capitis: *ut deferrent Arcam Domini de Civitate David, idest, de Sion.*
3 Cajet. Cornel.
4 Joseph. l. 8. Antiqu. c. 2. Ribera, Serar. Tost. Sanct. Tir. Jun. &c.
5 2. Reg. 7. 2. *Vides quod ego habitem in domo cedrina, & Arca Dei posita sit in medio pellium.*

Domini præsentia decorarat : *Non habitabis uxor mea in Domo David Regis Israel, eo quod sanctificata sit, quia ingressa est in eam Arca Domini*; 2. Par. 8 11.

At Fœderis Tabernaculum in Gabaon eo modo erectum erat, quo fuerat in deserto. Idem erat tectorium, eædem cortinæ, eædem Aræ, quas fecerat Moyses, vel saltem ad illarum normam refectæ fuerant, ac reparatæ, prout priores terebantur; nam difficile est, quod credas, ea omnia, quæ Moyses fecisset, ad hoc usque tempus durasse. Ea vero summa populi reverentia excepta fuere, & ex omnibus sanctitatis locis, qui erant in Israel, Gabaon, quoad substitit, principem locum obtinuit [1]. Tabernaculum hoc rite in Templi thesauro fuit asservatum, usque dum Jerusalem a Chaldæis capta fuit. Tunc Jeremias particulari revelatione a Deo admonitus, ut caveret, ne sacra hæc monumenta pollucrentur, Tabernaculum, hoc est, Tabernaculi integumenta una cum Arca Domini, & Ara thymiamatum [2], in spelunca quadam abdidit, onde an deinceps educta fuerint, non liquet.

FEREBANT EA SACERDOTES, & LEVITÆ.] Quilibet, quod ad ipsum spectabat, gerebat. Sacerdotes quidem gestabant Arcam, mensam panum propositionis, Altare thymiamatum, aureum candelabrum, & ea, quæ ad hæc pertinebant. Levitæ vero ferebant Altare Holocaustorum, luteres, & ea, quæ ad ipsa spectabant, instrumenta.

℣. 5. IMMOLABANT OVES, & BOVES ABSQUE ÆSTIMATIONE, & NUMERO.] Sacerdotibus immolandas tradebant victimas, vel ipsi eas jugulabant, earumque sanguinem Sacerdotibus tribuebant, qui illum super Aras, quæ secus viam constitutæ fuerant, effunderent; namque hæc sacrificia in itinere peracta fuere ab ædibus Regis ad Domini Templum. Salomon plane exemplum Patris sui David secutus est [3], in senos passus aris extructis, ut ibi victimarum cruor effunderetur, quas populus offerebat. Josephus Antiqu. l. 8. c. 2. ait Regem, & populum præcessisse cum victimis Arcam, & Levitas omnem viam liquorum libationibus, & victimarum sanguine aspersisse. Magnam etiam aromatum vim adolebant, ut aer longius fragrantiam diffunderet, atque cœlesti odore omnipotentis Dei adventum nuntiaret.

℣. 6. INTULERUNT SACERDOTES ARCAM FOEDERIS . . . SUBTER ALAS CHERUBIM.] Superius cap. 6. 23. 27. adnotatum est, in Sanctuarii medio duos stantes Cherubim fuisse, qui alis expansis cum utrimque Sanctuarii parietes attingerent, in interiori parte operculum quoddam Arcæ efficiebant, quæ subtus erat posita. Arca super Altare e cedro compactum, & auro obductum erat collocata, iisque decorata erat ornamentis, quibus eam Moyses locupletarat. Cherubim ex auro ad malleum tuso, qui Propitiatorio inhærebant, alii penitus sunt a duobus majoribus Cherubim, sub quibus Arcam dicimus, veluti, tecto, fuisse collocatam.

℣. 8. CUMQUE EMINERENT VECTES, & APPARERENT SUMMITATES EORUM FORIS SANCTUARIUM ANTE ORACULUM, NON APPAREBANT ULTRA EXTRINSECUS; QUI & FUERUNT IBI USQUE IN PRÆSENTEM DIEM.] Habebat Arca duos satis oblongos vectes, qui per annulos secundum Arcæ longitudinem traducebantur, ut ea per deserti vias, vel brachiis, vel humeris posset gestari. Hos autem eu annulis suis numquam educendi erant, ut præceperat Moyses [4]; & cum Arca esset in Sanctuario, quod Moyses erexerat, vectes exterius apparebant, quia longiores erant: at cum in Sanctuarium a Salomone extructum translata fuit, vectium extremitates non amplius apparuere; eo quod Sanctuarii hujus profunditas duplo major erat, quam in Mosaico. Cæterum cum vectes hi, extrinsecus apparuisse dicuntur, nequaquam intelligendi sunt, perinde ac nudi extra Sanctuarium prodiissent; constat enim pretiosum adfuisse velum, quo sancti hujus loci aditus claudebatur: sed niti poterant contra velum illud, ita ut ex sinu, quem in ipso efficiebant, dignosci possent; vel etiam eorum extremitas inter utramque cortinam separationis prodire poterat. Hic autem sensus est, qui simplicior huic loco, qui negotium adeo Interpretibus facessit, tribui posse mihi videatur. Hebraicus textus ad literam habet [5]: *Elongarunt vectes, & horum vectium capita de interiori Sanctuario videbantur, ante Oraculum, at extrinsecus non videbantur; qui & fuerunt ibi usque in præsentem diem*. Exploratum est, locum hunc contradictionem involvere, ni saltem tempora distinguantur, & quemadmodum supra docuimus, explicetur.

Quod Auctor addit, vectes hos ævo quoque suo eodem pacto exstitisse, probat, ipsum scripsisse ante excidium Templi a Chaldæis diruti, atque ante Babylonicam captivitatem. At ex verbis illius inferri nequaquam potest, ipsum Salomonis ævo vixisse, neque quanto post illum tempore extiterit. Hæc locutio usque *in præsentem diem* dicitur modo de diuturno temporis intervallo, modo vero de tempore admodum brevi.

℣. 9. IN ARCA VERO NIHIL ERAT ALIUD NISI DUÆ TABULÆ LAPIDEÆ.] Quinam conciliari hæc possunt cum iis, quæ dicit S. Paulus ad Hebræos [6], in arca scilicet adfuisse, & urnam auream manna refertam, & Aaronis virgam, quæ floruerat? Difficultati huic multifariam occurritur [7]. Alii quidem ajunt, hactenus in Arca fuisse servatas non solum Tabulas duas Legis lapideas, verum etiam Legis Librum, quem Moyses præceperat, ut ad latus Arcæ poneretur [8], & urnam manna repletam [9], & Aaronis [10] virgam, quam Legislator veluti in depositum in Tabernaculo asservari jusserat. Donec Arca non fuit in certo, firmoque loco, hæc omnia asservata fuere in capsula, quæ præsertim duas Fœderis Tabulas capere debebat: sed cum Arca in Salomonis Templum illata fuit, duabus tantum lapideis Tabulis in ea relictis, cætera in Templi thesaurum posita sunt. Inde vero hæc responsio probari potest, quod in thesauro domus Domini Josiæ tempore liber Legis repertus est: 2. Par. 34. 14. *Cumque efferrent pecuniam quæ illata esset in Templum Domini, reperit Helcias Sacerdos librum Legis Domini per manum Moysi*.

Alii [11] Apostoli verba explicant, dicendo, ex Lege universa duas tantum lapideas Tabulas in Arca fuisse: Legum vero librum in Sacerdotum manu fuisse. At hoc minime obstat, quo minus in Arca alia adessent, quæ ad Legem minime spectarent. Alii denique [12] contendunt, re quidem vera Apostoli tempore, hoc est sub Judæorum Reipublicæ finem, in Arca

---

1 3. Reg. 3. 4. *Hoc quippe erat excelsum maximum*. 2 2. Macch. 2. 4. 5. *Quomodo Tabernaculum, & Arcam jussit Propheta divino responso ad se facto comitari secum, usquequo exiit in montem in quo Moyses ascendit & vidit Dei hæreditatem, & veniens ibi Jeremias invenit locum speluncæ, & Tabernaculum, & Arcam, & altare incensi intulit illuc, & ostium obstruxit*. 3 3. Reg. 5. 13. *Cumque transcendissent qui portabant Arcam Domini, sex passus, immolabant bovem, & arietem*. 4 Vide Exod. 25. 15.

5 ויאריכו הבדים ויראו ראשי הבדים מן הקדש על פני הדביר ולא יראו החוצה ויהיו שם עד היום הזה

6 Hebr. 9. 4. *In qua (Arca testamenti) urna aurea habens manna, & virga Aaron quæ frondueras, & tabulæ Testamenti*. 7 Vide Estium in Ep. ad Hebr. ubi de hoc fuse disserit.

8 Deut. 31. 24. *Tollite librum istum, & ponite in latere Arcæ Domini*.

9 Exod. 16. 33. 10 Num. 17. 10. 11 Ita Vatab. & alii. Vide Sanct. hic.

12 Theophyl. in c. 9. Ep. ad Hebr. Bellar. t. 2. l. 1. c. 17. Canus l. 2. de locis c. 11. Medina l. 6. c. 25. de recta in Deum fide.

Arca & Aaronis virgam, & mannæ urnam cum duabus Legis Tabulis fuisse; at Salomonis tempore hæc ibi nequaquam fuisse. Hæc responsio profecto firmior esset, ac validior, si certum esset Herodiani templi tempore, ac S. Paulo inter vivos degente Arcam in Sanctuario fuisse. Verum ambigitur, an postquam Arca a Jeremia in specu abdita fuit, rursum fuerit inventa, quemadmodum diximus ℣. 2. hujus Capitis; & Josephus l. 6. de Bello c. 6. palam ait tunc cum Romani Templum diruerunt, nihil in Sanctuario fuisse: ideoque hærere possumus explicationi, quam primum proposui.

℣. 10. NEBULA IMPLEVIT DOMUM DOMINI.] Non Sanctuarium dumtaxat, sed Sanctum quoque, totumque Atrium Sacerdotale, & fortasse quam late pateret area domus Domini nebulæ hujus majestate omnia fuisse repleta creduntur [1], & hanc palam toti populo prodidisse, quod Dominus Domus suæ possessionem adiret, ibique mansionem suam constitueret. Quomodo enim Salomon, & populus universus nebulæ hujus testes fuissent, nisi ultra Sanctum, & Sanctuarium processisset? Quomodo impedimento Sacerdotibus fuisset, ne munere suo fungerentur circum holocaustorum aram, nisi nubes totum illorum atrium occupasset? *& non poterant Sacerdotes stare, & ministrare propter nebulam*. Nebula hæc nequaquam obscura erat, crassa, & illis simillima, quæ super terras, vel super aquas apparent; nebula ex vaporibus compacta; lucida, ac simul subobscura erat, verum ea obscuritate, quæ cum majestate etiam conjuncta, igne intrinsecus mixto, qui penitiora nubis accenderet, & qui per nubis obscuritatem micaret. Salomon minime dubitavit, quo minus ea Numinis symbolum esset; ut enim eam intuitus est, elata voce exclamavit ℣. 12. *Dominus dixit, ut habitaret in nebula*. Hoc eodem symbolo se se populo suo in deserti itinere ostenderat, cumque sub nubis forma deduxerat Exod. 14. 19. 20. Cum etiam Moysi in Tabernaculo se se prodidit, nubes descendere visa fuit, quod Scriptura exprimit, dicens, Domini gloriam apparuisse Exod. 16. 10. Cum Tabernaculum in deserto dedicatum est, hoc ipsum miraculum contigit, quod isthic refertur Exod. 40. 32. & Numer. 19. 15. *Operuit nubes Tabernaculum Testamenti, & gloria Domini replevit illud*. Et cum descendit Dominus, ut populo suo Legem daret in monte Sinai, mons sex dierum spatio nube, & obscuritate circum undique septus apparuit Exod. 24. 16. *Habitavit gloria Domini super Sinai tegens illum nube sex diebus*. Denique David nobis exhibet Deum Israel, velut Deum obscuris nubibus in Tabernaculi morem circumseptum Psalm. 17. 12. *Posuit tenebras latibulum suum, in circuitu ejus Tabernaculum ejus*. Ex his omnibus intelligere licet, cur Salomon dicere potuerit, Dominum pollicitum, futurum ut in nube habitaret: *Dixit Dominus, ut habitaret in nebula*. Nonne satis voluntatem suam expresserat Dominus, hominibus tribuendi hoc symbolum præsentiæ suæ, cum toties illis apparuerit in nube; licet nusquam legamus ipsum hæc dixisse verba; morabor in tenebris, vel in *nebula habitabo*.

℣. 14. CONVERTITQUE REX FACIEM SUAM, ET BENEDIXIT OMNI ECCLESIÆ ISRAEL.] Salomon erat cum populo in atrio Israel. Ibi pro Rege thronus, vel æreum tribunal constitutum erat [2] trium cubitorum altitudine, ubi ipse poterat sedere, ut ajunt, dum populo in Templo sedere numquam liceret: *Omnis autem Ecclesia Israel stabat*. Benedictio, quam dedit Rex universo Israel, non tota isthic exprimitur: sed ℣. 15. 16. & qui sequuntur usque ad 22. pars illius fuisse videntur. Eos autem ad populum conversus protulit; deinde ad Aram revolutus, manibus ad cœlum elatis eam precem effudit, quam a ℣. 23. ad 54. legimus, & postquam vota nuncupasset, populo iterum benedixit. Salomon hac in re imitatus est &, Moysem, & David parentem suum, qui in occasionibus omnino similibus populo benedixerunt. Moyses quidem post totum opus Tabernaculi absolutum [3]; David autem postquam solemni pompa Arcam fœderis domum suam detulisset 2. Reg. 6. 17. *Cumque complesset offerens holocausta, & pacifica, benedixit populo in nomine Domini*.

℣. 22. STETIT SALOMON ANTE ALTARE DOMINI IN CONSPECTU ECCLESIÆ ISRAEL, ET EXPANDIT MANUS SUAS IN COELUM.] Salomon super solium stetit, donec populo benediait: sed simulac preces effundere incœpit, genua flexit, extulitque ad cœlum manus, quemadmodum videmus in 2. Paralip. 13. atque in ℣. 54. hujus capitis. Hebræi vulgo stantes orare consueverunt, & hoc primum est orationis exemplum, quam genibus flexis factam fuisse Scriptura testetur; at deinceps id genus exempla frequentia sunt. Esdras genua flectit, manusque ad cœlum extollit Dominum oraturus 1. Esdr. 9. 5. Isa. 45. 23. prædicit futurum, ut omne genu coram Deo Israel flectatur: *Mihi curvabitur omne genu*. Daniel ter in die facie ad Jerusalem conversa flectebat genua Dan. 6. 10. Deus Eliæ declarat, se sibi in Israel reservaturum septem hominum millia, qui genu minime flexerint Idolo Baal 3. Reg. 19. 18. *Derelinquam mihi in Israel septem millia, quorum genua non sunt incurvata ante Baal*. In Testamento Novo Sanctus Petrus Act. 9. 40. Sanctus Paulus ad Eph. 3. 14. & Sanctus Stephanus Act. 20. 36. flexis genibus orant, quod ipsum ad eorum exempla Christi Ecclesia consuevit.

Mos vero orandi manibus ad cœlum elatis pervulgatus est, & in Scripturis Act. 7. 60. & apud Ethnicos. Psalmista ait: *Exaudi, Domine, vocem deprecationis meæ, dum oro ad te, dum extollo manus meas ad Templum Sanctum tuum*. Vide, si lubet Psalm. 27. 2. 133. 3. & 140. 2. Eccli. 1. 22. 1. Timoth. 2. 8. &c. Et Virgilius de perfido Sinone loquens inquit, Æneid. 2. 153.

Sustulit exutas vinclis ad sydera palmas.

Immo Ethnici quoque flexis genibus orabant. Ovidius de Actæone in cervum mutato ait Metamorph. lib. 3.

Et genibus pronus, supplex, similisque roganti
Circumfert tacitos, tamquam sua brachia, vultus.

℣. 27. SI ENIM COELUM, & COELI COELORUM TE CAPERE NON POSSUNT, QUANTO MAGIS DOMUS HÆC QUAM ÆDIFICAVI.] Salomon gaudio, atque admiratione correptus, atque extra se raptus obstupescit, quod dignetur Deus mansionem sibi ea in domo constituere, quam ipse illi ædificarat. Fatetur autem ædificium hoc, licet locuples, nobile, & augustum, nihil esse habita Divinæ magnitudinis ratione; atque admiratur, quod velit Deus præsentiæ suæ notas præbere, atque hoc pacto sibi opus illud acceptum esse testari. Non ignorabat profecto Sapientissimus Princeps, universum orbem Divina præsentia repleri, terram Majestatis illius esse plenam; gloriam illius omnibus creatis rebus mirum in modum nitescere; & creata quæcumque esse veluti totidem linguas, quæ sapientiam, ac potentiam illius laudibus celebrant. Cum vero ait: *Ergone putandum est, quod vere Deus habitet super terram?* nequaquam dubitantis, vel ignorantis verba sunt; sed potius admirantis incomprehensibilem Dei benignitatem, qui non dedignatur inter homines versari, atque in terra eligere loca nomini suo dicata, ubi peculiari magis ratione resideat, quam alibi, per sensibiles præsentiæ suæ effectus, & per gratias, quas super illos

1 Sanct. hic. 2 2. Par. 6. 13. *Fecerat Salomon basim æneam, & posuerat eam in medio Basilicæ, habentem quinque cubitos latitudinis, & tres cubitos altitudinis: stetitque super eam*.
3 Exod. 39. 43.

A illos effundit, qui eum deprecantur, & denique per publicum, solemnemque cultum, quo ibi coli desiderat.

COELUM, & COELI COELORUM.] Nescimus quot Cœlos Veteres Hebræi cognoscerent: verum ex Scriptura liquet, plures ab ipsis admitti consuevisse. Cœli nomen tribuebant aeri, ubi volucres volant, atque nubes, & pluviæ constantur. Nomine eodem vastam extensionem, ubi Sol, Luna, ac Stellæ circum terram orbem suum complere videntur, vocabant. Denique Æterni Numinis sedes, *Cœlum Cœlorum* [1] nuncupabatur, veluti Cœlorum omnium maxime sublime, maxime speciosum, & exornatum, quo in sensu Hebræis solemne est, dicere Deum Deorum, Canticum Canticorum, sæculum sæculorum, Regem
B Regum, vanitatem vanitatum, Sanctum Sanctorum, &c. pro Deorum maximo, Canticorum optimo, Regum potentissimo &c. *Cœlum Cœlorum* a S. Paulo tertium Cœlum vocatum fuit [2], atque a Theologis aliis, atque aliis nominibus fuit appellatum pro eorum de universorum constitutione sententia, cum alii majorem, minorem alii Cœlorum numerum admittant. Basilidiani, Hæretici veteres, tercentos & sexaginta quinque cœlos numerabant [3], totidam scilicet, quot anni dies.

℣. 29. ERIT NOMEN MEUM IBI.] Locus hic Domus mea vocabitur; ibi mei nominis gloria effulgebit, illum insignem reddam miraculorum, quæ ibi patrabo, frequentia; illuc homines confluent mihi obsequii sui, observantiæ, atque cultus signa præ-
C bituri.

℣. 31. SI PECCAVERIT HOMO IN PROXIMUM SUUM, & HABUERIT ALIQUOD JURAMENTUM . . . & VENERIT PROPTER JURAMENTUM CORAM ALTARI TUO .. (32) TU EXAUDIES IN COELO, & FACIES, & JUDICABIS SERVOS TUOS CONDEMNANS IMPIUM.] Quidam casus adsunt, in quibus præcipit Lex, ut jusjurandum a reo extorqueatur, ac fides habeatur illi, quod ipse in Domini nomine in Templo coram Ara, & Sacerdotibus interposita sacramenti fide affirmaverit. Exempli gratia, cum depositarius se depositum accepisse negat; vel cum viro cuipiam credita fuerint armenta, quæ deinde vel interierint, vel vulnerata fuerint, vel direpta, vel amissa, si de custodia fide dubium est, neque argumenta contra illum sup-
D petant, illius verbo standum est; atque juxta illius jusjurandum damnandus erit, vel absolvendus ejus falsi crimine, cujus alioquin posset insimulari [4]. Salomon igitur Dominum orat, ut veritatem detegat, atque velit, justitiam, ac innocentiam de injustitia, pravaque fide triumphum agere, cum quispiam in Templum juraturus accesserit: atque obtestatur, ne impium Altarium Dei sanctitatem illudere, neque impune in Templo suo falso, ac sacrilege perjurare quemquam patiatur; verum insigni pœna in ipsos deſæviat; ac tandem precatur, ut innocentia injuste oppressa, veritas perperam læsa, vel dolo malo tecta ad Aram ipsius tutum inveniant asylum adversus illos, qui eas persequuntur.

Nemo nescit Veteres vulgo jurare consuevisse A-
E ras tangendo. Annibal adhuc puer ad Aras internecinas adversus Romanos inimicitias juravit. Martialis.

Hunc puer ad Lybicas juraverat Annibal aras.

Rex Latinus fœdus cum Ænea jurat Aras, & ignem, qui illic ardebat, attingens. Virgil. Æneid. 12. 201.

Tango Aras, mediosque ignes, & Numina testor:
Nulla dies pacem hanc Italis, nec fœdera rumpet,

A ℣. 34. REDUCES EOS IN TERRAM.] Quam dedisti patribus illorum, si umquam in servitutem miserrimam fuerint abducti. At de illis minime arbitrandum est, dictum esse, quod est in superiori versiculo, scilicet venturos in Templum pro libertate sua deprecatum; hoc enim supponeret ipsos jam esse in Jerusalem, & contradictionem involveret. Captivi autem hoc tantum facere poterant, videlicet, ut e loco exilii sui ad Templum conversi, quemadmodum Daniel assueverat, Deum invocarent.

℣. 37. PESTILENTIA, AUT CORRUPTUS AER, AUT ÆRUGO, AUT LOCUSTA, VEL RUBIGO.] Hebraicus textus hoc pacto [5] verti potest: *Si oborta fuerit pestilentia, vel pravus aer* (ventus exurens, & messem corrumpens, siccitas, grando [6],) *vel ærugo* (ne-
B bula, cum humor, quo plantæ nutriuntur, vitiatur, & aristas corrumpit; ita ut quando attinguntur, in terrum, fœtidumque pulverem dissipantur) *locusta, & bruchus*, qui est minor locusta.

℣. 38. SI QUIS COGNOVERIT PLAGAM CORDIS SUI.] Salomon vult, hominem ad malorum suorum originem manum admovere, atque ut Dei iram sedet, primum ex penitioribus cordis sui peccatum evellere, quod lædit Deum, & mederi vulneri huic, propter quod a creaturis tot patitur mala. Plaga cordis naturaliter peccatum significat; at significare quoque potest plagas, quibus Deus percutit animam peccatoris, & afflictiones, quibus eumdem obruit. Septuaginta [7] hoc in sensu intellexerunt. Deus per Moysem minatur Pharaoni Exod. 9. 14. *Mittam omnes*
C *plagas meas super cor tuum, & super servos tuos &c.* hoc est, se illum omnibus iis affecturum esse suppliciis, quæ illius obdurata animi pertinacia merebatur. Nonnulli pro cordis plaga intelligunt [8] dolorem, pœnitentiam, conscientiæ stimulos. Si quis dolore tactus ad te revertitur, & te deprecatur, audi preces illius, ac illius votis subscribe.

℣. 39. SECUNDUM OMNES VIAS TUAS, SICUT VIDERIS COR EJUS.] Deus minus tangitur verbis nostris, & eo corporis habitu, quo preces effundimus, quam interioribus cordis dispositionibus, quas simatur, atque vita nostra antestata. Nequicquam ad cœlum manus extollis, si manus hæ cruore fluunt, ac plenæ sunt injustitia. Nequicquam malis coacti, atque ærumnis obruti ad Dominum confugimus, nisi
D cor nostrum sceleris dolore contritum, initio saltem amoris fovetur, quo omnis justitiæ fontem, quam vitæ sceleribus coinquinavit, diligere incipiat.

℣. 41. ALIENIGENA . . . . CUM VENERIT DE TERRA LONGINQUA PROPTER NOMEN TUUM.] Non Israelitæ solum undequaque gentium Jerusalem confluebant in Templum, Dominum suum veneraturi; verum Ethnici quoque vel illuc accedebant, vel alios mittebant. Reges gentium infidelium maxima in Templum munera inferebant, offerebantque Domino holocausta. Quemadmodum Deus est Deus omnium Nationum; ita omnibus hominibus jus est ad Templum; & summa cum animi voluptate alienigenæ videbantur accedere, ut supremum Dei Israel dominium agnoscerent. Dum primum adhuc Templum erat, Reges
E ipsi vel mittebant, vel offerebant munera sua [9]: *A Templo tuo, quod est in Jerusalem, tibi afferent Reges munera.* At post captivitatem videtur Deus voluisse exteros Reges majoribus, magisque copiosis gratiis allicere. Cyrus [10], Artaxerses [11], Alexander Magnus [12], Ptolomæus Philadelphus [13], Seleucus Rex [14], ac Romani Imperatores [15] insigni sane liberalitate templum hoc muneribus suis decorarunt. Immo post captivitatem solùm in Templo extructa videtur

1 Psalm. 67. 36. & 113. 16. & Deut. 10. 14. 2 2. Corinth. 12. 2. *Raptum usque ad tertium cœlum.*
3 Vide Exod. 22. 11. 4 Vide Exod. 22. 11. 5 דבר כי יהיה שדפון ירקון ארבה חסיל כי יהיה
6 Ita Syr. *Grandinis devastatio.* 7 ὡς ἂν γνῶσιν ἕκαστος ἁφὴν καρδίας αὐτοῦ.
8 Vatab. Cornel. 9 Psalm. 67. Vide & Par. 32. 23. 10 1. Esdr. 3. 7.
11 1. Esdr. 6. 9. & 7. 21. 12 Joseph. Antiqu. l. 11. c. ult.
13 Idem Antiqu. l. 12. c. 2. 14 2. Macch. 3. 2. 3. 15 Joseph. Antiq. l. 16. c. 8. & l. 6. de Bel. c. 16.

tur fuisse ea ingens area, de qua Josephus lib. 2. contra Appion. loquitur, quo Ethnici accedere poterant Dominum coram Templo illius adoraturi. Hoc enim septum nullibi memorari invenimur in Templo, quod Dominus ædificavit.

Porro alienigenæ accedebant ad Templum, ut vel Judæorum sacris initiarentur, vel Deum hunc, de quo tot prodigia celebrabantur, agnoscerent, vel adorarent, & simpliciter veluti singularis populi numen venerarentur, quin de unitate, ac aliis attributis ipsius distinctam cognitionem haberent. Alii interiori pietatis motu adigebantur, velut ii, de quibus S. Johannes loquitur, qui cupidi fuere videndi J. C. [1]. Alii denique ex iis Ethnicis erant piis quidem, ac timentibus Deum, qui absque eo quod Judaicam Religionem amplecterentur, naturalis Religionis Legum erant observatores; ex quibus erant Eunuchus Reginæ Candacis [2], & Cornelius Centurio, de quibus in Actis Apostolorum est sermo [3]. Salomon Dominum obtestatur, ut alienigenarum vota exaudire velit, qui ad Templum illius accesserint, atque super eos munerum suorum, ac benedictionum divinum imbrem effundat.

℣. 44. ORABUNT TE CONTRA VIAM CIVITATIS, QUAM ELEGISTI.] Judæorum, qui procul aberant a Jerusalem, hæc fuit semper consuetudo, ac religio, ut ad eam urbem se se oraturi converterent. Daniel [4] ter quotidie fenestras aperiebat, flectebatque genua, ut Jerusalem versus in cubiculo suo vota nuncuparet. Christiani prisci orantes ad orientem faciem convertere assueverant [5] veluti oculis suis Jesu Christi spiritum sectaturi, qui *Ascendit super cœlum cœli ad Orientem* Psal. 67. 34.

℣. 51. DE MEDIO FORNACIS FERREÆ.] Pervulgata Scripturæ locutio ad innuendam sævissimam Hebræorum in Ægypto servitutem [6]. Erant velut ferrum in fornace. Homerus propemodum simili loquendi ratione usus est Iliad. E. cum ait Martem ab Alcidis in dolium, vel æreum carcerem conjectum fuisse, ubi decem ac tribus mensibus permansit.

℣. 59. UT FACIAT JUDICIUM SERVO SUO.] Ut illi autem præbeat, cum jure conqueritur, illumque adversus injustos persecutores ejus tueatur; atque in gravissimis illius laboribus, & ærumnis causam ejus suscipiat, ac pro ipso judicium ferat.

℣. 63. MACTAVIT SALOMON .... BOUM VIGINTI DUO MILLIA .... & DEDICAVERUNT TEMPLUM DOMINI.] Septem diebus, quibus Dedicationis hujus festivitas celebrata est, immolata fuerunt, taurorum quidem viginti duo millia; ovium autem, vel arietum, vel caprarum (Hebraica enim vox [7] quodlibet minutum pecus significat) centum & viginti millia; præter ea, quæ propriis sumptibus privati mactavere, quorum quoque magna erat vis. Dedicatio quidem, & sacrorum locorum consecratio a Moysis lege non præcipitur: at recta ratio, atque generalis Religionis idea, & obsequium, quod erga Deum natura insevit hominibus, satis illos edocuit, quomodo res sacras, & Templa ab aliis communibus rebus, atque profanis secernere tenerentur per cæremonias, atque solemnes consecrationes. Moyses ipse exemplum præbuit Exod. 11. 2. 9. in Tabernaculi erectione, illudque secutus fuerat David consecrans locum sanctum, quem in ædibus suis extruxerat, ut ibi Arcam exciperet 1. Reg. 6. 17. 18. Cum Israel de captivitate redit, novum Templum solemni ritu dedicatum fuit 1. Esdr. 3. 52. ibique altera dedicatio peracta est, cum illic Macchabæi Divinum cultum instaurarent, qui per Antiochi Epiphanis persecutionem fuerat intermissus 1. Macch. 4. 56. Privatorum quoque Domus apud Hebræos religiosa quapiam cæremonia, atque publico lætitiæ signo dedicabantur Deuter. 20. 5. Hoc idem apud Profanos videmus. Nabuchodonosor solemni pompa auream, quam erexerat, statuam dedicavit Dan. 3. 1. atque ea consecratio in communi totius populi celebritate ad omnis generis instrumentorum sonum peracta est. Apud Romanos Templa, Aræ, Luci, ædificia publica, statuæ, agri, fori dedicabantur, quæ solemnitas perfici tantum poterat vel ab Imperatore, vel a Consule capite cooperto, qui præeunte pontifice maximo rite vetustas preces proferret. Adesse vero debebat tibicen, foculo posito; nec non concio populi ad id erat convocanda. Vide Ciceronem in Orat. pro domo sua, & Alexand. ab Alex. Genial. dier. l. 6. c. 14.

℣. 64. SANCTIFICAVIT REX MEDIUM ATRII .... QUONIAM ALTARE ÆREUM, QUOD ERAT CORAM DOMINO MINUS ERAT &c.] Tumultuarium altare excitatum est in medio atrii Sacerdotalis, ut ibi posset immolari, ac victimas comburi, cum pro victimarum copia æreum Altare non satis esset. Notandum est, Æreum Altare, vel Altare Holocaustorum positum fuisse e conspectu ostii Sancti in superiori parte atrii Sacerdotalis. Altare hoc non mediocris erat magnitudinis [8], longitudo enim illius erat cubitorum 20 seu pedum 34. & unciarum 2. cui par erat latitudo; altitudo vero cubitorum decem, hoc est pedum 17. & unciæ unius. Verum hæc latitudo nequaquam sufficere poterat pro magna Holocaustorum, quæ ibi comburenda erant, copia. Nam pro aliis sacrificiis, in quibus sat erat cruorem ad altaris pedes effundere, & adipem igni adolere, minus spatium requirebatur. Præcepit igitur Salomon, ut *Sanctificaretur medium atrii*, ibique ara extrueretur, ubi vinum, & cruor libari posset, atque ex victimæ cremarentur, quibus in ara magna locus esse non posset. In 2. Paral. 7. 1. legimus ignem de cœlo dilapsum, absumpsisse holocausta, quæ super altari erant posita: *Cum complesset Salomon fundens preces, ignis descendit de cœlo, & devoravit holocausta, & victimas.*

℣. 65. AB INTROITU EMATH, USQUE AD RIVUM ÆGYPTI.] A faucibus, qua per Libani montes aditus patet proficiscentibus in Emath usque ad Nili ramum, qui Arabiæ est propior [9]. Ab una regionis extremitate ad alteram.

FESTIVITATEM CELEBREM .... SEPTEM DIEBUS, & SEPTEM DIEBUS.] Dedicationem septem diebus celebravit, mox vero & Tabernaculorum festivitatem diebus aliis septem. Vide quid dictum sit in primum capitis hujus versiculum.

℣. 66. IN DIE OCTAVA DIMISIT POPULOS.] Dies hæc Sabbathum erat vigesima secunda mensis septimi. Facultatem se illis facere edixit, ut quivis abiret: & die vigesima tertia mensis ejusdem Israelitæ domos suas dilapsi sunt, quemadmodum in Paralipomenis enarratur [10]. In aliis Religionis cœtibus nequaquam necesse erat petere, vel obtinere abeundi facultatem, ut festivitas desierat, quisque domum suam revertebatur: at hac in occasione, cum cœtus ad Regis imperium fuisset habitus, illius nutum opperiri debebant, ne injussi reverterentur.

BENEDICENTES REGI PROFECTI SUNT.] Rex omnia illis precatus bona dimiserat, illique ab eo venerabundi recedentes pro illius incolumitate similia vota nuncuparunt. Apud Orientales dignissimus quisque, & qui majori auctoritate præfulget prior salutem impertit; ad quam consuetudinem S. Paulus alludit, cum ait ad Hebr. 7. 7. *Sine ulla contradictione quod minus est a meliore benedicitur.*

CAPUT

1 Joan. 12. 20. *Erant autem quidam Gentiles ex his qui ascenderant ut adorarent in die festo: hi ergo accesserunt ad Philippum ... dicentes: Domine volumus Jesum videre.* 2 Act. 8. 27. 3 Act. 10. 1.
4 Dan. 6. 10. *Fenestris apertis in cœnaculo suo contra Jerusalem, tribus temporibus in die flectebat genua sua, & adorabat &c.* Vide & hic ℣. 48. 5 Vide, si lubet, Just. qu. ad Orthod. q. 118. Tertul. Apol. c. 16. Epiph. hær. 19. & alios. 6 Deut. 4. 20. Jerem. 11. 4. 7 וצאן מאה ועשרים אלף
8 2. Par. 4. 6. *Fecit quoque altare æneum 20. cubitorum longitudinis, & 20. cubitorum latitudinis, & 20. cubitorum altitudinis.* 9 Vide dicta ad Josue 13. 3. & Num. 53. 22. & Josue 13. 5.
10 2. Par. 7. 10. *Die vigesimo septimo mensis septimi dimisit populos.*

CAPUT IX.

Dominus iterum Salomoni apparet. Hic Rex plurimas urbes ædificat, plures populos imperatam pecuniam quotannis solvere, adigit; & in Ophir onerariam classem dimittit, quæ inde maximam auri vim revehit.

1. FActum est autem, cum perfecisset Salomon ædificium domus Domini, & ædifi-
cium regis, & omne, quod optaverat, & voluerat facere, 2 Apparuit ei
Dominus secundo, sicut apparuerat ei in Gabon. 3 Dixitque Dominus ad
eum: Exaudivi orationem tuam, & deprecationem tuam, quam deprecatus es coram
me: sanctificavi domum hanc, quam ædificasti, ut ponerem nomen meum in sempi-
ternum, & erunt oculi mei, & cor meum ibi cunctis diebus. 4 Tu quoque si am-
bulaveris coram me, sicut ambulavit pater tuus, in simplicitate cordis, & in æqui-
tate,: & feceris omnia, quæ præcepi tibi, & legitima mea, & judicia mea servave-
ris. 5 Ponam thronum regni tui super Israel in sempiternum, sicut locutus sum
David patri tuo, dicens: Non auferetur vir de genere tuo de solio Israel. 6 Si au-
sem aversione aversi fueritis vos, & filii vestri, non sequentes me, nec custodien-
tes mandata mea, & cæremonias meas, quas proposui vobis, sed abieritis, & co-
lueritis deos alienos, & adoraveritis eos: 7 Auferam Israel de superficie terræ,
quam dedi eis: & templum, quod sanctificavi nomini meo, projiciam a conspectu
meo, eritque Israel in proverbium, & in fabulam cunctis populis. 8 Et domus
hæc erit in exemplum: omnis qui transierit per eam, stupebit, & sibilabit, & dicet:
Quare fecit Dominus sic terræ huic, & domui huic? 9 Et respondebunt: Quia de-
reliquerunt Dominum Deum suum, qui eduxit patres eorum de terra Ægypti, & secuti
sunt deos alienos, & adoraverunt eos, et coluerunt eos: idcirco induxit Dominus super eos
omne malum hoc. 10 Expletis autem annis viginti postquam ædificaverat Salomon
duas domos, id est, domum domini, & domum regis, 11 (Hiram rege Tyri præ-
bente Salomoni ligna cedrina, & abiegna, & aurum juxta omne quod opus habue-
rat) tunc dedit Salomon Hiran viginti oppida in terra Galilææ: 12 Et egressus est
Hiram de Tyro, ut videret oppida, quæ dederat ei Salomon, & non placuerunt
ei, 13 Et ait: Hæccine sunt civitates, quas dedisti mihi, frater? Et appellavit
eas terram chabul, usque in diem hanc. 14 Misit quoque Hiram ad regem Salo-
monem centum viginti talenta auri. 15 Hæc est summa expensarum, quam ob-
tulit rex Salomon ad ædificandam domum Domini, & domum suam, & Mello, &
murum Jerusalem, & Heser, & Mageddo, & Gazer. 16 Pharao rex Ægypti ascen-
dit, & cepit Gazer, succenditque eam igni: & Chananæum, qui habitabat in ci-
vitate, interfecit, & dedit eam in dotem filiæ suæ uxori Salomonis. 17 Ædifica-
vit ergo Salomon Gazer, & Bethoron inferiorem. 18 Et Baalath, & Palmiram in
Terra solitudinis. 19 Et omnes vicos, qui ad se pertinebant, & erant absque
muro, munivit, & civitates curruum, & civitates equitum, & quodcumque ei pla-
cuit, ut ædificaret in Jerusalem, & in Libano, & in omni terra potestatis suæ.
20 Universum populum, qui remanserat de Amorrhæis, & Hethæis, & Phe-
rezæis, & Hevæis, & Jebusæis, qui non sunt de filiis Israel: 21 Horum fi-
lios, qui remanserant in terra, quos scilicet non potuerant filii Israel extermina-
re, fecit Salomon tributarios usque in diem hanc. 22 De filiis autem Israel non
constituit Salomon servire quemquam, sed erant viri bellatores, & ministri ejus, et
principes, et duces, et præfecti curruum, et equorum. 23 Erant autem princi-
pes super omnia opera Salomonis præpositi quingenti quinquaginta, qui habebant
subjectum populum, et statutis operibus imperabant. 24 Filia autem Pharaonis a-
scendit de civitate David in domum suam, quam ædificaverat ei Salomon: tunc æ-
dificavit Mello. 25 Offerebat quoque Salomon tribus vicibus per annos singulos
holocausta, et pacificas victimas, super altare, quod ædificaverat Domino, et ado-

lebat thymiama coram Domino : perfectumque est templum. 26 Classem quoque fecit rex Salomon in Asiongaber, quæ est juxta Ailath in littore Maris rubri, in Terra Idumææ. 27 Misitque Hiram in classe illa servos suos viros nauticos, et gnaros maris cum servis Salomonis. 28 Qui cum venissent in Ophir, sumptum inde aurum quadringentorum viginti talentorum, detulerunt ad regem Salomonem.

℣. 1. APPARUIT EI DOMINUS SECUNDO.] Quo A tempore secunda hæc apparitio contigerit, non una est auctorum sententia. Alii [1] contendunt, Deum secundo apparuisse Salomoni dumtaxat post duos & viginti annos e priori apparitione, tunc scilicet cum omnibus ædificiis finem imposuit. Sermonis contextus ad hanc sententiam nos videtur impellere; quandoquidem Scriptura hanc apparitionem post ea verba refert : *Cum perfecisset Salomon ædificium domus Domini, & ædificium Regis, & omne, quod optaverat, & voluerat facere.* At alii [2] ajunt Deum illi iterum apparuisse nocte eadem, quæ Templi dedicationem, & Salomonis preces est consecuta. Quæ enim veritatis species esse potest, Deum decem, & trium annorum spatio cunctatum fuisse, antequam Regis precibus re- B sponderet : & post tempus illud tandem apparuisse, atque dixisse illi : *Exaudivi orationem tuam, & deprecationem tuam, quam deprecatus es coram me; sanctificavi domum hanc* &c. Præstat autem primum capitis hujus versiculum ad calcem capitis superioris subscribere, veluti eorum, quæ hactenus dicta sunt, conclusionem; & a ℣. 2. capitis hujus initium novi sermonis deducere, qui usque ad ℣. 10. perseveret; cum Auctor isthic referre voluerit, quid Salomoni respondisset Deus, ne narrationis suæ series abrumperetur.

Deus igitur nunc secundo Salomoni apparet, quemadmodum paruerat in Gabaon, scilicet nocte, quæ preces illius est subsecuta. In Paralipomenis [3] liquido noctis exprimitur circumstantia; nec non credi C potest, in extatico, ac supernaturali somno Salomoni apparuisse Dominum eo, quæ isthic afferuntur, respondentem. Hæc autem apparitio secunda solum fuisse censetur, licet Scriptura [4] tertiam insuper videatur innuere. Verum pronius fidei est, hanc apparitionem nihil esse aliud, quam anacephalæosim, vel brevem hujus ipsius narrationem. Nec desunt, qui putent hanc nequaquam fuisse immediatam, quæ Salomoni contigerit apparitionem, sed cujusdam Prophetæ, Dei verbis illum alloquentis, orationem. Vide, si lubet, Sanctium.

℣. 7 DE SUPERFICIE TERRÆ, QUAM DEDI EIS.] Vel penitus perdam illum, delebo memoriam illorum, quemadmodum accidit illis, qui in calamitosis iis regionibus aderant, cum Jerusalem e Romanis ca- D pta fuit, qui innumeros eorum morti dedere, vel exterminabo illum, ejiciam de terra hac, atque in alias dissipabo terras : denique in captivitatem abripientur, quod e Nabuchodonosor, & Salmanasar factum est.

TEMPLUM . . . . PROJICIAM A CONSPECTU MEO.] Vult quidem Deus in manufactia Templia inter homines habitare, eaque habet, veluti loca privilegiis distincta, atque asylos, ubi affluenter munera sua, & benedictiones effundit, atque ubi magis admirabiles præsentiæ illius effulgent effectus; sed simulac homo Deum deserit, & flagitiis suis polluit Templum interius, cujus exterius est dumtaxat velut umbra, recedit Deus; atque peccatori ostendit, A quam parum obsequio tantum exteriori, atque cultu simpliciter materiali afficiatur Omnipotens. Haud ægre ea loca derelinquit, quæ solum ut hominum pietati velificaretur, eligere dignatus fuerat; neque magis Divina exardescit ira, quam cum Templa gloriæ nominis sui dicata patitur profanari; atque cum nostra supplicium hoc peccata promeruerunt, asseri jure potest, Deum nobis præpedire voluisse viam, qua facilius cum ipso redire possemus in gratiam. Tunc meremur, ut ipse nos deserat, neque ad Deum reverti posse amplius sperandi locus est, & veniam impetrandi polluti templi, propter quod in nos Divinæ indignationis effectus convertimus, nisi dignos pœnitentiæ fructus faciamus.

ERIT ISRAEL IN PROVERBIUM, ET IN FABULAM B CUNCTIS POPULIS.] Hæ minæ sunt pluries contra Judæos intentatæ [5], ac pluries etiam in ipsis adimpletæ. Quotiescumque Dominum dereliquerunt, ab omnibus fuerunt contempti; ut cum Domino fideles perstitere, semper nominis celebritate, rerum omnium copia, ac felicitate floruerunt. Arca e Philisthiim capta, Templum e Sesac direptum, e Nabuchodonosor incensum, ab Antiocho profanatum, ac denique e Romanis eversum, minas has haud effectu caruisse perquam liquido probant.

℣. 8. DOMUS HÆC ERIT IN EXEMPLUM.] Justitiæ meæ; Vel simpliciter : Erit in exemplum urbis calamitosæ, atque a Deo percussæ. Hebraice [6] : *Et domus hæc erit Excelsum*; similis fiet locis illis, quæ olim Ethnicorum superstitio consecravit. Ab omni- C bus relinquetur, atque contemptui habebitur. Vel; in lapidum cumulum, in ruderum acervum redigetur. Jonathan : *Domus hæc, quæ erat adeo elevata, demum evertetur.* Alii [7] : Hoc templum, quod adeo celebre futurum est, atque in hominum famam debet assurgere, tandem in rudera corruet. Denique : Hæc Domus Altissimi eo miseriæ redigetur, ut viatores illudant ei, dicentes : curnam Dominus hoc pacto eam subvertit. Paralipomenon textus explicationi huic suffragatur; Hebraice enim habet [8] : *Domum hanc, quæ fuit Altissimi, quicumque transiverit, obstupescens mirabitur* &c.

℣. 10. EXPLETIS ANNIS VIGINTI.] Septem annos, & dimidiatum in Templo ædificando insumpsit; duodecim vero cum dimidio in ædium suarum sub- D structione; quod evinci potest conferendo diversos locos, ubi de his ædificiis est sermo. Vide 3. Reg. 7. 1. & 9. 10. & 2. Par. 8. 1.

℣. 11. DEDIT SALOMON HIRAM VIGINTI OPPIDA IN TERRA GALILÆÆ.] In inferiori Galilæa in tribu Aser, non procul ab Araib; & Ptolemaide. Ea enim finitima erat ditioni Hiram, & prope Phœniciam. Salomon dedit has urbes Hiram, qui de ipso perquam bene in ædificiorum illius extructione meritus fuerat. Etenim commodaverat Hiram Salomoni artifices, qui ligna cæderent, eaque transferrent, atque etiam maximam auri vim subinde Salomoni mutuam dederat [9]. Verum quidem est, Salomonem Regi Tyrio identidem annonam, & oleum in totius domus suæ victum suppeditasse; ut merces nequaquam

1 Sanct. hic, Salian. 2 Ita Joseph. Antiqu. l. 8. c. 4. Jun. Malv. Pisc.
3 2. Par. 7. 12. *Apparuit autem ei Dominus nocte.* 4 3. Reg. 6. 11. *Factus est sermo Domini ad Salomonem, dicens &c.* 5 Deuter. 28. 37. 29. 24. Jerem. 22. 18.
6 והבית הזה יהיה עליון 7 70. Καὶ ὁ οἶκος οὗτος ἔσται ὑψηλός. Vide Pagn. Vat. Jun.
8 2. Par. 7. 21. והבית הזה אשר היה עליון לכל עבר עליו ישם
9 Mox. ℣. 14. *Misit Hiram ad Salomonem centum viginti talenta auri.*

quam par erat operæ, quam Tyrii præstiterant, nisi Rex ille aliquid ultra addidisset. Credidit autem se nihil acceptius factutum esse, neque utilius Regi Hiram, quam si dono illi dedisset oppida viginti, ditioni ejus finibus proxima, qui admodum erant angusti; at Hiram minime acquievit ob exiguam adeo mercedem; reddidit Salomoni oppida, quem procul dubio aliunde Tyrio satisfecisse credendum est, licet de hoc non meminerit Scriptura.

Quædam oritur difficultas, quomodonam potuerit Salomon tradere Regi Hiram hæc oppida? Eratne pietatis, atque tanti Principis sapientiæ viginti urbes ab Israel hæreditate divellere, ut eas extero, ac infideli Regi subjiceret? Nonne Dominus Hebræorum Deus regionis hujus dominium, ac proprietatem sibi servarat? Nonne pluries in Scripturis edixerat, terram Israel suam esse, & populum fructu solum illius frui debere? *Terra non vendetur in perpetuum, quia mea est; & vos advenæ, & coloni mei estis* Lev. 25. 23. Quod vero in discrimen vocabat ille has civitates, eas Idololatræ Regis ditioni permittens?

Ut Salomonem a probris his tueatur, Grotius in lib. de Jure bel. & pac. c. 3. ar. 12. ait, civitates has bello captas a Salomone fuisse, atque ad eum victoriæ jure, veluti proprium Dominum attinuisse. Eas de hostibus populi sui ceperat, qui ad hanc diem in iisdem civitatibus permanserant. Harum etiam quædam ipsi cessisse poterant, quod Ægypti Rex eas filiæ in dotem tradiderat. Nullum igitur dubium est, quin Salomon de iis potuerit, velut de rebus proprii ipsius dominii, disponere. Allatus auctor addit, terram Chabul finibus Israelitarum nequaquam comprehendi; & Josue 19. 27. tribus Aser limites circumscribens, eos traducit secus regionem *Chabul*: *Egreditur ad lævam Chabul*. Denique inde liquido patet, Hebreos nondum regiones eas possedisse, easque ab alienigenis fuisse excultas, quod Salomon, cum intellexisset, eas Hiram minime acceptas esse, eas recepit, illucque ad incolendas urbes Hebræorum colonias deduxit: *Civitates, quas dederat (vel reddiderat) Hiram Salomoni, ædificavit, & habitare ibi fecit filios Israel* 2. Par. 8. 2.

Alii [1] contendunt, Salomonem nequaquam cessisse dominium, & proprietatem harum urbium Hiram, sed ad tempus dumtaxat illi permisisse, ut terræ fructibus frueretur, donec Princeps hic sumptus, quos fecerat, & pecunias, quas Salomoni miserat ad Templi substructionem, reparasset; Judæorum vero Regem facultatem liberam exercendi Judaicam Religionem reservasse pro fratribus illis, qui in iis civitatibus immorabantur; quas præcipue incolebant Chananæi. At denique cum horum oppidorum cessio nullum obtinuerit effectum, non est, cur nobis diutius negotium facessat.

℣. 13. HÆCCINE SUNT CIVITATES, QUAS DEDISTI MIHI, FRATER.] Licet levis hæc intercesserit disceptatio, Salomon, & Hiram semper perfecto amicitiæ fœdere juncti fuerunt. Salomon alia quapiam ratione Regi Tyrio pro exhibitis ab ipso subsidiis satisfecit. Duo hi Reges se se mutuo fratres appellant; quæ tamen apud omnes Orientis Reges inter se obtinuerat consuetudo. Achab hoc nomine vocat Benadab Regem Syriæ 3. Reg. 20. 32. *Si adhuc vivit, frater meus est. Quod acceperunt viri pro omine .... atque dixerunt: Frater tuus Benadad*. David cum funebri laudatione obitum Jonathæ prosequeretur, eum suum fratrem dicit 2. Reg. 1. 26. Alexander, & Demetrius Reges nomen idem Jonathæ Macchabeo tribuunt 1. Macch. 10. 18. & 11. 30. uti quoque Antiochos Lysiæ cuidam ex Imperatoribus suis 2. Macch. 11. 22.

APPELLAVIT EAS TERRAM CHABUL.] De propria Hebraici nominis hujus [2] *Chabul* significatione plures sunt Interpretum sententiæ. Josephus ait vocem hanc significare *id, quod displicet*. Alii vertunt, *Terram spinis refertam*; Alii, terram arescentem, arenosam, ac sterilem [3]. Alii e contra, terram nimis humentem, atque herbescentem [4]. Septuaginta reddunt [5] *Et vocavit eas terminum*. Hiller in dictionario suo putat Chabul כבול idem esse ac כמבול nihil. De Chabul vide Dictionarium Biblicum nostrum. Ex hac tanta sententiarum varietate inferri potest, vocis hujus significationem ignorari. Quoad vero civitatum Chabul situm, nihil magis conveniunt Auctores. Josephus, & alii plures ajunt eas fuisse Tyro proximas. Alii has in Decapoleos finibus statuunt. Si terra Chabul eadem est, ac Chabul, cujus meminit Josue 19. 27. hæc Ptolemaidi propior esse debet, atque ad Tyri meridiem. Grotius magis adhuc in meridionali plaga eam recedere arbitratur; nam inter urbes Regi Hiram oblatas, eas comprehendit, quas Pharaon de Philisthiim fuerat adeptus. S. Hieronymus in cap. 1. Amos eas in regione Basan constituit trans Jordanem. Ipse vero interpretatur *Chabul* herbescentem, perinde ac hæc ratio, quod terra nimium herbis esset referta, deterrere potuisset Hiram, ne eas civitates acciperet.

Verum ii, qui inter Geographos nominis celebritate maxime excellunt, fatentur terram Chabul fuisse prope Tyrum, & Ptolemaidem. Josephus de Bel. l. 3. c. 4. ait Galilæam inferiorem a Tiberiade ad *Chabulon* usque urbem secus mare sitam, atque Ptolemaidi proximam patere; atque lib. 1. contra Appion. afferens excerpta quædam ex Tyriorum annalibus, quæ de Hiram, & Salomone loquuntur, ait, Salomonem dedisse Regi Hiram urbem Zabulon. Nescio autem, an vitiosus textus sit, atque Chabulon pro Zabulon legere debeamus. In libro de vita sua ponit vicum Chabulon prope Ptolemaidem, & ex ea ratione, qua loquitur, non plures, quam duæ leucæ inter duas illas urbes interfuisse videntur. Denique in lib. 2. de Bel. cap. 37. de urbe Zabulon loquens, quo Cestius post acceptam cladem confugerat, ait eam esse munitissimam Galilææ arcem, atque ab ea Ptolemaidis urbem a Judæorum terris separari. Ex quibus omnibus simul sumptis videtur, primo, *Chabul*, Zabulon, & Chabulon apud Josephum idem esse. Secundo, terram Chabul in Galilæa inferiori fuisse, & satis prope Ptolemaidem. Verum cum Josue loquatur de Zabulon, & Chabul ibidem veluti de duabus diversis civitatibus, omnis veritatis species adest, Josephum lapsum fuisse utramque confundendo.

℣. 14. CENTUM VIGINTI TALENTA AURI.] Talentum aureum ad Gallicam monetam redactum æstimatur libris 69531. & solidis 5. atque idcirco centum & viginti talenta reddent 8343740. libras Hiram Salomoni mutuam dederat hanc auri vim, cum ille ædificiis suis distineretur.

℣. 15. HÆC EST SUMMA EXPENSARUM.] Centum, & viginti talenta solum impendit? Multo plura dubio procul insumpsit. Verum reor versiculum hunc intelligendum esse, veluti conclusionem eorum, quæ hactenus dicta fuere de sumptibus Salomonis in ædificiis suis. Hæc fuerunt opera, & impensæ Regis Salomonis. Hæc sunt ædificia, quæ extruenda curavit, hi vero sumptus, quos in Templi, ac ædium suarum substructionem erogavit. Hebraico textui hic sensus appingi potest [6]: *hæc est ratio tributi, quod edixit Salomon, ut domum Domino ædificaret*. Immodici sumptus, quos facere debuit in iis ædificiis, de quibus sumus locuti, eum coegerunt, ut novas

1 Tost. Menoch. Sanct. Tirin. Serar. Cornel.

2 בארץ כבול

3 חיל כבול quasi כבול loco בבול. Ita Bochar. Canaan. 2. c. 4.

4 Vatabl. Fuller. Miscel. 3. 16.

5 Ἐκάλεσεν αὐτὰς ὅριον; perinde ac legissent

6 וזה דבר המס אשר העלה המלך שלמה לבנות את בית יהוה

imperaret pecunias tum reliquis Chananæorum, de quibus infra ℣. 20. & 41. erit sermo, cum subditis suis; quod tot intulit in ipsius domum, ac regnum infortunia. Vel in alio sensu: Viginti civitates, quas Salomon tradidit Hiram, fuere in mercedem opificum, quos Salomon in Templi structura exercuerat. Vel: Hæc est caussa diurni opificum stipendii, quod Salomon pro Templi substructione imperavit. Vidimus supra 5. 13. hos homines, quos ex universo Israel desumi jusserat Salomon, *tributum* fuisse appellatos, & Abiram, qui illis præerat, *tributorum Principem* vocatum fuisse.

Et mello.] Superius 2. Reg. 5. 9. de *Mello* verba fecimus. Hæc vallis erat, quæ oppleta fuerat, inter montem Sion, & urbem Jebus. Ibi autem domus fuerant ædificatæ, atque forum extructum, ubi cœtus populi haberetur. David illud opus inceperat: Salomon vero perfecit. Ex Paralipomenis [1] Mello munitus fuisse videtur in urbe locus, vel saltem ibi murus fuisse, quem Ezechias instauravit, cum urbem communire voluit contra Regis Assyriorum obsidentis impetum. Ædes Pharaonis filiæ partem Mello occupasse videntur; quoniam inferius paullo [2] dicitur, Salomon Reginæ ædes ædificasse, & tunc extruxisse *Mello*. Joas Rex [3] a conjuratorum manu interfectus fuit in palatio Mello. Scriptura isthic, atque alibi de Mello, veluti de Regia domo loquitur, atque una ex præcipuis Salomonis substructionibus. Denique ex capite 11. ℣. 27. libri hujus cognoscimus, Salomonem, cum *Mello* ædificare incæpit, tributum indixisse, vel potius imperasse, ut ex omnibus tribubus artifices accederent, ut opus istud compleretur; quod ansam præbuit Jeroboam, filio Nabath, ut a Rege deficeret [4]. Hic locus nobis aditum aperit ad explicandum ℣. 15. qui Interpretibus crucem figit. Historicus Sacer nos admonet, Regem extraordinarios hos labores, atque gravia hæc onera populis suis indixisse, primum quidem in Templi extructionem, mox vero ut ædes sibi, deinde filiæ Pharaonis, denique ut *Mello* ædificaret. Novissima hæc opera populos irritarunt, præbueruntque Jeroboam occasionem a fide desciscendi. Israelitæ enim diuturnis, gravibusque laboribus fatigati, qui numquam cessabant, & quorum alius alium consequebatur, statim malo animo contra Salomonem affecti sunt; mox vero cum nullam haberent rationem Roboamo Regni successori, tandem aperta erupit defectio.

Hezer.] Vel Hazer, vel Chazer. Plures fuere cognomines civitates. Alias enim in tribu Juda Josue 15. 23. alias in tribu Nephtali Josue 19. 36. alias alibi novimus; ideoque difficile est divinare, quæ a Salomone condita fuerit, atque munita.

Mageddo.] In tribu Manasse. Vide, quid dixerim in Josue 12. 21.

Gazer.] Civitatem hanc Josue ceperat [5], ejusque Regem occiderat. Ea vero in hæreditatem tribui Ephraim cesserat, atque pro Levitarum incolatu destinata fuerat. Sed cum iterum ea Chananæi fuissent potiti ad Salomonis usque regnum ibidem dominati sunt. Pharao Ægypti Rex illi bellum intulit, cepitque, captamque Salomoni tradidit in filiæ dotem, quæ eidem nuptum dederat. Salomon hanc instauravit, & communivit.

℣. 16. Dedit eam in dotem filiæ.] Hæc erat
A apud Hebræos consuetudo, ut vir conjugi dotem tribueret, atque emeret illam, quam uxorem ducere vellet. At hoc nequaquam Regibus erat solemne, qui Reginas ducerent; hæ quippe dotem viris suis afferebant. Saul se filiam suam cum plurimis opibus traditurum illi nuptum pollicetur, qui occiderit Goliath [6]; & cum agebatur, ut Merob Saulis filia Davidi nuberet, huic significatum est 1. Reg. 18. 25. *Non habere Regem sponsalia necesse, nisi tantum centum præputia Philisthinorum, ut fiat ultio de inimicis Regis*. Rex Antiochus Epiphanes Templum Nanææ ingressus, veluti Divam in uxorem ducturus, re quidem vera templum illius depopulaturus, se ire dictitabat 2. Macch. 1. 13. *ut acciperet pecunias multas, dotis nomine*. Hemor Rex Sichem, cum vellet collo-
B care in matrimonium filio suo Sichem Dinam filiam Jacob, inquit Jacobo, & filiis ejus, ut quodcumque pro dote vellent, postularent Genes. 34. 12. *Augete dotem, & munera postulate*. Ptolomæus Philadelphius Ægypti Rex filiam suam Berenicem Antiocho, cui Deus nomen erat, Regi Syriæ tradidit, quæ plurimas viro attulit divitias, quapropter nomen *Phernephoros, dotem ferens*, illi inditum est. Antiochus Magnus Ptolomæo illustri Ægyptio Regi pollicitus est se in filiæ dotem, quam Ptolomæus ducturus erat, Samariam universam, ac Judæam, quas de illo ceperat, traditurum. Agamemnon apud Homerum Iliad. I. cuicumque filiam ipsius duxisset se daturum pollicetur septem optimas civitates, neque se ab eo dotem ullam esse petiturum. Ex universa Historia,
C quæ in Regum libris refertur, satis apparet maximum discrimen, quo a Regibus excipiebantur conjuges finitimorum Regum filiæ, & aliæ, quas habebant, uxores. Pharaonis filia, Jezabel filia Regis Tyrii, & uxor Achab, Athalia filia Regis Achab, & conjux Joram Regis Juda satis probant, quam ipsæ auctoritatem in virorum suorum imperiis obtinerent.

Hebraica vox [7], quæ redditur *dos* proprie munera, quæ mittuntur, significat. Græci quoque [8] *munera* appellabant dotem, quæ patri, vel sponsæ consanguineis tribuebatur.

℣. 18. Baalath.] Duas nominis hujus urbes agnovimus [9], ideoque, cum isthic minime designetur situs illius, de qua sermo est, utra illarum hic memo-
D retur, non liquet.

Palmyram in terra solitudinis.] Hebraice [10]: *Thadmor in deserto, in Terra*. Septuaginta simpliciter; *in deserto*. Clericus supplet nomen *Aram*, & vertit; *in deserto, in Terra Aram*, hoc est in Syria. Profecto urbs Thadmor, vel Thadmat posita erat in Syria Soba [11]. Palmyra apud Veteres urbs nobilis fuit [12]. Situs illius in medio immensæ solitudinis, quæ illam undequaque circumdabat, opes, aquæ, ambitus celebrem satis effecerant. Inter Romanorum, Parthorumque imperium aderat; aberat vero a Seleucia ad Tigrim trecentis triginta septem passuum millibus; a maris littore ducentis, & tribus millibus, a Damasco vero centum & septuaginta sex millibus. Nonnulli in dubium vocarunt, an
E civitas *Thamor*, vel *Thadmor*, quemadmodum Hebraice vocatur [13], eadem sit ac Palmyra. Verum Scriptura nos cogit, ut de hac urbe intelligamus, cum ait, Salomonem potitum fuisse regione Emath Soba, ibique condidisse Thadmor [14]: non enim ibi loco-

1 2. Par. 32. 5. *Instauravitque Mello in civitate David.*
2 ℣. 24. *Filia Pharaonis ascendit de civitate David in domum suam, quam ædificaverat ei Salomon; tunc ædificavit Mello.* 3 Vide 4. Reg. 12. 20. 4 3. Reg. 11. 27. *Hæc est causa rebellionis adversus eum, quia Salomon ædificavit Mello.* 5 Josue 10. 33. & 12. 12.
6 1. Reg. 17. 25. *Ditabit Rex divitiis magnis, & filiam suam dabit ei.*
7 ויתנה שלוחים לבתו 70. Καὶ ἔδωκεν αὐτὰς ἀποστολὰς τῇ θυγατρὶ αὐτοῦ. 8 Ἕδνα.
9 Vide ad Josue 19. 44. 10 במדבר בארץ 70. ἐν τῇ ἐρήμῳ.
11 1. Par. 8. 3. 12 Plin. l. 5. c. 25. *Palmyra urbs nobilis situ, divitiis soli, & aquis amœnis, vasto undique ambitu arenis includit agros, ac velut terris exempta a rerum natura, privata sorte inter duo Imperia summa, Romanorum, Parthorumque, & prima in discordia semper utrinque cura.* 13 תמר, sed 2. Par. 8. 4. תדמור 14 2. Par. 8. 4. 5.

locorum aliam novimus civitatem præter Palmyram, A cui hi characteres conveniant. *Thamar*, vel Thamor, Hebraice *palmam* significat. Græci *Palmyram* eam appellabant urbem, quam Syri juxta Josephum *Thaber*, vel *Thadmor* nominabant [1]. Denique descriptio, quam hic Auctor de situ Palmyræ tradit, admodum congruit cum ea, quam Plinius reliquit. Ait enim hanc abesse a superiori Syria duorum dierum itinere, unius vero diei ab Euphrate, atque a magna Babylone dierum sex, atque Salomonem adductum fuisse, ut eam ibi ædificaret, quod in finitimis locis neque fontes, nec putei inveniebantur, neque alibi, quam eo in loco aquam potuit reperire. Ad hanc usque diem Thadmor rudera conspiciuntur, quorum quasdam descriptiones a Viatoribus accepimus. Nihil in omni Oriente magnificentius videtur; B infinitus propemodum columnarum numerus cernitur, & superbæ publicorum ædificiorum, ac ædium reliquiæ supersunt. Inscriptiones, quæ plurimæ ibi leguntur, partim Græcis, partim Palmyrenis characteribus sunt exaratæ, qui hodie penitus ignoti sunt. Consuli possunt Dissertationes Philologicæ in Anglia typis editæ mense Octobri 1695. & iter Bruni ex Batavico in Gallicum sermonem redditum pag. 342. & sequentibus. In Græcia inscriptionibus nullum superest vel Judaicæ, vel Christianæ, sed Ethnicæ tantum religionis vestigium: at in aliis ignoræ linguæ inscriptionibus quædam Judaicæ præsertim Religionis notæ esse poterunt. Palmyra ab Aureliano Imperatore eversa fuit.

℣. 19. OMNES VICOS, QUI AD SE PER- C TINEBANT, ET ERANT ABSQUE MURO.] Hebraice [2]: *urbes thesaurorum*, vel *apothecarum, quæ ad se pertinebant*. Urbes, ubi agrorum suorum reditus, segetum, vini, & olei, & ea, quæ erant in finibus ditionis suæ: neque enim credendum est ipsum omnia regni sui oppida communivisse. In Exodo legimus, Judæos ab Ægyptiis Regibus coactos fuisse, illis urbes ædificare, quæ similiter vocantur [3] *urbes thesaurorum*, vel *urbes armium*, vel denique *oppida tabernaculorum*, *oppida belli*. Sanctus Hieronymus, qui alibi [4] Hebraicam vocem reddidit, *urbes tabernaculorum*, isthic vertit urbes *absque muro*. Authographum nomen significare potest [5], *urbes indigentiæ*, scilicet urbes, ubi annona servanda sit ad arcendam, vel ejicien- D dam annonæ charitatem.

CIVITATES CURRUUM.] Videri potest, quid dictum superius fuerit hac de re 3. Reg. 4. 26. 27.

ET IN LIBANO.] Ædificavit domum, cui nomen [6] *saltus Libani*; at ædes hæ erant in Jerusalem; aliquid etiam in ipso Libano extruxit: & Canticorum sponsus de turri Libani loquitur Cant. 7. 4. *Nasus tuus sicut turris Libani*. Gabriel Sionita Arab. p. 6. ait adhuc turris hujus reliquias in Libano videri; & Benjamin Tudelensis refert, se aliquot rudera vidisse, & lapides illius viginti palmorum longitudine, duodecim vero latitudine præstare. Constans autem regionis illius traditio refert, Salomonem plurima ibi ædificia extruxisse, aliaque opera perfecisse. Transitus Libani magni momenti erat, ut E communicationem cum Syria servaret, cui ille dominabatur. Vide 2. Par. 8. 3. 4.

℣. 20. UNIVERSUM POPULUM, QUI REMANSERAT DE AMORRHÆIS.] In omnibus superioribus libris vidimus in Palæstina maximam Chananæorum vim permansisse, atque ejus loci indigenatum, quos Hebræi

vel nequiverant, vel noluerant exterminare. Josue, Samuel, Saul, & David eos penitus evellere non potuerant; satisque fuit invalidiores subigere, illisque pecuniam Regi quotannis solvendam imperare. Sed Salomon cum viribus prædecessoribus suis præpolleret, eos omnino subegit, eosque non solum vectigal pendere coegit, verum etiam plurimis personalibus servitiis subjecit, quæ graviora essent, ac magis vectigalibus ipsis acerba. Hoc tamen minimum obfuit, quominus post captivitatem Babyloniam plurimi adhuc ea in regione existerent Chananæi [7]; qui a Phœnicia illuc ut videtur migrabant.

℣. 21. FECIT TRIBUTARIOS USQUE IN DIEM HANC.] Hebraice [8]: *Salomon jussit eos ire* (vel ascendere,) *in tributum* (vel in diurnorum operum stipendia) *servitutis usque in diem hanc*. Josephus Antiq. l. 8. c. 2. ait, Salomonem subegisse Chananæos, qui illi minime parebant, & qui erant in Libano, & usque ad civitatem Emath; atque illis tributum imposuisse, ac submisisse servituti, cæterisque captivorum officiis; nec non ex eorum numero quotannis quosdam ad agros excolendos elegisse; atque addere possumus, pro omnibus operibus, pro quibus prodesse posse arbitrabatur, vel in ædificiis, vel in alia quapiam re. Salomon eos veluti captivos atque belli mancipia, habebat, & cum iis juxta temporum illorum leges se se gerebat. Eos occidere potuisset, maluit vero eos sibi captivos servare; atque hæ Chananæorum reliquiæ in hac ipsa conditione usque ad Auctoris tempus, vel horum librorum Scriptoris permanserant, *usque in diem hanc*. Esdras etiam eos *Salomonis servos* appellat [9], atque eorum nonnulli inter Judæos erant, qui de captivitate Babylonica reversi sunt. Hos autem eos esse reor, qui in Paralipomenis 1. *Par.* XXII. 2. Proselyti nuncupantur. Salomon ex iis centum & quinquaginta tria millia ac sexcenta in terra Israel invenit 2. Par. 2. 17. 18.

℣. 22. DE FILIIS ISRAEL NON CONSTITUIT SERVIRE QUEMQUAM,] hoc est non exercuit filios Israel iis in operibus, quæ suscepit, quemadmodum palam in 2. Paralip. 8. 9. adnotatur. Salomon usus est opera centum, & quinquaginta trium millium, nec non sexcentorum Proselytorum ad Templi ædificationem. Ad Libanum misit eos, ut ligna cæderent, atque in lapidicinis operam navarent. Similiter vero agere perseveravit, cum ædium suarum substructionem, & tot alia opera incœpit: at illuc nullum misit ex filiis Israel, quos tranquilla frui libertate passus est. Eorum opera belli tantum Rex utebatur, illisque officia, ac Reipublicæ dignitates conferebat. Historia hoc idem refert de Sesostri Ægypti Rege, qui post tot insignes victorias, quarum fama longe, lateque pervulgata est, animum advertit ad Deorum delubra in omnibus Ægypti civitatibus extruenda, in quarum laboribus neminem Ægyptium voluit exercere. Universum opus captivorum manu perfectum est; quamobrem Templorum fronti hanc addidit epigraphem [10]: *Nemo indigenarum hoc in opere laboravit*. Vide Matt. 17. 24. *Quid tibi videtur Simon? Reges terræ a quibus accipiunt tributum vel censum? a filiis suis, an ab alienis? At ille dixit. ab alienis: dixit illi Jesus: ergo liberi sunt filii*, vel legitimi Regum subditi.

℣. 23. PRÆPOSITI QUINGENTI QUINQUAGINTA. In Paralipomenis [11] ducenti, & quinquaginta solum dicuntur fuisse; superius vero cap. 5. 16. tres mille

 ac tre-

---

1 Joseph. Antiq. l. 8. c. 2. Benjamin. Tudelensis quoque loquitur de Thadmur, & Tavernerius in suo Itiner. Persic. locum describit Arabiæ desertæ, cui admodum congruunt, quæ de Palmyra referuntur.
2 ואת כל ערי המסכנות אשר היו לשלמה   3 Exod. 1. 11. ערי מסכנות 70. hic, πόλεις τῶν σκηνωμάτων: Et Exod. 1. 11. πόλεις ὀχυράς.   4 Exod. loco cit. *Urbes Tabernaculorum*.   5 במסכן *indigere, destitutum esse*.   6 3. Reg. 7. 2.   7 1. Esdr. 9. 1.   8 ויעלם שלמה למס עבד עד היום הזה. 70. ἀνήγαγεν αὐτοὺς Σαλωμὼν εἰς φόρον δουλείας ἕως τῆς ἡμέρας ταύτης.   9 1. Esd. 2. 55. & 2. Esd. 7. 60. *Omnes Nathinæi, & filii servorum Salomonis trecenti nonaginta duo*.   10 Diodor. Bibl. l. 1.
11 2. Par. 8. 10. *Principes exercitus Regis Salomonis fuerunt ducenti quinquaginta, qui erudiebant populum*.

ac trecenti memorantur; & alibi in Paralipomenis [1] tres mille seacenti: Verum levis est negotii hæc simul omnia conciliare. Ducenti quinquaginta Præpositi, de quibus sermo fuit cap. 8. ỳ. 10. Paralipomenon, Duces erant exercitus Salomonis, quemadmodum loci illius Textus explicite ostendit. Quingenti, & quinquaginta isthic celari erant *super omnia opera Salomonis*, hoc est imperii regimini præerant, Ærario, & equilibus; atque ut verbo me expediam, hi quingenti & quinquaginta viri erant Principes inter cæteros Regis præfectos. Tres mille tercenti Regum cap. 5. 16. vel tres mille seacenti Paralipomenon præerant centum & quinquaginta millibus alienigenis, vel Proselytis, qui in Libani operibus adlaborabant lignis, lapidibusque cædendis. Hoc autem facile erit intelligere hos invicem conferentibus locos.

ỳ. 25. OFFEREBAT TRIBUS VICIBUS PER ANNOS SINGULOS HOLOCAUSTA.] Cum solemni celebritate, ac singulari pompa. Tres anni Festivitates sunt Pascha, Pentecostes, & Tabernacula, quibus præceperat Dominus, ut masculi omnes de populo suo coram ipso prodirent. In 2. Paralip. 8. 13. legimus Principem hunc curasse, ut *per singulos dies offerrentur* in Altari Holocaustorum quotidiana sacrificia, uti quoque *in Sabbathis, & Calendis, & in festis diebus per totum annum*; ipse vero pro his sacrificiis victimas suppeditabat. Vide 2. Par 31. 3.

ỳ. 26. CLASSEM FECIT REX SALOMON IN ASIONGABER.] Urbem Asiongaber in extrema Elanitici sinus ora ad orientem Elat, secus Mare rubrum statuimus [2]. Secundi Par. 8. 17. textus ait, Salomonem illuc ivisse: verum non per se, sed per præfectos suos illuc contendisse probabile est.

ỳ. 27. MISIT HIRAM IN CLASSE ILLA SERVOS SUOS.] Classem suam Salomoni commodavit [3], vel navium suarum partem, deditque illi Tyrios, quibus pro nautis uteretur. Tyrii apprime nauticæ artis erant scientes; Hebræi vero e contra, vel parum, vel nihilum huic rei operam navabant. Interpretes [4] quidam ajunt, nautas, qui Salomonis classem vexere, sumptos fuisse non de urbe Tyro in Phœnicia, sed de Tyro insula in Erythræo mari, quæ, uti inquiunt, Regi Hiram parebat. Sequenti capite ỳ. 22. videmus Hiram classem suam cum Salomonica misisse, quæ aurum reveheret.

ỳ. 28. QUI CUM VENISSENT IN OPHIR.] Videri potest nostra Dissertatio de regione Ophir in Genes. ubi regionem hanc prope Euphratis, ac Tigris origines statuendam esse probamus.

AURUM QUADRINGENTORUM VIGINTI TALENTORUM.] Talentum aureum, uti alibi dictum est, gallicæ monetæ æstimabatur libris 6953r. & solidis quinque. Quadringenta igitur, & viginti Talenta summam reddunt 2920315. librarum.

In 2. Paralip. 8. 18. aurum de Ophir allatum fuisse dicitur quadringentorum, & quinquaginta talentorum: verum respondetur in Regum libris recenseri tantum aurum, uti aurum in specie; in Paralipomenis vero exprimi omnium mercium, quæ allatæ fuerunt, pretium; vel triginta talenta, quæ in Paralipomenon calculis superant, in navigationis sumptus, & nautarum stipendia erogata fuisse.

1 2. Par. 2. 18. *Tria millia & sexcentos præpositos operum populi.*
2 Vide Num. 33. 35. & Deut. 2. 8.
3 2. Par. 8. 18.
4 Grot. Vatab.

CAPUT X.

Regina Saba Salomonem invisit, illius sapientiam, ac magnificentiam admiratur, & muneribus ultro citroque collatis ab eo digreditur. Clypeus aureus, & thronus eburneus Salomonis. Classes Hiram, & Salomonis simul in Tharsis vela dimittunt.

1. SEd & Regina Saba, audita fama Salomonis in nomine Domini, venit tentare eum
in ænigmatibus. 2 Et ingressa Jerusalem multo cum comitatu, & divitiis, ca-
melis portantibus aromata, & aurum infinitum nimis, & gemmas pretiosas, ve-
nit ad regem Salomonem, & locuta est ei universa, quæ habebat in corde suo. 3 Et
docuit eam Salomon omnia verba, quæ proposuerat: non fuit sermo, qui regem posset
latere, & non responderet ei. 4 Videns autem regina Saba omnem sapientiam Salo-
monis, & domum, quam ædificaverat, 5 Et cibos mensæ ejus, & habitacula servo-
rum, & ordines ministrantium, vestesque eorum, & pincernas, & holocausta, quæ of-
ferebat in domo Domini: non habebat ultra spiritum. 6 Dixitque ad regem: Verus
est sermo, quem audivi in terra mea 7 Super sermonibus tuis, & super sapientia
tua: & non credebam narrantibus mihi, donec ipsa veni, & vidi oculis meis, & pro-
bavi quod media pars mihi nuntiata non fuerit: major est sapientia, & opera tua, quam
rumor, quem audivi. 8 Beati viri tui, & beati servi tui, qui stant coram te semper,
& audiunt sapientiam tuam. 9 Sit Dominus Deus tuus benedictus, cui complacuisti,
& posuit te super thronum Israel, eo quod dilexerit Dominus Israel in sempiternum,
& constituit te regem, ut faceres judicium, & justitiam. 10 Dedit ergo regi centum
viginti talenta auri, & aromata multa nimis, & gemmas pretiosas: non sunt allata ul-
tra aromata tam multa, quam ea, quæ dedit regina Saba regi Salomoni. 11 (Sed &
classis Hiram, quæ portabat aurum de Ophir, attulit ex Ophir ligna thyina multa ni-
mis,

mis, & gemmas pretiosas, 12 Fecitque rex de lignis thyinis fulcra domus Domini,
& domus regiæ, & citharas, lyrasque cantoribus: non sunt allata hujuscemodi ligna
thyina, neque visa usque in præsentem diem.) 13 Rex autem Salomon dedit reginæ
Saba omnia, quæ voluit, & petivit ab eo: exceptis his, quæ ultro obtulerat ei mune-
re regio. Quæ reversa est, & abiit in terram suam cum servis suis. 14 Erat autem
pondus auri, quod offerebatur Salomoni per annos singulos sexcentorum sexaginta sex
talentorum auri: 15 Excepto eo, quod afferebant viri, qui super vectigalia erant, &
negotiatores, universique scruta vendentes, & omnes reges Arabiæ, ducesque terræ.
16 Fecit quoque rex Salomon ducenta scuta de auro purissimo, sexcentos auri siclos
dedit in laminas scuti unius. 17 Et trecentas peltas ex auro probato: trecentæ minæ
auri unam peltam vestiebant: posuitque eas rex in domo saltus Libani. 18 Fecit etiam
rex Salomon thronum de ebore grandem: & vestivit eum auro fulvo nimis, 19 Qui
habebat sex gradus: & summitas throni rotunda erat in parte posteriori: & duæ manus
hinc, atque inde, tenentes sedile: & duo leones stabant juxta manus singulas. 20 Et
duodecim leunculi stantes super sex gradus hinc, atque inde: non est factum tale opus
in universis regnis. 21 Sed & omnia vasa, de quibus potabat rex Salomon, erant
aurea: & universa supellex domus saltus Libani de auro purissimo: non erat argentum,
nec alicujus pretii putabatur in diebus Salomonis, 22 Quia classis regis per mare cum
classe Hiram semel per tres annos ibat in Tharsis, deferens inde aurum, & argentum,
& dentes elephantorum, & simias, & pavos. 23 Magnificatus est ergo rex Salomon
super omnes reges terræ divitiis, & sapientia. 24 Et universa terra desiderabat
vultum Salomonis, ut audiret sapientiam ejus, quam dederat Deus in corde ejus.
25 Et singuli deferebant ei munera, vasa argentea, & aurea, vestes, & arma bellica,
aromata quoque, & equos, & mulos, per annos singulos. 26 Congregavitque Sa-
lomon currus, & equites, & facti sunt ei mille quadringenti currus, & duodecim
millia equitum: & disposuit eos per civitates munitas, & cum rege in Jerusalem.
27 Fecitque ut tanta esset abundantia argenti in Jerusalem, quanta & lapidum: & ce-
drorum præbuit multitudinem, quasi sycomoros, quæ nascuntur in campestribus.
28 Et educebantur equi Salomoni de Ægypto, & de Coa. Negotiatores enim regis
emebant de Coa, & statuto pretio perducebant. 29 Egrediebatur autem quadriga
ex Ægypto sexcentis siclis argenti, & equus centum quinquaginta. Atque in hunc
modum cuncti reges Hethæorum, & Syriæ equos venumdabant,

ỳ. 1: REGINA SABA.] Ostendimus ad Genes. 10. 7. 28. & 25. 3. quatuor Sabas fuisse, & earum quamlibet nomen suum, regioni, quam incoluerunt, potuisse commodare. Plures sunt Interpretum sententiæ quoad regionem Reginæ illius, de qua isthic est sermo. Alii quidem [1] eam ab Arabia felici accersunt; alii vero [2] Æthiopia, vel Ægypto. Primi veteri Abyssinorum, vel Æthiopum traditioni insistunt, quorum Reges se a Salomone ortos ferebant ex filio, quem hæc Regina, quæ Regem illum adierat, ex eodem conceperat. Quinque & viginti post reditum suum illa regnavit annis, & filius ejus, qui primum Menilehec, vel Meilic, & mox David appellatus fuit, viginti novem annorum spatio imperavit. Quatuor, & viginti numerabantur Imperatores ex hac familia B a Rege Menilehec usque ad *Facilidam*, qui medio decimo septimo sæculo imperabat. Imperium trecentis ferme, & quadraginta annis e familia posterorum Salomonis permansit ab anno J. C. 960. ad annum 1300. tunc vero Iguno e Salomonis sobole iterum regno potitus est, atque familia ipsius adhuc imperium obtinet, & ii tantum veri recensentur Imperatores, qui ex eo originem ducunt [3], quibus præter alios titulos hos quoque tribuunt: *Ex progenie Joda editum, filium David, filium Salomonis, fi-* A *lium Columnæ Sion, filium familiæ Jacob, Columnam Fidei &c.* Addunt præterea, Reginam, cum filium esset enixa, eum post aliquot annos ad parentem suum misisse, ut Judæorum Religionem edoceretur, cui Salomon præstantissimos præceptores adjecit, ac inter cæteros Azariam Summi Pontificis Sadoc filium, qui abstulit lapideas Legis Tabulas, quæ in Fœderis Arca servabantur, easque in Æthiopiam transtulit, cum illuc Alumnum suum est prosecutus [4]. Fabulæ sane Abyssiniorum ignorantia, ac vanitate dignissimæ.

Josephus Antiq. l. 8. c. 12. Reginam, de qua sermo est, ab Ægypto deducit; verum temere adeo, & incaute, ut Bochartus Phaleg l. 2. c. 26. usque ad duodecim errata in ipsius narratione deprehen- B dat. Ait autem antiquitus omnes Ægypti Reges Pharaones appellari consuevisse; at eum, qui filiam suam nuptum dederat Salomoni, postremum fuisse, quem hoc nomine appellarent: *Nicaulem* vero, quæ illi successit, & quæ Regina erat Ægypti, atque Æthiopiæ, Salomonis sapientiæ celebritate illectam eum convenisse. Inquit porro Antiq. l. 2. c. 5. insulam Meroe tunc *Seba* fuisse vocatam, antequam Cambyses in Ægyptum accederet, quod profecto locum fecit, ut Regina Saba, de qua loquitur Scriptura, Ægypti, atque Æthiopiæ Regina fuisse dicere-

1 Raban. Hug. Card. Dionys. Tost. Mald. Jans. Cornel. a Lapide. 2 Hieron. in c. 60. Isai. Sanct. Menoch. Vatab. Bochar. Phaleg. l. 2. c. 26. Est. Tirin. Serar. Mart. Rabbini apud Boch. Theodoret. q. 33. in 3. Reg. & Procop.
3 Hist. superioris Æthiopiæ Emmanuelis Dalmeidæ p. 15. Vide quoque Hist. Æthiop. scriptores.
4 Vide, si lubet, Sanct. hic Num. 15. 16.

gěretur. Narratio hæc licet perperam concinnata Grotium movit, qui credidit Reginam Saba in Meroe imperitasse, ubi diutius mulieres solium regni obtinuere, ut Strabo l. 16. & 17. docet; quæ *Candaces* vocabantur, nomen, quod in Actis Apostolorum 8. 27. occurrit. Sabritæ sub Reginarum harum imperio positi erant, & *Sabritarum* nomen ad *Saba* non parum habet similitudinis. Verum harum omnium rationum facile innotescit infirmitas. Nihil incertius est, ne aliquid amplius dicam, quam hoc, quod refert Josephus, Meroem ante Cambysis ævum *Saba* fuisse appellatam. Nullus præter Josephum, vel Geographus, vel Historicus adest, qui hanc referat circumstantiam; & qui de Meroe origine loquuntur [1], hanc recentem fuisse ajunt civitatem, non autem instauratam.

Eorum autem sententia, qui Regnum Saba in Arabia Felici constituunt, atque inde Reginam, quæ Salomonem convenit, accersunt, his ferme innititur argumentis. I. quod extat regio *Seba*, vel *Saba* in Arabia Felici. Ex quatuor personis, quibus hoc erat nomen Saba, & de quibus loquitur Scriptura, non satis liquet quanam incoluerit regionem, quam quærimus; an fuerit filius Chus, vel filius Jectan, aut Jetan. Verum utrum Sabæi in Arabia fuerint nec ne, nemo ambigit. Qui boves Job diripuere, ex hac erant regione Job 1. 15. Psalmista Arabes cum Sabæis conjungit Psalm. 71. 10. *Reges Arabum, & Saba, dona adducent*. Isajas vero cum Chusæis Arabiæ populis [2]; & Ezechiel cum populis Dedan [3], qui regionis ejusdem erant indigenæ. 2. Hæc regio Saba iis omnibus affluebat, quæ Regina ad Salomonem detulit, auro, & aromatibus. Isajas 60. 6. *Omnes de Saba venient aurum, & thus deferentes*; & Psalmista Psal. 71. 15. *Et vivet, & dabitur ei de auro Arabiæ*. Jeremias 6. 20. Dei verbis Judæos alloquens: *Ut quid mihi thus de Saba affertis*. 3. In Evangelio Matth. 12. 42. Regina Saba *Regina Austri* vocatur, quod habita Judææ ratione ad Arabiam tantum spectare potest. J. C. addit Reginam hanc de extremis terrarum oris accessisse, ut Salomonis Sapientiam agnosceret, quod intelligendum est de aliqua Arabiæ Felicis regione, quæ maxime ad Oceanum vergat, ultra quam nullæ amplius terræ fuerint. *Terra, finesque, qua ad Orientem vergunt, Arabia terminantur*, inquit Tacitus l. 5. Hist. in Judææ descriptione.

Quarto: Auctores propbani quoque Sabæos agnovere, ac illorum opes, & aromata celebravere. Virgilius Georg. 1.

India mittit ebur, molles sua thura Sabæi.

Plinius l. 12. c. 17. etiam ait quod ibi gentium: *Non alia ligni genera in usu sunt, quam odorata, cibosque Sabæi coquunt thuris ligno; alii mirrhæ*. Ælius Gallus de illorum auri metallis, veluti re admodum pervulgata ea in regione loquitur apud Plinium: *Ditissimos Sylvarum fertilitate odorifera, auri metallis, &c.* Plinius idem de illorum pretiosis lapillis sermonem habet l. 37. c. 6. & alibi pluries. Agatharcides apud Bochart. Phaleg. l. 2. c. 26. nationem eam veluti opulentissimam, atque metallorum, gemmarumque ditissimam celebrat. Hoc ipsum apud Strabonem, Diodorumque Siculum intuemur.

Quinto: Denique in regione Saba antiquitus mulieres imperitabant. Claudianus in Eutrop. l. 1.

. . . . Medis, levibusque Sabæis
Imperat hic sexus, Reginarumque sub armis
Barbariæ pars magna jacet.

His omnibus addi posset populorum regionis ejus traditio, qui adhuc ostendunt locum, ubi in lucem edita fuit hæc Regina. Æquivocum Æthiopiæ nomen in errorem plures recentiores Interpretes impulit, qui legentes hanc Reginam fuisse Æthiopiæ, de Æthiopia proprie dicta intellexerunt, dum de Æthiopia, quæ est in Arabia versus australem rubri maris oram, erat intelligendum. Videtur igitur, negari nequaquam posse, Reginam Saba Sabæorum Arabiæ Felicis populorum fuisse reginam. Nomen, omnesque regionis illius characteres illi conveniunt, cujus illa erat Regina, & argumenta, quæ attulimus, nos in hanc sententiam dubio procul impellunt.

Quoad Reginæ hujus nomen, nihil certum apud Auctores reperimus. Josephus eam *Nicaulem* vocat, perinde ac ex Herodoto nomen hoc didicisset: ast Herodotus de *Nitocri* non de *Nisaule* loquitur l. 2 c. 10. Rabbinus quidam eam *Nicolam* nominat [4]. Cedrenus eam Sibyllam, & vatem fuisse putat, quæ accesserit, ut an sapientia Salomonis ea esset, quæ ferebatur, agnosceret. Grotius credere videtur, eam Candacem, non secus ac alias Æthiopiæ Reginas fuisse appellatam. Barrius, & Genebrardus eam *MaKedam* vocant [5]. Nihil isthoc incertius.

AUDITA FAMA SALOMONIS IN NOMINE DOMINI, VENIT TENTARE EUM IN ÆNIGMATIBUS. ℣. Hæc verba hoc quoque pacto interpungi possunt; *Audita fama Salomonis, in nomine Domini venit tentare &c.* eodem ferme pacto, quo in Josue 9. 9 Gabaonitæ ajunt; *de terra longinqua valde venerunt servi tui in nomine Domini Dei tui*, scilicet illecti nomine Domini, ac celebritate eorum, quæ fecerat pro populo suo. Ita Regina Saba in nomine Domini Salomonem adit, desiderio flagrans videndi magnalia, quæ Dominus per hunc Regem fuerat operatus. Accessit autem in omne obsequium composita propter Domini potentiæ adeo famam, ut Regem videret adeo perfectum, & qui, ut Scripturæ verbis loquar, magnifice Sapientiam tractabat 2. Machab. 2. 9.

Alii [6] hoc pacto intelligunt: Venit magna Salomonis celebritate adducta. Scriptura passim nomen Dei tribuit rebus, quæ in superiori ordine sunt, atque in sua specie aliquid præstantissimum jactant; ventum Dei, cedros Dei, montem Dei, pulchritudinem Dei. Ita quoque nomen, vel fama Dei maximam, speciosissimamque nominis celebritatem potest significare. Non pauci verba ea, *in nomine Domini*, hoc in sensu acceperunt: Venit supernaturali illustrata lumine, ac divina opitulante gratia, ut Salomonem videret, veramque Religionem pernosceret. Quinimmo non desunt [7], qui credant ipsam naturalem Religionem fuisse professam, & Dominum cognovisse: *Barbara nationis, non animæ; ea in aperto peregrina, sed in occulto Judæa currebat, ut lucem sapientiæ, qua carebat, hauriret*, inquit S. Paulinus in Epist. Theodoretus q. 33. de hac loquitur veluti de pia muliere, quæ ejusdem Jesu Christi laudibus fuerit celebrata, atque ex eorum numero ait fuisse, qui sine Lege justificati fuerunt, ut ait Apostolus. Beda eam Sanctam, atque a Domino electam appellat. Quidam ex Interpretibus recentioribus [8] inter eas adscribunt, quæ ex exteris accessere nationibus, ut veri Dei Religionem profiterentur; veluti Rahab, & Ruth Moabitis. Ea sane Salomonem iis verbis alloquitur infra ℣. 9. quæ satis illius pietatem præseferant: *Sit Dominus Deus tuus benedictus, cui complacuisti, & posuit te super thronum Israel . . . & constituit te Regem, ut faceres judicium, & justitiam*. Patres [9] etiam eam Ecclesiæ Christianæ typum esse putant, quæ cum extera esset, & ignota, pœnitentia ducta fuit, & veri Salomonis quæsivit audire sapientiam:

---

1 Vide Diodor. l. 1. & Lut. Ampel. de Cambyse.
2 Isai. 43. 3. *Dedi propitiationem tuam Ægyptum, Æthiopiam, (Hebr. Chus) & Saba pro te.*
3 Ezech. 38. 13. *Saba & Dedan negotiatores tui.*
4 Author libri Juchas. fol. 136.
5 Vide, si lubet, Pinedam l. 6. c. 6. a. 1.
6 Ludov. de Dieu.
7 Lysan. Tost.
8 Vide Pinedam de Salom. l. 5. c. 6. a. 2. n. 6.
9 Hilar. in Psalm. 121. Origen. hom. 2. in Cant. Iren. l. 4. c. 45. Nazian. hom. 40. in sanct. baptisma, Nyssenus hom. 6. in Cant. Cyril. Alex. l. 5. comment. in Isai. Auth. serm. 211. Append. inter Augustinianos.

pientiam: *Præfiguratio Ecclesiæ est, quia peregrina, & incognita, & pœnitentia traditis, & sapientiam desideravis audire*, inquit S. Hilarius.

VENIT TENTARE EUM IN ÆNIGMATIBUS.] Sapientes eorum temporum viri his præsertim quæstionibus solvendis exercebantur. Ænigmata proponebant, & præmium illi statuebant, qui illa explicasset. Rei hujus praxim in Samsone fuimus intuiti in nuptiarum ipsius solemnitate Judic. 14. 12. Phœnissæ Historiæ scriptores loquuntur de ænigmatibus, quæ Hiram, & Salomon ultro citroque sibi invicem proponebant [1]. Populi Arabiæ antiquitus nemini sapientiæ laude cedebant, usque problematum, ænigmatumque solutione sua se exercebant; ex eorum vero Arabiæ Sapientum numero Job, & amici illius numerantur. Scriptura superius docuit c. 4. 30. Salomonem omnibus Orientalibus sapientia præstitisse, quod juxta nonnullos [2] Arabiæ Sapientes notat. Porphyrius apud Cyril. l. 10. contra Julian. asserit Pythagoram profectum fuisse, ut Arabes intueretur, percitum eorum fama sapientiæ. Plutarchus in Conviv. loquitur de sapientiæ certaminibus, quibus Æthiopiæ, ac Ægypti Reges se mutuo provocabant.

℣. 4. VIDENS . . . . DOMUM, QUAM ÆDIFICAVERAT.] Seu ipsius ædes [3], seu potius Templum, & Domum Dei; licet enim magnificentissima domus esset Salomonis, tamen longissime Templo Domini decedebat; de quo Ethnici iidem summa cum laude loquuntur. *Nullum Judæi*, Dion l. 37. inquit, *habent simulacrum. Credunt autem in Numen ineffabile, atque invisibile, tumque majori, quam reliqui populi, religione venerantur. Deo suo Templum miræ prorsus magnitudinis, atque speciei ædificarunt, cui unum tantum deest, hoc nempe quod sine tecto est, & sub dio.* Tacitus l. 5. hist. de Jerosolymitano Templo loquens ipsum esse ait, *immensæ opulentiæ templum*; licet de eo tantum loquatur, quod a Tito subversum fuit. Quid porro de Templo a Salomone ædificato dixisset, si illius fuisset pulchritudinem atque magnificentiam intuitus?

℣. 5. HABITACULA SERVORUM.] Interpretes plures Hebraicum textum [4] de ordine, & modo, quo Regia Præfecti mensæ accumbebant intelligunt.

PINCERNA.] Intelligi Hebraica vox potest [5] de *potu*, vel *poculis*; vel de curatoribus [6], & Regiæ mensæ ministris.

HOLOCAUSTA, QUÆ OFFEREBAT.] Hebraicus textus [7] a Recentioribus plurimis [8] hoc pacto redditur: *Et adscensus, quo ad templum Domini ascendebat.* Credunt autem, pontem fuisse, vel porticum, qua a Regiis ædibus ad Templum transitus fieret. Vide ℣. 12. Vulgatæ sensus mihi magis naturalis, atque ad litteram magis videtur accedere. Scriptura superius loquitur [9] de Regis magnificentia in sacrificiis, quæ Domino offerebat.

℣. 9. EO QUOD DILEXERIT DOMINUS ISRAEL.] Præstantius, majusque munus, quod misericors Deus dilecto populo conferre possit, est optimus, ac sapientissimus Princeps, non secus ac pravos, sævosque imponit Reges cum in subditos ira succenset. Reges minus sibi Reges sunt, quam populo suo: atque passim Divinæ, vel clementiæ, vel vindictæ in subditos suos sunt instrumenta.

℣. 10. CENTUM VIGINTI TALENTA AURI.] Talentum auri æquivalet gallicæ monetæ libris 69531. & solidis 5. ideoque centum & viginti auri talenta summam reddunt librarum 8343750.

Præter magnam hanc auri, aromatum, gemmarumque vim, quam Regina Saba dono dedit Salomoni, Josephus Antiqu. l. 8. c. 2. refert ipsam attulisse quoque arborem balsami, quod pretiosum est arbustum, ex quo balsamum manat, liquor ille, qui tanto in pretio apud Veteres habebatur, & qui hodie adeo raro invenitur. At Eruditi quidam viri [10] ægre Josepho fidem habent. Si Regina hæc de Æthiopia accesserat, quemadmodum ille contendit, quinam balsami arborem attulit, quam ibi terrarum nequaquam adolescere certum est? Arabiæ, & Judææ balsamum Veteres dumtaxat agnoverunt; & Sanctius putat [11] Salomonem, ante Reginæ hujus adventum de percelebri hoc balsami arbusto locutum fuisse, cypri nomine in Canticis [12]. At alibi ostendemus balsami arbustum a Cypro longe aliud esse.

Aliud quoque de Regina hac commentum circumfertur. Dicitur [13] in Salomonis aula lignum quoddam vidisse, quod in Templi ædificio fuerat reprobatum, quodque pro sedili erat iis, qui discumbere voluissent; & cum illa dixisset futurum ut ex ligno hoc Messiæ crux compingeretur, illud a Salomone abditum fuisse, atque usque ad J. C. tempora delituisse. Hoc autem tignum fuisse comminiscuntur ex tribus diversorum arborum ramis ortum, quas Abraham conseruerat, atque in unum tantummodo stipitem conjunxerat. Inania prorsus inertium, ac superstitiosorum ingeniorum commenta, quæ minimum merentur, ut iis diluendis immoremur.

℣. 11. CLASSIS HIRAM . . . . ATTULIT EX OPHIR LIGNA THYINA.] Salomonis Classis ab Hiram navarchis deducta, vel potius, classis, quam Hiram nomine suo cum Salomonia classe una miserat [14], rara, & pretiosa attulit ligna: seu quod Salomon, & Hiram societatem cum itineris, tum etiam proventuum iniissent; seu quod Salomon pretiosa emisset ligna, quæ subditi Hiram pro Rege suo attulerant. Quænam essent hæc ligna, quæ *thyina* [15] a S. Hieronymo, & a Septuaginta *laborata ligna*, vel *dolabra cæsa*, appellantur, in diversa Interpretes abeunt. Vox *thyina*, quam S. Hieronymus adhibuit, proprie *citri ligna*, vel ligna odora significat. Citrus lignum erat, quod suavissime olebat, & quod maximo in pretio apud Veteres habebatur, & ex quo Augusti ævo mensæ fiebant, quæ mira erant specie, sed quæ nonnisi immodica auri vi comparabantur [16]. Lignum hoc ex Mauritania advehebatur, illudque tanto studio postea, atque opulenti viri quærebant, quo mulieres speciosissimas uniones perquirunt: *Citri, & mensarum insania, quas fœminæ viris contra margaritas regerunt.* Arbor hæc a Græcis Thyon, vel Thyion vocabatur, ex quo vox *thyina* profecta est. Odor illius in deliciis erat, & Homerus in Odyss. ait, Deam Calipso in antro suo lignum hoc adolere consuevisse; unde in universam Insulam odor effundebatur.

Septuaginta, qui locum hunc verterunt, pro lignis dolabra cæsis, alibi Hebraicam vocem *almugim*, vel *algumim* (non enim vereor, quin idem sit) *lignea pinea* reddidere, & illis S. Hieronymus subscripsit [17]. Verum cur nam ligna algumim procul adeo erant quærenda, quandoquidem Salomon precatur Hiram, ut ex iis, quæ in monte Libano oriebantur, ad ipsum mittat? & quinam ait Scriptura nusquam visa fuisse ligna bis similia [18], si in montibus nuper memoratis aderant?

Tria ad hæc responderi possunt. Primum *almugim* vocem esse genericam, neque peculiarem aliquam arborum

---

1 Joseph. Antiqu. l. 8. c. 8. 2 Grot. in Matth. 2. 1. 3 Ita Joseph. l. 8. c. 2. & Menoch. &c. 4 מושב עבדיו 5 משקיו 6. Vide ad Genes. 15. 2. 7 ועלתו אשר יעלה בית יהוה 8 Pagn. Varab. Mont. Malv. Jun. Pisc. Ita & Cornel. & alii. 9 3. Reg. 9. 25. 10 Vide Boch. Phaleg. l. 2. c. 26.
11 Vide Sanct. hic, & in Cant. 12 Cant. 1. 13. *Botrus cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi:*
13 Vide, si lubet, Gretser. de Cruce, Pined. Salom. Præv. l. 5. c. 24. Sanct. hic.
14 Vide mox ℣. 22. & supra c. 9. 27. 15 ξύλα πελεκητά.
16 Plin. l. 13. 15. 16. 17 2. Par. 2. 8. שלח לי עצי ארזים ברושים ואלגומים מהלבנון
18 3. Reg. 10. 12. & Par. 9. 11. *Numquam visa sunt in terra Juda ligna talia.*

borum speciem significare. Itaque cum Salomon ab Hiram hæc ligna petit, idest, ac si diceret: Mitte, quæso, ad me, cedrum, abietem, & alia ligna ad ædificandum optima; & cum Scriptura inquit, ex Ophir allata fuisse ligna *almugim*, neque his similia in terra Juda umquam visa fuisse, hoc innuit simpliciter, de Ophir speciosa ligna allata fuisse, atque raritatis eximiæ, ad ædes struendas idonea quidem, sed adeo *forma* præstanti, ut hactenus numquam ex eadem specie ea in regione visa fuerint, nec quæ ad illorum decorem accederent. 2. dici potest, fuisse quidem aliquot ligna algumim in monte Libano, cum Salomon ea ab Hiram petiit; sed bis in Templi ædificium insumptis, Salomonem navarchis suis imperasse, ut alia ex eodem genere ligna de Ophir afferrent, quæ revera allata fuere, præ iis, quæ umquam visa fuerant, speciosissima. 3. Denique Salomon poterat quidem credere ligna *algumim* in Libano reperiri, cum de iis Regem Hiram est obtestatus: verum cum minime fuissent inventa, ea ex Ophir arcessere debuisse.

Rabbini passim *algumim* pro *coralliis* explicant; at corallium, neque instrumentis musicis compingendis, neque fulcris ædium extruendis est aptum. Præterea minime necesse erat corallia in Ophir inquirere, quandoquidem eorum maxima vis aderat in Erythræo mari Judææ proximo. Nonnulli [1] *ebenum*, vel brasilium reddidere; sed hæc omnia temere, & sine ulla ratione. Maximam veri similitudinem habet, nomen *Algumim* generatim pro omnibus arboribus sumi, quæ ferunt gummi, veluti ceraso, pruno, spino, persico, & peculiariter eam arborem significare, quæ Armenium, vel Arabicum gummi producit. Reminisci necesse est, regionem Ophir a nobis Armeniam versus constitui. Arbor, ex qua hoc gummi dimanat, illi similis est, quæ myrrham gignit. Nonnulli putant hoc idem esse, ac cancamum Dioscoridis [2]; sed multo plures contrarium mordicus tenent. Arabicum gummi ex acacia nigra educitur, quæ maxime communis est in Arabia Petræa, in Ægypto, atque in Thebaide [3]. Alibi [4] adnisi sumus ostendere acaciam nigram eamdem esse ac lignum Sethim Moysis, quod pro soliditate, magnitudine, atque specie cuicumque magnifico operi erat idoneum. Si Salomoni acacia nigra, Libani, Arabiæ Petrææ, & Ægypti omnino non placuit, inde factum censendum est, quod ea speciosiorem aliam quærebat, quæ a classi sua potuit afferri, vel de regione Ophir, vel de aliis locis, in quibus morabatur vel in Ophir iter contendens, vel illinc reversa; namque maximopere credibile est, Salomonicam classem plures portus in suo itinere petiisse. Denique nomen *gummi*, græce *Kommi* palam ex Hebraica voce *algumi* proficiscitur. Duarum harum vocum similitudo major est, quam ut fortuito accidisse arbitreris; & si *Gummi* ab *algummim* dimanat, omnis adest veritatis species, arbores, de quibus Scriptura loquitur, esse ex earum natura, quas Moyses *Sethim* appellat, & hanc nihil esse aliud, quam spinam Ægyptiam, vel Thebaidis, speciosiorem, majoremque Arabica, & montis Libani; nam alioquin Salomon minime adlaborasset, ut ea longinqua adeo regione adveheretur. In Thebaide urbs olim erat Acanthus nomine propter spini arbores, & propter gummi, quod inde aducebatur, apud veteres celeberrima.

℣. 12. FECIT DE LIGNIS .... FULCRA DOMUS DOMINI.] Plerique Interpretum [5] putant ipsum balaustia quædam fecisse ad utrumque latus adscensus, quo aditus patuisse dicitur a Regiis ædibus in templum [6]. Hebraica vox [7] *Misead* significat fulcrum, balaustium; & vox, quæ huic in Paralipomenis respondet [8], proprio significat aggerem, terræ congestæ cumulum, viam. Asseri profecto nequit, quo in opere Salomon hæc ligna insumpserit, nam Hebraicarum vocum significatio late adeo vagatur.

CYTHARAS, LYRASQUE CANTORIBUS.] Hebraice [9]: *Kinnor*, & *nabla*. Kinnor aliquam habebat similitudinem cum cythara, vel lyra veterum; nablum vero instrumentum erat decachordon, quod manibus pulsabatur. Verum horum diligentiorem descriptionem in Psalmos tradere pro virili adnitemur.

℣. 14. SEXCENTORUM SEXAGINTA SEX TALENTORUM AURI (15) EXCEPTO EO, QUOD AFFEREBANT VIRI, QUI SUPER VECTIGALIA ERANT.] Sexcenta & sexaginta sex auri Talenta summam reddunt 43307812. librarum, ac solidorum decem monetæ Gallicæ. Salomon hanc auri vim a subditis suis exigebat, præter vectigalia, quæ ab Regibus tributariis pendebantur, atque a Mercatoribus, qui in ditione ipsius merces commutabant, quæ sane longe major summa esse debebat. Hebraicus textus loci hujus, & Paralipomenon alium sensum potest admittere [10]: *Pondus auri, quod Salomoni quotannis pendebatur, erat sexcentorum sexaginta sex Talentorum auri; absque illis, qui negotiabantur, atque regnum ipsius merces suas venditantes peragrabant*. Ita ut immensa hæc auri copia neque tributa comprehenderet, quæ Principes, populique subditi erogare tenebantur, nec subsidia, quæ Israelitæ suppeditabant, nec pecunias, quas Mercatores pendebant. Ex quibus omnibus abunde patet Regnum illud florentissimum fuisse, commercium affluentissimum, & Salomonis opulentiam ferme incomprehensibilem.

℣. 15. REGES ARABIÆ, DUCESQUE TERRÆ.] Reor Hebraicum nomen [11] *Arab*, vel *Ereb* proprie significare Arabiæ desertæ populos, qui sunt ad Orientem Asphaltitis, Madianitarum, & Idumæorum, & qui sunt potius diversorum populorum colluvies, quam particularis Natio, & unius tantum originis. Vide quid adnotavimus in secundum Paralipomenon librum cap. 21. 16. Septuaginta [12] intellexerunt de populis trans-Euphratæis, ac Mesopotamiæ. Certum est, hos apud veteres nonnumquam Arabum nomen obtinuisse, & Mesopotamiam a populorum colluvie excultam fuisse. Videri potest supra 3. Reg. 4. 24. an Salomon iis terris dominaretur.

DUCES TERRÆ,] de quibus loquitur Textus [13], sunt plane Arabum *Philarchæ*; nam ad Genes. 17. 20. vidimus Arabes in duodecim tribus divisos fuisse, quæ singulæ suum ducem habebant. Intelligi quoque potest de Satrapis Philisthinorum; atque ut verbo me expediam, de Principibus, Regulisque omnium regionum Judææ finitimarum; non enim reor, per hæc verba Scripturam innuere velle capita tribuum Israel.

℣. 16. DUCENTA SCUTA DE AURO PURISSIMO.] Scilicet lignea laminis aureis obducta; hoc enim pacto passim scuta fiebant, ex lignis metallicis laminis superinductis, vel multiplici corio convestitis. Quoddam etiam ex simplici metallo conflabatur; neque dubio locus est, quin sexcenti sicli aurei efficere potuerint clypeum satis firmum, & magnum. Singulorum clypeorum pretium erat librarum circiter 6952. & solidorum decem, siclum aureum ad pondus hemisicli argentei redigendo, ita ut pretium illius sit libræ undecim, solidi totidem, ac novem dena-

1 Cassiod. præfat. Psal. c. 4. *Ligna Thyina, quæ vulgo ebena vocantur*. 2 Vide Dioscor. lib. 6. c. 25. & Joan. Brodæi not. in Theophr. hist. Plant. l. 7. 3 Prosper. Alpin. Bellon. & Brodæi not. in l. 4. Theoph.
4 Vide Exod. 25. 5. 5 Vat. Jun. Pisc. Menoch. 6 Vide quæ diximus in ℣. 5. hujus cap. & 2. Par. 9. 11.
7 ויעש .... מסעד לבית יהוה 8 2. Par. 9. 11. ויעש .... מסלות לבית יהוה
9 כנרות ונבלים לשרים
10 ויהי משקל הזהב אשר בא לשלמה בשנה אחת שש מאות ששים ושש ככר זהב לבד מאנשי התרים ומסחר הרכלים
11 ערב Hæc vox significat, vespere, occidentem, & agminis cujusdam speciem, seu colluviem virorum diversarum nationum; agros denique steriles, & incultos. 12 70. τῶν βασιλέων τε ἐρέβ, perinde ac legissent קכך loco ערב 13 פחות הארץ 70. τῶν σατραπῶν τῆς γῆς.

denarii. At pronius fidei est eorum pretium duplo majus fuisse, nam sicli aurei eodem plane præstabant pondere, ac argentei. His vero clypeis Salomon utebatur, cum in Templum militibus stipatus ascenderet; deinde vero in locum suum iterum condebantur, scilicet in satellitum regis armamentarium [1]. Hebraica vox *Zinna* צנה ex earum est numero, quarum significatio non satis est certa. Hanc S. Hieronymus nonnunquam [2] *contum* reddit, *lanceam* [3] aliquando; & demum [4] *thoracem*; ex quo nonnulli putarunt [5], eam generatim significare armorum genus tum inferendæ, cum propulsandæ vi aptum, de cujus qualitate judicium ferendum esset ex sermonis decursu, quod difficile est, quod eredam. Radix, unde *zinna* exilit, significat acutum, ad pungendum, ac perforandum idoneum; quod non parum B eorum suffragatur sententiæ, qui nomen illud hastile, vel lanceam significare arbitrantur.

℣. 17. TRECENTAS PELTAS.] Discrimen inter *peltam*, & scutum hoc est, quod scilicet *scutum* quadratus & oblongus est clypeus ejus magnitudinis, quæ totum corpus cooperiat. *Pelta* brevior est, & in quandam Lunæ crescentis imaginem elaborata, Virgilius Æneid. 1.

Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis.

EX AURO PROBATO;] seu defæcato. Hebraice [6] ad litteram illhic, & ℣. præcedenti, *ex auro jugulato*. Septuaginta: *Ex auro ductili*. Syriaca versio; *ex auro optimo*; Arabica; *ex auro obedienti*; Hebraica vox *Schut* ad aurum defæcatum significandum in his duobus tantum versiculis, & in Paralipomenon C loco, qui his respondet, occurrit. Legi potest *schuk*, quæ Aurificum vox conflare, & defæcare metalla significat; *ex auro defæcato, & in conflatoriis fuso.*

TRECENTÆ MINÆ UNAM PELTAM VESTIEBANT.] Aurea mina sexaginta siclis constabat, siclus vero semunciæ pondo erat, vel Romanarum drachmarum quatuor; atque ita horum clypeorum pondus majus erat pondere scutorum illorum, de quibus sermo fuit ℣. 15. Ea quippe scuta sexcentis siclis ponderabant, hæ vero peltæ 18000. siclis, vel talentis tribus, vel trecentis sexaginta quinque Romanis libris graves erant, quod sane majus onus est, quam cui ferendo unus vir esse queat. Verum quidem est Hebraicum loci hujus textum [7] tres tantum minas singulis peltis tribuere; at in Paralipomenis [8] habemus D *trecentum ex auro* in hoc loco, non secus ac *sexcentum auri* in superiori, quin explicet, de qua ponderis specie sit intelligendum. Si trecenti auri sicli æquales essent minis tribus, haud recedendum esset ab Hebraico Regum Libri textu, & locus Paralipomenon de trecentis siclis esset explicandus; at minæ tres centum & octoginta solum siclis æquivalent. Itaque Vulgatæ adhærere possumus, quæ *tantum* ex Paralipomenis mutuata supplevit. Quoad vero magnum harum peltarum pondus afferri potest, eas potius ad pompam, quam ad usum fuisse confectas, atque teneri consuevisse, ubi Regii satellites diversabantur, vel in armamentario ad simplicem ornatum, atque ad regiam Salomonis magnificentiam ostendendam. E

℣. 18. FECIT THRONUM DE EBORE GRANDEM, & VESTIVIT EUM AURO FULVO NIMIS.] Hebraicus textus ad litteram [9]: *Fecit thronum grandem e dente, & vestivit eum auro de Uphaz*. Hebræi *dentem* vocant ebur, uti quoque Herodotus, & Veterum plerique. Alii [10] putant, ebur ad cornu potius naturam accedere; atque fatendum est, illud minus aridum, rigidumque esse, quam dentis os; ad ignem A quippe mollitur, & non secus ac cornu in opus redigitur; sed consuetudo prævaluit, eburque Elephantis verus esse dens existimatur: *Juba cornua appellat*, Plinius l. 8. c. 3. ait: *Herodotus tanto antiquior, & consuetudo melius, dentes*. Et Juvenalis inquit Satyr. 11.

Dentibus ex illis, quos mittit porta Syenes.

Varro tamen de Ling. Lat. l. 6. consuetudinem improbabat, & mordicus asserebat, ebur elephanti cornu esse vocandum: *Nam quos dentes multi vocant, sunt cornua*; quæ sane sententia haud ita paucos asseclas jactat. Illi plurimi, iique eruditissimi Auctores subscribunt [11], & Propheta Ezechiel hanc sententiarum varietatem conciliare voluisse videtur, cum ebur *dentium cornu*, [12] vel cornu in dentium formam vocavit. B

Quoad vero *aurum de Uphaz*, vel *Ophaz* nemo ire potest inficias, ipsum a regione, ubi coalescit, nomen deducere. Jeremias ait [13] argentum allatum fuisse de Tharsis, & aurum de *Uphaz*, vel *Ophaz*, quæ regio plane est Cholchis, ubi fluit percelebris fluvius Phasis, vel Phison, quemadmodum in Genesi 2. 11. diximus. Secundus Paralipomenon liber 9. 17. qui locus huic geminus est, simpliciter habet: *aurum mundissimum*, hoc est defæcatum. Cæterum nequaquam credendum est, totum Salomonis solium adeo auro fuisse convestitum, ut ebur minime videretur. Ibi enim metallum hoc insertum fuit, ubi artifici visum est fore ut eboris candori majus decus accederet; atque similiter ibi ebur interpositum, ubi auri C fulgorem potuit augere.

℣. 19. SUMMITAS THRONI ROTUNDA ERAT IN PARTE POSTERIORI.] Vidimus supra c. 7. 8. posteriorem throni partem in ædiculæ formam, cujus summitas rotunda erat, effectam fuisse. Thronus hic erat in atrio, vel in vestibulo ædium Salomonis medius in peristilio, cujus descriptionem alibi tradidimus. Vide 3. Reg. cap. 7. ℣. 8.

DUÆ MANUS HINC, ATQUE INDE TENENTES SEDILE.] Hæc plane sunt velut manus brachiatæ sellæ, quas S. Hieronymus in Paralipomenis *brachiola* vocat. Intelligi quoque potest de pedibus, quibus sedes incumbebat. Josephus Antiq. l. 8. c. 2. ait, duas fuisse manus, quæ sedem componebant, & Regem quodammodo excipiebant insidentem. Septua- D ginta [14] ajunt in posteriori throni hujus parte binas fuisse boum imagines, binasque super sedem manus.

℣. 21. NON ERAT ARGENTUM, NEC ALICUJUS PRETII PUTABATUR IN DIEBUS SALOMONIS.] Hoc præcedentibus addere mallem, hoc pacto: *Omnia vasa domus Salomonis erant aurea; neque erat argentum*; scilicet nullum vas erat, quod ex argento simpliciter esset conflatum; *non enim alicujus pretii putabatur in diebus Salomonis*. Hæc est exaggeratio illi persimilis, quæ inferius occurrit: *Fecitque ut tanta esset abundantia argenti in Jerusalem, quanta & lapidum*.

℣. 22. QUIA CLASSIS REGIS PER MARE CUM CLASSE HIRAM SEMEL PER TRES ANNOS IBAT IN THAR- E SIS.] Hinc autem magnam illam auri, argentique vim deferebant, quapropter vulgaria adeo tunc temporis erant metalla. In Genesi nervos omnes intendimus, ut ostenderemus, *Tharsis* cum civitatis, vel Provinciæ nomen significat, innuere urbem Tharsi, vel Ciliciæ Provinciam: verum arbitramur naves *Tharsis*, vel classes, quæ in Tharsis vela dimittunt, significare dumtaxat magnam classem quæ longum mari iter suscipit, onerariam navem, & satis amplam,

1 Vide 3. Reg. 14. 28. 2 Amos 4. 2. *Levabo vos in contis*. 3 Ezech. 28. 4. & 2. Par. 9. 15.
4 Ezech. 23. 24. 5 Vide Sanct. hic. 6 וזהב שחוט 70. χρυσῷ ἐλατῷ.
7 שלשת מנים זהב יעלה על המגן Ita Joseph. & 70. & Chald.
8 2. Par. 9. 16. שלש מאות זהב יעלה על המגן אחת 9 ויעש המלך כסא שן גדול ויצפהו זהב מופז
10 Juba apud Plin. l. 8. Pausan. l. 5. Strabo l. 16. 11 Turneb. Advers. l. 13. c. 24. *Ebur, ut opinor, non inepte nec insite in cornuum genere reponemus.* 12 Ezech. 27. 15. קרנות שן
13 Jerem. 10. 9. *Argentum involutum de Tharsis affertur, & aurum de Ophaz.*
14 Προτομαὶ μόσχων τῷ θρόνῳ ἐκ τῶν ὀπίσω αὐτοῦ, καὶ χεῖρες ἔνθεν, καὶ ἔνθεν ἐπὶ τοῦ τόπου τῆς καθέδρας.

plam, ut longùm adeo queat iter habere. Hoc liquido constat, Salomonis, & Hiram classes e portu Asiongabes in mari rubro solvisse, atque inde in Ophir contendisse. Nescio autem, an Salomonis tempore maximum orbis emporium esset Tharsus Ciliciæ. Verum ut generatim navibus majoribus nomen navium Tharsis tribui possit, hoc satis est, ut Scriptoris ævo, qui Regum, & Paralipomenon libros castigavit, Tharsus propter maritimum commercium florentissima esset civitas inter Mediterranei Maris cæteras: quod plane tunc solum accidit, cum Reges Assyriæ Tharso potiti eam ingentibus substructionibus condecorarunt.

Dentes Elephantorum.] Hebraice habemus [1] *Schen-habbim*. Nomen *Schen*, quod dentem significat, sæpius pro ebore sumitur: sed utrum *habbim* quod illi adhæret elephantum significet, non satis constat. Hoc tamen isthic innui omnes supponunt; & veteres Græci Interpretes, Chaldæus, ac Judæi Rabbini, quibus omnes fere subscribunt Interpretes, hoc uno ore de Elephantorum dentibus explicant, seu de ebore. Syriaca, & Arabica versiones intelligunt perinde ac viventes Elephanti ad Salomonem fuissent ea advecti classe, quæ de Ophir revertebatur. Bochartus communem probat sententiam, & putat ab Hebræis elephantos vocatos fuisse *Kahabim*, & ebur *Schen-habim* per litteræ K ellipsim pro *Schen-Kahabim*; at hæc conjectura mera est, neque ullo argumento fulsulta. Credimus autem *Schen-habbim* sejungendum esse, duasque ex una voces esse efficiendas. *Schen* liquido dentem, vel *ebur* significat; & *habbim* positum reor pro *habenim*, ebenum. Elisio, vel omissio litteræ *n* commode fit in ea voce, quam incommodum esset proferre propter alterius litteræ similitudinem, quæ paulo ante præcesserit. *Habenim* in Ezechiele invenitur [2]; ac notæ melioris Interpretes minimum ambigunt post Symmachum, ac S. Hieronymum, quin ebenus significetur. Nomen ebeni, quod ex Orientalibus Græci, ac Latini didicere, illi apprime respondet. Hebræi vero lignis pluralia tribuunt nomina, *habenim*, Sethim, almugim, aserim &c. Ebenus, & ebur in Indiis, atque Æthiopia invenitur: *India nigrum fert ebenum*. Persarum Reges ab Æthiopiæ populis duo hæc pro tributo exigebant [3]; atque ante illos Sesostris Ægypti Rex hoc ipsum exposcebat, cum eos subegisset [4]. Sacri, & profani auctores duo hæc plerumque conjungunt, ebur, & ebenum, veluti duo extrema, alterum quidem candoris, nigredinis alterum; atque perinde ac ex regionibus iisdem adveherentur. Salomonis classis in Æthiopiæ ora ebeno poterat onerari, quam legere debebat in Ophir itura.

Simias.] Hebraicam vocem קפים *Kophim* simias significare satis convenit; verum cum plures sint simiarum species, quæritur, ex quanam hæ forent, quæ isthic memorantur. Græci auctores de quodam simiarum genere loquuntur, quæ in Æthiopia, ac in rubri maris ora inveniuntur, atque *Keipos*, vel *Kephos*, vel *Kebos* appellantur, quæ nomina palam ad *Kophim*, vel *Kopim* rationem habere videntur. Plinius, & Solinus referunt Julium Cæsarem Romam in publicos ludos primum ex hoc simiarum genere protulisse, neque deinceps aliàs earum spectacula edita fuisse. Igitur hæ non erant ex vulgata simiarum specie, quæ sane nullo pacto raræ Romæ fuerunt. Cephus pedes, manusque humanis similes habebat, Leonis faciem, pantheræ corpus, neque capreolo magnitudine præstabat [5]. Ægyptii Babylone prope Memphim simiæ genus quoddam, quod Strabo l. 17. *Keipos* appellat, venerabantur. Huic satyri facies erat, reliquum vero corpus a canis, & ursi similitudine

A non valde abhorrebat. Minime vero asseruerim, utrum Hebraica vox *Kophim* aliquam simiarum speciem, vel omnes generatim significet: at nuspiam sane majorem nominum similitudinem inveneris, quam inter *Kephos* Græcorum, & Kophim Hebræorum.

Pavos.] Hebraicum nomen תכיים *tukiim* de pavonibus a Chaldæo, Syriaca, Arabicaque versione, ac Rabbinorum, Interpretumque plerisque intelligitur. Septuaginta hoc in versione sua præteriere. Magna pavonum copia invenitur in iis locis, quo Salomonis classem contendisse opinamur; in Media passim occurrunt; atque prisci illos, *volucres Medicas* vocabant. Diodorus Siculus l. 2. in Babylonia quoque pavos plurimos fuisse refert. Classis Salomonica

B Mediam usque ferme attingebat, atque ultra Babyloniam, juxta hypothesim nostram, vehebatur.

Josephus addit ad Regem plurimos quoque Æthiopas servos afferri consuevisse. Liquet autem id genus servos in pretio fuisse habitos, iis præsertim in regionibus, ubi mulieribus Eunuchi famulantur. Viri tantum vel nobilitate, vel opibus potentes, ex hac Natione servos emebant.

℣. 26. Mille quadringenti currus.] Vide quæ de curribus, & equis Salomonis dixerim supra Cap. IV. versiculo 26. Secundus Paralipomenon liber 9. 25. quadringentos tantum currus memorat.

℣. 27. Quasi sycomoros.] Hebraice שקמים: *Sekamim*. Hæc magna est arbor, a ficu non absimilis, & quæ folia moro similia producit. Fructus vero

C neque in grana, neque ad ramorum extremitatem gignuntur, sed ex ipso stipite prodeunt; qui nostratem ficum & magnitudine, & specie, at sapore sylvestrem ficum referunt; licet dulciores sint, neque semina intus contineant. In Ægypto passim magna Sycomororum vis extat, præsertim vero non procul a Memphi. In Judæa quoque Salomonis tempore plurimæ aderant, quandoquidem de illis habetur sermo, velut de vulgatissimis illius regionis arboribus; ast hodie paucas ibi repereris; quod mirum sane esse non debet ea in regione, quæ tot perturbationibus obnoxia fuit propter bella, ac hostium depopulationes. *Sicomori* nomen fluit a Græco *sykos*, ficus, & *morea* [6] morus, vel morum. Alii hoc nomen a *sykos*, vel [7] *syke* ficum, & *moros* fatuum derivant,

D ficum fatuum, sine gustu, sine sapore; at prior Etymologia pluribus arridet.

℣. 28. Educebantur equi Salomoni de Ægypto, & de Coa.] Ægyptum olim equorum ubertate celebrem fuisse satis liquet; & qui primi equos belli conscenderint, Ægyptii fuisse [8] dicuntur. Hoc autem adinventum alii Sesonsochidi, Oro alii acceptum referunt. Pharao Hebræos de Ægypto exeuntes cum plurimis curribus, & equitibus est persecutus Exod. 14. 7. Sesostris maximas equitum turmas in aciem eduxit 2. Par. 12. 3. Postquam vero hic Princeps, & qui illum sunt subsecuti, in Ægypto tantam canalium copiam effodere, equi inutiles propemodum effecti sunt, quemadmodum Herodotus l. 2. refert, ideoque longe rariores. Attamen Ægy-

E ptii Reges Ezechiæ ac Isaiæ temporibus plurimos adhuc & currus, & equites habebant. Rabsaces tunc Israeli dicebat [9]; *An fiduciam habes in Ægypto propter currus, & equites?* Non igitur mirum est, quod Salomon ea ex regione equos suos fuerit mutuatus, ubi passim adeo inveniebantur, & unde summa cum facilitate poterant in Judæam deduci. Viatores referunt equos Ægypti forma, ac specie cæteris longe præstare; & Turcæ eorum usum exteris non permittunt ad id plane, ut eorum sobolem ea in regione servent, & augeant.

Porro

1 שנהבים 2 Ezechiel. 27. 15. איים רבים . . . והבנים השיבו אשכרך 3 Plin. l. 12. 14. & Herod. l. 3. c. 97. 4 Diodor. Sic. c. 1. 5 Vide Bochar. de animal. sacr. p. 1. l. 2. c. 23. 6 συκῆ, ficus; μορέα, morus. 7 συκῆ, ficus; μῶρος, fatua. 8 Dicæarch. apud Scholiast. Apollon. Rhod. 9 4. Reg. 18. 24. Vide Isai. 30. 1. *Væ qui descendunt in Ægyptum, in equis sperantes* &c.

Porro quænam fuerit *Coa*, unde equos sibi comparabat Salomon, non satis innotescit. Plurimi vero de insula *Coos* e conspectu Cariæ ad Asiam spectante intelligunt, tum propter Hippocratis incunabula, cum propter lanças, sericasque vestes, quæ ibi texebantur, celeberrima; ibique [1] Pamphila Laroi filia sericum nendi, sericasque vestes texendi artem traditur invenisse. Poetæ sæpius vestium in insula *Coos* elaboratarum meminere. Tibullus lib. II Eleg. 6.

Illa gerit vestes tenues, quas femina Coa Texuit.

Videtur etiam *Coos* nomen illi a *Ko* inditum, quod Hebraice filum significat, propter florentissimum mercis hujus ea in civitate negotium [2]. Verum isthæc nihil ad rem nostram. Illud enim quæritur, an *Cos* locus esset, unde equi possent comparari a Salumone, quod nequaquam fuisse videtur.

Non desunt [3], qui putent, equos hos a civitate *Coa* in Arabia Felici advectos fuisse [4]; alii [5] vero ex *Co* Ægypti urbe, ac tractus illius Metropoli, qui Cynopolitanus vocatur [6]. Hebraica lectio hoc pacto verti posset [7]: *Educebantur equi Salomoni de Ægypto, & de Michoe*. Plinius l. 6. c. 29. asserit antiquitus Troglodyticem, Ægypto finitimam, *Michoe* fuisse appellatam.

Jarchi putat, *Mikoa* significari equorum seriem, sibi invicem cauda adhærentium; perinde ac locus iste duntaxat innueret plurimorum equorum seriem, ex Ægypto Salomonem deduxisse; quam versionem plurimi recentiores secuti sunt [8]. Tirinus Hebraicam vocem de Ægypti nundinis explicat, de emporiis, quo mercium commutandarum causa homines confluebant.

At alii hoc pacto omnem versiculum reddunt [9]: *Educebantur equi Salomoni de Ægypto, & Negotiatores Regis emebant filum argento*; nuunt enim Hebraicam vocem *Mikoa* filum significare. Ægypti linum inter cætera præstantissimum fuisse nemo nescit, atque operam perderet, qui hujusce rei vellet argumenta proferre. Isaias innuere videtur linum, tenuesque telas maximum fuisse Ægypti commercium [10]: Ezechiel loquitur de subtilibus ac variegatis telis, quæ ea in regione exoticis mercatoribus vendebantur [11]. Aulæa, & Ægypti stragula semper apud exteros celebrata fuere [12]. Hac in re Profani Auctores cum sacris conveniunt; apud quos Ægyptii lini negotium celeberrimum est [13]. Hic igitur sensus textui tradi potest: *Educebantur Salomoni equi, & linum de Ægypto*. Porro quamquam equorum pretium idem semper esse nequeat, propter qualitatis eorum discrimen; nulla tamen erat quadriga, quæ Jerusalem Salomoni deducta sexcenti siclis non staret. Quoad filum constituto inter Salomonem, ac Ægypti Regem pretio emebatur: ita ut Judæorum Reges omne Ægypti de duabus hisce rebus commercium pertraxerint, ac illorum subditi solum has merces in Syria universa, finitimisque locis venumdarent, quod maximum sane Regi Salomoni lucrum gignebat.

Bochartus de animal. sacr. p. 1. l. 2. c. 9. id aliter adhuc intelligit; accipit enim *Mikoa* pro tributo, textumque ita reddit: *Educebantur Salomoni equi de Ægypto: quoad vero tributum, Principis hujus Publicani illud exigebant juxta constitutum pretium*, de quo cum Pharaone convenerat. Ægypti Rex nullum educi patiebatur equum, nisi, ut exportare liceret, certum vectigal penderetur; Salomoni vero cum Pharaone pro hoc vectigalium jure convenerat. Convenerat autem ut in singulas quadrigas sexcenti sicli penderentur, in equos vero singulos sicli centum, & quinquaginta. Hoc pacto Salomon ex Ægypto, quot vellet, educebat equos, vectigal, prout convenerat, solvens. Vel potius Salomon constituerat vectigal pro equis, & telis, quæ de Ægypto in Syriam finitimasque provincias importabantur; habebatque Publicanos, qui hæc vectigalia maxima auri vi redimebant. Hæc autem sententia præ cæteris mihi magis arridet.

℣. 29. EGREDIEBATUR QUADRIGA EX ÆGYPTO SEXCENTIS SICLIS ARGENTI.] Credibile ne est, equos, quos in Ægypto emebat Salomon, singulos illi stetisse siclis centum, & quinquaginta [14], & in infinita qualitatum varietate hæc animantia eodem semper pretio venderentur? Hoc impellere profecto posset, ut de singulorum equorum tributo isthic agi crederemus. Sed hoc etiam supposito, quodnam equorum esse debebat pretium, si pro singulorum vectigali octoginta saltem Gallica scutata erant impendenda? Nonnulli putant [15] pro singulis equis hanc auri vim erogandam fuisse, eo quod ex Ægypto mercibus onusti egrederentur. Sed asserere præstat, nullas ex Ægypto in Judæam advectas fuisse quadrigas, quæ Regi non starent in summa sexcentis siclis, hoc est 970. libris, solidisque decem Gallicæ monetæ, antequam in Regia equilia inferrentur.

ATQUE IN HUNC MODUM CUNCTI REGES HETHÆORUM, & SYRIÆ EQUOS VENUMDABANT.] Salomon non in Ægypto solum equos emebat, verum etiam in Hethæorum regione, ac in Syria. Verum quænam est hæc Hethæorum regio? Liquet Hethæos, qui olim promissæ terræ partem incolebant, illinc exterminatos fuisse, ideoque minime potuisse tunc temporis Reges habere, præsertim Salomone imperante, qui Chananæorum reliquias in servitutem [16] coegerat. In Judicum libro 1. 26. legimus, virum de Bethel in Hethæorum concessisse terras, ibique urbem Lusam condidisse, quæ forte est *Lusa*, vel Lussa in Arabia. Verum credere mallem hos Hethæos, ac Syros in Syria, & trans Libanum habitasse. Certum est Chananæos quosdam *in Cœle-Syria* fuisse, qui ex Hethæis originem duxisse poterant, atque adhuc Regibus parere, qui Salomoni subditi essent, illique vectigal penderent. Hi Reges Salomoni eadem conditione, qua Ægyptius Rex, equos venumdabant. Salomon quasdam uxores Hethæas habebat, quemadmodum ex sequenti capite innotescit; & dum Joram Rex in Israel imperaret, aderant Hethæi Reges viribus prævalidi, ac Syriæ Regibus infesti. 3. Reg. 7. 6.

Hebraicus textus ad litteram [17] habet: *Atque in hunc modum, manibus suis deducebant equos ad omnes etiam Reges Hethæorum, & Syriæ*. Salomonis Negotiatores, qui equos ab Ægyptiis emebant, non solum Regi suo eodem pacto, hoc est centum & quinquaginta siclis in singulos equos erogando, comparabant, verum etiam pretio eodem pro Syriæ, atque Hethæorum Regibus equos emebant. Hinc autem patet, Judæos tunc temporis maximum iniisse equorum commercium, quos non Judææ solum, verum finitimis quoque regionibus suppeditabant.

---

2 Arist. hist. Animal. l. 5. c. 19. & Plin. l. 11. c. 22. Isidor. l. 14. Origin. c. 6.   2 Bochar. Chanaan. l. 1. c. 7.
3 Malvenda.   4 Ptolem. l. 6. c. 17.   5 Serar. Cornel. Malv.   6 Ptolem. l. 4. c. 5. & Steph. de Urb.   7 ומוצא הסוסים אשר לשלמה ממצרים ומקוה סחרי המלך יקחו מקוה במחיר
8 Pagn. Vatab. Castal.   9 Mont. Jun. Ludov. de Dieu, Braunius.   10 Isaj. 29. 9. *Confundentur, qui operabantur linum pectentes, & texentes subtilia*.   11 Ezech. 27. 7. *Byssus varia de Ægypto texta est tibi in velum*.   12 Prov. 7. 16.   13 Plin. l. 19. c. 1. *Ægyptio lino minimum firmitatis, plurimum lucri*. Vide & Vopisc. in Aurel. & Treb. Pollion. in Gallieno.   14 Sicli 150. reddunt 243. lib. 2. sol.
15 Lud. de Dieu, Jun. Pisc. Belgica versio.   16 Sap. c. 10. 20. 21.
17 ובן לכל מלכי החתים ולמלכי ארם בידם יוציאו

CAPUT XI.

Salomon mulierum amore capitur, a quibus in idololatriam impellitur. Deus in ipsum suscitat adversarios. Propheta Abias pollicetur Jeroboam decem tribuum regnum. Mors Salomonis.

Anno M. 3014. 1. REx autem Salomon adamavit mulieres alienigenas multas, filiam quoque Pha-
raonis, & Moabitidas, & Ammonitidas, Idumæas, & Sidonias, & Hethæas,
2 De gentibus, super quibus dixit Dominus filiis Israel: Non ingrediemini
ad eas, neque de illis ingredientur ad vestras: certissime enim avertent corda vestra,
ut sequamini deos earum. His itaque copulatus est Salomon ardentissimo amore. 3
Fueruntque ei uxores quasi reginæ septingentæ, & concubinæ trecentæ: & averterunt
mulieres cor ejus. 4 Cumque jam esset senex, depravatum est cor ejus per mulieres,
ut sequeretur deos alienos: nec erat cor ejus perfectum cum Domino Deo suo, sicut
cor David patris ejus. 5 Sed colebat Salomon Astarthen deam Sidoniorum, & Moloch
idolum Ammonitarum. 6 Fecitque Salomon, quod non placuerat coram Domino, &
non adimplevit, ut sequeretur Dominum, sicut David pater ejus. 7 Tunc ædificavit
Salomon fanum Chamos idolo Moab, in monte, qui est contra Jerusalem, & Moloch
idolo filiorum Ammon. 8 Atque in hunc modum fecit universis uxoribus suis alieni-
genis, quæ adolebant thura, & immolabant diis suis. 9 Igitur iratus est Dominus Sa-
lomoni, quod aversa esset mens ejus a Domino Deo Israel, qui apparuerat ei secundo.
10 Et præceperat de verbo hoc, ne sequeretur deos alienos, & non custodivit, quæ
mandavit ei Dominus. 11 Dixit itaque Dominus Salomoni: Quia habuisti hoc apud
te, & non custodisti pactum meum, & præcepta mea, quæ mandavi tibi, disrumpens
scindam regnum tuum, & dabo illud servo tuo. 12 Verumtamen in diebus tuis non
faciam, propter David patrem tuum: de manu filii tui scindam illud. 13 Nec totum
regnum auferam, sed tribum unam dabo filio tuo, propter David servum meum, & Je-
rusalem quam elegi. 14 Suscitavit autem Dominus adversarium Salomoni, Adad Idu-
mæum de semine regio, qui erat in Edom. 15 Cum enim esset David in Idumæa, &
ascendisset Joab princeps militiæ ad sepeliendum eos, qui fuerant interfecti, & occidis-
set omne masculinum in Idumæa: 16 (Sex enim mensibus ibi moratus est Joab, & o-
mnis Israel, donec interimeret omne masculinum in Idumæa.) 17 Fugit Adad ipse, &
viri Idumæi de servis patris ejus cum eo, ut ingrederetur Ægyptum: erat autem Adad
puer parvulus. 18 Cumque surrexissent de Madian, venerunt in Pharan, tuleruntque
secum viros de Pharan, & introierunt Ægyptum ad Pharaonem regem Ægypti: qui de-
dit ei domum, & cibos constituit, & terram delegavit. 19 Et invenit Adad gratiam
coram Pharaone valde, in tantum, ut daret ei uxorem, sororem uxoris suæ germa-
nam Taphnes reginæ. 20 Genuitque ei soror Taphnes Genubath filium, & nutrivit
eum Taphnes in domo Pharaonis. Eratque Genubath habitans apud Pharaonem cum
filiis ejus. 21 Cumque audisset Adad in Ægypto dormisse David cum patribus suis,
& mortuum esse Joab principem militiæ, dixit Pharaoni: Dimitte me, ut vadam in
terram meam. 22 Dixitque ei Pharao: qua enim re apud me indiges, ut quæras
ire ad terram tuam. At ille respondit: Nulla: sed obsecro te, ut dimittas me. 23
Suscitavit quoque ei Deus adversarium Razon filium Eliada, qui fugerat ad Adare-
zer regem Soba dominum suum. 24 Et congregavit contra eum viros, & factus est
princeps latronum, cum interficeret eos David: abieruntque Damascum, & habita-
verunt ibi, & constituerunt eum regem in Damasco. 25 Eratque adversarius Israeli
cunctis diebus Salomonis: & hoc est malum Adad, & odium contra Israel, regna-
vitque in Syria. 26 Jeroboam quoque filius Nabat, Ephratæus, de Sareda, servus
Salomonis, cujus mater erat nomine Sarva, mulier vidua, levavit manum contra re-
gem. 27 Et hæc est causa rebellionis adversus eum, quia Salomon ædificavit Mello,
& coæquavit voraginem civitatis David patris sui. 28 Erat autem Jeroboam vir
fortis,

fortis, & potens: videnſque Salomon adoleſcentem bonæ indolis, & induſtrium, con-
ſtituerat eum præfectum ſuper tributa univerſæ domus Joſeph. 29 Factum eſt igitur
in tempore illo, ut Jeroboam egrederetur de Jeruſalem, & inveniret eum Ahias Siloni-
tes propheta in via, opertus pallio novo: erant autem duo tantum in agro. 30 Ap-
prehendenſque Ahias pallium ſuum novum, quo coopertus erat, ſcidit in duodecim
partes. 31 Et ait ad Jeroboam: Tolle tibi decem ſciſſuras: hæc enim dicit Dominus
Deus Iſrael: Ecce ego ſcindam regnum de manu Salomonis, & dabo tibi decem tribus.
32 Porro una tribus remanebit ei, propter ſervum meum David, & Jeruſalem civita-
tem, quam elegi ex omnibus tribubus Iſrael: 33 Eo quod dereliquerit me, & adora-
verit Aſtarthen deam Sidoniorum, & Chamos deum Moab, & Moloch deum filiorum
Ammon: & non ambulaverit in viis meis, ut faceret juſtitiam coram me, & præce-
pta mea, & judicia, ſicut David pater ejus. 34 Nec auferam omne regnum de manu
ejus, ſed ducem ponam eum cunctis diebus vitæ ſuæ, propter David ſervum meum,
quem elegi, qui cuſtodivit mandata mea, & præcepta mea. 35 Auferam autem re-
gnum de manu filii ejus, & dabo tibi decem tribus. 36 Filio autem ejus dabo tri-
bum unam, ut remaneat lucerna David ſervo meo cunctis diebus coram me in Jeruſalem
civitate, quam elegi, ut eſſet nomen meum ibi. 37 Te autem aſſumam, & regnabis
ſuper omnia, quę deſiderat anima tua, eriſque rex ſuper Iſrael. 38 Si igitur audie-
ris omnia, quæ præcepero tibi, & ambulaveris in viis meis, & feceris, quod rectum
eſt coram me, cuſtodiens mandata mea, & præcepta mea, ſicut fecit David ſervus
meus, ero tecum, & ædificabo tibi domum fidelem, quomodo ædificavi David do-
mum, & tradam tibi Iſrael; 39 Et affligam ſemen David ſuper hoc, verumtamen
non cunctis diebus. 40 Voluit ergo Salomon interficere Jeroboam: qui ſurrexit, &
aufugit in Ægyptum ad Seſac regem Ægypti, & fuit in Ægypto uſque ad mortem
Salomonis. 41 Reliquum autem verborum Salomonis, & omnia, quæ fecit, & ſa-
pientia ejus; ecce univerſa ſcripta ſunt in libro verborum dierum Salomonis. 42
Dies autem, quos regnavit Salomon in Jeruſalem ſuper omnem Iſrael, quadraginta
anni ſunt. 43 Dormivitque Salomon cum patribus ſuis, & ſepultus eſt in civitate
David patris ſui, regnavitque Roboam filius ejus pro eo,

℣. 1. SALOMON ADAMAVIT MULIERES ALIENIGENAS.] Rex hic ex illorum eſt numero, de quibus Sanctus Paulus ad Galat. 3. 3. loquitur, qui *cum ſpiritu cœperint, carne conſummantur*. Nihil ſpecioſum magis, nec magis pium, aut commendabilius Salomonis initio; nihil vero ipſius lapſu triſtius, atque funeſtius. Opes, & copia in voluptatum cupiditates illum impegerunt; voluptates ſenſim cor illius corruperunt, atque ſpiritui illius teterrimas tenebras offuderunt. Deus ab illo receſſit, ac ille deinde in nequiſſimam abyſſum prolapſus eſt, Idola veneratus. De ipſo aſſeri poteſt: *Quomodo cecidiſti de cœlo lucifer, qui mane oriebaris*. Iſai. 14. 12. Auctor Eccleſiaſtici 47. 21. cum explicuiſſet gloriæ, ac ſapientiæ Salomonis ſplendorem, his verbis claudit: *Inclinaſti femora tua mulieribus, poteſtatem habuiſti in corpore tuo, dediſti maculam in gloria tua, & profanaſti ſemen tuum, inducere iracundiam ad liberos tuos, & incitari ſtultitiam tuam*. Denique viderat quidem Rex voluptatum, atque comeſſationum periculum; verum minime adniſus eſt, ut illud effugeret: *Vinum, & mulieres apoſtatare faciunt ſapientes*, Eccli. 19. 2. atque in ſemet terribile hujus veritatis præbuit exemplum, quod ſcilicet: *Amare, & ſapere vix cuiquam conceditur*. A B

FILIAM QUOQUE PHARAONIS.] Scriptura ſæpius hoc repetit conjugium filiæ Pharaonis cum Salomone, veluti ad innuendum, ipſam originem fuiſſe, ac ipſius perditionis initium. Dei Lex explicite duntaxat cum Chananæis vetat conjugia [1]. Verum haud operoſum erat intelligere, Legiſlatoris fuiſſe mentem, ut quælibet cum alienigenis nuptiæ interdicerentur [2]; nam hujuſmodi affinitates ſemper periculum, & plerumque perniciem illis afferent, qui iis commiſcentur. C

℣. 3. UXORES, QUASI REGINÆ SEPTINGENTÆ, ET CONCUBINÆ TRECENTÆ.] Primæ quidem matronæ erant, & conjuges, quas juxta præſcriptos a Rege eorum temporum ritus duxerat: Concubinæ vero erant uxores alterius ordinis. Sara erat uxor Abrahæ; Agar, & Cethura erant illius concubinæ; quæ vox apud Hebræos non male adeo olebat, atque apud nos. Legitimæ quidem conjuges erant, ſed inferiores gradu, quam matronæ. Mille uxorum numerus pro uno duntaxat viro immodicus videtur, & re ipſa eſt. At Salomon non repente ad hujus flagitii culmen pervenit. Cum Cantica Canticorum eſt elucubratus, tunc ſexaginta Reginas tantum habebat, concubinas vero octoginta [3]. Rabbini decem, & octo ſolum uxores Regi permittunt; et admodum credibile eſt, pleriſque Principum Judæorum numerum hunc minime ſatis fuiſſe. Reges Perſarum hac in re non minus quam Hebræorum Reges ſibimet indulgebant. Darius Condomanus, qui ab Alexandro Magno victus fuit, ſecum belli tempore in caſtra duxit concubinas uſque trecentas, & quinquaginta [4]. Inter hos populos, Regina nullis unquam zelotypiæ ſtimulis ob magnum adeo concubinarum numerum angitur, tum quod Rex habetur veluti uxorum ſuarum Dominus, tum quod alterius ordinis conjuges Reginam maximopere colunt, eamque in omne obſequium compoſitæ, ferme venerantur. Legimus Priamum quoque plurimas habuiſſe uxores præter Hecubam Reginam.

1 Vide Deuter. 7. 4.
2 Vide 2. Eſd. 8. 1. & 10. 3.
3 Cant. 6. 8.
4 Athen. l. 13. c. 1.

℣. 4. Cum jam esset senex, depravatum est cor ejus per mulieres.] Quinqua & quadraginta, vel quinquaginta natus erat annos, cùm in hęc flagitia proruit, cum viginti, vel trigintra priorea imperii sui annos summa cum virtutis laude transegisset. Scriprura hanc ætatis illius circumstantiam exprimit, ut scelus excusatione videatur indignius. Profana quoqua historia quorumdam Principum meminit, qui cum initio præclarum florentissimi imperii specimen præbuissent, deinde in omnia vitia prolapsi per fas, ac nefas teterrimum regno suo finem imposuerunt. Quænam fuerit Alexandri sub regni initium modestia, satis liquet, non secus ac quæ sub finem illius fuerint flagitia. Nero, Tiberius, Domitianus, & alii nonnulli eo pacto ragnara occœperunt, ut quilibet sibi faustissimum imperium fore polliceretur; at eorum finem hodie nepoinres etiam viri perhorrescunt. Luctuosum est cogi, ut Salomonem cum hisce hominibus conferamus; sed vir adeo dilectus a Deo, qualis erat Salomon, potaratne majoribus se se ingurgitare sceleribus, cum Scriptura palam asserat, ipsum Idola fuisse veneratum?

℣. 5. Colebat Salomon Astarthem, Deam Sidoniorum.] In Dissertarione de Phœnicum Diis ostendere conati sumus, quænam esset hæc Dea Astarthes. Post explicita Scripturæ verba nequaquam licet Idololatriæ nomine Salomonem excusare; non enim textus voces tantillum in Principis hujus gratiam detorqueri patiuntur. Perdite voluptatibus se se dedit, Templa Idolis extruxit, falsa numina adoravit; & perinde ac parum esset numen aliud præter verum Deum venerari, tot Deos veneratus est, quot alienigenas mulieres, quæ singulæ superstitioni, & cultui singulari deditæ erant, deperibat. Nequaquam ut illum excusarent [1] asseruere nonnulli, ipsum, ut mulierum gratiam aucuparetur, extrinsecus dumtaxat, ac superficiali cultu eorum inania Idola veneratum fuisse, quin tamen mens illius sibi de Idolorum veritate persuaderet: quæ rationes profecto augendo potius, quam imminuendo sceleri inserviunt. Hoc enim idem est, ac velle, ipsum scandalum, improbam fidem, hypocrisim, & Dei contemptum, Divinarum Legum prævaricationi addidisse; eumque adeo propter improbum amorem dissimulasse, ut Idolis thura adoleret, quin tamen ea intrinsecus veneraretur, ac Deum contemneret; utque contra mentem suam, intimosque sensus, penitioresque cordis cogitationes ageret, publico, solemni, atque flagitiosissimi exempli cultu Deum omnibus contumeliis coinquinaturus.

Patres, qui de Salomonis lapsu verba fecere, minime rati sunt illum esse excusandum.] Nec dissimularunt, neque imminuerunt crimen illius [2]; sed illorum numero adscribunt, qui peccavere, & quorum scelera Deus persecutus est, eosdem in hac vita deserens, vel etiam juxta nonnullos in altera æternis suppliciis adjiciens. Donec vias Domini secutus est, inquit Sanctus Cyprianus lib. de Unitate Eccles. Dei sui gratiam servavit, & simolac eas dereliquit, gratiæ quoque jacturam subiit: *Recedente ab iis disciplina, recessit & gratia*. S. Augustinus lib. 22. contra Faustum cap. 81. ait, Scripturas Sanctas, quæ nemini adulantur, Salomonis opprobria palam prædicasse, & funestum illius lapsum, quo præceps in idolorum cultum proruit. Putetur autem lib. 3. de Doctr. Christ. c. 21. ipsum carnali voluptate sapientiæ detrimentum fecisse, A quam amore penitus spirituali fuerat consecutus [3]; *Cujus tamen initia desiderio sapientiæ flagraverunt, quam cum amore spirituali adeptus esset, amore carnali amisit*. Denique alibi [1] inquit, prosperum rerum omnium eventum, qui sapientibus quidem scopulus est, illi magis obfuisse, quam eidem sapientia profuerat; namque temporalis felicitas illum cœlesti, ac supernaturali penitus lumine orbavit.

℣. 7. Ædificavit fanum in monte, qui est contra Jerusalem.] In monte scilicet Olivarum e regione, atque ad Orientem Jerusalem. Hebraicus textus legit [4]: *Ædificavit excelsum in monte, qui est coram Jerusalem*. Excelsi nomine intelligitur delubrum, sacellum, altare, lucus in excelso positus, ac falso numini dicatus. Mons Olivarum 4. Re- B gum 23. 13. *mons offensionis* vocatur propter Idololatriam, cujus hic mons ara fuerat.

℣. 8. In hunc modum fecit universis uxoribus suis.] Diis earum fana, & Altaria ædificavit. Scriptura in universo hoc capite, nullibi Ægyptiorum numinum nomina exprimit, quamquam facile Pharaonis filia non secus ac aliæ, regionis suæ Numinibus obsequeretur. Israelitæ proni magis erant, ut Phœnicum, & Moabitarum, quam aliorum populorum cultum imitarentur, quamvis apud ipsos Adonidis quoque cultus vestigia [5] intueamur, quem Deum Ægyptii præsertim venerabantur. Videri possunt Dissertationes nostræ de variis Deorum generibus, quorum meminit Scriptura.

℣. 9. Dominus, qui apparuerat ei secundo.] C Vidimus jam Dominum bis Salomoni apparuisse; primum quidem sub regni illius initium, cum erat in Gabaon [6], iterum autem in Jerusalem post Templi dedicationem [7]. Attamen, licet hæc beneficia a Domino accepisset, Salomon in Idololatriam prolapsus est minimum veritus, ut Deus ob ingratissimi animi vitium succensus tot scelerum pœnas reposcerat. Hoc autem criminibus ipsius cumulum addidit.

℣. 11. Dixit Dominus Salomoni; Quia habuisti hoc apud te.] Hebraicus textus ad litteram [8]: *quia hoc tecum fuit*: quia huic crimini obnoxius es; vel eo quod hoc consilium cœpisti, quod licet adeo de te bene meritus sim, minime vereris a me recedere, ego quoque te deseram &c. Hæc verba Dominus tertio Salomoni apparens post illius D peccatum dixit, vel ei per Ahiam Prophetam, vel alium quempiam illi denuntiavit: at vero propius est, Deum hæc immediate illi fuisse locutum.

℣. 12. Propter David.] Propter præclara ipsi Regis merita in posteros usque ipsius probitatem extendere volo, ut habita illius ratione filiorum misereri. Fidem præstare volo eorum, quæ illi de te pollicitus fui, quamquam minime merearis, ut te mea gratia dignum existimem.

℣. 13. Tribum unam dabo filio tuo.] Deus reliquit Roboamo Salomonis filio regnum super tribus [9] Juda, Beniamin, & Levi, quæ fideles Domini cultui adhæserunt, uti quoque super Israelitas quosdam, qui vel jam sedem suam in civitatibus Juda [10] constituerant, vel qui illuc post secessionem concessere, ne Domini cultum deserere E cogerentur 2. Par. 11. 16. qui omnes una tantum tribus esse putabantur. Beniamin semper simul cum Juda conjunctus permanserat, tunc præsertim post terribilem eam cladem, ex qua sexcenti tantum aufugerant Judic. 20. 47. Sacerdotes quoque, & Levitæ civitates sibi traditas deseruere, atque in urbes Juda se contu-

---

1 Vide Aug. lib. 14. de Civit. Dei c. 11. & l. 11. de Genes. ad liter. c. 42. Sanctium hic, Serar. Est. Corn. Vide, si lubet, & Seld. de Synedr. 2 Iren. l. 4. c. 45. Cyril. Hierosol. Catech. 15. Hilar. in Psalm. 52. Auctor Apolog. 2. David. Vide, si lubet, Natal. Alex. tom. 2. dissert. 3.

3 Aug. de Civit. l. 17. c. 20. *Secundæ res, quæ sapientum animos fatigant, magis huic obfuerunt, quàm profuit ipsa sapientia &c.* 4 אז יבנה שלמה במה בהר אשר על פני ירושלם

5 Ezech. 8. 14. *Mulieres sedentes, plangentes Adonidem.* 6 3. Reg. 3. 5. 12.

7 3. Reg. 9. 2. 8 יען אשר היתה זאת עמך ἀνθ' ὧν ἐγένετο ταῦτα μετὰ σοῦ.

9 2. Par. 11. 12. 13. 10 3. Reg. 12. 17. *Super filios Israel quicumque habitabant in civitatibus Juda, regnavit Roboam.*

A uontulere; vel utilitatu ducti, vel studiu illecti, vel a Jeroboam ejecti, qui Domini cultum in ditiune sua penitus delere eupiebat 2. Par. 11. 13. 14. *Sacerdotes, & Levitæ, qui erant in universo Israel, venerunt ad eum de cunctis sedibus suis, relinquentes suburbana, & possessiones suas, & transeuntes ad Judam, & Jerusalem, eo quod abjecisset eos Jeroboam* &c. Hi autem simul omnes non mediocre constituebant imperium, & quod nec viribus militum, neque hominum numero, decem tribuum Jeroboam regno minimum decedebat.

℣. 14. SUSCITAVIT DOMINUS ADVERSARIUM SALOMONI, ADAD IDUMÆUM.] Hebraice [1]: *Suscitavit illi Satan*, hostem, adversarium. Salomon regni sui initio, cum mitteret ad Hiram quæsitum ligna, ut Templum ædificaret, dicebat 3. Reg. 5. 4. B *Non est Satan, neque occursus malus* in regno meo. *Habitabat absque timore ullo unusquisque sub vite sua, & sub ficu sua* 3. Reg. 4. 25. & donec ille dilexit Dominum, illique paruit, pace tranquilla intrinsecus, atque extrinsecus gavisus est bonis, felicitate, ac sapientia cumulatissime præditus. At simulac a Domino recessit, & quid illi deberet, oblitus est, statim internis, externisque hostibus fuit agitatus: Et si Deus misericordiæ suæ effectu, donec Salomon vixit, hostem cohibuit, ne palam a fide desciseeret, ac aperte bellum indiceret, Regi huic imminens malum ostendere voluit, & districtum gladium, ac jam jam necem illaturum, ut illum a scelere deterreret, & tandem aliquando resipiscens se se colligeret. C

Adad Idumæus, de quo hic sermo, adolescens erat ex Regia Principum Idumæorum progenie, qui in Ægyptum se se receperat, cum David Idumæos subegit [2]. Cum Rex hic magnam victoriam retulisset, Abisai duce, qui tunc exercitui præerat, ac decem Idumæorum millia interfecerat, misit quoque in eamdem regionem Joab jussum, quodcumque virilis sexus inveniret, gladio perimere. Adad ex hac clade aufugit, atque in Ægyptum dilapsus est: ubi cum gratiam invenisset in oculis Regis, uxorem duxit, sedemque sibi constituit. At cum David, & Joab e vivis excessissent, in Idumæam reversus est, atque inter primos fuit, qui turbas ciens Salomonis pacem perturbarit. Scriptura nihil peculiariter ait, quo pacto Adad Salomonem vexarit: verum fidei D pronius est, Adad in regionem suam sub regni Salomonis initium reversum satis diu quievisse, donec Salomone jam propter vectigalium impotentiam cuiquam infesto, ac propter senectutem, ac Idolorum cultum contempto, Adad in Idumæa milites sibi comparavit, cum quibus Hebræorum jugum excuteret. Non videtur nihilominus ipse voti sui compos effectus fuisse, nam Idumæi diutius etiam post Salomonem [3], & usque ad regnum Joram Regibus Juda paruerunt.

Septuaginta [4] inferius dicunt *Adad*, vel quemadmodum ipsi vocant, *Ader multa fecisse mala in Israel, atque in Edom regnasse*; verum nihil tale in Hebraico textu invenimus. Josephus Antiqu. l. 8. cap. 2. ait, Ader, cum in regionem suam optaret reverti, E statim ac Davidem, ac Joab obiisse audiit, a socero suo Pharaone detentum fuisse, ne reverteretur; sed satis diu posthac cum jam Salomonis vires collapsæ in præceps ruerent propter illius scelera, & quod ab illo recesserat Deus; tunc Ader, cum iterum facultatem a Pharaone petiisset revertendi in Idumæam, tandem impetrata rediisse. Verum cum per defectionem Provinciam hanc invadere minime potuisset; validis enim communita erat præsidiis; Ader secum delectis quibusdam viris, qui rebus novis studebant, in Syriam concessit, ubi vires suas cum *Razar*, vel *Razon* (quemadmodum Hebraice vocatur) conjunxit, qui contra Adarezer dominum suum arma ceperat, & latronum electam manum, quorum ipse caput erat, habebat. Ader cum ipso fœdus iniit, Syriæ partem cepit, se Regem illorum constituit, ac excursiones quasdam in Salomonis agros facere instituit. Auctores nonnulli [5] putant, Pharaonem pacem composuisse inter Adad, & Salomonem, qui Pharaonis hortatu passus est, Adad in Idumæa regnare, ea tamen conditione, ut ipsi vectigal penderet; demum vero sub finem regni Salomonis, Adad hujus servitutis pertæsum excussisse jugum, & adversus Salomonem palam defecisse. Verum hæc omnia suspicione non carent; non enim ullo Scripturarum loco probantur, ac præstat ea ignorare, quæ sciri non licet, quam ad fabulas, & humana commenta confugere.

℣. 18. CUM SURREXISSET DE MADIAN, VENERUNT IN PHARAN.] Adad, & milites illius primum in Madian se se receperant ad Asphaltitis lacus occasum; verum se illic non satis tutos fore arbitrati in Ægyptum contenderunt, & per Pharan transeuntes, ibi ducem acceperunt, ac tandem pervenere in Ægyptum. Madian est ad occasum, Pharan vero ad meridiem Idumææ.

TERRAM DELEGAVIT.] Pro victu illius, ait Josephus Antiqu. l. 8. cap. 2. Vatablus arbitratur illum a Rege provinciæ cuipiam præfectum fuisse. At Diodorus Siculus lib. 1. testatur, Ægypti Reges agrorum quorumdam ea in regione dominus fuisse, quos illi, cui vellent, impertiebantur; etenim ad ipsorum dominium spectabant.

℣. 23. RAZON .... QUI FUGERAT ADAREZER, REGEM SOBA.] David cum bellum intulisset, ac vicisset *Adarezer* Regem Syriæ Soba [6], Razon e ducibus Adarezer, cum ea militum manu, cui præerat, aufugit, atque primum prædonem agere instituens, & incursiones in agros circumundique exercens, tandem Damasco potitus, ibi regnavit. At hoc diutius post cladem Adarezer contigit: nam David Damascum, æque ac reliquam Syriæ partem subegit, quæ Salomoni paruit, donec permisit Deus, ut Razon pacem turbaret, Damasco potitus, ac illic sibi regnum constituens; quod satis diu substitit, & plurima Israelitis mala portendit. *Razin* e posteris Razon percelebris est propter pugnas contra Achaz Regem Juda pugnatas 4. Reg. 15. 16. Teglatphalassar Assyriæ Rex hoc regnum evertit, cæso Razim, qui postremus imperitavit.

℣. 25. ET HOC EST MALUM ADAD, ET ODIUM CONTRA ISRAEL.] Bella David contra Syriam occasionem præbuere rebellioni Adae, vel Razon, ac odio, quod semper contra Israel servavit. *Adad* istbic idem esse videtur, ac *Razon*, ac videtur Adad veluti genericum, & commune omnibus Damasci Regibus nomen usurpari. Equidem vero Nicolaus Damascenus apud Joseph. Antiqu. l. 7. cap. 6. hujus Monarchiæ conditorem hoc nomine appellat; & asserit successores illius satis longo annorum intervallo hoc Adad nomine fuisse nuncupatos; & in Scriptura aliquot Syriæ Reges invenimus, qui *Ben-Adad*, vel *filii Adad* vocantur [7]. Asseri quoque fortasse posset, hujus historiæ Scriptorem vixisse tempore bellorum Adad, vel *Ben-Adad* contra Israel, atque istbic obiter innuere voluisse, quænam esset horum bellorum, atque inimicitiarum inter Reges Damasci, & Israel origo. Hæ autem veteres erant simultates, quæ David Rege ortæ, Salomone imperante adoleverant,

1 ויקם יהוה שטן לשלמה. 2 Vide 2. Reg. 8. 4. & 1. Par. 18. 13.
3 2. Par. 21. 8. 10. 4 70. ante vers. 26. αὕτη ἡ κακία ἣν ἐποίησεν Ἀδὲρ, καὶ ἐβαρυθύμησεν Ἰσραὴλ, καὶ ἐβασίλευσεν ἐν γῇ Ἐδώμ. Ita & Arabs. Legerunt אדום *Edom* pro *Aram* ארם
5 Tostat. Salian. Vide Cornel. a Lapide. 6 2. Reg. 8. 3.
7 Vide 3. Reg. 15. 18. 20. & 20. 1. & 4. Reg. 6. 24. 8. 7. & 13. 3.

rant, atque usque ad finem Monarchiæ Damasceno-rum Regum processerant.

Quædam adsunt Septuaginta Exemplaria, quæ Razon non meminerunt, sed Historiam *Adad* narrare pergunt, quemadmodum superius ℣. 14. adnotavimus. Alia Exemplaria, postquam Razon historiam inseruerunt, isthic ponunt regnum *Adad*, vel *Adar* in Idumæa. Syriaca versio quoque intelligit de Rege Adad, qui in Idumæos dominabatur, vexabatque Israelitas. Denique Josephus miscet historiam Adad cum Razon, & vult duo hæc rebellionis capita vires simul conjunxisse, ut Damasci Regnum statuerent. Alii putant isthic [1] *Adad* eumdem esse ac *Adarezer* Regem Syriæ, qui a Davide victus reliquit Razon quemdam e ducibus suis, illique, ut Israelitarum clade mortem suam ulcisceretur, commendavit. At plerique de Adad Idumæo explicant, de quo sermo fuit ℣. 14. & sequentibus. Iis adhærere possumus, quæ primum dicta, scilicet Adad, & Razon isthic unum esse tantummodo; vel dicendum est, pro *Aram*, quæ vox Syriam significat, legendum esse *Edom* Idumæam, cum Septuaginta, & hoc pacto difficultas quæcumque evanescet. Locus hic est veluti acephalæosis eorum, quæ de Adad Idumæo dicta fuere: Hæc sunt mala, quæ peperit; & ipse regnum sibi in Edom regione constituit.

℣. 26. JEROBOAM QUOQUE . . . LEVAVIT MANUM CONTRA REGEM.] Defecit ab illo, in illum arma cepit [2]. Scriptura concise adeo universam hanc persequitur historiam, ut multa sint necessario supplenda. Salomon præfecerat Jeroboam tum exigendis vectigalibus, tum artificibus ex tribu Ephraim imperatis. Quo pacto ad hoc munus evectus ille fuerit, non liquet; verum liquet occasionem defectionis ipsum arripuisse ex opere *Mello*, in quo certo artificum numero ex tribu sua præfuisse videtur. Ille autem male affectos erga regem opifices suos, qui coacti adlaborabant, agnoscens facile pellexit, ut a Salomonis fide descisscerent. Neque operosum fuit votorum summam consequi, & Prophetæ *Ahiæ* promissio, futurum ut omnia illi e voto caderent, & quondam super decem tribus Israel imperaret, animos fecit, eumque impulit, ut nova in dies contra Rempublicam moliretur, quæ adeo delitescere non potuerunt, ut Regem fallerent. Salomon capere voluit Jeroboam, & interficere, at hic certior factus, in Ægyptum concessit, ubi ad Salomonis usque obitum permansit. Consilium igitur Jeroboam tunc haud e voto cessit, verum in ipso ortu extinctum fuit; sed sermones, quos cum Israelitis habuerat, & defectionis, cujus jecerat, semina, erant veluti cineri sopitus ignis; sed prodiere simul ac Roboam illis aditum præbuit, cum temere, atque inconsulto Israelitis respondit.

℣. 27. MELLO.] De Mello sumus locuti superius 2. 9. 15. 24. Septuaginta [3], & Josephus hoc de Jerusalem muris intelligunt, qui a Salomone perfecti fuerunt.

℣. 28. CONSTITUERAT EUM PRÆFECTUM SUPER TRIBUTA UNIVERSÆ DOMUS JOSEPH.] Adnotari potest Vulgatam sæpius *tributa* vocare diurnos opificum labores, vel opera publica, quæ jussu Regis instituta sunt. Hebraicus [4] textus ad litteram: *Constituerat eum super omne onus domus Joseph*, scilicet tribuum Ephraim, & Manasse. Josephus autem Antiqu. l. 8. c. 2. hoc explicat de imperio copiarum utriusque tribus; ea quidem vera alibi legimus, Salomonem nulli Israelitarum onus imposuisse operum pu-
A blicorum, quæ ipse facere instituit [5]: sed plane sub vitæ exitum consilium mutavit; nam hinc certum est opus *Mello* populi defectioni ansam tribuisse [6]; inde liquet Salomonem intolerabilia onera populo imposuisse 3. Reg. 12. 4. *Jus Regis* [7] erat subditos in agris vineisque excolendis, cæterisque urbis, ac ruris operibus exercendis. Præterea Reges a subditis suis non tributa, sed subsidia [8] exigebant, eaque erant onera Israelitarum. *Jeroboam præfectus fuerat super onera domus Ephraim, & Manasse*.

℣. 29. FACTUM EST IN TEMPORE ILLO, UT JEROBOAM EGREDERETUR DE JERUSALEM.] Certo asseri nequaquam licet, quo tempore, vel quo consilio Jeroboam de Jerusalem fuerit egressus. Exiit fortasse, ut in Ephraim tribum proficisceretur, ubi ipsius erat
B hæreditas. Ex iis autem, quæ illi Propheta inferius ait, videtur ipse jam injisse consilium excutiendi jugum domus David, & quod rebus novis studentium caput esse moliretur: *regnabis*, Ahias inquit, *super omnia, quæ desiderat anima tua, erisque Rex super Israel*.

℣. 30. APPREHENDENS AHIAS PALLIUM SUUM . . . SCIDIT IN DUODECIM PARTES.] Ahias natus erat in Silo, ubi Arca Domini aliquandiu permanserat; hic autem, Salomone imperante, in honore habitus fuit; nec desunt, qui putent, hunc bis Salomoni Dei verbis fuisse locutum; primum cum Deus illi pollicitus est futurum ut illum tueretur, suaque promissa adimpleret, eo tempore, quo Templum ædificarat 3. Reg. 6. 11. secundo autem 3. Reg. 11. 6,
C cum Deus Principem hunc exprobravit, illique minas intentavit, postquam in nequissima flagitia fuisset prolapsus. Ahias ex eorum fuit numero, qui historiam, vel diarium vitæ Salomonis scripserunt, quemadmodum ex 2. Paralip. 9. 29. innotescit. Apud Pseudo-Epiphanium in Vita Prophet. in Ahia legimus, Prophetam hunc Salomoni prædixisse futurum, ut a mulieribus olim præverteretur, ac Deus illi adversarios suscitaret; additque Prophetam eumdem fuisse vaticinatum, Jeroboam dolo regnum esse invasurum, & propter duas vitulas a Domino recessurum (loquebatur autem de duabus vitulis aureis, quas ille colendas populo proposuit), & demum progeniem ipsius in servitutem abductum iri.

Sensus prædictionis Ahiæ hoc in loco de Salomo-
D nici regni divisione, cujus decem partes Jeroboamo erant cessuræ, explicatione non indiget. Rem enim satis superque propalam probavit eventus. Hoc solum adnotari potest, Prophetas sæpius significantibus usos actionibus fuisse, ut quod innuere vellent, magis exprimerent. Oseas, ut populi Israel infidelitatem ostenderet, e lustris sibi uxorem assumit [9], & filiis, qui ex ea nascuntur, nomina tribuit, quæ ea, quæ super populum suum erant ventura, portendunt. Jeremias catenis onustus per Jerusalem ambulat [10], imminentem civitatis servitutem significaturus; juga vero finitimis Palæstinæ Regibus mittit, ut ipsos non multo post subactum iri innuat [11]: Isajas nudus omnino, & excalceatus tota incedit Jerusalem [12], Ægypti, & Æthiopiæ captivitatem prædicens. Ezechiel via-
E toris personam sumit, vasa colligit, & noctu per domus suæ perforatum parietem egreditur [13], ut significet, Judæos captum iri, atque in servitutem abductum. Propheta idem in argilla Jerusalem obsidionem delineat, ac obsessorum opera, & vineas, ut magis oculos Judæorum afficiat, atque illis non longe minarum

---

1 Osiand. Strigel. 2 2. Par. 13. 6. *Rebellavit contra Dominum suum*.
3 70. Ὠκοδόμησε τὴν ἄκραν, συνέκλεισε τὸν φραγμὸν τῆς πόλεως. Joseph. τὴν τῶν τειχῶν οἰκοδομίαν κατέστησεν ἐπιμελητήν. 4 ויפקד אתו לכל סבל בית יוסף. 70. κατέστησεν αὐτὸν ἐπὶ τὰς ἄρσεις οἴκου Ἰωσήφ.
5 3. Reg. 9. 22. & 2. Paral. 8. 9.
6 Vers. 27. *Hac est causa rebellionis, quia Salomon ædificavit Mello, & coæquavit voraginem civitatis David*.
7 1. Reg. 8. 11. 12. & sequ. 8 Matth. 17. 24. *Reges terræ, a quibus accipiunt tributum, vel censum? A filiis suis, an ab alienis? Et ille dixit: Ab alienis*.
9 Osee 1. 2. 10 Jerem. 27. 2. 11 Jerem. 27. 3. 12 Isai. 20. 2.
13 Ezech. 12. 5.

rum eventum obfuturum testetur. Pseudo-Propheta Sedechias sibi ferrea effingit cornua [1], ut Regi Israel fidem faciat, ipsum Syros esse dissipaturum, non secus ac taurus cornu pulverem spargit. Denique in Actis Apostolorum [2] Propheta Agabus sumpta S. Pauli zona sibi pedes, manusque ligat, dicitque, zonæ illius dominum ligandum esse, & in carcerem trahendum.

℣. 36. UT REMANEAT LUCERNA DAVID.] Ne progenies illius penitus deleatur, ne illius posteritas, in tenebris, & oblivione delitescat. *Lucerna* quandoque posteritatem significat [3], quandoque vero nomen, gloriam, Regnum, 4. Reg. 8. 19. & 2. Reg. 22. 19.

℣. 38. ÆDIFICABO TIBI DOMUM FIDELEM.] Impertiar tibi posteritatem, quæ semper vigebit, progeniem, quæ diutius Regno fruetur. At Jeroboam sceleribus suis meritus est, ut Deus illius familiam maledictionibus impeteret; neque promissa Dei umquam adimpleta fuere; nam continenter flagitiis suis illorum affectui obices posuit.

℣. 39. VERUMTAMEN NON CUNCTIS DIEBUS.] Licet posteri David in vitia ruant, servat tamen misericordiam suam Deus erga domum illius: cum familia David secus, ac cum aliorum Regum domibus agit; non vult eam penitus perdere, licet perdite in scelera præceps labatur. Messias, qui ex hac electa progenie nasciturus erat, nequaquam eam ea humanis infirmitatibus, atque consuetis suppliciis, quibus Deus homines punit, eruere vult; verum ne penitus deleatur reservat. Divinæ intererat gloriæ, hanc aliquo in honore, ac dignitate superstitem florere, ut in ea magna, ac divina sua consilia adimpleret.

℣. 40. AD SESAC REGEM ÆGYPTI.] Interpretes non pauci [4] putant *Sesac* eumdem esse, ac *Sesostrim* Ægypti Regem, in Herodoti historia l. 2. c. 102. percelebrem propter illius bella, & victorias. Marshamus in Can. Chron. sæcul. 14. contendit *Sethosim* Manethonis [5], eumdem esse ac Sesac, vel Sesostrim. At Usserius diu ante id tempus *Sesostrim* ponit, scilicet statim post exitum Israel de Ægypto. Alii [6] hunc vetustiorem adhuc fuisse putant, & putant Sesostrim fuisse avum Regis Amenophis, qui rubri maris fluctibus obrutus fuit. Quomodocumque sit, Rex Sesac erat procul dubio alius ab eo, qui filiam suam Salomoni nuptum collocarat: neque certum est, utrum illius esset filius, vel ex ejus familia; non enim patet utrum veteres Ægyptii Reges electione, an successione Regni summam consequerentur. Hactenus Scriptura Ægyptios Reges *Pharaones* vocavit, quod nomen Ægyptiis idem sonat, ac *Rex*. *Sesac* primus est, cujus proprium nomen occurrat.

℣. 41. IN LIBRO VERBORUM DIERUM SALOMONIS.] In fastis vitæ illius; in historiæ suæ commentariis. Libri dierum interiere; neque asseri potest hos esse Paralipomenon libros; quandoquidem in Paralipomenis quoque Libri dierum citantur æque ac in Regum libris. Cæterum hoc nequaquam erat singulare Regibus Judæorum, imperare, ut in singulos dies, quidquid agerent, in commentaria referretur: videmus enim in Esther diaris, vel monumenta eorum, quæ quotidie in Aula Regis Persarum accidebant [7]; idemque in Esdra de Regibus Babylonis animadvertimus [8]. Plutarchus in Alexand. citat diaria vitæ Alexandri Magni; & Tacitus Annal. l. 3. ait Romæ in diariis res minoris momenti scribi consuevisse; in annalibus vero ea, quæ magis memoria digna videbantur.

℣. 42. QUADRAGINTA ANNI SUNT.] Josephus ipsum octoginta annos regnasse refert, sed palam errat, ideoque nequicquam Josephi calculum cum Scriptu-

A ra conciliare conantur, dicentes Sacros Libros referre tantum annos, quos Salomon pie vivens transegit, Josephum autem omne Salomonis regnum ad calculos evocare. Scripturæ calculus perfecte ea semet probatur, neque fulciri debet commentitiis hisce conciliationibus, neque Josephi auctoritas meretur, ut cum Sacrorum auctoritate conferatur. Credimus igitur Salomonem octo, & quinquaginta annos natum, anno ab orbe condito 3029. denatum fuisse. Immodicus libidinum, & commessationum usus non solum vitæ illius officit, verum æternam nomini illius turpitudinis notam inussit; & sapientia, qua a Deo donatus fuit, majorem adhuc in lucem illius vocat flagitia, & scelerum magnitudinem auget. Asseri potest, Principem hunc non mediocres habuisse virtutes. Cum

B pietatem colere voluit, ac exercere virtutem, nihil ipso speciosius, nihil illustrius: neque Judæorum Ecclesia perfectius, atque excellentius aliquid jactare potest. E contra vero cum se vitiis ingurgitavit, in nequissima quæque flagitia proruit, atque in imum usque abyssi se præcipitem dedit. Ut verbo me expediam, si Salomonem cum seipso conferas, atque ad justam judicii trutinam voces & mala, & bona, quæ operatus est, certam ferre sententiam non poteris, & ad hanc usque diem impeditius in sapientissimorum, eru[illegible]issimorumque Scriptorum disceptatione de Salomonis [illegible]te problema versatur. Hinc enim præclara intuemur de Rege hoc in Scripturis, ac Patribus encomia, cum Dei promissis, quæ absoluta, atque irrevocabilia videntur, a se umquam illud iri de-

C relictum; inde vero minæ, acresque objurgationes vitiorum ejus occurrunt. Salomon ad cœlum usque propter sapientiam, atque pietatem modo extollitur; Salomon usque ad inferos propter Idolorum cultum, & Dei oblivionem deprimitur; Salomon Domino apprime carus ipso regni primordio; Salomon idem Dominum deserit, & novissimis regni temporibus illius fœdus pedibus proterit. Hinc hæret aqua, nec quod judicium de Regis hujus salute ferendum sit, licet cognoscere.

Iidem ipsi, qui Salomoni favent, in Idolorum cultum lapsum fuisse fatentur. Peccatum illius, ut ut perpendere velis, lethale peccatum est; Idolorum cultus ex iis sceleribus est, quæ a regno Dei excludunt: scandalum in re tanti momenti, ipsum quo-

D que crimen est acrioti pœnitentia luendum: ideoque nisi pœnitentia tot delicta Salomon abluerit, neque ex corde ad Dominum redierit, nequaquam nobis licet asserere, ipsum salutem esse consecutum. Omnis igitur in eo posita difficultas est, ut sciamus, an vere pœnitentiam egerit, & sincero doloru, dignisque pœnitentiæ fructibus sua scelera abluerit.

Qui Salomonem tuentur, promissis, quæ Deus Davidi pro Salomone spopondit, innituntur [9]: *Ego ero ei in patrem, & ipse erit mihi in filium: qui si inique aliquid gesserit, arguam eum in virga virorum, & in plagis filiorum hominum: Misericordiam autem meam non auferam ab eo, sicut abstuli a Saul, quem amovi a facie mea.* Præterea Scriptura de Salomonis morte loquitur, quemadmodum de

E Sanctorum obitu loqui consuevit: *Dormivit Salomon cum patribus suis, & sepultus est in civitate David patris sui*, 3. Reg. 11. 43. Itane de Idololatra Principe, ac reprobato loqueretur, illique sepulturam in tumulis Regum Juda permitteret? *quia inter justos meruit sepeliri, non fuit alienus a venia*, Bacchiarius ait in epistola ad Januarium. Nonne certius adhuc Salomonis pœnitentiæ testimonium habemus in iis, quæ in 2. Paral. 11. 17. legimus; *Ambulaverunt enim in viis David, & Salomonis annis tantum tribus regni Roboam?* Denique certum, magis pœnitentiæ illius

---

[1] 3. Reg. 22. 11. [2] Act. 21. 11. [3] Psal. 131. 17. & Prov. 3. 9. & 14. 20.
[4] Joseph. Antiqu. l. 8. c. 3. & Interpr. plerique. [5] Manethon. apud Joseph. l. 1. contra Appion.
[6] Memoires de Trevoux 1702. 1703. Pezron. Bianchini, &c. [7] Esth. 6. 1.
[8] 1. Esdr. 6. 2. 3. [9] 2. Reg. 7. 14. & 1. Par. 17. 11.

illius monumentum asserti potest, quam liber Ecclesiastis, quem post lapsum elucubratus est, & cum omnes Mundi vanitates agnoscens [1], & sincero flagitiorum dolore tactus, crimina sua confessus est, & quodammodo ea publice, ac palam expiavit eo monumento, quod donec terrarum orbis aderit, vigebit? Eosdem sensus in Proverbiorum libro 30 c. invenimus, quem nonnulli a Salomone post peccatum, compositum fuisse arbitrantur. Ibi enim hæc ait: *Stultissimus sum virorum, & sapientia hominum non est mecum; non didici sapientiam; nec novi scientiam Sanctorum*; atque alibi in libro eodem [2]: *Novissime ego egi pœnitentiam, respexi ut eligerem disciplinam*.

Patres vero, non minus quam Scriptura Salomoni suffragantur. S. Irenæus l. 4. adv. hæres. c. 45. Salomonem, ac David eorum albo adscribit, quibus Salvatoris mors medicina fuit, & peccatorum veniam B concessit. Ait autem J. C. cum ad Inferos descendit, Justis, Prophetis, ac Patriarchis prædicasse, illisque veniam dedisse. Quemadmodum S. Irenæus paullo ante de David ac Salomone locutus fuerat, non abhorret a fide, ab illo utrumque in eorum numero constitui, quibus Salvator mortis suæ merita prodesse voluit. S. Cyrillus Hierosolymitanus Cath. 2. hoc explicite magis asserit: *Cernis, quod pœnitentibus datur salus? Et Salomon ceciderat; sed quid inquit? Postea ego pœnitentiam egi*. Alludit vero Proverbiorum, quem attulimus, loco. S. Hilarius in Psalm. 126. de Salomone veluti de sancto viro loquitur: *Volunt plures Sanctum Salomonem ædificationi civitatis, ac templi studentem, in eo ipso molitionis suæ C tempore, eversionem civitatis, & templi quod conderet prophetasse*: Et in Psalm. 52. ait Salomonem pluresque alios Sanctos perspicua nobis Divinæ misericordiæ exempla præbere, quod *increpitis demutationum offensis, ob fidei tamen meritum adfuit venia proclivis*. Auctor secundæ Davidis Apologiæ, cum narrasset Samsonis, Davidis, ac Salomonis errata, de eorum loquitur veluti certissima pœnitentia: *Si erraverunt Justi, erraverunt tamquam homines; sed peccatum suum tamquam justi agnoverunt*. Bacchiarius Auctor quinti sæculi in ep. de recipien. lapsis ad Januar. non obiter, & veluti occasione oblata carptim de pœnitentia, & saluto Salomonis verba facit, verum hoc ex professo probare conatur; neque enim arbitrari potest Deum, cum per Prophetam suum criminis in quod proruerat, magnitudinem ostenderit Salomoni, huic veniam ac misericordiam denegasse: *Qui per Prophetam culpam reatus agnovit; numquid misericordiæ cœlestis exsortis est?*

D S. Hieronymus in Scripturarum doctrina adeo versatus, non semel, neque hæsitanter de Salomonis loquitur pœnitentia, eam veluti certam supponit, atque istud plurimis in locis operum suorum [3]: *Si David amicus Domini, & Salomon amabilis victi sunt quasi homines, ut & ruina nobis ad cautionem, & pœnitudinis ad salutem exempla præberent*. Priscis his Patribus plurimi recentiores accedere possunt [4], qui propositæ sententiæ velificantur. Si Rabbinorum nomen aliquam mereretur fidem, eos pro Salomone isthic afferre liceret. Docent autem, Salomonem vero pœnitentiæ spiritu ductum per Jerusalem compita quinquies trahi voluisse, atque præ Templi foribus cum quinque virgarum fasciculis stetisse, ut quam meritus fuerat, pœnam subiret; sed cum nemo id supplicii genus in ipsum ausus esset exercere, se ipsum loris percussit, Regnum abdicavit [5], ac baculo A innixus ostiatim stipem quæritare instituit clamitans: En Salomon, antehac Rex super Israel. Hispani quoque [6] de quibusdam plumbeis Tabulis loquuntur, Arabicis notis inscriptis, atque Granati servatis, ubi pœnitentia Salomonis, venia, & mors veluti justi, ac fidelis viri describitur. Verum quam fidem hæc omnia mereri possunt? Similia his testimonia infirmare potius valent, quam probare causam Salomonis.

Verum cum adhuc relata fuerint ea, quæ huic Regi favent, haud licet ea dissimulare, quæ illi adversantur. Scriptura palam de Salomonis lapsu verba facit, at ne verbum quidem palam de illius pœnitentia memorat. Scimus ipsum promeruisse, ut Deus ab eo recederet, sed ipsum cum Deo in gratiam B rediisse nescimus. Quod ajunt, Proverbiorum, & Ecclesiastis libros, ab hoc Rege post lapsum editos fuisse; veluti perenne pœnitentiæ suæ monumentum, hoc nequaquam certum est, & eruditi quidam Catholici Auctores [7] vel negant, vel ambigunt. Locus ex Proverbiis allatus; *Novissime ego egi pœnitentiam, & respexi, ut eligerem disciplinam*, neque in Hebraica, neque in Vulgata, neque in Chaldaica lectione invenitur. Authographus textus [8] hæc habet: *Transii per agrum inertium, cunque vidi spinis obsitum, ejusque mœnia dejecta conspexi. Quod cum vidissem, posui in corde meo, & exemplo didici disciplinam*. Hiccine vocula aliqua est, quæ Salomoni opituletur? At quamnam pœnitentiæ notam hic Princeps præbuit? Si vere idololatriæ pœnitentia ductus C fuisset, nonne qualibet, licet minima, delesset vestigia? Servassetne delubra, quæ Idolis extruxerat, & quæ diutius adeo etiam post mortem illius scandalum in Israel fuere? Passus essetne eos, qui exemplo suo in impium Deorum cultum essent prolapsi, se vivo persistere, ac monumenta ea in regione ad infirmorum, improborumque Israelitarum excidium permanere? Patet enim, Josia tandem imperante, tandiu post Salomonem, polluta fuisse, atque excisa Templa, quæ extruxerat Salomon Diis Astaroth, Moloc, & Chamos [9]: *Excelsa quoque, quæ in Jerusalem ad dexteram partem montis Offensionis, quæ ædificaverat Salomon . . . polluit Rex (Josias), & contrivit statuas, & succidit lucos*. Et Auctor Ecclesiastici 47. 21. 22. locutus de regno, sapientia, & libris Salomonis, D quin verbum addat de illius pœnitentia eumque ad Dominum rediisse doceat, illi exprobrat effrænem mulierum amorem, ac turpitudinis notam, quæ in illius nomine penitus insedit, atque inveteravit, propter quæ Deus in illius posteros ira est succensus, & Israel regnum divisit; qui nisi rationem Davidis habuisset, in cujus gratiam promiserat se perpetuo servaturum esse regnum in ipsius familia, penitus progeniem illius delevisset, regnumque in aliam transtulisset; adeo Salomonis scelus Dei iram accenderat. Vide 3. Reg. 11. 11. 12. 13. & 34. Quæ igitur veri species adest, Salomonis pœnitentiam veram esse, ac Deum illi condonasse crimen, cum ea, quæ in ipsum, familiamque ipsius fuerat minitatus, summa cum severitate adimpleverit? Si Salo- E mon vere cum Deo in gratiam rediisset, nonne viderentur effectus, antiquata sententia, quam in ipsum Judex fuerat ejaculatus?

Si Patres nonnulli, ac Ecclesiastici Auctores Salomonem defendere adnituntur, atque illius conversionem, & pœnitentiam probare; non deerunt, qui ipsi nigrum theta affigant, æternisque addictum supplicis

1 Eccl. 4. 2. *Vanitas vanitatum, dicit Ecclesiastes, vanitas vanitatum, & omnia vanitas*.
2 Prov. 24. 32. *Quod cum vidissem, posui in corde meo, & exemplo didici disciplinam*. Septuaginta legunt: *Novissime ego egi pœnitentiam, respexi ut eligerem disciplinam*.
3 S. Hieron. ep. 9. ad Salvinam de servanda viduitate. Vide & l. 13. in Ezech. c. 43. & in c. 2. Ecclesiast.
4 Vide Rupert. Serar. Rabbinos, Salian. & alios quamplurimos apud Pinedam de Reb. Salom. l. 8. c. 1. sect. 5. num. 44.
5 Vide, si lubet, in fine tom. 7. Operum Bedæ fragmentum, cui titulus, *De Salomone judicium*.
6 Vide has Tabulas delineatas apud Pinedam l. 8. de Reb. Salom. c. 1. sect. 7. ad fin.
7 Bellarm. l. 1. de Verbo Dei c. 5. Sanct. ad vers. 8. & alii.
8 Prov. 24. 30. 31.
9 4. Reg. 23. 13. Vide Bedam in eum locum.

ciia eredant ? S. Cyprianus eum cum Saule constituit, atque cum infelici hoc Rege comparat, quem Deus rejecit, quin ad ipsum converteretur [1]: *Salomon, & Saul, & cæteri multi, quamdiu in viis Domini ambulaverunt, datam sibi gratiam tenere potuerunt: Recedente ab eis disciplina Dominica, recessisse gratia.* At S. Cyprianus hos sensus hauserat a Tertulliano Magistro suo, qui non semel de Salomonis æque ac Saulis reprobatione loquitur; nam cum de priori hoc Rege Israel disseruisset, addit [2]: *Rejicitur & Salomon, sed jam a mulieribus alienis possessus, & idolis . . . . mancipatus*, & alibi [3]: *Salomoni etiam ira Dei accessit post luxuriam, & idololatriam*; denique minime veretur asserere, principem hunc omnis gloriæ, quam a Deo fuerat consecutus, jacturam subiisse. S. Augustinus l. 22. contra Faustum c. 88. de Salomonis lapsu loquitur, veluti irreparabili, & ex quo numquam se receperit, ac fatetur, a Scriptura illum redargui, atque acerrime condemnari, quin ne verbum quidem de illius afferat pœnitentia. Immo difficile inveniri posse putat in illius crimine allegoriam, vel symbolum quodpiam ædificans, ni considerare velis, inquit, immoderatum amorem, quo alienigenas deperit velut amoris illius imaginem, quo Jesus Christus Ecclesiam Gentilium est prosecutus. Ac in tertio libro de Doctrina Christiana c. 21. conferens Davidis peccatum cum Salomonis scelere, de priori ait fuisse quidem nefarium facinus, sed transitorium: *Immoderata libidinis non permansit, sed transitoria fuit*. At Salomonis scelus permanens fuit, & aliquo modo regnans, & permanens: *Non quasi hospes transitum habuit, sed regnum illa libido possedit*. Denique in commentariis suis super Psalm. 126. palam asserit Salomonem æternis cruciatibus a Deo affectum fuisse: *Ipse Salomon mulierum amator fuit, & reprobatus est a Deo*. Vetus quidam Auctor, S. Pros-

A peri nomine, minime veretur affirmare, Regem hunc cum in spiritus, & corporis fornicationem cecidisset, a Deo derelictum, miserorum morte interiisse [4]. *In senio fornicatus mente, & corpore, Domino ipsum deserente, male obiit*. Demum Sanctus Gregorius Magnus lib. 2. Moral. in Job. c. 2. Salomonem una cum Juda, cum divite epulone, cum Sodomitis conjungit; quod dubitare non patitur, an damnatorum numero adscribat. Hisce auctoribus addi potest, Beda Venerabilis, Lyranus, Tostatus, & alii nonnulli magis adhuc recentes [5]. Divi autem Chrysostomi judicium huc non afferam; quoniam varia fuit illius sententia, & alibi [6] de salute, atque conversione Salomonis, velut de re certissima loquitur; alibi vero [7] videtur asserere, ipsum neque pœnitentiam egisse, neque B peccati veniam impetrasse.

Inter hanc sententiarum, ac testium varietatem, quorum aliqui favent, aliqui Salomoni adversantur, tutius, sapientiusque consilium, quod subire possimus, est, silentio hoc admirari, atque judiciorum Dei altitudinem adorare, qui per exemplum lapsus Salomonis voluit, ut infirmitatem nostram intelligeremus, & quam gratiæ illius adminiculo indigeamus, & ut recte agere incipiamus, & ut in instituto justitiæ tramite perseveramus. Exemplum hoc nobis debet ingerere humilem judiciorum Dei terrorem, & perennem nostræ tenuitatis agnitionem, qui sensus longe magis semper nobis utiles erunt, quam si Salomonis statum alio in sæculo distincte cognosceremus. Plurimi eruditissimi, sapientissimique Scripto- C res hoc silentio præteriere [8], ac confessi sunt in arcana adeo, profundaque re, & cujus cognitionem sibi uni reservari Deus voluit, hominis non esse, vel disceptare, vel ferre judicium. Hac igitur via, eorum exemplum secuti, nobis esse insistendum arbitramur.

---

1 Cyprian. ep. 6. ad Rogatian. Vide eumdem de Unitate Ecclesiæ.
2 Tertul. l. 2. contra Marcion. c. 23. 3 Idem l. 3. c. 20. & l. 5. c. 9.
4 Author lib. de Prædestin. & Promiss. Dei p. 2. c. 27. 5 Vide, si lubet, Cornel. a Lapide in hunc locum. 6 Chrysost. homil. contra Concubinat. 7 Idem serm. de Pœnit.
8 Vide, si placet, Natal. Alex. tom. 2. Hist. Vet. Test. dissert. 3. Sanct. hic. Alios plures apud Pined. de Reb. Salom. l. 8. c. 1. sect. 2.

CAPUT XII.

Roboam Salomonis filius præferens consilium juniorum consilio seniorum, qui Salomonis a consiliis adfuerant, locum præbet decem tribuum secessioni, quæ Jeroboamum sibi Regem constituunt. Roboam illis bellum inferre parat; sed a Domino deterretur. Impius aureorum vitulorum cultus a Jeroboamo constitutus.

1. VEnit autem Roboam in Sichem: illuc enim congregatus erat omnis Israel ad
constituendum eum regem. 2 At vero Jeroboam filius Nabat, cum ad-
huc esset in Ægypto profugus a facie regis Salomonis, audita morte ejus,
reversus est de Ægypto. 3 Miseruntque, & vocaverunt eum: venit ergo Jeroboam,
& omnis multitudo Israel, & locuti sunt ad Roboam, dicentes: 4 Pater tuus du-
rissimum jugum imposuit nobis: tu itaque nunc imminue paululum de imperio patris
tui durissimo, & de jugo gravissimo, quod imposuit nobis, & serviemus tibi. 5
Qui ait eis: Ite usque ad tertium diem, & revertimini ad me. Cumque abiisset po-
pulus, 6 Iniit consilium rex Roboam cum senioribus, qui assistebant coram Salo-
mone patre ejus, cum adhuc viveret, & ait: quod datis mihi consilium, ut res-
pondeam populo huic? 7 Qui dixerunt ei: Si hodie obedieris populo huic, & ser-
vieris, & petitioni eorum cesseris, locutusque fueris ad eos verba lenia, erunt tibi
servi cunctis diebus. 8 Qui dereliquit consilium senum, quod dederant ei, & ad-

hibuit

hibuit adolescentes, qui nutriti fuerant cum eo, & assistebant illi, 9 Dixitque ad
eos: Quod mihi datis consilium; ut respondeam populo huic, qui dixerunt mihi:
Levius fac jugum, quod imposuit pater tuus super nos? 10 Et dixerunt ei juve-
nes, qui nutriti fuerant cum eo: Sic loqueris populo huic, qui locuti sunt ad te,
dicentes: Pater tuus aggravavit jugum nostrum, tu releva nos. Sic loqueris ad eos:
Minimus digitus meus grossior est dorso patris mei. 11 Et nunc pater meus po-
suit super vos jugum grave, ego autem addam super jugum vestrum: pater meus
cæcidit vos flagellis, ego autem cædam vos scorpionibus. 12 Venit ergo Jeroboam,
& omnis populus ad Roboam die tertia, sicut locutus fuerat rex, dicens: Reverti-
mini die tertia. 13 Respondit que rex populo dura, derelicto consilio seniorum,
quod ei dederant, 14 Et locutus est eis secundum consilium juvenum dicens: Pa-
ter meus aggravavit jugum vestrum, ego autem addam jugo vestro: pater meus cæ-
cidit vos flagellis, ego autem cædam vos scorpionibus. 15 Et non acquievit rex
populo: quoniam aversatus fuerat eum Dominus, ut suscitaret verbum suum, quod
locutus fuerat in manu Ahiæ Silonitæ ad Jeroboam filium Nabat. 16 Videns itaque
populus, quod noluisset eos audire rex, respondit ei dicens: Quæ nobis pars in
David? vel quæ hæreditas in filio Isai? Vade in tabernacula tua, Israel, nunc vide
domum tuam David: Et abiit Israel in tabernacula sua. 17 Super filios autem Is-
rael, quicumque habitabant in civitatibus Juda, regnavit Roboam. 18 Misit ergo
rex Roboam Aduram, qui erat super tributa, & lapidavit eum omnis Israel, & mor-
tuus est. Porrò rex Roboam festinus ascendit currum, & fugit in Jerusalem: 19
Recessitque Israel a domo David, usque ad præsentem diem. 20 Factum est autem,
cum audisset omnia Israel, quod reversus esset Jeroboam, miserunt, & vocaverunt
eum congregato cœtu, & constituerunt eum regem super omnem Israel; nec secutus
est quisquam domum David præter tribum Judam solam. 21 Venit autem Roboam
Jerusalem, & congregavit universam domum Juda, & tribum Benjamin, centum o-
ctoginta millia electorum virorum bellatorum, ut pugnarent contra domum Israel, &
reducerent regnum Roboam filio Salomonis. 22 Factus est autem sermo Domini ad
Semejam virum Dei, dicens: 23 Loquere ad Roboam filium Salomonis regem
Juda, & ad omnem domum Juda, & Benjamin, & reliquos de populo, di-
cens: 24 Hæc dicit Dominus: Non ascendetis, neque bellabitis contra fratres ve-
stros filios Israel: revertatur vir in domum suam, a me enim factum est verbum
hoc. Audierunt sermonem Domini, & reversi sunt de itinere, sicut ei præceperat
Dominus. 25 Ædificavit autem Jeroboam Sichem in monte Ephraim, & habitavit ibi,
& egressus inde ædificavit Phanuel. 26 Dixitque Jeroboam in corde suo: Nunc re-
vertetur regnum ad domum David. 27 Si ascenderit populus iste, ut faciat sacri-
ficia in domo Domini in Jerusalem: & convertetur cor populi hujus ad dominum suum
Roboam regem Juda, interficientque me, & revertentur ad eum. 28 Et excogita-
to consilio fecit duos vitulos aureos, & dixit eis: Nolite ultra ascendere in Jerusalem:
Ecce dii tui, Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti. 29 Posuitque unum in Be-
thel, & alterum in Dan. 30 Et factum est verbum hoc in peccatum: ibat enim
populus ad adorandum vitulum usque in Dan. 31 Et fecit fana in excelsis, & sa-
cerdotes de extremis populi, qui non erant de filiis Levi. 32 Constituitque diem
solemnem in mense octavo, quintadecima die mensis, in similitudinem solemnitatis,
quæ celebrabatur in Juda. Et ascendens altare, similiter fecit in Bethel, ut immo-
laret vitulis, quos fabricatus fuerat: constituitque in Bethel sacerdotes excelsorum,
quæ fecerat. 33 Et ascendit super altare quod extruxerat in Bethel, quintadeci-
ma die mensis octavi, quem finxerat de corde suo: & fecit solemnitatem filiis Is-
rael, & ascendit super altare, ut adoleret incensum.

℣. 1. VENIT AUTEM ROBOAM IN SICHEM.] Roboam primogenitus, & forte unigenitus Salomonis, postquam patri suo justa persolvisset, in Sichem profectus est, quo populus convenerat illum Regem constituturus, vel potius, ut Regem suum salutaret. Nam postquam edixerat Dominus, se non intermissa successione Regnum Davidis familiæ concessurum, ne hiscere quidem ullus, ausus est, ut alius ex alia familia Rex

A eligeretur; sed Regis illius minores, veluti hæreditatis jure, imperium occupabant. Igitur postquam Salomon e vivis excesserat, cœtus Populi habetur in Sichem, ut Regem suum agnoscat, & illi prima suæ servitutis officia testetur. Verum cum in populo magna jacta essent dissensionis, ac divisionis semina, propter onera, quibus Salomon adhuc vivens illum obruerat, Israelitæ enixis precibus ab Rege petunt, ut illorum imminuatur onus, satis illi significantes

ni eos tecreare velit, sibi in unimum numquam inducere posse, ut illius dicto pareant, eumque Regem agnoscant. Videtur autem consulto Sichem electu fuisse a populo, quo convenirent universi, pro Jerusalem, quæ Regum erat sedes. Sichem posita erat in media tribu Ephraim, ubi major aderat multitudo eorum, qui rerum novundarum desiderio tenebantur; quippe crediderunt isthic liberius se posse Roboamo sua postulata proponere, quam in Jerusalem, ubi familia David potentior erat, ac ubi non ita facile cessora videbatur.

Roboam tunc primum supra quadragesimum, prætet propter, agebat annum [1], natus anno primo Regni Salomonis patris sui, vel paulo ante. Mater illius, cui nomen Naama alienigena erat ex Ammonitarum genere. Creditur autem hunc unum natum fuisse Salomoni filium ex mille mulieribus, quas uxores duxerat: & duas præter hunc filias genuit *Taphat*, & *Basemet* [2]. Roboam ignavus Princeps fuit, ac imprudens, qui propter animi impotentiam, atque audaciam uno icto cltra dimidium umisit imperii. Scriptura verbis non admodum decoris de ipso loquitur; Ecclesiastici enim auctor ait 47. 27. Salomon *dereliquit post se de semine suo gentis stultitiam, & imminutum a prudentia Roboam, qui avertit gentem consilio suo*. Abia, Roboami filius, ea in concione, quam ad decem tribus habuit, cum in illas signa infesta erat illaturus, palam fatetur, Patrem suum ignavum fuisse, atque regnandi penitus rudem, timidum, utque imbellem [3]; *Roboam erat rudis, & corde pavido*. Vel quemadmodum Hebraicus textus habet *infans*, vel *delicatus*, aut tener *corde*. Salomoni videtur Roboam filius suus ante oculos fuisse, cum ait Eccle. c. 2. 18. *rursus detestatus sum omnem industriam meam, qua sub sole studiosissime laboravi habiturus heredem post me, quem ignoro utrum sapiens, an stultus futurus sit, & dominabitur in laboribus meis, quibus desudavi, & sollicitus fui, & est quidquam tam vanum?*

℣. 2. JEROBOAM AUDITA MORTE EJUS, REVERSUS EST DE ÆGYPTO.] Vidimus jam, quibus rationibus compulsus in Ægyptum recesserat Jeroboam [4]. Cum enim rerum novandarum esset cupidus, & populum contra Regem suum suscitare vellet, a Salomonem quæsitus ad necem in Ægyptum aufugit. At post Regis obitum, cum Jeroboami partes in tribubus Ephraim, & Manasse convalescerent, quas secretis semper rationibus aluerat, a suis admonitus, ut quum primum adesset, in eam regionem reversus invitatus fuit ut cætui, qui in Sichem habendus erat, interesset; ubi non minima fuit pars illius tum in postulatis, quæ Populus Roboamo obtulit, cum in consilio, quod decem tribus iniere a Davidis familia desciscendi. Vide ℣. 20.

Hebraicus hujus loci textus [5] Vulgatæ oppositum videtur sensum afferre: *Et Jeroboam mansit in Ægypto, & illi miserunt, & vocarunt eum*. In Paralipomenis [6] scriptum est; *rediisse Jeroboam de Ægypto, & ab Israelitis arcessitum fuisse, ac jussum cætui interesse*. Una tantum litterula tantam gignit in Textu varietatem. Vero pronius videtur, S. Hieronymi ævo Regum, & Paralipomenon libros his in locis similes fuisse. Litteræ eædem, quæ significant rediisse, significant quoque mansisse, dummodo alio pacto legantur, atque ab alia origine deducantur.

℣. 4. PATER TUUS DURISSIMUM JUGUM IMPOSUIT NOBIS.] Salomon post Templi ædificium, gravissimos, ut populo infestissimos sumptus susceperat, et domus suæ fastum servaret, eorum sumptum luxui sacrificaretur, ut urbem Jerusalem exornaret; quod in ipsum aliarum urbium, ac tribuum invidiam, ac indignationem succendit. Superius animadverti potuit, occasionem defectionis Jeroboamo tribuisse *Mello* [7], quem locum Salomon ædificari jussit, vel potius per operarios tribubus Israel imperatos repleri. Personalia hæc servitia, atque opera vectigalibus, tributisque superadjecta, quibus se nimis oneratum populus sensit, sunt hoc *durissimum jugum*, quod sibi imponi conqueritur. Fateor quidem me nuspiam distincte in Scriptura vidisse, Israelitas vectigalia solvisse, vel illis impositu fuisse tributa. Hoc enim exercebatur in eos tantummodo populos, qui bello essent victi, vel alienigenæ. *Tributi* nomen, quemadmodum alibi docuimus, cum de Israelitis est sermo, significat onera personalia, ac opera, quæ ab illis exigebantur.

℣. 7. SI HODIE OBEDIERIS POPULO HUIC, & SERVIERIS . . . . ERUNT TIBI SERVI CUNCTIS DIEBUS.] Per unius diei servitutem, ac obedientiam erga populum tuum, compara tibi perennem æternamque populi tui submissionem, ac servitutem. Hæc legitima est Hebraicarum vocum sententia [8]: *Si tu hodie servus es hujus populi, & servis illis, & responderis, & bona verba dederis illis, illi erunt tibi servi cunctis diebus*. Felix sane fuisset Roboam, si prudens adeo consilium secutus fuisset. Consilia hæc senum tantummodo sunt, sapientum, prudentumque, & quos rerum magistra docuit experientia. Juvenes bello apti sunt, & maturato, senes vero consulto. Dominatio quælibet est invisa, in initiis vero præsertim. Sapientiæ Principis interest subditorum animos sibi conciliare, atque acres, vehementesque imperandi rationes effugere, quæ subditos valent efferare, qui summa difficultate, quod primum animo conceperint, delent. Tacitus ita Vespasianum imperio nuper potitum describit Hist. l. 2. apud Grotium hic. *Novo principatu suspensum, & vultus quoque, ac sermones omnium circumspectantem*.

℣. 8. ADOLESCENTES, QUI NUTRITI FUERANT CUM EO.] Hic mos erat pervulgatus, præsertim inter Orientis Principes, ut filios suos una cum nobilibus coævis adolescentibus instituendos curarent. Hæc autem institutio duo Reipublicæ utilissima gignebat bona. Hæres enim imperii in aliorum adolescentulorum studiis habebat, quod posset æmulari, ut merito ac virtute in rebus omnibus excellere illis adniteretur, quos aliquando auctoritate, & dignitate superare deberet. Inde etiam perfectam consequebatur virtutum, ac meritorum cognitionem eorum, quibus imposterum provinciæ erant demandandæ. Illos summo amicitiæ fœdere sibi adjungebat, perfectoque amore prosequebatur; & vicissim hæc juventus sensim majorem erga principem suum fidem profiteri addiscebat, atque maturate illius vivendi, agendique rationibus assuescebat; quamobrem non mediocrem hauriebat Respublica utilitatem, quam Salomon (quæ viri sapientia erat) præviderat. Sesostris præstantissimus inter Ægypti Reges eodem pacto fuerat institutus [9]. Pater illius imperaverat, ut omnes pueri, qui in ditione sua, die eadem, qua filius suus, editi fuerunt in lucem, in aulam afferrentur, et una cum Sesostri alerentur; cum quibus deinde tot præclare gestis populorum sibi admirationem conciliavit. Roboami institutio non adeo cessit ex Salomonis voto: ut optima sæpe consilia frustrantur, vel eorum vitio, qui ad illa adhibentur, vel eorum defectu, pro quibus labor suscipitur. Nobilissimus quisque puer apud Persas in Porta [10], seu in Regum ædibus alebatur, ut jam tum a teneris unguiculis, quid sibi faciendum foret, edisceret, & continentiæ, virtutisque exempla in illis, qui provectiores erant, intueretur, atque testis esset decorum, quibus virtus ornabatur, & probri, quo

vitium

1 Infra 14. 21. 2 Vide 4. Reg. 11. 15. 3 2. Par. 13. 7. ורחבעם היה נער ורך לבב
4 Vide supra cap. 11. 26. 5 וישב ירבעם במצרים וישלחו ויקראו לו
6 2. Par. 10. 2. וישב ירבעם ממצרים וישלחו ויקראו לו 7 Supra cap. 11. 26.
8 אם היום תהיה עבד לעם הזה ועבדתם ועניתם ודברת אליהם דברים טובים והיו לך עבדים כל הימים
9 Vide Diodor. Sicul. l. 1. 10 Xenoph. l. 1. Cyropæd.

vitium obruebatur; demum ut magnam imperandi, parendique artem edoceretur. Magnus Alexander, cujus nomen celeberrimum viget, vigebitque, eodem ferme pacto, quo Roboam, institutus fuit. Philippus Macedonum Rex illi comites addidit nobilissimos adolescentes, qui deinde magni illi fuere duces, quorum opera usus est, ut Asia universa poti retur. Una cum ipso ab ipsa infantia eruditi fuerant, quemadmodum ex 1. Macchabæorum 1. 7. percepimus: *Vocavit pueros suos nobiles, qui secum erant nutriti a juventute.*

℣. 10. MINIMUS DIGITUS MEUS GROSSIOR EST DORSO PATRIS MEI.[1]] Adagialis locutio, & hyperbolica. In 2. Paralip. 10. 10. Vulgaræ versionis habemus: *Minimus digitus meus grossior est lumbis patris mei*: hoc est, corpore, vel ea corporis parte, quæ zona præcingitur. Hebraica vox utrobique est eadem, neque *digiti* nomen exprimit, non secus ac Septuaginta, qui habent[2]: *tenuitas mea crassior est renibus patris mei*. Chaldæus: *Infirmitas mea robustior est, quam robur patris mei*. Lumbi, vel renes vim significant. Symmachus: *minimum membrorum meorum crassius est toto corpore patris mei*. Josephus, & Versio Syriaca Vulgaræ similes sunt. Non legimus autem, Roboamum hac locutione usum fuisse cum populum alloqueretur, sed simili usus est, dicens: *Pater meus aggravavit jugum vestrum; ego autem addam jugo vestro*.

℣. 11. EGO CÆDAM VOS SCORPIONIBUS.] Quodam flagelli genere, quod *scorpius* vocabatur propter animalis hujus similitudinem; vel quod aculeis præfixum esset, veluti scorpionis cauda. Vide nostram de suppliciis Dissertationem.

℣. 15. QUONIAM AVERSATUS FUERAT EUM DOMINUS, UT SUSCITARET VERBUM SUUM.] Hebraice[3]: *causa* (vel defectio) *a Domino profecta est, eo quod voluit suscitare verbum suum*. Dominus permisit Roboami imprudentiam, spiritu intelligentiæ, ac sapientiæ non donavit illum, quibus prævidere, & prohibere poterat defectionem Jeroboam. Causas, & circumstantias eo pacto disposuit, ut eventus comprobaverit ea, quæ per prophetam Ahiam filio Nabat prædixerat.

℣. 16. VIDE DOMUM TUAM DAVID.] David hic ponitur pro familia David, pro Regia sobole. Decem Tribus loquendi ratione utuntur, quæ olim in divortiis adhibebant: Res tuas tibi habe; tui ipsius curam gere. Chaldæus: *Regna super tribum tuam, o David*! Tibi satis sit tribus tua.

℣. 17. SUPER FILIOS ISRAEL, QUICUMQUE HABITABANT IN CIVITATIBUS JUDA, REGNAVIT ROBOAM.] Omnis Terra Juda Roboamo parere perstitit, ac ille regnavit super eos, qui erant e tribu Juda, & super exteros ex aliis tribubus, qui in ea sedem sibi constituerant. Regnavit quoque super Benjamin, super partem Simeonis, ac super Levi. Denique Israelitæ omnes, qui nullam sibi partem esse voluerunt in idololatria aureorum vitulorum Jeroboam, in Regnum Juda se receperunt, atque Roboami ditionem constituerunt[4]. Post Roboamum, Reges, qui illum subsecuti sunt, ex Regni Israel reliquiis regnum suum auxerunt. Abia, exempli gratia, Jeroboamo cepit civitates Bethel, Ephron, & Jesanam, cum agris earum 3. Reg. 13. 19. Asa imperante, quamplurimi Israelitarum ex tribubus Ephraim, Manasse, & Simeonis in regnum Juda migrarunt 2. Par. 15. 9. ita ut Regnum Juda multo esset amplius, quam decima, vel duodecima pars Israel. Tribus Juda, si hac ratione eam animo tibi finxeris, non adeo infirmior erat, quam reliqua pars Israel: itaque videmus Roboam in ipso regni sui exordio centum & octuaginta millium strenuorum militum delectum habuisse, ut Israelitas, qui defecerant, bello persequeretur 3. Reg. 12. 21. deinde vero Abia in aciem educit quatuor centum bellatorum millia 2. Par. 13. 3. & Asa filius ejus hominum millia ferme trecenta 2. Par. 14. 8. ac Josaphat, Asæ filius, undecies centena ac sexaginta virorum millia. 2. Par. 18. 14.

℣. 18. MISIT ADURAM, QUI ERAT SUPER TRIBUTA.] Vidimus supra 2. Reg. 20. 24. *Aduram* curatorem tributorum, vel potius operum, David imperante. *Adoniram* eidem provinciæ præfectus fuit sub Salomone, uti *Aduram* sub Roboamo. Hic Rex cum misisset præfectum tributorum suorum, plane ut populum placaret, atque leniret quidquid durius nimis ipse effatus esset, populus, quin illum audiret, lapidibus obruit. Sanctius credit missum fuisse, ut ex more vectigal exigeret; Roboam enim, ac juvenes illius Consiliarii id animo conceperant, populum numquam defecturum, quin immo ocyus mandata facturum, ac tributa persoluturum, cum vir Regia decoratus auctoritate, qui eos cogeret, mitteretur. Alii[5] putant, *Aduram* eumdem esse ac *Adoniram*, qui tributis, vel operibus sub Salomone præfuerat 3. Reg. 4. 6. Dici quoque posset, a Roboamo traditum fuisse furori populi, cum arbitraretur, post hæc mitiores fore, atque facilius ad officium redactum iri. Sæpius populi mitescere inceperunt, cum ultionem sumpsissent de ministris, per quos improbi Princeps subditos miserrima servitute obruebant.

FESTINUS ASCENDIT CURRUM,] Sibi veritus, & re ipsa videns, populi certum esse consilium, ut a defectione sua nequaquam recederet. Hebraice habemus[6]: *Rex communivit se, ut ascenderet currum suum*; vel confirmatus est, animum suum pertinaciter obfirmavit, ac in eo consilio, populum per vim ad obsequium revocandi, atque copias colligendi, currum ascendit, in Jerusalem profectus. Omnia lenitatis, & conciliationis consilia aspernatus est, quæ rario præceps, ac importune ferox ingenium maxime obfuerunt. Qui hærebant adhuc, & qui placidioribus consiliis revocari poterant, in aliorum sententiam abiere, sibique Regem Jeroboam elegerunt[7]; atque tunc malo huic nulla valuit salutem afferre medicina.

℣. 20. MISERUNT, & VOCAVERUNT EUM (JEROBOAM) .... & CONSTITUERUNT EUM REGEM.] Videtur Jeroboam minime interfuisse in secundo populi cœtu, vel saltem post Roboami responsum recessisse. At populus cum lapidibus petiisset Aduram, nosceretque nullum ipsi sperandi amplius esse locum, ut abs Rege veniam consequeretur, eo quod hoc scelere sævissima quæque supplicia meritus fuerat, vocarunt Jeroboam, illique obedientiam suam professi sunt, omnium potius jacturam passuri, quam ut se iterum Davidis domui submitterent.

℣. 22. SEMEJAS:] Hic Propheta floruit, Roboamo imperante; scripsit hujus Regis historiam[8], & postquam Sesac Ægypti Rex fines Juda ingressus est, Deus per illum Regi, ac primoribus edixit, se jam illos propter infidelitatem eorum Ægyptio Regi tradidisse. At cum Rex Juda Dei justitiam esset veneratus, Semejas iterum illi dicere jussus est, regnum ejus non omnino dirutum iri a Sesac, sed ipsum eidem subditum fore, ut agnosceret, quodnam interesset discrimen inter Dei, ac externi Principis servitutem. De Semeiæ auctoritate in tribu Juda judicium ferre licet ex iis, quæ hic referuntur; coegit enim Regem, & centum octoginta hominum millia arma deponere, illis edicens, ea quæ evenerant, divinitus contigisse.

℣. 25. ÆDIFICAVIT JEROBOAM SICHEM.] Vel potius instauravit, communivit, exornavit. Hæc civitas excisa fuerat ab Abimelech Gedeonis filio[9]

1 קָטָנִּי עָבָה מִמָּתְנֵי אָבִי
2 ἡ σμικρότης μου παχυτέρα τῆς ὀσφύος τοῦ πατρός μου.
3 כִּי הָיְתָה סִבָּה מֵעִם יְהוָה לְמַעַן הָקִים אֶת דְּבָרוֹ
4 Vide supra cap. 11. 13.
5 Menoch. Jun. Pisc.
6 הִתְאַמֵּץ לַעֲלוֹת בַּמֶּרְכָּבָה
7 Vide ℣. 20.
8 2. Par. 12. 15.
9 Judic. 9. 45.

ςςθ ante id tempus annos. Jeroboam ibi aliquandiu mansit sub initium regni sui, mox vero imperii sedem transtulit in Thersam, ubi Reges illius successores regnarunt, donec Amri Samariam ædificavit.

PHANUEL,] Urbs erat trans Jordanem prope torrentem Jabok. Jeroboam restauravit, ac propugnaculis munivit hanc arcem, quam in bello adversus Madianitas Gedeon everterat Judic. 8. 17. Phanuel erat arx, qua in officio continere poterat regionem trans Jordanem positam.

℣. 28. FECIT DUOS VITULOS AUREOS.] Jeroboam cum existimaret, sibique persuaderet, Religionem fortissimum esse Regnorum vinculum, & videret Israelitas omnes ex eadem esse progenie, Deum eumdem adorare, unum in locum convenire ad solemnes Religionis actus exercendos, cæteroquin summo honore, ac veneratione familiam David prosequi, quæ Israelitici nominis gloriam magnopere auxerat, & cui Deus magnifica quæque pollicitus fuerat; Jeroboam, inquam, hæc omnia animo volvens, sibi proficiendum ratus est ex hac populi a præsenti imperio secessione, ut eum in externum, ac recentem cultum impelleret; neque dubitavit, futurum ut, si res e voto cessisset, Monarchia in ipsius familia persisteret, ac fereret inter Israel, & Judam æternas, atque irreconciliabiles inimicitias. Mira humanæ mentis cæcitas! quonam regnandi cupiditas ambitiosa rapit ingenia! Perinde ac Deus, qui illi regnum portenderat, eumque e privata fortuna ad solium evexerat, non posset in eodem dignitatis gradu illum tueri, nisi ille divinam contumeliis impeteret Majestatem, Religionem in sua ditione subvertens. Ex rerum decursu omnium conatuum inutilitas, & fallacis Politicæ vanitas satis superque innotescet.

Vituli aurei, quos conflavit Jeroboam erant ad exemplum Bovis Apis elaborati, quem hic Princeps modo de Ægypto adveniens ibi viderat coli [1]. Vitulus aureus in deserto juxta eumdem typum fuerat conflatus, eodemque Ægyptii cultus imitandi consilio Græci [2] hos vitulus, *aureas vitulas* appellant; & Patres passim [3] ea vitulorum, vel boum capita vocant. Moncejus de Aarone purgato l. 1. c. 8. 9. & 25. putat, illis Cherubim formam fuisse; & mordicus probare contendit Jeroboam nihil aliud voluisse, quam Israelitis colendas præbere imagines illis ferme similes, quæ fœderis Arcam cooperiebant. Supponit etiam, idque cum aliis plurimis, boum formam præcipuam fuisse inter eas, quas Cherubim referebant: at nos ostendere adnisi sumus Exod. 32. 4. Cherubim nequaquam certam fixamque fuisse figuram.

ECCE DII TUI, ISRAEL, QUI TE EDUXERUNT DE TERRA ÆGYPTI.] Hebraica vox [4] *Elohim* Deos, vel Idola significat: at sæpius etiam pro vero Deo usurpatur; quamobrem dixere nonnulli [5], non eam fuisse mentem Jeroboamo populum in Idololatriam impellendi, illis vitulorum aureorum cultum proponendo; sed voluisse, ut Deum eumdem venerarentur, qui Jerusalem in templo adorabatur, & quem veluti super Cherubim insidentem animo sibi fingebant. Probabile ne est, inquiunt illi, decem tribus simul repente a veri Dei cultu ad Idololatriam transmigrasse? Prophetæ sæpius Israelitas redarguunt eo quod venerati fuerint Baal, & Astaroth, Moloc, & alia finitimorum populorum numina; at eos nuspiam insimulant, quod aureos vitulos adorarint; & hoc præ cæteris magis Scriptura vitio vertit Jeroboamo, quod intulerit schisma, quod deinde Idolorum cultum invexit: immo Rex ille vitulis aureis illud adnectit epithetum, quod crebro adeo Deus

A verus sibi vindicat: *Qui te eduxerunt de terra Ægypti*. Demum Prophetæ, qui in regno Israel degebant, verumque Deum adorabant, nequaquam putabant, Reges omnes omnemque regni illius populum idolorum cultui addictos esse, licet vitulos aureos venerarentur. Usquequo claudicatis in duas partes, ajebat Israelitis Elias 3. Reg. 18. 21. Si Dominus est Deus vester, sequimini eum; sin autem Baal, sequimini illum. Illi igitur sub duplici hac vitulorum imagine Deum Israel se adorare intelligebant. Hæc autem afferuntur, ut Jeroboam, & decem tribuum Israelitæ idololatriæ nomine, saltem aliquo in sensu, excusentur.

At non operosum est hæc omnia labefactare argumenta. Si aurei vituli cultus in deserto impius erat, B ac idololatriam redolebat, si Deus illum gravibus adeo suppliciis persecutus est, dubio locus esse potest, quin vitulorum quoque Jeroboam cultus impius esse censeatur? Quæcumque argumenta pro Jeroboam subditisque illius proferuntur, afferei quoque possunt pro Aarone, ac Israelitis in deserto. Verum nonne Scriptura hos vitulos aliena, & conflatilia numina appellat? 3. Reg. 14. 9. *Fecisti tibi Deos alienos, & conflatiles, ut me ad iracundiam provocares; me autem projecisti post tergum tuum*; uxori Jeroboam Ahias Propheta dicebat. Neque verum est Prophetas, qui erant in decem tribuum imperio, tacuisse, & silentio aureorum vitulorum cultum comprobasse. Oseas hoc illis acriter exprobrat c. 10. 5. *Vaccas Bethaven coluerunt habitatores Samariæ . . . . & disperdentur* C *excelsa Idoli, peccatum Israel*. Et 8. 5. 6. *Projectus est vitulus tuus, Samaria . . . . & in aranearum telas erit vitulus Samariæ*. Quoties vero Scriptura Jeroboamum accusat, eo quod in errorem induxerit Israel, illum in peccatum impulerit, eumque a Domino separaverit? 4. Reg. 17. 21. *Separavit Jeroboam Israel a Domino, & peccare eos fecit peccatum magnum*. Cum autem nobis Principis impii imaginem cupit adstruere, non ne ait [6] ipsum per Jeroboami semitas incedere, qui Israelem in scelus pellexit? Frustra igitur improbum hunc Regem excusare conantur. Scriptura nullibi aureorum vitulorum cultum approbat; Prophetæ qui in Israel regno vixere nullam in eo partem habuere; pro virili immo adnisi sunt, ut ab eo populum absterrerent, illique D fallacem hanc Religionem, qualibet in occasione exprobrarunt. Domini Sacerdotes recesserunt, & non secus ac qui inter Israelitas majori pietatis laude florebant, a Jeroboami imperio ad Judam transfugerunt.

℣. 29. POSUIT UNUM IN BETHEL, & ALTERUM IN DAN.] Bethel erat ad boream Jerusalem sex ferme procul ab hac civitate leucis. Jeroboam eam elegit, ut ibi ex aureis vitulis alterum constitueret, quod diutius celebris fuerat, & aliqua in veneratione apud Hebræos, propter scalam mysticam, quæ ibi Jacobo in Mesopotamiam proficiscenti apparuerat; atque ex Historia [7] discimus locum illum Hebræorum undequaque confluentium frequentia fuisse celebratum. Urbs erat in hæreditate Benjamin: at videtur, quandoquidem ibi Jeroboam imperitabat, ab Is- E raelitis ex tribu Ephraim fuisse habitata. Hæc vero australior erat urbs Regni Israel.

Septuaginta in MS. Alexandrino, & S. Cyrillus in *Osee pag.* 5. legunt, Jeroboam alterum ex aureis vitulis in Galgalis constituisse, in Dan alterum; pro *Bethel*, & *Dan*.

Dan erat in opposita regni Israel ora prope Jordanis origines; qua in civitate multo antehac tempore Danitæ Teraphim suos posuerant, atque Micham sibi Sacerdotem elegerant Iudic. 18. 30. Popu-

1 Hieron. in Osee 5. *Jeroboam Ægyptiarum Sordium simulacra sectatus est*. Vide eumdem in Osee 4. 15.
2 70. ἐποίησε δύο δαμάλεις χρυσᾶς. Hebr. שני עגלי זהב Vide Osee 10. 5. & Joseph hic.
3 Lactan. l. 4. c. 10. Ambros. l. 5. de Pœnit. c. 10. Aug. in Psal. 73. Hier. in Osee c. 7.
4 הנה אלהיך ישראל אשר העלוך מארץ מצרים
5 Moncejus & Grotius.
6 3. Reg. 15. 30. 34. & 16. 2. 19. 26. & passim.
7 Vide 1. Reg. 10. 3.

Ius setum novarum semper studiosus, delassari malebat, & usque ad extremas imperii partes pergere Idolum adoraturus, quam in Ierusalem proficisci, ut vero Deo vota persolveret; quod illis clam exprobrat Scriptura ℣. 20. *Ibat populus ad adorandum usque in Dan*.

℣. 30. FACTUM EST VERBUM HOC IN PECCATUM;] Seu facinus hoc maximum fuit peccatum coram Deo. Asseri potest, primam hanc Idololatriam Ieroboam fuisse maximum malorum, quod umquam in Israel acciderit; & perniciosissimum exemplum propter ea, quæ consecuta fuerunt, & quæ satis patent. Quædam adsunt mala, quorum effectus certis clauduntur finibus, ac reparari queunt: at Idololatria Ieroboam non prius finem invenit, quam cum decem tribus dispersæ fuerunt, & in servitutem abductæ; atque asseri potest, hoc ipsum crimen causes etiam fuisse secutos, illudque eos in tot mala egisse præcipites, quibus ad hanc diem miserrime obruuntur. Vituli Ieroboam una cum adoratoribus suis in captivitatem abacti fuere, Osee 8. 5. 6. at Israel non ideo integre, ac fideliter Domini legem amplexus est. Pars cum Ethnicis se se miscuere, alii vero subinde turmatim in Iudæam dilapsi, cum Iuda se se conjunxere, & deinceps unum tantummodo cum Iuda populum composuere. Samaritani, qui eos consecuti sunt, atque illorum sedem occuparunt, nequaquam erant ea progenie Iacob, sed alieni, & a cultu, & a fœdere Domini.

℣. 31. FECIT FANA IN EXCELSIS.] Minimum dubitavit adorationis locos multiplicare, quin in unum objectum omnem populi cultum convertere adniteretur. Credidit enim hoc pacto facilius ex Israelitarum animis aboleri posse memoriam Religionis patrum suorum, eosque ab Ierusalem, ac Templo Domini arceri. Sequenti versiculo refertur, ipsum in Bethel quoque excelsa constituisse, quo populus confluebat, inordinata, & superstitiosa actus religione, licet vitulum aureum haberet in eadem civitate. Hebraicus textus simpliciter habet [1]: *Fecit Domum*, vel Templum, *in excelsis*. Quod forte intelligi posset de Templo, quod in Bethel ædificavit, ut ibi vitulum aureum collocaret; quæ sententia confirmari posset ex iis, quæ ℣. 32. legimus: *constituitque in Bethel Sacerdotes Excelsorum, quæ fecerat*. At sequenti capite ℣. 32. legimus Templa fuisse in excelsis in pluribus urbibus Regni Samariæ; quod nos in priorem cogit sententiam.

ET SACERDOTES DE EXTREMIS POPULI, QUI NON ERANT DE FILIIS LEVI.] Sacerdotes, & Levitæ, qui aderant in iis tribubus, quæ parebant Ieroboamo, concedere debuere in Regnum Roboam, eo quod Rex Israel minime patiebatur, ut suo Sacerdotum Domini munere fungerentur 2. Par. 11. 13. 14. *Eo quod abjecisset eos Ieroboam, & posteri ejus, ne Sacerdotio Domini fungerentur*. Ex Ezechiele nihilominus liquet c. 44. 10. nonnullos Levitas in Ieroboami Regno permansisse, qui illum secuti in Idololatriam proruerant. *Sed & Levitæ, qui longe recesserunt a me in errore filiorum Israel, & erraverunt a me post Idola sua*.

Hebraicus textus hoc pacto potest explicari [2]: e populo indiscriminatim viros assumpsit, ut Sacerdotio fungerentur, quin e tribu Levi esset, nec ne, animadverteret. Ad litteram: *Sumpsit Sacerdotes de extremis populi*. Alibi jam, nec semel adnotavimus [3], authographi vocem juxta nonnullos significare: Sumpsit primores, & principes populi; juxta alios, Sumpsit minimos, novissimos e populo, popelli fæcem; denique juxta alios: sumpsit indiscriminatim, pro ut forte illi se se obtulerant; cui sententiæ decursus suffragatur: *Quicumque volebat, implebat manum suam*, infra cap. 13. 33. & fiebat Sacerdos.

℣. 32. CONSTITUIT DIEM SOLEMNEM IN MENSE OCTAVO, QUINTADECIMA DIE MENSIS, IN SIMILITUDINEM SOLEMNITATIS, QUÆ CELEBRABATUR IN IUDA,] hoc est in similitudinem solemnitatis Tabernaculorum, quæ celebrabatur in Juda, non ita quidem mense eodem, sed mense præcedenti a decima quinta die ad primam supra vigesimam mensis septimi Levit. 23. 34. Hæc Festivitas, quam Jeroboam constituit, ipsius erat marte adinventa: *quem finxerat de corde suo*, neque umquam a Deo fuerat instituta. Subdolus ille Politicus noverat equidem, Solemnium dierum apparatum, quemadmodum tunc temporis celebrari consueverant, & cætuum Religionis voluptatem, posse eorum cultui addicere populos, ingenitam ipsorum mollire ferociam, eosque invicem jucundi, atque utilis commercii vinculis conjungere.

℣. 33. ASCENDIT SUPER ALTARE, UT ADOLERET INCENSUM;] vel ut sacrificia, quæ suaviter olerent, offerret; nam Hebraicæ voces [4] nonnumquam hoc in sensu explicantur. Locutio hæc, *Ascendit super Altare*, ad litteram est intelligenda. In plerisque grandium Altarium, quæ tunc extruebantur, sacrificia offerre non poterant, nisi super altare ascenderent, ac pedes super illud ponerent. Altare Templi Jerusalem decem cubitorum altitudine, longitudine vero viginti, totidemque latitudine præstabat. Altare autem Jeroboam eadem præter propter esse debebat forma, ut populi totius in solemni Templi sui, ac aureorum vitulorum inauguratione victimas sustineret. Jeroboam vero novæ huic religioni, cujus ipse erat auctor, novum decus, atque eximiam quamdam conciliare voluit auctoritatem, ipse Sacerdotis munia obeundo; at simul hæc utilia ipsi erant consilia, in se uno Regni Majestatem ac Sacerdotii dignitatem conjungendo, ne eum quoquam supremos honores divideret. Hæc olim fuit Romanorum Imperatorum ars, qui simul & Summi Pontificis, & Imperatoris auctoritatem sibi vindicabant.

---

1 ויעש את בית במות 2 ויעש כהנים מקצות העם אשר לא היו מבני לוי
3 Vide ad Genes. 47. 2. &c. 4 להקטיר 70. τὰ ἐπιθύειν.

CAPUT XIII.

Propheta missus in Bethel Jeroboamo prædicit, Aræ subversionem, & Josiæ Regis nativitatem. Jeroboam illum comprehendi jubet, at manus illius exarescit, neque saluti restituitur, nisi per Prophetæ preces: qui tamen ab alio Propheta decipitur, atque domum illius, ut comedat, divertit; at inde rediens a Leone discerpitur, Jeroboam a sua impietate non absterretur.

1. ET ecce vir Dei venit de Juda in sermone Domini in Bethel, Jeroboam stante
super altare, & thus faciente. 2 Et clamavit contra altare in sermone Do-
mini, & ait: Altare, altare, hæc dicit Dominus: Ecce filius nascetur domui
David,

David, Josias nomine, & immolabit super te sacerdotes excelsorum, qui nunc in te
thura succendunt, & ossa hominum super te incendet. 3 Deditque in illa die si-
gnum, dicens: Hoc erit signum quod locutus est Dominus: Ecce altare scindetur,
& effundetur cinis, qui in eo est. 4 Cumque audisset rex sermonem hominis Dei,
quem inclamaverat contra altare in Bethel, extendit manum suam de altari, dicens:
Apprehendite eum. Et exaruit manus ejus, quam extenderat contra eum: nec valuit
retrahere eam ad se. 5 Altare quoque scissum est, & effusus est cinis de altari,
juxta signum, quod prædixerat vir Dei in sermone Domini. 6 Et ait rex ad virum
Dei: Deprecare faciem Domini Dei tui, & ora pro me, ut restituatur manus mea mi-
hi. Oravitque vir Dei faciem Domini, & reversa est manus regis ad eum, & facta est
sicut prius fuerat. 7 Locutus est autem rex ad virum Dei: Veni mecum domum,
ut prandeas, & dabo tibi munera. 8 Responditque vir Dei ad regem: Si dederis
mihi mediam partem domus tuæ, non veniam tecum, nec comedam panem, neque
bibam aquam in loco isto. 9 Sic enim mandatum est mihi in sermonem Domini
præcipientis: Non comedes panem, neque bibes aquam, nec reverteris per viam,
qua venisti. 10 Abiit ergo per aliam viam, & non est reversus per iter, quo ve-
nerat in Bethel. 11 Prophetes autem quidam senex habitabat in Bethel, ad quem
venerunt filii sui, & narraverunt ei omnia opera, quæ fecerat vir Dei illa die in Be-
thel: & verba, quæ locutus fuerat ad regem, narraverunt patri suo. 12 Et dixit
eis pater eorum: Per quam viam abiit? Ostenderunt ei filii sui viam, per quam ab-
ierat vir Dei, qui venerat de Juda. 13 Et ait filiis suis: Sternite mihi asinum. Qui
cum stravissent, ascendit, 14 Et abiit post virum Dei, & invenit eum sedentem sub-
tus terebinthum, & ait illi: Tune es vir Dei, qui venisti de Juda? Respondit ille:
Ego sum. 15 Dixitque ad eum: Veni mecum domum, ut comedas panem. 16
Qui ait: Non possum reverti, neque venire tecum, nec comedam panem, neque bi-
bam aquam in loco isto: 17 Quia locutus est Dominus ad me in sermone Domini,
dicens: Non comedes panem, & non bibes aquam ibi, nec reverteris per viam, qua
ieris. 18 Qui ait illi: Et ego propheta sum similis tui: & angelus locutus est mihi
in sermone Domini, dicens: Reduc eum tecum in domum tuam, ut comedat panem,
& bibat aquam. Fefellit eum, 19 Et reduxit secum: comedit ergo panem in domo
ejus, & bibit aquam. 20 Cumque sederent ad mensam, factus est sermo Domini ad
prophetam, qui reduxerat eum. 21 Et exclamavit ad virum Dei, qui venerat de
Juda, dicens: Hæc dicit Dominus: Quia non obediens fuisti ori Domini, & non cu-
stodisti mandatum, quod præcepit tibi Dominus Deus tuus, 22 Et reversus es, &
comedisti panem, & bibisti aquam, in loco, in quo præcepit tibi, ne comederes pa-
nem; neque biberes aquam, non inferetur cadaver tuum in sepulchrum patrum tuo-
rum. 23 Cumque comedisset, & bibisset, stravit asinum suum prophetæ, quem re-
duxerat. 24 Qui cum abiisset, invenit eum leo in via, & occidit, & erat cadaver
ejus projectum in itinere: asinus autem stabat juxta illum, & leo stabat juxta cada-
ver. 25 Et ecce, viri transeuntes viderunt cadaver projectum in via, & leonem stan-
tem juxta cadaver. Et venerunt, & divulgaverunt in civitate, in qua prophetes ille se-
nex habitabat. 26 Quod cum audisset propheta ille, qui reduxerat eum de via, ait:
Vir Dei est, qui inobediens fuit ori Domini, & tradidit eum Dominus leoni, & con-
fregit eum, & occidit juxta verbum Domini, quod locutus est ei. 27 Dixitque ad fi-
lios suos: Sternite mihi asinum. Qui cum stravissent, 28 Et ille abiisset, invenit ca-
daver ejus projectum in via: & asinum, & leonem stantes juxta cadaver: non comedit
leo de cadavere, nec læsit asinum: 29 Tulit ergo prophetes cadaver viri Dei, & posuit
illud super asinum, & reversus intulit in civitatem prophetæ senis, ut plangeret eum.
30 Et posuit cadaver ejus in sepulchro suo, & planxerunt eum: Heu, heu, mi frater.
31 Cumque planxissent eum, dixit ad filios suos. Cum mortuus fuero, sepelite me in
sepulchro, in quo vir Dei sepultus est: juxta ossa ejus ponite ossa mea. 32 Profectò
enim veniet sermo, quem prædixit in sermone Domini contra altare, quod est in Be-
thel, & contra omnia fana excelsorum, quæ sunt in urbibus Samariæ. 33 Post verba
hæc non est reversus Jeroboam de via sua pessima, sed e contrario fecit de novissimis
populi sacerdotes excelsorum: quicumque volebat, implebat manum suam, & fiebat sa-
cerdos excelsorum. 34 Et propter hanc causam peccavit domus Jeroboam, & eversa
est, & deleta de superficie terræ.

℣. 1. VIR DEI VENIT DE JUDA, IN SERMONE DOMINI IN BETHEL.] Quinam erat hic vir Dei? Plerique [1] putant hunc *Addo* fuisse, vel ut hebraice [a] vocatur *Jeddo*. In 2. Paralip. 19. 29. scriptum est, Salomonis res gestas scriptas esse *in visione quoque Addo videntis contra Jeroboam filium Nabat*. At quinam Prophetæ, qui missus fuit contra Jeroboam, tempus suppetere potuit prophetias suas contra hunc Regem scribendi, quandoquidem interfectus fuit, antequam Domum suam reverteretur? Et equidem Hebraicus textus optime in hunc sensum verti potest [3]: *in visionibus Addo Videntis de Jeroboam*. *Jeddo* igitur alius plane est ab eo, de quo hic agitur. Tertullianus contra Psychich. cap. 2. eum *Semeam* vocat, & Pseudo-Epiphanius lib. de mot. Proph. *Joam*. Credi posset hunc eumdem esse, ac *Abiam*, qui illius regnum prædixerat; Epiphanius idem asserit, Prophetam eumdem Jeroboamo prædixisse, futurum ut sibi propter aureos vitulos Dei iram promereretur, ac ipsius exscinderetur familia. At Ahias vivebat adhuc post mortem Prophetæ illius, de quo isthic est sermo. Præterea Ahias erat de Silo, & in Silo morabatur in tribu Ephraim, quæ erat civitas in regno Israel; at Propheta, de quo est quæstio, *venit de Juda* 3. Reg. 14. 1. ideoque de hujus Prophetæ nomine certum nihil afferri potest.

STANTE SUPER ALTARE, ET THUS JACIENTE.] Vel potius, stante super Altare, & hostiam suam igni comburente. Vide capitis superioris ℣. 33.

℣. 2. ECCE FILIUS NASCETUR DOMUI DAVID, JOSIAS NOMINE.] Josias natus est post hanc Prophetiam anno circiter 340. Auctor, qui hanc historiam castigavit, spectasse videtur Prophetiæ ejusdem eventum [4]. Omnis Israel apprime noverat ea omnia, quæ Propheta fuerat vaticinatus; & hujus Libri Scriptor fuisset non solum inter eos, qui imponere studeot, nequissimus, verum inter fatuos dementissimus habendus esset, si in opus suum hanc prophetiam ausus esset inserere aliis vocibus, ab iis, quas vir ille Dei protulerat, ediderat que. Quod si huic prædictioni omnes insunt certitudinis gradus, qui optari posse videantur, tum ex facto, cum ex eventu, cum utriusque testis fuerit populus universus, inferendum est, Religionem, quæ talibus prophetiis probatur, vere opus esse Dei, & commentitia Ethnicorum oracula huic collata, nulla prorsus esse, neque ullam admirationem merent. Unum tantummodo Oraculum simile huic viri Dei, cæteris omnibus, quæ ex eodem fonte manant, fidem, ac summam tribuit auctoritatem, nec non in suspicionem vocat, atque fide indigna redarguit alia quæcumque non ab eadem origine profecta, & quæ a contraria Religione procedunt.

IMMOLABIT SUPER TE SACERDOTES EXCELSORUM.] Non legimus explicite in Josiæ historia, Regem hunc immolasse super aras aureis vitulis dicatas Sacerdotes Excelsorum; verum liquet ipsum evertisse, quæcumque invenit monumenta Diis consecrata, delubra, Idola, Lucos, & aras, eaque polluisse ibi mortuorum ossa condendo, & præsertim demolitum fuisse, atque in frusta comminuisse aram, quam Jeroboam in Bethel erexerat, ibique Pseudo-Prophetarum ossa, quorum tumulos in monte invenerat, concremasse [5]. Verum quis crediderit Principem adeo sapientem, religiosum, ac Divino zelo succensum pepercisse inanium Deorum Sacerdotibus, ac Pseudo-Prophetis contra explicita prædictionis, quam isthic legimus, verba, & quam opere implere Josias conabatur? Nonne capite eodem legimus, Regem hunc in Samariæ civitatem profectum; ubi in excelsis aderant Fana, ea subvertisse, quemadmodum fecerat in Bethel, omnesque Excelsorum Sacerdotes, quos invenit, mactasse, atque super aras mortuorum ossa cremasse, ut illæ pollucrentur? *fecit eis secundum omnia opera, quæ fecerat in Bethel, & occidit universos Sacerdotes Excelsorum, qui erant ibi, super Altaria, & combussit ossa humana super ea*. Certo igitur certius videtur a Josia inanium Deorum Sacerdotes in ara Bethel concrematos fuisse, & una cum iis Pseudo-Prophetarum, qui antea fato functi fuerant, ossa.

℣. 3. ALTARE SCINDETUR.] Ut perfrictam Jeroboami pervicaciam evincat, vir Dei duo illi prædicit. Primum quidem proximum, & quodammodo omnino præsens, alterum vero satis remotum. Prioris eventus alterius erat comprobatio; & videns Jeroboam ob oculos suos aram exscindi, dubitare profecto non poterat, quin aliquando per Josiam reliqua Prophetiæ pars adimpleretur. Ita quoque Dominus, ut animum adderet Moysi, qui verebatur, Pharaonem, quo mittebatur, adire Exod. 3. 2. 12. duo illi missionis suæ signa præbet: primum rubi, qui comburebatur, quin consumeretur: alterum sacrificiorum, quæ ipsi una cum populo universo in monte Sinai erant offerenda. Eodem pacto Isaias 7. 14. 16. prædicere volens Achaz proximam liberationem, illi Messiæ nativitatem de Virgine Matre prænuntiat; quod multo post id tempus futurum erat; atque simul prædicit illi excidium Rasin Regis Syriæ, & Phaceæ Regis Israel, qui tunc illi bellum intulerant.

℣. 6. REVERSA EST MANUS REGIS AD EUM.] Nervi, qui exaruerant, iterum laxati sunt, atque ad naturalem motum rediere. Brachium, quod Rex contra Prophetam extenderat, ad pristina munia rediit. Mireris sane, ac merito, cur Dominus huic impio, qui neque vivendi rationem, neque consilium mutat, arescentis manus usum reddiderit [6]. Accepta salus eum magis adhuc inexcusabilem reddebat, eique semper magis persuadere debebat veritatem prædictionum hujus Prophetæ, ideoque vanitatem cultus, quem ipse statuerat. Deus corpori salutem reddens, non semper medetur & animæ. Miracula illius non semper sunt cum gratia interiori conjuncta, & fere signa tantummodo sunt, quibus Dei gloria hominibus ostentetur. Ex decem leprosis, quos Jesus Christus sanavit Luc. 17. 18. 18. unus tantummodo accessit, ut Deo gratias ageret, illiusque laudes prædicaret. Quorsum miracula in Saulis electione contigerunt? Attamen quemnam miserrimum finem habuit calamitosus hic Princeps? Quoties Achaz Dei protectionem expertus est? Attamen quinam fuit totius illius vitæ decursus? Quoties Pharao in Ægypti plagis Domini potentiam agnovit? at quænam fuit nihilo secius illius pervicacia?

℣. 9. NON REVERTERIS PER VIAM, QUA VENISTI.] Cur id? ut se ab impietate Jeroboami magis ostenderet abhorrere. Nullum tibi sit fœdus, nulla consuetudo cum viro quopiam e Bethel, ne cum illo bibas, aut comedas, neque munera, si quæ allata fuerint, accipias. Immo neque per eamdem viam, qua profectus fueris, reverraris. Palam ostenta, quam Jeroboamum, populum illius, & Religionem perhorrescas [7]. Sanctius putat, præter explicitam, ac litteralem imperii hujus sententiam, quam volebat Deus, ut Propheta ad litteram exequeretur, aliam figuratam, atque adagialem subesse, quæ significat, ab incepto opere non absistere, quin absolutum penitus sit, nec cessare, cum adhuc opus sit imperfectum. Exempli loco illud esto, quod dicitur de Sennacherib Isai. 37. 29. *In via, qua venit, per eam revertetur*; videlicet re infecta revertetur, omnes illius minæ, magnaque illius consilia frustrabuntur; Itemque quod ait David de Saule, & Jonatha locutus 2. Reg. 1. 22. *Sagitta Jonathæ numquam rediit retror-*

1 Ita Joseph. Antiqu. l. 8. c. 3. alii recentiores passim. a יעדי
3 בחזות יעדי החזה על ירבעם בן נבט 4 Vide 4. Reg. 23. 15. 16. 17.
5 4. Reg. 23. 14. 15. 6 Estius. 7 Tirin. Menoch. Cornel.

retrorsum, & gladius Saul non est reversus inanis. Ita eum Deus præcipit Prophetæ suo, ne per eamdem viam revertatur, innuere vult: Macte animo esto; audacter, quod præcipio, aggredere, neque quidquam sit, quod ab hac re te detineat, atque absterreat.

℣. 11. PROPHETES QUIDEM SENEX HABITARAT IN BETHEL.] De sene hoc Propheta Bethel variæ sunt hominum sententiæ. Alii [1] tenent hunc Pseudo-Prophetam fuisse, qui apud Regem in honore habebatur, eo quod illi loqueretur solum placentia. Pseudo-Propheta hic veritus, ne Rex viri Dei sermonibus, & minis perterritus consilium iniret recedendi ab ea Religione, quam recens invexerat, pro virili adnisus est, ut ille a proposito minime dimoveretur. Conatus igitur est illi persuadere Prophetam hunc seductorem esse, atque adnisus est miraculi ipsius virtutem eludere; dicens, nequaquam mirum esse, aram recens extructam, & gravissimo onustam pondere, ac magna victimarum copia cumulatam, nec non præterea igne calefactam, corruisse: Manus illius vero arescentiam effectum fuisse omnino naturalem propter nimium laborem, ac motum, quo tot victimas jugulans, easque per se super Altaris prunas componens dexteram suam defatigaverat; hoc vero minime miraculo adscribendum esse, vel inde probari posse, quod hæc dexteræ debilitas statim cessarat, simulae manus quieverat, & sanguis, spiritusque per nervos iterum meare incœperant: quoad vero Prophetæ personam, se Regi quam primum ostensurum, illum nebulonem esse, deceptoremque, & quidquid ille dixerat, effectum fuisse imaginationis ipsius. Neque operosum fuit hac in re os Regi, ac populo sublinire, præsertim postquam vir Dei Pseudo-Prophetæ errore captus in Bethel rediit, atque in vulgus editum est ipsum redeuntem a leone fuisse interemptum. Hæc omnia supponere videntur; Pseudo-Prophetam hunc cœtui interfuisse, ubi vir Dei vaticinatus est, vel saltem ipsum illuc statim postea concessisse, quod Scripturæ adversatur, quæ innuit, Prophetam hunc domi suæ mansisse, neque illinc discessisse, nisi ut Dei virum sequeretur. Josephus etiam putat ipsum infirma valetudine in cubili stratum fuisse.

Alii [2] de hoc Propheta Bethel lenius judicium ferunt; credunt enim fuisse quidem verum Domini Prophetam; at nonnulli eum scelestum, & hominem nequam, celebri Balaamo persimilem, qui undequaque quæstum facere optabat, arbitrantur; alii vero eum nimis simplicem, imprudentemque putant, qui ex filiorum narratione cum comperisset, Prophetam qui ex Jerusalem advenerat hominem esse sanctum, & amicum Dei, illius videndi studio flagravit, atque ab ipso benedictionem accipere, & una cum eo vesci desideravit, arbitratus, illi interdictum fuisse comedere in Bethel, ne in Jeroboami domo, vel apud eos, qui falsam Religionem profiterentur, cibum caperet; immo sibi fas esse ratus est, officioso uti mendacio, ut hunc virum domum suam ad vires refocillandas alliceret, quæ Theodoreti quæst. 42. est sententia.

Nequaquam certum est ex Hebraico textu, Prophetam hunc vaticinatum esse, quemadmodum in ℣. 20. videbimus. Verum est, ipsum credidisse viro Dei, atque summo cum honore illi parentasse, veluti fratrem suum lacrymis prosecutum esse, atque cum illo una tumulari voluisse. At hæccine sufficiunt ut queat jure defendi? Nonne liquet Josiam ossa illius e tumulo eruturum fuisse [3], ac super Aram Bethel concrematurum cum aliis Pseudo-Prophetarum ossibus; nisi cineres illius cineribus viri Dei permixti fuissent inventi?

℣. 18. FEFELLIT EUM.] Hebraice ad litteram [4]: *mentitus est illi*. Fefellit illum mendaciis suis. At id pravone effectum est consilio, an simpliciter imprudenti humanitate? Hac etiam in re, quemadmodum & superius in ℣. 11. de bonis, seu pravis Prophetæ Bethel qualitatibus in diversa abeunt Interpretes. Hoc autem constat, virum Dei leviter nimis credidisse, ac faciles aures præbuisse nimia ignoti hominis hujus verbis. Debebatne perspicuum adeo, & absolutum Domini mandatum contemnere, & quod certo sciebat, ut commentitiam, posteriorem, ignotam, incertamque prædictionem sequeretur [5]? Quævis prophetia Dei verbo, & voluntati contraria a pravo fonte dimanat. Licet Angelus de cœlo dilapsus contrarium illis nuntiaret, quæ certo a Deo profecta scimus, illi anathema dicendum est, ad Galat. 1. 18. Cum hæ se se offerant occasiones, spiritus probare necesse est, ut ait Sanctus Johannes in epist. 1. cap. 4. 1.

℣. 20. FACTUS EST SERMO DOMINI AD PROPHETAM, QUI REDUXERAT EUM.] Quidam authographi textum ita vertunt: *Tunc Dominus verbum suum audire fecit Prophetæ, quem ille reduxerat* (quem Propheta Bethel reduxerat) *& exclamavit ad virum Dei, qui veneras de Juda*. Dominus exprobravit illum, allocutus est eum, non autem Pseudo-Prophetam Bethel. Hebraicus textus [6] sensum hunc videtur exquirere isthic, & ℣. 26. quem sequuntur Josephus Antiqu. l. 8. c. 3. Syriaca versio, & Arabica, Junius, Tremellius, & Castalion. Immo Sanctus ipse Hieronymus, Septuaginta, Chaldæus, & plerique Interpretum in hunc sensum eadem explicant Textus verba ℣. 22. Hæc vertendi ratio præcipuum illorum subverteret argumentum, qui contendunt hunc virum e Bethel verum fuisse Prophetam, licet fortasse scelestis moribus infectum.

℣. 22. NON INFERETUR CADAVER TUUM IN SEPULCHRUM PATRUM TUORUM.] Magnum Hebræo supplicium. Non morieris domi tuæ, Majorum tuorum sepulchro privaberis. Privatorum sepulchrorum, quæ antiquitus ære comparabantur, atque posteris, velut hæreditas, ac fundus relinquebatur, consuetudinem intuemur in ipso Saræ tumulo, quem emit Abraham Genes. 23. 6. Dignoscitur quoque Veterum Hebræorum cura, ut efferrentur in patrum suorum monumenta, tum ex Jacob exemplo, qui de Ægypto in Chanaanitidem elatus fuit Genes. 49. 29. tum ex prece Joseph, qui fratres suos est obtestatus, ut secum ipsius ossa eveherent, cum de Ægypto egrederentur Genes. 50. 24.

℣. 23. STRAVIT ASINUM SUUM PROPHETÆ.] Exemplaria quædam Latina habent: *Stravit asinum suum Propheta*. Propheta, quem ille reduxerat, stravit asinum suum. At Hebraica lectio, & Chaldaica, nec non Septuaginta ajunt, asinum non a Propheta, sed Prophetæ stratum fuisse. Videtur autem ille pedibus iter suscepisse, ac pedestri quoque itinere fuisse reversurus, nisi senex Propheta illi asinum commodasset.

℣. 24. QUI CUM ABIISSET, INVENIT EUM LEO IN VIA, ET OCCIDIT.] Fieri profecto nequit, quin imperscrutabilia Divinæ justitiæ consilia admiremur. Jeroboam a Rege suo deficit, Domini cultum derelinquit, omnem populum suum in Idololatriam impellit, contra minas, & miracula viri Dei obdurescit: Pseudo-Propheta mendacio innoxium in errorem inducit, ac Dei virum cogit, ut imprudens Dei mandata infringat; & tamen tam Jeroboam, quam fraudator Propheta impunes abeunt, dum Propheta verus a leone discerpitur, ac majorum suorum sepulchro privatur. Fatendum sane est Domini vias, & consilia longe alia esse a consiliis hominum, atque judi-

1 Hebræi, Author Hist. Scholast. Glossa ord. Joseph. Antiqu. l. 8. c. 3. Gregor. Rupert. & alii.
2 Sanct. Cornel. Tost. Malv. Menoch. &c. 3 Vide 4. Reg. 23. 17. 18.
4 כחש לו 5 Vide Greg. Magn. hic, Grot. Est. Mart. Sanct. 6 אל הנביא אשר השיבו

judiciorum Dei altitudinem esse mentibus nostris abyssum impenetrabilem. Nihil magis probare potest alteram post hanc superesse vitam, æterna supplicia, ac præmia æterna, quam quod in pios viros gravibus adeo pœnis ob levia ettara animadverti conspicimus; Moyses a terra promissa propter quamdam diffidentiam prohibetur Numer. 20. 11. 12. uxor Loth propter inanem curiositatem in salis simulacrum convertitur Genes. 19. 26. David ob jactantiam septuaginta mille virorum morte mulctatur 2. Reg. 24. 15. Ezechias omnibus thesauris privatur ob levem quamdam voluptatem, qua eosdem alienigenis Legatis ostentat 4. Reg. 15. 17. Si Deus hoc pacto in amicos, & servos animadvertit, quid expectandum est viris impiis, & nequam, qui dies lætissime in secundis rebus agunt, qui impunes in flagitiis versantur, & qui nulla scelerum suorum ducti pœnitentia decedunt? Patres, ac Interpretes [1] communiter tenent Prophetæ hujus erratum, veniale dumtaxat fuisse; quo a Deo per immissam necem expiato, ille Sanctorum albo adscriptus est. Rex Josias tumulum ipsius, veluti prophetæ veneratus est, eumque attingere noluit, cum pseudo-prophetarum ossa jussit cremari 4. Reg. 23. 18.

℣. 32. CONTRA OMNIA FANA EXCELSORUM, QUÆ SUNT IN URBIBUS SAMARIÆ.] Quomodo autem? quandoquidem Samaria nondum erat ædificata; & Regnum decem tribuum Regnum Samariæ nondum appellabatur? Sacer Auctor de rebus his locutus est, prout ævo illius erant. Non ignorabat quidem Samariam ab Amri quinquaginta annis post Jeroboam fuisse ædificatam, nam hic ipse hujus urbis enarrat originem 3. Reg. 16. 24. verum se intelligibilem præbere voluit illis, quibuscum loquebatur. Eadem fortasse de causa in 4. Regum libro 23. 18. ait, pseudo-prophetam de Bethel *venisse de Samaria*, quamquam procul dubio nulla adhuc aderat hoc nomine civitas, quam saltem noverimus, & quæ prophetæ hujus ætate celebris esset. At vel de Sichem, ubi tunc morabatur Jeroboam, vel de Regis hujus imperio, cujus successores Samariæ Reges deinceps vocati fuere, in Bethel venerat. At de postremo hoc articulo videri potest, quid dictum sit in vigesimum tertium quarti Regum libri caput ℣. 18.

℣. 33. POST VERBA HÆC NON EST REVERSUS JEROBOAM DE VIA SUA PESSIMA.] Tot, tantaque prodigia paria minime fuerunt, ut eum deterrerent, atque a pravo consilio dimoverent: sed permisit Deus ut insana ambitione furens quotidie magis excæcaretur. In iis omnibus, quæ contingebant, pravas quasdam rationes sibi comminiscebatur, quæ satis illi essent, ut de prophetæ minarum veritate dubitaret. Manus suæ salus, quæ facile adeo convaluerat, illi fidem astruit, malum omnino naturale fuisse; aliis attribuit causis aræ fractionem. Prophetæ mors hunc illi veluti seductorem, ac nebulonem exhibuerat, quem Dei justitia fuisset persecuta. Non secus ac quodlibet ad prædestinatorum salutem, ac Sanctorum ædificationem conferre potest, ita quodvis impiorum, & iniquorum excæcationi conducit.

QUICUMQUE VOLEBAT, IMPLEBAT MANUM SUAM.] Hæc solemnis est Scripturæ loquendi ratio, ad cæremoniam significandam, qua Hebræorum Sacerdotes inungebantur. Vide Exod. 28. 41. 29. 9. & passim, & 3. Reg. 11. 31.

℣. 34. PROPTER HANC CAUSAM PECCAVIT DOMUS JEROBOAM, ET EVERSA EST.] Hoc fuit Jeroboami scelus; hucusque impietatis pervenit. Hæc est omnium origo malorum, quibus familia ipsius obruta fuit. Hæc familia jam eversa erat eo tempore, quo juxta Vulgatam, Libri hujus Auctor hæc exarabat. At Hebraice legimus dumtaxat: *In hoc consistit peccatum Jeroboam, ut de terra deleretur, & exterminaretur*. Hoc scelere promeritus est, ut excidii ipsius sententia ferretur. Hæc prophetia tertio tantum anno Asæ Regis Juda, scilicet vigesimo secundo post defectionem Jeroboam anno, fuit adimpleta. Basa Rex e tribu Issachar per proditionem cæso Nadab filio, & successore Jeroboami, impii hujus Principis sobolem penitus delevit, atque exterminavit.

1 Vide, si lubet, Gregor. l. 4. Dialog. Raban. Angelom. Eucher. Theodoret. qu. 42. Cassian. Collat. 7. Sanct. Interpp. passim.

CAPUT XIV.

Propheta Abias de valetudine filii Jeroboam Regis consulitur, edicitque puerum hunc moriturum, & familiam Jeroboam interituram. Nadab Jeroboamo succedit. Sesac Ægypti Rex Jerosolymitanum Templum depopulatur. Mors Roboam, Regis Juda, cui succedit Abia filius ejus.

1. IN tempore illo ægrotavit Abia filius Jeroboam. 2 Dixitque Jeroboam uxori suæ:
Surge, & commuta habitum, ne cognoscaris, quod sis uxor Jeroboam; & vade
in Silo, ubi est Ahias propheta, qui locutus est mihi, quod regnaturus essem super populum hunc.
3 Tolle quoque in manu tua decem panes, & crustulam, & vas
mellis, & vade ad illum: ipse enim indicabit tibi, quid eventurum sit puero huic. 4
Fecit, ut dixerat, uxor Jeroboam: & consurgens abiit in Silo, & venit in domum Ahiæ: at ille non poterat videre, quia caligaverant oculi ejus pro senectute. 5 Dixit
autem Dominus ad Ahiam: Ecce uxor Jeroboam ingreditur, ut consulat te super filio
suo, qui ægrotat. Hæc & hæc loqueris ei. Cum ergo illa intraret, & dissimularet se esse, quæ erat.
6 Audivit Ahias sonitum pedum ejus introeuntis per ostium, & ait:
Ingredere, uxor Jeroboam, quare aliam te esse simulas? ego autem missus sum ad
te du-

te durus nuntius. 7 Vade, & dic Jeroboam: Hæc dicit Dominus Deus Israel:
Quia exaltavi te de medio populi, & dedi te ducem super populum meum Israel,
8 Et scidi regnum domus David, & dedi illud tibi, & non fuisti sicut servus meus
David, qui custodivit mandata mea, & secutus est me in toto corde suo, faciens quod
placitum esset in conspectu meo: 9 Sed operatus es mala super omnes, qui fuerunt ante te, & fecisti tibi deos alienos, & conflatiles, ut me ad iracundiam provocares, me autem projecisti post corpus tuum. 10 Idcirco ecce ego inducam mala super
domum Jeroboam, & percutiam de Jeroboam mingentem ad parietem, & clausum, &
novissimum in Israel: & mundabo reliquias domus Jeroboam, sicut mundari solet fimus
usque ad purum, 11 Qui mortui fuerint de Jeroboam in civitate, comedent eos canes:
qui autem mortui fuerint in agro, vorabunt eos aves cœli: quia Dominus locutus est,
12 Tu igitur surge, & vade in domum tuam, & in ipso introitu pedum tuorum in urbem, morietur puer, 13 Et planget eum omnis Israel, & sepeliet: iste enim solus inferetur de Jeroboam in sepulchrum, quia inventus est super eo sermo bonus a Domino
Deo Israel, in domo Jeroboam. 14 Constituet autem sibi Dominus regem super Israel,
qui percutiet domum Jeroboam in hac die, & in hoc tempore. 15 Et percutiet Dominus Deus Israel, sicut moveri solet arundo in aqua: & evellet Israel de terra bona hac,
quam dedit patribus eorum, & ventilabit eos trans flumen: quia fecerunt sibi lucos,
ut irritarent Dominum. 16 Et tradet Dominus Israel propter peccata Jeroboam, qui
peccavit, & peccare fecit Israel. 17 Surrexit itaque uxor Jeroboam, & abiit, &
venit in Thersa: cumque illa ingrederetur limen domus, puer mortuus est. 18 Et
sepelierunt eum. Et planxit eum omnis Israel juxta sermonem Domini, quem locutus est
in manu servi sui Ahiæ prophetæ. 19 Reliqua autem verborum Jeroboam, quomodo
pugnaverit, & quomodo regnaverit, ecce scripta sunt in Libro verborum dierum regum
Israel. 20 Dies autem, quibus regnavit Jeroboam, viginti duo anni sunt: & dormivit cum patribus suis: regnavitque Nadab filius ejus pro eo. 21 Porro Roboam filius
Salomonis regnavit in Juda. Quadraginta, & unius anni erat Roboam, cum regnare cœpisset: decem & septem annos regnavit in Jerusalem civitate, quam elegit Dominus, ut poneret nomen suum ibi, ex omnibus tribubus Israel. Nomen autem matris ejus Naama Ammanitis. 22 Et fecit Judas malum coram Domino, & irritaverunt eum super omnibus, quæ fecerant patres eorum in peccatis suis, quæ peccaverunt. 23 Ædificaverunt enim & ipsi sibi aras, & statuas, & lucos super omnem collem excelsum, & subter omnem arborem frondosam: 24 Sed & effœminati fuerunt in terra, feceruntque omnes abominationes gentium, quas attrivit Dominus ante faciem filiorum Israel. 25 In
quinto autem anno regni Roboam, ascendit Sesac rex Ægypti in Jerusalem, 26 Et tulit thesauros domus Domini, & thesauros regios, & universa diripuit: scuta quoque
aurea, quæ fecerat Salomon: 27 Pro quibus fecit rex Roboam scuta ærea, & tradidit ea in manum ducum scutariorum, & eorum, qui excubabant ante ostium domus regis. 28 Cumque ingrederetur rex in domum Domini, portabant ea, qui præeundi
habebant officium; & postea reportabant ad armamentarium scutariorum. 29 Reliqua
autem sermonum Roboam, & omnia, quæ fecit, ecce scripta sunt in Libro sermonum
dierum regum Juda. 30 Fuitque bellum inter Roboam, & Jeroboam cunctis diebus. 31 Dormivitque Roboam cum patribus suis, & sepultus est cum eis in civitate David: nomen autem matris ejus Naama Ammanitis: & regnavit Abiam filius
ejus pro eo.

℣. 1. IN TEMPORE ILLO ÆGROTAVIT ABIA.] Exemplaria Septuaginta Historiam hanc non referebant hoc in loco; verum ex Theodotione, vel alio quopiam veteri Græco Interprete [1] fuerat desumpta: at post hæc verba: *Non ascendetis, neque bellabitis contra fratres vestros filios Israel: revertatur vir in domum suam, a me enim factum est verbum hoc. Audierunt sermonem Domini, & reversi sunt de itinere, sicut ei præceperat Dominus;* A post hæc, inquam, verba ex ℣. 24. capitis 12. decerpta, Romana Græca Editio longam habet additionem, vel potius plurium circumstantiarum collectionem, quæ seorsim aliis in Scripturæ locis leguntur; aliquibus tamen subinde permixtis, quæ alibi non inveniuntur. Hanc vero eam versionem latine factam afferemus, atque italicis notis ea distinguemus, quæ in Græca tantum lectione reperimus [2]. „ Post Salo„ monis obitum, Roboam filius ipsius illi successit [3], sende-

[1] Vide Drus. hic, & Grot.
[2] Paria leguntur apud Luciferum Calaritanum in lib. Regum apost. p. 167. 168.
[3] Hoc scripturę refragatur asserenti eum 41. annos egisse, cum regnare incœpit.

sexdecim annos natum, & duodecim [1] *regnavit annos in Jerusalem. Mater illius Naama vocabatur, filia Ana, filii Naas, Regis Ammonitarum* [2]. Aderat in Montibus Ephraim famulus Salomonis, cui nomen Jeroboam, *Meretricis filius, cui nomen Sarira*. Constituit eum Salomon super tributa, vel opera domus Joseph. *Ædificavit ille Sariram Salomoni* [4], habebatque triginta currus, cum equis suis. Ædificavit arcem, vel oppidum tributis domus Ephraim, & mœnibus David civitatem conclusit. Cum autem rebus novis studeret, ac regnum appeteret, Salomon illum de medio tollere cogitavit: at aufugit ille apud Susacim, Regem Ægypti. Post mortem Salomonis, Jeroboam *discedendi facultatem petiit a Susacim, qui dixit illi: Postula a me aliquid; & nuptum tradidit illi Thecеminam, sororem primogenitam Reginæ, conjugis suæ, ex qua Jeroboamus genuit Abiam. Enixius igitur Regem Ægypti efflagitavit, ut sibi in regionem suam liceret reverti; quo cum rediisset, universa tribus Ephraim in regionis montibus convenit, ubi Jeroboam arcem fossa undequaque circumdatam ædificavit* [5]. Tunc Abia filius Jeroboam gravi morbo correptus fuit, *& abiit Jeroboam, ut de filii valetudine consuleret*, & dixit *Ano* uxori suæ, ut iret Deum consultura super filii ægritudine. Aderat tunc in Silo senex, cui nomen Achias, *sexaginta natus annos, & verbum Domini erat cum eo*. Jeroboam igitur uxori imperavit, ut panes sumeret, *quos offerret Prophetæ*, & placentas *pro filiis illius*; & uvam, & mel, quæ omnia ad illum afferret, ut ab eo, utrum amplius convalesceret filius, edoceretur. (Græcus Textus nihil ait de vestium immutatione, de qua & in Hebraico textu, & in Vulgata est sermo). Ut autem in urbem Silo pervenit, *Propheta Achias dixit famulo suo* [6], vel filio: *Occurre Ano, & dic illi: Ingredere, ne moreris; nam Dominus dicit: Mittam in te mala gravissima*. Ano ingressa est domum viri Dei, *& Achias dixit illi: cur affers ad me panem, placentulas, uvam & vas mellis* [7]? *Hæc dicit Dominus: Simul ac illinc egressa fueris, ut reverearis, atque Sariram ingrediaris, occurrent tibi filiæ tuæ, dicentque tibi: filius est mortuus*. Et hæc dicit Dominus: delebo mares omnes de domo Jeroboam. Omnes e familia ipsius, qui in civitate morientur, a canibus vorabuntur; qui vero in agris interibunt, vorabunt eos aves cœli. Lugebunt filium *dicentes: Heus, Heus Domine*! eo quod Dominus diligit illum. Mulier reversa est, & filius obiit, statim ac illa pervenit in Saritam: *Et occurrerunt illi cum magno ululatu*.

Et Jeroboam ivit in Sichem, ubi coegit universum Israel. Illuc venit quoque filius Salomonis Roboam: Et Dominus locutus est [8] *ad Semeam de Eniem, & dixit illi: sume tibi vestem novam, quæ nondum lota fuerit, secabisque eam in duodecim partes, quas trades Jeroboam, & dices illi: sume tibi has duodecim partes, quas Dominus dat tibi, ut induaris; accepitque eas Jeroboam, & Propheta dixit illi; regnabis super decem tribus Israel*. Tunc populus dixit Roboamo Salomonis filio: Pater tuus aggravavit jugum suum super nos, *& addidit jugo nostro escas mensæ suæ*; igitur subleva nos, & serviemus tibi, & reliqua, quemadmodum supra vidimus capite 12. 5. 6. & sequentibus. Post quæ redit ad ℣. 25. capitis 12. *Ædificavit autem Jeroboam Sichem in monte Ephraim &c.*

In illo tempore.] Regii adolescentuli Abiæ morbus statuendus esse statim post aurei vituli, & Altaris in Bethel dedicationem, quæ superiori narratur capite, videretur. At inter Interpretes convenit hæc verba *in illo tempore, tunc, in diebus illis* non semper factorum connexionem significare, ac immediatam cum iis, quæ præcesserunt, temporis relationem. Hoc autem adnotatum est a S. Augustino l. 2. c. 6. de Consens. Evang. a S. Johanne Chrysostomo hom. 77. in Matth. & 26. in Acta, nec non a veteribus, atque recentioribus Interpretibus [9]. Si fidem mereretur Græcorum, quam modo attulimus, narratio, aliquandiu ante Abiam ægrotasse, dicere possemus; nam si regius hic adolescens natus est post Jeroboami reditum, vel paullo postquam ipse de Ægypto reversus est, atque mors illius contigit ante insignem populi conventum in Sichem, ubi decem tribus Davidis familiæ jugum excussere, dicendum esset, Abiam in ipsis incunabulis occidisse. At quomodonam hoc potest cum publico luctu conciliari, quo universus Israel mortem illius est prosecutus? nec non cum effœta senectute Ahiæ prophetæ, cum minis, quas vir Dei de Juda divinitus missus contra domum Jeroboam intentavit, in scelerum suorum, ac idololatriæ pœnam; & cum iis, quæ Ahias dicit infra uxori Jeroboam, Deum deleturum esse Regis domum *hac die; at quid dico hac die, hoc tempore eodem, quo loquimur*; perinde ac innuere vellet rem omnino proximam, quæ nihilominus post mortem Jeroboami dumtaxat evenit? Cæterum numquam in Israel funus, & solemnem luctum peractum fuisse pro adolescentulis liquet, quemadmodum isthic pro Abia factum agnovimus. Itaque reor hæc omnia sub finem regni Jeroboam contigisse, cum Abia filius illius jam provectior esset ætate, atque a populo veluti Jeroboami successor haberetur. Erat autem ferme natu major, quam Nadab, qui Jeroboamo successit. At Nadab jam per ætatem regno regundo par erat, cum Regnum adiit; quandoquidem altero Regni sui anno cum universo Israel Philisthinorum civitatem obsidione vallabat [10]. Attamen neque isthinc licet arguere quo anno Abia ad plures abierit.

℣. 2. Commuta habitum.] Non una tantum ratione actus Jeroboam optabat, ut uxor vestem mentiretur, ut Ahiam Silonitem adiret. Hæc civitas erat quidem ex Ephraim hæreditate; at fidei pronius est, illam familiæ David paruisse, atque ad Regem Juda spectasse. Propior Jerusalem hæc erat, quam Sichem, quæ a Roboamo communita fuerat, ac ubi ille sedem suam constituerat. Regi Israel ergo locus erat dubitandi, cum uxorem suam in urbem alienæ ditionis dimitteret. Præterea Jeroboam minime verebatur, quin Propheta Ahias illi succensuisset, propterea quod Religionem Israel perfide adeo perturbasset; & si vir Dei uxorem ipsius agnovisset, acerrimis eam probris impeteret, & illi futura detegere nollet. Jubet igitur uxorem suam vestem mutare, & veluti e popello mulierculam quamdam ad illum solam accedere, ut liberius Prophetam consulet, qui cœcus erat, atque de filii sui valetudine ab eo eliciat oraculum; perinde ac Ahias, quem supponit visurum esse filii fatum, videre non posset, quænam illa esset, a qua consulebatur.

℣. 3. Decem panes, & crustulam, & vas mellis.]

---

1 Regnavit 17. an. 3. Reg. 14. 21.

2 A Scriptura appellatur Naama e genere Ammonitarum. *ibid.*

3 Ἄμητα υἱοῦ Ναὰς υἱοῦ Ἀμμὼν βασιλέως υἱῶν Ἀμμών.

4 Apud Septuaginta *Sarira* eadem est ac *Tharsa*. Vide 4. Reg. 14. 7.

5 καὶ ᾠκοδόμησε χάρακα

6 εἶπεν τῷ παιδαρίῳ αὐτοῦ.

7 Hieron. ad Mich. c. 3. & Procop. in 1. Reg. 9. animadvertunt Scripturam non asserere hunc Prophetam accepisse munera ab hac Regina ei delata.

8 Hebr. & Vulgata cap. 11. 29. 23. habent Ahiam e Silo fuisse a Domino missum.

9 Vide Theophyl. & Euthym. in c. 3. Matth. & Sanctium hic.

10 Vide ad vers. 25. 27. cap. 15.

LIS.] Septoaginta [1] addunt & uvam: *Tolle pro viro Dei panes, & placentulas pro filiis ejus, & uvam, & vas mellis*. Hebraice [2]: *Sume in manu tua decem e panibus* (vel decem panes) *& placentulas* (ad litteram perforata, offas, vel aliud aliquod genus panis in furno excocti, & in pinarum speciem præfecto), *& vas mellis*. Non desunt qui Hebraicam vocem *niKKudim*, quam *offas* vertimus, de quodam fructuum genere explicent. Arabica lectio simpliciter habet *fructus*, & Syriaca, *fructus exsiccatos*. Hæc fortassis & Græcorum mens fuit, qui Authographi vocem *placentulas*, *& uvam* reddidere. At in Josue 9. 12. ostendimus, intelligendam esse de quadam panis, vel laganorum specie. Adnotari hic potest vetus consuetudo munusculum aliquod ad Prophetas deferendi, cum quis eos consulturus adiret. Saul, & famulus ipsius dolore afficiuntur eo quod nihil illis præ manibus sit, quod Samueli offerant 1. Reg. 9. 7. Jeroboam virum Dei, qui divinitus missus ad illum fuerat, ad mensam invitat, illique munera pollicetur 3. Reg. 13. 7. Balaam non accedit ad Balac, nisi illi prius divinationis suæ pretium fuerit persolutum Numer. 22. 7.

℣. 4. CALIGAVERANT OCULI EJUS.] Hebraice [3]: *Oculi ejus se se elevarant*, vel constiterant; vel intumuerant; & ut verbo complectar, munis sua non peragebant amplius, seu quod intra orbitam recessissent, sive extra prodiissent, seu quod essent veluti hebetes, ac immobiles; non enim satis constat Hebraicæ vocis hoc in loco significatio.

℣. 6. EGO AUTEM MISSUS SUM AD TE DURUS NUNTIUS.] Ad litteram [4]: *Ego ad te missus sum durus*, vel *nuncius durus*, ut miserrima quæque tibi vaticiner. Nulla habeo, nisi calamitosissima, quæ tibi prædicem.

℣. 9. FECISTI TIBI DEOS ALIENOS.] Hoc nomine vitulos aureos appellat, quos, veluti numina, populus venerabatur, & quos eo cultu, qui ad verum Deum tantummodo spectat, adorabant. Vide supra c. 12. 28.

℣. 10. MINGENTEM AD PARIETEM.] Hoc est, masculos omnes. Plures id de canibus explicant. Non relinquam vivum canem, vel animal ullum. Hispani pastoris canem *mastinum* dicunt, quæ vox in Italicam, Gallicamque linguam transiit, & Hebraica quoque est [5]. Significat autem *mingentem*, perinde ac mingendi ad parietes proprietas canum esset, qua a cæteris animantibus distingueretur. Videri possunt ea, quæ diximus in primum Regum librum cap. 25. 22.

CLAUSUM, & NOVISSIMUM IN ISRAEL.] Hebraicus textus [6] intelligi potest, vel de personis, vel de rebus: *Exterminabo clausum, & derelictum in Israel*. Delebo quidquid obvium erit, ne illis quidem parcam, qui clausi, & procul a tumultu, atque bellico impetu permanserit. Non illis parcam, qui armis ferendis non sunt, neque novissimis e populo, quorum nulla pars est in Principum contentionibus. Hæc adagialis est loquendi ratio, cujus varios sensus jam in Deuteronomio 32. 36. perpendimus. Sin autem de rebus explicare velis: Non parcam neque rebus maxime abditis, neque rebus maxime derelictis, non parcam rebus quæ maximi, vel quæ minimi æstimantur. Denique omnia igni ferroque in Israel vastabo. Occidam, quidquid mihi præ manibus versabitur, *clausum*, & capi, ac detineri jubebo, qui fugam statim capessere videbuntur. Qui fuga sibi consultum voluerint, e meis manibus non elabentur. Omnes disperdam,

SICUT MUNDARI SOLET FIMUS USQUE AD PURUM.] Syriaca versio, & Arabica aliter id intelligunt: *Quemadmodum in vinea quæritat vinitor & minimum racemum*. Rabbini quidam [7]: *quemadmodum turbo, quidquid invenit, verrit*; vel, *quemadmodum dens escam frangit, donec eam omnino contriverit*.

℣. 11. QUI MORTUI FUERINT IN CIVITATE, COMEDENT EOS CANES.] In sterquilinium abjicientur; *sepultura asini sepelientur*, quemadmodum loquitur Scriptura Jerem. 22. 19.

℣. 13. INVENTUS EST SUPER EO SERMO BONUS A DOMINO.] Dominus propitio oculo respexit illum. Ad litteram [8]: *inventum est in eo verbum bonum* (vel bonum aliquid) *erga Dominum*. Aliquid egit acceptum Deo. Judæi ajunt, illum subvertisse murum, ac succidisse vallum, quod Pater illius objecerat, ne quis in Jerusalem Dominum adoraturus abiret. Verti etiam potest: servavit *bonam cogitationem* erga Dominum [9]; conservavit erga illum aliquem pietatis affectum.

℣. 14. PERCUTIET DOMUM JEROBOAM IN HAC DIE, & IN HOC TEMPORE.] Hebraice [10]: *Virum, qui exterminabit domum Jeroboam die hac*; & quid dico die hac? *hoc ipso tempore*. Locutio hæc satis ostendit factum, de quo Propheta loquitur, imminere; atque ideo historiam hanc sub finem regni Jeroboam contigisse. Deus ex eo tempore cœpit exequi sententiam suam contra impii hujus Regis familiam per Abiæ mortem, qui illius firmissimum erat præsidium; deinde vero Abiæ Regi Juda insignem tribuens adversus Jeroboam victoriam [11], qua ultra quingenta hominum millia interemit, plurimas cepit urbes, atque malo adeo multavit Jeroboam, & populum illius universum, ut non posset amplius contra Reges Juda consurgere. Denique suscitavit Deus contra domum Jeroboam, Basam e tribu Issachar, qui occidit Nadab successorem Jeroboam, altero, quo regnare cœperat, anno. Vide cap. 15. 27. 28.

℣. 15. VENTILABIT EOS TRANS FLUMEN.] Euphratem scilicet. Postquam mala vaticinatus est contra domum Jeroboam, Ahias terribilia quæque minitatur decem tribubus, quæ sibi hunc Regem elegerant, eumque in idololatriam fuerant secutæ. Hæ minæ per gradus adimpletæ fuerunt. Regnum Israel fere semper turbis, & vel domesticis, vel externis bellis fuit agitatum; quod Propheta per ea innuit verba; *& percutiet Dominus Deus Israel, sicuti moveri solet arundo in aqua*; mox Dominus *evellet* hunc populum de terra sua; non autem totum simul; nam Theglathphalassar quasdam tribus in captivitatem abduxit; post quem Salmanasar reliquum populum etiam in servitutem abripuit. Denique vero trans Euphratem dispersi fuere, veluti pulvis vento agitatus: qui vero ibi reliqui fuere, ignorati sunt, atque nequicquam deinde inquisiti fuerunt.

℣. 16. PROPTER PECCATA JEROBOAM, QUI PECCAVIT, & PECCARE FECIT ISRAEL.] Hi vulgati sunt scelerum Principum improborum effectus. Alios in culpam exemplo suo alliciunt, atque in populos suos Divinæ Justitiæ flagella promerentur. Eorum supplicium non illis tantum nocet, sicuti eorum crimen in iis tantum persistit. Scelera enim sua in populos propagant, aliosque corrumpunt, cum semet primum corrupesint. *Plus exemplo, quam peccato nocent*, ait Cicero l. 3. de Legibus. Subditi nimis ad assentationem compositi, officii sui esse arbitrantur: & ipsa Principum vitia imitari; & ne illorum impietatem exprobrare videantur, si frugi vixerint; pietatem, ac Religionem

---

1 Λάβε ἐπὶ τὴν χεῖρά σε τῷ ἀνθρώπῳ τοῦ Θεοῦ ἄρτους, καὶ κολλυρίδας τοῖς τέκνοις αὐτοῦ καὶ σταφυλὴν, καὶ στάμνον μέλιτος,
2 לקחת בידך עשרה לחם ונקדים ובקבק דבש 3 כי קמו עיניו γὰρ ἠμβλυώπουν οἱ ὀφθαλμοὶ αὐτοῦ.
4 ואנכי שלוח אליך קשה ἐγώ εἰμι Ἄγγελος πρός σε σκληρός.
5 משתין בקיר 6 עצור ועזוב בישראל
7 כאשר יבער הגלל עד תמו 8 יען נמצא בו דבר טוב אל יהוה Græci, ὅτι εὑρέθη ἐν αὐτῷ ῥῆμα καλὸν περὶ τοῦ κυρίου. 9 Grot. דבר pro *cogitatio*.
10 אשר יכרית את בית ירבעם זה היום ומה גם עתה 11 2. Par. 3. 17. 18. 19.

gionem proterunt, & demum utrique simul in calamitosissima quæque præcipites aguntur: *Quoniam mores, & vitia Regis imitari, genus obsequii judicatur, abjecerunt omnem pietatem, ne exprobrare scelus Regi viderentur, si pie viverent*. Lactant. l. 5. c. 6. Instit.

℣. 17. VENIT IN THERSA.] Urbs hæc *Sarira* vocatur a Septuaginta, Textusque Græcos habet hanc a Jeroboamo Salomoni fuisse ædificatam, dum ille tribubus Ephraim præesset. Salomon de hac loquitur in Canticis 6. 2. ex Hebr. ubi confert pulchritudinem sponsæ suæ pulchritudini *Thersæ*, ex quo conjicere licet, civitatem hanc in situ amœnissimo fuisse conditam. Si hæc Salomonis, & Jeroboami tempore extructa fuit, mirum sane videri potest nemini, quod de ea nihil dicatur in Josue, & nulli tribuum tradita fuerit. Adrichomius eam statuit in dimidia tribu Manasse cis Jordanem, at Bonferius in Ephraim tribu: situs illius non satis cognoscitur. Reges Israel ibi plerumque imperii sedem posuere, usque ad *Amri*, qui Samariam condidit 3. Reg. 16. 24. 29. eamque tutius regni caput constituit.

℣. 21. QUADRAGINTA, & UNIUS ANNI ERAT ROBOAM.] Græci, sicuti vidimus, sexdecim illi dumtaxat annos tribuunt; alii vero [1] unum, & viginti. Juvenis quidem erat, cum regnare occœpit, quod cognoscitur ex junioribus illis, qui una cum ipso fuerant instituti, & quos regni sui initio consuluit 3. Reg. 12. 10. Verum inficiari nequaquam potest ipsum uno & quadraginta annis tunc natu minorem fuisse. In Scripturis juvenes plerumque viri provectioris ætatis vocantur, præsertim cum natu majoribus conferuntur. Nonnulli hos quadraginta, & unum annos a Salomonis initio deducunt: ita ut idem sit perinde ac diceretur: Roboam regnare cœpit quadragesimo primo anno Æræ Salomonicæ [2].

℣. 22. FECIT JUDAS MALUM CORAM DOMINO.] Tribus tantum annis in Domini fide permansit 2. Paral. 11. 17. Roboamus plane pravis genitricis suæ consiliis, quæ Ammonitis erat, corruptus fuit; & populus, cujus Religio nequissimo Salomonis exemplo non parum acceperat detrimenti, facile in idololatriæ scelus prolapsus est, proposita Roboami impietate, & fratrum suorum Israelitarum, qui finitimi erant, imitatione.

℣. 23. ÆDIFICAVERUNT SIBI ARAS SUPER OMNEM COLLEM EXCELSUM.] Antequam Templum ædificaretur, ac Dominus sibi locum eligeret, ubi populi sacrificia, & obsequium exciperet, Aræ in excelsis tolerabantur, & magis religiosi Legum observatores minime sibi religioni vertebant, si illuc sacris operaturi concessissent. At hæc altaria plerumque constituebantur in insignibus locis propter Angelorum apparitionem, vel propter miraculum aliquod, vel quod ibi Arca Domini constitisset; vel denique eo quod Propheta, vel Patriarcha aliquis ibi antea sacrificasset. Post Templum conditum, Excelsa, & Altaria ibi extructa veluti profana erant habenda; neque amplius licuit, vel novas aras ædificare, vel super veteres sacra facere. At Roboam, ac populus illius flocci hæc instituta fecere. Templum propemodum derelictum est; Idolis aræ constitutæ sunt; illis luci dedicati, ipsisque ubique indiscriminatim posita simulacra. Superstitio, ac idololatria longe, lateque per universam regionem grassabantur.

℣. 24. EFFOLMINATI FUERUNT IN TERRA.] Falsa Religio impudicitiæ Diis has nequissimas incontinentiæ victimas consecravit. Homines, ac mulieres turpissimis se se immersere flagitiis, iisque nefariis criminibus, propter quæ, & Sodoma, & Chananæi deleti fuere, ac tribus Benjamin omnino propemodum eversa. Etiam in hujus historiæ decursu, in fœdissi-

A morum horum scelerum offendemus vestigia [3]; quæ semper vulgata, ac sæpe etiam apud corruptos eos populos fuere sacrata.

℣. 25. IN QUINTO ANNO REGNI ROBOAM, ASCENDIT SESAC.] Ad 3. Reg. 11. 40. jam de hoc Ægypti Rege aliquid vidimus, cum de Jeroboamo loqueremur, qui apud hunc Regem confugerat. Cur autem Roboamo Regi bellum intulerit, non satis liquet. Hebræi, ut hominibus solemne, stolide putant, ipsum venisse, ut eburneum thronum, quem Salomon fecerat, & cujus decore illectus fuerat, auferret. At ex decursu patet, ipsum appetiisse maximas opes, quas Rex ille in Templo, ac in ædibus suis posuerat. Sesac Roboamum bello lacessivit cum exercitu 4 millium, ac ducentorum bellicorum curruum, equi-
B tum sexaginta millium, peditum vero innumerorum, quos ex Ægypto finitimisque locis collegerat. Hic Princeps plures cepit munitissimas urbes Juda, atque Jerusalem usque processit. Rex Juda cum præcipuis Præfectis suis in hac se continuerant urbe, ut eam ab Ægyptiorum incursionibus tutarentur: sed cum Semejas Propheta Dei verbis illis dixisset, quandoquidem ipsi Dominum dereliquerant, Deum quoque vicissim tradidisse illos Regi Sesac; Roboam, ac Optimates sceleris pœnitentia ducti, & coram Deo humillime prostrati dixerunt: Dominus justus est. Tunc Dominus eorum pœnitentia commotus, illis per eumdem Semejam dixit, se pro hac vice nequaquam omnino eos deserturum; verum ipsos externo huic Regi fore obtemperaturos, ut agnoscerent quid discrimen
C intersit inter eos, qui Domino parent, & qui in Principum servitute versantur. Roboam se se tradidit, quin pugnam experiretur; & Sesac tunc in regionem suam recessit, cum Templum, regiasque ædes fuisset depopulatus, atque majori ex parte maximas illorum opes diripuisset [4]. Hæc omnia ex Paralipomenis haurire licet. Jeroboam Rex Israel, amicus, & fœderatus Regis Sesac, nihil detrimenti hoc in bello passus est; immo Regis Juda depressio illi profuit, ut se in dies magis magisque in Israel regno confirmaret.

Hoc malum non prorsus inutile Roboamo fuit; in se namque reversus frequens adesse cœpit in Templo Domini, quod, ut idola sequeretur, videbatur deseruisse. Vide ℣. 28. ubi scriptum est, quod cum Tem-
D plum Domini adiret, deferri jubebat æreos clypeos, quos pro aureis a Sesac ablatis excuderat. At illius conversio ex timore tantum, & utilitate profecta, nec vera fuit, nec diuturna; ac secundus Paralipomenon liber c. 12. 14. ipsum in sceleribus suis fuit cum fuisse testatur: *Fecit autem malum, & non præparavit cor suum, ut quæreret Dominum*.

℣. 27. TRADIDIT EA IN MANUM DUCUM SCUTARIORUM.] Hebraice ad litteram: *Tradidit ea super manum Ducum cursorum suorum*, vel stipatorum. Hæc locutio, *super manum*, sæpius locum significat, quo in sensu isthic Aquila, & Symmachus intellexere [6]. Roboamus posuit clypeos in aula Ducum satellitum suorum. Vide ℣. 28.

℣. 30. FUIT BELLUM INTER ROBOAM, & JERO-
E BOAM CUNCTIS DIEBUS.] Non semper bellum arsit, ac exercitus in aciem educti fuere: scimus enim sub initium Regni Roboam hunc a Deo prohibitum fuisse, ne Jeroboamum bello lacesseret 3. Reg. 12. 24. & in 2. Paral. 13. 7. Abiam nobis ob oculos exhibet Jeroboamum, velut inertem, timidumque Principem, qui numquam ausus est Jeroboamo deficienti, atque decem tribubus se se objicere: *Porro Roboam erat rudis, & corde pavido, nec potuit resistere eis*. Verum id minime obstat, quo minus per omne regni sui tempus, inter duos hosce Reges odia fervierint, atque ultro citroque hostilia quæque sibi invicem

1 Grot. hic. 2 Harduin. Chronol. vet. & nov. Testam.
3 Vide 3. Reg. 15. 12. & 4. Reg. 23. 7. Isai. 2. 6. & 2. Macch. 12. 4 Vide 2. Par. 12. 3. 4.
5 Vide Notata ad 3. Reg. 15. 18.
6 עליד שרי הרצים Aquila, ἐπὶ θάλαμον τῶν τρεχόντων Sym. πρὸς τοῖς τόποις τῶν παρατρεχόντων.

vicem intulerint, quin tamen usquam in aciem descenderint, & quod sciamus, collatis signis manus conseruerint. Viri Juda, at Israel sibi vicissim erant infesti, nec non omnia, quæ per opportunitatem poterant, hinc inde mala inferebant.

℣. 31. DORMIVIT ROBOAM CUM PATRIBUS SUIS.] Octo & quinquaginta natus erat annos, ex quibus septemdecim regnum obtinuerat. Fuit hic non adeo regno par, sine sapientia, sine virtute, sine Religione; at nimis ferox, elatus, ac præceps. Quamdam meretur laudem, eo quod animum appulerit ditionis suæ A civitatibus communiendis [1], nec non horreis; & armamentariis ædificandis. Primum quidem in Sichem commoratus est 3. Reg. 12. 25. deinde vero sedem suam in Jerusalem statuit 2. Par. 11. 5. & 12. 13. Hic habuit uxores duodeviginti, concubinas sexaginta, ex quibus viginti octo pueros, puellas vero sexaginta genuit 2. Par. 11. 21. Maacham, filiam Abessalom, super cæteras diligebat, & posuit Abiam filium Maacha super reliquos filios 2. Par. 11. 21. 22. qui deinde illi successit. Roboami historia scripta fuit a Prophetis Semeja, & Addo, 2. Par. 12. 15.

1 Vide Par. 11. 5. 11. 12.

CAPUT XV.

Post Abiam Regem Juda succedit Asa. Bellum Asa adversus Baasam Regem Israel. Asa accersit Benadad Regem Syria adversus Regem Israel. Josaphat succedit Asa. Baasa interficit Nadab filium Jeroboam, universamque illius familiam, ac pro eo regno potitur.

1. IGitur in octavo decimo anno regni Jeroboam filii Nabat, regnavit Abiam super Judam. 2 Tribus annis regnavit in Jerusalem: nomen matris ejus Maacha filia Abessalom. 3 Ambulavitque in omnibus peccatis patris sui, quæ Anno M. 3046. Ante J.C. 958.
fecerat ante eum, nec erat cor ejus perfectum cum Domino Deo suo, sicut cor Da-
vid patris ejus. 4 Sed propter David dedit ei Dominus Deus suus lucernam in Je-
rusalem, ut suscitaret filium ejus post eum, & statueret Jerusalem: 5 Eo quod fe-
cisset David rectum in oculis Domini, & non declinasset ab omnibus, quæ præce-
perat ei cunctis diebus vitæ suæ, excepto sermone Uriæ Hethæi. 6 Attamen bel-
lum fuit inter Roboam, & Jeroboam omni tempore vitæ ejus. 7 Reliqua au-
tem sermonum Abiam, & omnia quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in Libro ver-
borum dierum regum Juda? Fuitque prælium inter Abiam, & inter Jeroboam, 8
Et dormivit Abiam cum patribus suis, & sepelierunt eum in civitate David: re-
gnavitque Asa filius ejus pro eo, 9 In anno ergo vigesimo Jeroboam regis Israel
regnavit Asa rex Juda, 10 Et quadraginta, & uno anno regnavit in Jerusalem.
Nomen matris ejus Maacha filia Abessalom. 11 Et fecit Asa rectum ante conspe-
ctum Domini, sicut David pater ejus: 12 Et abstulit effœminatos de terra, purgavit-
que universas sordes idolorum, quæ fecerant patres ejus. 13 Insuper & Maacham
matrem suam amovit, ne esset Princeps in sacris Priapi, & in luco ejus, quem con-
secraverat: subvertitque specum ejus, & confregit simulacrum turpissimum, & com-
bussit in torrente Cedron: 14 Excelsa autem non abstulit. Verumtamen cor Asa
perfectum erat cum Domino cunctis diebus suis: 15 Et intulit ea, quæ sanctifica-
verat pater suus, & voverat in domum Domini, argentum, & aurum, & vasa,
16 Bellum autem erat inter Asa, & Baasa regem Israel, cunctis diebus eorum.
17 Ascendit quoque Baasa rex Israel in Juda, & ædificavit Rhama, ut non posset
quispiam egredi, vel ingredi de parte Asa regis Juda. 18 Tollens itaque Asa o-
mne argentum, & aurum, quod remanserat in thesauris domus Domini, & in the-
sauris domus regiæ, dedit illud in manus servorum suorum: & misit ad Benadad
filium Tabremon filii Hezion, regem Syriæ, qui habitabat in Damasco, dicens: 19
Fœdus est inter me, & te, & inter patrem meum, & patrem tuum: ideo misi
tibi munera, argentum, & aurum: & peto, ut venias, & irritum facias fœdus,
quod habes cum Baasa rege Israel, & recedat a me. 20 Aquiescens Benadad regi
Asa, misit principes exercitus sui in civitates Israel, & percusserunt Ahion, &
Dan, & Abel domum Maacha, & universam Cenneroth, omnem scilicet terram
Nephtali, 21 Quod cum audisset Baasa, intermisit ædificare Rhama, & reversus
est in Thersa. 22 Rex autem Asa nuntium misit in omnem Judam, dicens: Nemo
sit excusatus. Et tulerunt lapides de Rhama, & ligna ejus, quibus ædificaverat Baa-
sa: &

fa: & extruxit de eis rex Afa Gabaa-Benjamin, & Mafpha. 23 Reliqua autem omnium
fermonum Afa, & univerfæ fortitudines ejus, & cuncta quæ fecit, & civitates, quas
extruxit, nonne hæc fcripta funt in Libro verborum dierum regum Juda? Verumtamen
in tempore fenectutis fuæ doluit pedes. 24 Et dormivit cum patribus fuis, & fepultus eft
cum eis in civitate David patris fui: regnavitque Jofaphat filius ejus pro eo. 25 Na-
dab vero filius Jeroboam regnavit fuper Ifrael anno fecundo Afa regis Juda: regnavitque
fuper Ifrael duobus annis. 26 Et fecit quod malum eft in confpectu Domini, & ambu-
lavit in viis patris fui, & in peccatis ejus, quibus peccare fecit Ifrael. 27 Infidia-
tus eft autem ei Baafa filius Ahiæ de domo Iffachar, & percuffit eum in Gebbethon,
quæ eft urbs Philifthinorum: fiquidem Nadab, & omnis Ifrael obfidebant Gebbe-
thon. 28 Interfecit ergo illum Baafa in anno tertio Afa regis Juda, & regnavit pro
eo. 29 Cumque regnaffet, percuffit omnem domum Jeroboam: non dimifit ne unam
quidem animam de femine ejus, donec deleret eum, juxta verbum domini, quod lo-
cutus fuerat in manu fervi fui Ahiæ Silonitis. 30 Propter peccata Jeroboam, quæ
peccaverat, & quibus peccare fecerat Ifrael, & propter delictum, quo irritaverat
Dominum Deum Ifrael. 31 Reliqua autem fermonum Nadab, & omnia, quæ ope-
ratus eft, nonne hæc fcripta funt in Libro verborum dierum regum Ifrael? 32
Fuitque bellum inter Afa, & Baafa regem Ifrael, cunctis diebus eorum. 33 An-
no tertio Afa regis Juda, regnavit Baafa filius Ahiæ, fuper omnem Ifrael, in
Therfa viginti quatuor annis. 34 Et fecit malum coram Domino, ambulavitque in
via Jeroboam, & in peccatis ejus, quibus peccare fecit Ifrael.

℣. 1. IN OCTAVO-DECIMO ANNO REGNI JEROBOAM REGNAVIT ABIAM SUPER JUDAM.] Abiam Rex Juda filius Roboam, & *Maacha* filiæ Abeffalom, a patre fuo inter alios fratres electus fuit, ut illi in regnum fuccederet; eum enim præ cæteris fapientiorem credidit 2. Par. 11. 23. ac populis regundis magis idoneum. Regnum adiit fub initium decimi octavi anni Jeroboam; regnavitque ufque ad vigefimum ejufdem Principis annum (mox ℣. 9.) trium ferme annorum intervallo. Scriptura huic triennium regni tribuit ifthic verf. 2. at hoc triennium nequaquam completum fuit, fed aliquot menfes deerant.

℣. 2. NOMEN MATRIS EJUS MAACHA FILIA ABESSALOM.] Quinam hic fuerit *Abeffalom*, & hæc *Maacha* variæ funt Interpretum fententiæ. Naturaliter audientes *Abeffalom*, vel *Abfalom* (hoc enim unum & idem nomen eft, uti ex Paralipomenis liquet [1]) intelligimus fermonem hic effe de Abfalom Davidis filio. Principis hujus mater *Maacha* appellabatur, atque facillimum eft, & filiam nomine eodem fuiffe vocatam. Verum eft Abfalonis filiam in fecundo Regum libro 14. 27. Thamar vocari, at aliquid ne pervulgatum magis in Scripturis occurrit, quam idem duplici nomine nuncupetur? Hic vir idem Abfalom, vel Abeffalom, de quo hic loquimur, nonne *Uriel*, ac filia ipfius, *Michaja*, in Paralipomenis appellantur [2]? Verum nonne mediam inire præftaret viam, quam Jofephus Antiqu. l. 8. c. 3. aperit dicens Maacham filiam fuiffe Thamar filiæ Abfalonis, ideoque fuiffe ex patrui filia neptem Roboami, & ex filia neptem Abfalonis?

℣. 4. DEDIT EI DOMINUS LUCERNAM IN JERUSALEM.] Hoc eft filium, fucceflorem. Per flagitia fua meritus fuiffet, ut Deus illum cum omni pofteritate deleret: verum & illum fervavit, & dedit illi Regni hæredem. Quoad hanc loquendi rationem *dare lucernam*, vide fupra caput 11. 36.

℣. 5. EXCEPTO SERMONE URIÆ HETHÆI.] Hoc unum Davidi fcelus objici poteft. Si quid aliud in vita ipfius cenforia dignum nota invenitur, erratum potius eft, vel humana infirmitas, quæ parvi facienda eft, cum virtutibus collata, quas exercuit, & cum merito integerrimæ erga Dominum fidei. Scriptura quoque Eccli. 49. 5. hoc illi adfcribit elogium, quod fcilicet *præter David, & Ezechiam, & Jofiam omnes peccatum commiferunt.*

℣. 6. BELLUM FUIT INTER ROBOAM, & JEROBOAM, OMNI TEMPORE VITÆ EJUS.] Complures [3] autumant Roboami nomen hic Abiæ loco obrepfiffe, vel faltem *Roboamum* ifthic pro illius familia, ac fucceſforibus poni, non fecus ac fæpius David, Ifrael, & Abraham pro Principibus familiæ David, ac pofteris Ifrael, & Abrahn ufurpantur: uti quoque apud profanos Auctores Dardanus, Danaus, Teucer pro tsium horum heroum minoribus ponuntur. At minime opus eft, ut ad hanc folvendi rationem confugiamus; quoniam verum eft inter Roboam, & Jeroboam femper viguiffe inimicitias, & naturalis rerum ordo pofcebat, ut hoc ifthic adnotaretur. Hæ veteres erant inimicitiæ, & inimicitiæ domefticæ. In 2. Paralipom. 13. 3. legimus, Abiam bellum internecinum Jeroboamo intuliffe, ex quo etiam victoriam retulit, cæfis quingentis hominum millibus; qua clade vires Ifrael adeo attritæ fuerunt, ut diutius contra Judam confurgere non potuerit.

℣. 9. IN ANNO VIGESIMO JEROBOAM, REGNAVIT ASA.] Hoc accidit fub finem vigefimi anni Jeroboam, & fub initium vigefimi primi, Ufferius inquit ad an. M. 3047. Septuaginta legunt *anno vigefimo quarto*. Afa erat filius *Maacha filia Abfalom*, quæ fane alia erat a matre Abiam patris illius; fed plane alia neptis Abfalonis, quæ nomen idem, ac matris, & aviæ geftaset. Vocatur autem filia Abfalom juxta Scripturæ confuetudinem, quæ indifcriminatim filiæ nomine, & neptes, & proneptes appellat.

℣. 12. ABSTULIT EFFOEMINATOS DE TERRA.] Vide quid de hac voce dixerim 3. Reg. 14. 24. Inferius liquet Cap. 22. 47. Afam, licet fummo zelo fuccenfum nefariam hanc radicem ftirpitus evellere non potuiffe: fed reliquiæ quædam fuperfuere, quas Jofaphat filius illius funditus evertit.

℣. 13. MAACHAM AMOVIT, NE ESSET PRINCEPS IN SACRIS PRIAPI.] Hebraice [4] habemus fimpliciter,

1 2. Par. 11. 21. *Amavit Roboam Maacha filiam Abfalom.* 2 2. Par. 13. 2. *Nomen matris ejus Michaja filia Uriel de Gabaa.* 4 Vide Sanct. hic, & Caftalion, qui in textu audacius fupplet *Afam* pro *Roboam*.
4 וגם את מעכה אמו ויסרה מגבירה אשר עשתה מפלצת לאשרה ויכרת אסא את מפלצתה וישרף בנחל קדרון

cet : Maacham matrem suam a suprema auctoritate amovit, eo quod fecerat idolum (terriculamentum) *in luco*. Ademit illi regimen ædium regalium, vel iis honoribus eam freudavit, quibus Reginæ excipiebantur; illi Satellitium ebstulit, quemadmodum Nero matri suæ fecerat, Grotius inquit; eo quod idolum consecrasset in profeno luco, impio cultui consecratum. Textus hoc idolum eppellat *Miphlezes*, quæ vox *terriculamentum* passim vertitur; quod ipsum fortasse S. Hieronymus innuit Priapum reddens, quem Poetæ nobis exhibent velut furum eviumque terrorem: Horatius l. 1. Satyr. 8.

> . . . . . *inde ego furum, aviumque*
> *Maxima formido*

Alii [1] *Pana Deum* reddunt, quod agreste numen erat, quod terrorem in mentes immittere dicebatur, ex quo *Panici* timoris nomen profectum est. Seldenus de Diis Syr. c. 5. credere videtur nequissimas *Phalli*, & *Ithyphalli* cæremonias nomen suum deduxisse e *Miphlezet*. Saltem hoc certum est, *Phalli* nomen fluere a *Phalaz*, quod est primitivum *Miphlezet*. Cum Dea Astarthe, vel Asere, quæ iis oefaris in lucis colebatur, & in cujus honorem hoc *Miphlezes* erat erectum, conjux esset Adonidis, omnino probabile est, in impurissimis hisce solemnitatibus gestari veluti tropæum aliquod consuevisse obscæna quæque, quæ de Ægyptiis in eorum Bacchi celebritatibus Herodotus l. e. c. 28. narrat.

Isthic eutem illud adnotandum videtur, scilicet neque Septuaginta, neque D. Hieronymum semper eodem pacto reddere Hebraicum Miphlezet in loco eodem, neque isthic, neque in Paralipomenis. Hebraicus textus ait: Asa *Maacham amovit a Reginæ dignitate, eo quod fecerat Miphlezet in luco* (vel in Asere), *& confregit Miphlezet illius, illudque prope torrentem Cedron combussit*. Septuaginta vero habent [2]; *amovit a se matrem suam, & obstitit, ne domina esset, eo quod cætum habuerat in luco, & Asa evertit cavernas illius*, vel cavitates. Et in Paralipomenis; *amovit matrem suam, ne esset Ministra Astarthe, & Idolum confregit*. Ubi videre licet vocem eamdem redditam *cætum*, vel conventum, vel aliquid adhuc turpius, *cavernam*, *& idolum*. Hinc erguere fas est, vocis hujus significationem nobis non satis esse exploratam, quemadmodum neque veteribus his Græcis Interpretibus fuit. Vide nostram Dissertationem de Diis Phœnicum.

℣. 14. EXCELSA AUTEM NON ABSTULIT.] Duplicis erant generis excelsa. Alia quidem vero Deo erant consecrata, eaque diu summo cum honore habita fuere, & Reges, ac Prophetæ illa usque ad Salomonici Templi ædificationem passi fuerant. Alia vero loca erant, quæ impudicitiæ, ac superstitiu Idolis dedicaverent. Novissima hæc Ase succidit [3]; verum sibi vires deesse putavit, ut & alia subverteret [4]. Veritus est, ut Populus huic cultus rationi assuetus obsisteret, ac ipse quoque ferre cogeretur excelsa idolis dicata eo quod ferre noluisset ea, quæ vero Deo erant consecrata. Quidem abusus obrepunt, quos prudentia dissimulare jubet, ne qui ea tollere cupiat, aliis, magisque perniciosis aditum aperiat, quorum ingruentem vim numquam propulsare possis. Nonnulli putant, [5] Asam excelsa evertisse, quæ in regione hic illic erant posita, iis vero pepercisse, quæ Salomon in Olivarum monte statuerat. Decus eorum penitus delendorum Josiæ debebatur 4. Reg. 23. Verum non ambigo, quin alia alibi passim fuerint excelsa, quæ inquisitionem, ac zelum Regis fefellerint. Se merito non parum fecisse credidit, cum tenre in rerum omnium corruptione malum illud repressserit, quod penitus evelli non poterat.

COR ASA PERFECTUM ERAT CUM DOMINO.] Superius jam ℣. 11. adnotari potuit, fecisse *Asa rectum ante conspectum Domini, sicut David pater ejus*; Elogium, quod pauci Reges Juda, vel ante, vel post ipsum meriti sunt. At quomodonam præclarum hoc testimonium cum iis concilieri potest, quæ in Paralipomenis legimus [6], quod cum venisset Propheta Hanani, ut eum Dei verbis redargueret, eo quod Regis Syriæ opem expetiisset, ut regem Israel eb Rama extruenda deterreret, cum ad Deum confugere debuisset; Asa adeo succensuit contra Prophetam, ut illum in carcerem trudi jusserit, pluresque e populo eodem tempore occiderit; Se mox cum gravissima laboraret podagra, nequaquam Domino vota sua nuncupasse, sed potius Medicorum præsidio fuisse confisum [7]? *Ægrotavit Asa dolore pedum vehementissimo, nec infirmitate sua quæsivit Dominum; sed magis in medicorum arte confisus est*. Hiccine character est Principis justi, & coram Domino perfecti?

Verum responderi potest *Asam* a Domini cultu numquam recessisse: non enim umquam in ea proruit flagiria, quæ cum hominis boni virtute simul esse non possunt. Peccata, quæ illi a Scripture objiciuntur, errata sunt, quorum plane cumulatissimam egit pœnitentiam. David ipse, qui passim laudibus a Scriptura celebratur, nonne lapsus est? Non loquor autem vel de Bethsabee adulterio, vel de cæde Uriæ: nonne perperam egit, cum præcipiti sane jurejurando se, Nabal domum penitus perditurum minatus est? Potestne omnino defendi propter ultionem, qua immodice Ammonitas est persecutus? Num fugit, quam aeres Deus pœnas expetierit propter initam eb ipso populi recensionem? Non igitur Asa ex justorum albo est expungendus, licet in aliquot ceciderit mala, quæ ferme ab hominum infirmitate seperari vix possunt,

℣. 15. INTULIT EA, QUÆ SANCTIFICAVERAT PATER SUUS, & VOVERAT IN DOMUM DOMINI.] Creditur [8] Abiam hoc vovisse in insigni eo prælio, quo fudit Jeroboamum Regem Israel. In 2. Paralip. 13. 5. legimus, cum duæ acies in medium processissent, Abiam ad hostium copies se se convertisse, atque summa cum pietate locutum illis exprobrasse, quod Domum David dereliquissent, cui Dominus perpetuum in Israel regnum tradiderat; quod a Domino recessissent, ac eorum Prophetes abjecissent; se vero, & exercitum suum fideles Domino adhæsisse, qui eorum Caput erat, ac Imperator: *In exercitu nostro Dux Deus est, & Sacerdotes ejus*. Dum ita concionaretur, Jeroboam, qui octingenta armatorum millia deduxerat, cum Abiam quadringenta tantum millia haberet, sensim copias suas circumduxit, ut exercitum Abiam circum undique clauderet. Tunc exercitus Abiam quoniam in periculum adduceretur, agnoscens, ad Dominum clamavit, & effudit Dominus terrorem in exercitum Israel; & quingenta hominum millia cæsa fuere. Tunc plane Abiam ejus se voti obligavit, quod isthic legimus. Hic Rex triennio tantum regnavit; sed cum prælium, de quo hic sermo, sub regni initium contigerit, ipse facile voto suo se potuisset exsolvere. Scriptore, qua loquitur de Abiam veluti de impio Principe, & qui a Deo suppliciis affectus fuerit [9], credendi locum facit, ipsum fidem suam præstare noluisse. Asa filius ejus paternum votum adimplevit, deditque Tem-

1 Castalio. Gatak. 2 Μετέστη ἑαυτῆς μητέρα τοῦ μὴ εἶναι ἡγουμένην, καθὼς ἐποίησε σύνοδον ἐν τῷ ἄλσει αὐτῆς· καὶ ἐνέπρησεν Ἀσὰ τὰς καταδύσεις αὐτῆς. Et in Paralipomenis legunt. Καὶ τὴν Μααχὰ τὴν μητέρα αὐτοῦ μετέστησε τοῦ μὴ εἶναι τῇ Ἀστάρτῃ λειτουργοῦσαν, καὶ κατέκαυσε τὸ εἴδωλον. 3 2. Par. 14. 2. *Abstulit altaria peregrini cultus & excelsa, & confregit statuas lucosque succidit* (℣. 5.) *Et abstulit de cunctis urbibus Juda aras & fana &c.*
4 Vide Theodoret. qu. 47. in 3. Reg. 5 Menoch. Sanct. 6 2. Par. 16. 7. 10. *Iratus Asa adversus videntem jussit eum mitti in nervum . . . . & interfecit de populo in tempore illo plurimos.*
7 Ibid. ℣. 12. 8 Tostat. Sanct. Menoch. 9 Vide supra ℣. 1. 3. & 2. Par. 13. 20. *Quem percussit Dominus, & mortuus est.*

plio est, quæ patet illius voverat, scilicet aurea vasa, ac argentea, atque alia quædam pretiosa. Hinc inferri potest Hæredes debuisse parentum suorum votis satisfacere, post eorum decessum, quod tamen in Moysis lege expressum non est.

℣. 16. BELLUM ERAT INTER ASA, & BAASA CUNCTIS DIEBUS EORUM.] Hæc bella in eodem sensu, quo superius cap. 14. ℣. 30. dictum est, sunt intelligenda. Reges Israel, & Juda numquam in pace vixerunt, & semper sibi invicem fuerunt infesti; licet non nisi sero apertum inter ipsos bellum sævierit. In II. Paralip. 15. 19. scriptum est, inter illos bellum non illatum fuisse prius, quam trigesimo quinto Regni Asæ anno, & sexto supra trigesimum ejusdem Principis anno [1] Baasam Regem Israel ædificare incepisse Rama, ut liber in Regnum Asæ aditus, reditusque tolleretur, quæ fuit belli origo inter Syros, & Baasam, quod in hujus capitis decursu legimus. Quædam vero hac in re oritur difficultas. Quomodo enim Asa bellum inire potuit adversum Baasam quinto, vel sexto supra tricesimum regni sui anno; quandoquidem liquet, *Baasam* vixisse dumtaxat usque ad vigesimum sextum annum Asæ [2]? Hoc facile probatur. Baasa regnare occepit tertio anno Asæ [3], ex viginti quatuor dumtaxat regnavit annos [4]. Plerique Interpretum, & Chronologorum [5] afferunt quintum vel sextum & trigesimum annum, de quo in Paralipomenis est sermo, recensendum esse a Regnorum Juda, ac Israel secessione; & hunc annum 36. fuisse tantummodo sextum decimum Asæ; & in præcedentem annum regni Asæ referunt victoriam ab hoc Rege de Zara Æthiopum Rege relatam.

Verum quæ veri species adesse potest, Asam cum victore exercitu, in quo quingenta erant, & octoginta bellatorum millia, petere debuisse suppetias a Benadad Rege Syriæ, illique coactum fuisse tradere *omne argentum, & aurum, quod remanserat in thesauris domus Domini, & in thesauris domus regiæ*, ut illum adigeret ad infringendum fœdus cum Baasa Rege Israel, atque ad irruptiones in hujus regnum faciendas, ut Regem hunc, ab Rama extruenda, cujus opus inceperat, deterreret? Quomodo Baasa ausus est tale opus contra Asam aggredi, eo tempore, quo vires hujus adeo formidabiles erant?

Hæ rationes validæ quidem sunt; verum quinam conciliari queunt cum aperto Regum textu, qui refert mortem Baasæ, & regnum Elæ successoris illius in vigesimum sextum annum Asæ 3. Reg. 16. 8. & mox regnum Zambri in Asæ annum vigesimum septimum 3. Reg. 16. 15. & regnum Amri in trigesimum primum ejusdem Principis annum Ibid. ℣. 23. & demum regnum Achab in annum trigesimum octavum Asæ Ibid. ℣. 29. Tot chronologicæ notæ belle adeo connexæ, nullam mendi admittere possunt suspicionem; ideoque fieri non potest, ut Baasa Asæ bellum intulerit tricesimo quinto, vel sexto hujus Regis anno, quoniam pluribus ante id tempus annis diem supremam obierat. Adhærere igitur possumus Chronologorum solutioni, quoniam nihil melius, neque majori solertia excogitatum suppetit. Critici quidam [6] hanc difficultatem expediunt legendo vigesimum quintum, & vigesimum sextum pro tricesimo quinto, & tricesimo sexto. Verum eorum correctioni nec Textus aliquis, neque aliqua versio suffragatur. P. Harduinus in Chronol. vet. & nov. Test. ad an. 17. Asa ut priorem probet sententiam, quæ triginta quinque hujus loci annos numerare incipit a divisione regnorum Juda, & Israel, animadvertit in numismatibus Commodi Imperatoris in Ægypto cusis, nequaquam poni hujus Imperatoris, sed Marci Aurelii Imperatoris annos, qui caput fuit Imperialis hujus familiæ: ita ut primus Commodi annus, velut vigesimus referatur, & sic deinceps de aliis usque ad trigesimum secundum, qui decimus tertius est, ac postremus Commodi Imperatoris annus.

℣. 17. BAASA ÆDIFICAVIT RAMA, UT NON POSSET QUISPIAM EGREDI, VEL INGREDI DE PARTE ASA, REGIS JUDA.] Hebraice habemus [7]; *ne permitteret aditum, vel exitum Asæ, Regi Juda*. Vel potius: *ne quis ultro, citroque in regnum Asæ Regis Juda mearet*. Baasa omnem penitus cupiebat tollere commercium inter subditos suos, & Asæ, veritus ne hi suos sollicitarent, ut ab ipso desciscentes iterum Patrum suorum Religionem amplecterentur, atque familiæ David se se submitterent. Rama collis erat, qui imminebat ascensui cuidam, qua inter Regna Juda, & Israel invicem aditus patebat. *Rama* hebraice altitudinem, elevationemque significat; hujus nominis urbem novimus inter fines tribuum Beniamin, & Ephraim. Josue cap. 18. 25. eam statuit inter *Gabaon*, & *Beroth*; aberat vero a Jerusalem duabus circiter leucis ad boream, Euseb. & Hieron. in locis.

℣. 18. TOLLENS ASA OMNE ARGENTUM, ET AURUM, QUOD REMANSERAT IN THESAURIS DOMUS DOMINI.] Sesac non omne aurum, argentumque abripuerat, quod aderat in Templo; verum summa quadam contentus fuit, quam illi Roboamus erogare non potuit, nisi Templum opum suarum parte fraudando. Asa quodammodo jacturam hanc reparaverat per opulenta spolia, quæ in templum intulerat, tum patris sui nomine, tum suo post victorias de Jeroboam Rege Israel, & de Zara Rege Æthiopiæ relatas. Asa hac in occasione minime veritus est sacros Templi thesauros insumere, ut ab hoste adeo pernicioso se se liberaret. Cum gravis, & publica urget necessitas, licet delubra opibus suis exornare, & in communes usus convertere dona Principum, vel populorum pietate consecrata [8]; *Pro Republica plerumque Templa nudantur, & in usum stipendii dona conflamus*. Seneca pater in Controver.

MISIT AD BENADAD, FILIUM TABREMON, FILII HESION, REGEM SYRIÆ.] Benadad erat nepos Razon, de quo supra sermo fuit 3. Reg. 11. 23. 24., qui Damasci regnum instituit. Razon hic vocatur Hesion; a Septuaginta vero *Hazin*, vel *Hazael* vocatur. Nomen *Tabremon* compositum est a *Tab*, vel *Tob*, quod significat *Remon*, vel *Remmon*, Deus Damasci. Nominum pluralis numerus pro singulari nequaquam inusitatus est in Scriptura. Nonnulli Interpretes [9] putant, Benadad esse nepotem *Adad* Idumæi, cujus historia refertur cap. 11. ℣. 14. Josephus ait ipsum Damasci regnasse, nomine Ader. Vide Joseph. l. 8. Antiqu. c. 2.

℣. 20. AHION [10].] Vel *Ain* erat urbs ex maxime borealibus. Hanc inter primas Theglatphalassar cepit, atque inde in captivitatem cives abduxit 4. Regum 15. 29. Nescio vero, an hæc eadem sit ac Enan, de qua sermo est apud Ezechielem 48. 1. & quæ *Terminus Damasci* vocatur.

DAN.] Celebris est civitas prope Jordanis rivum, de qua sæpius sermonem habuimus.

ABEL-DOMUM-MAACHA.] Hæc maxime recedebat in borealem terræ Chanaan plagam. Hæc eadem *Abela*, vel Abela-Domus-Maacha in secundo Regum libro appellatur, quo Seba, filius Bochri confugerat

1 2. Par. 16. 1. a 3. Reg. 16. 8. *Anno vigesimo sexto Asa Regis Juda regnavit Ela filius Baasa super Israel*. 3 3. Reg. 15. 28. *Interfecit ergo illum Baasa anno tertio Asa Regis Juda, & regnavit pro eo*.
4 Ibid. ℣. 33. *Anno tertio Asa Regis Juda, regnavit Baasa super omnem Israel in Thersa viginti quatuor annis*.
5 Ita Seder Olum, Jun. Tirin. Sanct. Tossan. Buxt. Torniel. Salian. Usser. ad an. 3063. 3064. alii plures.
6 Capell. Grot. Vide, si placet, & Cajet. in 2. Par. 15. 16. & Canum loc. Theol. lib. 11. c. 5.
7 לבלתי תת יוצא ובא לאסא מלך יהודה Ita & Par. 16. 2. 8 Grot. de jur. bel. & pac. l. 3. c. 5. ar. 2.
9 Grot. Mart. 10 70. Ain, עיון

rat 2. Reg. 20. 14. 15. Theglatphalassar hanc quoque cepit, & oppidanos illius captivos abduxit 4. Reg. 15. 29. Hæc vocatur *Abel-maim*, vel Abel aquarum eo in Paralipomenon loco, qui huic geminus est 2. Par. 16. 4.

UNIVERSUM CENEROTH.] Finitima loca maris Ceneroth, vel Tiberiadis. De Ceneroth prolixius locuti sumus in Josue 11. 2. & 13. 27. Benadad harum urbium partem servavit, immo etiam oppida, vel vias in Samaria ædificavit. Vide infra cap. 20. 34.

℣. 21. ET REVERSUS EST IN THERSA.] Hebraice [1]: *mansit in Thersa*. Communivit se in urbe Regia. Septuaginta [2] cum Vulgata legerunt: *reversus est*.

℣. 22. NEMO SIT EXCUSATUS.] Hebraice ad litteram [3]: *nullus immunis est*, nullus innocens. *Ubi adversus hostem muniendi sunt limites, omnis immunitas cessat*, docent Jurisconsulti l. ult. C. *de quibus muneribus nemini liceat se excusare*, apud Grot. hic.

℣. 23. UNIVERSÆ FORTITUDINIS EJUS.] Hebraicus textus [4] explicari potest, vel de corporis vi, vel de virtute, vel de Regni viribus, & copiis. Septuaginta de imperio ejus intellexisse videntur, ac de illius auctoritate.

VERUMTAMEN IN TEMPORE SENECTUTIS SUÆ DOLUIT PEDES.] Podagra laboravit [5]. Scriptura hunc in 2. Paralip. 16. 12. exprobrat, quod morbo affectus magis medicorum ope, quam Dei auxilio fuisset confisus. Ægrotare cœpit tricesimo nono regni sui anno, quemadmodum eodem habemus in loco, videlicet triennio, antequam ultima pateretur.

℣. 24. DORMIVIT CUM PATRIBUS SUIS.] Obiit anno regni sui quadragesimo, scilicet ab Orbe condito 3090. Elatus fuit in tumulum, quem sibi in civitate David effoderat, & corpus illius *posuerunt super lectum suum plenum aromatibus, & unguentis meretriciis, quæ erant pigmentariorum arte confecta, & combusserunt super eum ambitione nimia*. Hæc autem ex 2. Paralip. 16. 13. habentur.

℣. 25. NADAB FILIUS JEROBOAM REGNAVIT SUPER ISRAEL DUOBUS ANNIS.] Nadab regnare cœpit altero Asæ Regis Juda anno, & duobus annis regnavit, non autem absolutis; occubuit enim tertio Asæ Regis anno 3. Reg. 15. 28. *Interfecit illum Baasa in anno tertio Asa Regis Juda*.

℣. 27. GEBBETHON.] Est civitas in tribu Dan, quam Philisthiim possidebant, & Reges Israel non semel obsederant. Vide 3. Reg. 16. 15.

℣. 28. ANNO TERTIO ASA REGIS JUDA, REGNAVIT BAASA.] Anno scilicet ab orbe condito 3051. Adversus epocham hanc oritur difficultas, quæ in eo vertit, quod in 2. Paralip. 16. 1. dictum est, Baasam ædificium Rama aggressum esse anno Asæ tricesimo sexto; quod conciliari nequit cum iis, quæ infra ℣. 33. dicuntur, Baasam quatuor & viginti annos dumtaxat regnasse. Quomodo enim Baasa, cum annos dumtaxat viginti quatuor regnasset, & tertio Asæ anno regnare cœpisset, aliquid aggredi potuit contra Asam eumdem anno regni hujus tricesimo sexto? At huic difficultati occurrimus ℣. 17. dicentes tricesimum sextum Asæ annum recensendum esse ab initio secessionis decem tribuum a tribu Juda.

1 וישב בתרצה 2 Καὶ ἀπέστρεψε εἰς Θαρσά. Acceperant ישב perinde ac effluerent a שוב
3 אין נקי 70. καὶ παρήγγειλε εἰς ἐνακὶμ, vel εἰς ἀνακείμ. Voluere vocem authographi servare.
4 כל גבורתו 70. ἡ δυναστεία αὐτοῦ. 5 Ita Vat. Grot. Sanct. Menoch.

CAPUT XVI.

Jehu prædicit Baasæ familiæ suæ excidium. Mors Baasæ, cui Ela succedit. Zambri occidit Elam, & Regnum Israel invadit, omnemque Baasæ progeniem interimit. Amri a populo Rex eligitur, & Zambri semet in ædibus Regiis combussit. Mors Amri; cui succedit impius Achab, qui impiam Jezabel uxorem ducit. Jericho iterum conditur.

1. FActus est autem sermo Domini ad Jehu filium Hanani contra Baasa, dicens: 2
Pro eo quod exaltavi te de pulvere, & posui te ducem super populum meum
Israel, tu autem ambulasti in via Jeroboam, & peccare fecisti populum meum
Israel, ut me irritares in peccatis eorum: 3 Ecce, ego demetam posteriora Baasa, &
posteriora domus ejus: & faciam domum tuam sicut domum Jeroboam filii Nabath. 4
Qui mortuus fuerit de Baasa in civitate, comedent eum canes: & qui mortuus fuerit
ex eo in regione, comedent eum volucres cœli. 5 Reliqua autem sermonum Baasa,
& quæcumque fecit, & prælia ejus, nonne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum
regum Israel? 6 Dormivit ergo Baasa cum patribus suis, sepultusque est in Tersa: &
regnavit Ela filius ejus pro eo. 7 Cum autem in manu Jehu filii Hanani prophetæ verbum Domini factum esset contra Baasa, & contra domum ejus, & contra omne malum, quod fecerat coram Domino, ad irritandum eum in operibus manuum suarum, ut
fieret sicut domus Jeroboam: ob hanc causam occidit eum, hoc est, Jehu filium Hanani prophetam. 8 Anno vigesimo sexto Asa regis Juda, regnavit Ela filius Baasa super
Israel in Thersa duobus annis. 9 Et rebellavit contra eum servus suus Zambri, dux
mediæ partis equitum: erat autem Ela in Thersa bibens, & temulentus in domo Asa
præfecti Thersa. 10 Irruens ergo Zambri, percussit, & occidit eum, anno vigesimo
septimo Asa regis Juda, & regnavit pro eo. 11 Cumque regnasset, & sedisset super
solium ejus, percussit omnem domum Baasa, & non dereliquit ex ea mingentem ad

parietem, & propinquos, & amicos ejus. 12 Delevitque Zambri omnem domum Baa-
sa, juxta verbum Domini, quod locutus fuerat ad Baasa in manu Jehu prophetæ, 13
Propter universa peccata Baasa, & peccata Ela filii ejus, qui peccaverunt, & peccare
fecerunt Israel, provocantes Dominum Deum Israel in vanitatibus suis. 14 Reliqua
autem sermonum Ela, & omnia quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in Libro verborum
dierum regum Israel? 15 Anno vigesimo septimo Asa regis Juda, regnavit Zambri se-
ptem diebus in Thersa: porro exercitus obsidebat Gebbethon urbem Philisthinorum,
16 Cumque audisset rebellasse Zambri, & occidisse regem, fecit sibi regem omnis Is-
rael Amri, qui erat princeps militiæ super Israel in die illa in castris. 17 Ascendit
ergo Amri, & omnis Israel cum eo de Gebbethon, & obsidebant Thersa. 18 Videns
autem Zambri, quod expugnanda esset civitas, ingressus est palatium, & succendit se
cum domo regia: & mortuus est, 19 In peccatis suis, quæ peccaverat faciens ma-
lum coram Domino, & ambulans in via Jeroboam, & in peccato ejus, quo fecit pec-
care Israel. 20 Reliqua autem sermonum Zambri, & insidiarum ejus, & tyrannidis,
nonne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum regum Israel? 21 Tunc divisus
est populus Israel in duas partes: media pars populi sequebatur Tebni filium Gineth,
ut constitueret eum regem: & media pars Amri, 22 Prævaluit autem populus, qui
erat cum Amri, populo, qui sequebatur Tebni filium Gineth: mortuusque est Tebni,
& regnavit Amri. 23 Anno trigesimo primo Asa regis Juda, regnavit Amri super Is-
rael, duodecim annis: in Thersa regnavit sex annis. 24 Emitque montem Samariæ
a Somer duobus talentis argenti: & ædificavit eum, & vocavit nomen civitatis, quam
extruxerat, nomine Semer domini montis, Samariam. 25 Fecit autem Amri malum
in conspectu Domini, & operatus est nequiter, super omnes qui fuerunt ante eum,
26 Ambulavitque in omni via Jeroboam filii Nabat, & in peccatis ejus, quibus pec-
care fecerat Israel: ut irritaret Dominum Deum Israel in vanitatibus suis. 27 Reli-
qua autem sermonum Amri, & prælia ejus, quæ gessit, nonne hæc scripta sunt in
Libro verborum dierum regum Israel? 28 Dormivitque Amri cum patribus suis, &
sepultus est in Samaria: regnavitque Achab filius ejus pro eo, 29 Achab vero fi-
lius Amri regnavit super Israel anno trigesimo octavo Asa regis Juda. Et regnavit A-
chab filius Amri super Israel in Samaria viginti, & duobus annis. 30 Et fecit Achab
filius Amri malum in conspectu Domini, super omnes, qui fuerunt ante eum. 31 Nec
suffecit ei, ut ambularet in peccatis Jeroboam filii Nabat: insuper duxit uxorem Jeza-
bel filiam Ethbaal regis Sidoniorum. Et abiit, & servivit Baal, & adoravit eum. 32
Et posuit aram Baal in templo Baal, quod ædificaverat in Samaria; 33 Et plantavit
lucum: & addidit Achab in opere suo, irritans Dominum Deum Israel super omnes re-
ges Israel, qui fuerunt ante eum. 34 In diebus ejus ædificavit Hiel de Bethel, Jeri-
cho: in Abiram primitivo suo fundavit eam, & in Segub novissimo suo posuit portas
ejus: juxta verbum Domini, quod locutus fuerat in manu Josue filii Nun,

℣. 1. FACTUS EST SERMO DOMINI AD JEHU FILIUM HANANI.] Prophetam hunc Jehu, Hanani filium ob hanc tantummodo missionis suæ adversus Baasam circumstantiam cognovimus. Pater quoque illius *Hanani* erat Propheta, sicuti ex 2. Paralip. 16. 7. 10. innotescit. Hanani Dei nomine missus fuit ad Asam Regem Juda, ut illum redargueret, eo quod spem posuisset in Rege Syriæ; quamobrem Asa, Princeps alioquin pius, adeo excanduit ita, ut prophetam Hanani in vincula truderet. Baase violentius adhuc prophetam Jehu excepit, nam illum e viventibus exturbavit, si fides est penes Latinum Textum ℣. 7. *Ob hanc causam occidit eum, hoc est, Jehu, filium Hanani Prophetam.* At hæc novissima verba, *hoc est Jehu* &c. minime extant in Hebraico textu, neque in Chaldæo, neque apud Septuaginta, neque in latinis quibusdam exemplaribus, ut Estius narrat: atque inde dubitandi locus ortus, an Jehu a Baasa fuerit occisus, quod scilicet tempore Josaphat, qui post Baasam vivebat, intuemur prophetam Jehu Hanani filium ad Josaphat missum, ut eum exprobraret, quod impio Achab suppetias tulisset [1]. Itaque ni duplicem Jehu admittere velit, utrumque Hanani filium, utrumque prophetam in Juda sub idem tempus dicendum erit, Baasam nequaquam vim intulisse Jehu; & ea verba: *Ob eam causam occidit eum*, ad Deum esse referenda, qui Baasam propter impietatem e viventium numero eripuit [2]; vel ad Baasam, qui occidit Nadab filium Jeroboam, & omnem familiam illius [3]: ut Regnum usurparet.

℣. 2. EXALTAVI TE DE PULVERE.] Quomodonam dicit Deus, se exaltasse impium, ac regni raptorem, eumque caput super populum suum Israel constituisse? Nonne liquet Baasam per proditionem sibi ad solium fecisse viam, per defectionem, & cædem? Quomodonam Israel meretur nomen populi Domini, cujus cultum impie adeo deseruerat? Utcumtamen semper certum est, omnem potestatem esse a Deo, Baasam licet proditorem, ac interfectorem solium Israel

1 2. Par. 19. 2. *Cui occurrit Jehu filius Hanani videns, & ait ad eum: impio præbes auxilium &c.*
2 Ita Malv. & alii nonnulli.
3 Ita Hebræi, Lyr. Cajet. Vatab. Munst. & plerique.

nael nequaquam fuisse assecutum, nisi de voluntate, vel facultate saltem illius, qui sceptra impertit, ac omnia in gloriam suam convertit; & ipsum Israel licet impium, numquam penitus a Deo fuisse derelictum. Dominus subinde ad eum prophetas misit, in illius gratiam prodigia patravit, atque inter illum plurimos sibi fideles viros servavit, qui genu minime flexerunt coram Baal.

℣. 3. DEMETAM POSTERIORA BAASA.] Ad litteram [1]: *Demetam reliquias Baasa*. Vel, eam radicitus usque evellam, ac minimas illius fibras conteram. Vel: *Comburam posteriora Baasa*. Quodcumque relinquet, igni comburam; & ut verbo me expediam, posteritatem illius exterminabo.

℣. 7. CUM AUTEM IN MANU JEHU ... VERBUM DOMINI FACTUM ESSET CONTRA BAASA .... OB HANC CAUSAM OCCIDIT EUM, HOC EST JEHU &c.] Ostendimus jam, postrema hæc verba: *Jehu filium Hanani prophetam*, in authographo Textu non legi, cujus versiculus hic totus in hunc sensum verti potest. Narrata morte Baasæ, & familiæ ipsius excidio, Sacer Author concludit [2]: *Quin in manu Jehu, filii Hanani, Prophetæ verbum Domini factum fuerat contra Baasa, & contra domum ejus propter malum, quod fecerat in oculis Domini, quem irritaverat operibus manuum suarum se similem præbens domui Jeroboam; ideo Dominus illum occidit*, scilicet, Baasam. Vel juxta alios: *Propter malum, quod fecerat in oculis Domini, ut se se in locum domus Jeroboam obtruderet; & quod illum occiderat* [3]; Deus illum supplicio affecit propter cædem ab eo illatam Nadab, filio Jeroboam, & filiis ejus.

℣. 8. REGNAVIT ELA ... DUOBUS ANNIS.] Inceptis scilicet, non absolutis: cum enim ad solium Israel evectus fuisset Asæ anno 26. [4], occisus fuit anno Regis ejusdem vigesimo septimo [5].

℣. 9. DUX MEDIÆ PARTIS EQUITUM.] Hebraice [6]: *Dux mediæ partis curruum* bellicorum.

IN DOMO ARSA, PRÆFECTI THERSA.] Hebraice [7]: *In Domo Arsa, qui erat Præfectus ædium Thersa*. Chaldæus, & Arabs: erat in Templo Idoli Arsa, quod erat in Thersa. At quodnam erat hoc Idolum Arsa? Hoc nomen *Terram* significat; hanc veluti Deorum, & hominum matrem Ethnici venerabantur; vel *Arsa* positum est pro *Asera* Astarthe.

℣. 11. PROPINQUOS, ET AMICOS EJUS.] Eos omnes, a quibus sibi cavendum erat in sua tyrannide. Cum pares adessent occasiones, ait Philo in vit. Joseph. apud Grot. hic, ii necabantur, qui incolebant quinque domos magis contiguas, cujus memoriam penitus deleri volebant.

℣. 15. REGNAVIT ZAMBRI SEPTEM DIEBUS IN THERSA.] Suscepit Regis titulum, atque auctoritatem, verum eadem septem diebus dumtaxat gavisus est. Cum enim exercitus, qui obsidebat Gebbethon, acclamasset Amri ducem suum, hic statim ab urbis illius obsidione recessit, & venit, ut obsideret Zambri in Thersa: quæ non adeo munita erat, ut diu ferre posset impetum totius Israel oppugnantis; & Zambri illico intellexit, se illam tueri, & conservare non posse; initque consilium semet in Regiis ædibus conflagrandi, ubi se communiverat; atque hoc incendio brevi hoc bello finem imposuit. Historia plurima suppeditat eorum exempla, qui simili in occasione maluerunt igni confici, cum non auderent districtis gladiis in hostes morituri procurere. Sardanapali exemplum ex vetustissimis est, atque præ cæteris maxime celebratur [8]. Nonnulli putant [9], ignem ab Amri ædibus appositum fuisse, ut ibi succenderet Zambri, qui illuc recesserat. Hebraicus sane textus hoc in sensu posset explicari, sed alia explicatio magis est naturalis.

℣. 19. FACIENS MALUM CORAM DOMINO, ET AMBULANS IN VIA JEROBOAM.] Quomodonam Zambri septem dierum regno tantum mali patrare potuit, & turpem adeo, infamemque notam promereri? Credidit plane facilius populi sui animos sibi esse conciliaturum, si ipso in aditu regni sui maximum zelum esset testatus pro inani cultu, quem Jeroboam constituerat; in quoad maxime illius enituerat impietas, antequam regnum invaderet: vel denique septem regni dies, qui huic tribuuntur, respiciunt dumtaxat tempus, quo pacate usurpato fructu frui potuit. Cum Amri septima die Rex electus fuisset, & bellum aliquandiu adhuc perstitisset [10], Zambri tempus fuit, pravas animi affectiones detegendi quoad Religionem.

℣. 21. DIVISUS EST POPULUS ISRAEL IN DUAS PARTES.] Scriptura præterit causam, & effectus hujus divisionis. Satis credibile est, Israelitas, qui erant in castris prope Gebbethon, elegisse sibi Regem Amri absque populi consensu; populum vero invidia actum Regem sibi constituisse Thebni; ac cum in partibus Amri exercitus esset, hunc superasse.

℣. 23. ANNO TRIGESIMO PRIMO ASA .... REGNAVIT AMRI.] Quinam istud conciliari potest cum iis, quæ superius dicta sunt ℣. 10. & 15. scilicet Zamri occidisse dominum suum Elam, vigesimo septimo Asæ anno, cui, cum septem diebus regnasset, Amri successit? Respondemus Amri solum, & pacifice regnare occœpisse trigesimo primo Asæ anno, postquam quatuor annos Regni competitorem Thebni habuisset. Hic tandem obiit trigesimo primo Asæ anno, & Amri pacificum regni possessorem reliquit [11]. Hæc violenta quidem est explicatio; verum hac melior non suppetit.

℣. 24. EMIT MONTEM SAMARIÆ A SOMER DUOBUS TALENTIS ARGENTI.] Hebraice [12]: *emit montem Someron duobus talentis argenti*, scilicet, novem millibus septingentis, & triginta quatuor Gallicis libris, & solidis septem. Reges Israel primum quidem habitarunt in Sichem, deinde in Thersa: quæ cum ferme diruta fuisset civilium bellorum tempore inter Zambri, Amri, & Thebni; & Regiæ ædes, cum iis omnibus, quæ aderant, conflagrassent, vix se pacificum regni possessorem cognovit Amri, ut statim animum appulerit ad novæ civitatis extructionem, quæ sedes esset Regibus Israel, successoribus suis. Ad id opus elegit montem Someron, quem tunc vir quidam, cui nomen Somer, possidebat, qui forte ibi morabatur. Ibi quoque fortasse oppidulum aliquod erat, cui nomen *Someron*; saltem hæc est eorum sententia, qui nullam temporis prolepsim admittunt superius in capite 13. ℣. 34. ubi jam de Samaria sermo fuit. Ut ut se res habeat, Someron parvum aliquid esse debebat, quandoquidem Amri illud duorum talentorum pretio comparavit.

Samaria sita est in solo admodum fertili prope mediam tribum Ephraim in loco natura valde munito, ac situ præstantes. Mirum est Amri, cum emisset aream, ibique urbem ædificasset, eamdem nequaquam de suo nomine nuncupasse. Menochius post Salianum credit, Somer locum vili adeo pretio cessisse Regi ea tantum conditione proposita, ut prioris domini no-

1 הנני מבעיר אחרי בעשא ואחרי ביתו
2 וגם ביד יהוא בן חנני הנביא דבר יהוה היה אל בעשא ואל ביתו ועל כל הרעה אשר עשה בעיני יהוה להכעיסו במעשי ידיו להיות כבית ירבעם ועל אשר הכה אתו
3 Τῷ πατάξαι αὐτόν. Ita Grot. Vat.
4 Vers. 8. *Anno vigesimo sexto Asa, regnavit Ela.*
5 Vers. 10. *Zambri percussit eum anno vigesimo septimo Asa.*
6 שר מחצית הרכב
7 בית ארצא אשר על הבית בתרצה
8 Justin. l. 1. & Athen. l. 12. c. 7. Vide Casaub. in hunc l. Athen.
9 Kimchi in Munst. alii in Vat.
10 Vide, si lubet, Sanct.
11 Vide Usser. Sanct. Vat. &c.
12 ויקן את ההר שמרון

men ferret. Samaria igitur facta est decem tribuum A metropolis, nomenque suum tribuit Regno Samariæ, & isris amplo terræ tractui; quæ regio Samariæ fuit appellata. Reges Israel nihil omiserunt, ut eam exornarent, atque insignirent. Achab ibi *eburneam domum* ædificavit [1], domum nempe, in qua plurima eburnea ornamenta nitebant. Syriæ Reges ibi publica ædificaverant compita, quæ ipsorum juris erant, & ubi Syri propter commercium forte morabantur; quod liquet ex verbis iis, quæ Benadad dixit Achabo 3. Reg. 20. 34. *Plateas fac tibi in Damasco, sicut fecit pater meus in Samaria*. Civitas hæc pluries obsessa fuit; bis quidem a Benadad, mox a Salmanasar, qui post triennii obsidionem eam cepit. Post Alexandri Magni obitum Regibus Ægyptiis cessit; B sed cum Antiochus Magnus eam de Ægyptiis Regibus retulisset, Syriæ Regibus paruit, donec Hircanus Macchabæus eam funditus evertit. Herodes Magnus eam e cineribus suscitavit, cumque ibi sex mille virorum coloniam deduxisset, in Augusti honorem Sebasten appellavit.

℣. 25. OPERATUS EST NEQUITER SUPER OMNES, QUI FUERUNT ANTE EUM.] Non satis fuit illi verbis, & exemplis subditos suos in idolorum cultum impellere, verum & Legibus eos coegit: *Et custodisti præcepta Amri, & omne opus domus Achab*: Mich. 6. 16.

℣. 31. INSUPER DUXIT UXOREM JEZABEL, FILIAM ETHBAAL, REGIS SIDONIORUM.] Hic fuit cumulus scelerum Achab, nuptiæ Jezabel; non quod nemo ante ipsum alienigenas uxores duxisset [2]; at C illi saltem quasdam juris solemnitates servarant, efficiendo, ajunt, ut Judaicam religionem illæ amplecterentur; Achab vero ad id non impulit uxorem suam Jezabel. Demum eventus probat, omnia mala quæcumque fecerat Achab, leviora fuisse, si huic cum Jezabel conjugio conferantur. Regina hæc satis prodidit crudelitatem suam, ac impietatem. Nec latuere ipsius idololatriæ, impudicitiæ, aliæque immania scelera; ac omnia flagitia apud Jezabel non præsidium dumtaxat, verum præmium, & honorem invenere. Nomen Jezabel quodammodo in adagium versum est ad innuendam mulierem impiam, superbam, & crudelem [3]. Grotius hanc Tulliæ Tarquinii, Fulviæ Antonii, & Eudoxiæ Arcadii conjugibus confert.

Ethbaal, pater Iezabel, Rex erat Sidoniorum, vel potius Tyriorum: sed forte tunc Reges Tyri omni Sidoniorum regioni, & Sidoni ipsi dominabantur. Salomon 3. Reg. 5. 6. loquitur jam de Sidoniis, veluti Regis Tyri subditis. Profanis quoque auctoribus haud ignotus fuit Ethbaal. Menander apud Joseph. l. 1. contra Appion. eum *Ithobalum* vocat, narratque hoc imperante magnam fuisse ea in regione siccitatem; quæ sane ea siccitas est trium annorum, de qua loquitur Scriptura, dum Achab, gener *Ithobaal*, regnaret 3. Reg. 17. 1.

℣. 34. IN DIEBUS EJUS ÆDIFICAVIT HIEL DE BETHEL, JERICHO.] Patet Iosue, capta, dirutaque Iericho, maledicta in eum jecisse, qui eam esset instauraturus [4]. Hiel de Bethel minas has minimum veritus, regnante Achab, eam a fundamentis suis excitare aggressus est. Principi huic zelus ille non erat, quo in reædificatorem flagrare debuisset: & Hiel, quippe qui aperte erat idololatra, minimum facessebant negotium, quæcumque a Iosue dicta audierat. At Domini ultio in familiam Hiel maxime enituit; impius enim vir passus est omnium filiorum jacturam, donec eam civitatem instauraret. Abi-C eam primogenitus illius e vivis ereptus fuit, dum urbis fundamenta jacerentur; alii ipsius filii mortui sunt, dum civitatis corpus extrueretur; Segub vero natu minimus obiit, cum illa perfecta jam portæ apponerentur. Quid de Iericho, & situ illius diximus in Commentariis in Iosue cap. 6. 26. videri potest.

---

1 3. Reg. 22. 39. *Domus eburnea, quam ædificavit, cunctarumque urbium, quas extruxit &c.*
2 3. Reg. 11. 1. *Salomon adamavit mulieres alienigenas .... Idumæas, Sidonias, & Hethæas.*
3 Vide Apocal. 2. 20. *Habeo adversum te pauca, quia permittis mulierem Jezabel, quæ se dicit Propheten, docere, & seducere servos meos, fornicari, & manducare de Idolothytis.*
4 Josue 6. 26.

CAPUT XVII.

Elias prædicit Achab trium annorum siccitatem. Ille corvorum ministerio alitur; in Sarepta ad viduam quamdam proficiscitur, cujus oleum, ac farinam multiplicat, & filium resuscitat.

1. ET dixit Elias Thesbites de habitatoribus Galaad ad Achab: Vivit Dominus De-
us Israel, in cujus conspectu sto, si erit annis his ros, & pluvia, nisi juxta o-
ris mei verba. 2 Et factum est verbum Domini ad eum, dicens: 3 Recede
hinc, & vade contra Orientem, & abscondere in torrente Carith, qui est contra Jorda-
nem; 4 Et ibi de torrente bibes: corvisque præcepi, ut pascant te ibi. 5 Abiit er-
go, & fecit juxta verbum Domini: cumque abiisset, sedit in torrente Carith, qui est
contra Jordanem. 6 Corvi quoque deferebant ei panem, & carnes mane, similiter pa-
nem, & carnes vesperi, & bibebat de torrente. 7 Post dies autem siccatus est torrens;
non enim pluerat super terram. 8 Factus est ergo sermo Domini ad eum, dicens: 9
Surge, & vade in Sarephta Sidoniorum, & manebis ibi: præcepi enim ibi mulieri vi-
duæ, ut pascat te. 10 Surrexit, & abiit in Sarephta. Cumque venisset ad portam ci-
vitatis, apparuit ei mulier vidua colligens ligna, & vocavit eam, dixitque ei: Da mi-
hi paululum aquæ in vase, ut bibam. 11 Cumque illa pergeret, ut afferret, clamavit
post tergum ejus, dicens: Affer mihi, obsecro, & buccellam panis in manu tua. 12
Quæ respondit: Vivit Dominus Deus tuus, quia non habeo panem, nisi quantum pu-
gillus

gillus capere potest farinæ in hydria, & paululum olei in lecytho: en colligo duo ligna,
ut ingrediar, & faciam illum mihi, & filio meo, ut comedamus, & moriamur. 13 Ad
quam Elias ait: Noli timere, sed vade, & fac, sicut dixisti: verumtamen mihi primum
fac de ipsa farinula subcinericium panem parvulum, & affer ad me: tibi autem, & filio
tuo facies postea. 14 Hæc autem dicit Dominus Deus Israel: Hydria farinæ non defi-
ciet, nec lecythus olei minuetur, usque ad diem, in qua Dominus daturus est pluviam
super faciem terræ. 15 Quæ abiit, & fecit juxta verbum Eliæ: & comedit ipse, & il-
la, & domus ejus; & ex illa die 16 Hydria farinæ non defecit, & lecythus olei non
est imminutus, juxta verbum Domini, quod locutus fuerat in manu Eliæ. 17 Factum
est autem post hæc, ægrotavit filius mulieris matrisfamilias, & erat languor fortissimus,
ita ut non remaneret in eo halitus. 18 Dixit ergo ad Eliam: Quid mihi, & tibi vir
Dei? ingressus es ad me, ut rememorarentur iniquitates meæ, & interficeres filium me-
um? 19 Et ait ad eam Elias: Da mihi filium tuum. Tulitque eum de sinu ejus, &
portavit in cœnaculum, ubi ipse manebat, & posuit super lectulum suum. 20 Et cla-
mavit ad Dominum, & dixit: Domine Deus meus, etiam ne viduam, apud quam ego
utcumque sustentor, afflixisti, ut interficeres filium ejus? 21 Et expandit se, atque
mensus est super puerum tribus vicibus, & clamavit ad Dominum, & ait: Domine De-
us meus, revertatur, obsecro, anima pueri hujus in viscera ejus. 22 Et exaudivit Do-
minus vocem Eliæ, & reversa est anima pueri intra eum, & revixit. 23 Tulitque Elias
puerum, & deposuit eum de cœnaculo in inferiorem domum, & tradidit matri suæ, &
ait illi: En vivit filius tuus. 24 Dixitque mulier ad Eliam: Nunc in isto cognovi,
quoniam vir Dei es tu, & verbum Domini in ore tuo verum est.

℣.1. ET DIXIT ELIAS THESSITES . . . , AD ACHAB.] Thesbis urbs est trans Jordanem in tribu Gad, & regione Galaad. Ex hac urbe Elias egressus venit in Regnum Israel, quo missus fuerat; non enim videmus, ipsum diu in Regno Juda fuisse. Ipse vero ex iis erat, qui inter corruptionem, ac schisma decem tribuum castissime, ac integerrime Domini cultum tuebantur. Quibusnam genitoribus editus fuerit, quo pacto institutus, & qua ratione ad prophetiam fuerit evocatus, non satis liquet: immo nec liquet, ex qua tribu vere fuisset, atque inter apocryphas historias est referendum quidquid de miraculuis ipsius nativitate, de patris illius *Sabaca* nomine, deque Sacerdotali ex Aaronis progenie dignitate venditatur [1]. Veteres quidam [2] Eliæ nomen ex Græco *Helios* deducunt, quod Solem significat; at etymologia non est vera. *Elias*, vel Eliab, Hebraice *Deum fortem* significat, vel *Dominum Deum*. Patres [3] passim in hoc conveniunt, quod Elias perpetuam virginitatem servarit. Creditur autem Propheta hic Caput fuisse, ac princeps Prophetarum Magister, qui plurimi tunc temporis erant in regno Israel [4]. At haud constare videtur ipsum, certam, statamque habuisse ea in regione mansionem. Elias vir erat magno, ac sublimi ingenio donatus; fortis, generosus, ardenti, vivoque zelo succensus; acerrimus Legum divinarum defensor, & honoris Domini sui intrepidus ultor. Hebræi nulla ratione ducti putant, hunc Phineem fuisse Aaronis filium, qui cum diutius delituisset, tandem sub Eliæ nomine prodierat.

VIVIT DOMINUS, IN CUJUS CONSPECTU STO.] Scriptura non memorat, qua in occasione isthæc Elias dixerit Achab; sed incepti jam sermonis hic decursus esse videtur. Non unus his verbis sensus tribui potest: *Vivit Dominus, in cujus conspectu sto*. 1. perinde ac esse juramenti genus: Deum testem in-
A voco, Deum illum, qui omnibus rebus præsens adest; in sensu eodem, quo S. Paulus ad Galat. 1. 20. dicebat: *Ecce coram Deo, quia non mentior*. 2. Vivit Dominus, cujus minister sum, in cujus conspectu sto, ut illius mandatis defungar. *In illius conspectu stare* [5] significat illi præsto esse, illi famulari. 3. Vivit Dominus, in cujus conspectu stare consuevi preces meas effusurus [6].

SI ERIT ANNIS HIS ROS, & PLUVIA, NISI JUXTA ORIS MEI VERBA.] Miram Prophetæ auctoritatem! Conferat modo, qui mavult, quod maxime prodigiosum Ethnicorum est commenta religio, cum hac prophetica auctoritate. Elias clausum tenet tribus annis, ac dimidiato cœlum; illudque absolute adeo, & potestate adeo plena, ut Regi edicat, injussu suo
B nec pluviam, nec rorem esse lapsurum: *Verbo Domini continuit cœlum* Eccli. 48. 3. Facile arguere poterat Achab siccitatem hanc esse non posse naturalem causarum secundarum effectum; quandoquidem Elias dicebat illi, sibi a Deo collatam fuisse, seu coercendæ, seu effundendæ pluviæ potestatem. Superius jam retulimus, Menandrum Historicum loqui de ariditate, qua ea regio vastata fuit, Ethbaal Tyri imperante: at hic uno tantum anno sæviisse refert, additque magnum auditum fuisse tonitruum fragorem, & plurima de cœlo demissa fulmina fuisse, postquam Ithoballus solemnes supplicationes indixit.

℣. 3. ABSCONDERE IN TORRENTE CARITH.] Hoc est in ripa torrentis. Ad litteram [7] *in torrente*, vel valle *Carith*. Torrens, & vallis *Carith* erant ad Jor-
C danis occasum, & Samariæ orientem.

℣. 4. CORVIS PRÆCEPI, UT PASCANT TE IBI.] Quidam Hebraicam vocem [8] *Orebim* Arabes vertunt: *Præcepi Arabibus, ut pascant te ibi*. Ipse quoque Vulgatæ Auctor eamdem Authographi vocem Arabes reddidit [9]. Alii hoc de *Mercatoribus* explicant; alii de incolis civitatis Arabo, prope Bethsan [10], quæ non longe

1 Vide, si lubet, Metaphrast. apud Suri. Pseudo-Doroth. in Synops. Joan. Hierusol. c. 3. t. 9. Bibl. P.P. Isidor. de vita, & morte Sanctor. Epiphan. de vita & interitu Sanctor. & Sanct. hic. 2 Chrysost. hom. 3. de Elia, Sedulius, Beda, Angelom. 3 Ambros. l. 1. de Virgin. Hieron. l. 1. advers. Jovin. & ad Eustoch. de custodia Virgin. & S. Ephrem lib. 1. Pæren, 1. &c. 4 Vide 3. Reg. 18. 13. & 19. 10. 5 Num. 3. 6. Deut. 17. 2. & 18. 5. &c.

6 Ita Vat. Jun. Pisc. Menoch. Vide, si lubet, Jacob. 5. 17. *Elias oratione oravit, ut non plueret super terram, & non pluit per annos tres, & menses sex*. Vide & Luc. 4. 25.

7 בנחל כרית 70. ἐν τῷ χειμάῤῥῳ χοῤῥάθ. Joseph. τοῦ χειμάῤῥου. 8 ואת העורבים צויתי לכלכלך שם

9 Vide 2. Par. 21. 16. & 2. Esdr. 4. 7. 10 Bereschit Rabba c. 33. Vide, si placet, Euseb. in locis in Arara.

suam suscitare voluit 4. Reg. 14. 34. & S. Paulum, qui ab inferis revocavit adolescentem quemdam Eutychium nomine, qui de sublimi cubiculo lapsus interierat Act. 20. 10. Sanctus Gregorius Dialog. l. 2. c. 32. hoc ipsum narrat de S. Benedicto, qui defuncto puero vitam restituit. Videntur autem hi sancti viri hoc pacto disponere voluisse eorum corpora ad vitam recipiendam, quam Deus illis redditurus erat, communicando eorum corpori, & sanguini calorem, & motum, ut extrinsecus quodammodo miraculosæ actioni Dei cooperarentur [1]. Scriptura hanc videtur rationem innuere, cum ait propter Elisæi conatus, A quos ediderat se se coarctans super Sunamitidis filium, pueri corpus calefactum fuisse: *Et calefacta est caro pueri*. At actionis hujus mysterium longe sublimius est; quandoquidem nobis exhibet Jesum Christum, Divinum illum Salvatorem, qui ut nobis vitam tribueret, semet exinanivit, & quodammodo coarctavit, nostram naturam, nostrasque assumens infirmitates. Hoc præcipue in actione adeo singulari admirati sunt Patres, atque fatendum est, paucas esse figuras, & typos in veteri testamento, quibus explicite magis Verbi cum humana natura conjunctio queat explicari.

1 Vide Cornel. hic, Tostat. Tirin. Sanct.

CAPUT XVIII.

Elias occurrit Abdiæ, Præfecto Achab, præcipitque illi, ut Regi Prophetæ adventum annuntiet. Elias Achabum suæ impietatis redarguit. Generalis Populi cœtus in monte Carmelo. Elias elicit ignem de cœlo super sacrificium suum, & enecat Pseudo-Prophetas Baal. Pluviam Propheta impetrat. Achab rediit in Jezrael.

1. POst dies multos factum est verbum Domini ad Eliam in anno tertio, dicens: Anno M.
Vade, & ostende te Achab, ut dem pluviam super faciem terræ. 2 Ivit 3096.
ergo Elias, ut ostenderet se Achab: erat autem fames vehemens in Samaria. Ante J.C. 904.
ria. 3 Vocavitque Achab Abdiam dispensatorem domus suæ: Abdias autem timebat Dominum valde. 4 Nam cum interficeret Jezabel prophetas Domini, tulit ille
centum prophetas, & abscondit eos quinquagenos, & quinquagenos in speluncis,
& pavit eos pane, & aqua. 5 Dixit ergo Achab ad Abdiam: Vade in terram ad
universos fontes aquarum, & in cunctas valles, si forte possimus invenire herbam,
& salvare equos, & mulos, & non penitus jumenta intereant. 6 Diviseruntque sibi
regiones, ut circuirent eas: Achab ibat per viam unam, & Abdias per viam alteram seorsum.
ram seorsum. 7 Cumque esset Abdias in via, Elias occurrit ei: qui cum cognovisset eum, cecidit super faciem suam, & ait: Num tu es, domine mi Elias? 8
Cui ille respondit: Ego. Vade, & dic domino tuo: Adest Elias. 9 Et ille, Quid
peccavi, inquit, quoniam tradis me servum tuum in manu Achab, ut interficiat
me? 10 Vivit Dominus Deus tuus, quia non est gens, aut regnum, quò non miserit dominus meus te requirens: & respondentibus cunctis: Non est hic: adjuravit
regna singula, & gentes, eo quod minime repertus. 11 Et nunc tu dicis mihi: Vade, & dic domino tuo: Adest Elias. 12 Cumque recessero a te, Spiritus Domini asportabit te in locum, quem ego ignoro: & ingressus nuntiabo Achab, & non
inveniens te, interficiet me: servus autem tuus timet Dominum ab infantia sua. 13
Numquid non indicatum est tibi domino meo, quid fecerim, cum interficeret Jezabel
prophetas Domini, quod absconderim de prophetis Domini centum viros, quinquagenos, & quinquagenos in speluncis, & paverim eos pane, & aqua? 14 Et nunc
tu dicis: Vade, & dic domino tuo: Adest Elias: ut interficiat me? 15 Et dixit
Elias: Vivit Dominus exercituum, ante cujus vultum sto, quia hodie apparebo ei.
16 Abiit ergo Abdias in occursum Achab, & indicavit ei: venitque Achab in occursum Eliæ. 17 Et cum vidisset eum, ait: Tune es ille, qui conturbas Israel? 18
Et ille ait: Non ego turbavi Israel, sed tu, & domus patris tui, qui dereliquistis
mandata Domini, & secuti estis Baalim. 19 Verumtamen nunc mitte, & congrega
ad me universum Israel in monte Carmeli, & prophetas Baal quadringentos quinquaginta, prophetasque lucorum quadringentos, qui comedunt de mensa Jezabel. 20 Misit Achab ad omnes filios Israel, & congregavit prophetas in monte Carmeli. 21
Accedens autem Elias ad omnem populum, ait: Usquequo claudicatis in duas partes? si Dominus est Deus, sequimini eum: si autem Baal, sequimini illum. Et non
respondit ei populus verbum. 22 Et ait rursus Elias ad populum: Ego remansi
pro-

propheta Domini solus: prophetæ autem Baal quadringenti, & quinquaginta viri
sunt. 23 Dentur nobis duo boves, & illi eligant sibi bovem unum, & in frusta cæ-
dentes, ponant super ligna, ignem autem non supponant: & ego faciam bovem alte-
rum, & imponam super ligna, ignem autem non supponam: 24 Invocate nomina
deorum vestrorum, & ego invocabo nomen Domini mei: & Deus qui exaudie-
rit per ignem, ipse sit Deus. Respondens omnis populus ait: Optima proposi-
tio. 25 Dixit ergo Elias prophetis Baal: Eligite vobis bovem unum, & faci-
te primi, quia vos plures estis: & invocate nomina deorum vestrorum, ignem-
que non supponatis. 26 Qui cum tulissent bovem, quem dederat eis, fece-
runt: & invocabant nomen Baal de mane usque ad meridiem, dicentes: Baal,
exaudi nos. Et non erat vox, nec qui responderet: transiliebantque altare,
quod fecerant. 27 Cumque esset jam meridies, illudebat illis Elias, dicens: Cla-
mate voce majore: Deus enim est, & forsitan loquitur, aut in diversorio est, aut
in itinere, aut certe dormit, ut excitetur. 28 Clamabant ergo voce magna, & in-
cidebant se juxta ritum suum cultris, & lanceolis, donec perfunderentur sanguine.
29 Postquam autem transiit meridies, & illis prophetantibus venerat tempus, quo
sacrificium offerri solet, nec audiebatur vox, nec aliquis respondebat, nec attende-
bat orantes; 30 Dixit Elias omni populo: Venite ad me. Et accedente ad se po-
pulo, curavit altare Domini, quod destructum fuerat: 31 Et tulit duodecim lapi-
des juxta numerum tribuum filiorum Jacob, ad quem factus est sermo Domini, di-
cens: Israel erit nomen tuum. 32 Et ædificavit de lapidibus altare in nomine Do-
mini: fecitque aquæductum, quasi per duas aratiunculas, in circuitu altaris, 33
Et composuit ligna: divisitque per membra bovem, & posuit super ligna, 34 Et
ait: Implete quatuor hydrias aqua, & fundite super holocaustum, & super ligna.
Rursumque dixit: Etiam secundo hoc facite. Qui cum fecissent secundo, ait: Etiam
tertio idipsum facite. Feceruntque tertio; 35 Et currebant aquæ circum altare,
& fossa aquæductus repleta est. 36 Cumque jam tempus esset, ut offerretur holo-
caustum, accedens Elias propheta, ait: Domine Deus Abraham, & Isaac, & Is-
rael, ostende hodie, quia tu es Deus Israel, & ego servus tuus, & juxta præce-
ptum tuum feci omnia verba hæc. 37 Exaudi me Domine, exaudi me: ut discat
populus iste, quia tu es Dominus Deus, & tu convertisti cor eorum iterum. 38
Cecidit autem ignis Domini, & voravit holocaustum, & ligna, & lapides, pulve-
rem quoque, & aquam, quæ erat in aquæductu lambens. 39 Quod cum vidisset
omnis populus, cecidit in faciem suam, & ait: Dominus ipse est Deus. 40 Di-
xitque Elias ad eos: Apprehendite prophetas Baal, & ne unus quidem effugiat ex
eis. Quos cum apprehendissent, duxit eos Elias ad torrentem Cison, & interfecit
eos ibi. 41 Et ait Elias ad Achab: Ascende, comede, & bibe: quia sonus mul-
tæ pluviæ est. 42 Ascendit Achab, ut comederet, & biberet: Elias autem ascen-
dit in verticem Carmeli, & pronus in terram posuit faciem suam inter genua sua,
43 Et dixit ad puerum suum: Ascende, & prospice contra mare. Qui cum ascen-
disset, & contemplatus esset, ait: Non est quidquam. Et rursum ait illi: Reverte-
re septem vicibus. 44 In septima autem vice, Ecce nubecula parva quasi vestigium
hominis ascendebat de mari. Qui ait: Ascende, & dic Achab. Junge currum tuum,
& descende, ne occupet te pluvia. 45 Cum se verteret huc, atque illuc, ecce
cœli contenebrati sunt, & nubes, & ventus, & facta est pluvia grandis. Ascendens
itaque Achab abiit in Jezrahel: 46 Et manus Domini facta est super Eliam, accin-
ctisque lumbis currebat ante Achab, donec veniret in Jezrahel.

℣. 1. POST DIES MULTOS FACTUM EST VERBUM DOMINI AD ELIAM, IN ANNO TERTIO.] Tertio scilicet anno, postquam a torrente Carith recesserat, atque se receperat apud viduam in Sarepta. S. Lucas 4. 25. & S. Jacobus 5. 17. qui ajunt siccitatem tribus annis cum dimidio sævisse, supponere videntur, Eliam sex mensibus prope torrentem Carith, & triennio in Sarepta constitisse. Eliæ recessus in hanc civitatem unica est epocha in hujus Prophetæ historia, ad quam tertius hic annus naturaliter possit referri.

A

℣. 2. ERAT FAMES VEHEMENS IN SAMARIA.] In Metropoli civitate, ac in regno universo. *Samaria* plerumque sumitur pro tota ea regione, quæ Regibus Israel parebat. Omnis adest veritatis species, siccitatem, & annonæ caritatem in ditione Achab, vel ad summum in finitimis etiam locis fuisse grassatam. Fruges e finitimis regionibus comparabantur, ac paullo infra sollicitum magis intuemur Achab ad quærendam pro gregibus suis pastionem, & fœnum, potius quam subditis suis triticum; eo quod ii plane aliunde poterant sibi segetes comparare. Alioquin

Regnum

Regnum Israel potuissetne sine messe ultra triennium subsistere?

℣. 3. Abdias timebat Dominum valde.] Nonnulli [1] putant hunc Abdiam esse eumdem, cujus scripta habemus inter duodecim minores Prophetas. Volunt [2] hunc fuisse virum mulieris Sunamitidis, ubi Propheta Elisæus diversabatur; unum ex Eliæ discipulis, & tertium illum Centurionem, qui ab Ochozia missus fuit, ut Eliam caperet [3], & cui Propheta ille pepercit, qui ignem de cœlo descendere jusserat contra illos, qui ad eum prius missi fuerant. At hæc omnia apocrypha sunt. Abdias satis se prodit, cum narrat Eliæ, quo pacto ipse exciperet Prophetas, quos Jezabel persequebatur, 3. Reg. 18. 13.

℣. 4. Pavit eos pane, & aqua;] hoc est omni escarum genere. Dedit illis esculenta, & poculenta. Vel Textus verba pressius sumendo: illis panem tantummodo, & aquam dedit, quibus vescerentur; summa enim erat tunc rerum omnium caritas [4]. Cum similes ingruunt occasiones, licet temporalibus potestatibus refragari: Deo enim potius obtemperandum est, quam hominibus.

℣. 10. Adjuravit regna singula, & gentes, eo quod minime reperireris.] Achab quæsivit Eliam ubique, etiam in finitimis regionibus ditionis suæ, ut ei terrarum ubertatem redderet pluviam a Deo impetrando, vel et illum occideret, si minus res e voto contigisset. Oportet Eliam occultissime apud Viduam in Sarepta vixisse, nam, licet diligentissime ab Achab perquireretur, in loco Samariæ adeo proximo, reperiri non potuit.

℣. 12. Cum recessero a te, Spiritus Domini asportabit te in locum, quem ego ignoro.] Abdias plane credebat, Eliam translatum fuisse in remotissimam quamdam, ignotamque regionem per trium annorum, ac dimidii spatium, quo in Israel visus non fuerat. Timebat enim, ut, cum ipse Achabo Eliæ nuntiasset adventum, Propheta iterum Domini spiritu asportaretur; qui eum non inveniretur amplius, cum illum Rex videre voluisset, ipse velut nebulo, ac fraudator, vel Eliæ secessus particeps haberetur. Hæc verba: *Spiritus Domini asportabit te*, possunt innuere simpliciter: Dominus imperabit tibi, ut alio secedas; eo modo quo in Evangelio Jesus a Dei Spiritu in desertum ductus vel expulsus fuisse dicitur [5]. Vel: repente ventorum vi, vel turbinis impetu abripieris, qui asportabit te in locum, quem ignoro. Hoc pacto Prophetarum filii, vel Discipuli crediderunt Eliam, post raptum illius, asportatum fuisse [6]: *Ne forte tulerit eum spiritus Domini, & projecerit in unum montium aut in unam vallium*: eodemque penitus, S. Philippus Diaconus e Spiritu Sancto abreptus fuit, atque ab oculis Eunuchi Reginæ Candacis evanuit: *Spiritus Domini rapuit Philippum, & amplius non vidit eum Eunuchus*. Actor. 8. 39.

℣. 13. Cum interficeret Jezabel Prophetas Domini.] Hoc plane contigit eo tempore, quo Elias aberat, & primis siccitatis annis; impia Jezabel omnes Prophetas Domini quærebat, ut eos interficeret. De ingenti illorum numero judicari potest ex numero eorum, quot Abdias solus servavit. Hi prophetæ vitæ genus profitebantur a reliquo populo distinctum, & quorum præcipua ratio vivendi labor erat, studium, & Domino servire, & laudes canere. Ipsi quidem non omnes fortasse cælesti numine erant afflati; verum illis Prophetæ exploratæ virtutis præerant, ac supernaturali lumine perciti. Hoc erat veluti terræ sal, ac regionis illius lumen; illi Domini religionem asserebant, legumque ipsius auctoritatem probabant contra Principis, ac populorum nequitiam,

A & impietatem. Jezabel ut penitus veram Religionem in Israel extingueret, nihil intentatum reliquit, ac Prophetas omnes delere adnisa est, qui illius validiores erant veluti columnæ, ac firmiora præsidia.

℣. 17. Tu ne es ille, qui conturbas Israel?] Ita sane impii publicæ pacis eos perturbatores appellant, qui eorum impietatem respuunt imitari. Plurimæ sunt occasiones, in quibus bellum, & turbæ quieti, ac tranquillitati sunt præferendæ. Achab Eliam commendat, dicens, ipsum conturbare Israel. Eos igitur deterrere debebat in ipsorum idololatria, ac Dei oblivione, qui inclamaret, eos ad pœnitentiam revocaret, ac salutari ratione conturberet, minitatus se effecturum, ut illi vim manus Domini sævientis

B experirentur? Ita quoque Jesu Christi ævo Judæi perperam Divinum hunc Redemptorem insimulabant, quod in populo turbas cieret, ac sereret seditiones [7], eo pacto quo istbic Elias ab Achabo incusatur.

℣. 19. Prophetas Baal . . . . Prophetasque lucorum.] Hi Prophetæ præstigiatores erant, ac seductores, qui se Divino afflatos spiritu jactitabant, licet malo spiritu dumtaxat essent repleti. Extrinsecos quidem rationes, & vitam verorum Prophetarum imitabantur, at intrinsecus Idolorum cultui erant devoti. Scriptura hic duplex horum fuisse genus inquit: alii quidem Prophetæ Baal vocantur, iique erant quadringenti, & quinquaginta, qui soli adfuerunt cum Achab in Carmelo [8], & forte Regis erant Prophetæ: alii vero erant *Prophetæ lucorum*, vel Prophetæ Deæ nemorum [9], *Astartis*, & præci-

C pue Jezabel Reginæ inserviebant. Hæc eos de mensa sua pascebat; Prophetæ erant, & quadringentorum numerum explebant. Cœtus habitus est in monte Carmelo satis celebri apud Profanos etiam Auctores, propter Apollinis cultum, qui idem est ac Baal, vel Sol, qui diutius ibi fuit adoratus [10]. Aderat tunc ibi Ara fallaci huic numini sacra, & alterius aræ rudera, quæ olim vero Deo fuerat dedicata. Vide infra ℣. 30.

℣. 21. Usquequo claudicatis in duas partes.] Usquequo fluitantes eritis, incerti, inconstantes in Religione vestra, modo Deo servientes, modo Baal; modo in cœlum manus tollentes ad Dominum Deum Patrum vestrorum, modo ante aurei vituli idolum prostrati? Cum de Religione agitur,

D duabus sedere sellis nemo potest. Nemo potest duobus dominis servire. Fides, ac fidelitas, quas Deus poscit, integerrimæ esse debent sine ulla mixtione, sine ulla divisione. Hebraicus textus verti potest [11]: *usquequo transilietis*, vel salietis, *super duobus ramis*, vel collibus? usquequo avium levitatem, & inconstantiam imitabimini, quæ per ramos volitant, quin umquam consistant. Septuaginta [12]: *usquequo claudicabitis utraque suffragine*.

℣. 22. Ego remansi Propheta Domini solus; Prophetæ autem Baal quadringenti, & quinquaginta viri sunt.] Ego solum ex Domini Prophetis apparere possum; alii omnes, vel morte mulctati sunt, vel fuga palati. Non ignorabat quidem, Abdiam solum in specubus servasse centum usque

E Prophetas; sed de iis loquitur, qui prodibant in publicum, ut Domini causam tuerentur. Pseudo-Prophetæ, quemadmodum vidimus ℣. 19. octingenti erant, & quinquaginta; at quadringenti Prophetæ Reginæ in Carmeli cœtu minime interfuerunt 3. Reg. 22. 6.

℣. 24. Qui exaudierit per ignem ipse sit Deus.] Nequaquam est tentare Deum, ob eo miracula flagitare, atque signa extraordinaria, cum Religio in ancipiti versatur, cum malum universale esse, atque ecclesiæ vulnere curari nequaquam posse viden-

1 Ita Hebræi plerique, Syr. Vide Hieron. in Abdiam &c. 2 Pseudo-Epiphan. & Pseudo-Doroth. Joan. Hierosol. 3 4. Reg. 1. 14. 15. 4 Ita Joseph. Antiqu. l. 8. c. 7. 5 Matth. 4. 1. *Tunc Jesus ductus est in desertum*. Marc. 1. 12. *Statim spiritus expulit eum in desertum*. Vide Joseph. & Grot. hic. 6 4. Reg. 2. 16. 7 Luc. 23. 5. *Commovet populum &c.* 8 Vide infra ℣. 22. 9 Hebr. נביאי האשרה 10 Vide quæ diximus in Josue 19. 26. 11 עד מתי אתם פסחים על שתי הסעפים 12 Ἕως πότε χωλανεῖτε ἐπ' ἀμφοτέραις ταῖς ἰγνύαις.

videretur. Deus jam signum hoc ignis divinitus demissi concesserat, qui aliquot in casibus peculiaribus holocausta combusserat; exempli gratia cum fœdus iniit cum Abraham Gen. 15. 17. cum Moyses Tabernaculum consecravit Levit. 9. 24. & cum Salomon templum dedicavit. 2. Par. 7. 1.

℣. 26. TRANSILIEBANT ALTARE QUOD FECERANT.] Veluti dementes, & homines furore correpti super Altare, ac victimam insiliebant, ut ignem de cœlo deducerent. Nihil huic cæremoniæ simile apud Profanos invenimus: verum scimus [1] ipsos aliquando choreas agere consuevisse circum Altaria sua, quo in sensu Interpretes Hebraicum textum explicant [2]; *Saltabant prope altare*, vel circum Altare claudicabant, humili modo in claudicantium morem ambulabant, ut Deum suum flecterent ad misericordiam. Chaldæus: insaniebant: se mente captos circum Altare simulabant. Nonnulli [3] aliter explicant; Prophetæ Baal *transiliebant altare, quod fecerat* Elias; illudebant illi, super ipsius altare salientes. At hæc versio, quæ litteralis videtur juxta Hebraicum textum, adversatur ℣. 30. ubi videmus Eliam, tunc Altare suum ædificasse, cum Pseudo-Prophetæ omnes cæremonias suas absolvissent. Textus igitur hoc pacto vertendus est: *transiliebant altare, quod factum fuerat*, vel quod Achab [4] *fecerat*. De calamitosis hisce Prophetis dici potest, quod vetus olim poeta in pari casu canebat [5]:

. . . . Gnatia lymphis
Iratis exstructa dedit risusque, jocosque,
Dum flamma sine thura liquescere limine sacro
Persuadere cupit: credat Judæus appella,
Non ego,

℣. 27. FORSITAN LOQUITUR.] Alios fortasse Prophetas audit; vel aliquid contemplatur [6]; aliquo negotio, & aliqua cura distinetur [7].

AUT IN DIVERSORIO EST.] Hebraicus textus aliter, atque aliter vertitur [8]. Septuaginta [9] *Fortasse oracula reddit*, vel responsa. Alii [10]; *aliquid persequitur*, aut venatur, aut hostes suos urget. Alii denique [11]: *Aliqua distinetur cura*, elatiori voce clamate.

℣. 28. INCIDEBANT SE, JUXTA RITUM SUUM, CULTRIS, & LANCEOLIS.] Immanis carnes sibi præcidendi ritus, & sanguinem suum ad Deos placandos effundendi! Attamen nihil apud veteres barbaro hoc ritu usitatius. Herodotus l. 7. c. 191. asserit Magos Persidis tempestatem sedasse sibi artus incidendo, atque incantationibus suis ventos mulsisse. In sacrificiis Bellonæ Sacerdotes humeros sibi, pectus, tergumque incidentes sanguinem suum effundebant [12].

Alia minus sævit lacerantque brachia cultris
Cum furit ad Phrygios Enthea turba modos.

Ipsa quoque Sacerdos Cybeles sibi cædebat carnes in Deæ illius solemnitatibus: Tibullus.

Ipsa bipenne suos cadit violenta lacertos,
Sanguineque effuso, spargit inepta Deam,
Atque latus præfixa veru, stat saucia pectus,
Et canit eventus, quos Dea magna movet,

Sacerdotibus etiam Deæ Syriæ hoc erat in more positum. Apulejus l. 8. eos nobis exhibet manu divellentes comas, dentibus brachia sua dilaniantes, ancipiti ferro membra sua cædentes, ac in se met loris sævientes: *Crines pendulos in circulum rotantes, & nonnumquam morsibus suos incursantes lacertos; ad postremum ancipiti ferro, quod gerebant, sua quisque brachia dissecat*. Clemens Alexandrinus Strom. l. 6. ait Magos cohibere procellas carminibus, & sacrificiis; quod si defuerint victimæ, sanguinem sibi ex digitis educunt, veluti expiationis victimam futurum. Recentiorum Viatorum commentaria testantur in Turcarum, Persarum, Indorumque terris, adhuc inveniri ex his mente captis plurimos, qui crudeliter sibi corpus dilaniant, & altius sibi carnes incidunt, rati, se hoc pacto rem suo Numini acceptam efficere.

℣. 29. ILLIS PROPHETANTIBUS,] scilicet clamantibus, Deumque suum elata voce invocantibus; dum in semet ferro sævirent, & veluti obsessi agitarentur, enthusiasmos, ac supernaturalem furorem simularent. Vel; dum cæremoniis suis vacarent, ac inanium Deorum laudes celebrarent; denique, dum eos invocarent, & obtestarentur. *Prophetare* hæc omnia significare potest.

℣. 30. CURAVIT ALTARE, QUOD DESTRUCTUM ERAT,] hoc est, instauravit. Auctor Vulgatæ in versione sua vim vocis Autographi, quæ *mederi, curare*, significat [13], servavit. Similis occurrit in 2. Esdræ 4. 7. locutio: *Quod obducta esset cicatrix muri Jerusalem*. Altare, de quo hic sermo, & quod destructum fuerat, ex iis facile est, quæ olim Domino fuerant erecta, Judicum tempore, vel dum primi Hebræorum Reges imperarent, cum id genus Aræ tolerabantur; quia nondum statutus erat locus, ubi Deus coleretur. Tacitus hist. l. 2. c. 78. & Svetonius in Vespas. de *Carmeli Deo* loquuntur, qui in cognomine monte Aram suam habebat, & quem Vespasianus consultum adiit, cum erat in Judæa. Sacerdos Basilides, qui aræ huic inserviebat, Imperatori pollicitus est omnia prospera, atque faustum rerum omnium, quas aggrederetur, eventum. Eo in monte nec templum aderat, nec simulacrum; Ara tantum cernebatur, omnino simplex, sed propter vetustatem venerabilis. *Est Judæam, Syriamque inter Carmelus. Ita vocant montemque, Deumque; nec simulacrum Deo, aut templum (sic tradidere Majores) ; Aram tantum, & reverentiam*. Nonnulli [14] volunt, Basilidem Carmeli Sacerdotem fuisse Judæum Altissimi antistitem: verum fidei propius est, Ethnicum Sacerdotem fuisse, ac eumdem, qui Vespasiano in Templo Serapidis in Ægypto, quamquam procul adeo abesset, apparuit. Ut ut sit, Altare Dei *Carmeli* originem suam debet Aræ veri Dei, quam prisci Hebræi ibi statuerant, quamque Elias instauravit. Summa reverentia, qua sacrum hoc Altare colebatur, ad Ethnicos quoque migravit, neque ibi ausi sunt ullum simulacrum statuere, postquam ea regione potiti sunt.

℣. 31. TULIT DUODECIM LAPIDES.] Quamvis in cœtu aderant subditi Achab dumtaxat, ideoque decem tantummodo tribus convenerant, tamen Elias duodecim sumit lapides, ut aram instauret, quemadmodum semper antehac simili in occasione fieri consueverat [15]; innuendi causa, sacrificium immolatum iri totius posteritatis Israel nomine, atque designandi quænam sensuum, ac Religionis conformitas inter tribus omnes debeat intercedere. Leges generales, & ordinariæ, quibus cavetur, ne Aræ extruantur, atque offerantur sacrificia, hac in occasione minime obligabant. Hoc enim agebatur, ut Israel universus ad Domini cultum revocaretur; & Propheta hac in re nequaquam privato consilio ducebatur.

℣. 32. FECIT AQUÆDUCTUM, QUASI PER DUAS ARATIUN-

---

1 Vide Epigram. Græc. apud Grot. & Virgil. Æneid. 4. *Pingues spatiatur ad aras*.
2 ויפסחו על המזבח אשר עשה 70. *Διέτρεχον ἐπὶ τοῦ θυσιαστηρίου οὗ ἐποίησε*.
3 Jun. Tremel. Glass. Pisc.
4 Vat. Grot. alii.
5 Horat. Serm. l. 1. Satyr. 5. Vide & Plin. l. 2. c. 107. *In Salentino oppido Egnatia imposito ligno, in saxum quoddam ibi sacrum, protinus flammam existere*.
6 כי שיח Ita Montan. Castal. *aliquid contemplatur*.
7 Syr. Arab. Vat.
8 וכי שיג לו
9 70. *μή ποτε χρηματίζει αὐτός*.
10 Pagn. Mont. Jun. Munst.
11 Syr. Arab. Mart. &c.
12 Plutarch. de Superstitione. Vide & Mart. Epigr. & Lactant. de falsa Relig. l. 1. c. 21. *Sectis namque humeris, & utraque manu districtos gladios exerentes currunt, efferantur, insaniunt*.
13 וירפא את מזבח ההרוס
14 Apollon. Collat. l. 2. *Maxarhiadem quemdam verum sibi vatem, & Carmeli oracula discere*.
15 Exod. 24. Josue 4.

RATIUNCULAS IN CIRCUITU ALTARIS.] Ex decursu paret, quodnam hac in re Prophetæ consilium esset. Ibi enim detinere volebat aquam, quæ super Altare erat effundenda, & quæ efficere debebat obicem vi naturali ignis, quem dimisit Deus, ut holocaustum absumeret. Populo, & Achab, ac Sacerdotibus persuadere, & luce clarius ostendere optabat, flammam, quæ vel de Altari egrederetur, vel dilaberetur de cœlo omnino miraculosam fore, & factum ipsius penitus supernaturale. Auctor quidam, Divi Chrysostomi nomine citatus [1] ait, se sub Ethnicorum Altaribus vidisse cavitates subterraneas cum foraminibus, quæ inferiori Altaris parti respondent. Sacerdotes in his subterraneis locis ignem accendunt, cujus flamma per Altaris foramina adlambens ligna, ea succendit, & victimas, ibi appositas, absumit. Hac igitur de causa, Auctor inquit, ut ostenderet Elias in ara sua nullum esse dolum, nullam fraudem, voluit aquam super infundi, & ligna quoque una cum victimæ adspergi; nec non circum altare rivulum effodit, ut ibi effusa aqua colligeretur. Hebraicus loci hujus versiculus hoc pacto redditur [2]; *Fecit sulcum, veluti mensuram quæ duo seah seminum caperet*, vel granorum; videlicet undeviginti pintas, ac dimidium, & semisextarium grani.

℣. 37. TU CONVERTISTI COR EORUM ITERUM.] Hebraicus textus diversimode vertitur [3]: *Tu convertisti tandem cor suum*. Ad litteram: *retro duxisti illud*; reduxisti illud ab Idolorum cultu, cui deditus erat. At mallem reddere: *Tu convertes tandem cor eorum*. Spero fore ut tandem eos a suis erroribus revoces.

℣. 38. AQUAM, QUÆ ERAT IN AQUÆ DUCTU LAMBENS.] Ignis absumpsit aquam, quæ erat in aquæ ductu. Ad litteram [4]; *Flamma lambebat aquam hanc* perinde ac esset pinguis substantia, oleaginosa, combustibilis, velut oleum, naphta, ac stillatitius vini latex. Latinis quoque solemnis est hæc loquendi ratio, flammas lambere corpus, cui adhæret. Virgilius de igne fatuo loquens, qui Ascanii circum caput volitare visus est, ait l. 2.

. . . . . . *tactuque innoxia molli*

Lambere flamma comas, & circum tempora pasci.

Julianus Imperator licet infestissimus Christianæ Religionis hostis, hoc ignis portentum agnovit, quem de cœlo Eliæ preces elicuerant. *Visum fuit*, inquit ille, *prodigium hoc jam pridem Moysis tempore, ac multo post ævo Eliæ Thesbitis*.

℣. 41. ASCENDE COMEDE, & BIBE, QUIA SONUS MULTÆ PLUVIÆ EST.] Postquam sacrificium perfectum fuit, totus populus Eliæ verbis confirmatus cæpit quadringentos Pseudo Prophetas Baal, deduxitque eos ad radices montis Carmeli ad torrentem Cison, qui ibi in Mediterraneum defluit. Tunc Elias zelo correptus irruit super eos, & eorum partem propria manu interfecit; alios vero Eliæ, vel potius Dei jussu, cujus Propheta ille erat dumtaxat veluti organum, populus interemit. Post hanc cædem Elias Regi dixit, ut iterum Carmelum ascenderet; audire enim sibi videbatur in spiritu sonitum pluviæ vehementis. Ascendit Rex, illumque Elias est secutus, & dum Rex comederet, Elias precibus effundendis vacavit, subinde famulum suum super jugum eminens mittens, unde mare detegere posset, ut ipsum de iis, quæ videret, faceret certiorem. Septima vice tandem famulus ad Eliam nuntiavit se nubem veluti vestigium humani pedis latam vidisse; quo audito Propheta admonuit per puerum suum Achab, tempus discedendi esse, & equos currui jungendos. Dum itur, reditque, ut omnia ad iter peragendum præparentur, cœlum densis repente nubium tenebris obductum est, ita ut Achabo tempus satis non fuerit, quo se in Jezrahel reciperet, quæ duodecim, vel quindecim leucis aberat a Carmelo.

℣. 42. PRONUS IN TERRAM, POSUIT FACIEM SUAM INTER GENUA SUA.] Nunnulli putant, ipsum primum faciem suam humi abjecisse, mox vero sedentem, facie inter genua posita, orasse; vel in genua corruisse, caputque super genua terram versus inclinasse, quod mihi probabilius videtur.

℣. 44. QUASI VESTIGIUM HOMINIS.] Hebraice [5]: *veluti palmam manus hominis* [6]: Nubecula hæc ex parte Mediterranei maris, quod est Palæstinæ occiduum, consurgebat. Inde vero plerumque pluviæ eam in regionem ferebantur: *cum videritis nubem orientem ab occasu, statim dicitis, nimbus venit, & ita fit*; dicebat Judæis J. C. Luc. 12. 54. *Qui vocat aquas maris, & effundit eas super faciem terræ, Dominus nomen est ejus*, inquit Amos 5. 8. & 9. 6.

℣. 45. CUMQUE SE VERTERET HUC, ATQUE ILLUC.] Cum hac, illac discurrerent, atque festinarent equos Regis currui subdere. Hebraice [7]: *Cumque esset ita, atque ita; vel dum illic, atque illic* cunctentur. Atque ut verbo me expediam, inter hos motus, dum abeunt, redeuntque, nubes in aere videntur coalescere.

℣. 46. CURREBAT ANTE ACHAB;] vi scilicet Spiritus Sancti, qua abreptus erat, equos ipsos, & currum Principis prævertebat. Ad hanc quoque diem homines in Oriente quidam esse dicuntur, qui veteres, verosque Prophetas imitaturi incredibili ferme pernicitate currunt, & violentos, magnosque motus edunt ante Regum currus, quos comitantur. Jezrahel erat veluti deliciarum domus Achab. Ibi quidem ædes habebat [8]; sed plerumque Samariæ morabatur [9]. Elias una cum Rege venit in Jezrahel; cumque plane Samariam usque deduxit, quo postridie ejus diei reversus est; ubi Jezabel ea illi minitatur, quæ sequenti capite legimus.

1 Chrysost. apud Metaph. & Surium tom. 4. mense Augusti Vide Sanct. hic.
2 ויעש תעלה כבית סאתים זרע
3 ואתה הסבת את לבם אחרנית
4 את המים אשר בתעלה לחכה
5 ככף איש עלה מים Vulg. 70. [illegible]
6 Ita Chald. Vat. Jux. Malv. &c.
7 ויהי עד כה ועד כה
8 Vide 3. Reg. 21. 1. & 4. Reg. 8. 29.
9 3. Reg. 21. 18.

CAPUT XIX.

Elias propter timorem Jezabel fugit ad montem Horeb. Deus se illi prodit, eumque mittit, ut regia unctione inauguret Hazael, & Jehu; præcipitque illi, ut Elisæum sibi successorem Prophetam inungat. Elisæus cum unctione spiritum etiam Prophetiæ recipit, ac deinceps comes Eliæ semper adhæret.

1. NUntiavit autem Achab Jezabel omnia quæ fecerat Elias, & quomodo occidisset universos Prophetas gladio, 2 Misitque Jezabel nuntium ad Eliam, dicens: Hæc mihi faciant Dii, & hæc addant, nisi hac hora cras posuero ani-

mam tuam, ficut animam unius ex illis. 3 Timuit ergo Elias, & furgens abiit quo-
cumque eum ferebat voluntas: venitque in Berfabee Juda, & dimifit ibi puerum fuum.
4 Et perrexit in defertum, viam unius diei. Cumque veniffet, & federet fubter unam
juniperum, petivit animæ fuæ ut moreretur, & ait: Sufficit mihi, Domine, tolle ani-
mam meam: neque enim melior fum, quam patres mei. 5 Projecitque fe, & obdor-
mivit in umbra juniperi: & ecce Angelus Domini tetigit eum, & dixit illi: Surge, &
comede. 6 Refpexit, & ecce ad caput fuum fubcinericius panis, & vas aquæ: come-
dit ergo, & bibit, & rurfum obdormivit. 7 Reverfufque eft Angelus Domini fecun-
do, & tetigit eum, dixitque illi: Surge, comede; grandis enim tibi reftat via. 8 Qui
cum furrexiffet, comedit & bibit, & ambulavit in fortitudine cibi illius, quadraginta
diebus, & quadraginta noctibus, ufque ad montem Dei Horeb. 9 Cumque veniffet
illuc, manfit in fpelunca: & ecce fermo Domini ad eum, dixitque illi: Quid hic agis,
Elia? 10 At ille refpondit: Zelo zelatus fum pro Domino Deo exercituum, quia de-
reliquerunt pactum tuum filii Ifrael: Altaria tua deftruxerunt, Prophetas tuos occide-
runt gladio; derelictus fum ego folus, & quærunt animam meam ut auferant eam. 11
Et ait ei: Egredere, & fta in monte coram Domino: & ecce Dominus tranfit, & fpiri-
tus grandis & fortis, fubvertens montes, & conterens petras ante Dominum: non in
fpiritu Dominus. Et poft fpiritum commotio, non in commotione Dominus. 12 Et
poft commotionem, ignis; non in igne Dominus. Et poft ignem fibilus auræ tenuis,
13 Quod cum audiffet Elias, operuit vultum fuum pallio, & egreffus ftetit in oftio
fpeluncæ, & ecce vox ad eum dicens: Quid hic agis, Elia? Et ille refpondit: 14
Zelo zelatus fum pro Domino Deo exercituum: quia dereliquerunt pactum tuum filii
Ifrael: altaria tua deftruxerunt, prophetas tuos occiderunt gladio, derelictus fum ego
folus, & quærunt animam meam, ut auferant eam. 15 Et ait Dominus ad eum: Va-
de, & revertere in viam tuam per defertum in Damafcum; cumque perveneris illuc,
unges Hazael regem fuper Syriam, 16 Et Jehu filium Namfi unges regem fuper If-
rael: Elifeum autem filium Saphat, qui eft de Abelmehula, unges prophetam pro te.
17 Et erit, quicumque fugerit gladium Hazael, occidet eum Jehu: & quicumque fu-
gerit gladium Jehu, interficiet eum Elifeus. 18 Et derelinquam mihi in Ifrael feptem
millia virorum, quorum genua non funt incurvata ante Baal, & omne os, quod non
adoravit eum ofculans manus. 19 Profectus ergo inde Elias, reperit Elifeum filium
Saphat, arantem in duodecim jugis boum: & ipfe in duodecim jugis boum arantibus
unus erat: cumque veniffet Elias ad eum, mifit pallium fuum fuper illum. 20 Qui fta-
tim relictis bobus cucurrit poft Eliam, & ait: Ofculer, oro, patrem meum, & matrem
meam, & fic fequar te. Dixitque ei: Vade, & revertere: quod enim meum erat, feci
tibi. 21 Reverfus autem ab eo, tulit par boum, & mactavit illud, & in aratro boum
coxit carnes, & dedit populo, & comederunt: confurgenfque abiit, & fecutus eft E-
liam, & miniftrabat ei.

℣. 3. TIMUIT ERGO ELIAS, ET SURGENS, ABIIT, QUOCUMQUE EUM FEREBAT VOLUNTAS.] Ecce Eliam longe a femet alium. Supra imperterritus, conftans, zelo, ac viribus plenus occurrit Achabo, qui eum ad fupplicium, veluti publicæ pacis perturbatorem quærebat; non multo poft mulieris minis perterritus fugam corripit, ac in fuga ipfa adeo incertus confilii, ut fluitans, atque inconftans modo huc, modo illuc pergat, ut Jezabel iram effugiat. Rei hujus caufæ quæruntur. Alii putant, non aliam inquirendam effe rationem, cum jam innotefcat, quodnam effet ingenium, ac ftudium Jezabel, in qua ea omnia graffabantur flagitia, quibus muliebris fexus effe poteft obnoxius, qui ferox eft, crudelis, vindictæ apprime appetens, & qui numquam parcit. *Non eft* B *ira fuper iram mulieris*, ait Ecclefiaftes 25. 23. Alii A autumant [1], in fecretum aliquod erratum prophetam offendiffe, propter quod illam amiferat vim, atque conftantiæ intrepiditatem, quam in reliquo vitæ illius curfu admiramur. Alii vero [2] arbitrantur, idque mihi magis arridet, voluiffe Deum humiliare Eliam, ac efficere, ut ille magis agnofceret, quam divino indigeret auxilio, atque fuperbiæ fenfus avertere, qui in animo ipfius germinare potuiffent, cum ea prodigia, quæ Deus illius opera patrabat, intueretur. Hebræi fortaffe ne ulla Eliæ infirmitatis foboriatur fufpicio, ex Hebraico textu legunt [3]: *Vidit, & furrexit, & ivit ad animam fuam*, vel ad defiderium fuum, pro *timuit, & furrexit*, ac abiit, quocumque eum fpiritus illius, non autem fpiritus Dei ferebat. Vel juxta alios [4] *abiit, ut fervaret animam fuam*, ut a Jezabel furore fe fe furriperet.

VE-

1 Author Orationis de Petro & Elia apud Sur. 4. Aug. & Anfelm. &c. Vide Sanct. & Toft. hic qu. 3.
2 Idem ibid. & Theodoret. qu. 57. & Raban.
3 וירא ויקם וילך אל נפשו
4 Jonat. Syr. Varab. Jun. & Tremel. Pifcat. Caftal.

Venit in Bersabee Juda.] Bersabee erat in meridionali Terræ sanctæ plaga, Ægyptum versus, & Arabiam Petræam. Hæc civitas primum quidem tribui Juda cessit [1], mox vero ad tribum Simeon migravit [2]. Isthic autem Bersabee Juda vocatur, quia tunc tribus hujus Reges eam possidebant. Bersabee quinquaginta circiter leucis aberat a Samaria, a Jezrael autem quinque, & quinquaginta.

℣. 4. Perrexit in desertum viam unius diei.] Processit in desertum Bersabee proximum, in Arabiam Petræam. Asseri minime fas est, quorsum ille perrexerit; ni supponere velis, id illi consilium fuisse, ut ad montem Horeb perveniret, quod ex decursu argui posse videtur.

Subter unam juniperum.] Alii hebraicam vocem reddunt [3] pro genista [4], alii pro terebintho [5]. Septuaginta hebraicum nomen retinuere *Ratem*, vel *Resem*. Aquila *juniperum* reddit; Symmachus *lectum*.

Petivit animæ suæ, ut moreretur.] Cur a Jezabel fugiebat, si mori desiderabat? Num hæc illi mens erat, ne feminæ dextera cæsus fuisse diceretur? Malorum adspectus, quæ viri justi patiebantur, iniquorum prosperitas, Religio in Israel ferme extincta, Achab, & Jezabel perfidia, quæ ad cumulum usque pervaserat, ærumnæ, ac labores fugæ, & itineris, eum adeo confecerant, ut vitam ipsam odisset; aliunde vero videns, sui ferme Deum esse oblitum, quin illi præciperet, quo sibi esset confugiendum, mortem ipsam optabat, veluti omnium laborum suorum dolori finem imposituram: *Melior est mors, quam vita amara* Eccli. 30. 17. Verum eam a Deo, non a Jezabel mortem sibi inferri desiderabat: alioquin hæc triumphi causa fuisset hostibus Religionis; cujus causa quodammodo ab Eliæ vita pendebat. Satis est Eliæ constantiam animadvertere, qua alloquitur Achab 3. Reg. 18. 18. ut judicemus, eum nequaquam expalluisse.

℣. 6. Subcinericius panis, et vas aquæ.] Hæc omnia miraculose allata fuerunt ab Angelo, dum Elias obdormiret. Hebraice habetur [6]: *Panis carbonum, & poculum aquæ*. Apud Arabes *Ridpha* appellatur, quod idem est ac hebraicum Razepha, placentæ genus in petra quadam ad id excavata excoctum, quæ prius igne calefit, & mox massa excoquenda adimpletur.

℣. 7. Grandis tibi restat via.] A junipero, ubi quieverat, usque ad montem Horeb quadraginta dies, & totidem noctes in itinere insumpsit. Verum dicendum est, vel subinde substitisse in via, vel non secutum esse viam breviorem; nam a Bersabee ad montem Horeb, vel Sinai quinquaginta dumtaxat intersunt leucæ, & jam diei unius iter in deserto processerat, postquam exierat de Bersabee. Hoc pacto verti potest [7]: *nam iter tibi nimis magnum est*. Iter hoc absolvere non poteris in sterili regione, & inculta, sine hoc cibo. In quadraginta dierum numero itineris Eliæ fortasse recensendum est tempus etiam, quo ille in Horeb permansit, ita ut jejunium illius Moysis jejunio fuerit æquale. Nonnulli asserunt, ipsum non solum quadraginta diebus itineris jejunium incessisse; verum etiam satis diu in Horeb fuisse immoratum contendunt, quin umquam vesceretur [8]. At ego minime velim, miracula multiplicare sine necessitate.

℣. 9. Ecce sermo Domini ad eum, dixitque illi: Quid hic agis Elia?] Creditur Angelus Domini ad eum locutus fuisse, qui in specum montis Horeb recesserat, eamdem fortasse, ubi & Moyses ipse fuerat, & ubi gloriam Domini viderat Exod. 33. 22. *Quid hic agis Elia?* Hebraice [9]: *Quid tibi hic est Elia?* Quis te huc duxit? perinde ac illi fugam, ac pavorem exprobraret [10]. Tertullianus adv. Psych. c. 6. hoc explicat veluti interrogationem amicitiæ plenam, & benevolentiæ. *Quam familiari congressu Dei exceptus est? Quid tu Elia hic?*

℣. 10. Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum.] Ferre non potui, videns per fœderis tui contemptum tuas Leges pedibus proteri, ac populum tuum palam in omnia scelera præcipitem ruere. Zelus meus, Domine, me coegit, ut fugam capesserem, atque secederem. Aliter: Zelus, quo propter Te, ac fœdus tuum Domine succensus sum, excivit in me odium Jezabel, & Prophetarum illius, & illorum minæ me coegerunt, ut fugam arriperem. Rabbini [11] docent, Eliam hic conqueri, quod Israelitæ neglexissent, vel etiam omisissent pueros circumcidendi consuetudinem; quamobrem zelo correptus erat. Dereliquerunt, ajebat ille, signum fœderis tui. *Dereliquerunt pactum tuum*. At nimis coarctata est hæc explicatio.

Altaria tua destruxerunt.] Prophetæ, qui in decem tribuum Regno morabantur, ut populum in fide continerent, vetarentque, ne in idololatriam prorueret, & ad profanas aureorum vitulorum aras confugeret, in quibusdam montibus Israel quadam apparitione, vel insigni quopiam eventu celeberrimis, altaria Domino extruxerant, in quibus illi oblationes, & sacra faciebant. Malum hoc temporum ratione necessarium evaserat: vel potius hoc bonum erat, habita ratione mali, quod evitabatur. In Juda id genus aræ minime permittebantur; at in Israel ferri poterant: & Israelitæ eas ægre, atque invito animo intuebantur. Elias hic queritur, quod fuerint eversæ [12]. Vide supra c. 18. 30. unum ex his altaribus dirutum.

Derelictus sum ego solus.] Ex omnibus prophetis Israel ne unus quidem superfuit, qui audeat contra Jezabel stare, ac veritatem propugnandam assumere; ea quippe omnes e viventium numero exturbavit, quotquot arripuit. Nunc autem me quoque sicut cæteros ad supplicium quærit, quapropter fugam capessere cogor. Jam superiori capite ℣. 22. conquestus est, & hoc ipsum isthic ℣. 14. ceperit, se unum reliquum esse e Prophetis Domini. Nemo illum tuebatur, nemo illi præsidium ferebat, sed unus ille semet objicere debebat, & contra Regis, ac Reginæ auctoritatem, nec non populi totius conatus obsistere: *Derelictus sum ego solus*.

℣. 11. Egredere, et sta in monte coram Domino.] Deus Eliæ eamdem largitur gratiam, quam olim ibidem Moysi concesserat Exod. 33. 21. 22. Suam illi ostendit Majestatem, ac præsentiæ suæ signum tribuit. Egredere, inquit, de spelunca, in qua es, & sta in aditu illius; audies primum ventum vehementem, qui montes evertere, ac rupes convellere posse videatur: *Spiritus grandis, & fortis subvertens, & conterens petras*. At non ibi Dominus est, verum hic est, veluti præcursor adventus illius. Ingentem inde terræ motum percipies; mox vero vehementem videbis ignem, qui ante te pertransibit. Neque in igne, neque in ea perturbatione ex terræ motu profecta Deus est. At cum audies *sibilum auræ tenuis*, tunc Dominum adorabis, qui præsens aderit, & audies vocem illius. Idem ferme contigit, cum Deus Moysi Legem dedit Exod. 19. 9. 6. & cum Spiritus sanctus super Apostolos descendit Act. 2. 2.

Hæc apparitio non erat simplex gratia, qua Deus Eliam prosequi vellet; sed nonnulli documentum fuisse putant, quo Elias zelum suum, ardoremque disceret moderari [13], atque intelligeret Deum neque in

1 Josue 15. 28. 2 Josue 19. 2. 3 תחת רתם
4 Ita Arab. & Chald. 5 Syriac. 6 עגת רצפים וצפחת מים
7 כי רב ממך הדרך 8 Vide Tostat. qu. 8. Sanct. hic. 9 מה לך פה אליהו
10 Menoch. Tirin. Mar. 11 Vide Buxtorf. Synag. Jud. c. 2. 12 Grot. Est. Pisc. Kimchi hic, Erasm. Paræ. ad Rom. 11. 5. 13 Theodoret. Procop. Sanct. Cornel. Tirin.

ventorum vi, neque in terræ motuum agitatione, neque in rapiditate, atque activitate flammarum inveniri, sed in leni, ac placido mitis auræ flatu. Alii [1] putant, Deum tunc Eliæ ostendisse Legis discrimen, & Evangelii. Lex de minis, terrore, ac igne dumtaxat loquitur; Evangelium vero suavitatis lex est, pacis, & clementiæ. Denique illum consolari volebat Deus, ac illi ostendere, sibi omnium elementorum Domino facillimum fore subvertere, exscindere, ac fulminibus petere peccatores; sed malle eos pati, atque illorum pœnitentiam opperiri, indirecte prophetæ ostendens rationem, qua utendum ipsi adversus eosdem erat [2]: turbare, terrere, evertere, exscindere, succendere quodammodo, posthæc vero lenitate, ac patientia eos ad meliorem frugem revocare.

℣. 13. OPERUIT VULTUM SUUM PALLIO.] Observantiæ ergo, & modestiæ. Ita quoque Cherubim alis facies suas velabant [3] coram Domino. Alibi adnotatum est, apud Hebræos, & alios Orientis populos faciem suam tegere, observantiæ notam esse, non secus ac apud nos caput aperire. Moyses faciem suam operit, simul ac Dominum in ardenti rubo cognoscit Exod. 3. 6. *Abscondit Moyses faciem suam; non enim audebat aspicere contra Deum.*

℣. 15. VADE, & REVERTERE IN VIAM TUAM PER DESERTUM IN DAMASCUM.] Hebraice ad litteram [4]: *Abi, Revertere per viam tuam, ad desertum Damasci.* Vel potius: *I, revertere per viam tuam ad desertum, Damascum.* Revertere per Arabiæ deserta, Damascum versus. Nequaquam imperat illi, ut in Jezrael, vel Samariam redeat, sed ut per deserti viam Damascum contendat, & civitatum vitet occursum.

UNGES HAZAEL SUPER SYRIAM.] Deus providentiæ suæ effectus in omnes populos, ac omnia regna diffundit. Non solum diademata, & sceptra inter populum suum impertit, verum etiam inter cæteras nationes. Hazael instrumentum erat, quo Deus uti debebat, ut populum suum percuteret. Immo Deus palam ostendit, se illum ad regnum vocare, & contra hostes suos mittere. Præcipit Eliæ, ut illum Syriæ Regem inungat; verum non liquet Eliam per se hoc munere fuisse perfunctum: Elisæus Damascum petiit, & prædixit Hazaeli, ipsum Regem Syriæ futurum [5]: neque secius liquet, illum umquam inunctum fuisse. Verum constat Hebraice *Regem aliquem ungere* simpliciter significare, *eum Regem constituere*, illi Regnum tradere, deferre. *Ierunt ligna, ut ungerent super se Regem*, ait Jonathan Gedeonis filius Judic. 9. 8. scilicet, ut aliquod ex ipsorum numero Regem sibi eligerent. In decursu prolixior recurret sermo de Rege Hazael, cum videbimus eorum eventum, quæ isthic Deus prædicit Eliæ.

℣. 16. JEHU FILIUM NAMSI, UNGES REGEM SUPER ISRAEL.] Jehu immediate erat filius Josaphat [6], & nepos Namsi. Hic inunctus fuit a Prophetarum discipulo misso ab Elisæo, quemadmodum videbimus infra 4. Reg. 9. & c. 6. contendunt autem vulgari, & simplici oleo tantum fuisse delibutum, non autem sacro, quod in Tabernaculo asservabatur, & quod solum pro Sacerdotibus, ac Regibus Juda ungendis adhibebatur [7].

ELISÆUM . . . UNGES PROPHETAM PRO TE.] Elias conquestus fuerat, quod ipse solus veri Dei propheta superesset, atque ipse quoque ad necem quæreretur. Deus illi alium addit, qui ipsi opituletur, & succedat, Elisæum nempe. Vir hic nondum singulare aliquid ediderat, quo ad Prophetiam disponi videretur. Degebat in Abelmehula in tribu Ephraim,

A vel Manasse [8] cum cognatione sua, quæ plane miræ erat morum probitatis, & quæ numquam in aureorum vitulorum cultum descenderat. Deus Eliæ præcipit, ut illum ungat; ex quo infertur [9] triplex fuisse apud Hebræos virorum genus, qui inungerentur, Sacerdotum scilicet, Regum, & prophetarum. Verum de prophetarum unctione unum tantummodo Elisæi suppetit exemplum; quod ipsum dubitatione non vacat; non enim videmus, Eliam ipsum ad prophetiæ munus evocantem, super illius verticem oleum effudisse; quæ circumstantia profecto ea in occasione minime fuisset prætermittenda. Elias cum primum illum invenit, injecit humeris illius pallium suum; ac dixit, illi posthac faciendum esse, quæ vellet, se vero, quod suum erat, jam adimplesse,

B quodque Deus præceperat, fecisse. Ex quo licet arguere, hæc verba: *Unge eum Prophetam pro te*, simpliciter significare: ad prophetiæ ministerium eum aliquo signo vocabis, veluti per pallii tui impositionem [10].

℣. 17. QUICUMQUE FUGERIT GLADIUM HAZAEL, OCCIDET EUM JEHU.] Hujus prophetiæ effectum infra intuebimur 4. Reg. c. 8. & 9.

QUICUMQUE FUGERIT GLADIUM JEHU, INTERFICIET EUM ELISÆUS.] Nusquam in Scriptura legimus Elisæum distrinxisse gladium contra aliquem; legimus tantum 4. Reg. 2. 23. 24. ipsum fecisse, ut duo & quadraginta pueri de Bethel, qui ipsi illudebant, ab ursis dilaniarentur. At dici ne potest tum vere ea fuisse adimpleta, quæ isthic prophetantur?

C Ego vero hoc pacto intelligere mallem. Si Hazael non satis fuerit persecutus impios in Israel, Jehu supplebit; sin autem Jehu consiliis meis nondum satisfecerit, Elisæus eadem perficiet. At non significant hæc verba, Elisæum re ipsa armis præcingi debuisse, ut aliquem interimeret. Jehu optime omnia adimplevit, quæ ex ipso Deus petieret adversus domum Achab: Hazael vero satis superque hoc Regnum vexavit; nihilque reliquum fecere, in quod Elisæi zelus succenderetur.

℣. 18. DERELINQUAM MIHI IN ISRAEL SEPTEM MILLIA VIRORUM, QUORUM GENUA NON SUNT INCURVATA ANTE BAAL.] Cum primis Eliæ questubus contra prævaricatores Israel, & adversus Achab, & Jezabel satisfecisset, contra illos, qui ul-

D tionem expeterent, constituens, Deus postremis Eliæ vocibus respondet, quibus se solum relictum fuisse dixerat, qui Domini causam tueretur. *Derelinquam mihi in Israel septem millia virorum, quorum genua non sunt incurvata ante Baal.* Nequaquam gloriari debes te unum Deo in Israel servire. Ego enim quot mihi adhuc pareant, novi. *Septem millia virorum*, hoc est multa virorum millia servavi mihi. Septenarius numerus pro magno numero usurpatur [11]: *Septies cadit justus* Prov. 24. 16. hoc est pluries. *Argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum*, Psal. 11. 7. hoc est diligentissime depuratum. *Quæ sterilis erat, septem filios peperit* 1. Regum 2. 5. scilicet plurimos. Interpretes quidam [12] numerum septem millium pressius intelligunt, &

E paucos hos Idololatriæ crimine vacasse dicunt, scilicet ex undecies centenis virorum millibus 1. Paral. 21. 5. quibus decem tribuum regnum constabat, septem mille dumtaxat idololatriæ Baal, ac vitulorum aureorum animam non addixisse.

ET OMNE OS, QUOD NON ADORAVIT EUM, OSCULANS MANUS.] Alibi jam Ethnicorum ritum adnotavimus manus osculandi, cum idola venerarentur [13]: *Inter adorandum dexteram ad osculum referimus*, Plinius

1 Grotius. 2 Vide Sanct. n. 33. 3 Ezech. 1. 23.
4 לך שוב לדרכך מדברה דמשק 5 4. Reg. 8. 12. 13. 6 4. Reg. 9. 2. *Videbis Jehu filium Josaphat, filii Namsi.* 7 Ita Rabbini. 8 Eusebius, & S. Hieronymus locat Abelmehulam 10. milliar. a Scythopoli in Campo Magno ad meridiem Scythopolis. 9 Ita communiter PP. Vide Sanct. ad vers. 19.
10 Ita Author. Histor. Scholast. Raban. Dionys. Carthus. Lyr. Tost. Pisc. &c.
11 Ita Vatab. Sanct. &c. 12 Grot. & alii plerique. 13 Vide Genes. 28. 2.

niot, inquit l. 28. c. 2. Apulejus Apolog. 1. Æmilianum impietatis accusans, ait, ipsum ante delubra prætereuntem nolle manum suam osculari: *Nefas habet adorandi gratia manum labris admovere*. Cum Deorum simulacra essent humiliora, illorum manus attrectare solebant, ut ea salutarent, & mentum, ut supplicarent. Lucretius.

. . . . Tum portas propter ahenas,
Signa manus dextras ostendunt attenuari
Sæpe salutantum tactu, præterque meantum.

Cicero in Ver. 4. de eximia quadam Herculis imagine loquitur, cujus barba, & genæ aliquantulum erant attritæ propter tactum, & oscula deprecantium: *Ut rictus ejus, & mentum paullo sit attritius, quod in precibus, & gratulationibus, non solum id venerari, sed etiam osculari solent.*

QUOD MEUM ERAT, FECI TIBI.] Nunc tuum est, Dei exequi mandata; Nihil ulterius habeo, quod tibi dicam. Dei afflatum sequere, & illius spiritui non resiste. Hebraice [1]; *nam quid feci tibi?* Animum adverte ad ea, quæ feci tibi. Ne recedas [2] a hoc age. Nihil amplius tibi cordi sit, quam Deum sequi, qui te vocat. Aliter, *nam quid feci tibi?* Num volui cogere te, ut me sequereris? Tua interest, quæ tibi facienda sint, & quæ a te Deus exposcat, agnoscere. Ego vero nihil habeo, quod meo nomine tibi imperem.

℣. 25. REVERSUS AB EO TULIT PAR BOUM.] Ego hoc pacto hebraicum textum reddere mallem [3]: Elias dixit illi: Perge, & revertere: nam quid feci tibi? *Et reversus est ab eo*, videlicet, rediit, postquam ea fecisset, propter quæ ab Elia recesserat; vel simpliciter rediit, postquam paullisper Eliam reliquisset, & eum cepisset par boum, eos mactavit, excoxitque, & distribuit cognatis, & concivibus suis, qui ab urbe illum fuerant comitati, ut eum valere juberent. Elias nequaquam ingressus est *Abelmeholam*, verum Elisæum præstolatus est, donec reverteretur, eo in agro, ubi illum primum invenerat.

1 כי מה עשיתי לך 2 Gror. Jun. Vide Matth. 8. 22. & Luc. 9. 62.
3 וישב מאחריו ויקח את צמד הבקר

CAPUT XX.

Samariam obsidet Benadad, qui a pedissequis Principum Israel cæditur. Cæditur quoque anno insequenti prope Aphec. Achab cum ipso fœdus percutit; quamobrem a Propheta corripitur.

1. PORRO Benadad rex Syriæ congregavit omnem exercitum suum, & triginta duos Anno M. 3013.
reges secum, & equos, & currus; & ascendens pugnabat contra Samariam, Ante
& obsidebat eam. 2 Mittensque nuntios ad Achab regem Israel in civitatem, J. C. 901.
ait: 3 Hæc dicit Benadad: Argentum tuum, & aurum tuum meum est: & uxores
tuæ, & filii tui optimi, mei sunt. 4 Responditque rex Israel: Juxta verbum tuum,
domine mi rex, tuus sum ego, & omnia mea. 5 Revertentesque nuntii, dixerunt:
Hæc dicit Benadad, qui misit nos ad te: Argentum tuum, & aurum tuum, & uxores
tuas, & filios tuos dabis mihi. 6 Cras igitur hac eadem hora mittam servos meos ad
te, & scrutabuntur domum tuam, & domum servorum tuorum: & omne, quod eis
placuerit, ponent in manibus suis, & auferent. 7 Vocavit autem rex Israel omnes seniores
terræ, & ait: Animadvertite, & videte, quoniam insidietur nobis: misit enim
ad me pro uxoribus meis, & filiis, & pro argento, & auro: & non abnui. 8 Dixeruntque
omne majores natu, & universus populus, ad eum: Non audias, neque acquiescas
illi. 9 Respondit itaque nuntiis Benadad: Dicite domino meo regi: Omnia,
propter quæ misisti ad me servum tuum in initio, faciam: hanc autem rem facere non
possum. 10 Reversique nuntii retulerunt ei. Qui remisit, & ait: Hæc faciant mihi
dii, & hæc addant, si suffecerit pulvis Samariæ pugillis omnis populi, qui sequitur me.
11 Et respondens rex Israel, ait: Dicite ei: Ne glorietur accinctus, æque ut discinctus:
12 Factum est autem, cum audisset Benadad verbum istud, bibebat ipse, & reges
in umbraculis, & ait servis suis: Circumdate civitatem. Et circumdederunt eam.
13 Et ecce propheta unus accedens ad Achab regem Israel, ait ei: Hæc dicit Dominus:
Certe vidisti omnem multitudinem hanc nimiam? Ecce, ego tradam eam in manu
tua hodie: ut scias, quia ego sum Dominus. 14 Et ait Achab: Per quem? Dixitque
ei: Hæc dicit Dominus: Per pedissequos principum provinciarum. Et ait:
Quis incipiet prœliari? Et ille dixit: Tu. 15 Recensuit ergo pueros principum provinciarum,
& reperit numerum ducentorum triginta duorum: & recensuit post eos populum,
omnes filios Israel, septem millia: 16 Et egressi sunt meridie. Benadad autem
bibebat temulentus in umbraculo suo, & reges triginta duo cum eo, qui ad auxilium
ejus venerant. 17 Egressi sunt autem pueri principum provinciarum in prima fronte.
Misit itaque Benadad. Qui nuntiaverunt ei, dicentes: Viri egressi sunt de Samaria,

18 Et ille ait : Sive pro pace veniunt, apprehendite eos vivos : sive, ut prœlien-
tur, vivos eos capite. 19 Egressi sunt ergo pueri principum provinciarum, ac reli-
quus exercitus sequebatur ; 20 Et percussit unusquisque virum, qui contra se ve-
niebat, fugeruntque Syri, & persecutus est eos Israel. Fugit quoque Benadad rex
Syriæ in equo cum equitibus suis. 21 Nec non egressus rex Israel percussit equos
& currus, & percussit Syriam plaga magna. 22 (Accedens autem propheta ad re-
gem Israel, dixit ei : Vade, & confortare, & scito, & vide, quid facias; sequen-
ti enim anno rex Syriæ ascendet contra te.) 23 Servi vero regis Syriæ dixerunt
ei : Dii montium sunt dii eorum, ideo superaverunt nos ; sed melius est, ut pugne-
mus contra eos in campestribus, & obtinebimus eos. 24 Tu ergo verbum hoc fac.
Amove reges singulos ab exercitu tuo, & pone principes pro eis. 25 Et instaura
numerum militum, qui ceciderunt de tuis, & equos secundum equos pristinos, &
currus secundum currus, quos ante habuisti ; & pugnabimus contra eos in campe-
stribus, & videbis, quod obtinebimus eos. Credidit consilio eorum, & fecit ita.
26 Igitur postquam annus transierat, recensuit Benadad Syros, & ascendit in Aphec,
ut pugnaret contra Israel. 27 Porro filii Israel recensiti sunt, & acceptis cibariis
profecti ex adverso, castraque metati sunt contra eos, quasi duo parvi greges capra-
rum ; Syri autem repleverunt terram. 28 (Et accedens unus vir Dei, dixit ad re-
gem Israel. Hæc dicit Dominus : Quia dixerunt Syri : Deus montium est Dominus,
& non est Deus vallium : dabo omnem multitudinem hanc grandem in manu tua, &
scietis, quia ego sum Dominus.) 29 Dirigebantque septem diebus ex adverso hi,
atque illi acies, septima autem die commissum est bellum : percusseruntque filii Is-
rael de Syris centum millia peditum in die una. 30 Fugerunt autem, qui reman-
serant in Aphec, in civitatem : & cecidit murus super viginti septem millia homi-
num, qui remanserant. Porro Benadad fugiens ingressus est civitatem, in cubiculum,
quod erat intra cubiculum. 31 Dixeruntque ei servi sui : Ecce, audivimus, quod
reges domus Israel clementes sint : ponamus itaque saccos in lumbis nostris, & fu-
niculos in capitibus nostris, & egrediamur ad regem Israel ; forsitan salvabit animas
nostras. 32 Accinxerunt saccis lumbos suos, & posuerunt funiculos in capitibus
suis, veneruntque ad regem Israel, & dixerunt ei : Servus tuus Benadad dicit : Vi-
vat, oro te, anima mea. Et ille ait: Si adhuc vivit, frater meus est. 33 Quod acce-
perunt viri pro omine, & festinantes rapuerunt verbum ex ore ejus, atque dixerunt :
Frater tuus Benadad. Et dixit eis : Ite, & adducite eum ad me. Egressus est ergo ad
eum Benadad, & levavit eum in currum suum. 34 Qui dixit ei : Civitates, quas tu-
lit pater meus a patre tuo, reddam, & plateas fac tibi in Damasco, sicut fecit pater
meus in Samaria, & ego fœderatus recedam a te. Pepigit ergo fœdus, & dimisit eum.
35 Tunc vir quidam de filiis prophetarum dixit ad socium suum in sermone Domini :
Percute me. At ille noluit percutere. 36 Cui ait : Quia noluisti audire vocem Do-
mini, ecce recedes a me, & percutiet te leo. Cumque paululum recessisset ab eo,
invenit eum leo, atque percussit. 37 Sed & alterum inveniens virum, dixit ad eum;
Percute me. Qui percussit eum, & vulneravit. 38 Abiit ergo propheta, & occur-
rit regi in via, & mutavit aspersione pulveris os, & oculos suos. 39 Cumque rex
transisset, clamavit ad regem, & ait : Servus tuus egressus est ad prœliandum comi-
nus, cumque fugisset vir unus, adduxit eum quidam ad me, & ait : Custodi virum
istum : qui si lapsus fuerit, erit anima tua pro anima ejus, aut talentum argenti appen-
des. 40 Dum autem ego turbatus huc, illueque me verterem, subito non comparuit.
Et ait rex Israel ad eum ; Hoc est judicium tuum, quod ipse decrevisti. 41 At ille
statim absterfit pulverem de facie sua, & cognovit eum rex Israel, quod esset de pro-
phetis. 42 Qui ait ad eum ; Hæc dicit Dominus : Quia dimisisti virum dignum mor-
te de manu tua, erit anima tua pro anima ejus, & populus tuus pro populo ejus.
43 Reversus est igitur rex Israel in domum suam, audire contemnens, & furibundus
venit in Samariam.

℣. 1. BENADAD, REX SYRIÆ, CONGREGAVIT OMNEM EXERCITUM SUUM, ET TRIGINTA DUOS REGES SECUM.] Quæ fuerit causa, cur Benadab Achabo bellum A intulerit, ignoramus; uti quoque non satis liquet, quo anno hoc bellum contigerit. Nos Usserium sequimur, qui illud in annum 3103. refert. Benadab, qui cum triginta duobus Regibus contra Regem Israel

rael in aciem descendit, filius est [1] alterius Regis Syriæ huic cognominis, qui Baasa imperante, actus Asæ Regis Juda precibus [2] in terram Israel irrupit. Principes hi duo, & triginta minores erant Syriæ, & Arabiæ Reguli, qui Damasceni Regis vectigales erant, vel quos ille in auxilium vocarat. Ibi certarum pleræque civitates singulis Regibus parent. Septuaginta, & Josephus bellum hoc referunt post historiam Naboth, & appellant Benadab *filium Ader*.

℣. 4. TUUS SUM EGO, ET OMNIA MEA.] Achab se fatetur esse subditum, & vectigalem Benadad; neque tantum, illi tributum, quod sibi impositum fuerit, persolvere; sequa in illius fidem, præsidiumque permittit. Ita quoque Paullus Æmilius Perseo Regi persuadere vult, ut se in Romanorum fidem dedat; *Ut se, suaque in fidem, & clementiam populi Romani permitteret*. Livius l. 44. Verum magnum discrimen intercsat inter Achabi mentem, & Syriæ Regis postulata. Hic enim absolute omnia bona, homines, subditosque Regis Israel, veluti sua habere volebat, quemadmodum in altera, quam ad Achab misit, legatione declarat. Achab vero se se subjiciebat: ea tamen spe, ut æquiores afferrentur conditiones, & vel simpliciter tributum pendere, vel pacem redimere, & urbis suæ direptionem numerata auri vi teneretur avertere.

℣. 10. SI SUFFECERIT PULVIS SAMARIÆ PUGILLIS OMNIS POPULI, QUI SEQUITUR ME.] Si quivis e militibus meis manum impleverit pulvere Samariæ, pulvis minime sufficiet, ut vola manus illorum impleatur [3]. Hyperbolice dictum. Aliter majori cum exaggeratione; *Pulvis* regionis non sufficiet militibus meis, si quisque tantumdem auferat dumtaxat, *quantum hærere potest soleis illorum* [4]. Vel: delebo Samariam, ita ut ne pugillum quidem terræ reliquum faciam: eodem ferme sensu, quo Ezechiel 26. minitatur pulverem quoque abrasum iri de Tyro: *Radam pulverem ejus de ea*. Denique nonnulli hoc pacto intelligunt [5]: Extruam contra te aggeres subliminores mœnibus Samariæ, licet ad eos ducendos singuli milites manum pulvere plenam afferant. Liquet tunc temporis numquam urbes oppugnari consuevisse, nisi circum civitatis mœnia ducerentur aggeres, ut inde hostes de muris deturbarentur, ac facilius muri ipsi ariete quaterentur, ac in urbem cuniculi ducerentur. Septuaginta longe aliter legunt [6]: *Pulvis Samariæ non sufficiet vulpeculis, cuncto populo meo, & meo sequenti*. Deinde quasi innuere vellet, solum omne regionis illius capere non posse omnem illius exercitum, & si ille in Samaria castra metaretur, locus pro una vulpecula non superesset; adeo enim copiæ regionem omnem, & angulos illius occuparent.

℣. 11. NE GLORIETUR ACCINCTUS, ÆQUE UT DISCINTUS.] Sæpius qui melius armis præcincti sunt, prius capiuntur. Ne canas triumphum ante victoriam. Aliter, non cum adhuc sævit pugna, neque cum prœlium initur, sed cum bello perfuncti sumus, atque victoriam retulimus, nobis gloriandum est. Hebraicus textus ad litteram [7]; *qui vinctus est, non glorietur, ac ille, qui est apertus*. Vel potius. *Qui claudit, non glorietur, æque ac ille, qui aperit* [8]: Facile est oppugnare, sed non ita facile semper est urbem expugnare. Facilius est vincire, quam solvere, claudere, quam aperire. Qui aperit, causam aliquam habet gloriandi, non ita vero, qui claudit. Benadad Samariam obsidebat, eamque vallo concluserat: verum ipsi urbe erat potiundum. Nondum eam ceperat. Chaldæus: *Qui in bellum procedit, & armis optime instructus est, non glorietur, sed qui victor revertitur*. Septuaginta [9]: *Gibbus non glorietur, ac ille, qui rectus est*.

℣. 12. CIRCUMDATE CIVITATEM, ET CIRCUMDEDERUNT EAM.] Nondum propius adeo urbs clausa fuerat, nondum erat obsidione vallata, nondum fossæ ductæ fuerant, nondum stationes circum muros undique positæ, ne quis ingredi, vel egredi posset, uti tunc temporis moris erat. Quis credidisset umquam Achab ausum fuisse obsidionem ferre, cum terribili adeo exercitu, & triginta duobus Regibus oppugnaretur? Hebraicus textus habet [10]: dixit illis: *Ponite, & posuerunt super* (vel contra) *civitatem*. Accedite ad urbem; applicate copias, & militaria tormenta, ea omnia expedite, quæ ad obsidionem requiruntur. Septuaginta [11]: *ducite fossas* circum urbem. Chaldæus: dixit illis: *Parati estote, & illi statuerunt insidias circum civitatem*; qui sensus præ reliquis ad litteram magis videtur accedere. Scriptura sæpius hac utitur loquendi ratione, urbium obsidiones describens [12]: *insidias struere, insidias collocare*. Isthic locutio imperfecta est: *Ponite, & posuerunt*; perinde ac si diceremus, *intulerunt*, pro intulerunt signa, decertarunt.

℣. 13. PROPHETA UNUS ACCEDENS AD ACHAB.] Mirum est omnibus hisce in prœliis nec Eliam, neque Elisæum videri, qui principes, ac præcipui prophetæ erant in Israel. Alii vero prophetæ libere isthic apparent; immo plurimi tunc ea in regione fuisse videntur. Hæc bella contigeruntne, antequam Jezabel eos persequeretur? An impia hæc Regina eos patitur, cum minime videt Eliam? Ut ut sit, ignoramus, quinam esset hic propheta, de quo loquitur isthic Scriptura, neque alii, qui in reliqua capitis parte memorantur, si tamen plures sunt; neque enim hoc liquido constat.

℣. 14. PER PEDISSEQUOS PRINCIPUM PROVINCIARUM.] Hebraicus textus æquivocus est [13]: Innuere enim potest vel *filios*, vel *famulos Principum Provinciarum*; quamobrem in diversa abeunt Interpretes. Alii putant hos fuisse filios præcipuorum Præfectorum Regis, quos pueros asseclas dicimus, vel nobiles adolescentes, qui in Aula apud Regem instituebantur. Alii credunt, hos fuisse horum Principum pedissequos. Hoc unum tamen certum est, hanc militum manum inermem fuisse, inexpertam, ideoque non satis aptam, ut eam referret victoriam, quam ab ipsis ea in occasione expectabant.

QUIS INCIPIET PROELIARI.] Hebraice [14]: *Quis nectet prœlium?* Quis prior pugnam ciebit? Egone irruam in hostem, an opperiar, donec me prœlio lacessat? Chaldæus juxta Vatablum [15]: *Quis belli vexillum feret?* Minime opus erat, ut ipse Achab in aciem descenderet, satis erat, ut duces illius imperarent, ut vere dici posset, ipsum hosti bellum intulisse. Hæc quotidiana est ratio loquendi. Ex decursu liquet, Achab tunc solum urbe egressum, cum agnovit hostium agmen fugam capessere ℣. 21. primum quidem emisit ducentos, & triginta tres adolescentes; deinde vero eduxit copias suas bellatorum, scilicet, septem millia. Hæc ea est militum manus, quæ innumerum Exercitum Benadad, cum duobus, ac triginta Regibus in fugam præcipitem egit.

℣. 23. DII MONTIUM SUNT DII EORUM.] Homines numquam sibi vitio vertunt infelices rerum gestarum eventus; verum in fortunam culpam rejiciunt, quæ illis haud fuerit velificata. Adulatores Bena-

1 Vide infra vers. 34. 2 3. Reg. 15. 18. 19. 3 Grot. Jun. Malv. Vat. Menoch. &c.
4 Munster. Quidam in Vatab. Chald. Interpr. 5 Joseph. Antiqu. l. 8. c. 8. Ita Author. Histor. Scholast. Lyr. Dionys. 6 Εἰ ἐκποιήσει ὁ χοῦς Σαμαρείας ταῖς ἀλώπεξι, παντὶ τῷ λαῷ, τοῖς πεζοῖς μου. Hebræum שעל juxta varias illud pronuntiandi rationes significare potest vulpem, vel pugnum, pugillum.
7 אל יתהלל חגר כמפתח 8 Ita Syr. & Hebr. mutatis punctis.
9 Μὴ καυχάσθω ὁ κυρτὸς ὡς ὁ ὀρθός. 10 שימו וישימו על העיר 11 Ἐνθεμάτων χάρακα.
12 Josue 8. 2. 4. Judic. 9. 34. 43. 20. 29. 1. Reg. 15. 5. & 4. Reg. 6. 8. 13 נערי שרי המדינות
14 מי יאסר המלחמה 15 בן לשקים קרבא

Benadad non audebant illi veram infelicitatis fuæ causam detegere. Ambitio illius, & impotentia, propter quas Deus illi succensus fuerat, injucundam hanc veritatem nequaquam essent passæ. Verum cum illi crederent, terrarum orbis imperium variis divisum esse numinibus, quorum alia aliis locis dominarentur, Regi persuadent, Hebræorum Deum potestatem suam in montibus præcipue exercere: sed Israelitas in æquum deduci posse, ubi Deus illorum non adeo valeret, neque populus Israel nullo superiori aditus auxilio in aciem descenderet.

Insanam porro hanc Syris mentem, Deum Israel esse Deum montium, hoc nempe obtrudere poterat, quod Templum illius, & vetustissimæ, augustissimæque illius aræ in montibus erant sitæ. Legem suam in Sinai rogarat, eamdem in Terra promissa super montes Garizim, & Hebal promulgari jusserat; prodigium, quod haud ita pridem in Carmelo contigerat, in omnes eas terras percrebuerat: denique Syrorum cædes prope Samariam, quæ in monte sita erat, edita, sententiæ huic robur, & auctoritatem addere videbantur. Ethnicorum religio peculiaria numina cuilibet populo, regioni, ac urbi præfecerat, quorum præsidia isthæc addixerat. Montes quoque, nemora, fontes, maria, flumina Deos suos agnoscebant; mare Neptunum, cœlum Jovem, Plutonem inferi, ignis Vulcanum. Immo Deorum alii bellis præerant, alii mercaturis, studiis, eloquentiæ, hortis, voluptatibus &c. Hæc erat Ethnicorum idea.

℣. 24. AMOVE REGES SINGULOS AB EXERCITU TUO, & PONE PRINCIPES PRO EIS.] Quilibet ex his Regibus dominari vult; exercitus propter magnam imperantium multitudinem infirmatur. Reguli hi, qui copias suas in auxilium misere, maneant in civitatibus suis, & experti duces, qui a tuo nutu pendeant, eorum copiis præficiantur.

Multos esse malum Reges, Rex unius esto.

℣. 26. ASCENDIT IN APHEC.] Urbem in Cœlesyria celeberrimam; de qua prolixius locuti sumus in Josue 19. 30. Tunc temporis Syris parebat, atque tunc nominis celebritate florebat quam maxime. Hæc tribui Aser cesserat, quæ numquam ea potita fuisse videtur. Hæc ipsa autem plane ea est civitas, cujus vestigia in lacu montis Libani, in quo fuit submersa, supersunt [a]. Lacus iste ibi est, ubi esse debebat Aphec; illius ambitus novem, vel decem passuum millibus constat; & in imo, nonnullas adhuc domos integras subsidentes cernere est; atque ex iis, quæ videntur, civitatem satis amplam, & speciosam fuisse licet inferre; & duarum dumtaxat horarum itinere ab agro Balbec abfuisse. Veteres docent prope Aphacam fuisse lacum, & circum undique solum, ex quo subinde prodibant flammæ; quæ circumstantiæ conjecturæ nostræ suffragantur, Aphec scilicet in lacu fuisse submersam, cum terra subsiderit, cum subterraneus ignis omnem solidam materiem consumpsisset, quæ simul & flammarum erat esca, & civitatis domorum fundamentum [2]. Aqua lacus crassa, atque bituminosa esse debebat, si vera sunt, quæ exponuntur; scilicet munera, quæ Deæ Aphachiti offerebantur; super lacus hujus aquas probari consuevisse; quæ si mergebantur, Deæ censebantur accepta; sin autem, a Dea respui credebant. Levia quæque, veluti linum, & lana imum petebant; tegulæ vero, & sæpius etiam metalla innatabant.

℣. 27. ACCEPTIS CIBARIIS, PROFECTI.] Hebraicus textus alium potest sensum admittere [3]: *simul omnes convenerunt*, quin ne unus quidem deesset. Copiarum recensio peracta est, neque ulla inventus est, qui huic expeditioni non interesset. Chaldæus: *omnes parati fuere*. Syrus, & Arabs: *dispositi fuerunt* &c. Septuaginta [4]: *Processerunt coram illis*.

QUASI DUO PARVI GREGES CAPRARUM.] In Scriptura exercitus sæpe gregibus, & Duces pastoribus comparantur. Saul copias suas recenset, veluti arietum gregem: *Recensuit eos quasi agnos* 1. Reg. 15. 14. Jeremias 6. 3. ait; *venient ad eam (Sion) pastores, & greges eorum, fixerunt in ea tentoria in circuitu, &c.* Hebræus hujus loci textus habet [5]: *veluti duo greges caprarum spoliatarum*, scilicet tonsarum. Liquet, ea in regione capras tonderi consuevisse, quorum vellere ad capripilia texenda utebantur. Exercitus Israel capris tonsis confertur; vel propterea quod tunc capræ pressius coarctantur, & greges minores videntur; vel eo quod earum nuditas minus speciosas, ac visu spectabiles reddit. Bochartus de animal. p. 1. l. 2. c. 51. ostendit textum significare *duos hædos*; ita ut exercitus Israel comparetur duobus parvulis hædis, qui prope matris ubera jacent. Hoc sane nimis exile est; at naturale ne est, ut unus exercitus duobus gregibus conferatur? Septuaginta, & Chaldæus, Syriaca Versio, & Arabica simpliciter habent *duos greges caprarum*, quin epithetum *parvos* addant, quod reliqui ferme Interpretes servarunt.

℣. 30. CECIDIT MURUS SUPER VIGINTI-SEPTEM MILLIA HOMINUM.] Dimicatum fuerat in planitie prope Aphec. Syri in fugam acti in urbem se recepere; & cum summa vi adniterentur, ut quisque prior ingrederetur, civitatis mœnia ex semet corruerunt, eosque ruinis suis oppresserunt. Vel hæc viginti septem hominum millia, cum e certamine dilapsi de urbis mœnibus propugnarent, Israelitæ hos muros subverterunt; vel muri ipsi ex semet lapsi sunt, & propugnatores suos contriverunt. Rationem, qua id factum fuerit, ignoramus; factum vero certum est.

IN CUBICULUM, QUOD ERAT INTRA CUBICULUM.] Ad litteram [5]; *in cubiculum cubiculi*. In penetrale, quod additum erat cubiculo; quemadmodum ad hanc quoque diem juxta vulgatam ædificandi consuetudinem, ad latus quodam cubiculi penetrale additur, vel recessus quidam, ubi cubile asservatur. In Hispania lectus, qui est in cubiculo, esse dicitur veluti in alio quodam parvo cubiculo, ad certam altitudinem parietibus septo; hoc est ad litteram *cubiculum cubiculi*. Benadad cum urbem captam videret, ac Israelitas jam per hiatum muri in civitatem pervasisse, in penitiorem ædium suarum recessum aufugit, ut ibi delitesceret. Michæas filius Jemla prædicit Achabo infra cap. 22. 25. futurum ut cogatur se se recipere, quemadmodum isthic Benadad, in *cubiculum cubiculi*. Quando ingredieris cubiculum, ut abscondaris. Josephus Antiqu. l. 8. c. 8. ait, Benadad in subterraneo quodam loco delituisse.

℣. 31. PONAMUS SACCOS IN LUMBIS NOSTRIS, & FUNICULOS IN CAPITIBUS NOSTRIS.] Sacci, de quibus hic sermo, nequaquam eadem forma erant, ac ii, quibus triticum continetur. Hæ rudiores vestes erant, subobscuro, & lugubri colore, quæ plerumque lumbis accingebantur, & in luctu solum deferebantur. Hæc saccis se se præcingendi consuetudo, cum calamitates ingruerent, vel cum in luctu versarentur, centies in Scripturis apparet; verum neque illorum forma, neque materia satis patet. Usus vero funium capiti, vel cervici imponendorum [6] antiquitus pervulgatus erat apud Syros, auctore Josepho loco cit. cum supplicarent. Herodotus l. 3. c. 14. nobis exhibet Psammetici, Ægypti Regis filium ad supplicium una cum duobus Ægyptiorum millibus raptum, fune ad collum alligato, ac frœno labiis apposito. Bessus quoque ad Alexandrum catena de collo pendente deductus fuit, teste Q. Curtio l. 7.

℣. 33. FESTINANTES RAPUERUNT VERBUM EX ORE EJUS.] Hebraice [7]: *& festinaverunt, & sumpserunt, an hoc esset de ipso*. Vel *& miscentes* verba sua cum verbis

---

a Vide Voyage du Levant de Paul. Lucas t. 1. c. 20. p. 265. 2 Vide Zozim. l. 1. c. 58.
3 ויכלכלו 4 Καὶ παρεγένοντο εἰς ἀπαντὴν αὐτῶν. 4 כשני חשיפי עזים
5 חדר בחדר 6 Arab. Mnost. Var. 7 וימהרו ויחלטו הממנו

verbis illius *dixerunt illi : Benadad est vere frater tuus?* Cum hi audissent Achab, qui cum de Benadad loqueretur eum *fratrem meum* vocarat, censuerunt ipsum non adeo ita esse succensum, ac ipsi crediderant, & ex illis verbis læti ominis occasionem arripuere. Festinarunt igitur ut hoc verbum *fratrem meum*, quod protulerat, raperent, atque percontati sunt, an consulto illud enunciasset, ac ea mente, ut eum ipsorum Rege in gratiam rediret. At Interpretes nonnulli [1] simplicius vertunt: *Et festinaverunt, & intellexerunt de illo*. Verbum hoc, quod illi exciderat inconsulto, avidissime rapuerunt; qui sensus mihi magis arridet; quippe qui Vulgatæ, ac Septoaginta magis consurmis. Adnotari istbic vetus consuetudo Regum amicorum fœderatorumque potest, qui se fratres dicebant: Reges vero subjecti, & vectigaler filii, ac servi noncupabantur; quo nomine se appellat Achaz ad Teglarphalassar loquens 4. Reg. 16. 7.

℣. 34. CIVITATES, QUAS TULIT PATER MEUS A PATRE TUO, REDDAM.] Benadad plane loquitur de oppidis, quæ decessor suus de Baasa Rege Israel victor retulerat [2]. Eum patrem Achab vocat; supponens, quod quemadmodum Regni hæres erat, ita quoque & filius esset. Non tenebatur Benadad nosse genealogiam Achab, & immutationem, quæ post Baasam in Regni successione contigerat.

ET PLATEAS FAC TIBI IN DAMASCO, SICUT FECIT PATER MEUS IN SAMARIA.] Jus possidendi publicas plateas in metropoli alterius Regis civitate, procul dubio supremi jus est imperii, vel saltem supremo par. Circum has plateas aderant domus, ubi morabantur mercatores subditi Benadad, qui illi pro ipsorum negotio tributi jura persolvebant. Hic Rex pollicetur se hoc idem privilegium illi datutum pro illius subditis Damasci, se straturum illi plateam, ac permissurum, ut ibi sub imperio Achab libere & negotia, & suas leges exerceant. Verum non videmus, Benadad hoc fideliter fuisse executum; non enim reddidit urbem Ramoth Galaad, & Achab coactus fuit illi rursus bellum inferre, ut eam reciperet, quemadmodum infra c. 22. 3. videbimus. Interpretes quidam Hebraicum textum reddidere [3]: *Facies vias* [4] *in urbe Damasco*. Alii vero [5] intelligunt de vallis, aut munitionibus, quibus arcerentur Syri, ne in terram Israel irrumperent, præberentque Israelitis aditum Syrorum regionem invadendi. David præsidia quædam, vel militum manus in quibusdam Syriæ oppidis constituerat 2. Reg. 8. 6. *Posuit David præsidium in Syria Damasci*; quædam etiam in Idumæa posuerat [6]. Philisthiim, quoad Samuel judicavit, & sub initium regni Saul pluribus in locis [7] *stationes* habebant. Ita quoque Benadad Achabi præsidia Damasci, vel finitimis in locis se recepturum pollicerı existimatur.

ET EGO FOEDERATUS RECEDAM A TE.] Auctor

A Vulgatæ, ac alii plures post illum, Textus verba interpretantur, veluti hic progressus esset petitionis, vel propositionis Benadad: at Hebraicus textus intelligi debet veluti Achabi responsio ad Benadad [8]; *& remittam te cum fœdere*. Si his acquiescere volueris conditionibus, tibi perfectam libertatem permittam, ac tecum fœdus percutiam.

℣. 35. DIXIT AD SOCIUM SUUM IN SERMONE DOMINI.] Propheta hic, qui Dei nomine socio suo imperat, ut ipsum percutiat, ut feriat, fuisse dicitur [9] Michæas, de quo infra erit sermo c. 22. 8. Comes vero seu misericordia adductus, seu insana indulgentia Prophetam, qui hoc illi Dei verbis imperaverat, percutere noluit, cujus inobedientia, uti ex decursu liquet, Domino displicuit, quandoquidem ille a leo-

B ne discerptus fuit. Prophetæ vulnus symbolum erat eorum, quæ Achabo contingere debebant. Hæc est inter prophetias, quæ ex se loquuntur, vel actiones propheticas, de quibus supra c. 11. 30. disseruimus.

℣. 38. MUTAVIT ASPERSIONE PULVERIS OS, & OCULOS SUOS.] Hebraicus textus ad litteram [10]: *& mutavit os suum imponens velum oculis suis*; vel, *aspergens pulvere oculos suos*.

℣. 40. HOC EST JUDICIUM TUUM, QUOD IPSE DECREVISTI.] Tu met capite puniendum damnasti. Nathan simili ferme arte usus est, cum redarguere voluit David adulterii, & cædis, quam ille patrarat [11], uti quoque & mulier Thecuitis, qua Joab usus est, ut Absalonem in patriam revocaret 2. Reg. 14. 4. Hebræi contendunt [12], Deum idem præcepis-

C se Achab adversum Syros, quod præceperat Sauli adversus Amalecitas. Illorum Regem de medio tollere debebat, ac populum universum in servitutem asserere, ut eorum puniret insolentiam, ac blasphemiam, qua dixerant, Deum Israel esse Deum montium, ac ipsius potestatem in agros nequaquam patere. Deus, qui Achabo fuerat pollicitus, se ipsi exercitum hostium traditurum, merebatur sane, ut saltem consuleretur de modo, quo victos haberi jubebat.

℣. 42. VIRUM DIGNUM MORTE.] Hebraice [13]; *dimisisti hominem mei anathematis*, Benadad nempe, quem ego certæ morti destinaveram, & quem exterminari cupiebam. Nonnulli Hebraicum textum ita reddunt [14]: *virum retium meorum*; qui in retia mea inciderat, qui ad me, velut præda ad venato-

D rem spectabat, tu illum veluti juris tui dimisisti; eum injussu meo liberasti.

℣. 43. AUDIRE CONTEMNENS, & FURIBUNDUS VENIT IN SAMARIAM.] Hebraice [15]; *recessit ira succensus*, vel *obduratus*, *& furibundus*. Alii [16]: *Tristis, & iratus*, vel *turbatus*, *& dolore affectus*. Septuaginta [17]: *confusus*, *& tristis*. Josephus Antiqu. l. 8. c. 8. ait, Achab magna ira succensuisse adversus Prophetam hunc, & simul ac Samariam pervenit, jussisse, illum in carcerem trahi; ipsum vero tali prædictione confusum se domi suæ recepisse.

---

1 Jonath. Septuag. Tigur. Munst. Osi. &c. Legunt ויחלטוה ממנו 2 Vide supra 3 Reg. 15. 20.
3 וחצות תשים לך בדמשק כאשר שם אבי בשמרון 4 Ita Syr. Arab. Vat.
5 Grot. Jun. Pisc. Ita 70. Ἐξόδους θήσεις σεαυτῷ ἐν Δαμασκῷ Joseph. l. 8. c. 8.
6 2. Reg. 8. 14. *Posuit in Idumæa custodes, statuitque præsidium.* 7 1. Reg. 10. 5. 13. 3. 4. 14. 1. 4. & 2. Reg. 23. 14. 8 ואני בברית אשלחך 9 Ita Joseph. Antiquit. l. 8. c. 8. & Hebr. Vide Sanct. & Cornel. 10 ויתחפש באפר על עיניו 70. καὶ κατεδήσατο ἐν τελαμῶνι τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτοῦ. *Sibi oculos velavit*. Aqu. ἐσκαλεύσατο ἐν σποδῷ ἐπὶ ὀφθαλμοὺς αὐτοῦ. Sym. κατακαπνιζόμενος σποδῷ κατὰ τῶν ὀφθαλμῶν αὐτοῦ: *sibi oculos cinere vel pulvere obtexit.* 11 2. Reg. 12. 1. & seq. 12 Rabb. ita & Rupert. l. 5. c. 13. Dionys. Lyran. Sanct. 13 שלחת את איש חרמי 14 Vatab. Malv. Vide Mich. 7. 2. Habac. 1. 17. ubi חרם in hoc sensu accipitur. 15 סר וזעף 16 Pagn. Syr.
17 70. Συγκεχυμένος, καὶ ἐκλελυμένος.

CAPUT

CAPUT XXI.

Naboth denegat vineam suam Achab. Jezabel jubet, ut Naboth lapidibus obruatur. Elias terribiles huic Regi minas intentat. Achab se humiliat, ac pœnitentiam agit: Deus vero in alium transfert pœnam, quam contra illum pronuntiaverat.

Anno M. 3105. Ante J.C. 899.

1. POst verba autem hæc, tempore illo vinea erat Naboth Jezrahelitæ, qui erat in Jezrahel, juxta palatium Achab regis Samariæ. 2 Locutus est ergo Achab ad Naboth, dicens: Da mihi vineam tuam, ut faciam mihi hortum olerum, quia vicina est, & prope domum meam, daboque tibi pro ea vineam meliorem; aut si commodius tibi putas, argenti pretium, quanto digna est. 3 Cui respondit Naboth: Propitius sit mihi Dominus, ne dem hæreditatem patrum meorum tibi. 4 Venit ergo Achab in domum suam indignans, & frendens super verbo, quod locutus fuerat ad eum Naboth Jezrahelites, dicens: Non dabo tibi hæreditatem patrum meorum. Et projiciens se in lectulum suum, avertit faciem suam ad parietem, & non comedit panem. 5 Ingressa est autem ad eum Jezabel uxor sua, dixitque ei: Quid est hoc, unde anima tua contristata est? & quare non comedis panem? 6 Qui respondit ei: Locutus sum Naboth Jezrahelitæ, & dixi ei: Da mihi vineam tuam, accepta pecunia: aut, si tibi placet, dabo tibi vineam meliorem pro ea. Et ille ait: Non dabo tibi vineam meam. 7 Dixit ergo ad eum Jezabel uxor ejus: Grandis auctoritatis es, & bene regis regnum Israel. Surge, & comede panem, & æquo animo esto, ego dabo tibi vineam Naboth Jezrahelitæ. 8 Scripsit itaque litteras ex nomine Achab, & signavit eas annulo ejus, & misit ad majores natu, & optimates, qui erant in civitate ejus, & habitabant cum Naboth. 9 Litterarum autem hæc erat sententia: Prædicate jejunium, & sedere facite Naboth inter primos populi. 10 Et submittite duos viros filios Belial contra eum, & falsum testimonium dicant: Benedixit Deum, & regem: & educite eum, & lapidate, sicque moriatur. 11 Fecerunt cives ejus majores natu, & optimates, qui habitabant cum eo in urbe, sicut præceperat eis Jezabel, & sicut scriptum erat in litteris, quas miserat ad eos: 12 Prædicaverunt jejunium, & sedere fecerunt Naboth inter primos populi: 13 Et adductis duobus viris filiis diaboli, fecerunt eos sedere contra eum: at illi, scilicet ut viri diabolici, dixerunt contra eum testimonium coram multitudine: Benedixit Naboth Deum, & regem: quam ob rem eduxerunt eum extra civitatem, & lapidibus interfecerunt. 14 Miseruntque ad Jezabel, dicentes: Lapidatus est Naboth, & mortuus est. 15 Factum est autem, cum audisset Jezabel lapidatum Naboth, & mortuum, locuta est ad Achab: Surge, & posside vineam Naboth Jezrahelitæ, qui noluit tibi acquiescere, & dare eam accepta pecunia: non enim vivit Naboth, sed mortuus est. 16 Quod cum audisset Achab, mortuum videlicet Naboth, surrexit, & descendebat in vineam Naboth Jezrahelitæ, ut possideret eam. 17 Factus est igitur sermo Domini ad Eliam Thesbiten, dicens: 18 Surge, & descende in occursum Achab regis Israel, qui est in Samaria, ecce ad vineam Naboth descendit, ut possideat eam: 19 Et loqueris ad eum, dicens: Hæc dicit Dominus: Occidisti, insuper & possedisti. Et post hæc addes: Hæc dicit Dominus: In loco hoc, in quo linxerunt canes sanguinem Naboth, lambent quoque sanguinem tuum. 20 Et ait Achab ad Eliam: Num invenisti me inimicum tibi? Qui dixit: Inveni, eo quod venumdatus sis, ut faceres malum in conspectu Domini. 21 Ecce ego inducam super te malum, & demetam posteriora tua, & interficiam de Achab mingentem ad parietem, & clausum, & ultimum in Israel. 22 Et dabo domum tuam sicut domum Jeroboam filii Nabat, & sicut domum Baasa filii Achia: quia egisti, ut me ad iracundiam provocares, & peccare fecisti Israel. 23 Sed & de Jezabel locutus est Dominus, dicens: Canes comedent Jezabel in agro Jezrahel. 24 Si mortuus fuerit Achab in civitate, comedent eum canes: si autem mortuus fuerit in agro, comedent eum volucres cœli. 25 Igitur non fuit alter talis sicut Achab, qui venumdatus est, ut faceret malum in conspectu Domini:

con-

concitavit enim eum Jezabel uxor sua, 26 Et abominabilis factus est, in tantum,
ut sequeretur idola, quæ fecerant Amorrhæi, quos consumpsit Dominus a facie fi-
liorum Israel. 27 Itaque cum audisset Achab sermones istos, scidit vestimenta
sua, & operuit cilicio carnem suam, jejunavitque, & dormivit in sacco, &
ambulavit demisso capite. 28 Et factus est sermo Domini ad Eliam Thesbiten,
dicens: 29 Nonne vidisti humiliatum Achab coram me? quia igitur humiliatus est
mei causa, non inducam malum in diebus ejus, sed in diebus filii sui inferam ma-
lum domui ejus.

℣. 1. VINEA ERAT NABOTH, QUI ERAT IN JEZRAHEL.] Josephus Antiqu. l. 8. c. 7. Jezrahel *Jesram* appellat, & ait, Naboth agrum habuisse prope Regis viridarium. Quo tempore hoc acciderit, certo non liquet: at Scriptura generatim ait hoc post bella a Benadad bellata contra Israel contigisse. Josephus vero, & Septuaginta factum hoc ante ipsa bella constituunt.

℣. 2. UT FACIAM MIHI HORTUM OLERUM.] Hebraicus textus ad litteram [1]: *ut sit mihi pro viridario* vel generatim pro *horto herbarum*, seu leguminum, sive aliarum. Apud Orientales nulla sunt viridaria ea arte concinnata, qua apud nos fieri consuevit. In Syria præsertim viridariorum deliciæ sunt cucumis, pepon, cucurbita, cepa, aliaque id genus olera; neque intelligere valent, quid unquam voluptatis sit per longos viridosque aallas spatiari, non ullo alio consilio, præterquamqood ad solatium ex motu in amœnissimo loco capiendum. Ea facto hoc liquet, Reges Israel licet absoluta auctoritate in subditos suos dominarentur, non tamen sibi licere ratos esse, aliorum agros, ac hæredisatas invadere; & quod Samuel Hebræis prædixerat futurum veluti *jus Regium*, ut Principes sibi eorum vineas, & agros [2] vindicarent, nequaquam esse intelligendum de vero, ac legitimo jure, sed de jure præsumpto, atque usurpato, ut loquitur Estius.

℣. 3. PROPITIUS SIT MIHI DOMINUS, NE DEM HÆREDITATEM PATRUM MEORUM TIBI.] Moysis Lex [3], quæ vetat, ne Israelitæ hæreditates suas in perpetuum venumdent, vigebat adhuc in Israel, licet alioquin omnis ibi grassaretur iniquitas. Quidam semper aderant viri boni, veluti Naboth, qui ne latum quidem unguem a Lege Israelitarum discederent. Naboth nulla urgebatur necessitate, propter quam unice per leges fas est suam alienis tradere hæreditatem: *Si attenuatus frater tuus vendiderit possessiunculam suam*; ac prænoscebat futurum ut, si vineam suam Regi cessisset, eaque in viridarium esset conversa, non posset usquam iterum eamdem sibi vindicare, neque ipso Jubilæi anno, qui perperam adeo in regno, quod male adeo a Rege Achab directum erat, observabatur. S. Ambrosius l. 3. Offic. merito summam justitiam Naboth celebrat, & ipsius pro Legibus patris, ac parentum suorum honore sollicitudinem laudat: illorum etenim nomini, & officio, quod majoribus suis debebat, turpitudinis se notam inurere fuisse arbitratus, si ea bona alienasset, quæ ab ipsis veluti per manus transmissa jure hæreditatis acceperat. Neque enim ratus est honesto loco natum virum ambigere debere, cum inter utilitatem, ac honestatem dubitatio versetur: *Malnio periculum cum honestate, quam utilitatem cum opprobrio*.

℣. 4. VENIT INDIGNANS, & FRENDENS.] In Hebraico textu eadem isthic occurrunt verba, quæ superius cap. 20. 43. expliavimus. O Achab dementem! nonne vere dicunt, hominem numquam vel maximis bonis, vel amplissimis honoribus exsaturari? Achab infelix est, pauper, ac infamis inter maximas Regni divitias, & dignitates: cum interim Naboth parvula sua lætus hæreditate felix est, & gloriosus: *quis igitur tibi pauper esse videtur, qui contentus est suo, an qui concupiscit alienum?* D. Ambros. lib. de Naboth c. 2.

AVERTIT FACIEM SUAM AD PARIETEM.] Indignatione, ac furore actus a Jezrahel Samariam venit, voluitque cubare, quin vel comederet, vel aliquem intueretur. De Ezechia scriptum est, quod postquam illi prædixerat Isajas, ipsum moriturum, *convertit faciem suam ad parietem, & oravit Dominum* Isai. 38. 2. Septuaginta [4] isthic habent: *Achab operuisse faciem suam, neque aliquid manducasse*.

℣. 7. GRANDIS AUCTORITATIS ES, & BENE REGIS REGNUM ISRAEL.] Hebraice habemus simpliciter [5]: *Tu modo facies Regnum Israel!* Es procul dubio vir fortis, & qui curare valeas, ut Regnum Israel roboretur, confirmetur, & floreat. Chaldæus: *Tu prosperum facies regnum tuum super Israel*. Syriaca versio: *Par es regnum super Israel regendo?* Arabica: *non mereris regnare super Israel*. Septuaginta [6]: *Sicine facis regem super Israel?* Regis est ad preces descendere? nonne jus illi est exigendi, recipiendique? Num in tutela versaris? &c.

℣. 8. MISIT AD MAJORES NATU, & OPTIMATES.] Hebraice [7]: *ad seniores, & candidos in civitate*, ad eos, qui candidas, splendentesque vestes gestant. Hæc nobiliorum virorum erat vestis, atque ea in regione amplissimorum: *Omni tempore sint vestimenta tua candida*, inquiebat Sapiens Eccli. 9. 8. *& oleum de capite tuo non deficiat*. *Antiqui dierum* illius, quem nobis Daniel describit 7. 9. *vestimentum erat candidum, quasi nix*. Angeli quoque albis amicti vestibus plerumque apparebant. Ægyptii [8], & veteres Græci [9] lineis induebantur vestibus; eæ vero divitum, Judicum, Principumque erant tenuiores, candidioresque. Hebraica vox *Chorim* [10] sæpe in hoc sensu usurpatur.

℣. 9. PRÆDICATE JEJUNIUM.] Veluti in re maximi momenti, ac in qua de Regis vita agatur. Improbi hi Judices plane se scire dissimularunt, nisi fortasse confuse, aliquem in urbe adesse, qui contra Deum, ac Regem evomuisset blasphemias; & Achab maximopere succensum se in oppidanos omnes sæviturum esse spopondisse, nisi illi celeriter de noxio pœnas poposcissent. Ex pluribus Scripturæ locis videtur jejunium indici consuevisse, cum Religionis cœtus convocarentur. Josaphat omnibus Regni sui subditis jejunium imposuit, & aliarum civitatum populus convenit in Jerusalem, ac in Templum, cum auditum est, Ammonitas, Moabitas, ac Idumæos in regionem eam irrupisse 2. Par. 20. 3. Esdras similiter jejunium imperavit 1. Esd. 8. 21. cum iter cum populo suscipere voluit, ut Babylonem reverteretur.

Pro-

---

1 ויהי לי לגן ירק 2 1. Reg. 8. 14. *Agros vestros, & vineas, & oliveta optima tollet, & dabit servis suis.* 3 Levit. 25. 23. *Terra non vendetur in perpetuum, quia mea est, & vos advenæ, & coloni mei estis. Unde cuncta regio possessionis vestræ sub redemptionis conditione vendetur.*

4 Συνεκάλυψε τὸ πρόσωπον αὐτοῦ, καὶ οὐκ ἔφαγεν. 5 אתה עתה תעשה מלוכה על ישראל

6 Σὺ νῦν οὕτω ποιεῖς βασιλέα ἐπὶ Ἰσραήλ. 7 אל הזקנים ואל החורים אשר בעירו

8 Herodot. l. 2. c. 36. 9 Homer. Odyss. Z. de Phæac. Thucyd. Procem. in hist.

10 Vide 2. Esd. 2. 16. & 4. 14. 19. & 5. 7. & 6. 17. & 7. 5. & 13. 17. Eccles. 10. 17. Isai. 34. 12. Jerem. 39. 12.

Prophetæ crebro loquuntur de extraordinaria hac jejuniorum indictione; Jerem. 36. 9. Joel hanc perspicue satis, nec semel describit 1. 14. & 2. 15. & 3. 5. *Sanctificate jejunium; vocate cœtum; congregate senes*, &c. Hæc erant publica, & universalia jejunia, ac populi universi cœtus eo in loco, ubi jejunium erat indictum. Hoc in extraordinariis tantum casibus, atque cum Reipublicæ perquam maxime interessat, fiebat. Fictam vero conjurationem Naboth verum scelus, & in quo de Regia vita ageretur, haberi volebant.

Nonnulli vertunt [1], *convocate cœtum* [2]. At Chaldæus, Syriaca versio, & Arabica, Septuaginta, necnon melioris notæ Interpretes extraordinarii jejunii indictioni favent. Josephus Antiqu. l. 8. c. 7. utrumque conjungit; ait enim litterarum hanc fuisse sententiam, ut jejunaretur, cœtus cogeretur, & Naboth, prout ex illustri familia, cœtui huic præficeretur. Hebraicus revera textus ait, ipsum *populo fuisse præfectum* [3].

℣. 10. Benedixit Deum, & Regem.] Hebraice [4]: *Benedixisti Deum, & Regem*, vel *Deos, & Regem*, vel etiam *Principes*, Magistratus, *& Regem*. In his occasionibus *benedicere* pro *maledicere* usurpatur, ad evitandum *maledicendi* verbum, quod odiosum est, ac ominosum. Ita quoque uxor Job viro suo dicebat [5]: *benedic Deo, & morere*; & Job ipse sacra faciebat pro filiis suis dicens; *Ne forte peccaverint filii mei, & benedixerint Deo in cordibus suis*. Lex, qua cautum est ne quis de Rege obloquatur, vel *maledicat* Exod. 22. 28. *Principi non maledices*; C nequaquam capite reum damnat; et vel consuetudo obtinuerat, ut hac pœna oblocutores plecterentur, vel Judicum studia, vel Jezabel jussa, hoc supplicio Naboth afficiendum voluere. Martinus de Roa l. 1. c. 9. singul. in Append. contendit, *benedicere* ad litteram significare *valedicere*, abrenuntiare; atque isthic Naboth accusari, eo quod Deum, & Regem abrenuntiaverit, seque neutrum nosse negaverit. Scriptura ait, duos auditos fuisse testes, qui contra Naboth testati sunt. Josephus vero tres memorat, quod Hebræorum consuetudini magis esse conforme Grotius ait; at nulli Textus huic numero suffragantur.

Educite eum & lapidate.] De more, extra urbem tantummodo, supplicium sumebatur. Vide nostram Dissertationem de Hebræorum suppliciis. D

℣. 13. Duobus viris filiis Diaboli.] Duobus perjuris testibus. Hebraice [6]: *duobus filiis Belial*, duobus hominibus sine fide, sine honore, sine lege.

℣. 15. Surge, & posside vineam Naboth.] Achab erat in Samaria. Jezabel illi ait, nunc posse in Jezrahel proficisci, & adire possessionem vineæ Naboth, velut rei, cujus dominium fuerat ille publicationis jure consecutus contra Perduellionis reum: vel jure mortuus morsus [7], cum Naboth una cum filiis suis interemptus fuisset [8], neque ullus ipsi superesset hæres; vel denique juxta nonnullos, veluti propior hæres Naboth, qui erat patruus illius. At hæc posterior sententia indiget confirmatione. Vide, si lubet, Lyranum, Mert. & Seldenum de success. in E bona c. 25.

℣. 18. Surge, & descende in occursum Achab.] Rex de Samaria in Jezrahel pergebat: at latet, ubi Elias esset, cum a Deo jussus fuit, occurrere Achab; quem sane haud expertem consilii Jezabel adversus Naboth fuisse opus est, immo illi præbuisse consensum, eo quod illi exprobrat Propheta ab ipso justum occisum, ac illius usurpatam hæreditatem: *Occidisti, insuper & possedisti*. Hæc omnia contigerunt postridie mortis, & damnationis Naboth 4. Reg. 9. 26.

℣. 19. In hoc loco, in quo linxerunt canes sanguinem Naboth, lambent quoque sanguinem tuum.] Hæc prophesia nequaquam adimpleta fuit ad litteram in persona Achab, propter pœnitentiam, de qua inferius est sermo; ideoque abs re Interpretes litteralem investigare quærunt explicationem. Hæc omnia aliquandiu post in persona Joram fuere completa 4. Reg. 9. 25. Sanguinem Achab linxerunt canes in piscina Samariæ 3. Reg. 22. 38. at corpus Joram in agro Naboth projectum fuit 4. Reg. 9. 25. *Projice eum in agro Naboth Jezrahelitæ*.

℣. 20. Num invenisti me inimicum tibi.] Cur mihi infaustum nuntium affers, cur mihi molesta vaticinaris? Hebraice [9]; *invenisti me, inimice mi?* Venisti veluti inimicus, ut me aggrederetur in vis. *Inimicum suum invenire*, sæpius significat illum aggredi, in illum irruere.

Eo quod venumdatus sis, ut faceres malum in conspectu Domini.] Vehemens sane loquendi ratio ad inducendum aliquem in flagitia quæque proruisse, ac ad significandam peccatoris captivitatem, ac pravorum desideriorum servitutem. Hoc idem est ac si diceret, es veluti opifex ad aliquod agendum conductus, es veluti servus emptus, ut malum faciat, idque *coram Domino*, hoc est modo pessimo, ac omnium nequissimo. Esse bonum, vel malum *coram Domino* juxta Scripturarum consuetudinem summum in bono, vel malo gradum significat. Poeta quidem ita affectuum regnum describit in eos, in quos ii dominentur:

Urget enim dominus mentem non lenis, & acres
Subjectat lasso stimulos.

Et Tacitus de Visellio loquens lib. 2. Hist. ait e *Luxui, saginæque mancipatus, emptusque*.

℣. 22. Mingentem ad parietem &c.] Mares omnes. Vide supra 1. Reg. Cap. 25. ℣. 22.

℣. 23. Canes comedent Jezabel in agro Jezrahel.] Vel potius juxta Hebraicum textum [10]: *in antemurali Jezrahel*: Hoc ad litteram adimpletum est: cum enim Jezabel consisteret super murum, vel porta urbis Jezrahel, cum in eam Jehu ingrederetur, atque Princeps hic eam agnovisset, eunochis, qui erant prope illam, præcepit ut præcipitem deturbarent. Eam illi dejecere [11], cecidisque in illud intervallum, quod inter murum erat, & antemurale.

℣. 24. Si mortuus fuerit Achab in civitate, comedent eum canes.] Sententia hæc propter humiliationem, & pœnitentiam Achab fuit immutata; ille enim mortuus est, atque in civitate Samariæ tumulatus. Mors quidem funesta fuit; lethaliter enim sagittæ ictu vulneratus in bello adversus Syros cecidit; at nonnisi honorifice illi parentatum est 3. Reg. 22. 37. *Mortuus est autem Rex, & perlatus est in Samariam; sepelieruntque Regem in Samaria*. Deus vero in Joram Achabi filium ea convertit supplicia, quæ hic enuntiantur. Vide 4. Reg. 9. 25. At Hebraicus textus sensum offert [12], qui omnem adimit difficultatem: *Qui ex genere Achab morietur in civitate, comedent eos canes, qui autem mortui fuerint in agro, comedent eos volucres cæli*. Hoc pacto textum explicant Chaldæus, Syrus, Araba, & Septuaginta [13]; atque juxta hunc sensum prophetia, neque ad litteram,

---

1 קראו צום 2 Ita Vatab. & Kimchi apud Mart. 3 בראש העם
4 ברכת אלהים ומלך 5 Job. 1. 5. & 2. 9. 6 שנים אנשים בני בליעל
7 Ita Cajet. Tost. Grot. Jun. Pisc. Malv. 8 Vide 4. Reg. 9. 26. *Pro sanguine Naboth, & pro sanguine filiorum ejus.* 9 המצאתני איבי 10 בחל יזרעאל
11 4. Reg. 9. 32. *Levavitque Jehu faciem suam ad fenestram, & ait: quæ est ista? Et inclinaverunt se ad eum duo vel tres Eunuchi. At ille dixit: Præcipitate eam deorsum &c.* Tota narrationis series nunc Jehu nondum urbem ingressum ostendit, sed ad portam tantum pervenisse, Jezabel autem esse non poterat nisi super mœnia, vel in conclavi super portam extructo. At quomodolibet id explicetur, præceps dejecta est in antemurale.
12 המת לאחאב בעיר יאכלו הכלבים והמת בשדה יאכלו עוף השמים 13 Τὸν τεθνηκότα τοῦ Ἀχαὰβ ἐν τῇ πόλει φάγονται οἱ κύνες, καὶ τὸν τεθνηκότα αὐτοῦ ἐν τῷ πεδίῳ, φάγονται τὰ πετεινὰ τοῦ οὐρανοῦ.

tam, in Achab, sed in posteris illius erat implenda. *Non fuit alter talis, sicut Achab, qui venumdatus est, ut faceret malum in conspectu Domini, & abominabilis factus est in tantum, ut sequeretur idola, quæ fecerant Amorrhæi* &c. Hæc autem adferuntur argumenta, ut Achab pœnitentia nec vera, nec sincera fuisse ostendatur. Pro hac sententia consule Lyranum, Dionysium Carthus. Cajetanum, Hugonem Card. Theodoretum, Procopium, & alios.

℣. 26. ET ABOMINABILIS FACTUS EST IN TANTUM UT SEQUERETUR IDOLA, QUÆ FECERANT AMORRHÆI.] Hebraice habemus: *Et maximas abominationes commisit, sectans idola, juxta exempla Amorrhæorum, quos Dominus ejecerat* [1]. Phœnicum Idola, & illorum cultus eadem erant plane, ac idola, & cultus veterum Chananæorum. Baal, & Astaroth præcipua erant illorum numina, atque ipsorum cultus non parva pars erant sævissimæ crudelitates, ac flagitia nequissima. Hanc Religionem amplexus Achab, eam in Israel invexit, constituitque majori zelo, quam decessores illius.

℣. 27. AMBULAVIT DEMISSO CAPITE.] Alii hebraicum textum reddunt [2]; *lente ambulavit* [3], vel *nudis pedibus* [4], vel *capite aperto* [5]. Hæc versionum varietas satis, superque probat, authographi vocum significationem ignorari. Quæritur hic, quodnam judicium ferendum sit de pœnitentia Achab. Liquet certe ex ℣. 29. Deum regis hujus humiliatione tactum abrogasse, saltem partim, sententiam, quam tulerat in illum, ac decresse, ne in ipsum criminis sui pœna decideret, ac eam distulisse ab ejus persona in illius filios, & posteros. Verum hoc minime obest, quo minus de pœnitentiæ Achab sinceritate dubitemus. Ajunt enim, impium hunc Regem numquam vere sensus, & cordis sui vias immutasse. Eliæ minis perterritus, ac prædictionum illius, quarum sæpius adeo certitudinem expertus fuerat, effecta veritus, exteriorem induit pœnitentis speciem, plorat, luget, humiliatur, atque pœnitentiæ veste induitur. At Deus inani doloris specie falli non potest; perfecte namque dignoscere novit, quid cupiditas, servilisque timor parit, ab eo, quod ab humili, ac sincero amore proficiscitur. Nihilominus ad exteriorem quoque Achab humiliationem respexit Deus, atque ut ostenderet, quo in pretio apud ipsum sit vera pœnitentia, & externam speciem illius, quodammodo remunerari dignatur; *Quomodo ei in oblatis fuis mæror amaritudinis placeat, qui amittere timens Deum, si sic ei, & reprobi pœnitentia placuit, qui timebat perdere præsens seculum?* inquit Sanctus Gregorius hom. 10. in Ezech. Nemo cum Deo in gratiam reverti potest, nisi prius illi restituatur, quod peccato ablatum fuit, ac Deus rursus in possessionem admittatur juris illius, quod in cor nostrum habebat; & ut verbo me expediam, nisi prius digni fiant fructus pœnitentiæ; quod numquam Achab facere voluisse liquido patet. Num idola subvertit? Num superstitionibus abrenuntiavit? num impiam Jezabel a se dimovit? num vineam Naboth restituit? num Domini cultum revocavit? Denique delevitne umquam per vitam, ac exitum pœnitente viro dignum turpes notas, quas Scriptura ipsius impietatis perenne monumentum reliquit 3. Reg. 21. 25. 26.

Verum præstat asserere, veram fuisse pœnitentiam Achab, sincerum dolorem, interioremque gemitum, at imperfectum, fluxum, & plane ad salutem æternam inutilem; licet in hac vita meritus fuerit, ut a temporali, quæ in illum intentata fuerat pœna, liberaretur. Sententia hæc Sanctorum Patrum, ac plurimorum, eruditissimorumque Scriptorum auctoritate probatur [6]. Tertullianus, & S. Chrysostomus videntur asserere, Deum tactum illius pœnitentia, illi peccati veniam concessisse: *Proinde Achab Regem, reum idololatriæ, & sanguinis Nabuthæ, veniam meruisse pœnitentiæ nomine*, ait Tertullianus libro quarto adversus Marc. cap. 11. & Sanctus Chrysostomus id explicite magis videtur affirmare epistola ad Theodorum lapsum. Ait enim, Deum numquam illorum pœnitentiam contemnere, qui ad ipsum in cordis sinceritate, ac simplicitate revertuntur, atque in exemplum adfert Achab, qui in ea lapsus crimina, quæ satis patent, *Divinam promeruit misericordiam, & peccatorum suorum veniam obtinuit*. In sermone vero 68. t. 5. edit. Front. Duc. supponens, Achab mores suos immutasse, ait, Deum se se placasse, illique pepercisse. Verum in hoc sita est difficultas; Dubitatur, & satis magna dubitandi suppetit ratio, an ipse mores, ac sensus vere immutaverit. Convenit quidem inter omnes, ait, S. Ambrosius Enarr. in Psalm. 37. futurum fuisse ut Deus illius lacrymis veniam concederet, nisi pravæ cordis illius affectiones obicem opposuissent: *Gemitus invenisset gratiam, nisi manens invidia cumulasset offensam*. Cum enim Scriptura dicit: Si ad Dominum conversus fueris, & ploraveris, salvus eris, intelligit, non quidem de superficiali gemitu, ac inefficaci, sed de eo ploratu, qui fit cum conversione conjunctus; *non enim perfunctorius gemitus* prædicatur, sed qui habet conversionem. Deus videns humiliationem Achab, jam tactus fuerat, jam veniam spoponderat: at cum iste priores pœnitentiæ sensus omiserit, seque illecebris Jezabel superari passus fuerit, statim pœnitentiæ fructus amisit; neque ratus Deus est se teneri, ut promissa perficeret, eo quod neque ille suscepta consilia compleret [7]: *Sed confessionis immemori non putavit esse servandum, quod promiserat confitenti*. Quemadmodum autem pœnitentia illius servilis erat, & perfunctoria, ita quoque præmia fluxa, at temporalia largitus est, illi in vita hac scelerum immunitatem pollicitus.

---

1 ויתעב מאוד ללכת אחרי הגלולים בכל אשר עשו האמורי וגו

2 בא וילך 70. ἐπορεύετο κεκλιμένος. *Ambulavit curvus.* 3 Vatab. Mar.

4 Chald. Syr. Arab. 5 Malv. Vide 2. Reg. 15. 30. 6 Vide Tost. qu. 14. Sanct. hic, Cornel. Vatabl, Grot. Natal. Alex. hist. Eccl. vet. Test. t. 2. 7 D. Ambros. de Naboth c. 4.

CAPUT XXII.

Achab, & Josaphat fœdus ineunt, ut Syros bello persequantur. Pseudo-propheta Achabo victoriam, at Michæas illi mortem portendit, cujus prædictio comprobatur effectu. Ochozias illi succedit. Josaphat quoque diem suum obit, cui succedit Joram.

1. TRansierunt igitur tres anni absque bello inter Syriam, & Israel. 2 In anno Anno M. 3107.
autem tertio descendit Josaphat rex Juda ad regem Israel. 3 (Dixitque rex Ante J.C. 897.
Israel ad servos suos: Ignoratis, quod nostra sit Ramoth Galaad, & negli-

gimus tollere eam de manu regis Syriæ ?) 4 Et ait ad Josaphat : Veniesne mecum ad
prœliandum in Ramoth Galaad ? 5 Dixitque Josaphat ad regem Israel : Sicut ego sum,
ita & tu : populus meus, & populus tuus, unum sunt : & equites mei, equites tui .
Dixitque Josaphat ad regem Israel : Quære, oro te, hodie sermonem Domini. 6 Con-
gregavit ergo rex Israel prophetas, quadringentos circiter viros, & ait ad eos: Ire de-
beo in Ramoth Galaad ad bellandum, an quiescere ? Qui responderunt : Ascende , &
dabit eam Dominus in manu regis. 7 Dixit autem Josaphat : Non est hic propheta
Domini quispiam, ut interrogemus per eum. 8 Et ait rex Israel ad Josaphat: Reman-
sit vir unus, per quem possumus interrogare Dominum ; sed ego odi eum , quia non
prophetat mihi bonum, sed malum, Michæas filius Jemia. Cui Josapath ait : Ne lo-
quaris ita, rex. 9 Vocavit ergo rex Israel eunuchum quemdam , & dixit ei : Festina
adducere Michæam filium Jemla. 10 Rex autem Israel, & Josaphat rex Juda, sedebant
unusquisque in solio suo, vestiti cultu regio, in area juxta ostium portæ Samariæ, & u-
niversi prophetæ prophetabant in conspectu eorum. 11 Fecit quoque sibi Sedecias fi-
lius Chanaana cornua ferrea, & ait : Hæc dicit Dominus : His ventilabis Syriam, do-
nec deleas eam. 12 Omnesque prophetæ similiter prophetabant , dicentes : Ascende
in Ramoth Galaad, & vade prospere, & tradet eam Dominus in manus regis. 13 Nuntius
vero, qui ierat, ut vocaret Michæam , locutus est ad eum , dicens : Ecce sermones
prophetarum ore uno regi bona prædicant : sit ergo sermo tuus similis eorum , & lo-
quere bona. 14 Cui Michæas ait : Vivit Dominus , quia quodcumque dixerit mihi
Dominus, hoc loquar. 15 Venit itaque ad regem, & ait illi rex : Michæa, ire debe-
mus in Ramoth Galaad ad prœliandum, an cessare ? Cui ille respondit : Ascende , &
vade prospere, & tradet eam Dominus in manus regis. 16 Dixit autem rex ad eum :
iterum, atque iterum adjuro te, ut non loquaris mihi, nisi quod verum est, in nomine
Domini. 17 Et ille ait : Vidi cunctum Israel dispersum in montibus , quasi oves non
habentes pastorem : & ait Dominus : Non habent isti dominum : revertatur unusquis-
que in domum suam in pace. 18 (Dixit ergo rex Israel ad Josaphat : Numquid non
dixi tibi, quia non prophetat mihi bonum , sed semper malum ?) 19 Ille vero ad-
dens, ait : Propterea audi sermonem Domini : Vidi Dominum sedentem super solium
suum, & omnem exercitum cœli, assistentem ei a dextris, & a sinistris: 20 Et ait Do-
minus : Quis decipiet Achab regem Israel, ut ascendat, & cadat in Ramoth Galaad ?
Et dixit unus verba hujuscemodi, & alius aliter. 21 Egressus est autem spiritus , &
stetit coram Domino, & ait : Ego decipiam illum. Cui locutus est Dominus : In quo?
22 Et ille ait : Egrediar, & ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum ejus. Et
dixit Dominus : Decipies, & prævalebis : egredere, & fac ita. 23 Nunc igitur ecce
dedit Dominus spiritum mendacii in ore omnium prophetarum tuorum , qui hic sunt ,
& Dominus locutus est contra te malum. 24 Accessit autem Sedecias filius Chanaana ,
& percussit Michæam in maxillam, & dixit : Mene ergo dimisit Spiritus Domini , &
locutus est tibi ? 25 Et ait Michæas : Visurus es in die illa, quando ingredieris cu-
biculum, intra cubiculum ut abscondaris. 26 Et ait rex Israel : Tollite Michæam ,
& maneat apud Amon principem civitatis, & apud Joas filium Amelech, 27 Et di-
cite eis : Hæc dicit rex : Mittite virum istum in carcerem , & sustentate eum pane
tribulationis, & aqua angustiæ, donec revertar in pace. 28 Dixitque Michæas ; Si
reversus fueris in pace, non est locutus in me Dominus, Et ait : Audite, populi o-
mnes. 29 Ascendit itaque rex Israel, & Josaphat rex Juda , in Ramoth Galaad .
30 Dixit itaque rex Israel ad Josaphat : Sume arma, & ingredere prælium, & indue-
re vestibus tuis ; porro rex Israel mutavit habitum suum , & ingressus est bellum .
31 Rex autem Syriæ præceperat principibus curruum triginta duobus, dicens : Non
pugnabitis contra minorem, & majorem quempiam , nisi contra regem Israel solum . 32
Cum ergo vidissent principes curruum Josaphat, suspicati sunt , quod ipse esset rex
Israel, & impetu facto pugnabant contra eum, & exclamavit Josaphat . 33 Intelle-
xeruntque principes curruum, quod non esset rex Israel, & cessaverunt ab eo . 34
Vir autem quidam tetendit arcum, in incertum sagittam dirigens , & casu percussit
regem Israel inter pulmonem, & stomachum. At ille dixit aurigæ suo: Verte manum
tuam, & ejice me de exercitu , quia graviter vulneratus sum . 35 Commissum est
ergo prælium in die illa, & rex Israel stabat in curru suo contra Syros, & mortuus

est ve-

est vespere ; fluebat autem sanguis plagæ in sinum currus, 36 Et præco insonuit in
universo exercitu, antequam sol occumberet, dicens : Unusquisque revertatur in ci-
vitatem, & in terram suam. 37 Mortuus est autem rex, & perlatus est in Samari-
am ; sepelieruntque regem in Samaria, 38 Et laverunt currum ejus in piscina Sama-
riæ, & linxerunt canes sanguinem ejus, & habenas laverunt, juxta verbum Domini,
quod locutus fuerat. 39 Reliqua autem sermonum Achab, & universa, quæ fecit,
& domus eburnea, quam ædificavit, cunctarumque urbium, quas extruxit, nonne
hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum rerum Israel ? 40 Dormivit ergo Achab
cum patribus suis, & regnavit Ochozias filius ejus pro eo. 41 Josaphat vero filius
Asa regnare cœperat super Judam anno quarto Achab regis Israel. 42 Triginta quin-
que annorum erat, cum regnare cœpisset, & viginti quinque annis regnavit in Jeru-
salem : nomen matris ejus Azuba filia Salai, 43 Et ambulavit in omni via Asa pa-
tris sui, & non declinavit ex ea ; fecitque, quod rectum erat in conspectu Domini .
44 Verumtamen excelsa non abstulit ; adhuc enim populus sacrificabat, & adolebat
incensum in excelsis. 45 Pacemque habuit Josaphat cum rege Israel. 46 Reliqua
autem verborum Josaphat, & opera ejus, quæ gessit, & prælia, nonne hæc scripta
sunt in Libro verborum dierum regum Juda ? 47 Sed & reliquias effœminatorum,
qui remanserant in diebus Asa patris ejus, abstulit de terra. 48 Nec erat tunc rex
constitutus in Edom. 49 Rex vero Josaphat fecerat classes in mari, quæ navigarent
in Ophir propter aurum : & ire non potuerunt, quia confractæ sunt in Asiongaber .
50 Tunc ait Ochozias filius Achab ad Josaphat : Vadant servi mei cum servis tuis in
navibus. Et noluit Josaphat. 51 Dormivitque Josaphat cum patribus suis, & se-
pultus est cum eis in civitate David patris sui : regnavitque Joram filius ejus pro
eo. 52 Ochozias autem filius Achab regnare cœperat super Israel in Samaria, an-
no septimodecimo Josaphat regis Juda, regnavitque super Israel duobus annis . 53
Et fecit malum in conspectu Domini, & ambulavit in via patris sui, & matris suæ,
& in via Jeroboam filii Nabat, qui peccare fecit Israel . 54 Servivit quoque Baal,
& adoravit eum, & irritavit Dominum Deum Israel, juxta omnia, quæ fecerat pa-
ter ejus .

℣. 1. TRANSIERUNT TRES ANNI ABSQUE BELLO INTER SYRIAM, ET ISRAEL.] Post fœdus a Benadad, & Achabo percussum nullum fuit ea in regione bellum, nisi post triennium, nam Achab videns a Syris non reddi sibi Ramoth, urbem in terra Galaad, quæ illi debebatur, juxta fœderis conditiones 3. Reg. 20. 34. consilium iniit, eam sibi vi adipiscendi.

℣. 2. DESCENDIT JOSAPHAT REX JUDA AD REGEM ISRAEL.] Josaphat, & Achab mutua invicem necessitudine semper conjuncti fuere. Primus quidem alterius filiam, ut perhibetur [1], uxorem duxerat. In 2. Paralipom. 18. 2. videmus, Josaphat magnifice in Samariæ urbe exceptum. Deus vero arctum adeo horum Principum vinculum minime probavit, & profecto mirum erat, inter Principem adeo pium, B qualis erat Josaphat, & alterum adeo impium, qualis Achab. Paulo inferius innotescet, quodnam in periculum Josaphat propter Achab adductus fuerit ; & alibi videbimus, quam acri objurgatione Deus per prophetam suum hac de re exprobraverit Josaphat 2. Par. 19. t. 2.

℣. 3. IGNORATIS, QUOD NOSTRA SIT RAMOTH GALAAD.] Hæc urbs sita erat prope fontes Jazer, ferme in medio montium Galaad tractu, quo a meridie in Septentrionem patent. Hæc Regibus Israel parebat ; & Syri, qui eam superioribus Regibus abstulerant, Achabo reddere noluerant, seu quod ex iis non esset, quas Benadad Rex Syriæ usurpaverat [2], quasque tantum Benadad filius illius se A redditurum spoponderat ; seu alia de causa, cujus non meminit Scriptura.

℣. 6. PROPHETAS, QUADRINGENTOS CIRCITER VIROS.] Hi probabiliter sunt quadringenti lucorum prophetæ, qui cum aliis in Carmelo monte non adfuerant 3. Reg. 18. 19. & 22.

℣. 8. MICHÆAS, FILIUS JEMLA.] Hic erat solus veri Dei Propheta, qui Samariæ substitisset. Elias, & Elisæus in solitudinibus, remotisque locis, cum discipulis suis morabantur. Josephus, & alii quidam hunc esse putant, a quo correptus fuit Achab, eo quod Regi Syriæ pepercisset ; quapropter in carcerem conjectus fuerat, unde in hac tantum occasione eductus fuit [3]. Michæas alius erat ab illo, cujus scripta inter duodecim minores prophetas habentur.

℣. 9. VOCAVIT EUNUCHUM.] Hebraica vox סריס verum Eunuchum significat ; quæ si hoc in sensu accipiatur, dicendum est, extraneum aliquem fuisse servum, a Rege Achab emptum, qui ipsi, vel uxoribus ipsius famularetur. At hæc vox in Hebraica, non secus ac in aliis linguis pro servo, pedissequo, captivo, qui in Regis aula servit, crebro usurpatur.

℣. 10. IN AREA JUXTA OSTIUM PORTÆ SAMARIÆ.] Areæ ad triticum triturandum plerumque sitæ erant prope villici domum, ut dominus, quid fieret, posset cognoscere [4]. Hæ quoque prope urbes ponebantur, ut tutæ forent ab hostium incursionibus, qui eas quandoque diripiebant, vel succendebant ; cujus rei plura Historiæ suppeditant exempla [5]. Duo Reges ergo

1 Vide Menoch. Grot.
2 3. Reg. 15. 20. Ramoth Galaad inter eas non recensetur, quæ hic indicantur.
3 Vide Sanct. ad ℣. 9. 4 Columel. de Re Rust. l. 1, c. 6.
5 Vide 1. Reg. 23. 1. Judic. 15. 5.

ergo extra orbem erant, quilibet throno suo insidentes in area prope portam, ubi forte copias suas recensebant, cum Achab proposuit Josaphat bellum adversus Syros suscipiendum.

℣. 11. FECIT AUTEM SEDECIAS CORNUA FERREA.] Pseudo-propheta hic capiti suo ferramenta quædam, in cornuum speciem imposuit: & tauros imitatus, qui cornu petunt, atque in aera jaciunt, quidquid illis est obvium, innuit Regi, ipsum eadem facilitate dissipaturum esse Syros, qua taurus furens in aerem paleas, ac pulverem spargit. Hoc etiam exemplum est earum prophetiarum, quæ fiunt per actiones, quæ significandi, & loquendi vim habent.

℣. 15. ASCENDE, ET VADE PROSPERE.] Michæas, qui noverat, quid prophetæ alii Regi dixerant, & quid de se Rex idem dixisset, respondit illico iisdem, ac pseudo-prophetæ verbis, per quamdam ironiam, quam statim Achab percepit ex vocis sono, & ex celeritate, cum qua locutus propheta fuerat. Similis ironiæ plura extant in Scripturis exempla; Exempli gratia Genes. 3. 22. *Ecce Adam, quasi unus ex nobis factus est*; veluti Deus; & supra c. 18. 27. Elias ait prophetis Baal. *Clamate voce majore: Deus enim est, & fortasse dormit*.

℣. 17. VIDI CUNCTUM ISRAEL DISPERSUM IN MONTIBUS.] Dominus in spiritu ostendit mihi, quid exercitui suo debeat accidere. *Dispergetur, quasi oves non habentes pastorem*. Postremis his verbis innuebat, Achab in prœlio fore moriturum.

℣. 19. VIDI DOMINUM SEDENTEM SUPER SOLIUM SUUM, ET OMNEM EXERCITUM COELI ASSISTENTEM EI.] Michæas agnoscens, Regem censere prophetiam ipsius esse veluti veteris odii effectum, quo illum in se flagrare credebat, prolixius enarrat, quid ipse vidisset, quin vereatur Regem offendere, quem jam exasperarat, ac in semet irritaverat. *Vidi*, inquit, *Dominum sedentem super solium suum, & omnem exercitum cœli assistentem ei*; scilicet, vidi illum in medio Angelorum suorum, qui sunt voluntatis illius ministri, veluti ducem in medio exercitus sui. Deus nostro se captui, nostrisque fere præjudiciis se submittit in iis revelationibus, quibus nos dignatur. Hebræi Deum in cœlo concipiunt, velut Regem in Regno suo; bonos vero, & malos spiritus, velut suorum mandatorum ministros; alios quidem ad remunerandum, alios ad puniendum, primos, qui illius clementiæ, & misericordiæ jussa exequuntur, alteros, qui illius ultionem, & supplicia exercent, illos quidem ad dexteram, hos vero ad sinistram; & quemadmodum Reges terræ nihil magni momenti aggrediuntur Consiliariis suis, ac præcipuis præfectorum suorum inconsultis, ita Deus exhibetur, veluti deliberans, quid de Achab sibi faciendum sit. Hæc omnia dubio procul ad litteram minime sunt intelligenda. Scimus enim, atque a Divo Paullo docemur, Deum extrinsecis nequaquam indigere auxiliis, ut aliquid suscipiat, susceptumque perficiat [1]. Patet autem pravos Angelos nequaquam adesse coram Domino, neque ad sinistram solii ipsius assistere in cœlo; verum tum ex veteri, cum ex Novo Testamento [2] didicimus, ipsos præcipites actos fuisse in inferorum ima, ubi igneis vinculis coercentur. Nihilominus Job improbos Angelos nobis exhibet coram Domino c. 1. 6. 9. 12. eodem ferme pacto, quo hic Michæas; ex quibus intelligere fas est, hanc fuisse ideam, atque conceptum, non apud Hebræos solum, verum etiam apud alios populos, qui idolorum cultui minime erant addicti.

A ℣. 22. ERO SPIRITUS MENDAX IN ORE OMNIUM PROPHETARUM EJUS.] Hinc cognoscere licet, absolutam Domini in dæmones potestatem, ac horum spirituum nequam impotentiam nocendi, exercendique in nos improbam ipsorum voluntatem, nisi Deus illis permittat. Rabbinus Salomon vult, hunc spiritum, qui se pollicetur seducturum Achab mendacio, quod ingeret in os pseudo-prophetarum illius, esse animam Naboth; impium mehercle excogitatum, atque irridendum. S. Augustinus refert, Achab, eo quod vero prophetæ aures præbere noluerit, meritum fuisse, ut a pseudo-propheta falleretur: *Injustum erat, ut qui non crediderat Deo vero, non deciperetur a falso* [3]; & cum Deus dæmoni dicit: *Egredere, & fac ita*; non ideo dixerat, ipsum præcipere, B ut in errorem impellat, fallat, mentiatur; immo ne permittit quidem proprie loquendo, nec approbat, sed dumtaxat non vetat; sinitque ut Dæmon pravam suam voluntatem exerceat in illos, quos ipse vel punire vult, vel experiri. Quod per imperativum exprimit Scriptura, non semper imperium significat, neque approbationem. Sæpius hæc simplex est permissio, vel etiam prædictio. Exempli gratia cum Isaiæ [4] Deus inquit: *Excæca cor populi hujus, & aures ejus aggrava, & oculos ejus claude, ne forte videat oculis suis*... *& convertatur*; hæc erat prophetia eorum, quæ debebant contingere.

℣. 24. MENE ERGO DIMISIT SPIRITUS DOMINI?] Josephus Antiqu. l. 8. c. 10. narrat, pseudo-prophetam Sedeciam animum fecisse Achabo, ostendens illi C contradictionem, quæ inter Michææ, & Eliæ aderat prædictionem. Hic minitatus fuerat, Achabum in Jezrael moriturum, & canes ibi sanguinem illius lincturos [5]: econtra vero Michæas asserebat ipsum in Ramoth Galaad moriturum. Quomodonam Propheta, qualis Michæas erat, audet oppositum vaticinari ab Elia, qui maximus est inter Dei Israel Prophetas? Sin autem Michæas esset Divino spiritu est afflatus, addidit Sedecias, faciat, ut exarescat manus mea, cum illum percutiam eodem pacto, quo Jeroboami manus exaruit, quam in Prophetam Juda extenderat. His dictis cum alapam Michææ impegisset, neque malum aliquod inde retulisset, Achab tunc prophetam cœpit contemnere, atque multo magis in consilio perstitit obsidendi Ramoth. Narratio- D nem hanc Josephi Interpretes quidam approbant [6]; verum minimum obest, quominus incerta sit, atque dubiosa.

℣. 25. QUANDO INGREDIERIS CUBICULUM INTRA CUBICULUM.] Scilicet in abditissimum penetrale tuum. Huic similem invenimus locutionem cap. 20. 30. Quandonam hæc prophetia contra pseudo-prophetam Sedeciam contigerit, non satis liquet. Hoc fortasse post mortem Achab contigit, cum quæsitus ad necem fuit, quod mendaciis suis Regem in infelix prœlium impulisset.

℣. 27. SUSTENTATE EUM PANE TRIBULATIONIS, ET AQUA ANGUSTIÆ.] Nonnulli [7] hæc verba simpliciter explicant, perinde ac diceret: in carcerem trudatur, atque in pane, & aqua jejunet, immo parce E adeo panis illi tradatur, ut nequeat saturari: *Pane angusto, & aqua arcta*. S. Hieronymus in Paralipomenis [8] eadem Textus verba ita reddit: *Date ei panis modicum, & aquæ pauxillum*. Alii [9]: date illi panem secundarium, & aquam pravam, quales reis tribui consueverunt, & quibus miseri vescuntur. In Isaia [10] populum minatur, se nutriturum populum suum pane angustiæ, & aqua oppressionis; vel potius

1 *Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit?* Rom. 11. 34.
2 Isai. 40. 12. *Quomodo cecidisti de cælo Lucifer?* Luc. 10. 18. *Videbam Satanam, sicut fulgur de cælo cadentem*. Vide & Apocalyp. 12. 9. & Epist. Judæ ℣. 6.
3 August. contra Julian. lib. 5. c. 4. Idem lib. quæst. 83. qu. 53. *Dignus erat ille sic decipi, neque per eum Angelum, quem deceptionis officium suscipere non deceret, sed per Angelum erroris*.
4 Isai. 6. 4.
5 3. Reg. 21. 19. *In loco, quo linxerunt canes sanguinem Naboth, lambent quoque sanguinem tuum*.
6 Auth. hist. Schol. Lyr. Tost. &c.
7 Syr. Arab. Vatab. Menoc.
8 2. Par. 18. 26. האכלהו לחם לחץ ומים לחץ
9 Grot. Pisc. Tirin.
10 Isai. 30. 20. לחם צר ומים לחץ

tius se daturum *panem arctum, & aquam brevem*.

℣. 30. INGREDERE PROELIUM, ET INDUERE VESTIBUS TUIS.] Achab plane hoc egit, eo quod memor erat imperii, quod Benadad dederat militibus suis, ut contra unum Regem Israel collimarent [1]. Licet jussum hoc inferius tantum legatur, non inde sequitur, quod aliquandiu minime editum fuerit ante prœlium, ita ut illud Achabo fuerit exploratum. Credibile etiam, Syriæ Regem nequaquam cogitasse, hæc dicta silentio involvi, verum clara voce protulisse; nam alioquin cur Achab mutasset vestes, atque conspectum suum ademisset militibus suis, qui ubique regiam requirerent majestatem, quæ illis animos faceret, dum ad id hortabatur Josaphat, cujus in hoc bello nulla res agebatur? Septuaginta [2] hoc in loco habent: *Vestem mutabo, atque in prœlium descendam; tu vero induere vestibus meis*. Hebraicus textus [3] verti potest cum Vulgata; sed ita quoque reddi potest. *Rex Israel dixit Josaphat: Muta vestem tuam, & ingredere prœlium; tu vero induere te vestibus tuis: Et Rex Israel mutavit vestes suas*; quod sane nullum infert sensum, ni cum Septuaginta legamus: *Tu vero induere vestibus meis*; & revera quinam potuit Josaphat vestes suas immutare, nisi vestes Achab sumendo [4]? Demum quomodonam Syri cepere Josaphat pro Rege Israel [5], si propriis, non autem Achabi vestibus indutus erat?

℣. 31. PRÆCEPERAT PRINCIPIBUS CURRUUM TRIGINTA DUOBUS &c.] Vidimus supra c. 20. ℣. 34. in exercitu Benadad triginta duos Reges fuisse, cum primum bellum intulit Israelitis. Pro triginta duobus Regibus subjecti fuere triginta duo duces, qui iidem plane sunt, ac hi, qui isthic *Duces curruum*, vel *Duces, qui curru vehebantur*, dicuntur [6]; nam difficile est, ut exercitum reperias, qui triginta, & duobus indigeat Ducibus, qui curribus præsint. Haud ita facile inveneris rationem, propter quam Benadad imperavit, ut contra unum Achab omnes tela dirigerent. Rex ille Syrus delere fortasse voluit ignominiæ notam, quam superiori bello susceperat, in quo captus fuerat ab Achab. Par pari referre studebat. Nonnulli [7] putant, ipsum fortasse Michææ prædictionem percepisse, qui dixerat, Regem Israel in prœlio interiturum. At hac de re futiles tantum conjecturas comminiscuntur.

℣. 32. EXCLAMAVIT JOSAPHAT.] Cum hic Rex se undique peti cognosceret, atque in unum ipsum omnia tela collimare, eo tantum, quod Achab esse censebatur, clamorem edidit, ex quo, quis esset, cæteri agnovere [8]. Alii putant ipsum clamasse ad Dominum, & Dominum singulari præsidio illum fuisse tutatum. Hoc autem ex 2. Paralip. 18. 31. didicimus: *Clamavit ad Dominum, & auxiliatus est ei, atque avertit eos ab illo*.

℣. 34. TETENDIT ARCUM IN INCERTUM.] Hebraice [9]: *jaculatus est sagittam*, vel tetendit arcum, *in simplicitate*, vel in integritate sua; innocenter, quin consilium haberet illum interficiendi, quin id curaret. Alii [10] omnes nervos intendit, quantum arcum suum tendere poterat. At prior interpretatio melior est, & communior. Josephus Antiqu. lib. 8. c. 15. Achabi interfectorem Aman appellat, unum e famulis Regis Syriæ.

INTER PULMONEM, ET STOMACHUM.] Ergo versus diaphragma, quod stomachum a pulmonibus separat. At plerique aliter hebraicum textum intelli-

A gunt. Alii [11]: *Vulneravit Regem Israel inter juncturas, & thoracem*; vel potius inter juncturas, annulos, laminas thoracis. Alii [12]: *inter thoracem, & femoralia*, ubi thorax deficit, superiorem inter partem, & inferiorem. In 2. Paralip. 18. 33. voces eædem redduntur: *Inter cervicem, & scapulas*, perinde quasi sagitta confossus fuisset in superiori thoracis parte collum inter, & humeros. Septuaginta [13]: *Inter pulmonem, & thoracem*. Syriaca versio, & Arabica: *inter thoracis juncturam*.

DIXIT AURIGÆ SUO.] Orientis Reges passim de curru, qui ab auriga vehebatur, dimicabant; ita ut nonnisi per summum dignitatis suæ dedecus equorum habenis potuerint manus admovere [14].

℣. 35. REX ISRAEL STABAT IN CURRU SUO CON-
B TRA SYROS.] Numquam a prœlio discessit usque ad vesperam, cum occubuit; verum in partem abduci voluit, unde pugnam spectaret; nam licet Benadad vetuisset militibus suis in alios, quam in Achab tela depromere, non vetuerat semet defendere, & cum hostibus congredi, si illi aggrederentur, quod evenit. Josaphat virtute, Achab vero patientia sua ad vesperam usque sustinuere hostium vim; at cum Achab interiit vulnere, tunc receptui cecinere, atque bellum jam perfectum esse edixere.

℣. 38. LINXERUNT CANES SANGUINEM EJUS.] Dum currus illius in piscina Samariæ ablueretur. Scriptura hanc memorat circumstantiam, licet res minime evenisset, quemadmodum Elias fuerat vaticinatus; dixerat enim supra c. 21. 19. *In loco hoc, in quo lin-*
C *xerunt canes sanguinem Naboth, lambent quoque sanguinem tuum*. Deus novissimam hanc revocarat circumstantiam, propterea quod pœnituerat Achab cædis Naboth, et voluit, ut *sanguinem illius canes lingerent*, ut ob aliam illius impotentiæ culpam plecteret, atque ut ostenderet, se rerum omnium, quæ fiunt, dominum esse, ac moderatorem, & si permiserat, ut hoc Samariæ contingeret, nequaquam sibi difficile futurum efficere, ut in Jezrael eveniret. Josephus Antiqu. l. 8. c. 15. putat Regis currum in Jezrael ablutum fuisse; at illi palam hebraicus textus adversatur, qui perspicue hoc in Samariæ piscina contigisse testatur.

ET HABENAS LAVERUNT JUXTA VERBUM DOMINI.] Dominus nequaquam expresserat, futurum ut
D currus, & habenæ abluerentur, sed dumtaxat canes lincturos sanguinem Achab, ad quod hæc referuntur verba: *Juxta verbum Domini*. Septuaginta [15] singulari sane modo hunc locum reddunt: *Et laverunt currum illius super fontem Samariæ, & sues, & canes linxerunt sanguinem ejus & meretrices abluerunt se in sanguine, juxta verbum Domini*. Hebraicus textus hunc sensum potest admittere [16]; *meretrices abluerunt se*. At reddere malumus; *abluerunt habenas*, vel *vincula*. Authographi nomen significare potest zonam; quod applicari potest habenis, vel equorum loris. Alii reddunt [17]: *Abluerant arma Achab*.

℣. 39. DOMUS EBURNEA, QUAM ÆDIFICAVIT.] Hæc plane domus erat ebore tessellata, vel in qua plurima erant ex ebore ornamenta. Amos 3. 15. di-
E vitibus exprobrans illorum in ædificiis magnificentiam: *Percutiam domum hyemalem cum domo æstiva; & peribunt domus eburneæ*. Vide quoque Psalmum 44. 9.

CUNCTARUM URBIUM, QUAS EXTRUXIT.] Hac de re penitus in tenebris versamur.

℣. 44. VERUMTAMEN EXCELSA NON ABSTULIT.]

1 Infra vers. 31. 2 70. Καὶ σὺ ἔνδυσαι τὸν ἱματισμόν μου. 3 התחפש ובא במלחמה ואתה לבש בגדיך ויתחפש מלך ישראל 4 Ita Castalio, & Joseph. Antiqu. lib. 8. cap. 15. 5 Vide ℣. 32. 6 שרי הרכב *Principes currus*. 7 Lyran. Mari. 8 Sanct. Tir. Mari. 9 משך בקשת לתמו 10 Munst. Malv. Genev. in Pisc. 11 ויך את מלך ישראל בין הדבקים ובין השרין 12 Grot. Var. 13 Ἀναμέσον τοῦ πνεύμονος, καὶ ἀναμέσον τοῦ θώρακος. 14 Diodor. Sicul. lib. 17. Brisson. de Regno Pers. l. 5. pag. 383. 384. 15 70. ℣. 38. *Καὶ ἀπένιψαν τὸ ἅρμα ἐπὶ τὴν κρήνην Σαμαρείας, καὶ ἐξέλειξαν αἱ ὕες, καὶ οἱ κύνες τὸ αἷμα, καὶ αἱ πόρναι ἐλούσαντο ἐν τῷ αἵματι κατὰ τὸ ῥῆμα κυρίου.* 16 והזונות רחצו 17 Ita Joseph. Rabb. Ben-Gerson, & Levi. Munst. Pisc. Franz. Pfeiff. &c.

Non secus ac Asa pater illius [1], cujus pietatem fuerat imitatus. Scriptum tamen est in Paralip. 17. 6. & 20. 3. quod Josaphat *excelsa, & lucos de Juda abstulit*; quod trifariam potest conciliari; 1. demolitus est excelsa Idolis dicata, non autem Deo Israel sacra [2], quemadmodum explicuimus de Asa loquentes. 2. non potuit sub regni initium, hæc excelsa penitus delere, ubi jam superstitio invaluerat: at hoc deinceps perfecit, cum jam in solio confirmatus esset; 3. denique [3] complures adsunt eruditi viri, qui autument in Paralipomenis errorem obrepsisse, atque ibi, veluti isthic esse legendum; *Josaphat non abstulisse excelsa de Juda*. [4]. Certum est Ezechia, & Josia imperantibus, excelsa adhuc substitisse; & Josaphat nequaquam adscriptus est in albo Principum irreprehensibilis religionis ab Auctore Ecclesiastici.

ỷ. 47. RELIQUIAS EFFOEMINATORUM .... ABSTULIT DE TERRA.] Vide quæ superius adnotata fuerint in capita 14. 24., & 15. 12.

ỷ. 48. NEC ERAT TUNC REX CONSTITUTUS IN EDOM.] Reges Juda hactenus illud in Idumæa imperium servarant, quod ipsis David acquisierat [5]; & Ochozia tandem regnante, filio Josaphat, Idumæi Regem, qui nulli Regi obnoxius dominaretur, elegerunt [6]. Ante id tempus Reges Juda domini erant portuum Elat, & Asiongaber, ibique instruere poterant classes, quæ per mare rubrum in Ophir dimitterentur, quod re ipsa Josaphat fecit; quemadmodum visuri sumus. Horum librorum Auctor, qui eo scribebat tempore, quo Reges Juda nullum amplius in Idumæam jus habebant, antequam de classe Josaphat loquatur, adnotat, tunc temporis nondum Re-
A gem in Idumæa fuisse constitutum: Hæc regio Regibus Juda adhuc parebat.

ỷ. 49. JOSAPHAT FECERAT CLASSES IN MARI.] Hebraicus textus, qui hodie extat, hæc habet [7]: *Et Josaphat decem naves in Tharsis*, quod mendum est sane; legendum enim, *asa*, fecit, pro *asar* decem, Quid sit Ophir, & Tharsis alibi explicuimus.

ỷ. 50. AIT OCHOZIAS FILIUS ACHAB AD JOSAPHAT: VADANT SERVI MEI CUM SERVIS TUIS &c.] At Josaphat noluit. Contrarium vero in 2. Paralip. 20. 36. 37. legimus, Josaphat scilicet, & Ochoziam simul classem instruxisse, quæ in Tharsis proficisceretur; at Dominum ira succensum propter fœdus, quod inierat Josaphat cum Rege Israel, permisisse, ut naves frangerentur, neque iter aggredi possent:
B Conciliatur hæc varietas, dicendo primum quidem Josaphat noluisse societatem inire cum Ochozia; at deinceps se in eam adduci passum fuisse. Interpretes alii, ajunt, Josaphat, & Ochoziam primum quidem mutuis consiliis classem apparasse, ac cum permisisset Deus, ut ea in portu Asiongaber perfringeretur, noluisse Josaphat ulterius in societatem venire, cum de instauranda classe ageretur. De postremo hoc facto isthic loquitur Scriptura; quod supponit, Josaphat sumptibus suis alteram classem exornasse, vel noluisse amplius itinera maritima subditis suis conficienda imperare.

ỷ. 52. REGNAVIT DUOBUS ANNIS.] Non autem integris: prior enim cum posteriori Achab, posterior cum priori Joram anno simul comprehenditur. Confer hunc versiculum cum 4. Reg. 3. 1. Vide Junium hic, & Usserium ad an. 3108.

---

1 3. Reg. 15. 14. Vide dicta ad eumdem locum.
2 Vide Theodoret. qu. 52. in lib. 3. Reg.
3 Grot. Capell.
4 Legunt ולא pro ועזר
5 2. Reg. 8. 14. & 1. Par. 18. 13.
6 4. Reg. 8. 20. 21.
7 יהושפט עשר אניות בתרשיש legendum עשה

FINIS TERTII LIBRI REGUM.

IN

IN IV. LIBRUM REGUM PRÆFATIO.

ANTE tertium librum Regum Proiegomenon instruximus utrique Libro, nempe tertio, & quarto commune; ubi de Authore utriusque Operis, & ætate disseruimus. Quartus liber Historiam habet 300. annorum, ab obitu scilicet Josaphat A. M. 3115, usque ad eversionem Regni Juda A. 3416. In serie Regum Juda pauci veterem pietate coluisse referuntur, reliqui omni abjecto cultu, & Religione, in vitia prolapsi sunt. Sed hæc præ sceleribus Regni Israel tolerabiliora; nihil enim in ejus Regibus nisi vitia, atque impietatis, impotentiæ, & idololatriæ exempla detestanda. Elias, & Eliseus murum se opposuerunt contra impios, & scelestos Reges, quò reliquias saltem Religionis in Regno detinerent. Tandem ultor Domini gladius primùm in Israelem, deinde in Judam exertus est. Namque Regnum Israel diu jactatum, variisque intestinis, externisque bellis discerptum, tandem armis Regum Asyriæ cedere coactum est; à quibus populo in captivitatem abducto, nova externarum gentium colonia in regionem missæ.

Regum Juda aliquo adhuc tempore superstes mansit; sed eo accepto divinitùs beneficio abusum, neglectisque minis, atque adhortationibus Prophetarum, quio & laxatis in vitia habenis, eodem tandem fato cum Regno Israel obvolutum est. Divinæ in contumaces populos ultioni suspendendæ unico fuit momento pietas Regum Josaphat, Ezechiæ, & Josiæ, sicut & resipiscentis Manassis lachrymæ, unà cum precibus Prophetarum; sed vincente tandem impietate religionem, Domini furor in miserum Regnum erupit, totaque vastata ditione, eversa Jerosolyma, Templum igni, populus captivitati traditus est.

DISSERTATIO

QUID NAAMAN CONCEDI SIBI postulat ab Eliseo, ut coram Idolo Remmon sese prosternere liceat?

A NAAMAN copiarum Regis Syriæ Imperator, post receptam à morbo lepræ prodigiosam valetudinem, loto ex præscripto Elisei aquis Jordanis corpore, Prophetam ipsum conveniens ditissima obtulit munera, simulque rogavit concedi sibi, ut duos onustos mulos terra ejus regionis referret: B *Non enim*, ait 4. Reg. 5. 17., *faciet ultra servus tuus holocaustum, aut victimam Diis alienis, nisi Domino. Hoc autem solum est, de quo depreceris Dominum pro servo tuo, quando ingreditur Dominus meus Templum Remmon, & illo innitente super manum meam, si adoravero in Templo Remmon, adorante eo in eodem loco, ut ignoscat mihi Domi-* C *nus servo tuo pro hac re. Qui dixit ei: Vade in pace.*

Sub ipso hujus historiæ limine pusilli Lectores offenduntur. Qui fidei ardor & studium in Proselyto! Simul se veri Numinis cultui addictum profitetur, unaque rogat, ut externo Deo cultum impendere permittatur. Quàm indigna autem D Prophetæ assentatio, ut scilicet rogatus de permissione Idololatriæ à Naamano, veniam facilis, & pacem concesserit? Si crimen scandali vel homicidio detestabiliùs habetur, quid de facto Naamani censendum est, unde scandalum inductum: quid de indulgentia Elisei, quæ scandalum authoritate sua probavit? Si Filius Dei E Matth. 10. 33. Luc. 9. 26. profitetur dedignaturum se hominem, qui nominis Dei confessionem probro duxerit coram hominibus, quid de Proselyto, & Propheta fiet? At enim Naaman sola externa cultus significatione intimos animi sensus occulit. Sed hæc indigna viro fideli simulatio, quæ sanè nunquam detestabilior reputanda est, quàm in causa Religionis. Si Idololatria crimina superat omnia; si hypocrisis vitium est Dei oculis detestabile, quidnam de Naamano, & Eliseo reputandum? Etenim vel criminosam hanc sibi erga Idolum venerationem Naaman arbitratus est, vel opus licitum, seu indifferens judicavit. Si licitum, & indifferens; cur ab Eliseo peteret, ut à Deo sibi impetraret ejus rei veniam? Si iniquum, & idololatrum duxit; cur rogat, nec renuente Eliseo, permitti sibi ejus rei facultatem? Apostolus jubet, fideles non tantùm abstinere ab omni malo, sed etiam *ab omni specie mali*. Thessal. 5. 22. *Ab omni specie mali abstinete vos*; quod sanè præceptum æquè Judæos spectat ac Christianos. Naaman, & Eliseus nil præceptum illud curant; alter adorat, vel saltem adorationis specimen præbet; alter probat, vel saltem dissimulat, nec prohibet. Num licet duobus Dominis servire, Dei cultu cum Belial admixto? Debuit planè Naaman omnia tolerare; Præfectura exauctorari potiùs, quàm externa significatione coram Idolo prostratum apparere, etiamsi ea cultus simulatione nihil religioni suæ metuere posset; vel ea sola ratione, ut uni tantùm pusillorum scandalo consuleret. Quàm sanè gloriosum viro, si Principi cultum impium jubenti in faciem ita restitisset, ut vitam ipsam pro tam bona causa non recusasset impendere? id, inquam, magis glorio-

gloriosum viro; quàm ut indigna ac illiberali indulgentia Regi assentaretur. Hæc commentantur nonnulli de Naamani, & Elisæi consilio.

Plerique tamen non inter Veteres tantùm, sed & Recentiores omnem impendunt operam, quò ab Idololatriæ, & simulationis suspicione utrumque virum purgent. Varii tamen varias incunt rationes, quamquam omnium idem est scopus, ut vel utrumque, vel Eliseum saltem absolvant. Qui Prophetam defendunt, Naamanum tanquam in vera Religione Neophytum deserendum ducunt; tati illud criminis indulgendum viro, qui recèns ab Idololatria desciscens, concepta in illa ideas de simulanda religione, ut olim in exordio Mundi, non penitus exuerat. Negant illi acquievisse Prophetam precibus Naamani, nec quidquam ab illo indultum contendunt veræ Religionis dispendio; sed, inquiunt, roganti viro respondit tantum: *Vade in pace*; ac si diceret: Vade, nec ultra cogites de Remmon, ejusque cultu, sed curas omnes verte in Deum pacis, quem rogo nunquam committat, ut te in Idololatriæ scelus prolabi sinat.

Fateamur quidem oportet, datum ab Eliseo responsum nihil satis expressum præseferre de permissione Numinis adorandi; sed nihilominus alium verbis sensum indere vix possumus, nisi apertissima vi Textui illata. Nec alioquin Eliseus immunis omninò esset à crimine, si Proselytum, quamvis non confirmaverit, in errore tamen reliquerit. Præpostera sanè dissimulatione usus fuisset, indigna prorsus viro alieni protectus studioso, & Propheta. Nonne Neophyti dissimulationem imitatus fuisset, ejusdemque cum illo criminis particeps videretur, si obscuris quibusdam ambagibus dicta involvens, tenebras viro incauto offudisset? neque enim Naaman Prophetæ verba aliter accepisse creditur, quàm quomodo huc usque fere omnes ex historiæ lectione accipimus.

Conveniunt Rabbini, omnem externi cultus significationem (1) Idolis impensam Judæis prohiberi; cum verò Naaman Judæus non esset genere, sed tantùm Proselytus domicilii, ideo, inquiunt, illi neque palam, neque privatim interdici poterat, quin externam Idolo cultus significationem impenderet, utpotè qui extra Israeliticam ditionem, & Israelitarum cœtum versaretur. Quare juxta illorum Doctorum sententiam, potuit Eliseus externum cultum Idoli Proselyto suo permittere. Vix & ne vix quidem posset solidis rationibus è Scriptura petitis, Rabbinorum dogma firmari, cùm Idololatria æquè ac hypocrisis apertè ubique damnentur, & adversum habeant contra se jus naturale, ipsumque adeo rationis lumen. Debitum Creatoris cultum in creaturam transferre, quacumque tandem ratione id fiat, nunquam tamen à crimine, & injustitia vacuum est, & immune: quin & multò res est detestabilior, quando post agnitam Numinis veritatem & palàm assertam, post interdicta sibi publica professione Sacrificia idolis impensa, post admissam veram Religionem, invita licet, & reluctante conscientia externus Idolis cultus adoptatur.

Vir Criticæ peritissimus æquè ac illustris (2), autumat, his Naamani verbis, non veniam deprecari illum pro cultu Numini imposterum impendendo, sed pro eo, qui ante hac exhibitus fuisset. Hunc sensum non malè referre videntur verba Textus Hebraici, ita planè ad literam reddenda: *Ut ignoscat mihi Dominus pro hac re, quando ingrediebatur Dominus meus Templum Remmon,*

A *ut adoraret, & illo innitente super manum meam, & si adoravi in Templo Remmon* (3). Contonum etiam magis videtur, si venia rogetur à Domino pro crimine commisso, quàm pro committendo; pœnitudo enim præterita respicit: ac si venia pro crimine, quod jam committendum decrevimus, deprecemur, nonnè ipsi nobis viam ad veniam præcludimus? Hæ vero Naamani preces multò etiam magis præposteræ apparent, quòd post missum idololatriæ nuncium, atque unicæ Religionis professione jurata, adhuc tamen veniam postulat pro idololatria iterum recipienda.

Vulgatis tamen ratio utrumque virum à crimine absolvendi hæc initur (4). Inter omnes con-
B venit, deberi viris Principibus, ac in dignitate constitutis reverentiam, & obsequium à subditis; deberi autem non in locis tantum prophanis, sed etiam in sacris, quantùm tamen officium, & religio patitur. Quare Naaman potuit euntem Regem ad Templum comitari, potuit innitentem brachio sustentare, potuit unà cum illo procedere, stare, prosternere se; quippè qui non in cultum Idoli hæc exequeretur, sed in obsequium Principis, nec ut religioni suæ, sed ut muneri faceret satis.

Ita occasione parum dissimili Tertullianus de Idolol. c. 16. 17. permisit Christianis, euntes ad
C Templa Paganos heros prosequi: *Licebit adesse in quibusdam, quæ nos homini, non Idolo officiosos habet.* Si quis autem, addit ille, ad Sacerdotium me, aut ad sacrificium invitarit, huic ego morem nunquam geram; quod hæc in Idolum præstentur officia: sed si jure alio Sacrificulo obstrictus tenear, inter spectatores sacrificio adsistam. Quid enim alioqui fieret de servis, libertis, atque domesticis fidelibus, cum heros, sivè patronos habent sacrificia præstantes? Fas est igitur viro Christiano eadem præstare in Principes, & Magistratus officia, quæ olim Patriarchæ, & Prophetæ nonnulli toto vitæ tempore servitiis Paganorum addicti exhibuerunt. Ita Daniel in aula Babylonis, Joseph in Ægyptiaca vitam tra-
D duxerunt.

Profectò si adoratio intimo cordis obsequio summum Dei dominium agnoscentis exhibetur; quisnam post solemnem factam à Naamano protestationem omnem se respuere Idolorum cultum profitente, de fide illius dubitaverit unquam? Prosternebatur quidem coram Idolo, significationem quamdam cultus præseferebat, quæ tamen nullum haberet adjunctum erga Numen devoti cordis obsequium, in quo uno ratio adorationis consistit. Externus corporis habitus nihil est, quippè qui solùm adjuncto proni cordis affectu vituperationem meretur vel præmium. Eliseus autem non is erat vir, qui permittere sivè tolerare vel dissimulare saltem cultum impium, at-
E que veri Dei cultui repugnantem posset. Quin & Theodoretus Q. 19. in 4. Reg. autumavit, eadem externa corporis veneratione, qua cultum impendere in Idolum videbatur Naamanus, intimo tamen animi sensu vero Deo prosternere se intendisse. Quæ tamen viri docti sententia inabsurdas planè consecutiones pertrahi potuisset, quasi scilicet fas esset thura Idolis offerre, externi cultus significationem exhibere, modò intimus mentis oculus fixus in Deum intendatur. Apage hæc absurda à Patre piissimo æquè ac doctissimo.

Quam hucusque exposuimus sententiam cave credas suis carere difficultatibus. 1. Si Naaman post solemnem cultus veri Numinis professionem, unà cum Rege Idololatra coram Remmon pro-

stra-

(1) Maimon. Vide Grot. hic, & Seld. de jure N. & G. l. 2. c. 10.

(2) Bochart Epist. seu Dissert. in hunc locum, t. 1. Operum ejus, Edit. Lug. Batav. an. 1692. pag. 808.

(3) לדבר הזה יסלח יהוה לעבדך בבוא אדני בית רמון להשתחות שמה והוא נשען על ידי והשתחותי בית רמון
בהשתחותי בית רמון יסלח נא יהוה לעבדך בדבר הזה Ita & Chald.

(4) Vide Lyran. Sanct. Menoc. Vatabl. Serar. Cajet. Natal. Alex. t. 2. hist. V. T. Dissert. 7.

stratus appareret, maximo sanè scandalo totius rei non ignaros affecisset. 2. Cur res illa à crimine absolvatur, quam ipse Naaman damnandam censens, veniam de illa deprecatur? 3. Si Sacrificio tanquam Minister assistere nemo potest sine crimine; si, ut ait Tertullianus ubi supra, *Ad Sacerdotium & Sacrificium vocatus non ibo; proprium enim Idoli officium est: Sed neque consilio, neque sumptu aliave opera in ejusmodi fungar*, quid sane plus de Idololatria participat, quàm inclinatio, & adoratio coram Idolo? Nec tamen Naaman ea cavet: inclinantem se Regem, & sustinet brachio, & simul ipse inclinatur, ac tandem externa corporis habitudine nihil ille, quod à Rege factum sit, omittit. *Si merum quis Sacrificanti tradiderit, si verbo aliquo sacrificio necessario adjuverit, minister habebitur Idololatriæ. Tertullianus loco cit.*. Et post hæc Naaman absolvendus?

Frustra verò quis reponeret, virum illum satis mentem suam in cultum Dei propensam expoluisse, cui proinde de externa cultus idoli significatione, nulla potuisset invidia creari. Cum enim viri professio omnibus fuisset explorata, si post hæc coram Numine prostratus, ut obsequium Regi suo præstaret, videretur, statim agi omnes intelligebant non de cultu religioso, sed de officio in Regem exequendo. Sed ideo potissimùm debuit Naamanus prohiberi, ne quid populum de ejus religione persuasum offenderet, neve diversam inderet insuentibus ideam, quàm quæ antea de illo concepta erat. An Judæus religionis suæ studiosus præstitisset unquam quæ ipse præstitit? An vero quæ Judæo crearent invidiam, eadem Naamanum absolvunt? Profectò si Daniel in aula Nabuchodonosoris, si pius senex Eleazar coram Præfectis Regis Antiochi, si S. Paulus ante Paganorum tribunalia Naamani exemplum imitari maluissent, res illorum fuissent salvæ, ac Daniel (1) ad concentum instrumentorum musicorum se statim coram Idolo prostrasset, non quidem ut cultum Numini impenderet, sed ut Regi civili obsequio morigerum se præberet; sicut etiam Eleazar puram carnem degustare sustinuisset, (2) falsò Paganis persuadens se ex idolotytis participasse; ac tandem S. Paulus nulla habita ratione Idoli, quippè quod nihil esset, neque scandali pusillorum, carnes indiscriminatim adhibuisset in cibum, quamvis sciens prudensque immolatas fuisse Idolis nosset (3). Usus enim ille ea occasione fuisset libertate omnibus permissa, quippè qui aversam habebat ab Idololatria mentem; ejusque rei nulla creari poterat in Apostolum, cujus sententiam omnes exploratam habebant, invidia.

Tandem si nos immunem à crimine Naamanum, & Eliseum asseramus, cum alter coram Numine prosternebatur, alter eam cultùs significationem permisit; cur eos damnaverimus, qui proximæ peccandi occasioni se exponunt, qui dicto, vel facto aliquo in scandali discrimen pusillos adducunt, qui loca frequentant, vel socios famæ deploratæ, qui tandem cum de religione agitur, fidem suam simulatione aliqua occultant. Habeant viri illi optimam cordis habitudinem, nihil se mali vel cogitare vel optare sanctè profiteantur; nihil tamen apud prudentes piosque Christianos proficient. Si officium geris, quod sine crimine non præstatur, vel saltem sine externa criminis significatione, ut scandalum ingeras pusillis, retrahe te statim, neve committas unquam, ut laqueum & offendiculum fratribus compares. Hæc Christianis æquè ac Judæis injuncta sunt.

Ut absurdas hasce consecutiones evitemus, mihi sanè probaretur ratio illa legendi Textum originalem, qua de crimine jam commisso veniam deprecatus Naamanus exprimitur: vel saltem rogasse Naaman potuit, ut pravam hanc, cui assueverat, adorandi nempè in Templo Remmon una cum Rege habitudinem, carere tandem sibi precibus Elisei daretur. Textus enim originalis non legit, Regem prosternere se, ac proinde Naamanum cui innitebatur secum ad prostrandum cogere, sed tantummodo habet: *Quando ingreditur Dominus meus Templum Remmon, ut adoret, & illo innitente super manum meam, ego adoravi in templo Remmon. Cum igitur ego adoravi in eodem loco, ut ignoscat mihi Dominus servo tuo pro hac re*. Ratio legendi, quam Septuaginta & Author Vulgatæ prætulerunt, pronior est, me etiam fatente (4): *Si adoravero in templo Remmon, adorante eo in eodem loco*.

Quæ posterior lectio si retineatur, maluerim ego Naaman criminis, atque Eliseum indebitæ reum indulgentiæ damnare. Hæc opinio non ita singularis est, ut doctos, peritosque Scriptores nonnullos non habeat assertores (5). Vel potiùs Naaman veniam commissi criminis deprecatur, cum scilicet unà cum Rege suo supplex coram Remmon sese prostraverat. Hæc posterior interpretatio planior mihi, & genuina creditur, magisque Hebræo, & Chaldæo consona. Syriacus, & Arabicus interrogationem interponunt: *Ignoscet mihi Dominus servo tuo, si quando ingreditur Dominus meus Templum Remmon, ut adoret, illo innitente supra manum meam, si adoravero in Templo Remmon, adorante eo in eodem loco? Cum, inquam, ego adoravero in eodem loco? ignoscet mihi Dominus servo tuo pro hac re? Qui dixit ei: Vade in pace*. Servatur hic eadem lectio ac in Hebræo, & Chaldæo in illa voce *si adoravero*; dein verò ad alium sensum divertitur duriorem planè ac in Vulgata, & Septuaginta. Interrogat enim juxtà eam lectionem Naaman, num impetraturus sit à Domino veniam, si unà cum Rege coram Idolo se prostraverit?

Nostræ hujus Dissertationis articulum quendam reprehendere visum est nonnullis (6). Arduum enim & indignum putarunt adoptari à nobis *singularem Bocharti sententiam*, de postulata scilicet, à Naamano commissi jam criminis venia, cum potiùs rogasse virum illum dicant Prophetam, ut sibi deinde daretur facultas unà cum Rege Syriæ in Templo Remmon, & coram Idolo unà cum Principe ejus brachio innitenti prostrari. Hanc autem nostram sententiam contendunt nullo argumento evinci posse. Numquid enim, addunt, Naaman nullum aliud Idololatriæ specimen exhibuerat, quàm ut in Templo Remmon unà tantum cum Rege se prosterneret? Et si plura commiserat Idololatriæ crimina, cur de uno tantummodò hoc veniam postulat? *Nullum ejus rei argumentum satis convincens adducitur. Adde, Textus omnes & Versiones præsentem vel futurum nunquam præteritum ferre. Tenenda est igitur omnium Catholicorum Interpretum sententia*. Hæc in nostram sententiam objiciunt, quibus aliquid reponendum est.

Hanc sententiam, quam Bocharti singularem dicunt, Scriptores longè plures eruditione linguæ sanctæ & phrasis Scripturæ scientia insignes defendunt. Videsis Joannem Andream Quenstedium in Dissertatione singulari de hoc argumento

(1) Dan. 3. 1. (2) Macch. 6. 21. &c.
(3) 1 Cor. 8. 13. *Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum*.
(4) S. Hieron. legit בהשתחוי (pro) Septuag. בהשתחויתי 70. Ἐν τῷ προσκυνεῖν αὐτὸν ἐν οἴκῳ Ῥεμμάν.
(5) Vide Pet. Martyr. hic, & Hugon. & Greg. de Valent. apud Corn. a Lap. hic.
(6) Memoir. de Trevoux. Martii 1713.

to (1). Laudat illc in eandem sententiam Sanbertum, Valterium, Glassium, Dorschæum, Dan-haverum, Calovium, Dilherum, aliosque nonnullos; quibus addi possunt Vantilius & Cene in suo *Specimine Versionis*; nequid dicamus de Bocharto, cujus nos sententiam secuti sumus in nostra Dissertatione

Porrò Scriptores isti omnes indignum rati, si postulatam à Naamano (quantum verbis primo intuitu præsefertur) facultatem approbarent; nec minùs perniciosas consecutiones timentes, quæ statim deducerentur, si postulata omnia ab Eliseo permissa dicantur, prosternendi se scilicet coram Idolo; adoptandam nostram hanc interpretationem censuerunt. Affirmare etiam nos jusato possumus, viros plures mentis acumine præstantissimos ostendisse, quibus cum vulgaris interpretatio Catholicorum minùs probaretur, de sententia hujus loci mirè angebantur.

Inconsultò profectò addunt criminatores nostri, rejectam in Dissertatione sententiam Catholicis omnibus Interpretibus probari. Gregorius de Valentia Jesuita non obscuri nominis (2), hanc Naamani petitionem, si fortè adeundi Idoli facultatem postulavit, criminis, quod etiam à nobis factum est, condemnat. Condemnat etiam Hugo de S. Caro Cardinalis in 4. Reg. 5. 18. cui etiam Elisei indulgentia criminis arguitur. Hac autem indulgentia usum Prophetam autumat in favorem Judaicæ Religionis, ita tamen ut viri fidem obligaverit, ut omnem tandem infidelis Principis famulatum abjiceret, cum opportunum tempus ostendisset; nec interim alia ratione dissimulandum cum illo censuisse credit Prophetam, quàm quòd e re Judæorum futurum videretur, si in Aula Regis Damasci vir aliquis veræ Judaicæ religionis res promoveret. Æquos Judices appello, an hæc satis habenda sint, ad permittendam Naamano in Aula Regis Idololatræ moram, tum & ad asserendam illi facultatem, externam cultus significationem Idolo impendendi. Post damnatos Ecclesiæ sententia Sinenses ritus, quis talia defendat?

Addunt, nullo satis idoneo argumento convinci posse, nullam aliam Idololatriæ significationem exhibuisse Naamanum, quàm quod coram Idolo unà cum Rege prostraretur, quæ nostræ sententiæ consecutio est apertissima. Possem ego totam hanc consecutionem negare. Numquid enim non potest quis grandioris alicujus criminis veniam petere, in quo cætera minora veluti contineantur, nulla facta de minoribus illis mentione? Fac virum aliquem, spectatæ alioquin vitæ, sed Idololatriæ criminis reum, veniam postulet de impenso publico aliquo & singulari scandalo Idolis cultu; nonne & de minoribus quoque Idololatriæ facinoribus idem præstitisse unà simul censendus est? Quid in ea re non consuetum, quid absonum rationi? An intolerabilia asserimus?

At enim Textus & Versiones præsens & futurum nunquam præteritum habent. Qui sanè hæc asserunt, nunquam Chaldæum, nunquam originalem Textum consuluerunt. Ita præteritum legit Hebræus (3) *Quando ingreditur Dominus meus Templum Remmon, ut adoret, & illo innitente super manum meam, ego adoravi in Templo Remmon. Cum igitur ego adoravi in eodem loco, ut ignoscat mihi Dominus servo tuo pro hac re. Eliseus dixit ei: Vade in pace.* Si hanc Textus authoritatem sequamur, de crimine ante ejuratam Idololatriam commisso veniam postulasse Naamanum asseremus. Nec sanè aliter verba illa interpretari ponum est, cùm una eademque in Textu vox cultum Naamani & Regis æquè designet. Scitum est autem, Regem illum non externam tantùm cultus significationem Idolo impendisse; tantundem ergo & Naaman de se fatetur.

Si quis verò contendat utrumque virum cultum suum ex animi sententia impendisse, Regem Idolo, Naamanum verò, in Fano licèt & coram Idolo prostratum, Deo Judæorum, ut unius ejusdemque externa specie actionis alter alterius esset finis; illi sanè cavendum, ne Religionem ipsam in discrimen adducat. Ejus certè doctrinam Christianorum probarit nemo, quibus id religione sanctum, ut omem in fide & præcipuo cultu simulationem tamquam prævaricationem quamdam abjiciant: *Qui me erubuerit, & meos sermones, hunc filius hominis erubescet, cum venerit in majestate sua* Luc. 20. 26. Restat igitur, ut dicant, Naamanum ad Templum unà cum Rege se conferentem, obsequium Principi debitum, non cultum Numini impendisse. Imbecillitatem meam fateor; hanc ego sententiam, cujus perniciosas timeo consecutiones, ferre non possum; nec in animum unquam inducam, virum ejus probitatis, scientiæ, & in Religionem suam studii, qualem Eliseum credimus, id commisisse, ut rem illam suffragio suo confirmaret.

DISSERTATIO
DE RETROGRADATIONE SOLIS
in horologio Achaz.

CELEBRE illud sub Ezechia prodigium, cui Dissertatio hæc nostra debetur, non simplex prodigium tantummodo censendum est, cujus veritas contra impios, & absurdos obtrectatores asserenda sit, sed pluribus miraculis constans prodigium, de quibus singulis pia fidelium studia explere, siquidem fieri possit, eorumque instruere fidem, & Religionem, sicut etiam philosophantes quasdam mentes pascere opus est. Nos igitur impræsentiarum sensum textus in examen revocabimus, varias exponemus sententias, ac tandem totum prodigium evolvemus; inquirentes insuper an per universum latè Orbem spectabile se illud exhibuerit, vel solùm in Palæstina; an Sol retrogrado cursu iter converterit, vel tantùm horologii umbra recesserit; an ea contigerit retrogradatio sensim, vel in instanti; ac tandem ad horologiorum originem divertemus.

Cum Rex Ezechias gravissimo laboraret morbo, Isaias jussu Domini ad ægrotum veniens, incolumitatem infra triduum annunciavit, & eam incolumitatem, ut statim posset ad Templum ascen-

(1) In 4. Reg. 5. 18. In thesaur. Disser. Theol. Philol. Sanbert. Vivarienses Paraphrastæ in Biblior. Norimberg. Valter. Centur. Miscell. Theolog. art. 6. Glassius ab Hakspan de hoc loco consultus. Dorschæus Theolog. Zacch. par. 6. Danhaver. Consciential. tu. 2. pag. 2. Calov. Annot. Antigrot. in 4. Reg. 5. 18. Dilher. Disput. Academic. t. 1. Disput. 16. & 23. Vantil. Medulla pag. 436. *Cene Project. de Traduction.* pag. 47.

(2) Tract. de Fide & Fidei professione disp. 1. qu. 3. p. 2. ad 3. apud Cornelium à Lapide in 4. Reg. 5. 18.

(3) הזה יסלח יהוה לעבדך בבוא ארני בית רמון להשתחות שמה והוא נשען על ידי והשתחויתי בית רמון בהשתחויתי בית רמון יסלח נא יהוה לעבדך בדבר הזה

ascenderet. Certo quodam signo dictorum fidem A adstrui sibi Ezechias poposcit. Cui Isaias proposuit, malletne Solis umbram 10. lineis procedere, vel tantumdem spatii recedere: Tum Rex, nullo, inquit, negotio fieri potest, ut umbra decem lineis acceleretur. Alterum igitur præfero. Nec mora: statim enim verso in preces Propheta, umbra decursas jam decem lineas in horologio Achax, iterum verso cursu repetit. Hæc historia legitur in 4. Reg. 20. 11. In 2. Par. 32. 24. prodigium illud tantùm indicatur, exactiori singularum rerum descriptione prætermissa. Isaias 38. 7. 8. singula juxtà fidem Libri Regum prosequitur; quanquam non solam umbram recessisse memorat, quemadmodum in Libro Regum, sed & Solem: *Et reversus est Sol decem lineis gradus, quos descen-* B *derat*. In Textu Latino Isaiæ exprimitur horologium Achax, de quo etiam in libro Regum. Sed Textus originalis habet tantummodo gradus Achaz (1). S. Hieronymus fatetur Symmachi se fidem sequutum vertisse horologium, & lineas, quod Textus habet gradus, & scalas. Jonathan reddit אבן שעה *lapidem horarium*.

Variant Interpretes in explicanda structura horologii Achax. S. Hieronymus in Isai. 38. hæc habet. *Sive ita extructi erant gradus arte mechanicha, ut per singulos umbra descendens horarum spatia terminaret*. Paria sensit etiam S. Cyrillus Alexandrinus in Isai. l. 3. t. 4. pag. 469.. Sequuntur hoc Authores plerique recentiores Interpretes (2), inter quos non desunt, qui autumaverint, C potuisse Ezechiam è suo conclavi, ac lecto facilè horologium spectare, ut totius prodigii testis esset oculatus.

Aliis verò creditur, verum horologium solare instar primigeniorum illorum, quæ olim obtinuerint in Græcia, & in Italia, ita à Veteribus descripta, quasi columna essent in medio areæ erecta, quam scilicet aream variis lineis distinguebant. Percurrens igitur umbra columnæ varias illas lineas, horas diei notabat. Cùm autem vetustissima dividendi horas ratio totam diem in 12. horas dispesceret, pro diebus variis & anni temporibus variasse etiam horas oportebat; quare horologii illius lineæ quamplures notari debuerant: quippe quæ non horis tantummodo re- D spondetent, sed inæqualibus etiam horis pro singulis anni temporibus servirent. Hinc certum linearum in horologio Achax numerum definire vix possumus, nec certum notare spatium retrogradationis. Sunt qui 12. lineas notant; sunt qui 24.; alii malunt 28. (3); alii etiam numerum augent.

Totam hujus horologii rationem ex R. Elia Chomer ita Grotius describit. Concavus erat, atque hemisphæricus globus, alterum in medio complectens globum, cujus umbra in varias lineas in hemisphærio notatas incidebat, quæ sanè lineæ, inquit, 28. erant numero. Hoc horologium Græci *Schaphen*, nempe navim, vel *hemisphæron* appellant, cujus inventi honorem Beroso E Chaldæo tribuit Vitruvius l. 9. c. 9. Nos infra ostendemus multo faciliùs credi, horologium Achax ad Chaldæorum imitationem expressum fuisse. Similis fermè horologii inventionem, cujus postea formam describemus, Moysi tribuisse Appio videtur. Lineæ in sphærica concavitate signatæ multùm ad gradus referri videbantur. Sed quæcunque fuerit hujus horologii structura, convenit inter omnes, opus illud horis distinguendis servisse; sicut & indicio umbræ retrogradæ hujus machinæ fidem dictorum suorum Isaiam adstruxisse.

A Sed negotium facit hujus retrogradationis ratio. Duplex est potissimùm inter Catholicos Interpretes sententia; alii Solem ipsum cursum vertisse tenent; recessisse tantummodo umbram alii malunt. Ambo hæc in examen revocanda. Patres, sicut & Interpretum plerique (4), literam Scripturæ tantùm sequuti, nihil indè objectas difficultates sive alicujus momenti, sivè in speciem tantùm morantur. Ita enim philosophantur: Res æquè ac prodigium constat; ut quid physica ratione explicandum laboremus, quod supra naturam est? Idem ejusdem rei Author, ipse etiam se illam fecisse prodidit; quem sanè sapientissimum novimus, ut incommoda omnia, quæ objiciuntur præcavere potuerit: sicut etiam virtute pollet plu- B rima, qua hæc omnia superet.

Pseudo-Dionysio Areopagitæ Ep. 7. ad Polycarp. visum est, eam diem productiorem cæteris fuisse, in quam etiam sententiam S. Gregorius Nazianzenus Orat. 19. in laudem Patr. & Elias Creten. inclinavit: utrique proindè ea sedit opinio, ut Sol retrogrado cursu iter converterit. S. Hieronymus in Isai. c. 38. ad orientale horizontis punctum remeasse Solem censuit. *Ut quomodo Sol reverteretur ad exordium sui, ità Ezechiæ vita ad detextos annos rediret*. Paria meditatus est S. Augustinus de Civ. l. 21. c. 8. *Retroversum maximum sidus regnante Ezechia*. Eadem fert Author de mirabilibus S. Scrip. l. 2. c. 28. *Solis in ortum ab occasu per decem horas cursum recidivo Deus tra-* C *mite retorquet*; additque insuper: *Sol in procinctu occasus sui positus, in diei initium reducitur*. Hanc Solis retrogradationem universum, qua latè patet, terrarum Orbem sensisse Theodoretus est author q. 52. in 4. Reg., cujus, inquit, rei circumstantias omnes & caussas discere cupiens Rex Babyloniæ, Legatos suos Jerosolymam misit.

Huic sententiæ plurimum conferre videtur tum expressa Scripturæ authoritas, ac PP. & Interpretum suffragium, cum etiam quòd captui & menti vulgò Fidelium magis sedeat. Cum autem S. Spiritus potissimus Sacrorum Librorum Author, simplicium captui attemperare se decreverit, ideo dum certum quemdam sensum exprimit, non nisi per summam audaciam & impietatem ejus ver- D ba aliò detorquerentur, nisi fortè vel absurda quædam atque repugnantia alia Scripturæ loca aliter persuasissent. Quæ verò in hanc sententiam afferuntur incommoda, hæc ex variis Philosophiæ systematibus petuntur. Sed quæ à Philosophis de dispositione partium Universi, quantùm spectat ad terram, ad arbitrium excogitata, adeò mera sunt figmenta, ut jure Patres atque Ecclesiasticorum Interpretum plerique nihil sibi ab illis præcavendum censuerint. Cæterùm quando de rebus obscuris, systematibus, atque meris opinionibus agitur, semper illud præferendum videtur, quod planius est & simplicius, tum & magis cum Scriptura, & communibus notionibus quadrat, quamvis non ea sit sententia quæ è difficultatibus eximatur. Si de Philosophorum placitis nobis nego- E tium fiat, quid nos magistros nos sequi compellit? quid eorum figmenta cum S. Scriptura conciliare cogit? Nonne æquior ratio postulat, ut Philosophia potiùs ad revelationem, quàm revelatio ad philosophiam pertrahatur? & id maximè cum Scripturæ verba aperta sint & explorata, & Philosophia, nonnisi hypotheses incertas habeat, quippè quæ corpora cælestia longissimo dissita intervallo vix prospiciat, atque naturæ secreta frustra hactenus tentaverit. Uni igitur Scripturæ & revelationi inhærendum, vel invitis philosophicis systematibus, nullo nisi humana ratioci-

(1) מעלות אחז 70. Ἀναβαθμοί. Gradus.

(2) Vatabl. Pagn.

(3) *Vide si places* Grot. in hunc locum & Præadam. part 1. cap. 4.

(4) *Vide si places* Sanct. 2. 19. Tir. Jur. Pisc. Perer. Nat. Alex. Diss. 8. t. 2. in V. T. &c. Procop. *Lyran*. Hug. Hammon. Adam. Isai. Ser. in Josu.

tiocinatione, rebusque exploratis per sensus fultis.

Hisce tamen reponunt, Scripturam minùs & philosophiam & naturæ arcana edocenda curare, quare uti non raró phrasibus via aliter explicandis, nisi ad regulas rationis, & Philosophorum ratiocinationes revocarentur. Inter systemata verò Philosophiæ, addunt, quædam occurrunt certa adeò, & sensibus atque experientiæ probata, ut inter clara metaphysicæ notiones jure meritoque reponenda sint. Naturæ Author vias semper affectat simplices & naturæ consonas, atque prodigia nonnisi summa necessitate multiplicanda sunt, nisi forté perniciosa fictorum miraculorum sarcina Religionem onerari voluerimus. Prodigia illa, quorum illustre est in S. Scriptura monumentum, maximique sunt ad fidem nostram momenti, cum legibus naturæ nunquam non quadrant, id agente Deo, ut insitæ humanis mentibus credendi res supernaturales repugnantiæ, quantum fieri potest, minùs aversetur. Porrò Solis retrogradationem si quis ad literam voluerit interpretari, hic statas à natura leges in motu Solis subverterit omnes, universi Oeconomiam turbaverit, tabulas & observationes omnes Astronomicas subruerit. Namque vel unus Sol retrogrado cursu decem lineas repetiit, cæteris interim astris cursum suum tenentibus, quod legibus motus repugnat, cùm impresso sibi à cursu superiorum Cœlorum impetu Solem rapi necesse sit, vel unà cum Sole reliqua simul astra iter verterunt, quod non minùs veritati repugnat. Præstat igitur ut retrogradationem illam umbræ tantummodò horologio Achaz deputemus; tunc enim promissorum Isaiæ fides liberatur, atque verba Scripturæ in Libris Regum ad litteram servantur. Fatemur quidem, Isaiam expressisse recessum umbræ simul & Solis; sed *Sol* in eo Scripturæ loco usurpari facilè potuit pro luce, radiis, atque umbra ab iis resultante. Præstat enim obscuram phrasim per apertiores & expressiores alias explicare.

Sed umbram recessisse concipere non possumus, ni corpus aliquod opacum alia quàm priùs ratione luci opponatur, vel à loco dimoveatur, vel saltem eo immoto corpus ipsum lucidum removeatur. Posterius hoc prodigium nihilo minorem fidem extorquet, quàm prius illud: utrinque foveæ sunt, incommoda utrinque. Si à Sole abstineatur manus, fatemur quidem omnibus Cœli astris parci, ne contrario motu retroverti cogantur; sed male tunc quis de rationis lumine & experientia communi omnis ætatis mereretur.

Scriptor inter acerrimos prodigiorum S. Scripturæ adversarios (1), prodigiorum tamen vel invitus agnoscere in recessu umbræ, Sole non recedente, cogitur. *Contra ordinem*, ait, *& naturalem effectum Solis & umbræ, miraculo, & modo hominibus ignoto umbra reducta fuerit retrorsum decem gradibus* Isaias & Ezechias, addit ille, bona fide autumantes Solem circa terram torqueri, visam umbræ retrogradationem ad astrum transtulerunt. His authoribus, cæteris per Orbem gentibus impositum est. Sed neque à Propheta, neque à Rege, & populis Astronomiæ peritia repetenda est, totumque prodigii mysterium non à Sole, sed umbra decem lineis recedente efficiebatur. Hoc unum prodigium est.

Audacior adhuc Scriptor alius (2) ea de re loquitur generosius. Primùm enim simplicitatem illorum ridet, qui de Sole retrogrado fabellam crediderunt, cum, inquit ille, umbra tantum horologii decem lineis recessisse visa sit: Unde verò hujus umbræ recessus? ecce in promptu: è parhelio, ait ille, sive nube, quæ è regione Solis constituta exceptos ejus radios in stylum horologii ita regerebat, ut umbram efficeret decem lineis recedentem. Evanescunt hic omnia prodigia, prona sunt omnia, & naturæ legibus consentanea; ut si quid prodigii creditum fuerit, id non rei ipsi, sed vulgaris rudisque populi credulitati deputandum sit. Neque Isaias cæteris doctior fuit; quippè qui de parheliis ne per somnium quidem cogitaverat, factaque est ad ipsum juxta ejus captum revelatio; atque in ea erat simul cum Rege Ezechia persuasione, ut Sol circa terram torqueretur. Quidni igitur prodigio rem sibi ignotam deputarent?

Felix planè sæculum nostrum, quo Spinosam vivere contigit, virum Prophetis & Authoribus Theodidactis, insignibus Synagogæ Doctoribus, Patribus Ecclesiæ eruditissimis, nostris Commentatoribus doctiorem; quippè qui unus intellexerit, quod illi unanimi consensu huc usque præ mentis imbecillitate, prodigio, & quidem maximo in paucis totius Scripturæ deputarunt. Viri Babylonis Astronomiæ licèt peritissimi, quam unam scientiam tot sæculis nunquam intermissò studio excoluerant, in Schola hujus docti Increduli infima auditorum subsellia tenuissent; eoque viro doctissimo audito, ab itinere Jerusalem capiendo abstinuissent, discentes inopinatum eventum parhelio deputari. Unde verò tam opportunum accidit phænomenon illud? unde eum temporis articulum expectavit, ut precibus Isaiæ, atque promissorum ab illo fidei asserendæ inductum videretur? Plus sæpè in ea temporis circumstantia, quam in re ipsa apparet prodigii. Docet quidem Author noster alio in loco (3), *Prophetas semper signum aliquod habuisse, quo certi fiebant de rebus, quas prophetice imaginabantur*. Norat profectò, addit ille, Ezechias prophetiæ dono Isaiam claruisse, ejusque de rebus diu postea futuris oracula sciebat; sed in hac occasione vult certo aliquo signo de veritate illius oraculi fieri certior. Verùm si datum illud ab Isaia signum communes naturæ leges non transcendebat, qui fieri poterat, ut prophetiæ certam, & infallibilem veritatem demonstraret; prophetiæ, inquam, quæ tota, juxta Spinosam, è Prophetæ imaginatione repetenda erat? Non erat planè signum illud ipsa, quam indicabat, re certius: cum utriusque eadem esset natura; quin & signum re ipsa quodammodo erat obscurius; namque, juxta eundem, neque Propheta neque Rex veram ejus causam noverunt. Neque est cur dixerimus, Deum revelasse Prophetæ veluti supernaturale aliquid, quod re ipsa naturalis ordinis effectus esset; nam quis credat Deum imponere voluisse Prophetis & populis, certæ & infallibilis veritatis signum adducens neque certum, neque supernaturale?

Authores Catholici, qui umbram tantùm non Solem recessisse suspicati sunt, modestius de tota hac controversia senserunt (4). Cum planè illi animadvertissent incommoda hujus opinionis supra diducta, omnem verterunt curam, ut Scripturam cum Philosophia conciliantes, veritatem historiæ unà simul cum miraculi fide componerent. Notant igitur, 1. Textum Scripturæ disertè satis pluribus in locis exprimere Solis umbram recessisse. Porrò si recessus Soli tribuendus fuisset, præposterè sanè recessisse umbra perhiberetur. Fatentur quidem alibi expressam legi retrograda-

(1) Præadam. par. 1. c. 4.

(2) Auth. Tract. Theologico-Polit. c. 2. pag. 27. *Esaiæ signum umbræ retrogradæ ad ipsius captum revelatum fuit, ... & de parheliis fortè nunquam nec per somnium cogitaverat, quod nobis sine ullo scrupulo statuere licet.*

(3) Auth. Tract. Theolog. Polit. c. 2. par. 16.

(4) *Vide si placet*, Burgens. Mont. Val. Tir. Sa, Sanct. ad 4. Reg. 20. 11. art. 11.... 16, 17. & ex Acath.. Grot. Bochar. Chanaan. l. 1. c. 34. Voss. de Orig. & progr. Idolol. l. 2. c. 5. & alios.

gradationem Solis; sed Solis nomen pro umbra A ab eodem astro in horologio resultante usurpatum est, quemadmodum contigit sæpissimè, ut effectus pro causa, & signum pro re significata ponatur. Ita Jon. 3. dicitur: *Percussit Sol super caput Jonæ, & æstuabat*; ubi Sol pro radiis Solis ponitur. Ita etiam cùm Eccli. 48. 26. habetur: *In diebus ipsius* (Ezechiæ) *retrò rediit Sol, & addidit Regi vitam*, quo in loco diffitetur nemo Solem, sive umbram signum tantùm fuisse valetudinis Ezechiæ. 2. Animadvertunt prodigium illud ad unum Ezechiam destinari, ejusque in horologio fuisse spectandum; quare opus non fuit, ut in universo Orbis theatro conspicuum præberetur. Erat enim Divinæ Sapientiæ, ut quod paucis perficere poterat, multis non ageret, parcit enim Deus Omni- B potentiæ suæ, neque à legibus naturæ, nisi quantum necessitas poscit, sibi ducit recedendum. 3. Legati Regis Babyloniæ Jerusalem venerunt, *Ut interrogarent de portento, quod acciderat super terram* 2. Par. 32. 31.; nempè in Judea, quæ terræ nomine consueta phrasi designatur. Porrò si hæc Babylone æque ac Jerosolymæ contigissent, quid opus fuit ad veritatem exquirendam Jerosolymam adivisse? 4. Si res universum orbem habuisset spectatorem, viz fieri potuisse credimus, ut nullus de illa Scriptor extaret. 5. Si Sol post decursas decem lineas iterum verso cursu easdem repetiisset, ut iterum illas emetiretur, dies illa profectò longior fuisset, quàm quæ sub Josue; illa enim duplo major fuit quàm pro more, nempè 24. ho- C rarum; hæc verò ad 32. devenisset. Differtè autem Scriptura exprimit, nullam diem priori illa productiorem unquam fuisse sivè antea, sivè postea (1). 6. Tandem omnia recurrunt incommoda supra fusiùs diducta, nempè corporum Cœlestium harmonia turbata violento illo, & irregulari motu &c.

Qua verò ratione retrogradatio ista in horologio contigerit, ita Scriptores illi rem describunt. Potuit Deus motum suspendere, Solisque radios ita determinare, ut umbra non à Sole aversa demitteretur, sed quemadmodum oriente sole fieri contingit in conclavi ad Occidentem patente, umbra ipsa, quamquam ab orientis Solis radiis resultans, orientem ipsum spectat; ita prodigii D ratio in eo sita erat, ut radii Solis reflexi in stylum horologii, umbram, secus ac fieri debuisset, demitterent. Porrò reflexio illa radiorum ex compacto subitaneo opere corpore resultare potuit; quo scilicet subitò radiis opposito, obstructa consueta luci via aliam planè diversam teneret. Si hujus sententiæ momenta omnia non æquè ejusdem ponderis sunt, non ita planè se habent, ut penitus rejici mereantur, & sua pariter authoritate, sicut & Scriptorum merito veri aliquam speciem, & similitudinem obtinent.

Recentiores Philosophi, qui Solem in centro Mundi habitabilis constituunt, ac terram in vortice ejusdem astri perpetuo agitant motu, utramque hujus prodigii sententiam æquè amplectuntur; perinde enim est illis, sivè Solis radii ex E objecto corporis aversi dicantur, ut umbram detorquerent; sive Patrum interpretatio præferatur, Solem averso cursu priorem viam repetiisse statuentium; namquè quod ad nos, atque nostros sensus attinet, iidem resultant effectus sive Sol circa terram, sive terra circa Solem torqueatur. Debuit planè umbra habitudinem mutasse in horologio, si terra, averso planè à motu suo diurno cursu torqueri statuatur. De prodigio sub Josue agentes, aliam in hoc systemate de motu terræ hypothesim adduximus, quam ibidem Lectores consulant.

Agendum modò quanto temporis spatio duraverit dies illa, quæ Prophetici Oraculi veritatem Ezechiæ asseruit. Hæc quidem aliena sunt ab iis, qui totam prodigii rationem in horologio constituunt; quippè qui nihil accessisse Solis cursui, vel recessisse contendunt. Qui verò malunt Solem retrorsum vertere, illis non una sedit ea de re sententia; alii enim diem illam intra 32. horarum spatium concludunt. Primus vel saltem potissimus hujus opinionis Author innotuit Pseudo-Dionysius, eandemque tanquam sua ætate communem amplexus videtur Ep. 7. ad Polycarp.. Tradit ille diem 20. solidis horis cæteris diuturniorem fuisse; quare cum juxta veterem supputandi rationem in horas 12. diem dispescat, atque emensum jam Solem spatium 10. horarum ac decem insuper horas in recessu insumpsisse constituat, totam deinde summam in 32. horas colligit (2).

Autumant alii, lineas illas sive gradus apud Isaiam non horas designare, sed semi horas, sivè quartas horæ partes, cujus opinionis has proferunt conjecturas. Optionem præbet Propheta Ezechiæ ægrotanti, maluetne umbram decem lineis in horologio anticipare, vel totidem lineis recedere. Si Ezechias priorem conditionem acceptasset, dies emenso jam Sole decem lineas, sive decem horas, ad 20. horarum spatium productus fuisset, cum autem in Palæstina nulla dies unquam tantum temporis spatium duret, non potuit sanè in horologio tot horarum nota designari. Ita Solaria horologia horas notabant, ut multum, 16., quin & debebant tantùm 12. designasse, servata Hebræorum, tum temporis obtinente, supputatione, diem in totidem horas dividente. Statuamus ergo oportet, lineas illas apud Isaiam non horas tantùm, sed & semihoras, quin & quartas, imo & octavas horæ partes designare, quod planè necessarium erat in Judæa, ut receptæ in ea methodo, dividendi diem in 12. horas inæquales, serviretur (3).

Alii nihil huic diei præ aliis tribuunt, quàm 5. vel ad summum 10. horas (4). Statuunt illi singulos gradus horam vel semihoram notare, totiusque diei spatium intra 12. horas concludi; tum & Solem uno simul momento totum recessionis suæ 5. vel 10. horarum, pro valore nempè linearum, spatium confecisse; quare, inquiunt, confectum antea spatium iterum resumens, totidem horis, quot priùs, ad idem punctum horizontis pervenit.

Subita hæc & prompta retrogradatio Philosophos habet adversarios, quippè quibus ægrè concipiatur immane illud solare corpus tam promptè vastum adeo, & interminabile spatium conficere potuisse; quæ sanè res est non supra naturæ leges tantummodo, sed planè, ut illis quidem videtur, contraria. Ut quid, inquiunt illi, novum hoc & incertum miraculum silente Scriptura adjiciatur? Corporis ex alio in alium locum transvectio nunquam sine motu locali, & successivo fieri potest. Corporum penetratio nulla est; quare ut è loco dimoveatur, alia etiam commoveri opus est, atque relictum ab uno spatium ab alio statim occupari. Ad hæc, localis corporis motûs suum habet celeritatis certum & determinatum gradum; quippè quod opposita nanciscatur in via corpora alia cursum suum remorantia quibus de suo motu communicare aliquid necesse habet. Iter ergo illud, quod à Sole in instanti confectum statueretur, incredibilem planè rapiditatem exigeret, cui etsi multum decessisse opus esset ex communicato immanibus illis corporibus in via occurrentibus motu, tantundem tamen remansisset, ut interminabile illud

(1) Josue 10. 14. *Non fuit antea nec postea tam longa dies.*
(2) Ita S. Maxim. Scholiast. Dion. & Georg. Pachymer.
(3) *Vide, si placet*, Sanct. Tirin., & apud eum Bed. & Eucher.
(4) Andreas Masius in Josue c. 10. Cajet. Malvend. Bertram. alii plerique.

spatium momento transfigeret. Quanta porrò tunc in œconomia Universi turbatio? quanta legum motus subversio?

Sed si retrogradatio admittatur lenta, & successiva, intra plures tantùm horas peragenda, quomodo potuit Ezechias oraculi Prophetici veritatem statim intelligere? Optio Regi data, erat, utrum mallet Solem decem lineis anticipare diem, sive tantundem spatii producere. Si primum acceptasset, ac Sol 10. illas lineas successivo lentoque motu diurno, & ordinario percurrisset, qui locus fuisset prodigio? Planè voluisset ille, ut uno impetu umbra ascenderet, adeoque & eadem celeritate descendere illam voluit. Debuit ergo totum fieri in momento, neque recessum umbræ alia ratione selegit, quàm quòd difficiliùs contingere posse judicavit, ut umbra descenderet, quàm quod ascenderet. *Facile est umbram crescere* 10. *lineis; nec hoc volo ut fiat, sed ut revertatur retrorsum* 10. *gradibus* 4. Reg. 20. 10.

Itaque utrinque recurrunt incommoda; æquè enim naturæ legibus repugnans videtur, ut corpus uno temporis momento ex uno in alium locum transferatur, absque eo quòd per interjectum spatium traducendum sit; cùm maximè corpus illud immane fuerit, & duo illi termini vastissimo distent intervallo, quemadmodum impræsentiarum contingere debuerat. Videtur etiam Ezechias autumasse, illam in horologio variationem momento fieri; neque ea spe frustratus apparet. Qui totam prodigii rationem in recessu umbræ constituunt, nihil de Sole statuentes, incommoda hæc omnia facilè evitant. Alii verò quid hisce reponere possint, non satis intelligo; utrinque enim illis angustiæ, vel Solem lento motu, sive promptè recessisse statuerint. Sed post hæc omnia neutram sequi opinionem cogimur, quò prodigii veritatem statuamus. Satis est enim ad prodigium, ut umbra Achaz recessisse divinitùs, & merito precum Isaiæ dicatur. Ad hæc tantummodò expressis Scripturæ verbis cogimur.

Usserius ad Ann. M. 3291. in ea est sententia, ut Solem unà cum cæteris astris totaque Cœlesti machina retroverterat; quanquam id simul constituit, ut salvæ sint omnes observationes astronomicæ, spatium illud diei accedens à nocte detractum fuisse, Divina id agente, & disponente Providentia Ita planè, inquit ille, nostra etiam ætate Eclipses Lunæ a Ptolemæo notatæ, Regnum Ezechiæ præcedentes, cum eodem puncto componuntur, juxta calculum nostrorum Astronomorum, cui diu ante assignatæ sunt a Chaldæis. Totum igitur hujus diei spatium, compositis simul die nocteque, consuetum diurnum tempus non excessit. Sed hæc viri docti sententia sua habet incommoda; namque dum Isaias ad Ezechiam loquebatur, noctis jam spatio evoluto dies successerat. Quare quod accessit diei è nocte detrahi minimè potuit; si ille subsequentem noctem breviorem fuisse contendat, miraculum addidit, de quo altum in Scriptura silentium, illudque inducere nulla cogimur necessitate, cùm solvendi prodigii aliæ rationes occurrant.

Rabbini, fœcundi temperamentorum patentes, aliam ineunt rationem, ut Astronomicas observationes salvent, statuentes in obitu Achaz patris Ezechiæ diem 10. horis cursum breviasse suum, ne scilicet spatium daretur impio Regi parentandi. Volunt autem eas horas restitutas diei sub Ezechia, ut proinde in suas sedes restituerentur astronomicæ observationes, salvaque essent omnia.

Modò ne quid unquam omittamus contra opinionem de recessu Solis, in examen revocandum est, an apud veteres Authores quidquam ea de re

A occurrat. Vix enim fieri potuisse creditur, ut inauditi illius, atque in universo orbis theatro spectabilis prodigii memoria nulla apud posteros manserit; eamque neglexerint in suis observationibus astronomicis, & in calculo Eclipsium Sapientes illi Babylonici, qui de re tota audituri Jerosolymam se contulerunt. Extabant adhuc Alexandri ætate (1), & post ipsum etiam (2), eorum observationes, jam inde supra Ezechiæ ætatem ab Æra, ut minùs, Nabonassaris circa A. M. 3257. repetitæ. Quis autem crediderit, Græcos, sivè Romanos, tam curiosos veteris historiæ scrutatores, nunquam in historia Chaldæorum rem B adeò mirabilem animadvertisse, vel animadversam posteritatis memoriæ invidisse?

Hisce tamen plura reponenda. 1. Multa è veteribus monumentis concidisse, ac potissimùm Chaldaica, Phœnicia, & Ægyptiaca, ex quibus aliquid ea de re peti debuisset. 2. Novum non est, Veteres prodigium illud silentio pressisse, cùm plura etiam memoria dignissima tenebris & oblivione sepeliverint. 3. Præcavisse satis sese ab hac Veterum negligentia Divina Providentia visa est, prodigii memoriam in tribus Sacris Libris servari disponens. Notatur enim in Libris Regum, Isaiæ, & Paralipomenis; nec etiam obscurè de illa sermo est apud Authorem Ecclesiastici, diu post captivitatem in vivis agentem.

4. Herodotus vetustissimus Græcorum historicus subodoratus aliquid ea de re videtur; narrat enim C lib. 2. cap. 142. ex Ægyptiis didicisse se, intra spatium 10340. ann. Solem quatuor vicibus insustata quadam ratione ex horizonte emersisse; bis scilicet surrexisse ex Occidente, bis in Oriente occidisse. Verùm si rectè attendamus, Author iste plura in unum confundenda distinguit; debuit enim tantùm dicere Solem bis verso cursu ex occidente orientem repetiisse, quod quidem semel sub Josue, iterumque sub Ezechia factum novimus. Paria, sed minùs etiam credibilia & multò exaggeratiora, traditione ex Ægyptiis accepta refert Solinus cap. 45. his verbis: *Ferunt à primis gentis suæ avis traditum, ubi nunc occasus est, quondam ibi ortum Solis fuisse.*

5. Tandem Pseudo-Dionysius Areopagita in Ep. ad Polycarp. contendit, hujus prodigii memoriam D mansisse apud Persas in cultu *Mitra*, vel Solis cognomenti Triplicis; cujus nominis in causa fuit, inquit, quòd dies sub Ezechia triplo major fuit, nempè juxta illum Authorem 32. horarum. Quare, inquit, Persæ prodigium illud celebraturi, Deum suum speciolo *Triplicis* elogio insigniverunt (3). Sed peritissimi nostræ ætatis Critici (4), nec satis conveniunt de titulo hoc Mitræ, neque de causa. Quando autem Numini *Triplicis* cognomen adjectum esset, potuit ejus rei alia fuisse, quàm quæ Dionysio assignata est, causa, facilè id nominis inditum ex calore, luce, & discretione temporum, vel si mavis, ex sapientia, virtute, & charitate Numinis, &c.

Antequam ultimum Dissertationi modum imponamus, pauca de origine horologiorum differenda E sunt, sicut & de ratione horas supputandi; quò Authoris Vulgatæ interpretationem vindicemus, reddentis eo loco *Horologium Achaz*, sicut & pro gradibus nomen *linearum* substituentis. Non desunt enim Viri alioquin doctissimi (5), sustinentes horologia, sicut & diei horas, nulla fuisse Hebræis ante captivitatem; quorum sanè Hypothesis omnia evertit, quæ hucusque à nobis de horologio Solari Achaz disputata sunt. Fatemur quidem longo temporis spatio nulla fuisse Hebræis voces peculiares horologiis designan-

(1) Aristot. apud Simplicium l. 3. de Cœlo. (2) *Vide* Diod. Bibl. l. 2. Cic. de Divinat. l. 2.
(3) Ita Pachym. & Maxim. & Corder. Interpret. Dionys. (4) *Vide* Vossium de Idolol. l. 2. cap. 9.
(5) Usser. ad A. Mund. 3291. & Jaquelot. Dissert. 1. in Existentiam Dei, c. 16. pag. 190. 191.

gnandis; sicùt & nomen horas exprimens desiderari in Libris, qui adhuc extant, Hebraicè scriptis ante captivitatem Babylonicam. Sed hæc tanta non sunt, quæ latuisse Hebræos horologia demonstrent; sicut neque ignorum fuisse genti usum distinguendi horas per lineas, sivè gradus, quod in historia prodigii sub Ezechia legimus. Tobias Ninive scribebat sub Manasse Rege Juda, in cujus exemplari Chaldaicè scripto, quod ad manus habebat S. Hieronymus, disertè horarum nomen exprimitur cap. 12. 22. *Prostrati per tres horas*. Unanimis est etiam veterum, & novorum Interpretum sententia, lineas in horologio Achaz horas designasse, quorum opinio historiæ monumentis abundè fulcitur.

Nihil hìc moror Appionis testimonium apud Joseph. l. 2. contra Appion. tradentis: *Moyses, ut accepi, Heliopolitanus erat, qui patriis institutus moribus, subdivales precationes ad Septa, qualia Civitas habebat, reduxit, ad Subsolanum autem omnia convertebat. Ita enim Heliopolis sita est. Pro obeliscis verò statuit columnas, sub quibus ceu pelvis forma exprimebatur. Super columnam figura hominis posita eumdem semper cum Sole cursum circumvolvebat*; nempè, quantum conjicio, umbra figuræ supra stilum constitutæ Solis circumversionem observabat in subjectam pelvim incidens, ita facilè varias diei horas distinguebat. Alioquin quid opus fuisset figuram statuere super columnam unà cum Sole gyrantem? Opus non est impræsentiarum, adversarium istum Judæorum refutemus, cum satis inter omnes conveniat, nihil tale Moysem umquam statuisse, neque Judæis positom in moribus, ut subsolanas precationes observarent; atque ejusdem Legislatoris ætate, & diù etiam post nullas fuisse Judæis certas horas, & horologia, quemadmodum ex Libris ab eo scriptis ejusque legibus certo certiùs intelligimus.

Ægyptii jactabundi semper, & nullum lapidem non moventes, quò vetustatis, & scientiæ suæ famam augerent, contenderunt, jam inde à remotissima ætate horologia fuisse in sua regione familiaria. Erat, inquiunt, Achante, urbe ad Nilum, vas quoddam ingens, quod singulis diebus aqua opplebatur, ejusque certo, & uniformi deflusu variæ diei horæ distinguebantur (1). Ad eam normam postea fabricatæ sunt apud Græcos, & Romanos Clepsydræ, usu deinde familiarissimæ. Horæ nomen à Deo Horo, quod Solis est, derivant; ac tandem apud Ciceronem sermo est de Cynocephalo (2) duodecies per singulos dies æquis observatis temporis interstitiis mingente; ex quo succurrit Trismegisto, ut diem in 12. horas distingueret. Trismegistum hunc paulò Moyse recentiorem statuunt (3). Hæc de horologiorum, & horarum antiquitate occurrunt, quamquam sicut antiquissima non ita planè certissima videntur.

Nihil satis expressum de horologiis apud Homerum, in cujus tamen Odyssea O. V. 402. duo recurrunt versus, qui de horologiis explicari posse videntur: *Insula quadam Syria vocatur, sicubi audis, Ortygia desuper, ubi mutationes Solis*. Hæc Insula una est ex Cycladibus, ubi, si fides sit veteri cuidam Scholiastæ, spelunca erat satis opportunè accedentem, & recedentem ad nostrum Meridianum Solem demonstrans. Sunt inter Eruditos qui suspicantur, Poetam eo loci sermonem habere de horologio Solari; & Diogenes Laertius in vita Pherecydis Philosophi author est, mansisse etiam sua ætate in Insula Syro Solare horologium ejusdem Philosophi. Hoc autem Pherecydis horologium ipsissimum esse Homericum quidam suspicantur, quòd scilicet Philosophus ille sivè restituerit, sivè perfecerit; quæ si vera sint, usum horologiorum in Græcia ipsa belli Trojani ætate demonstrant. Sed nihil certi statuendum ex ambiguo testimonio; quare solidius aliquid quærendum.

Herodotus l. 2. cap. 109. affirmat, invaluisse apud Græcos morem horologiorum Solarium, & Stylorum ex Babiloniis deductum; ipsorumque Græcorum confessione Anaximander horas distinxit, atque horologia Solaria in Græciam invexit (4). Fallitur autem Plinius, cum ejus rei honorem Anaximeni tribuit. Emortualem Anaximandri annum Usserius componit cum A. M. 3457. premente jam captivitate Babylonica, & sub Cyro. Porrò Philosophus iste ex itinere in Chaldæam potuit horologiorum rationem didicisse.

Ex eodem, quantùm conjicimus, fonte derivatum creditur ab Achaz horologium, de quo nunc sermo; docente enim Scriptura scimus, satis inter illum & Theglatphalassarem Regem Assyriæ convenisse, quem postremum Regem in auxilium alter adscivit contra irruptionem Regis Syriæ, & Samariæ, ejus religionem adoptavit adeò, ut Aram Damascenæ similem, (quam ipse Achaz invisendum Regem conveniens spectaverat) Jerosolymæ erigendam curaret. Horologiorum Solarium inventio nova erat tum temporis, & utilis; quare eam libens occasionem accepit Achaz, ut simile procuraret in palatio suo Jerosolymæ Nonnisi autem temerè certi aliquid de ejus figura affirmaretur; verùm cùm Scriptura constanter voce *Maalot*, quæ gradua sonat, utatur, quantum assequimur conjectura, facilè credimus, nihil habuisse horologium illud similitudinis cum Græcorum, & Romanorum, ac facilè concavam quamdam sphæram retulisse, quemadmodum Græca illa *Scaphe* appellata.

Rudis primùm horologiorum ars perfici paulatim, ac successivè cæpit. Ita quæ primùm diurnas tantùm horas distinguebant horologia, in usum deinde noctis etiam fabricata sunt, ut de Platonis horologio Athenæus l. 4. animadvertit. Facilè nocturna hæc Clepsydræ erant, sivè horologia arenaria. Describit Poeta quidam Græcus (5) Philosophum gerroom, & avarum subinde ampullam quamdam oleo plenam sollicitè spectantem, ac si horologium portaret. Scipio Nasica (6) Clepsydram dedicavit sub tecto A. U. C. 595. cum ad id usque Populus Romanus in nocturnis, diurnisque horis, cum Sol non appareret, incertus vagaretur. Apud Vitruvium l. 9. cap. 9. fusiùs agitur de horologiis Solaribus, & Clepsydris.

Ante horologia distinguendo tempori pedes serviebant, unusquisque enim umbram sui corporis dimetiebatur; qui planè usus diutiùs mansit ruri, quemadmodum ex Palladio, Authore secundi sæculi, intelligimus, apud quem singuli duodecim libri *de re rustica* clauduntur cum mensura Solis singulorum mensium, quæ horas ejusdem mensis pedum dimensione distingueret. Eadem occurrunt in tractatu de horologiis inter Opera Bedæ Venerabilis. Varia est quidem corporum mensura, sed tamen nihil ex eo incommodi in horarum æqualitatem, cùm pedum mensura plerumque corporis habitudinem sequatur. Computabatur umbra usque ad 20. pedes, atque horæ conveniendi cum amicis, horæ prandii &c. ad talem pedem destinabantur, quemadmodum apud nos ad talem horam certæ quædam res peragendæ constituuntur. Vir quidam ad prandium invitatus ad 12. pedes, cum nocte intempesta è lecto surrexisset, ad lunæ micantis fulgorem, (Solem ratus) umbram dimensus, condictam pedum mensuram deprehendit, quare statim ad prandium ante exortum Solis in amici domum convolavit (7).

(1) *Vide, si placet* Diod. l. 1. pag. 61. & Strab. (2) Tull. apud Victorin. à Macrobio citat. lib. 1. cap. 21.
(3) Marsh. Sæc. 10. Can. Ægypt. pag. 241. Edit. Lyps. *1676*. (4) Laert. l. 2.
(5) Bato apud Casaub. in Athenæum l. 4. cap. 17. (6) Plin. l. 7. cap. 60. (7) Menander.

TABULA CHRONOLOGICA
QUARTI REGUM LIBRI.

REGNUM JUDA.

Ann. M.	
3115.	Mors Josaphat. 3. *Reg.* 22. 51. & 2. *Par.* 21.
	Joram patri suo Josaphat succedit. 4. *Reg.* 8. 2. *Par.* 21.
3116.	Idumæorum a Joram defectio. *ibid.*
	Litteræ ei afferunt prophetæ Eliæ. 2. *Par.* 21.
3120.	Moritur. *ibid.*
	Ochozias ei succedit. 4. *Reg* 8. 2. *Par.* 22.
	Cum Joram Rege Israel obsidionem Ramoth Galaad suscipit; Joram in urbe Jezrahel invisit: vulneratur, ac deinde occiditur jussu Jehu, qui 42. fratres, & propinquos Regis interimit. 4 *Reg.* 10.
3120. ad 3126.	Athalia Ochoziæ mater, reliqua familia regis neci tradita, regnum invadit. 4. *Reg.* 11. & 2. *Par.* 22. 23.
	Joas a Josabet servatur. *Ibid*
3126.	Athalia interficitur, & regnare incipit Joas. 4. *Reg.* 11. 12. & 2. *Par.* 23. 24.
3146.	Joas ad sarta tecta Templi instauranda pecuniam cogit.
3148.	Arcam jussit condi in qua collatum argentum includeretur. 2. *Par.* 24. & 4. *Reg.* 12.
Ann. incerto.	Mors Jojadæ 130. annos agentis. 2. *Par.* 24. 15.
	Joas neci tradit Zachariam Jojadæ filium. 4. *Reg.* 12.
3165.	Hazael Syriæ rex urbem Geth obsidet; dein Jerusalem aggreditur; a qua ingenti pecuniæ summa a Joas accepta, recedit. Anno sequenti redit, pluresque Principes Juda interficiendos curat. *ibid.*
	Joas opprimitur, eique Amasias succedit. *ibid.*
3177.	Amasiæ expeditio in Idumæos. 2. *Par.* 25. 5.
3178.	Bellum in Joas regem Israel indicit. 4. *Reg.* 14. & 2. *Par.* 25.
	Amasias in prælio captus est, & Joas mœnium Jerusalem partem dirui jussit. *ibid.*
3194.	Amasias in urbe Lachis opprimitur. 4. *Reg.* 14. 19
	Ozias, alias Azarias, ei succedit. In bellis contra Philistæos, Ammonitas, Arabes &c superior evasit; at horum bellorum tempus statui nequit. 2. *Par.* 24.
3221.	Azarias, cum in Templo Sacerdotale munus obeundi incensi usurparet, continuo lepra percussus est; interim Jonathas ejus filius regnum administrat.
3228.	1. *Olympias, in qua Coræbus victoriam retulit*
3246.	Ozias moritur, & Jonathan absolute regnat. 4. *Reg.* 15. & 2. *Par.* 25. 27.
Ann. incerto.	Quædam ædificia construxit, & Ammonitas fregit.

REGNUM ISRAELIS.

	Ann. M.
Ochozia e tecto regiæ domus decidens occumbit. 4. *Reg.* 1.	3108.
Moabitæ a Regibus Israel desciscunt. 4. *Reg.* 1.	
Elias igneo curru raptus transfertur. 4. *Reg.* 2.	
Joram Achabi filius Ochoziæ succedit. 4. *Reg.* 3.	
Expeditio regum Isreal, Juda, & Idumææ in Moabitas. Elisæus cladem prænunciat Moabitarum, qui se invicem conficiunt. 4. *Reg.* 3.	3109.
Miraculum Elisei pro vidua Sunamitide a creditoribus vexata. 4. *Reg.* 4.	
Aliud miraculum, quo alteri Sunamitidi filium impetrat, *ibid.* quem postea defunctum vitæ restituit anno 3113.	3110.
Ingens annonæ caritas, quæ septennio durat. 4. *Reg.* 4. 38. 12. 8. 1.	3114.
Naaman ab Eliseo lepra eximitur. Infidelitas Giezi plectitur.	Anno incerto.
Bellum Syrorum in Regem Israel, cui Eliseus omnes eorum insidias detegit. Benadad militum manum, qui Prophetam caperent, immittit; sed ab eis dignosci non potuit. 4. *Reg.* 6.	
Obsidio Samariæ, in qua adeo fames invaluit, ut mater filii carnibus vesceretur. Syri consuse abeuntes obsidionem solvunt. 4. *Reg* 6. & 7.	3119.
Reditus Sunamitidis hospitis Elisei, a Rege agros suos obtinet. Finis septennii famis. 4. *Reg* 8.	3120.
Eliseus Damascum se conferens mortem Benadado prænunciat. Ei succedit Hazael. 4. *Reg.* 8. 7.	
Ochozias Joram regem Israel comitatur ad bellum Ramoth Galaad in Hazael Syriæ regem. 4. *Reg.* 8. 2. *Par.* 22. 5.	
Jehus Rex Israelis inungitur. 4. *Reg.* 9.	3120.
Joram a Jehu interficitur, sicut & Jezabel, & Ochoziæ filii 70. numero. Jehu Pseudo-Prophetas quoque neci tradit. 4. *Reg.* 10	
Moritur Jehu. 4. *Reg.* 10. 35.	
Joachaz ei succedit. Multa a Syris passus est. 4. *Reg* 13. 3. Obiit anno 3165. *ibid.*	3148.
Joas illi succedit, cui pater ab an. 3163. suas vices delegarat. 4. *Reg.* 13. 10.	3165.
Moritur Eliseus. Ejus prædictio Joas. 4 *Reg.* 13.	3168.
Joas a Syris recipit, quæ Hazael Joachaz patri suo ademerat 4. *Reg.* 13. 25.	
Jeroboam II. succedit Joas. 4. *Reg.* 14. 16.	3191.
Caranus Heraclides regni Macedonici fundamenta facit.	3210.
Obiit, eique succedit Zacharias. 4. *Reg.* 14. 29. Hic post exactos in regno sex men-	3232.

REGNUM JUDA.

3256. *Roma fundatio*.
3262. Rasin Syriæ rex, & Phacee Romeliæ filius Rex Israel regnum Juda aggrediuntur.
Mors Joathan. Ei succedit Achaz, qui Rasin & Phacee resistit. 4. *Reg.* 15. 5.
3263. Vincitur a Rasin & Phacee 2. *Par.* 28. 6. *&* *seq.*
3264. Idumæi quoque & Philistæi de illo plures victorias retulerunt. *ibid.*
Opem petit a Teglatphalassar. 4. *Reg.* 15. *&* 2. *Par.* 28.
3278. Mors Achaz: ei succedit Ezechias; quem in regni societatem anno præcedenti Achaz adsciverat.
Ezechias cultum Domini, sub Achaz pene abrogatum, restituit. 2. *Par.* 29. 3.
Per totum regnum mittit, qui ad Dei famulatum populum revocent. 2. *Par.* 30.

REGNUM ISRAELIS.

menses a Sellum interficitur. Vide 4. *Reg.* 15. 1. 5. *&* 8. ubi nullum fuisse Jeroboam II. inter & Zachariam interregnum ostende.
Sellum cum mense regnasset, a Manahem occiditur. Manahem Sellum succedit. 3233.
Phul Assyriæ rex Manahem tributarium reddit. *ibid.* Anno incerto.
Illi succedit Phaceia ejus filius; & biennio regnat. *ibid.* *v.* 23. 3243.
Phacee filius Romeliæ, sublato Phaceia, regnum usurpat. *ibid.* 3245.
Arbaces Sardanapalo Ninivem adimit. 3257.
Teglatphalassar plures Phacee urbes capit. Prima transmigratio. 4. *Reg.* 15.
Osee filius Ela in Phacee conspirat; eumque interficit. 4. *Reg.* 15. 30. 3265.
Osee novennio regnat. 4. *Reg.* 17. 1.
Salmanasar eum aggreditur ac tributarium reddit. *ibid.* *v.* 3. 3274.
Eum rursus aggreditur, ac post triennalem obsidionem Samariam capit. 4. *Reg.* 17. 18. 3279.
Israelitas in Assyriam traducit. *ibid.*
Assaradon eorum loco in Samariæ regionem, Cuthæos, aliosque populos inducit. 4. *Reg.* 17. 24.

Finis regni Israel, postquam durasset 254. an.

3290 Ezechias a Sennacheribo desciscit.
3291. Sennacherib in Judæam venit bellum Ezechiæ illaturus. 4. *Reg.* 18. 4. *&* 2. *Par.* 32.
Sennacherib obsidet Lachim. Ezechias, missis ad eum legatis, 300. talentis argenti, & 30. auri pacem emit. 4. *Reg.* 18. 14.
Accepta pecunia Sennacherib Rabsacem ad obsidendam Ierusalem mittit: Ipse interim in Tharacham suppetias Ezechiæ afferentem occurrit. Ejus exercitus ab Angelo exterminatore cæsus est. Atque hoc solum iter in Ægyptum Sennacherib videtur aggressus. Regionem autem non subiit, ad limites tantum in Tharacam profectus est.
Morbus Ezechiæ. Convalescit. Solis retrogradatio.
3293. vel Merodach Baladan Babyloniæ Rex de recuperata ab Ezechia valetudine per Legatos gra-
3292. tulatur. 4. *Reg.* 20.
3293. Assaradonis bellum in Philisthæos, Idumæos, & Ægyptios. *Isai.* 14. 15. 16. 20.
3305 Mors Ezechiæ. Manasses regnat. 4. *Reg.* 20. 21.
3322. Assaradon, duo imperia, Assyrium & Chaldæum in se conciliat, 29. regni sui anno.
3318. Manasses capitur, & Babylonem traducitur; eodemque anno postliminio redit. 2. *Par.* 33.
3329. Assaradon ad Cuthæos in Samariam a Salmanasar translatos Sacerdotem mittit. 4. *Reg.* 17. 25. 26. *&c.*
3348. Historia Judith.
3361. Mors Manasse. 4. *Reg.* 21. 18.
Amon ejus successor duobus annis regnat. 4. *Reg.* 21. 2. *Par.* 33.
3303. Josias Amoni succedit. 4. *Reg.* 21.
3370. Incipit Dominum quærere &c. octavo regni sui anno. 2. *Par.* 34.
3380. Oblationum pecunias in Templi reparationem cogere præcipit. 4. *Reg.* 22.
Liber Legis invenitur. *ibid.* Cogitur populus; legitur liber, Pascha indicitur &c. 4. *Reg.* 23. 2. *Par.* 34. 35.
3281. Solemne Pascha celebratur. *ibid.*
3394. Nechao Regi Ægypti, copias in Assyriæ regem ducenti, Josias resistere conatus, lethali in prælio contracto vulnere, moritur. 4. *Reg.* 23. *&* 2. *Par.* 35.
3394. Joachaz ei succedit, sed aliquot post menses captus a Nechao, Eliacimo fratri suo regnum relinquere coactus est. *ibid.*
3398. Nabuchodonosor Eliacimum, aliter Joachimum subigit. 4. *Reg.* 23. 24. *&.* 2. *Par.* 36. eumque Babylonem traducit. 2. *Par.* 36. 6. vel potius Hierosolymæ regnare finit, cum prius iniisset consilium Babylonem illum abducendi. *Hic exordiuntur 70 anni captivitatis a Jeremia prænunciata.*
3405. Joachimus a Chaldæis occiditur, undecimo regni sui anno.
Joachinus, seu Conias, aliter Jechonias ei succedit. Cum patre decem annis regnaverat. 4. *Reg.* 22. 8. collat. cum 2. *Par.* 36. 9. Eum adoritur Nabuchodonosor, deditumque cum parte populi Babylonem traducit, cum tres menses. 10. dies regnasset. 4. *Reg.* 24. *&* 2. *Par.* 26.
Matthanias, aliter Sedecias, a Nabuchodonosor sufficitur.
3414. Nabuchodonosor Hierosolymam obsidet, Sedecias in fuga capitur, & cæcitate mulctatus Babylonem abducitur. 4. *Reg.* 24. 25. 2. *Par.* 36. *&* *Jerem.* 39. *&* 52.
Nabuchodonosor Judæos Babylonem transfert, triplici ductu. *Jerem.* 52. 28. 29. 30.
3414. 1. Transtulit Judæos 3023. de sub Joachino.
3415 2 Transtulit 832. sub Sedecia.
3417. 3 Transtulit denique 745. post obitum Godoliæ, qui reliquiis populi præfectus fuerat an. 3416. Anno sequenti 3417. occisus fuit.

Finis Regni Juda.

COMMENTARIUM LITERALE IN QUARTUM LIBRUM REGUM.

CAPUT PRIMUM.

Excutit Moab jugum Regum Israel. Ochozias mittit consultum Beelzebub de sua ægritudine. Elias illum moriturum prædicit. Rex bis milites mittit, qui Eliam capiant: at Elias igne de cœlo deducto utrosque comburit. Denique cum Rex tertium misisset militibus Centurionem. Elias venit ad Ochoziam, illique edicit, minime futurum ut convalescat. Mors Ochoziæ. Joram illi succedit.

Anno M. 3108. Ante J. C. 896.

1. PRævaricatus est autem Moab in Israel, postquam mortuus est Achab. 2 Ce-
ciditque Ochozias, per cancellos cœnaculi sui, quod habebat in Samaria, &
ægrotavit; misitque nuntios, dicens ad eos: Ite, consulite Beelzebub deum
Accaron, utrum vivere queam de infirmitate mea hac. 3 Angelus autem Domini
locutus est ad Eliam Thesbiten, dicens: Surge, & ascende in occursum nuntiorum re-
gis Samariæ, & dices ad eos; Numquid non est Deus in Israel, ut eatis ad consu-
lendum Beelzebub deum Accaron? 4 Quam ob rem hæc dicit Dominus: De le-
ctulo, super quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris. Et abiit Elias.
5 Reversique sunt nuntii ad Ochoziam. Qui dixit eis: Quare reversi estis? 6 At il-
li responderunt ei: Vir occurrit nobis, & dixit ad nos: Ite, & revertimini ad re-
gem, qui misit vos, & dicetis ei: Hæc dicit Dominus: Numquid, quia non erat
Deus in Israel, mittis, ut consulatur Beelzebub deus Accaron? Idcirco de lectulo,
super quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris. 7 Qui dixit ei: Cu-
jus figuræ, & habitus est vir ille, qui occurrit vobis, & locutus est verba hæc?
8 At illi dixerunt: Vir pilosus, & zona pellicea accinctus renibus. Qui ait: Elias
Thesbites est. 9 Misitque ad eum quinquagenarium principem, & quinquaginta,
qui erant sub eo. Qui ascendit ad eum: sedentique in vertice montis, ait: Homo
Dei, rex præcepit, ut descendas. 10 Respondensque Elias, dixit quinquagenario:
Si homo Dei sum, descendat ignis de cœlo, & devoret te, & quinquaginta tuos.
Descendit itaque ignis de cœlo, & devoravit eum, & quinquaginta, qui erant cum
eo. 11 Rursumque misit ad eum principem quinquagenarium alterum, & quinqua-
ginta cum eo. Qui locutus est illi: Homo Dei, hæc dicit rex: Festina, descende.
12 Respondens Elias ait: Si homo Dei ego sum, descendat ignis de cœlo, & de-
voret te, & quinquaginta tuos. Descendit ergo ignis de cœlo, & devoravit illum
& quinquaginta ejus. 13 Iterum misit principem quinquagenarium tertium, & quin-
quaginta, qui erant cum eo. Qui cum venisset, curvavit genua contra Eliam, &
precatus est eum, & ait: Homo Dei, noli despicere animam meam, & animas ser-
vorum tuorum, qui mecum sunt. 14 Ecce descendit ignis de cœlo, & devoravit
duos principes quinquagenarios primos, & quinquagenos, qui cum eis erant; sed

nunc

nunc obsecro, ut miserearis animæ meæ. 15 Locutus est autem Angelus Domini
ad Eliam, dicens: Descende cum eo, ne timeas. Surrexit igitur, & descendit cum
eo ad regem. 16 Et locutus est ei: Hæc dicit Dominus: Quia misisti nuntios ad
consulendum Beelzebub deum Accaron, quasi non esset Deus in Israel, a quo pos-
ses interrogare sermonem, ideo de lectulo, super quem ascendisti, non descendes,
sed morte morieris. 17 Mortuus est ergo juxta sermonem Domini, quem locutus
est Elias, & regnavit Joram frater ejus pro eo, anno secundo Joram filii Josaphat
regis Judæ, non enim habebat filium. 18 Reliqua autem verborum Ochoziæ, quæ
operatus est, nonne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Israel?

℣. 1. PRÆVARICATUS EST MOAB IN ISRAEL.] Hoc est, excussit jugum Israel. Moabitas David subegerat [1], & post decem tribuum a Juda secessionem, Reges Israel potiti fuerant parte regionum illarum: quas acquisiverat David, uti quoque Reges Juda alteri parti dominabantur. Populi Moab post mortem Achab jugum Israel excusserunt, cum hoc pacto vellet Deus domum Achab propter omnia illius flagitia punire. Videbimus infra pugnam a Joram cum Moabitis peractam, ut ipsis iterum servitutis jugum imponeret 4. Reg. 3. 5.

℣. 2. CECIDIT OCHOZIAS PER CANCELLOS COENACULI SUI.] Vulgatæ Textus non exprimit locum, quo cecidit Ochozias; at si de fenestra cœnaculi sui cecidit, in viam, aut in atrium suum cecidisse credendum est. Hebraicus Textus habet [2]: *cecidit in cubiculum suum, in cubiculum suum superius*; vel ut B mavult Chaldæus [3], & Interpretum plerique [4]: *cecidit per cratem cubiculi sui*. De solario, quod in superiori domus parte aderat cecidit in triclinium, quod solario suberat immediate, ceciditque per hiatum, qua lux e superiori parte admittebatur. Iis in regionibus tecta plerumque plana sunt, ubi pavimentum est subdiale ex humo una cum palea tusis, confectum. Medio in solario hiatus aderat crate obseptus, qui portæ specie quadam, vel operculo claudebatur, quod amovebatur, ut lux, & aer in cœnaculum ingrederetur. Hac decidit Ochozias vel per cratem, vel de superiori cratis parte. Æstiva conclavia plerumque ex superiori parte lucem excipiebant, ut nimius calorum æstus impediretur. Vide, quæ de veterum Hebræorum ædibus diximus.

CONSULITE BEELZEBUB DEUM ACCARON.] Numen hoc in Accaron urbe Philisthinorum colebatur; plura de hoc numine prosecuti sumus in Dissertatione de Diis Philisthiim. Septuaginta, & Symmachus [5]: *Consulite Baal Muscam Deum Accaron*.

℣. 4. ABIIT ELIAS.] Eo plane reversus est, unde venerat, in locum scilicet, ubi plerumque incolebat. Creditur autem in Montem Carmelum recessisse, quo Regii satellites illum convenerunt.

℣. 8. VIR PILOSUS.] Hebraice ad litteram [6]: *Vir pili*, vel *dominus pili*, pilis onustus, villosus cum crinibus oblongis, promissaque barba; ita ferme, quemadmodum Lucanus Catonem describit.

Intonsos rigidam in frontem descendere canos
Passus erat, mœstamque genis increscere barbam.

Hujusmodi erant veteres Græcorum Philosophi, atque ita hunc locum Divus Hieronymus [7] intelligit. Alii [8] explicant de veste pellicea cum setis suis, eodem ferme pacto, quo nobis exhibentur in tabulis veteres Heroes, ac primi homines, & quo Evange- A liem nobis S. Johannem Baptistam repræsentat cameli crine indutum, & coriacea itidem zona præcinctum [9]. Apostolus ad Hebr. 11. 37. loquitur eadem ferme ratione de priscis Prophetis. *Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati*. Statius lib. 2. nobis exhibet vates Tiresiam, & Amphiaraum ovinis pellibus tectos: *Tiresiæ vultus, voces, & vellera nota induitur*. Veteres Monachi hujus generis indumentorum simplicitatem, & humilitatem imitabantur, & ad hanc quoque diem communia sunt plebi apud Arabes, quæ arietis pellem defert vellere introrsum posito per hyemem, extrorsum vero converso per æstatem.

℣. 9. MISIT AD EUM QUINQUAGENARIUM PRINCIPEM.] Vel simpliciter, ut eum adiret, atque obtestaretur, ut pro Rege preces effunderet, vel ut illi vim inferret, puniretque, eo quod Regios nuntios ab itinere suscepto avertisset, & illi mortem esset minitatus, nulla erga Regiam dignitatem percitus reverentia. Hic quinquagenarius Princeps plane Dux erat cujusdam Regiæ cohortis.

HOMO DEI, REX PRÆCEPIT, UT DESCENDAS.] Interpretes plerique [10] putant, Duces hos per irrisionem illum, Hominem Dei, nuncupasse; cui explicationi, ratio, & qua Deus illos punit, & qua Elias ipsorum mandatum excepit, explicite suffragatur. Prophetæ Regibus parere non tenentur, quoad in iis, quæ ad ipsorum munia spectant, versantur [11]; debent enim præferre Mandata Dei temporalium Principum imperiis; at simul ac Dominus loquitur, intuemur Eliam, qui celeriter jussa capessit, & Regem convenit.

℣. 10. SI HOMO DEI SUM, DESCENDAT IGNIS DE C COELO, & DEVORET TE.] Propheta isthic ulciscitur, non injuriam, qua ipse afficitur, sed contumeliam, quæ in ipsius persona Domino infertur [12]. Satellitum præfectus, qui illum alloquitur, per contemptum, atque jocum illudit illi super Prophetæ, ac Hominis Dei dignitate. Elias, qui tunc hominis publici, ac a Deo missi personam referebat, ignem de cœlo deduxit, ut illorum reprimeret impotentiam. Per Romanas Leges [13]: *Si quis jus dicenti non obtemperaverit, omnibus concessum est suam jurisdictionem defendere pœnali judicio*.

Nonnulli olim [14] Eliæ factum damnarunt, ac ipse Dei Filius illum in Evangelio reprobare videtur, cum repressit zelum filiorum Zebedæi, qui Eliam imitari volebant, ignem in Samariæ civitatem de cœlo deducentes, D eo quod illa ipsos excipere noluisset [15]. Verum levi negotio hic Propheta defenditur, dicendo ipsum hac in re Spiritus Sancti impetum dumtaxat fuisse secutum, quo erat afflatus; quod ex effectu satis comprobatur, nempe statim vocem Prophetæ effectus est consecutus. At, quis autumare posset, Deum miraculo prosequi velle homi-

1 2. Reg. 8. 2. *Factus est Moab David serviens sub tributo*. 2 ויפול אחזיה בעד השבכה בעליתו
3 ונפל מן סרגתא בעליתיה 4 Ita Syr. Arab. Jun. & Tremel. Hebræi, Mooran. Munst. &c.
5 בעל זבוב 70. Βααλ μυῖαν θεὸν Ἀκκαρών, Sym. idem. 6 איש בעל שער
7 Hieron. in Ezech. c. 15. Ita & Cajet. Menoch. Tirin. &c. 8 Lyran. Jun. Pisc. Bochar. de Animal. sacr. par. 1. l. 1. c. 2. alii. 9 Matth. 3. 4. *Johannes habebat vestimentum de pilis Camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos suos*. 10 Lyran. Hugo, Dionys. Menoch. Est. Var. Sanct. Cornel. Sa.
11 Grot. hic. 12 Ita D. Th. 2. 2. qu. 108. ar. 2. ad 4. 13 Ulpian. l. 1. D.
14 Manichæi apud Est. hic. 15 Luc. 9. 54. *Domine vis ut ignis descendat de cœlo, & consumat illos*.

hominis insaniam, qui injustæ suæ ulciscendæ libidine abripitur? Nonne, patet infra, Prophetam hunc celerrime Domini obtemperare mandatis, statim ac ab Angelo illi significantur? Nonne supponendum est, hunc eumdem Angelum illi antea dixisse, ut ignem de cœlo super impias satellitum manus eliceret? Auctor Ecclesiastici 48. 3. palam hoc approbat factum, cum istud illi conjungit, quo triennio pluviam compescuit, illudque eidem Domini verbo tribuit, ac potestati: *Verbo Domini continuit cœlum, & dejecit de cœlo ignem ter*. Denique nonne in novo Testamento ferme par exemplum invenimus severitati, quam hic exercet Elias, in iis, quæ S. Petrus adversus Ananiam, & Saphiram est operatus Act. 5. 5. Si Jesus Christus corripit zelum filiorum Zebedæi contra Samariam, eos ideo coarguit, quod animi sui perturbatione erant correpti, atque ultionis cupiditate illecti, neque noverant Spiritum Jesu Christi esse suavitatis, & clementiæ spiritum, cum Elias afflatus esset spiritu severitatis, & vindictæ. Samaritani forte poterant & Jesum Christum, & Apostolos ignorare, at Ochoziæ milites poterantne ignorare Eliam maximum inter Prophetas Israel?

℣. 11. MISIT QUINQUAGENARIUM ALTERUM.] Rex cum intellexisset, quid primo Duci, quem miserat, contigisset, alterum quoque mittit, qui pervicacior, atque insolentior priore, audacter provinciam periculosæ adeo aleæ plenam aggreditur. Principum aulæ hujusmodi ad audendum projectis viris abundant, qui animum non advertentes ad ea, quæ Deus vel permittit, vel prohibet, intrepidi in omne facinus ruunt, quodcumque eorum dominus jusserit.

℣. 13. MISIT PRINCIPEM QUINQUAGENARIUM TERTIUM.] Credunt vulgo, quamquam nullum certum argumentum defertur, Ducem hunc Abdiam fuisse, de quo locuti sumus in tertio Regum Libro, qui centum Prophetas servavit, eosque aluit, donec Jezabel persecutio desæviret 3. Reg. 18. 3.

NOLI DESPICERE ANIMAM MEAM.] Hebraice [1]: *anima mea pretiosa sit in oculis tuis*; Eam serva quæso; quæ locutio in Hebræorum stylo est pervulgata. Saul 1. Reg. 26. 21. gratias agit Davidi, eo quod ipsius vitæ pepercerit; *eo quod pretiosa fuit anima mea in oculis tuis hodie*; & Psalmista Psal. 105. 15. *pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus*.

℣. 17. REGNAVIT JORAM FRATER EJUS PRO EO ANNO SECUNDO JORAM FILII JOSAPHAT.] Neque ex Hebraico textu, neque ex Chaldæo, neque in Versione Arabica, nec quibusdam Septuaginta Exemplaribus habemus, Joram fratrem fuisse Ochoziæ. At Syriaca; Vulgata, & pleraque Græcorum Exemplaria hoc asserunt, eaque est sententia vulgatior. Loci hujus difficultas in eo sita est, ut videamus, quomodo Joram, frater Ochoziæ regnare cœperit altero anno Joram filii Josaphat; quoniam inferius legimus, ipsum ad regnum evectum fuisse decimo octavo anno Josaphat [2]; & alibi, Joram filium Josaphat regni habenas cœpisse anno quinto Joram, Regis Israel [3].

Ut difficultates hæ evolvantur [4]; dicunt, Joram, Regem Israel regnare incœpisse decimo octavo anno regni Josaphat Regis Juda, qui secundus erat annus, ex quo idem Josaphat filium suum Joram Pro-Regem sibi cooptaverat; mox vero eumdem Josaphat communicasse Regnum Joram successori suo duobus annis, antequam occumberet, & anno quinto Joram Regis Israel. Hæc omnia nihil absurdum involvunt, si cum probatissimis Chronologis admittamus Regibus Judæ, & Israel solemne fuisse successores sibi designare, atque viventes adhuc illis partem Reipublicæ regendam tribuere; cujus rei plurima suppetunt exempla apud Hebræos, aliosque Orientis Reges præcipue vero Persas, quorum chronologia idcirco plurimis præpedita est difficultatibus, non secus ac illa Regum populi Dei. Quidam asserere mallent [5] errorem obrepsisse in notas, ac numeros diversorum Scripturæ locorum. At cur nam ad has solutiones nulla adacti necessitate confugere debemus? Septuaginta Romanæ Editionis, ea quæ sequuntur ad capitis hujus calcem adjiciunt.

℣. 17. *Et Ochozias mortuus est juxta sermonem Eliæ (18); reliqua autem verborum Ochoziæ, quæ operatus est; nonne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum Regum Israel? Joram vero filius Achab regnavit super Israel in Samaria duodecim annis; Regnare vero cœpit anno decimo octavo Josaphat Regis Judæ. Et fecit malum coram Domino, sed non sicut fratres sui, & mater sua. Tulit enim statuas Baal, quas fecerat frater ejus, & confregit eas; verumtamen in peccatis Jeroboam, qui peccare fecit Israel, adhæsit, nec recessit ab eis, & ira Domini accensa est adversus domum Achab*. Quæ desumpta sunt ex initio Capitis Tertii.

---

1 [Hebrew, partly illegible] ... נפשי נא תיקר

2 4. Reg. 3. 1. *Joram filius Achab regnavit super Israel in Samaria, anno decimo octavo Josaphat*. Vide & vers. 7. ubi Joram, & Josaphat simul ineunt bellum adversus Moabitas.

3 4. Reg. 8. 16. *Anno quinto Joram filii Achab regis Israel, et Josaphat Regis Juda, regnavit Joram filius Josaphat*.

4 Vide Sanct. Ulser. Vat. Jun. Malv. & imprimis Rich. a S. Victore tract. singul. operum par. 2. tract. 3.

5 Grot. Capell.

CAPUT II.

Elias igneo curru rapitur. Elisæus illius discipulus spiritus, & pallii ejusdem hæres, separat aquas Jordanis Eliæ pallio; aquas vero Jerichuntis potabiles reddit. Pueros quadraginta, qui illi irriserant, ab ursis jubet dilaniari.

1. FActum est autem, cum levare vellet Dominus Eliam per turbinem in cœlum,
ibant Elias, & Elisæus de Galgalis. 2 Dixitque Elias ad Elisæum: Sede
hic, quia Dominus misit me usque in Bethel. Cui ait Elisæus: Vivit Dominus,
& vivit anima tua, quia non derelinquam te. Cumque descendissent Bethel,
3 Egressi sunt filii prophetarum, qui erant in Bethel, ad Elisæum, & dixerunt ei:
Numquid nosti, quia hodie Dominus tollet dominum tuum a te? Qui respondit:
Et ego novi: silete. 4 Dixit autem Elias ad Elisæum: Sede hic, quia Dominus
misit me in Jericho. Et ille ait: Vivit Dominus, & vivit anima tua, quia non de-

relin-

relinquam te. Cumque venissent Jericho, 5 Accesserant filii prophetarum, qui e-
rant in Jericho, ad Eliſeum, & dixerunt ei: Numquid nosti, quia Dominus hodie
tollet dominum tuum a te? Et ait: Et ego novi: filete. 6 Dixit autem ei Elias:
Sede hic, quia Dominus misit me usque ad Jordanem. Qui ait: Vivit Dominus, &
vivit anima tua, quia non derelinquam te. Ierunt igitur ambo pariter, 7 Et quin-
quaginta viri de filiis prophetarum secuti sunt eos, qui & steterunt e contra longe:
illi autem ambo stabant super Jordanem. 8 Tulitque Elias pallium suum, & invol-
vit illud, & percussit aqoas, quæ divisæ sunt in utramque partem, & transierunt
ambo per siccum. 9 Cumque transissent, Elias dixit ad Elifçum: Postula, quod
vis, ut faciam tibi, antequam tollar a te. Dixitque Elifçus: Obsecro, ut fiat in
me duplex spiritus tuus. 10 Qui respondit: Rem difficilem postulasti; attamen si
videris me, quando tollar a te, erit tibi, quod petisti: si autem non videris, non
erit. 11 Cumque pergerent, & incedentes sermocinarentur, ecce currus igneus, &
equi ignei diviserunt utrumque: & ascendit Elias per turbinem in cœlum, 12 Eli-
seus autem videbat, & clamabat: Pater mi, pater mi, currus Israel, & auriga ejus.
Et non vidit eum amplius: apprehenditque vestimenta sua, & scidit illa in duas partes.
13 Et levavit pallium Eliæ, quod ceciderat ei: reversusque stetit super ripam Jorda-
nis. 14 Et pallio Eliæ, quod ceciderat ei, percussit aquas, & non sunt divisæ: &
dixit: Ubi est Deus Eliæ etiam nunc? Percussitque aquas, & divisæ sunt huc, atque
illuc, & transiit Elifçus. 15 Videntes autem filii prophetarum, qui erant in Jericho e
contra, dixerunt: Requievit spiritus Eliæ super Elifçum. Et venientes in occursum e-
jus, adoraverunt eum proni in terram, 16 Dixeruntque illi: Ecce, cum servis tuis
sunt quinquaginta viri fortes, qui possent ire, & quærere dominum tuum, ne forte tu-
lerit eum spiritus Domini, & projecerit eum in unum montium, aut in unam vallium.
Qui ait: Nolite mittere. 17 Coegeruntque eum, donec acquiesceret, & diceret:
Mittite. Et miserunt quinquaginta viros; qui cum quæsissent tribus diebus, non inve-
nerunt. 18 Et reversi sunt ad eum: at ille habitabat in Jericho, & dixit eis: Num-
quid non dixi vobis, Nolite mittere? 19 Dixerunt quoque viri civitatis ad Elifçum:
Ecce habitatio civitatis hujus optima est, sicut tu ipse, domine, perspicis: sed aquæ
pessimæ sunt, & terra sterilis. 20 At ille ait: Afferte mihi vas novum, & mittite in
illud sal. Quod cum attulissent, 21 Egressus ad fontem aquarum, misit in illum sal,
& ait: Hæc dicit Dominus: Sanavi aquas has, & non erit ultra in eis mors, ne-
que sterilitas. 22 Sanatæ sunt ergo aquæ usque in diem hanc, juxta verbum Eli-
sçi, quod locutus est. 23 Ascendit autem inde in Bethel: cumque ascenderet per
viam, pueri parvi egressi sunt de civitate, & illudebant ei, dicentes: Ascende,
calve, ascende, calve. 24 Qui cum respexisset, vidit eos, & maledixit eis in no-
mine Domini: egressique sunt duo ursi de saltu, & laceraverunt ex eis quadraginta
duos pueros. 25 Abiit autem inde in montem Carmeli, & inde reversus est in
Samariam.

℣. 1. CUM LEVARE VELLET DOMINUS ELIAM PER TURBINEM IN COELUM.] Dominus Eliæ revelavit futurum ut quamprimum e terris abriperetur, quod miraculum cum discipulos suos celare Propheta vellet; Dominus non Elisæo tantum, verum etiam aliis Bethel, & Jerico discipulis detexit, ita ut illorum attentionem fallere Elias non potuerit. Deus, Legis tempore, in persona Eliæ, quemadmodum ante diluvium in persona Enoch fecerat, nobis relinquere voluit resurrectionis futuræ, atque spei alterius vitæ argumentum, ac typum Resurrectionis, & Ascensionis Jesu Christi, duos hos sanctissimos viros ex hac colluvione eripiens, ut eos in locum transferret, ubi quadam immortalitatis specie fruerentur, sæculorum præstolantes finem, qui eorum debet felicitatem complere, eos omnino, pretiosa morte, ab hoc orbe divellens, ut æterni gaudii, ac cœlestis immortalitatis lætos possessores constituat.

IN COELUM HOC EST IN AEREM.] Elias primum quidem in aerem elatus fuit, & ab Elisæi cæterorumque discipulorum suorum oculis ereptus; inde vero, uti creditur [1] in viridarium Eden, hoc est in Terrestrem Paradisum translatus fuit, ubi cum Enoch postremi judicii expectat adventum. Hebræorum quidam Eliæ corpus, & animam ad ignis usque sphæram sublatum fuisse putant [2] uti vestibus, & carne consumpta spiritus solus cœlestia penetravit. Alii eum in Abrahæ sinum constituunt; alii aliis in locis ab his terris longissime remotis. Vulgatissima sententia est Eliam, & Enoch adhuc vivere, utrumque ibidem; at quinam hic locus sit, Ecclesia non statuit; & S. Augustinus l. 2. de peccato Origin. hom 21. in Genes. S. Chrysostomus, & Theodoretus qu. 45. in Genes.

1 Iren. l. 5. contra hæres. c. 5. Isidor. lib. de vit. & obitu SS. Hieron. ad Pammach. Justin. qu. 85. ad Orth. D. Th. 3. p. q. 49. ar. 5. 2 Hebræi apud Munst. Vatab.

A nes. nequaquam illorum probavere licentiam, qui sibi fas putant, iis in rebus decernere, quas Scripturæ silentio prætereunt.

℣. 3. FILII PROPHETARUM QUI ERANT IN BETHEL.] Elias a Galgalis in Bethel, a Bethel in Jericho, a Jericho ad Jordanem pergit, veluti probaturus fidem, atque amorem Elisæi sui discipuli, ipsumque his diverticulis fatigaturus. In Bethel gymnasium erat, vel Prophetarum seminarium, æque ac in Jericho, quæ Elias antequam abiret, invisere voluit; quin tamen se hinc abreptum iri, aperiret. Licet Jeroboam aureorum vitulorum cultum statuisset in Bethel, atque ibi Prophetæ non adeo colerentur, quod liquet, ex puerorum illusionibus, quibus excepere Elisæum, cum illuc accedere voluit, Elias nihilominus ibi discipulorum suorum sodalitium statuerat, ut quoad fieri posset, ibi Domini cultum, & memoriam eorum, quæ sub Patriarchis contigerant, B servaret. *Filii Prophetarum* sunt illorum discipuli, qui integerrimam, atque remotissimam sub Propheta quopiam primi ordinis, vivendi rationem profitebantur. Filii Prophetarum ipsi quoque erant Prophetæ, & sæpius vere Prophetarum filii, qui a Patribus ad prophetiæ spiritum instituebantur, per ea præcepta, quæ illos docebant, perque illud vitæ genus, in quo eosdem exercebant.

℣. 5. TOLLET DOMINUM TUUM A TE.] Hebraice [1]: *Tollet Dominum tuum desuper caput tuum*. Tollere debet Eliam, qui præceptor tuus est, ac Dominus, & qui super te, super caput tuum est constitutus. Vel eum rapiet in aera, & super te: vel simplicius, illum a te abripiet, illum a te separabit.

C ℣. 8. TULIT ELIAS PALLIUM SUUM, & INVOLVIT ILLUD, & PERCUSSIT AQUAS.] Septuaginta [2]: *Tulit melotam suam, easque convertit aquas percussit*. Vidimus jam supra, veteres, & Prophetas, & Monachos melotis indui consuevisse [3]. Hebraica vox [4] pallium, vel alium ornatum significat. Syriaca, & Arabica de capitis ornamento, vel de vitta, qua frontem illius circumambiebat, intelligunt: alii vero de simplici coriaceo pallio explicant, quo olim adversus imbrem utebantur. Martialis l. 14.

Ad subitas nusquam scortea desit aquas.

℣. 9. OBSECRO UT FIAT IN ME DUPLEX SPIRITUS TUUS.] Hebraicus textus ad litteram [5]; Os duorum in spiritu tuo fiat in me: videlicet duplicem D habeam spiritus tui mensuram; duplicem recipiam spiritus tui partem, veluti primogenitus tuus; patet autem in hæreditatum successione primogenitis duplum, quam cæteris fratribus tribui consuevisse [6]; quæ est loci hujus apud plures eruditos Interpretes [7] explicatio. Alii credunt [8] Elisæum ab Elia eumdem spiritum, quo ipse afflatus erat petiisse, spiritum scilicet miraculorum, & spiritum Prophetiæ; qui duo sunt spiritus, vel spiritus duplex, quem revera a magistro impetravit. Non desunt [9], qui latius intelligant: *Duplex in me fiat spiritus tuus*, hoc est prophetiæ donum, & donum miraculorum duplo majus, quam quod ipse obtines. Re quidem vera animadvertitur, ab Elisæo longe plura, quam ab Elia, patrata fuisse miracula; Eliæ enim octo enumerantur, Elisæi sexdecim [10] vel juxta alios Elisæi viginti quatuor, & Eliæ duodecim [11]. Ut ut res se habeat, fatendum est, Scripturam majorem numerum recensere prodigiorum, quæ Elisæus, quam quæ Elias est operatus. At ne putes, ambitionis ergo Elisæum majora optasse iis, quæ ipsius Magister obtinuerat; sed desiderium procurandi gloriam Dei, & Regnum illius augendi causa fuit, ut illud optaret, quod postea Jesus Christus Apostolis suis concessit, scilicet ut plura ipsi patrarent miracula præ iis, quæ ipse fuerat operatus. Alii [12], ut se ex hoc *duorum spirituum* numero, vel ex hujus duplicis spiritus difficultate expediant, contendunt, locutione hac significari dumtaxat gratiæ affluentiam, ac Sancti Spiritus plenitudinem. Hic revera naturalis est sensus plurimarum similium loquendi rationum in Scriptura; exempli gratia Zach. 9. 12. *duplicia reddam tibi*, & Isai. 40. 2. *suscepit duplicia* de manu Dei; hoc est Deus illi acerrima inflixit mala, ut ob ea, quæ aliis ipse intulit, plecteretur: Et Jeremias 17. 18. *Duplici contritione contere eos*; duplici pœna eos affige, in eos summa severitate animadverte. At priorem præferimus explicationem, quæ quidem, sententia nostra, ad litteram magis accedit. Nonnulli putant hoc in loco quædam metempsychosis invenire vestigia, perinde quasi Elisæus ratus esset Eliæ animam in se posse migrare; at hæc sententia ex simplici historiæ hujus narratione diluitur. Elias spiritum suum Elisæo communicat, non secus, ac Moyses septuaginta Senioribus, & Josue, nec non Apostoli discipulis suis per manuum impositionem, ac preces communicarunt: non autem aliquid veluti suum, & quod veluti domini largiri possent, dederunt, sed veluti Dei ministri fuere, & Spiritus Sancti, cujus numine afflati in omnibus regebantur.

℣. 10. REM DIFFICILEM POSTULASTI.] Elias forte arbitratus fuerat, Elisæum postulaturum esse partem vestium, aut mobilium ipsius, vel etiam auctoritatis, aut consilia quædam, ut alios Prophetas regeret: ac modo stupore perculsus est, eum postulare videns duplicem spiritum illius. Hebraicus Textus ad litteram [13]: *obduratus es in petendo*; petitiones tuæ nimium ambitiosæ sunt, & nimis magnæ: vel petitio tua mihi negotium facessit; id petis, quod non est meum tibi permittere; nihilominus hoc tibi polliceor, dummodo me abeunte videre possis; eo enim temporis momento Elias preces suas fudit, & quod pro Elisæo precabatur, obtinuit; Deus plane tempore eodem, quo Elisæus id peteret, Eliæ patefecit, velle se illi in hac circumstantia postulata concedere.

℣. 11. ECCE CURRUS IGNEUS, & EQUI IGNEI.) Currus fulgore circumquaque micans, & lucentes equi, perinde ac ignei fuissent, in turbine abripuerunt illum, atque ab Elisæi oculis evanuit. Grotius putat, Angelos sub hac forma apparuisse, atque Eliam extulisse. Hinc profecto Ethnici occasionem arripuere solem exhibendi, veluti igneo sedentem curru, qui & fulgentibus equis, & naribus ignem spirantibus vehretur. Ovidius Metamorph. l. 12.

. . . . animosis ignibus illis,
Quos in pectore habent, quos ore, & naribus efflant.

Poetæ Christiani græcum nomen *Helios*, quod Solem significat, ab Eliæ nomine deducere voluerunt; Sedulius oper. Pascal. l. 1.

Quam bene flammivomi praelucens semita cœli
Convenit Elia, meritoque, & nomine fulgens?
Hac ope dignus erat quoniam sermonis achivi,
Una per accentum mutetur littera, sol est.

st certum est, Eliam Hebraice significare: *Deus meus est*.

Ea est palam in Scripturis memorata sententia, atque valide Traditionis, & Patrum monumentis suffulta; scilicet, prophetam Eliam sub mundi finem esse

---

1 לקח את אדניך מעל ראשך   2 ἔλαβεν τὴν μηλωτὴν αὐτοῦ.
3 Vide cap. præced. vers. 8.   4 יקח את אדרתו.   5 ויהי נא פי שנים ברוחך אלי 70. γενηθήτω δὴ διπλᾶ ἐν πνεύματί σου ἐπ' ἐμέ. *Duplum spiritus tui*. Alius Interpres: γενηθήτω τὸ πνεῦμα τὸ ἐπὶ σοὶ διπλοῦν ἐπ' ἐμέ. *Spiritus tuus dupliciter in me descendat*   6 Deut. 21. 17. *Dabis ei de his, quæ habuerit cuncta duplicia*.
7 Grot. Vatab. Malv. Jun. Cajet. Vide & Selden. de success. in bona l. 1. c. 5.
8 Euchet. Angelom. S. Thom. l. 4. contra gentes c. 11. Aut. hist. Scholast. Tir. Corn.
9 Lyr. Menoch. Pisc. Est. & de antiquis Theodoret. q. 7. Procop. Rup. in lib. Reg. 6. 18. & alii, ut Autor. mirabil. S. Script. inter opera D. August. l. 2. c. 22. & Autor. Serm. 89. & Serm. 2. de Elisæo inter opera S. Ambros.
10 Vide, si lubet, Lyran.   11 Vide Petr. Damian. ser. 2. de S. Jo: Bapt. Tost. hic, Corn. in Eccli. 48. 13.
12 Emmanuel Sa, & Sanct. hic art. 7.   13 הקשית לשאול 70. ἐσκλήρυνας τοῦ αἰτήσασθαι.

esse venturum ad vias Domini præparandas ante terribilem judicii diem, atque ad simul conjungendos cum parentibus filios, hoc est Ecclesiam cum Synagoga, & Judæos cum Christi fidelibus, ut unus tantummodo populus fiat sanctus, atque perfectus sub uno capite, quod est Jesus Christus. *Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis*; Dominus inquit in Malachia 5. 5. *& convertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum, ne forte veniam, & percutiam terram anathemate*. In Dialogo S. Justini Martyris cum Triphone videmus, inter Judæos, & Christianos de Eliæ adventu ante novissimum Judicii diem, convenisse. Tertullianus hoc non semel docet [1]; ait enim Eliam, & Enoch reservari, ut quondam prodeant; & morte sua Anti-Christum evincant: *Moritari reservantur, ut Antichristum sanguine suo extinguant*. (B) S. Hippolytus in Orat. de Antich. S. Chrysostomus hom. 58. in Matth. S. Ambrosius l. 1. in Lucam. S. Hieronymus in c. 18. Matth. S. Augustinus l. 20. de Civit. c. 29. S. Cyrillus Alexandrinus in Malach. c. 4. Theodoretus in Malach. 4. & trecenti præterea auctores alii, tum veteres, cum recentiores [2] palam hanc veritatem referunt, & duplicem Domini adventum testantur; primum quidem, quem S. Johannes prædixit in Spiritu, ac virtute Eliæ; alterum vero, in quo verus Elias apparebit, & hominum corda præparabit, ut ante Judicem prodeant: *Sicut Elias secundum Domini adventum præveniet, ita Johannes prævenit primum; sicut ille præcursor venturus est Judicis, ita iste præcursor est factus Redemptoris*. (C) Gregorius M. Hom. 7. in Evangelia.

℣. 12. CURRUS ISRAEL, & AURIGA EJUS.] Ad conspectum currus ignei, quo Elias rapiebatur, exclamat Elisæus, dicitque magistro suo: Tu es *currus Israel, & auriga ejus*; Tu omne robur es Israel, tu solus exercitui par es. Tunc temporis bellicos currus præcipuum fuisse exercituum robur, jam satis liquet; Reges, Heroes, Ducesque hos currus ascendere consueverant. Loquendi hæc ratio, & figura nobiles sunt, & sublimes juxta Hebræorum scribendi consuetudinem. Auctor Ecclesiastici brevi nobis Eliam delineavit, ac videtur Deus ipse ferventem zelum, quo semper arserat ille, designare voluisse, eum igneo curru ab hominum oculis abripiendo [3]: *Et surrexit Elias propheta, quasi ignis, & verbum ipsius quasi facula ardebat; qui induxit in illos famem, & irritantes illum invidia sua pauci facti sunt; non* (D) *enim poterant sustinere præcepta Domini. Verbo Domini continuit cælum, & dejecit de cælo ignem ter. Sic amplificatus est Elias in mirabilibus suis: Et quis potest similiter sic gloriari sibi?*

Similitudines Eliam inter & Jesum Christum, adeo perspicuæ sunt, ut eas isthic [4] præterire non liceat; Eliæ nomen, quod *ipse est Deus meus* significat, Verbi divinitatem designat. Zelus illius vividus adeo, ac ardens pro Domini gloria, illum exhibet, qui succensus erat Dominus, & de quo dicitur in Evangelio Joan. 2. 17. *zelus domus tuæ comedit me*. Persecutiones Jezabel adversus Eliam nobis referunt Synagogam, quæ usquequaque Jesum Christum est per- (E) secuta, & Gentes, quæ in Ecclesiam illius sæviere. Vidua de Sarepta, mulier Sidonia, & alienigena Gentilium Ecclesiam repræsentat; hæc mulier *colligens ligna*, ut panem excoquat, quo vesci debet, Gentilitatem denotat, quæ Salvatoris crucem amplectitur; in qua vitam invenit, & salutem. Viduæ filius ab Elia suscitatus, qui se se coarctat, ut se ad illius exilitatem accommodet, Jesum Christum admirabiliter designat, qui nostram induit fragilitatem, ac se se exinanivit, ita ut nobis similis fieret, ut nos vita donaret: denique raptus Eliæ nonne est imago affabre, atque adamussim delineata Resurrectionis, & Ascensionis Jesu Christi, qui discedens Apostolis suis reliquit *duplicem spiritum suum, una cum pallio*, scilicet lumen suum, gratiam, charitatem, Sacramenta, ac Doctrinam? facile quoque ostendi potest, quænam intersit similitudo inter Eliam, & S. Johannem Baptistam [5]; at hoc melius in Evangelio explicandum recurret.

SCIDIT VESTIMENTA SUA IN DUAS PARTES.] In luctus signum propter optimi præceptoris sui raptum.

℣. 13. LEVAVIT PALLIUM ELIÆ.] Accepit illud veluti amoris monumentum, ac veluti certum pignus, quod illud, quod poposcerat, munus obtinuisset. Hoc illud est pelliceum pallium de quo supra ℣. 8. locuti sumus, quo olim usus fuerat Elias, ut Elisæum ad Prophetiæ munus vocaret, hoc illius humeris superimponens [6], & quo non ita pridem aquas Jordanis diviserat [7].

℣. 14. UBI EST DEUS ELIÆ ETIAM NUNC?] Ubi Dei potentia? Nonne hic idem est Deus, quem colo; nonne præ manu famuli ejus pallium versatur, quod mihi pro pignore est Divinæ protectionis, atque auxilii? Non desunt [8], qui hæc Elisæi verba nimiæ præsumptionis redarguant, & credant Deum in pœnam jactantiæ illius, hoc miraculum distulisse. Hebraice ad litteram [9]: *Ubi est Deus Eliæ ille ipse?* Ubi est igitur Dei Eliæ potentia? Ubi modo est hic ipse propheta? Si hic adesset, nequaquam tanta hac in dubietate versarer. Aliter: *Ubi est Deus Eliæ? Ubi est?* Num arctatum est brachium illius, aut infirmata potentia? Vel; *Ubi est Deus Eliæ?* Et Elisæus *percussit aquas* iterum, & divisæ sunt aquæ.

℣. 15. VIDENTES FILII PROPHETARUM, QUI ERANT IN JERICHO, E CONTRA.] Vidimus ℣. 6. & 7. filios Prophetarum e Jericho, Eliam ad Jordanis oram subsecutos fuisse, & prope hunc fluvium constitisse, quin una cum Elia, ac Elisæo illum transmitterent. Ibi autem testes fuerant eorum, quæ in Eliæ raptu contigerant, & quomodo Elisæo pallium suum demiserat, eum veluti sibi successorem designans; videruntque Elisæum Jordanis aquas dividentem, ut eas pertransiret; neque posthac dubitavere, quin Eliæ spiritus in Elisæo requiesceret; neque minimum hæsere, ut eum Eliæ successorem haberent, ac omnibus prophetarum sodalitiis, qui ea in regione aderant, præpositum.

℣. 16. NE FORTE TULERIT EUM SPIRITUS DOMINI.] Hi prophetæ nequaquam crediderant, Eliam evanuisse, ne ulterius reverteretur; verum igneo turbine, quo raptus fuerat, in locum aliquem illinc procul avectum fuisse putabant. Videtur autem aliquando prophetis contigisse, ut hoc pacto abriperentur. Abdias Eliæ dicebat 3. Reg. 18. 11. 12. *Et nunc tu dicis mihi: Vade, & dic Domino tuo: Adest Eliae. Cumque recessero a te, Spiritus Domini asportabit te in locum, quem ego ignoro: & ingressus annuntiabo Achab, & non inveniens te, interficiet me.*

℣. 19. SED AQUÆ PESSIMÆ SUNT, ET TERRA STERILIS.] Hebraice [10]: *Aquæ ibi sunt pessimæ, & terram sterilem reddunt*. Plantæ, homines, & animalia

1 Tertul. de Anima c. 35. & c. 50. 2 Vide Natal. Alex. hist. Eccles. vet. Test. l. 2. dissert. 6.
3 Eccli. 48. 1. & seq. quoad Elogium Eliæ consuli possunt S. Chrysost. serm. 1. de Elia in fin. & serm. de Elia, & Petro, & homil. 16. ex variis in Matth. locis, & S. Ambros. lib. de Elia.
4 Vide, si lubet, Author. Serm. 41. in Append. serm. D. August. de Tempore.
5 Vide Ambros. l. 1. in Evangel. Luc. 6 3. Reg. 19. 19. *Cum venisset Elias ad eum, misit pallium suum super illum.* 7 Vide supra Vers. 8. 8 Vide Tirin. & Sanct.
9 איה יהוה אלהי אליהו אף הוא ויכה את המים ויחצו הנה והנה Septuaginta retinuerunt Hebraicam vocem אפוא Alii Interpretes Græci eam reddidere ὁ κρύφιος *absconditus*. Theodoret. Aqu. καίπερ αὐτός: *ille ipse*.]
10 המים רעים והארץ משכלת 70. καὶ τὰ ὕδατα πονηρὰ, καὶ ἡ γῆ ἀτεκνουμένη.

ſia ax aquarum pravitata, quæ tarræ communicatur, detrimentum patiuntur; ſolo enim ubertatem adimit, ac ipſæ aebores, & animantia ſterileſcunt. Ager circum Jaricho ante Eliſæi ævum maximopere fertilitatis laude florabat; at illud, quod ubertatem augere debebat, officiebat eidem; fons anim, qui in agrum hunc defluebat, pravas agebat aquas, aa quibus inficiebatur humus, qua præterfluebant. Creduntur autem vulgo aquæ hæ ſalſæ fuiſſe, atque amaræ propter magnam nitti vim, qua ſolum ſcarebat. Alii putant aas geaveolentes fuiſſe, eraſſas, inſipidas, lutulentas, ſulphareum, vel noxium aliquem odorem axhalantes. Hic fons ad hanc uſque diem plurima aquaeum affluens copia occaſum verſus Jericho videtur, cujus aquæ optimæ ſunt, & totum agrum irrigant. Earum origo ad leucæ dodrantam ultea Jericho ſecus viam, quæ Jeruſalem ducit, exiſtit. Vida Maundrallum in Itiner. Hieroſolym. p. 134.

℣. 20. Afferte mihi vas novum, et mittite in illum sal.] Si fontis hujus malum in eo poſitum erat, quod aquæ ſalſæ eſſent, bituminoſæ, vel nitroſæ, liquido patet, ſal, quod Eliſæus in ipſius originem jecit, naturalitar debebat aquarum pravitatam augere, eaſque magis adhuc reddere pernicioſas. Itaqua remedium hoc adhibere videtur Propheta ad id, ut melius miraculi magnitudo innotaſcat; poſcit vas novum, ne vaſi teibui poſſit effectus, qui eſt conſecuturus, neque in vas aquam infundit, ſed ſal dumtaxat, ut omnem adimat ſuſpicionem, utrum ex naturali quapiam aauſa effectus ille prodierit. Sancti adeo gloriæ Dei ſunt appetentes in iis peodigiis, quæ operantur, ut propeiam utilitatem, privatamque gloriam nihili pendant. Omnia autem Deo, ſibi nihil, volunt accepta referri.

Qui putant, aquas Jericho corruptas fuiſſe ſimpliciter, & impeobo quopiam odora infectas, in ſale, qood in earum fontem jecit Eliſæus, remedium adverſus peavas has affectiones, omnino naturala ſa invenire poſſe arbitrantur. Palladius Ang. tit. 9. ait, ſi putei, val ciſternæ aqua lutulenta ſit, ſalis immixtiona eſſe corrigendam. *Si aqua limoſa fuerit, ſalis admixtione corrigatur*. Leonardus Marius in Exod. 15. 25. ait, quandoque ut potabiles fiunt quædam aquæ craſſæ graveolantes, val inſipidæ in puteum ſal injici, calcem, val tegulas; & Valeſius in opeec de ſacra Philoſophia, taſtatur, Phiſicis nullum præſenſius remedium ſuppetere ad putorem, & corruptionem quarumdam aquarum in puteis corrigendam, quam ſalis quamdam copiam infondera.

Joſephus l. 5. c. 4. de bello Jud. hiſtoriam hanc magis exoenare voluit, quaſdam proprio marta circumſtantias addendo; ait autem fontem hanc ſteriles reddidiſſa, non arbores tantum, & plantas, verum ariam mulieres, ac ax aquaram improbitate plurimos contagioſos morbos ibi terrarum editos fuiſſe. Eliſæus enim in Jaricho aſſer divarſatae, adeo honeſtis civium erga ſe officiis captus fuit, ut in ipſorum aommodum aquaram corruptionem curaverit, eamque regionem ſalubarrimam, uberrimamque totius Palæſthinæ raddiderit. Ad fontem venit, atque fictili vaſe ſale repleto, in aquae injecto dexteram manam ad cœlum extulit, quaſdam effudit libationes fonti, veluti illum placaturus; eumque precatus aſt, ut dulceſcatet, atque mitiores fontes aperitat; ſimulque cœlum eſt obteſtatus, ut feliciores influxus amitteret, incoliſqua ſalubriores fructus impertiret, illiſque fœcunditatem concedaret; nequa pravas eas aquas illis relinqueret; donec in juſtitia verſarentur. Cum denique plura eſſet juxta ipſius ſciantiam precatus, antequam has preces proferret, talis effactus conſecutus eſt, ut fons fuerit immutatus, & tellus fuerit perfectam ubeetatem adepta. Hic Auctor os ſublinira Ethnicis voluit, illis Eliſæum velut magum quemdam axhibendo, qui per invocationes, libationes, ſecretas, myſticaſque operationes pravam aquarum qualitatem immutat, atque agro Jerichuntino reddit fœcunditatem, cum hæc omnia ratione penitus miraculoſa, ac ſupernaturali peracta fuarint.

℣. 23. Ascendit inde in Bethel.] De Jaricho in Bethel venit, ut Prophetarum diſcipulos inviſeret, qui ibi morabantur, utque ea ibi inſtituta proponeret, quæ a re fore cenſeret, valuti harum ſocietarum caput, atque præfectus.

Ascende, Calve.] Utrum Eliſæus vare natura, & temperie calvus eſſet, an abraſis crinibus incederat, quod Sacerdotibus Domini, ac inanium quorumdam numinum miniſtrie erat ſolemne, Juvenalis Satyr. 6.

Qui grege lanigero circumdatus, & grege calvo.

Et nunc quoqna Monachorum mos aſt: an denique calvi nomen iſthic pro fatuo, ac menta capto, quemadmodum apud probatos Latinos Auctores nonnumquam inveneris [a], uſurpetur, non ſatis liquet. Liquet tamen apud Vateres magni probri loco fuiſſe, ſi calvi appellarentur. Sana Julio Cæſari non alius magis acceptus fuiſſa perhibetur honos, quam qui delatus fuit, lauream ſemper geſtandi coronam, qua Calvitii deformitatem obtegeret, *ſæpe obtrectatorum jocis obnoxiam expertus*. Sveton. in Jul. Domitianus quoque *Calvitio ita offendebatur, ut in contumeliam ſuam traheret, ſi cui alii joco, vel jurgio objectaretur*; Idem in Domit. Otho Imperator capillitii quoddam ganus deferebat, *galericulo capiti propter raritatem capillorum adaptato, & annexo, ut nemo dignoſceret*; idem in Othone. Petronius ait, capillos maximam eſſe pulchritudinis partem.

Quod ſummum formæ decus eſt, periere capilli.

℣. 24. Maledixit eis in nomine Domini.] Pueri non adeo parvuli arant, ut prophetam minime agnoſcerent, & pares haud aſſent dignoſcendo in illius perſona, characterem, & dignitatem prophetæ, ac Miniſtri Domini, qui colebatur in Juda. Ob contemptum non perſonæ, ſed muneri, ac dignitati propheticæ illatum Eliſæus ira ſuccenſuit, atque in impios, ac nequiſſimos pueros Dei maledictionem eſt impreeatus. Neque enim deſcendiſſet ſuper illos celeriter adeo cœleſtis ultio, ſi propheta propria tantum contumelia tactus, ac particularis ultionis cupidus in eos maledicta evomuiſſet; tunc enim Deus malum, ac noxiam ulciſcendi libidinem approbaſſe videretur. Hi pueri arant filii idololatrarum Bethel, qui ea in Urbe poſitum auraum vitulum venerabantur, & qui gravate ferebant, quod illuc accederat Eliſæus veri Dei cultum ibi confirmaturus; uti quoque omnem perhorreſcebant Eliæ memoriam, cujus Eliſæus erat diſcipulus. Urſi patrum impiatatem in filiis ſunt perſecuti; qui profecto nihil tale umquam auſi fuiſſent, niſi a parentibus axciti, conſiemati, atque edocti fuiſſent [b]. S. Chryſoſtomus lib. 3. adv. vituperatoras vitæ Monaſt. putat, pueros hos aa ætate fuiſſa, ut facti rationem reddare tenerentur, atqua decem ſaltem eſſent annos nati.

---

a Perſ. Satyr. 1. *Nugaris, cum tibi, Calve, Pinguis aqualiculus propenſo ſeſquipede extat*. Videſis Sanct. hic.
b Serm. 41. Appendic. inter Aug. olim Ser. 204. de Tempore. *Rem, parentibus inſtigantibus, feciſſe pueri contumelioſi credendi ſunt, neque enim illi clamarent, ſi ſuis parentibus diſpliceret*. Ita & Juſtinus, ſeu Author. Quæſt. ad Orthodoxos, qu. 80. Vide Sanct. Cotoel. Maet.

CAPUT

CAPUT III.

Moab contra Regem Israel deficit; Joram, Josaphat, & Rex Edom illum bello persequuntur. Eliseus exercitui trium Regum ob sitim laboranti opitulatur. Mirabilis victoria de Moabitis relata. Moab Rex desperatione adactus filium suum super urbis mœnibus sacrificat.

1. JOram vero filius Achab regnavit super Israel in Samaria anno decimo octavo Jo-
saphat regis Judæ. Regnavitque duodecim annis. 2 Et fecit malum coram Do-
mino, sed non sicut pater suus, & mater: tulit enim statuas Baal, quas fecerat
pater ejus. 3 Verumtamen in peccatis Jeroboam filii Nabat, qui peccare fecit Israel,
adhæsit, nec recessit ab eis. 4 Porro Mesa rex Moab, nutriebat pecora multa, & sol-
vebat regi Israel centum millia agnorum, & centum millia arietum, cum velleribus suis.
5 Cumque mortuus fuisset Achab, prævaricatus est fœdus, quod habebat cum rege Is-
rael. 6 Egressus est igitur rex Joram in die illa de Samaria, & recensuit universum Is-
rael. 7 Misitque ad Josaphat regem Juda, dicens: Rex Moab recessit a me, veni me-
cum contra eum ad prælium. Qui respondit: Ascendam, qui meus est, tuus est: po-
pulus meus, populus tuus; & equi mei, equi tui. 8 Dixitque: Per quam viam ascen-
demus? At ille respondit: Per desertum Idumææ. 9 Perrexerunt igitur rex Israel, &
rex Juda, & rex Edom, & circuierunt per viam septem dierum, nec erat aqua exerci-
tui, & jumentis, quæ sequebantur eos. 10 Dixitque rex Israel: Heu, heu, heu,
congregavit nos Dominus tres reges, ut traderet in manus Moab. 11 Et ait Josaphat:
Estne hic propheta Domini, ut deprecemur Dominum per eum? Et respondit unus de
servis regis Israel: Est hic Elisæus filius Saphat, qui fundebat aquam super manus E-
liæ. 12 Et ait Josaphat: Est apud eum sermo Domini. Descenditque ad eum rex Is-
rael, & Josaphat rex Juda, & rex Edom. 13 Dixit autem Elisæus ad regem Israel:
Quid mihi, & tibi est? vade ad prophetas patris tui, & matris tuæ. Et ait illi rex Is-
rael: Quare congregavit Dominus tres reges hos, ut traderet eos in manus Moab? 14
Dixitque ad eum Elisæus: Vivit Dominus exercituum, in cujus conspectu sto, quod si
non vultum Josaphat regis Judæ erubescerem, non attendissem quidem te, nec respexis-
sem. 15 Nunc autem adducite mihi psaltem. Cumque caneret psaltes, facta est super
eum manus Domini, & ait: 16 Hæc dicit Dominus: Facite alveum torrentis hujus
fossas, & fossas. 17 Hæc enim dicit Dominus: Non videbitis ventum, neque pluviam:
& alveus iste replebitur aquis, & bibetis vos, & familiæ vestræ, & jumenta vestra.
18 Parumque est hoc in conspectu Domini: insuper tradet etiam Moab in manus ve-
stras. 19 Et percutietis omnem civitatem munitam, & omnem urbem electam, & uni-
versum lignum fructiferum succidetis, cunctosque fontes aquarum obturabitis, & om-
nem agrum egregium operietis lapidibus. 20 Factum est igitur mane, quando sacrifi-
cium offerri solet, & ecce aquæ veniebant per viam Edom, & repleta est terra aquis.
21 Universi autem Moabitæ, audientes quod ascendissent reges, ut pugnarent adver-
sum eos, convocaverunt omnes, qui accincti erant balteo desuper, & steterunt in ter-
minis. 22 Primoque mane surgentes, & orto jam sole ex adverso aquarum, viderunt
Moabitæ e contra aquas rubras quasi sanguinem, 23 Dixeruntque: Sanguis gladii est:
pugnaverunt reges contra se, & cæsi sunt mutuo: nunc perge ad prædam Moab. 24
Perrexeruntque in castra Israel: porro consurgens Israel, percussit Moab: at illi fuge-
runt coram eis. Venerunt igitur, qui vicerant, & percusserunt Moab. 25 Et civita-
tes destruxerunt: & omnem agrum optimum, mittens singuli lapides, repleverunt: &
universos fontes aquarum obturaverunt, & omnia ligna fructifera succiderunt, ita ut
muri tantum fictiles remanerent, & circumdata est civitas a fundibulariis, & magna
ex parte percussa. 26 Quod cum vidisset rex Moab, prævaluisse scilicet hostes, tu-
lit secum septingentos viros educentes gladium, ut irrumperent ad regem Edom, &
non potuerunt. 27 Arripiensque filium suum primogenitum, qui regnaturus erat pro
eo, obtulit holocaustum super murum, & facta est indignatio magna in Israel, statim-
que recesserunt ab eo, & reversi sunt in terram suam.

℣. 1. JORAM FILIUS ACHAB REGNAVIT.... ANNO DECIMO OCTAVO JOSAPHAT.] Joram non immediate subsecutus est Achabum, uti supra vidimus: et post Ochoziæ fratris sui mortem regnare coepit. Vide Cap. 1. ℣. 17.

℣. 2. FECIT MALUM CORAM DOMINO, SED NON SICUT PATER SUUS, & MATER.] Nequaquam imitatus est impietatem Achab, qui veteribus superstitionibus cultum Baal adjecerat, neque abominationes Jezabel, quæ Astarte, ac Phœniciæ numinum cultum in Israel invexerat. Inania hæc numina rejecit; at non rejecit aureum vitulum Jeroboam. Demum ut omnia verbo complectar, Joram erat quidem improbus Princeps, at veluti filius Achabi, & Jezabel nequior adhuc esse potuerat. Reor autem ipsum post relatam de Ammonitis victoriam tunc tandem Rempublicam reformasse, & a cultu Baal, atque Astaroth recessisse, nam cum in aciem descendit, tunc adhuc in idolorum cultu versabatur. Elisæus enim inferius illi ait: *Quid mihi, & tibi est? Vade ad Prophetas patris tui, & matris tuæ!* Probabile ne est ipsum Prophetis Baal pepercisse, si ante jam fallacis hujus numinis aras evertisset?

℣. 4. MESA REX MOAB NUTRIEBAT PECORA MULTA.] Immodicum sane gregum illius numerum fuisse oportet, si quotannis pro tributo centum mille agnos, totidemque arietes pendebat. Scriptura quidem non memorat, ipsum singulis annis hunc animantium numerum tribuere consuevisse, verum hoc plerique omnes tenent. Hic numerus nequaquam incredibilis est. Veteres victis populis earum rerum tributa imponere plerumque consueverant, quibus ipsorum regio maxime afflueret, & armenta potius, aliæve merces, quam pecuniæ imperabantur. Moabitæ, non secus ac alii finitimorum locorum populi non alii commercio, aut studio, quam pastioni, pecoribusque alendis vacabant. Mesa licet tributum penderet, subditusque esset Regibus Israel, Regio tamen nomine, juxta eorum temporum consuetudinem appellatus. Hebraicus textus [1] ad litteram significat Principem hunc *Signatorem* fuisse, quæ ratio loquendi pastorem designat; nam inter præcipuas pastorum curas recensetur, arietes suos cujusdam coloris nota ad distinctionem signare [2]. Amos, qui, uti pater, pastor erat, eodem se nomine vocat [3]. Septuaginta Hebraicam vocem *noked* servarunt, at alii Græci Interpretes *Pastorum caput* reddidere; Aquila vero & Symmachus, *virum maxima pascentem armenta*. Syriaca versio eodem intelligit pacto, & Arabica ait, Mesam ovibus maxime opulentum fuisse. Recentiores quidam Interpretes reddunt authographi vocem, *pecuarium*, quo nomine veteres quosdam Reges, quorum opes in armentis erant positæ, appellatos fuisse invenimus. Cicero pro Dejotaro: *Ut non solum Tetrarcha nobilis, sed optimus paterfamilias, & diligentissimus agricola, & pecuarius haberetur.*

℣. 8. PER QUAM VIAM ASCENDEMUS..... PER DESERTUM IDUMÆÆ.] Moabitis erat ad asphaltitis lacus orientem posita; brevior, ac rectior illoc ex terria Juda, & Israel proficiscentibus erat via Jordanem traducere paullo ab eo loco superius, qua in mare mortuum defluit. At seu fœderati Reges vererentur, ne Jordanis, & Arnon, qui quoque traducendus erat, si ulterius pervadere voluissent, transitus prohiberetur, seu quod Moabitas ex improviso invadere a tergo vellent, consilium iniere Idumææ peragrata, atque mari mortuo circumacto, ex meridionali plaga in hostes irruere. Hinc autem inferius notatur, tres Reges Israel, Juda, & Edom circumivisse *per viam septem dierum*; nam breviori temporis intervallo per consuetum iter ex regione Israel in terram Moab pervenissent. Hæc via alii præterea obnoxia erat incommodo; deerant enim aquæ; quæ res maximo terrore exercitum percussit, quemadmodum visuri sumus.

℣. 9. REX EDOM.] Rex Idumææ tributarius Josaphat Regis Juda; auxiliares copias suas addidit exercitui duorum Regum. Josaphat hoc illi, veluti subdito, imperare poterat, ac per illius regnum agmen agens illum cum militibus subsequi jussit.

℣. 11. ELISÆUS, QUI FUNDEBAT AQUAM SUPER MANUS ELIÆ.] qui in humillimo quovis munere illi famulabatur; quæ adagialis est locutio. Haud ita facile crediderim, Eliam mollem adeo fuisse, & delicatum, ut Elisæum discipulum suum aquas ad manus abluendas sibi præbere voluerit [4]; neque enim ut id credamus patitur ea, quam de austera, ac dura Prophetarum vita, nobis ideam adstruit Scriptura. Sæpius ministeria ex aliquo inter illorum officii adnotantur; modo enim vidimus, pastores vocari *Signatores*, eo quod arietes suos signant; salsamentarii dicuntur homines, qui nares cubito emungunt; ferre soleas, vel solvere alicujus calceamenta, servitutem denotat: *cujus non sum dignus procumbens solvere corrigiam calceamentorum ejus*, ajebat S. Johannes Baptista de Jesu Christo loquens, non eo quod hoc illi revera munus præstiterit [5]. Elisæus tunc præter morem adfuit in exercitu, neque enim hæc illi videtur fuisse consuetudo ex interrogatione Josaphat. *Est ne hic Propheta Domini?*

℣. 12. DESCENDIT AD EUM REX ISRAEL.] Nequaquam miserunt, qui illum accerserent, sed ipsi descenderunt, ut illum convenirent in Tabernaculum ipsius. Nemo umquam melius Nuntii, ac Viri Dei characterem induit, quam Elisæus, neque alibi melius cognoscere licet quantum necessitas, & formido valeat in potentiorum audaciorumque virorum ingenia.

℣. 13. QUID MIHI, & TIBI EST? VADE AD PROPHETAS PATRIS TUI.] Mira sane Elisæi libertas; hi sunt effectus duplicis spiritus Eliæ, quo fuerat repletus! Joram plane nondum Idolorum Baal, & Astaroth Templa, ac Idola subverterat, eo tempore quo, ad illum his verbis Propheta loquebatur. Ambigi posset, an divino afflatus Spiritu hæc verba protulerit; infra enim adduci psaltem jubet, ad cujus numeros placato affectuum motu facilius se præpararet, ut Sancti hujus Spiritus afflatum perciperet. At licet actu ea in occasione sancto spiritu nequaquam percitus fuisset, non ideo tamen redargui posset; zeli enim sui, qui optime directus erat, ac secundum scientiam, stimulos secutus est. Joram satis superque meritus fuerat, ut hoc pacto ab Eliæ successore exciperetur.

℣. 14. SI NON VULTUM JOSAPHAT ERUBESCEREM.] Hebraicus textus ad litteram [6] *Si non vultum Josaphat exciperem*, nisi hunc Regem majori, quam te veneratione, & cultu prosequerer: Nisi hic adesset Princeps, neque intuitu te dignatus essem.

℣. 15. ADDUCITE MIHI PSALTEM.] Elisæus aliquo animi motu efferbuerat Regem Israel allocutus, neque aptus erat Sancti Spiritus afflatui excipiendo, qui affectus quiescentes, ac nulla perturbatione agitatus requirit. Ut motum hunc nimis vividum, ac recentem sedet, Propheta poscit, ut sibi adducatur Psaltes, cujus ad pios, graves, seriosque modulos motus hic conquiescat, dissipetur nubes, ac spiritus consuetam animi tranquillitatem recipiat. In exercitu semper aderant Sacerdotes, & Levitæ, inter præcipua quorum munia recensebatur in Domini Templo musicis psallere instrumentis. Non erant hæc igitur cantiones, aut profani numeri, qui affectibus perturbandis, ciendisque idonei sunt; at e contra devotionem afflabant, atque ad Deum cor extollebant.

Alibi

---

1 מישע מלך מואב היה נקד 70. *ὁ νωκήδ*. Theodoret. qu. 11. *νωκήδ*. Alii, *ἀρχιποίμην*. Aqu. *ποιμνιοτρόφος*, *Nutriebat numerosos greges*, Sym. *τὸ τρέφων βοσκήματα*. 2 Virgil. Georg. *Aut pecori signum, aut numeros impressit acervo*. 3 Amos 3. 1. אשר היה בנקדים 4 Vide Sanct. hic. 5 Matth. 3. 11. Marc. 1. 7. Luc. 3. 16. Joan. 1. 27. 6 כי לולי פני יהושפט ... אני נשא

Alibi [1] jam de mitabilibns musicæ effectia, quos prisci Auctores memoraut, disseruimes. Porphyrius Epist. ed Ambon. Ægypt. tefert, illos qei Deum Matri sacra fecicbant ad musicorem instrumentorum souum, vel ad. aliqeem conceutum in extasim rapi cousuevisse. S. Aegestious de Civit. l. 14. c. 24. do Sacerdote quodsm loquitur, cui nomeo erat *Restitutus*, qei, cum vellet, in extasim rapiebstur ed hominis occentum, qui funebres næniss imitabatur; eu Sanctut idem de se met in Coofessionibus l. 9. c. 6. loquens mirabiles effectes prodit, quos Ecclesiæ cantes iu illius animu, & corde operabaotur. *Quantum flevi in hymnie, & canticie tuis, suavesonantis Ecclesiæ suæ vocibne commotus acriter*. Ajeut etiam, S. Franciscum ad musicorum instrumentorum numeros in cœlestium rerum meditationem abripi cousuevisse; Albertur Kraorxies ait, Henticum IV. Daniæ Regem, cum Musici eojesdam periculem facere vellet, qui se illi sopotem, dolotem, furoremque, prout libuetit, immisserum gloriabatur, adeo illios potestatem expertum fuisse, ut propria mauu quibosdam Aelicis necem intulerit, eo actus furore, quem Musici cantus exciverat. Cicero Tuscul. qu. l. 4. de Pythagoræis locutus air, ipsos *mentse suas a sogitationum intensione, cantu fidibusque ad tranquillitatem traducere* consecvisse.

FACTA EST SUPER EUM MANUS DOMINI.] So tepente ptophetiæ spiritu afflstem sensit. Cem Sonus, & vocum, musicorumque instrumentorum concentus sensim, ac susviter organa illus perteutasset, ec affectuum motem, quo agitabater, sedasset, iu vehementer supernatetsli actum euthusiasmo cognovit, qui est prophetiæ caracter. *Facta est super eum manus Domini*. Hæc locetio passim nsurpatur ad innuendsm impressionem, afflatum, actionemque Spiritus Sancti in animem, vel etiam corpus Prophetarum. Tunc veluti extra se rapi videutur, in alium hominem immereri, alio spiritu auimari, agere, & loqui divina prorsus retione, & euctoritate. Pseedo-Propheræ, ac divinatores apud Ethnicos veri Dei Propheratem cothusiasmos, tariouesque imirabautur: cum hoc tamen discrimioe, quod hi leni afflatu agebantur, qui absque eo quod mentem illorum, spiritemque perrurbarer, illis vim, majestatem, auctoritatemque tribuebat, quæ necessariæ sunt ad agendum, loqueodumque veluti uentiis Dei; cum Divinatoies, & Pseudo-prophetæ malo animeti erant genio, violentot edebaot morus, contorquebaoter, & conabantur spititum neqeam excutere, ac se met ab eo dæmoue libetare, quo vexabanrut, ac vehementer agitabanrnr. Virgilius affabre eos his vocibus describit Æneid 6.

. . . . Subito non vultus, non color unus,
Non comptæ mansere comæ, sed pectus anhelum,
Et rabie fera corda tument; majorque videri,
Nec mortale sonans: afflata est numine quando.....
Bacchatur vates, magnum si pectore possit
Excussisse Deum: tanto magis ille fatigat
Os rabidum, fera corda domans, fingitque premendo.

℣. 16. FACITE ALVEUM TORRANTIS HUJUS FOSSAS, & FOSSAS.] Facire pletimar fossas secus torrentis alveum. Vel poties [2] *Facite fossas in torrente*: Effodite io torreure, ac ibi plurimat eruitu fossas. Torrens exarueral, nec uisi per imbres aquis replebatut. Prophera imperat, nt plures effodiantur foveæ, quæ noctu aquis erant implendæ, atque ad duplicem effectum erant inservitoræ, io quibea volebst Dees, porentiam suam ostendere, primo quidem exercitus universi siti cousulendu; sursut vero Moabitas in Hebræorum manibns tradendo.

℣. 19. UNIVERSUM LIGNUM FRUCTIFERUM SUCCIDETIS.] Mandatum hoc est exceptio Legis in Deuteronomio rogatæ [3] quæ vetat arbores in hostico succidi. Esse quoqne potest, Deeteronomii præceptum Promissam domtexat tertam respicero [4], cujes arbores ab Israelitis in ipsorum usum servari jubebat.

FONTAS AQUARUM OBTURABITIS.] Nomine fontiem aqearem, generatim inrelligi possuut equæ omues, quæ scaient, see putei, seu fonrea, per aotirhesim ad cisteruss, aliasque pluviarum aqusrum congeries. Deus puteos oppleri jubet, & fontes aquarum disperdi iu eosdem lapidibus, & arena ingestis, vel eorumdem aquis in lapidosa, arenosaqee loca didictis, ne amplius agros irrigent, sed in steriles, inutilesqee locos dissipentnr.

OMNEM AGRUM EORBOIUM OPERIBTIS LAPIDIBUS.] Hæc ibi gentium, non secus ac alibi, erat consuetodo agrorum lapides colligendi, etque seorsim in acervos extruendi, ne aranti agricolæ obessent, neque sarculo terras exercenti; quod ex Isaia 6. 2. liqeet: *Vinea facta est dilecto meo in cornu filio olei, & sepivit eam, & lapides elegit ex ea*; qui *ager exossatus* a Persio Sat. eit. vocarur. Deus juber, Hebræos hos lapides sumere, atque io uberiores terras effuodere.

℣. 20. MANE QUANDO SACRIFICIUM OFFERRI SOLET.] Holocaustum matutiuum sub ortum selis offerebater, & anre reliqua sacrificie [5]. Tunc temporis fossæ, quæ in Torrente excavatæ fueraut visæ sent aquir repleri, quæ e terra Edom fluebant; non enim hæ aqeæ erant pleviales; (nam Propheta prædixetar, nequo ventum, nec pluviam futuram), at mirabili Divinæ potentiæ effectu, & plane Aogelorum ministerio illue deductæ.

℣. 21. CONVOCAVERUNT OMNES, QUI ACCINCTI ERANT BALTEO.] Omnes scilicet, qui erma gestabant. Ad literam [6]: *Omnes qui se accingebant cingulo, & supra*. Perinde et innuere vellet coactos fuisse non eos solem, qei arme gestare consuevetaot, sed alios quoque, sents, vereranos, qei per ætatem miliria vacabant [7]. Hæc verbs, *qui accincti sunt balteo* significant milites. *Se accingere*, sæpiur etma induere significat [8]. Popules bello mioime essuetus *discinctus* a Poetis vocarur, *discinctos Afros*, hoc est *militiæ inhabiles*, Servies ait [9].

℣. 22. VIDERUNT MOABITÆ AQUAS RUBRAS QUASI SANGUINEM.] Seu qeod equæ hunc revera colorem refertent vel a solo, que diffluxeraut, vel eb arena, & torrentis imo, quod subrebescere poterat, seu quod a Solis reflexione hoc fieret; radii enim oriente sole oblique aqearum superficiem ferientes, eas tebras Moabiterum oculis exhibebant [10]. Quotidiana docemer experientia aqeas colorem mutari nou a terris solum, per qeas defluunt, & in qeibus consisteut, sed etiam a oubibus, & aere, quæ seper imminent. Sol Oriens crebro rebicundus videtur, non secut at nubes, quæ illem circumeunt. Nihil ulteries opus erat, ut Moabitæ deciperenter, arqee crederent, aquas, quæ illis rubræ videbautur, esse sauguinis rivulos. Sciebaut eqeidem naturaliter ibi aquas esse non posse: locus enim aridus erat, nullæ cecidetant pluviæ, & fontes procul aberant. Unde enim hæc tanta rubri liquoris existere copie poterat, oisi ille bostium cruor esset, qui se se mutuis vulneribus confoderint? Hac ratione arguebant Moabitæ. Hæc opinio, qea sibi met suaviter adeo blaudiebeutur, quibesdam confirmabator exemplis, quibes exercitns se se mutua cæde inrer tenebras, & noctis confusiouem confecerant. Sciebant enim Ma-

1 Vide qeæ diximus iu 1. Reg. 16. 17. 2 עשה הנחל הזה גבים גבים 3 Deut. 20. 19. *Quando obsederis civitatem, non succides arbores, de quibus vesci potest*. 3 Est. Tir. Menoch. Sanct.
4 כל עיני מים תסתמו 5 Vide Exod. 29. 38. 6 ויצעקו מכל חגר חגרה ומעלה
7 Ita Arab. Osiand. Pisc. &c. 8 Vide 1. Reg. 2. 4. & 2. Reg. 22. 40. Ephes. 6. 14. 9 In Æneid. 8. ad finem. Ita Græci ἀζώνους, dicunt streuuos, & ἐρρωγχιτῶνας, imbelles. 10 Ita Jonath. Joseph. Menoch. Tir. Lyran. Sanct. &c.

Bianitas [7] olim sibi met in præcipiti fuga necem intulisse; ac Philisthiim hoc ipsum Saulis ævo fecisse intellexerant. 1. Reg. 14. 20. *Versus fuerat gladius uniuscujusque ad proximum suum, & cædes magna nimis.*

Ỷ. 25. ITA UT MURI TANTUM FICTILES REMANERENT.] Vel potius, regionem omnem subverterunt, ita ut nec lapis super lapidem relinqueretur; atque usque ad urbem Kir-hareseth, quo Rex Moab concesserat, procederent, eamque obsidione vallare inciperent. Hæc urbs isthic, & in Isaja [2] vocatur civitas muros habens cocti lateris; atque est urbs *Kir*, vel *Kirhareseth*, cujus non semel meminit Isaias, veluti urbis inter cæteras Moab munitissimæ. Hæc eadem est ac *Ar*, vel Areopolis Moabitarum Caput. Non pauci hoc pacto Hebraicum textum reddunt [3]; omnem regionem vastarunt, *ita ut relinquerent solum lapides Kir-horeset*. Vel; *ut relinquerent solum lapides muri haresei*; vel denique: omnia subverterunt *usque lapides civitatis, cui nomen, ad muros tegularum*, vel fictiles. Narrationis decursus satis ostendit hanc esse civitatem, & inter munitissimas ditionis Mesa Regis Moabitarum.

CIRCUMDATA EST CIVITAS A FUNDIBULARIIS.] Hebraice [4]: *& milites fundis armati invaserunt eam, ceciderantque*. Fundæ jactu hostes arcebant, ne muros ascenderent, donec milites turres, & propugnacula tormentis demoliebantur. Nonnulli Interpretes [5] putant, funditores hic accipi pro illis, qui tormentis vel missilia ejaculabantur, vel lapides in muros jaciebant: at hæc sententia non satis certa est, atque ex Scripturæ difficile probari potest.

Ỷ. 26. UT IRRUMPERENT AD REGEM EDOM.] Ut scilicet illac aditum sibi aperiret; vel eo quod ea pars non satis præsidiis firmata illi videbatur, vel quod credidit futurum ut Rex ille erumpenti faveret, si ad castra illius pervadere potuisset.

Ỷ. 27. ARRIPIENS FILIUM SUUM PRIMOGENITUM . . . . OBTULIT HOLOCAUSTUM SUPER MURUM.] Horribilis hominis cæcitas, qui Numinum suorum iram a regione sua avertere credit illis sacrilegam hostiam offerendo. Hoc sibi persuaserant antiquitus populi, cum summa imminerent pericula, Diis suis illud esse sacrificandum, quod quisque maxime in (D) deliciis haberet. Hoc Phœnices Saturno [6], Moabitæ vero Moloc præstabant. Apud Romanos quoque non semel egregii enituere viri, qui pro Reipublicæ (A) salute se devoverunt. Nec defuerunt [7] privati homines, qui capita sua devoverent, vel se ad mortem usque pugnaturos promitterent, pro Caligula, & Nerone, cum hi Principes sub imperii initium morbo pene conficerentur, antequam studia sua satis hominibus prodidissent, propter quæ illos deinceps cunctum humanum genus jure perhorruit. Asserunt etiam Sennacherib in sacrificium oblaturum fuisse duos filios Deo suo Nesroc post infelicem adversus Jerusalem expeditionem; at e filiis præoccupatum fuisse, atque interemptum [8]. Hinc satis liquet, quomodo error hic, & crudelis opinio olim inter populos longe lateque esset effusa.

Interpretes quidam [9] putant, Regi Moab consilium fuisse, ad exemplum sacrificii Abrahæ, filium (B) suum in sacrificium Deo Israel afferendi, ut hoc pacto Dei item emoveret, & flecteret Reges Juda, & Israel; et plerique hanc ipsum victimam Diis suis obtulisse arbitrantur. Utrum vero hic Rex proprium filium, an filium Regis Edom immolaverit, non satis convenit; Hebraicus textus utramque pati potest sententiam [10]. Alii putant [11], e Rege Moab filium Regis Edom captum fuisse in ea eruptione, qua se se super Regis Edom copias effuderat, atque Moab ira succensum, quod facinus e voto minime cessisset, furorem suum in adolescentulum hunc evomuisse. Alii docent, Mesam Regem Moab multo ab hinc tempore habuisse domi suæ filium Regis Edom, atque nunc in eum desæviisse, ut eam persequeretur injuriam, qua se affectum ajebat, eo quod pater illius (C) cum Regibus Juda, et Israel copias junxisset. At nihil horum satis valido argumento probatur, atque hæc omnia solis Rabbinorum conjecturis innituntur. Veteres, recentioresque Interpretes [12] communi ferme sententia de filio Regis Moab intelligunt, quibus maxime narrationis decursus suffragatur. Nonnulli etiam crediderе, Amos ad factum hoc animum advertisse, cum Moabitas exprobrat, eo quod ossa Regis Idum cremassent, eaque in cineres usque redegissent. Vide Comment. ad Amos 2. 1.

FACTA EST INDIGNATIO MAGNA IN ISRAEL.] Vel, Deus irritatus fuit, eo quod in flagitium hoc Regem Moab compulissent, neque recessissent, cum (D) illum viderent efferum adeo facinus patratutum. Dici quoque potest, factum hoc finitimorum populorum odia adversus Israelitas conciliasse. Textus in triplici hoc sensu potest explicari,

---

1 Judic. 7. 22. *Immisit Dominus gladium in omnibus castris, & mutua se cæde truncabant.*
2 Isai. 16. 7. *His qui lætantur super muros cocti lateris*; & 15. 1.
3 עד השאיר אבניה בקיר חרשת
4 ויסבו הקלעים ויכוה
5 Varab. Grot. Schindl. in Lexic.
6 Philo Biblius apud Euseb. Præpar. l. 4. c. 16.
7 Vide Suetonium in Cajo, & eumdem in Nerone c. 14. *Non defuerunt qui depugnaturos se armis pro salute ægri, quique capita sua titulo proposito voverent.*
8 Vide Rab. Salom. Lyran. Abul. in 4. Reg. 19. 37.
9 Joseph. Antiqu. l. 9. c. 1. Grot. Rab. Salom. Lyr.
10 ויקח את בנו הבכור . . . . ויעלהו עולה
11 Hebr. Rab. Kimchi ad Amos 2. 1. Jun. Munst. &c.
12 Ita Jonath. 70. Joseph. Syr. Arab. Grot. Vat. Malv. Sanct. Tir. Cornel. alii passim.

CAPUT IV.

Elisæus egenæ viduæ, ac obæratæ oleum multiplicat, quo creditoribus suis satisfacere possit. A Deo impetrat Sunamitidi filium, eumque mox vita functum, resuscitat. Farina pulmento immixta illius aufert amaritudinem, & paucis panibus centum homines satiat.

1. MUlier autem quædam de uxoribus prophetarum clamabat ad Elisæum, dicens; Servus tuus vir meus mortuus est, & tu nosti, quia servus tuus fuit timens Dominum: & ecce creditor venit, ut tollat duos filios meos ad serviendum sibi. 2 Cui dixit Elisæus: Quid vis, ut faciam tibi? Dic mihi, quod habes in domo tua? At illa respondit: Non habeo ancilla tua quidquam in domo mea, nisi

nisi parum olei, quo ungar. 3 Cui ait: Vade, pete mutuo ab omnibus vicinis tuis
vasa vacua non pauca. 4 Et ingredere, & claude ostium tuum, cum intrinsecus fueris
tu, & filii tui: & mitte inde in omnia vasa hæc: & cum plena fuerint, tolles.
5 Ivit itaque mulier, & clausit ostium super se, & super filios suos: illi offerebant vasa,
& illa infundebat. 6 Cumque plena fuissent vasa, dixit ad filium suum: Affer mihi
adhuc vas. Et ille respondit: Non habeo. Stetitque oleum. 7 Venit autem illa,
& indicavit homini Dei. Et ille: Vade, inquit, vende oleum, & redde creditori tuo:
tu autem, & filii tui vivite de reliquo. 8 Facta est autem quædam dies, & transibat
Elisæus per Sunam: erat autem ibi mulier magna, quæ tenuit eum, ut comederet panem:
cumque frequenter inde transiret, divertebat ad eam, ut comederet panem. 9 Quæ
dixit ad virum suum: Animadverte, quod vir Dei sanctus est iste, qui transit per nos
frequenter. 10 Faciamus ergo ei cœnaculum parvum, & ponamus ei in eo lectulum,
& mensam, & sellam, & candelabrum, ut cum venerit ad nos, maneat ibi. 11 Facta
est ergo dies quædam, & veniens divertit in cœnaculum, & requievit ibi. 12
Dixitque ad Giezi puerum suum; Voca Sunamitidem istam. Qui cum vocasset eam, &
illa stetisset coram eo. 13 Dixit ad puerum suum: Loquere ad eam: Ecce, sedule
in omnibus ministrasti nobis, quid vis ut faciam tibi? numquid habes negotium,
& vis ut loquar regi, sive principi militiæ? Quæ respondit: In medio populi mei
habito. 14 Et ait: Quid ergo vult, ut faciam ei? Dixitque Giezi: Ne quæras: filium
enim non habet, & vir ejus senex est. 15 Præcepit itaque ut vocaret eam:
quæ cum vocata fuisset, & stetisset ante ostium, 16 Dixit ad eam: In tempore
isto, & in hac eadem hora, si vita comes fuerit, habebis in utero filium. At illa
respondit: Noli quæso, domine mi, vir Dei, noli mentiri ancillæ tuæ. 17 Et
concepit mulier, & peperit filium in tempore, & in hora eadem, qua dixerat Elisæus.
18 Crevit autem puer. Et cum esset quædam dies, & egressus isset ad patrem
suum, ad messores, 19 Ait patri suo: Caput meum doleo, caput meum doleo.
At ille dixit puero: Tolle, & duc eum ad matrem suam. 20 Qui cum tulisset,
& duxisset eum ad matrem suam, posuit eum illa super genua sua usque
ad meridiem, & mortuus est. 21 Ascendit autem, & collocavit eum super lectulum
hominis Dei, & clausit ostium: & egressa, 22 Vocavit virum suum,
& ait: Mitte mecum, obsecro, unum de pueris, & asinam, ut excurram usque
ad hominem Dei, & revertar. 23 Qui ait illi: Quam ob causam vadis ad eum?
hodie non sunt Calendæ, neque Sabbathum. Quæ respondit: Vadam. 24 Stravitque
asinam, & præcepit puero: Mina, & propera, ne mihi moram facias in
eundo: & hoc age, quod præcipio tibi. 25 Profecta est igitur, & venit ad
virum Dei in montem Carmeli: Cumque vidisset eam vir Dei e contra, ait ad Giezi
puerum suum: Ecce Sunamitis illa. 26 Vade ergo in occursum ejus, & dic ei:
Rectene agitur circa te, & circa virum tuum, & filium tuum? Quæ respondit: Recte.
27 Cumque venisset ad virum Dei in montem, apprehendit pedes ejus: & accessit
Giezi, ut amoveret eam. Et ait homo Dei: Dimitte illam: anima enim ejus
in amaritudine est, & Dominus celavit a me, & non indicavit mihi. 28 Quæ dixit
illi: Numquid petivi filium a domino meo? numquid non dixi tibi: Ne illudas
me? 29 At ille ait ad Giezi: Accinge lumbos tuos, & tolle baculum meum in manu
tua, & vade. Si occurrerit tibi homo, non salutes eum; & si salutaverit te quispiam,
non respondeas illi: & pones baculum meum super faciem pueri. 30 Porro
mater pueri ait: Vivit Dominus, & vivit anima tua, non dimittam te. Surrexit
ergo, & secutus est eam. 31 Giezi autem præcesserat ante eos, & posuerat baculum
super faciem pueri, & non erat vox, neque sensus: reversusque est in occursum
ejus, & nuntiavit ei, dicens: Non surrexit puer. 32 Ingressus est ergo
Elisæus domum, & ecce puer mortuus jacebat in lectulo ejus. 33 Ingressusque
clausit ostium super se, & super puerum; & oravit ad Dominum. 34 Et ascendit,
& incubuit super puerum: posuit os suum super os ejus, & oculos suos super oculos
ejus, & manus suas super manus ejus: & incurvavit se super eum, & calefacta
est caro pueri. 35 At ille reversus, deambulavit in domo, semel huc, atque illuc;
& ascendit, & incubuit super eum: & oscitavit puer septies aperuitque oculos.
36 At ille vocavit Giezi, & dixit ei: Voca Sunamitidem hanc. Quæ vocata,

ta, ingressa est ad eum. Qui ait: Tolle filium tuum. 37 Venit illa, & corruit ad
pedes ejus, & adoravit super terram: tulitque filium suum, & egressa est. 38 Et
Elisæus reversus est in Galgala. Erat autem fames in terra, & filii prophetarum ha-
bitabant coram eo. Dixitque uni de pueris suis: Pone ollam grandem, & coque
pulmentum filiis prophetarum. 39 Et egressus est unus in agrum, ut colligeret
herbas agrestes: invenitque quasi vitem sylvestrem, & collegit ex ea colocynthidas
agri, & implevit pallium suum: & reversus concidit in ollam pulmenti: nesciebat
enim quid esset. 40 Infuderunt ergo sociis, ut comederent; cumque gustassent de
coctione, clamaverunt, dicentes: Mors in olla, vir Dei. Et non potuerunt come-
dere. 41 At ille, Afferte, inquit, farinam. Cumque tulissent, misit in ollam, &
ait: Infunde turbæ, ut comedant. Et non fuit amplius quidquam amaritudinis in
olla. 42 Vir autem quidam venit de Baalsalisa deferens viro Dei panes primitiarum,
viginti panes hordeaceos, & frumentum novum in pera sua. At ille dixit: Da po-
pulo, ut comedat. 43 Responditque ei minister ejus: Quantum est hoc, ut appo-
nam centum viris? Rursum ille ait: Da populo, ut comedat; hæc enim dicit Do-
minus: Comedent, & supererit. 44 Posuit itaque coram eis; qui comederunt, &
superfuit juxta verbum Domini.

℣. 1. MULIER QUÆDAM DE UXORIBUS PROPHETARUM.] Complures veteres[1] crediderunt, prophetam hunc, cujus vidua a creditoribus vexabatur, fuisse Abdiam, celebrem illum Præfectum Achab, qui clam plurimos prophetas aluerat, dum Achab, & Jezabel persecutio desæviret 3. Reg. 18. 13. Judæi putant, Joram Regem Israel fuisse inclementem hunc creditorem, qui hujus viduæ filios in servitutem trahere volebat. At his traditionibus perperam fidem adjeceris; nullum suppetit argumentum, quo Abdias Præfectus Achab propheta fuisse probetur.

CREDITOR VENIT, UT TOLLAT DUOS FILIOS MEOS AD SERVIENDUM SIBI.] Filii, juxta Hebræorum jura, habebantur, veluti bonum quodpiam parentum suorum, & quos ipsi venumdare possent, ut æs alienum dissolverent. Lex illis explicite permittit, cum paupertatis necessitas ingruat, semet, ac filios suos vendere Exod. 21. 7. & Levit. 25. 39. Creditores autem obæratorum filios nexos habere, illorumque servitio frui sibi licere putabant, propter allatam legem, atque alteram, qua præcipitur, ut fur veneat, nisi habuerit, unde ablata restituat[2]. Licet enim ea in re nihil præcise lege sancitum sit, ex hoc loco, aliisque quibusdam dignoscitur, morem hunc vulgo apud Hebræos obtinuisse. Exempli gratia huic consuetudini Isaias apertissime alludit, cum ait 50. 1. *Quis est creditor meus, cui vendidi vos? Ecce in iniquitatibus vestris venditi estis*. Et Jesus Christus in Evangelio Matth. 18. 25. creditoris parabolam proponit, qui cum servum suum magnam auri vim sibi debere invenisset, jussit illum, uxorem, filiosque illius venumdari; ex quo liquet, morem hunc usque ad novissimum Reipublicæ tempus apud Hebræos viguisse.

Romani, Athenienses, Asiæ populi, aliique nonnulli eodem, ac Hebræi jure in filios suos fruebantur; eos enim, cum egestas urgeret, vendebant, suisque creditoribus satisfaciebant, quemadmodum mobilem quampiam rem, aut aliquid de armento illi traderent. Romulus parentibus quodlibet potestatis genus in filios eorum tradidit, idque quoad viverent, & ad quamvis dignitatem filii evecti fuissent. Illis permisit, ut liberos suos in carcerem truderent, eos loris cæderent, veluti vilissima mancipia agris excolendis exercerent, imo & occiderent, & venumdarent; eos vero ter dumtaxat vendere poterant, qua in re majorem in filios suos potestatem habebant, quam in servos, quos semel solum poterant vendere. Numa Pompilius legem hanc moderatus est, præcipiens, ut cum filius de patris consensu uxorem duxisset, a patre non posset amplius venumdari; præter quem casum mos filios vendendi diu apud Romanos permansit[4]. Imperatores Diocletianus, & Maximianus caverunt, ne personæ liberæ propter æs alienum servire cogerentur: *Ob æs alienum servire liberos creditoribus jura non patiuntur*[5]. Prisci Athenienses hac in re eodem fruebantur jure in filios suos, ac Romani; at Solon morem hunc nimis barbarum lege coercuit[6]. Lucullo prætore hoc ipsum in Asia vigebat[7]: cui rei Prætor ille usuras fœneratorum reprimens occurrit. Ad hanc quoque diem Georgiæ populis filios suos alienare licet; & creditores obæratos suos cogere possunt, ad uxores, liberosque vendendos, donec ex asse omne æs dissolverint[8]. In Insulis Britannicis morem filios vendendi satis diu viguisse, omnibus liquet. Unde licet arguere summam interfuisse similitudinem inter vetus Hebræorum, ac aliorum populorum jus, quoad patrum erga filios auctoritatem.

℣. 2. NON HABEO . . . NISI PARUM OLEI, QUO UNGAR.] Se oleo fovere utilissimum vitæ ducebatur, ab id genus unctionibus abstinere, veluti maxima quædam mortificatio habebatur. Historia quandoque hujusmodi abstinentiam, veluti pœnitentiæ, luctus, ac tristitiæ notam exhibuit[9]. Moyses, & Michæas Judæis minitantur, oleum, quo ungantur, defuturum, perinde quasi maximum esset infortunium[10]. Non igitur magna in hac muliere censenda mollities est, quod ait, illi superesse dumtaxat parum olei, quo ungatur, potius quam quod ad vescendum adhibeat. Unctio, æque ac cibus habebatur; *hæc voluptas a nostris quoque inter laudatissima, atque etiam honestissima vitæ bona admissa est*, Plinius ait lib. 13. cap. 1. de Romanis locutus; at apud Orientales majori adhuc in usu ea erat posita. Sanctius, & Cornelius a Lapide, ut omnis luxus prohibeatur in hac muliere adeo importuna suspicio, hoc in sensu malunt intelligi: *Non habeo, nisi parum olei, quo ungar* post mortem. Certum est mortuorum corpora ungi con-

1 Joseph. Antiqu. l. 9. c. 2. Theodor. qu. 14. Hist. Schol. Lyran. Tost. Rabb.
2 Exod. 22. 3. *Si non habuerit quod pro furto reddat, ipse venumdabitur.* 3 Dionys. Halicarn. lib. 2. p. 96. 97. 4 Vide l. 2. de patribus, qui filios distraxerunt, l. 4. Cod. tit. 43.
5 L. ob æs. C. de obligat. 6 Plutarchus in Solone. 7 Idem in Lucullo.
8 Tavernier lib. 5. c. 9. 9 2. Reg. 14. 2. & Dan. 10. 3. 10 Deuter. 28. 40. & Mich. 6. 15.

gi consuevisse. Horatius l. 2. Sat. 5.

cadaver
Unctum oleo largo nudis humeris tulit heres.

Et Jesus Christus testatur, Mariam e Bethania præoccupare voluisse ipsius sepulturam super pedes illius oleum effundentem Matth. 26. 12. *Mittens enim hoc unguentum meum, ad sepeliendum me fecit*. At nullam video necessitatem, quæ nos ad hanc explicationem compellat, quæ subtilior videtur; alioquin vero hebraicus textus non ait, ipsam hoc oleum servasse, ut se se ungeret; habet enim simpliciter ad litteram [1]: *Non habeo domi meæ nisi vas olei*. Vasis hujus nomen est *asuk*, quod fluere potest a verbo *suk*, quod *ungere* significat; itaque significare potest vas ad oleum servandum, quo ungi solet, *inunctorium* [2]. Esse quoque potest, quod vox Græca *ascos*, vel uter fluat ab hebraica *asuk*, & hoc in loco textus significet *utrem oleo plenum*. Oleum autem, cæterique liquores hircinis pellibus continebantur. Vox authographi isthic dumtaxat occurrit.

℣. 8. TRANSIBAT ELISÆUS PER SUNAM.] Hæc civitas est in tribu Issachar ad meridiem torrentis Cisson, ad radices montis Thabor.

ERAT IBI MULIER MAGNA [3].] Dives, potens, celebris. Chaldæus, *mulier, quæ horrebat peccatum*. Arabs, *mulier insignis pietate erga Deum, & quæ malum vitabat*. Ecce autem qua in re positum erat meritum illius, & magnitudo.

℣. 10. FACIAMUS EI COENACULUM PARVUM.] Hebraice [4]: *Faciamus ei, quæso, parvulum cubiculum cum parietibus*. Vel, faciamus illi in superiori parte domus parvulum conclave cum parietibus. Hospites plerumque ad cubandum in solario domus, quod domus etiam tectum erat, ponebantur. Verum ut Elisæus ibi commodius permaneret, in superiori parte domus extructum fuit illi cubiculum parietibus clausum; vel illi factum fuit parvulum conclave, quo liberius secedere posset, ibique requiescere, ac seorsim veluti domi suæ vitam ducere. Vitruvius lib. 6. cap. 10. narrat, antiquitus apud Græcos in principum virorum ædibus conclavia pro hospitibus excipiendis, cum iis omnibus, quæ requirebantur, extrui consuevisse, ubi hospes aliquandiu erat immoraturus, postquam adventus sui die ab hospite convivio fuisset exceptus; illi subinde quotidie munera quædam ex agrorum fructu deferebantur; eoque pacto veluti domi suæ habitabat; atque seorsim summa cum libertate poterat diversari.

CANDELABRUM.] Hoc ex ingentibus illis candelabris erat, quæ media in cubiculis statuebantur, & super quæ una, vel plures ardebant lucernæ, vel etiam ligna quædam comburebantur, quæ lucem afferrent. Vide, quæ diximus in Exod. 25. 38.

℣. 12. QUI CUM VOCASSET EAM . . . (13.) DIXIT AD PUERUM SUUM: LOQUERE AD EAM.] Si narrationem hanc ad litteram intelligere velis, videretur Elisæus mulieris hujus idioma nequaquam intellexisse, atque ad eam per interpretem dumtaxat fuisse locutum [5]; vel ipsum cum illa colloqui noluisse; vel denique mulierem hanc, modestiæ ergo minime ausam fuisse, directe ultro, citroque & interrogare Elisæum, & respondere interroganti: verum nullum adest argumentum, quo ex his explicationibus ullam probemus. Itaque præstat versiculos 13. & 14. parenthesi claudere, eosque ad plusquam perfectum tempus remittere, hoc pacto [6]: ℣. 12. *Dixit Elisæus ad Giezi puerum suum, ut accerseret hanc mulierem, quæ venit, atque se coram illo obtulit: (℣. 13. At dixerat pridem servo suo: Pete ab ea, an aliquod negotium habeat, an velit, ut pro ea loquar ad Regem, vel ad Imperatorem exercitus illius; Respondeatque: ego pace fruor in medio populi sui. ℣. 14. Cumque Elisæus deinde dixisset Giezi: Quid ergo vult, ut faciam ei? Giezi illi dixerat: Non habet, quod petat; nam nullos habet liberos, & vir ejus senex est.)* ℣. 15. Tunc *Elisæus præcepit Giezi, ut eam vocaret*, cui, cum venisset, filium promisit.

VIS, UT LOQUAR REGI, SIVE PRINCIPI MILITIÆ?] Elisæus maximam sibi laudem comparat in aula Joram Regis Israel, propterea quod de ipso meritus perquam bene fuerat in bello adversus Moabitas suscepto; neque se utilius uti posse censebat gratia, qua apud Regem pollebat, quam ut Sunamitidi huic summa pietate, ac merito mulieri opem ferret, & cui ille ob præclara in se illius officia maxime tenebatur. Antiqui Canones adhortantur Episcopos, ut egenorum, viduarumque preces, & questus, ne immerito opprimantur, ad Principes referant. Vide Canonem Ecclesiæ Africanæ apud Grotium hic.

IN MEDIO POPULI MEI HABITO.] Pacata vita fruor domi meæ, quin cum ullo externo res mihi sit [7]: ideoque abs re foret, si Regi me commendatam velles. Mea sum & sorte, & conditione contenta, neque de quoquam mihi est conquerendum, neque ulla mihi sunt negotia, quæ ad Regis aures deferri mereantur.

℣. 16. IN TEMPORE ISTO, ET IN HAC EADEM HORA, SI VITA COMES FUERIT, HABEBIS IN UTERO FILIUM.] In Genesi 18. 10. offendimus locutionem omnino similem, cum Angelus Saræ filium promisit. Hebraicus textus ad litteram [8]: *Tempore præciso, quo sumus, secundum vitæ tempus, filium amplecteris*. Quæ postrema loquendi ratio, significare potest, *habebis in utero filium*, quemadmodum & Vulgata, & Septuaginta reddidere [9], vel habebis filium, possidebis illum, amplecteris.

NOLI MENTIRI ANCILLÆ TUÆ.] Ne mihi vana pollicitatione blandiaris, ne me inani spe erigas. *Mentiri* non semper eamdem Hebraice habet significationem, quam obtinet apud Latinos. Inofficiosum quippe esset temere dicere prophetæ, *noli mentiri*, perinde ac eum nobis veteratorio dolo os sublinire, ac fucum facere crederemus.

℣. 23. QUAM OB CAUSAM VADIS AD EUM: HODIE NON SUNT CALENDÆ, NEQUE SABBATHUM.] Hæc mulier non aperit viro suo veram sui itineris causam, neque illi filii sui mortem detegit. At fide, fiduciaque succensa ad Elisæum confugit, rata illum, qui filii nativitatem potuerat obtinere, ejusdem etiam impetrare posse resurrectionem. Ex hoc loco videntur pii viri prophetas convenire consuevisse diebus Sabbathi, vel Neomeniarum, ut eorum præcepta perciperent. Dei Lex non adeo in regno Israel intereraτ, ut non complures probi Israelitæ adessent, qui veteres adhuc mores servarent. Prima dies mensis non erat per Legem sacra, verum populi pietas eam sanctificaverat [10]; at die Sabbathi intemeranda quies servabatur, quæ tamen minimum oberat, quominus propter pietatis opera, cum de Domini cultu ageretur, satis longum iter suscipi posset [11]. A Sunam ad montem Carmelum, ubi Elisæus morabatur, sex, vel septem saltem intererant leucæ.

QUÆ RESPONDIT: VADAM.] Hebraice [12]: *quæ respondit: pax*. Ne res ulla tibi ingerat sollicitudinem, permitte tantum, ut abeam; vel omnia sebene habent, sine me abire. Detegere non vult viro suo

1 כי אם אסיך שמן 2 Munst. Menoch. 3 שם אישה גדולה
4 נעשה נא עלית קיר קטנה
5 Ita Castalio. 6 Vide, si lubet, Junium, & Pisc. 7 Theodoret. qu. 15. Castalio hic.
8 למועד הזה כעת חיה את חבקת בן 9 εἰς τὸν καιρὸν τοῦτον, ὡς ἡ ὥρα, ζῶσα σὺ, περιειληφυῖα υἱόν.
10 Vide dicta ad Num. 10. 10. & 27. 11. & 33. 13. 12. 11 Exod. 20. 8.
12 ותאמר שלום

ſoo ſui itineris cauſam, immo mentitur, omnia ſe bene habere ſimulant. Hoc ipſum inferius reperit ỷ. 26. cum ait ad Giezi, recte omnia ſe habere, quoad virum, ac filium ſuum.

ỷ. 24. MINA, & PROPERA, NE MIHI MORAM FACIAS IN EUNDO, ET HOC AGE, QUOD PRÆCIPIO TIBI.] Hebraice [1]: *Duc me, & procede, neque obſis mihi, quo minus properem, niſi dixero tibi*. Ne remoreris aſinam, ſed ſine illam gradum celerare, neque timeas, quod me nimis celeriter incedendo defatiget; ſi quid detrimenti patiar, te admonebo; alioquin, eam properare permitte. Nonnulli putant [a] mulierem hanc pedibus viam corripuiſſe, & aſinam pro Eliſæo deduxiſſe, quin ea illam conſcenderet. Vertunt autem: *Procede, & duc aſinam, neque coge me, ut illam aſcendam, niſi dixero tibi*.

ỷ. 27. ACCESSIT GIEZI UT AMOVERET EAM.] Giezi non credidit decorum eſſe, permittere, ut mulier hæc diutius ad domini ſui pedes provoluta jaceret; noverat etiam ſummam Eliſæi modeſtiam, atque ab eo ſexu alienationem.

DOMINUS CELAVIT A ME.] Hic locus probat, Prophetas non ſemper afflatos eſſe, & prophetiam non eſſe in ipſis virtutem permanentem, ac habitualem, & cujus actus ipſis integrum ſit, ubi velint, producere, veluti ſapiens vir, atque peritus opifex ſemper judicare poteſt, ratiocinari, juxta ſcientiæ, & artis ſuæ præcepta. Prophetia eſt actualis virtus, & qualitas fluxa, & quæ omnino pendet a voluntate Dei, qui eam dat, adimitque, ubi vult, & quibus vult. *Aliquando ſpiritus prophetiæ deeſt Prophetis, nec ſemper eorum animis præſto adeſt, ut videlicet eum ipſum non habent, agnoſcant ſe dono Dei habere, quod habent*, ait S. Gregorius hom. 1. in Ezech. Alibi quoque vidimus Nathan [3], & Eliſæum [4] hoc ſpiritu carentes, cum ex urgerent circumſtantiæ, in quibus ipſorum maxime eodem eſſe afflatos intereſſet.

ỷ. 29. SI OCCURRERIT TIBI HOMO, NON SALUTES EUM.] Hæc figurata eſt, atque hyperbolica loquendi ratio, ad innuendam diligentiam, qua iter hoc illi erat perficiendum [5]. Cum aliqua neceſſitas urget, nequaquam tempus terimus, huc, illuc circumſpiciendo, neque ſalutando, aut ſalutantibus reſpondendo; at ad locum, quo nos negotia vocant, pervolamus. In veterum Comædiis exhibentur ſervi currentes, quo a Dominis mittuntur, quin ſalutem alicui precentur, aliis ſalutem precantibus officioſe paria faciant, quin tergiverſentur. Mundi Salvator Apoſtolos ſuos mittens ad Regnum Dei prædicandum, illis imperat, ne quem per viam ſalvere jubeant Luc. 10. 4. *neminem per viam ſalutaveritis*. Non ideo tamen dixerit, ait S. Ambroſius in Luc. l. 7. art. 63. a Domino aqua, & igni omnibus urbanitatis officiis eſſe interdictum; *Non ſalutationis ſedulitas aufertur, ſed obſtaculum impediendæ devotionis abolетur; ut quando divina mandantur, pauliſper ſequeſtrentur humana*. Denique per hæc verba, *neminem per viam ſalutaveritis*, oſtendit quanta celeritate onus ſubire debeant illi, quibus prædicandi Evangelii provincia demandatur: *ut ſub quanta feſtinatione*, S. Gregorius inquit hom. 17. in Evang. *iter prædicationis pergere debeat, oſtendatur*. Idem pro ratione de Eliſæo dicendum eſt, qui mittit Giezi, illi imperans, ne quem ob iter ſalutet, vel ſalutanti reſpondeat. Judæis ad hanc quoque diem ſolemne eſt, ut in Synagogam euntes neminem ſalutent, ne huc, & illuc circumſpicientes diſtrahantur.

ỷ. 31. GIEZI POSUERAT BACULUM SUPER FACIEM PUERI, & NON ERAT NEQUE VOX, NEQUE SENSUS.] Alii [6] vitio Giezi vertunt, qui non rite ea obſervarit, quæ illi præceperat Eliſæus, & quem ſe jactitaſſe dicunt, quod iret filium Sunamitidis ad vitam revocaturus. At quomodonam hæc probari poteſt accuſatio? Alii [7] putant, fidem mulieri defuiſſe, quæ minime credidit, Eliſæi baculum miraculum illud poſſe operari; quamobrem dixerat ſe Prophetam nequaquam fore dimiſſuram, niſi ipſe deſcenderet. Alii [8] denique Eliſæum nimium ſpiritus ſuo credidiſſe, baculum ſuum ad puerum ſuſcitandum mittendo; neque enim Dei ſpiritus hoc illi dederat conſilium; verum ille cor ſuum dumtaxat conſuluerat. At aſſerere præſtat hoc Providentiæ fuiſſe conſilium, quæ nobis hoc in facto, tribuere volebat magni figuram myſterii, ut oſtenderet, quanta eſſet Legis inutilitas, quanta vero Incarnationis Filii Dei neceſſitas. Eliſæi baculus ſuper pueri corpus impoſitus Moyſis legem ſignificabat, quæ per ſe nec juſtitiam, nec vitam poterat conferre; at Eliſæus ipſa requirebatur, Jeſu Chriſti figura, & Magiſter eorum omnium, qui miſſi fuerant ſub Lege, debebatque ipſe accedere, ac ſeſe adunare in incarnatione ſua, ut pueri corpori fieret par; ſcilicet toti humano generi, quod ſine vita erat, ſine viribus, ſine luce. Hoc pacto Patres hiſtoriam hanc explicuere [9]; qua in re illis plerique Interpretum eruditiſſimorum adhærent.

ỷ. 34. ET INCURVAVIT SE SUPER EUM, & CALEFACTA EST CARO PUERI.] Septuaginta [10] quoque ſimiliter legunt; at veteres Græci Interpretes vertunt, *inſpiravit in illum &c.* Arabica verſio: *inſufflavit illum flatu ſuo*; quemadmodum Dominus flatu Adæ vitam inſpiraverat, ait Theodoretus.

ỷ. 35. ET OSCITAVIT PUER SEPTIES.] Plerique recentiorum Interpretum Hebraicum textum [11] reddunt: *ſternutavit ſepties*. Sternutamenta ſunt ſigna ſalutis, *& capitis gravedinem emendant*, ut ait Plinius l. 28. c. 6. Puer, de quo hic agitur, laborans capite occubuerat [12]. Septuaginta verbum hoc prætereuere. Arabica verſio reddit: *puer ſepties oculos convertit*, alii vero reddunt; *ſepties contremuit*; vel Eliſæus *ſepties eum preſſit*.

ỷ. 38. ELISÆUS EST IN GALGALA.] Hæc innuere videntur, Eliſæum immediate a Galgalis ante diſceſſiſſe: at ex ỷ. 25. videmus ipſum e monte Carmelo in Sunam veniſſe. Hoc igitur verbum *reverſus eſt* intelligendum eſt, perinde ac diceret, ſecundo profectus eſt in Galgala: nam ibi fuerat una cum Elia paullo antequam hic transferretur, illucque etiam perrexit cum a Jordane reverteretur, poſtquam teſtis fuerat miraculoſi raptus, quo magiſter illius evanuerat.

FILII PROPHETARUM HABITABANT CORAM EO.] Vel cum eo, vel juxta Hebraicam lectionem [13]: *ſedebant coram eo*, veluti coram præceptore diſcipuli. Vide Act. 22. 3. *ſecus pedes Gamalielis eruditus*.

ỷ. 39. UT COLLIGERET HERBAS AGRESTES.] Cum hortenſis defeciſſent olera, propter charitatem anno-

1 נהג ולך אל תעצר לי לרכב כי אם אמרתי לך   a Ita Chald. Arab. Vatab. Mar. Hiſpan. Interpr.
3 2. Reg. 7. 3.   4 Reg. 5. 25.   5 Auguſt. ſerm. 101. de Verb. Evang. olim ſerm. 42. de Sanctis. *Tamquam diceret, omnia prætermittatis, dum quod injunctum eſt, peragatis, ea locutione, qua ſolent dicta exaggerari, conſuetudine ſermocinando*.   6 Ita Rab. Salom. Vide, ſi placet, & Theodoret. qu. 17.
7 Ita Grot.   8 Vide Sanct. Mar.   9 Vide Auguſt. Conc. 5. in Pſalm. 78. & ſerm. 26. olim 11. de Verb. Apoſt. & l. 12. contra Fauſt. c. 35. & Greg. l. 9. Moral. c. 22. & Cæſar. ſerm. 42. in append. ſerm. de Temp. D. Auguſt. & Bernard. ſerm. 16. in Cant. & alios.
10 70. καὶ διέκαμψεν ἐπ' αὐτόν, καὶ διεθερμάνθη ἡ σὰρξ τοῦ παιδαρίου. Alii apud Theodoret. qu. 18. εἰσεφύσησε. Heb. ויחם בשר הילד ויגהר עליו Verſiculo ſequenti eadem vox reddita videtur a Septuaginta per συνέκαμψε *flexit ſuper eum*, ab aliis vero Interpretibus per συνεκάλυψε, *cooperuit*. Vide Theodoret. qu. 9. Aqu. ἐνεφύσησε, *inſpiravit*. Sym. ἐνεφύσησεν. Alius, συνέκυψε. Alius, διέκαμψεν, *proſtravit ſe, incurvavit ſe*.
11 ויזורר הנער עד שבע פעמים *Sternutavit*. Grot. Jun. Trem. Piſc. Mont. Pagn.
12 Supra verſ. 19. *Caput meum doleo, caput meum doleo*.   13 ישבים לפניו 70. ἐκάθηντο ἐνώπιον αὐτοῦ.

annonæ superiori versiculo memoratam. Hebraica vox *oros* [1], vel uti legunt Septuaginta, *arioth* a Syriaca, & Arabica redditur *malva*. Alii [2] vertunt *erucas*. Hebraica radix *arah*, unde fluit *oros* significat, *legere*, *evellere*, *colligere*, *movere*. Ego simpliciter vertere mallem: *Et egressus est unus in agrum, ut aliquid ad vescendum colligeret* [3], fructus aliquot, vel herbas.

INVENITQUE QUASI VITEM SYLVESTREM, & COLLEGIT EX EA COLOCYNTHIDAS AGRI.] Sylvestris vinea, de qua hic sermo, non est labrusca, quæ numquam maturos racemos edit. Hæc, de qua loquimur [3], est planta, quæ fert sarmenta, & folia similia hortensibus cucumeribus, humi repentia, atque bifariam secta, & concisa; fructus illius *colocynthis* vocatur, cujus magnitudo, & figura aureo malo par est, substantia vero levis, & candida, cum cortex fuerit ademptus; sapor vero adeo amarus, ut *fel terræ* appelletur.

℣. 40. MORS IN OLLA.] Hoc est mortale venenum. *Mortes* dicuntur ægritudines, pestes, & flagella, quæ mortem inferunt. Matthiolus colocynthidem adnumerat; & Valesius asserit, si quis ex hac ultra quatuor obolos sumeret, hanc in extis ulcera quædam gignere posse, & mortem afferre.

℣. 41. AFFERTE FARINAM.] Licet prodesse farina potuerit, ut colocynthidis amaritudo adimeretur, impossibile tamen est, ut celeriter adeo effectum suum producere potuerit in tanta pulmenti copia, in qua fructus ille concoctus fuerat, quin Divinæ manus miraculum admiremur. Medici interea, quæ colocynthidis amarorem levare possunt, res lentas, viscidas, insipidas, veluti farinam, & amylum [4] annumerant; at farinam hordeaceam ad id magis valere confirmant [5].

℣. 42. BAAL-SALISA.] Hæc urbs sita est in finibus Diospolis ab hac civitate quindecim passuum millibus procul, Septentrionem versus, in regione Thamnitica; uti Eusebius, & S. Hieronymus inquiunt; quod difficultate non vacat; quandoquidem Thamna, quæ nomen suum regioni Thamniticæ tribuerat, erat inter Diospolim, & Jerusalem in tribu Dan, juxta Auctores eosdem [6], ideoque ad Orientalem meridiem Diospolis. Eusebius igitur hoc in sensu esset intelligendus; Baal-salisa erat ad meridiem Diospolis ab hac quindecim millibus passuum procul, in terra Tamna, & ad Septemtrionem Jerusalem.

PANES PRIMITIARUM.] Panes ex primis hordeis confecti, qui munera prophetis afferebantur; hæc erat eorum temporum simplicitas. Ex Scriptura liquet hordeaceos panes ea in regione pervulgatos fuisse, ac sæpius similia munera Dei servis deferri consuevisse.

ET FRUMENTUM NOVUM IN PERA SUA.] Creditur [7] hebraica vox *carmel* [8] frumentum novum significare adhuc in arista positum, quod tostum, & manu fractum, comedebatur. Quoad vocem, quam Vulgata *peram* reddidit, alii vertunt tunicam; vestem, vel aliquid aliud ad aristas deferendas idoneum [9]; *attulit illi frumentum, e spica nondum eductum*, adhuc paleis involutum, aristas integras.

℣. 43. DA POPULO, UT COMEDAT.] Discipulis nempe Prophetarum, qui erant cum Elisæo, & quos centum ex hoc loco fuisse comperimus. Deus potentiæ suæ miraculo hos panes multiplicavit, quemadmodum non semel deinde inter Jesu Christi manus multiplicati sunt. Vide Matth. 14. 20. Luc. 9. 17. Joan. 6. 12. 13.

1 ללקט ארות 70. συλλέξαι ἀριώθ. Alii, ἀγριολάχανα. u Montan. Quid. in Vat.
3 ויבצע גפן שדה וילקט ממנו פקעות 4 Vide Vales. de sacr. Philosoph. c. 36. 37.
5 Levinus Lemnius c. 7. 6 Vide Euseb. & Hieron. de locis in Thamna, seu Thamnat.
7 Ita Jonath. Arab. Vat. Jun. Tremel. Mont. Pagn. 8 וכרמל בצקלנו
9 Pag. Vat. Jun. Pisc. Munst. &c.

CAPUT V.

Naaman a Propheta Elisæo lepra mundatur; quæ adhæsit Giezi, eo quod munera accepisset a Naaman, quæ Dominus illius recusaverat.

1. NAaman princeps militiæ regis Syriæ, erat vir magnus apud dominum suum,
& honoratus. Per illum enim dedit Dominus salutem Syriæ: erat autem vir
fortis, & dives, sed leprosus. 2 Porro de Syria egressi fuerant latrunculi,
& captivam duxerant de terra Israel puellam parvulam, quæ erat in obsequio uxoris
Naaman, 3 Quæ ait ad dominam suam: Utinam fuisset dominus meus ad prophetam,
qui est in Samaria, profecto curasset eum a lepra, quam habet. 4 Ingressus est itaque
Naaman ad dominum suum, & nuntiavit ei, dicens: Sic, & sic locuta est puella de
terra Israel. 5 Dixitque ei rex Syriæ: Vade, & mittam litteras ad regem Israel. Qui
cum profectus esset, & tulisset secum decem talenta argenti, & sex millia aureos, &
decem mutatoria vestimentorum, 6 Detulit litteras ad regem Israel, in hæc verba:
Cum acceperis epistolam hanc, scito, quod miserim ad te Naaman servum meum, ut
cures eum a lepra sua. 7 Cumque legisset rex Israel litteras, scidit vestimenta sua,
& ait: Numquid Deus ego sum, ut occidere possim, & vivificare, quia iste misit ad
me, ut curem hominem a lepra sua? animadvertite, & videte, quod occasiones quærat adversum me. 8 Quod cum audisset Elisæus vir Dei, scidisse videlicet regem Israel vestimenta sua, misit ad eum, dicens: Quare scidisti vestimenta tua? veniat ad
me, & sciat esse prophetam in Israel. 9 Venit ergo Naaman cum equis, & curribus, & stetit ad ostium domus Elisæi; 10 Misitque ad eum Elisæus nuntium, dicens:
Vade, & lavare septies in Jordane, & recipiet sanitatem caro tua, atque mundaberis.

ris. 11 Iratus Naaman recedebat, dicens: Putabam, quod egrederetur ad me: &
stans invocaret nomen Domini Dei sui, & tangeret manu sua locum lepræ, & cura-
ret me. 12 Numquid non meliores sunt Abana, & Phatphar, fluvii Damasci, o-
mnibus aquis Israel, ut laver in eis, & mundet? Cum ergo vertisset se, & abiret
indignans, 13 Accesserunt ad eum servi sui, & locuti sunt ei: Pater, & si rem
grandem dixisset tibi propheta, certe facere debueras: quanto magis quia nunc di-
xit tibi: Lavare, & mundaberis? 14 Descendit, & lavit in Jordane septies juxta
sermonem viri Dei, & restituta est caro ejus, sicut caro pueri parvuli, & mundatus
est. 15 Reversusque ad virum Dei cum universo comitatu suo, venit, & stetit co-
ram eo, & ait: Vere scio, quod non sit alius Deus in universa terra, nisi tantum
in Israel. Obsecro itaque, ut accipias benedictionem a servo tuo. 16 At ille re-
spondit: Vivit Dominus, ante quem sto; quia non accipiam. Cumque vim face-
ret, penitus non acquievit. 17 Dixitque Naaman: Ut vis: sed, obsecro, con-
cede mihi servo tuo, ut tollam onus duorum burdonum de terra: non enim faciet
ultra servus tuus holocaustum, aut victimam diis alienis, nisi Domino. 18 Hoc au-
tem solum est, de quo depreceris Dominum pro servo tuo, quando ingredietur do-
minus meus templum Remmon, ut adoret, & illo innitente super manum meam, si
adoravero in templo Remmon, adorante eo in eodem loco, ut ignoscat mihi Domi-
nus servo tuo pro hac re. 19 Qui dixit ei: Vade in pace. Abiit ergo ab eo ele-
cto terræ tempore. 20 Dixitque Giezi puer viri Dei: Pepercit dominus meus Naa-
man Syro isti, ut non acciperet ab eo, quæ attulit: vivit Dominus, quia curram
post eum, & accipiam ab eo aliquid. 21 Et secutus est Giezi post tergum Naa-
man: quem cum vidisset ille currentem ad se, desiliit de curru in occursum ejus,
& ait: Rectene sunt omnia? 22 Et ille ait: Recte. Dominus meus misit me ad
te, dicens: Modo venerunt ad me duo adolescentes de monte Ephraim, ex filiis
prophetarum: da eis talentum argenti, & vestes mutatorias duplices. 23 Dixitque
Naaman: Melius est, ut accipias duo talenta. Et coegit eum, ligavitque duo ta-
lenta argenti in duobus saccis, & duplicia vestimenta, & imposuit duobus pueris
suis, qui & portaverunt coram eo. 24 Cumque venisset jam vesperi, tulit de ma-
nu eorum, & reposuit in domo, dimisitque viros, & abierunt. 25 Ipse autem in-
gressus, stetit coram domino suo. Et dixit Elisæus: Unde venis, Giezi? Qui respon-
dit: Non ivit servus tuus quoquam. 26 At ille ait: Nonne cor meum in præsenti
erat, quando reversus est homo de curru suo in occursum tui? Nunc igitur accepisti
argentum, & accepisti vestes, ut emas oliveta, & vineas, & oves, & boves, &
servos, & ancillas. 27 Sed & lepra Naaman adhærebit tibi, & semini tuo, usque in
sempiternum. Et egressus est ab eo leprosus quasi nix.

℣. 1. NAAMAN PRINCEPS MILITIÆ REGIS SYRIÆ.] Scriptura ait, Dominum dedisse salutem Syriæ per Naaman, qui vir quidem fortis erat, & dives [1] at leprosus. Rabbini inquiunt, hunc Naaman telo in incertum contorto [2] occidisse Regem Achab: at hæc sententia plurima suspicione non vacat. Plurimæ enim occasiones adesse potuerant, in quibus virtus Naaman eniteret; quem lepra minime arcebat ab aula, & servitio Regis Syriæ; alii enim populi, non æque ac Israelitæ morbum hunc perhorrebant; sed apud eos lepra habebatur potius velut deformitas quædam, quam ægritudo; tunc præsertim, cum nondum erat inveterata, atque spes erat, ut eo morbo affecti convalescerent. In Scriptura quoque aliquis a lepra mundatus potius fuisse dicitur, quam convaluisse Matth. 8. 3. *confestim mundata est lepra ejus*; & alibi [3]: *statim discessit ab eo lepra*. Et Arnobius de Jesu Christo loquens ait; *ille novas abdicantium vitiliginum manu admota detersit*. Hebræi, eos, qui lepra infecti erant, inter se versari patiebantur, do-
A nec a Sacerdotibus immundi esse dicerentur. Vulgo creditur Syriæ Rex, apud quem Naaman princeps erat militiæ, fuisse Benadad, de quo sæpius locuti sumus. Josephus hanc Naaman historiam non retulit, cur autem illam prætermiserit, non satis liquet.

℣. 2. DE SYRIA EGRESSI ERANT LATRUNCULI.] Latrocinium olim non adeo turpe erat, ac hodie habetur. Arabia semper fuit latronibus frequens, qui in quoscumque incidissent, grassabantur. Ad hanc quoque diem eadem ibi gentium viget consuetudo: Syri majori ex parte, non secus rapto vivebant, sed manu facta, in hostium agros irruebant, & obvium quidlibet depopulabantur. Philisthini quoque, & Idumæi, Moabitæ, ac Ammonitæ, Chaldæi, cæterique finitimi populi sæpius in terram Israel eru-
B ptionem fecere. Scriptura inferius libri hujus capite 24. 2. refert, Deum immisisse contra Joakim Regem Juda latrones e Chaldæa, Syria, Moabitide, atque Ammonitide, qui Regnum illius igni, ferroque vastarunt. Israelitæ ipsi nonnumquam finitimorum rapinas, & latrocinia fuere imitati. Jephte insignis

1 גבור חיל   2 3. Reg. 22. 34. *Vir autem quidam tetendit arcum, in incertum sagittam dirigens, & casu percussit Regem Israel.*   3 Marc. 1. 42. Vide & Luc. 5. 13. & Matth. 10. 8. 11. 5. Luc. 7. 22. &c.

signis fuit latronum princepa Judic. 11. 3. Razon, qui deinceps Rea Syriæ fuit, diu hoc ipsum exarcuerat 1. Reg. 11. 24. ac ipse fortasse David a Philisthiim, & Amalecitis latronum dua habebatur, donea persequentis Saulis elapsus iras, procul a patria degebat. Job a. a. 15. 17. loquitur de Sabæorum, Chaldæorumque latronum aopiis, quæ omnia ipsius armenta diripuere, omnesque servos illios, qui in agris versabantur, interfecera.

Græci, & Barbari, qui antiquitus insulas, & maritimas ragiones incolebant, aum vela mari dimittere, & aliquod commeraium navium adminiculo fieri cœptum est, piraticam exercuisse dicuntur. Illis potentiores regionis suæ præerant, quibus ducibus in aontinentem ascensione facta non admodum munitaa civitates diripiebant, pagosque in agris diffusos depopulabantur; quæ non factu turpia, & fœda, sed immo præclare, & egregie facta habebantur. Ad hana quoque diem, inquit Thucydides l. 1. adsunt, qui de his expeditionibus gloriantur, & qui veluti rem summis laudibus dignam jactitant. Videmus apud Poetas vetares sina ullo discrimine ab iis, qui ragioni auipiam appallunt, scitari, num latrones sint, quin sciscitantes allam illis inferra putent injuriam, & ii, ax quibus hoc percontantur, hac de causa suacensaant. Strabo l. 11. refert, latrocinia hæc aliquo ordine fieri consuevisse, ut eos, qui regionem quamdam fuarant depopulati, mox ab incolis petebant, num vellent ea, quæ illis rapta fuerant, redimere, Germani vetares furtum minime interdicebant, dummodo extra aorom aivitatas agaretur, ut refert Cæsar de bello Gall. l. 6. *Latrocinia nullam habent infamiam*, Cæsar ait, *atque extra fines cujusque civitatis fiunt, atque ea juventutis exercendæ, ac desidiæ minuendæ causa fieri praedicant*. Operæ me prerium fecisse reor, tandem edocoru, quinam essent hi latrones, de quibus frequentev adeo in Scripturis habetur sermo.

℣. 3. PROFECTO CURASSET EUM A LEPRA.] Hebraica [1]; *collegisses a lepra illius*; unde nonnulli Interpretes [2] intulere, Naaman tunc ab aula sejunctum fuisse, nequa illic adesse, fuisse ausum propter hanc ægritudinem; at intelligere præstat, *colligere*, pro adimere, auferre, transferre. Lepra morbus ast ax his, ea quibus aliquem convalescare aognoscimus, eum evaoescere videmua aatariore signa, quæ ab illis proficiscuntur.

℣. 5. DECEM TALENTA ARGENTI.] Hoc ast 48672. libræ monetæ Gallicæ, in singula talenta æstimatis libris 4867. solidis 3. denariis 9.

DECEM MUTATORIA VESTIMENTORUM.] Vel deaem vastium paria, Consuetæ vestes erant tunica, & pallium; hoc erat par vestium, ac *decem vestium paria* erant decem tunicæ, totidemque pallia. Scriptura has plerumque *mutatorias vestes* appellat [3]; nam ad mutandas vastes, nova tunica, novumque pallium sumebstor.

℣. 7. NUMQUID DEUS EGO SUM, UT OCCIDERE POSSIM, & VIVIFICARE?] Lepra habebatur ægritudo gravissima, non tam propter dolores, quos gignebat, quam quod insanabilis morbus aæstimabatur, & qui in dies semper increbesceret, ac raperet, & quodammodo seorsim cuilibet corporis parti necem inferret, ita ut penitos valetudinem subrueret, & crudeli, ac dolorosa morte necarat. Maria Moysis sorora hoc malo affecta, Aaron fratri dicebat Num. 12. 11. 12. *Obsecro, Domine mi, ne imponas nobis hoc peccatum, quod stulte commisimus: nec fiat hæc, quasi mortua, velut aadaver, & ut abortivum, quod projicitur de vulva matris suæ, ecce jam medium carnis ejus devoratum est a lepra*. Grotius de lepra, qua Sobna percussus fuit, axplicat mortis pœnam, quam indixit illi Isaias 22. 18. *Coronans, coronabit te tribulatione, quasi pilam mittet te in terram latam, & spatiosam: ibi morieris* &c.

℣. 10. MISIT AD EUM ELISÆUM NUNTIUM.] Qui illi diceret, quod irat, ut se septies abluarat in Jordane. Elisæus hic perfecte aharacteram, & dignitatem prophetæ Domini tuetur; nec credit sibi muneris sui magnitudinem adeo asse demittendam, ut ipse adeat Ducem axercitus Ethnici Regis; tunc præsertim cum Rax ille sa indignum præbuisset propter jactantiam, aa impotentiam, oa illum ulla veneratione Elisæua prosequereretur. Cupiebat prætarea salutis Naaman miraaulum majus videri, atque ipsum intelligere, se non precibus, aut adspectui prophetæ, sed dumtaaat Dei voluntati saluram acceptam refarre.

℣. 12. NUMQUID NON MELIORES SUNT, ABANA, ET PHARPHAR FLUVII DAMASCI, OMNIBUS AQUIS ISRAEL?] Fluvius *Abana*, vel *Amna* per urbam defluit, inquit Beniamin Tudalensis Itiner. p. 53. & aquæ illius in aanales diductæ par aompita, plataasque, summorumque virorum ædes prærerfluunt. *Pharphar* prope aivitatem decurrit, atque suburbanis hortis irrigandis deservit, si penes eumdem Auctoram ast fides. Non desunt, qui putant, *Abanam* esse *Orontem*, & Pharphat *Chrysorroam*. Gabriel Sionita, & Johannes Herzonita Arab. 2. 4. loquuntur da fluminibus Abana, & Pharphar Damasai irrigantibus arva. Fluvius, qui hana alluit civitatem, hodie quoque a viatoribus [4] Tarfar, & Tarfaro, Far, Pir, Oronz, Farfaro, nuncupatur. Hunc Orontem esse volunt; at Orontam, & Chrysorroam alios omnino fuisse liquido patet. Etenim Orontes Antiochiam, Chrysorroas vero Damascum alluebant; quem posteriorem eum Damasco aquas suppeditarit, deinde omnino ferma exhaustum esse auctor est Strabo l. 17. propter plurimos, in quos diducitur, rivos ad agrorum irrigationem; at Orontes iogens est fluvius, qui diu in Syriam fluit, Antiochiam præterluit, ac in Mediterraneum mara axoneratur. Stephanus Damasai fluvium vocat *Bardine*, & Syri eum *Barrady* nuncupant, ut ait Maundrellus in Itin. Hierusal. qui illius diligentissimam reliquit descriptionem, & asserit sa io Damasci regione invenire nequaquam potuisse vestigium aliquod nominum Pharphar, & Abana. *Barrady* originem babet in Antilibano, & postquam summa in copia aquas urbi, atque suburbanis viridariis suppeditarit, atque ubi in tres ramos divisus ano quidem interluerit civitatem, duobus aliis hortos irrigarit, ad quatuor, vel quinque ab urbe laucas in paludibus dissipatur.

℣. 13. PATER, ET SI REM GRANDEM DIXISSET TIBI PROPHETA.] Patris nomen tum in Scripturis, com apud profanos auctores tribuitur Principibus, Dominis, Patribusfamilias, nequa solum a filiis aorum, verum etiam a familiaribus, subditis, atque etiam exteris. Joseph constituitur, *Pharaonis pater* Genes. 45. 8. Elisæus patrem suum vocat Eliam 4. Reg. 2. 12. Amanus habatur valuti Artaxarsis pater Esth. 16. 11. Reges apud Homerum patres, & populorum pastoras dicuntur. Turnus Latinum patris nomine appellat Æneid. 12. & apud Romanos qui in Sanarum lacti sunt, *Patres Conscripti* dicuntur.

℣. 14. RESTITUTA EST CARO EJUS, SICUT CARO PUERI PARVULI.] Lepra carnem reddit scabram, livantem, pallidam, papulisque refertam; atque argumentum ast, quod inde aonvaluerit, si munda erit caro, candida, rubiaanda, valut aare puari. Quæritur, num hæc ablutio, quam Elisæus præcapit Naamano, hunc ipsa naturaliter effectum gignere potuarit? Fatemur quidem samet in aqua fluenti, rapidaqua sæpius abluere [5] excellens esse remedium advarsus eas ægritudines, quibus cutis afficitur, veluti scabiem, ac lepram etiam, aum incœperit; aqua abstergit, abluitque vulnera, saniem, tabumque aufert,

---

1 אז יאסף אתו מצרעתו 70. τότε ἀποσυνάξει αὐτὸν ἀπὸ τῆς λέπρας αὐτοῦ.

2 Munst. Vatab. Jun. Vide & ℣. 6.

3 עשר חליפות בגדים

4 Vide Davidi Syaiam.

5 Vide, si placet, Valef. de sacr. Philosoph. c. 38.

fert, enecat, vel abradit imperceptibiles vermes, qui serpunt, cutemque corrumpunt; at quis credere poterit, brevi adeo, lepram, quæ penitus inséderat, ac inveteraverat, qualis lepra Naaman fuisse videtur, curari potuisse simplici ablutione in Jordane, atque ita curari, ut cutis Naaman facta fuerit, veluti *caro pueri parvuli*? Salvator satis, superque illud verum fuisse miraculum ostendit, cum ait Luc. 4. 27. *Et multi leprosi erant in Israel, & nemo eorum mundatus est, nisi Naaman Syrus*. Si satis fuisset septies in Jordane lavari, ut lepra mundaretur, nullus brevi inventus fuisset in ea regione leprosus.

Patres in Naamani sanatione sacramentalis Baptismi typum invenere, quo a peccati lepra mundamur. Naaman Ethnicus, & alienigena ad Elisæum ab ancilla captiva missus, figura est Gentilitatis, quæ ad Evangelium, & Jesum Christum evocatur per Synagogam, quæ *servit cum filiis suis*, ut ait Apostolus ad Galat. 4. 25. Naaman septies abluitur, & perfecte curatur; veluti ad innuendum, ut Tertullianus l. 4. contra Marcion. inquit, septem lethalia crimina, quorum nobis veniam Baptisma largitur. Denique Naaman puerili redditus puritati, sine ulla lepræ specie, perfectè gratiarum plenitudinem, qua in Baptismo donamur, repræsentat; ubi perfectam consequimur peccatorum veniam, quin ulla supersit eorum macula, vel cicatrix, aut reliquia [1], videlicet obligatio aliqua, vel quoad culpam, vel quoad pœnam.

℣. 15. ACCIPIAS BENEDICTIONEM A SERVO TUO.] Hoc pacto Scriptura passim appellat munera, quæ mittuntur, atque accipiuntur: ea enim ultro, citroque vota, & benedictiones prosequi solent. Non semel vidimus, Prophetas vulgo munera quædam ab iis accepisse, a quibus invisebantur, vel consulebantur, vel qui se illorum precibus commendabant. At Elisæus alia ratione erga hunc alienigenam agit; neque vult, tantillum munus suum apud Ethnicos populos vilescere, neque ratus est interesse majestatis domini illius, cui ipse famulabatur, si munera acciperet: *gratis accepistis, gratis date*, ajebat ad Apostolos Jesus Christus Matth. 10. 8. Apostolus quoque in Jesu Christo gloriabatur, se nulli oneri fuisse Evangelium prædicantem [2]; si quid enim pro victu suo accipiebat, hoc potius ab illis accipere cupiebat, qui jam in fide satis essent firmi, quam a Proselytis. Namque illi rectius judicium ferre poterant de veris illius consiliis, rationibusque, quam qui recens Christiana Religione fuerant initiati, quibus suspicio quædam incedere potuisset, alias Apostolo rationes fuisse, humiles, ad lucrum spectantes, ac Evangelico munere indignas.

℣. 17. CONCEDE MIHI, UT TOLLAM ONUS DUORUM BURDONUM DE TERRA.] Naaman arbitratur, cultum Dei Israel adeo Regioni Hebræorum adhærere, ut alibi illi accepta offerre nequeant sacrificia; cumque illi animus deesset ad patriam, munus, ac bona sua deserenda, ut sedem sibi in regione Israel, vel Juda statueret, ratus est, se æque Deo servire posse in Syria, dummodo illuc terram de Israel asportaret. Elisæus actus, & superiori procul dubio afflatus spiritu Proselyti hujus consilio acquiescit; zelo illius, & fide illectus, ipsius patitur errorem, ac patienter fert fidei infirmitatem: *Infirmum in fide suscipite*. Non exigit ab illo circumcisionem, & preceptorum Mosaicæ legis observantiam; neque ait illi, ipsum nequicquam tellurem sanctam in immundam regionem esse allaturum; ac Dominum religionis, & cultus sui sedem in Hierosolymitano Templo constituisse præterit. At Ducis hujus rectam voluntatem dumtaxat perpendit; perinde quasi Deus sub Naamani figura, eorum speciem tribuere voluisset, quæ quondam Christiani erant facturi, qui ex Ethnici erroris tenebris emergentes, atque a criminum suorum lepra abluti, ubique locorum, & gentium Omnipotenti Deo famulantur, illique ubivis laudis offerunt sacrificia. Evangelii verbum in omnem terrarum orbem diffusum, est veluti terra hæc sanctificata, quæ de regione Israel transfertur, atque omnibus locis, ubi seritur, suam sanctitatem communicat. Hoc olim erat pervulgatum, etiam apud Christianos, pietatis officium, in regionem suam pugillum terræ Jerusalem asportare; cujus rei quædam exempla legimus apud Sanctum Augustinum lib. 22. de Civit. c. 8. ac Sanctum Gregorium Turonensem lib. 1. de Glor. Mart. c. 7. Donatistæ summa veneratione terram hanc prosequebantur, teste D. Augustino epist. 52. ac dicitur Helena Imperatrix, Magni Constantini mater, magnam terræ hujus vim Romam deferri curasse, quam in Ecclesia posuit S. Crucis, quæ in Jerusalem [3] nuncupatur. Judæi e *Nahardea* in Persidia Regno hac laborabant superstitione, ut synagogam suam extruere noluerint, nisi e terra, & lapidibus de industria illuc Hierosolymis allatis [4]. Psalmista innuit, qua veneratione, & observantia Prophetæ exciperent rudera etiam, & pulverem Jerusalem: *Quoniam placuerunt servis suis lapides ejus, & terræ ejus miserebuntur* Psal. 101. 15.

Hæc autem fuisse videtur mens Naaman, latere ea humo hac, quam deferebat, fingendi, ut ex ea sibi deinde altare construeret; vel in æream capsam humum hanc volebat ingerere, quæ similis esset Altari Holocaustorum, quo Moyses in deserto usus fuerat: vel denique hanc in mundo quodam loco effundere meditabatur, ibique ex impolitis lapidibus aram extruere, ut illic offerret sacrificia. Nequaquam edoceri curavit, quinam essent ritus Israel; hoc enim sibi persuaserat, verum sacrificium cordis esse, ac voluntatis, & Deo semper acceptas fore oblationes, quæ illi corde puro, ac viva fide offerrentur.

℣. 18. HOC AUTEM SOLUM EST, QUOD DEPRECERIS DOMINUM PRO SERVO TUO: QUANDO INGREDIETUR DOMINUS MEUS TEMPLUM REMMON, UT ADORET . . . ET SI ADORAVERO IN TEMPLO REMMON, UT IGNOSCAT MIHI DOMINUS.] Videri potest Dissertatio nostra in hunc locum. Plerique Interpretum censent, Naaman isthic nequaquam petere facultatem Dei Remmon adorandi, neque illi hoc Elisæum permittere, sed hoc illi simpliciter concedere, ut Regem comitetur in Templum, atque se se inclinet, cum super eum Rex innixus Idolum suum venerari voluerit. Hæc Naaman inclinatio erat simplex officium externum, quod Regi exhibebat; cumque satis, superque consilium suum prodidisset, cum palam abdicarat idola per publicam Dei Israel, quam ediderat, confessionem, per Israeliticæ Religionis professionem, perque publicum cultum, quo Deum adorabat, hæc sufficiebant, ut omne adimeret scandalum, quod illius actio potuisset ingerere.

TEMPLUM REMMON.] Numen Remmon ex hoc tantum loco cognovimus. Nomen illius malum punicum significat, vel altum: Quoad vero illius naturam in diversas abeunt sententias; at probari potest, hunc Solem fuisse. Nomen Remmon, altum illi optime congruit: Se enim extollit, ac super omnia sydera dominatur; atque est veluti supremus Dominus, & Rex Cœli, juxta Ethnicorum sententiam. Poetarum libri epithetis refersi sunt, quæ imperii illius magnitudinem, & cultus illius denotant extensionem. Sol præcipuum erat Syriorum Numen, quem sub nomine *Adad*, quod significat unum, venerabantur; hunc quoque altum, ac sublimem appellare poterant, quod per Remmon innuitur; quæ duo nomina simul conjuncta reperio in *Adad-Remmon*, quod a Zacharia 12. 11. memoratur: *In die illa magnus erit*

[1] Vide Ambros. l. 4. in Luc. p. 1347. nov. edit. & lib. de Initiandis, c. 3. & l. 1. de Sacramentis, c. 5. & ibid. l. 2. c. 3. & Bern. Serm. 3. de Resurrect. Domini. [2] Vide 2. Cor. 10. 7. 8. 9. 10.
[3] Vide Mabillon. Iter Italic. p. 187. [4] Beniam. Itiner.

Erit planctus in Jerusalem, sicut planctus Adad-Remmon in campo Mageddo. Urbs *Adad-Remmon* plane a Sole denominationem desumpsit, qui ibi antiquitus colebatur, non secus ac in aliis plurimis Palæstinæ civitatibus, quæ Solis nomen nomini proprio adnectebant. Hesychius ait *Ramas* significare *Deum altissimum*. Septuaginta legunt *Reman* pro Remmon. At nomen Rempham, quod in Actis 8. 43. legitur, possetne ipsum quoque Solem designare? *Suscepistis Tabernaculum Moloc, & sidus Dei vestri Rempham.* Inde vero confirmari posset hæc conjectura, quod Kiun, quod legimus in Hebraico textu Amos, & quod Septuaginta reddiderunt Rempham, ibi positum fuisse videtur, velut synonymum Moloc, quod Solem significat.

Seldenus de Diis Syr. Syntag. 2. c. 10. credit, Remmon idem esse, ac *Elion*, scilicet altissimum Phœnicum Deum. Grotius hunc Saturnum fuisse probat; quoniam præ aliis syderibus maxime extollitur; & Pater Nicolaus Serarius [1] Venerem esse putat, atque ait Deam hanc in Syria, & Damasci summo habitam fuisse in honore [2]. Hoc numen sub Dei, Deæque speciem agnoscebatur; illique poma sacra sunt; præsertim vero malum punicum ipsi acceptissimum est propter illius pulchritudinem, & fœcunditatem, quæ tot granis significatur. Petrus Martyr Junonem esse credit, cujus cultus in Syria summopere celebrabatur, eaque manu mala punica gestans exhibebatur [3]. En autem quid melius, & concinnius in rem hanc afferatur; mihi vero prior, quam proposuimus, conjectura maxime arridet.

Illo innitente super manum meam.] Reges ea in regione plerumque alicui a præfectis suis incedentes innitebantur, quod ipsum infra in persona Joram Regis Israel intuebimur [4]. Hic autem honor illi deferebatur, qui præ cæteris Regi erat apprime carus.

℣. 19. Vade in pace.] Ea omnia, quæ postulas permitto [5]. Tibi a Deo hujus actionis veniam impetrabo, dummodo in Templum eas hac tantum de causa, ut Regem Dominum tuum prosequaris; sed absque eo quod illius numina venereris. Hebræi docent [6] Proselytum domicilii, qualis Naaman erat, nequaquam teneri ad Legis observantiam extra terram Israel, qui si in regionis suæ idololatriam recidit, non ideo tamen hoc illi crimini vertitur; atque inde putant, Elisæum illi idololatriam formalem permisisse, quod unicuique rationi adversari videtur. Nec desunt, qui arbitrentur [7] hoc in loco Prophetam neque exteriorem idololatriam permittere, neque etiam officiosam præsentiam sacrificiis, ac idolorum templis; sed Elisæum tantummodo dicere Naamano, ut revertatur in pace, neque amplius ad veterem Religionem suam animum advertat; se vero Dominum exoraturum, ne permittat, ut rursus in Idololatriam labatur, cum Rege Domino suo in templum ascendens.

Abiit ergo ab eo electo terræ tempore.] scilicet vere. In Hebraico textu Genesis cap. 35. ℣. 16. eadem, quæ isthic [8], occurrit locutio; quam ibi Sanctus Hieronymus reddidit *verno tempore*; nos vero ibidem ostendimus, de terræ longitudine, quam par boum arare consuevit, esse intelligendam. *Naaman abiit, cumque profectus esset circiter ad sulci longitudinem*, hoc est pedum circiter 240. Giezi secutus est eum.

℣. 24. Cumque venisset jam vesperi, &c.] Sumpsit argentum, & posuit illud domi suæ. Hebraica vox [9] significet *altitudinem*; cumque pervenisset ad altitudinem, accepit argentum de manu eorum. Septuaginta [10], Syriaca Versio, Arabica, & S. Hieronymus, aliter ac nos, Textum legisse videntur. Omnes enim vertunt: *Cumque venisset jam vesperi*; at adnotandum est, Naaman adhuc satis prope Samariam fuisse, cum Giezi post illum cucurrit argentum flagitaturus. Præterea probabile non est, Naaman iter suscepisse vesperi, & cum nox immineret: denique Giezi non remisisset servos Naaman, cum tenebræ offunderentur: liquit ipsos collem ascendere, super quem Samaria posita erat; at nequaquam optimum factu judicavit ipsos ingredi civitatem, ne aliqua suspicio oboriretur de iis, quæ transacta fuerant, eorumque certior fieret Elisæus.

℣. 27. Lepra Naaman adhærebit tibi.] Deus, ut peccatum Giezi puniretur, permittit, ut lepra, qua Naaman mundatus fuerat, huic, & filiis hujus adhæresceret. Ægritudo hæc naturaliter communicatur, & a parentibus in filios descendit. Utrum filii, si quos antehac genuerat Giezi, & quorum fortasse in patris crimine nulla pars fuerat, lepra laborarint, non satis liquet; verum nullus dubitandi locus est, an, qui deinceps geniti fuere, hoc morbo fuerint percussi. Crimen illius erat realis simonia; venumdabat enim salutis gratiam, quam Dominus suus Naamano concesserat: mendacium admittebat, ut suæ satisfaceret aviditati; furtum faciebat, a Naaman eam argenti vim accipiens, quam Dominus illius Elisæo dare putabat: denique reus erat inobedientiæ, apud dominum suum, ac nomine illius præter mentem ejusdem utebatur, ut rem faceret, quam summopere Propheta horrebat, & cujus perniciosos effectus verebatur.

Egressus est ab eo leprosus quasi nix.] Moyses plura describit lepræ genera [11]; vel potius varia morbi hujus indicia, quæ in notis quibusdam nivis instar candidis consistunt. Medici quoque duo lepræ genera memorant, quam albam appellant.

---

1 Serar. hic. Ita & Sanct. & Cornel. 2 Vide Ovid. Metam. l. 10. *Est ager, indigenæ Damascenum nomine dicunt, &c.* 3 Pausan. in Corinth. 4 4. Reg. 7. 2. *Respondit unus de Ducibus, super cujus manibus Rex incumbebat &c.* 5 Grot. Sanct. Menoch. Vat. 6 Vide Selden. de jure Nat. & Gent. l. 2. c. 11. 7 Vide Jun. & Pisc. 8 וילך מאתו כברת ארץ 9 ויבא אל העופל 10 Ἦλθεν εἰς τὸ σκοτεινὸν. Fortasse legerunt איפל 11 Vide ad Levit. 13. & Cels. l. 5. c. 28.

CAPUT VI.

Elisæus natare facit ferrum securis: Regi Israel insidias detegit, quæ illi Rex Syriæ struebat. Syrorum copiæ ad Elisæum capiendum missæ, cæcitate percutiuntur, atque Samariam deducuntur. Samaria a Benadad obsidetur, atque summa fame laborat. Joram præcipit, ut Elisæus occidatur; quod imperium minime adimpletur.

1. DIxerunt autem filii prophetarum ad Elisæum: Ecce locus, in quo habitamus
coram te, angustus est nobis. 2 Eamus usque ad Jordanem, & tollant sin-
guli de sylva materias singulas, ut ædificemus nobis ibi locum ad habitan-

dum. Qui dixit: Ite. 3 Et ait unus ex illis: Veni ergo & tu cum servis tuis. Respondit: Ego veniam. 4 Et abiit cum eis. Cumque venissent ad Jordanem, cædebant ligna. 5 Accidit autem, ut cum unus materiam succidisset, caderet ferrum securis in aquam: exclamavit ille, & ait: Heu, heu, heu, domine mi, & hoc ipsum mutuo acceperam. 6 Dixit autem homo Dei: Ubi cecidit? At ille monstravit ei locum. Præcidit ergo lignum, & misit illuc: natavitque ferrum, 7 Et ait: Tolle. Qui extendit manum, & tulit illud. 8 Rex autem Syriæ pugnabat contra Israel, consiliumque iniit cum servis suis, dicens: In loco illo, & illo ponamus insidias. 9 Misit itaque vir Dei ad regem Israel, dicens: Cave, ne transeas in locum illum; quia ibi Syri in insidiis sunt. 10 Misit itaque rex Israel ad locum, quem dixerat ei vir Dei, & præoccupavit eum, & observavit se ibi non semel, neque bis. 11 Conturbatumque est cor regis Syriæ pro hac re: & convocatis servis suis, ait: Quare non indicatis mihi, quis proditor mei sit apud regem Israel? 12 Dixitque unus servorum ejus: Nequaquam, domine mi rex, sed Elisæus propheta, qui est in Israel, indicat regi Israel omnia verba, quæcumque locutus fueris in conclavi tuo. 13 Dixitque eis: Ite, & videte ubi sit, ut mittam, & capiam eum. Annuntiaveruntque ei dicentes: Ecce in Dothan. 14 Misit ergo illuc equos, & currus, & robur exercitus: qui cum venissent nocte, circumdederunt civitatem. 15 Consurgens autem diluculo minister viri Dei, egressus vidit exercitum in circuitu civitatis, & equos, & currus; nuntiavitque ei, dicens: Heu, heu, heu, domine mi, quid faciemus? 16 At ille respondit: Noli timere: plures enim nobiscum sunt, quam cum illis. 17 Cumque orasset Elisæus, ait: Domine, aperi oculos hujus, ut videat. Et aperuit Dominus oculos pueri, & vidit: & ecce mons plenus equorum, & curruum ignеorum, in circuitu Elisæi. 18 Hostes vero descenderunt ad eum: porro Elisæus oravit ad Dominum, dicens: Percute, obsecro, gentem hanc cæcitate. Percussitque eos Dominus, ne viderent, juxta verbum Elisæi. 19 Dixit autem ad eos Elisæus: Non est hæc via, neque ista est civitas: sequimini me, & ostendam vobis virum, quem quæritis. Duxit ergo eos in Samariam; 20 Cumque ingressi fuissent in Samariam, dixit Elisæus: Domine, aperi oculos istorum, ut videant. Aperuitque Dominus oculos eorum, & viderunt se esse in medio Samariæ. 21 Dixitque rex Israel ad Elisæum, cum vidisset eos: Numquid percutiam eos, pater mi? 22 At ille ait: Non percuties: neque enim cepisti eos gladio, & arcu tuo, ut percutias, sed pone panem, & aquam coram eis, ut comedant, & bibant, & vadant ad dominum suum. 23 Appositaque est eis ciborum magna præparatio, & comederunt, & biberunt, & dimisit eos, abieruntque ad dominum suum, & ultra non venerunt latrones Syriæ in terram Israel. 24 Factum est autem post hæc, congregavit Benadad rex Syriæ universum exercitum suum, & ascendit, & obsidebat Samariam, 25 Factaque est fames magna in Samaria: & tamdiu obsessa est, donec venundaretur caput asini octoginta argenteis, & quarta pars cabi stercoris columbarum quinque argenteis, 26 Cumque rex Israel transiret per murum, mulier quædam exclamavit ad eum, dicens: Salva me, domine mi rex. 27 Qui ait: Non te salvat Dominus, unde te possum salvare? de area, vel de torculari? Dixitque ad eam rex: Quid tibi vis? Quæ respondit: 28 Mulier ista dixit mihi: Da filium tuum, ut comedamus eum hodie, & filium meum comedemus cras. 29 Coximus ergo filium meum, & comedimus. Dixique ei die altera: Da filium tuum, ut comedamus eum. Quæ abscondit filium suum. 30 Quod cum audisset rex, scidit vestimenta sua, & transibat per murum. Viditque omnis populus cilicium, quo vestitus erat ad carnem intrinsecus. 31 Et ait rex: Hæc mihi faciat Deus, & hæc addat, si steterit caput Elisæi filii Saphat super ipsum hodie. 32 Elisæus autem sedebat in domo sua, & senes sedebant cum eo. Præmisit itaque virum: & antequam veniret nuntius ille, dixit ad senes: Numquid scitis, quod miserit filius homicidæ hic, ut præcidatur caput meum? videte ergo, cum venerit nuntius, claudite ostium, & non sinatis eum introire; ecce enim sonitus pedum domini ejus post eum est. 33 Adhuc illo loquente eis, apparuit nuntius, qui veniebat ad eum, Et ait: Ecce, tantum malum a Domino est: quid amplius expectabo a Domino?

PRÆCI-

℣. 6. PRÆCIDIT ERGO LIGNUM, & MISIT ILLUC, NATAVITQUE FERRUM.] Non sumpsit securis manubrium, quod in artificis manu remanserat; aliud cæcidit lignum, quod cum jecisset in flumen, ferrum, quod in imo subsidebat, se se extulit, natavit, atque se conjunxit, inseruitque in lignum, quod Elisæus jecerat, & fluvio innabat. Patres in hoc ligno animadverterunt figuram crucis Jesu Christi, quæ in aquas jacta, scilicet virtutem suam in aquis Baptismatis effundens, attrahit ab imo alveo securim, videlicet, juxta Tertullianum in lib. adv. Judæos c. 13. ab imo erroris, ac vanitatum sæculi, obduratos, ac pertinaces homines allicit.

℣. 8. REX SYRIÆ PUGNABAT CONTRA ISRAEL.] Hic Syriæ Rex erat Benadad idem forte, qui bello certaverat contra Achab patrem Joram. Scriptura non refert horum bellorum causas; at Principi ambitioso & bella ferenti numquam desunt causæ, quas possit prætexere.

IN LOCO ILLO, ET ILLO PONAMUS INSIDIAS.] Sacer Auctor, vel potius Spiritus Sanctus haud in re fore censuit horum locorum nomina afferre, non eo quod illa ignoraret, sed quod consilio ipsius erat inutile, ea nobis innuere. Benadad procul dubio constituerat loca, ubi insidias erat collocaturus.

℣. 10. PRÆOCCUPAVIT EUM, & OBSERVAVIT SE IBI, NON SEMEL, NEQUE BIS.] Hebraicus Textus non ait, Regem Israel insidias prævertisse, ac locum præoccupasse, ubi Syrus eas struere meditabatur, at simpliciter hæc habet [1]: *Elisæus illum admonuerat, & ille observavit se ibi, non semel, neque bis.* Arabica versio ait, Regem Israel subditis suis, qui illis in locis immorabantur, misisse, qui nuntiarent, ne illac, semel, vel bis, transirent.

℣. 13. ECCE IN DOTHAN.] Locus hic idem est ac Dothain, de quo sermo fuit in Genesi 37. 17. Eusebius in locis eum statuit ad septentrionem Samariæ, duodecim passuum millibus ab ea civitate procul.

℣. 17. ECCE MONS PLENUS EQUORUM, & CURRUUM IGNEORUM IN CIRCUITU ELISÆI.] Mons Dothain omnesque finitimi colles Elisæi famulo videbantur copiis, ignis instar, emicantibus, & Elisæo opem ferre paratis, referti: eodem ferme pacto quo Jacob de Mesopotamia revertenti Genes. 32. 1. 2. apparuerant castra, vel exercitus ad torrentem Jabok, atque veluti legiones illæ Angelorum, quas Dei filius sibi opitulatum accersere potuisset, si voluisset Judæorum violentiam propulsare. Matth. 26. 53.

℣. 18. PERCUTE GENTEM HANC CÆCITATE.] Vel potius, fac, ne ipsi vel me, vel Dothan, vel Samariam agnoscant, eorum mentem perturba, videant, quin intelligant, objecta intueantur, quin dignoscant, atque oculorum, ac judicii usum habeant tantummodo, ut veniant, quo illos deducturus sum. Deus neque rationis, nec visus usum absolute ademit; verum prohibuit, ne quædam objecta cognoscerent; eodem pacto, quo Sodomitæ festinanter quærebant ostium domus Loth, quin illud invenire, vel observare possent, licet cætera distincte viderent Genes. 19. 11. Græci [2] felici sane eventu hoc una voce explicuerunt, quam Latinam facere nequaquam possumus; *non visionem.*

℣. 19. NON EST HÆC VIA, NEQUE ISTA EST CIVITAS.] Interpretibus Elisæum mendacii absolvere adnitentibus locus hic crucem figit: eorumque conatus inutiles omnino mihi videntur [3]. Si Prophetæ verba serio intelligas eo modo, quo illa Regis Syriæ milites percipiebant, liquido patet esse mendacium; sin autem veluti ironice dicta sumas, vel in stratagematis sensu Propheta levi negotio potest excusari. Fatentur omnes, artem, qua hostem circumvenire conamur, belli esse permissam: *Dolus an virtus, quis in hoste requirat?* Plato, Xenophon, Philo, S. Johannes Chrysostomus [4] id genus fraudes nequaquam nefas esse probarunt, cum adversus hostes res est. Possumus non solum vera consilia nostra illos celare, sed etiam illis os sublinire, in fraudem impellere, consilia nostra, ac motus dissimulando.

℣. 22. NON PERCUTIES: NEQUE ENIM CEPISTI EOS GLADIO, & ARCU TUO.] Hebraicus textus ad litteram [5]: *Elisæus dixit illi: Non percuties eos. Percutis ne eos, quos cepisti gladio, & arcu tuo?* Si parcis, si vitam servas illis, quos belli captivos fecisti, cur cædes hos, quos sine pugna tibi tradidit Deus? Licet jure belli omnes hostes trucidari possent, qui in victoris manus cederent; attamen humanitatis leges, & quædam jura misericordiæ, honoris, ac clementiæ hominibus insita, minime patiebantur, ut summo jure in eos sæviretur, qui se dederent, victorisque clementiam implorarent. *Quod non vetat Lex, hoc vetat fieri pudor*, ait Seneca Tragicus in Troad. Et Seneca Philosophus de Clement. l. 1. c. 18. *æqui, bonique natura parcere etiam captivis jubet*; Et S. Augustinus ad Bonifac. Ep. 1. *Hostem pugnantem necessitas perimat, non voluntas: sicut bellanti, & resistenti violentia redditur, ita victo, vel capto misericordia jam debetur.* Deus non permittit, ut hæ copiæ occidantur, inquiunt S. Chrysostomus in hom. de Elisæo, & Theodoretus qu. 20. ut milites sint, velut præcones, qui in Syriam reversi prædicent Dei Israel magnitudinem, ac potestatem.

℣. 23. ULTRA NON VENERUNT LATRONES SYRIÆ.] Hoc est, hæ copiæ [6], hæ militum manus, quæ antea irruptionem facere in eas terras consueverant, non amplius accedere ausæ sunt. *Non venerunt ultra*, hoc est, totius hujus belli tempore, vel etiam quoad Elisæus vixit, non venere; at suppetunt argumenta, quibus deinceps illuc eos descendisse probemus. Vide 4. Reg. 24. 2.

℣. 25. FACTA EST FAMES MAGNA IN SAMARIA.... DONEC VENUMDARETUR CAPUT ASINI OCTOGINTA ARGENTEIS,] vel octoginta siclis, qui Gallicas libras 130. circiter reddunt. Nonnulli putant [7], *caput asini*, isthic pro asino integro nuncupari; quemadmodum latine dicimus *caput canis*, pro cane, caput bovis, pro bove, & Gallice, ac Italice dici solet, tria capitum millia; viginti solidus in capita &c. At hæ explicationes nimis subtiles sunt, ac falsis laborantes principiis. Interpretes vulgo de asini capite intelligunt, & circumstantiæ maximæ famis, cujus hic species tribuitur, hoc videtur efflagitare. Mirum quidem est, illud animal, quod a Judæis immundum habebatur & quod in alia qualibet occasione perhorruissent, pretio tanto venumdatum fuisse, ut pro capite solum octoginta argentei appenderentur. At extrema necessitas omnes susque deque vertit leges: ac plurima exempla fuere, quæ longius a fide absona videntur, quam factum, de quo hic agitur. Artaxerses [8] cum in Cadusiorum regione præliaretur, jumenta occidi jussit, ac minutatim distribui, & tunc asini caput emptum est dracmis 60. hoc est Gallicis libris circiter 25. Annibale Casilinum obsidente, mus 200. denariis venüt, uti auctores sunt Plinius l. 8. c. 57. & Valerius Maximus [9], Gallicis scilicet libris 70. & supra.

ET QUARTA PARS CABI STERCORIS COLUMBARUM, QUIN-

1 והזהירו ונשמר שם לא אחת ולא שתים 2 πάταξον αὐτοὺς ἀορασίᾳ. Hebr. הך נא את הגוי הזה בסנורים Vide, si lubet. Aug. ad Genes. qu. 43. & de Civit. lib. 22. c. 19. 3 Vide Lyr. Tost. Sanct. & alios.

4 Vide Grot. l. 3. de jure Belli & pacis c. 1. ar. 17. & apud eum Platon. de Rep. l. 2. Xenoph. l. 2. de Instit. Cyri Philon. de Migr. Abrah. 5 ויאמר לא תכה האשר שבית בחרבך ובקשתך אתה מכה

6 Vide quæ superius diximus ad c. 5. ℣. 2. 7 Vide Lyran. Sanct. 8 Plutarch. in Artax.

9 Valer. Max. l. 7. c. 6. Frontinus 200. denarios tantum ponit, ut adnotat Grotius.

QUINQUE ARGENTEIS.] Quarta pars cabi semisextarium cum pintæ octava parte, & digito cubico paullu excedit. Hæc mensura stercoris columbarum quinque siclis vendebatur, scilicet octo circiter Gallicæ monetæ libris. Verum ad quid inservire poterat in summa rerum charitate stercus columbarum? Alii credunt hoc adhiberi consuevisse ad comburendum, alii ad saliendum, ad comedendum alii, alii denique ad agros stercorandos.

Qui putant, hoc stercus columbarum pro esca fuisse [1], ostendunt rem nequaquam exemplo vacare. Rabsaces minitatur, se ad eam egestatem, inopiamque Judæos redacturum, ut proprium stercus comedere cogantur [2]. Certum est turdorum, ac merularum stercus non ad stercoranda solum arva, sed ad boves quoque, & sues saginandos conferre [3]: *Ego arbitrer præstare ex aviariis turdorum, ac merularum, quod non solum ad agrum utile, sed etiam ad cibum, ita bobus, ac suibus, ut fiant pingues*. Cur autem cum maxima fames urgeat, vesci homo non poterit iis, quibus animalia pinguescunt? Num columbæ stercus, minus ad alendum aptum est, quam merularum, atque turdorum? Liquet famem, cum acerrima est, in rabiem, & furorem ferme converti, neque ullo pudore, aut pravo sapore, aut alia quapiam cogitatione compesci; quamobrem apud Poetas *obscœna, ac male suada* appellatur. In urbium obsidione clypeorum corium, soleæ, habenæ nervi in cibum conversa fuere, & vetus fœnum rodere [4], atque in cloacis ipsis fætentis escæ amaras quæritare reliquias non veriti sunt, ut alerentur. Svetonius in Tiberio c. 54. ait *Druso*, dum in carcere detineretur, *adeo alimenta subducta, ut tomentum e culcitra tentaverit mandere*. At quis umquam crediderit, aliquem licet summa adstrictum fame, amere velle semisextarium, vel aliquid amplius, stercoris columbarum in escam? Non ne patet in id genus excrementis, nullam superesse substantiam, qua quis ali queat, & columbam, cum ex iis sit animantibus, quæ præ aliis, quæ novimus, calidiora sint, omnis perfectissime digerere, & stercus emittere admodum siccum quod nullum afferre queat nutrimentum? Quod Judæis, Rabsaces ajebat, inanis thrasonis jactantia est; licet famis furor aliquem cogere potuerit ad facinus aliquod extraordinarium, non inde sequitur, ut quis consulto ea in sui alimentum quæritet, quæ absolute nobis substantiam nequeunt adferre.

Verum quidem est columbarum stercus ad comburendum posse adhiberi, atque cum necessitas urget, ad consuetas epulas excoquendas posse inservire [5]. Novimus pluribus in terris ad ignem accendendum vaccæ aut cameli stercus insumi [6], & apud Turcas passim publica balnea cameli, vel capræ fimo calefieri [7]. Verum quid isthic ea prosunt exempla ad extremam Samariæ inopiam probandam? Alioquin credibile ne est, adeo ligna, aliaque ad comburendum apta in magna hac civitate defecisse, ut parvula fœtidi stercoris copia ad cremandum numerata pecunia emeretur?

Non desunt, qui putent, fimo hoc uti consuevisse ad agros, hortosque civitatis stercorandos: perinde quasi ad horti, vel agri stercorationem semisextarius fimi, quinque argenteorum pretio emeretur; hoc est cariori, quam quo radices, & olera, quæ inde excolerentur, possent venumdari.

Josephus Antiqu. l. 9. c. 2. ac Theodoretus qu. 21. crediderc, columbi stercus pro sale emi consuevisse: at licet aliquæ salis particulæ huic fimo inessent, quænam fuisset difficultas, sumptus, atque fastidium ut eæ ab terrestri, atque insipida materia sejungerentur? Talmudistæ [8] contendunt, plurimos fuisse columbos Samariæ, qui ad hoc erant instituti, ut in agros avolarent, & grania ingluviem implerent, quæ mox regerere cogebantur, cum domum rediissent. De his autem granis, quæ ex columborum ingluvie exierint, isthic sermonem esse Judæi illi Doctores autumant. At sententiæ hujus puerilitatem nemo statim non sentit; eaque ex se met corruit.

Junius hic, & Fullerus Miscell. l. 6. c. 11. credidere Hebraicum textum [9] probabiliori ratione posse explicari, dicendo, ventrem, atque columbi exta quinque siclis vendita fuisse; quam sententiam prolixius refellere aggressus est Bochartus, licet ea sane non mereretur, tanti viri studium detinere. Auctor idem suam deinde opinionem proponit [10], scilicet authographi verba significare quidem vere columbi stercus; at probat hoc nomine aliud longe ab eo, quod vulgo intelligitur, significari; Arabes enim vocant stercus columbi, vel passeris duas res, admodum inter se diversas. Altera quippe est musci species, vel arenosæ terræ, ciceribus similis, cui facultas est refrigerandi, & ex qua mulsum fit. Altera columbini stercoris species legumen est ciceri persimile; quod Arabes *usnen*, vel *Kali* vocant; ex quo pulvis fit adstringens, atque detergens, quæ sal alkali appellatur. Credunt autem hanc herbam *Kali* dictam eamdem esse, ac eam quæ *soude* Gallis, Italis *soda* nuncupatur, ex cujus cineribus vitrum conflatur. Auctore Arabes *usnen* cicerum numero adscribunt, & Hebræi tostum cicer, quo [11] antiqui passim utebantur, & cujus usus ad hanc quoque diem in Oriente communis est [12], *Kali* vocant. Posteriori huic sententiæ adhærere possumus, cujus rationes effusius videri possunt apud Auctorem.

℣. 27. NON TE SALVAT DOMINUS: UNDE TE POSSUM SALVARE? DE AREA, VEL DE TORCULARI?] Manoscripti veteres habent: *non salvet te Dominus, unde te possum salvare?* Quod Hebraico Textui [13] conforme est, atque Septuaginta [14], quodque plerique eruditi Interpretes [15] sequuntur. Deus te perdat, infelix, quomodo vis me tibi opem afferre; nonne vides mihi nullas esse vires, quibus tibi queam opitulari? Quædam Biblia antiquitus cusa [16] alium sensum sequuntur, licet eadem verba serventur: *Salva me Domine, mi Rex. Qui ait: Non: salvet te Dominus; unde te possum salvare?* At Vulgatæ sensus perspicuus est.

℣. 29. COXIMUS FILIUM MEUM.] Inaudita crudelitas! terribilis divinæ ultionis effectus, quem prædixerat Moyses, futurum ut, si a Deo suo Israelitæ recessissent, filiorum suorum vesci carnibus cogerentur; Deuter. 28. 53. *Comedes fructum uteri tui, & carnes filiorum tuorum, & filiarum tuarum*. Similes huic crudelitatis actus videntur in Jerusalem primum a Nabuchodonosor [17]; postremo vero a Romanis obsessa [18].

℣. 30. VIDITQUE OMNIS POPULUS CILICIUM.] Hebraice [19]; *Et omnis populus vidit; & ecce saccum super carnes illius desuper*. Saccus hic rudis erat, ac

pannoso

1 Vide Eutych. Alex. Chron. p. 213. Grot. hic, Sanct. Cornel. 2 Isai. 36. 12. *Ut comedant stercora sua, & bibant urinam pedum suorum vobiscum*. 3 Varro l. 1. de Re rust. c. 38. & Plin. l. 17. c. 9. 4 Joseph. de Bello l. 6. c. 10. ut est in Græco. 5 Vide Bochart. de animal. sacr. tom. 2. l. 1. c. 7. ar. 2. & Rabb. Jonath. & Kimchi. 6 Bellon. Observ. l. 2. c. 112. Dernier Voyage de Cachemire lettre 2. p. 56. 7 Jo. Cotovic. de moribus Mahomet. c. 4. 8 Tract. Megill. c. 3. Ita & Magist. Hist. Schol. in l. 4. Reg. c. 10. 9 ורבע הקב חריונים בחמשה כסף 10 Bochart. de Animal. sacr. tom. 2. l. 1. c. 7. ar. 7. 11 Vide 2. Reg. 17. 28. 12 Bellon. Observ. l. 2. c. 53. & 99. 13 אל יושעך יהוה מאין אושיעך המן הגרן או מן היקב 14 70. μή σε σώσαι κύριος, πόθεν σώσω σε; μὴ ἀπὸ ἅλωνος ἢ ἀπὸ ληνοῦ. 15 Joseph. Antiqu. l. 9. c. 2. Vide & Pagn. Mont. Vat. Grot. Sanct. Jun. Cornel. 16 Ita Biblia Antuerp. Latin. Plantini, & Polyglotta, & Parisina Robert. Steph. & Joan. Bened. & aliæ plurimæ Editiones ante Correct. Sixti V. & Clem. VIII. 17 Ezech. 5. 10. & Jerem. Lament. 2. 20. 18 Joseph. de Bello l. 7. c. 8. 19 וירא העם והנה השק על בשרו מבית

pannosa vestis; quæ luctus, ac pœnitentiæ tempore gestabatur. Joram quidem neutique Princeps pius habebatur: attamen malorum magnitudo, quibus obrutus fuit, illum coegit, ut se se humiliaret, & ageret pœnitentiam coram Deo. Ecce afflictionum utilitas; hæ quippe ad bonam frugem revocant, ac humiliationis sensus instillant in eos ipsos, qui magis improbi sunt, atque in improbitate sua pertinaces.

℣. 31. SI STETERIT CAPUT ELISÆI FILII SAPHAT SUPER IPSUM HODIE.] Joram perdere vult Elisæum, velut charitatis causam, quæ Samariæ grassabatur; credebatque in Prophetæ hujus facultate esse positum, hanc, si vellet, auferre.

℣. 32. SEDEBAT IN DOMO SUA:] Samariæ, ubi plerumque immorari consueverat [1]. Propheta hic procul dubio omnes preces, omnemque auctoritatem, quam apud Deum fuerat consecutus, impendebat, ut divinam ab infelici hac civitate iram averteret; at Dei momentum nondum venerat: ipse enim rem ad

A id usque calamitatis redigere meditabatur, unde humanitus non posset emergi, ut Israelitæ sibi a Deo uno salutem factam fuisse tandem cognoscerent.

FILIUS HOMICIDÆ HIC.] Joram filius Achab, & Jezabel; quorum alter Naboth necem intulerat, altera vero Domini Prophetas fuerat persecuta.

℣. 33. APPARUIT NUNTIUS, QUI VENIEBAT AD EUM, & AIT: ECCE TANTUM MALUM A DOMINO EST.] Textus quidam videretur innuere, virum a Rege missum isthæc Elisæo dicere [2]; at Interpretum plerique [3] putant hunc Regem ipsum esse, qui ad ostium Elisæi cum pervenerit eodem ferme tempore, quo nuntius illius, Prophetæ narrat malorum summam, qua civitas erat oppressa, illique plane refert duarum mulierum factum, quæ filium comederant; atque concludit; *Ecce tantum malum a Domino est*. Quid post hæc expectare possum; non ne hoc argumento est, actum esse de omnibus; neque Deum amplius velle nobis opitulari?

---

1 Vide supra c. 5. 3. *Utinam fuisset Dominus meus ad Prophetam, qui est in Samaria*.
2 Ita Pisc. Munst. Est. Belg. vers. &c.
3 Ita Joseph. Theodor. Lyran. Cajet. Vat. Sanct. Menoch. Castal. &c.

CAPUT VII.

Elisæus maximam prædixit fore annonæ vilitatem in Samaria. Syri ab hujus urbis obsidione recedunt; qua de re a quatuor leprosis Rex factus est certior. Hostium castra diripiuntur. Regis præfectus, qui Elisæi vaticinio non crediderat, a populo in porta conculcatur.

1. DIxit autem Elisæus: audite verbum Domini: Hæc dicit Dominus: in tempore hoc eras modius similæ uno statere erit, & duo modii hordei statere
uno in porta Samariæ. 2 Respondens unus de ducibus, super cujus
manum rex incumbebat, homini Dei, ait: Si Dominus fecerit etiam cataractas in
cœlo, numquid poterit esse, quod loqueris? Qui ait: videbis oculis tuis, & inde non comedes. 3 Quatuor viri erant leprosi juxta introitum portæ, qui dixerunt
ad invicem: Quid hic esse volumus, donec moriamur? 4 Sive ingredi voluerimus
civitatem, fame moriemur: sive manserimus hic, moriendum nobis est: venite ergo, & transfugiamus ad castra Syriæ, si pepercerint nobis, vivemus: si autem occidere voluerint, nihilominus moriemur. 5 Surrexerunt ergo vesperi, ut venirent ad
castra Syriæ. Cumque venissent ad principium castrorum Syriæ, nullum ibidem repererunt. 6 Siquidem Dominus sonitum audiri fecerat in castris Syriæ curruum, & equorum, & exercitus plurimi: dixeruntque ad invicem: Ecce mercede conduxit adversum nos rex Israel reges Hethæorum, & Ægyptiorum, & venerunt super nos. 7
Surrexerunt ergo, & fugerunt in tenebris, & dereliquerunt tentoria sua, & equos,
& asinos, in castris, fugeruntque, animas tantum suas salvare cupientes. 8 Igitur
cum venissent leprosi illi ad principium castrorum, ingressi sunt unum tabernaculum,
& comederunt, & biberunt: tuleruntque inde argentum, & aurum, & vestes, &
abierunt, & absconderunt, & rursum reversi sunt ad aliud tabernaculum, & inde
similiter auferentes absconderunt. 9 Dixeruntque ad invicem: Non recte facimus:
hæc enim dies boni nuntii est. Si tacuerimus, & noluerimus nuntiare usque mane,
sceleris arguemur: venite, eamus, & nuntiemus in aula regis. 10 Cumque venissent ad portam civitatis, narraverunt ei, dicentes: Ivimus ad castra Syriæ, & nullum ibidem reperimus hominem, nisi equos, & asinos alligatos, & fixa tentoria.
11 Ierunt ergo portarii, & annuntiaverunt in palatio regis intrinsecus: 12 Qui surrexit nocte, & ait ad servos suos: Dico vobis quid fecerint nobis Syri: Sciunt
quia fame laboramus, & ideirco egressi sunt de castris, & latitant in agris, dicentes: Cum egressi fuerint de civitate, capiemus eos vivos, & tunc civitatem ingredi poterimus. 13 Respondit autem unus servorum ejus: Tollamus quinque equos,

qui remanserunt in urbe (quia ipsi tantum sunt in universa multitudine Israel , alii
enim consumpti sunt) & mittentes explorare poterimus . 14 Adduxerunt ergo duos
equos , misitque rex in castra Syrorum , dicens : Ite , & videte . 15 Qui abierunt
post eos usque ad Jordanem : ecce autem omnis via plena erat vestibus , & vasis ,
quæ projecerant Syri , cum turbarentur : reversique nuntii indicaverunt regi . 16
Et egressus populus diruit castra Syriæ ; factusque est modius similæ statere uno , &
duo modii hordei statere uno , juxta verbum Domini . 17 Porro rex ducem illum ,
in cujus manu incumbebat , constituit ad portam : quem conculcavit turba in introi-
tu portæ , & mortuus est , juxta quod locutus fuerat vir Dei , quando descenderat
rex ad eum . 18 Factumque est secundum sermonem viri Dei , quem dixerat regi ,
quando ait : Duo modii hordei statere uno erunt , & modius similæ statere uno ,
hoc eodem tempore cras in porta Samariæ : 19 Quando responderat dux ille vi-
ro Dei , & dixerat : Etiamsi Dominus fecerit cataractas in cœlo , numquid poterit
fieri , quod loqueris ? Et dixit : Videbis oculis tuis , & inde non comedes . 20 Ve-
nit ergo ei sicut prædictum fuerat , & conculcavit eum populus in porta , & mortuus est ,

℣. 1. MODIUS SIMILÆ UNO STATERE ERIT .] Hebraice [1] : *Satum farinæ siclo æstimabitur* . *Stater* , de quo Auctor Vulgatæ loquitur , idem est ac siclus ; valet autem Gallicæ monetæ solidis duobus , & triginta , & denariis quinque : *satum* mensura est continens novem pintas , ac dimidiam , semisextarium , quartam pintæ partem , & quatuor pollices cubicos , & aliquid amplius .

IN PORTA SAMARIÆ .] Ibi jus dicebatur , & nundinæ fiebant . Portæ plerumque ampla adhærebat platea .

℣. 2. UNUS DE DUOBUS .] Hebraice [2] , *Schalisch* , quæ erat e præcipuis Regni dignitatibus . Vide quid in Exodo 14. 7. dixerim . Septuaginta [3] vertunt *tristatès* , quod Josephus Antiqu. l. 9. c. 2. de B illo intelligit , qui tertiæ exercitus parti præest .

SI DOMINUS FECERIT ETIAM CATARACTAS IN COELO .] Licet triticum e cœlo ea pernicitate , & copia deplueret , qua dilabuntur aquæ cataractarum Nili , aliorumque fluminum , quorum lapsus de summis rupibus præcipites deorsum feruntur , quod ais , contingere nequaquam posset . Hebraice [4] : *licet Dominus fenestras faceret &c.* Licet cœli januas aperiret , ut escas in terram demitteret .

℣. 3. QUATUOR VIRI ERANT LEPROSI JUXTA INTROITUM PORTÆ .] Leprosis fas non erat , juxta Moysis legem , aliorum hominum cœtui admisceri [5] . In Israel servabantur adhuc hæc legum genera , quæ ad munditiem spectant , quamvis leges aliæ , & morales , & rituales maximopere negligerentur . Hebræi ajunt , qua- C tuor hosce leprosos fuisse , Giezi , & tres filios illius .

℣. 5. SURREXERUNT ERGO VESPERI .] Hebraice [6] : *surrexerunt sub crepusculum* ; quod plerique de vespertino crepusculo intelligunt , vel de noctis initio ; cui sententiæ decursus omnino suffragatur .

AD PRINCIPIUM CASTRORUM .] Ad locum usque , ubi primæ vigiliarum stationes erant , vel ad prima usque tentoria .

℣. 6. MERCEDE CONDUXIT REGES HETHÆORUM .] De Hethæorum Regibus 3. Reg. 10. 29. locuti fuimus ; hi equorum commercium cum Salomone inierant , & Salomon ex illorum regione uxores duxerat . Hi facile in Arabia Petræa , atque ad Palæstinæ meridiem morabantur . Vide Jud. 5. 26. Josephus Antiqu. l. 9. c. 2. locum hunc de *Ægypti ac Insularum Regibus* intellexit . Ipse enim profecto Græcum textum Septuaginta [7] , qui habet Regem Cethæorum , pro Rege *Cethim* sumpsit ; alibique [8] ait , Judæos hoc nomine Cyprum , aliasque insulas , maritimasque regiones vocare . At Hebræum *Hethim* aliud omnino est a *Cethim* , a quo Cyprum insulam populis frequentem factam dicunt .

℣. 9. SI TACUERIMUS . . . . . SCELERIS ARGUEMUR .] Hebraice [9] : *iniquitas inveniet nos* , veluti ob scelus puniemur . Iniquitas sæpe pro pœna usurpatur . Civis interest , ea admonere , quæ publicæ intersunt utilitati , ac iis in occasionibus illi vitio ea mala vertuntur , quæ præter illius silentium contingere , & quæ evitari poterant , si quamprimum monuisset .

℣. 10. NISI EQUOS , & ASINOS ALLIGATOS .] Præsepi scilicet , vel per posteriores pedes paxillo cuidam alligatos , quemadmodum olim [10] in Oriente consueverat , & hac die quoque assolet , ubi equi in agris hoc pacto religantur [11] .

℣. 13. TOLLAMUS QUINQUE EQUOS , QUI REMANSERUNT IN URBE : QUIA IPSI TANTUM SUNT IN UNIVERSA MULTITUDINE ISRAEL .] Hebraicum textum latine redditum [12] : *Tollamus quinque ex equis , qui remanserunt : ecce ipsi sunt veluti omnis multitudo Israel , quæ reliqua est ; ipsi sunt veluti cuncta multitudo Israel , quæ confecta est , mittamus illos , &c.* Mittendi sunt quinque equi , qui superfuerunt in urbe , cum reliqui vel in escas cæsi fuerint , vel fame interierint ; hi equi similes sunt reliquæ multitudini civium fame confectorum , & jam jam morti proximorum ; neque tenuere debemus , ne mittantur ; non enim melior illis sors potest contingere , quam quæ totius est populi mortem tantummodo opperientis . Septuaginta [13] : *Tollamus quinque ex equis , qui isthic superfuerunt ; nihil præterea reliquum est in tota Israelis multitudine , quæ interiit , & mittamus illos* . Liquido patet , ipsos Hebraicum textum aliter , ac nos , & Auctorem Vulgatæ , legisse . Syriaca : *Adducantur quinque equi equitum , qui superfuerunt ; si capti fuerint , erunt veluti reliqua multitudo Israel , quæ interiit , & mittamus eos exploratum* . Arabica : *Mittamus*

---

1 סאה סלת בשקל 2 השליש 3 70. *τριστάτης ὁ τρισσάτης.*
4 הנה יהוה עשה ארבות 5 Levit. 13. 46. *Omni tempore quo leprosus est , & immundus , solus habitabit extra castra* . Vide & Num. 5. 2. 3. & Luc. 17. 12. 6 ויקמו בנשף
7 70. *τοὺς βασιλεῖς τῶν Χετταίων.* 8 Vide Joseph. Antiqu. l. 1. c. 7. 9 ומצאנו עון
10 Xenophon. de exped. Cyri l. 3. 11 Vide Petri Martyr. legation. in Babylon.
12 ויקחו נא חמשה מן הסוסים הנשארים אשר נשארו בה הנם ככל ההמון ישראל אשר נשארו בה הנם ככל המון ישראל אשר תמו ונשלחה
13 *Λαβέτωσαν δὴ πέντε τῶν ἵππων τῶν ὑπολελειμμένων ἃ κατελείφθησαν ὧδε , ἰδού εἰσι πρὸς πᾶν τὸ πλῆθος Ἰσραὴλ τὸ ἐκλεῖπον , καὶ ἀποστελοῦμεν .*

mur illos quinque ex equitibus, qui superfunt; si effugerint, erunt veluti ex eorum Israelitarum numero, qui funt superstites; sin obierint, adcenseb imus eos aliis Israelitis, qui occubuere.

℣. 14. ADDUXERUNT ERGO DUOS EQUOS.] Ex quinque, qui Samariæ erant reliqui. Primum quidem decreverant, ut quinque equites mitterentur, at deinde duos tantum mitti maluerunt. Rabbini ¹ hoc pacto ℣. 13. intelligunt: *Sumamus aliquos ex equis quinque, qui superfunt . . . . 14. Acceperunt ergo duos equos &c.* Hebraicus hujus loci textus habet ² : *Sumpserunt duos currus equorum*, vel duos currus ab equis vectos, duo singulis curribus equi subdebantur. Syriaca, *duo Equitum paria*, vel *quatuor equites equis insidentes &c.* Septuaginta ³, Arabs, nec non permulti optimi Interpretes duos tantum equites, duosque currus agnoscunt; Hebraicum textum intelligentes de *duobus equis currruum*, vel duobus equis, qui currus in prælium vehere consueverant: ita ut positum fuerit, *duos currus equorum*, pro *duobus equis currruum*. At cur recedendum a Textu, qui palam memorat duos currus cum equis illorum? Satis liquet tunc passim currus belli adhibitos fuisse. Sumpserunt igitur duos currus, quorum singuli binis equis vehebantur.

---

¹ Hebr. in Vatab. Ita & Castal. ² ויקחו שני רכב סוסים

³ δύο ἐπιβάτας ἵππων. Ita Jun. & Tremell. Vat. Munst. Pisc. Castal.

C A P U T VIII.

Post septem annorum famem Elisæi hospita abs Rege Joram bona sua sibi reddi poscit. Joram cum Giezi de Elisæi miraculis loquitur. Hic Propheta Damascum petit, ubi prædicit mortem Benadad, cui Hazael succedit. Idumæi adversus Regem Juda deficiunt. Moritur Joram, cui succedit Ochozias.

1. ELisæus autem locutus est ad mulierem, cujus vivere fecerat filium, dicens : Ab Ann.
Surge, vade tu, & domus tua, & peregrinare, ubicumque repereris ; voca- M. 3114.
vit enim Dominus famem, & veniet super terram septem annis. 2 Quæ ad 3120.
surrexit, & fecit juxta verbum hominis Dei : & vadens cum domo sua, peregrinata
est in terra Philisthiim diebus multis. 3 Cumque finiti essent anni septem, reversa
est mulier de terra Philisthiim : & egressa est, ut interpellaret regem pro domo sua,
& pro agris suis. 4 Rex autem loquebatur cum Giezi puero viri Dei, dicens :
Narra mihi omnia magnalia, quæ fecit Elisæus. 5 Cumque ille narraret regi, quo
modo mortuum suscitasset, apparuit mulier, cujus vivificaverat filium, clamans ad
regem pro domo sua, & pro agris suis, Dixitque Giezi : Domine mi rex, hæc est
mulier, & hic est filius ejus, quem suscitavit Elisæus. 6 Et interrogavit rex mu-
lierem : quæ narravit ei. Deditque ei rex eunuchum unum, dicens : Restitue ei o-
mnia, quæ sua sunt, & universos reditus agrorum, a die, qua reliquit terram, us-
que ad præsens. 7 Venit quoque Elisæus Damascum, & Benadad rex Syriæ ægro-
tabat : nuntiaveruntque ei, dicentes : Venit vir Dei huc. 8 Et ait rex ad Hazael :
Tolle tecum munera, & vade in occursum viri Dei, & consule Dominum per eum,
dicens : Si evadere potero de infirmitate mea hac ? 9 Ivit igitur Hazael in occursum
ejus, habens secum munera, & omnia bona Damasci, onera quadraginta camelorum.
Cumque stetisset coram eo, ait : Filius tuus Benadad rex Syriæ misit me ad te, di-
cens : Si sanari potero de infirmitate mea hac ? 10 Dixitque ei Elisæus : Vade, dic
ei : Sanaberis ; porro ostendit mihi Dominus, quia morte morietur. 11 Stetitque
cum eo, & conturbatus est usque ad suffusionem vultus : flevitque vir Dei. 12 Cui
Hazael ait : Quare dominus meus flet ? At ille dixit : Quia scio, quæ facturus sis fi-
liis Israel mala. Civitates eorum munitas igne succendes, & juvenes eorum interficies
gladio, & parvulos eorum elides, & prægnantes divides. 13 Dixitque Hazael : Quid
enim sum servus tuus canis, ut faciam rem istam magnam ? Et ait Elisæus : Ostendit
mihi Dominus te regem Syriæ fore. 14 Qui cum recessisset ab Elisæo, venit ad domi-
num suum. Qui ait ei : Quid dixit tibi Elisæus ? At ille respondit : Dixit mihi : Re-
cipies sanitatem. 15 Cumque venisset dies altera, tulit stragulum, & infudit aquam,
& expandit super faciem ejus : quo mortuo, regnavit Hazael pro eo. 16 Anno quin-
to Joram filii Achab regis Israel, & Josaphat regis Juda, regnavit Joram filius Josaphat
rex Juda. 17 Triginta duorum annorum erat, cum regnare cœpisset, & octo annis re-
gnavit in Jerusalem. 18 Ambulavitque in viis regum Israel, sicut ambulaverat domus

Achab : filia enim Achab erat uxor ejus ; & fecit, quod malum est in conspectu Do-
mini . 19 Noluit autem Dominus disperdere Judam, propter David servum suum , si-
cut promiserat ei , ut daret illi lucernam, & filiis ejus cunctis diebus . 20 In diebus e-
jus recessit Edom, ne esset sub Juda, & constituit sibi regem. 21 Venitque Joram Sei-
ra , & omnes currus cum eo ; & surrexit nocte, percussitque Idumæos , qui eum cir-
cumdederat, & principes curruum, populus autem fugit in tabernacula sua . 22 Re-
cessit ergo Edom, ne esset sub Juda, usque ad diem hanc . Tunc recessit & Lobna in
tempore illo . 23 Reliqua autem sermonum Joram, & universa quæ fecit , nonne hæc
scripta sunt in Libro verborum dierum regum Juda? 24. Et dormivit Joram cum pa-
tribus suis, sepultusque est cum eis in civitate David, & regnavit Ochozias filius ejus,
pro eo. 25 Anno duodecimo Joram filii Achab regis Israel, regnavit Ochozias filius
Joram regis Judæ. 26 Viginti duorum annorum erat Ochozias, cum regnare cœpisset,
& uno anno regnavit in Jerusalem: nomen matris ejus Athalia filia Amri regis Israel .
27 Et ambulavit in viis domus Achab: & fecit, quod malum est coram Domino, sicut
domus Achab: gener enim domus Achab fuit. 28 Abiit quoque cum Joram filio Achab
ad præliandum contra Hazael regem Syriæ in Ramoth Galaad, & vulneraverunt Syri
Joram: 29 Qui reversus est, ut curaretur, in Jezrahel: quia vulneraverant eum Syri in
Ramoth, præliantem contra Hazael regem Syriæ. Porro Ochozias filius Joram rex Juda,
descendit invisere Joram filium Achab in Jezrahel , quia ægrotabat ibi.

℣. 1. VOCAVIT DOMINUS FAMEM , & VENIET A SUPER TERRAM SEPTEM ANNIS.] Hæc fames jam incœperat eo tempore, quo Elisæus Sunamitidis filium suscitavit . Hebraico habemus [1] : *Vocavit Dominus famem , atque etiam venit super terram septem annis* . Scriptura palam ait , famem jam ea in regione fuisse grassatam [2] , cum Elisæus de Sunam venit in Galgala , eum jam resuscitasset Sunamitidis filium. Igitur totus hic versiculus ad plusquam perfectum tempus est remittendus : *At Elisæus jam dixerat mulieri , cujus filium suscitaverat : alio concede , ut ubi poteris , habites ; nam fames , quam misit Dominus super terram , septem annis sævire debet* . Sacer Auctor has isthic revocat circumstantias , ut lux accedat narrationi , quam allaturus est de hujus mulieris reditu , & omnibus bonis illi B a Rege restitutis ; at fames præcesserat Samariæ obsidionem , de qua superiori capite sermo fuit . Domini Providentia semper commodia fidelium servorum suorum intenta permisit , ut eodem momento , quo mulier ingressa est , Rex cum Giezi de miraculis Elisæi Prophetæ colloqueretur . Giezi agnovit mulierem , ac filium ejus , dixitque Regi Joram hunc eum esse, qui per Elisæi preces vitam receperat.

Hæc loquendi ratio ; *vocavit Dominus famem super terram* , in Scripturis communis est [3] ; ac nobis adstruit ideam infinitæ potentiæ Dei , effectuum justitiæ illius , atque imperii , propter quod omnia , quæ in mundo contingunt , fiunt , tum ut viri nequam puniantur , tum ut boni probentur , atque meliores fiant . Revocat autem ad primam veramque causam C effectus , quos homines veluti causarum secundarum , & naturalium respiciunt .

℣. 4. REX LOQUEBATUR CUM GIEZI .] Si ea , quæ superius dicta sunt de hujus historiæ tempore, sunt vera, dicendum est Giezi jam leprosum fuisse , vel historiam curationis Naaman post hæc esse referendam. Credimus autem fidei pronius , Giezi jam leprosum fuisse , & Regem cum illo eminus [4] fuisse collocutum , quemadmodum leprosi in Evangelio cum Jesu Christo loquebantur [5] ; vel Regem propter cupiditatem audiendi mirabilia , quæ Elisæus narrarat , contempsisse horrorem , quo naturaliter afficimur , id genus ægros intuiti [6] .

℣. 6. RESTITUE EI OMNIA , QUÆ SUA SUNT , & UNIVERSOS REDITUS AGRORUM .] Bona mulieris hujus publicata , ac in Regium ærarium redacta fuisse creduntur , eo quod profuga abiisset ; Rex autem præcipit , ut non fundus solum , sed etiam fructus illi reddantur, & vult ipsam frui privilegio restitutionis , quàm late patere potest [7] : Restituere est possessorem facere , fructusque reddere . Dici quoque potest , quod cum consanguinei , vel concives mulieris hujus absentes bonorum possessionem adierint , confugiendum fuerit ad Regis auctoritatem , ut ipsa velociter jure fortunas suas posset recipere.

℣. 7. VENIT ELISÆUS DAMASCUM .] In regionem scilicet Damascenorum , non autem in urbem Damasci . Itineris hujus tempus , & causa non satis patent . At fidei magis est congruum , Prophetam in Syriam venisse , ut prædiceret mortem Benadad , & Hazaelem Syriæ Regem designaret . Non desunt etiam [8] , qui putent Hazaelem ab Elisæo regio chrismate fuisse delibutum , & prophetam hunc executum fuisse imperium , quod jam pridem ab Elia traditum fuerat [9] , qui per se illud adimplere non poterat .

BENADAD ÆGROTABAT .] Josephus [10] asserit , illum hoc fuisse morbo correptum propter dolorem , pudoremque Samariæ obsidione liberatæ . At non ita facile has temere conjecturas attulerim .

℣. 9. FILIUS TUUS BENADAD .] Summa observantia , qua Reges ipsi Prophetas colebant , causa erat , ut eos veluti patres haberent . Joram , & Joas Reges Israel hunc Elisæo nominis honorem deferunt [11] . Christiani quoque antiquitus hoc ipso nomine Episcopos , & Sacerdotes nuncupabant .

℣. 10. DIC EI : SANABERIS ; PORRO OSTENDIT MIHI DOMINUS , QUIA MORTE MORIETUR .] Ægritudo illius nequaquam lethalis est , atque si nihil præterea contigerit , non morietur ; at scio , ipsum violenta

1 כי קרא יהוה לרעב וגם בא אל הארץ שבע שנים 70. καὶ γὲ ἦλθεν ἐπὶ τῆς γῆς ἑπτὰ ἔτη :
2 4. Reg. 4. 38. *Et Elisæus reversus est in Galgala ; erat autem fames in terra* .
3 Vide Deuter. 28. 20. Psal. 104. 16. Eccli. 48. 2. Jerem. 15. 2. 24. 10. Ezech. 5. 6. Amos 8. 11. &c.
4 Ita Grot. hic . 5 Luc. 17. 12. 6 Vide Sanct. hic . 7 Cajus L. plus est D. de verb. signif. vide Grot. hic . 8 Ita Auth. hist. Scolast. Cajet. Menoch. Tirin. Murr.
9 Vide 3. Reg. 19. 15. *Revertere in viam tuam per desertum in Damascum ; cumque perveneris illuc, unges Hazael Regem super Syriam* . 10 Antiqu. l. 9. c. 2. Ita & Tost. & Dionys. & alii quidam .
11 4. Reg. 6. 21. *Numquid percutiam eos Pater mi ?* & 4. Reg. 13. 14. *Pater mi , Pater mi , currus Israel , & auriga ejus* .

lenta morte, atque externa vi moriturum. Aliter: dic ei, si lubet, futurum ut convalescat, at certe ipse efflabit animam. Vel, ut ut tibi respondebo, scio, te dicturum illi, quod sanabitur; at Dominus dixit mihi, ipsum e viris abiturum. *Dic ei: sanabilis*, positum est pro *tu dices illi, sanaberis*. Imperativum pro futuro usurpatur, non secus ac alio in loco [1]: *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud*. Non hortatur Hazaelem, ut mentiatur; sed prædicit, illum esse mentiturum.

Hebraicus textus habet [2]: *Abi, dic illi; non vives; quia Dominus ostendit mihi, quod morte morietur*; quæ legendi ratio omnem adimit difficultatem. At Chaldæus, Syrus, Arabs, Septuaginta Complutenses, Rabbini, ac Interpretum plerique cum Vulgata legunt: *Dic ei: sanaberis &c.*

℣. 11. STETITQUE CUM EO, & CONTURBATUS EST USQUE AD SUFFUSIONEM VULTUS, FLEVITQUE VIR DEI.] Hebraicus textus [3] non satis aperte innuit, de quo loquatur, & quinam adeo conturbatus fuerit, ut dolor faciem ipsam suffuderit; plerique hoc ad Elisæum referunt, qui dolore, ac misericordia confectus propter ea omnia mala, quibus populum suum obrutum iri prænoscebat, mœrorem suum satis celare non potuit, quin illum intelligeret Hazael, ejusque rationem a Propheta sciscitaretur. Alii vero putant, Propheta oculos ab Hazael non avertente, hunc conturbatum fuisse, atque in hac animi perturbatione fuisse rubore suffusum: prophetam vero lacrymas non cohibentem ab Hazael interrogatum fuisse, cur fleret. Hoc autem pacto Hebraicus Textus ad litteram verti potest: *Continuit ille faciem suam, fixitque oculos* in Hazael, *ita ut hic erubesceret, & eodem tempore vir Dei lacrymas effudit*. Vel: Elisæus nihil intentatum reliquit, ut se componeret, neque in faciem suam prodiret cordis perturbatio; at demum lacrymas cohibere non valuit. Septuaginta [4]: *& constitit coram illo, ita ut rubore suffunderetur, ac vir Dei ploravit*. Hic textus subobscurus est, & Complutensis editio est clarior [5]: *Et Hazael stetit coram illo, & posuit ante ipsum munera, quæ illi attulerat, donec conturbatus est, & vir Dei lacrymas effudit*. Hæc versio glossam sapit; illique haud dubie manus addita est, ut clarior fieret. Potest nihilominus hic sensus Hebraico textui appingi, & hæc forsitan cæteris versionibus præstat.

℣. 12. QUIA SCIO, QUÆ FACTURUS SIS FILIIS ISRAEL MALA.] Videri possunt infra cap. 10. 32. & cap. 13. 3. 7. terribiles hujus prædictionis effectus.

PRÆGNANTES DIVIDES.] Hoc est, prægnantium mulierum ventrem findes, vel corpus illarum bifariam secabis. Supplicium hoc haud ignotum erat veteribus, quemadmodum alibi vidimus [6]: & hæc prophetia adimpleta est, cum Hazael regionem Galaad bello vastavit [7]. Amos [8] de bello hoc loquens ait, a Syriæ Rege populos Galaad sub instrumentis, quibus triticum triturari consueverat, fuisse confractos; & Septuaginta legunt [9], a Rege eodem mulieres Galaad ventrem ferentes, serris ferreis sectas fuisse.

℣. 13. QUID ENIM SUM SERVUS TUUS CANIS, UT FACIAM REM ISTAM MAGNAM.] Canis rem vilem, abjectamque significare potest, vel aliquid vorax, crudele, ac rapiens. Sermonis decursus ostendit, Hazaelem se cani conferre, ut innuat, se pro præsenti A conditione, in qua versatur, nequaquam ea patrare posse, quæ Propheta ipsum quondam patraturum prædixit. Videmus etiam, nullam huic fuisse spem, Regiam auctoritatem consequendi, & plane hac de re nullam ipsi factam fuisse ab Elia promissionem. Vide supra ℣. 7.

℣. 15. TULIT STRAGULUM, & INFUDIT AQUAM, & EXPANDIT SUPER FACIEM EJUS.] Interpretes nonnulli credunt, Hebraicam vocem, quæ reddita fuit *stragulum* [10], significare *pellem caprarum*, qua ad sternenda cubilia utebantur; at vera illius significatio est cervical, pulvinar. In historia quædam leguntur Principum exempla, qui hoc eodem pacto, quo Benadad, interiere. Tiberius Imperator cum novissime ægrotaret in cubili suo, pulvino super os injecto, suf- B focatus fuit, ut ait Svetonius [11]; at Tacitus asserit multarum vestium pondere fuisse interemptum [12]. Demetrius Rex Philippi filius [13], & Imperator Fridericus II. omnino simili casu occubuerunt. Interpretes quidam dubitarunt, an Hazael de industria enecaverit Benadad; immo non desunt qui credant Benadad jussisse, sibi super os stragulum imponi, et sibi mortem consciscerer. Hebraicus quoque textus [14] in hunc sensum reddi posset, nisi aliæ omnes circumstantiæ nos cogerent, ut mortis Benadad Hazaelem auctorem agnosceremus.

℣. 16. ANNO QUINTO JORAM . . . . . REGIS ISRAEL, & JOSAPHAT REGIS JUDA, REGNAVIT JORAM FILIUS JOSAPHAT.] Vel potius anno quinto Joram Regis Israel, cum Josaphat Rex esset Juda, C Joram hujus filius simul cum Patre suo regnare cœpit [15]. Quintus regni annus respicit dumtaxat Joram regem Israel, non autem Josaphat Regem Juda. Hic autem filio suo Joram Regis titulum detulit, sibique Regni sociem assumpsit anno quinto Joram Regis Israel, qui regni Josaphat erat secundus supra vigesimum. Cæterum rite adnotandum est, eumdem Joram, qui modo in regni societatem eligitur a Josaphat, pridem ab eodem Rege sex ante id tempus annos Proregem designatum fuisse, anno scilicet regni Josaphat decimo sexto. Hoc adnotato facile conciliari potest Scriptura, quæ ait, Joram Regem Israel regnare incœpisse anno altero Joram Regis Juda [16], cum eadem Scriptura, quæ hic refert Joram Regem Juda regnare incœpisse anno quinto Joram D Regis Israel.

℣. 17. OCTO ANNIS REGNAVIT.] Initio ducto ab anno quinto Joram Regis Israel tribus annis simul cum Josaphat patre suo, solus vero annis quinque regnavit, ab anno Orbis Conditi 3112. ad 3119. Usserio auctore.

℣. 18. FILIA ACHAB ERAT UXOR EJUS.] Hæc erat impia Athalia, de qua infra erit sermo, dignus sane tantis parentibus Achabo, & Jezabel fructus.

FECIT QUOD MALUM EST.] Legi potest primum supra vigesimum secundi Paralipomenon libri caput; ibi plurima impietatis Joram optime expressa vestigia observantur.

℣. 20. IN DIEBUS EJUS RECESSIT EDOM NE ESSET SUB JUDA.] David jam pridem Idumæam subjece- E rat [17], eaque provincia, usque ad Joram, semper domui David paruerat; tunc vero Idumæi absolutum, nullique obnoxium Regem habere voluerunt: *constituit sibi Regem*. Imperante quoque Josaphat Regem

1 Joan. 2. 19. Vide Glass. Gram. l. 3. c. 3. 2 לך אמר לא חיה תחיה והראני יהוה כי מות תמות Ita legunt Jun. & Tremel. Lyr. Belgic. Vers. &c. Alii legunt לו *ei*, pro לא *non*.

3 ויעמד את פניו וישם עד בש ויבך איש האלהים 4 *καὶ παρέστη τῷ προσώπῳ αὐτοῦ, καὶ ἔθηκεν ἕως αἰσχύνης, καὶ ἔκλαυσεν ὁ ἄνθρωπος τοῦ Θεοῦ.* 5 *Καὶ ἔστη Ἀζαὴλ κατὰ πρόσωπον αὐτοῦ, καὶ παρέθηκεν ἐνώπιον αὐτοῦ τὰ δῶρα ἕως ᾐσχύνετο, καὶ ἔκλαυσεν ὁ ἄνθρωπος τοῦ Θεοῦ.* Vide Hexapla. Alia extat versio, quæ in idem ferme redit. Ait Hazaelem illic munera deposuisse, donec computruerunt. *Καὶ ἔθηκε τὰ δῶρα, ἕως οὗ ἐσαπρίσαν.*

6 Vide nostram Dissertationem de Suppliciis. 7 Vide 4. Reg. 10. 32. 33.

8 Amos 1. 3. *Eo quod trituraverint in plaustris ferreis Galaad.* 9 *ἀνθ' ὧν ἔπριον πρίοσι σιδηροῖς τὰς ἐν γαστρὶ ἐχούσας τῆς ἐν Γαλαάδ.* Ita & Arab. Vers. 10 ויקח המכבר *Pellis caprarum*. Pagn. Vat. 70. *μαχβάρ*. Alii apud Theodoret. *στρῶμα*. Joseph. *δίκτυον διάβροχον* 11 Sveton. in Tiber.

12 Tacit. *Macro intrepidus opprimi senem injectu multæ vestis jubet*. Ita & Dio.

13 Apud Livium lib. 40. 14 ויקח המכבר ויטבל במים ויפרש על פניו 15 Vide Usser. Annal. ad an. m. 3106.

16 4. Reg. 1. 17. 17 4. Reg. 8. 14. & 3. Reg. 22. 48. & Psal. 59. 10. & 107. 10.

gem habebant, quemadmodum supra vidimus in pugna contra Moab pugnata [1]; at ille proprie erat Protea, Præfectus, Prætor provinciæ, & Scriptura alibi palam docet [2] nullum fuisse in Idumæa Regem, quoad ea regio Regioni Juda obtemperavit. Videmus isthic, Jacob prophetiam adimpleri, qui cecinerat futurum ut Idumæi Hebræorum jugum excuterent. Genes. 27. 40. *Tempusque veniet, cum excutias & solvas jugum ejus de cervicibus tuis.*

℣. 21. VENITQUE JORAM SEIRA.] In eam Idumææ partem, quæ Seir appellabatur de cujusdam viri nomine, qui ea in regione imperitaverat. Vide Genes. 25. 26. vel simpliciter *in Idumæam*, quæ sæpe Seir sine ulla distinctione, ulloque limite appellatur.

PERCUSSIT IDUMÆOS, QUI EUM CIRCUMDEDERANT.] At quinam hæc cum sequentibus conciliari potest; *populus autem fugit in tabernacula sua; recessit ergo Edom ne esset sub Juda usque ad diem hanc?* Si Joram victoriam retulit, si exercitum Edom percussit, cur Idumæa libera facta est, atque defectionis suæ fructu lætetur? Syriaca versio aliter intelligit; ait enim, cum Joram noctu consurrexisset, ut irrueret in Edom, atque hostium exercitum, qui ipsum circumdabat, *hic populus*, hoc est, Israelitæ, *se receperunt in tabernacula sua*, neque superare potuerunt exercitum Idumæorum. Arabica quoque similiter intellexit; & Hebraicus textus satis naturaliter, hoc pacto potest explicari [3]: *Surrexit nocte, & aggressus est Edom, qui involvebat eum* (hæc locutio, Edom aliquomodo, vel militum numero, vel æquiori exercitus loco, superasse innuit), *& Principes curruum, & populus* Israelitæ scilicet, *fugerunt in tabernacula sua*. Quisque se se in tentorium suum recepit, perinde quasi Joram acie dimicasset, ut se ea Idumæorum manibus surriperet, a quibus circumdatus fuerat, & qui longe viribus prævalebant. Verti quoque potest: *At populus fugit in tabernacula sua*. Israelitæ non paria fecerunt virtuti Joram, qui eos urgebat; terga verterunt, ac retrocesserunt. Verum non est cur dissimulemus, Paralipomenon [4] textum satis superque eorum favere sententiæ, qui Joram victoriam retulisse arbitrantur; ibi enim non leguntur hæc verba, *populus autem fugit in tabernacula sua*; quæ etiam de Idumæis possunt explicari, qui post prælium in tentoria sua fuerint dilapsi; quod tamen minimum obest, quo minus populus in defectione perstiterit, & victoria frui Joram ignoraverit, ut penitus Provinciam hanc ad officium revocaret.

℣. 22. RECESSIT & LOBNA.] Urbs *Lebna*, vel *Lobna* erat ad meridiem tribus Juda in finibus Idumææ. Idumæi deficientes hanc urbem quoque averterunt a Juda, quæ satis erat insignis. Regi parebat, cum Josue eam cœpit [5], eamque Sacerdotibus ad incolendum tradidit [6]; at plane rursus in alienigenarum potestatem migravit; nam hic videmus, eam a Davidis domo secedere, simulac per occasionem illi facultas facta est.

Nihilominus iterum Regibus Juda subdita fuit; quandoquidem Ezechia imperante, eam obsedit Sennacherib [7], & Josias uxorem duxit Lebnitem [8]; neque Scriptura addit isthic de Lebna, quod de Idumæa refert, scilicet quod non paruerit Regibus Juda *usque ad diem hanc*, hoc est usque ad tempus, quo hujus historiæ Scriptor degebat, scilicet prope Babylonicam captivitatem.

℣. 23. RELIQUA SERMONUM JORAM &c.] In Paralipomenis nonnulla Joram facta leguntur, quæ isthic desiderantur. Vide 2. Paral. c. 21.

℣. 24. SEPULTUSQUE EST CUM EIS IN CIVITATE DAVID.] Legimus 2. Par. 21. 18. 19. Regem hunc a Deo gravi adeo percussum morbo fuisse, qui biennio illius exta dilaniarit, ut tandem summis confectus doloribus occubuerit. Populus eum extulit in civitatem David; non autem in tumulum Regum, neque illi iisdem honoribus, ac majoribus suis parentatum est, aromatibus super, vel prope illius corpus adolendo, quemadmodum fieri consueverat.

℣. 26. VIGINTI DUORUM ANNORUM ERAT OCHOZIAS CUM REGNARE COEPISSET.] Rex hic alibi Joachaz, & Azarias appellatur [9]. In 2. Paralip. 22. 2. scriptum est, Ochoziam quadraginta, ac duobus natum annis pro duobus, & viginti, quod isthic legimus, regnare occœpisse. Inani prorsus labore conantur Interpretes loca hæc adeo opposita conciliaturi. Ludovicus de Dieu, & alii nonnulli [10] hoc explicant dicentes, Ochoziam duos supra viginti annos natum fuisse, cum ad regnum evectus est: uno anno regnasse; cui si addideris sex annos, quibus Athalia regnum obtinuit, & annos tresdecim, quibus Joas filius illius per ætatem regno aptus non erat, duo & quadraginta anni fient. At nonne hoc est contrarium omnino ab eo, quem affert, Scripturæ sensum appingere? Alii crediderunt hos annos duos, & quadraginta incipere debuisse a secessione decem tribuum a Regno Juda. At brevius, expeditiusque esset fortasse asserere, Paralipomenon locum a Librariis vitiatum fuisse. Utrumne magis periculosum est, asserere Librariorum incuria menda quasdam in sacros Libros obrepsisse, an perspicuas fateri esse in iis contradictiones, atque ad eas solutiones confugere, quæ nequaquam satisfacere possint? Spiritus Sanctus divinorum horum Operum Auctor voluissetne factum idem duplici modo, atque penitus alio enarrare? Quomodonam Paralipomenon libri secum possent conciliari, si mordicus Textui velit hærere? Alibi ajunt, Joram Ochoziæ patrem secundum supra trigesimum agentem annum regnare occœpisse, & octo annis regnasse [11]; alibi vero dicunt, Ochoziam filium illius, & qui immediate illi successit, duobus, & quadraginta annis natum fuisse, cum regnare incœpit; filius major est natu, quam pater? Contradictio magisne patere potest? Non ambigerem ergo quin cum eruditissimis quibusque Interpretibus [12] faterer, Paralipomenon Textum mendosum esse, atque duos & viginti, pro duos & quadraginta esse legendum, quemadmodum permulta Septuaginta Exemplaria legunt, & omnes Orientales versiones in eo, de quo loquimur, Paralipomenon loco. Usserius ait, Joram natum anno ab Orbe condito 3080. constituisse Ochoziam filium sibi Proregem anno 3118. atque eodem anno 3119. denato, Ochoziam anno eodem ad imperium successisse: juxta quem calculum liquet, Ochoziam nequaquam habere potuisse duos, & quadraginta ætatis annos; pater enim illius undequadraginta annos natus occubuit.

NOMEN MATRIS EJUS ATHALIA FILIA AMRI.] Hæc immediate erat filia Achab Regis Israel [13], & neptis Amri patris Achab; 3. Reg. 16. 28. 29.

℣. 28. ABIIT AD PRÆLIANDUM ..... CONTRA HAZAEL IN RAMOTH GALAAD.] Ochozias Rex Juda fœdus init cum Joram Rege Israel, illique suppetias fert adversus Regem Syriæ. Bellum vero illatum fuerat propter Ramoth Galaad, quæ cum esset Regum Israel, a Regibus Syriæ capta fuerat, qui nullo jure eam retinebant. Achab pater Joram Regis

1 4. Reg. 3. 9. 2 3. Reg. 22. 48. *Nec erat tunc Rex constitutus in Edom.*
3 הוא קם לילה ויכה את אדום הסובב אליו ואת שרי הרכב וינס העם לאהליו
4 2. Par. 21. 9. *Surrexit nocte, & percussit Edom, & omnes duces equitatus ejus; attamen rebellavit Edom, ne esset sub ditione Juda.* Septuaginta ibi legerunt populum in sua tentoria confugisse, non secus, ac in libris Regum. 5 Josue 10. 30. 6 Josue 21. 13. 7 4. Reg. 19. 8.
8 4. Reg. 23. 31. 9 2. Par. 21. 17. *Nec remansit ei filius, nisi Joachaz, qui minimus natu erat.* Vide vers. 6. in Hebr. 10 Vide Kimchi, & Abarbanel.
11 2. Par. 21. 20. 12 Cajetan. Torniel. Salian. Scalig. Grot. Capell. Usser. Tirin. in 2. Par. 22. 2.
13 4. Reg. 8. 18. & 2. Par. 21. 6.

Regis Israel urbem hanc recuperare conatus fuerat [1], at eu in bello, quod intulerat Regi Benadad, ut ea potiretur, telo confossus obierat; eam vero Joram oppugnavit, expugnavitque; uti liquet ex capite sequenti; sed cum in oppugnatione vulneratus fuisset, recessit in Israel, donec a vulnere suo convalesceret, præfecto interim arcis obsidioni Jehu A filio Namsi, copiarum suarum duce: Dux hic erat e Ramoth Galaad: Elisæus miserat, qui illum Regem Israel inungeret; qui honor cum illi delatus fuisset ab universo exercitu, relicta Ramoth venit in Jezrahel, ubi Joram dominum suum occidit. Hæc autem sequenti capite intuebimur.

---

1 3. Reg. 22. 3. *An ignoratis, quod nostra sit Ramoth Galaad.*

CAPUT IX.

Jehu ungitur Rex Israel, jubeturque universam domum Achab delere. Occidit autem Joram Regem Israel, & Ochoziam Regem Juda. Jezabel præceps dejicitur de parietis vertice, & a canibus devoratur.

1. ELisæus autem prophetes vocavit unum de filiis prophetarum, & ait illi: Accinge lumbos tuos, & tolle lenticulam olei hanc in manu tua, & vade in
Ramoth Galaad. 2 Cumque veneris illuc, videbis Jehu filium Josaphat filii Namsi: & ingressus suscitabis eum de medio fratrum suorum, & introduces in
interius cubiculum. 3 Tenensque lenticulam olei, fundes super caput ejus, & dices: Hæc dicit Dominus: Unxi te regem super Israel. Aperiesque ostium, & fugies, & non ibi subsistes. 4 Abiit ergo adolescens puer prophetæ in Ramoth Galaad.
5 Et ingressus est illuc: ecce autem principes exercitus sedebant, & ait: Verbum mihi ad te, o princeps: Dixitque Jehu: Ad quem ex omnibus nobis? At ille dixit: Ad te, o princeps: 6 Et surrexit, & ingressus est cubiculum, at ille fudit oleum super caput ejus, & ait: Hæc dicit Dominus Deus Israel: Unxi te regem super populum Domini Israel. 7 Et percuties domum Achab domini tui,
& ulciscar sanguinem servorum meorum prophetarum, & sanguinem omnium servorum Domini, de manu Jezabel. 8 Perdamque omnem domum Achab: & interficiam de Achab mingentem ad parietem, & clausum, & novissimum in Israel. 9
Et dabo domum Achab, sicut domum Jeroboam filii Nabat, & sicut domum Baasa, filii Ahia. 10 Jezabel quoque comedent canes in agro Jezrahel, nec erit qui sepeliat eam. Aperuitque ostium, & fugit. 11 Jehu autem egressus est ad servos domini sui: qui dixerunt ei: Rectene sunt omnia? quid venit insanus iste ad te?
Qui ait eis: Nostis hominem, & quid locutus sit? 12 At illi responderunt: Falsum est, sed magis narra nobis. Qui ait eis: Hæc, & hæc locutus est mihi, & ait: Hæc dicit Dominus: unxi te regem super Israel. 13 Festinaverunt itaque, & unusquisque tollens pallium suum posuerunt sub pedibus ejus in similitudinem tribunalis, & cecinerunt tuba, atque dixerunt: Regnavit Jehu. 14 Conjuravit ergo Jehu filius Josaphat filii Namsi contra Joram: porro Joram obsederat Ramoth Galaad, ipse, & omnis Israel, contra Hazael regem Syriæ: 15 Et reversus fuerat, ut curaretur in Jezrahel propter vulnera, quia percusserant eum Syri, præliantem contra Hazael regem Syriæ. Dixitque Jehu: Si placet vobis, nemo egrediatur profugus de civitate, ne vadat, & nuntiet in Jezrahel. 16 Et ascendit, & profectus est in Jezrahel: Joram enim ægrotabat ibi, & Ochozias rex Juda descenderat ad visitandum Joram. 17 Igitur speculator, qui stabat super turrim Jezrahel, vidit globum Jehu venientis, & ait: Video ego globum. Dixitque Joram: Tolle currum,
& mitte in occursum eorum, & dicat vadens: Rectene sunt omnia? 18 Abiit ergo, qui ascenderat currum, in occursum ejus, & ait: Hæc dicit rex: Pacata ne sunt omnia? Dixitque Jehu: Quid tibi, & paci? transi, & sequere me. Nuntiavit quoque speculator, dicens: Venit nuntius ad eos, & non revertitur. 19 Misit etiam currum equorum secundum: venitque ad eos, & ait: Hæc dicit rex:
Numquid pax est? Et ait Jehu: Quid tibi, & paci? transi, & sequere me. 20
Nuntiavit autem speculator, dicens: Venit usque ad eos, & non revertitur: est autem incessus quasi incessus Jehu filii Namsi, præceps enim graditur. 21 Et ait
Joram: Junge currum. Junxeruntque currum ejus, & egressus est Joram rex Israel,
& Ocho-

& Ochozias rex Juda, singuli in curribus suis, egressique sunt in occursum Jehu; & invenerunt eum in agro Naboth Jezrahelitæ.
22 Cumque vidisset Joram Jehu, dixit: Pax est Jehu? At ille respondit: Quæ pax? adhuc fornicationes Jezabel matris tuæ, & veneficia ejus multa vigent.
23 Convertit autem Joram manum suam, & fugiens ait ad Ochoziam: Insidiæ, Ochozia.
24 Porro Jehu tetendit arcum manu, & percussit Joram inter scapulas: & egressa est sagitta per cor ejus, statimque corruit in curru suo.
25 Dixitque Jehu ad Badacer ducem: Tolle, projice eum in agro Naboth Jezrahelitæ: memini enim, quando ego, & tu sedentes in curru sequebamur Achab patrem hujus, quod Dominus onus hoc levaverit super eum dicens;
26 Si non pro sanguine Naboth, & pro sanguine filiorum ejus, quem vidi heri, ait Dominus, reddam tibi in agro isto: dicit Dominus. Nunc ergo tolle, & projice eum in agrum, juxta verbum Domini.
27 Ochozias autem rex Juda videns hoc fugit per viam domus horti: persecutusque est eum Jehu, & ait: Etiam hunc percutite in curru suo: & percusserunt eum in ascensu Gaver, qui est juxta Jeblaam: qui fugit in Mageddo, & mortuus est ibi.
28 Et imposuerunt eum servi ejus super currum suum, & tulerunt in Jerusalem: sepelieruntque eum in sepulchro cum patribus suis in civitate David.
29 Anno undecimo Joram filii Achab, regnavit Ochozias super Judam,
30 Venitque Jehu in Jezrahel. Porro Jezabel, introitu ejus audito, depinxit oculos suos stibio, & ornavit caput suum, & respexit per fenestram
31 Ingredientem Jehu per portam, & ait: Numquid pax potest esse Zambri, qui interfecit dominum suum?
32 Levavitque Jehu faciem suam ad fenestram, & ait: Quæ est ista? & inclinaverunt se ad eum duo, vel tres eunuchi.
33 At ille dixit eis: Præcipitate eam deorsum, & præcipitaverunt eam, aspersusque est sanguine paries, & equorum ungulæ conculcaverunt eam,
34 Cumque introgressus esset, ut comederet, biberetque ait: Ite, & videte maledictam illam, & sepelite eam; quia filia regis est:
35 Cumque issent, ut sepelirent eam, non invenerunt nisi calvariam, & pedes, & summas manus.
36 Reversique nuntiaverunt ei. Et ait Jehu: Sermo Domini est, quem locutus est per servum suum Eliam Thesbiten, dicens: In agro Jezrahel comedent canes carnes Jezabel.
37 Et erunt carnes Jezabel sicut stercus super faciem terræ in agro Jezrahel, ita ut prætereuntes dicant; Hæccine est illa Jezabel?

℣. 1. VOCAVIT UNUM DE FILIIS PROPHETARUM.] Puer hic infra vers. 4. Elisæi famulus fuisse dicitur. Rabbini docent hunc fuisse Jonam [1], qui tunc admodum adolescens esse debebat, hoc supposito: nam Jeroboam secundus, quo imperante Jonas prophetabat, quinquaginta circiter annos ab Jehu Regis Israel unctione regnavit.

℣. 2. SUSCITABIS EUM DE MEDIO FRATRUM SUORUM.] Rogabis eum, ut recedat de medio fratrum, hoc est aliorum Ducum, inter quos assidentem illum invenies: ℣. 5. dicitur, in medio principum exercitus assedisse. Illinc vero in secretum cubiculum eum deduxit, ubi Regem iunxit.

℣. 3 TENENS LENTICULAM OLEI FUNDES SUPER CAPUT EJUS.] Alibi [2] explicuimus, quid proprie significet hebraica vox, quæ isthic lenticula vertitur. Hebræi, quos Interpretum plerique sequuntur, putant oleum, quo Reges Israel ungebantur, fuisse simplex oleum balsami, sine alia immixtione, vel aliqua particulari consecratione, dum Reges Juda oleo sacro ungerentur, quod servabatur in Tabernaculo. Elias quidem jussus fuerat, Jehu Regem Israel consecrare [3]; at forte tempus, quo id faceret, illi defecit; vel dixit illi Dominus, ut hanc differret unctionem, eamque Elisæo reservaret.

℣. 4. ABIIT IN RAMOTH GALAAD.] Urbs quidem expugnata fuerat, quemadmodum dictum est sub finem capitis præcedentis; at arx parebat adhuc Hazaeli Regi Syriæ; vel timebatur, ne Rex hic rursus eam obsidione vallaret. Vide infra ℣. 14.

℣. 7. ULCISCAR SANGUINEM SERVORUM MEORUM PROPHETARUM.] Quos Jezabel crudeliter ad necem usque est persecuta 3. Reg. 18. 4. *Cum interficeret Jezabel prophetas Domini* &c.

℣. 8. INTERFICIAM DE ACHAB MINGENTEM AD PARIETEM, & CLAUSUM, & NOVISSIMUM.] Vide horum verborum explicationem Deuter. 32. 36. & 3. Reg. 14. 10.

℣. 10. JEZABEL QUOQUE COMEDENT CANES IN AGRO JEZRAHEL.] Eo in spatio, quod murum inter, ac antemurale hujus civitatis interjacet, quin aliquis eam efferre velit: relinquetur autem in sterquilinio, ac insepulta humi putrescet.

℣. 11. QUID VENIT INSANUS ISTE AD TE?] Duces alii haud difficile agnoverunt adolescentem illum, prophetam esse; illius vestes, habitus oris, modus, quo seduxerat Jehu, & præceps festinatio, qua se proripuit, quin aliquid diceret, nullum divinandi reliquere locum, quis esset. Contemptus, quo de ipso loquuntur, exhibet adamussim ingenium plerorumque eorum, qui castra sequuntur, qui insaniam putant vitæ professionem obscuram, molestam, austeram, atque a populorum frequentia sepositam. Pseudo-prophetæ, quos videbant in Israel, & quibus Achabi, & Jezabel aula erat referta, vere dementes erant; eorum affectati membrorum, quibus contorquebantur, motus, & absurda, quæ in ridiculis suis enthusiasmis venditabant, merito illis justum aulicorum, populique contemptum conciliabant.

Duces

1 SchiKard. jus Reg. Theor. 4. c. 1. & aliis.
2 1. Reg. 10. 1. קח פך השמן 70. λάβε τὸν φακὸν τοῦ ἐλαίου.
3 3. Reg. 19. 15. 16.

A Duces hi autem temere prophetas Domini his Pseudo-Prophetis esse persimiles arbitrabantur. Hebræi Regni Juda eodem ferme pacto veros prophetas excipiebant, atqui hi præfecti Regis Israel, & Veteratores sæpe a prophetis vere Deo afflatis non dignoscebantur. Quoties Ezechiel [1], & Jeremias, veluti insani, & malo obsessi dæmone, habiti fuerunt [2]? *Dominus dedit te sacerdotem pro Jojada Sacerdote*, ajebat Semejas Sophoniæ, *ut sis dux in domo Domini super virum arreptitium, & prophetantem, ut mittas eum in nervum, & in carcerem. Et nunc quare non increpasti Jeremiam Anathothitem, qui prophetat vobis?* Profani quoque divinatores suos, & Sacerdotis antistites, veluti insanos, atque insanas esse ducebant, vel saltem hoc illis persuasum erat, divinandi actum illis rationis usum adimere. B *Quid habet auctoritatis furor iste, quem divinum vocatis*, ajebat Cicero l. 2. de Divinat. *ut quæ sapiens non videt, ea videat insanus, & is, qui humanos sensus amiserit, divinos assecutus sit.* Et Virgilius de Sybilla loquens Æneid. 6.

Ut primum cessit furor, & rabida ora quierunt.

℣. 12. At illi responderunt: falsum est, sed magis narra nobis.] Scilicet, responderunt, nonnisi falsum aliquid tibi illum dixisse scimus, sed narra nobis. Scimus, insanum esse, neque veri aliquid afferre potuisse; verum ut ut se res habeat, narra, quid dixerit tibi. Aliter juxta hebraicum textum [3]: *Nostis personam, & sermonem illius: responderunt: non; narra, quid isthoc sit.* Nostis hunc esse Elisæi famulum, neque itineris ejus causa vos fugit. C Nequaquam, responderunt illi; immo dic nobis, qua de re agatur. Vel, virum nostis, & quarum rerum sit capax. Minime, responderunt; ilthic nihil fatuum est, immo seria omnia; narra, quid istud sit. Vel denique, Jehu dixit illis: Nostis hunc virum, & quæ dixerit mihi? responderunt: Non; sed narra hoc nobis. Quæ postrema vertendi ratio optimum sensum adstruit.

℣. 13. Pallium suum posuerunt sub pedibus ejus.] Hebraicus textus habet [4]: *Sumpserunt quisque vestes suas, & posuerunt eas sub illo super corpus graduum*; vel in superiori scalarum parte, ubi aderant. Extenderunt vestes suas super gradus, atque festinanter properarunt illi solium, ubi collocarunt illum, Regemque salutarunt. Hi *gradus* fortasse nihil D aliud sunt, quam elatior aulæ pars, ubi hi Duces assidebant. Aliter juxta Chaldæum, ac nonnullos Rabbinos: *posuerunt vestes suas sub illo super gradus horarum* [5]; hoc est in publica platea ibi, ubi aderat columna, quæ horas signabat. At hic sensus multum addere textui videtur. Quædam supperunt in Scripturis consuetudinis hujus exempla, vestes scilicet super humum extendendi in quorumdam virorum insignis meriti honorem. Ii, qui aderant, cum Jesus Christus Hierosolymam ingressus est paucis diebus ante illius Passionem, hunc eumdem illi honorem detulere Matth. 21. 7. Ethnici hoc nonnumquam pro idolis suis cum in solemnibus supplicationibus circumferrentur, facere consueverant [6]. Persarum Rex super aulæa tantum incedebat, donec in atrio E spatiaretur, ubi milites, qui immortales vocabantur, excubabant [7].

Cecinerunt tuba.] Hæc erat in his occasionibus consuetudo, ut ad clangentium buccinarum sonitus Regis ad solium adscensus ediceretur. Vide 3. Reg. 1. 40.

A ℣. 14. Joram obsederat Ramoth Galaad ... contra Hazael.] Hæc est repetitio eorum, quæ jam memorata fuere superiori capite ℣. 28. 29. Hebraicus textus legit [8]: *Et Joram observabat*; vel, *tuebatur Ramoth Galaad coram Hazael*; quod bifariam intelligi potest. Primo, juxta suppositionem, quam attulimus [9], Joram cepisse quidem urbem Ramoth, non autem arcem, quam obsidebat, & prope observabat, opera Jehu usus, ne Hazael oppidanis afferret suppetias. Secundo, supponendo, Joram jam cepisse Ramoth Galaad, ibique reliquisse Jehu cum omni exercitu, ut adversus Hazaelem tueretur, qui eam se adhuc obsessurum minitabatur. At ex universa hac historia nihil adest, quod nobis persuadeat, Jehu in Ramoth Galaad obsessum fuisse. B Elisæi minister illuc ultro, citroque commeat liberrime; Jehu quoque, ac exercitus illius eodem pacto egrediuntur. Igitur si hic observabat; vel tuebatur Ramoth adversus Hazael, hoc in priori, quem explicuimus, sensu est intelligendum; vel simpliciter ut præcaveret, ne Hazael urbem opprimeret, & obsideret.

℣. 17. Speculator, qui stabat super turrim.] Hanc consuetudinem statuendi speculatores super turrium cacumina, supra jam vidimus 2. Reg. 18. 24. Vide quoque Isaiam 21. 7. 8. & 62. 6. & Malac. 2. 1. 2. Cum exercitus Joram esset in Ramoth Galaad, omnes rerum motus explorabantur, ii præsertim, si qui ibi terrarum fierent.

℣. 18. Quid tibi, et paci?] Quid quæris? Paxne sit, an bellum, quid ad te? Num interest C tua nosse, quid agatur? Æquivoca responsio.

℣. 20. Incessus ejus, quasi incessus Jehu; præceps enim graditur.] Hebraice [10]: *incedit cum temeritate*, vel *cum amentia: rigidus obequitat*, Vatablus ait. Chaldæus, & Arabs id aliter omnino intelligunt: *lente incedit*, passibus numeratis. Ex tota vita Jehu vivido fuisse videtur ingenio, forti, ac severo. Grotius [11] illum comparat Catoni Uticensi: *Erat vir fortis, minime ad culpas indulgens, ingenio quasi Cato Uticensis.* Cœptum illius contra Joram summam postulabat celeritatem, neque tempus erat permittendum, ut Rex id intelligeret.

℣. 22. Pax est Jehu?] Vel satin salve? Quid novi est? Joram primo statim credidit Jehu, & exercitum præcipiti fuga de Ramoth Galaad se se reD cepisse, atque cæde aliqua affectos fuisse.

Adhuc fornicationes Jezabel, et veneficia ejus multa vigent.] Ego quidem ita vertere mallem: Joram dixit illi: *Rectene est? Jehu respondit: Quomodonam recte se habere possunt res, donec matris tuæ flagitia, & præstigia tot, tantaque erunt?* Scelera, crudelitates, impudicitiæ, superstitiones Reginæ hujus impiæ, nonne causa fuere tot malorum, quibus hoc regnum obrutum est, & aliud expectare possumus de manu Dei, donec iræ illius non litaverimus nequissimam hanc mulierem, eosque omnes, qui sunt scelerum illius participes?

℣. 23. Convertit manum suam.] Ipse per se plane currum suum regebat, vel aurigæ præcepit, ut habenas flecteret. Ipse enim facere censebatur, quod fieri jubebat.

℣. 25. Quando ego, & tu sedentes in curru.] Hebraicus textus innuere videtur ipsos binos, & binos equis post Regis currum tunc subsecutos fuisse [12].

℣. 26. Si non pro sanguine Naboth, & pro san-

1 Ezech. 33. 30. 31. *Dicunt unus ad alterum: Venite, & audiamus, quis sit sermo egrediens a Domino, & veniunt ad te ... & non faciunt eos: quia in canticum oris sui vertunt illos.* 2 Jerem. 29. 26.
3 אתם ידעתם את האיש ואת שיחו ויאמרו שקר הגד נא לנו
4 ויקחו איש בגדו וישימו תחתיו אל גרם המעלות 70. ἔθηκαν ὑποκάτω αὐτοῦ ἐπὶ τὸ γαρὲμ τῶν ἀναβαθμῶν. Aquil. πρὸς ὀστοῦν τῶν ἀναβαθμῶν. *Super solidiorem graduum partem.* Sym. ἐφ' ἕνα τῶν ἀναβαθμῶν. *Super unum e gradibus.*
5 לדרג שעיא Vide & Rab. Salom. Malv. Lud. de Dieu. 6 Plutarch. in Alcib. & Athen. l. 12.
7 Athen. l. 12. c. 2. 8 ויורם היה שמר ברמות גלעד ... מפני חזאל
9 Vide capitis præcedentis finem. 10 כי בשגעון ינהג ὅτι ἐν παραλλάξει ἐλαύνει. *Graditur stulte.* Sym. ὅτι ἀτάκτως ἄγει. *Graditur nullo ordine.* Theod. & 70. ὅτι ἐν παραλλαγμῷ ἦγε. *Incedit mutando.*
11 Vide ad 3. Reg. 19. 16.
12 זכר אני ואתה את רכבים צמדים אחרי אחאב

SANGUINE FILIORUM EJUS &c.] In historia Naboth non legimus Eliæ [1] sermonem, quem Iehu se ab eo audiisse testatur; neque etiam videmus filios Naboth una cum patre suo cæsos fuisse; verum istis vulgatum est in Scripturis alibi suppleri, quod alibi omissum est: cæteroquin admodum probabile est, quod cum Naboth, veluti perduellionis reus, damnatus fuerit, tota illius familia eidem fuerit addicta supplicio, ac omnia illius bona fuerint in Regium ærarium illata; cui sententiæ robur videtur accedere, quod Elias non præcipit Achabo, ut vineam Naboth filiis ejus restituat; & Princeps hic, licet pœnitentiam egerit ob hoc injustitiæ scelus, nemini tamen, quod usurpaverat, reddidit ea plane de causa, quia nulli supererant hæredes. Non desunt [2], qui putent, sanguinem filiorum Naboth generatim significare pœnas, quibus obnoxii fuere propter patris sui calamitatem, scilicet paupertatem, fugam, dedecus.

QUEM VIDI HERI.] Hæc sunt verba, quæ Elias dicebat Achab, postridie quam injuste damnaverat Naboth.

℣. 27. PER VIAM DOMUS HORTI.] Ochozias se se recipere vult in regias ædes Joram per hortum, cui vinea Naboth adjacebat, quæ origo fuerat omnium calamitatum domus Achab.

PERCUSSERUNT EUM IN ASCENSU GAVER, QUI EST JUXTA JEBLAAM; QUI FUGIT IN MAGEDDO, & MORTUUS EST IBI.] Quomodo isthæc conciliari queunt cum iis, quæ in 2. Paralip. 22. 9. legimus, scilicet: *Ipsum quoque perquirens Ochoziam comprehendit latitantem in Samaria, adductumque ad se occidit?* Dicunt autem, Ochoziam ab iis vulneratum in ascensu Gaver, qui eum fuerant persecuti, se se recepisse in Mageddo, ubi cum se satis tuto delitescere minime arbitraretur, secreto Samariam voluit deduci. Iehu iratus, eo quod ictus e voto non cesserat, perquisivit Ochoziam, cumque iterum in Mageddo deferri jussisset, ibi ipsum confodit. Videri possunt in Paralipomenis turbæ, quæ post illius mortem in Iuda contigere. Iehu credidit illum sibi esse occidendum, eo quod filius erat Athaliæ filiæ Iezabel.

℣. 29. ANNO UNDECIMO JORAM FILII ACHAB, REGNAVIT OCHOZIAS SUPER JUDA.] In regni societatem vocatus fuit anno undecimo Ioram filii Achab, quemadmodum hic dicitur; at sequenti anno dumtaxat regni possessionem adiit, anno scilicet Ioram Regis Israel duodecimo, quemadmodum ℣. 25. notatur.

℣. 30. IEZABEL DEPINXIT OCULOS SUOS STIBIO.] Si Iezabel ea in ætate, quæ illi erat, atque in eo negotiorum suorum statu se posse credidit vel amorem, vel observantiam Iehu sibi conciliare, non satis admirari licet fœdam mulieris impudentiam cum summa imprudentia conjunctam; attamen quanam alia de causa fucum hac in occasione adhibere potuit, nisi propter vanitatem nimis huic sexui ingenitam crediddisset tantæ dignitatis, & nobilitatis fœminæ minime prodeundum esse, nisi prius muliebri mundo comptæ & exornatæ? Veteribus solemne erat fuco oculos oblinire: cum enim niger color oculi maximo esset in pretio, diversis utebantur artibus, ut illum vel gignerent, vel augerent. Quidam palpebras tantum tingebant. Ad hanc quoque diem Syræ mulieres, Arabes, & Babyloniæ oculorum circuitus nigro sibi inficiunt colore, ac in deserto tam homines, cum mulieres in oculis nigrum colorem infundunt, ut oculos sibi, ut ajunt, adversus solis ardorem tueantur [3]. Persæ sexus utriusque [4] quotidie mane oculos, & supercilia nigro sibi imbuunt collyrio, atque intra palpebras calybeum summopere levem acum immittunt, hoc pacto oculorum aciem confirmari dicentes. Plinius l. 11. c. 37. loquens de Romanis mulieribus, quæ oculis etiam fucum inducebant: *Tanta est*, inquit, *decoris affectatio, ut tinguantur oculi quoque.* Ad id autem stibium, vel antimonium adhibebatur, quod duplicem gignebat effectum; oculos enim, & palpebras nigriores reddebat, easque efficiebat laxiores; palpebras enim complicans, atque coarctans; causa est, ut oculi majores videantur; quapropter a Græcis appellatum fuit *Platyophthalmum* [5]: *quoniam in calliblepharis mulierum dilatat oculos.* Liquet autem majores oculos, & speciosiores fuisse; quamobrem a Poetis Iuno Boopis, id est bovis oculos gerens, appellatur. Alii putant, antimonium extendere palpebras; illud certum est, orientales habere palpebras præ nostris latiores [6].

At non mulieribus tantum hæc vanitas erat oculos sibi nigro colore inficiendi, sed & viri quidam dementes adeo fuerunt, quibus indigna hæc placuerit consuetudo. Sardanapalus oculos sibi, & supercilia fuco imbuebat [7]. Tertullianus de cultu fœmin. & S. Cyprianus insanum morem hunc insectantur [8]: *Inunge oculos tuos non stibio diaboli, sed collyrio Christi*, inquit S. Cyprianus [9]. Ioseph. de Bello l. 5. c. 9. tradit Zelotes, qui Ierosolymis aderant, fuco faciem, & oculos sibi oblinire consuevisse. Et Iuvenalis ipse ita ævi sui hoc vitium perstringit Satyr. 2.

Ille supercilium madida fuligine tinctum
Obliqua producit acu, pingitque trementes
Attollens oculos.

Xenophon l. 1. & 8. Cyropæd. hunc apud Medos, & Persas morem viguisse probat; & apud Græcos quoque id in more fuisse positum, non pauci auctores testantur. Scriptura actionem Iezabel vehementi ratione describit, cum ait [10], ipsam *posuisse oculos suos in stibio*, vel antimonio, veluti ad innuendum, ipsam oculos in fuco immersisse, eosque madefecisse.

℣. 31. NUMQUID PAX POTERIT ESSE ZAMBRI?] Hebraice [11]: *omnia recte procedunt Zambri Domini sui interfectori?* Quid isthic moliris, recens Zambri, postquam Regem, ac Dominum tuum interfeceris? Liquet, Zambri olim occidisse Elam Regem Israel. Jezabel per irrisionem vocat Iehu, nomine Zambri, ut illi crimen suum exprobret, & simul illi minitetur eamdem mortem, qua Zambri interiit; hic non satis diu gavisus est sui criminis fructu; verum se se debuit in ædibus suis comburere paullo post quam Regnum usurpaverat 3. Reg. 16.

℣. 32. LEVAVIT JEHU FACIEM SUAM AD FENESTRAM, & AIT: QUÆ EST ISTA?] Iezabel ascenderat super murum, vel potius super portam Iezrahel, ubi docuimus alibi, cubiculum fuisse, & vigiliarum stationem: cum Iehu urbem ingressurus esset, audiit Iezabel sibi dicentem ea, quæ superiori versiculo vidimus. Tunc sciscitatus, num ibi aliquis partium suarum adesset (Hebraice [12]: *Quis ibi adest, qui meus sit?*) duo servi se illi ostentarunt, quibus præcepit, ut Reginam de fenestra præcipitem darent; dicto audientes fuere, & Iezabel cecidit in antemuralis circuitum, ubi a canibus devorata fuit, quemadmodum jampridem Elias futurum prædixerat. Vide 3. Regum 21. 23.

℣. 34. FILIA REGIS EST.] Filia Regis, Tyri, uxor Regis Achab, mater Ioram Regis Israel, Ioram Regis Iuda noverca, & avia Ochoziæ Regis Iuda.

℣. 36. IN AGRO JEZRAHEL COMEDENT CANES CARNEM JEZABEL.] Dictum est libro superiori [13], futurum ut canes

1 3. Reg. 21. 18. 19. 2 Grotius hic. 3 Vide Tavern. Itin. Pers. l. 1. c. 7. p. 193. Gabr. Sion. de mor. Orient. c. 11. Jo. Bapt. Montalb. Rerum Turcic. 4 Chardin, Science des Perses tom. 2. p. 202. 5 Plin. l. 33. c. 6. 6 Petrus a Valle par. 2. ep. 17. 7 Vide fragm. Ctesiæ, & Athen. l. 12. 8 Cyprian. de Lapsis; item de discipl. & cultu Virgin. 9 Idem de Opere, & eleemos. Vide, si lubet, Clem. Alex. Pædag. l. 2. 10 השים בפוך עיניה *Fuc* liquet esse radicem Latinorum *fucus*. 11 השלום זמרי הרג אדוניו 12 מי אתי מי 70. τίς εἶ σύ. Legerunt non secus ac Vulgata מי את כן 13 3. Reg. 21. 23.

canes devorent carnes Iezabel in antemurali Iezrahel : hic vero dicuntur vorandæ [1] *in hæreditate*, in agro Iezrahel. Prior posteriori locus lucem afferre debat, ut rite explicetur, quemadmodum supra adnotatum est.

℣. 37. UT PRÆTEREUNTES DICANT : HÆCCINE EST ILLA JEZABEL ?] Hebraice habetur [2] *ita ut non* A *dicatur amplius : Ecce Jezabel*. Corpus illius adeo discerptum est, ut illi neque monumentum extrui queat, & nomen illius penitus de viventium memoria deleatur. Nulla res videbitur, quæ memoriam cieat, ut dicere quis possit : Hoccine monumentum est Iezabel illius ?

---

1 בחלק יזרעאל 2 אשר לא יאמרו זאת איזבל

CAPUT X.

Jehu occidit septuaginta filios Achab Regis Israel, & duos supra quadraginta fratres Ochoziæ Regis Juda. Interficit quoque Pseudo-Prophetas Baal, illiusque Templum subvertit, & simulacrum comburit. Hazael Syriæ Rex plurimas refert de Israel victorias. Mors Jehu, cui succedit Joachaz.

1. ERant autem Achab septuaginta filii in Samaria : scripsit ergo Jehu litteras, & misit in Samariam ad optimates civitatis, & ad majores natu, & ad nutritios Achab, dicens: 2 Statim ut acceperitis litteras has, qui habetis filios domini vestri, & currus, & equos, & civitates firmas, & arma, 3 Eligite meliorem, & eum, qui vobis placuerit de filiis domini vestri, & eum ponite super solium patris sui, & pugnate pro domo domini vestri. 4 Timuerunt illi vehementer, & dixerunt : Ecce duo reges non potuerunt stare coram eo, & quomodo nos valebimus resistere ? 5 Miserunt ergo præpositi domus, & præfecti civitatis, & majores natu, & nutritii ad Jehu, dicentes: Servi tui sumus, quæcumque jusseris, faciemus, nec constituemus nobis regem: quæcumque tibi placent, fac. 6 Rescripsit autem eis litteras secundo, dicens: Si mei estis, & obeditis mihi, tollite capita filiorum domini vestri, & venite ad me hac eadem hora cras in Jezrahel. Porro filii regis, septuaginta viri, apud optimates civitatis nutriebantur. 7 Cumque venissent litteræ ad eos, tulerunt filios regis, & occiderunt septuaginta viros, & posuerunt capita eorum in cophinis, & miserunt ad eum in Jezrahel. 8 Venit autem nuntius, & indicavit ei, dicens: Attulerunt capita filiorum regis. Qui respondit: ponite ea ad duos acervos juxta introitum portæ usque mane. 9 Cumque diluxisset, egressus est, & stans dixit ad omnem populum : Justi estis : si ego conjuravi contra dominum meum, & interfeci eum, quis percussit omnes hos? 10 Videte ergo nunc, quoniam non cecidit de sermonibus Domini in terram : quos locutus est Dominus super domum Achab, & Dominus fecit, quod locutus est in manu servi sui Eliæ. 11 Percussit igitur Jehu omnes, qui reliqui erant de domo Achab in Jezrahel, & universos optimates ejus, & notos, & sacerdotes, donec non remanerent ex eo reliquiæ. 12 Et surrexit, & venit in Samariam: cumque venisset ad Cameram pastorum in via, 13 Invenit fratres Ochoziæ regis Juda, dixitque ad eos: Quinam estis vos? Qui responderunt : Fratres Ochoziæ sumus, & descendimus ad salutandos filios regis, & filios reginæ. 14 Qui ait: Comprehendite eos vivos. Quos cum comprehendissent vivos, jugulaverunt eos in cisterna juxta Cameram, quadraginta duos viros, & non reliquit ex eis quemquam. 15 Cumque abiisset inde, invenit Jonadab filium Rechab in occursum sibi, & benedixit ei. Et ait ad eum: Numquid est cor tuum rectum, sicut cor meum cum corde tuo? Et ait Jonadab: Est. Si est, inquit, da manum tuam. Qui dedit ei manum suam. At ille levavit eum ad se in currum: 16 Dixitque ad eum: Veni mecum: & vide zelum meum pro Domino. Et impositum in curru suo 17 Duxit in Samariam. Et percussit omnes, qui reliqui fuerant de Achab in Samaria usque ad unum, juxta verbum Domini, quod locutus est per Eliam. 18 Congregavit ergo Jehu omnem populum & dixit ad eos : Achab coluit Baal parum, ego autem colam eum amplius. 19 Nunc igitur omnes prophetas Baal, & universos servos ejus, & cunctos sacerdotes ipsius vocate ad me: nullus sit, qui non veniat, sacrificium enim grande est mihi Baal: quicumque defuerit, non vivet. Porro Jehu faciebat hoc insidiose, ut disperderet cultores Baal. 20 Et dixit: Sanctificate diem solemnem

Baal: Vocavitque, 21 Et misit in universos terminos Israel, & venerunt cuncti ser-
vi Baal. non fuit residuus ne unus quidem, qui non veniret. Et ingressi sunt tem-
plum Baal: & repleta est domus Baal, a summo usque ad summum. 22 Dixitque
his, qui erant super vestes: Proferte vestimenta universis servis Baal. Et protulerunt
eis vestes. 23 Ingressusque Jehu, & Jonadab filius Rechab, templum Baal, ait cul-
toribus Baal: Perquirite, & videte, ne quis forte vobiscum sit de servis Domini,
sed ut sint servi Baal soli. 24 Ingressi sunt igitur, ut facerent victimas, & holocau-
sta: Jehu autem præparaverat sibi foris octoginta viros, & dixerat eis: Quicumque
fugerit de hominibus his, quos ego adduxero in manus vestras, anima ejus erit pro
anima illius. 25 Factum est autem, cum completum esset holocaustum, præcepit Je-
hu militibus, & ducibus suis: Ingredimini, & percutite eos, nullus evadat. Percus-
seruntque eos in ore gladii, & projecerunt milites, & duces: & ierunt in civitatem
templi Baal. 26 Et protulerunt statuam de fano Baal, & combusserunt, 27 Et com-
minuerunt eam. Destruxerunt quoque ædem Baal, & fecerunt pro ea latrinas usque
in diem hanc. 28 Delevit itaque Jehu Baal de Israel. 29 Verumtamen a peccatis
Jeroboam filii Nabat, qui peccare fecit Israel, non recessit, nec dereliquit vitulos
aureos, qui erant in Bethel, & in Dan. 30 Dixit autem Dominus ad Jehu: Quia
studiose egisti, quod rectum erat, & placebat in oculis meis, & omnia, quæ erant
in corde meo fecisti contra domum Achab: filii tui usque ad quartam generationem
sedebunt super thronum Israel, 31 Porro Jehu non custodivit, ut ambularet in le-
ge Domini Dei Israel in toto corde suo: non enim recessit a peccatis Jeroboam, qui
peccare fecerat Israel. 32 In diebus illis cœpit Dominus tædere super Israel: per-
cussitque eos Hazael in universis finibus Israel, 33 A Jordane contra Orientalem
plagam, omnem terram Galaad, & Gad, & Ruben, & Manasse, ab Aroer, quæ est
super torrentem Arnon, & Galaad, & Basan. 34 Reliqua autem verborum Jehu, &
universa, quæ fecit, & fortitudo ejus, nonne hæc scripta sunt in Libro verborum
dierum regum Israel? 35 Et dormivit Jehu cum patribus suis, sepelieruntque eum
in Samaria: & regnavit Joachaz filius ejus pro eo. 36 Dies autem, quos regnavit
Jehu super Israel, viginti & octo anni sunt in Samaria.

ŷ. 1. ERANT ACHAB SEPTUAGINTA FILII.] A Hoc nequaquam incredibile est; plures enim habebat uxores. Alios novimus in Scriptura viros, qui frequentem habuere filiorum copiam. Gedeonis filii erant unus, & septuaginta; Tholæ triginta, Abdon quadraginta, & Roboam octo, & triginta. Filiorum nomine nepotes illius possunt intelligi; verum nulla nos necessitas cogit, ut ad hanc explicationem confugiamus. Textus ad litteram pressius potest intelligi.

MISIT IN SAMARIAM AD OPTIMATES CIVITATIS.] Hebraice [1]: *Misit in Samariam ad Optimates Jezabel*; mallem, *ad Optimates Israel*; vel cum Vulgata, & Septuaginta [2] ad optimates Samariæ. At Chaldæus, Syriaca versio, Arabica, & Interpretes, qui mordicus Hebraico hærent textui, *de optimatibus Jezra-* B *hel* intelligunt. Ajunt autem, Optimates Jezrahel, & nutritios filiorum Achab, ut se una cum alumnis suis furori Jehu subriperent, cum hic ingrederetur in Jezrahel, in Samariam se recepisse, quæ Regni caput erat, & par, ut obsidionem Jehu ferre posset. At hæc omnia sine ullo argumento afferuntur. Legimus ŷ. 4. eos, ad quos Jehu miserat, qui erant *præpositi domus, & præfecti civitatis, & majores natu, & nutritii*, respondisse illi, se illius mandata facturos. Hi viri loquuntur velut Samariæ cives, ubi ipsorum esset & sedes, & dignitas. Textus ne C verbum quidem affert, quod ipsos e Jezrahel fuisse innuat; immo oppositum adnotatur.

AD NUTRITIOS ACHAB.] Ad Optimates illos civitatis, qui, uti videbimus infra ŷ. 5. alebant septuaginta filios Achab. Textus ad litteram habet; *ad Nutritios Achab*, ad præceptores Achab, ad eos, qui illum ab adolescentia instituerant, ad Consiliarios ejus [3]; at plerique [4] id intelligunt eo in sensu, quem primum exposuimus, & cui decursus omnino favet. Hic plane mos erat, ut Regum filii apud Optimates præcipuarum civitatum alerentur. Isaias loquens de Israelitarum felicitate post eorumdem captivitatem, ait Reges fore nutritios eorum, & Reginas nutrices [5]. Roboam Rex Juda filios suos in melioribus Juda, & Benjamin civitatibus voluit educari [6].

ŷ. 3. ELIGITE MELIOREM . . . , & EUM PONITE SUPER SOLIUM PATRIS SUI, & PUGNATE PRO DOMO DOMINI VESTRI.] Insolentes litteræ, captiosæ, illusoriæ. Samariæ civibus bellum indicit summa cum jactantia, & contemptu; eorum fidem erga domum Achab labefactare conatur: at eo verborum apparatu, ut se nihil timere sentiant, verum eorum illudere infirmitati.

ŷ. 8. PONITE EA AD DUOS ACERVOS JUXTA INTROITUM PORTÆ, USQUE MANE.] Qui Principum parvulorum capita afferebant, noctu accessere [7]; & quin urbem ingrederentur, imperatum est militibus, ut accepta capita in portæ civitatis aditu, ubi cœtus haberi, & nundinæ fieri consueverant, ponerent, ut a populo universo agnoscerentur.

ŷ. 9. SI ERGO CONJURAVI CONTRA DOMINUM MEUM, & INTERFECI EUM, QUIS PERCUSSIT OMNES HOS?]

1 וישלח שמרון אל שרי יזרעאל 2 70. πρὸς τοὺς ἄρχοντας Σαμαρείας. 3 Malv. Arab.
4 Syr. Vat. alii passim. 5 Isai. 49. 23.
6 2. Par. 11. 23. juxta Hebr. ויבן ויפרץ מכל בניו לכל ארצות יהודה
7 Vatab. Menoch.

nos?] Versutum Jehu consilium, ac improba politica perspicue satis in hoc facto, ut sermone se se prodit. Ut aliquomodo crimen suum probet, & horrorem, ac odium in populi animis imminuat, alios criminis participes sociosque quærit; eosque omnes in partes suas, & conjurationis scelus trahere conatur, quos adegerat, ut filios Achab occiderent. Populus, licet resistere voluisset Jehu, non consilium, non caput, non auctorem ex Principibus nationis suæ reperisset; ipsi quoque conjuraverant ad integrum excidium Achab, & domus illius, in quam crudeliter adeo deſævierant. Fateor quidem, me in Dominum meum conjurasse, inquit Jehu, & cruentas manus in ipsum intulisse; at nocentior fortasse sum, quam amici, Consiliarii, & Præfecti Achab? Non dissimulo crimen; at cum illud Primores populi probarint, ipsi quoque gladios in domum Achab distringentes, cumque cœptis meis mirabilis adeo effectus responderit; non ne hæc satis, superque probant, me a Deo suscitatum fuisse, vobisque isthic manus Dei potentiam esse agnoscendam? Argumentum fallax, & captiosum.

℣. 11. Percussit Jehu .... universos Optimates ejus, & notos, & Sacerdotes.] Pepercit ne perfidis illis Principibus, qui filios Achab occiderant? Scriptura non asserit explicite a Jehu inter emptos fuisse; at nihil obest, quo minus eos comprehendamus sub eorum nomine, qui isthic Optimates, familiares, & idololatriæ suæ ministri vocantur. Chaldæus, & Arabs hoc intelligunt de *Primoribus Regni, Regisque consanguineis, & amicis*. Syriaca autem versio de cognatis, & sacrificulis Regis. Non desunt [1], qui putent, *Sacerdotes Achab* esse Principes Aulicos, qui Sacerdotes vocantur eodem pacto, quo Filii David in ædibus Regis patris sui nomine eodem nuncupabantur [2]. Septuaginta quædam exemplaria [3] pro *Amicis Achab* legunt *cognitores*; hoc est divinatores, Magos, qui futura se gloriantur præscire, qui in Levitico appellantur nomine [4], quod haud multum abludit ab eo, quod isthic legimus in textu.

℣. 12. Cumque venisset ad Cameram Pastorum.] Nonnulli Hebraicum textum [5] ita reddunt: *cum ea esset in loco, ubi Pastores alligant oves ad tondendum*. Septuaginta authographi vocem servarunt [6]: *Cum esset in Betakad Pastorum*. Aquila, *in domo eorum, qui se se incurvant*. Symmachus, *in domo pastorum, qui soli sunt*. Quæ omnia nullum satis perspicuum adferunt sensum [7]. Eusebius ait Betha-Kad sitam esse in magno Campo quindecim circiter passuum millibus a Legione. Scriptura 1. Reg. 7. 11. loquitur de loco, cui nomen *Beth-Kar*.

℣. 13. Invenit fratres Ochoziæ.] Jehu quidem incredibili diligentia usum fuisse oportet in iis omnibus, quæ vidimus; quandoquidem præoccupare potuit rumores, qui naturaliter se rapidissima pernicitate debebant effundere, quemadmodum fieri assolet, cum de rebus maximi momenti agatur. Reges duo, unaque Regina cæsi, omnis Regis Israel familia deleta, generalis Reipublicæ perturbatio, nondum in Jerusalem nuntiata fuerant, quæ non aberat a Jezrahel quinque supra viginti leucas, licet Ochozias Rex Juda alter esset ex mortuis Regibus: neque secius hæc in Betakad ignorabantur, quæ erat inter Samariam & Jezrahel, ubi horribilem hanc Jehu luserat tragediam. Pro *fratribus Ochoziæ*, intelligi possunt cognati, affines, nepotesque illius: germanos enim fratres nullos illi fuisse satis constat; saltem nulli erant filii Joram, & Athaliæ, ut ipse; legimus enim in 2. Paralip. 21. 17. Deum misisse in Juda Philisthinos, & Arabes, qui interfecerunt filios, & uxores Joram, ita ut unus superesset Joachas, aliter Ochozias, qui mortem effugit, idque ut adimpleretur vaticinium Eliæ in epistola ad Joram expressum [8]. Legimus etiam in libro eodem c. 22. 8. eos, qui inventi, interfectique fuerunt a Jehu, fuisse Principes Juda, & filios fratrum Ochoziæ, qui Principi inserviebant: *Invenit Principes Juda, & filios fratrum Ochoziæ, qui ministrabant ei; & interfecit illos*.

℣. 15. Invenit Jonadab filium Rechab .... & benedixit ei;] hoc est salutavit illum, *& ait ad eum: numquid est cor meum rectum cum corde tuo?* Num ea corde amicus meus es, ut ego tuus? Es ne in partibus meis, meisque commodis studes? Rechab pater Jonadab celebrem sectam instituit, quæ de nomine ipsius Rechabitarum appellabatur; hi originem suam ferebant a Jetro Moysis socero, & a Cinæorum progenie; eorum vero institutionem, vivendique rationem prolixius intuebimur in Commentariis nostris in Jeremiam 35. 6. qui illis plurimas laudes impertit.

Da manum tuam,] in concordiæ, pacis, & amicitiæ signum. Vel simpliciter Jehu dedit illi manum, ut secum ascendenti currum opem ferret.

℣. 18. Achab coluit Baal parum, ego autem colam eum amplius.] Eo cultu prosequar Baal, ut licet summa observantia eum coluerit Achab, appareat id parum fuisse, conferentibus meam cum illius religione. Hoc mendacium est, ac nova Jehu versutia. Si re adhuc integra se persequi velle edixisset adoratores Baal, & numinis ejusdem Sacerdotes, & pseudo-Prophetas, hi fugam sane corripuissent, & tenebras quæritassent, ita ut Jehu minime posset divinis parere imperiis; quamobrem eos omnes simul callide colligit, ut eos perdat, quin ne unus quidem effugiat. Zelum ipsius Deus remuneratus est, mendacium vero, non item.

℣. 20. Sanctificate diem solemnem Baal.] Hebraice ad litteram [9]: *sanctificate interdictum*, prohibitionem, ne quis labori operam navet, vel ne absit, cœtum generalem, festivitatem solemnem, *in honorem Baal; & illi vocaverunt*, vel coegerunt populum. Alibi, nec semel, vidimus *sanctificare* usurpari pro generali edicto festivitatis celebrandæ, vel jejunii servandi, vel cœtus Religionis cogendi, vel alius cujuspiam populi conventus, cum de rerum summa agatur, vel Reipublicæ ergo, vel ad Dei honorem. Vide, quid dictum sit supra 3. Reg. 21. 9.

℣. 21. Repleta est domus Baal, a summo usque ad summum.] Hebraice [10], *ab uno ore ad aliud*, amphoræ instar, quæ adeo plena est, ut exundet. Chaldæus, *ab angulo ad alium*. Vatablus *ab ora in oram*.

℣. 22. Dixit his, qui erant super vestes;] dixit scilicet vestiarii præfecto, cui cura est vestium domus Regiæ; vel illis, quibus cura demandata erat ornatuum, quibus utebantur in cæremoniis cultus Baal. Idololatræ summopere appetebant exteriorem cultum cæremoniarum suarum, quæ præcipua pars erat Religionis ipsorum. Sacerdotes Baal plane lineis vestibus induebantur, principes vero Sacerdotum procul dubio peculiarem quemdam habebant ornatum, quo distinguebantur. Cum Baal, & Astarte Numina essent Phœnicum, propius fidei est, Phœnicio cultu in eorum templo celebrari consuevisse. Silius Italicus, quænam esset Phœnicum sacerdotum vestis, satis prodit, describens Sacrificatores Herculis Gaditani, qui non polymitia utebantur vestibus, sed tunica, & pileo lineis: nulla præcingebantur zona; sed coram vestis circumquaque prætexta erat colorata

1 Grot. Sanct. 2 2. Reg. 8. 18. 3 Τοὺς γνώστας, τοὺς μάντεις, τοὺς ἐπαγγελλομένους εἰδέναι τὰ μέλλοντα, inquit Theodoret. qu. 32. Legerunt מידעיו loco ידעניו 4 Levit. 19. 31. אל הידענים 5 בית עקד הרעים 6 αὐτὸς ἐν Βαιθακὰδ τῶν ποιμένων. 7 Vide, si lubet, Drus. 8 Vide 2. Par. 21. 12. 14. 9 קדשו עצרה לבעל ויקראו 10 פה לפה. 70. στόμα εἰς στόμα.

A rata tænia, *lato clavo* perſimili, quem Romani Senatores geſtabant. Silius Ital. l. 3.

. . . . . . Nec diſcolor ulli
Ante aras cultus: velantur corpora lino,
Et peluſiaco præfulget ſtamine vertex.
Diſcinctis mos thura dare, atque e lege parentum,
Sacrificam lato veſtem diſtinguere clavo.

℣. 24. INGRESSI SUNT IGITUR, UT FACERENT VICTIMAS.] Texrus ad litteram innuit, ipſos tunc in templum ingreſſos eſſe; at illuc jam pridem erant ingreſſi [1]; ac in Templo eodem ipſis ſacræ veſtes diſtributæ fuiſſe videntur. *Ingreſſi ſunt* poſitum eſt pro *ingreſſi erant*.

℣. 25. MILITIBUS, & DUCIBUS SUIS.] Hebraice [2], *curſoribus ſuis, & ſchaliſchims*. Curſores ſunt ſatellites; Adonias filius David cum regiam præſefer- B re ſpeciem vellet, comparavit ſibi currus, & equites, *& quinquaginta viros, qui currerent ante eum* 3. Reg. 1. 5. & Samuel Hebræis oſtentans, quid ipſis ab Rege eſſet expectandum: *Filios veſtros tollet*, inquit, 1. Reg. 8. 11. *& ponet in curribus ſuis, facietque ſibi equites, & præcurſores quadrigarum ſuarum*. Hi ergo curſores pedeſtris militiæ ſatellites fuiſſe videntur. Quoad *Schaliſchims* hi erant e præcipuis Regni Mioiſtris, quemadmodum vidimus in Exod. cap. 14. 7.

PERCUSSERUNTQUE EOS IN ORE GLADII, & PROJECERUNT MILITES, & DUCES: & IERUNT IN CIVITATEM TEMPLI BAAL.] Quænam erat hæc civitas, ubi ſderat Templum Baal? Hæc plane erat Samaria Regni Ifrsel caput. Quæ ſi vera ſunt, quod- C nam ergo erat hoc templum, ubi jugulati fuerant omnes Sacerdotes Baal? Credibile ne eſt, Jehu eos nequaquam coegiſſe in maximum templorum omnium civitatis, hoc ſuppoſito, quod plura eidem numini ibidem templa eſſent dicata? Credi poteſt, ipſum coegiſſe primum omnes Sacerdotes Baal in Templum extra Samariam, fortaſſe, ut populi turbas evitaret, & ne quis e Sacerdotibus fugiens dilaberetur; mox vero milites in aliud miſiſſe templum, quod erat in civitate: vel poſt cæſos omnes Sacerdotes Baal in Samaritano templo, in aliam proximam civitatem, vel etiam in alias quaſcumque civitates, ubi Templa aderant dicata Baal, milites ſuos dimiſiſſe. En porro Hebraicum textum ad litteram [3]; *interfecerunt, & abjecerunt* (hoc eſt juxta Ludovicum de Dieu, D jecerunt ſe ſe, ſu ſe proripuerunt de Templo Baal, præcipiti curſu egreſſi ſunt. Revera cur abjicere debebant extra templum Sacerdotum corpora, quæ ceciderant?) *& iverunt uſque ad civitatem templi Baal*, in urbem ſcilicet, cui nomen *Templum Baal*. Nonnulli reddunt [4]: *& reverſi ſunt in civitatem in Templum Baal*. Alii [5]: Iverunt, pervaſerunt in imam, ac magis ſecretam partem, in adytum, & ut ita dicam, *ad arcem uſque Templi Baal*.

℣. 27. FECERUNT PRO EA LATRINAS [6].] Templum Baal in latrinas converſum eſt, ubi populus alvum exoneraret. Vide pœnam eamdem apud 1. Eſd. 6. 11. Rex Artaxerſes in edicto ſuo in Judæorum gratiam edito, minitatur ſe in latrinas converſurum eorum domos, qui mandatis ſuis non paruiſſent. Quod idem in Daniele intuemur c. 2. ℣. 5. & plura hujuſmodi ſuppetunt in Orientis hiſtoriis exempla.

℣. 29. NEC DERELIQUIT VITULOS AUREOS.] ob Politicam impietatem, veritus, ne ſi antiquam Religionem inſtauraret, populi ad domus David imperium reverterentur; quod conſilium uti perdiderat & Jeroboamum, & univerſum Iſrael, ita pleriſque illius ſucceſſoribus lapis fuit offenſionis.

℣. 30. QUIA STUDIOSE EGISTI, QUOD RECTUM ERAT . . . . FILII TUI USQUE AD QUARTAM GENERATIONEM SEDEBUNT SUPER THRONUM ISRAEL.] Jehu ſatis fideliter juſtiſſima Dei executus fuerat imperia, omnem domum Achab evertens, cultum Baal delens, & Dominum contra Sacerdotes, & Pſeudo-Prophetas exterarum Gentium ulciſcens. At excuſari ne poteſt hujus principis contra Dominum defectio? Defendi poteſt nex illata Ochoziæ Regi Juda? Abſolvi poteſt, cum aureorum vitulorum adhæſerit cultui, & improbum Jeroboami conſilium fuerit imitatus, neque ex corde ambulaverit in viis Domini, qua de re ſequenti verſiculo a Scriptura exprobratur? Quapropter pro præmiis æternis parvola hæc illi a Deo collata merces eſt temporalis, eum ipſe, & familia ipſius ad quartam uſque generationem ſuper thronum Iſrael fuerint conſtituti [7] propter illius obedientiam, qua Domini præcepta eſt executus. Quatuor poſteri Jehu, qui regnum Iſrael poſſederunt, ſunt Joachaz, Joas, Jeroboam ſecundus, & Zacharias [8]. Videri poſſunt in Oſee caput 1. ℣. 4. minæ, quas illi intentaverat Deus, eo quod injuſte ſanguinem in Jezrahel effudiſſet. Achab, & Joram ſontes quidem erant; num ergo Jehu erat inſons?

℣. 32. CÆPIT DOMINUS TÆDERE SUPER ISRAEL.] Cæpit tædio affici, ac faſtidire Iſrael: Iſrael factus eſt Domino moroſus, & gravis. Hebraice [9]: *Dominus cæpit abſcindere*, imminuere, delere Iſrael; permiſit Deus, ut veluti diſcerperetur, ac pars quædam imperio Iſrael adimeretur. Hazael Rex Syriæ tunc incæpit adimplere funeſta Eliſæi vaticinia adverſus Regnum Iſrael [10]; omnemque regionem trans Jordanem vaſtavit. Jehu deſeruerat Ramoth Galaad, quæ ea in regione erat poſita, cumque reverſus eſſet cum exercitu ſuo Samariam, Hazael illius abſentia uſus, dum ille diſtinebatur, ut regnum Joram ſibi compararet, illiuſque poſſeſſionem ſibi ratam faceret, alteram Regni hujus partem, quæ trans Jordanem erat, igni, & ferro delevit.

---

1 Vide ℣. 21. & 25.
2 לרצים ולשלישים
3 ויכום לפי חרב וישלכו הרצים . . . . וילכו עד עיר בית הבעל
4 Piſcator
5 Oſiand.
6 למחראות 70. εἰς λυτρῶνα. Alius, εἰς κοπρῶνα.
7 Aug. l. 2. contra Mend. c. 2. *Quid ei profuit quod pro nonnulla obedientia, . . . aliquantam mercedem tranſitoriam regni temporalis accepit?*
8 Vide 4. Reg. 15. 12. & Amos 7. 9.
9 החל יהוה לקצות בישראל
10 Vide ſupra cap. 8. 12.

CAPUT XI.

Athalia omnem Regiam progeniem trucidat, & ſolium occupat. Joas Ochoziæ filius ſervatur, atque ad regnum evehitur a Summo Sacerdote Jojada. Athalia necatur.

1. ATHalia vero mater Ochoziæ, videns mortuum filium ſuum, ſurrexit, & interfecit omne ſemen regium. 2 Tollens autem Joſaba filia regis Joram, ſoror Ochoziæ, Joas filium Ochoziæ, furata eſt eum de medio filiorum regis, qui interficiebantur, & nutricem ejus de triclinio: & abſcondit eum a facie Athaliæ, ut

non

non interficeretur. 3 Eratque cum ea sex annis clam in domo Domini : porro Atha-
lia regnavit super terram. 4 Anno autem septimo misit Jojada, & assumens centurio-
nes, & milites, introduxit ad se in templum Domini, pepigitque cum eis fœdus : &
adjurans eos in domo Domini, ostendit eis filium regis : 5 Et præcepit illis, dicens :
Iste est sermo, quem facere debetis. 6 Tertia pars vestrum introeat sabbatho, & ob-
servet excubias domus regis. Tertia autem pars sit ad portam Sur : & tertia pars sit ad
portam, quæ est post habitaculum scutariorum : & custodietis excubias domus Messa.
7 Duæ vero partes e vobis, omnes egredientes sabbatho, custodiant excubias domus
Domini circa regem. 8 Et vallabitis eum, habentes arma in manibus vestris: si quis
autem ingressus fuerit septum templi, interficiatur : eritisque cum rege introeunte, &
egrediente. 9 Et fecerunt centuriones juxta omnia, quæ præceperat eis Jojada sacer-
dos : & assumentes singuli viros suos, qui ingrediebantur sabbathum, cum his, qui
egrediebantur sabbatho venerunt ad Jojadam sacerdotem. 10 Qui dedit eis hastas, &
arma regis David, quæ erant in domo Domini. 11 Et steterunt singuli habentes arma
in manu sua, a parte templi dextera, usque ad partem sinistram altaris, & ædis circum
regem. 12 Produxitque filium regis, & posuit super eum diadema, & testimonium :
feceruntque eum regem, & unxerunt : & plaudentes manu, dixerunt : Vivat rex.
13 Audivit autem Athalia vocem populi currentis : & ingressa ad turbas in templum
Domini, 14 Vidit regem stantem super tribunal juxta morem, & cantores, & tubas
prope eum, omnemque populum terræ lætantem, & canentem tubis, & scidit ve-
stimenta sua, clamavitque : Conjuratio, conjuratio. 15 Præcepit autem Jojada Cen-
turionibus, qui erant super exercitum, & ait eis : Educite eam extra septa Templi, &
quicumque eam secutus fuerit, feriatur gladio. Dixerat enim Sacerdos : Non occida-
tur in Templo Domini. 16 Imposuerunt ei manus, & impegerunt eam per viam introi-
tus equorum, juxta Palatium, & interfecta est ibi. 17 Pepigit ergo Jojada fœdus in-
ter Dominum, & inter Regem, & inter populum, ut esset populus Domini : & inter
Regem, & populum. 18 Ingressusque est omnis populus terræ Templum Baal, & de-
struxerunt aras ejus, & imagines contriverunt valide : Mathan quoque Sacerdotem Baal
occiderunt coram Altari. Et posuit Sacerdos custodias in domo Domini. 19 Tulit-
que Centuriones, & Cerethi, & Phelethi legiones, & omnem populum terræ, dedu-
xeruntque Regem de domo Domini : & venerunt per viam portæ scutariorum in Pa-
latium, & sedit super thronum Regum. 20 Lætatusque est omnis populus terræ,
& civitas conquievit : Athalia autem occisa est gladio in domo Regis. 21 Septem-
que annorum erat Joas, cum regnare cœpisset.

℣. 1. ATHALIA .... VIDENS MORTUUM FILIUM SUUM, SURREXIT, & INTERFECIT OMNE SEMEN REGIUM.] Ecce crudelissimum ambitionis, & regnandi cupiditatis exemplum inter cætera, quæ nobis Historia reliquerit, maxime horrendum. Athalia videns Regem filium suum cum plerisque cognatis Regis cæsum, dum nepotes parvulos in regni spem alere debebat, eosque veluti materna charitate complecti, sævissimum aggreditur facinus, eosque omnes jugulari jubet, ut pro illis sola regnum obtineat. Ea, quæ de Agrippinæ matris Neronis crudelitate afferuntur, nonnisi imperfecte impiissimæ Athaliæ inhumanissimum scelus adumbrant.

℣. 2. TOLLENS AUTEM JOSABA .... JOAS FILIUM OCHOZIÆ, FURATA EST EUM DE MEDIO FILIORUM REGIS, QUI INTERFICIEBANTUR, & NUTRICEM EJUS DE TRICLINIO.] Josabat, vel Josabet, quemadmodum in 2. Paralipom. 22. 11. appellatur, soror erat Ochoziæ Regis Juda ; at facile ex alia matre nata [1] : nam quomodo Athaliam enecati fuisset assensa, si filia fuisset Athaliæ ? Josaba furtim surripiendum curavit Joas, qui tunc puer erat, de medio aliorum
A filiorum Regis, qui cædebantur ; cumque primum cum nutrice illius in suo conclavi celavit, mox vero in Templum misit, quod non fuit illi operosum ; Iojada enim vir illius summus erat Sacerdos. Hoc vero Hebraico textui magis conforme videtur [2] : nam pro his verbis ; *nutricem ejus de triclinio*, in textu legimus ; *furata est Joas, & nutricem illius in conclave cubilium* ; hoc est, juxta Interpretes plurimos [3], furata est eos, & abdidit illos in conclavi suo, ubi illa cubabat. Nemo nescit ibi gentium mulierum conclavia esse abditissima, & ab exterorum accessu longe seposita. Iuxta alios [4] abdidit eum in quodam Templi cubiculo, ubi Sacerdotes, qui Templo inserviebant, cubare consueverant.

Non desunt Interpretes [5], qui contendunt, Ioas
B nequaquam fuisse Ochoziæ filium secundum naturam, sed secundum successionis ordinem ; illi in Regnum successerat, sed e Nathan originem duxerat, ita ut directa Salomonis soboles in Ochozia defierit. Ioas rami alterius princeps fuit, qui quidem æque ac prior Davidem auctorem ferebat : si enim vere fuisset Ochoziæ filius, quid obfuisset, quo minus Athalia, hunc Regem constituens, nomine ipsius regnum invade-

1 Joseph. Antiqu. l. 9. c. 7. 2 ותגנב אתו ואת מנקתו בחדר המטות
3 Ita Chald. Syr. Grot. 4 Lyr. Tir. Marc. Cornel. Vat. Pisc. 5 Ita Erasm. & Faber, & Marc. ex Pseudo-Philone Annii. Vide Sanct. ad 4. Reg. 14. 18. & Can. l. 11. de locis.

vaderet? Verum ad Principum Ochoziæ cognatorum necem dicitur adacta fuisse, ne Regnum in alium ramum transferretur; quam illa suis crudelitatibus causam præbuit. Scriptura quidem palam non ait Ioas filium esse Ochoziæ, sed tantummodo abreptum fuisse de medio filiorum Ochoziæ, cum illi interficerentur. S. Matthæus hunc in Salomonis genealogia non refert; at hoc argumentum infirmum est; nam neque Sanctus Lucas illum in Nathan genealogia memorat; & præterea Ioas frequenter adeo, & hoc capite, & in Paralipomenis filius Regis vocatur, et nisi invicta, & aperta afferantur in contrarium argumenta, non video, alium hunc appingi patrem posse, quam Ochoziam. Denique auctoritates, quæ pro hac sententia congeruntur, nullius roboris sunt, cum solum operi innitantur Philoni supposito ab Annio Viterbensi.

℣. 3. ERATQUE CUM EA SEX ANNIS, CLAM IN DOMO DOMINI.] E conclavi Iosabæ secreto una cum nutrice sua translatus fuit in quoddam Templi conclave. Factum hoc adeo extraordinarium est, ut nulli mirum videri debeat, si summus Sacerdos se dispensare posse credidit super Lege, vel consuetudine, per quas mulieribus minime licebat cubare in conclavibus Templi, quæ destinata erant pro Sacerdotibus, qui Templo inserviebant.

ATHALIA REGNAVIT SUPER TERRAM.] Athalia cum Regiam progeniem Iuda, ut ipsa arbitrabatur, delesset cæde parvulorum ex David familia, Regno potita est nullo jure, ac se in eodem vi, & impotentia constituit. Mulieribus generatim ad regnum aditus erat interclusus. Præceperat Deus, ut Israelitæ de fratrum suorum numero illum assumerent, quem sibi Regem optarent. Athalia hoc jure jam regno prohibebatur; uti quoque, eo quod neque esset ex tribu Iuda, neque ex familia David, cui Deus regnum spoponderat [1]. Regnavit tamen, & sex annos imperium obtinuit.

℣. 4. ANNO SEPTIMO MISIT JOJADA, & ASSUMENS CENTURIONES, & MILITES.] Jojada summus Domini Sacerdos maxima etiam in civilibus rebus auctoritate pollebat. Dignitas ipsius eum potentissimo virorum cœtui, Sacerdotum scilicet, ac Levitarum præficiebat; & illius munus præcipui Iudicis, ac Præsidis Iustitiæ in natione sua singulare illi jus deferebat tuendi innocentiam oppressam, populi sui utilitatibus consulendi, & Athaliæ obsistendi, quæ injuria regnum usurpaverat. Particulari, ac personali præterea tenebatur officio, ut tueretur Ioas: Regis enim amitam uxorem duxerat, & arcta adeo affinitate cum Regum familia devinctus erat. Hic igitur Pontifex omnes nervos intendit, ut Regnum familiæ David restitueret, adolescentem Joas ad regni apicem patrumque suorum solium evehendo. Illi omnes aderant ex æquo virtutes, quæ opus erant, ut hoc cœptum ad finem perduceret: plurima sapientia, ac providentia, pro reipublicæ bono ardens charitas, virtus deinde, ac magnanimitas, & demum constans pietas erga Deum. Ut facilius hoc tantæ molis, tantique momenti e voto cederet, Jojada consilium suum detexit, inque partes suas pellexit quinque centuriones [2]: *Iniit fœdus cum iis*, eosque sacramento adegit, ut silentii fidem servarent; mox clam in omnes regiones dimisit, ut Levitis, ac optimatibus Juda præciperent, ut ad condictam diem in Jerusalem convenirent. Negotium hoc ea prudentia, & taciturnitate transactum est, ut Athaliæ scientiam fugerit, seu propter communem odium, quod propter sævitiam suam sibi conciliarat, seu propter reverentiam, qua omnes Jojadam prosequebantur, & amorem, quo quisque familiam David amplectebatur.

Jojada igitur coegit centuriones, & milites. Hebraice [3]: *Principes centum, carios, & Cursores*. Aquila, & Symmachus: *Centuriones, & cursores*. Credunt *cariorum* nomine intelligenda esse capita, ac principes satellitum Templi, qui tamen Centurionibus parebant. *Cursorum* vero nomine, Levitas simplices leviter armatos, ante quos ille in templum collectos, atque per sanctissima quæque Religionis mysteria jurare coactos summam silentii fidem se præstituros, produxit Regem adolescentulum Joas, effecitque, ut coram Domino illi pollicerentur, vel ut Scripturæ vocibus utar, *iniit cum iis fœdus*, ut pro viribus adniterentur Regem in avorum suorum solio restituturi.

Septimus annus, de quo hic sermo, septimus est ætatis Joas, qui natus erat anno 3119. eodem quo decesserat pater illius; Rex vero constitutus fuit anno 3126. Athalias sex dumtaxat plenis regnavit annis a 3120. ad 3126.

℣. 6. TERTIA PARS VESTRUM INTROEAT SABBATHO, & OBSERVET EXCUBIAS DOMUS REGIS.] Scilicet ad conclave, ubi parvulus Rex Joas in Templo habitabat; ubi adnotandum est, Sacerdotes, & Levitas per hebdomadarum vices domui Domini inservire consuevisse. Sabbatho incipiebant, eosque exsolvebant, qui superiori hebdomada inservierant; ideoque quolibet Sabbatho semper in Templo magnus aderat Sacerdotum, ac Levitarum numerus, tum ex urbe, tum ex agris, tum eorum, qui hebdomadæ vices auspicabantur, tum eorum, qui munere suo fungebantur perfuncti. Jojada ergo consulto diem Sabbathi elegit, ut Joas adolescentulus Rex inauguraretur, et maxima illis suppeteret militum manus, quin ulla suboriri posset Athaliæ suspicio, quæ jam hanc virorum affluentiam videre consueverat. Summus Sacerdos Levitas, qui in hebdomadam servire debebant, trifariam partitus est, ex quibus manus una ad Regium conclave in Templo agebat excubias; altera ad portam *Sur*, vel *Fundamenti*, uti in Paralipomenis vocatur [4], tertia vero ad occidentalem portam, qua patebat aditus a Regiis ædibus in Templum, *ad portam, quæ est post habitaculum scutariorum*.

Porta *Sur* præ cæteris hunc locum reddit præpeditum, & nomen *portæ Fundamenti*, quod illi tribuitur alibi, non majorem lucem affert. Itaque inter tot tenebras, fateri malim nos id fugere, quam aliquid temere in medium afferre. Quidquid in Versionibus, atque Interpretibus legimus, nihil satis firmum de vero illius situ nos docet.

CUSTODIETIS EXCUBIAS DOMUS MESSA.] Hæc domus Messa non minus fallit nos, quam porta *Sur*, de qua modo sumus locuti. Nonnulli hunc eum fuisse locum autumant, quo cineres de altare ublati abjiciebantur; ego vero reor idem esse, ac *Musach*, de quo sermo est infra cap. 16. 18. Hoc facile aliquod erat ædificium, vel tectum aliquod prope Templum, & extra illud, vel in atrio populi. Inter Musach, & *Mesach* Hebraice parvulum sane discrimen intercedit [5].

℣. 17. DUÆ VERO PARTES E VOBIS, OMNES EGREDIENTES SABBATHO CUSTODIANT EXCUBIAS DOMUS DOMINI CIRCA REGEM.] His Levitis id tantum onus impositum erat, ut Regem, veluti prætoriani milites tutarentur; aliis vero commissa erat cura portarum, ac aditnum Templi. Priores illi, qui Regi adesse debebant, bifariam divisi fuere, ad id profecto, ut illi duo Duces præficerentur, qui alternis sibi opem ferre, ac vices subire possent; ita ut nihilominus semper frequentes Regi præsto essent, quocumque se conferret.

Si

[1] Genes. 49. 10. & 2. Reg. 8. 12. [2] 2. Par. 23. 1. 2. *Jojada assumpsit Centuriones, & iniit cum iis fœdus . . . Qui circumeuntes Judam, congregaverunt Levitas de cunctis urbibus Juda, & principes familiarum Israel, veneruntque in Jerusalem.* [3] ויקח את שרי המאות לכרי ולרצים Aqu. τοὺς ἄρχοντας τῶν κατοντάδων, καὶ τοὺς τρέχοντας. Sym. τοὺς ἑκατοντάρχας, καὶ τοὺς παρατρέχοντας.

[4] 2. Par. 23. 5. בשער היסוד & 4. Reg. 11. 6. בשער סור [5] בית מסח, seu מסך

℣. 8. SI QUIS INGRESSUS FUERIT SEPTUM TEMPLI.] Hebraice [1] : *Quicumque ingredietur ordines, interficiatur.* Si quis per vim ingredi voluerit, & ordines vestros perturbare [2], capite plectatur. Hæ copiæ suam quæque stationem erant sortitæ. Vel, si quis ingressus fuerit septa, vel parietes, qui sunt in atrio populi, vel eos, qui sunt in atrio sacerdotali. Josephus l. 6. de Bel. c. 14. & Antiqu. l. 15. c. 14. palam de muro quodam loquitur, vel de septo, in atrio Israel posito, quod prætergredi alienigenis nefas erat. Ezechiel vero 41. 9. 10. de eo loquitur, quod aderat in atrio Sacerdotum.

℣. 10. DEDIT EIS HASTAS, & ARMA REGIS DAVID.] Arma, quæ Rex ille Domino consecraverat, & quæ post illius obitum in Templum fuerant illata. Vidimus supra 1. Reg. 16. 9. ipsum arma Goliath in Tabernaculo posuisse; ac in Paralipomenis videbimus [3] hunc eumdem, Duces, ac Imperatores exercituum Domino diversa munera obtulisse, quæ simul victoriæ suæ erant monumenta, quæ omnia in Templi conclavi quodam ad id constituto asservabantur, eorumque cura Sacerdoti erat commissa. Hinc profecto Jojada hausit arma, quibus Sacerdotes, & Levitæ, qui hac in occasione frequentiores, quam aliàs, aderant, præcingerentur. Levitæ enim, qui excubias agere consueverant, sua habebant arma, illisque fortasse singulis quædam aliæ armaturæ concessæ fuerunt, quibus passim minime utebantur. Hebraicus textus ad litteram habet [4] : *illis traditas fuisse hastas*, vel tela, *& clypeos Regis David.* Vel juxta alios [5] ; *hastas, & pharetras.* Josephus Antiqu. l. 9. c. 7. ait, David in Templo habuisse armamentarium quoddam, unde hæc arma Jojada est mutuatus.

℣. 11. STETERUNT . . . A PARTE TEMPLI DEXTERA, USQUE AD SINISTRAM.] Rex Joas egressus de conclavi suo productus fuit in medium atrii Sacerdotum, ubi visus est satellitibus circumfusus tum ad dexterum latus, hoc est meridiem, tum ad sinistrum hoc est, Septentrionem. Reor autem, hos satellites Levitas fuisse, qui hebdomadæ vicibus fuerant defuncti; namque, uti jam ostendimus, illi, qui in hebdomadæ officia subibant, ad portas agebant excubias, neque stationem suam deserere poterant. Ad portas atrii populi nullæ agebantur vigiliæ; verum omnibus, ut antea ultro, citroque commeare licebat; at custoditi fuerunt tantum aditus, qui a Regiis ædibus patebant in Templum, ne illac Reginæ satellites ingrederentur.

℣. 12. PRODUXITQUE FILIUM REGIS, & POSUIT SUPER EUM DIADEMA, & TESTIMONIUM.] Non desunt, qui putent capiti diadema, & Legis librum manui pro sceptro fuisse impositum; qui volumen fuisse dicitur e membranis, quibus inscriptus erat Deuteronomii articulus, qui Regis electionem, ejusque munera respicit [6], quæ membranæ ita circumactæ sceptri, vel scipionis formam referebant. Alii putant, caput illius corona decoratum fuisse, in cujus anteriori parte inserta erant *phylacteria*, seu verba Legis, quæ Israelita quilibet ante frontem gestare debebat [7]. Alii arbitrantur [8] diademati caput impositum fuisse, eumque Regiis vestibus indutum; vertunt autem, *& dedit illi coronam, & ornatum.* Josephus loco cit. ait, Jojadam, cum eum prius Regio diademate decorasset, regia unctione illum consecrasse, Regemque declarasse. At ego Textum ad litteram intelligere malim: Regis adolescentuli caput regio diademate, vel vitta exornatum est, qua frons illius præcincta fuit; mox vero super illum impositus fuit Legis liber, eodem ferme pacto, quo expetiisset Job 31. 35. capiti suo supremi Judicis sententiam imponere: *Quis mihi tribuat auditorem, ut desiderium meum audiat omnipotens: & librum scribat ipse, qui judicat, ut in humero meo portem illum, & circumdem illum, quasi coronam mihi.* Orientis populi, cum epistolam aliquam a summo quodam viro missam accipiunt, eam capiti suo imponunt, antequam resignent [9]. Alibi jam animadvertimus apud Reges Orientis deferendi diadematis consuetudinem. Amalecites ad Davidem attulit diadema Regis Saul 2. Regum 1. 10. David sibi conflari coronam jubet ex ea, quam a Melchom Ammonitarum Deo abripuerat 2. Reg. 12. 30. & Sponsa socias suas invitat, ut prodeant ad videndum *Regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua.* Cantic. 3. 3.

FECERUNT EUM REGEM, & UNXERUNT.] Regiam unctionem illi dederunt. Summus procul dubio Sacerdos Regis inungendi munere functus est, atque ad id oleo sacro usus est; quod asservabatur in Templo. Hæc tamen non erat communis consuetudo, ut omnes Reges Juda inungerentur; sed hoc tunc tantummodo præstabatur, cum aliqua in ipsorum electione difficultas adesset, vel cum illius possessio vocaretur in dubium. Salomon exempli gratia unctus fuit, propterea quod Adonias Regnum appetebat [10]; Joas vero, quod Athalia regnum invaserat.

℣. 14. VIDIT REGEM STANTEM SUPER TRIBUNAL.] Hebraice [11] : *sedentem super columnam*, vel stratum, vel solium. Hoc nomine passim elatus in Templo locus vocatur, ubi Rex sedere consueverat [12]. Salomon in Templo æreum solium extruxerat tribus cubitis altum, quinque latum; quod isthic columna nuncupatur.

℣. 15. EDUCITE EAM EXTRA SEPTA TEMPLI.] Hebraice [13] : *Educite eam extra ordines.* Educite eam de media satellitum statione, quo processit, ac ubi constitit, ac morte plectatur. Septuaginta; *Ejicite eam extra Saderoth*; qua voce credidit Josephus, torrentem Cedron innui, minime advertens *Saderoth* militum ordines significare.

℣. 16. IMPOSUERUNT EI MANUS, & IMPEGERUNT EAM PER VIAM INTROITUS EQUORUM.] Hebraicus Textus ita ad litteram redditur [14] : *miserunt illi manus, & illa venit per viam in introitus equorum.* Quamplures intelligunt hæc verba, *miserunt illi manus*, in hoc sensu, aditum illi aperuerunt. Illa igitur se obtulerat ad portam Templi, & excubiæ illi circumfusæ eam apprehenderant: at cum illis vetitum fuisset sanguinem in Templo effundere, eam egredi permiserunt; ordines aperuerunt, ut illi aditus pateret, & statim ac pervenit ad portam equorum, ibi cæsa fuit.

℣. 17. PEPIGIT JOJADA FOEDUS INTER DOMINUM, & INTER REGEM, & INTER POPULUM.] Jojada veluti hujus fœderis mediator Regem impulit, ut Deo juxta ipsius leges [15] intemerandam fidem polliceretur; seque illius cultui fideliter adhæsurum, ac populo se Regni Leges observaturum reciperet, & creditas sibi terras ab hostium irruptione tutaturum, donec ille dicto audiens fuisset; demum coegit populi Optimates, ut vicissim Reipublicæ nomine Regi perfectam sponderent obedientiam, ac Domini imperiis, & Reipublicæ Legibus conformem; sursusque recenti se adigerent sacramento, ac profiterentur palam,

se

---

1 הבא אל השדרות יומת 2 Ita Jonath. Syr. Arab. & Interpr. pleriq.

3 2. Par. 26. 22. *Ipse Selomith, & fratres ejus super thesauros Sanctorum, quæ sanctificavit David Rex, & Principes familiarum, & Tribuni, & Centuriones, & Duces exercitus.*

4 החנית ואת השלטים אשר למלך דוד 5 Syriac. Arab. 6 Deuter. 17. 18.

7 Exod. 13. 9. *Erit quasi monumentum ante oculos tuos.* Ita Grot. ex Rabb.

8 Pagn. Vatab. 9 Vide Paulum Lucam t. 1. c. 2. Itiner. Orient. & Thevenot. c. 48. Bernier tom. 2. Evenement des Etats du Mogol p. 70. &c. 10 3. Reg. 1. 39. 11 עמד על העמוד

12 2. Par. 6. 13. & 4. Reg. 23. 3. *Stetitque Rex super gradum.* 13 הוציאו אותה אל מבית לשדרות

14 וישמו לה ידים ותבוא דרך מבוא הסוסים 15 Deuter. 17. 16.

ſe Domino ſemper fideles fore juxta fœderis condi- A
tiones, quod olim cum patribus ſuis in Sinai fuerat ſancitum. Vide Exod. 19. 5.

℣. 18. INGRESSUS EST OMNIS POPULUS TERRÆ TEMPLUM BAAL.] Athalia omnibus imbuta ſuperſtitionibus matris ſuæ Jezabel, vel invexerat, vel ſaltem revocarat Phœnicum Deorum cultum in Juda. Salomon [1] inanibus Diis in monte Olivarum e conſpectu Jeruſalem templum extruxerat, atque haud abhorret a fide, illic Athaliam Deum Baal fuiſſe veneratam. In 2. Paralip. 24. 7. legimus, Athaliam, & filios illius ex Templo Domini pulcherrima, & pretioſiſſima quæque abripuiſſe, ut Templum Baal exornaret. Non igitur immerito ſummus Sacerdos Jojada, ut regnum ſuum reformaret, ab impiiſſimi hujus Templi excidio orſus eſt.

POSUIT SACERDOS CUSTODIAS IN DOMO DOMINI.] Reſtituit veterem conſuetudinem conſtituendi excubias *in portis Domus Domini, ut non ingrederetur eam immundus in omni re*. Vide 2. Paralip. 23. 19. Dum ſuperiores Reges imperarent, non potuit libere adeo, & facile cæremoniarum ordo in Templo ſervari, propterea quod Principes parum erant Religionis obſervatores.

℣. 19. TULITQUE CENTURIONES, & CERETHI, & PHELETHI LEGIONES.] Hebraicus Textus [2] neque de Cerethi, neque de Phelethi loquitur, ſed habet ſimpliciter *Centuriones*, vel Principes centum virorum, *arietes, & curſores*; quæ nomina ſuperius offendimus ℣. 4. Capitis hujus. In authographo Librorum Regum Textu poſt David regnum, Cerethi, & Phelethi nullibi memorantur.

SEDIT SUPER THRONUM REGUM.] Super magnificum eburneum ſolium, quod Salomon ſibi, ac ſucceſſoribus ſuis poſuerat 3. Reg. 10. 18. Athalia in Templum per meridionalem portam erat ingreſſa, & per eamdem egreſſa fuerat. Joas vero in Regias ædes deductus fuit *per viam portæ ſcutariorum*, hoc eſt, per portam occiduam.

1 3. Reg. 11. 5. 7. Vide pariter 4. Reg. 23. 13.

2 ויקח את שרי המאות ואת הכרי ואת הרצים

CAPUT XII.

Joas Templum Domini inſtaurari jubet. Hazael Rex Syriæ obſidet urbem Geth, cumque ſe mox Jeruſalem obſeſſurum minitaretur, Joas ad illum mittit omnes Templi, ac Palatii theſauros, ut illum avertat. Joas moritur, illique ſuccedit Amaſias.

1. ANno ſeptimo Jehu, regnavit Joas: & quadraginta annis regnavit in Je-
ruſalem: nomen matris ejus Sebia de Berſabee. 2 Fecitque Joas rectum
coram Domino cunctis diebus, quibus docuit eum Jojada ſacerdos. 3 Ve-
rumtamen excelſa non abſtulit: adhuc enim populus immolabat, & adolebat in ex-
celſis incenſum. 4 Dixitque Joas ad ſacerdotes: Omnem pecuniam ſanctorum, quæ
illata fuerit in templum Domini a prætereuntibus, quæ offertur pro pretio animæ,
& quam ſponte, & arbitrio cordis ſui inferunt in templum Domini: 5 Accipiant
illam ſacerdotes juxta ordinem ſuum, & inſtaurent ſartatecta domus, ſiquidem ne-
ceſſarium viderint inſtauratione. 6 Igitur uſque ad vigeſimum tertium annum regis
Joas non inſtauraverunt ſacerdotes ſartatecta templi. 7 Vocavitque rex Joas Joja-
dam pontificem, & ſacerdotes, dicens eis: Quare ſartatecta non inſtauratis templi?
nolite ergo amplius accipere pecuniam juxta ordinem veſtrum, ſed ad inſtaurationem
templi reddite eam. 8 Prohibitique ſunt ſacerdotes ultra accipere pecuniam a popu-
lo, & inſtaurare ſartatecta domus. 9 Et tulit Jojada pontifex gazophylacium unum,
aperuitque foramen deſuper, & poſuit illud juxta altare ad dexteram ingredientium
domum Domini, mittebantque in eo ſacerdotes, qui cuſtodiebant oſtia, omnem
pecuniam, quæ deferebatur ad templum Domini. 10 Cumque viderent nimiam pe-
cuniam eſſe in gazophylacio, aſcendebat ſcriba regis, & pontifex, effundebantque, &
numerabant pecuniam, quæ inveniebatur in domo Domini. 11 Et dabant eam juxta
numerum, atque menſuram, in manu eorum, qui præerant cæmentariis domus Do-
mini: qui impendebant eam in fabris lignorum, & in cæmentariis iis, qui opera-
bantur in domo domini. 12 Et ſartatecta faciebant, & in iis, qui cædebant ſaxa,
& ut emerent ligna, & lapides, qui excidebantur, ita ut impleretur inſtauratio do-
mus Domini: in univerſis, quæ indigebant expenſa ad muniendam domum. 13
Verumtamen non fiebant ex eadem pecunia hydriæ templi Domini, & fuſcinulæ,
& thuribula, & tubæ, & omne vas aureum, & argenteum, de pecunia, quæ in-
ferebatur in templum Domini. 14 Iis enim, qui faciebant opus, dabatur, ut in-
ſtauraretur templum Domini. 15 Ita non fiebat ratio iis hominibus, qui accipie-
bant pecuniam, ut diſtribuerent eam artificibus, ſed in fide tractabant eam. 16
Pecuniam vero pro delicto, & pecuniam pro peccatis non inferebant in templum
Domini,

Domini; quia sacerdotum erat. 17 Tunc ascendit Hazael rex Syriæ, & pugnabat
contra Geth, cepitque eam, & direxit faciem suam, ut ascenderet in Jerusalem.
18 Quam ob rem tulit Joas rex Juda omnia sanctificata, quæ consecraverant Josa-
phat, & Joram, & Ochozias, patres ejus reges Juda, & quæ ipse obtulerat: &
universum argentum, quod inveniri potuit in thesauris templi Domini, & palatio
regis: misitque Hazaeli regi Syriæ, & recessit ab Jerusalem. 19 Reliqua autem
sermonum Joas, & universa, quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in Libro verborum
dierum regum Juda? 20 Surrexerunt autem servi ejus, & conjuraverunt inter se,
percusseruntque Joas in domo Mello in descensu Sella. 21 Josachar namque filius
Semaat, & Jozabad filius Somer, servi ejus, percusserunt eum, & mortuus est:
& sepelierunt eum cum patribus suis in civitate David, regnavitque Amasias fi-
lius ejus pro eo.

℣. 1. ANNO SEPTIMO JEHU, REGNAVIT JOAS.] A Joas eodem anno natus erat, quo Jehu occiderat Ochoziam Regem Juda patrem illius, & Joram Regem Israel: itaque septimus annus ætatis Joas, septimus quoque est ab initio Regni Jehu.

℣. 2. FECIT JOAS RECTUM CORAM DOMINO, CUNCTIS DIEBUS, QUIBUS DOCUIT EUM JOJADA SACERDOS.] Quo tempore Jojada Pontifex e vivis excesserit, nos latet; at Scriptura ait ipsum adhuc vixisse anno vigesimo tertio regni Joas [1]: itaque hic Princeps ad hoc usque tempus justitiam excoluit, & plane aliquot etiam post id tempus annos; namque post obitum Jojadæ non destitit zelum suum testari, ut sartatecta Templi instaurarentur.

℣. 3. VERUMTAMEN EXCELSA NON ABSTULIT.] B Abstulit quidem excelsa, omnia, Templa, lucos Idolis dedicatos: at excelsa Deo dicata, quo populi accedebant, ut sacra facerent, licet explicite adeo Legibus hoc esset interdictum, non abstulit [2]. Credi potest, Principem hunc id tolerasse mali; non enim nisi summo cum periculo everti posse, & ipse, & Summus Sacerdos Jojada sunt arbitrati; alioquin summi hujusce Sacerdotis zelus ea in occasione intepuisset. Deo attamen nequaquam accepta fuit hæc ratio, quam inanis politica, & nimium humanæ cogitationes suggesserant.

℣. 4. OMNEM PECUNIAM SANCTORUM, QUÆ ILLATA FUERIT A PRÆTEREUNTIBUS.] Joas videns, Templum instauratione indigere, præcepit, ut in id opus seponeretur pecunia quædam, quæ inferebatur C in Templum, & quam hactenus Sacerdotes in rem suam converterant, quin Templi reparatio aliquid illis negotii facesseret. Rex igitur ad hæc opera fundum constituit; primum quidem ex hemisiclo, quem Israelita quilibet quotannis viritim solvebat cum vigesimum annum attingerent, juxta Moysis leges [3]; quæ isthic *pecunia a prætereuntibus* vocatur, scilicet eorum pecunia, qui in censum ingrediuntur [4]. Grotius *pecuniam hanc prætereuntium* eam fuisse putat, quam alienigenæ, qui per Jerusalem transibant, Dominum in Templo suo adoraturi in oblationes erogabant, vel tribuebant, ut ipsorum nomine Domino sacrificia offerrentur, de quibus Salomon locutus fuerat, cum in Templi dedicatione Deo preces effunderet 3. Reg. 8. 41. *Insuper, & alienigena cum venerit de terra longinqua propter nomen tuum . . . . tu exaudies in cœlo, &c.* Septuaginta Hebraica verba D reddunt [5], *argentum æstimationis*, argentum, quo merces emuntur, & quod ultro citroque persolvitur, exigiturque [6].

QUÆ OFFERTUR PRO PRETIO ANIMÆ.] En alterum fundum, ex quo hauriri debebant pecuniæ ad Templi sarta tecta instauranda, quod offertur pro animæ suæ redemptione. Cum quis voto se obligarat, ac Domino se consecraturum spoponderat *animam*, hoc est aliquid vivens, & animatum, hoc Deo realiter offerre tenebatur, vel illud redimere juxta Sacerdotum æstimationem. Videri possunt, quæ hac de re in Levitico 27. 2. Leges rogatæ fuerint. Grotius hoc intelligit de hemisiclo, quem viritim Israelitæ singuli pendebant.

ET QUAM SPONTE, & ARBITRIO CORDIS SUI INFERUNT IN TEMPLUM.] Tertius fundus pro Templi instauratione. Voluntariæ oblationes, quas quilibet hac mente fecisset, veluti Evangelica illa vidua, quæ in gazophylacium æra minuta duo posuit Luc. 21. 2. In 2. Paralipom. 24. 5. refertur, Regem Joas quotannis in omnes civitates Juda misisse Sacerdotes, & Levitas, ut pecunias exigerent ad sarta tecta Templi.

℣. 5. ACCIPIANT ILLAM SACERDOTES JUXTA ORDINEM SUUM.] Hoc est, accipiat quisque Sacerdos pecuniam, prout inserviet; quod innuere videtur, pecunias ad Sacerdotes in Templum afferri consuevisse. At Hebraicus Textus hæc habet [7]; *accipiat quisque Sacerdos ab illis, quos novit*; perinde ac hæ pecuniæ exigerentur, & hæ collectæ fierent in locis, ac civitatibus Juda, & Sacerdos quilibet eas ab iis acciperet, qui finitimi, & noti essent illi, ac in eadem civitate immorarentur.

INSTAURENT SARTA TECTA DOMUS.] Hebraice [8]: *& consolident fracturam (vel hiatum) Domus Dei*; perinde quasi diceret; consolidabunt vulnus, vel claudent cicatricem domus, & parietum rupturas reparabunt.

℣. 6. IGITUR USQUE AD VIGESIMUM TERTIUM ANNUM REGNI JOAS, NON INSTAURAVERUNT, &c.] Non satis liquet, quo anno Rex imperaverit, ut pecuniæ colligerentur ad Templum instaurandum; verum satis patet, Sacerdotes negligentius huic paruisse mandato: *Porro Levitæ egere negligentius* 2. Par. 24. 5. Collatum argentum in inanes sumptus insumpsere, vel in privatos usus converterunt; denique minime admisi sunt, ut opus illud accelerarent, quod illi non proderat, sed immo e contra magnam redituum ipsorum partem adimebat. Res incuriosius tractatæ fuere duobus annis, juxta Hebræorum Chronica, usque ad vigesimum tertium annum Regis Joas. Sequenti anno Rex debuit edicto cavere, ne Levitæ ulterius pecuniam hanc exigerent, atque templo instaurando se se immiscerent; immo eos coegit, ut acceptas pecunias

1 ℣. 6. hujus cap. 2 Deuter. 12. 8. 9. 11. 13. 14. Vide dicta ad 3. Reg. 15. 14.
3 Exod. 30. 12. *Quomodo tuleris summam filiorum Israel juxta numerum, dabunt singuli pretium pro animabus suis . . . dimidium sicli juxta mensuram Templi.* Vide & Matth. 17. 24. 4 Ita Vat. Munst. Sanct. Mar. &c.
5 כסף עבר 70. ἀργύριον συντιμήσεως. 6 Vide Genes. 23. 16. *Argenti probatæ monetæ publicæ.* Hebr. *Argenti transeuntis ad Mercatorem.* 7 יקחו להם הכהנים איש מאת מכרו
8 והם יחזקו את בדק הבית 70. κρατήσουσι τὸ βέδεκ τοῦ οἴκου. Vocem Authographi servarunt, Theodoret. qu. 40, illud sic explicat, Βέδεκ δὲ καλεῖ τῶν διεφθαρμένων ξύλων, ἢ λίθων τὴν θεραπείαν.

cunias regererent, novaque edicta proposuit, ut ipsius A consilium ad finem perduceretur: *Prohibitique sunt ultra accipere pecuniam*. Hebræus [1], Chaldæus, Septuaginta, Syrus, & Arabs; *& Sacerdotes consenserunt, ne amplius hoc argentum acciperent*. Non ideo tamen liberati fuere, ne rationem redderent, atque in sarta tecta procuranda impenderent pecuniam, quam antea exegerant.

℣. 9. Posuit illud juxta altare ad dexteram ingredientium Domum Domini.] Credidit Rex, dummodo populus ea, quæ debebat, in Templum congereret, has summas satis futuras, ut sarta tecta instaurarentur, hoc supposito, quod fideliter pecuniæ impenderentur. *Igitur fecerunt arcam, posueruntque eam juxta portam Domini forinsecus*, uti habemus ex Paralipomenis [2], & cum hic ait Scriptura arcam hanc prope Altare fuisse positam, credendum est, ipsam re adhuc integra prope Altare fuisse positam: sed mox e re fore judicatum, si extra Sacerdotale atrium poneretur, ut omnes homines, & mulieres ipsæ, oblationes suas possent immittere; vel Textus explicari debet dicendo, arcam hanc positam fuisse e conspectu Altaris holocaustorum extra septum, quod Aram circumambiebat. Prope hoc gazophylacium Sacerdotes, & Satellites politi fuere, ne quis fraudem faceret, atque ut exciperent, ac numerarent pecunias, quæ in capita erogabantur, & alia, quæ jure debebant exigere. At oblationes, quas ultro, & devotionis ergo inferebant, quisque manibus suis in arcam immittere poterat.

℣. 10. Effundebant, & numerabant pecuniam.] Hebraice [3]; *ligabant, & numerabant argentum*. Populus argentum in virgas conflatum conferebat; illud vero in fasciculos ligabatur, atque appendebatur, ut erogaretur ædificiorum Redemptoribus. Hoc vero fiebat coram Regio Scriba, & uno e Sacerdotibus, quem ad id Summus Sacerdos elegerat 2. Par. 24. 11.

℣. 11. Dabant eam juxta numerum, atque mensuram.] Hebraice [4]: *dabant argentum præparatum in manus Redemptorum*. Vel juxta alios, argentum numeratum, signatum, ponderatum, & juxta illius pretium æstimatum. Syriaca versio, & Arabica: *dabant argentum ligatum involutum*. Rex vero, & Summus Sacerdos, uti habemus ex Paralipomenis, argentum hoc distribuebant.

℣. 13. Verumtamen non fiebant ex eadem pecunia hydriæ Templi.] Hoc oppositum videtur iis, quæ 2. Par. 24. 14. legimus: *Cumque complessent omnia opera, detulerunt coram Rege, & Jojada reliquam partem pecuniæ: de qua facta sunt vasa Templi in Ministerium*. Verum in his ipsis verbis occurrit propositæ difficultatis solutio. Cavit Rex, ne argentum, quod offerebatur, insumeretur, ut aliud aliquid fieret, sed ut in Templi instaurationem servaretur, donec opus completum esset, quo perfecto ex reliquo argento conflata sunt vasa in Altaris ministerium.

Hydriæ.] Hebraice [5], *crateres*, pocula vel pelves argenteæ.

Fuscinulæ.] Non desunt, qui Hebraicam vocem reddant [6] *cultros*. At plerique [7] de musicis instrumentis explicant, veluti sistris, aliisque, quæ vel ex ære, vel ex argento fiebant. Septuaginta, *clavos*, vertunt.

Thuribula.] Hebraice [8] *pateras*: ad litteram, instrumenta ad effundendum sanguinem, vel liquores, ut libationes, vel super Altare, vel ad Altaris pedes fierent [9].

℣. 16. Pecuniam pro delicto, & pecuniam pro peccatis, non inferebant in Templum Domini, quia Sacerdotum erat.] Alibi locuti sumus de discrimine inter delictum, & peccatum [10]; at non abhorret a fide isthic duas hasce voces esse synonymas. Argentum pro peccato multifariam potest intelligi. Exempli gratia in Levitico 5. 15. præcipitur: *Anima, si prævaricans cæremonias per errorem in his, quæ Domino sunt sanctificata, peccaverit* veluti si decimas solvere oblita fuerit, vel primitias, vel aliquid simile: *offeret pro delicto suo arietem immaculatum de gregibus, qui emi potest duobus siclis juxta pondus Sanctuarii: ipsumque, quod intulit, damni restituet, & quintam partem ponet supra, tradens Sacerdoti*. B Hæc omnia Sacerdotum erant, nec horum aliquid attingebatur [11]. Alii hoc explicant pacto [12]: si quis alienigena Ethnicus, vel alius quispiam, oblationem in Templum intulisset, ut pro eo sacrificium offerretur; pecunia, quam ille dederat, & quæ superabat emptæ victimæ pretium, Sacerdotis erat, neque cum oblationibus commiscebatur, quæ ad sarta tecta Templi instauranda impendebantur.

℣. 17. Tunc ascendit Hazael .... & pugnabat contra Geth.] Civitatem hanc David ceperat de Philisthiim, & hactenus eam Reges Juda possederant [13]. Hazael, (quam prætexens causam, non patet) hanc obsidione vallavit, expugnavitque. Hoc autem post Jojadæ mortem contigit, C cum Joas oblitus jam monitorum sapientis illius, ac religiosi Pontificis, in quævis proruit facinora adeo, ut in Idololatriam ceciderit; eamque publice populo suo permiserit, ac in Templo Zachariam, Jojadæ viri adeo de se optime meriti filium Summum Sacerdotem lapidibus obrui jusserit [14]; quæ causa fuit ut Rex, ac Regnum iis omnibus opprimeretur calamitatibus, quæ sub capitis hujus finem leguntur. Hazael igitur Rex Syriæ venit oppugnatum urbem Geth, qua capta iter instituit Jerusalem versus; quo ex bello se se redimere non potuit Joas, nisi Regi huic tradendo thesauros suos, uti eos quoque, qui in Domini Templo asservabantur. At cum sequenti anno Hazael iterum Jerusalem petiisset, Joas prælio decertavit, in quo infoeliciter propemodum subditorum D suorum numerus clade absumptus fuit. Omnes proceres Juda cæsi fuerunt; regio omnis igni, ferroque vastata; Joas ipse a Syris vulneratus, & male habitus, Jerusalem rediit, ubi a conjuratis confossus fuit. En quo illum ultrix Domini manus deduxit.

℣. 18. Omnia sanctificata, quæ consecraverant Josaphat, & Joram, & Ochozias.] Quinam isthuc conciliari cum 2. Paralip. 24. 7. potest, ubi Athalia, ac filii ejus, hoc est Ochozias, & fratres illius, dicuntur Templum Domini diruisse, utque illinc pretiosissima quæque abstulisse, ut Templum Baal locupletarent? Alioquin idea, quam de Joram nobis adstruit Scriptura [15], nequaquam devoti Principis, atque ad oblationes, ac munera in Templum inferenda dispositi, speciem referre videtur. E At respondere potest, Joram, & Ochoziam, licet impii essent, ac impie idolorum cultui adhærerent, potuisse vel politiæ, vel ostentationis, & vanitatis, vel etiam fluxæ, ac perfunctoriæ pietatis officiis ob Dei judicia, munera quædam in Templum ingerere; dum interim alia ex parte Domum Dei diripiebant, opesque auferebant, quas vel fidelium, vel

1 ויזתו הכהנים לבלתי קחת כסף 70. καὶ συνεφώνησαν τοῦ μὴ λαβεῖν &c.
2 2. Par. 24. 8. *Fecerunt arcam, posueruntque eam juxta portam Domini forinsecus.*
3 ויצרו וימנו את הכסף 70. *ἔσφιγξαν καὶ ἠρίθμησαν τὸ ἀργύριον.*
4 ונתנו את הכסף המתכן על ידי וגו 70. *καὶ ἔδωκαν τὸ ἀργύριον τὸ ἑτοιμασθὲν ἐπὶ χεῖρας*, &c.
5 ספות כסף 70. *θύραι ἀργυραῖ, porta argentea*; Forte θυΐ, seu θυΐσκαι, *thuribula*. Grot.
6 מזמרות Hebr.
7 Ita Chald. Pagn. Mont. Jun. Vat.
8 מזרקות 70. φιάλας.
9 Ita Chald. Arab. Mont. Jun. &c.
10 Vide ad Levit. 4. 2.
11 Ita Tost. Grot. Jun.
12 Vatab. Sanct.
13 2. Reg. 8. 1. & 1. Par. 18. 1.
14 2. Par. 24. 22. *Qui cum moreretur, ait: Videat Dominus, & requirat.*
15 2. Par. 21. 6. 12. 27. 20.

vel Regum superiorum pietas consecraverat. Nihil hac agendi ratione vulgarius; Quot enim hanc Ecclesiam depopulantur, ut aliam exornent? Quot diripiunt pauperes, dum patri pauperum magnificas aras ædificant?

A

℣. 20. SURREXERUNT SERVI EJUS, & CONJURAVERUNT INTER SE.] Scilicet ut Summi Sacerdotis Zachariæ, Jojadæ filii, sanguinem ulciscerentur [1], quem Joas in Templo necarat, ut vidimus supra.

PERCUSSERUNT JOAS IN DOMO MELLO, IN DESCENSU SELLA.] Mello erat Regia Domus, quam Salomon ædificarat in planitie, quæ erat inter veterem Jerusalem, & David civitatem [2]. *Sella* plane via erat, vel agger, infra quem ædes Mello consurgebant: nam ex 2. Paralip. 24. 25. liquet Joas in lectulo suo, ubi ægrotabat, fuisse confossum: *Occiderunt eum in lectulo suo, & mortuus est*. Nonnulli [3] nomen Mello, vel *Beth-Mello*, & *Sella* urbium nomina esse putant. At præstat explicare *Sella* de via illa, vel aggere, quem Salomon duxit, ut a Regiis ædibus in Templum aditus pateret [4], ac vertere: *Percusserunt eum in ædibus Mello, quæ sita erant infra aggerem, quo itur in Templum*.

B

Ecce autem quinam fuit exitus Joas, felicis antea Principis, atque Divinis favoribus cumulati, donec pietatem, & justitiam exercuit, atque illius salutaribus adhæsit consiliis, quem Dominus illi parentis loco suscitaverat, & consiliarium addiderat. At simulac politicis rationibus actus, subditis suis permisit, ut Idola venerarentur, & ipse quoque in Idololatriam lapsus est, de abysso in abyssum præceps ruit, in impietatem, in idolorum cultum, in ingratitudinem, in homicidium, in sacrilegium, propter quæ scelera in ipsum, regnumque ipsius sævissimi quique iræ divinæ effectus detonuere, ita ut regni, majoremque populi sui partem, præcipuos imperii sui Præfectos, quantum auri, & argenti diuturni regni sui spatio colligere potuerat, amiserit; turpissimæ cladis ignominiam, subditorumque suorum odium subierit, ac funesta adeo morte obierit, ut omni funerum honore caruerit, ejusque cadaver in Regum sepulturam neqnaquam fuerit elatum.

℣. 21. JOSACHAR FILIUS SEMAATH, & JOZABAD FILIUS SOMER SERVI EJUS.] Hi interfectores in 2. Paralip. 24. 26. vocantur *Zabad filius Semaath Ammonitidis, & Jozabad filius Semarith Moabitidis*. Adferuntur tantum matrum eorumdem nomina, quæ utraque erant alienigenæ.

SEPELIERUNT EUM CUM PATRIBUS SUIS.] Non autem in Regum sepulchro, sed in civitate David tantum sepultus fuit [5]. Alia quædam supersunt exempla Regum Juda [6], qui in Regum sepulchra minime elati fuere; exempli gratia Achaz. Hanc enim juris, vel libertatis speciem sibi reservarat populus in Reges suos fato functos, eos hoc honore privandi, ne in patrum suorum tumulis sepelirentur, quæ summa erat infamia; eo consilio, ut hoc saltem pacto in officio Reges continerentur, neque ea suprema auctoritate, qua gaudebant, abuterentur. Apud Ægyptios [7] integrum erat cuique defuncto Regi diem dicere, qui in supplicium sepultura privabatur, si ea essent crimina, quæ turpissimam hanc pœnam mererentur.

1 2. Par. 24. 25. *Surrexerunt contra eum servi sui in ultionem sanguinis filii Jojadæ.*
2 Vide 2. Reg. 5. 9. & 3. Reg. 9. 15. 3 Syr. Arab. Munst. Tirin. &c.
4 2. Par. 26. 16. & 2. Par. 9. 11. Ita Jun. Geor. Men. Pisc. Malv. סלא positum est pro מסלה agger.
5 2. Par. 24. 25. *Sepelierunt eum in civitate David, sed non in sepulchris regum.*
6 Vide 1. Par. 28. 27. 7 Vide Diodor. Sicul. l. 1. Bibl.

CAPUT XIII.

Joachaz Rex Israel a Rege Syriæ opprimitur. Ille se se coram Domino humiliat, qui illi suscitat liberatorem. Joas filius illius ipsi succedit, cui tres victorias de Syris referendas Elisæus prædicit. Elisæi mors, in cujus tumulum cadaver injectum, simulac illius ossa tetigit, revivisicit.

1. ANno vigesimo tertio Joas filii Ochoziæ regis Juda, regnavit Joachaz filius
Jehu super Israel in Samaria decem, & septem annis. 2 Et fecit malum
coram Domino, secutusque est peccata Jeroboam filii Nabat, qui peccare
fecit Israel, & non declinavit ab eis. 3 Iratusque est furor Domini contra Israel,
& tradidit eos in manu Hazael regis Syriæ, & in manu Benadad filii Hazael, cunctis diebus. 4 Deprecatus est autem Joachaz faciem Domini, & audivit eum Domi-
nus: vidit enim angustiam Israel, quia attriverat eos rex Syriæ: 5 Et dedit Do-
minus salvatorem Israeli, & liberatus est de manu regis Syriæ: habitaveruntque filii
Israel in tabernaculis suis, sicut heri, & nudiustertius. 6 Verumtamen non recesse-
runt a peccatis domus Jeroboam, qui peccare fecit Israel, sed in ipsis ambulaverunt,
siquidem & lucus permansit in Samaria. 7 Et non sunt derelicti Joachaz de populo, nisi quinquaginta equites, & decem currus, & decem millia peditum: interfecerat enim eos rex Syriæ, & redegerat quasi pulverem in tritura areæ. 8 Reliqua
autem sermonum Joachaz, & universa, quæ fecit, & fortitudo ejus, nonne hæc scri-
pta sunt in Libro sermonum dierum regum Israel? 9 Dormivitque Joachaz cum pa-
tribus suis, & sepelierunt eum in Samaria: regnavitque Joas filius ejus pro eo
10 Anno trigesimo septimo Joas regis Juda, regnavit Joas filius Joachaz super Israel
in Samaria sedecim annis. 11 Et fecit, quod malum est in conspectu Domini: non

declinavit ab omnibus peccatis Jeroboam filii Nabat, qui peccare fecit Iſrael, ſed in
ipſis ambulavit. 12 Reliqua autem ſermonum Joas, & univerſa, quæ fecit, & for-
titudo ejus, quomodo pugnaverit contra Amaſiam regem Juda, nonne hæc ſcripta
ſunt in Libro verborum dierum regum Iſrael? 13 Et dormivit Joas cum patribus
ſuis: Jeroboam autem ſedit ſuper ſolium ejus. Porro Joas ſepultus eſt in Samaria
cum regibus Iſrael. 14 Eliſæus autem ægrotabat infirmitate, qua & mortuus eſt:
deſcenditque ad eum Joas rex Iſrael, & flebat coram eo, dicebatque: Pater
mi, pater mi: currus Iſrael, & auriga ejus. 15 Et ait illi Eliſæus: Affer arcum,
& ſagittas. Cumque attuliſſet ad eum arcum, & ſagittas, 16 Dixit ad regem Iſ-
rael: Pone manum tuam ſuper arcum. Et cum poſuiſſet ille manum ſuam, ſuperpo-
ſuit Eliſæus manus ſuas manibus regis, 17 Et ait: Aperi feneſtram Orientalem.
Cumque aperuiſſet, dixit Eliſæus: Jace ſagittam. Et jecit, Et ait Eliſæus: Sa-
gitta ſalutis Domini, & ſagitta ſalutis contra Syriam: percutieſque Syriam in A-
phec, donec conſumas eam. 18 Et ait: Tolle ſagittas. Qui cum tuliſſet, rurſum
dixit ei: percute jaculo terram. Et cum percuſſiſſet tribus vicibus, & ſtetiſſet,
19 Iratus eſt vir Dei contra eum, & ait: Si percuſſiſſes quinquies, aut ſexies,
ſive ſepties, percuſſiſſes Syriam uſque ad conſumptionem: nunc autem tribus vici-
bus percuties eam. 20 Mortuus eſt ergo Eliſæus, & ſepelierunt eum. Latrunculi
autem de Moab venerunt in terram in ipſo anno, 21 Quidam autem ſepelientes
hominem, viderunt latrunculos, & projecerunt cadaver in ſepulchro Eliſæi. Quod
cum tetigiſſet oſſa Eliſei, revixit homo, & ſtetit ſuper pedes ſuos. 22 Igitur
Hazael rex Syriæ afflixit Iſrael cunctis diebus Joachaz: 23 Et miſertus eſt Domi-
nus eorum, & reverſus eſt ad eos propter pactum ſuum, quod habebat cum A-
braham, & Iſaac, & Jacob, & noluit diſperdere eos, neque projicere penitus, uſ-
que in præſens tempus. 24 Mortuus eſt autem Hazael rex Syriæ, & regnavit Be-
nadad filius ejus pro eo. 25 Porro Joas filius Joachaz tulit urbes de manu Bena-
dad filii Hazael, quas tulerat de manu Joachaz patris ſui jure prælii, tribus vicibus
percuſſit eum Joas, & reddidit civitates Iſrael,

℣. 1. ANNO VIGESIMO TERTIO JOAS REGNAVIT JOACHAZ.] Joachaz regnum occœpit ſub initium anni vigeſimi tertii Joas Regis Juda, & ſeptemdecim annos regnavit; ſexdecim quidem ſolus, duobus vero una cum filio ſuo Joas; etenim decimus quartus annus erat tantummodo incœptus [1].

℣. 3. TRADIDIT EOS IN MANU HAZAEL, & IN MANU BENADAD FILII HAZAEL.] Hazael ſatis, ſuperque Eliſæi prophetiam probavit, qui illi prædixerat [2], futurum ut caperet, incenderetque civitates Iſrael, milites trucidaret, parvulos in terram elideret, & prægnantium mulierum ventrem divideret. Joachaz non vidit mala, quibus Benadad in Iſrael detonuit [3]; ſed hæc, regnante Joas illius filio contigere, & hæc verba, *cunctis diebus*, ad regnum Joachaz dumtaxat referuntur.

℣. 5. DEDIT DOMINUS SALVATOREM ISRAELI.] Hic ſalvator non alius eſt, quam Joas [4], quem Dominus ſuſcitavit, ut res Iſraelis remitteret, & Hazaelis crudelitatem ulciſceretur. Precibus, & pœnitentia Joachaz Deus commotus eſt; ſed Princeps ille, dum adhuc viveret, nequaquam vere damnatus eſt. Non deſunt, qui autument Salvatorem hunc eſſe Angelum de cœlo, extraordinarie miſſum, vel etiam Prophetam Eliſæum; verum nihil in Scriptura intueri licet, quod huic conjecturæ veliſicetur.

℣. 6. LUCUS PERMANSIT IN SAMARIA.] Hebraice [5]; *Et Aſerath ſtabat in Samaria*. Nomine *Aſerath* intelligitur lucus Aſtharti Deæ ſacer, vel ipſum numinis hujus Idolum. Itaque revixerat plane ſub A novissimo hoc Regno in Samaria infamis cultus Baal, & Aſtaroth, quem Jehu exterminaverat.

℣. 7. REDEGERAT, QUASI PULVEREM IN TRITURA AREÆ.] Videlicet, velut pulverem areæ, in qua trituratur [6], vel uti terram, quæ conteritur. Percuſſerat eos, velut humum areæ ad triturandum. Satis liquet, areas, ubi triticum triturandum eſt, fieri ex pingui terra, quæ ſumma vi tunditur, ut apta reddatur ad reſiſtendum motui triturationis. Septuaginta [7]: *Et poſuit eos veluti pulverem, quæ calce conteritur*. Propheta Amos refert [8], Principem hunc ſub ferreis curribus confregiſſe habitatores Galaad; quod palam ad hunc locum alludit.

℣. 8. UNIVERSA, QUÆ FECIT, & FORTITUDO EJUS.] Nihil peculiare ſcimus ex vita Joachaz, ex B quo nobis ſit illius fortitudo perſpecta. At non ideo inferre licet magnum fuiſſe illi animum, magnamque virtutem; neque enim ſcimus ea omnia, quæ ab illo imperante geſta fuerunt. Authographi voces [9] ſignificare poſſunt illius corporis vires, auctoritatem, animum, fortitudinem.

℣. 10. ANNO TRIGESIMO SEPTIMO JOAS REGIS JUDA, REGNAVIT JOAS FILIUS JOACHAZ.] Joas filius Joachaz in Regni ſocietatem a patre cooptatus fuit biennio ante illius obitum; de hac ſocietate igitur hic ſermo eſt; patri vero ſucceſſit biennio poſt, parumper ante obitum Eliſæi. Joas ſexdecim regnavit annos, duobus iis etiam recenſitis, quibus una cum patre imperavit [10].

℣. 12. QUOMODO PUGNAVERIT CONTRA AMASIAM &c.] Belli hujus narratio in Paralipomenis occur-

1 Vide Uſſer. Grot. Vat. Jun. 2 2. Reg. 8. 12. 3 Vide infra verſ. 22.
4 Ita cenſent Toſtat. Sanct. Vatab. Mart. Vide verſ. 23. infra. 5 וגם האשרה עמדה בשמרון
6 וישמם כעפר לדוש. 7 ἔθετο αὐτοὺς ὡς χοῦν εἰς καταπάτησιν. 8 Amos 1. 3. *Eo quod trituraverint in plauſtris ferreis Galaad*. 9 גבורתו 70. αἱ δυναστεῖαι αὐτοῦ. 10 Uſſer. Jun. alii.

occurrit [1] : cum Amasias ingentem de Idumæis victoriam retulisset, bellum Joas Regi Israelis indixit, qui adortus est Amasiam, fudit, cepitque, & Jerusalem profectus hujus urbis muros per quadringentos cubitos evertit, ac Samariam spoliis, opibusque onustus reversus est.

℣. 13. JEROBOAM AUTEM SEDIT SUPER SOLIUM EJUS.] Postquam biennio simul cum Patre regnum obtinuisset; quod per nam loquendi rationem innuitur, *sedit super solium ejus*; pro, regnavit pro patre suo. Ante id tempus regnavit, & simul cum patre populo præfuit; at nondum sederat super solium illius. De hoc primo anno regni, quo Jeroboam in regnum cooptatus est, est intelligendum, quod dicitur inferius [2], Azariam Regem Juda regnum occepisse vigesimo septimo anno Jeroboam.

℣. 14. CURRUS ISRAEL, & AURIGA EJUS.] Hoc ipsum Elisæus Eliæ dixerat, cum a Deo super igneum currum transferretur. Vide 4. Reg. 2. 12.

℣. 16. PONE MANUM TUAM SUPER ARCUM.] Hebraice ad litteram [3] : *Fac, ut manus tua, velut super equum, super hunc arcum conscendat*. Adjunge manum tuam, amplectere, distringe, vi apprehensum retine. Hæc prophetia est ex numero prædictionum activarum, non autem simpliciter verbalium. Arcus, & sagittæ, & ictus, quos Joas emittere debebat, erant significantia; & ab Elisæo numero sequenti vocantur; *Sagitta salutis Domini, sagitta salutis contra Syriam*. Hæc est arrha victoriæ, quam Dominus tibi tribuet adversus Syriam.

℣. 17. APERI FENESTRAM ORIENTALEM.] Hæc fenestra non spectabat directe Syriam; at regionem trans Jordanem positam respiciebat, quam Joas de Syris erat recepturus [4], & quam Syri de Israel ademerant. In hanc regionem Hazaelis Regis Syriæ furor bacchatus fuerat, de quo non semel locuti sumus.

JACE SAGITTAM, & JECIT.] Interpretes [5] animadvertunt, prima hac sagitta, quam Joas contorsit, indictum quodammodo fuisse bellum, quod Syriæ erat illaturus. Veteres telum jaculati consueverant, vel sagittam in hostium regionem emittere, illi bellum indicentes. Alexander Magnus simul ac ad Ioniæ maritimas oras appulit, telum in Persarum agros contorsit [6] : *Cum delati in continentem essent, primus Alexander jaculum, velut in hostilem terram jacit*. Virgilius quoque Turnum ita loquentem inducit Æneid. 9.

Et quis erit mecum, Juvenes, qui primus in hostem?
En, ait, & jaculum intorquens emittit in auras,
Principium pugnæ.

Non desunt, qui putent, veterem hunc telum in hostium terras jaculandi ritum significare, quodammodo terræ possessionem adiri. Varro [7] a Servio allatus huic videtur favere sententiæ: *Duces, ait, cum primum hostilem agrum introituri erant, ominis causa, prius hastam in eum agrum mittebant, ut castris locum caperent*. Eamdem Chananæorum fuisse consuetudinem Hebræi Doctores allegant, cum regionem armorum vi captam ingrederentur, hastam illuc intorquebant, ut terræ possessionem caperent. Plutarchus [8] narrat historiam, quæ veteri huic consuetudini lucem præbere potest. Legati duo, alter ex Andro, alter e Chalcide cum ad Acanthi urbem ab incolis suis derelictam pergerent, ut ea potirentur, atque certatim currere cœpissent, ut illuc assequerentur; cumque Chalcidensis pedum pernicitate socium prævertisset, ac jam jam januam esset apprehensurus, Andrius desperans se celeriter adeo consequi posse, jaculum emisit, illudque in adversam portam confixit, contendens se hoc pacto priorem adiisse civitatis illius possessionem, patriæ suæ nomine, a qua huic rei fuerat legatus. Res ad Judices delata fuit, qui Arbitri electi fuerunt. Erythræi, & Samii pro Andriis stetere, & censuere, telum legati eorum genus fuisse possessionis præoccupatæ, quod satis esset, ut ipsis Acanthi possessio adjudicaretur. Parii Chalcidi favebant; penes primos victoria stetit. Ut autem ad Ioas revertamur, qui telum adversus Syriam emisit, in duplici hoc sensu potest intelligi, vel maturato præcepisse possessionem regionis, quam Hazael de Regibus Israel ceperat, vel bellum Syris indixisse.

PERCUTIES SYRIAM IN APHEC, DONEC CONSUMAS EAM.] Aliter, percuties Syros in Aphec, usque ad integrum excidium. Cum nihil nobis reliquum sit de bellis Ioas adversus Syros, ostendere minime possumus prophetiam hanc ad litteram adimpletam fuisse; verum satis liquet, quod *tribus vicibus percussit eum (Hazaelem) Joas*, & (Hazael) *reddidit civitates Israel* : igitur haud est dubitandum, utrum Ioas Syros in Aphec ceciderit, atque omnem exercitum trucidarit, *donec consumeret eum* : videlicet magnam edidisse ea in occasione cladem, hostes penitus delesse, & ex iis completam victoriam reportasse. Nemo nescit, Aphec esse urbem Syriæ propter alia bella, quæ Hebræi ibi Syris intulerunt, percelebrem. Vide 3. Reg. 20. 26.

℣. 18. ET CUM PERCUSSISSET TRIBUS VICIBUS, & STETISSET, ℣. 19. IRATUS EST VIR DEI CONTRA EUM &c.] Iaculum, quod prius emiserat Ioas, erat veluti præludium dumtaxat, eoque, uti diximus, quodammodo bellum Syris indixerat. Hoc autem aliud est; Elisæus illi has dederat sagittas, veluti arrham, & pignus victoriarum, quas de Syria relaturus erat, dixeratque Regi, ut adversus terram eas intorqueret. Naturale erat cogitare, futurum ut, quo pluries intorsisset, eo plures victorias relaturus esset. At nolebat Deus, ut propheta hoc illi palam innueret; sed noverat Ioas, assequi Dei voluntatem, atque harum prædictionum sensum percipere; verum quin ad id animum adverteret, postquam ter Princeps percussisset, restitit, atque limites imposuit victoriarum numero, quas se illi concessurum decreverat Deus, & quas ille voluerat ictuum numero adnectere, quos in terram Rex fuisset ejaculatus.

℣. 20. MORTUUS EST ERGO ELISÆUS.] Cum septem & quinquaginta annos post Eliæ raptum prophetasset in Israel. Hic sane gravi confectus esse debebat senectute, quandoquidem octo & sexaginta ante id tempus annos ad Prophetæ ministerium ab Elia fuerat evocatus. Auctor Ecclesiastici 48. 13. affabre Prophetæ hujus nobis characterem exhibet eo, licet brevi, in elogio, quod nobis reliquit; *Elias quidem in turbine tectus est, & in Elisæo completus est spiritus ejus : in diebus suis non pertimuit principem, & potentia nemo vicit illum. Nec superavit illum verbum aliquod, & mortuum prophetavit corpus ejus. In vita sua fecit monstra, & in morte mirabilia operatus est*. Mox videbimus illud, quod locum præbuit, ut Elisæi ossa post mortem prophetasse dicerentur : at prius partem earum similitudinum referre debemus, quæ plurimæ inter sanctum hunc virum, ac Iesum Christum occurrunt. Propheta hic duplici repletus Eliæ spiritu, hoc est plenitudine spiritus, & prophetiæ, & miraculorum donatus, atque ideo super maximos quoslibet prophetas clarus, figura est, sed imperfecta, Salvatoris, auctoris gratiæ, Iesu, qui virtus est Patris, & luminum plenitudinem possidet, & unde omne donum perfectum proficiscitur. Sunamitidis filius singularibus adeo circumstantiis ab inferis suscitatus, Elisæi baculus vitæ illi reddendæ impar, pro-

1 2. Par. 24. 17. & seq. 2 4. Reg. 15. 1. Vide Usser. Var. Munst.
3 הרכב ידך על הקשת 4 Vide infra vers. 25. 5 Sanct. Tirin. Cornel.
6 Justin. l. 2. 7 Varro in Caleno apud Serv. in Æneid. 9. Vide, si lubet, Valer. Max. l. 5. Aul. Gell. l. 16. c. 14. Stat. lib. 4. &c. 8 Plutarch. qu. Græc. Vide & Selden. mare clausum, c. 4.

pheta, qui super hunc puerum se secoarctat, fovet illum, atque de mortis faucibus rapit; hæc omnia palam adeo Iesu Christi exhibent Incarnationem, ut nemo illam intueri non possit [1]. Aquæ fontis Iericheuntini, sale ab Elisæo immisso edulcaræ, ad vivum referunt aquas Baptismatis, quæ dulcescunt, ac salubres fiunt, per infusionem virtutis Iesu Christi, qui est Patris sapientia. Naaman a lepra per Jordanis ablutionem mundatus, mysterium idem apertius adhuc designat [2]. Oleum, quod Elisæus multiplicat in vasis viduæ unius e prophetis, cui creditores nitebantur, se in servitutem illius filios esse ablaturos, nonne Ecclesiam repræsentat, quæ Spiritus Sancti, & gratiæ dona recipit [3], per quæ ab hostibus liberamur, ac æs conflatum dissolvimus? Quid de Giezi dicam lepra percusso, & Simoniacorum antesignano? quid de securis ferro ex Iordanis imo adducto, per lignum, quod typus erat crucis Redemptoris [4]? quid de pueris Bethel, quos ursi voraverunt, qui figuræ fuerunt Iudæorum obduratorum, atque impeditorum? quid de Syris militibus excæcatis, ac Samariam deductis, qui eosdem exhibent Iudæos, qui, non Redemptoris, neque Apostolorum prædicatione illuminati in infidelitate sua persistunt, de quibus scriptum est [5]: *Excæca cor populi hujus, & aures ejus aggrava, & oculos ejus claude; ut videntes videant, & non videant, & audientes audiant, & non intelligant.* At non ita obiter præterire licet mortuum ad tactum ossium Elisæi suscitatum, quod infra ad examen sumus vocaturi.

LATRUNCULI DE MOAB VENERUNT IN TERRAM IN IPSO ANNO.] Alibi jam adnotavimus, latrones hos, qui subinde in terras Israel, vel Juda irruptionem faciebant, nequaquam iis latronibus fuisse persimiles, quos hoc nomine nuncupamus. Hæc erat Moabitarum manus, quæ sub Duce, satis frequens, ad justi exercitus instar terras invadebat, easque populabatur [6]. Hæ militum manus se se in terras Israel eodem, quo Elisæus obiit, anno effuderunt.

℣. 21. QUIDAM AUTEM SEPELIENTES HOMINEM VIDERUNT LATRUNCULOS, & PROJECERUNT CADAVER IN SEPULCHRO ELISÆI.] Hebræi vulgo mortuorum corpora in agris sepeliebant, & in cavernis satis amplis, & ad id data opera excavatis, ut cadavera conderentur. Cadaver autem in arcola quadam, vel furni specie ponebatur, ubi lineis involutum vittis quiescebat, ac sæpe aromatibus conditum. Speluncæ aditus lapide erat obseptus, qui auferri, ac remitti poterat, quin sepulchra aliquid damnum paterentur. Cum igitur hi homines mortuum hominem efferrent, procul conspexere exercitum, vel Moabitarum manum, de qua locuti sumus, accedentem, & cum forte prope Elisæi tumulum feliciter tunc adessent, illud festinanter aperuere, ac raptim defuncti corpus conjecere in eamdem arculam, ubi Elisæi corpus jacebat, & statim fugam corripuere, ut e Moabitarum manibus elaberentur. At defunctus vix Elisæi tetigit ossa, eum revivixit, ac in pedes consurrexit.

Quoad locum tumuli Elisæi, in diversa abeunt Interpretes. Plerique eum Samariæ fuisse, ajunt, hoc est, prope, & in hujus urbis agro. S. Hieronymus [7], & alii quidam huic subscripsere sententiæ, quæ sane probabilis videtur; nam plane Samariæ ultima passus est, & diu illius sepulchrum ostentari consuevit. Josephus Antiqu. l. 9. c. 9. ait ipsum magnifico honoratum fuisse tumulo, quemadmodum vir Deo adeo carus, & acceptus, merebatur; at quo in loco sepultus fuerit, non adfert. Nonnulli [8] rati sunt, illum in Abelmehulam patriam suam translatum fuisse, ut cum patribus suis tumularetur. Alii [9] eum in Carmelo monte sepultum autumant, unde volunt deinde Samariam fuisse translatum. At in hac rerum dubietate, si aliquid ausim decernere, dicere præstat prope Samariam humo fuisse conditum, quandoquidem huic sententiæ traditio satis constans suffragatur. Quod si tumulus illius in hac urbe conspectus fuit, certo asseri potest, hanc mere translationem fuisse reliquiarum ipsius; nam certe in agro fuit tumulatus.

Cæterum Josephus Antiqu. l. 9. c. 9. longe aliter hanc enarravit historiam, quam modo retulimus; ait enim, hominem quondam a latronibus in itinere confossum projectum fortuito fuisse in Elisæi tumulum; qui cum vix Prophetæ ossa tetigisset, summa cum latronum admiratione revivixit. Cui miraculo Rabbini [10] ex penu suo fabulam addunt; eum scilicet, qui resurrexerat, iterum statim obiisse, eo quod vir erat nequam, ideoque indignus, qui diutius viveret. Quin immo ipsius nomen proferre audent, & *Sellum* vocatum fuisse dicunt. Alii tenent, diutius deinceps vixisse, quod magis vero simile videtur; si enim statim iterum oppetiisset, miraculum inutile profecto fuisset.

Elisæus igitur post mortem trifariam prophetavit. Primo, ossa illius prophetarunt, mortuum vivificando: hæc confirmatio erat superiorum omnium prophetiarum ipsius, nec non suæ sanctitatis, missionis, & doctrinæ puritatis argumentum. Secundo, prophetavit hoc prodigio futuræ resurrectionis nobis fidem faciens: atque hoc miraculum probat, quænam sit virtus Sanctorum reliquiis, & quantum ipsorum in Cœlis polleat intercessio. Eorum corpora post mortem virtutem vitæ servant propter Spiritum Sanctum, cujus templa fuerunt, & propter sanctas illorum animas, quarum tamdiu fuere domicilia [11]. Tertio denique Elisæus prophetavit, eo quod mortui hujus resurrectio, qui ad vitam revocatur, symbolum est, & prophetia resurrectionis Jesu Christi: cum hoc tamen discrimine, quod Elisæus mortuum resuscitat, quin resuscitet se ipsum, dum Jesus Christus semet resuscitat, iisque omnibus, qui credunt in illum, vitam restituit. Vide Maximi Taurin. homil. 1. de Festo Paschæ; extat eadem sub nomine Basil. Emesen. t. 6. Bibl. Patrum.

℣. 25. JOAS TULIT URBES DE MANU BENADAD &c.] Vidimus cap. 10. ℣. 33. Hazaelem de Israel potitum omni regione trans Jordanem posita, terris Galaad, Gad, Ruben, & Manasse, ac tractu Basan. Hazael victorias suas referre cœpit, Jehu imperante, easque regnante Joachaz, perfecit. At Joas has urbes recepit, coegitque Benadad Regem Syriæ, Hazaelis filium, ut harum civitatum jure decederet.

---

1 Vide Cæsar. serm. 42. nunc Appendic. olim inter August. & August. serm. 26. nov. Edit. de verbis Apost.
2 Vide Ambros. in Luc. l. 4. Tertull. contra Marcion. l. 4. c. 9.   3 Theodoret. qu. 14. in 4. Reg.
4 Theodoret. qu. 19. in 4. Reg. & Tertull. contra Judæos c. 13.   5 Isai. 6. 10. & Matth. 13. 14. & Marc. 4. 12. & Luc. 8. 10.   6 Vide supra c. 5. vers. 2.   7 Ita Hieronym. Epitaph. Paulæ. Epiph. seu alius Auth. de vit. Prophet. Pseudo-Isidor. de vita, & morte SS. Ita & Pseudo-Dosoth. & Martyrolog. Rom. 18. Cal. Junii.   8 Tost. qu. 13. in c. 13. 4. Reg.   9 Adrichom.
10 Vide Tost. qu. 20. in hoc cap.   11 Vide, si lubet, Cyril. Jerosol. Catechef. 18.

CAPUT XIV.

Amasias patris sui interfectores occidit, ac Idumaos fundit, at ab Joas Rege Israel vincitur, & capitur. Moritur Joas, cui Jeroboam succedit, huic vero Zacharias. Amasias a suis occiditur, & Azarias filius illius regnat pro illo.

1. IN anno secundo Joas filii Joachaz regis Israel, regnavit Amasias filius Joas re- Ann. M.
gis Juda. 2 Viginti quinque annorum erat, cum regnare cœpisset: viginti 1165.
autem, & novem annis regnavit in Jerusalem, nomen matris ejus Joadam Ante J.C. 819.
de Jerusalem. 3 Et fecit rectum coram Domino, verumtamen non ut David pater
ejus. Juxta omnia, quæ fecit Joas pater suus, fecit: 4 Nisi hoc tantum, quod
excelsa non abstulit: adhuc enim populus immolabat, & adolebat incensum in ex-
celsis. 5 Cumque obtinuisset regnum, percussit servos suos, qui interfecerant re-
gem patrem suum. 6 Filios autem eorum, qui occiderant, non occidit, juxta
quod scriptum est in libro legis Moysi, sicut præcepit Dominus, dicens: Non mo-
rientur patres pro filiis, neque filii morientur pro patribus: sed unusquisque in
peccato suo morietur. 7 Ipse percussit Edom in valle Salinarum decem millia, &
apprehendit petram in prælio, vocavitque nomen ejus nomen Jectehel, usque in
præsentem diem. 8 Tunc misit Amasias nuntios ad Joas filium Joachaz, filii Jehu
regis Israel, dicens: Veni, & videamus nos. 9 Remisitque Joas rex Israel ad A-
masiam regem Juda, dicens: Carduus Libani misit ad cedrum, quæ est in Libano,
dicens: Da filiam tuam filio meo uxorem. Transieruntque bestiæ saltus, quæ sunt
in Libano, & conculcaverunt carduum. 10 Percutiens invaluisti super Edom, &
sublevavit te cor tuum: contentus esto gloria, & sede in domo tua: quare provocas
malum, ut cadas tu, & Judas tecum? 11 Et non acquievit Amasias: ascenditque
Joas rex Israel, & viderunt se ipse, & Amasias rex Juda in Bethsames oppido Ju-
dæ. 12 Percussusque est Juda coram Israel, & fugerunt unusquisque in taber-
nacula sua. 13 Amasiam vero regem Juda, filium Joas filii Ochoziæ, cepit Ioas rex
Israel in Bethsames, & adduxit eum in Ierusalem: & interrupit murum Ierusalem,
a porta Ephraim, usque ad portam anguli, quadringentis cubitis. 14 Tulitque
omne aurum, & argentum, & universa vasa, quæ inventa sunt in domo Domi-
ni, & in thesauris regis, & obsides, & reversus est in Samariam. 15 Reliqua
autem verborum Ioas, quæ fecit, & fortitudo ejus, qua pugnavit contra Amasiam
regem Iuda, nonne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Israel? 16
Dormivitque Ioas cum patribus suis, & sepultus est in Samaria cum regibus Israel:
& regnavit Ieroboam filius ejus pro eo. 17 Vixit autem Amasias, filius Ioas, rex
Iuda, postquam mortuus est Ioas filius Ioachaz regis Israel quindecim annis. 18
Reliqua autem sermonum Amasiæ, nonne hæc scripta sunt in Libro sermonum die-
rum regum Iuda? 19 Factaque est contra eum conjuratio in Ierusalem: at ille fu-
git in Lachis. Miseruntque post eum in Lachis, & interfecerunt eum ibi. 20 Et
asportaverunt in equis, sepultusque est in Ierusalem cum patribus suis in civitate
David. 21 Tulit autem universus populus Iudæ Azariam annos natum sedecim, &
constituerunt eum regem pto patre ejus Amasia. 22 Ipse ædificavit Ælath, & re-
stituit eam Iudæ, postquam dormivit rex cum patribus suis. 23 Anno quintodeci-
mo Amasiæ filii Ioas regis Juda, regnavit Jeroboam filius Ioas regis Israel in Sa-
maria, quadraginta, & uno anno. 24 Et fecit, quod malum est coram Domino.
Non recessit ab omnibus peccatis Ieroboam filii Nabar, qui peccare fecit Israel. 25
Ipse restituit terminos Israel, ab introitu Emath usque ad mare solitudinis, juxta
sermonem Domini Dei Israel, quem locutus est per servum suum Jonam filium A-
mathi prophetam, qui erat de Geth, quæ est in Opher. 26 Vidit enim Dominus
afflictionem Israel amaram nimis, & quod consumpti essent usque ad clausos carce-
re, & extremos, & non esset qui auxiliaretur Israeli. 27 Nec locutus est Do-
minus, ut deleret nomen Israel de sub cœlo, sed salvavit eos in manu Ieroboam

filii Ioas. 28 Reliqua autem ſermonum Jeroboam, & univerſa, quæ fecit, & fortitudo ejus, qua præliatus eſt, & quomodo reſtituit Damaſcum, & Emarh Iudæ in Iſrael, nonne hæc ſcripta ſunr in Libro ſermonum dierum regum Iſrael? 29 Dormivitque Ieroboam cum patribus ſuis regibus Iſrael, & regnavit Zacharias filius ejus pro eo.

℣. 1. IN ANNO SECUNDO JOAS . . . REGIS ISRAEL, REGNAVIT AMASIAS.] Hic ſecundus annus Joas intelligendus eſt, ex quo in ſocietatem imperii a patre Joachaz fuerat aſſumptus. Nam biennio ſimul cum patre regnavit, antequam ſolus Regni habenas moderaretur. Ita ſecundus hic annus Joa alio in ſenſu primus eſt, quo ipſe abſolute, ac ſine ullo comite regnare occœpit.

℣. 3. FECIT RECTUM CORAM DOMINO, VERUMTAMEN NON UT DAVID.] In 2. Paralip. 25. 2. habemus: *Fecit bonum in conſpectu Domini, verumtamen non in corde perfecto.* Optime auſpicatus eſt, at male deſiit, & imitatus eſt Joas patrem ſuum: *Juxta omnia, quæ fecit Joas pater ſuus, fecit.* Pietatem quidem primum coluit, eamque Deus remuneratus eſt maximis victoriis, quas ille de hoſtibus reportavit; B ſed cum in ſuperbiam, ambitionem, ac idololatriam cecidiſſet, æque infelici fine, ac Joas dies ſuos clauſit, ab hoſtibus ſuis victus; mox vero a ſubditis ſuis per dolum oppreſſus.

℣. 4. NISI HOC TANTUM, QUOD EXCELSA NON ABSTULIT.] At Joas hæc abſtulerat? Non ne legimus, hæc ipſum reliquiſſe [1]? Quomodo igitur ait Scriptura Amaſiam in omnibus rebus ſecutum fuiſſe patris ſui Joas veſtigia, *niſi hoc tantum, quod excelſa non abſtulit?* Hebraicus textus hoc pacto poteſt intelligi [2]: *Fecit rectum coram Domino; verumtamen non ut David avus illius, & in omnibus imitatus eſt Joas patrem ſuum*; & in regni illius initio nihil aliud poteſt redargui, *niſi hoc tantum, quod excelſa non abſtulit*, æque ac nec Joas abſtulerat illa. C

℣. 5. PERCUSSIT SERVOS SUOS, QUI INTERFECERANT REGEM PATREM SUUM. ℣. 6. FILIOS AUTEM EORUM . . . NON OCCIDIT.] Capitis ſupplicio affecit Joſaphat, & Jozabad, qui interfecerant Joas [3]; ſed quoad filios eorum Moſaicæ Legi obtemperavit [4], quæ jubet, ut innocentibus filiis patrum noxiorum condonetur. Res hæc adnotatur, velut actio juſta; quæ infrequens erat in populo ultionis cupido, ac longe infrequentior apud Principes, præſertim cum ultio expoſcitur ob necem patri, ac Regi illatam, qui a ſuiſmet Ducibus in lectulo ſuo fuerit confoſſus. Hoc ab Amaſia factum fuit, cum primum imperium obtinuit.

℣. 7. IPSE PERCUSSIT EDOM IN VALLE SALINARUM.] Bellum hoc prolixius in Paralipomenis enarratur [5]. D Idumæi a Joram Rege Juda defecerant [6], & jugum domus David excuſſerant. Amaſias omnes nervos intendit, ut illos ad officium revocaret. Joſephus Antiqu. *l.* 9. c. 10 putat, Regi conſilium fuiſſe eodem ſimul tempore Amalecitis, & Gabilitanis bellum inferendi, quorum poſtremi Idumæn ſunt populi, quorum regio ad rubrum mare verſus Abalitem ſinum extenditur [7]. Ut ingens hoc cœptum perficeret, in ditione ſua delectum habuit tercentum mille virorum, & præterea centum mille ex Regno Iſrael conſcripſit milites, centum talentorum impendio. Cum jam jam caſtra moturus eſſet, a Propheta quodam admonitus eſt, ut centum mille viros ex Iſrael dimitteret, eo quod Dominus non eſſet cum illis. Quid igitur fiet, reſpondit Rex de talentis, quæ pro his erogavi? Habet Dominus, Propheta A inquit, unde huic jacturæ conſulat, ſi illius feceris mandata. Remiſit igitur centena hominum millia, & cum copiis Juda ſolum profectus in aciem deſcendit, ubi decem hoſtium millia cæſa fuerunt, & totidem capta, quæ mox de Petra, cui deinceps Jectehel nomen factum eſt, in præceps dedit. Manus conſertæ ſunt *in valle Salinarum*, quæ in meridionali Aſphaltitis lacus, aliter maris ſalicti, extremitate ſtatuitur. At in 3. Reg. 8. 13. oſtendimus, vallem hanc fortaſſe fuiſſe in meridionali Idumæa non admodum a Palmyra procul, Meridiem verſus, aut verſus Bozram caput Idumææ.

APPREHENDIT PETRAM IN PROELIO, VOCAVITQUE NOMEN EJUS JECTEHEL.] Urbs Petra nomen ſuum Arabiæ Petrææ impoſuit; hæc ſita eſt ſatis B prope Salinarum vallem, paullo intra Arabiam, Cades verſus. Antiquitus *Rekem*, vel Arke, vel Hagor vocabatur, aſſeruntque pleraſque domos ibi in rupibus eſſe excavatas. Hebraice hic [8] *Sela* appellatur, quod genericum nomen eſt, æque ac Latinum *Petra* ad lapidem, vel rupem ſignificandum. Quamobrem nonnulli Interpretes iſthic de rupe intelligunt, quo Idumæi poſt acceptam cladem confugerant, ubi ab Amaſia vi capti, præcipites ab eodem de rupis vertice deturbati ſunt; quapropter petræ illi nomen *Jectehel* [9] impoſitum fuit, quod *Domini obedientiam* ſignificat, ut eſſet veluti poſteritati monumentum, victoriam, quam de Edom retulerat, fuiſſe obedientiæ fructum, eo quod Domini mandatis paruerat, centum Iſraelitarum millia dimittens, quos conduxe- C rat, vel a Joas ipſorum Rege emerat.

℣. 8. TUNC MISIT AMASIAS NUNTIOS AD JOAS . . . DICENS: VENI, UT VIDEAMUS NOS.] Amaſias victoria de Idumæis relata elatus, cum jam ſe invictum cenſeret, & finitimis omnibus terrorem incutere arbitraretur, miſit, qui Joas Regi Iſrael bellum indicerent, vel ſaltem qui peterent colloquium, ut inter ipſos lites componerentur. Amaſias conquerendi cauſas habebat adverſus Iſrael; quin enim memorem veterem dolorem ob decem tribuum ſeceſſionem, qui domus David detrectarant imperium, Jehu avus Joas Regis Iſrael occiderat Ochoziam Regem Joda [10], & complures ex illius conſanguineis, nulla adductus ratione. Præterea Amaſiæ jus fuiſſe videtur repetendi ſaltem partem centum talentorum, quæ Re- D gi Iſrael pro centum mille militibus perſolverat, quos juſſus fuerat remittere. Denique hi milites Iſrael redeuntes ſe ſe in urbes Juda effuderant, & tribus hominum millibus cæſis, veluti indicto bello, regionem igne, ferroque vaſtaverant 2. Par. 25. 13. Hiſce actus cauſis Amaſias petere poterat, ut ſibi a Rege Iſrael ſatisfieret. Locutio hæc: *Veni, & videamus nos*; Vel juxta Hebraicam lectionem [11]; *Veni, videamus in facie*, ratio eſt vere belli indicendi. Joas non aliter id intellexit; & eodem ferme pacto Abner dicebat ad Joab 2. Reg. 2. 14. *Surgant pueri, & ludant coram nobis*. Hoc eſt, initium pugnæ fiat. Infra etiam c. 23. 29. legimus Joas *vidiſſe Regem Ægypti*, hoc eſt cum eo dimicaſſe. Et Latini eodem in ſenſu dicunt *Cernere ferro*. Virg. Æneid. 12. *Inter ſe coiiſſe viros, & cernere ferro*. Vide Servium in hunc locum.

Joſe.

---

1 4. Reg. 12. 3. *Verumtamen excelſa non abſtulit*.
2 ככל אשר עשה יואש אביו עשה רק הבמות לא סרו 3 4. Reg. 12. 21. 4 Deut. 24. 16. Ezechiel 18. 18. 5 2. Par. 25. 5. 6. & ſeqn. 6 4. Reg. 8. 20. 7 Vide Bochart. Phaleg. l. 3. c. 23. ad finem. גבל Græc. γέβαλ. 8 הסלע 9 יקתאל 10 4. Reg. 9. 27. & 10. 13.
11 לכה נתראה פנים

Josephus Antiqu. l. 9. c. 10 & alii quidam post illum [1], putant, Amasiam misisse, qui Joas, & omni populo Israel edicerent, ut illum Regem suum agnoscerent, ac se se domui David subjicerent, quemadmodum illi majores ipsorum paruerant, alioquin illis bellum indicerent. Sanctius huic subscribit sententiæ, ac animadvertit Amasiam hac de re Consiliatorum suorum suffragia expetiisse [2]: *Amasias inito pessimo consilio, misit ad Joas*; at quis crediderit in principiis hujus Concilii disceptatum fuisse, an sibi esset eundum ad copias suas ostentandas adversus finitimum Regem? Aliam igitur hac æquiorem causam præcessisse credendum est. At ne plures satis validas superius attulimus? Textus Paralipomenon, quem modo attulimus, non ait ipsum coegisse concilium; ait vero simpliciter, hoc consilium cepisse, hanc agendi rationem iniisse.

℣. 9. CARDUUS LIBANI MISIT AD CEDRUM.] Similitudines, & Apologi in delitiis erant populorum illorum, quorum sapientiæ pars posita erat in id genus studiis, cum occasio suppeteret. Aliud jam intuiti sumus exemplum in Judicum historia 9. 7. 8. ubi Joathan Gedeonis filius Sichimitas exprobrat, eo quod legitimos Gedeonis filios reliquissent, ut adhærerent Abimelech, qui nothus erat. Ioas Rex Israel non magis industrium, neque aptum magis ad Amasiæ superbiam infringendam, dicendi genus poterat invenire, quam illum Carduo conferendo, qui cum Cedro de gloria certare velit. Simul etiam se super illum extollebat, ostendebatque, quam inanes essent illius conatus. Syriaca Versio, & Arabica pro Carduo [3] *Prunum* habent: Hebraica vox proprie spinam significat, aculeum.

℣. 10. CONTENTUS ESTO GLORIA, & SEDE IN DOMO TUA.] Hebraice ad litteram [4]: *Glorificare, & sede in domo tua*. Fruere victoriæ tuæ voluptate, & tecum gaude; at ne alios ciere velis.

℣. 11. VIDERUNT SE . . . IN BETHSAMES.] Prope hanc urbem, quæ Regi Juda subjecta fuit, licet in tribu Dan, ac in finibus Philisthiim, pugnatum est. Ex 2. Paralipom. 25. 14. intelligimus, Amasiam Regem Juda post relatam de Idumæis victoriam, populorum illorum numina in Judæam deportasse, atque dementem adeo fuisse, ut illa veneraretur, Deus prophetam misit, qui hoc illi exprobraret; at prophetæ ferociter respondit Rex: Numquid Regis es Consiliarius? Tace, ne te gladio percutiam. Propheta vero se inde recipiens; Scio, inquit, Dominum tibi necem inferre decrevisse, ut in tuam impietatem animadvertat; & Historicus addit, Deum non permisisse, ut Rex hæc monita auscultaret, neque animum iis adverteret, quæ illi Rex Israel responderat, eo quod illum in hostium ipsius manus traditurus erat, propterea quod Idumææ numina coluisset.

℣. 13. INTERRUPIT MURUM JERUSALEM A PORTA EPHRAIM USQUE AD PORTAM ANGULI, QUADRINGENTIS CUBITIS.] Josephus Antiqu. l. 9. cap. 10. ait, trecentos tantum muri cubitos Joas dejectos fuisse; additque, principem hunc ingressum fuisse Jerusalem cum curru suo per muri hiatum, Amasiam captivum, veluti in triumphum agens. Porta Ephraim erat circiter in media longitudine muri Jerusalem, qua occasum spectabat; Porta vero Anguli ad angulum erat posita, in quem meridionale, ac occiduum latus concurrebant.

℣. 14. ET OBSIDES.] Hebraicus textus isthic, & in Paralipomenis [5] habet: *tulit filios obsidum*, Chaldæus [6]: *tulit filios Optimatum Regni*. In Paralipomenis Interpretes longius adhuc a Vulgata recedunt, Septuaginta [7]: *Filios immixtionis*: intelligunt plane plebeculam, æque ac Syriaca Versio, & Arabica.

℣. 15. ET FORTITUDO EJUS, QUA PUGNAVIT CONTRA AMASIAM.] In eo sane prœlio, in quo Joas Amasiam devicit, virtutem suam prodidit, cujus isthic meminit Scriptura: quod persuadet exercitum Juda summis viribus obstitisse, & Joas vi urbe Jerusalem fuisse potitum. Josephus contrarium asserit; ait enim Amasiæ copias inani timore perterritas fugam corripuisse, & Amasiam a suis derelictum, ab hostibus fuisse captum, mox vero a Joas coactum, ut portas Jerusalem victori aperiri juberet; quæ omnia suo Marte commentus est.

℣. 19. FACTA EST CONTRA EUM CONJURATIO IN JERUSALEM.] Non desunt, qui putent, in odium cladis, qua ab Joas fuerat affectus, & propter murorum Jerusalem subversionem, conjurationem in Regem factam fuisse; quamobrem coguntur asserere, ipsum veluti extorrem, & exulem duodecim annos in Lachis vixisse, cum post acceptam cladem minime esset ausus in Jerusalem prodire [8]. At Usserius ann. M. 3194. conjurationem hanc ultimo Regis Amasiæ anno factam, arbitratur.

℣. 21. TULIT AUTEM UNIVERSUS POPULUS JUDA AZARIAM.] Et constituit eum Regem in loco Patris illius. Rex hic alio nomine *Ozias* quoque appellabatur 2. Paralip. 26. 1. Conjuratio contra Amasiam inita populo minime probata fuisse videtur; quandoquidem illi justa persoluta fuere in civitate David, elatusque fuit in tumulos Regum, & deinde filius ipsius, sexdecim annos tantummodo natus ad Regnum evectus est.

℣. 22. IPSE ÆDIFICAVIT ELATH, ET RESTITUIT EAM JUDÆ.] David universam subegerat Idumæam, ideoque hanc urbem etiam, quæ sita est ad orientale Erithræi maris brachium, quod proprio nomine Prisci *Elaniticum sinum* vocabant. Amasias post victoriam de Idumæis relatam, iterum plane subegerat, saltem illius regionis partem; Azarias filius ejus plura, quam pater, præstitit; cepit enim Elath, eamque, ut antea, Regum Juda subjecit imperio.

℣. 25. IPSE RESTITUIT TERMINOS ISRAEL.] Recepit regionem, & urbes, quas Reges Syriæ ceperant, atque a Regno Israel divulserant post decem tribuum secessionem, ita ut, hoc Rege imperante, regio omnis, quæ ab urbe Emath in Septentrionali plaga, ad mare mortuum in meridionali, iterum Regi Jeroboam secundo paruerit, æque ac, cum facta fuerat Israel a Juda secessio, Jeroboam primo, Regni Israel Auctori, obtemperaverat.

PER SERVUM SUUM JONAM FILIUM AMATHI PROPHETAM, QUI ERAT DE GETH, QUÆ EST IN OPHER.] Hic insignis est propheta Jonas, cujus extant prophetiæ, & qui ad Ninivem missus fuit. Hic erat filius Amathi, e Galilæa oriundus, & ex urbe Geth-Opher in tribu Zabulon [9], prope Diocæsaream. Videri potest nostra Præfatio in hunc prophetam. In hujus opere, quod nobis reliquum est, nequaquam legimus illius vaticinia de victoriis Jeroboam; at nemo ignorat, non omnia extare, quæ prophetæ scriptis mandarunt, & prophetas non omnia, quæ vaticinati sunt, scriptis mandasse.

℣. 26. EO QUOD CONSUMPTI ESSENT USQUE AD CLAUSOS CARCERE, ET EXTREMOS.] Hebraicus textus legit simplicius [10]: *nec clausus adest, neque extremus*; hoc est, nemo calamitatibus, ac Regni infortuniis aderat exors; qui maxime tectus erat, & qui maxime derelictus infirmiores, æque ac validiores iræ Divinæ experiebantur effectus. Videri possunt, quæ alibi diximus [11] de paribus loquendi rationibus,

Quo-

---

1 Ita Tost. qu. 10. & Hist. Schol.
2 2. Par. 25. 17. ויועץ אמציהו וישלח
3 החוח אשר בלבנון 70. ὁ ἄκανος ὁ ἐν τῷ Λιβάνῳ.
4 הכבד ושב בביתך
5 2. Par. 25. 24. בני התערבות
6 ית בני רברביא
7 τοὺς υἱοὺς τῶν συμμίξεων.
8 Vide Jun. Malv. Pisc. & Sanct.
9 Josue 19. 13.
10 ואפס עצור ואפס עזוב
11 Deut. 32. 36. & 3. Reg. 14. 10.

℣. 28. QUOMODO RESTITUIT DAMASCUM, ET EMATH JUDÆ IN ISRAEL.] David omnem Syriam sui juris fecerat, suoque addiderat imperio, ideoque Damascum etiam, atque Emath, quæ regionis illius validiores erant civitates, subegerat [1]. Damascus caput erat Syriæ Damasci, & Emath caput Syriæ Soba. Jeroboam secundus [2] eas recepit civitates, quæ antiquitus Judæ parebant, easque suo Regno conjunxit. Non desunt, qui censeant, Regem hunc urbes illas Regno Judæ reddidisse, eo quod jure ad illud spectarent; at jure victoriæ sibi utile dominium reservasse, vel vectigal, quod ex his civitatibus hauriebatur. Hebraicus Textus [3], Chaldaicus, A & Septuaginta sententiæ huic suffragantur. Syriaca versio, & Arabica nomen *Juda* neglexere, & censuerunt non secus ac alii pauci [4], Jeroboam sibi hæc oppida, quibus sumptibus, ac periculis suis erat potitus, servasse.

℣. 29. DORMIVIT JEROBOAM CUM PATRIBUS SUIS.] Naturali fato abreptus fuit. Propheta Amos [5], qui hoc Rege imperante, degebat, ab Amasia Sacerdote Bethel accusatus fuit, perinde quasi dixisset, Jeroboam gladio esse interiturum: *in gladio morietur Jeroboam*. Verum hæc calumnia fuit Sacerdotis aureorum vitulorum, quia movere studebat Amos, qui illi quamdam ingerebat suspicionem.

1 Vide 1. Par. 18. 3. 5. 6. 7. & 2. Reg. 8. 6. & 14. & 2. Par. 8. 3. 2 Vat. Jun. Pisc. Menoch. &c.
3 השיב ליהודה Chald. ואתיב לרבית יהודה *Restituit domui Juda*. 70. *ἐπέστρεψε τὴν Δαμασκὸν τῷ Ἰούδᾳ*.
4 Gros. Sanct. Tirin. Cornel. 5 Amos 7. 11.

CAPUT XV.

Azaria lepra percusso, Joathan filius illius regnat pro eo. Sellum occidit Zachariam Regem Israel, ac succedit illi; cui deinde Manahem succedit, qui tributum solvit Phul Regi Assyriorum. Post Manahem Phaceja succedit. Phacee filius Romeliæ occidit Phacejam, & regnum usurpat. Teglathphalasar in Assyriam transfert magnam Israelitarum partem. Osee succedit Phacee in regno Israel, in Juda vero Achaz succedit Regi Joathan.

1. ANno vigesimo septimo Jeroboam regis Israel, regnavit Azarias filius Amasiæ regis Juda. 2 Sedecim annorum erat, cum regnare cœpisset, & quinquaginta duobus annis regnavit in Jerusalem: nomen matris ejus Jechelia de Jerusalem. 3 Fecitque, quod erat placitum coram Domino, juxta omnia, quæ fecit Amasias pater ejus. 4 Verumtamen excelsa non est demolitus: adhuc populus sacrificabat, & adolebat incensum in excelsis. 5 Percussit autem Dominus regem, & fuit leprosus usque in diem mortis suæ, & habitabat in domo libera seorsum: Joathan vero filius regis gubernabat palatium, & judicabat populum terræ. 6 Reliqua autem sermonum Azariæ, & universa, quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum regum Juda? 7 Et dormivit Azarias cum patribus suis: sepelieruntque eum cum majoribus suis in civitate David, & regnavit Joathan filius ejus pro eo. 8 Anno trigesimo octavo Azariæ regis Juda, regnavit Zacharias filius Jeroboam super Israel in Samaria sex mensibus. 9 Et fecit, quod malum est coram Domino, sicut fecerant patres ejus: non recessit a peccatis Jeroboam filii Nabat, qui peccare fecit Israel. 10 Conjuravit autem contra eum Sellum filius Jabes: percussitque eum palam, & interfecit, regnavitque pro eo. 11 Reliqua autem verborum Zachariæ, nonne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Israel? 12 Iste est sermo Domini, quem locutus est ad Jehu, dicens: Filii tui usque ad quartam generationem sedebunt super thronum Israel. Factumque est ita. 13 Sellum filius Jabes regnavit trigesimo nono anno Azariæ regis Juda: regnavit autem uno mense in Samaria. 14 Et ascendit Manahem filius Gadi de Thersa: venitque in Samariam, & percussit Sellum filium Jabes in Samaria, & interfecit eum, regnavitque pro eo. 15 Reliqua autem verborum Sellum, & conjuratio ejus, per quam tetendit insidias, nonne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Israel? 16 Tunc percussit Manahem Thapsam, & omnes, qui erant in ea, & terminos ejus de Thersa: noluerant enim aperire ei: & interfecit omnes prægnantes ejus, & scidit eas. 17 Anno trigesimo nono Azariæ regis Juda, regnavit Manahem filius Gadi super Israel decem annis in Samaria. 18 Fecitque, quod erat malum coram Domino: non recessit a peccatis Jeroboam filii Nabat, qui peccare fecit Israel cunctis diebus ejus. 19 Veniebat Phul rex Assyriorum in terram, & dabat Manahem Phul mille talenta argenti, ut esset ei in auxilium, & firmaret regnum ejus. 20 Indixitque ei Manahem argentum super Israel cunctis potentibus, & divitibus, ut daret regi Assyriorum, quinquaginta siclos argenti per singulos: reversusque est rex Assyriorum, &

non est

non est moratus in terra. 21 Reliqua autem sermonum Manahem, & universa, quæ
fecit, nonne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Israel? 22 Et dor-
mivit Manahem cum patribus suis: regnavitque Phaceja filius ejus pro eo. 23 An-
no quinquagesimo Azariæ regis Juda, regnavit Phaceja filius Manahem super Israel
in Samaria biennio. 24 Et fecit, quod erat malum coram Domino, non recessit a pec-
catis Jeroboam filii Nabat, qui peccare fecit Israel: 25 Conjuravit autem adversus
eum Phacee filius Romeliæ, dux ejus, & percussit eum in Samaria in turre domus re-
giæ, juxta Argob, & juxta Arie, & cum eo quinquaginta viros de filiis Galaaditarum,
& interfecit eum, regnavitque pro eo. 26 Reliqua autem sermonum Phaceja, & uni-
versa, quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Israel? 27
Anno quinquagesimo secundo Azariæ regis Juda, regnavit Phacee filius Romeliæ super
Israel in Samaria viginti annis. 28 Et fecit, quod erat malum coram Domino: non
recessit a peccatis Jeroboam filii Nabat, qui peccare fecit Israel. 29 In diebus Phacee
regis Israel venit Teglathphalasar rex Assur, & cepit Ajon, & Abel domum, Maacha,
& Janoe, & Cedes, & Asor, & Galaad, & Galilæam, & universam terram Nephtali:
& transtulit eos in Assyrios. 30 Conjuravit autem, & tetendit insidias Osee filius Ela
contra Phacee filium Romeliæ, & percussit eum, & interfecit: regnavitque pro eo vi-
gesimo anno Joathan filii Oziæ. 31 Reliqua autem sermonum Phacee, & universa,
quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Israel? 32 Anno
secundo Phacee, filii Romeliæ regis Israel, regnavit Joatham filius Oziæ regis Juda.
33 Viginti quinque annorum erat, cum regnare cepisset, & sedecim annis regnavit
in Jerusalem: nomen matris ejus Jerusa, filia Sadoc. 34 Fecitque, quod erat placi-
tum coram Domino: juxta omnia, quæ fecerat Ozias pater suus, operatus est. 35
Verumtamen excelsa non abstulit: adhuc populus immolabat, & adolebat incensum
in excelsis: ipse ædificavit portam domus Domini sublimissimam: 36 Reliqua autem
sermonum Joatham, & universa, quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in Libro verbo-
rum dierum regum Juda? 37 In diebus illis cepit Dominus mittere in Judam Ra-
sin regem Syriæ, & Phacee filium Romeliæ. 38 Et dormivit Joatham cum patribus
suis, sepultusque est cum eis in civitate David patris sui, & regnavit Achaz filius
ejus pro eo,

ỳ. 1. ANNO VIGESIMO SEPTIMO JEROBOAM .... REGNAVIT AZARIAS.] Adnotavimus jam Azariam in Paralipomenis *Oziam* vocari. Josephus eum eodem semper nomine appellat; & Grotius censet, *Oziam* verum esse nomen illius, cum Librarii perperam utrumque nomen confuderint. Azarias regnum occœpit anno Jeroboam septimo supra vigesimum, initium numerandi sumendo ab eo tempore, quo Jeroboam a patre in societatem Regni vocatus fuit anno 3168. At si recensere velis ex quo Jeroboam solus, atque absolute regnare occœpit post patris sui Joas Regis Israel interitum, initium Joas contigit dumtaxat undevigesimo anno Jeroboam ab Orbe Condito 3194.[1], Hoc pacto conciliamus locum hunc cum eo, quod alibi dicitur[2], hoc est Amasiam Azariæ patrem quin- B decim tantum annis regnasse post Jeroboam secundi regni primordia. Quæ si vera sunt, inquiunt, quomodonam Azarias, qui immediate successit Amasiæ patri suo, regnum auspicabitur vigesimo septimo anno Jeroboam? Præterea capite eodem 1 dicitur Jeroboam regnum adiisse anno Amasiæ decimo quinto, & Amasiæ regnum universum undetriginta annorum fuisse 4. Reg. 14. 2. Quocumque modo isthæc intelligas, numquam tanta varietas poterit conciliari, nisi confugias ad regni Principis ejusdem initia, quemadmodum nos supra fecimus; vel nisi dicas, errorem in numeros obrepsisse; quæ postrema ratio a quibusdam eruditis[4] viris proposita, sane expeditior est, at magis periculo obnoxia, propter pravos effectus, quos secum trahit, in A dubium Textus revocans integritatem. Hac ratione, nisi extrema postulet necessitas, utendum non est.

ỳ. 3. FECIT, QUOD ERAT PLACITUM CORAM DOMINO.] In 2. Paral. 26. 4. 5. promissam invenimus laudabilium ab hoc Principe rerum gestarum narrationem; quæ operæ pretium reor isthic colligere, ut justum virtutum suarum specimen tribuamus. Felicitati illius est adscribendum, quod egregium consiliarium invenerit, nempe Prophetam Zachariam, qui summa cum sapientia assuis illi, donec ei Rex aures præbere voluit, cujus consilia secutus nihil aggressus est, quod ipsi gloriæ non cesserit, atque reipublicæ fauste, atque feliciter verterit. Bello cum Philisthiim, Ammonitis, ac Arabibus dimicavit, ac ex illis maximas victorias reportavit. Jerosolymæ propugnacula in- B stauravit, atque auxit, turres ædificavit, ac cisternas effodit in agris, ut ibi tuto magis, & commode pastores versarentur. Oeconomiæ, & agriculturæ animum appulit. Exercitûs illius erat tercentum ac septem mille, & quingentorum militum. Magnam armorum collegit vim, maxima extruit munimenta, atque tormenta ad urbes tum oppugnandas, tum propugnandas; at cum ambitio, quæ plerumque ex ipsa oritur virtute, & quæ pessimum est magnarum animarum virus, in Azariæ animum obrepsisset, ipse Domini oblitus est, eumque adeo contempsit, ut adversus illius edicta Sacerdotum munera sibi vellet vindicare. Quamobrem a Deo lepra percussus fuit, de qua modo sumus locuti.

ỳ. 4. VERUMTAMEN EXCELSA NON EST DEMOLITUS,

3 Usserius.

2 4. Reg. 14. 16. 17.

4 Capell. Crtic· Grot. Buting.

1 ỳ. 23. *Anno quintodecimo Amasiæ Regis Juda, regnavit*
Jeroboam &c.

tus.] Hoc nequaquam memoratur velut aliquid, in quo patrem suum minime fuerit imitatus; vidimus enim supra c. 14. 4. nec ipsum subvertisse excelsa, quæ Domino dicata erant; nam haud fidei consonum est, ipsum omnia passim fuisse excelsa loca Idolis consecrata.

℣. 5. PERCUSSIT DOMINUS REGEM, & FUIT LEPROSUS.] Cum Osias Rex adversus Dei mandata, atque invitis Sacerdotibus Sanctum ingredi, atque thus super aram thymiamatis adolere ausus esset [1], quod solis Sacerdotibus ex Aaronis familia erat fas [2]; Summus Sacerdos, qui tunc præerat, nomine *Azarias* una cum octoginta Sacerdotibus divino zelo flagrantibus, Regi obstitere, dicentes, munus hoc solis Sacerdotibus reservari, ac proinde a Sancto se se reciperet; illud enim facinus a Deo nequaquam iri probatum. Rex hac resistentia irritatus a suscepto opere dimoveri minime passus in Sacerdotes ipsos minitabundus exarsit: at repente ibidem lepra percussus; quæ statim in frontem illius se se prodidit, ita ut Summus Sacerdos, & qui illum comitabantur, eam agnoscentes, Regem statim e templo exire compulerit. Osias ipse hac plaga perterritus, qua se affectum sensit, celeriter se se recepit. Josephus [3] huic prodigio alia miracula quædam admiscet, qua sunt apocrypha. Eodem temporis momento, quo Osias thus super Altare adolere voluit, ingens terræ motus auditus est; Templi superior pars conscissa est, ac solaris radius Regis illustrata frontem, eum repente lepra usquequaque obsitam ostendit. Terræ motus adeo violentus fuit, ut partem montis, qui est ad occasum Ierusalem, divulserit, ea vi, ut per quatuor stadiorum spatium in urbem acta, non prius constiterit, quam offenderit montem, qui in orientali plaga assurgebat, ibique omnes Regis hortos obtuerit.

Fatentur quidem omnes, Osia regnante, maximo terram motu fuisse concussam. Amos Propheta hoc ipsum perspicue memorat [4], & Zacharias, motum hunc maximas excitasse in populo turbas refert, cum ait, tunc omnes Ierusalem habitatores aufugisse [5]. Verum non liquet, hoc tunc temporis contigisse, cum Osias Sacerdotalia sibi munia vindicabat, immo in oppositum tendentia suppetere argumenta arbitramur. Amos Propheta ait se prophetare incœpisse *ante duos annos terræ motus*, qui acciderat, dum Osias in Iuda, Ieroboam vero filius Ioas in Israel regnarent. At Ieroboam duobus annis occubuit, antequam Ioathan Osiæ filius nasceretur; quandoquidem Ieroboam e vivis excessit anno Osiæ vigesimo sexto, & Ioathan natus est tantummodo anno vigesimo tertio ejusdem Osiæ. Nihilominus Ioathan regno aptus erat, cum pater illius lepra percussus fuit, quoniam *palatium gubernabat, & judicabat populum terræ*. Hoc igitur nonnisi pluribus post mortem Ieroboam annis potuit contingere; ideoque terræ motus tunc accidere non potuit, nam diu ante id tempus diem suum obierat.

Hæc omnia juxta Usserii supputationes dispuro, quæ profecto difficultate non carent. Nam supponit, exempli gratia, Ieroboam mortuum esse vigesimo sexto anno Azariæ, licet Scriptura apertissime referat, Zachariam filium Ieroboam successisse patri suo duodequadragesimo Azariæ ejusdem anno [6]. Præterea Ieroboam obiisse putat aliquot annis ante nativitatem Ioathan, etsi in Paralipomenis [7] recensio quædam habeatur sub Regibus Ioathan, & Ieroboam peracta, perinde quasi uterque simul eodem tempore vixerint. Demum undecim annorum interregnum supponit inter Ieroboam, & Zachariam filium ejus, quod ex Scriptura probari nequit, quæ immo asserit, quod Ieroboam fato suo functo, *regnavit Zacharias filius ejus pro eo* [8], quemadmodum alias in locis dicere consuevit, ubi filius immediate patri succedit. Demum Amos, qui coævus erat Ieroboam secundi, & Osiæ Regis Iuda [9], prophetiam suam orditur, biennio ante motum terræ, qui ille esse perhibetur, de quo Iosephus loquitur, cujus narrationem paullo superius attulimus. Hinc palam inferre licet, Usserii hoc in loco supputationes nequaquam posse probari.

HABITABAT IN DOMO LIBERA.] Hebraice [10]: *habitabat in domo libertatis*, in domo ab aliis seposita, nulli contigua. Chaldæus [11]: *habitavit extra Jerusalem*. Syriaca Versio, & Arabica *clam immoratus est*, quin reipublicæ negotiis se permisceret, quin prodiret in publicum; communi civium consuetudini mortuus est. Quapropter nonnulli de hujus recessus tempore explicant id, quod ab Isai. 6. 1. dicitur; *In anno, quo mortuus est Rex Ozias, vidi Dominum sedentem super solium excelsum, & elevatum, &c.* Alii [12] scripserunt, Regem hunc contra Legis edicta, quibus Leprosi urbe prohibentur, ac illis hominum consuetudo interdicitur [13], noluisse egredi Ierusalem, quamobrem Deus, ut Regis inobedientiam puniret, se se Prophetis non amplius prodidit, donec Ozias vixit, noluitque verbum suum populo communicare, qui *cum leproso* habitans immunditiæ sordes contraxerat. At hæ Traditiones ab iis, quæ in Scriptura legimus, refelluntur.

℣. 7. SEPELIERUNT EUM CUM MAJORIBUS SUIS IN CIVITATE DAVID.] Non autem in Regum Sepulchris, sed *in agro Regalium sepulchrorum, eo quod esset leprosus*, habemus in 2. Paralipom. 26. 23. Hinc liquet, quo horrore lepram, & leprosos abominarentur. Hæc enim consueto tumuli jure illorum cineres prohibebat, qui hoc morbo affecti occubuerant. Josephus Antiqu. l. 9. c. 11. ait, ipsum in hortis suis tumulatum seorsim fuisse; intelligit plane hortos domus illius, quo se receperat extra civitatem. At Scriptura ait elatum fuisse in civitatem David, & tumulatum in agro, ubi Regum sepulchra erant effossa.

℣. 8. ANNO TRIGESIMO OCTAVO AZARIÆ . . . . . REGNAVIT ZACHARIAS.] Ut primum Zachariæ annum cum duodequadragesimo Azariæ conciliet Usserius [14], credit admittendum esse interregnum undecim annorum cum dimidio in Israel, a morte Jeroboam secundi ad initium Zachariæ. Quo tempore ait, eas in Regno decem tribuum contigisse turbas, quas Amos vaticinatum fuisse putat cap. 7. & 8. At ℣. 5. satis ostendimus, quam parum constet hoc interregnum.

℣. 10. SELLUM . . . . PERCUSSIT EUM PALAM.] Percussit eum coram populo [15] in publico cœtu, latebras minime quæsivit, fretus plane, facinus suum populo acceptum fore. Quis esset Sellum, nos fugit. Ex Osea videtur Zacharias in Jezrabel fuisse occidendus: *In illa die conteram arcum Israel in valle Jezrahel*. Osee 1. 5.

℣. 12. ISTE EST SERMO DOMINI, QUEM LOCUTUS EST AD JEHU.] Huic Dominus fuerat pollicitus futurum, ut filii ejus ad quartam usque generationem super thronum Israel sederent [16]; equidem sederunt *Joachaz, Joas, Jeroboam secundus & Zacharias*, qui postremus e progenie Jehu regnum obtinuit.

℣. 14. ASCENDIT MANAHEM . . . . DE THERSA, VENITQUE IN SAMARIAM.] Manahem adortus est Sellum,

1 2. Par. 26. 16. 17. & seq. 2 Num. 3. 10. *Aaron, & filios ejus constitues super cultum Sacerdotii. Externus qui ad ministrandum accesserit, morte morietur.* 3 Joseph. Antiqu. l. 9. c. 11. Ita & Hebr. & Cyrill. in c. 14. Zach. & Procop. Gaz. in lib. Reg. & Hieron. in Amos c. 1.
4 Amos 1. 1. *Verba Amos, quæ vidit super Israel in diebus Osiæ . . . ante duos annos terræ motus.*
5 Zach. 14. 5. *Fugietis sicut fugistis a facie terræ motus in diebus Osiæ regis Juda.*
6 4. Reg. 15. 8. 7 1. Par. 5. 17. 8 4. Reg. 14. 29. 9 Amos 1. 1.
10 וישב בבית החפשית 11 Chald. Tost. alii. 12 Chrysost. homil. 5. in c. 6. Isai. Procop. in eundem locum. 13 Levit. 13. 46. 14 Ad an. M. 3220. Ita & Cornel. a Lapide.
15 ויכהו קבל עם 16 4. Reg. 10. 30.

Sellum, eumque occidit. Manahem Dux exercituum Zachariæ erat in urbe Thersa, cum Regem suum a Sellum interfectum agnovit; cujus mortem ut ulcisceretur, a Thersa discessit, venitque cum copiis suis adversus Sellum in Samariam; qui viribus Manahem obsistere nequaquam valens victus fuit, captus, & occisus. Manahem Rex ab exercitu suo renuntiatus, quamprimum rediit Thersam, quæ civitas cum illum Regem excipere noluisset, illique ostia obstruxisset, adeo ille exarsit dolore, ut in agrum illius suam crudelitatem depromserit, & Thapsa, quæ non procul aberat, magis violentos illius ultionis effectus fuerit experta. Scriptura isthic refert ipsum adeo indignatum fuisse, ut mulieres ventrem ferentes discinderet, ut earum fructus in terram eliderct, & sævissime trucidaret. Josephus Antiqu. l. 9. c. 11. majorem rerum harum partem nobis testatam reliquit, ex quibus lux quædam Scripturæ accedit. Verum hæ circumstantiæ non satis fidenter, sed caute excipiendæ sunt; sæpius enim tantummodo ornamenta sunt, & Historici conjecturæ.

℣. 17. Anno trigesimo nono Azariæ .... regnavit Manahem ..... decem annis.] Sellum post mensem, ex quo Regnum usurpaverat, a Manahem occiditur, atque anno eodem, scilicet undequadragesimo Azariæ, Manahem Rex inauguratur; at propter turbas, quibus concussa erat Respublica, pacifica imperii possessione nonnisi post aliquot menses frui potuit. Undecim, præter propter, mensibus hac sollicitudine, & cura agitatus fuit; at cum denique Manahem sibi munerum illecebris conciliasset Phul Assyriorum Regem, ac inter cætera aurei vituli dono, qui a Jeroboam fuerat conflatus [1]; Rex ille in Israel venit, constituit Manahem in solio; verumtamen ea conditione proposita, ut mille adhuc talenta illi dono tribueret. Phul omnes illius adversarios removit, eoque in Regni possessione confirmato secessit. Tunc Manahem pacato regno frui cœpit, sub finem trigesimi noni anni Azariæ; unde Principis hujus anni decem sunt enumerandi [2].

℣. 18. Cunctis diebus ejus.] Referri potest ad Jeroboam filium Nabat, qui, quoad regnavit, peccare fecit Israel; vel potius ad Manahem in hoc sensu: *Manahem non recessit, cunctis diebus regni sui, a peccatis Jeroboam filii Nabat, qui peccare fecerat Israel.*

℣. 19. Veniebat Phul Rex Assyriorum in terram, & dabat ei Manahem mille talenta.] *Phul* plane *Sardanapali* pater est, qui addidit nomen *Pal*, vel *Pul* nomini *Sardan*, vocatusque fuit *Sardan pul*, vel *Sardan-apal*; æque ac *Merodac-Baladan* addidit nomen patris sui *Baladan* nomini *Merodac*, quod ipsi proprium erat [3]. Quæ conjectura, si vera est, dicendus erit Phul idem esse ac *Anacyndaraxes*, vel juxta alios *Anabaxares* [4], quem Profani Sardanapali patrem fuisse dicunt. Stephanus Byzantinus eum *Cyndaraxem* appellat, Julius Africanus *Acrazarnem*, Eusebius *Ocrazapem*; at Strabo, Arrianus, Svidas, ac plerique eum *Anacyndaraxem* vocant. Hic est prior Assyriorum Rex, quem Scriptura in terra Israel nobis ostendat; deinceps vero nonnisi frequentius ibi Assyriorum Reges intuebimur. Caussa, cur Assyrius in eam regionem ascenderit, isthic non affertur. Verum Oseas 5. 13. innuere videtur, accersitum fuisse a Manahem, ut sibi contra inimicos suos opitularetur; *Vidit Ephraim languorem suum, & Juda vinculum suum, & abiit Ephraim ad Assur, & misit ad Regem ultorem*. Scriptura 1. Par. 5. 26. inquit; *Et suscitavit Deus Israel spiritum Phul Regis Assyriorum*, ut veniret adversus Israel. Josephus [5] ait, Phul bellum intulisse Regi Manahem, qui cum se illius impetum propulsare non posse videret, mille talentorum summa ab eo Principe pacem emit. Septuaginta [6] asserere videntur hoc annuum tributum fuisse; legunt enim: *in diebus Manahem Phul Rex Assyriæ venit in regionem, &c.* At Scriptura satis palam hanc auri vim semel tantum erogatam fuisse dicit, & Phul venisse, non ut regioni bellum inferret, sed ut adesset Regi Manahem, ac demum illum in terra Israel immoratum fuisse tantummodo, donec debitam sibi pecuniam exigeret, & in pacifica Regni possessione constitueret Manahem.

℣. 20. Quinquaginta siclos argenti per singulos.] Ex textu videtur Manahem hoc vectigal imposuisse locupletioribus dumtaxat e subditis suis [7]; verum fidei pronius est, neque popellum ab hoc tributo persolvendo immunem fuisse. Scriptura id memorat solum, quod ditiores solvebant: cæteri quoque habita fortunarum ratione æs erogabant. Quinquaginta argentei sicli circiter sunt Gallicæ monetæ libræ una, & octoginta, & aliquid amplius.

℣. 23. Regnavit Phaceja filius Manahem.] De Rege hoc nihil aliud constat, nisi quod duobus regnavit annis, ac patrum suorum impietatem est imitatus. Res ab hoc gestæ descriptæ erant in Fastis Regum Israel [8], quæ ad nos minime pervenerunt. Libri Paralipomenon de his Regibus Israel ne verbum quidem faciunt; post bellum, quo Amasias Rex Juda a Joas Rege Israel victus fuit, eorum historia ad Reges Juda dumtaxat coarctatur.

℣. 25. Phacee filius Romeliæ, Dux ejus, percussit in Samaria.] Phacee erat *Schalisch* Regis Israel, hoc est, unus e primoribus Regni Ministris. Qua de causa in Dominum suum conjuraverit, illique vitam ademerit, latet; regnavit quidem annos viginti, at regnum illius non adeo felix fuit, quemadmodum infra videbimus.

In turre domus regiæ, juxta Argob, & juxta Arie.] Hebraicus textus ita reddi potest [9]: *Occidit eum Samariæ in palatio domus Regiæ, cum Argob, & Arie, & habebat secum quinquaginta viros ex filiis Galaad*. Phacee adortus est Phacejam, stipatus præsidio, ac societate Argob, & Arie & quinquaginta Galaaditarum, qui eidem conjurationi nomen dederant [10].

℣. 29. In diebus Phacee ... venit Teglathphalassar Rex Assur.] Quoad Teglathphalassar in diversa Interpretes abeunt, Sacram Historiam cum profana conciliare studentes, atque apud Profanos Auctores inquirentes Reges eosdem, quorum meminit Scriptura. Usserius credit, Teglathphalassar eumdem esse ac *Ninum juniorem*, qui Sardanapalo successit, & qui ab Æliano hist. Animal. l. 12. c. 21. vocatur *Thilgamus*, quod nomen non valde a Teglathphalassar abhorret. Nomen *Teglas* fluit a Diglit, Tiglit, vel Diglito, quod est Tigris nomen [11]; *Phul* jam in illius avo conspeximus; *Assar* est nomen *Assyriæ*, quod in *alman-assar* quoque invenitur. En autem brevi historiam *Phul*, *Sardan-apal*, & *Teglath-phal-assar*. *Phul* aliter Acyndaraxes Rex Assyriæ pater Sardanapali, fauste, feliciterque celeberrimum Assyriorum rexit imperium, quod tunc inter cætera Orientis regna maxime excellebat. Vero simillimum est, hoc Rege imperante, Jonam in Ninivem missum fuisse

1 Osee 10. 6. & vers. 13. 2 Usser. ad ann. M. 3233.
3 Vide Isai. 39. 1. & Usser. ad an. M. 3233. 4 Athen. l. 7. & 12. Dipnos.
5 Joseph. Antiqu. l. 9. c. 11. Ita & Grot. *Hac pecunia, & bellum redemit, & societatem emit.*
6 ἐν ταῖς ἡμέραις αὐτοῦ ἀνέβη Φουλ βασιλεὺς τῶν Ἀσσυρίων. Ita Menoch. 7 Ita Grot.
8 Vide infra vers. 26.
9 ויכהו בשמרון בארמון בית המלך את ארגב ואת האריה ועמו חמשים איש מבני גלעדים
10 Ita Chald. 70. Syr. Arab. Vat. 11 Genes. 2. 14. Vide Grot. hic.

fuisse, ibique pœnitentiam prædicasse. Regis, incolarumque humiliatio pro ea vice urbem ab extremo vindicavit excidio, quod Propheta illis intentaverat.

Sardanapalus filius *Phul* viginti annos regnavit in Ninive [1]. Hujus imperium non in Assyriam modo, sed in finitimas quoque Provincias, ac in Ciliciam usque protendebatur, ac ipse duas uno die civitates Tharsum, & Anchiale, perhibetur ædificasse [2]. Arbaces Mediæ Præfectus, & Belesus Babylonius molles, ac effœminatas Sardanapali illecebras abominati, in illum conjurarunt, & post aliquot prælia, illum in Ninive obsederunt, qui biennio obsidionem pertulit; at cum anno tertio exundasset Tigris, Ninivis mœnia ad viginti stadiorum, hoc est ad bismille, & quingentos passus subvertit. Sardanapalus se ulterius urbem propugnare posse desperans, extructa pyra, in ædibus suis una cum concubinis, eunuchis, ac universis opibus suis conflagravit; eoque pacto vetus desiit Assyriorum imperium.

Ex hujus ruinis tres Monarchiæ surrexerunt. 1. Medorum, cujus *Arbaces*, aliter *Orbaccus* [3], vel *Pharnaces* [4], jecit fundamenta, cum Medos ab jugo Assyriorum liberasset. 2. Regnum Babyloniorum, cujus *Belesus* conditor fuit. *Belesus* idem est ac ille, qui in Scripturis [5] *Baladan*, & apud Profanos *Nabonassar* [6] vocatur. Quatuordecim Babylone regnavit annos, atque successorem habuit *Merodac-Baladan* filium suum. 3. Assyriorum Monarchia ad veteres redacta fines, iterum a *Nino juniore*, aliter *Tilgam*, vel *Teglathphalassar* constituta fuit, qui Ninivem instauravit, & in Assyria proprie dicta undeviginti regnavit annos [7]. Hic est Auctor Regum Assyriæ, de quibus post Sardanapalum est sermo. Hic status est Regnorum Orientis, dum Joathan, Achaz, Ezechias, & eorum successores in Juda regnarent, dumque Zacharias, Sellum, Manahem, Phacea, aliique deinceps imperarent in Israel. Cum nos historica tempora Regum Orientis debeamus inferius attingere, quorum res gestæ cum Hebræorum historia non mediocrem habent affinitatem, opus fuit, ut aliquando quinam ibi gentium status rerum esset, exponeremus. Cum autem Phacee Rex Israel, & Rasin Rex Syriæ dimicarent, Teglathphalassar ab Achaz accersitus in Syriam venit, ac in regnum Samariæ, quemadmodum capite sequenti videbimus.

COEPIT AION.] Hæc eadem est, ac *Abion*, de qua 3. Reg. 15. 20. sermo fuit. Ezechiel 48. 1. loquitur de *Enan*, quæ erat in finibus Damasci. Hæc prior occurrebat Regi Assyriæ ex regione sua in terras Israel venienti. Jeroboam secundus omnia Syriæ oppida receperat, quæ antiquitus Regibus Juda paruerant 4. Reg 14. 28. Ea vero nunc de manu Phacee Regis Israel Teglathphalassar capit.

ABEL-DOMUM MAACHA.] Vel *Abel Beth-Maacha*, vel simpliciter *Abela*, vel *Abelmaim*. In hanc civitatem Seba filius Bochri, Davide imperante, se se receperat 2. Reg. 20. 14. 15. Hæc civitas est ex maxime borealibus in regno Israel.

JANOE.] Urbs invenitur hoc eodem nomine in tribu Ephraim [8], quod Eusebius in Acrabatene constituit. Vix ego crediderim, Teglathphalassar hac regione fuisse potitum. Syriaca Versio, & Arabica hanc *Nibanm* vocant. Adest in tribu Zabulon [9] urbs cui nomen *Noa*.

CEDES.] Insignis est in tribu Nephtali. Vide Josue 12. 22.

AZOR.] Vetus civitas, ac celebris, quæ ante Josue primum sibi vindicabat locum inter urbes Galilææ. Vide Josue 11. 1.

GALAAD.] passim pro omni regione trans Jordanem posita accipitur, licet proprie montes tantum significet, qui terminant regnum Israel trans illud flumen.

GALILÆAM, & UNIVERSAM TERRAM NEPHTALI.] Superiorem Galilæam trans Jordanem, & terram, quæ contigit tribui Nephtali citra hunc fluvium. Cum omnes has civitates Teglathphalassar subegisset, eorum cives in Assyriam abduxit, quæ cultoribus indigebat, ut iterum Regnum suum frequentaretur, quod misere vastatum fuerat, dum Arbacis, ac Belesi bella contra Sardanapalum desævirent. Legimus 1. Par. 5. 26. Teglathphalassar transtulisse Ruben, Gad, ac dimidiam Manasse, hoc est tribus omnes, quibus trans Jordanem hæreditas contigerat; easque eduxisse in *Lahelam*, *Habor*, & *Avam*, & ad fluvium *Gozan*. At de Galilæis, & Nephtalitis, eos in Assyriam simpliciter fuisse translatos legimus, & Syros Damasci in Kir; quod suo loco explicabimus.

℣. 30. CONJURAVIT .... OSEE FILIUS ELA CONTRA PHACEE .... REGNAVITQUE PRO EO VIGESIMO ANNO JOATHAN FILII JOSIÆ.] Vigesimus hic annus Joathan, quartus erat Achaz filii ipsius; nam quatuor ante id tempus annis Joathan occubuerat; qui sexdecim tantummodo regnavit annos, uti videre est ℣. 32. 33. Cum Scriptura nihil adhuc dixerit de Achaz, annos recensere perstitit ab initio Joathan, licet non amplius inter vivos degeret. Osee non statim Regno Israel potitus est propter turbas, quæ insurrexere; sed post novem annos ab obitu Phacee regnum occœpit. Hæc est Usserii sententia, ut conciliet locum hunc cum capite 17. ℣. 1. ubi Osee dicitur regnare incœpisse duodecimo anno Achaz. At alia occurrit difficultas, cui, non video, quomodo satis fiat; hoc est, Phacee morte in vigesimum annum Joathan relata, duos ac viginti annos regni tribui Phacee, quamquam Scriptura (isthic ℣. 27.) viginti eum annos dumtaxat regnasse testetur. Joathan Rex inauguratus est secundo anno Phacee (℣. 32.) regnavit vero annos sexdecim. (℣. 33.) Ergo annus vigesimus post initium Joathan, erit Phacee vigesimus secundus.

Ut hæc omnia concilientur, dicere malim Osee conspirasse adversus Phacee, anno Regis hujus vigesimo, qui duodevigesimus erat post Josthan Juda Regis initium. Bicooio post, hoc est, quarto anno Achaz, & vigesimo Joathan, Osee regni parte potitus est (juxta ℣. 30.) denique vero duodecimo anno Achaz, Osee pacificam regni totius possessionem obtinuit, juxta Caput 17. ℣. 1.

℣. 34. FECIT, QUOD ERAT PLACITUM CORAM DOMINO.] Scriptura isthic non redarguit illum, nisi quod juxta decessorum suorum exempla passus fuisset, populum sacra facere, ac thus adolere Domino in excelsis. Imitatus est pietatem Osiæ patris sui; verum patris ambitionem minime est imitatus, qua sibi jus thuris in Templo offerendi munus vindicare studebat. Quasdam condidit urbes in montibus Juda, & nonnullas turres, ac arces in solitudinibus. Bellum intulit Ammonitis, eosque coegit, ut sibi centum argenti talenta persolverent, ac decem mille tritici mensuras, ac hordei tantumdem tribus continuis annis. Deus huic Principi benedixit, qui in omnibus rebus gestis summa floruit felicitate. Hæc autem ex 2. Paralip. 27. 2. novimus.

℣. 35. ÆDIFICAVIT PORTAM DOMUS DOMINI SUBLIMISSIMAM.] Hæc nova est porta, quam Salomonis Templo addidit, vel est magna Orientalis porta, quam instauravit. Hanc plane Jeremias portam novam appellat c. 26. 10. & 36. 10. Josephus [10] docet ostia atrii Templi, quod post captivitatem exteu-

---

1 Jul. Afric. & Euseb. 2 Vide Strabon. lib. 14. 3 Ita apud Strabon. 4 Ita Vell. Paterculus. 5 Isai. 39. 1. & 4. Reg. 20. 12. 6 Hipparch. Ptolem. Censorin. 7 Euseb. in Græco Chron. ex Castore Rhodio. 8 Josue 16. 6. 9 Josue 19. 13. 10 Joseph. de bello Jud. l. 6. c. 6. in lib. 2. contra Appion. ait fores Templi fuisse 60. cubitum altitud. & 20. latitud.

eriectum fuit; triginta cubitorum altitudine, quindecim vero latitudine præstitisse; & portam Templi habuisse quinquaginta cubitorum altitudinem, latitudinem vero quadraginta. In 2. Paralipom. 27. 3. etiam legimus Principem hunc ingentia fecisse opera in muris Jerusalem.

℣. 37. IN DIEBUS ILLIS COEPIT DOMINUS MITTERE IN JUDAM, RASIN REGEM SYRIÆ, & PHACEE FILIUM ROMELIÆ.] Initium bellorum inter Reges Syriæ, ac Samariæ, ac Regem Juda statuitur paullo ante mortem Joathan Regis Juda [1], & Achaz regnante præsertim, omnes conatus suos exercuere; quemadmodum infra innotescet.

1 Vide Usser. ad an. M. 3262.

CAPUT XVI.

Achaz Idola veneratur. Hunc Phacee, & Rasin adoriuntur, & obsident; sed Assyriæ Rege illi opem ferente, obsidione liberatur. In Templo Aram extrui jubet Aræ Damasci persimilem. Moritur, illique succedit Ezechias.

1. ANno decimo septimo Phacee filii Romeliæ, regnavit Achaz filius Joatham Anno M.
regis Juda. 2 Viginti annorum erat Achaz, cum regnare cœpisset, & 3262. ante J. C.
sedecim annis regnavit in Jerusalem: non fecit, quod erat placitum in 742.
conspectu Domini Dei sui, sicut David pater ejus. 3 Sed ambulavit in via re-
gum Israel: insuper & filium suum consecravit, transferens per ignem secundum
idola gentium: quæ dissipavit Dominus coram filiis Israel. 4 Immolabat quoque
victimas, & adolebat incensum in excelsis, & in collibus, & sub omni ligno fron-
doso. 5 Tunc ascendit Rasin rex Syriæ, & Phacee filius Romeliæ rex Israel, in
Jerusalem ad præliandum; cumque obsiderent Achaz, non valuerunt superare eum.
6 In tempore illo restituit Rasin rex Syriæ Ailam Syriæ, & ejecit Judæos de Ai-
la: & Idumæi venerunt in Ailam, & habitaverunt ibi usque in diem hanc. 7
Misit autem Achaz nuntios ad Teglathphalasar regem Assyriorum, dicens: Servus
tuus, & filius tuus ego sum: ascende, & salvum me fac de manu regis Syriæ, &
de manu regis Israel, qui consurrexerunt adversum me. 8 Et cum collegisset argen-
tum, & aurum, quod inveniri potuit in domo Domini, & in thesauris regis, mi-
sit regi Assyriorum munera. 9 Qui & acquievit voluntati ejus: ascendit enim rex
Assyriorum in Damascum, & vastavit eam: & transtulit habitatores ejus Cyrenen,
Rasin autem interfecit. 10 Perrexitque rex Achaz in occursum Teglathphalasar
regi Assyriorum in Damascum: cumque vidisset altare Damasci, misit rex Achaz ad
Uriam sacerdotem exemplar ejus, & similitudinem juxta omne opus ejus. 11 Ex-
truxitque Urias sacerdos altare: juxta omnia, quæ præceperat rex Achaz de Da-
masco, ita fecit sacerdos Urias, donec veniret rex Achaz de Damasco. 12 Cum-
que venisset rex de Damasco, vidit altare, & veneratus est illud: ascenditque, &
immolavit holocausta, & sacrificium suum, 13 Et libavit libamina, & fudit san-
guinem pacificorum, quæ obtulerat super altare. 14 Porro altare æreum, quod
erat coram Domino, transtulit de facie templi, & de loco altaris, & de loco tem-
pli Domini, posuitque illud ex latere altaris ad aquilonem. 15 Præcepit quoque
rex Achaz Uriæ sacerdoti, dicens: Super altare majus offer holocaustum matuti-
num, & sacrificium vespertinum, & holocaustum regis, & sacrificium ejus, & ho-
locaustum universi populi terræ, & sacrificia eorum, & libamina eorum: & omnem
sanguinem holocausti, & universum sanguinem victimæ super illud effundes; altare
vero æreum erit paratum ad voluntatem meam. 16 Fecit igitur Urias sacerdos ju-
xta omnia, quæ præceperat rex Achaz. 17 Tulit autem rex Achaz cælatas bases,
& luterem, qui erat desuper: & mare deposuit de bobus æreis, qui sustentabant
illud, & posuit super pavimentum stratum lapide. 18 Musach quoque sabbathi,
quod ædificaverat in templo, & ingressum regis exterius convertit in templum Do-
mini, propter regem Assyriorum. 19 Reliqua autem verborum Achaz, quæ fecit,
nonne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum Juda? 20 Dormivitque Achaz cum
patribus suis, & sepultus est cum eis in civitate David, & regnavit Ezechias fi-
lius ejus pro eo.

℣. 2. VIGINTI ANNORUM ERAT ACHAZ, CUM REGNARE COEPISSET, ET SEXDECIM ANNIS REGNAVIT.] In ipso hic limine hærendum est. Achab vigesimum dumtaxat agebat annum, cum regnare incepit, & mortuus est, postquam sexdecim annos regnavit; ergo triginta sex annos tantummodo vixit. At Ezechias filius ejus viginti quinque natus erat annis, cum regnum accepit; oportet igitur ab Achaz genitum fuisse undecim annis nato, quod e fide abhorrere videtur. Ut se se hac expediant difficultate, alii aliis Interpretes viis institere. Alii quidem contenderunt, Ezechiam nequaquam esse proprium filium Achaz, sed filium adoptivum, filium secundum Legem, vel proximum illius consanguineum. Alii ad miraculum hac in re confugerunt [1], perinde ac Ezechiæ nativitas fructus esset meræ Dei benignitatis erga familiam David, ac regnum Juda. Alii [2] crediderunt hos viginti annos, de quibus hic sermo, respicere initium regni Joathan patris Achaz; ita ut hoc pacto locus vertendus esset: *Viginti annorum erat Achaz, cum pater illius regnare cœpit*; ideoque duobus, & quinquaginta natus annis, denatus est; quoniam Joathan sexdecim regnavit annos; atque ita Achaz vigesimum septimum annum agens genuit Ezechiam. At hæc solutio omnem verborum Textus œconomiam subvertit, eaque detorquet in sensum a naturali maxime remotum. Neque secius eos improbaverim, qui putant in hujus loci numeris mendum subesse. Difficultas igitur in eo posita est, utrum fieri possit, ut pater decimum, vel undecimum annum agens filios gignere queat; quod isthic ad examen est revocandum.

Busbequius [3] ait in Colchide plurimas videri matres anno ætatis decimo. Bochartus [4], qui promissam exaravit epistolam, ut locum hunc explicaret, ait: cum Scriptura inquit, Ezechiam regnare incepisse quinto supra vigesimum ætatis anno, posse intelligi de annis viginti quinque dumtaxat inchoatis; ita ut proprie loquendo, quatuor tantum, & viginti natus esset annos completos, cum diebus aliquot anni vigesimi quinti, atque ita Achaz pater Ezechiæ effectus fuisset anno ætatis duodecimo; quam rem fieri posse probat plurimorum exemplorum congerie. Orientales, & qui in calidis regionibus immorantur, citius ad pubertatis annos perveniunt, atque filiis gignendis pares fiunt, quam qui frigidas, ac temperatas incolunt regiones; quod experientia docti increvimus populorum, non longe adeo dissitorum exemplis, qui calidiora climata sortiti sunt, volui Hispani. Albertus Magnus asserit, se novisse puellam novem annis natam ventrem gestasse, decimo vero ætatis anno peperisse: Navarra allatus a Sanchez de Matrim. l. 7. q. 7. disp. 104. sa a viris fide dignis ait audiisse in Neapolitano Regno puellam decem annos natam puerperio filium edidisse. Mandeslus in Indiarum itinere refert, ibi gentium mulieres citius, quam in regionibus nostris a Sole remotioribus, ad gignendi ætatem pervenire. Nulla adest, ait Viator ille, quæ decem, vel duodecim annos nata viro apta non sit, neque mirum est, hac ætate ibi matres inveniri; sed ibi, non diu abest, inventa fuit, quæ sex annos nata pepererit; quod ea in regione miraculi loco habitum est.

S. Hieronymus in Epistola ad Vitalem, eorum opinionem confirmat, qui putant Salomonem duodecim natum annos regnare occœpisse; ac proinde ab eo genitum fuisse Roboam, cum annum ageret undecimum. Pater hic mulieris exemplum adfert, quæ ex decenni puero filium concepit; cui geminum aliud in Hispania contigisse Sanctius ad 3. Reg. c. 3. art. testatur.

Scaliger in Elench. orat. Chronol. de puero quodam loquitur, nondum duodecim annos nato, qui ex decenni puella filium habuit in urbe Lactoracii in Provincia. Romanæ Leges [5], veluti nuptiis legitimam quatuordecim annorum ætatem præfiniunt, quod nequaquam præfinirent procul dubio, nisi supponerent, hanc gignendo idoneam ætatem esse: non quod ante id tempus gigni nequeat, sed quod res non adeo vulgata est. Tiraquellus plura producit puerorum exempla, qui quatuordecim annis minores genuere, & puellarum, quæ ante duodecimum annum concepere: ac peculiariter exemplum adfert, quod in Canonici Juris Glossa [6] aitatum est, veluti ex S. Gregorii Dialogis excerptum, licet in his hodie minime reperiatur. S. Augustinus l. 15. de Civ. c. 11. & 15. & l. 16. c. ult. & in Psalm. 104. probat, virum decem annos natum gignendo imparem esse, & Medici putant nonnisi post decimum tertium annum completum mares, fœminas vero post decimumquartum posse generare. Vide, si lubet, Genebrardum not. in Seder Olam Zutha.

℣. 3. FILIUM SUUM CONSECRAVIT TRANSFERENS PER IGNEM.] Interpretes quidam [7] criminis hujus horrorem imminuere voluerunt, dicentes, ipsum nequaquam mortem per ignem filio intulisse, sed simpliciter super flammas illum traduxisse, ut eum purgaret juxta vetustam Ethnicorum superstitionem, de qua Poetæ loquuntur Ovid. Fast. l. 4.

Omnia purgat edax ignis, vitiumque metalli
Excoquit, idcirco cum duce purgat oves.
Certe ego transilii positas ter ordine flammas.

Dicunt præterea, Ezechiam filium ejus illi successisse; & Maasiam alterum ipsius filium Regis Israel imperio enecatum fuisse 2. Paralipom. 28. 7. quasi vero plures filios minime habere potuerit.

Licet minime dubio locus sit, quin pluribus in occasionibus satis esset super flammas traducere, vel inter duos ignes transmittere, illos, qui hac purificationis specie erant expiandi, nemo inficias ire potest, quo minus hoc in loco accusetur Achaz vere aliquem e filiis suis falsis Numinibus immolasse, eumque igni mactare voluisse. Hoc satis perspicue Scriptura probat, aiens [8]: *ipsum trajecisse filium suum per ignem, juxta abominationes nationum, quas Dominus ejecerat a facie filiorum Israel.* At minime ambigendum est, quin Chananæi veteres Palæstinæ cultores, re ipsa filios suos per ignes traduxerint, eosque in ipsorum Deorum honorem litarint; non ergo in dubium revocandum est, quin Achaz hoc ipsum patrarit [9]. In hujusce crudelitatis odium Deus Chananæos exterminavit [10]; ac illorum exempla secuti Israelitæ nonnumquam similia inhumanitatis facinora edidere [11]: *Et immolaverunt filios suos, & filias suas Dæmoniis, & effuderunt sanguinem innocentem, sanguinem filiorum suorum, & filiarum suarum, quas sacrificaverunt sculptilibus Chanaan.* Phœnices, qui sunt veterum illorum Chananæorum reliquiæ, diu in regione sua barbarum hunc morem servarunt [12], eumque in Africam etiam, & Carthaginem detulere, ubi tamdiu viguit, donec Gelon Siciliæ Rex devictos

Pœnos

1 Hieronym. ad Vitalem: *Multa, & alia dicuntur in Scripturis, quæ videntur incredibilia, & tamen vera sunt: neque enim valet natura contra naturæ Dominum.* 2 Jun. & Tremell, Harduin. Chronol. vet. & nov. Testam. 3 Busbeq. Ep. 3. *Ostenduntur plerumque matres anno ætatis decimo, quod cum mirere, neque propter corporis parvitatem credas, ipsæ infantem proferunt grandi cana haud multo majorem.*
4 Bochart. Dissert. 23. in hunc locum, pag. 920. Edit. Lugd. Batav. an. 1682.
5 Vide Tiraquel. de connub. num. 36. 37. 6 Gloss. in Sum. l. 20. qu. 2.
7 Theodoret. qu. 16. Spencer. l. 2. cap. 10. sect. 2. & seq. Menoch. Grot.
8 וגם את בנו העביר באש כתעבות הגוים אשר הוריש יהוה אתם מ 9 Ita Joseph. Antiq. l. 9. c. 12. Tost. Vat. Tir. Hugo Card. Hist. Schol. 10 Deut. 18. 10. 12. Sap. 12. 5. 11 Psal. 105. 37. Vide & Jerem. 19. 5. & 4. Reg. 23. 10. 12 Vide Euseb. l. 4. de Præpar. c. 6.

Pœnos coegit, per fœdus, quod cum ipsis percussit, ut consuetudinem filios suos Saturno immolandi abrogarent [1]. Justinus lib. 8. asserit, Darium, missa ad eos legatione imperasse, ne amplius humanis victimis litarentur. Tertullianus denique Apolog. 2. docet, his nihil obstantibus, minime cessatum esse, quin ulterius pueri Saturno in Africa mactarentur, usque ad Tiberium Proconsulem, qui nequissimorum sacrorum Antistites interfecit, eorumque corpora de iis arboribus suspendit, quæ ad eorum Templa consitæ erant. Videri possunt ea, quæ hac de re alibi attulimus. Vide Levit. 18. 21. & Deuteron. 18. 10. & nostram de Moloch Dissertationem.

℣. 5. TUNC ASCENDIT RASIN REX SYRIÆ, ET PHACEE FILIUS ROMELIÆ REX ISRAEL AD PRÆLIANDUM; CUMQUE OBSIDERENT ACHAZ, NON VALUERUNT SUPERARE EUM.] Hoc primo regni Achaz anno contigit; at bellum & in subsequens annum perstitit, atque in 2. Paralip. 28. 5. legimus, duos Reges Phacee, & Rasin irruisse in terras Juda, ac Dominum illis, & exercitum, & regnum Achaz tradidisse. Duo hi fœderati Reges copias suas divisere. Exercitus Rasin omnia igne, ferroque vastanda suscepit, atque captivos, undequaque posset, abducendos; & Damascum sine ulla hostium resistentia omnem convexit prædam, quam ab Achaz regno abripuerat. Phacee Rex Israel in prœlio, una tantum die, centum & viginti hominum millia ex militibus Achaz occidit, ac præterea ducenta tum virorum, tum mulierum, tum puerorum millia, cepit; quæ cum Samariam in captivitatem abducerentur, Propheta quidem, cui nomen Obed, cum primoribus civitatis victoribus revertentibus occurrit, suisque objurgationibus eos coegit, ut captivos dimitterent. Ipsis ergo reddita libertas est, allata cibaria, atque restitutum, quidquid illis ademptum fuerat; nec non ii, qui præ infirmitate non poterant amplius incedere, in Jericho deducti sunt.

Sub tempus idem [2] Idumæi, & Philisthiim irruerunt in terras Juda, & mille patrarunt flagitia. Philisthiim plurimas ceperunt urbes, & Idumæi plurimos ibi occiderunt, ac maximam prædam abstulerunt. Hi postremi plane Syriæ Regem impulerunt, ut contra Elath proficisceretur, quam de ipsis aliquot annis ante Osias Rex Juda ceperat [3]. Rasin ea potitus est, atque Idumææ reddidit [4]. Hæc sunt initia Regni Achaz.

Dum hæc mala imminerent [5], ante obsidionem Jerusalem, Isaias, ut recrearet, confirmaretque Achaz perditum ad nuntium duorum fœderatorum regum ingruentium, prædixit illi, futurum ut ipse liberaretur, ac hostes ipsius interirent. In cujus vaticinii argumentum, cum propheta illi optionem dedisset, cujuscumque vellet miraculi, ac Rex inani modestia optionem factam respueret, Isaias 7. a. 2. illi nativitatem *Emmanuel* prædixit, qui erat ex Virgine nasciturus; nativitatem scilicet Messiæ, quem Maria erat paritura, e tribu Juda, ac ex David progenie; atque simul in proximi hostium excidii pignus dedit *Sear-Jasub* filium suum, asserens, antequam hic Isaiæ filius patris sui, ac matris nomina proferre disceret, duo fœderatos contra Judam Reges esse interituros. Achaz his prophetiis confirmatus Jerusalem ab hostium oppugnatione summa eum virtute defendit. At eum pravam vivendi rationem minime immutaret, Deus iterum contra illum Reges eosdem excivit, scilicet Phacee, & Rasin, qui sequenti anno, ab Orbe condito 3263. iterum ascenderunt, totumque regnum Juda vastarunt.

℣. 6. IN TEMPORE ILLO RESTITUIT RASIN REX SYRIÆ AILAM SYRIÆ, ET EJECIT JUDÆOS DE AILA; & IDUMÆI VENERUNT IN AILAM, ET HABITAVERUNT IBI USQUE IN DIEM HANC.] Aliquam contrarietatis speciem hic locus involvit. Si Rasin recepit *Elam*, vel *Ailat* pro Syris, cur Idumæi ibi sedem suam constituerunt? Quod jus habere poterant Syri in Ela, quam semper vel Reges Juda possederant, vel Idumæi? David, Salomon, & qui hos consecuti sunt in Regnum Juda, eam possederunt usque dum Idumæi, imperante Joram, defecerunt [6]: atque tunc ab Idumæis Judæi ejecti fuerunt. Hi vicissim Idumæos ejecere, Azaria in Judæ regno imperante [7]; in cujus victoriæ pretium Achaz tunc huic civitati dominabatur, cum Rasin ad eam copias infestus admovit; itaque ex Historia numquam ostendi potest, urbem eam ad Syriam spectasse. Cæterum nimis longe a Damasco aberat, ac Syriæ Reges nonnisi summa potuissent cum difficultate jungere commercium cum urbe procul adeo a finibus suis seposita.

Una tantum littera in Textu [8] pro alia, omnino simili, sumpta, banc omnem peperit inanissimam contrarietatem. *Aram*, & *Edom* Hebraice iis scribuntur litteris, quæ penitus ferme similes sunt. *Edom* Idumæam significat; *Aram* Syriam. Alia pro alia obrepit, quemadmodum non semel contigit [9]: Legendum ergo: *In tempore illo Rasin Rex Syriæ recepit Elam pro Edom, ac inde expulit Judæos; & Idumæi venerunt in Elam, & habitaverunt ibi, usque in diem hanc.* Credimus autem, Idumæos impulisse Rasim, ut obsidione cingeret Elath, pollicitis se illum remuneraturos fore, illiusque sumptus reparaturos. Non dissimulandum est tamen, Chaldæum, Hebræos, Syrum, Arabem, Josephum Antiqu. l. 9. c. 11. Grotium, ac alios nonnullos censere, Rasin cœpisse Elath pro Syria, ibique Syros pro Judæis constituisse; verum his omnibus auctoritatibus minime dimoveat, ut ea deseram argumenta, quæ in contrarium attuli.

℣. 7. MISIT AUTEM ACHAZ NUNTIOS AD TEGLATHPHALASSAR REGEM ASSYRIORUM, DICENS: SERVUS TUUS, ET FILIUS TUUS EGO SUM.] Fœderatus, socius, vel etiam tributarius, ac subditus: tuam fidem obtestor, tuumque præsidium exposco. Secunda belli anno, & cum jam omnia pessum ire, actumque penitus de regno videbatur; Achaz externum Regem, ut sibi suppetias ferret, poposcit. Teglathphalassar igitur in Syriam venit, ac in regnum Israel post annum, quo Achaz maxima clade affectus fuit, hoc est ab Orbe condito 3264.

℣. 9. ASCENDIT REX ASSYRIORUM IN DAMASCUM ... ET TRANSTULIT HABITATORES EJUS CYRENEM.] Non autem in provinciam Cyrenem prope Ægyptum; ibi enim Reges Assyriæ minime imperitabant; sed transtulit eos in *Kir* juxta lectionem Hebraicam [10]; hoc est profecto ad fluvium Cytum, qui ex Armeniæ majoris montibus ortus, Iberiam, ac Albaniam præterfluens, in Araxem defluit, qui in Caspium mare se exonerat. Fluvius hic apud Veteres *Cyrus*, *Cyrrhas*, & *Cyrnas* appellatur, & hodie quoque *Chiur Kor*, vel *Cur* nuncupatur. Josephus ait Antiquit. l. 9. c. 12. illos in superiorem Mediam fuisse translatos, quæ provincia cum olim latius pateret, Teglathphalassar coegit Aramæos, ut in Kir regionem, unde majores eorum olim egressi fuerant, uti liquet ex Amos c. 9. 7. reverterentur.

Verum isthæc difficultate non vacant. Superius ad ℣. 29. cap. 15. hujus libri adnotavimus *Arbacem* in liber-

1 Plutarch. Apophteg.
2 2. Par. 28. 17. 18.
3 4. Reg. 14. 22. & 2. Par. 26. 2.
4 4. Reg. 16. 6.
5 Usser. ad an. M. 3262.
6 4. Reg. 8.
7 4. Reg. 14. 22.
8 Vide Comment. in Judic. 18. 7. 1. Reg. 8. 13. & 21. 7. 3. Reg. 11. 25. & Capel. Critic. sacr. l. 4. c. 5.
9 Vel potius השיב רצין מלך ארם את אילת לארם (לאדם) וינשל את היהודים מאלות ואדומים באו אילת וגו
10 ויגלה קירה

libertatem Medos asseruisse, Ninive subacta; itaque Teglathphalasar, quem eumdem esse contendimus, ac Ninum juniorem, qui ad veteres Assyriæ limites redactus est, nequaquam potuerit Colonias in Mediam dimittere, quæ non amplius illius parebat imperio. At responderi potest Mediam non adeo late patuisse, nisi postquam Medorum imperium auctum est, & confirmatum; sed antea, ac Arbacis ævo fines non longe dimiserat. Herodotus l. 1. c. 103. docet, Phraortem illius limites ulterius in Asiam protendisse, trans fluvium *Halym*. *Tauris*, quæ esse perhibetur eo in loco, ubi erant Ecbatanæ Medorum caput, a Kur, vel Cyro [1] longissime distat. Itaque nequaquam a fide abhorret, Reges Assyriæ Sardanapali successores dominationem suam servasse ea in regione, quam alluit Cyrus, atque illuc Syrorum, ac Israelitarum ex decem tribubus colonias dimisisse.

At enim, quomodonam hæ urbes *Medorum civitates* vocantur? Nam, vel erant in veteri Media, vel illius finibus minime comprehendebantur. Si primum, liberæ erant, atque Arbacis opera Assyriorum jugum excusserant; Sin alterum, cur *Medorum civitates* appellantur? Responderi potest, horum Librorum Auctorem locutum fuisse juxta ævi sui tempus, ac Medorum urbes eas vocasse, quæ ævo suo Medorum imperio parebant. Vel, hæ urbes acquisitionis sunt, quas Teglathphalassar Rex Assyriæ de Medis ceperat; quæ posterior sententia confirmari potest ex iis, quæ capite 18. libri hujus dicuntur; scilicet Salmanasar misisse in Samariam populos Sepharvaim, & alios; quos ipse, ac pater illius [2] prope Mediam subegerant. Denique Usserius putat, Anarchiam, quæ Arbacis mortem est consecuta, & quæ præcessit Regnum Dejocis, locum dedisse Regi Assyriæ plures Medorum urbes capiundi, ibique Assyriorum dominationem immiscendi. Rages Medorum civitas, quo captivitatis tempore Tobias se contulerat, erat ex iis civitatibus, quæ adhuc Regibus Assyriæ obtemperabant.

℣. 10. PERREXITQUE REX ACHAZ IN OCCURSUM TEGLATHPHALASAR ... IN DAMASCUM.] Achaz se maximo defunctum periculo videns, atque potenti liberatum hoste, per mortem Rasin, quem Teglathphalassar vicerat, occideratque, Damascum petiit, ut Regi huic gratum animum testaretur, & forte ut eum, ne Jerosolymam veniret, deflecteret: at in Paralipomenis [3] legimus Assyriæ Regem in Judam venisse, male excepisse Achaz, & omnem diripuisse regionem, quin oblata illi munera ex Templi, Regalium ædium, atque domorum Optimatum spoliis collecta, illum dimovere potuerint. Inferius etiam videbimus ℣. 18. Achaz quædam immutasse in ædibus suis, ac in Templo Domini propter Teglathphalassar.

℣. 11. EXTRUXIT URIAS SACERDOS ALTARE.] Omnino simile altari profano, super quod idola Damasci colebantur, cujus Achaz typum ad Summum Sacerdotem miserat; qui hac in re nimis levitatem suam, atque indulgentiam ostendit. Præscripserat Deus altaris sui formam, Exod. 27. 1. illud vero, quod Salomon ædificatat [4], licet diversum esset a Moysis altari, illius tamen, & formam, & extructionem palam adeo, ac solemniter probaverat Deus, ut nefas esset, ac summa impietas, illud deinceps immutare. Poterat quidem Urias facile intueri, nullo Religionis adsctum spiritu Regem hoc velle immutare; atque ex hac innovatione non nisi perniciosissimi effectus existere poterant. De Religione cum agitur, nihil non sine summo periculo innovatur, tunc etiam cum præcipuum objectum minime attingitur. Macchabæi sane religiosiores fuere quoad Templi altare, quod ab Antiocho Epiphane [5] pollutum fuerat. Nam postquam mature, quid faciendum esset, deliberassent, tandem aram subrui placuit, aliamque lapidibus impolitis priori simillimam extrui: cum hoc tamen, ut eversi altaris lapides decenti in loco servarentur, donec propheta surgeret, qui aliter faciendum esse admoneret.

℣. 12. ASCENDITQUE, ET IMMOLAVIT HOLOCAUSTA, ET SACRIFICIUM SUUM.] Hoc est holocaustum Regis, de quo sermo est ℣. 15. Nihil in lege præceptum est quoad Regis sacrificium; verum fidei consonum est, post primum holocaustum matutinum, quod Domino quotidie offerebatur, aliud pro Rege [6] offerri consuevisse, & aliud quotidie vesperi post vespertinum Domini sacrificium. Versiculus 15. hoc innuit: *Præcepit Rex Achaz Uriæ Sacerdoti, dicens: Super altare majus offer holocaustum matutinum, & sacrificium vespertinum, & holocaustum Regis* &c. Ex autem Hebraicum textum [7] ℣. 12. & 13. *Rex accessit ad altare, & ibi obtulit sacrificia, ibique holocaustum suum cremavit, & oblationes farinæ; effuditque libationes suas, & diffudit super cruorem victimarum pacificarum, quas obtulerat*. Ut verbo omnia complectar, dedicavit hoc altare solemni cujuscumque generis sacrificiorum, oblationum, & libationum, quod fieri posset, ritu, ac præcepit, ut deinceps alio nullo altari uterentur: at non diu post, Templum absoluta clausit, quod non nisi post illius obitum ab Ezechia apertum est. Vide 2. Par. 29. 3.

℣. 14. PORRO ALTARE ÆREUM ... TRANSTULIT DE FACIE TEMPLI, ET DE LOCO ALTARIS, ET DE LOCO TEMPLI DOMINI.] Hebraice [8]: *abstulit altare æreum, quod est coram Domino ante Templum*, abstulit illud *de loco inter Altare, & inter Domum Domini*. Altare æreum, quod a Salomone conflatum fuerat, erat immodice ingens, viginti cubitos in quadrum patebat, & decem cubiti erant altitudo illius [9]: hoc positum erat in atrio Sacerdotum ad dexteram ingressus in Templum, vel Sanctum. Achaz altare suum erexit juxta exemplar altaris Damasceni, prope, ac ante altare Salomonis, quod deinceps in Septentrionalem templi plagam transtulit; ita ut altare Salomonis cesserit ab eo, quem obtinebat, loco *inter Templum, ac novum Altare*, atque in angulum atrii rejectum fuerit. Auctor Paralipomenon [10] ait, Achaz, cum calamitatibus urgeretur, contemptum suum erga Deum auxisse, atque manibus suis victimas Diis Syriæ immolasse, qui infelicitatis suæ causa erant, dicentem: Dii Syriæ felicitatibus eos cumulant, a quibus coluntur: ego igitur illis hostiam immolabo; postea vero Templum diripuisse, omnia illius vasa confregisse, illud denique obstruxisse, atque in quovis angulo Jerusalem altaria ædificasse.

℣. 17. TULIT AUTEM CÆLATAS BASES, ET LUTEREM, QUI ERAT DESUPER.] Hebraicus textus hoc pacto reddi potest [11]: *Rex Achaz evulsit postes, qui fulciebant, & ademit eorum fistulas, & evertit luteres*,

1 Usser. ad an. M. 3223.
2 4. Reg. 19. 12. 13. *Numquid liberaverunt Dii gentium singulos, quos vastaverunt patres mei? Gozan videlicet, & Haram, & Reseph, & filios Eden &c.*
3 2. Par. 28. 20. 21. *Adduxitque Dominus contra eum Teglathphalasar Regem Assyriorum, qui & afflixit eum, & nullo resistente vastavit. Igitur Achaz spoliata domo Domini, & domo Regum, & Principum, dedit Regi Assyriorum munera, & tamen nihil ei profuit.*
4 2. Par. 4. 1. *Fecit Altare aureum viginti cubitorum longitudinis, & viginti cubitorum latitudinis, & decem cubitorum altitudinis.*
5 1. Macch. 4. 45. 46. *Et reposuerunt lapides in monte in loco apto, quoadusque veniret Propheta, & responderet de eis.*
6 Vide Vat. hic.
7 ויקרב המלך על המזבח ויעל עליו ויקטר את עלתו ואת מנחתו ויסך את נסכו ויזרק את דם השלמים אשר לו
8 ואת המזבח הנחשת אשר לפני יהוה ויקרב מאת פני הבית מבין המזבח ומבין בית יהוה
9 2. Par. 4. 1.
10 2. Par. 28. 22. 23. *Insuper & tempore angustiæ suæ auxit contemptum in Dominum. Ipse per se Rex Achaz immolavit Diis Damasci victimas percussoribus suis, & dixit: Dii Regum Syriæ auxiliantur eis, quos ego placabo hostiis, &c.*
11 ויקצץ המלך אחז את המסגרות המכנות ויסר מעלהם ואת הכיר ואת הים הוריד

ris, & mare æneum. Evulsit aurum, & argentum, quibus postes, & ostia Templi erant superinduta; obices, & pessula, qui januas, & claudebant, & ornabant; præterea subvertit luteres, & mare æneum, ut ex basibus eorum ablato ære uti posset, vel illud Asyriorum Regi offerre. Ut autem priorem loci hujus partem de januis, ac eorum ornamentis, atque rebus ad ipsas spectantibus explicem, inde cogor, primum quod Textus verba id palam præferunt; deinde vero, quod capite 18. 16. dicitur Ezechias avellere debuisse metallum de ostiis Templi, ut illud Regi Asyriæ traderet, atque pessula etiam, ac laminas, quibus ipse portas obduxerat, auferre; quod profecto innuit, eas antea ab Achaz patre illius nudatas fuisse. Verbum ipsum *evulsit*, vel *abscidit* huic favet sententiæ.

℣. 18. MUSACH QUOQUE SABBATHI, QUOD ÆDIFICAVERAT IN TEMPLO, ET INGRESSUM REGIS EXTERIUS, CONVERTIT IN TEMPLUM DOMINI PROPTER REGEM ASSYRIORUM.] Hebraicus textus ita porro ad litteram redditur [1]: *Converti jussit a latere Templi Musach Sabbathi, quod ædificatum fuerat in Templo, & extrinsecum Regis aditum propter metum Regis Assur*. Variæ sunt Interpretum sententiæ quoad *Musach Sabbathi*. Olim crediderim hoc magnum esse velum, quod Sabbathi die super atrium Templi extenderetur, donec populus illic congregatus esset, ad evitandos nimios solis calores, cum tectos radios illuc immitteret. Eupolemus apud Eusebium Præpar. l. 9. c. 34. ait, Salomonem fecisse miræ magnitudinis velum, quod Templum omne, qua late patebat, obtegere poterat, quod velum suspensum detinebatur per annulos quosdam per catenas traductos, qui cortinas has super Templum viginti cubitis elatas detinebant. Josephus quoque loquitur de pretiosis, ac polymitis integumentis, quæ Magnus Herodes super Templi porticus prætendit. Hojusmodi ea erant variegata velamenta, quæ olim apud Romanos super theatra tendebantur [2]: Lucretius:

Cum magnis intenta theatris

Per malos volgata, trabesque tenentia pendent.

Vatablus contendit Musach Sabbathi fuisse tentorium, vel locum tectum in atrio Sacerdotum, ubi qui hebdomadæ inservierant, quiescebant. Junius [3] quoque hoc tentorium fuisse putat; at illius usum A alium fuisse arbitratur; & ait, ipsum inserviisse pro Templi janitoribus, qui per vices Sabbathi diebus excubias agebant. Alii [4] censent, hunc fuisse tectum locum ad Templi ingressum, ubi Reges, aliique eleemosynas erogabant. Alii [5] *Musach Sabbathi* vocant capsulam, vel arculam quamdam, in quam oblationes pro Templi instauratione immittebantur. Nonnulli credunt [6], hunc fuisse thronum tectum, ubi sedebat Rex in Templo, cum sacris cæremoniis interesset, eaque videtur fuisse Septuaginta sententia, qui hoc pacto reddunt; *Et abstulit fundamentum sedis*; hoc est, basim æream, super quam sedes erat posita, ubi Rex Templi cæremoniis assistebat; quod etiam magis verisimile mihi videtur. Non desunt [7], qui hoc nomine appellent suggestum, de quo Lex die B Sabbathi legebatur [8], nam minime abhorrebat a tribunali, ubi Rex sedebat.

Suggestum, unde Lex recitabatur, est facile *Musach Juda*, cui Manasses, cum in Jerusalem obsideretur, omnes ornatus detraxit [9]; & *Musach Sabbathi* est tribunal, ubi Rex quolibet Sabbatho assidebat. Ezechiel 46. 1. 2. 3. explicite ait, orientalem portam atrii Sacerdotum non consuevisse aperiri, nisi die Sabbathi, & Neomeniarum, quibus diebus Rex ingrediebatur in Templum per atrium Israel, atque in ingressu portæ atrii Sacerdotum consistebat, ubi illius erat tribunal, donec fierent sacra. Legimus etiam, Summum Sacerdotem Jojadam [10] cum vellet Regem constituere adolescentulum Joas, collocasse circum ipsum satellites in Musach, quod C erat in Templo. Hoc Musach a Salomone extructum fuit 2. Par. 6. 13. æneum erat, & Principis hujus magnificentiæ par.

Achaz igitur de loco suo hoc Musach, vel tribunal, quod erat in Templo, dimovit, illudque in abdito quodam loco celandum curavit, veritus ne illud Rex Assyriæ auferret.

℣. 20. SEPULTUS EST CUM EIS (PATRIBUS SUIS) IN CIVITATE DAVID.] Sepultus fuit, quemadmodum illi, in civitate David, non autem in tumulis Regum, sicuti explicite secundus Paralipomenon liber 28. 27. testatur. Alibi etiam animadverti potuit, aliis Regibus honorem hunc denegatum fuisse, in impietatis eorum supplicium.

1 ואת מוסך השבת אשר בנו בבית ואת מבוא המלך החיצונה הסב בית יהוה מפני מלך אשור
2 Vide, si lubet, Lips. de Amphitheatro, cap. 17.
3 Ita & Grot. Pisc. Kimchi in Maly. &c.
4 Glossa, Lyran. Dionys. Hugo, hist. Schol.
5 Vetus Vocabul. apud Martinium.
6 Rab. Salomon, Sanct. Cornel. Tirin. Men.
7 Forster. & alii quidam.
8 Vide 2. Esd. 8. 5.
9 Isai. 22. 8.
10 4. Reg. 11. 6.

CAPUT XVII.

Osee in Samaria a Salmanasar obsidetur. Civitas post trium annorum obsidionem capitur, & Israelitæ in Assyriam transferuntur. Cuthæi in eorum locum in Samariam missi a leonibus afflictantur. Illis Sacerdos præficitur, a quo Domini Religionem edoceantur; ii vero Domini cultum cum idolorum impietate permiscent.

1. ANno duodecimo Achaz regis Juda, regnavit Osee filius Ela in Samaria super Ann. M.
Israel novem annis. 2 Fecitque malum coram Domino: sed non sicut reges 1274.
Israel, qui ante eum fuerant. 3 Contra hunc ascendit Salmanasar rex Assy- Ante J.C. 710.
riorum, & factus est ei Osee servus, reddebatque illi tributa. 4 Cumque deprehen-
disset rex Assyriorum Osee, quod rebellare nitens misisset nuntios ad Sua regem Ægy-
pti, ne præstaret tributa regi Assyriorum, sicut singulis annis solitus erat, obsedit eum,
& vinctum misit in carcerem. 5 Pervagatusque est omnem terram: & ascendens Sa-
mariam, obsedit eam tribus annis. 6 Anno autem nono Osee, cepit rex Assyriorum

Samariam, & transtulit Israel in Assyrios : posuitque eos in Hala, & in Habor, juxta
fluvium Gozan, in civitatibus Medorum. 7 Factum est enim, cum peccassent filii Is-
rael Domino Deo suo, qui eduxerat eos de terra Ægypti de manu Pharaonis regis Ægy-
pti, coluerunt deos alienos. 8 Et ambulaverunt juxta ritum gentium, quas consum-
pserat Dominus in conspectu filiorum Israel, & regum Israel : quia similiter fecerant,
9 Et offenderunt filii Israel verbis non rectis Dominum Deum suum : & ædificaverunt
sibi excelsa in cunctis urbibus suis, a Turre custodum usque ad Civitatem munitam ;
10 Feceruntque sibi statuas, & lucos in omni colle sublimi, & subter omne lignum ne-
morosum. 11 Et adolebant ibi incensum super aras in morem gentium, quas transtu-
lerat Dominus a facie eorum : feceruntque verba pessima irritantes Dominum. 12 Et
coluerunt immunditias, de quibus præcepit eis Dominus, ne facerent verbum hoc. 13
Et testificatus est Dominus in Israel, & in Juda, per manum omnium Prophetarum, &
Videntium, dicens : Revertimini a viis vestris pessimis, & custodite præcepta mea, &
cæremonias, juxta omnem legem, quam præcepi patribus vestris : & sicut misi ad vos
in manu servorum meorum Prophetarum. 14 Qui non audierunt, sed induraverunt
cervicem suam juxta cervicem patrum suorum, qui noluerunt obedire Domino Deo suo,
15 Et abjecerunt legitima ejus, & pactum, quod pepigit cum patribus eorum, & te-
stificationes, quibus contestatus est eos, secutique sunt vanitates, & vane egerunt : &
secuti sunt gentes, quæ erant per circuitum eorum, super quibus præceperat Dominus
eis, ut non facerent, sicut & illæ faciebant. 16 Et dereliquerunt omnia præcepta Do-
mini Dei sui : feceruntque sibi conflatiles duos vitulos, & lucos, & adoraverunt uni-
versam militiam cœli : servieruntque Baal. 17 Et consecraverunt filios suos, & filias
suas per ignem : & divinationibus inserviebant, & auguriis : & tradiderunt se, ut fa-
cerent malum coram Domino, ut irritarent eum, 18 Iratusque est Dominus vehemen-
ter Israeli, & abstulit eos a conspectu suo, & non remansit nisi tribus Juda tantummo-
do. 19 Sed nec ipse Juda custodivit mandata Domini Dei sui ; verum ambulavit in er-
roribus Israel, quos operatus fuerat. 20 Projecitque Dominus omne semen Israel, &
afflixit eos, & tradidit eos in manu diripientium, donec projiceret eos a facie sua. 21
Ex eo jam tempore, quo scissus est Israel a domo David, & constituerunt sibi regem Je-
roboam filium Nabat : separavit enim Jeroboam Israel a Domino, & peccare eos fecit
peccatum magnum. 22 Et ambulaverunt filii Israel in universis peccatis Jeroboam,
quæ fecerat : & non recesserunt ab eis. 23 Usquequo Dominus auferret Israel a facie
sua, sicut locutus fuerat in manu omnium servorum suorum Prophetarum, translatusque
est Israel de terra sua in Assyrios, usque in diem hanc. 24 Adduxit autem rex Assy-
riorum de Babylone, & de Cutha, & de Avath, & de Emath, & de Sepharvaim : &
collocavit eos in civitatibus Samariæ pro filiis Israel, qui possederunt Samariam, & ha-
bitaverunt in urbibus ejus. 25 Cumque ibi habitare cœpissent, non timebant Domi-
num : & immisit in eos Dominus leones, qui interficiebant eos. 26 Nuntiatumque est
regi Assyriorum, & dictum : Gentes, quas transtulisti, & habitare fecisti in civitatibus
Samariæ, ignorant legitima Dei terræ : & immisit in eos Dominus leones, & ecce in-
terficiunt eos, eo quod ignorent ritum Dei terræ. 27 Præcepit autem rex Assyriorum,
dicens : Ducite illuc unum de sacerdotibus, quos inde captivos adduxistis, & vadat,
& habitet cum eis : & doceat eos legitima Dei terræ. 28 Igitur cum venisset unus de
sacerdotibus his, qui captivi ducti fuerant de Samaria, habitavit in Bethel, & doce-
bat eos, quomodo colerent Dominum. 29 Et unaquæque gens fabricata est deum
suum : posueruntque eos in fanis excelsis, quæ fecerant Samatiæ, Gens, & Gens in
urbibus suis, in quibus habitabant. 30 Viri enim Babylonis fecerunt Sochothbe-
noth : viri autem Chutæi fecerunt Nergel : & viri de Emath fecerunt Asima. 31
Porro Hevæi fecerunt Nebahaz, & Tharthac. Hi autem, qui erant de Sepharvaim,
comburebant filios igni, Adramelech, & Anamelech diis Sepharvaim, 32 Et nihilo-
minus colebant Dominum. Fecerunt autem sibi de novissimis sacerdotes excelsorum, &
ponebant eos in fanis sublimibus. 33 Et cum Dominum colerent, diis quoque suis
serviebant juxta consuetudinem gentium, de quibus translati fuerant Samariam : 34
Usque in præsentem diem morem sequuntur antiquum, non timent Dominum, neque
custodiunt cæremonias ejus, judicia, & legem, & mandatum, quod præceperat Do-
minus filiis Jacob, quem cognominavit Israel : 35 Et percusserat cum eis pactum,
& man-

& mandaverat eis, dicens : Nolite timere deos alienos, & non adoretis eos, neque co-
latis eos, & non immoletis eis : 36 Sed Dominum Deum vestrum, qui eduxit vos de
terra Ægypti in fortitudine magna, & in brachio extento, ipsum timete, & illum ad-
orate, & ipsi immolate : 37 Cæremonias quoque, & judicia, & legem, & mandatum,
quod scripsit vobis, custodite, ut faciatis cunctis diebus : & non timeatis deos alie-
nos. 38 Et pactum, quod percussit vobiscum, nolite oblivisci : nec colatis deos a-
lienos. 39 Sed Dominum Deum vestrum timete, & ipse eruet vos de manu omnium
inimicorum vestrorum. 40 Illi vero non audierunt, sed juxta consuetudinem suam
pristinam perpetrabant. 41 Fuerunt igitur Gentes istæ timentes quidem Dominum,
sed nihilominus & idolis suis servientes ; nam & filii eorum, & nepotes, sicut fece-
runt patres sui, ita faciunt usque in præsentem diem.

℣. 1. ANNO DUODECIMO ACHAZ . . . . , REGNAVIT OSEE . . . . IN SAMARIA.] Osee conjuraverat adversus Phacee filium Romeliæ, eumque interfecerat anno quarto Achaz [1], hoc est ab orbe condito 3265. at regno pacifice potitus est dumtaxat post octo, vel novem annos, scilicet anno Achaz duodecimo, ab orbe condito 3274. Vide quid diximus de regni illius initio 4. Reg. 15. 30. Grotius putat, usque ad duodecimum annum Achaz, Osee regnasse veluti subditum, atque vectigalem Regis Assyriæ; at tunc jugum hoc excussisse, ac solum, & absolute regnare voluisse. Hebraicus textus hoc modo verti posset [2], *Duodecimo Anno Achaz Regis Juda, Osee Rex Israel regnaverat novem annos in Samaria*; quod ad litteram verum est, sed iis hærere possumus, quæ diximus B in caput 15. ℣. 30.

℣. 2. FECIT MALUM . . . . SED NON SICUT REGES ISRAEL.] Permittebat, vel saltem non prohibebat subditis suis pergere in Ierusalem adoraturis in Templo Domini, inquiunt in Chronicis suis Iudæi [3]; Reges illius decessores, maximis propositis pœnia, hoc interdixerant, immo in viis satellites collocarant, qui ab hoc itinere averterent. Osee videns aureos vitulos ab Assyriis ablatos fuisse, non admodum adlaboravit, ut illorum cultus restitueretur. Hæc Iudæi narrant; verum minime reor, duos vitulos aureos ablatos fuisse, antequam Samaria caperetur; Manahen unum tantummodo miserat ad Phul Regem Assyriæ. Vide Oseam c. 10. ℣. 5. 6. 15.

℣. 3. CONTRA HUNC ASCENDIT SALMANASAR.] C *Teglathphalassar* vel Ninus junior diem suum obierat duodecimo Osee anno, postquam undeviginti annos imperitasset [4]. Salmanassar illi successit, atque sequenti anno ascendit adversus Osee, cujus Regnum Regibus Assyriæ vectigal pendebat, ex quo Teglathphalasar ab Achaz accitus fuerat, ut illi opem ferret, duodecim ante id tempus annis. Cum Osee jugum hoc rejicere conatus fœdus percussisset cum *Sua* Ægypti Rege; Salmanasar certior factus in Oseæ ditionem irrupit, Samariam obsidione vallavit, quam triennio oppugnatam, expugnavit tandem, & in Assyriam Israelitas avexit, quibus Teglathphalassar illius pater pepercerat.

Nomen *Salmanasar* usque ad Josephi tempora in Tyriorum Archiviis inveniebatur [5]; & in fragmen- D to quodam Menandri Ephesii, ab hoc Auctore allato, legitur, Regem Assyriæ, quem Josephus eumdem esse putat, ac Salmanassar, omnem Phœniciam bello peragrasse, & cum cæteræ illius regionis urbes a Tyriis defecissent, ut Assyriis subjicerentur, Tyrum unam contra collectas earum omnium vires obstitisse, & quinquennem obsidionem tulisse. A

A Propheta Osea 10. 14. *Salman* vocatur ille, quem vulgo Salmanasar appellari cognovimus; qui hæc habet; *omnes munitiones tuæ vastabuntur, sicut vastavit Salman domum Arbel in die prælii, & matrem super filios allisit*. In Græco Textu Libri Tobiæ vocatur *Enemassar*, pro Salmanassar.

℣. 4. QUOD REBELLARE NITENS MISISSET NUNTIOS AD SUA, REGEM ÆGYPTI.] Hic Ægypti Rex, qui isthic *Sua* nuncupatur, vel *So* [6] juxta Judæorum affixa puncta, idem est plane ac Sabacon Rex Æthiopiæ, qui paullo post Ægypto potitus est, cremavitque vivum adhuc Bocchorim Ægypti Regem, qui in manus illius ceciderat [7]. Herodotus l. 2. c. 137. eum *Abacum* vocat, & rerum ab ipso gestarum partem, ac modum, quo ipse volens Ægyptum liB quit postquam ibi quinquaginta regnasset annos, describit. Jaquelot autumat hunc esse Regem *Sethon*, contra quem Sennacherib infesta tulit arma, atque in Ægyptum irrupit [8]; & conjectando ait, causam belli hujus adversus Ægyptium fuisse fœdus, quod Osee Rex Israel cum eo, de quo loquimur, Rege percusserat. 4. Reg. 17. 4.

Samaria obsessa fuit anno sexto Osee Regis Israel, & qnarto Ezechiæ Regis Juda, ab Orbe condito 3279. Prophetæ sæpius vaticinati sunt impiæ hujus civitatis calamitatem, atque illorum vaticinia haberi possunt velut supplementum ad ejusdem excidii narrationem. Osee 10. 4. 8. loquitur de summo incolarum terrore, deque summa crudelitate, qua subditi Salmanassar in eos desævierunt [9]. Refert auC tem victores prægnantium mulierum alvos præsecuisse, & infantes tenellos adhuc ad terram allisisse. Michæas 1. 6. ait, Samariam factam veluti acervum lapidum congestorum in agro : Re quidem vera Samaria diutius in suismet jacuit rudetibus; & cum infra Samariæ nomen auditur, non de urbe, sed de regione cognomine est intelligendum. Cuthæi, aliique populi, qui ex Assyria missi fuere, ut Provinciæ hujus urbes incolerent, non adeo statim animum appulere, ut Samariam e ruinis excitarent. Sichem facta fuit caput Imperii [10]; isque erat rerum status, cum Magnus Alexsnder in eam regionem accessit. Prophetæ, qui post Salmanasar vixere, minitantur, Jerusalem eodem excidio, ac Samariam afflictum iri [11]: *Extendam super Jerosalem funiculum D Samariæ*. Jeremias 31. 5. de Samariæ montibus loquitur, veluti de tractu quodam inutili, ac derelicto; Sacerdos ad Cuthæos missus nequaquam Samariam venit, sed in Bethel sibi sedem constituit [12]. Post reditum de captivitate civitas hæc instaurari incœpisse videtur; quod ut fieret, non parum loci natura profuit. Tempore Esdræ nondum in honore habebatur; verumtamen de Samariæ cultoribus verba facit

1 4. Reg. 15. 30. 2 בשנת שתים עשרה לאחז . . . מלך יהודה . . . בשמרון תשע שנים
3 Judæi in Seder Olem c. 22. & ex iis Menoch. Tirin. Cornel. alii passim. 4 Usser. ad an. M. 3276.
5 Joseph. Antiqu. l. 9. c. 14. 6 So. סוא 7 Ita Usser. ad an. M. 3279. & Marsham sæcul. 15. Can. Ægypt. 8 Jaquelot. Dissert. sur l' existence de Dieu c. 20. 9 Osee 14. 1.
10 Joseph. Antiqu. l. 11. c. ult. 11 4. Reg. 21. 13. 12 4. Reg. 17. 28.

facit [1]. Hi populi Alexandro succensentes, eo quod non admodum e sententia ab eo fuisse ne accepti, ac invidentes Judæis, qui officiosius habiti fuerant [2], defecere, donec Rex ille Ægyptum peragrabat, atque igni addixerunt Andromachum, quem ille toti Syriæ præfecerat [3]. Alexander in eos rediit, captamque Samariam Macedonibus incolendam tradidit [4], & Samaritanorum regionem Judæis, tributo immunem, concessit. Hecatæus Abderites a Josepho allatus l. 2. contra Appion. confirmat id, quod modo ulterius de Samaritana regione ab Alexandro Judæis permissa; quæ tamen illis adempta fuit a Regibus Ægypti, ac Syriæ, qui Alexandrum sunt consecuti.

Bellorum tempore, quæ inter Macchabæos, ac Syriæ Reges exarserunt, Alexander Bales Jonathæ tres tribuit civitates cum agris earum, quæ erant divulsæ a Samaria, Galilæa, ac Peræa [5], demum vero integram civitatis, ac provinciæ Samariæ possessionem consecuti sunt, sub Iohanne Hircano Asmonæo, qui hanc urbem cepit, eamque funditus diruit [6]. Aulus Gabinius Syriæ Proconsul, eam instauravit [7] anno Julianæ periodi 4657. ab orbe condito 3947. Verum hæc parvula civitas fuit, quæ Gabiniana, vel Gabinii civitas fuit appellata [8] in restauratoris sui memoriam, donec Herodes Magnus eam in magis florentem statum redegit, eamque in Augusti honorem Sebastem vocavit. Hanc autem circumdedit mœnibus, viginti stadiorum, vel duorum millium, & quingentorum passuum ambitu, ac in urbe media Templum ædificavit, cujus circuitus fuit stadii unius cum dimidio, hoc est passuum centum & duodenonaginta. Samariæ urbs eum in Historia Sancta obtinet locum, ut minime gravate ferendum sit, si prolixius isthic illius historiam inseruerimus.

VINCTUM MISIT IN CARCEREM.] Hebraice [9]: *Vinxit illum in carcere*. Post Samariam captam misit illum captivum in Syriam. Hoc pacto Principes captivos belli Reges excipiebant; neque ulla alia in re a cæteris captivis secernebant, nisi quod majorem ignominiam pati cogebantur.

℣. 6. ANNO NONO OSEE .... TRANSTULIT ISRAEL IN ASSYRIOS, POSUITQUE EOS IN HALA &c.] Non sine consilio Reges Assyriæ jubebant devictos populos, alterum in alterius locum transmigrare; ut omnis defectionum adimeretur occasio, dempta illi omni fiducia, quam in regione sua, ac in finitimis locis poterant collocare. Hoc fuisse videtur præcipuum Regum Assyriæ, & Chaldææ consilium. Nihil adeo pervulgatum est in Prophetis, quam minæ, non adversus Judæos solum, verum etiam exteras finitimas gentes, futurum ut in captivitatem in remotissimas, ignotasque terras abducerentur. Superius jam cap. 16. ℣. 9. *de Medorum civitatibus* locuti sumus, quo Syriæ primum, mox vero decem tribuum captivi deducti fuere, ibique profanam Historiam, quæ docet, Arbacem Medos in libertatem asseruisse, conciliare sumus adnisi cum iis, quæ isthic legimus, scilicet Assyriæ Reges magnas deduxisse colonias in Mediæ civitates. Peculiares vero locos, quo decem tribus abductæ fuerunt, latius in singulari Dissertatione ad examen vocabimus.

Hoc pacto Regnum Israel desiit, postquam 254. annos perstitisset a Salomonis morte, & a Jeroboami schismate usque ad Samariam captam, Osee imperante, atque ad transmigrationem decem tribuum trans Euphratem. Scriptura in ea hujus capitis, quæ reliqua pars est, per Anacephalæosim Israelitarum memorat crimina, propter quæ in tot calamitates impegere.

℣. 9. OFFENDERUNT FILII ISRAEL VERBIS NON RECTIS DOMINUM,] verbis scilicet, & factis nequam. Hebraice [10]: *Absconderunt verba, quæ non erant recta contra Dominum*. Hoc est, secreto perperam locuti sunt contra Dominum. Ausi sunt Domini improbare consilium, ac de eo loqui irreverenter; vel secreto ea dicebant, quæ Domini gloriam injuriis afficiebant [11]. Aliter, obtegere voluerunt crimina sua, perinde quasi inani specie, vel subdolo sermone fucum facere, ac Domino os sublinire potuissent.

ÆDIFICAVERUNT SIBI EXCELSA IN CUNCTIS URBIBUS SUIS, A TURRE CUSTODUM, USQUE AD CIVITATEM MUNITAM.] In universo Israel superstitionis, ac idololatriæ notæ conspiciebantur. Excelsa aderant, ubi inanem cultum suum in omnibus regionis locis exercebant, quin aliquis exciperetur; non civitas, non oppidum, non pagus, neque etiam turres, quæ in agris erant positæ, quo pastores noctu secedebant, ut armenta sua tuerentur, & ubi militum stationes collocabantur, qui a latronibus terræ fructus defenderent. Hæc loquendi ratio, *a turre custodum usque ad civitatem munitam*, fortasse exaggeratior est; neque pressius intelligenda. Quomodo enim fieri excelsa poterant in turri, quæ non semper incolebatur, & quæ minime erat consuetum illorum domicilium, qui forte illic aliquando diversabantur?

℣. 10. STATUAS, & LUCOS.] Hebraice: *Statuas, & Astaroth*, vel *Aserim*, statuas Deæ Astartis, aut Veneris, cui luci sacri erant. Vide 4. Reg. 21. 7. ubi dicitur Manasses posuisse Idolum Aserim in Templo Domini, & c. 23. ℣. 4. ubi *Aserim* ponitur cum *Baal*.

℣. 15. ABJECERUNT .... TESTIFICATIONES, QUIBUS CONTESTATUS EST EOS.] Ea omnia neglexerunt, quæ per Prophetas dixerat illis, cœlum, ac terram adversus eos contestatus; vel omnia contempsere præcepta, quæ dederat illis. In Scriptura Leges, & præcepta sæpius *Testimonia* appellantur, seu quod pleræque ritualium legum re ipsa significativæ sunt, ac sunt quorumdam insignium factorum testimonia; quemadmodum Sabbathum Creationis; Pascha exitus de Ægypto; Pentecostes, Legis in Sinai monte rogatæ: seu quod Leges cum omnibus solemnitatibus pacti ac fœderis, quod semper cum testificationibus, & coram testibus icitur, sanctæ fuere.

℣. 16. UNIVERSAM MILITIAM COELI.] Omnia astra, quorum, veluti Rex, Sol est, Luna Regina, Stellæ milites, vel exercitus. Locutio hæc Scripturæ familiaris est.

℣. 17. TRADIDERUNT SE, UT FACERENT MALUM.] Ad literam: *tradebant se, vendebant se, ut facerent malum* [12], in flagitia quælibet se se præcipites egere. Quemadmodum servi, qui se se peccato venumdant, vel artifices, qui ad mala patranda operam locant. Similes vidimus locutiones 3. Reg. 21. 20. 25. Vide & 1. Macch. 1. 16.

℣. 18. ABSTULIT EOS A CONSPECTU SUO.] Amovit eos a Terra Sancta, quam dederat illis; vel a Templo, ubi quodammodo illis præsens erat; verbo, eos amovit a conspectu suo, veluti horroris objectum.

NON REMANSIT NISI TRIBUS JUDA TANTUMMODO.] Deus servavit dumtaxat Regnum Juda, decem vero tribus dereliquit. Adnotavimus jam [13] nomine Juda, comprehendi quoque tribum Benjamin, & Levi, & eas ex aliis tribubus, quæ Religionis causa.

1 1. Esdr. 4. 17. 2. Esdr. 4. 2. 2 Joseph. Antiqu. l. 11. c. ult.
3 Q. Curt. l. 4. c. 21. 4 Euseb. Chron. Cedren. 5 1. Macch. 10. 30. 38. & 11. 28. 34.
6 Joseph. Antiq. l. 13. c. 18. & 4. Macch. 4. 7 Joseph. Antiqu. l. 14. c. 10. 8 Syncel. Chron. p. 308. Usser. ad an. 3979. 9 ויאסרהו בית כלא 10 ויחפאו דברים אשר כן על יהוה
11 Ita Jonat. Syr. Arab. 12 ויתמכרו לעשות הרע 13 Vide quæ diximus supra 3. Reg. 12. 20. *Nec secutus est quisquam domum David præter tribum Judam solam.*

esusa in regnum Juda migrarant. Cum eadem restrictione intelligendum est, quod infra ℣. 20. legimus; *Projecit Dominus omnem semen Israel*; quod de decem tribubus dumtaxat est intelligendum, quæ Domini cultum reliquerunt, a Domo David secedentes. Eos autem derelinquere cœpit Deus, ubi fieri secessio cœpit [1]: penitus vero eos projecit, cum Salmanasar, quod ex decem tribubus reliquum erat, in servitutem abduxit. Ex Paralipomenis videmus [2] plures Israelitas ea in regione remansisse, cum de Assyriorum manu aufugissent; quos Josias Rex Juda in ditione sua admisit eum ea conditione, ut superstitiones suas abdicarent, ac cærimonias parentum suorum iterum amplecterentur. Hic Rex omnia, quæ reliqua erant in regione Israel, superstitionis, ac impietatis monumenta subvertit. Osee refert aliam populi partem, clam in Ægyptum fuisse dilapsam. Osee 8. 13. & 9. 3.

℣. 23. TRANSLATUS EST ISRAEL DE TERRA SUA IN ASSYRIOS, USQUE IN DIEM HANC.] Hæc captivitas adhuc permanebat, cum opus hoc conscribetetur: cujus si Esdras est auctor, quemadmodum fidei pronius est, hac parenthesi ostendere voluit, Deum longe mitius in Judam, quam in Israel decoxisse. Ævo illius Juda jam reversa erat e captivitate sua, at decem tribus majori ex parte nondum jugum servitutis excusserant.

℣. 24. ADDUXIT REX ASSYRIORUM DE BABYLONE, & DE CUTHA, & DE AVAH, & DE EMATH, & DE SEPHARVAIM.] Salmanasar cum traduxisset Israelitas in civitates Medorum, quemadmodum superius dictum est, accivit in eorum locum, in Samariæ regionem, alios collectitios incolas *de Babylone*, hoc est de Babylonia; nam tunc Babylone Rex imperitabat, qui Assyriis minime parebat, & *Belesi* successor. Hæ gentes fortasse edoctæ fuerunt ex quibusdam Babyloniæ civitatibus, quas vel Teglathphalassar, vel Salmanasar vicerat. Videbimus infra c. 18. 34. populos hos recens devictos fuisse, cum in Samariam translati fuerunt.

CUTHA,] unde Colonia Samariam deducta Cuthæorum nomen sumpsit, eo quod Cuthæi plane majori erant in numero, quam cæteri. Alibi jam animadvertimus [3] *Cuth*, vel *Cutha*, vel *Scytha* idem fuisse ac *Cusch*, vel Cuscha; namque *Sch* Chaldaice in *Th* vertitur; de Assur, & Assyria, factum est Athyr, vel Athur, & Athyria, vel Athoria. Veteres Scythæ ad Araxem incolebant; in montibus Mediæ *Cossæi* aderant [4]; quos Ptolomæus l. 6. c. 3. in Susiana constituit.

AVAH.] Ptolomæus *Avadiss* in Bactriana regione constituit. Ctesias [5] ait, Semiramidem venisse in *Chavon* Medorum Provinciam; quæ vox efferri potest velut *Gavan* vel *Gnavah*. Ammianus Marcellinus l. 23. loquitur de *Hava* duobus fluminibus, quæ in Tigrim defluunt, quorum alterum *Diaba*, alterum *Adiaba* appellatur. Inferius bis invenimus Ana additum Avah. 4. Reg. 18. 34. & 19. 13.

EMATH.] Plures fuere civitates, quarum nomina aliquam habent cum Emath similitudinem; Emessa in Syria, Amasæa in Cappadocia, Amida in Tigris ora occidentali, ad Tauri montis radices, Amastris ad flumen Parthenium. Verum nullam hic video difficultatem, quo minus intelligendum sit de urbe Emath in Syria, celebri adeo in Scripturis. Civitas hæc plane capta fuerat, atque suæ ditioni subjecta a Regibus Assyriæ, qui cultores mutare voluerunt, eosque alibi dispergere, non secus ac cæteros Syriæ habitatores; quemadmodum Teglathphalassar Damasci, finitimorumque locorum incolas in Albaniam, & Iberiam misit, & Salmanasar cives Emath in Samariam traduxit. Emath erat ad Orontem posita. Transmigratio ex eo loco in Samariam nimis longa erat, ut de Emath in Palæstinam coloniæ trajicerentur.

SEPHARVAIM.] Eruditi quidam Interpretes [6] putant, populos hos habitasse in *Sypphera* vel in urbe Sipharenorum ad Euphratem [7]. Ego vero malim eos constituere in regione Sarapatorum, vel in Montibus Saspiris; qui loci maxime proximi sunt Mediæ, quo Scriptura refert Israelitas deductos fuisse [8]: omnia enim veritatis species adest, ex iisdem locis desumptos fuisse ex majori parte eos, qui in locum Israelitarum in Samariam delati fuerunt. Herodotus l. 1. c. 103. & 3. 94. & 7. 79. *Saspiros* eos populos esse solum, qui inter Colchos, & Medos incolunt; & Strabo [9] Sarapiros in Armenia constituit.

Obiter isthic animadverti potest, aliquid in Esdra inveniri, quod differt ab iis, quæ isthic leguntur; loquens enim de populis in Samariam missis a Magno Asnaphar, qui plane idem est, ac Rex *Assaradon*, ait [10]: *Reum capus consilii, & Simsai scriba; & cæteri fœderati Dinæi, Apharsatachæi, Tarplai, Apharsai, Erchæi, Babylonii, Susanchæi, Dievi, Elamitæ, & cæteri de gentibus, quas transtulit Asnaphar Magnus in Samariam. Dinæi* profecto sunt e *Danae*, vel Dagana in Cappadocia [11], vel potius *Danacia* in Perside, de qua Ovidius loquitur lib. 1. de arte:

Urbs in Achemeniis vallibus illa fuit.

Apharsathæi sunt populi *Paretacene* in Perside; nonnulli eos in Media collocant; vel sunt *Persescythæ*.

Tarplai a nonnullis vertuntur *Tripolitani* populi e Tripoli in Syria, ab aliis vero *Tapiri*.

Apharsai sunt Persæ. *Erchæi* sunt fortasse ex *Arca* in tertia Armenia. *Arca* invenitur etiam in Comagene. Erech, vel Arach est e vetustissimis terrarum civitatibus, a Nembrod condita [12] in Susiana.

BABYLONII.] Hi satis cogniti sunt.

SUSANNECHÆI.] Populi e Susis, quæ civitas est Susianæ caput.

DIEVI,] Hi plane [13] sunt de *Hava* [14]; de qua isthic ℣. 24. est sermo; vel fortasse ii sunt, qui ad flumen Diaba incolebant,

ELAMITÆ.] Hos satis novimus.

℣. 25. IMMISIT IN NOS DOMINUS LEONES, QUI INTERFICIEBANT NOS.] Perinde ac Dominus zelo succensus ob loci ejus sanctitatem, noluisset, Idololatriam ibi stabili in sede constitui, neque Dæmonem gloriari posse, se omnino nomen, & Domini cultum exterminasse. Deus nondum oculos ab ea electa regione dimoverat; hæc minime in perpetuum erat deserta: divinæ est sapientiæ idololatriam, schismata, ac hæreses pati; verum minime permittit ultra statum finem prætervehi, & cum patientia illius sceleribus nostris defatigatur, justitiæ suæ instrumenta non desunt, quibus in nos animadvertat; aer, terra, elementa, animantia illum ulciscuntur, atque a nobis pœnas exposcunt. Josephus Antiqu. l. 9. c.ult. ea licentia, quam nonnisi frequenter nimis sibi vindicat, isthic Scripturæ sensum invertit; ait, populos hos peste afflictatos fuisse, cumque nullam morbo invenirent medicinam, Oraculum consuluisse, qui præcepit illis, ut cultum summ Altissimo præstarent; quamobrem legatos ad Regem Assyriæ miserunt, qui Sacerdotem sibi permitti efflagitarent. Chronica vero Samaritanorum ajunt, terras illis pulcherrimos

1 Hic ℣. 21. *Donec projiceret eos a facie sua, ex eo jam tempore, quo scissus est Israel a Domo David.*
2 2. Par. 34. 2. 9. 33. Vide & 4. Reg. 23. 19. 3 Genes. 2. 13. & 10. 6. 4 Vide Diodor. l. 17. Polyb. l. 5. Plin. l. 6. c. 27. 5 Ctesias Persic. l. 1. apud Stephan. de Urb. 6 Grot. Jun. Malv.
7 Vide Ptolom. l. 5. c. 18. & Abyden. 8 4. Reg. 18. 19. 9 Strabo l. 10. Vide nostram Dissertationem de regione Ophir; & quæ diximus in Genes. 2. ℣. 11.
10 1. Esdr. 4. 9. רחום בעל טעם ושמשי ספרא ושאר כנותהון דיניא ואפרסתכיא טרפליא אפרסיא ארכוי בבליא שושנכיא דהוא עלמיא ושאר אמיא די הגלי אסנפר רבא
11 Vide Ortel. Thesaur. 12 Genes. 10. 10. 13 דהוא 14 העוים

mos quidem in speciem edidisse fructus, intrinsecus vero veneno infectos.

℣. 26. IGNORANT LEGITIMA DEI TERRÆ.] Idololatræ opinabantur cuilibet regioni peculiare præesse numen [1], non censebant, fieri nequaquam posse, ut Dii plures essent, ac plures simul posse coli, dummodo singulis cultus ille adhiberetur, qui erat proprius eorum. Juxta hanc sententiam loquebantur, Regi Assyriæ innuentes, se hæc mala perpeti, eo quod ignorabant quo pacto Deus regionis illius esset colendus; atque in sententiæ ejusdem effectum, alienigenæ qui in Samariam venerant, minime veriti sunt Domini cultui addere veterum numinum suorum venerationem.

Cæterum ea, quæ isthic narrantur, non contigere statim post Cuthæorum adventum in Samariam. Esdras [2] ait, ab Assar-adon, qui successerat Sennacherib, missum fuisse Sacerdotem, qui alienigenas hos Dominum colendi rationem edoceret. Scriptura hic omnia simul colligit, quæ ad hanc coloniam spectant, ne subinde historiæ contextum teneatur abrumpere.


℣. 27. DUCITE ILLUC UNUM DE SACERDOTIBUS, QUOS INDE CAPTIVOS ADDUXISTIS, & VADAT &c.] Hebraicus textus [3], Chaldæus, & Septuaginta; *mittite unum de Sacerdotibus .... vadant, & ibi immorentur*. Non unus tantum, sed plane plures missi fuere Sacerdotes; verum unus cæteris, & dignitate, & auctoritate præstabat, qui alios alias in regionis partes distribuit. Cum Samaria a Salmanasar fuisset eversa, Sacerdos hic sedem sibi elegit in Bethel, loco apud omnem antiquitatem venerabili post celeberrimam Scalæ a terra ad Cœlum pertingentis apparitionem, quam viderat Jacob. At quinam erat Sacerdos hic e Syria missus? Hic procul dubio minime erat Sacerdos e tribu Levi, neque eorum aliquis, qui in Hierasolymitano templo operabantur: neque enim legimus uspiam, vel Teglathphalassar, vel Salmanasar, vel Sennacherib, vel denique Assar-adon, umquam de terra Juda captivos abduxisse, nisi forte Manassem Regem, qui, Assar-adon imperante, Babylonem deductus fuit. Hic igitur plane Levita erat aliquis, qui cum in Regno Israel permansisset, cum aliis in captivitatem abactus fuerat; vel hic vitulorum aureorum Sacerdos fuit [4], qui cultum quidem Domini professus est, sed perperam; namque Cuthæi ab Idololatria sua minime recesserunt. S. Epiphanius hæres. 9. Sacerdotem hunc in Samariam missum Esdram appellat [5]. Ab aliis *Ion* vocatur; nec desunt, qui duos Sacerdotes illuc missos nutumant, *Eliezerum*, & *Dosithæum*. Postremus hic est celebris Jannæi filius, quem S. Hieronymus adv. Lucifer. ait patrem esse Saducæorum, simulque Samaritanorum caput, qui concives suos docuit, ut Prophetarum scripta rejicerent. Verum certum est, Dosithæum, de quo S. Hieronymus loquitur, longe recentiorem esse hoc Sacerdote ab Assar-adon misso, ut Cuthæis Domini colendi rationem traderet [6].

En ergo verum Samaritanorum, vel Cuthæorum primordium, de quibus toties in Scripturis sermo recurrit. Colluvies fuit plurium populorum, qui aliunde in Samariam venere. Perperam, ac immerito gloriabantur deinde, se filios esse Prophetarum: *Patres nostri in monte hoc adoraverunt*, ajebat Samaritana ad J. C. [7]. At cum discrimen adesset, & in Judæos desæviret persecutio, tunc vere profecto originem suam detegebant, ac nihil sibi cum Judæis commune, sed ex omnino alia progenie se profitebantur [8]. Sacerdos ad illos missus illis dedit Libros Moysis, quos servant adhoc, Hebræis veteribus, seu Phœniciis characteribus exaratos. Cum hic esset regionis illius, in quam transierant, character, eum scribentes servarunt, atque etiam finitimorum suorum linguam ad commercii facilitatem didicerunt. Judæi e contra cum Chaldæorum linguam percepissent, eorumque Scripturæ in Babylonica captivitate assuevissent, sensim veteres Hebraicos librorum suorum characteres immutavere, & Chaldaicas litteras acceperunt; unde discrimen oritur inter Samaritani, & Judaici Pentateuchi Scripturam.

Samaritani satis merito insimulantur, quod sacros Moysis Libros parum caste servarint, eosque aliquibus in locis corruperint. Satis emicat eorum affectata correctio in montis Garizim gratiam, ubi conditum, etiam ante captivitatem, templum fuisse contendunt. In eorum Chronicis habent, Summum Israelitarum Pontificem, Abdiam nomine, cum aliis captivum abductum fuisse in Ninive, Salmanasar imperante, quo ille librum Legis, quem ad hanc diem servant, abduxit; illumque in monte Garizim effodisse sacra vasa Templi, quod in illius vertice consurgebat. At melioris notæ Interpretes [9] uno ore affirmant, Templum hoc extructum fuisse tantummodo a Sanaballat in favorem Manassis generi sui, Alexandri Magni tempore [10]. Esdræ, ac Nehemiæ ævo nullum profecto templum habebant, quandoquidem tanta cura adnitebantur, ut ad Jerosolymitanum Templum partem haberent; & si templum, vel Samariæ, vel alibi habuissent, Sacerdos ab Assar-adon ad illos missus constituissetne sibi sedem in Bethel [11]? Eruditi quidam viri [12] contenderunt, antequam Templum Garizim extrueretur, Samaritanis nullos fuisse Moysis libros, & ad illud usque tempus nullam aliam illis fuisse legem, quo ad cultum, quem Domino adhibere debebant, quam verbalia Sacerdotis sui præcepta, quæ per manus tradita in populorum memoria viguerant.

℣. 29. POSUERUNT EAS IN FANIS EXCELSIS.] Hebraice [13]: *Posuerunt eos in domo excelsorum*, quæ ipsi ædificaverant. Quilibet populus sigillatim Idola sibi conflavit illis similia, quæ in sua regione adoraverat, eaque in Templis collocavit, quæ in excelsis extruxerat; quod quæ hactenus dicta sunt, confirmat, tunc eos non ædificasse commune toti coloniæ aliquod Templum; & cultum, quem Domino præstabant, in eo fuisse positum, ut circumcisionis nota illis inureretur, Sabbathum, aliasque nonnullas Leges rituales observarent. Verum hæc satin erant apta, ut supplicia, quibus antea Deus in eos detonuerat, leones adversus illos immittens, cohiberentur? Si eorum actionis meritum velis dumtaxat perpendere, difficile procul dubio est, quod tantam illi virtutem attribuas. Deo acceptus esse non poterat cultus adeo immixtus, atque impurus: verum cum supplicia, quibus in terris premimur, sæpius ad Dei gloriam prodendam dumtaxat inserviant [14]; ita cum eadem supplicia cessant, ob id plerumque cessant, ut summa Dei potentia magis eluceat. Deus æquam vim, atque omnipotentiam suam ostendit, & Israelitas in servitutem redigens, & leones in Cuthæos immittens, & ferocium animantium violentiam prohibens. Altissimæ illius intererat sapientiæ, efficere, ut indociles populi illius experirentur affectus, eosque

1 Cicero de Nat. Deor. l. 1. *Antisthenes populares Deos multos, naturalem unum esse dicens, tollit vim, & naturam Deorum*. Vide supra 3. Reg. 20. 23.
2 1. Esdr. 4. 2. *Ædificemus vobiscum, quia ita ut vos quærimus Deum vestrum. Ecce nos immolavimus victimas a diebus Asor-addan regis Assur, qui adduxit nos huc*.
3 הליכו שמה אחד מהכהנים אשר הגליתם משם וילכו וישבו שם
4 Lyr. Tost. Sanct.
5 Baronid. Hist. Eccles.
6 Vide Basnage Histoire des Juif. lib. 2. c. 5. art. 7. 8. 9.
7 Joan. 4. 20. Vide pariter vers. 22. ejusdem capitis.
8 Vide Joseph. l. 9. Antiqu. ad finem.
9 Vide Basnage hist. des Juif. l. 2. c. 3. art. 3. & 4.
10 Joseph. Antiqu. l. 11. c. 8.
11 Vide vers. 28. hujus capitis.
12 Vide Simonium Histoir. Critique du vieux Testam. & Le Quien, Antiquité des tems detruite c. 5. n. 23.
13 וינחו בבית הבמות
14 Joan. 9. 3.



s
rtac





rius.















































dosque doceret, se Dominum esse, & vitæ ipsorum, & regionis ejusdem, & sibi integrum esse, & illis parcere, & eos delere.

℣. 30. VIRI BABYLONII FECERUNT SOCHOTH-BENOTH.] Hebraica vox [1] *Sochoth benoth* significat *tentoria puellarum*. Credunt nonnulli [2], Scripturam isthic innuere velle lupanaria, ubi Babyloniæ puellæ corpus suum semel in vita prostituere solebant in Mylittæ honorem [3]. Eusebius in libro suo de Hebræis, putat Sochoth-benoth, Asymam, Nergel &c. esse civitatum nomina, quas ii populi in Palæstina condiderunt; & S. Hieronymus in hujus Operis versione nihil addit, ex quo ipsa sententiam hanc improbasse videatur. At alii putant, Benod nomen esse Numinis, cui Templa erigebantur [4]. Nec desunt, qui velint, *Veneris* numen a *Benoth* [5] oriri. Rabbini interpretantur *Sochoth-Benoth* de gallina, & pullis ejus. At quid hoc sibi vult? Alii intelligunt de Templis gestatoriis, ubi ponebatur imago, ac idolum Dearum quarumdam [6]. Denique alii conjiciunt, authographi verba significare sydus illud, quod Pleiades [7] appellatur. Verum nihil opus est, ut longinqua adeo scrutemur: illis hærere possumus, quæ ex Herodoto attulimus. Invenitur in Africa urbs, quam Ptolomæus *Sicham Veneriam* vocat, alii vero *Siccam* simpliciter, unde Eruditi viri nonnulli conantur educere etymon *Sochoth-benoth*. Videri possunt Seldenus, & Johannes Gerardus Vossius.

VIRI CUTHÆI FECERUNT NERGEL.] Hanc Deam sub ligneæ gallinæ specie colebant, ut ajunt Rabbini, nonnullorum Interpretum caterva stipati [8]. Alii putant hunc perpetuum ignem fuisse, qui in Solis honorem in Perside adorabatur. S. Ambrosius, vel alius Auctor, sub illius nomine ellatus, qui scripsit in 1. Epistolam ad Corinthios, ait c. 9. Samaritanus Persarum ritu ignem fuisse veneratos. Hebraica vox [9] *Nergal* ad litteram significare potest *lumen*, *vel ignem*, qui in flammas assurgit, scintillas, ac in orbem agitur. Veteres sæpius de Templis, vel si mavis, de septis Persarum loquuntur, ubi perpetuum ignem alebant in Are, quæ media erat cum magna cinerum copia [10]. Magi semper hæc adeunt Templa, & virgarum fasciculum manu tenentes ante ignem quosdam hymnos concinunt; capita laneo pileo obtegente, atque ad labia, et maxillas usque descendente. Jeremias 49. 3. 13. loquitur de viro quodam cui nomen *Nargel*, qui Quæstor erat Regis Nabuchodonosor; & Berosus apud Joseph. l. 1. contra Appion. meminit *Nerigllisor*, vel *Nergelsizer*, qui post interfectum *Evilmerodac* Babylone regnavit.

VIRI DE EMATH FECERUNT ASIMA.] Rabbini hoc nobis exhibent numen [11] velut hircum implumem; alii velut simiam [12], velut agnum alii [13] vel Satyri forma, vel quemadmodum a Poetis Pan Deus describitur. Hæc autem omnia temere, atque sine ulla ratione. *Simia* [14] a Græca voce *Simos* appellari putant, quæ *simum* hoc est pressas nares habentem significat. At Græce Simia alio nomine nuncupatur. Apud Perthos *Simor* vocabatur murium species, ex quibus subsuta pellicea facere consueverant.

℣. 31. HEVÆI FECERUNT NEBAHAZ.] Populi de Avub profecti isthuc Hevæi nuncupantur; Deus illorum *Nebahaz* exhibetur sicut canis, juxta Judæorum sententiam; et illud unum efferre possunt ipsorum sententiæ argumentum, quod Hebraice [15] *Nabuch* latrare significat, Canes autem ab Ægyptiis adoratos fuisse, satis liquet: *Oppida tota canem venerantur*; & Anubim unum ex ipsorum numinibus canis caput habuisse. Virgil. Æneid 6.

Omnigenumque Deum monstra, & latrator Anubis.

Viator quidam in Perside quædam vetera Idola conspexit, hirci, vel Satyrorum speciem referentia [16].

Haud abhorret a fide, *Nebuhaz* fluere a *Nebo* celebri apud Babylonios Numine, & ab Achaz, cepit, possedit. Juxta hanc Etymologiam verti posset *Nebahaz* pro Oraculo quod possidet, Deo possessore ac rerum omnium Domino: vel si mavis, illud ex Hebraica voce *chasah*, vidit, Nebahaz significat *Nebo videntem*, Deum, qui omnia videt. Verum fatendum est hoc esse Andabatarum more pugnare; at quidnam in tantis tenebris faciendum?

THARTHAC.] Aliud Hevæorum numen, inquiunt Judæi, asini formam habebat. *Tharsach* תרתק nequaquam Hebraica vox est. Marshamus hoc unum tantummodo cum *Nebacahaz* numen esse arbitratur.

THARTHAC תרתק] An idem esset ac *Sur-saK*? *Sar* שר Hebraice Principem significat; *SaK* שר vel שק *Saca* Princeps erat, vel Deus apud Babylonios celeberrimus. Solemnia, quibus *Sacaorum* nomen, apud Profanos insignia [17]. Itaque *Tarthac*, juxta Chaldæorum pronunciandi rationem *Deum SaK* vellet innuere: Jeremias [18] bis loquitur de Deo Sesac, vel de festivitatibus *Sesac*. A veteribus quibusdam festivitates Sesac vocantur *Sada*, vel *SadaK*; quod magis adhuc congruit cum *Tharthac*, de quo sermo est. Alibi [19] conjecturas quasdam attulimus, ut ostenderemus *Sesac* Solem esse, vel Lunam, Apollinem, vel Dianam, quæ numina Borsippi prope Babylonem colebantur.

QUI ERANT DE SEPHARVAIM COMBUREBANT FILIOS SUOS IGNI ADRAMELECH, & ANAMELECH DIIS SEPHARVAIM.] Adramelech juxta Hebræorum sententiam muli, vel pavonis habebat imaginem; Anamelech vero equi speciem, vel coturnicis, vel phasiani. Rabbinorum commenta. Numen *Adramelech* [20] significet Regem magnificum, & Solem plane denotat; *Anamelech* [21] Regem benignum, & clementem innuit, & Lunam designat. Strabo l. 11. & 15. loquitur de Dea in Oriente celebri, cui nomen *Anais*, vel *Aaasa*, quæ Diana erat, vel Luna. Nemo nescit, apud Orientis populos, Lunæ masculini generis nomen tribui consuevisse, eamque sub Dei forma fuisse adoratam. Rex igitur *Anu* plane est Luna. Similitudo, quæ animadvertitur inter victimas, quæ huic Numini, & Moloc Deo Ammonitarum, atque Saturno Deo Phœnicum offerebantur, plures impulit, ut crederent hoc unum esse, & idem. Verum dicendo Adramelech, & Anamelech Solem esse, & Lunam, sententiæ omnes conciliantur. Orientales ferme Solem, ac Lunam dumtaxat sub diversis nominibus venerabantur.

℣. 32. FECERUNT SIBI DE NOVISSIMIS SACERDOTES EXCELSORUM.] Non satis illis fuit Sacerdos ille, vel illi Sacerdotes, qui de Assyria venerant, at alios sibi Sacerdotes constituerunt, qui Idolis sacra facerent. Primi Domino tantum sacrificia offerebant, alii vero falsis Numinibus cultum edhibebant; qui novissimi sine dignitate erant, ac sine meritis, sed promiscue, ac indiscriminatim e medio populi eligebantur.

℣. 34. USQUE IN PRÆSENTEM DIEM MOREM SEQUUNTUR ANTIQUUM: NON TIMENT DOMINUM, NEQUE

2 עשו את סכות בנות 2 Ita Grot. hic, & Selden. de Diis Syr. Syntag. 2. c. 7.
3 Herodot. lib. 2. c. 199. 4 Eucher. Lugd. ad 4. Reg. 26. 5 Ita sentire videtur Selden. loco cit.
6 Boch. de animali par. 2. l. 3. c. 16. 7 Lyr. Malv.
8 Grot. Munst. alii. 9 Lampas נר vel נור volvie גלל
10 Strabo l. 15. Vide, si lubet, Selden. Syntag. 2. de Diis Syr. c. 8. 11 Beal-aruch, Kimchi, Rab. Salom. Deus. in Genes. 1. 3. 12 Elias Levita. 13 Talmud. Jerosolym.
14 Hesych. in σίμωψ. 15 Latrare נבח Nebuchas נבה 16 Description de l'Univers. par Mallet t. 2. de l'Asiæ p. 174, 175. 17 Athen. l. 14. c. 10. Dio Chrysost. orat. 4. de Regno.
18 Jerem. 25. 26. & 51. 40. ששך 19 Vide quæ diximus in citatum Jeremiæ locum.
20 *Rex magnificus* אדרמלך 21 *Rex pius* ענמלך

NEQUE CUSTODIUNT CÆREMONIAS EJUS.] Hebraicus Textus habet [1]: *Agunt juxta veterem consuetudinem, minime verentur Dominum, neque juxta sua præcepta, neque suos mores operantur*. Quod contradictorium est, si ad Israelitas referre velis; illi sequi noluerunt veteres indigenarum Leges, & cæremonias. Verum cum antea de Israelitis sermo non fuerit, supplementum hoc nimis longe accitum videtur. Septuaginta hoc alio in sensu intellexerunt [2]: *Hi populi sequuntur morem antiquum; verentur, & agunt juxta consuetudines suas, & Leges, & juxta Legem, & præceptum, quod dedit Dominus filiis Jacob*. Hi duo hæc simul conjungunt, & Divinæ Legis exercitium, & ipsorum veteres consuetudines. Syriaca, & Arabica versio aliam adhuc viam expediunt: *Israelitæ coacti fuerunt regionem suam deserere, eo quod Dominum deseruerunt, neque Legibus illius, præceptis, ac mandatis, quæ filiis Jacob dederat, obtemperaverunt &c.* Quam explicationem notæ melioris Interpretes amplectuntur [3]. Hebraice legentibus versiculos 32. 33. 34. & 35. satis liquet in Textu confusionem aliquam esse, & versiculus 40. & 41. postulare videntur, ut ỳ. 34. & qui sequuntur de Israelitis explicentur, qui extra regionem suam translati fuerunt: aliter species quædam contradictionis adesset inter ea, quæ habentur ỳ. 34. *Usque in præsentem diem morem sequuntur antiquum: non timent Dominum &c.* & inter ea, quæ ỳ. 41. de Cuthæis dicuntur: *Fuerunt igitur gentes istæ timentes quidem Dominum, sed nihilominus, & idolis suis servientes: nam & filii eorum, & nepotes sicut fecerunt patres sui, ita faciunt &c.* Naturale admodum est Hebræos exprobrari, eo quod veterem sequantur consuetudinem suam, Domino non parendo: liquet generatim ipsis diuturnas, pravasque fuisse habitudines: verum integrum esset quodammodo eadem alienigenis populis exprobrare, quia Dominum antea minime noverant, & qui postquam illum agnovere, illum timuere quidem, & venerati sunt, quemadmodum isthic textus fatetur, licet perperam, atque imperfecte. Si sequi velis sensum, quem proposuimus, dicendum erit. Israelitas decem tribuum nequaquam pœnituisse impietatis suæ in exilio, atque inter mala, quibus Deus illos percusserat, ad bonam frugem minime revocatos fuisse. Esdræ ævo, qui plane horum Librorum est Auctor, plerique tales erant in Assyria, quales in terra Israel vixerant,

1 הם עשים כמשפטים הראשנים אינם יראים את יהוה ואינם עשים כחקותם וכמשפטם

2 ἕως τῆς ἡμέρας ταύτης αὐτοὶ ἐποίουν κατὰ τὸ κρίμα αὐτῶν, αὐτοὶ φοβοῦνται, καὶ αὐτοὶ ποιοῦσι κατὰ τὰ δικαιώματα αὐτῶν, καὶ κατὰ τὴν κρίσιν αὐτῶν, καὶ κατὰ τὸν νόμον, καὶ κατὰ τὴν ἐντολὴν ἣν ἐνετείλατο Κύριος, καὶ τὰ ἑξῆς.

3 Ita Jun. Vat. Pisc. Malv.

CAPUT XVIII.

Ezechias ad puritatem pristinum Domini cultum revocat. Sennacherib Regnum Juda invadit, atque Jerusalem versus progreditur, Ezechiam subacturus, qui illi tributum amplius solvere recusabat. Impii sermones, ac minæ Rabsacis Ducis Sennacherib.

Ann. M. 3277. Ante J.C. 727. 1. ANNO tertio Osee filii Ela regis Israel, regnavit Ezechias filius Achaz regis Ju-
da. 2 Vigintiquinque annorum erat, eum regnare cœpisset: & vigintinovem annis regnavit in Jerusalem: nomen matris ejus Abi filia Zachariæ.
3 Fecitque, quod erat bonum coram Domino, juxta omnia, quæ fecerat David pater
ejus. 4 Ipse dissipavit excelsa, & contrivit statuas, & succidit lucos, confregitque serpentem æneum, quem fecerat Moyses: siquidem usque ad illud tempus filii Israel adolebant ei incensum: vocavitque nomen ejus Nohestan.
5 In Domino Deo Israel speravit; itaque post eum non fuit similis ei de cunctis regibus Juda, sed neque in his, qui
ante eum fuerunt.
6 Et adhæsit Domino, & non recessit a vestigiis ejus, fecitque mandata ejus, quæ præceperat Dominus Moysi.
7 Unde & erat Dominus cum eo, & in cunctis, ad quæ procedebat, sapienter se agebat. Rebellavit quoque contra regem Assyriorum & non servivit ei.
8 Ipse percussit Philisthæos usque ad Gazam, & omnes terminos eorum, a Turre custodum usque ad Civitatem munitam.
9 Anno quarto regis Ezechiæ, qui erat annus septimus Osee filii Ela regis Israel, ascendit Salmanasar rex Assyriorum in Samariam, & oppugnavit eam,
10 Et cepit. Nam post annos tres, anno sexto Ezechiæ, id est nono anno Osee regis Israel, capta est Samaria,
11 Et transtulit rex Assyriorum Israel in Assyrios, collocavitque eos in Hala, & in Habor fluviis Gozan in civitatibus Medorum:
12 Quia non audierunt vocem Domini Dei sui, sed prætergressi sunt pactum ejus: omnia, quæ præceperat Moyses servus Domini, non audierunt, neque fecerunt.
13 Anno quartodecimo regis Ezechiæ, ascendit Sennacherib rex Assyriorum ad universas civitates Juda munitas; & cepit eas.
14 Tunc misit Ezechias rex Juda nuntios ad regem Assyriorum in Lachis, dicens. Peccavi, recede a me; & omne, quod imposueris mihi, feram. Indixit itaque rex Assyriorum Ezechiæ regi Judæ trecenta talenta argenti, & triginta talenta auri.
15 Deditque Ezechias omne argentum, quod repertum fuerat in domo Domini, & in thesauris regis.
16 In tempore illo confregit Ezechias valvas templi Domini, & lami-
nas

nas auri, quas ipse affixerat, & dedit eas regi Assyriorum. 17 Misit autem rex As-
syriorum Thartan, & Rabsaris, & Rabsacen, de Lachis ad regem Ezechiam, cum ma-
nu valida, Jerusalem: qui cum ascendissent, venerunt Jerusalem, & steterunt juxta
aquæductum piscinæ superioris, quæ est in via Agri-fullonis. 18 Vocaveruntque re-
gem: egressus est autem ad eos Eliacim filius Helciæ, præpositus domus, & Sobna
scriba, & Joahe filius Asaph a commentariis. 19 Dixitque ad eos Rabsaces: Loqui-
mini Ezechiæ: Hæc dicit rex magnus, rex Assyriorum: Quæ est ista fiducia, qua
niteris? 20 Forsitan inisti consilium, ut præpares te ad prælium. In quo confidis,
ut audeas rebellare? 21 An speras in baculo arundineo, atque confracto Ægypto,
super quem si incubuerit homo, comminutus ingredietur manum ejus, & perforabit eam?
sic est Pharao Rex Ægypti, omnibus, qui confidunt in se. 22 Quod si dixeritis mihi:
In Domino Deo nostro habemus fiduciam: nonne iste est, cujus abstulit Ezechias ex-
celsa, & altaria: & præcepit Judæ, & Jerusalem: Ante altare hoc adorabitis in Jeru-
salem? 23 Nunc igitur transite ad dominum meum regem Assyriorum, & dabo vo-
bis duo millia equorum, & videte, an habere valeatis ascensores eorum. 24 Et quo-
modo potestis resistere ante unum satrapam de servis domini mei minimis? An fidu-
ciam habes in Ægypto propter currus, & equites? 25 Numquid sine Domini vo-
luntate ascendi ad locum istum, ut demolirer eum? Dominus dixit mihi: Ascende
ad terram hanc, & demolire eam. 26 Dixerunt autem Eliacim filius Helciæ, & Sob-
na, & Joahe Rabsaci: Precamur, ut loquaris nobis servis tuis Syriace, siquidem in-
telligimus hanc linguam: & non loquaris nobis Judaice, audiente populo, qui est
super murum. 27 Responditque eis Rabsaces, dicens: Numquid ad dominum tuum,
& ad te misit me dominus meus, ut loquerer sermones hos, & non potius ad viros,
qui sedent super murum, ut comedant stercora sua, & bibant urinam suam vobiscum?
28 Stetit itaque Rabsaces, & exclamavit voce magna Judaice, & ait: Audite verba
regis magni, regis Assyriorum. 29 Hæc dicit rex: Non vos seducat Ezechias: non
enim poterit eruere vos de manu mea. 30 Neque fiduciam vobis tribuat super Domi-
num, dicens: Eruens liberabit nos Dominus, & non tradetur civitas hæc in manu re-
gis Assyriorum. 31 Nolite audire Ezechiam. Hæc enim dicit rex Assyriorum: Faci-
te mecum, quod vobis est utile, & egredimini ad me: & comedet unusquisque de vi-
nea sua, & de ficu sua; & bibetis aquas de cisternis vestris: 32 Donec veniam, &
transferam vos in terram, quæ similis est terræ vestræ, in terram fructiferam, & fertilem
vini, terram panis, & vinearum, terram olivarum, & olei, ac mellis, & vivetis,
& non moriemini. Nolite audire Ezechiam, qui vos decipit, dicens: Dominus libe-
rabit nos. 33 Numquid liberaverunt dii gentium terram suam de manu regis Assyrio-
rum? 34 Ubi est deus Emath, & Arphad? ubi est deus Sepharvaim, Ana, & Ava?
numquid liberaverunt Samariam de manu mea? 35 Quinam illi sunt in universis diis
terrarum, qui eruerunt regionem suam de manu mea, ut possit eruere Dominus Jerusa-
lem de manu mea? 36 Tacuit itaque populus, & non respondit ei quidquam: siqui-
dem præceptum regis acceperant, ut non responderent ei. 37 Venitque Eliacim fi-
lius Helciæ, præpositus domus, & Sobna scriba, & Joahe filius Asaph a commentariis,
ad Ezechiam, scissis vestibus, & nuntiaverunt ei verba Rabsacis.

℣. 1. ANNO TERTIO OSEE . . REGNAVIT EZECHIAS.] Ezechias a patre Achaz in regni societatem vocatus fuit postremo illius anno, ab Orbe condito 3277. Hinc desumendus est tertius Osee annus, de quo hic sermo; & tertius hic annus etiam jam majori ex parte confectus erat, cum Ezechias ab Achaz Rex fuit inauguratus. Ipse vero solus regnare occœpit anno dumtaxat insequenti 3278. Quinquaginta hic vixit annos, regnavit vero undetriginta. Alibi [1] ad examen difficultas vocata fuit, quæ oritur de illius nativitate, quæ contigit anno Achaz patris sui undecimo.

℣. 3. FECIT, QUOD ERAT BONUM CORAM DOMINO.] Regiam auctoritatem exercere cœpit restituen- A do cultum Domini in Templo, quod Achaz illius genitor clauserat [2], ac præcipiendo Sacerdotibus, & Levitis, ut loca sancta procurarent, mundarentque, ac apta redderent; ut iterum veluti antea sacrificia offerrentur. Cum autem Paschatis festivitas decima quarta mensis primi die, ut in lege præceptum est [3], celebrari non potuisset, edixit Rex, ut secundo mense celebraretur, & quocumque nuntios suos dimisit, non in regnum Juda solum, verum etiam in terras Israel, qui populum invitarent in Jerusalem. Mirum quantum undequaque gentes confluxerint! & solemnitas Regia penitus magnificentia, ac luxu celebrata est. Hinc Israelitæ omnes in domos suas di- B lapsi, aras cœperunt evertere, statuas dejicere, lucos Idolorum succidere, atque excelsa ipsa diruere,

1 4. Reg. 16. 2. 2 2. Par. 29. 3. 3 2. Par. 28. 24. Vide Exod. 12. 18.

ubi hactenus Domino fuerat sacrificatum. Ezechias ut perpetuo Templi servitio consuleret, omnem operam impendit, ut Sacerdotum, ac Levitarum victui provideret, edicens, ut quilibet Legibus pareret, quibus Decimæ, ac primitiæ ipsis debentur. Vide 2. Par. 31.

℣. 4. IPSE DISSIPAVIT EXCELSA.] Non ea solum, quæ idololatriæ, superstitioni, ac impietati erant dicata, verum ea etiam, quæ prædecessorum, vel eorum, quibus saniora erant consilia, infirmitas tolerare coacta fuit, hanc prætexens causam, scilicet, quod Domino erant facta. Nescio vero, utrum populus eadem, ac Ezechias, in sententia versaretur, quoad Excelsorum subversionem, ubi hactenus quilibet sibi fas esse putarat sacris operari. Verum inferius videmus [1] Rabsacem subdole factum hoc Ezechiæ exprobrantem, veluti ad Dei cultum imminuendum spectaret. Malorum adspectus, quibus decem tribus obruebantur, Regem constantiorem, diligentioremque reddidit, & plane etiam populum Juda submissiorem, dociliorem que.

CONFREGIT SERPENTEM ÆNEUM, QUEM FECERAT MOYSES.] In deserto pro eorum salute, qui a serpentibus demorsi fuerant, in murmurationis suæ pœnam [2]. Populus superstitioni deditus serpentem hunc hactenus servarat, ac illi, velut numini thus etiam adolevérat. Ezechias hoc jussit confringi, illique imposuit nomen [3] *Nohestan*, quod Hebraici *Neschoseh*, quod us significat, est diminutivum; perinde quasi diceres: *parum hoc, nescio quod, æris*. Mediolani serpens æneus ostenditur, quem Moysis serpentem esse jactitant [4], nullo id tamen argumento affirmantes.

Veteres quidam [5] præterea retulere, Ezechiam suppressisse Salomonis libros, qui de plantarum natura, de animantibus, ac de morborum cura, agebant, propterea quod iis populi abutebantur, in remediis, & scientiis illis fiduciam omnem constituentes, quin interim ad Dominum confugere recordarentur. Narrationes sane, quæ inter apocryphas historias amandari merentur. Satis liquet Ezechiam curasse, ut Salomonis sententiæ colligerentur, quarum extat adhuc earum collectio in Libro Proverbiorum. Prov. 25. & seq. *Hæ quoque parabolæ, quas transtulerunt viri Ezechiæ Regis Juda*. Hebr. *Quas ex multis libris, aut locis in unum congesserunt*.

℣. 5. NON FUIT SIMILIS EI DE CUNCTIS REGIBUS JUDA.] Nemo tot virtutibus præditus fuit, Ezechias erat eximius Princeps, atque plurima quædam laude digna in ipso inveniuntur, quæ ipsius sunt propria. Si quis vellet has humanæ loquendi rationes, quæ in Scripturis inveniuntur, maligniur, ac infesto animo interpretari, in contradictionem laberetur [6], ac Sanctis libris eos sensus appingeret, qui ab eorum mente longe absunt. Scriptura iisdem laudibus, quibus isthic Ezechiam cumulat, & Josiam [7] prosequitur; ac in eamdem categoriam alibi Davidem rejicit, Ezechiam, & Josiam [8]; non secus ac par esset meritum illorum. Denique Deus per Isaiam Ezechiæ promittit, se Jerusalem servaturum, ac eamdem de manu Sennacherib tutaturum, habita ratione David [9], David super ipsum Ezechiam quodammodo evehendo. In 2. Paralip. 31. 20. Scriptura Ezechiæ Elogium contexit, dicens: Ezechias *operatus est bonum, & rectum, & verum coram Domino Deo suo*.

℣. 7. IN CUNCTIS, AD QUÆ PROCEDEBAT, SAPIENTER SE AGEBAT.] Hebraicus textus verti potest [10]: *Felix in omnibus, quæ suscipiebat*. Vel, omnia illi e voto contingebant, quocumque se verteret. Syriaca versio, & Arabica: *Victor erat, quocumque pergeret*.

REBELLAVIT CONTRA REGEM ASSYRIORUM.] Hoc est, excussit Regis Assyriorum jugum [11]. Noluit amplius illi subesse, ac ipsi tributum, quod a Rege Teglathphalassar imperatum fuerat patri suo Achab, solvere recusavit [12]. Ex hoc loco, atque ex omni decursu videtur Achaz non appendisse solum Assyriæ Regi vectigal; verum etiam illius subditus fuisse: *Ego sum filius tuus, ac servus tuus*; Achaz dicebat Regi Teglathphalassar, cum ab eo suppetias petiit. Rex Assyriæ ad litteram hoc officium accepit præter mentem Achaz, atque potentiam suam in Jerusalem, ac terras Juda exercuit; eas invasit, diripuit, & depopulatus est, & Rabsaces infra incolas Jerusalem frigide hortatur, ut se se dedant, ac Regem dominum suum agnoscant, qui petierit eos pacata vita frui, donec eos transferat in regionem æque bonam, ac terras eorum [13]. Non igitur tributum dumtaxat Sennacherib postulabat; verum se absolutam potestatem, ac supremum jus in personam, ac ditionem Ezechiæ habere jactabat; ideoque Scriptura proprie loquitur, cum ait, Regem Juda *rebellasse contra Regem Assyriorum*; hæc vera defectio erat, at justa, & necessaria ex parte Ezechiæ, quoniam Teglathphalassar super patrem illius injustum dominatum usurpaverat; illique jugum, quod ferri nequaquam posset, imposuerat, quin voti umquam fieret compos tanta auri vi, quam illi dederat, ut pro allatis suppetiis eum remuneraretur. Verum est tamen, Isaiam [14] Dei nomine conqueri, quod tanti momenti opus susceptum fuerit, quin Dominus consuleretur; atque illud præsertim increpare, quod ab Ægyptio Rege subsidium, atque opem depoposcerint.

Anno, circiter, regni sui decimo quarto [15] Ezechias a Sennacherib aperte defecit. Credimus autem Ezechiam secreto fœdera percussisse cum Regibus Ægypti, atque Æthiopiæ adversus Assyrios. Domini auxilio, & causæ suæ probitate fretus erat, paulo post maximas de Philisthiim victorias retulerat [16]; amicitiæ fœdere conjunctus erat cum Merodac Baladan Rege Babylonis [17]; quæ omnes rationes illi suaserunt advenisse tempus, quo injusti, ac violenti Domini jugum excuteret.

℣. 8. PERCUSSIT PHILISTHÆOS USQUE AD GAZAM.] Hæc civitas erat ex maxime meridionalibus, ac præ cæteris Ægyptum spectabat. Philisthini, donec Achaz cum Regibus Samariæ, ac Syriæ decertaret, in illius regnum, irruptione facta, magnum civitatum numerum ceperant [18]: quam injustitiam Ezechias ut ulcisceretur, eis bellum indixit, fuditque, ac refertissimam retulit victoriam, ita ut majorem reportare non posset; cœpit enim omnes illorum urbes a maxima ad minimam sine ulla exceptione *a turre custodum, usque ad civitatem munitam*.

℣. 9. ASCENDIT SALMANASAR . . . . IN SAMARIAM.] Hæc eadem est historia superius Cap. 17. ℣. 3. & seqq. enarrata.

℣. 13. ANNO QUARTO DECIMO REGIS EZECHIÆ, ASCENDIT SENNACHERIB . . . . AD UNIVERSAS CIVITA-

1 Mox Vers. 22. *Nonne iste est, cujus abstulit Ezechias excelsa, & Altaria, & præcepit Juda, & Jerusalem; Ante altare hoc adorabitis in Jerusalem?* 2 Num. 21. 8. 9. 3 ויקרא לו נחשתן
4 Mabill. Iter Italic. 5 Euseb. apud Anastas. Nicæn. & Chron. Alex. Olymp. 9. Vide Sanct. hic.
6 Vide Tost. Sanct. Est. Cornel. Menoch. &c. 7 4. Reg. 23. 25. *Similis illi non fuit ante eum Rex, qui reverteretur ad Dominum in omni corde suo &c.* 8 Eccli. 49. 5. *Præter David, & Ezechiam, et Josiam, omnes peccatum commiserunt.* 9 Vide infra ℣. 34. cap. 19.
10 בכל אשר יצא ישכיל 11 וימרד במלך אשור
12 4. Reg. 16. 7. & 2. Par. 28. 21. Vide Isai. 9. 5. 13 Vide infra ℣. 32. & 33.
14 Isai. 30. 1. & sequ. & 57. 9. 13. 15 4. Reg. 18. 13. 16 Mox vers. 8.
17 4. Reg. 20. 18 2. Par. 28. 18. Isai. 9. 12.

CIVITATES JUDA MUNITAS, ET CEPIT EAS.] Rex Sennacherib apud profanos auctores est celebris. Illius nomen, atque bella adversus Ægyptum ab Herodoto l. 2. cap. 141. describuntur. Berosus quoque apud Joseph. lib. 10. cap. 1. de eo loquebatur, dicebatque, ipsum in omnem Asiam, atque Ægyptum bellum intulisse. Verum hi auctores non inquiunt, ipsum præter Pelusium processisse, quæ prima est Ægypti civitas, qua Palæstinæ conjungitur, quinimmo nec illud scio, utrum bellum hoc adversus Ægyptum aliud fuisse credendum sit ab eo, quo persecutus est Tharacam Regem Chus, Ægypto finitimum, ac Regibus tum Juda, tum Ægypti fœdere junctum. Hoc iter paucis diebus absolutum est; quoad vero Ezechiæ ægritudinem certum est, hac affectum fuisse anno regni sui decimo quarto, eodem nempe, quo Sennacherib illi bellum intulit, & aliquandiu fortasse post Regis hujus exercitum miserrima clade confectum. Vide infra cap. 20. 1. Nam ea omnia, quæ a Scriptura, atque profanis historicis de conatibus Sennacherib adversus Judæam, atque Ægyptum narrantur, hæc inquam omnia intra octo mensium intervallum potuerunt absolvi. Cum Regi nunciatum fuisset, Ezechiam fœdus percussisse cum Ægypto, & Rege Chus [1], ex Assyria copias movit, ut illud ad officium revocaret. Isaias 10. 28. 29. cum nobis versus Hai, Bethel, Gabaon, Gabaa, Saul &c. exhibet venientem; inde Ægyptum petiit, unde in meridionalem Judææ partem reversus est, quod liquet infra ℣. 15. & cap. sequenti ℣. 8. & in Michææ c. 1. ℣. 13. 14. 15. atque hoc pacto: *Ascendit ad omnes civitates Juda munitas, & cepit eas.*

Ezechias obsidioni sustinendæ animum, ac operam vertit, nihilque prætermisit, ut eam muniret; ac propugnaculis firmaret [2]. At veritus, diuturnum, ac difficile sibi bellum imminere, pacem emere voluit, ac omnia tentare consilia, ut pax componeretur. Misit ille ad Sennacherib, tunc Lachis civitatem Juda obsidentem, & pax inita fuit pretio trecentorum talentorum argenti, auri vero triginta, quæ statim persoluta fuere. Verum perinde ac tanti auri, argentique vis ad præteriti damna reparanda dumtaxat sufficeret, Assyrius ad Jerusalem misit cum copiis Thartan, Rabsarim, & Rabsacem, qui Ezechiam ad semet, ac Metropolim suam dedendam adigerent. Interim Sennacherib a Lachis recessit, & Lebnam oppugnatum adiit, quo illum legati sui convenere, nullum Ezechiæ responsum afferentes.

Cum adhuc Lebnam obsideret, allatum est, Tharacam Æthiopiæ, vel terræ Chus Regem adventare, atque contra illum infesto agmine ferri. Sennacherib Lebnam obsidione liberare coactus, ad Ezechiam litteras misit, minarum, atque blasphemiarum refertissimas. At Regem Juda effusis precibus Deum deprecantem, Isaias admonuit, civitatem Jerusalem nequaquam iri obsessum, & Sennacherib cum toto exercitu brevi interiturum, ipsumque hoc infestissimo hoste iri liberatum. Nocte eadem, qua Sennacherib a Lebna secessit, vel nocte, quæ Isaiæ vaticinium est subsecuta, angelus Domini centum, & octoginta Assyriorum millia percussit. Juxta hunc ordinem distribuendum est celeberrimum hoc factum, quod tribus diversis in locis narratur, isthic, in 2. Paralipomenon 32. 9. & ab Isaia 36. & 37. Reor autem una cum pluribus melioris notæ Interpretibus, atque Chronologis, Lachis obsidionem, & minas Sennacherib triennio dumtaxat contigisse post hujus Regis in Palæstinam adventum, & post tres annos bel-

A li, quo cum Ægyptiis pugnavit juxta Josephi, atque Berosi [3] testimonium, & quemadmodum pluribus in locis innuit Scriptura [4]. De Ægypto reversus Maresam, aliasque finitimas civitates, uti Michæas 1. 13. narrat, adortus est: inde vero cepit Lachis, & Lebnam obsedit. Consilium ipsi erat potiundi omnibus civitatibus in meridionali parte Juda positis, ut omnem adimeret cum Ægypto, atque Arabis ea ex parte communicationem, atque ut deinde tutius Jerusalem obsidione vallaret; quo pacto postea Nabuchodonosor agere instituit [5]. Hæc plane & Holofernis erat mens [6]; nec non Antiochus Eupator eadem institit via tempore Macchabæorum 1. Macchab. 6. 31. & seq.

℣. 16. CONFREGIT EZECHIAS VALVAS TEMPLI
B DOMINI, ET LAMINAS AURI, QUAS IPSE AFFIXERAT.] Cum summa necessitas urget, & pro populi, ac Reipublicæ salute fas est rebus uti, quæ magis immunes esse deberent [7]. Hebraicus textus habet [8]: *divulsit limina portarum Domini, & fulcra, vel postes, quos ipse cooperuerat.* Nudavit, *corticem abstulit*, Chaldæus inquit [9], ademit laminas e metallo, quibus ipse & portas, & postes obduxerat. Hæ laminæ aureæ erant, vel argenteæ. Antiquitus Templorum valvæ sæpius pretiosis metallis inducebantur; ac Josephus [10] asserit portas atrii in Templo Jerusalem, æque ac postes, ac superius limen usquequaque convestita fuisse; at Templi portæ proprie dicti, hoc est Sancti, auro, neque mediocri crassitie, erant inductæ. Verum quidem est Josephum lo-
C qui de Templo post captivitatem instaurato: at Templum hoc eratne præ Salomonico locupletius, & magnificentius? Homerus Odyss. H. ait, in regiis ædibus Alcinoi januarum stipites argento, limina vero auro obducta fuisse. Tavernerius in Itiner. Pers. l. 7. c. 12. quædam Persarum delubra describit argenteis laminis convestita.

℣. 17. MISIT AUTEM REX ASSYRIORUM THARTAN, & RABSARIS, & RABSACEM DE LACHIS AD REGEM EZECHIAM.] Nomina Rabsaris, & Rabsacis, & Thartan nequaquam virorum propria, sed officiorum nomina sunt. *Rab-Sarie* [11] significat caput Eunuchorum, *Rab-Sajes* [12] caput pincernarum, vel princeps pincerna; *Tharthan*, vel *Tanathan* [13], quemadmodum hoc nomen in Esdra, & Græco Isaiæ textu invenitur, illum signifi-
D cat, qui muneribus, vel tributis præest. Sennacherib insigni improbæ fidei exemplo, cum Ezechiæ imperatam pecuniam accepisset, Principem hunc cogere vult etiam, ut ipsi Metropolim suam cedat, seque, suaque illius concedat arbitrio. Hi tres Præfecti non venerunt soli Jerusalem, sed exercitus, qui erat sub Lachis, parte stipati venerunt. *Misit eos cum manu valida Jerusalem.* Judæi, auctore S. Hieronymo in Isaiam cap. 36. putant Rabsacem unum fuisse ex filiis Isaiæ Prophetæ, qui a fide, atque Rege defecerat, atque ad Assyrios transfugerat. Alii hunc Samaritanum fuisse credunt: nam hebraice loqui callebat. Vide infra ℣. 26.

STETERUNT JUXTA AQUÆ DUCTUM PISCINÆ SUPERIORIS.] Piscina hæc cum aquæ ductu suo erat ad
E orientem Jerusalem versus vallem Cedron. Regem ad colloquium excivere: *Vocaveruntque Regem*, cum provocaverunt. Illum fortasse, ut exiret, allicere voluerant, ut illum caperent.

℣. 18. ELIACIM ... PRÆPOSITUS DOMUS.] Tres hi ministri ex urbe prodierunt, ut cum Legatis Sennacherib loquerentur. Auctor Vulgatæ alibi [14] reddidit, *Præpositum Templi* eadem verba, quæ vertit isthic

1 4. Reg. 15. 11. 24. & 19. 9. 2 2. Paralipom. 32. 2. & seq.
3 Joseph. Antiqu. l. 10. c. 2. & 5. 4 Vide 4. Reg. 19. 24. Isai. 19. 1. 5. 6. 7. & Nahum 3. 8.
5 Jerem. 34. 7. 6 Judith. 6. 7. 7 Grot. l. 2. de jure belli, & pacis c. 5.
8 קצץ דלתות היכל יהוה ואת האמנות אשר צפה חזקיה
9 קליף ית רישי היכלא 10 Joseph. l. 6. de bello Jud. c. 6. Vide & l. 2. contra Appion. p. 1067.
11 רב סריס *Princeps Eunuchus.* 12 רב שקה *Princeps Pincerna.*
13 תרתן *Tharthan*, sed in 1. Esdr. 5. 3. 6. & 6. 6. 13. תתני & Isai. 20. 1. in 70. Ταναθαν,
14 Isai. 22. 15.

hic *Præpositum Domus* regiæ. Nomen *domus* absolute, A atque ex se simpliciter positum sæpius Templum significat. Quænam essent jura, vel prærogativæ hujus Præpositi Domus apud Hebræos, nequaquam liquido constat; verum ex citato [1] Isaiæ loco videtur, vestam, insignemque baltheum, atque clavem super humerum gestare consuevisse, & maximam habuisse auctoritatem in populo. Sobna hanc dignitatem obtinuit, Manasse imperante; at Eliacim mox eidem muneri restitutus fuit, quemadmodum refert Isaias c. 22. ℣. 20. 21.

SOBNA SCRIBA.] De hac dignitate prolixius ad Judic. 8. 14. sumus locuti. S. Hieronymus [2] putat hunc alium esse a Præfecto Templi, vel Domus Regiæ Sobna, cujus meminit Isaias cap. 22. qui, Judæis auctoribus, de dignitatis gradu dejectus fuit, B eo quod Rabsacis minis perterritus inferiorem Jerusalem tradidisset Sennacherib. Vide Commentarium in hunc Isaiæ locum.

JOAHE . . . A COMMENTARIIS.] Vel Annalium, Fastorumque Scriptor. Vide, quæ diximus 2. Regum 8. 16.

℣. 20. FORSITAN INISTI CONSILIUM, UT PRÆPARARES TE AD PROELIUM.] Hebraice [3]: *Tu dixisti*, possideo *eloquentiam*, *consilium*, *& robur ad bellum ineundum*. Aliter, dixisti procul dubio inania; consilium, & vires mihi suppetunt ad bellum faciundum. Gloriatus es tibi neque consilium, neque robur deesse ad bellum capessendum; verumtamen hi vani sermones sunt. Vide Commentarium in Isaiam 36. 5. C

℣. 21. AN SPERAS IN BACULO ARUNDINEO, ATQUE CONFRACTO ÆGYPTO &c.] Hæc similitudo adamussim Rabsacis mentem exprimit [4]: innuit enim Ægyptii Regis subsidium infirmum esse, fragile, incertum, & periculosum illi, qui huic inniti velit. Præcipuæ Ægypti vires attritæ fuerant bello, quod nuper ea in regione Sennacherib decertarat.

℣. 22. NONNE ISTE EST (DOMINUS) CUJUS ABSTULIT EZECHIAS EXCELSA, ET ALTARIA?] Callidus, improbusque sermo, quo Rabsaces seditionis, atque defectionis adversus Ezechiam mentem conatur injicere. Haud ignorabat quidem, populum summo teneri studio, atque amore altarium, quæ in Excelsis fuerant erecta, & eorum complures gravate ferre edictum, ne alibi, quam in Jerusalem sacrificia of- D ferrentur, aliaque publica Religionis acta exercerentur. Oblique nititur ostendere Rabsaces infelicitates Juda pœnas esse subversionis altarium, vero Deo dicatorum [5].

℣. 23. TRANSITE AD DOMINUM MEUM REGEM, & DABO VOBIS DUO MILLIA EQUORUM.] Ut videatis, an inter vos tot equites inveniantur, qui illos conscendant. Hebraicus textus habet [6]: *Et nunc facite pactum*, vel, date obsides *domino meo* &c. Dedite vosmet illi, de pacis conditionibus agite, cum illo res vestras componite, & tribuet vobis duo millia equorum; si tot equites reperire possitis, qui illos ascendant. Sciebat ille Hebræis paucos equites esse; raro enim apud ipsos equi aderant.

℣. 25. NUMQUID SINE DOMINI VOLUNTATE A- E SCENDI AD LOCUM ISTUM?] Prosperitas insolentiam parit, ac animi perturbatio homines excæcat. Rabsaces victorias Sennacherib Divini favoris signa esse interpretatur; Ezechiæ infirmitatem irridet, eamque haberi vult Divinæ destitutionis argumentum; ac impotentiam, & violentiam domini sui probare vult, perinde ac Deus illud præcepisset, atque approbasset.

℣. 26. LOQUARIS NOBIS . . . . SYRIACE.] Ezechiæ Legati verentur, ne populus, licet procul, de mœnibus Rabsacis audiens sermones, iis permoveretur; eumque rogant, ut Syriace loqui velit, quoniam ipsi hanc noverant linguam, populus vero non item. *Linguæ Syriacæ* nomine [7] intelligenda est Chaldaica lingua [8], qua vulgo in Ninive, ac in aula Regis Sennacharib loquebantur. Hebræi, quemadmodum diximus, credebant Rabsacem esse Isaiæ filium, atque Religionem abdicasse, ut in Chaldæorum sacra abiret: quam sententiam Grotius probare videtur, in cujus rei argumentum adferunt dumtaxat hebraici sermonis usum, qui Rabsaci familiaris erat, & factum Legatorum Regis Ezechiæ, qui vestes suas disciderunt, audientes Legati hujus blasphemias; quæ res minime fieri consueverat, inquiunt illi, nisi cum blasphemiæ de Israelitarum ore egrederentur. Inania argumenta.

℣. 29. NON POTERIT ERUERE DE MANU MEA.] Hebraicus [9] Bibliorum, quæ hodie extant, Textus legit, *de manu sua*; & Septuaginta Romanæ editionis similiter legunt. Ezechias non poterit liberare vos de manu Sennacherib. At ratio legendi Septuaginta Complutensium, Vulgatæ, Syriacæ, & Arabicæ, quæ habet *de manu mea*, magis est naturalis. Postrema hæc verba in Isaiæ loco [10] huic gemino nequaquam leguntur.

℣. 31. FACITE MECUM, QUOD VOBIS EST UTILE.] Hebraice [11]: *Facite mecum benedictionem*, *& venite ad me*. Chaldæus, Syriaca Versio, & Interpretes quidam: *Facite pacem mecum*, *& venite cum me*. Pacem amplectimini, quin expectatis, donec summa vos necessitas urgeat. Aliter: *afferte ad me munera* [12]. Benedictio sæpe ab Auctoribus Ecclesiasticis Latinis, æque ac *Eulogia* a Græcis pro *munere* usurpatur. Gratiam Regis, & submissione, & muneribus promeremini.

℣. 32. DONEC VENIAM, & TRANSFERAM VOS IN TERRAM, QUÆ SIMILIS EST TERRÆ VESTRÆ.] Sennacherib, uti alios populos, quos devicit, in aliam vos transferet regionem, alias vobis ad incolendum terras præbebit: verum si non ægre vos illi subjeceritis, affluentem vobis terram pollicetur, vestræ huic ubertate persimilem. Hæc victis consolatio, ac levamen erat, spes, ne in gravem adeo captivitatem redigerentur. Rabsaces satis suo sermone significat, nullum aliud esse posse Hebræis consilium, quam semet dedendi arbitrio Sennacherib.

℣. 34. UBI EST DEUS EMATH, & ARPHAD?] Mira Ethnicorum Principum insolentia, qui de victorum populorum Diis loquuntur, non secus ac de meris hominibus, post illatam cladem in eorum infirmitatem etiam insultant, seque impotenter jactant præ his victis numinibus, eosque se flocci facere profitentur. Svetonius in Cajo c. 5. narrat, ea die, qua Germanicus occubuit, populos in Templa lapides immisisse, aras subvertisse, nec defuisse, qui in vias Penates suos, ac Lares projicerent, ac filios suos, qui ea die nati erant, exponerent. Re quidem vera *Idolum nihil est in mundo*, ut S. Paulus 1. Cor. 8. 4. testatur, & hi Præfecti jure hæc inania numina illusissent, si eorum vanitatem, ac *nihil* agnovissent; at cum eos pro Diis agnoscerent, debebant ne eos hoc pacto lacessere injuriis, ac blasphemiis impetere?

ra ?

1 Ibid. vers. 21. 22. 23. 2 Hieronym. in Isai. 36. Vide Euseb. in Isai. 36. 11. ex Judæorum traditione eit, Sobna se deinde Sennacheribo dedisse, ac Ezechiæ res prodidisse, ac proinde fuisse a rege munere suo exutum, juxta Isaiæ minas 22. 15. 16. 3 אמרת אך דבר שפתים עצה וגבורה למלחמה
4 Vide, si lubet, Ezech. 29. 6. Isai. 36. 6. Jerem. 38. 17.
5 Theodoret. in Isai. 30. 5. 6 ועתה התערב נא את אדני 70. μίχθητε δὴ τῷ κυρίῳ μὲ. Auctor Vulgatæ legit; התעברו at Isaias 36. 8. legit התערב 7 דבר ארמית 70. συριστί.
8 Vide 1. Esdr. 4. 7. & Dan. 2. 4. 9 להציל אתכם מידו 10 Isai. 36. 14.
11 עשו אתי ברכה וצאו אלי
12 Ita Arab. Jun. & Tremel. & Lud. de Dieu.

te ? debebantne eos flammis, uti fecerunt addicere? Vide 4. Reg. 19. 18. Emath, idem est Emesa, & Arphad est insula Arad, vel ejusdem nominis civitas, quæ in continenti erat ex insulæ conspectu posita.

Ubi est Deus Sepharvaim, Ana, et Ava? Numquid liberaverunt Samariam de manu mea.] Non alibi legimus Saoariam a Sennacherib devictam fuisse. Ergo ita potest intelligi: Dii Sepharvaim, Ana, & Ava, liberaverunt eos de manu mea? Liberaveruntne populos hos, qui hodie incolunt Samariam? Vel potius loquitur Sennacherib de victoriis patrum suorum, perinde ac ipse eas retulisset. Sequenti capite [1] in epistola quadam de Lebna ad Ezechiam missa, Sennachesib suarum victoriarum honorem patribus suis defert. Animadvertitur etiam superius cap. 17. 26. eos, qui nuntiarunt Assaradon, populos Samariæ a Leonibus afflictatos esse, illi dixisse; *Gentes, quas transtulisti, & habitare fecisti in civitatibus Samariæ* &c. licet constet, saltem hujus coloniæ partem diu ante id tempus a Salmanasar fuisse conscriptam. In sermone, quem in Paralipomenis legimus [2], Rabsaces nequaquam inducit Sennacherib, se hos populos devicisse jactantem, sed eos a patribus suis victos, dicentem: ideoque per paraphrasim locum hunc ita efferre possumus: Ubi sunt Dii Sepharvaim, Ana, & Ava, & Samariæ? Potueruntne cultores suos a manu mea surripere, vel a manibus patrum meorum? En aliam adhuc in hunc locum conjecturam. Populi Sepharvaim, Ana, & Ava, cum inviti venissent Samariam, aliquandiu paruerunt, & mandata fecerunt Regum Assyriæ; at mox videntes finitimos omnes, Judæos, Ægyptios, Arabesque deficere, ipsi quoque jugum excutere conati sunt; at Sennachesib de Assyria veniens, eos iterum subegit, eosque, ut antea, ad officium revocavit. Poterat igitur jure hic princeps asserere: numquid Dii Sepharvaim, Ana, & Ava Samariam, ac recentes illius incolas liberare potuerunt de manu mea? At cum hæc hypothesis nulli historico monumento innitatur, magni momenti esse nequaquam potest. *Ana* plane est hujus nominis civitas, quæ ad hanc quoque diem exstat, quatuor dierum itinere procul a Bagdad. Utramque Euphratis oram occupat, ita ferme sita, uti Lutetia Parisiorum ad Sequanam; in insula, quæ media est, eximia exurgit Meschita; tellus ad leucæ dimidium circiter ab urbe optime est exculta; at ultra hos terminos, horrentia tantum deserta occurrunt [3]. Isaias in loco huic gemino [4] non loquitur de *Ana*, nec *Ava*: At de his sermo est in epistola Sennacherib ad Ezechiam [5].

℣. 36. Tacuit itaque populus.] Isaias ait tres Regis Legatos tacuisse, quoniam ita illis a Rege præceptum fuerat. Isaias 36. 21.

℣. 37. Venit Eliacim . . . scissis vestibus.] Sciderunt vestes suas, Rabsacis blasphemias audientes. Hic erat agendi mos, cum aliquid terribile, funestum, vel Deo contumeliosum nuntiaretur. Jeremias 36. 24. redarguit Joachim Regem, & præfectos illius, eo quod *non timuerunt, neque sciderunt vestimenta sua . . . qui audierunt universos sermones istos*, scilicet, minas, quæ in Jeremiæ prophetia continebantur. Princeps Sacerdotum scidit vestimenta sua, cum Jesum Christum blasphemasse diceret [6]: Capite sequenti hoc ipsum Ezechias facit, impios Rabsacis sermones intelligens.

1 4. Reg. 19. 11. 12. *Tu audisti, quæ fecerunt Reges Assyriorum universis terris . . . . Numquid liberaverunt Dii gentium populos, quos vastaverunt patres mei?* 2 2. Paralipom. 32. 13. 14. *Qui est de universis Diis gentium, quas vastaverunt patres mei, qui potuerit eruere populum suum de manu mea.* Vide, si lubet, & Isai. 10. 9.
3 Tavernier. tom. 1. l. 2. c. 3. p. 258. & Petrus a Valle ep. 17. t. 2.
4 Isai. 36. 19. 5 Ibid. c. 37. 13. 6 Matth. 26. 65. *Tunc Princeps Sacerdotum scidit vestimenta sua, dicens; Blasphemavit.*

CAPUT XIX.

Ezechiæ, & Isajæ preces. Angelus Dominus interfecit 185000. viros de exercitu Assyriorum. Sennacherib Babylonem confugit, ubi a filiis suis confoditur. Illi succedit Assar-adon.

1. Quæ cum audisset Ezechias rex, scidit vestimenta sua, & opertus est sac-
co, ingressusque est domum Domini. 2 Et misit Eliacim præpositum do-
mus, & Sobnam scribam, & senes de sacerdotibus, opertos saccis, ad
Isajam prophetam filium Amos. 3 Qui dixerunt: Hæc dicit Ezechias: Dies tribu-
lationis, & increpationis, & blasphemiæ, dies iste: venerunt filii usque ad par-
tum, & vires non habet parturiens. 4 Si forte audiat Dominus Deus tuus uni-
versa verba Rabsacis, quem misit rex Assyriorum dominus suus, ut exprobraret
Deum viventem, & argueret verbis, quæ audivit Dominus Deus tuus, & fac ora-
tionem pro reliquiis, quæ repertæ sunt. 5 Venerunt ergo servi regis Ezechiæ ad
Isajam. 6 Dixitque eis Isajas: Hæc dicetis domino vestro: Hæc dicit Dominus:
Noli timere a facie sermonum, quos audisti, quibus blasphemaverunt pueri regis
Assyriorum me. 7 Ecce, ego immittam ei spiritum, & audiet nuntium, & reverte-
tur in terram suam, & dejiciam eum gladio in terra sua. 8 Reversus est ergo Rab-
saces, & invenit regem Assyriorum expugnantem Lobnam: Audierat enim, quod
recessisset de Lachis. 9 Cumque audisset de Tharaca rege Æthiopiæ, dicentes: Ec-
ce, egressus est, ut pugnet adversum te: & iret contra eum, misit nuntios ad E-
zechiam, dicens: 10 Hæc dicite Ezechiæ regi Juda: Non te seducat Deus tuus,
in quo habes fiduciam; neque dicas: Non tradetur Jerusalem in manus regis Assy-

riorum. 11 Tu enim ipse audisti, quæ fecerunt reges Assyriorum universis ter-
ris, quo modo vastaverunt eas: num ergo solus poteris liberari? 12 Numquid li-
beraverunt dii gentium singulos, quos vastaverunt patres mei, Gozan, videlicet,
& Haran, & Reseph, & filios Eden, qui erant in Thelasar? 13 Ubi est rex E-
math, & rex Arphad, & rex civitatis Sepharvaim, Ana, & Ava? 14 Itaque
cum accepisset Ezechias litteras de manu nuntiorum, & legisset eas, ascendit in do-
mum Domini, & expandit eas coram Domino, 15 Et oravit in conspectu ejus,
dicens: Domine Deus Israel, qui sedes super cherubim, tu es Deus solus regum
omnium terræ, tu fecisti cœlum, & terram. 16 Inclina aurem tuam; & audi;
aperi, Domine oculos tuos, & vide: audi omnia verba Sennacherib, qui misit,
ut exprobraret nobis Deum viventem. 17 Vere, Domine, dissipaverunt reges As-
syriorum gentes, & terras omnium. 18 Et miserunt Deos eorum in ignem: non
enim erant dii, sed opera manuum hominum ex ligno, & lapide, & perdiderunt
eos. 19 Nunc igitur, Domine Deus noster, salvos nos fac de manu ejus, ut sciant
omnia regna terræ, quia tu es Dominus Deus solus. 20 Misit autem Isajas filius
Amos ad Ezechiam, dicens: Hæc dicit Dominus Deus Israel: Quæ deprecatus es
me super Sennacherib rege Assyriorum, audivi. 21 Iste est sermo, quem locutus
est Dominus de eo: sprevit te, & subsannavit te, virgo filia Sion: post tergum
tuum caput movit, filia Jerusalem. 22 Cui exprobrasti, & quem blasphemasti;
contra quem exaltasti vocem tuam, & elevasti in excelsum oculos tuos? contra san-
ctum Israel; 23 Per manum servorum tuorum exprobrasti Domino, & dixisti: In
multitudine curruum meorum ascendi excelsa montium in summitate Libani, & suc-
cidi sublimes cedros ejus, & electas abietes illius. Et ingressus sum usque ad ter-
minos ejus, & saltem Carmeli ejus. 24 Ego succidi. Et bibi aquas alienas, &
siccavi vestigiis pedum meorum omnes aquas clausas, 25 Numquid non audisti,
quid ab initio fecerim? Ex diebus antiquis plasmavi illud, & nunc adduxi: erunt-
que in ruinam collium pugnantium civitates munitæ. 26 Et qui sedent in eis, hu-
miles manu, contremuerunt, & confusi sunt, facti sunt velut fœnum agri, & vi-
rens herba tectorum, quæ arefacta est, antequam veniret ad maturitatem. 27 Ha-
bitaculum tuum, & egressum tuum, & introitum tuum, & viam tuam ego præsci-
vi, & furorem tuum contra me. 28 Insanisti in me, & superbia tua ascendit
in aures meas; ponam itaque circulum in naribus tuis, & camum in labiis tuis, &
reducam te in viam, per quam venisti. 29 Tibi autem, Ezechia, hoc erit signum:
Comede hoc anno; quæ reperceris; in secundo autem anno, quæ sponte nascuntur;
porro in tertio anno seminate, & metite, plantate vineas, & comedite fructum ea-
rum. 30 Et quodcumque reliquum fuerit de domo Juda, mittet radicem deorsum,
& faciet fructum sursum. 31 De Jerusalem quippe egredientur reliquiæ, & quod
salvetur de monte Sion: zelus Domini exercituum faciet hoc. 32 Quamobrem hæc
dicit Dominus de rege Assyriorum: Non ingredietur urbem hanc, nec mittet in
eam sagittam, nec occupabit eam clypeus, nec circumdabit eam munitio. 33 Per
viam, qua venit, revertetur: & civitatem hanc non ingredietur, dicit Dominus:
34 Protegamque urbem hanc, & salvabo eam propter me, & propter David servum
meum. 35 Factum est igitur in nocte illa, venit Angelus Domini, & percussit in
castris Assyriorum centum octoginta quinque millia. Cumque diluculo surrexisset,
vidit omnia corpora mortuorum: & recedens abiit, 36 Et reversus est Sennache-
rib rex Assyriorum, & mansit in Niniye. 37 Cumque adoraret in templo Nes-
roch deum suum, Adramelech, & Sarasar filii ejus percusserunt cum gladio, fu-
geruntque in terram Armeniorum, & regnavit Asarhaddon filius ejus pro eo,

℣. 2. MISIT AD ISAJAM.] De hoc Propheta prolixius sermonem habebimus in præfatione in illius Prophetias.

℣. 3. DIES TRIBULATIONIS, & INCREPATIONIS, & BLASPHEMIÆ.] Hebraice [1] *Hæc dies est dies afflictionis, correptionis, & injuriæ*, vel iræ, & irritationis. Nobis insultant, in nos contumelias jaciunt, nosque afflictionibus obruunt.

VENERUNT FILII USQUE AD PARTUM, & VIRES NON HABET PARTURIENS.] Scriptura confert calamitates maximas, neque expectatas doloribus matris parturientis [2]. At hic idem exprimit acrius, addi-
ta ma-

1 יום צרה ותוכחה ונאצה היום 70. ἡμέρα θλίψεως καὶ ὀνειδισμοῦ, καὶ παροργισμοῦ ἡ ἡμέρα αὕτη.
2 Deuter. 2. 25. Psalm. 47. 7. Eccli. 14. 6. Isai. 13. 8. 21. 3. 42. 14. Jerem. 6. 24. & alii passim.

matris circumstantia, quæ vires non habet pariendi. Acerrimus dolores patitur, majores conatus edit, maximoque in periculo versatur, verumomnia inutiliter fert, ac frustra. Homerus [1] simili utitur collatione, ut Agamemnonis sollicitudines exprimat. Pro *filii venerunt usque ad partum*, Hebraice [2] habemus: *usque ad angustias uteri*.

℣. 4. FAC ORATIONEM PRO RELIQUIIS.] Pro populo Domini, qui nondum libertatem amisit. Decem tribus ab Assyriis in captivitatem abductæ sunt; Sennacherib majorem Regni Juda partem occupat, quidnam reliquum est e semine Jacob? Ut reliquias has servet, Dominum deprecare. Vel, hostis omnia subvertit, omnia vastavit, quocumque terrorem immisit; a Deo impetra, ut parum hoc, quod effugit, tueatur. Vide Deuter. 32. 36.

℣. 7. IMMITTAM EI SPIRITUM.] Tradam illum spiritui malo [3], qui coget illum, ut revertatur. Vel potius; Immittam illi mentem revertendi [4], eum ita affligam, ut ad alia quævis animum adjiciat, quam ut vos obsidione circumdet: denique, incutiam illo spiritum terroris, ita ut hostes suos veritus quam primum reverti cogatur. *Spiritus* explicari potest de spiritus, ac voluntatis dispositione, de violento ventu, de bono spiritu, vel nequam.

℣. 8. INVENIT REGEM ASSYRIORUM EXPUGNANTEM LOBNAM.] *Lobna* non procul aberat a Lachis; utraque sunt ad meridiem Jerusalem in montibus Juda. Vide Josue 10. 31.

℣. 9. CUMQUE AUDISSET DE THARACA REGE ÆTHIOPIÆ.] Scilicet infesto agmine accedere cum eo decertaturum. *Tharaca* a Strabone l. 1. & 15. *Thearchon* appellatur, a quo citatur Megasthenes de hoc Principe scribens, victorias suas in Europam usque, & usque ad Herculis Columnas protulisse. Nequaquam liquet e Scriptura, Sennacherib prælio congressum fuisse cum *Tharaca*, immo e contra Assyriorum exercitum deletum fuisse in via cum Ægyptum peteret [5], nocte eadem, qua Isajas spoponderat futurum, ut a Deo de hostibus suis erueretur. Æthiopia, de qua isthic loquimur, nequaquam Regnum est, quod hodie quoque hoc nomine nuncupatur, ad Ægypti meridiem. Regio, de qua isthic est sermo, erat in Arabia, atque ulterius latis in Ægyptum inferiorem patebat. Reor autem præcipuam urbem Tharacæ Regis fuisse *Taphnem*, Pelusio proximam, & de hac regione loqui Isajam capite 18. Vide nostrum Commentarium in Isajam c. 18. 4. 6.

Ægyptii quandam hujus historiæ memoriam servarunt; at de more fabulis suis, quibus fides haberi nequit, involutam. Herodotus l. 2. c. 141. narrat, Sethon Vulcani Sacerdotem, cum ad Ægypti thronum fuisset evectus, adeo contempsisse milites regni sui, ut præter alias contumelias, quibus illos affecit, iis agros ademerit, quos a veteribus regionis illius Regibus acceperant. At Milites eo modo se se ulti sunt, ut pene de Ægypto esset actum, Sennacherib enim Rege Assyriorum, ac Arabum adventante, ut opprimeret Sethon, Regis imperium detrectarunt; cumque Ægyptius, quo se verteret, nesciret, ad Deum conversus ab illo suppetias petiit. Dum preces effunderet, somno obrutus fuit, ac per somnium Deum vidit, qui illi pollicitus est se eum liberaturum, dummodo illius velles consilia amplecti, & prodire coram Arabibus, quos Sennacherib in prælium agebat. Sethon experrectus eos collegit milites, qui eum sequi non refugerunt, atque prope Pelusium castra posuit, qua hostes in Ægyptum erant iter facturi. Assyriorum exercitus illuc eadem nocte pervenit, & magna agrestium murium in eorum ca-

A stra irruens vis eorum pharetras, & arcus, & clypeorum texta ita corrodit, ut cum die crastina exercitus se se inermem viderit, fugam corripere debuerit, quam non nisi cum summa clade consequi potuit. In hujus prodigii monumentum, Ægyptii Regem Sethon in Vulcani Templo insculpserunt, murem manu tenentem cum epigraphe [6]: *Quicumque me adspicis, disce pietatem erga Deos.* At hæc deseramus commenta, ut Scripturæ narrationem sequamur.

℣. 12. GOZAN.] Hic sermo est de Regum Assyriorum victoriis. Hac de re aliquot proposuimus conjecturas in Dissertatione de regione, quo decem tribus translatæ fuerunt, quam trans Euphratem inquirere conati sumus: verum præstat, hanc citra flumen illud statuere; exempla finitimorum populorum,
B & quos Hebræi optime noverant, idonea magis erunt ad eos afficiendos, quam longinquorum, & minus cognitorum populorum exempla. *Gozan*, vel Gauzan erat in Armenia minori. *Haran* civitas est in Syria Palmyrene, satis cognita, *Hara* nomine in Tabulis Peutingerii. Reseph, Resapha, vel Risaphe leguntur apud Ptolomæum, in Tabulis iisdem, ac in veteri Notitia, in Provincia eadem. *Filii Eden, qui erant in Thelassar* innuere possunt incolas Eden in Syria. Emath est celeberrima urbs Emesa; Arphad, habitatores insulæ Arad. *Sepharvaim Ana, & Ava* sunt trans Euphratem, uti alibi docuimus.

℣. 15. TU ES DEUS SOLUS REGUM OMNIUM TERRÆ.] Ezechias quodammodo coram Deo reparare conatur blasphemias omnes, quas Assyrii evomuerant,
C confitens Deum Israel esse Deum solum omnium Regum terræ, & qui a nullo victus, nulli inferior, & obnoxius, immo in immensum super quamlibet Terrarum potestatem excellit, a quo omne pendet imperium, & auctoritas.

℣. 21. SPREVIT TE, & SUBSANNAVIT TE, VIRGO FILIA SION.] Sennacherib illusit tibi, o civitas Jerusalem, filia Sion, quæ quodammodo obnoxia es monti Sion, ubi Templum Domini, ac Regum ædes assurgunt. Vel nomine filiæ Sion, intelligitur populus Jerusalem, vel denique eadem Sion, ad quam per apostrophen Propheta convertitur, sub imagine filiæ: O Sion, filia dilecta Domino? Prophetæ sæpius populos, civitates, & Provincias sub filiarum nomine exhibent: Exempli gratia, filia Babylonis, filia
D Ægypti, filia Maris pro urbe maritima, filia Tyri &c. atque id fortasse ciendæ causa misericordiæ, vel amoris, erga locos & populos.

℣. 22. CONTRA SANCTUM ISRAEL] Tu improbos oculos tuos elevasti; hoc est contra Deum ipsum, Sanctum, Salutem, ac felicitatem Israel. Hæc loquendi ratio Isaiæ familiaris est. Exempli gratia Isai. 45. 11. *Hæc dicit Dominus Sanctus Israel, plastes ejus.* Et 47. 4. *Redemptor noster, Dominus exercituum nomen illius, sanctus Israel,*

℣. 23. IN MULTITUDINE CURRUUM MEORUM ASCENDI EXCELSA MONTIUM, IN SUMMITATE LIBANI.] Non legimus uspiam, vel Rabsacem, vel Sennacherib isthæc jactitasse: sed præterquamquod nequaquam supersunt omnes contumeliæ, quas illi ingessere, hic Pro-
E pheta, quin veritati officiat, exprimere potest animi eorum sensus, eosque eo pacto loquentes inducere, quod ab eorum sensu, & ingenio minime abhorreat. Isaias alios quoque improbos æque, alio in prophetiæ loco hostibus sermones obtrudit [7]. Sennacherib omnem Syriam victor peragrarat, ut ex Rabsacis oratione liquet, ideoque Libani montes transcendere debuerat: quod procul dubio opus erat difficile, & gloriosum, atque fidei consonum est, Regem hunc inde gloriam fuisse aucupatum, eoque usum, ut terrorem

1 Iliad. A. 2 עד משבר *Ad os matricis*. Vat. Jun. Tremell. *ad rupturam uteri*. Mont.
3 הנני נתן בו רוח 4 Ita plerique, Vatab. Grot. Pagn. Munst. Jun. Pisc. &c.
5 Vide Isai. 10. 24. 25. 6 ἐς ἐμὲ τις ὁρέων εὐσεβὴς ἔστω. 7 Isai. 10. 9. 10. 11. *Numquid non Principes mei simul Reges sunt? Numquid non ut Carchamis, sic Calanno? et ut Arphad, sic Emath? Numquid non ut Damascus, sic Samaria? Numquid non sicut feci Samariæ et idolis ejus, sic faciam et Jerusalem, et simulacris ejus*

rorem hostibus injiceret [1]. Nihil magis jactitavit antiquitas, quam Annibalis per Alpes transitum, cum, ut sibi viam sterneret, rupes igni, atque aceto perfregit. Juvenal. Satyr. 10.

. . . . . oppofuit natura Alpemque, nivemque
Diducit scopulos, & montem rupit aceto.

Theodoretus, & Sanctus Hieronymus in Isaiam 37. hoc in sensu figurato accipiunt; nomine Cedrorum Libani intelligunt Principes Syriæ, & Carmeli nomine, Judæam; utramque enim Provinciam Sennacherib subegerat.

INGRESSUS SUM USQUE AD TERMINOS EJUS, & SALTUM CARMELI EJUS EGO SUCCIDI.] Hebraice [2]: *Veni in mansionem finium ejus, in nemus Carmeli ejus.* Sennacherib se penetrasse ait ad medium usque Montem Libani, usque ad arcem illius, usque ad mansionem; atque se succidisse pulcherrimas, uberrimasque arbores. *Carmelus* non semper significat hujus nominis montem; sæpius [3] pro fertili, amænoque loco usurpatur. Carmelus ad litteram vineam Dei significat, vineam eximiam. Rex Assyriæ innuere forsasse cupit, se tandem superatis Libani jugis, pervenisse ad *mansiones ejus*; hoc est in Palæstinam, ac locos frequentes, & excultos; atque illic eruisse pulcherrimas arbores, optimasque collium, & præsertim Carmeli vineas evertisse.

℣. 24. ET BIBI AQUAS ALIENAS.] Hebraice [4]: *Effodi, & bibi aquas alienas.* Isaias [5] hoc nomen *alienas* non habet. Effodi in locis, ubi numquam aquæ visæ fuerant, & ibi inveni; vel ingressus sum in regionem ignotam, & alienam, & per viam, qua exercitus numquam transierat, ibique novi aquas invenire, invita quodammodo natura loci, & operis difficultate. *Aquæ alienæ* possunt etiam significare aquas, quas ille nequaquam collegerat, neque ad ipsum spectabant, quæ hostium ipsius erant. Bibi aquas eorum ipsis invitis, puteos, & cisternas exhausi. Aliter, aquæ alienæ illæ erunt, quæ non nisi quodam tempore defluunt, aquæ pluviæ, cisternæ, torrentes, qui e pluviarum colluvie, vel nivibus liquescentibus oriuntur per oppositionem ad aquas fontium, & fluminum, quæ numquam deficiunt. Hæ posteriores a Scriptura *aquæ fideles* [6], ab Auctoribus Latinis aquæ perennes vocantur [7]. In Scriptura etiam alienum vero, & legitimo opponitur: Exempli gratia [8] *vitis aliena* significat vitem sterilem, quæ nullos fructus gignit; & [9] *planta aliena* plantæ fideli opponitur; at Jeremias eas alienas aquas vocare videtur, quæ e fonte dimanant, & numquam exhauriuntur. Vide locum illius [10]: *Num deferuntur aggeres, qui retinent nivem Libani, & relinquuntur aquæ alienæ, quæ frigidæ sunt, & cum pernicitate defluunt? Quare ergo oblitus est mei populus meus?* Hæ igitur alienæ aquæ a fonte scatent, verum a fonte ignoto, & abdito, qui ex imo terræ prosilire videtur, vel manare e petra vel monte, cujus aquæ semper pellucidæ, frigidæ, ac amænæ defluunt. Hebraica vox [11] *Zur*, unde *Zarim* alienæ, significat comprimere, claudere, extrudere, exempli gratia, pus ex vulnere; dici quoque potest de aqua e terra egrediente, vel e rupe, quæ fuerit effossa.

ET SICCAVI VESTIGIIS PEDUM MEORUM OMNES AQUAS CLAUSAS.] Hebraicus textus verti potest [12] *& siccavi planta pedum meorum omnes rivos aggerum*, vel omnes fluvios aggerum; hoc est magnos fluvios, quorum pernicitas aggeribus coercetur, vel quibus aggeres, & valla opponi debent, ad eorum exundationem inhibendam. Sennacherib impotenter gloriatur se maximos fluvios exsiccasse, dum exercitus suus traduceretur. Græci quoque dixere, Xersem cum exercitu, quem contra Græciam ducebat, exsiccasse quædam flumina [13]; at Xersis exercitus longe frequentior erat exercitu Sennacherib; hic enim 185000. circiter militibus constabat, at ille vehebat ultra 1700000. pedites [14]; & nihilominus Hyperbolicum esse censetur quidquid dicitur de fluminibus ab hoc exercitu, licet tanta hominum copia præstanti, exsiccatis; nisi intelligere velis de parvulis quibusdam fluviolis, qui per aliquot horas exaruerint. Juvenalis hanc Græcorum vanitatis exaggerationem nequaquam impunem abire passus est: Satyr. 10.

. . . . credimus altos
Defecisse amnes, epotaque flumina Medo
Prandente, & madidis cantat quæ Sostratus alis.

Hic quoque sensus authographo potest appingi: *Exsiccavi aquas, quæ pro urbium manibus erant*, eas deflexi, ita ut siccis pedibus illac meas copias traduxerim [15]. Hoc pacto Cyrus Gyndum, & Euphratem deflexisse perhibetur [16]. Syriaca versio, & Arabica transferunt: *Exsiccabo pedibus equorum meorum fluvios maximos*. Denique Hebraicus textus verti potest; exsiccavi, vel *exsiccabo omnes fluvios Ægypti*; quæ versio fortasse magis ad litteram accedit. Vide Isaiam 37. 25. & 19. 6. 7.

℣. 25. NUMQUID NON AUDISTI QUID AB INITIO FECERIM? EX DIEBUS ANTIQUIS PLASMAVI ILLUD, & NUNC ADDUXI.] Deus Ezechiæ loquitur, & inanibus ampullis Sennacherib miracula vera opponit, quæ alias pro suo populo ipse patrarat. Vel potius, Deus respondet vanis sermonibus Sennacherib, dicitque illi, id omne, quod egit, & de quo superbe adeo gloriatur, esse dumtaxat Divinorum consiliorum effectum [17]. Ego, inquit Dominus, præcepi, ego prævidi, quidquid facturus es; ego consilium inivi, & elegi te, ut illud exequerer. Ex orationis contextu liquet, sermonem hunc esse invectivam adversus Regem Assyriorum. Hæc porro habet Hebraicus textus ad litteram [18]: *Nonne audisti hoc a longe? Ego jam pridem hoc feci, ego decrevi, ego illum vocavi &c.* Re quidem vera jam pridem Deus minitabatur Judam; & plurimis ante id tempus annis consilium captum fuerat illum humiliandi, & percutiendi. Vide præsertim totum caput 10. Isaiæ, ubi Deus deprimit acriter Assyrii Regis superbiam, ac illi minitatur, se vicissim effecturum, ut experiatur fortitudinem brachii ipsius. Vide quoque capita 29. 30. 31. 32. & 33. Prophetæ ejusdem.

ERUNTQUE IN RUINAM COLLIUM PUGNANTIUM CIVITATES MUNITÆ.] Hebraicus textus habet [19]: *& civitates fortes dirutæ fuerunt, ac in ruderum cumulum redactæ.* Vel, præcepi, ut civitates munitissimæ subverterentur, atque in rudetibus suis jacerent; si mea consilia executus es, ne glorieris, ego sum, qui feci, qui tibi faciendi facultatem, ac viam aperui.

℣. 26. QUI SEDENT IN EIS HUMILES MANU.] Hebraice [20], *qui habitabant civitates, se manibus breves invenere*, mutilatis manibus, mancos, manusque suas ad arma capessenda extendere non potuerunt, ut se defenderent. Sennacherib mira cum facilitate civitatibus Juda potitus est [21]; nemo fuit, qui illi obsisteret.

℣. 27. HABITACULUM TUUM, & EGRESSUM TUUM, & INTROITUM TUUM, & VIAM TUAM EGO PRÆSCIVI.]

1 Confer Isai. 33. 9. 2 מבואה מלון קצה יער כרמלו 3 Vide Isai. 10. 18. & 16. 10. & 29. 17. Jerem. 2. 7. & 4. 26. 4 אני קרתי ושתיתי מים זרים 5 Isai. 37. 25. אני קרתי ושתיתי מים 6 Isai. 33. 16. *Aquæ ejus fideles sunt.* Jerem. 15. 18. *Mendacium aquarum infidelium.* 7 Cic. 6. Verr. Hirt. 8. Bell. Gall. 8 Jerem. 2. 21. *Quomodo conversa es in amaritudinem vitis aliena?* 9 Isai. 17. 10. *Plantabis plantationem fidelem, et germen alienum seminabis.*
10 Jerem. 18. 14. היעזב מצור שדי שלג לבנון אם ינתשו מים זרים קרים נוזלים 11 זור *Comprimere*. *Al. esse* זרים 12 ואחריב בכף פעמי כל יאורי מצור 13 Vide Herodot. l. 7. c. 20. 21. Vide & Justin. l. 2. 14 Herod. l. 7. c. 60. 15 Vide Grot. hic. 16 Herodot. l. 1. c. 189. & 191. 17 Hieron. Vat. Lyran. Sanct.
18 הלא שמעת למרחוק אותה עשיתי לימי קדם ויצרתיה עתה הביאתיה
19 ותהי להשות גלים נצים ערים בצורות 20 וישביהן קצרי יד 21 4. Reg. 18. 13.

VI.] Nihil fecisti quod jampridem ego minime prævidERim, præceperimque. Nihil hac locutione melius detegit supremam Domini auctoritatem, ac imperium in res creatas, & quomodo tum improbi, cum probi, omnes simul a Dei voluntate, ac sapientia dependeant. Nihil in orbe fit, quod Dei oculos fugiat, quod ille nesciat, quod ille non præmulcat, & quod ad consilia altissimæ sapientiæ suæ consiliis non dirigat. *Egressus, & introitus* significat consilia, cœpta, facta, decreta, &c. [1] Confer Psalmum 138. ℣. 1. 2. 3. *Cognoscere* illhic *dominari* significat, disponere, præcipere, non secus ac in Psalmo 49. ℣. 10. 11. *Cognovi omnia volatilia cæli*.

℣. 28. INSANISTI IN ME, ET SUPERBIA TUA ASCENDIT IN AURES MEAS.] Ecce Hebraeum textum [2]: *eo quod in me conversus es, & superbia tua ascendit usque ad aures meas*, ponam annulum in naribus tuis, & camum in ore tuo, quemadmodum fieri solet cum bubalis, & mulis [3]. Nonnulli vertunt: *Ponam hamum meum in naribus, & camum in labiis* [4]. Ex te jocum capiam, velut ex pisce ad hamum capto, & incedere te faciam velut equum frænatum, vel forti camo coercitum.

℣. 29. TIBI AUTEM EZECHIA, HOC ERIT SIGNUM: COMEDE HOC ANNO, QUÆ REPERERIS: IN SECUNDO AUTEM ANNO, QUÆ SPONTE NASCUNTUR: PORRO IN TERTIO ANNO SEMINATE, ET METITE.] Ut Ezechias de proxima liberatione persuadeatur, ea illi signa tribuuntur, quæ post futuram liberationem tandem debent contingere: alibi etiam similium prædictionum quædam occurrunt exempla [5]. Hoc maxime intererat, ut populo persuaderetur, ea, quæ contingere debebant Sennacherib, nequaquam esse naturalem effectum; non igitur satis erat ad id, prophetam ea vaticinari, ac circumstantias prædicere; verum opus erat præterea, ut quæ erant consecutura, ostenderet, eaque non necessaria, & naturalia, sed supernaturalia, & miraculosa, atque iis in rebus, quæ necessario essent habendæ, veluti extraordinarii effectus potentiæ, ac bonitatis Dei. Isaias igitur Ezechiæ liberationem prædicit, Assyrii exercitus cladem, mortem Sennacherib, atque ad hæc omnia confirmanda addit, Deum conservaturum esse populum suum, illique alimenta præbiturum, licet omnia Sennacherib igni, ac ferro vastarat. Hoc anno agros est depopulatus, *comede, quæ repereris*; annus proximus annus quietis est [6], vel jubilæi; sine, terram quiescere, & comede, quæ sponte nascuntur. Demum anno tertio *seminate, & metite*; licet tot mala contigerint, videbis populum, e cladibus suis emergentem, qui se se latius multiplicabit, confirmabiturque magis, quam antea; *mittet radicem deorsum, & faciet fructum sursum*.

Probatio æque valida est, cum futurum aliquod prædicitur, seu signum præcedat, seu consequatur; præsertim cum ille, cui prædicitur, æque utrumque potest intueri; fatendum tamen est, signa, quæ factum præcedunt, nostræ intelligendi rationi esse magis accommoda; at non ideo tamen vel fortiora sunt, vel magis probantia. Quinimmo e contra infirmiora videntur esse. Cum signum præcedit, unum duntaxat probat, hoc est rem a Deo proficisci, vel simpliciter illum, qui vaticinatur, esse divino numine afflatum: ac cum in futuri miraculi probationem signum quoque futurum affertur, tria probantur. Primo, vaticinantem prophetiæ spiritu esse afflatum. Secundo, Deum auctorem esse prodigii, quod prædicitur; & tertio, ipsum quoque auctorem esse signi, quod hoc miraculum consequitur, præsertim si signum quoque miraculosum sit, quale est plerumque.

℣. 31. DE JERUSALEM EGREDIENTUR RELIQUIÆ.] Jerusalem erit velut mater novæ sobolis, egredietur inde populus novus, & filii ejus effundentur in regionem universam. Hæc civitas, quam perditam censes, fiet resurrectio tua, & mater populorum tuorum. In elatiori sensu, Jerusalem Ecclesiæ Christianæ ortum præbuit, quæ est veluti parvulæ Judæorum reliquiæ, quæ ex infelicis hujus nationis naufragio elapsæ Ecclesiæ prima fuere fundamenta, & fidem in alias quoque nationes effudere.

℣. 32. NON INGREDIETUR URBEM HANC, NEC MITTET IN EAM SAGITTAM, NEC OCCUPABIT EAM CLYPEUS.] Hebraicus textus verti potest [7]; *non accedet ad hanc civitatem, non emittet sagittas*, neque ejaculabitur tela sua contra ejusdem propugnatores, qui sunt super mœnibus illius; denique miles armatus clypeo, non se obteget illo, ut testudinem componat, ac mœnia dejiciat. Supra animadvertri potuit, Sennacherib nequaquam accessisse ad Jerusalem, sed motis castris de Lobna, ut adversus Tharacam Æthiopum Regem pergeret, exercitum illius penitus in via deletum fuisse.

NEC CIRCUMDABIT EAM MUNITIO.] Antiquitus in obsidionibus urbes vallo claudebantur circumquaque aquæ fossis, aggeribus, vineisque circum undique sæpiebantur; ita ut civitati nullum aliunde afferri posset præsidium, neque alicui inde egredi integrum foret. Extruebantur quoque prope mœnia prælti aggeres, ubi tormenta constituebantur, vel sagittarii, ut milites de muri corona dejicerentur, ac mox scalæ admoveri possent, & ad urbis oppugnationem ascendere. Hebraica vox [8] *Solrah* significat, uti Hebræis videtur, tormenta ad lapides ejaculandos composita, vel ad tela jacienda, quæ Latinis *Balistæ* appellantur; at præstat intelligere de aggeribus illis, de quibus modo locuti sumus. Vox enim *Soleah* plerumque significat terræ cumulum, aggerem, viam ex humo congestam altius institutam. Josephus lib. 10. Antiq. c. 3. credit, Sennacherib de Ægypto revertentem copias suas cum iis conjunxisse, quibus Rabsaces præerat, & quæ castra ante Jerusalem ad urbis orientem erant metatæ, versus torrentem Cedron: quæ sententia satis communis est; plerique enim velut certum supponunt, Assyriorum exercitum ad Jerusalem accessisse, illum oppugnaturum, ibique ab angelo exterminatore cæsum fuisse, antequam urbem claudere posset obsidione. Non desunt, qui duos Sennacherib exercitus distinguant; alterum sub Jerusalem, alterum vero, qui missus fuerat, ut adversus Tharacam peteret. Putant autem, Sennacherib vix nunciata prioris exercitus clade, cum altero in Assyriam esse reversum. Verum hæc omnia temere proferuntur. Scriptura istud nullibi innuit, & ex omni narrationis contextu etui potest oppositum. Assyriorum castra ad Jerusalem posita, quorum Traditio nobis monumentum servavit, earum erant copiarum, quas Thartan, Rabsaris, & Rabsaces secum adduxerant [9]. At hæc militum manus nequaquam venerat ad obsidionem instituendam, sed ad Jerusalem explorandam, ac perterrendam.

℣. 33. PER VIAM, QUA VENIT, REVERTETUR.] Quamprimum in Assyriam reverti debebit. Deus æquum censuit, Principem hunc a clade servari, ut ultionis suæ testis esset, atque ut diutius, & modo fœdiori, acriorique justitiæ Divinæ pondus experiretur. Novit quidem Dominus illum e viventium numero aufer-

1 Vide Psalm. 120. 8. & 138. 1. & Numer. 27. 17.
2 יען התרגזך אלי ושאננך עלה באזני ושמתי חחי באפך ומתגי בשפתיך
3 Theodoret. in Ezech. 15. 12.
4 Vide, si lubet, Psalm. 31. 9. Job. 40. 19. 21. Ezech. 38. 4.
5 Exod. 3. 12. & Isai. 8. 4.
6 Hebræi, Usserius, Munst. Tir. alii.
7 לא יבא אל העיר הזאת ולא יורה שם חץ ולא יקדמנה מגן
8 ולא ישפך עליה סללה
9 Vide supra 4. Regum 17. 17. *Misit eos cum manu valida Jerusalem . . . . steterunt juxta aquæductum piscinæ superioris.*

auferre, cum tempus adstitit; mors simplex parva A fuisset tot scelerum pœna.

ỳ. 35. FACTUM EST IGITUR IN NOCTE ILLA, VENIT ANGELUS DOMINI, & PERCUSSIT IN CASTRIS ASSYRIORUM CENTUM OCTOGINTA QUINQUE MILLIA.] Hoc ea nocte contigit, quæ Isaiæ vaticinium est consecuta, & adventum litterarum Regis Assyrii minis, & blasphemiis refertissimarum, & plane alterius diei nocte, ex quo Rex hic iter adversus Ægyptum susceperat. Angelus, qui exercitum hunc interfecit, uti isthic dicitur, erat angelus exterminator, ille idem, qui primogenitos in Ægypto intercmerat [1], Vide nostram hac de re Dissertationem.

CUMQUE DILUCULO SURREXISSET, VIDIT OMNIA CORPORA MORTUORUM.] Hoc innuere videtur, angelum exterminatorem sine ullo armorum strepitu u- B niversum hunc exercitum cæcidisse. Hebraicus textus, Chaldæus, Septuaginta, ac Isaiæ locus huic geminus [2] in plurali numero legunt. *Et diluculo surrexerunt, & ecce omnia erant cadavera*; quod nonnulli de Judæis Jerusalem intelligunt, qui cum mane surrexissent, cæsum universum exercitum viderunt, ac prostratum, veloti post cruentam pugnam, in medio castrorum suorum. At narrationis contextus postulat, ut de Sennacherib explicemus, & de illis ex militibus ipsius, quibus angelus pepercerat, ut prodigium hoc testarentur, & prædicarent.

ỳ. 37. CUMQUE ADORARET IN TEMPLO NESROCH DEUM SUUM .... FILII EJUS PERCUSSERUNT EUM GLADIO.] Tobias 1. 21. refert, Sennacherib in Ninive reversum acerrime Israelitas fuisse persecutum; at vix quadraginta quinque, vel juxta Græcum textum quinquaginta diebus elapsis, Rex a filiis suis confossus fuit, qui, ut asserunt Rabbini, ac post eos alii non pauci [3], intellexerant patrem decresse, eos Idolo suo sacrificare. Quoad Deum *Nesroch* [4], qui sit, ignoratur. A Septuaginta *Mesrach*, a Josepho *Araskea* appellatur; quo nomine auctor iste Templum vocat, ubi Sennacherib fuit interfectus. Hebraicus Tobiæ textus a Munstero allatus eum *Dagonem* nominat.

FUGERUNT IN TERRAM ARMENIORUM.] Hebraice [5]: *In terram Ararath*. Alibi locuti sumus de montibus Ararath in Armenia celeberrimis propter arcam Noe, quæ ibi consedit. Hujus regionis populi semper bellicosissimi habiti sunt, ac de sua libertate valde solliciti, quam semper strenue tutati sunt, & contra Assyrios, & adversus Persas.

REGNAVIT ASARHADON FILIUS EJUS PRO EO.] Adramelech, & *Sarazar* majores natu fuisse ferunt inter filios Sennacherib, atque huic succedere debuisse; at in parricidii odium a solio, & imperii successione exclusi sunt [6]. *Asarhadon* ab Isaia 20. 1. Sargon, a Tobia 1. 24. *Achirdon*, & *Assaraddin* a Ptolomæo nuncupatur.

---

1 Exod. 11. 4. 2 Isai. 37. 36. וישכימו בבקר והנה כלם פגרים מתים
3 Rab. apud Lyr. Vide & Hieron. in Isai. c. 10. & Grot. & Heb. Tob. Munsteri dicto loco.
4 70. μεσεράχ. נסרך vel ἐσράχ. Joseph. Ἀράσκης. 5 נמלטו ארץ אררט Vide Gen. 8. 4.
6 Vide Joseph. l. 10. c. 2.

CAPUT XX.

Ezechiæ ægrotanti miraculose salus redditur. Prodigium Solis retrogradientis. Legati a Rege Babylonis ad Ezechiam missi, quibus eo quod thesauros suos ostentasset Ezechias, corripitur. Ezechiæ mors, cui Manasses succedit.

Ann. M. 3291. Ante J.C. 713.

1. IN diebus illis ægrotavit Ezechias usque ad mortem, & venit ad eum Isajas filius Amos propheta, dixitque ei: Hæc dicit Dominus Deus: Præcipe domui tuæ: morieris enim tu, & non vives. 2 Qui convertit faciem suam ad parietem, & oravit Dominum, dicens: 3 Obsecro, Domine, memento, quæso, quomodo ambulaverim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod placitum est coram te, fecerim. Flevit itaque Ezechias fletu magno. 4 Et antequam egrederetur Isajas mediam partem atrii, factus est sermo Domini ad eum, dicens: 5 Revertere, & dic Ezechiæ duci populi mei: Audivi orationem tuam, & vidi lacrymas tuas: & ecce sanavi te, die tertio ascendes templum Domini. 6 Et addam diebus tuis quindecim annos: sed & de manu regis Assyriorum liberabo te, & civitatem hanc, & protegam urbem istam, propter me, & propter David servum meum. 7 Dixitque Isajas: Afferte massam ficorum. Quam cum attulissent, & posuissent super ulcus ejus, curatus est. 8 Dixerat autem Ezechias ad Isajam: Quod erit signum, quia Dominus me sanabit, & quia ascensurus sum die tertia templum Domini? 9 Cui ait Isajas: Hoc erit signum a Domino, quod facturus sit Dominus sermonem, quem locutus est: Vis, ut ascendat umbra decem lineis, an ut revertatur totidem gradibus? 10 Et ait Ezechias: Facile est umbram crescere decem lineis: nec hoc volo, ut fiat, sed ut revertatur retrorsum decem gradibus. 11 Invocavit itaque Isajas prophetam Dominum, & reduxit umbram per lineas, quibus jam descenderat in horologio Achaz, retrorsum decem gradibus. 12 In tempore illo misit Berodach Baladan, filius Baladan, rex Babyloniorum litteras, & munera ad Ezechiam: audierat enim, quod ægrotasset Ezechias. 13 Lætatus est autem in adventu eorum Ezechias, & ostendit eis domum aromatum, & aurum, & argentum, & pigmenta varia, unguenta quoque, & domum vasorum suorum, & omnia, quæ habere poterat in thesauris

ris suis. Non fuit, quod non monstraret eis Ezechias in domo sua, & in omni po-
testate sua.
14 Venit autem Isajas propheta ad regem Ezechiam, dixitque ei:
Quid dixerunt viri isti? aut unde venerunt ad te? Cui ait Ezechias: De terra
longinqua venerunt ad me, de Babylone.
15 At ille respondit: Quid viderunt in
domo tua? Ait Ezechias: Omnia, quæcumque sunt in domo mea, viderunt: ni-
hil est, quod non monstraverim eis in thesauris meis:
16 Dixit itaque Isajas Ezechiæ:
Audi sermonem Domini:
17 Ecce dies venient, & auferentur omnia, quæ sunt in
domo tua, & quæ condiderunt patres tui usque in diem hanc, in Babylonem;
non remanebit quidquam, ait Dominus.
18 Sed & de filiis tuis, qui egredientur
ex te, quos generabis, tollentur, & erunt eunuchi, in palatio regis Babylonis.
19 Dixit Ezechias ad Isaiam: Bonus sermo Domini, quem locutus es: sit pax, &
veritas in diebus meis.
20 Reliqua autem sermonum Ezechiæ, & omnis fortitudo
ejus, & quomodo fecerit piscinam, & aquæductum, & introduxerit aquas in civi-
tatem, nonne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Juda?
21 Dor-
mivitque Ezechias cum patribus suis, & regnavit Manasses filius ejus pro eo.

℣. 1. IN DIEBUS ILLIS ÆGROTAVIT EZECHIAS USQUE AD MORTEM.] Hoc contigit ante cladem exercitus Sennacherib, de qua sermo fuit capite superiori; quandoquidem isthic Ezechiæ promittit Deus, se illud de Assyrii Regis manu liberaturum. Cæterum liquido patet, Ezechiam ægrotasse anno eodem, quo Sennacherib in Judæam irrupit; cujus rei ecce argumentum. Ezechias undetriginta annos dumtaxat regnavit [1]; quatuordecim enim annos ante bellum Sennacherib regnaverat [2]; quindecim vero post illud [3]: ergo decimo quarto regni sui anno ægrotavit. Inani sane labore quæritur causa morbi Ezechiæ; quandoquidem nihil adfert Scriptura; in Paralipomenis solum [4] narrata Sennacherib cæde, & Ezechiæ curatione, veluti innuendi causa, illius ægritudinem, & periculum, quod illi, ac universæ nationi impenderat, a Domino immissa fuisse in supplicium; Scriptura ait, Principem hunc non satis agnovisse, quibus muneribus a Deo fuisset affectus, sed ambitione inflatum, a Deo punitum fuisse, ac humiliatum. Morbus illius plane abscessus, vel ulcus erat, quemadmodum infra videbimus. Papa Joannes XXI. [5] pleurisim fuisse putat, alii pestem. Bartholinus de Morbis biblicis ar. 30. credit anginam fuisse; idque conjicit ex medicamine, ex quo salutem recepit, quod optimum est adversus inflammationes, atque ad leniendam duritiem amygdalarum, & parotidum. Judæi apud D. Hieron. in Isai. 39. ac post hos Eusebius in Isajam 39. 1. & S. Hieronymus putant hoc morbo fuisse mulctatum, eo quod Canticum gratiarum actionis minime cecinisset post cladem Sennacherib juxta exemplar Moysis, Annæ Matris Samuelis, & Deboræ.

MORIERIS TU, & NON VIVES.] Hæc Isajæ denuntiatio adversus Ezechiam minime erat absoluta, neque sententia quæ antiquari non posset; si enim aboleri minime potuisset, Rex salutem suam deposcens peccasset, inquit Estius, neque obtinuisset; sed Prophetæ verba secretam, implicitamque conditionem continebant. Morieris certe ex hujus morbi vi; juxta naturalem causarum ordinem, ægritudo lethalis est; Deus unus mederi potest. Ita quoque Elisæus Hazaeli respondet, futurum ut Syriæ Rex convalesceret [6]; attamen sciebat ipsum moriturum, quia Hazael illum suffocaturus erat, convaluis-

A set quidem, nisi ægritudinis vi alia vis accessisset. Eodem pacto Jonas [7] Ninive excidium vaticinatus est; quod malum tamen Ninivitarum pœnitentiæ virtus cohibuit.

℣. 2. CONVERTIT FACIEM SUAM AD PARIETEM.] Ut majori cum fervore, ac reverentia preces effunderet, vel ut liberius lacrymas in cordis sui amaritudine emitteret. Nonnulli putant [8], ipsum faciem suam Templum versus convertisse, oraturum.

℣. 3. MEMENTO, QUÆSO, QUOMODO AMBULAVERIM CORAM TE IN VERITATE.] In sinceritate, vel potius in fideli constantia, & perseverantia. Viri justi veteris Testamenti simili pacto sæpius vota Deo nuncuparunt, illum exorantes, ut si quid boni gessissent, reminisceretur. Psaltes [9] Regius non semel suam in-
B nocentiam, & justitiam obtrudit, & Nehemias Deum precatur, ne deleat pietatis opera, quæ fecit pro Templi, ac sacrorum instauratione [10]. At hæ preces in novo Testamento apud Sanctos viros, adhuc in terris degentes, longe sunt infrequentiores; nos enim apertius agnovimus, quam continua Divinæ gratiæ opa indigeamus, quæ nos præveniat, muniat, ac perseverandi vim tribuat: atque fatemur, cum Deus merita nostra remuneratur, benefactis suis præmium largiri.

FLEVIT ITAQUE EZECHIAS FLETU MAGNO.] Mirum est sane, intueri sanctum Regem, cujus regnum nihil aliud fuit nisi sanctarum actionum contextus, & qui innocentiæ suæ conscius erat, Deum ipsum testem accersere summæ fidei, qua ipsi est famula-
C tus; mirum profecto, illum adeo dolore confectum videre ad imminentis mortis adspectum, perinde quasi mœrere deberet exilio suo quamprimum finem imponi, & quantocyus virtutum suarum remuneratione potiri. Hic longe aberat a S. Pauli confidentia, qua, ut ita dicam, mortem lacessebat, *desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo*; Philip 1. 23. Ezechias nullos post se liberos relinquens diem obibat, atque Davidis genus in se desinere intelligebat; ideoque promissiones huic Regi de Messia Redemptore Israel ex illius sobole nascituro, irritas fieri; hæc fuisse omnis illius lacrymarum causa perhibetur [11]. Manasses, qui illi successit post decimum quintum ab hoc morbo annum, duodecim natus annis erat, cum ad regnum evectus est.

A N-

1 4. Reg. 18. 2. & 2. Par. 29. 1. 2 4. Reg. 18. 13. & Isai. 36. 1.
3 4. Reg. 20. 6. & Isajæ 38. 5. 4 2. Par. 32. 24. *Non juxta beneficia, quæ acceperat, retribuit; quia elevatum est cor ejus, & facta est contra eum ira, & contra Juda.* 5 Joh. XXI. Thesaur. pauper. c. 26.
6 4. Reg. 8. 10. *Dic ei: Sanaberis; porro ostendit mihi Dominus, quia morte morietur.*
7 Jonas 3. 4. *Adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur.*
8 Ita Chald. Hieron. Menoch. & alii. 9 Psalm. 7. 9. & 25. 1. 11. & 40. 13.
10 2. Esdr. 13. 14. 11 Hieron. in Isai 1. 38. *Iste omnis fletus est, quia desperabat Christum de suo semine nasciturum.* Ita Menoch. Tirin. &c.

℣. 4. ANTEQUAM EGREDERETUR ISAJAS MEDIAM PARTEM ATRII.] Hebraice [1]; *antequam ad civitatis medium pervenisset*. At ad marginem Hebraicorum exemplarium *vestibulum* legitur pro *civitate*, quo etiam pacto Chaldæus, & Septuaginta legerunt.

℣. 6. DE MANU REGIS ASSYRIORUM LIBERABO TE.] Creditur vulgo istud contigisse antequam Sennacherib Ninivem reverteretur; verum ex hoc loco non liquido satis probatur. Ezechias metuere poterat Assaradon successorem Sennacherib, qui alium exercitum duce *Thartan* misit in Palæstinam [2]. Ego haud ita quidem libens recesserim a serie factorum, quæ in Sanctis libris describuntur, nisi validis coactus argumentis. Secundus Paralipomenon liber 32. 24. ac Isajas 38. 1. æque ac Libri Regum distincte Ezechiæ pravam valetudinem memorant post reditum, obitumque Sennacherib.

℣. 7. AFFERTE MASSAM FICORUM.] Caricæ summæ sunt utilitatis in arte medendi, illisque magnus præstantissimorum effectuum numerus adscribitur. Calefaciunt, *& gutturi, ac faucibus magnifice utiles sunt* [3] *ac alvum molliunt*; in vessicæ, jecoris, renum, & splenis morbis maximus est usus. In omnium locorum cataplasmis inseruntur, cum tumor adimendus est, & cum abscessus aliquis ad maturitatem est vocandus: *Omnibus, quæ maturanda, aut discutienda sunt, imponuntur*, Plinius ait: *Fici etiam emplastrati* [4] *pestilentia ulcera molliunt, & disrumpunt; quo medicamento sanatum volunt Ezechiam Regem*. Scriptura [5] *ulcus* vel accensionem vocat hujus Principis morbum. Araba putat fici folia adhibita fuisse; at alii omnes de ficis siccis explicant. Licet fructus iste virtute sua medica, & naturali prodesse potuerit saluti Ezechiæ, quemadmodum adnotarunt S. Hieronymus [6], ac Theodoretus in Isajam; nos tamen hoc miraculo adscribimus; licet etiam hoc solum consisteret in medicina, quam Deus Isajæ revelavit, atque in celeritate, & facilitate qua Rex ipse convaluit. S. Hieronymus in Commentario suo in Isajam ait, hanc esse quorumdam sententiam, scilicet Ezechiam Epilepsia laborasse, contra quam omnia dulcia, seu deglutiantur, seu corpori applicentur, maximopere utilia esse dicuntur. At Grotius, & alii nonnulli putant, caricas omnino alienas fuisse morbo Regis: quæ si vera sunt, miraculum sane esset præstantius.

℣. 9. VIS, UT ASCENDAT UMBRA DECEM LINEIS, AN UT REVERTATUR TOTIDEM GRADIBUS?] De hoc miraculoso facto consuli potest Dissertatio hac de re seorsum instituta, ubi ad examen vocamus, quodnam esset hoc Horologium Achaz, & lineæ, per quas Sol est reversus.

℣. 12. IN TEMPORE ILLO MISIT BERODACH BALADAN . . . . . REX BABYLONIORUM LITTERAS, & MUNERA AD EZECHIAM.] Berudach-Baladan erat filius Baladan Regis Babyloniorum. Chaldæi Berosi historia, auctore Josepho, meminerat Baladan. In Isaja 39. 1. legimus Merodac-Baladan pro Berodach-Baladan. Hic a Ptolemæo *Mardocempadus* appellatur [7]. Nomen Merodac pars est nominum *Evilmerodach* [8], & *Mardocempes* alterius Regis Babyloniorum, qui longe ab hoc diversus fuit. Creditur, *Merodach* nomen fuisse Numinis Babylonis, cujus meminit Jeremias 50. 2. Berodach-Baladan Ezechiæ amicitiam colebat, dum Sennacherib Assyriæ Rex bunc bello lacessebat. Reges Babylonis, & Ninive jamdudum erant infesti, & victoriæ Regum Assyriæ minime poterant non obtrudere suspicionem, ac invidiam finitimis; atque haud erat difficile, quod conjectando consequi possent ex eorum fortuna, brevi futurum, ut in ditionem suam omnia Asiæ imperia redigerent, quod reveta aliquandiu post, Nabuchodonosor imperante, effectum est. Non igitur mirum, si Babylonis Rex his cum Ezechia certarit officiis. Si verum est, legationem hanc tunc missam fuisse, cum Sennacherib exercitus cæsus fugatus, de Asia universa per quam optime meritus Ezechias erat, eo quod cohibuisset, atque oppressisset Assyriorum vires. Fidei consonum est, per occasionem miraculi, quod in Ezechiæ curatione contigerat, Merodac-Baladan per legatos eum invisisse. Textus istic ait, legatos missos, qui receptam valetudinem gratularentur; & in 2. Paralip. 32. 31. scriptum est ipsos venisse, ut miraculi, quod in Jerusalem contigerat, rationem edocerentur. Hæc una quidem fuit legationis causa; verum credi potest, ex præcipuis rationibus hanc fuisse, scilicet, ut de communis hostis excidio vicissim lætarentur. Judæi putant, verum temere, Merodac-Baladan patrem fuisse Nabuchodonosor.

℣. 13. LÆTATUS EST AUTEM IN ADVENTU EORUM EZECHIAS.] Hebraice habetur [9]: *Ezechias eos audivit*. Audivit, quid sibi vellent, & ea, quæ abs Rege Babylonis afferrent. At Vulgatæ sensus melior est; ac ex Hebraica constructione suspicio suboritur, olim scriptum fuisse: *Lætatus est*. Hoc pacto Septuaginta, & Syriaca versio intellexere, atque hoc ipsum in Isaja legimus, qui eamdem historiam iisdem ferme verbis persequitur [10].

DOMUM AROMATUM.] Scilicet aromata sua. Hebraicus textus diversimode vertitur [11]. Chaldæus, Syriaca versio, & Arabica: *Domum thesaurorum*. Vatablus explicat de Musæo suo, ubi rara quæque, gemmas, ac uniones servaret. Alii [12] de conclavi, ubi quidquid pulcherrimum, ac pretiosissimum haberet, servabat, *domum desiderabilium suorum*.

UNGUENTA QUOQUE, & DOMUM VASORUM SUORUM.] Hebraice [13]: *Excellens oleum suum, & domum vasorum suorum*. Primum autem de balsamo, omnium liquorum pretiosissimo, ac de omnibus unguentis explicandum putant; alterum vero de armamentariis, locisque, ubi arma ac bellica instrumenta asservabantur, esse intelligendum, vel de illius supellectilibus, aliisque raritate, ac pretio commendatis ornatibus. Sanctus Hieronymus in Isai. 39. putat, ipsum illis Templi quoque Thesauros ostendisse, quapropter præcipue in illum succensuit Deus.

℣. 17. ECCE DIES VENIENT, & AUFERENTUR OMNIA, QUÆ SUNT IN DOMO TUA.] Quandonam istud adimpletum fuit? nonnulli putant, Sennacherib magnam harum divitiarum partem abstulisse; legimus enim [14] Ezechiam collegisse quidquid auri, argentique in Thesauris, & suis, & Templi invenire potuit, ut eam, quam Rex ille poposcerat, summam efficeret. At Sennacherib minime erat Rex Babylonis; ad hæc in 2. Paralip. 32. 27. post reditum, & cladem Sennacherib tunc præsertim Ezechiam animum appulisse, ut divitias cumularet. Antehac propter ingentia vectigalia, quæ Assyriis pendebat, haud integrum illi erat, multa colligere. Dicendum igitur,

hoc

---

1 לא יצא העיר התיכונה 70. ἐν τῇ αὐλῇ τῇ μέσῃ Legerunt חצר *atrium* pro העיר *urbe*.
2 Isai. 20. 1. *In anno quo ingressus est Tharan in Azotum, cum misisset eum Sargon Rex Assyriorum*.
3 Plin. l. 23. c. 7. *Sicca fici gutturi, & faucibus magnifice utiles. Natura his excalefaciendi . . . . alvum molliunt &c.* Vide & Diosrorid. lib. 1. c. 145. 4 Aldovrand. de arborib. l. 2. *Fici emplastrati pestilentia ulcera molliunt, & disrumpunt; quo medicamento sanatum volunt Ezechiam Regem*. Vide, si lubet, Francisc. Valles. de sacra Philosophia, cap. 39. 5 וישמו על השחין ἐπίθετε ἐπὶ τὸ ἕλκος.
6 Hieron. in Isai. 38. *Juxta artem medicorum omnis sanies siccioribus ficis atque contusis, in cutis superficiem provocatur, ac per hoc non spernendam esse medicinam, quæ usu constet, & experimento*.
7 Ptolom. Almag. l. 4. c. 6. 8 4. Reg. 25. 27. Jerem. 52. 31.
9 וישמע עליהם חזקיהו 70. καὶ ἐχάρη ἐπ' αὐτοῖς. Legerunt וישמח pro וישמע
10 Isai. 39. 2. *Lætatus est autem super eis Ezechias, &c.* 11 בית נכותה 70. τὸν οἶκον τοῦ νεχωθά.
12 Munst. Pagn. Mont. 13 ואת שמן הטוב ואת בית כליו 14 4. Reg. 18. 15.

hoc Ezechiæ vaticinium sub postremis Regibus Juda penitus fuisse adimpletum, cum Reges Babylonii subvertetunt civitatem, ac Templum, populum captivum abduxerunt, & Judæorum Monarchiam funditus everterunt.

Ṽ. 18. DE FILIIS TUIS, QUI EGREDIENTUR EX TE, TOLLENTUR, & ERUNT EUNUCHI.] Verba hæc *de filiis tuis, qui egredientur ex Te*, nequaquam intelligenda sunt de filiis immediatis Ezechiæ; ex historia enim non liquet, alium præter Manassem Babylonem fuisse traductum [1] & Manasses ipse [1] non diu ibi permansit, neque probari potest ipsum Eunuchum fuisse, hoc est, Præfectum in ædibus Regis Babylonici. At *Joachin* Rege Juda imperante [2], Nabuchodonosor Rex Babylonis venit in regionem Juda, cepit Jerusalem, Regemque, Regiosque Principes Babylonem traduxit; ubi adolescentiores, atque magis decori adspectu inter principes electi fuerunt, ut ad Regis famulatum alerentur. Vide Dan. c. 3. 4.

Ṽ. 19. BONUS SERMO DOMINI, QUEM LOCUTUS ES, SIT PAX, & VERITAS IN DIEBUS MEIS.] Acquiesco, ac me met submitto mandatis Dei, sententiæ illius justitiam agnosco; verum eum deprecor, ut a me hanc pœnam deflectat, utque mihi liceat in pace illud vitæ spatium transigere, quod mihi largiri dignatus est. Videtur autem, hæc limitata Ezechiæ submissio, & quodammodo conditionalis; nimium pro suæ salutis studio sollicita [3] in Principe, qui æque ac se ipsum, populum suum, patriam, ac filios debet diligere. Eusebius, & S. Hieronymus in hunc locum ajunt, Hebræum præceptorem suum dictitasse, Deo nequaquam acceptam fuisse Ezechiæ orationem; atque ideo statim Prophetam addere: *Consolamini, consolamini popule meus, dicit Dominus*; veluti reparandi causa criminis Ezechiæ, atque exprobrandæ frigidæ illius sollicitudinis, quam pro populo suo fuerat testatus.

Hebraicus Textus [4] hæc habet: *quod Dei verbis mihi locutus es, bonum est*, huic me submitto: *Et addidit: Num pax, & veritas, me vivo, dominabuntur?* Num hoc sperare possum, futurum, ut quoad vixero, me pace frui permittat? Dominus haud antiquaturus est gratiam, quam mihi largitus est; mihi quindecim annos vitæ permittens? Vel, Dominus justus est in ijs omnibus, quæ præcepit; verum si ultionis suæ effectus, me vivo, cohibere volebat, hæ minæ respiciuntne caput meum, an dumtaxat posteros meos? *Pax, & veritas* stabilem, ac duraturam pacem significant; pacem veram. Scriptura refert [5], Ezechiam, & omnes cives Jerusalem semet, atque incolas Jerusalem coram Domino humiliasse, quapropter dilata est ira Domini. Josephus Antiqu. l. 10. c. 3. ait Regem hunc, nuntiatum Dei decretum summo cum dolore excepisse, dicentem se cupere sua mala sua progenie, si fas esset, divertere; at quandoquidem Dominus aliter præceperat, eum obtestabatur, ut saltem quoad viveret, pace ipsum frui permitteret. Denique S. Ambrosius l. 1. de Jacob. c. 8. Regem hunc excusavit dicens, ipsum nequaquam familiæ suæ mala exoptasse: *Sed voluntati Domini obviare non poterat, & ideo mandata ejus æquanimiter suscipiebat, ut servulus.*

Ṽ. 20. QUOMODO INTRODUXERIT AQUAS IN CIVITATEM.] Hoc plane factum est, cum Ezechias veritus, ne Jerusalem a Sennacherib obsidione cingeretur, aquas, quibus finitima civitatis arva irrigabantur, per rivulos quosdam intra urbem deduxit. Videri possunt 2. Par. 32. Ṽ. 4. cum sequentibus; & Eccli. 48. 19. *Ezechias munivit civitatem suam, & induxit in medium ipsius aquam, & fodit ferro rupem, & ædificavit ad aquam puteum.*

NONNE HÆC SCRIPTA SUNT IN LIBRO SERMONUM DIERUM?] Legimus in 2. Paralip. 32. 32. *Reliqua sermonum Ezechiæ, & misericordiarum ejus, scripta*

A *sunt in visione Isaiæ filii Amos Prophetæ, & in Libro Regum Juda, & Israel.* Aliquid profecto ex vita Ezechiæ in Isaja c. 37. 38. & 39. reperitur; verum est veluti eorum repetitio, quæ in Regum Libris leguntur, nisi quod ibi adest Canticum, quod in miraculosæ suæ valetudinis gratiarum actionem Ezechias est elucubratus. Auctor Ecclesiastici 48. 19. Historicum Principis hujus Elogium conscripsit; commendat summa bona, quæ fecit patriæ suæ, præsertim Jerosolymam communiendo, ac illuc summis sumptibus aquæductus instituendo; quoniam rupes erant effodiendæ, ac cisternæ eruendæ, ut ibi aqua servaretur. Ea memorat, quæ ad belli Sennacherib meum, & Rabsacis blasphemias contigerant, populi terrorem, dolorem, pœnitentiam, & opem, qua

B divinitus liberati fuere; atque hæc addit; *Fecit Ezechias, quod placuit Deo, & fortiter ivit in via David Patris sui, quam mandavit illi Isajas Propheta magnus, & fidelis in conspectu Dei.* Denique Spiritus Sanctus gloriosum illi testimonium exornat dicens: *Præter David, & Ezechiam, & Josiam omnes peccatum commisisse.* Eccli. 49. 5. Re quidem vera post David, surrexitne in Juda Rex, qui vim habuerit excelsa evertendi, Domino quidem dicata [6], at divinis legibus opposita? Serpentem æneum infringendi; in eas usque Provincias, quæ illius non parebant imperio, mittendi qui populos invitarent in Templum Domini; illudque post impietatis regnum, & licet infinitus propemodum superstitiosiorum, ac nefariorum numerus obsisteret, qui nihil adeo verebantur, quam ne rursus pietas, ac Religio floreret?

C Quænam fuit illius confidentia in Domino inter sævissima quæque pericula? *In Domino Deo Israel speravit*, inquit Scriptura [7], *itaque post eum non fuit similis ei de cunctis Regibus Juda, sed neque in his, qui ante eum fuerunt. Et adhæsit Domino, & non recessit a vestigiis ejus, fecitque mandata ejus, quæ præceperat Dominus Moysi.* Adhæc quotne muneribus a Deo cumulatus fuit? Non loquor de immensis propemodum divitiis [8], quas ostentasse, lapsus causa illi fuit; at de gloriæ, ac regni sui felicitate, propter quam omnis cum venerationis, & admirationis quadam specie a remotissimis Regibus habitus fuit; de prodigiis loquor, quæ in illius gratiam contigere; repens Sennacherib interitus, præceps

D Regis fuga, Ezechiæ valetudo, Solis regressus, prophetiæ spiritus, quo Deus illum afflavit, ut Canticum suum pangeret, hæc omnia satis ostendunt, quam acceptus, & carus Domino fuerit Ezechias.

In hoc quoque Principe aliquas etiam similitudinis notes deprehendere licet inter ipsum, ac Jesum Christum. Ezechias Assyriorum excutit jugum, atque ideo in se ingens, & periculosum concitat bellum, quo, Divina ope favente, summa cum gloria defungitur. Jesus Christus contra peccatum, mundum, carnem, dæmonemque consurgit; qui in illum, ac doctrinam ejus in Ecclesiam, discipulosque ipsius omnes excitat terrarum, inferorumque potestates. Nomquam adeo irritatus fuit Sennacherib, ut Christi persecutores furore acti; nec tot Rabsaces in

E Deum blasphemias evomuit, quot calumnias illi, et blasphemias in Filium Dei, & in Ecclesiam effudere: at Dei manus quibuscumque ipsorum conatibus potentior eos evertit, delevitque. Jesus Christus, & Fideles tetertissimam de illis victoriam recolere; Ezechias deductus usque ad ostium tumuli, & mox divinitus veluti redditus, solemne canit gratiarum actionis canticum; ubi ob oculos Domini Resurrectionem habuisse videtur, cujus ipsius coratio erat imago, dicendo: *Vivens, Vivens ipse confitebitur tibi, sicut & ego hodie, pater filiis notam faciet veritatem suam* Isai. 38. 19.

---

1 Vide 2 Par. 33. 11. 2 4. Reg. 24. 12. 13. & seq. 3 Ita Hebr. apud Hieron. in Isai. c. 39.
4 טוב דבר יהוה אשר דברת ויאמר הלא אם שלום ואמת יהיה בימי 5 2. Par. 32. 26. 6 4. Reg. 18. 4.
7 Ibid. vers. 5. 8 2. Par. 32. 27. 28. 29.

CAPUT XXI.

Manassis impietas. Dei minæ adversus Jerusalem. Ammon succedit Manassi; Ammoni Josias.

Ann. M. 3306. Ante J.C. 698.
1. DUodecim annorum erat Manasses, cum regnare cœpisset, & quinquaginta
quinque annis regnavit in Jerusalem: nomen matris ejus Haphsiba. 2 Fe-
citque malum in conspectu Domini, juxta idola gentium, quas delevit Do-
minus a facie filiorum Israel. 3 Conversusque est, & ædificavit excelsa, quæ dissipa-
verat Ezechias pater ejus: & erexit aras Baal, & fecit lucos, sicut fecerat Achab rex
Israel, & adoravit omnem militiam cœli, & coluit eam. 4 Extruxitque aras in do-
mo Domini, de qua dixit Dominus: in Jerusalem ponam nomen meum. 5 Et ex-
truxit altaria universæ militiæ cœli in duobus atriis templi Domini. 6 Et traduxit
filium suum per ignem; & ariolatus est, & observavit auguria, & fecit pythones,
& aruspices multiplicavit, ut faceret malum coram Domino, & irritaret eum. 7 Po-
suit quoque idolum luci, quem fecerat, in templo Domini: super quod locutus est
Dominus ad David, & ad Salomonem filium ejus: in templo hoc, & in Jerusalem,
quam elegi de cunctis tribubus Israel, ponam nomen meum in sempiternum. 8 Et
ultra non faciam commoveri pedem Israel de terra, quam dedi patribus eorum: si
tamen custodierint opera omnia, quæ præcepi eis, & universam legem, quam manda-
vit eis servus meus Moyses. 9 Illi vero non audierunt; sed seducti sunt a Manas-
se, ut facerent malum, super gentes, quas contrivit Dominus a facie filiorum Israel
10 Locutusque est Dominus in manu servorum suorum Prophetarum, dicens: 11
Quia fecit Manasses rex Juda abominationes istas pessimas, super omnia, quæ fece-
runt Amorrhæi ante eum, & peccare fecerit etiam Judam in immunditiis suis: 12
Propterea hæc dicit Dominus Deus Israel: Ecce ego inducam mala super Jerusalem,
& Judam: ut quicumque audierint, tinniant ambæ aures ejus. 13 Et extendam su-
per Jerusalem funiculum Samariæ, & pondus domus Achab: & delebo Jerusalem, si-
cut deleri solent tabulæ: & delens vertam, & ducam crebrius stylum super faciem
ejus. 14 Dimittam vero reliquias hæreditatis meæ, & tradam eas in manus inimico-
rum ejus: eruntque in vastitatem, & in rapinam cunctis adversariis suis; 15 Eo
quod fecerint malum coram me, & perseveraverint irritantes me, ex die, qua egres-
si sunt patres eorum ex Ægypto, usque ad hanc diem. 16 Insuper & sanguinem
innoxium fudit Manasses multum nimis, donec impleret Jerusalem usque ad os: abs-
que peccatis suis, quibus peccare fecit Judam, ut faceret malum coram Domino;
17 Reliqua autem sermonum Manasse, & universa, quæ fecit, & peccatum ejus,
quod peccavit, nonne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Juda?
18 Dormivitque Manasses cum patribus suis, & sepultus est in horto domus suæ,
in horto Oza; & regnavit Amon filius ejus pro eo. 19 Viginti duorum annorum
erat Amon, cum regnare cœpisset: duobus quoque annis regnavit in Jerusalem.
Nomen matris ejus Messalemeth filia Harus de Jeteba. 20 Fecitque malum in con-
spectu Domini, sicut fecerat Manasses pater ejus. 21 Et ambulavit in omni via,
per quam ambulaverat pater ejus: servivitque immunditiis, quibus servierat pater
ejus, & adoravit eas, 22 Et dereliquit Dominum Deum patrum suorum, & non
ambulavit in via Domini. 23 Tetenderuntque ei insidias servi sui, & interfecerunt
regem in domo sua. 24 Percussit autem populus terræ omnes, qui conjuraverant
contra regem Amon: & constituerunt sibi regem Josiam filium ejus pro eo. 25
Reliqua autem sermonum Amon, quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in Libro sermo-
num dierum regum Juda? 26 Sepelieruntque eum in sepulchro suo, in horto Oza:
& regnavit Josias filius ejus pro eo.

℣. 1. DUODECIM ANNORUM ERAT MANASSES CUM REGNARE COEPISSET.] Ergo natus erat post tertium annum a patris sui salute recepta [1]. Hic quinque supra quinquaginta regnavit annos, eo tempore recensito, quo Babylone captivus permansit. Vixit igitur annos septem & sexaginta.

℣. 2. JUXTA IDOLA GENTIUM.] Hebraice [2]: *fecit malum*

1 4. Reg. 20. 6. *Addam diebus tuis quindecim annos*,

2 כתועבות הגוים אשר הוריש יהוה

malum in conspectu Domini juxta abominationes gentium, quas Dominus deleverat. Idola vocantur *abominationes*. Dominus Chananæos exterminavit propter abominanda eorum flagitia.

℣. 3. FECIT LUCOS.] Hebraice [1]: *fecit Aserah, sicuti fecerat Achab*. *Aserah* est idolum ligneum, vel Astartes: sumitur & pro luco, ubi colebatur, & pro Idolo, quod ibi adorabatur [2].

ADORAVIT OMNEM MILITIAM COELI,] Omnia sydera, quorum Rex, & Regina sunt Sol, & Luna; aras extruxit *in duobus atriis Templi*, hoc est in atrio & populi, & Sacerdotum. Vide ℣. 2. capitis hujus, & 2. Par. 33. 4. 5.

℣. 6. TRADUXIT FILIUM SUUM PER IGNEM.] Illum in honorem *Moloc* mactavit; vel simpliciter illum super ignem trajecit, ut eum expiaret juxta inanes numinis illius cæremonias. Vide, quæ diximus de Achaz 4. Reg. 16. 3.

ARIOLATUS EST [3].] Consuluit ariolos, vel etiam ipse ariolorum more vaticinatus est. Ex astrorum, vel nubium inspectione futura prædicere voluit. Septuaginta [4] id intellexisse videntur, de quadam divinatione per virgas. Alii vero de quibusdam observationibus intelligunt, & distinctionibus inter dies bonos, ac auspicatos, a diebus sequioribus, & ominosis. Ita Arab. Pagnin. Montan. Streigel.

OBSERVAVIT AUGURIA.] Textus [5] magiam videtur innuere, quæ per serpentes exercetur, vel cum vasis æneis: Generatim vero de præstigiis, & sortilegiis explicatur. Septuaginta [6] de divinationibus per volatum, vel avium tripudia.

FECIT PYTHONES.] Constituit, confirmavitque auctoritate sua eos, qui se Pythonis spiritu afflatos dicebant; magos [7], qui se familiarem habere spiritum gloriabantur, qui vocem suam de imo ventre, vel stomacho emitteret, & qui per Dei Apollinis afflatum ventura prædiceret; Vide Levit. 19. 31. & 1. Reg. 28. 7. & 4 Reg. 23. 24.

ARUSPICES,] Incantatores, vel potius *Aruspices*, qui victimarum exta inspiciebant. Hebraica vox [8] proprie *Cognitores* significat, divinatores, & eos, qui vaticinantur, & futura ignota, abdita, furtoque ablata, se detegere jactitant.

℣. 7. POSUIT IDOLUM LUCI.] Hebraice [9]: *posuit idolum cæsum de Aserah*. Vide supra ℣. 3. & Dissertationem nostram de Diis Phœnicum.

℣. 10. LOCUTUSQUE EST DOMINUS IN MANU SERVORUM SUORUM PROPHETARUM.] Dominus Manassem ob illius scelera redarguit, populumque per Prophetas, qui tunc degebant, reprehendit propter flagitia, quibus fuerat prævaricatus. Traditio adfert, Isaiam, qui tunc quoque vivebat, & qui, regnante Ezechia, summa auctoritate floruerat, hac in occasione zelo suo correptum fuisse, & acriter invectum in Regis flagitia, eum objurgasse. At impius Rex illius exprobrationibus irritatus, eum morti addixit, ita ut inter cruciatus animam efflaret, atque lignea serra vivens adhuc [10] secaretur. Ferrea serra damnatorum corpora scindebantur; verum ut supplicium diuturnius esset, & acrius, ligneam serram voluit adhiberi. Ostendimus alibi [11] serræ cruciatum in Oriente haud ignotum fuisse. In hoc eodem Propheta locus extat, quem ad Manassis regnum reor attinere. Postquam ea retulit verba, quæ Principis hujus perfrictam frontem exprimunt, *comedamus, & bibamus! cras enim moriemur*: hoc pacto concludit: *& revelata est in auribus meis vox Domini exercituum; Si dimittetur iniquitas hæc vobis, donec moriamini, dicit Dominus exercituum*. Isai. 22. 13. 14.

℣. 12. UT QUICUMQUE AUDIERIT, TINNIANT AMBÆ AURES EJUS.] Inducam scilicet mala, quæ non nisi summo cum terrore, atque horrore audiri poterunt: veluti cum vivido nimis, & acuto sonitu repente obruimur, obstupescunt aures attonitæ, ac tinniunt. Vide 1. Reg. 3. 11. & Jerem. 19. 3.

℣. 13. EXTENDAM SUPER JERUSALEM FUNICULUM SAMARIÆ.] Eadem erit sors Jerusalem, ac Samariæ, eadem portio, eadem mensura. Funiculus plerumque mensuram, vel portionem significat. Vel metiar Jerusalem mensura eadem, qua metitus sum Samariam; scilicet iisdem suppliciis afficiam. Civitas hæc capta fuerat, direpta, eversa, & cives in captivitatem abducti: hoc ipsum de Jerosolymitanis civibus fiet. Vel abradam, evertam, solo æquabo, ad funiculi libellam dejiciam Jerusalem, quemadmodum dejeci Samariam. Reddam solum hujus illius solo persimile; quæ posterior sententia mihi magis arridet: alibi enim in Scriptura similes occurrunt loquendi rationes: *Cogitavit Dominus dissipare murum filiæ Sion*, Jeremias ait Thren. 2. 8. *tetendit funiculum suum, & non avertit manum suam a perditione; luxitque antemurale, & murus pariter dissipatus est*.

ET PONOVS DOMUS ACHAB.] Abradam hanc civitatem, æquabo eam solo, ad amussim [12], qua usus sum, ut domum Achab everterem. Persistit in eadem Architecti domum demolientis, ac solo exæquantis allegoria. Alii intelligunt de pondere, quod ad rerum mensuram adhibetur: ponderabo Jerusalem, & scelera illius ad pondus idem, ad quod domum Achab appendi. Pondere utar justo, exacto, & accuratissimo. Sine ulla veniæ spe, quidquid pravum invenero, puniam. Hoc solemne est Prophetis minas propheticas *pondus*, vel *onus* appellare [13].

DELEBO JERUSALEM, SICUTI DELERI SOLENT TABULÆ, & DELENS VERTAM &c.] Tabulis cera obductis antiquitus scribebatur; ad scribendum vero æneus, vel ferreus stylus adhibebatur, ex altera parte acutus, ex altera planus; & plana caliginitate delebatur, quod acuta fuerat exaratum: hæc autem est styli descriptio [14].

De summo planus, sed non ego planus in imo
Versor utrimque manu, diverso & munere fungor:
Altera pars revocat, quidquid pars altera fecit.

Scriptura igitur innuere vult in peccatorum Manassis pœnam, Deum eversurum Jerusalem, ac deleturum veluti chyrographum, in quo verso stylo expungitur; ita ut ne minimum quidem vestigium supersit. Hebraicus textus diversimode explicatur [15]. Septuaginta ita reddunt [16]: *Abstergam Jerusalem, quemadmodum vas alabastrinum abstergitur* (vel generatim quodlibet vas, lana) *supinum vertitur super os suum, cum abstergitur*, ne iterum fœdetur. Alii vertunt: *Purgabo Jerusalem, quemadmodum scutella purgatur*, vel lanx, *purgatur, mox susque deque vertitur*, vel potius *purgatur, ac in omnes partes vertitur, ne ullæ sordes remaneant*.

℣. 14. DIMITTAM RELIQUIAS HÆREDITATIS MEÆ.] Tradam Judam, ac Benjamin in manus inimicorum suorum, quemadmodum tradidi Israel, vel decem tribus. Vel in sensu opposito; partem hæreditatis meæ reservabo, neque patiar, eam interire in medio inimicorum suorum. At prior præstat explicatio, ac ille verus est authographi sensus [17].

℣. 17. RELIQUA SERMONUM MANASSE .... NON

1 עשה אשרה 2 Vide nostram de Diis Phœniciis Dissertationem. 3 ועונן 4 70. ἐκληδονίζετο.
5 נחש 6 70. οἰωνίζετο. 7 עשה אוב 70. ἐποίησε θελητὰς. Quasi אוב esset ab אבה volo. Vulgo 70. vertunt אוב ἐγγαστρίμυθος, ventriloquus. 8 70. γνώστας. וידענים 9 וישם את פסל האשרה
10 Vide Tertul. lib. de patientia c. 14. Aug. l. IX. de Civit. c. 24. Theodor. qu. 54. in 4. Reg.
11 Vide in Deuter. nostram de suppliciis Hebræorum Dissertationem. 12 70. σταθμὸς. משקלת
13 Isai. 13. 1. & 14. 28. Jerem. 23. 33. 34. 36. 38. Nahum. 1. 1. Zach. 9. 1. & 12. 1. 4. Reg. 9. 25. Ezech. 12. 10. Habac. 1. 1. Malac. 1. 1. 14 Ænigm. Symposii. 15 כאשר ימחה את הצלחת מחה והפך על פניה
16 Καὶ ἀπαλείψω τὴν Ἱερουσαλὴμ, καθὼς ἀπαλείφεται ὁ ἀλάβαστρος ἀπαλειφόμενος, καὶ καταστρέφεται ἐπὶ πρόσωπον αὐτοῦ. 17 ונטשתי את שארית 70. καὶ ἀπώσομαι τὸ ὑπόλειμμα, &c. Ita Chald. Syr. Arab. alii plerique.

NE HÆC SCRIPTA SUNT IN LIBRO SERMONUM?] Ex 2. Paralip. 33. 11. intelligmus, Deum misisse adversus hunc Regem duces Regis Assyrii, qui eum captivum, & catenis onustum Babylonem deduxere. Hic Thartan plane fuit, qui missus a *Sargon*, vel Assaradon in Palæstinam, Azoto capta [1], Manassi bellum indixit, eumque captum deduxit non Ninivem, sed Babylonem, qua potitus fuerat Assaradon, & ex duobus Assyriorum, & Chaldæorum imperiis unum effecerat. Manasses Babylone suum agnovit scelus, ac illios pœnitentia ductus veniam obtinuit. Oratio quædam superest, quam ipsum in carcere suo elucubratum fuisse dicunt; verum ab Ecclesia inter Canonica Scripta admissa non fuit: non tamen absolute fuit rejecta, sed inter apocrypha relata. Ecclesia Græca hanc in suo Euchologio inseruit, & recitatur saltem veluti pia oratio, in qua nihil censura dignum offenditur. Rabbini [2] narrant, Regem hunc positum fuisse in æneum vas perforatum, ac vehementer succenso igni expositum; quo cruciatu dum torqueretur, ad omnia primum inania numina confugit, quibus olim thus adoleverat; at Deorum infirmitate perspecta, ac precum suarum cognita inutilitate, tunc recordatos est ejus, quod sæpius Regem patrem suum dicentem audierat, Deut. 4. 29. *Cum quæsieris ibi*, id est inter ærumnas tuas, *Dominum Deum tuum, invenies eum: si tamen toto corde quæsieris, & tota tribulatione animæ tuæ*: & convertit se ad Dominum, & statim liberatus fuit, & in Regnum suum reductur, eodem pacto, quo Abacoc Babylonem translatus fuit, scilicet capillis in aera sublatus. Auctor, satis quidem vetus [3], verum parum fide dignus, ipsius liberationem aliter enarrat: Manasses in vinculis modico dumtaxat hordeaceo pane alebatur, & aqua aceto immixta, idque in numero, & mensura, ita ut fame interire non posset. Cum in hoc carceris squalore confectus jaceret, Domini recordatus est, atque ad illius clementiam confugit; tunc flamma divinitus illum circumdedit, sudit catenas ejus, eumque libertati restituit. Fabulæ; at mea quidem sententia *Saos-duchin* successor Assaradon Manassem libertate donavit, aliquot annos post illius captivitatem.

Jerusalem reversus [4] Domini cultum in Templo restituit, Aras profanas evertit, & quæcumque Idololatriæ vestigia, qua inanes Deos fuerat veneratus, delevit; sed excelsa tantum reliquit, quo populus Domino sacra facturus accedere consueverat; quod unum illi post ipsius conversionem exprobratur. Jerusalem communivit, ejusque muros instauravit, & copiarum Duces in omnibus civitatibus Juda præposuit. Vita illius, res gestæ, lapsus, pœnitentia, & oratio, quam coram Domino effuderat, scripta erant in libris *Hosai*. Prophetarum sermones, qui Dei verbis ad illum fuerant locuti, in Regum Israel factis legebantur. Hæc autem ea sunt, quæ de Manasse noverimus.

℣. 18. SEPULTUSQUE EST IN HORTO DOMUS SUÆ, IN HORTO OZA.] Ibi plane tumulos pro se, suisque curaverat effodiendos. nam Ammon filius ipsius ibi quoque tumulatus fuit [5]. Hortus *Oza*, uti perhibetur, ibi factus fuerat, ubi Oza, cum Arcam attrectare voluit, a Deo percussus ceciderat [6]; vel *Oza* idem est ac *Ozias* Rex Juda, de quo secundus Paralipomenon liber c. 26. ℣. 1. & 23. ait, lepra obsitum obiisse, ac fuisse sepultum in agro, ubi Regum aderant tumuli. Dicitor [7] Manasser humilitatis ergo, sepulchrum hoc poposcisse, neque in Regum sepulchra efferri voluisse.

1 Isai. 20. 1. 2 Vide Aur. Tradit. Hebraic. in libb. Paral. 3 Author. operis imperfecti Matth. Homil. 5. 4 Vide 2. Par. 33. 13. & seq. 5 Mox ℣. 29. 6 2. Reg. 6. 8. 7 Grot. Jun. Malv.

CAPUT XXII.

Josiæ pietas. In Templo Liber Legis invenitur: Josias libri hujus lectione perterritus consulit Prophetissam Holdam.

Anno M. 3363. ante J. C. 641. 1. OCto annorum erat Josias, cum regnare cœpisset, triginta, & uno anno re-
gnavit in Jerusalem: nomen matris ejus Idida, filia Hadaja de Besecath.
2 Fecitque quod placitum erat coram Domino, & ambulavit per omnes
vias David patris sui: non declinavit ad dexteram, sive ad sinistram. 3 Anno au-
tem octavodecimo regis Josiæ, misit rex Saphan filium Aslia filii Messulam, scribam
templi Domini, dicens ei: 4 Vade ad Helciam sacerdotem magnum, ut confletur pe-
cunia, quæ illata est in templum Domini, quam collegerunt janitores templi a po-
pulo. 5 Deturque fabris per præpositos domus Domini: qui & distribuant eam his,
qui operantur in templo Domini, ad instauranda sartatecta templi: 6 Tignariis vi-
delicet, & cæmentariis, & iis, qui interrupta componunt: & ut emantur ligna, &
lapides de lapicidinis, ad instaurandum templum Domini, 7 Verumtamen non sup-
putetur eis argentum, quod accipiunt, sed in potestate habeant, & in fide. 8
Dixit autem Helcias pontifex ad Saphan scribam: Librum Legis reperi in domo Do-
mini: Deditque Helcias volumen Saphan, qui & legit illud. 9 Venit quoque Sa-
phan scriba ad regem, & nuntiavit ei, quod præceperat, & ait: Conflaverunt ser-
vi tui pecuniam, quæ reperta est in domo Domini: & dederunt, ut distribueretur
fabris a præfectis operum templi Domini: 10 Narravit quoque Saphan scriba regi,
dicens: Librum dedit mihi Helcias sacerdos. Quem cum legisset Saphan coram re-
ge, 11 Et audisset rex verba Libri legis Domini scidit vestimenta sua. 12 Et
præcepit Helciæ sacerdoti, & Ahicam filio Saphan, & Achobor filio Micha, & Sa-
phan scribæ, & Asajæ servo regis, dicens: 13 Ite, & consulite Dominum super
me,

me, & super populo, & super omni Juda, de verbis voluminis istius, quod inventum est: magna enim ira Domini succensa est contra nos: quia non audierunt patres nostri verba libri hujus, ut facerent omne, quod scriptum est nobis. 14
Jerunt itaque Helcias sacerdos, & Ahicam, & Achobor, & Saphan, & Asaja, ad Holdam prophetidem, uxorem Sellum, filii Thecuæ, filii Araas custodis vestium, quæ habitabat in Jerusalem in Secunda: locutique sunt ad eam. 15 Et illa respondit eis: Hæc dicit Dominus Deus Israel: Dicite viro, qui misit vos ad me: 16
Hæc dicit Dominus: Ecce ego adducam mala super locum istum, & super habitatores ejus, omnia verba Legis, quæ legit rex Juda: 17 Quia dereliquerunt me, & sacrificaverunt diis alienis, irritantes me in cunctis operibus manuum suarum: & succendetur indignatio mea in loco hoc, & non extinguetur. 18 Regi autem Juda, qui misit vos, ut consuleretis Dominum, sic dicetis: Hæc dicit Dominus Deus Israel: Pro eo quod audisti verba voluminis, 19 Et perterritum est cor tuum, & humiliatus es coram Domino, auditis sermonibus contra locum istum, & habitatores ejus, quod videlicet fieret in stuporem, & in maledictum: & scidisti vestimenta tua, & flevisti coram me, & ego audivi, ait Dominus. 20 Idcirco colligam te ad patres tuos, & colligeris ad sepulchrum tuum in pace, ut non videant oculi tui omnia mala, quæ inducturus sum super locum istum.

℣. 2. FECIT QUOD PLACITUM EST CORAM DOMINO.] Josias ex iis Regibus est, quos Scriptura summis laudibus prosequitur. Ex 2. Paralip. 33. 3. ipsum anno regni sui octavo, cum nondum ut ita dicam ex ephebis excessisset, quandoquidem sexdecim natus erat annos, serio Dominum quærere occæpisse, neque ab eo ad finem usque recessisse. Ad mortem usque in virtutum exercitio perseveravit, neque ullius criminis nota illi potest obtrudi. Incœpit autem a Templorum, ac Altarium in Excelsis exstructorum subversione, simulacra, lucosque Idolorum subvertens, & imperium suum ab omni superstitione, ac idolorum cultu emundans. Neque zeli sui effectus in Tribu Juda se se continuere, verum ad tribus quoque Ephraim, Manasse, Simeon, & Nephtali se se diffuderunt: illuc enim profectus ubique quæcumque Idololatriæ vestigia delevit.

℣. 3. ANNO OCTAVO DECIMO REGIS JOSIÆ, MISIT REX SAPHAN.] Dominum quærere occœperat octavo regni sui anno; posthac vero cum populus intulisset suas oblationes in Templum, credidit Rex, jam collatam fuisse tantam auri vim, quæ satis esset, ut manus admoveretur Domini templo instaurando. Præcepit ergo *Saphan Scribæ Templi Domini*, & duobus sociis, qui in 2. Paralip. 34. 8. vocantur Maasias civitatis princeps, & Joha filius Joachaz, ut hanc pecuniam colligerent, eamque Operum conductoribus traderent, qui opifices eligere, exercere, illisque mercedem erogare debebant, prout opus illud postulabat. Hæc *Scribæ Templi* provincia hoc supposito, quod Ministri aliqui hoc nomine nuncuparentur, in hoc erat posita, ut Templi redituum, impensarumque calculos, ac rationes haberet: at fidei pronius est, *Saphan* fuisse simpliciter Regis Scribam; nam alibi nuspiam memoratur Templi Scriba, veluti peculiaris quidam Minister. *Saphan* hoc nomine isthic dumtaxat appellatur; licet sæpius Scriba, tum isthic, cum in Paralipomenis vocetur. Denique Hebraicus textus optime ita reddi potest [1]: *Josias misit Saphan scribam, ad Templum Domini*; pro *Saphan Scribam Templi Domini*. Chaldæus [2], Syriaca versio, & Arabica hoc in sensu id intellexerunt non secus, ac plures Interpretes [3]. Joas imperante, Regius Scriba præpositus fuit, ut gazophylacium aperiret 4. Regum 12. 10.

℣. 4. CONFLETUR PECUNIA, QUÆ ILLATA EST IN TEMPLUM.] Septuaginta [4]: *Signetur omne argentum*. Chaldæus [5]: *mundetur*, in fusoria fornacula ponatur argentum. Hebraice ad litteram: *Perficiatur hoc argentum*, confletur, & mundetur quoad mundari potest [6]. Eas parvulas massas, quæ a privatis collatæ fuerant, diversi ponderis, ac perfectionis, *Josias* jubet in unam conflari, ac per ignem probari, ut mox operum redemptoribus tribuatur, quod ℣. 9. adimpletur [7]. Alii hoc pacto intelligunt [8]: *Perficiatur argentum*, hoc est, necessaria argenti vis colligatur, quod adhuc solvendum est, exigatur, & si quod aliud oblatum est, venumdetur, ut ea fiat summa, quæ ad sarta tecta instauranda requiritur. Aliter: *Perficiatur argentum*, nihil ulterius colligatur, non aliud præterea postulatur, exigatur.

JANITORES TEMPLI.] Hebraice [9]: *Custodes liminis ostii*. Chaldæus [10]: *æditui*, sacristæ. Ex Paralipomenis liquet [11], principes custodum Templi curam gessisse thesauri, vasorum Templi, farinæ, vini, olei, thymiamatis, & aromatum; ideoque non erant simplices Janitores, quibus ea solum esset auctoritas, ut Templi januas custodirent, & alienigenas, ac pollutos ab ingressu Templi prohiberent.

℣. 5. DETUR FABRIS PER PRÆPOSITOS DOMUS DOMINI.] Hebraice [12]: *dentur in manu eorum, qui faciunt opus, & eorum, quorum est Templo prospicere, ut ab iis detur illis, qui in domo Domini operantur*. Detur hæc pecunia artificibus, Redemptoribus [13], & operum Inspectoribus, ut hanc illi aliis fabris distribuant, qui illis subditi operantur.

℣. 7. NON SUPPUTETUR EIS ARGENTUM.] Josias id ipsum facit, quod antea fecerat Joas [14] unus prædecessorum illius, ad sartatecta Templi instauranda. Vult autem, ut probatissimæ fidei eligantur homines, qui eam in sumptibus pecuniam impendant, quæ illis commissa fuerit. Reges hi plane opus perfectius, firmiusque futurum crediderunt, si operum præpositis integrum fuisset, non sumptui parcere, nec vereri futurum, ut sibi dies diceretur propter immodicum argenti usum, quod ipsis commissum fuisset.

1 שלח המלך את שפן . . . . בית יהוה 2 Chald. לבית מקדשא דיי למימר
3 Pagn. Mont. Jun. & Tremel. Varab. Cler. &c. 4 ויתם את הכסף 70. σφράγισον τὸ ἀργύριον τὸ εἰσενεχθὲν οἴκῳ κυρίου. Legerunt חתם 5 ויסכים ית כספא 6 Ita Var. Malv. Pagn. alii.
7 ותיכו עבדיך את הכסף 8 Jun. Pisc. 9 שמרי הסף 70. φυλάσσοντες τὸν σταθμὸν τοῦ οἴκου.
10 אמרכליא 11 1. Par. 9. 26. *His quatuor Levitis creditus erat omnis numerus Janitorum, & erant super exedras, & thesauros domus Domini*. Vide & ℣. 28. & 29. 12 ויתנה על יד עשי המלאכה המפקדים בבית וגו
13 Ita Grot. Var. 14 4. Reg. 12. 15.

℣. 8. LIBRUM LEGIS REPERI IN DOMO DOMINI.] Hic Liber Legis, uti eruditis quibusdam viris placet [1], erat Moysis authographum; & 2. Paralipomenon 35. 3. Textus omnem videtur adimere dubitandi locum, qui hac in re reliquus esse posset: *Cumque efferrent pecuniam, quæ illata fuerat in Templum Domini, reperit Helcias Sacerdos Librum Legis Domini per manum Moysi*. Hæc erant Deuteronomii capita 28. 29. 30. & 31. qui continent acta fœderis inter Dominum, & populum instaurati. Moyses cum primi fœderis in Horeb percussi mediator fuisset, illud in planitie Moab instaurare voluit, paullo antequam diem suum obiret; & solemnitatis hujus acta conscripsit, atque ad latus Arcæ collocari jussit [2]. Minæ, quæ adeo perterruerunt Josiam, videri possunt in tribus Deuteronomii capitibus, quæ memoravimus.

In fœderibus, atque emptionibus duo plerumque contractus exemplaria fiebant, quorum alterum in arcula, vel alio tuto loco condebatur, alterum vero resignatum in contrahentium manu permanebat. Alterum fœderis Domini cum Israel exemplar in Arca positum fuit, alterum vero ad latus Arcæ. Vide Jeremiam 32. ℣. 12. 13. 14. & Dissertationem nostram de Veteribus Libris. Liber hic, qui amissus fuerat, vel forte de industria cum Arca abditus ab aliquo Sacerdote, dum Reges impii regnarent, veluti Achaz, & Manasses initio regni sui, demum Josia pio Rege imperium obtinente, felici eventu repertus est, cum in Templi thesauris quæreretur, ac educererut argentum, quod ibi ad sartarecta Templi depositum fuerat. Ex Paralipom. 35. 3. videtur Arca Domini tunc in consueta sede minime fuisse; sed Josias eam ibi aliquandiu post restituendam curavit.

Authographi hujus venerabilis adeo, & vetusti adspectus Regis, & Optimatum reverentiam, ac venerationem excivit, eorumque attentionem ad minas, quæ ibi legerunt, advertit; cum divinitus factum fuisset, Rabbini [3] inquiunt, ut ob oculos eorum versaretur caput vigesimum octavum Deuteronomii; quod usquequaque invectivis scatet, ac sævissimis minis in eos qui a Lege prævaricarentur.

Non desunt [4], qui tradant Achaz, Manasse, & Amon non solum Legem Domini violasse, Idolorum cultui semet addixisse, ac in illum populos quoque impulisse, verum etiam nefarium, impiissimumque bellum divinis Scripturis indixisse, & quotquot exemplaria invenire potuerunt, igni combussisse; ita ut celanda essent, ut ab ipsorum furore servarentur, & hoc ipsum, de quo hic sermo, inventum fuisse abditum in Templi pariete, ubi tandem, Josia imperante, detectum est. S. Chrysostomus hom. 9. in c. 2. Matth. fatetur plures Scripturæ libros Judæorum incuria, ac impietate intercidisse. Alios enim pessum ire passi sunt, alios lacerarunt, cremaruntque, quod adeo verum est, inquit ille, ut Josiæ tempore vix unum Deuteronomii exemplar humo suffossum, & quasi deletum potuerit inveniri; & in 1. Corint. 11. hom. 7. dicit hunc librum sub sordium cumulo fuisse inventum. Tostatus putat, repertum fuisse in arcula, ubi pecunia fuerat recondita: at Scriptura palam ait, inventum fuisse in domo Dei, ubi oblationum argentum fuerat depositum; quod profecto neque de Sanctuario, neque de Sancto est intelligendum, sed potius de conclavibus, quæ ex utraque Templi parte, utrique erant contigua, ubi, quidquid in domo Dei pretiosissimum erat, asservabatur.

Cæterum ægre impellar ut credam, Legales Moysis libros ita Josiæ tempore intercidisse, & regni ipsius anno decimo octavo, ut nullum, neque apud Sacerdotes, neque apud Prophetas, neque in Templo exemplar exsisteret. Liquet, Josaphat [5], Ezechia, & Joas imperantibus, pleraque passim inventa fuisse; Scriptura vero nullibi dicit, Reges impios, qui regnarunt in Juda, sacros libros ad comburendum quæsivisse. Num probabile est Josiam tot præclara ad Domini cultum edicta fecisse, Idololatriam, & superstitionem eliminasse, Religionem in pristinum splendorem revocasse, quin Legis libros videret? Si hæc vera sunt, quomodo Pentateuchus ad nos pervenit, quandoquidem Deuteronomium dumtaxat repertum fuisse perhibetur? Num usquequaque generatim grassata impietas est, ut libri Sancti nec apud Sacerdotes quidem, Prophetas, homineisque pios, qui coram Baal numquam genua flexerunt, invenirentur? Esto quidem, infrequentes erant Libri Sancti, Josias tamen, & Sacerdotes, quorum sequebatur consilia, eos ignorare non poterant. Adspectus igitur authographi Moysis hunc terrorem incussit, atque Principis, subditorumque attentionem excitavit: quemadmodum si hodie Sancti Matthæi, vel S. Johannis reperiretur authographum, longe aliter afficeremur, ac eorumdem librorum, quos quotidie præ manibus habemus, lectione afficiamur. Vide nostram Dissertationem in eam quæstionem, num Esdras author sit, an restaurator Sanctarum Scripturarum.

℣. 14. JERUNT . . . . . AD HOLDAM PROPHETIDEM.] Hæc Prophetissa ex hac tantum circumstantia cognoscitur; quæ illi proculdubio amplissima est, & ornatissima. Mirum videtur, quod minime consuluerint Jeremiam, qui in Juda ab Josiæ anno decimo tertio prophetare incœperat; at ea plane causa fuit, quod ille in Anathot patria sua morabatur. Sophonias, Josia regnante, vaticinabatur, at nonnisi sub regni hujus exitum prophetias suas edidisse videtur.

QUÆ HABITAT IN SECUNDA [6].] Quid sibi vult hæc *secunda*? Dicitur vulgo [7] hæc fuisse secundum civitatis septum ab Ezechia extructum [8]. At mihi persuasum est, a Manasse hanc civitatis partem clausam fuisse [9]. Judæi [10] ibi scholam fuisse putant, ubi Lex docebatur. Hunc locum prope Templum fuisse, ajunt, & Sapientes viros illuc convenisse, ut simul de iis, quæ ad Legem interpretationem spectabant, dissererent. Verum quemadmodum nonnulli [11] contendunt tunc Legis Libros penitus ignotos fuisse; asserunt etiam, hoc in gymnasio profanis studiis operam fuisse navatam. Verum hæc omnia gratis afferuntur. Sophonias palam de hac secunda loquitur, veluti loco quodam in Jerusalem: *Vox clamoris a porta piscium, & ululatus a secunda, & contritio magna a collibus*. Vide S. Hieronymum in hunc Prophetam [12].

℣. 20. COLLIGERIS AD SEPULCHRUM TUUM IN PACE.] Nemo nescit, Josiam cecidisse in bello, quod perperam lacessiverat Ægyptium Regem [13], qui illi nequaquam arma infesta inferebat, & cui nulla cum ipso res erat; hoc non obfuit tamen, quo minus Josias *colligeretur ad sepulchrum suum in pace*; namque in Jerusalem translatus est, ibique rite justa illi persoluta fuere. Scriptura rem isthic notatu dignam refert, Deum scilicet eduxisse illum de tertia in pace, *ne non videant oculi tui omnia mala, quæ inducturus sum super locum istum*. Fato functus est, dum regio adhuc tranquilla pace, & prosperitate frueretur, atque ante ea mala, quæ, post illius decessum, in Jerusalem, ditionemque ejus detonuere.

1 Grot. Jun. Pisc. & Joseph. Antiqu. l. 10. c. 5. 2 Deuter. 31. 26. *Tollite librum istum, & ponite eum in latere Arcæ fœderis Domini Dei vestri, ut sit ibi contra te in testimonium.* 3 Ita Hebr. Grot. Munst. 4 Ita Sanct. Cornel. Vat. Munst. Tir. Menoch. Lyran. Rab. Salomon. 5 2. Par. 17. 9. *Docebant populum in Juda, habentes Librum Legis Domini.* 6 במשנה 7 Sanct. Tirin. Grot. Castal. Strig. &c. 8 Vide 2. Par. 32. 5. 9 2. Par. 33. 14. 10 Jonath. Rab. in Munst. Pagn. Grot. Vatab. 11 Vide Vatab. 12 Hieron. in Sophon. 1. 10. *Quod autem ait ululatus a secunda, secundi muri in eodem climate portam significat.* 13 4. Reg. 23. 29.

CAPUT XXIII.

Josias in universi populi cœtu fœdus cum Domino instaurat, Idololatriæ reliquias evertit, & Pascha celebrandum indicit. Josias in prælio, quod ipse Pharaoni Nechoo Ægyptio Regi intulerat, occiditur. Joachaz illi succedit. Eliacim vero succedit Joachaz.

1. ET renuntiaverunt regi, quod dixerat. Qui misit: & congregati sunt ad
eum omnes senes Juda, & Jerusalem. 2 Ascenditque rex templum Domi-
ni, & omnes viri Juda; universique, qui habitabant in Jerusalem cum eo, sa-
cerdotes, & prophetæ, & omnis populus, a parvo, usque ad magnum: legitque
cunctis audientibus omnia verba libri fœderis, qui inventus est in domo Domini.
3 Sretitque rex super gradum: & fœdus percussit coram Domino, ut ambularent post
Dominum, & custodirent præcepta ejus, & testimonia, & cæremonias, in omni cor-
de, & in tota anima, & suscitarent verba fœderis hujus, quæ scripta erant in libro
illo: acquievitque populus pacto. 4 Et præcepit rex Helciæ pontifici, & sacerdoti-
bus secundi ordinis, & janitoribus, ut proiicerent de templo Domini omnia vasa,
quæ facta fuerant Baal, & in luco, & universæ militiæ cœli: & combussit ea foris
Jerusalem in convalle Cedron, & tulit pulverem eorum in Bethel. 5 Et delevit arus-
pices, quos posuerant reges Juda ad sacrificandum in excelsis per civitates Juda, &
in circuitu Jerusalem: & eos, qui adolebant incensum Baal, & Soli, & Lunæ, & duo-
decim signis, & omni militiæ cœli. 6 Et efferri fecit lucum de domo Domini foras
Jerusalem in convalle Cedron, & combussit eum ibi, & redegit in pulverem, & pro-
jecit super sepulchra vulgi. 7 Destruxit quoque ædiculas effæminatorum, quæ erant
in domo Domini, pro quibus mulieres texebant quasi domunculas luci. 8 Congre-
gavitque omnes sacerdotes de civitatibus Juda: & contaminavit excelsa, ubi sacrifi-
cabant sacerdotes, de Gabaa usque Bersabee: & destruxit aras portarum in introitu
ostii Josue principis civitatis, quod erat ad sinistram portæ civitatis. 9 Verumtamen
non ascendebant sacerdotes excelsorum ad altare Domini in Jerusalem; sed tantum co-
medebant azyma in medio fratrum suorum. 10 Contaminavit quoque Topheth,
quod est in convalle filii Ennom: ut nemo consecraret filium suum, aut filiam per
ignem, Moloch. 11 Abstulit quoque equos, quos dederant reges Juda Soli, in in-
troitu templi Domini juxta exedram Nathanmelech eunuchi, qui erat in Pharurim:
currus autem Solis combussit igni. 12 Altaria quoque, quæ erant super tecta cœna-
culi Achaz, quæ fecerant reges Juda, & altaria, quæ fecerat Manasses in duobus a-
triis templi Domini, destruxit rex: & cucurrit inde, & dispersit cinerem eorum in
torrentem Cedron. 13 Excelsa quoque, quæ erant in Jerusalem, ad dexteram par-
tem montis offensionis, quæ ædificaverat Salomon rex Israel Astaroth idolo Sidonio-
rum, & Chamos offensioni Moab, & Melchom abominationi filiorum Ammon, polluit
rex. 14 Et contrivit statuas, & succidit lucos, replevitque loca eorum ossibus mor-
tuorum. 15 Insuper & altare, quod erat in Bethel, & excelsum, quod fecerat Jero-
boam filius Nabath, qui peccare fecit Israel: & altare illud, & excelsum destruxit,
atque combussit, & comminuit in pulverem, succenditque etiam lucum. 16 Et con-
versus Josias, vidit ibi sepulchra, quæ erant in monte; misitque, & tulit ossa de se-
pulchris, & combussit ea super altare, & polluit illud juxta verbum Domini, quod lo-
cutus est vir Dei, qui prædixerat verba hæc. 17 Et ait: Quis est titulus ille, quem
video? Responderuntque ei cives urbis illius: Sepulchrum est hominis Dei, qui venit
de Juda, & prædixit verba hæc, quæ fecisti super altare Bethel. 18 Et ait: Dimittite
eum, nemo commoveat ossa ejus. Et intacta manserunt ossa illius cum ossibus prophe-
tæ, qui venerat de Samaria. 19 Insuper & omnia fana excelsorum, quæ erant in ci-
vitatibus Samariæ, quæ fecerant reges Israel ad irritandum Dominum, abstulit Josias:
& fecit eis, secundum omnia opera, quæ fecerat in Bethel. 20 Et occidit universos
sacerdotes excelsorum, qui erant ibi super altaria, & combussit ossa humana super ea:
reversusque est Jerusalem. 21 Et præcepit omni populo, dicens: Facite Phase Domi-
no Deo vestro, secundum quod scriptum est in libro fœderis hujus. 22 Nec enim fa-
ctum

ctum est Phase tale a diebus judicum, qui judicaverunt Israel, & omnium dierum re-
gum Israel, & Regum Juda, 23 Sicut in octavo decimo anno Regis Josiæ factum est
Phase istud Domino, in Jerusalem. 24 Sed & Pythones, & Ariolos, & figuras Idolo-
rum, & immunditias, & abominationes, quæ fuerant in terra Juda & Jerusalem, abstu-
lit Josias: ut statueret verba legis, quæ scripta sunt in Libro, quem invenit Helcias Sa-
cerdos in Templo Domini. 25 Similis illi non fuit ante eum Rex, qui reverteretur
ad Dominum in omni corde suo, & in tota anima sua, & in universa virtute sua, jux-
ta omnem legem Moysi: neque post eum surrexit similis illi. 26 Verumtamen non
est aversus Dominus ab ira furoris sui magni, quo iratus est furor ejus contra Ju-
dam: propter irritationes, quibus provocaverat eum Manasses. 27 Dixit itaque Do-
minus: Etiam Judam auferam a facie mea, sicut abstuli Israel: & projiciam civita-
tem hanc, quam elegi, Jerusalem, & domum, de qua dixi: Erit nomen meum ibi.
28 Reliqua autem sermonum Josiæ, & universa, quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in
libro verborum dierum regum Juda? 29 In diebus ejus ascendit Pharao Nechao rex
Ægypti contra regem Assyriorum ad flumen Euphratem: & abiit Josias rex in occur-
sum ejus: & occisus est in Mageddo, cum vidisset eum. 30 Et portaverunt eum
servi sui mortuum de Mageddo: & pertulerunt in Jerusalem, & sepelierunt eum in
sepulchro suo. Tulitque populus terræ Joachaz filium Josiæ: & unxerunt eum, & con-
stituerunt eum regem pro patre suo. 31 Viginti trium annorum erat Joachaz, cum
regnare cœpisset, & tribus mensibus regnavit in Jerusalem: nomen matris ejus Ami-
tal, filia Jeremiæ, de Lobna. 32 Et fecit malum coram Domino, juxta omnia, quæ
fecerant patres ejus. 33 Vinxitque eum Pharao Nechao in Rebla, quæ est in terra
Emath, ne regnaret in Jerusalem: & imposuit mulctam terræ, centum talentis argen-
ti, & talento auri. 34 Regemque constituit Pharao Nechao Eliacim filium Josiæ pro
Josia patre ejus: vertitque nomen ejus Joakim. Porro Joachaz tulit, & duxit in Æ-
gyptum, & mortuus est ibi. 35 Argentum autem, & aurum dedit Joakim Pharaoni,
cum indixisset terræ per singulos, ut conferretur juxta præceptum Pharaonis: &
unumquemque juxta vires suas exegit, tam argentum, quam aurum de populo ter-
ræ, ut daret Pharaoni Nechao. 36 Viginti quinque annorum erat Joakim cum re-
gnare cœpisset: & undecim annis regnavit in Jerusalem: nomen matris ejus Zebida
filia Phadaja de Ruma. 37 Et fecit malum coram Domino, juxta omnia, quæ fece-
rant patres ejus.

℣. 2. SACERDOTES, ET PROPHETÆ.] Tunc in Juda plurimi erant prophetæ, veluti Jeremias, Baruch, Sophonias, Urias, & prophetissa Holda. Jonathan isthic pro prophetis intelligit *Scribas*, vel Legisperitos. Alii, discipulos prophetarum. At cur non intelligendum est ad litteram? Hi prophetæ missi in Jerusalem fuerant cum reliquo populo ad fœdus cum Domino instaurandum.

LEGIT CUNCTIS AUDIENTIBUS.] Ipse legit, ut zelum suum pro Domini cultu significaret: voluitque in hac solemni fœderis inter Deum, ac populum instauratione Mediatoris munere fungi, quemadmodum olim fecerat Moyses in deserto, Josue in terra promissa [1], & post hunc Samuel [2], Jojada [3], & Ezechias [4].

℣. 3. STETIT SUPER GRADUM.] Super tribunal illud, quod Reges Juda habebant in Templo, & cujus descriptio in Paralipomenis extat [5]. Hoc erat æneum, ejusque altitudo trium cubitorum erat, vel quinque pedum, & unciæ; latitudo vero, & longitudo, utraque cubitorum quinque.

ET SUSCITARENT VERBA FOEDERIS HUJUS.] Ad litteram [6]: *ut servarent*, confirmarent, vel *instaurarent* verba fœderis hujus, in usum revocarent Leges, quas jam obruerat, ac deleverat oblivio, ut eas A exequerentur, & adimplerent. Vide ℣. 24. Fœdus ea parte Regis, & populi in hoc erat positum, ut se accuratissime Legem observaturos, omnemque alienum cultum, ac Religionem relicturos pollicerentur; quod Josias summa præstitit fide. Populus eum imitatus est; verum non tanto affectu, & diligentia.

℣. 4. PRÆCEPIT REX HELCIÆ PONTIFICI, ET SACERDOTIBUS SECUNDI ORDINIS.] Dicere potuisset simpliciter: *Summo Sacerdoti, aliisque Sacerdotibus*; namque in Templo non plures aderant Sacerdotum ordines. Jonathan, & aliqui Interpretes [7] intelligunt de iis Sacerdotibus, qui Sacerdotis Summi supplebant officio, cum ille per se munere suo fungi non posset.

B VASA, QUÆ FACTA FUERANT BAAL, ET IN LUCO, & UNIVERSÆ MILITIÆ COELI.] Vel potius, quæ facta fuerant *Baal*, vel Soli, *Aseræ*, vel Astarti, & *universæ militiæ cœli*, hoc est, omnibus astris. Idolum Luci erat, uti ostendimus, idem ac *Astaret*. Hebraica vox *Asera* æque significat lucum, & Idolum, quod ibi colebatur.

COMBUSSIT EA . . . IN CONVALLE CEDRON, & TULIT PULVEREM EORUM IN BETHEL.] Convallis Cedron ad Orientem, & Meridiem Jerusalem protende-

1 Josue 24. 25. 2 1. Reg. 7. 3. 4. 3 4. Reg. 11. 17. 4 2. Par. 29. 10.
5 2. Par. 6. 12. 13. Vide & 4. Reg. 11. & 2. Par. 34. 31.
6 להקים את דברי הברית הזאת 70. τοῦ ἀναστῆσαι τοὺς λόγους, &c.
7 Grot.

tendebatur; ibi erat Sophet, & sepulchra pauperum, alienigenarum, & eorum, qui sepulchra privata seorsim non habebant; ea vero inferius *sepulchra vulgi* appellantur. Asserunt autem hac eadem in valle Deum Moloc coli consuevisse, ibique ali ignem in honorem illius, ut super flammas pueri, hominesque sacrificarentur. Hic igitur locus pluribus de causis pollutus erat, ibique passim projiciebantur sordes, ac res impuræ, quæ de Templo, vel civitate auferebantur. Rex Asa ibi cremavit Idola, quæ Maacha mater sua adoraverat [1]; & Ezechias illuc conjici a Sacerdotibus jussit sordes omnes, & quidquid immundum erat in Templo [2], & altaria, super quæ Diis thus adoleverant [3]. Duorum Regum illorum pietatem Josias est imitatus; at zelus ipsius longe perfectior fuit: collegit enim cineres eorum, quæ in convalle Cedron combusta fuerant, eosque in Bethel transferri jussit, ut locus ille pollueretur, & eo transferretur quodammodo impuritas Cedron, & Tophet, & una horror, & abominatio, qua locum immundum adeo, ac perosum omnes prosequebantur.

℣. 5. DELEVIT ARUSPICES.] Hebraice [4]: *cessare fecit Camarim*, vel, si mavis, *pullatos*, vel clamatores. Grotius hoc profectum fuisse putat *Camillorum* nomen, qui Deorum erant ministri [5]. Rabbini per jocum Religiosos viros, ac virgines Christianorum appellant *Camarim*, propter nigrum vestium colorem. Oseas [6], & Sophonias [7] loquuntur de his ministris aureorum vitulorum, ac Dei Baal, quibus plane hoc nomen inditum fuit ab atris vestibus, quas nonnumquam gestabant, vel a clamoribus, quos in suorum sacrificiorum cæremoniis emittebant, quod videre est in illo, quod coram Elia super Carmelo monte offerre volebant 3. Reg. 18. 26. 27. Inter ministros, vel Sacerdotes Isidis adnotantur *Melanephori* [8], aut pullati, seu vestibus nigris induti, qui hunc præcipue colorem tunc gerebant, cum Luna lumine cassa in luctu esse videtur, & Solis adspectum, juxta Plutarchi ideam in l. de Iside, concupiscere. Apulejus lib. 10. *Milet*, describens Isidis simulacrum, hæc ait: *Quæ longe, lateque meum conspicabat obtutum palla nigerrima, splendescens atro nitore*.

QUI ADOLEBANT INCENSUM BAAL, & SOLI, & LUNÆ, & DUODECIM SIGNIS.] Hebraice [9]: *Qui adolebant incensum Baal Soli*, vel Baal-Schemesch, *Lunæ, & Mazeloth*. Hæ authographi voces *Baal-Schemesch*, æque intelligi possunt de *Baal Sole*, veluti uno tantum numine [10], vel de *Baal, & Sole*, seorsim velut duobus numinibus sumptis [11]; & hac in re in diversa abeunt Interpretes. Quoad *Mazeloth*, vera significatio ignoratur. Alii vertunt *influxus*; alii *astra*; alii *planetas*; alii *Jovem*; *Venerem* alii. Sanctus Hieronymus [12] credit hæc esse duodecim signa Zodiaci, & Theodoretus *Luciferum*, seu stellam matutinam. Job loquitur de *Mazereth*, quod idem est plane, ac *Mazeloth*, veluti de quibusdam stellis [13]: *Numquid facis consurgere Mazereth*; & alibi [14] de *Mazerim* disserit, perinde quasi nobis frigus immitteret. Septuaginta authographi vocem servarunt; quæ ipsorum est consuetudo, cum alia plurima difficilia nomina subinde occurrunt.

℣. 6. EFFERRI FECIT LUCUM.] Imperavit, ut ex luco efferretur Dea *Astartes*, vel *Asera*, vel *Astaroth*, Dea nemorum.

A SUPER SEPULCHRA VULGI.] Plebis, pauperum, qui sepulchrum emere non poterant, tumulabantur in Tophet, in convalle Cedron. Jeremias 19. 11. minatur populo Jerusalem, futurum ut deleantur, sicuti conteritur vas figuli, ac *sepeliantur in Tophet, eo quod non sit alius locus ad sepeliendum*. In 2. Paralipomenon 34. 4. dicitur, Josias imperasse, ut Idolorum fragmenta projicerentur super adoratorum suorum sepulchra.

℣. 7. DESTRUXIT ÆDICULAS EFFEMINATORUM.] Hebraice [15]: *evertit domos consecratorum*: hoc nomine nonnumquam appellantur prostitutorum flagitiosissimi, quod Ethnici Numinis honori consecrati vocabantur, quod æque fœdum erat, ac ipsorum flagitium. Hæ ædiculæ erant in atrio Templi, neque pudebat in loco adeo sacro teterrima scelera patrare. B De obscænis, impiisque hisce consecrationibus non semel loquitur [16] Scriptura.

PRO QUIBUS MULIERES TEXEBANT QUASI DOMUNCULAS LUCI.] Tentoria scilicet, quæ obtegebant obscænas turpitudines, quæ patrabantur in lucis dicatis Astarti, vel potius quæ committebantur in Numinis hujus honorem, quod in Templum fuerat illatum, licet ibi nullum nemus consitum esset [17]. Hæ igitur mulieres texebant tabernacula, quo secedebant, quodlibet fœdissimum obscænitatis flagitium liberrime patraturæ; quæ tabernacula alibi [18] *Socoth-Benoth*, hoc est puellarum tentoria vocantur. Ego vero ex Hebraico ita totum ℣. 7. reddere mallem, *Josias evertit domos prostitutorum, quæ erant in templo; evertit*, C inquam, has domos, *quas mulieres, quæ erant in Templo, texebant in honorem Aseræ*. Ædes hæ nequaquam erant marmoreæ, vel ligneæ, sed simplicia tentoria dumtaxat. Syriaca, & Arabica versiones credunt, mulieres has elaborasse vestes pro Idolis, quæ colebantur in lucis.

℣. 8. CONTAMINAVIT EXCELSA, UBI SACRIFICABANT SACERDOTES.] Sacerdotes ex semine Aaron videntes Templum desertum, & derelictum, neque habentes, unde victum sibi compararent, eo quod nec decimæ, neque oblationes, neque sacrificia fiebant in excelsis, Domino oblationes suas, & populi hostias obtulere (quandoquidem non liquet, ipsos ullum Idolis præstitisse cultum), & præsentia sua, ac ministerio illum probavere cultum, quem Deus palam D prohibuerat, præcipiens, ne extra Templum sacris operarentur [19]. Josias igitur edixit excelsa omnia polluta esse, immo re ipsa ea polluit, illuc immunda quælibet projiciens, veluti mortuorum ossa, vel eadem evertens.

DE GABAA USQUE BERSABEE.] In omni ditione sua; a Gabaa, quæ tunc magis erat borealis præ aliis civitatibus Juda, usque Bersabee, quæ maxime erat australis, & Ægypto proxima. Ex Amos 5. 5. & 8. 14 liquet, Bersabee celeberrimum fuisse locum, quo Israelitæ ex decem tribubus peregre profecti consuebant. Hic propheta vaticinatur subversionem excelsorum Isaac, quæ eadem plane sunt, ac excelsa Bersabee, ubi Isaac olim aram extruxerat Gen. 26. 23.

DESTRUXIT ARAS PORTARUM IN INTROITU OSTII E JOSUE PRINCIPIS CIVITATIS &c.] Josue habebat domum suam, atque introitum suum ad lævam portæ civitatis, ac prope introitum domus Josue aderant altaria communia, & publica, vero Deo fortasse dicata;

---

1 3. Reg. 15. 13. & 2. Par. 15. 16. 2 2. Par. 29. 16. 3 Ibid. 30. 14.
4 והשבית את הכמרים 5 Servius in Virgil. Æneid. 11. Varro l. 6. de Lingua Lat. &c.
6 Osee 10. 5. *Æditui ejus*. 7 Soph. 1. 4. *Disperdam de loco hoc reliquias Baal, & nomina æditorum*.
8 μελανηφόροι. Vide Inscript. Græc. Gruter. 9 המקטרים לבעל לשמש ולירח ולמזלות
10 Ita Syr. Jun. Munst. Mont. Gros. 11 Ita 70. Jonat. Arab. 12 Hieron. hic, & de veste Sacerdot. & de nomin. Hebr. 13 Job 38. 32. 14 Job 37. 9. ממזרים קרה *ab arcturo frigus*.
15 ויתץ את בתי הקדשים אשר בבית יהוה אשר הנשים ארגות שם בתים לאשרה
16 Deuteronom. 23. 18. & 3. Reg. 15. 12. 13. & 2. Machab. 6. 4.
17 Supra ℣. 6. *Efferri fecit lucum*. 18 4. Reg. 17. 30. *Viri Babylonii fecerunt Socoth-benoth*. Vide, si lubet, Baruc. 6. 42. 43. 19 Deut. 12. 11. *In loco, quem elegerit Dominus ... illuc omnia, quæ præcipio, offeretis holocausta, ac hostias, & decimas, &c.*

A gâta ; ne hæc altarium multitudo civitatem omnem, ac regionem superstitionibus replebat ; ac veri Dei cultum evertebat. Ex Isaia colligere est [1], non solum ad civitatum portas, verum etiam post privatorum januas altaria, atque profana simulachra fuisse. Dea Trivia, veluti januarum custos adorabatur ; quamobrem eam manu claves tenentem exhibebant. Trivia est eadem ac Diana, & Luna, Dea, quæ apud Hebræos magno in honore habebatur.

℣. 9. NON ASCENDERANT SACERDOTES EXCELSORUM AD ALTARE DOMINI IN JERUSALEM, SED TANTUM COMEDERANT AZYMA IN MEDIO FRATRUM SUORUM.] His Sacerdotibus, qui sacrificia in excelsis obtulerant, nequaquam Sacerdotium ademptum est ; atque ut omnis tolleretur causa, ne in eumdem errorem relaberentur, ipsis victus, Templi sumptibus,
B præbebatur juxta Legem [2], qua cautum est, ne qui naturali cuipiam defectui obnoxii sunt, offerant panes propositionis, vel thymiama in aureo altari, neque victimas super altare holocaustomatum ; sed ipsis e Templi redditibus ad victum erogari pecuniam jubet, illisque permittit, ut *vescantur panibus, qui offeruntur in Sanctuario*, videlicet, panibus propositionis, atque potiori jure, quolibet alio oblationum genere, quarum non adeo singularis puritas est, veluti decimis, primitiis, aliisque farinæ, panis, & grani oblationibus. Hæc autem de Sacerdotibus, ac Levitis, qui a fide aberraverint, præcipit Deus per Ezechielem 44. 10. *Sed & Levitæ, qui longe recesserunt a me in errore filiorum Israel, & erraverunt a me post idola sua . . . . erunt in Sanctuario meo æditui, & ja-*
C *nitores portarum domus, & ministri domus ; ipsi mactabunt holocausta* &c. verumtamen ad altare non accedent, ut eadem offerant. Eodem quoque consilio in Ecclesia Christiana de gradu moventur Sacerdotes, qui in magna quædam flagitia fuerint prolapsi, iisque humiliora imponuntur munia, ut scelerum suorum pudore suffundantur.

℣. 10. CONTAMINAVIT QUOQUE TOPHET, QUOD EST IN CONCLAVE FILII ENNON.] In hoc loco Tophet, sacrificia fiebant, vel lustrationes per ignem in honorem Moloch, de quibus alibi locuti sumus [3]. Nomen *Tophet* [4] fluere potest ex Hebraico *Toph*, quod tympanum significat ; atque huic loco inditum fuisse Judæi putant, propter strepitum, qui cum
D tympanis fiebat, ne audirentur gemitus puerorum, qui inter Dei Moloch ulnas adurebantur. Sanctus Hieronymus in Jerem. 7. 31. interpretatur *Tapheth latitudinem* ; ait locum hunc speciosum fuisse, amœnumque, fontibus irrigatum, & hortis ornatum. *Convallis filiorum Ennon* occupabat partem vallis Josaphat, vel vallis, in quam torrens Cedron confluebat. Hic locus Hebraice vocabatur [5] *Geh-hinnom*, vel *Geh-ben-hinnom* vallis filiorum Ennon, unde extitit nomen *Gehenna*, quod in pluribus Scripturæ locis pro Inferno usurpatur [6].

℣. 11. ABSTULIT QUOQUE EQUOS, QUOS DEDERANT REGES JUDA SOLI.] Rabbini [7] volunt hos equos, & currus, de quibus inferius est sermo, destinatos fuisse, ut ante Solem irent, cum ille oriretur. Rex ipse, vel quidam ex Regiis Præfectis eos
E conscendebant, ibantque ante illum ab Orientali porta Templi ad domum usque Nathan-Melech, qui vicis Jerusalem erat præpositus, non secus ac viri de *Hanlam* equo ferebantur ante sydus ipsum, auctore Beniamino. Verum cum hæc omnia haud ex certo fonte dimanent, illis fidem adhibere non possumus. Certum est in omni Oriente Solem coli consuevisse, & equos huic astro sacros fuisse constat, plane propter eorum agilitatem, atque pernicitatem. Persæ alebant, & sacrificabant equos Soli. Ovidius lib. 1. Fastorum :

Placat equo Persis radiis Hyperiona cinctum,
Ne detur celeri victima tarda Deo.

Xenophon Cyroped. l. 8. loquitur de equorum sacrificio, quod orienti Soli offerebatur : prodiere primum, ait, quatuor insignes tauri, quibus Jovi, aliisque Diis erat litandum ; mox equi subsecuti pro Solis sacrificio, deinde candidus currus, & coronatos cum aurato jugo, Jovi sacer, demum currus alter candidus, coronatusque Soli dicatus. Hæc omnia ad statum locum deducta fuere, ibique tauri simul integri in Jovis honorem igne absumpti fuerunt, & equi simul omnes in honorem Solis. Massagetæ, auctore Herodoto l. 1. c. 205. nullum præter Solem Deum venerabantur, neque illi alias victimas præter equos offerebant, ut omnium Deorum pernicissimo, omnium victimarum celerrimam immolarent. Hi igitur fortasse erant equi destinati, ut Soli sacrificarentur, quos Josias abstulit de loco, ubi alebantur.

Alii contendunt hos pictos fuisse equos, vel anaglypticas equorum, & curruum imagines, quas Reges Juda Soli dicaverant ; vel equos in Solis honorem libertate donatos ; quos neque ascendere, neque jugo, vel currui subjicere fas erat. Apud Historicos plura suppetunt horum animantium Diis oblatorum exempla. Julius Cæsar, Rubicone traducto, equos aliquot reliquit, ac libertate donavit [8]. *Proprium Germaniæ genus*, Tacitus inquit de Morib. German. *equorum quoque præsagia, ac monitus experiri. Publice aluntur iisdem nemoribus, ac lucis, candidi, & nullo mortali opere contacti, quos pressos sacro curru, Sacerdos, aut Rex, aut Princeps civitatis comitantur, hinnitusque, ac fremitus observant.* Persæ quoque equos Soli sacros habebant ; quorum unum, tigris instar, maculosum in insula quadam Erithræi maris Plautinus [9] surripuit. At ii, de quibus hic sermo, plane destinati erant ad Solis currus vehendos, de quibus inferius paullo.

IN INTROITU TEMPLI DOMINI JUXTA EXHEDRAM NATHAN-MELECH EUNUCHI, QUI ERAT IN PHARURIM.] Scriptura isthic innuere vult locum, ubi equi consecrati fuerunt, atque alti. Hebraicus textus [10] ait, ipsos fuisse *ab introitu Templi Domini ad ædes Nathan-melech Eunuchi, qui erat in Pharurim* ; vel *in vico*, ut ait Chaldæus. Hoc est, locus, ubi equi alebantur, patebat ab introitu Templi ad hujus Eunuchi domum, qui in *Pharurim* habitabat. De hoc loco *Pharurim*, vel forte *Parbarim* nihil nisi conjectando licet afferre. In Paralipomenis [11] occurrit locus, cui nomen *Parbar* ad Templi occidentem ; reor autem *Pharurim* idem esse ac *Phrurian* Græce, quod stationem, vel locum, ubi Templi custodes ponebantur, significat. Vide 1. Par. 26. 18.

CURRUS AUTEM SOLIS COMBUSSIT IGNI.] Currus, non secus ac equi dicabantur Soli. Rhodii, inquit Festus, *quotannis quadrigas Soli consecratas in mare jaciunt, quod is tali curriculo fertur circumvehi mundum.* Heliodorus Æthiop. 10. quoque loquitur de curribus Soli dicatis, quos etiam intuiti sumus supra in Xenophontis descriptione de Persarum sacrificiis. Quintus Curtius l. 3. & Herodotus l. 7. c. 55. eorum etiam meminere.

℣. 12. ALTARIA, QUÆ ERANT SUPER TECTA COENACU-

1 Isai. 57. 8. *Post ostium, & retro postem posuisti memoriale tuum*, Vide & Isai. 65. 2.
2 Levit. 21. 17. *Homo de semine tuo, qui habuerit maculam, offeret panes Deo suo, nec accedet ad ministerium ejus ; (22.) Vescetur tamen panibus, qui offeruntur in Sanctuario.*
3 Vide Dissertationem de Moloch, & 4. Reg. 16. 3.
4 טמא את התפת
5 גי בן הנם
6 Matth. 5. 22. 29. 30. 10. 28. 18. 9. 23. 15. & 33. Marc. 9. 43. 45. Luc. 12. 5.
7 Vide Kimchi, Rab. Salom. apud Vat. Munst. Cornel. Boch.
8 Sveton. in Jul.
9 Vide Dion. in Severo.
10 מבא בית יהוה אל לשכת נתן מלך הסרים אשר בפרורים
11 1. Par. 26. 18. פרבר Vide, si lubet, Bochart. de anim. sacr. P. 1. l. 2. c. 10.

NACULI ACHAZ.] Prophetæ nobis loquuntur de his altaribus, quæ super tecta fiebant, & quæ præsertim cœlesti militiæ, hoc est, sydcribus erant dicata [1]. Arabes quoque Solem coluisse constat, ac illi super tecta thus adolesse.

IN DUOBUS ATRIIS.] In atrio Sacerdotum, ubi aderat altare holocaustorum, ac in atrio populi.

ỳ. 13. EXCELSA, QUÆ ERANT IN JERUSALEM AD DEXTERAM PARTEM MONTIS OFFENSIONIS &c.] Seu scandali; ac innuere vult *montem Olivarum*, ubi Salomon ædificarat Templa Diis Sidoniorum, Moab, & Ammon 3. Reg. 11. 7. Authographi voces *Mons Olivarum* simillimæ sunt illis, quæ *montem scandali*, corruptionis, & eversionis significant. Hebræi [2] in deliciis habent hos ludos in verbis, qui loca, vel res invisas deformant. Fidei consonum est, Ezechiam Templa hæc demolitum fuisse; sed Manasses, vel Ammon ea restaurasse poterant, atque substiterunt, donec Josias ea ephebis evasit, & Deus illi hac de re suam prodidit voluntatem.

ỳ. 14. REPLEVIT LOCA EORUM OSSIBUS MORTUORUM.] Judæis [3], ac Ethnicis eadem erat idea erga cadavera: respiciebant enim ea, velut funestum aliquid, impurum, & quod ea loca polluerent, ubi invenirentur. Virgilius Æneid. 6.

Præterea jacet exanimum tibi corpus amici.

Heu nescis! totamque incestat funere classem.

ỳ. 15. ALTARE, QUOD ERAT IN BETHEL . . . . DESTRUXIT.] Urbs Bethel tunc plane erat in ditione Josiæ; Reges Juda ea potiri potuerunt post decem tribuum captivitatem. Legimus tamen, Sacerdotem in Samariam ab Assaradon successore Sennacherib missum in Bethel se recepisse [4]; ex quo licet conjicere eo tempore, quo ille missus fuerat, Bethel Samaritanorum fuisse.

ỳ. 17. QUIS EST TITULUS ILLE.] Hebraice [5]: *Quodnam est monumentum illud?* Vel potius: *Quænam hæc eminentia?* Authographi vox a radice fluit, quæ aridum, siccum, & combustum significat, velut terram solaribus radiis adustam, quæ nec herbam, nec arbusta germinat. Crederem igitur *Zion* illhic significare terræ siccæ, ac aridæ congeriem, quæ super viri Dei tumulum fuit ingesta. Nemo nescit olim hoc in more fuisse, ut terra super tumulos in acervum attolleretur, qui aliquando ad montis instar consurgebant. Hinc Latina vox *Tumulus* oritur [6]. Ezechiel ait futurum tempus, quo Gog in terra Israel tumulabitur, & mittantur, qui ossa virorum Gog in agris perquirant; cumque inventum fuerit os unum, prope illud extolletur tumulus terræ aridæ (Hebr. *Zion*) donec sepultum fuerit. Quoad Historiam, quæ hic attingitur, prophetæ cujusdam [7], qui tumulari voluit cum viro Dei misso de Juda contra Jeroboam, vide 3. Reg. 13. 31. 32.

ỳ. 18. INTACTA MANSERUNT OSSA ILLIUS CUM OSSIBUS PROPHETÆ, QUI VENERAT DE SAMARIA.] Propter ossa prophetæ, qui venerat de Juda, nequaquam mota fuerunt ossa Pseudo-Prophetæ. Nescio vero, cur *Samariæ* nomen isthic legatur. Certum est, verum prophetam, virum Dei, missum ad Jeroboam venisse de Juda. Scriptura hoc aperte inquit ỳ. 17. & apertius adhuc in tertio Regum libro [8]. At Pseudo-Propheta in Bethel morabatur, ibi domum habebat, ibi filius [9]; & quomodo propheta de Juda potuisset a Samaria venire in Bethel; quandoquidem Samaria nondum erat ædificata, & nonnisi post quinquagesimum ab eo tempore annum cœpit ædificari? Pronius igitur fidei est, Samariæ nomen isthuc pro Juda obrepsisse. Videri possunt ea, quæ jam per prolepsim in hunc locum adnotavimus, 3. Reg. 18. 32.

ỳ. 19. FECIT EIS SECUNDUM OMNIA OPERA, QUÆ FECERAT IN BETHEL.] Evertit altaria, polluit excelsa, immo locorum horum omnium Sacerdotes enecavit, quod sequenti versiculo refertur. Verum quo jure desævire poterat Iosias adversus Samariæ civitates, quæ ipsius non parebant imperio? Iosias hac in re minus politicæ leges, quam zelum, quo flagrabat, consuluit. Circumstantiæ eæ plane aderant, ut cœptum hoc minime irritaturum fuisse Reges Assyriæ, neque inde malum aliquod in caput suum relapsurum arbitraretur; demum censendus est omnia prudenter, ac maturate egisse, atque hac in re a Dei imperiis, & voluntate, ne latum quidem unguem recessisse. Israelitæ decem tribuum jampridem in servitutem fuerant abducti; quod reliquum erat, pœnitentia ducti fuerant; & recentes regionis incolæ minimum adnitebantur, ne eorum, qui præcesserant, Religionis monumenta subverterentur.

ỳ. 22. NEC ENIM FACTUM EST PHASE TALE A DIEBUS JUDICUM . . . . (ỳ. 23.) SICUT IN OCTAVO DECIMO ANNO REGIS JOSIÆ.] Si hæc verba pressius ad litteram vellemus intelligere, affirmandum esset, hoc pascha, quod a duabus tantum tribubus Israel celebratum fuit, fuisse frequentius, majus, insignius, quam ea omnia, quæ Davide, & Salomone imperante, dum Judæorum florentissima erat respublica, & quibus omnes simul duodecim tribus Israel interfuerunt, celebrata fuere; fatendum igitur isthic speciem quamdam exaggerationis adesse, in scripturis solemnem, & apud quodvis Scriptorum genus maxime vulgatam. Quotidie dicimus, numquam amplius majorem fuisse magnificentiam, improbitatem, paupertatem &c. videlicet magnificentiam, improbitatem, paupertatem, de quibus est sermo, insignes esse, ac summas. Vide supra 4. Reg. 18. 5. & infra ỳ. 25.

ỳ. 24. FIGURAS IDOLORUM.] Hebraice: Teraphim. Vide Genes. 31. 19.

ỳ. 26. VERUMTAMEN NON EST AVERSUS DOMINUS AB IRA FURORIS . . . PROPTER IRRITATIONES, QUIBUS PROVOCAVERAT EUM MANASSES.] Zelus, & auctoritas Josiæ, quoad vixit, rectum ordinem, quem ille invexerat, servaverunt. Metus, ne illis Rex succenseret, atque in ipsos acerrime animadverteret, in officio improbissimum quemque coercuit; verum ex prophetarum scriptis [10] liquet, ipsos nequaquam ex corde conversos fuisse, & flagitia, licet dissimulata, & occulta, non ideo minora fuisse. Infelix Manasses per impium scelerum suorum exemplum ea vulnera inflixerat, quæ per ipsius pœnitentiam ad cicatricem venire non poterant. Aliquandiu Divina se sua cohibuerat ira; at cum causa, quæ illam succenderat, adhuc persisteret, & Juda mallet Manassem potius peccantem, quam pœnitentem imitari, & optimas Josiæ vias sequi, Dominus pium hunc principem ad se accivit, qui populi sui propugnaculum erat, ut in impios sua tandem indignatio desæviret.

ỳ. 29. IN DIEBUS EJUS ASCENDIT PHARAO NECHAO REX ÆGYPTI.] Nechao Rex Ægypti filius Psammetici sexdecim annos in Ægypto regnavit, juxta Herodotum lib. 1. cap. 17. Anno Regni sui decimo sexto [11] bellum intulit Assyrio Regi, qui erat Nabopo-

1 Jerem. 19. 13. *Omnes domus, in quarum domatibus sacrificaverunt omni militiæ cœli*. Sophon. 1. 5. *Adorant super tecta militiam cœli*. 2 הר *Mons offensionis* הר המשחה המשחית *Mons olivarum, vel unctionis*.
3 Vide ad Levit. 21. & 22. 4 4. Reg. 18. 29. 5 מה הציון הלז אשר אני ראה
6 Vide Servium in Æneid. 3. *Nam & terræ congestio super ossa, tumulus dicitur*.
7 Ezech. 39. 15. 8 3. Reg. 13. 1. *Et ecce vir Dei venit de Juda in nomine Domini in Bethel*. Vide ỳ. 21. 9 Ibid. vers. 11. *Prophetes autem quidam senex habitabat in Bethel, ad quem venerunt filii sui; & narraverunt omnia &c.* 10 Vide priora Jeremiæ, & Sophoniæ capita.
11 Usser. ad an. M. 3394.

bopolassat. Vera belli hujus causa latet. Nonnulli putant, *Carchemisa* urbe ad Euphratem sita, ab Assyriis de Ægyptiis capta, Nechao profectum esse, ut rursus ea potiretur. Josephus Antiquit. l. 10. c. 6. ait, ipsum petiisse adversus Medos, & Babylonios, qui Assyriorum imperium everterant; at quænam causa impellebat Nechao, ut vellet Assyriorum imperium tueri? Cæterum Assyriorum, ac Babyloniorum imperia in unum jam coaluerant, regnante Assaredon. Marshamus Canon. Chron. Ægypt. Sæcul. 18. credit, Ægypti Regem magna quæque molientem Asiæ imperium sibi comparare fuisse conatum, quod pater illius, sed frigide, & cunctanter nimis tentarat.

Urbs *Carchemisa* hoc nomine a Geographis minime noscitur [1]; hæc plane eadem est ac *Cercusium*, *Circessum*, vel *Circejum*, in uo angulo sita, quem Chaboras, & Euphrates semet conjungentes efficiunt [2]. Isaias 10. 9. loquitur de *Charcham*, vel *Carchemisa*, quam a Teglathphalassar subactam fuisse videtur innuere. Verum nequaquam liquido constat, Ægyptios ante Nechao urbem hanc possedisse, qui ibi præsidium reliquit, quod captum, cæsumque fuit anno quarto Joachim Regis Iuda a Nabuchodonosor Rege Babylonis, quod ex Ieremia didicimus [3]. Hebræi [4] putant, *Nechao* claudum fuisse, eo quod *Nechao* istud Hebraice significet; perinde ac Ægyptii nominis Ethymologia ex hebraico idiomate esset accersenda.

ABIIT IOSIAS REX IN OCCURSUM EJUS.] In 2. Paralipom. 35. 21. legimus, Nechao, audito Josiæ adventu, misisse, qui hæc illi nontiarent: *Quid mihi, & tibi Rex Juda? non adversum te hodie venio, sed contra aliam pugno domum, ad quam me Deus festinato ire præcepit: desine adversum Deum facere, qui mecum est, ne interficiat te: Noluit Josias reverti, sed præparavit contra eum bellum, nec acquievit sermonibus Nechao ex ore Dei.* Auctor tertii Libri Esdræ 1. 28. S. Hieronymus in epistola ad Ctesiphontem, & Iudæi tenent, Ieremiam quoque adversatum fuisse huic incœpto Iosiæ, & Regem hunc illius consilio animum advertere noluisse. Verum hoc ex Canonicis Scripturis non liquet; & Iosias plane omnia verba, quæ Nechao illi Dei nomine dicebat, credidit esse dolos, quibus sibi mora innecteretur, vel timoris effectus, perinde ac Nechao cum ipso congredi vereretur.

ET OCCISUS EST IN MAGEDDO, CUM VIDISSET EUM.] Lethali vulnere confossus fuit, atque illinc in Ierusalem translatus ibi diem suum obiit, uti ex Paralipomenis habemus [5]. Quod isthic dicitur ℣. 30 ipsum *mortuum, de Mageddo in Ierusalem* perlatum fuisse, intelligendum est de vulnere mortali, quod illi fuerat inflictum. Lethaliter ergo vulneratus in Ierusalem delatus est. Iosias cum hoste congressus, ad litteram, *cum vidisset hostem*, a sagittariis graviter fuit transverberatus. Iosephus Antiqu. lib. 10. cap. 6. ait, sagitta vulneratum fuisse, cum aciem instrueret, ac ab uno in alterum cornu migraret; qui cum se percussum sensit, militibus suis imperavit, ut ipsum de prœlio educerent; atque ex curru, de quo dimicabat in alium, qui juxta Regum illius ævi consuetudinem eum consequebatur, traductus in Ierusalem translatus fuit. Prœlium commissum est in Mageddo, quæ civitas sita erat in tribu Issachar, sed quæ mox cesserat citeriori dimidiæ tribui Manasse [6]. Urbs hæc non longe aberat a torrente Cisson ad torrentis ejusdem meridiem. Olim jam alia pugna prope hunc locum fuerat depugnata ævo Barac, & Deboræ, ut vidimus Iudic. 5. 19. Herodotus lib. 2. c. 159. plane de hoc prœlio, de quo isthic est sermo, loquitur, cum ait, Nechos Ægypti Regem cum Syris prope Magdolum congressum victoriam retulisse; & cepisse *Cadytim*, quæ magna erat Syriæ civitas. Scaliger [7] credidit, Magdolum, cujus Historicus ille meminit, eam urbem fuisse, de qua loquitus Ieremias 46. 14. in Ægypto inferiori prope Mageddo, quo Iosias perrexerat, ut Ægyptios Palæstinæ adito prohiberet; & *Cadytim*, quam Nechao post victoriam cepit, esse civitatem *Cades*, vel *Cades-barne* in deserto, de qua loquitur Moyses Numer. 20. 16. Herodotus, ut auctori huic placet, prœlio huic ex Magdoli nomine nomen fecit, quæ civitas notior erat, licet dimicatum fuisset prope Mageddo, quæ non aberat illinc. Usserius credere videtur *Mageddo*, & *Magdolum* unam tantummodo civitatem fuisse. Certum est, Syriacum S. Matthæi Interpretem ponere *Mageddo*, & veterem Latinum Interpretem habere *Magedan* pro *Magdala*, quæ vox extat in Græco textu Matth. 15. 39. Quoad vero *Cadytim*, nonnulli eruditi viri eamdem esse, ac Jerusalem, putant, quam Nechao ex bello reversus cepit. *Cadytis* ponitur pro *Cadytha*, vel *Kadischa*, hoc est, Hebraice, civitate Sancta; quo nomine Hebræi civitatem, ubi Templum aderat, appellabant. Philo hanc Græce *Hierapolim* vocat, quæ vox idem, ac Hebraice *Kadischa* significat, hoc est, Sanctam civitatem. At reor potius, Herodotum loqui de Cades, vel Cedes in Galilæa, quæ & magnitudine, & viribus insignis erat.

Ecce porro quinam fuit piissimi Josiæ Regis occabitus, meliori proculdubio sorte digni, si justorum sors in mundi prosperitatibus esset posita. Tempus Divinæ ultionis advenerat; scelera Juda ad summum evaserant; Deus ad se accire Josiam voluit, ne hic dolore contabesceret, regni sui excidium, & cladem intuitus; quod ipsum illi per Prophetidem *Holdam* prædixerat supra cap. 22. 20. *Colligeris ad sepulchrum tuum in pace, ut non videant oculi tui omnia mala, quæ inducturus sum super locum istum.* Nihil addi potest Elogio, quod de ipso Spiritus Sanctus edidit, dicens supra ℣. 25. *Similis illi non fuit ante eum Rex, qui reverteretur ad Dominum in omni corde suo, & in tota anima sua, & in universa virtute sua, juxta omnem Legem Moysi* [8]. Jeremias in hujus laudem funebre canticum cecinit, atque per plures annos post illius mortem luctus instauratus quotannis est, Jeremiæ Lamentationes occinendo, quæ ea in occasione compositæ fuerant. Alibi ad examen vocabimus, num Prophetæ hujus Lamentationes, quæ reliquæ sunt, sint eæ, de quibus hic sermo.

Auctor Ecclesiastici quoque cap. 49. 1. & seq. Regem hunc amplissimo est prosecutus encomio. *Memoria Josiæ in compositionem odoris facta opus pigmentarii. In omni ore, quasi mel indulcabitur ejus memoria, & ut musica in convivio vini. Ipse est directus divinitus in pœnitentiam gentis, & tulit abominationes impietatis. Et gubernavit ad Dominum cor ipsius, & in diebus peccatorum corroboravit pietatem. Præter David, & Ezechiam, & Iosiam, omnes peccatum commiserunt.*

Si Principis hujus vitam, & mortem perpendere velis, ut quædam similitudinis vestigia inter hunc, & Jesum Christum scruteris, plurimæ sane occurrent perfectæ imaginis notæ. Josias prænuntiatus pluribus sæculis [9] ante suam nativitatem, veluti ultor injuriarum Domini, ac Religionis patrum suorum instaurator, Salvatorem exhibet ab initio prænuntiatum, velu-

1 2. Paral. 35. 21. *Non adversum te hodie venio, sed contra aliam pugno domum, ad quam me Deus festinato ire præcepit.* 2 Vide Ammian. l. 23. cap. 11. & Procop. l. 1. Persic.
3 Jerem. 46. 1. 2. *Adversus exercitum Pharaonis Nechao Regis Ægypti, qui erat juxta fluvium Euphratem in Carchamis, quem percussit Nabuchodonosor.* 4 Vide Munst. & Jun. &c.
5 2. Par. 35. 23. *Ibique vulneratus a sagittariis, dixit pueris suis: educite me de prælio, quia oppido vulneratus sum; qui transtulerunt eum .... & asportaverunt eum in Jerusalem, mortuusque est,* &c. Vide & Joseph. Antiq. l. 10. c. 6. & l. 3. Esdr. c. 1. vers. 31. Estium, Piscat. 6 Vide Josue 17. 11.
7 Vide apud Usser. ad an. M. 3394. 8 2. Par. 35. 24. 25. 9 3. Reg. 13. 2. *Ecce filius nascetur domui David, Josias nomine, & immolabit super te Sacerdotes excelsorum,*

veluti imperii Dæmonis eversorem, ac veræ Religionis institutorem. Regnante Jusia, Liber Divinarum Legum repertus est; hunc Rex in totius populi concione legit, ac fœdus cum Domino instaurat. Hæc omnia recentem Legem præsignaot, vel potius Legem veterem, instauratam, completam, perfectam, & explicatam a Christo Jesu, qui fecit nos novi fœderis filios, quod obsignavit sanguine suo. Josiæ Pascha celebrius, atque solemnius, quod unquam celebratum fuerit, ut ait Scriptura, tenuis erat imago Paschatis Jesu Christi in Sacramenti Corporis, & Sanguinis sui institutione, & in morte, quam pro nobis subire dignatus est; & locutiones Scripturæ, exaggeratæ nimis pro Josiæ Paschate, ad litteram Paschati Jesu Christi conveniunt. Denique Josias, qui *peccatum non commiserat*, mortuus quodammodo pro sceleribus populi, cujus impietatem persequi tunc decreverat Deus, atque ab externo Principe interemptus, qui sibi cum illo nullam rem esse profitebatur, nonne refert Jesum Christum, qui, licet innocens, se tradidit pro peccatis populi sui, qui a Romanis crucifixus fuit, alienigena populo, qui illum minime noverat, & qui inscius fit instrumentum teterrimæ hominum improbitatis, simulque eximiæ Dei erga mortales benevolentiæ.

℣. 30. TULIT POPULUS TERRÆ JOACHAZ . . . ET UNXERUNT EUM.] Ægyptius Rex post victoriam de Iudæis relatam nequaquam ea constitit in regione, sed Euphratem versus progressus est, ut Carchemisa potiretur. Veriti nihilominus Iudæi, ne Rex ex hoc bello revertens Regnum Iuda occuparet, nisi Rex illi præesset, pro Ioas constituerunt sibi Regem Ioachaz filiom ejus, qui alio nomine *Sellum* appellatur. Cum Regius hic adolescens nequaquam esset natu maximus e filiis Regis, neque hæreditario jure patri ad Regnum succederet, Regali unctione delibutus fuit, quæ tunc solum conferebatur, cum alii vel erant, vel esse poterant Regni appetentes. Crediderunt plane Ioachaz præ ceteris, ac in primis præ natu maximo idoneum fore, qui Ægyptii Regis vires propulsaret, ac Reipublicæ provideret. At Nechao de Carchemisia reversus, irritatus, quod ipso inconsulto populus Regem constituisset Ioachaz, principem hunc Reblam, in regionem Emath accersivit, atque regia illi abrogata dignitate catenis onustum in Ægyptum misit, ac pro illo primogenitum fratrem *Eliakim* nomine in regni solio collocavit. Scriptura non refert, quo pacto Ioachaz in manus Nechao lapsus fuerit. Sanctius autumat, Regem Iuda exercitum collegisse, & occurrisse Nechao, ubi cum

A acie congressus esset, prœlio victus est. Hanc vero conjecturam probat ex loco Ezechielis 19. 2. 3. *Mater tua leæna inter leones cubavit, & eduxit unum de leunculis suis, & leo factus est . . . & audierunt de eo gentes, & non sine vulneribus suis ceperunt eum, & adduxerunt eum in catenis in terram Ægypti.* Quam conjectutam confirmat ratio, qua a Nechao Ioachaz exceptus fuit: cur enim in vincula conjecisset eum, si se met illi dedidisset, atque ad illius imperium in Reblam venisset? Quodnam erat crimen illius, si Regnum a populo sibi delatum acceperat? Judæi contendunt, Ioachaz infesta arma in Ægyptum usque adversus *Nechao* intulisse, ut patris sui mortem ulcisceretur [1]. Ex Ieremia 22. 11. 12. liquet ipsum ultima fuisse passum ea in regione, quo
B fuerat translatus. Vide & hic ℣. 34.

℣. 33. RAALA] Vel uti a Syriaca, & Arabica versione appellatur, *Deblat*, erat in Syria, ac in terra Emath, vel Amasææ. Hæc autem esse perhibetur Apamæa in Syria ad Orientem, quemadmodum Chaldæi Paraphrastes in Numerorum libro 34. 11. explicant. Vide Junium hic.

℣. 34. REGEM CONSTITUIT ELIACIM . . . VERTITQUE NOMEN EJUS JOAKIM.] Hæc nominis immutatio innuebat imperium, quod Ægyptius tueri volebat in Regem Juda; eum enim veluti Proregem, vel potius uti subditum, ac tributarium Regem constituebat, cui vectigal imposuit centum talentorum argenti, auri vero decem [2]. Vidabimus infra [3], Nabuchodonosor Regem Babylonis *Matha-*
C *niæ* nomen in *Sedeciam* vertere, eumdem Jerusalem Regem constituendo; atque Rex idem alia indidit nomina Danieli, Ananiæ, Misaeli, & Azariæ, cum illos, ut sibi famularentur, elegit [4]. Pharao quoque Ægypti Rex hoc ipsum fecerat erga Joseph, cum illum ad Proregis dignitatem evexit Gen. 41. 45.

℣. 37. FECIT MALUM CORAM DOMINO.] Fratris exemplum illum in officio continere non valuit. Jeremias 22. 13. hunc Principem redarguit, quod domum suam extrueret in injustitia, inique proximum opprimeret, artifices mercede fraudaret, oculos, & cor ab avaritia, atque inhumanitate minime averteret, pronus esset ad innoxium sanguinem effundendum, & quodlibet flagitiorum genus patrandum Ecce quodnam erat ingenium Joakim; quomodo vero
D justissimas ab eo Deus pœnas poposcerit, hoc sequenti capite visuri sumus. Apud Prophetam eumdem legimus, Regis hujus imperio interemptum fuisse prophetam Uriam, qui in Ægyptum aufugerat, & cadaver ejus in abjectissimæ plebis sepulchra fuisse projectum [5].

---

1 Vide Munst. hic. 2 Centum argenti talenta reddunt circiter 486715. libras; decem vero talenta auri 547659. lib. & 10. solid. 3 4. Reg. 24. 17. 4 Dan. 1. 6. 7.
5 Idem c. 26. 22. *Misit Rex Joakim viros in Ægyptum, & eduxerunt Uriam de Ægypto, & adduxerunt eum ad Regem Joakim, & percussit eum gladio, & projecit cadaver ejus in sepulchris vulgi ignobilis.*

CAPUT XXIV.

Joakim adversus Babylonis Regem rebellat. Joachin illi succedit. Jerusalem a Nabuchodonosor obsidetur. Joachin Babylonem abducitur cum plerisque e præcipuis subditis suis. Matthanias, vel Sedecias pro Joachim ad Regnum evehitur.

1. IN diebus ejus ascendit Nabuchodonosor rex Babylonis, & factus est ei Joa-
kim servus tribus annis: & rursum rebellavit contra eum. 2 Immisitque ei
Dominus latrunculos Chaldæorum, & latrunculos Syriæ, & latrunculos Moab,
& latrunculos filiorum Ammon: & immisit eos in Judam, ut disperderent eum, juxta verbum Domini, quod locutus fuerat per servos suos prophetas. 3 Factum est
autem hoc per verbum Domini contra Judam, ut auferret eum coram se, propter
peccata Manasse universa, quæ fecit, 4 Et propter sanguinem innoxium, quem effudit, & implevit Jerusalem cruore innocentium: & ob hanc rem noluit Dominus

propitiari. 5 Reliqua autem sermonum Joakim, & universa, quæ fecit: nonne hæc
scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Juda? Et dormivit Joakim cum pa-
tribus suis: 6 Et regnavit Joachin filius ejus pro eo, 7 Et ultra non addidit
rex Ægypti, ut egrederetur de terra sua: tulerat enim rex Babylonis, a rivo Æ-
gypti, usque ad fluvium Euphratem, omnia, quæ fuerant regis Ægypti. 8 De-
cem, & octo annorum erat Joachin, cum regnare cœpisset, & tribus mensibus re-
gnavit in Jerusalem: nomen matris ejus Nohesta, filia Elnathan de Jerusalem. 9
Et fecit malum coram Domino, juxta omnia, quæ fecerat pater ejus. 10 In tem-
pore illo ascenderunt servi Nabuchodonosor regis Babylonis in Jerusalem, & circum-
data est urbs munitionibus. 11 Venitque Nabuchodonosor rex Babylonis ad civi-
tatem cum servis suis, ut oppugnarent eam. 12 Egressusque est Joachin rex Juda
ad regem Babylonis, ipse, & mater ejus, & servi ejus, & principes ejus, & eunu-
chi ejus, & suscepit eum rex Babylonis anno octavo regni sui. 13 Et protulit in-
de omnes thesauros domus Domini, & thesauros domus regiæ: & concidit univer-
sa vasa aurea, quæ fecerat Salomon rex Israel in templo Domini juxta verbum Do-
mini. 14 Et transtulit omnem Jerusalem, & universos principes, & omnes fortes
exercitus, decem millia, in captivitatem; & omnem artificem, & clusorem: nihil-
que relictum est, exceptis pauperibus populi terræ. 15 Transtulit quoque Joachin
in Babylonem, & matrem regis, & uxores regis, & eunuchos ejus: & judices
terræ duxit in captivitatem de Jerusalem in Babylonem. 16 Et omnes viros robu-
stos, septem millia, & artifices, & clusores mille, omnes viros fortes, & bellato-
res: duxitque eos rex Babylonis captivos in Babylonem. 17 Et constituit Mat-
thaniam patruum ejus pro eo: imposuitque nomen ei Sedeciam. 18 Vigesimum &
primum annum ætatis habebat Sedecias, cum regnare cœpisset, & undecim annis
regnavit in Jerusalem: nomen matris ejus erat Amital, filia Jeremiæ, de Lobna.
19 Et fecit malum coram Domino; juxta omnia, quæ fecerat JoaKim. 20 Irasce-
batur enim Dominus contra Jerusalem, & contra Judam, donec projiceret eos a fa-
cie sua: recessitque Sedecias a rege Babylonis.

℣. 1. IN DIEBUS EJUS ASCENDIT NABUCHODONOSOR.] Nabuchodonosor, nomen celebre in historia populi Dei, filius erat insignis Nabopolassar Regis Babylonici. Berosus refert [1], Nabopolassar, cum nunciatum fuisset, Præfectos, quos in Ægypto, Cœlesyria, & in Phœnicia constituerat, rebellasse, filio suo Nabuchodonosor partem copiarum suarum dedisse; ipse enim per ætatem bellicis laboribus nequaquam par erat, cumque misisse adversus rebelles, ut eos ad officium revocaret; quos equidem adortus devicit, suæque ditionis fecit. JoaKim, qui a Nechao Rex fuerat constitutus, & qui illi vectigal pendebat, cum cæteris subactus fuit. Hoc autem contigit sub finem tertii, vel initium anni quarti JoaKim, uti videre est, si Danielem [2] cum Jeremia velis conferre [3]. Credimus autem, *Nabopolassar* in imperii societatem vocasse filium suum, cum eum in Provincias citra Euphratem mitteret; namque in Scriptura Babylonis Rex vocatur; & hunc annum, velut regni ipsius primum memorati [4]. Nabuchodonosor prælium occœpit ab Carchemisæ expugnatione, & cæde præsidii, quod ibi triennio ante Nechao reliquerat [5]. Inde vero progrediens ea omnia subegit, quæ Ægyptio Regi paruerant ab Euphrate ad Nilum, quemadmodum isthic ℣. 7. enarratur. Mox obsedit Regem JoaKim in Jerusalem, & capta civitate Regem in vincula conjecit, ut Babylonem transferret [6]. Verum tributo illi imperato in regnum restituit, quod cum triennio exsolvisset, deinde adversus Regem Babylonis defecit; quamobrem Nabochodonosor in Judæam redire debuit, uti in sequenti articulo videbimus. In hac priori expeditione, quam adversus Jerusalem Nabuchodonosor susceperat, Rex ille partem sacrorum vasorum Templi [7] abduxit, posuitque in Templo Dei sui in terra Senaar. Daniel, & Socii illius, ac plures alii captivi Babylonem traducti fuere [8].

ET RURSUM REBELLAVIT CONTRA EUM.] Hoc est, cum triennio tributum solvisset, *rursum rebellavit*. Hæc loquendi ratio *rursum* innuere videretur, jam primum rebellasse, at certum est ipsum antea Ægypti Regis vectigalem fuisse, atque ut, quam huic debebat, fidem præstaret, noluisse se se Regi Nabuchodonosor submittere, atque Jerusalem obsidione vallati pertulisse. Itaque Hebraicus textus וישב וימרד בו verti debet, *conversus*, vel *diversit se, & rebellavit contra eum*. Occasionem plane desumpsit ex Nabuchodonosor absentia, qui propter patris sui Nabopolassar obitum Babylonem reverti debuit, ut totius Assyrii, & Babylonici imperii possessionem adiret. Decesserat e vivis pater anno tertio Nabuchodonosor; dum hic detineretur adhuc in Ægypto, ut regiones eas, aliasque subactas provincias regeret. Berosus a Josepho Antiqu. l. 10. c. 11. allatus prolixius narrat reditum illius, & quæ reversus Babylone peregerit. At hæc nonnisi indirecte ad eam spectat historiam, quam isthic ad examen vocamus. JoaKin aliquandiu defectionis suæ fructu gavisus est; Nabuchodonosor enim aliis distentus curis, non ita citius animum advertere potuit, ut illum persequeretur,

1 Beros. apud Joseph. contra Appion. l. 1. & l. 10. Antiqu. c. 11. 2 Dan. 1. 1. *Anno tertio regni JoaKim Regis Juda venit Nabuchodonosor Rex Babylonis in Jerusalem, & obsedit eam.* 3 Jerem. 25. 1. *Anno quarto JoaKim Regis Juda, ipse est annus primus Nabuchodonosor.* 4 Jerem. loco proxime cit.
5 Jerem. 46. 1. 2. 6 2. Par. 36. 6. *Contra hunc ascendit Nabuchodonosor, & vinctum catenis duxit in Babylonem*; idest ducere proposuit. 7 Daniel. 1. 2. *Tradidit Dominus in manu ejus JoaKim, & partem vasorum domus Dei, et asportavit ea in terram Sennaar, in domum Dei sui*. Vide & 2. Par. 36. 8.
8 Daniel. loco cit.

retur]; quod contigit anno regni sui septimo [1] ab orbe condito 3400. & post triennium dumtaxat ab hac defectione JoaKim in Judæam immisit exercitum ex Chaldæis, Syris, Moabitis, & Ammonitis conflatum [2], qui regionem late vastarunt, & Israelitas ad 3023. in servitutem duxerunt [3].

℣. 2. IMMISIT ET DOMINUS LATRUNCULOS CHALDÆORUM &c.] Hæ copiæ missæ fuerunt a Nabuchodonosor, qui per se venire non potuit. Dominus hoc Rege utebatur, ut consilia sua adimpleret, & Nabuchodonosor his utebatur militibus, quibus satis erat, præda ex hostium terris abacta. Vide articulum superiorem. *Latrunculi Chaldæorum* sunt ejusdem generis ac latrones Syriæ, Moab, Ammon, de quibus alibi locuti sumus [4].

JUXTA VERBUM DOMINI, QUOD LOCUTUS FUERAT PER PROPHETAS.] Deus sæpe Judæis per Prophetas suos minitatus fuerat, se penitus illos esse subversurum, ex quo Reges, & populus in quælibet flagitia, quin immo in Idolorum cultum proruebant. Vidimus supra c. 22. 16 Prophetidis Holdæ vaticinia. Vide etiam ea, quæ Ezechiæ prædixerat Isajas, postquam Rex ille thesauros suos Chaldæis ostentarat [5], & Capita 14. & 15. Jeremiæ, & Prophetæ ejusdem caput 26. ubi referuntur prædictiones Michææ Morasthitis, & Uriæ filii Semei.

℣. 5. DORMIVIT JOAKIM CUM PATRIBUS SUIS.] Ipse quoque omnibus hominibus communem legem subiit; naturæ tributum exsolvit; verum nequaquam illi honor habitus est, ut in patrum suorum tumulos efferretur; sed in sterquilinium projectus est. *Sepultura asini* sepultus fuit, ut Jeremiæ 22. 19. verbis loquar, derelictus fuit, & *Cadaver ejus projectum fuit ad æstum per diem, & ad gelu per noctem.* Jerem. 36. 30.

Nec desunt, qui putent, e sepulchro eductum fuisse, & mox in sterquilinium fuisse projectum [6]; alii vero ipsum Babylone obiisse contendunt; verum liquido patet, fato functum fuisse in Jerusalem, & a Chaldæis, aliisque satellitibus Nabuchodonosor, occisum fuisse, ac post mortem eos in cadaver ipsum desæviisse, quemadmodum vidimus. Asserunt autem [7] illius pellem inventam fuisse sacrilegis stygmatibus descriptam, ex quibus intelligere erat, Dæmonem, cui se ille devoverat, *Codonazer* appellatum. Has vero Traditiones probare admituntur ex iis 2. Paralip. 36. 8. verbis: *Reliqua autem verborum JoaKim, & abominationum ejus, quas operatus est, & quæ inventa sunt in eo, continentur in Libro Regum Juda.*

Eusebius ex Alex. Polyhist. Præpar. l. 9. c. 39. Eupolemi fragmentum ab interitu vindicavit, ubi narrat, JoaKim, aliisque Judæis die quadam aureo Idolo, cui nomen Baal, sacra facientibus, atque in hoc impio cultu ab Jeremia deprehensis, Prophetam hunc illis proximam calamitatem, quæ illos manebat, fuisse vaticinatum; at JoaKim imperasse, ut vivens igne absumeretur. Jeremias quin hæreret, iis lignis, quibus ipsum torreri vellet, futurum respondit, ut in Babyloniorum culina ignem succenderent, atque iisdem uterentur ad rivulos effodiendos deducendi causa Euphratis, & Tigris aquas in agros Babyloniorum. Nabuchodonosor, cum ea, quæ transacta erant, intellexisset, oravit Astibarem Medorum Regem, ut conjunctis copiis secum contra Judæos dimicaturus ascenderet; qui duos Reges exercitum collegerunt, in quo decem erant curruum millia, peditum centum, & octoginta millia, equitum vero viginti. Omnia igitur primum igni, ferroque vastarunt, omnesque Judæos, qui in Samaria, Galilæa, Galaaditide, & Scythopoli, aderant, trucidarunt; ac mox Jerusalem profecti, civitate, & JoaKim Rege captis, Templum diripuerunt, divitias omnes abstulerunt, miseruntque eas Babylonem præter Arcam, & Tabulas, quas Jeremiæ concesserunt. Hæc autem Eupolemus ait: ubi videmus ipsum confundere tempora, & quo, Sedecia regnante, postremum civitas capta fuit, & quo nunc JoaKim imperante capitur. Verum neque est cur expectes majorem diligentiam in alienigenarum Auctorum narrationibus.

℣. 6 REGNAVIT JOACHIN FILIUS EJUS PRO EO.] Joachin idem est ac *Jechonias* apud Sanctum Matthæum 1. 11. nec non *Conias* apud Jeremiam [8]. Verum quomodonam conciliari possunt ea, quæ isthic de regno Jechoniæ filii Joachim, cum iis, quæ in Jeremia 36. 30. leguntur: *Non erit ex eo, qui sedeat super thronum David?* scilicet ex JoaKim. Responderi potest, Jechoniæ regnum, cum trimestre tantum fuerit, atque Chaldæis subditum, regnum adeo breve, atque arctæ adeo auctoritatis, pro nihilo haberi posse.

℣. 7. NON ADDIDIT REX ÆGYPTI, UT EGREDERETUR DE TERRA SUA.] Inter veteres ditionis suæ fines redactus fuit. Non ausus est ultra invadere Judæorum terras, atque in finitimorum populorum agros irrumpere. Ægyptus in hac submissione aliquandiu permansit [9]; attamen Sedeciæ in novissima Jerusalem obsidione laboranti suppetias ferre admissa est; exierat autem finibus suis validis copiis communita; verum ab Chaldæorum exercitu in regionem suam recedere coacta, Nabuchodonosur ad Jerusalem obsidendam reversus, eam vi cepit.

A RIVO ÆGYPTI USQUE AD FLUVIUM EUPHRATEM.] A Nilo, vel saltem a magis Orientali hujus fluminis brachio, quodque Damiatam defluit, usque ad Euphratem [10]. Has omnes Provincias subegerat Nechao: Nabuchodonosor vero easdem illi ademit, ac suæ ditioni subjecit.

℣. 8. DECEM, & OCTO ANNORUM ERAT JOACHIN CUM REGNARE COEPISSET.] In Paralipomenis dicitur octavum annum agens ad regni solium evectus fuisse. Si ex his Testibus alteruter mendosus est, quod a veritatis specie non abhorret, confitendum est, Textum Paralipomenon potius, quam Regum vitiosum esse, nam Joachin uxores habebat, qui cum eo simul Babylonem deductæ fuerunt [11] postquam tribus mensibus regnum obtinuisset; quod sane Regi octo annos nato minime congruit. Præterea Syriaca versio, & Arabica legunt annos duodeviginti in utroque loco; ad hæc quomodonam de puero octo annos habente dici potest, quod hic de Joachin asserit Scriptura, scilicet fecisse malum coram Domino [12]? Nonnulli putant [13] Joachin octavum egisse annum, cum JoaKim pater illius regnum accepit. At ubine hæc exempla repereris, ut initium regni patris ab ætate filiorum designetur? Alii [14] contendunt octavum hunc annum fuisse Babylonicæ captivitatis, cujus initium desumendum est a Jerosolyma JoaKim regnante capta: denique Sanctius, & Cornelius a Lapide conjectando inquiunt, Joachin decennem a Patre in Regni societatem fuisse vocatum, qui postquam annis octo una cum JoaKim patre imperasset, deinde duodevigesimum agens annum solus regnare coepit [15].

TRIBUS MENSIBUS REGNAVIT.] Cum Præfecti Nabuchodonosor eum Regem constituissent in solio JoaKim patris sui, quamprimum ad Jerusalem obsidendam reversi sunt, cum plane a Rege Nabuchodonosor

Tom. II. Nnn 2

1 Jerem. 52. 28. *Iste est populus quem transtulit Nabuchodonosor in anno septimo, Judæos tria millia, & viginti tres.* 2 Hic vers. 2. 3 Jerem. loco proxime citato.
4 Vide ad 4. Reg. 5. 2. & Judic. 11. 3. 5 4. Reg. 20. 17.
6 Vide Baruc. 2. 24. 7 Vide Author. Tradit. Hebr. & in Libb. Par. & hist. Schol. & Lyran. Tost.
8 Jerem. 22. 24. *Vivo ego, dicit Dominus, quia si fuerit Jechonias (Heb. Conias כניהו) filius JoaKim, annulus in manu dextera mea, inde evellam eum.* 9 Jerem. 37. 6. 7. 10 Vide dicta ad Josue 13. 3. 11 Vide mox ℣. 15.
12 Vide, si lubet, Usser. Chronol. ad an. 3405. Cajetan. Pisc. & alios. 13 Jun. & Bruchion. & Gr. in 2. Par. 14 Harduin. Chronol. vet. test. Ligfo. 15 Ita & Kim. Lir. Mar.

for Domino suo ipsis aliter fuisset imperatum; qui, cum per negotia sua ipsi licuit, ipse quoque ex Assyria profectus, cum coram civitate constitisset, Jechonias ad illum egressus tradidit se illi una cum matre sua, famulis, ac præcipuis Regni Ministris. Jechonias tribus dumtaxat regnaverat mensibus; Nabuchodonosor vero in octavo regni sui anno versabatur, quod triennio circiter ante Nabopolassar patris sui interitum inchoarat.

℣. 9. Fecit malum coram Domino.] Videtur Ezechiel hunc velle Regem describere per ea verba c. 19. 5. 6. Leæna *tulit unum de leunculis suis, leonem constituit eum: qui incedebat inter leones, & factus est leo, & didicit prædam capere, & homines devorare: didicit viduas facere, & civitates eorum in desertum adducere: & desolata est terra, & plenitudo ejus a voce rugitus illius. Et convenerunt adversus eum gentes undique de provinciis, & expanderunt super eum rete suum, in vulneribus earum captus est. Et miserunt eum in caveam, in catenis adduxerunt eum ad Regem Babylonis: miseruntque eum in carcerem, ut non audiretur vox ejus ultra super montes Israel.* Postrema hæc circumstantia ad Jechoniam præcipue spectat; at reliqua satis Joakim patri illius respondent, cujus a Scriptura Jechonias dicitur impietatem fuisse imitatus. Jeremias 22. 24. in hunc Regem acerrime invehitur, ita ut inde intelligi satis queat quanta ira in illum succensus esset Deus; ac proinde quanta fuerit scelerum ipsius impia colluvies. *Vivo ego, dicit Dominus, quia si fuerit Jechonias filius Joakim Regis Juda, annulus in manu dextera mea, inde evellam eum. Et dabo te in manu quærentium animam tuam, & in manu, quorum tu formidas faciem, & in manu Nabuchodonosor Regis Babylonis, & in manu Chaldæorum. Et mittam te, & matrem tuam, quæ genuit te, in terram alienam, in qua nati non estis, ibique moriemini. Et in terram, ad quam ipsi levant animam suam, ut revertantur illuc, non revertentur. Numquid vas fictile, aut contritum vir iste Jechonias? numquid vas, absque omni voluptate? quare abjecti sunt ipse, & semen ejus, & projecti in terram, quam ignoraverunt? Terra, Terra, Terra, audi sermonem Domini; Hæc dicit Dominus; Scribe virum istum sterilem, virum, qui in diebus suis non prosperabitur; nec enim erit de semine ejus vir, qui sedeat super solium David, & potestatem habeat ultra in Juda.*

℣. 12 Egressus est Joachin.] Ac dedidit se Nabuchodonosor. Josephus de Bel. l. 6. c. 8. factum hoc Joachin commendat, dicens, ipsum maluisse semet cum familia sua Babyloniis Jerusalem obsidentibus tradere, quam illis sacra vasa una cum Templo polluenda relinquere. Verum hoc ex Scriptura non liquet: immo certum est Nabuchodonosor sacris vasis minime pepercisse, ut isthic videre est.

℣. 13. Concidit universa vasa aurea.] Nabuchodonosor abstulit vasa, & opes Templi triplici præda, atque tribus diversis temporibus. 1. Majorem aureorum vasorum partem abripuit, cum primum, Joakim imperante, cepit Jerusalem. Hæc autem vasa in Templo Dei sui in terra Sennaar constituit, quemadmodum Daniel refert c. 1. 2. quæ mox Balthasar filius illius profanavit Dan. 5. 3. & Cyrus reddidit Esdræ; ac Jerusalem remisit 1. Esdr. 1. 7. 2. Omnia diripuit vasa, quæ reliqua erant in Templo, eaque confregit, quemadmodum isthic asseritur, cum secundo urbem cepit, Jechonia regnante. 3. Denique templum est depopulatus, atque omne æs, & vasa, columnasque æneas, quas invenit, cum aureis, argenteisque vasis abduxit, Sedecia regnum obtinente 4. Reg. 25. 13. atque vasa hæc ex auro, & argento conflata, quæ in novissima obsidione arripuit, ea esse probabile est, quæ Sedecias ipse fecerat, quemadmodum a Baruch 1. 7. 8. refertur.

Juxta verbum Domini.] Juxta ea, quæ per Isajam Ezechiæ, exempli gratia, prædixerat [1] Dominus, mox vero non semel per Jeremiam 25. 13.

℣. 14. Transtulit omnem Ierusalem.] Omnes incolas scilicet, vel potius primores civitatis; nam ex sequenti capite liquet post alteram hanc transmigrationem plurimos adhuc in Jerusalem permansisse. Nabuchodonosor igitur de Ierusalem traduxit decem hominum millia, ac præterea septem regionis illius millia, ac fabros ferrarios, ac lignarios mille, haud recensitis, Rege, Reginis, & Optimatibus [2], Ex horum captivorum numero fuere Ezechiel, & Mardochæus.

Omnem artificem, & clusorem.] Prior e duabus authographi vocibus [3] significat opificem generatim, seu ex ligno, ferro, lapide, ære, auro, vel argento opus conficiat. Posterior vero minus est nota [4]: alii de cœmentario structore intelligunt, nam illius consilium erat mœnium hiatus instaurandi, vel *parietum cicatrices obducendi*, juxta Hebraicam rationem loquendi [5]. Alii vero de aurifice explicant, qui annulos conflat, & ibi lapides pretiosos inserit. Alii denique de fabro ferrario dictum volunt, vel etiam de militibus in præsidiis suis clausis, vel qui in castellis suis detinentur. Prior explicatio mihi videtur simplicior. Naturaliter enim cœmentarii, & lignariis fabris adnectuntur, & æris fusoribus.

℣. 15. Judices terræ.] Hebraicus textus ad litteram [6]: *Arietes terræ*. Chaldæus, Syriaca versio, & Arabica: *Optimates terræ*. Homerus aliquando confert Principes cum arietibus.

℣. 17. Matthaniam patruum ejus.] Matthanias filius Iosiæ, & frater Ioakim, qui Sedecias vocatus fuit, & qui est novissimus Rex Iudæorum ante Babylonicam captivitatem. *Sedecia* nomen, quod *Dei justitiam* significat, illi impositum fuit post ea juramenta, quibus nomine Domini interposito eum Nabuchodonosor alligarat [7].

℣. 19. Fecit malum coram Domino.] Obduratus est contra verba Domini, qui locutus est ad eum per Ieremiam Prophetam [8]; nequaquam reversus est ad Deum, licet decessores suos tot suppliciis affectos cognosceret. Sacerdotes, & populus idololatrarum populorum flagitia imitati sunt, & domum Domini polluerunt [9]. Quænam ipsorum esset idololatria videri potest apud Ezechielem Cap. 8. 9. 10. & 11.

℣. 20. Recessit Sedecias a Rege Babylonis.] Anno ab orbe condito 3414. octavo scilicet regni sui Sedecias defecit a Rege Babylonis. A Scriptura [10] acerrime redarguitur, eo quod juramenti fidem violasset, qua semet addixerat Regi Nabuchodonosor, Defectio hæc refertur veluti effectus iræ Dei adversus Iudam. Permisit Dominus, ut Sedecias pravum hoc iniret consilium contra omnes politicæ, ac prudentiæ rationes, ut in eum, populumque illius ob eorum iniquitates animadverteret.

1 4. Reg. 20. 17. & Isai. 39. 6. 2 Vide infra vers. 15. 16. & Jerem 24. 29. 1. Ezech. 17. 12.
3 חרש 70. τέκτονα. 4 מסגר συγκλείοντα. 5 Vide 4. Reg. 12. 5. & 12. Par. 24. 13. *Obducebatur parietum cicatrix*. 2. Esdr. 4. 7. *Quod obducta esset cicatrix muri Jerusalem*. 6 אילי הארץ
7 2. Par. 36. 13. *A Rege quoque Nabuchodonosor recessit, qui adjuraverat eum per Deum*.
8 2. Par. 36. 12. *Nec erubuit faciem Jeremiæ Prophetæ loquentis ad se ex ore Domini*. Vide & Jerem. 37. 2.
9 Ibid. vers. 13. 14. 10 2. Par. 36. 13. Vide supra.

CAPUT

CAPUT XXV.

Novissima Jerosolymæ obsidio per Nabuchodonosor. Sedecias capitur, & in Reblatham abducitur, ubi excæcatus in carcerem perpetuo truditur. Hinc Babylonem ducitur. Templum, & civitas Jerusalem igni succenditur; Godolias in Judæa relictus ad populum regendum ab Ismaele occiditur. Populus in Ægyptum se recipit. Joachin Evilmerodach Regi Babylonis acceptus.

1. FActum est autem anno nono regni ejus, mense decimo, decima die mensis, Anno M.
venit Nabuchodonosor rex Babylonis, ipse & omnis exercitus ejus in Jeru- 3414. an-
salem, & circumdederunt eam: & extruxerunt in circuitu ejus munitiones. te J. C. 590.
2 Et clausa est civitas, atque vallata, usque ad undecimum annum regis Sedeciæ, 3
Nona die mensis, prævaluitque fames in civitate, nec erat panis populo terræ. 4
Et interrupta est civitas: & omnes viri bellatores nocte fugerunt per viam portæ,
quæ est inter duplicem murum ad hortum regis (porro Chaldæi obsidebant in cir-
cuitu civitatem) fugit itaque Sedecias per viam, quæ ducit ad campestria solitudi-
nis. 5 Et persecutus est exercitus Chaldæorum regem, comprehenditque eum in
planitie Jericho: & omnes bellatores, qui erant cum eo, dispersi sunt, & reliquerunt eum.
6 Apprehensum ergo regem duxerunt ad regem Babylonis in Reblatha:
qui locutus est cum eo judicium. 7 Filios autem Sedeciæ occidit coram eo, & o-
culos ejus effodit, vinxitque eum catenis, & adduxit in Babylonem. 8 Mense
quinto, septima die mensis, ipse est annus nonus decimus regis Babylonis, venit
Nabuzardan princeps exercitus, servus regis Babylonis, in Jerusalem. 9 Et succen-
dit domum Domini, & domum regis: & domus Jerusalem, omnemque domum com-
bussit igni. 10 Et muros Jerusalem in circuitu destruxit omnis exercitus Chaldæo-
rum, qui erat cum principe militum. 11 Reliquam autem populi partem, quæ re-
manserat in civitate, & perfugas, qui transfugerant ad regem Babylonis, & reli-
quum vulgus, transtulir Nabuzardan princeps militiæ. 12 Et de pauperibus terræ
reliquit vinitores, & agricolas. 13 Columnas autem æreas, quæ erant in templo
Domini, & bases, & mare æreum, quod erat in domo Domini, confregerunt Chal-
dæi, & transtulerunt æs omne in Babylonem. 14 Ollas quoque æreas, & trullas,
& tridentes, & scyphos, & mortariola, & omnia vasa ærea, in quibus ministra-
bant, tulerunt. 15 Necnon & thuribula, & phialas, quæ aurea, aurea; & quæ
argentea, argentea; tulit princeps militiæ: 16 Id est columnas duas, mare unum,
& bases, quas fecerat Salomon in templo Domini: non erat pondus æris omnium
vasorum. 17 Decem, & octo cubitos altitudinis habebat columna una: & capitel-
lum æreum super se altitudinis trium cubitorum: & retiaculum, & malogranata su-
per capitellum columnæ, omnia ærea: similem & columna secunda habebat ornatum.
18 Tulit quoque princeps militiæ Saraiam sacerdotem primum, & Sophoniam sacer-
dotem secundum, & tres janitores. 19 Et de civitate eunuchum unum, qui erat
præfectus super bellatores viros; & quinque viros de his, qui steterant coram re-
ge, quos reperit in civitate: & Sopher principem exercitus, qui probabat tyrones
de populo terræ: & sexaginta viros e vulgo, qui inventi fuerant in civitate, 20
Quos tollens Nabuzardan princeps militum, duxit ad regem Babylonis in Reblatha.
21 Percussitque eos rex Babylonis, & interfecit eos in Reblatha in terra Emath: &
translatus est Juda de terra sua. 22 Populo autem, qui relictus erat in terra Ju-
da, quem dimiserat Nabuchodonosor rex Babylonis, præfecit Godoliam filium Ahi-
cam filii Saphan. 23 Quod cum audissent omnes duces militum, ipsi, & viri, qui
erant cum eis, videlicet quod constituisset rex Babylonis Godoliam, venerunt ad
Godoliam in Maspha, Ismahel filius Nathaniæ, & Johanan filius Caree, & Saraja fi-
lius Thanehumeth Netophatites, & Jezonias filius Maachathi, ipsi, & socii eo-
rum. 24 Juravitque Godolias ipsis, & sociis eorum, dicens: Nolite timere servire
Chaldæis: manete in terra, & servite regi Babylonis, & bene erit vobis. 25 Fa-
ctum est autem in mense septimo, venit Ismahel filius Nathaniæ, filii Elisama de se-
mine regio, & decem viri cum eo; percusseruntque Godoliam, qui & mortuus est;
sed

ſed & Judæos, & Chaldæos, qui erant cum eo in Maſpha. 26 Conſurgenſque
omnis populus a parvo, uſque ad magnum, & principes militum, venerunt in Æ-
gyptum, timentes Chaldæos. 27 Factum eſt vero in anno trigeſimo ſeptimo tranſ-
migrationis Joachin regis Juda, menſe duodecimo, vigeſima ſeptima die menſis, ſub-
levavit Evilmerodach rex Babylonis, anno, quo regnare cœperat, caput Joachin re-
gis Juda de carcere. 28 Et locutus eſt ei benigne: & poſuit thronum ejus ſuper
thronum regum, qui erant cum eo in Babylone. 29 Et mutavit veſtes ejus, quas
habuerat in carcere, & comedebat panem ſemper in conſpectu ejus cunctis diebus
vitæ ſuæ. 30 Annonam quoque conſtituit ei ſine intermiſſione, quæ & dabatur ei
a rege per ſingulos dies, omnibus diebus vitæ ſuæ,

℣. 1. ANNO NONO REGNI EJUS, MENSE DECIMO .... VENIT NABUCHODONOSOR.] Cum Sedecias contra Chaldæos rebellaſſet, Nabuchodonoſor pravæ fidei, & inconſtantiæ perfidæ hujus nationis pertæſus, decrevit, penitus Judæorum perdere Monarchiam, & omnes incolas de regione illa traducere. Venit igitur in Judæam anno nono Sedeciæ ab Orbe condito 3414. qui annus erat Sabbathicus [1]. Rex, & populus in hoc convenerant, ut juxta Legem Domini [2], quæ ſeptimo quoque anno ſervos manumitti jubet, captivos remitterent, eoſque libertate donarent. Res quidem primum ſumma fide peragebatur; at aliquandiu poſt captivos iterum in ſervitutem aſſeruerunt, quæ res Dei iram ſuccendit. Ieremias 34. 8. acerrime eos exprobravit, atque minitatus eſt futurum, ut brevi bello, peſte, ac fame laborarent. Interim Chaldæorum exercitus ex omnibus populis, quos Nabuchodonoſor vicerat, coactus ſe ſe in terras Iuda effudit, expugnavitque Lachis, & Azecham, quæ duæ dumtaxat reliquæ erant e munitis civitatibus, quæ Regi Sedeciæ obtemperarent [3]. Demum regione omni ſubacta, Nabuchodonoſor Hieroſolymam obſidione circumdedit die decima menſis decimi, anno nono imperii Sedeciæ; hoc eſt die Iovis, trigeſima Ianuarii, anno ab Orbe condito 3414. juxta Uſſerii calculos. Ieremias cum liberius urbem captum iri, Regemque in ſervitutem iri abductum prænuntiaſſet, in vincula conjectus eſt; ubi ſatis diu permanſit [4].

Ægypti Rex, qui ſecretum fœdus icum Sedecia percuſſerat, & qui nec immerito verebatur, ne Nabuchodonoſor, ſubacta Iudæa, in Ægyptum irrumperet, exercitum conſcripſit, & Ieruſalem verſus progreſſus eſt, ut cum Chaldæis decertaret, eoſque a Jeruſalem obſidione deterreret [5]. Nabuchodonoſor, explorato Ægyptii Regis conſilio, pauliſper relicta Ieruſalem, huic Principi occurrit, cum fundit, fugatque [6], atque ad intermiſſam oppugnationem revertitur. Interim cum Nabuchodonoſor abeſſet, atque Judæi ſe jam periculo defunctos eſſe arbitrarentur, vi in ſervitutem rurſus redegere captivos, quos manumiſerant, quemadmodum dictum eſt, quam ob rem in eos invectus eſt Jeremias, eiſque portendit mala, quæ apud hunc Prophetam poſſumus intueri.

Ioſephus de Bel. l. 6. c. 11. initio belli hujus rem contigiſſe dicit, quam in Scriptura non legimus; ſcilicet, cum Nabuchodonoſor ad Ieruſalem acceſſit, ut eam obſideret, fontes, qui antea exhauſti exaruerant, repente affluenter aquas emiſiſſe; quod ipſum contigit, cum poſtremo civitatem eamdem Romani obſederunt.

℣. 2. 3. 4. CLAUS. EST CIVITAS .... USQUE AD UNDECIMUM ANNUM REGIS SEDECIÆ, NONA DIE MENSIS, PRÆVALUITQUE FAMES .... & INTERRUPTA EST CIVITAS.] Sub finem anni undecimi Sedeciæ, die nona menſis quarti [7], quæ erat Mercurii dies 27. m. Julii anno ab Orbe Condito 3416. cum

A civitas fame per aliquot menſes vaſtata fuiſſet, jam murus hiſcere cœpit; cumque civitas jamjam in hoſtium manus eſſet caſura, Sedecias, ac milites ejus Jerichuntem verſus fugam corripuere. Creditur celebri hac in obſidione, quæ fuit poſtrema Jeruſalem ante Babylonicam captivitatem, id contigiſſe, quod Jeremias in ſuis Lamentationibus refert, matres ſcilicet coxiſſe, & comediſſe filios ſuos Thren. 4. 10. *Manus mulierum miſericordium coxerunt filios ſuos, facti ſunt cibus eorum in contritione filiæ populi mei.* Quod ipſum a Baruch 2. 3. ac Ezechiele 5. 10. confirmatur.

FUGERUNT PER VIAM PORTÆ, QUÆ EST INTER DUPLICEM MURUM.] Per unam e portis in orientali plaga poſitis, qua aditus erat inter utrumque mu-
B rum, inter murum, ac antemurale [8]; vel forte ſimplex erat porta particularis, qua in Regis hortos patebat introitus, & qua ex urbe egredi poterant. Rabbini [9] putant, ſub terram inſtitutam fuiſſe viam ab ædibus Regum Juda ad planitiem uſque Jericho, qua cum Sedecias clam fugam vellet corripere, permiſit Deus, ut cerva illum extrinſecus inſequeretur, ac tantum ſuper terram itineris obiret, quantum ſubter Rex ipſe progrederetur. Chaldæi cervam inſecuti inopinato Regem invenere de occulto calle egredientem. Nugæ. Nullum umquam ex his ſive cuniculis, ſive occultis itineribus uſquam vel apud Joſephum, vel in Scripturis invenio. At Dion l. 66. de noviſſima Jeruſalem obſidione locutus, ait, Judæos ſubterraneas habuiſſe vias, quæ muros civitatis ſubeuntes
C longius in agros procedebantur; qua cum Judæi furtim erumperent, Romanos adoriebantur, qui palati procul a caſtris ſecedebant. Joſephus Antiq. l. 10. c. 11. credit, quod cum Chaldæi ſub mediam noctem civitatem invaſiſſent, ac ſtatim in Templum irruiſſent, Rex Sedecias, & milites illius tenebrarum ope uſi per montium juga in deſertum fugam corripuerint. At Chaldæi per transfugas moniti eos inſecuti ſunt a prima diluculo, eoſque non procul a Jericho ſunt aſſecuti. Auctor hic in libro ſuo de bello Judaico l. 7. c. 4. ait, Sedeciam ut civitatem, & Templum ſervaret, aufugiſſe, & elegiſſe exilium, & voluntariam captivitatem; verum hoc eſt veritatem fuco oblinire.

℣. 6. DUXERUNT AD REGEM BABYLONIS IN RE-
D BLATHA] Nabuchodonoſor non aderat huic obſidioni Jeruſalem, dum capta fuit. Permanſerat enim in Reblata Syriæ. Quænam hæc ſit Reblatha, non liquet; nonnulli putant, Apamæam Syriæ ad Orontem.

LOCUTUS EST CUM EO JUDICIUM.] Ad litteram [10]: *locuti ſunt judicium cum ipſo*. Chaldæus: *dixerunt verba judicii*. Negotium illius diſcuſſerunt, rem ad conſilium retulerunt, & rite judicium conſtitutum eſt. Syriace: *coegerunt illum, ut rationem redderet*; damnatus fuit veluti rebellis ſubditus, ac ſeditioſus, ut illi eruerentur oculi, atque in perpetuum carcerem truderetur [11]. Videtur Nabuchodonoſor non niſi ex Præ-

---

1 Vide Uſſer. ad hunc annum. 2 Exod. 21. 2. & Deut. 15. 1. 2. 12. 3 Jerem. 34. 7.
4 Jerem. 34. 5. 7. Vide & c. 21. & 38. 5 Jerem. 37. 5. 10. 6 Joſeph. Antiq. l. 10. c. 10.
7 Jerem. 39. 2. 8 Vide Vatab. 9 Vide Toſt. in hunc loc. q. 6. 10 וידבר אתו משפטים
11 Jerem. 52. 11. *Poſuit eum in domo carceris uſque ad diem mortis ejus.* Vide & Arab. hic, & Joſeph. Antiq. l. 10. c. 11.

ex Præfectorum suorum consilio, de quo loquitur Jeremias 39. 3. 13. Regem hunc damnasse. Perfidis Reges, qui Regibus Chaldææ successerunt, nihil umquam momenti alicujus aggrediebantur, quin Consultorum suorum sententias explorarent [1].

℣. 7. FILIOS SEDECIÆ OCCIDIT CORAM EO, ET OCULOS EJUS EFFODIT, ... ET ADDUXIT IN BABYLONEM.] Hac in occasione deprehensa est nonnullarum Prophetiarum mirabilis conformitas, licet contradictionem involvere viderentur: Alia enim hæc erat [2]: *adducam eum in Babylonem in terram Chaldæorum, & ipsam non videbit, ibique morietur*; alia vero [3]: *loquetur os ejus cum ore illius, & oculi ejus oculos illius non videbunt*. Alibi vero Propheta idem oppositum omnino affirmabat [4]: *Oculi tui oculos Regis Babylonis videbunt, & os ejus cum ore tuo loquetur, & Babylonem introibis*. Cum Sedecias pervenisset in Reblatham, vidit Regem Babylonis, cum eo locutus est, atque filios suos ad supplicium rapi prospexit: mox illi oculi eruti sunt, ipse vero Babylonem deductus, ibi nec civitatem vidit, nec Regem Nabuchodonosor.

Jeremias jam pridem [5] prædixerat, Regem hunc Babylone moriturum; verum hoc minime obfuturum, quin summo exciperetur obsequio, atque pro sua dignitate coleretur. *Morieris in pace*, ad Regem ajebat ille, *& secundum combustiones patrum tuorum regum priorum, qui fuerunt ante te, sic comburent te: & væ, Domine, plangent te*. Auctores Judæi [6] addunt in Cant. suo funebri, eam consuevisse: *Heu, mortuus est Rex Sedecias, qui ætatum omnium fæcem bibit*, hoc est, qui omnium superiorum Regum pertulit criminum supplicia.

℣. 8. MENSE QUINTO, SEPTIMA DIE MENSIS ... VENIT NABUZARDAN IN JERUSALEM.] Nabuchodonosor misit Nabuzardan in Jerusalem, ut eam igni, ac ferro vastaret. Nabuzardan de Reblata discessit die septima mensis quinti, quæ dies erat Mercurii 24. Augusti; verum ad Jerusalem pervenit die decima mensis ejusdem, ut refert Jeremias 52. 12. Vel in hanc civitatem venit septima die mensis, sed mandata facessere incœpit decima tantum mensis ejusdem die, quæ erat Sabbathum 27. Augusti [7]. Judæi tunc jejunium instituerunt [8], quod ad hanc quoque diem servant; verum illud nono, non autem decimo mensis quinti diei affixere. Templum igitur flammis addictum fuit quadringentis & viginti quatuor annis, mensibus tribus, ac diebus octo postquam a Salomone ædificari cœptum est.

℣. 9. OMNEM DOMUM COMBUSSIT IGNI.] Hebraice [9]: *omnes, quæ aderant, ædes magnæ*. At in Jeremia [10] legimus ipsum plebis domos combussisse. Muros deinde evertit, & populi reliquias, quas in urbe invenerat, collegit, ut in captivitatem Babylonem deduceret: sed ea in regione pauperes tantum reliquit agricolas, iisque dedit agros, ac vineas excolendas, ac illis Godoliam præfectum præposuit. Nabuchodonosor [11] præceperat Nabuzardan, ut Jeremiæ curam gereret caveretque nequid detrimenti ille pateretur, sed ipsi integrum, quæcumque vellet, agere relinqueretur. Eductus igitur de carcere Propheta libertate donatus est. Post discessum Nabuzardan, Judæi, qui ea in regione permanserant, ad Jeremiam se contulere, ut quid sibi faciendum esset, in Judæa ne persistendum, an in Ægyptum secedendum esset, consulerent. Post decem dies Jeremias illis Dei nomine respondit [12] futurum, ut si in Judæa persisterent, tuta pace fruerentur, sin autem in Ægyptum confugerent, gladio, fame, ac peste omnes interirent. Verum quin illius consilio adhærerent, eum mendacii, ac proditionis insimularunt, ac in Ægyptum se se recipere decreverunt [13], quos Jeremias cum Baruc Scriba suo secutus est. Ita Judæa penitus derelicta fuit, & Judæorum Monarchia funditus eversa, anno 468. ab initio regni Davidis, 388. a decem tribuum a tribubus Juda, & Benjamin secessione.

℣. 14. 15. 16. Consulere potes Exodum, ac tertium Regum librum de vasibus variis, ac operibus, de quibus hic sermo.

℣. 18. TULIT .... SARAIM SACERDOTEM PRIMUM, & SOPHONIAM SACERDOTEM SECUNDUM, ET TRES IANITORES.] Sophonias nec filius erat, nec successor designatus Summi Sacerdotis; scimus autem Summi Sacerdotis filium [14] Josedech fuisse appellatum, qui a Chaldæis in servitutem abductus fuit; at Summo Sacerdoti plerumque alius sufficiebatur, qui illius vices ageret, si vel ægritudine detineretur, vel aliquid funestum illi contingeret. Hujus auctoritas erat summi Sacerdotis auctoritati pæne par, eodem ferme pacto quo olim Cæsares ad Augustorum dignitatem accedebant. Summi Sacerdotis solium sublimius erat, at huic proximum secundi erat Sacerdotis [15]. Rei hujus institutum in lege liquido certum non patet, at Eleazar Aaronis Filius, qui in Scripturis [16] *Princeps Principum Levitarum* vocatur, erat ferme idem, ac *secundus Sacerdos*, de quo isthic est sermo. *Tres janitores* erant Præfecti Levitarum, qui ad ostia excubabant; quorum officium haud ita exiguum fuisse superius adnotatum est [17]. Cum de captivitate reversi sunt, quatuor fuisse janitorum præfectos novimus [18]. Num isthic Sophoniam quartum fuisse divinarim?

℣. 19. QUINQUE VIROS DE HIS, QUI STETERANT CORAM REGE.] Hebraice [19]: *Quinque viros, qui videbant faciem Regis*. Quinque ex præcipuis præfectis apprime Regi familiaribus. Jeremias 52. 25. septem ait fuisse: *Septem viros de his, qui videbant faciem Regis*. Arabs quoque septem isthic legit; verum credibile est, ipsos primum quinque fuisse dumtaxat, deinde vero duos alios inventos fuisse.

ET SOPHAR PRINCIPEM EXERCITUS, QUI PROBABAT TYRONES DE POPULO TERRÆ.] Hebraicus textus [20] plures sensus potest admittere: Septuaginta hoc pacto reddunt [21]: *Et Scribam principis exercitus, qui instruit*, vel in aciem disponit *populum terræ*. Syriaca versio: *Scribam & principes exercituum, qui confirmant copias terræ*. Demum omnes conveniunt *Sopher* isthic esse intelligendum de viro, qui a *Secretis* erat; vel saltem de *Scriba* quem amplissimum fuisse in aula Regum Juda ministrum ad Judic. 8. 14. ostendimus. At ex Hebraico textu non satis liquet, an hic *Scriba* distinctus sit a *Principe*, vel *Duce exercituum*; an idem ille hac quoque dignitate præfulgeat. Primum asserere mallem; I. quia munus illius est erudiendorum, exercendorumque militum; quod secundario melius duci convenit, quam Imperatori. II. Si *Sopher* scribam significat, quemadmodum ex textus constructione liquet; Minister hic nequaquam erit una & exercitus Princeps; *Scriba* enim Imperatori inferior est, atque inutile est duas hasce dignitates conjungere ad unum, eumdemque virum designandum. Scriptura igitur isthic de *Scriba* loquitur, de exercituum Duce, qui tyrones erudiebat, vel qui eorum nomenclaturam habebat; verum illius nomen reticet.

℣. 22. Po-

---

1 Daniel. 6. 7. 8. 12. 2 Ezech. 12. 13. 3 Jerem. 32. 4. 5. 4 Jerem. 34. 3.
5 Jerem. 34. 6 Seder-Olam. c. 28. apud Sanct. hic. 7 Usser. ad an. m. 3416.
8 Zach. 7. 3. 5. & 8. 19. 9 את כל בית גדול 10 Jerem. 39. 8. ואת בית העם
11 Vide Jerem. 39. 11. & seq. 12 Jerem. 42. 7. & seq. 13 Jerem. c. 43.
14 1. Par. 6. 14. 15. 15 Vide Scalig. Proleg. ad Euseb. Vat. Menoch. Malv. 16 Num. 3. 32. *Princeps principum Levitarum Eleazar filius Aaron Sacerdotis*. 17 Vide supra c. 22. 4.
18 1. Par. 9. 17. & 24. 19 חמשה אנשים מראי פני המלך 20 ואת הספר שר הצבא המצבא את עם הארץ
21 Καὶ τὸν γραμματέα τοῦ ἄρχοντος τῆς δυνάμεως τὸν ἐκτάσσοντα τὸν λαὸν τῆς γῆς.

℣. 22. POPULO, QUI RELICTUS ERAT, PRÆFECIT GODOLIAM.] Ajunt [1], Godoliam transfugam fuisse, qui postremæ obsidionis tempore ad Chaldæos transierat, Jeremiæ secutus monita [2], qui Regem, populumque enixius hortabatur, ut se dederent, quin extrema quæque mala expectarent. Godolias pacato, ac facili erat ingenio, qui tempori noverat inservire [3]. Non permisit Deus, ut diu ea in regione viveret, ut ibi miserrimæ nationis dissipatæ atque exagitatæ reliquias colligeret.

℣. 24. MANETE IN TERRA.] Ex Ieremia liquet, gentes has adhuc oppida quædam ea in regione possedisse [4]: nam Godolias dixit illis: *Nolite timere servire Chaldæis*, vel ne timeatis servos Chaldæorum: *Ecce ego habito in Masphata, ut respondeam præcepto Chaldæorum, qui mittuntur ad nos; vos autem colligite vindemiam, & messem, & oleum, & condite in vasis vestris, & manete in urbibus vestris, quas tenetis*. Ieremias c. 40. 12. addit, Iudæos, qui se se receperant in Idumæam in regionem Moab, & Ammon, cum intellexissent, nationis suæ reliquias in Iuda superesse, undequaque confluxisse, ut se cum illis conjungerent, atque magnam frumenti, ac vini copiam colligere incœpisse. Hoc autem plane excivit invidiam Ismahelis, & sociorum ejus, qui tunc conjurare incœperunt, ut perderent Godoliam; qua de re Godolias certior factus, cum fidem nuntiantibus non haberet, neque illi assentiretur, qui se e vivis sublaturum Ismahel pollicebatur; tandem sævissime confossus fuit ab Ismahele inter epulas, quas illi in Maspha instruxerat [5]. Ismahel vero nequaquam illatæ necis contentus, omnes eos cæcidit, qui erant cum illo; atque uxores illorum, & omnes, qui in Maspha reliqui erant, in captivitatem abduxit. Attamen Johanan Caree filius, collecta juvenum manu, persecutus est Ismahelem, & socios ejus; cumque illi, qui inviti ab Ismahele abripiebantur, agnovissent Iohanan, fugam capientes ad hunc accessere; atque Ismahel militum suorum manu destitutus in Ammonitarum regionem se recipere coactus fuit, octo dumtaxat sociorum caterva stipatus. Iohanan reduxit populum, quem receperat, cumque consuluisset Ieremiam super eo consilio, quod in Ægyptum aufugiendi inierant [6]; Propheta omnia illis prædixit mala, quibus in Ægypto futuri erant obnoxii, si a sententia minime dimoverentur. Quid autem consilii ceperint, in Commentariis in Ieremiam late videbimus.

℣. 27. ANNO TRIGESIMO SEPTIMO TRANSMIGRATIONIS IOACHIN . . . . SUBLEVAVIT EVILMERODAC CAPUT IOACHIN.] Creditur [7] Evilmerodach fœdus amicitiæ iniisse cum Ioachin eodem tempore, quo una in carcere detinebantur. Evilmerodach illuc a Patre suo Nabochodonosor fuerat conjectus, tum ob mala, quæ patrarat septem annorum spatio, quo, patre ægrotante, regnarat, tum in pœnam gaudii, quod ex patris morbo fuerat testatus. In hoc squalore usque ad obitum Nabuchodonosor permansit. Divinitus factum est, ut cum Joachin simul ibi moraretur; cumque suppliciorum similitudo inter ipsos arctam peperisset amicitiam, hæc consuetudo libertatem Joachin comparavit. Hæc equidem omnia nequaquam infallibilis sunt certitudinis, verum verisimilitudinis limites non excedunt; veluti ea, quæ addunt Hebræi [8], post mortem Nabuchodonosor, Evilmerodach e carcere egressum, cum a primoribus sibi regium honorem denegari intelligeret (verebantur enim, Nabuchodonosor nequaquam ultima fuisse passum) ut eis patrem fato functum probaret, imperasse, ut de tumulo eductum patris cadaver uncis ac funibus ante omnium civium ora, & oculos traheretur. Alii asserunt, Ioachin suasisse Evilmerodach, ut patrem suum Nabuchodonosor e tumulo erueret, ejusque corpus in frusta concisum tercentis corvis vorandum projiceret, veritus ne uti ex lycantropia, ita etiam ex sepulchro reviviseceret. Anno ab Orbe condito 3442. Nabuchodonosor obiit, & Evilmerodach filio suo imperium reliquit; qui vigesima quinta die mensis duodecimi edictum edidit, quo Joachin libertate donabatur [9], qui nihilominus post duos dies tantum est libertatem assecutus, hoc est 27. mensis ejusdem die [10], quæ Jovis dies erat 17. Aprilis.

Ceterum nomen Evilmerodach satis cognitum est apud veteres. Berosus apud Joseph. contra Appion. l. 1. refert Regem hunc injuste, ac impotenter duobus annis regnasse, atque proditorie interfectum fuisse a Neriglissor vitrico suo. Megasthenes quoque apud Euseb. Præpar. l. 9. c. 41. de eo loquitur, atque ab ipso *Evilmaluruchus* appellatur. Hic pater fuit Balthasar, quemadmodum in Danielem 5. 1. ostendemus. Viator Benjamin loquitur de sepulchro Evilmerodach in urbe Kapha.

℣. 28. POSUIT THRONUM EJUS SUPER THRONUM REGUM, QUI ERANT CUM EO.] In Regum Babylonis aula plurimi erant Reges provinciarum, quas Nabuchodonosor subegerat; quorum quilibet eo in gradu habebatur, quem illi tribuere Regi placuerat: Joachin autem ex omnibus Regibus in aula Evilmerodach majori honore habebatur. Neque mirum erat in aula Regum Orientis Principes adstare, qui de solio dejecti fuerant. Adonibesech Rex, de quo in libro Judicum 1. 7. est sermo, domi suæ septuaginta Reges habebat, quibus manuum, pedumque absciderat digitos, & qui sub illius mensa, quæ cadebant, panis micas colligebant. In Magni Alexandri aula Reges Porus, & Taxilus aderant; Cyrus secum habebat Crœsum, quem summopere admirabatur [11].

℣. 29. COMEDEBANT PANEM IN CONSPECTU EJUS CUNCTIS DIEBUS VITÆ SUÆ.] Ioachin duodevigesimum agebat annum, cum captivus Babylonem traductus fuit; septem ac triginta post annos e carcere fuit eductus; quinque igitur & quinquaginta natus erat annos, cum Evilmerodach illum in libertatem asseruit. Evilmerodach duobus tantum regnavit annis, ut Beroso placet, vel tribus, ut Daniel ait c. 8. 1. ideo Ioachin nequaquam diu felici sorte frui potuit. Vellem igitur Hebraici textus hujus, ac sequentis versiculi verba [12] ita reddere: *Cunctis diebus vitæ ejus*, scilicet vitæ Evilmerodach, non autem Ioachin, ni infelix hic Princeps una cum amico Rege eamdem subierit calamitatem.

℣. 30. ANNONAM CONSTITUIT EI.] Constituit scilicet pro servis Ioachin annonam; ipse enim ad Regis mensam vescebatur. Ita quoque *Sibæ* [13] præcepit David, ut filiorum Miphiboseth curam gereret, dum ipse Miphiboseth a Rege conviva adhiberetur. Ioachin fortasse haud semper Regiæ mensæ intererat, sed tantum ex iis alebatur, quæ coram Rege fuerant allata: ita equidem Syriaca versio explicat, idque non abhorret a veteri Regum Persarum consuetudine, qui sibi in mensam afferri jubebant ea omnia, quæ universæ familiæ mox erant distribuenda. Grotius hoc intelligit pacto: Evilmerodach quotidie suppeditavit illi ea, quæ ipsi opus erant, pro victu, vestitu, domicilio, ac pro familiæ suæ, ac servorum annona.

1 Ita Lyr. ex Hebr. Menoch. Sanct. 2 Jerem. 38. 2. 17. 3 Grot. hic. 4 Jerem. 40. 9. 10. 5 Jerem. 41. 1. & seq. 6 Jerem. 41. 7. 8. & seq. & 44. 7 Ita Hebræi Lyran. Tost. Tir. Sanct. alii. 8 Vide Hieron. in Isai. 14. 19. ita & Haym. & Hug. in Isai. 14. & Tost. hic. q. 37. & Hist. Schol. in cap. Daniel. Vide Sanct. 9 Jerem. 52. 31. *Duodecimo mense, vigesima quinta mensis, elevavit Evilmerodach &c.* 10 4. Reg. 25. 27. *Mense duodecimo, vigesima septima die mensis.* 11 Herod. l. 1. c. 88. 12 כל ימי חייו 70. πάσας τὰς ἡμέρας τῆς ζωῆς αὐτοῦ. 13 2. Reg. 9. 10. *Inferes filio domini tui cibos ut alatur. Miphiboseth autem comedet semper panem super mensam meam.*

FINIS QUARTI LIBRI REGUM.

